VILLANOVA COLLEGE LIBRARY
Villanova, Pennsylvania

This book was donated
3-4-49
by
Rev. M. Sullivan, O.S.A.

ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVIII

ACTA SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA

A JOANNE BAPTISTA SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO

PETRO BOSCHIO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

JULII TOMUS SEXTUS

QUO DIES VICESIMUS QUINTUS, VICESIMUS SEXTUS, VICESIMUS SEPTIMUS ET VICESIMUS OCTAVUS CONTINENTUR,

CUM TRACTATU PRÆLIMINARI HISTORICO-CHRONOLOGICO DE LITURGIA MOZARABICA, AUCTORE JOANNE PINIO.

PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1868


SERENISSIMA DOMINA D. MARIA THERESIA ARCHIDUX AUSTRIA &c

MARIÆ TERESIÆ

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ ET SERENISSIMÆ

ARCHIDUCI

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI

GELDRIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ

CARNIOLIÆ : COMITI FLANDRIÆ, NAMURCI

TYROLIS, GORITIÆ ETC.

Inter triumphos Tuos non postremus accepit, ARCHIDUX SERENISSIMA qui ab Augustissimo Parente, perpetuo nostro, dicamus Sanctorum Mæcenate, Tibi destinatus est tomus hic de Actis Sanctorum mensis Julii sextus, ut et ipsi, cælestis istius supernæque curiæ Principes, aulicis Viennensibus acclamationibus, suos plausus adjungant in communi lætitia, dum Te, annum necdum duodecimum prætergressam, de iis disserentem disputantemque obstupuere proceres, quæ ætatem sexumque supra, auditorum omnium animos admiratione, Augustissimos autem Genitores incredibili voluptate affecerunt perfuderuntque. Eos equidem eruditæ virgunculæ Archiducis solidos triumphos appellare non dubito, ubi tenella Princeps sapientum virorum examini sistere se non formidat, atque ad propositas quascumque

provocet incitetque quam in hoc tomo, serenissimo Tuo nomini inscripto invenies, optima sanctissimæ Dei Genitricis Tuæque, et ipsa sanctissima Mater Anna. Deus bone quæ Sancta, quam potens, quam illustris miraculis, qnam in clientes profusa et misericors, quantis olim beneficiis in Augustissimam ipsam Domum munifica! Hujus patrocinium, DEVOTISSIMA PRINCEPS, dum Tibi propitium feceris, habebis sane quæ Te ad perfectiora quotidie animent, hortentur, provehant, eoque demum perducant, quo Te tam illustria et Christianæ pietatis et doctrinæ rudimenta non possunt non extollere; diserte hic iterum eloquar : ad prima nempe regnorum imperiorumque gubernacula, Austriaca prudentia, justitia et integritate administranda ut felices jam nunc fortunatosque audacter prædicem, qui Tuis sub auspiciis ævum acturi, felicissimi sideris optatissimo influxu poterunt recreari : cujus radios et Belgio nostro perennaturos confidimus. Ita vovent

SERENISSIMA ARCHIDUX

ARCHIDUCALIS SERENITATIS TUÆ

Clientes Devotissimi

JOAN. BAPT. SOLLERIUS
JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS
PETRUS BOSCHIUS

Societatis Jesu.

SYNOPSIS

TOMI SEXTI

DE ACTIS SANCTORUM

JULII

En modo grandis nostri de Actis Sanctorum operis tomum tertium supra trigesinum, complectentem, præter anonymos, sanctos propriis suis nominibus expressos centum et duodeviginti, diebus non plus quatuor, quot eo volumine continentur, nempe à XXV ad XXVIII; quos recepto more, in classes suas quatuor dispescimus, ut primam occupent Sancti *ex Statu ecclesiastico*, alteram *ex Statu monastico*, tertiam *ex Statu Seculari*, postremà vero referantur Sanctæ quæ sunt *ex sexu femineo*, servato ubique solito regionum ordine. Ad vetus potius quam ad novum fœdus spectat beatissimæ Virginis Dei genitricis sanctissima mater *Anna*, de qua proinde hic extra classem præcipua ad ipsam spectantia capita obiter notanda censuimus. Quæ de Actis ejus, patria et parentibus tradita accepimus, non satis exacta et sincera esse facile conceditur : acrior concertatio pro ejus monogamia et filia unigenita, quam sententiam vindicandam suscepimus. Demonstratur antiquus ejus in Oriente cultus, qui paulo serius ad nos pervenerit, prodigiosa templi ædificatione in Hispania auctus, inde fortasse ad alias regiones propagatus, innumeris certe stupendisque miraculis quaquaversum diffusus. Horum quæ postremo seculo in Britannia Armorica contigerunt, tam authenticis nituntur probatisque restimoniis, ut vel incredulum quemque et pervicacem convincere necesse sit. De superstitibus ejus reliquiis anceps inter varias ecclesias disceptatio : paradoxon vero de corporali ejusdem resurrectione.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primus in hac classe absque controversia *Jacobus*, a synonymis *Majoris* cognomento distinctus, primus inter Apostolos martyr, primus Hispanicæ ecclesiæ fundator, gentisque istius gloria; Compostellam ex martyrii loco, hic abunde explicato, delatus, ubi peregrinationibus ex toto orbe Christiano, certe ex omni Europa, miraculisque et ibi et alibi ingenti numero patratis, longe celeberrimus, pluribus disquisitionibus ansam præbuit, quæ hic ex ordine eruderantur, ea vero præcipua, qua Hispanis, toties a se adversus Mauros propugnatis, probabilus asseritur. De *Erasto*, Pauli discipulo, alia Græci tradunt, alia Latini : quæ de eo gentium Doctor scribit, et virum honoratum et urbis Corinthi, non ecclesiæ Hierosolymitanæ œconomum fuisse demonstranti, tum vero Philippensem potius quam Paneadis, ex pseudo-Dorotheo, episcopum.

De *Victoris* PP. I et M. die natali, ætate, gestis ac scriptis implexa multa : in exstirpandis istius temporis hæresibus acer ostenditur, nec minus constans æquusque in asserenda adversus Polycratem aliosque Asiaticos episcopos, Romana Paschatis celebratione. Neque Victori cedit illustris Papa *Innocentius*, item I, cujus eximiæ virtutes et doctrina a calumniis hic vindicatæ sunt : distincta tempora, ejusque etiam præclarissima gesta ac scripta; laudata constantia et fortitudo in Romanis calamitatibus, in tuenda Chrysostomi causa, in refrænandis hæreticis, demum in auctoritate Apostolica strenuè confirmanda. His accedit, non tam celebritate cultus quam rebus præclare gestis *Laurentius* Mediolanensis episc , ab Ennodio ita laudatus, ut inde toleratæ à barbaris ærumnæ, restaurata civitas, gesta in causa Symmachi PP. , ornata templa aliaque potissimum eruenda fuerint. De *Ecclesio* præsule Ravennate pauca expendi potuere, quod Acta non supersint, nec cultus vetustissimus sit. Vigilienses in Apulia MM. *Maurus* episc., *Pantaleemon* et *Sergius* notiores sunt inventionibus, translationibus secutisque exinde miraculis, quam rebus gestis, quæ ex eorum Officio examinantur.

Gallicanos antistites binos suggerunt Trecæ *Ursum* et *Camelianum*, illum solo nomine et cultu notum, hunc cum aliquo Himerio perperam confusum; binos item Autissiodorum, de quorum priore *Ætherio* ignota historia; at celebris est in Martyrologiis cultus. Contra vero de alterius, *Geranni*, cultu dubitatum est; Vita edita hic illustratur. Non multo celebrior est *Phronimus* inter Metenses episcopos numerandus. Neque de *Desiderato* Bisontino præter breve elogium et exaltationis relationem quidquam superest. *Galactorii* episcopi Lascurrensis et martyris memoria decessoris *Juliani*

APPROBATIO ORDINARII

Tomus hic sextus Julii de Actis Sanctorum, iisdem quibus priores, à nobis etiam recogniti, auctoribus Joanne Baptista Sollerio, Joanne Pinio, Guilielmo Cupero et Petro Boschio; eadem diligentia et accuratione elaboratus, nihil fidei aut bonis moribus oppositum continet. Quod etiam testamur in ordine ad Joannis Pinii præmissum Tractatum historico-chronologicum de Ritibus Mozarabicis, varie compellari solitis; ut proinde opus utrumque luce publica dignum censeamus. Antverpiæ XXIX Martii MDCCXXIX.

F. G. ULLENS.
Can. Schol. Offic. et Lib.
Censor Antverpiæ

PROTESTATIO AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc sextum tomum Julii denuo protestamur.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

AD LECTOREM

Iter nostrum Hispanicum pro Actis Sanctorum anno 1721 susceptum, elaborando huic Tractatui occasionem præbuit. Etenim post lustratas à Majoribus nostris Henschenio, Papebrochio, Baertio ac Janningo, Italiam, Galliam ac Germaniam; visum fuit ad Opus nostrum conducere, si, quam nemo nostrum hactenus tentarat, excursio Hispanica a nobis institueretur; eo ad rem, quam præ manibus habemus, operæ pretio, ut dum Toleti essemus, nonnulla ibidem reperta fuerint, quæ ad liturgiam Hispanicam, sub Mozarabum nomine etiamnum ibi usitatam, spectare potissimum posse videbantur; tametsi minime tunc sufficientia, ut integer ex illis, satisque instructus, ac prælo dignus, qualem eum nunc esse confidimus, Tractatus conficeretur. Jacta itaque quædam ejusdem fuere semina; quibus copiosior aliunde notitiarum messis accrevit, ex variis Hispaniæ conciliis, Romanorum Pontificum gestis, aliisque, quæ undequaque corradere potuimus, documentis; partim ex aliorum auctorum pervestigatione haustis, partim ex Hispania post reditum in Belgium submissis. Sic itaque se habuere hujus Tractatus initia et incrementa.

Ea vero, quæ circa liturgiam istam quatuor primis Christi seculis et ulterius, de singularibus ejusdem partibus quæri possunt, incerta prorsus fatemur, atque obscura esse; uti videre est ex illis, quæ cap. I super hoc argumento deducimus; proposita eruditis lectoribus controversia, quæ eo redit, an satis solide probari possit, quod codex aliquis liturgicus integer, ad usum particularis ecclesiæ sive in Oriente, sive in Occidente, scripto exaratus exstiterit; integer, inquam, atque ita digestus, auctus, concinnatus, ut totius sacræ œconomiæ modum, ordinem, cæremonias ac preces singillatim ac determinate recenseret. Allata sunt varia tam sententiæ id negantis, quam affirmantis argumenta: sed quamquam me propendere potius in illam, quam in hanc insinuem; cupio tamen, ut quæstio illa eo habeatur loco, ut non tam a me certo decisa, quam eruditorum judicio tantisper proposita, eorumque calculis probanda vel improbanda censeatur. Et erit fortasse ex illis quispiam, qui arrepta inde occasione, controversiam istam secundis curis examinet, plenius tractet, meliusque ac certius aliquid me doceat. Quod si fiat, applaudam et gratulabor. *Non enim vincimur, quando afferuntur nobis meliora, sed instruimur*, aiebat S. Cyprianus in epistola ad Quintum.

Videbimus porro liturgiæ antiquæ Hispanicæ, anterioribus seculis circa determinatas, proprias ac singulares sui partes adeo nobis incompertæ, novam lucem affundi seculo VII, ex decretis omnium Hispaniæ conciliorum celeberrimi quarti Toletani; præside S. Isidoro, Hispalensi antistite; qui de sacra liturgia cumulatissime meritus est, aliis quoque post ipsum sanctis viris suam pio huic labori symbolam conferentibus. Videbimus eam deinde sub barbaro Saracenorum jugo gemere, humanæque vicissitudinis scenam subire; ad hæc ex corruptione quorumdam exemplarium accusatam, at deinde comprobatam; seculo autem XI, recuperato ab Alphonso VI Toleto, extrema passam, et abrogatam, non tamen penitus extinctam. Videbimus denique sequentibus seculis varia a regibus Hispaniæ indulta Mozarabibus diplomata; quorum antiquum Officium sacrum ne in tantam desuetudinem veniret, ut ab interitu parum abesse videretur, seculo tandem XVI ineunte novum a magno Francisco Ximenio, archiepiscopo Toletano, et S. R. E. Cardinale splendorem accepit, ad perpetuitatem utique temporis cum Sedis Apostolicæ consensu a Viro illo immortalitatis fama dignissimo fundatum ac stabilitum. Quæ omnia hic in compendio exhibita, pluribus dabuntur suis locis.

Ne vero mireris, lector, liturgiam hanc adeo varia ac multiplici nominum coacervatione a nobis indigitari: res enim illa sese evolvet per decursum; nam pro varia ratione temporum aliud ex alio hæc liturgia nomen induit. Observari etiam

iam abs te cupio, Tractatum hunc, si alicui præfigendus erat de Actis Sanctorum tomo, non incongrue præfigi tomo huic Julii mensis sexto; cum in eo illustrentur Acta S. Jacobi Majoris, primi utique ecclesiæ Hispanicæ fundatoris, atque adeo primos inter rituum sacrorum ibidem adjutores, ministros ac propagatores, designatoris, et, quantum quidem per commorationis apud istam gentem tempus licuit, propagatoris gloriosum etiam nomen meriti; justa ea, quæ tum cap. 1, § 1 dicemus; tum quæ de ipsius ad Hispanos adventu, adeo diu multumque inter eruditos disputato, in hoc præsenti tomo in favorem eorum probabilius decisa reperies.

Interim non dissimulamus, varia apud varios auctores circa Officium sacrum, de quo dicere aggredimur, excursa reperiri; nam ut nihil dicamus de Francisco Pisa, Eugenio Roblesio, Eminentissimis Joanne Bona, et Josepho Aguirrio; item ut non memoremus Joannem Mabillonium, atque Edmundum Martenium, de quibus redibit per decursum sermo; Petrus Brunus in suo Gallico opere, postea a nobis memorando, non segnem operam huc contulit, quando res gestas in antiqua liturgia Hispanica ac Mozarabica historico-chronologice deduxit, Ordinem Missæ Mozarabicæ observationibus explanavit ac cum antiqua liturgia Gallicana contulit. At nemo omnium, quos ego quidem viderim, illud argumentum plene tractavit hactenus, ea videlicet plenitudinis ubertate, qualem nos post illos comparare conati sumus : nam diplomata varia, aliaque documenta Tractatui nostro inseruimus, quæ apud laudatos auctores frustra inquiras, allaborantibus viris illis Hispanis, quorum, ubi res feret, veneranda nobis memoria recurret.

Tametsi vero non segni opera colligere conati simus, quiquid ad plenam rerum liturgicarum, de quibus agimus, notitiam maxime conducere putavimus, tantum tamen nobis polliceri non audemus, ut in animum inducamus, Tractatum hunc pari ab omnibus approbatione, pari aviditate ac gustu lectum iri : ea namque hujus argumenti, ea aliorum rituum antiquorum investigationis est conditio, ut, spectata illorum natura, non pauca se offerant, quæ instruant potius quam delectent; unde fiat, ut quia sunt jejuna, tetrica etiam ea esse, necesse sit, atque adeo illis dumtaxat grata potissimum, qui hujusmodi rerum studio rapiuntur; quibus conatus hosce meos non omnino displicituros confido ; in quorum præsertim numero ponimus eruditos Hispanos, ad quos Tractatus præsens, tanquam rei avitæ eis olim, domesticæ ac propriæ, nunc vero tamquam nomine, atque usu unice singularis, imprimis spectat. Atque hæc sunt, de quibus te, Lector, præmonendum censui. Tu interim, quiquid hujus sit Tractatus, æqui bonique id consule.

TRACTATUS

HISTORICO-CHRONOLOGICUS

ad tomum vi Julii præliminaris,

DE

LITURGIA ANTIQUA HISPANICA, GOTHICA, ISIDORIANA, MOZARABICA, TOLETANA, MIXTA

CAPUT I.

B

Origo liturgiæ Hispanicæ; qualis ea fuerit quatuor primis æræ Christianæ seculis.

E

§ I. *Status quæstionis; origo liturgiæ Hispanicæ S. Petrus apostolus; alii in hac re ipsius adjutores.*

Res liturgicæ ab Apostolis quaquaversum propagatæ

Quando primum, divisis toto orbe Apostolis, novæ legis præconibus, in omnem terram exire cœpit doctrinæ euangelicæ sonus, et longe lateque quaquaversum propagari; præter sacrum Christianæ fidei depositum, quod cuilibet ex illis seorsim atque omnibus simul sub Petro eorum principe ac præside, concreditum erat, varia alia in suam quisque, quo destinabatur, provinciam secum detulit, ad novæ Ecclesiæ œconomiam necessaria, atque ad credentium institutionem utilitatemque prorsus accomodata; quæ Spiritu sancto dictante, Christo docente, ac per os Petri utroque loquente, didicerat. Id cum in aliis pluribus, ad nascentis Ecclesiæ propagationem, conservationem, incolumitatemque conducentibus, tum præcipue locum habuit in liturgia sacra, seu in ordinata augustissimi novæ Legis Sacrificii administratione; circa quam, quatenus Hispaniam spectat, præsentis collimat tractatus præliminaris argumentum. Non agitur autem hic de substantia et essentia, ut loquuntur Theologi, quibus illud Sacrificium intrinsece atque ex vi primævæ suæ institutionis constat et perficitur: quippe cum illud sit eatenus juris divini, semper ab initio idem, semper idem deinceps, semper denique unum idemque ad nostra usque tempora perseveravit, ac perseverare porro perget usque ad consummationem seculi.

C

conveniunt ubique in substantialibus;

2 Id quod nitide expressit Wilhelmus Lindanus, qui e Sirleti Ms. Græco liturgiam sub nomine S. Petri, latine vertit, edidit, notis illustravit, et apologetico defendere conatus est; quando in rem nostram a pag. 70 sic enuntiat: *Ipsum Christiani sacrificii nucleum enim si studio Christianæ pietatis investiges, ac sedulo quæras; agnosces formulam sacrificalem, et Romanam D. Petri, et Jerosolymitanam D. Jacobi, Byzantinam sive CPolitanam D. Andreæ, Ephesinam D. Joannis, Alexandrinam D. Marci, Mediolanensem D. Barnabæ, et Indianam D. Thomæ prorsus consentire; atque tamquam ab illo uno veritatis magistro Spiritu sancto editam omnino conspirare, eademque omnibus vocem sonare, quod quidem ad ipsam rei substantiam attinet, sive ad rem oblatam, et ad effectum sacrificii, aliaque consentanea.* Non itaque de prima ac necessaria hujus divini Holocausti forma, substantia, et, ut ita loquar, natura hic agitur, de quibus Catholicos inter omnes convenit; sed agitur de quibusdam partibus, quæ primæ ejusdem institutioni postmodum acciderunt, quæque proinde, salva rei substantia, adesse et abesse possunt.

in accidentalibus autem differunt.

3 Hujusmodi sunt, externi quidam ritus ac cæremoniæ, preces plures vel pauciores, earumque compositio, dispositio item, numerus et ordo. Adde hymnos, tractus, antiphonas, lectiones, psalmos, et quæ sunt generis ejusdem: et quamvis illa omnia, vel ex omnibus saltem aliqua, initio prædicationis euangelicæ, uti ego quidem censeo, magna cum moderatione fuerint adhibita, ut nec longa admodum essent, nec alia ab aliis omnino diversa, quamquam in diversis regionibus recitarentur; lapsu tamen temporis varias sensim sine sensu œconomia liturgica induit mutationes, additionesque accepit, viris illorum temporum apostolicis, sive ecclesiarum particularium moderatoribus episcopis, in conciliis aut extra illa, pro suo quibusque in res sacras studio in illud incumbentibus, ut augustissimum hoc, et omnium, quæ fuerunt sub sole, dignissimum longe sacrificium et pro sua tremenda majestate rite et decenter, et pro assistentium fidelium utilitate et reverentia salubriter perageretur.

De qua re scribit S. Gregorius Magnus.

4 Juvat itaque hic meminisse, quidnam S. Gregorius Magnus responderit S. Augustino, Anglorum apostolo, qui inter alias interrogationes apud Labbeum tom. 5 Conciliorum col. 1568, ex isto sanctissimo Pontifice sic quærit: *Cur, cum una sit fides, sunt ecclesiarum consuetudines tam diversæ, et altera consuetudo Missarum est in Romana*

Sec. I.

mana ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis tenetur? Cum recte Gregorius: *Novit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut, sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia, aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicite eligas, et in Anglorum ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Consuli etiam potest laudati summi Pontificis epistola 64, libri 7 ad Joannem episcopum Syracusanum data, quæ habetur loco citato a col. 1347.

Variæ proponuntur circa primigeniam liturgiam Hispanicam:

5 Sic itaque se habuere rerum liturgicarum exordia; sic paulatim cum tempore accreverunt ac variaverunt earum progressus: quod, quemadmodum in Hispania contigerit, inspiciamus. Rem
B aggrediamur a tribus punctis, quæ potissimum ante alia omnia hic quæri possunt. 1. A quo videlicet suam primo liturgiam acceperint Hispani seculo æræ Christinæ primo, 2. Qualis ea tunc et tribus sequentibus seculis fuerit. 3. An denique quatuor primis seculis aliqua litteris exarata, et in unum collecta volumen exstiterit. Circa primum quæstionum propositarum punctum, ista colligere potui, quæ subnecto.

cujus origo fuit S. Petrus;

6 *Ordo autem Missæ*, inquit S. Isidorus, Hispalensis episcopus, de ecclesiasticis Officiis lib. 1, cap. 15, *vel orationem, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus.* Quod ibidem additur, *cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis*; Cardinalis Bona Rerum liturgicarum lib. 1, cap. 7, pag. 83, *Hoc de re et substantia, non de verborum tenore ac cæremoniis intelligendum esse*, recte observat, et sequitur ex dictis. Suam itaque liturgiam, teste S. Isidoro, Hispani ab Apostolorum Principe acceperunt; idque vel immediate, siquidem in Hispania prædicarit, prout vult noster Gaspar Sanctius tractatu 4 de Prædicatione sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in Hispania, cap. 2; vel mediate, quatenus alii Hispanis circa illam tradiderunt, quod a Petro acceperant. Operam quoque suam fortasse eo contu-
C lerit S. Paulus, sive ordinem istius liturgiæ tradendo ac promovendo per se, idque in illorum sententia, qui tenent, Doctorem gentium in Hispania fuisse; inter quos est laudatus Sanctius, qui illud ex sanctis Patribus probat ibidem cap. 1 (de qua etiam re videri possunt ea, quæ occasione prædicationis S. Jacobi Majoris dicta sunt in hoc tomo ad diem xxv Julii pag. 94) sive per alios illuc mittendo, quod didicerat a S. Petro.

forte etiam juvit S. Paulus:

7 Ut ut est, assertio ista commode combinatur cum verbis S. Pauli ad Rom. cap. 15, v. 24, ubi sic loquitur: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc.* Et v 28. *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Hispanos itaque animo complectebatur Apostolus; ut mirum non sit, si dicamus, quod studium suum ipsis navarit in sacra liturgia; præsertim cum S. Clemens, S. Petri in cathedra Romana successor, et a S. Paulo ad Philipp. cap. 4, v. 3 honorifice nominatus, de eo scribat in epistola sua prima ad Corinthios pag. 12 novissimæ editionis Epistolarum Romanorum Pontificum: [ἐπὶ] τὸ νέρμα τῆς ἐλθὼν, D
Cum.. ad occidentis terminum venisset; quæ locutio tametsi diserte Hispaniam non exprimat, congrue tamen eidem aptari potest; sed quocumque modo tam verba hæc ultima, quam superiora testimonia intellexeris, parum interest: illud manet, quod prima Hispanicæ liturgiæ vestigia ad cathedram Romanam, atque adeo ad S. Petrum sint referenda.

faventibus huic sententia SS. Innocentio PP. I, et Gregorio VII.

8 Audiatur S. Innocentius PP. I in epistola 1, quæ est ad Decentium, episcopum Eugubinum, tom. 2 Concilior. apud Labbeum col. 1245 ita scribens: *Manifestum est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes.* Eodem itaque spectat institutio liturgiæ Hispanicæ, quo spectat institutio ecclesiarum et plantatio Catholicæ fidei in Hispania, ad cathedram utique Romanam S. Petri. S. Gregorius PP. VII lib. 1 epistola 64 ad Alphonsum et Sancium Hispaniæ reges, quæ habetur apud Labbeum tom. 10, col. 53, rem sic declarat; *Cum beatus apo-* E
stolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem et officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine suo ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret.

Enumerantur alii adjutores

9 De istis fidei in Hispania præconibus jam pridem nos tractavimus ad diem xv Maii, quo inscribuntur Martyrologio Romano. Prudentius de Sandoval in libro de Fundationibus monasteriorum S. Benedicti, Hispanice edito, part. 1, fol. 8 verso testatur, in libro quodam Ms. Conciliorum, in Hispania celebratorum, qui spectabat ad monasterium S. Æmiliani, quique ad Scorialense delatus fuerit anno 1598, haberi sequentia, sub hoc titulo: *De Missa Apostolica in Hispaniam ducta, Julianus et Felix.* Tum sequitur: *Igitur cum apud urbem Romam beatissimi confessores Torcatus, Tisefon, Indalecius, Secundus, Eufrasius, Cæcilius, et Isicius, a sanctis apostolis Petro et Paulo sacerdotium suscepissent, et ad tradendam Hispaniæ Catholicam fidem, quæ adhuc gentili errore detenta, idolorum superstitione pollebat, profecti fuissent divino gu-* F
bernaculo comitante, et ad civitatem Accitanam se utrique converterent: deinde non mente segregantes, nec fide; sed pro dispensanda Dei gratia per diversas urbes dividuntur: Torcatus Acci, Tisefon Bergii, Esicius Carcesæ, Indalecius Urci, Secundus Abulæ, Eufrasius Eliturgi, Cæcilius Eliberri.

in liturgia sacra apud Hispanas propaganda.

10 *In quibus urbibus commorantes cœperunt de initio vitæ immortalis prædicare; sicque factum est, ut dum famuli Dei cœlestia dona impertiunt, magnum suæ ecclesiæ credentium fructum acquirunt: atque ita, sicut ab Apostolis Missam, doctrinamque acceperunt, per Hispaniam ordinatis episcopis, supradictis urbibus tradiderunt. Et sic crevit fides Catholica paulisper donec de orthodoxis et Catholicis viris fuit illustrata; id est, Fulgentio, Petro, Leandro, Isidoro, Ildefonso, Fructuoso, Juliano. Ab illis exemplum tenuerunt, et nobis reliquerunt. Æra* DCCCCLXV; id est anno Christi 927. Ab ecclesia igitur Romana, cui præsidebat S. Petrus, ordinem et modum liturgicum accepit

A cepit Hispania, adjutoribus illis, ministris ac propagatoribus, quos jam memoravi; e quorum numero nequaquam volo excludi S. Jacobum Majorem, Hispanorum Apostolum. Etenim cum is in Hispania prædicarit, juxta illa, quæ operose discussa reperies ad diem xxv hujus mensis, ubi intricatissimam et diu multumque agitatam de ejusdem in Hispaniam adventu controversiam in favorem Hispanorum decidimus; sequitur, ut Apostolus ille sacros liturgiæ ritus ibidem designarit; imo etiam, quantum per commorationis tempus licuit, tradiderit et confirmarit id, quod circa rem præsentem a S. Petro acceperat.

§ II. *Obscura prorsus atque incerta sunt, quæ quatuor primis Christi seculis, cum de aliis liturgiis tum de Hispanica inquiruntur.*

B

Liturgiæ totius œconomia qualis fuerit sec. I,

Expedito, quantum in me fuit, primo propositæ quæstionis puncto, delabor ad secundum, quo dispiciendum susceperam, qualis fuerit Hispanica liturgia quatuor primis æræ Christianæ seculis. Quæstio enimvero perobscura et difficilis! Nam quibus verbis, quo ordine, quo principio et sine, quibus externis ritibus ac cæremoniis, quibus precandi formulis, (ut de ministris et duratione temporis nihil dicam) sacra ista liturgia constiterit, quisnam edisserat? Quod Christus dominus benedictionem et gratiarum actionem adhibuerit in consecratione et institutione sanctissimi sui Sacramenti, tradunt disertis verbis Euangelistæ; sed qua orandi forma usus fuerit, dum benediceret et gratias ageret; hactenus non didici vel ex sancti Euangelii scriptoribus, vel ex aliis, qui Spiritu sancto inspirante locuti sunt, novi Testamenti auctoribus sacris. Neque satis apparet, quod Apostoli scripto consignarint jam tum ab Ecclesiæ primordiis omnem precum formam, modum ac numerum; aut quod omnes ordinarint externos ritus, qui omni tempore ac loco illud divinum C Sacrificium deberent comitari. Ecce itaque nos in tenebris plus quam Cymmeriis hic positos, sine luce palpantes, atque sine duce aut viæ præmonstratore incedentes, qui obsoleta primævæ liturgiæ vestigia nobis ostendat.

nec constat ex S. Paulo Ap.;

12 *Laudo.. vos fratres*, ait Doctor gentium I. ad Corinth. cap. 11, ℣. 2, *quod.. sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et ibidem ℣. 23: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis* etc. Et ℣. 34: *Cætera*, inquit, *cum venero, disponam.* Denique cap. 14, ℣ 40: *Omnia.. honeste et secundum ordinem fiant.* Similem absque dubio procedendi modum in suis quique ecclesiis, quas fundarunt, alii tenuere Apostoli: sed quidquid S. Paulus *tradidit*, quæcumque *præcepta* dedit, quidquid disposuit et quo modo; quem demum in omnibus *ordinem* præscripsit, litteris id exaratum ubi reliquit, ut a posteris legi posset? Tradiderunt itaque viva voce tam ipse, quam reliqui Apostoli, quidnam in celebranda divina liturgia observatum vellent: neque novi, aliquod indicium exstare, unde sciri queat, quod illud vel scripserint umquam per se, vel scribi per alios jusserint. Quod si a primo æræ Christianæ seculo progrediamur ad secundum, nihilo fere plus lucis se nobis offeret. *Sæc. I, II, III, IV.* Tunc quippe floruit S. Justinus Philosophus martyr (quem dedimus tom. 2 Aprilis, a pag. 104) Is itaque in Apologia 2, tom. 2 Bibliothecæ Patrum anno 1618 Coloniæ edita, pag. 51, *Sub finem precum*, inquit, *nos inter nos osculo salutamus; deinde ei, qui præpositus est fratribus, panis offertur, et poculum aqua et vino temperatum, quæ cum accepit, laudem et gloriam omnium parenti, Filii Spiritusque sancto nomine tribuit:*

nec ex S. Justino

13 *Gratiasque diu agit, quod ab eo his dignus sit habitus: quibus rite perfectis, precibus et gratiarum actioni, populus omnis, qui adest, benedicit, dicens: Amen... Posteaquam et is qui præest, gratias egit, et populus omnis benedixit; ii qui apud nos diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum et aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, et ad eos, qui absunt, perferunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, qua nemini alii participare licet, nisi ei, qui et vera esse credit, quæ nos dicimus, et expiatus est lavacro, quod in remissionem peccatorum, regenerationemque datur; et ita vivit, ut Christus* E *tradidit. Neque nimirum hæc communem usitatumque panem, usitatamque potionem capimus, sed quemadmodum per Dei Verbum homo factus Jesus Christus conservator noster, et carnem et sanguinem pro salute nostra habuit: sed etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, et quo sanguis carnesque nostræ communione aluntur, Jesu Christi ejus, qui homo factus est, et carnem et sanguinem esse accepimus* ex Euangeliis, quorum verba profert. Et paulo post ita pergit: *Die, qui solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur.*

14 *Deinde ubi is, qui legit, destitit; is, qui præest, admonet et hortatur, ut ea, quæ lecta sunt, bona imitemur: tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nostais precibus, panis, jam ut dixi, vinumque et aqua offeruntur; tumque is, qui primum locum tenet, eodem modo preces gratiarumque actionem pro virili mittit, populusque benedicit, dicens, Amen, et iis, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat, eademque ad eos, qui absunt, diaconis dantur perferenda.* F Talem sanctissimus Martyr iste Antonino Pio imperatori, nec non senatui populoque Romano, ad quos apologia illa dirigitur, sacræ Christianorum liturgiæ reddebat rationem, pro suo tunc instituto sufficientem; quamquam pro nostro, non satis in individuo determinatam; nam inde quidem habemus, quod fusæ fuerint *preces, laus et gloria* Deo *reddita*, adhibitæ *lectiones Apostolorum vel Prophetarum* etc. Sed quibus verbis, ordine ac modo omnia et singula constarent, inde non discimus. *seculo 2;*

nec ex S. Irenæo sec. 3:

15 S. Irenæus, qui S. Polycarpum, S. Joannis Euangelistæ discipulum, audit, et seculo III ineunte martyrii laurea fuit coronatus, (de quo agitur apud nos tom. V Junii a pag. 335) Adversus hæreses lib 4, cap. 32 agens de Eucharistia, quam Christus instituit, *Novi*, inquit, *Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.* E quibus nihil elicere datur præter

Sec. i, ii, iii, iv.

ter ideam quamdam indefinitam sacrosanctæ hujus oblationis, et ab adjunctis individuis abstractam. Tertullianus, qui seculo item tertio ineunte vixit, valde etiam indeterminate scripsit in rem nostram. Quippe ex ejus verbis, in libro de Corona militis quæ habet, cap. 3: *Eucharistiæ Sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*; item ex iis, quæ habet in Apologetico cap. 39: *Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris, et potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis*; nihil concludes singulare ac determinatum, ex quo tota liturgiæ œconomia intelligatur.

nec ex S. Epiphanio sec. 4; neque scitur,

16 Seculo iv occurrit S. Epiphanius, qui hæresi 79, num. 3 tradit ista: *Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, Philippus et Bartholomæus, Thaddæus et Jacobus Alphæi, et Judas Jacobi et Simon Cananæus, et Matthias ad supplendum Duodecim suffectus; illi, inquam, omnes, et*
B *apostoli delecti sunt, ac toto terrarum orbe sacram Evangelii functionem administrarunt, cum Paulo Barnaba, et ceteris: iidemque mysteriorum auctores, atque conditores fuerunt, una cum Jacobo Domini fratre, primo Hierosolymorum episcopo*: tradit, inquam, ista; sed ex eo, quod Apostoli *mysteriorum*, id est illarum rerum, quæ mysteriorum substantiæ accidunt, secundum dicta, *auctores atque conditores fuerunt*; ex eo, ut iterum hoc repetam, nobis non est perspectum, qualium rituum usum divinæ liturgiæ adjunxerint, et quousque auctoritas atque conditio, ut ita dicam, sese ista extenderit. Imo vero etiamsi Patres isti distinctius ac pressius sacros suæ liturgiæ ritus et preces definivissent, nondum tamen vel sic innotesceret status liturgiæ Hispanicæ primis quatuor Christi seculis usitatæ, de qua mihi hic sermo est. Interim nullum mihi dubium est, quin ea ibidem tunc non solum exstiterit; sed propriis etiam quibusdam modis ac ritibus fuerit circumscripta. *Fundatæ ecclesiæ*, teste S. Irenæo lib. 1, cap. 3, *quæ in Hiberis sunt*: ac proin usitata ibidem in istis ecclesiis aliqua talis liturgia.

C

qualis tunc liturgia apud Hispanos fuerit.

17 Cardinalis Bona lib. 1, cap. 7 postquam dixisset, antiquam et immemorabilem traditionem esse, quod Missæ ordo a Petro apostolo traditus fuerit Romanæ Ecclesiæ, cui successores addiderint preces aliquot ac cæremonias, si recte statuit: *Ita enim fert rerum omnium conditio, ut initium suum habeant, sequatur incrementum, omnibus demum numeris perficiantur.* Mea igitur sic fert opinio, quod Hispanorum liturgia, sicut aliæ omnes, a parvis initiis paulatim cum decursu temporis accreverit, additis sensim sine sensu orationibus, ritibus ac cæremoniis, et quid ni etiam aliquot Sanctorum festis, ceterisque id genus adminiculis externi cultus, prout ferebant et locorum varietas, et ecclesiarum ratio, et adjuncta temporum vel locorum, et episcoporum denique propensior erga hunc potius quam erga illum Sanctum Martyrem collendum affectus. Sed quid, quantum, quo modo atque ordine id contigerit in Hispania quatuor primis, de quibus nunc quæritur, Christi seculis, definire, hoc opus, hic labor est. Nullam quoque satis patentem lucis desideratæ rimulam nobis aperit concilium Eliberitanum, e quo intelligitur, quod liturgia quidem aliqua tum temporis exstiterit in Hispania, sed qualis ea fuerit, non item.

D

Distincta ejusdem notitia ex concilio Eliberitano

18 Concilium itaque illud, ineunte seculo iv celebratum (adisis Aguirrii Cardinalis Collectionem maximam conciliorum omnium Hispaniæ: in qua tom. 2, dissertatione 1 alias 16 inquirit tempus et annum, quibus illud concilium fuerit habitum) concilium, inquam, illud apud laudatum Cardinalem tom. i, pag. 275 statuit capite xxix: *Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur; hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret.* At quibus partibus cum illa oblatio, tum ministerium constiterint, unde extundes? Quibus si addas caput xxviii, quo sancitur: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Item caput xliii: *Pravam institutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus *: quod qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisse notetur*; nihilo plus promoveris ad designandam vel œconomiæ liturgicæ totius, multo minus singularum ejusdem partium in individuo cognitionem, qualem apud Hispanos frustra hactenus investigamus. E

** al. post Pascha celebremus:*

non eruitur.

19 Ne cuiquam porro mirum id videatur, in sententia præsertim illa, quæ censet, nullam liturgiam quatuor primis Christi seculis scripto exaratam ad posteros transivisse; sed sola viva voce traditam; adminiculante memoria exercitam, ac non interrupto usu propagatam, ubique gentium tunc perstitisse: ut mirum non sit juxta istam sententiam, adeo abstrusa esse omnia, quæ de singularum sacræ liturgiæ partium accidentalium notione quæri possunt. Tametsi autem controversia illa non sit adeo cum instituo meo connexa, quin ejusdem investigatione facile supersedere queam; visum tamen fuit opere pretium fore, si argumenta sententiæ, quæ liturgiam aliquam tum temporis scriptam exstitisse negat; et oppositæ, quæ id affirmat, eruditis liturgiophilis exhiberem; eo, uti spero successu, ut ex ista mea degressione, pars aliqua laboris liturgiam Hispanicam transitura sit.

§ III. *An liturgia aliqua quatuor primis Christi seculis scripto exarata fuerit. Sentenția negans.* F

Sententia negans probatur ex silentio antiquitatis,

Probandæ, quæ nunc præ manibus est, controversiæ subserviunt argumenta, quæ præmissa fuere paragrapho præcedente, inde videlicet desumenda, quod admodum parce ac jejune, quin imo non nisi genericis fere terminis primorum quatuor Christi seculorum scriptores, quos ibidem produxi, de sacris liturgiæ mysteriis meminere: ut proinde omnes illos, quibus mira videbitur sententia negans, quique adeo ab ea dissentiunt, provocare ausim, ut vel unum unicum auctoris legitimi ac fide digni, qui tunc vixerit, testimonium proferant, quo plane constet, ordinem quemdam liturgicum scripto exaratum et in ecclesia aliqua particulari usitatum fuisse, atque ita concinnatum, ut modum totius mysticæ œconomiæ, precesque a sacerdote recitandas, et peragendo Missæ sacrificio accommodatas singillatim ac determinate recenseret. Tertullianus in libro de Corona militis cap. 3 videtur

A detur indicare, ritus Sacramentorum, et modum ea administrandi, suo tempore cognita fuisse ex sola traditione non scripta : *Quæramus*, ait, *an et traditio non scripta non debeat recipi ?.. Denique ut a baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus.*

ex Tertulliano item

21 *Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus. Exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.* Tum subdit, *Eucharistiæ sacramentum* etc. quæ dedimus supra num. 15; et cap. 4 sic pergit : *Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Si ergo scriptus tunc exstitisset sacræ liturgiæ codex, cur ad traditionem non scriptam recurrisset Tertullianus, etiam tum, quando agebat de Eucharistia ? Signum itaque est, B quod præter solam traditionem non scriptam, nullum Tertullianus agnoverit liturgici ordinis instrumentum litteris exaratum, quod partes divino Sacrificio accidentes recenseret. Procedamus ad seculum III.

ac S. Cypriano :

22 Si liturgicum aliquod exemplar characteribus scriptis efformatum tunc exstitisset, enimvero S. Cyprianus auctoritate istius exemplaris fuisset usus, ut probaret, vino calicis Eucharistici consecrando admiscendam esse aquam. Tempore quippe S. Cypriani, inventos fuisse, qui vel ex ignorantia vel ex simplicitate offerebant in sacro calice solam aquam, non autem vinum aqua mixtum, liquet ex ejus epistola 63 ad Cæcilium fratrem. Sive autem abusus iste irrepserit, quia in animum inducebant suum, quod esset indecorum, sumere vinum in antelucanis cœtibus; quo spectant S. Cypriani verba ibidem posita : *An illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* Sive metuerent, ne vini consecrati odor prodidisset eos gentilibus, tamquam C jamjam reversos a sacrificio Jesu Christi, quod modo obtulerant; prout innuunt ibidem hæc verba : *Nisi in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi.* Quidquid sit, quod isti abusui ansam dederit, parum id nostra interest; illud ad nos spectat, quod Sanctus iste Carthaginensis episcopus ibidem moneat, *ut ubique lex evangelica, et traditio Dominica servetur.*

hic sane liturgiam scriptam citasset, si talem novisset; ut suadetur a contrario

23 Vinum fuisse in calice, quem Dominus noster consecravit atque Apostolis suis distribuit, clare ex Euangelio scimus; sed quod vinum illud aqua mixtum fuerit, ex traditione accepimus. Si vero tum temporis liturgia aliqua scripto expressa exstitisset, ultimum hoc punctum decidere et stabilire Cyprianus potuisset testimonio decretorio, ex scripta ista liturgia deprompto; unde simul uni, simul alteri puncto non modica confirmationis vis accessisset; neque S. Cyprianus non potuisset istam liturgiam citare, tamquam primo obvium et irrefragabile pro aqua vino admiscenda, testimonium. Rem illustremus argumento a contrario. Patres concilii Quini-sexti, CPoli celebrati anno 706, (prout notatur in editione novissima Conciliorum apud Harduinum nostrum tom. 3 col. 1651) canone 32, a col. 1671. *Quoniam*, inquiunt, *ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum Sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ doctorem S. Joannem Chrysostomum, hæc dicentem in interpretatione Evangelii secundum Matthæum* (cap 26, Homil. 82 *al.* 83) *" Quamobrem non aquam bibit, cum surrexit, sed vinum ? improbam sane " hæresim exstirpans. Quoniam enim nonnulli " aqua in mysteriis usi sunt; ostendens, quod et " quando mysteria tradidit, et quando, postquam " resurrexisset, absque mysteriis solam ac nudam " mensam apposuit, usus est vino. Ex genimine, inquit, vitis : vitis autem vinum, non " aquam generat. " Et ex eo aquæ in sacro Sacrificio adjunctionem, doctorem subvertere existimant; ut non ab hoc tempore in posterum ignorantia teneatur, Patris sententiam orthodoxe aperimus.*

sec. I, II, III, IV.

e synodo Quinisexta

24 *Cum enim improba Hydroparastarum, hoc est, eorum qui aquam offerebant, antiqua esset hæresis, qui loco vini sola aqua in proprio Sacrificio usi sunt; refellens hic Vir divinus detestabilem hujusmodi hæresis doctrinam, et ostendens, quod directe Apostolicæ traditioni adversatur, id quod jam dictum est, affirmavit. Nam et suæ ecclesiæ... aquam vino miscendam tradidit... et in omni etiam ecclesia... hic ordo divinitus traditus servatur. Nam et Jacobus, Christi domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ ecclesiæ thronus primum est creditus; et Basilius Cæsareensium ecclesiæ archiepiscopus,... mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua et vino sacrum calicem ediderunt. Et qui Carthagine* (anno 397) *convenerunt sancti Patres, his verbis* (capitulo 24) *aperte et præcise mentionem fecere : Ut in sanctis nihil plus quam corpus et sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit; hoc est, panis et vinum aqua mixtum. Si quis ergo* etc. E

liturgias scriptas citante.

25 Vides hic citari liturgias, *in scriptis traditas*, S. Jacobi (de qua inferius num. 42) S. Basilii, ac S. Joannis Chrysostomi; et istorum quidem duorum disertissimis verbis; hujus vero tacite quodammodo et paullo obscurius per verbum *tradidit?* Jam vero ut ad S. Cyprianum revertar; cur de liturgia scripta non meminit; cur de sola tradita meminit ? Non alia sane de causa; quam quia Hierosolymitanam scriptam non noverat, atque adeo verosimiliter nondum tunc scripta erat. Neque enim tempore S. Cypriani ignorabant Afri, quo ordine ac ritu sacro-sancta divinæ liturgiæ mysteria Hierosolymis celebrarentur; sicut inferius alia fortasse occasione videbitur; ac proin multo minus hæc ignorare poterat ipse Sanctus, tam in rebus sacris egregie copioseque versatus; atque adeo citari sane ab eo non potuerit liturgia S. Jacobi, primi ejusdem civitatis episcopi; quia nondum tunc temporis fuerit scripta. Quæ cum ita sint; concludo, nullam verosimilius in Oriente liturgiam, scripto codice exceptam viguisse, sed sola viva voce traditam. F

S. Basilius in rebus liturgicis

26 Pro seculo IV egregie idem probat insignis locus S. Basilii, Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopi, libro de Spiritu sancto, cap. 27 ita loquentis : *Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis Sanctorum* IN SCRIPTO *nobis reliquit ? Nec enim his contenti sumus, quæ memorat Apostolus aut Evangelium*

SEC. I, II, III. IV.

gelium; verum alia quoque et ante et post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ EX TRADITIONE CITRA SCRIPTUM *accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo; velut renuntiare satanæ, et angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto, minimeque curioso, servarunt?* Ut vero causas noveris, quæ sacros rerum liturgicarum administros tunc temporis impulerunt, ut arcana earum mysteria viva potius voce traderent, quam scripto publicarent, audi S. Basilium his verbis, ad istum agendi modum quid Patres nostros adduxerit, graphice ibidem exponentem: *Pulcre quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui*
B *conveniebat, horum doctrinam publicitus circumferri scripto?*

solam assignat traditionem.

27 Et proposito exemplo Moysis circa templum, levitas, ministerium sacerdotum, adyta, ac Sancta sanctorum in veteri Lege; mox apposite subjungit: *Ad eumdem profecto modum, et qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli et patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Hactenus Magnus Basilius cum notis nostri Frontonis Ducæi, anno 1618 Parisiis vulgatus: cujus utinam sanctissimi Præsulis ac sapientissimi Doctoris verba audiant, atque alte in animum demittant iniquitatis filii, ruboreque (si quid etiamnum in illis superest frontis) suffundantur, quod sacratissimorum liturgiæ Romano-Catholicæ mysteriorum majestatem, ac linguæ sacræ, qua
C eorum series, verba et ritus excusa sunt, dignitatem sus deque habentes, rudi ac simplici utriusque sexus plebeculæ importune obtrudere audent quidquid in eadem nostra liturgia sacrum ac tremendum est, Missam nimirum, administrationemque Sacramentorum, ex Latino idiomate in linguam vulgarem conversa.

Ex. S, Innocentio PP, I

28 Sed redeamus ad propositum. Quod hactenus diximus, nullum quatuor primis Christi seculis scripto ordinatum liturgiæ canonem, seu totam aliquam arcanorum altaris seriem exstitisse; ne quis existimet, id ad solum extendi debere Orientem; nonnulla proferam, unde confici queat, eumdem etiam sacræ liturgiæ modum obtinuisse in Occidente. Probationi subserviet epistola S. Innocentii PP. I, ad Decentium data, de qua superius. Sanctus itaque ille Pontifex Decentii consultationibus ita moderate, parce ac restricte respondet, ut ne utique plusculum sibi elabatur de arcanis mysteriis, quam sit conveniens. Sic loquitur: *Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, et quem morem vel in consecrandis mysteriis vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognovisse dubium non est. Quod sufficere ad informationem ecclesiæ tuæ vel reformationem (si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt) satis certum habe-*
rem, nisi de aliquibus consulendos non esse duxisses... D

nullam tunc liturgiam scriptam

29 *Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare; vel sibi inter sacerdotes tradere: cum post omnia,* QUÆ APERIRE NON DEBEO, *pax sit necessario indicenda: per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.* Jam vero dic, amabo, cur timore detineri potuisset S. Innocentius, ne declarasset disertius ac dilucidius exposuisset arcana rerum liturgicarum; si ea scriptis tabulis consignata facile admodum in promptu haberi, et proin nullo negotio promiscue inspici ac perlegi poterant? Et sub dictæ epistolæ finem summa cum locutionis moderatione insinuat, plenam sese ad propositas quæstiones non dare responsionem, quædam tunc dicens, quædam postea dicenda reservans; ac non obscure ostendens, malle se circa ista cum illo præsente coram, et os ad os loqui, quam absenti plura enucleate et definite determinare, et scripto vulgare ea, quæ scripto vulganda non erant, quia ad aliorum clericorum, quin imo etiam laicorum fortasse noti- E
tiam manatura. Quidquid sit; sive voluerit Pontifex illud præcavere, sive divinorum mysteriorum solummodo majestati consulere, plura, quæ poterat indicare, eadem occasione silentio suppressit.

exstitisse in Occidente comprobatur,

30 Nam postquam in decursu epistolæ de nominibus ante preces sacerdotis non recitandis egerat, dicens: *De nominibus vero recitandis, antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, et ipse tua prudentia recognoscis, ut, cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illis incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis, viam futuris precibus aperiamus*: postquam, inquam, de offerentium nominibus recitandis ita egerat, restricte admodum se enuntians de *precibus sacerdotis*, aliaque subdidisset de consignandis infantibus, jejunio Sabbatino, fermento, baptizatis, F
pœnitentibus, ac de ungendis oleo chrismatis; super quibus S. Innocentius a Decentio fuerat consultus, tandem sub finem suæ epistolæ clare exprimit, sancta arcana parce, restricte et sancte revelanda esse scripto; nam *reliqua*, inquit, *quæ* SCRIBI FAS NON ERAT, *cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Unde concludo, anno 416, quo data notatur epistola ista, nullum liturgiæ ordinem scripto consignatum fuisse in Occidente.

atque adeo nulla talis tunc fuerit in Hispania.

31 Atque hæc, quæ de liturgia sacra, quatuor primis Christi seculis tam in Oriente, quam in Occidente, vi solius non scriptæ traditionis conservata, hactenus dixi, ad ipsam quoque Hispaniam extendi debere contendo, ab illis utique, quibus sententia ista ad verum propius accedere videbitur: et potiore quidem ratione, sicut planum faciam paullo post, ubi prius difficultates varias elucidavero, quæ contra assertionem toto hoc paragrapho stabilitam, objici possunt; quæ totidem erunt argumenta pro sententia affirmante, quod quatuor primis Christi seculis exstiterit liturgia litteris consignata.

§ IV.

A

§ IV. *Sententia affirmans liturgiam aliquam tunc temporis exstitisse; seu difficultates sententiæ id negantis.*

Difficile concipitur, quod cessantibus

Prima, quæ percellere possit eum, qui præcedentia nostra circa traditionem solam non scriptam quatuor primis Christi seculis legerit; prima, inquam, difficultas ista desumitur ex eo, quod dictu difficile et vix credibile videatur, nullibi gentium tunc temporis ordinem liturgicum litteris expressum exstitisse. Et quamquam assertio ista, quatenus ad tria prima æræ Christianæ secula extenditur, non adeo feriat intellectum, qui consideret, id accidere potuisse tum ob causas superius allegatas, tum potissimum ob timorem non Panicum sed bene fundatum, ne temporibus sævientium adversus Christianos persecutionum sacrosancta illa mysteria venissent in manus gentilium, impiæ eorum profanationi exponenda; monente et mandante ipso Christo Matth. 7, ỿ 6 : *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*; illa tamen ultima ratio non ita mox intelligitur obtinere seculo Christi quarto aliquantulum adulto, quando pace per Constantinum Magnum Ecclesiæ data, persecutiones cessabant, atque adeo una cum illis cessabat sacræ liturgiæ, etiamsi tunc scripto exarata fuisset, profanandæ metus.

B

sub Constantino M. persecutionibus, non fuerit scripta aliqua liturgia.

33 Accedit eo, quod, rebus Ecclesiæ ita se habentibus, credibile non appareat, sacri altaris mystas frustratos fuisse maximos, ne dicam fere necessario isto subsidio, eos præsertim, quibus vel propter sui muneris novitatem, vel propter ingravescentem senectutem, non satis fida et tenax rerum omnium observandarum cultos erat memoria, ut rite decenterque sine omissione, sine additione, sine errore aut mutatione totum liturgiæ ordinem decurrerent; vel si hoc non vis, ut summa saltem cum facilitate et commodo rem totam expedirent. Ista quidem, fateor, sententiæ neganti objici possunt, et ita objici, ut non parvam prima fonte præ se ferant speciem veritatis. Sed an ideo mutabant mentem sententiæ negantis patroni? Non equidem existimo : verosimiliora quippe sunt, inquient, et probabiliora Patrum modo allegatorum testimonia, quam ut et manibus nostris extorqueri illa sinamus ob rationes paullo ante objectas, quæ assertionem nostram conceptu quidem difficilem arguunt, sed falsitatis non convincunt. Et sane res captu difficiles, veræ tamen, quia accommodatis testimoniis roborantur, quam sæpe sine ulla imprudentiæ nota admittuntur?

C

Factum tamen ita fuisse, ex S. Hieronymo,

34 Præter testimonia Patrum superius prolata, plura, quæ dictis tamquam corollarium subnecti possint, superaddere poterunt. Dic, amabo, cur regula, ordo, preces, concinnitas, et reliqua, quæ substantiæ consecrationis accidunt, per solam traditionem non scriptam conservata non fuerint quatuor primis Christi seculis, cum formula seu symbolum fidei per traditionem non scriptam per quatuor Christi secula conservata fuisse videatur? S. Hieronymus ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani epistola 61, juxta novam operum ejusdem sancti Doctoris editionem 38, tom. 4, part. 2, col. 323 scribit : *In symbolo fidei et nostræ spei, quod ab Apostolis* TRADITUM, NON SCRIBITUR IN CHARTA ET ATRAMENTO, *sed in tabulis cordis carnalibus* etc. Et quamvis facilitatem maximam symbolum fidei litteris expressum afferre deberet iis, qui vel in provecta ætate ad Christi fidem convertebantur, vel vacillante laborabant memoria; nihil tamen propterea vel ad latum unguem ab antiqua symbolum fidei non scribendi consuetudine deflectebatur.

Sec. I, II, III, IV.

et S. Augustino

35 Audiatur S. Augustinus, qui sermonem De symbolo ad Cathechumenos tom. 6 novæ editionis col. 399 incipit his verbis : *Accipite, filii, regulam fidei, quod symbolum dicitur : et cum acceperitis*, IN CORDE SCRIBITE, *et quotidie dicite apud vos; ante quam dormiatis, ante quam procedatis, vestro symbolo vos munite.* SYMBOLUM NEMO SCRIBIT, UT LEGI POSSIT; *sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia;* SIT VOBIS CODEX VESTRA MEMORIA. Ad memoriam itaque, ad codicem non scriptum, ad solam, ut verbo dicam, traditionem recurrit S. Augustinus in symbolo fidei; ad hanc etiam solam, dicent negantis sententiæ assertores, recurrimus et nos in regula seu ordine divinæ liturgiæ. Memoria itaque temporibus istis partes agebat suas in rebus hujusmodi sacris; non littera, non manus, non codex characteribus loquens. Et rursum ibunt ad S. Augustinum serm. 58 in Matth. secundum novam editionem (alias 42 inter Homilias 50) ubi tom. 5, part. I; col. 239 tradit in rem eorum sequentia : *In ecclesia... ad altare Dei quotidie dicitur Dominica oratio, et audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minus diligenter eam teneatis : quia et si quis vestrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit... Modo enim nisi teneatis symbolum, in ecclesia, in populo symbolum quotidie non auditis. Cum autem tenueritis; ut non obliviscamini, quotidie dicite... reddite symbolum vestrum... commemorate vos ipsos, non pigeat repetere.*

E

colligitur.

36 *Bona est enim repetitio, ne subrepat oblivio. Ne dicatis : Dixi heri, dixi hodie, quotidie dico; teneo illud bene.* Jam vero an tanta tamque diligente solicitudine et cautione usus fuisset Augustinus, tam graphicis ac disertis verbis inculcans audiendum, e memoria non delendum, ideoque quotidie dicendum, commemorandum, ac repetendum symbolum, si symbolum tunc temporis e scripto codice a quolibet litterarum non penitus ignaro legi, memoriæ mandari ac recitari identidem potuisset? Quis nisi iniquus rerum arbiter id in animum inducat sinum? Reclamat utique tantus quantus est magni Patris textus modo productus, ne dicam verba ejusdem textus pene singula, sicut patet cuilibet, qui studio partium vacuus illa expenderit. Sicut igitur symbolum fidei nobis tradiderunt Apostoli, sic, teste S. Epiphanio superius assignato, iidem Apostoli *mysteriorum auctores*, μυστηρίων ἀρχηγέται, exstiterunt; ita ut nihil vetet, cum aliqua analogia dicere, quod utrobique pro scriptura ordinis sacri, fuerit traditio ordinis sacri non scripta. Plura circa præsens institutum collegit Petrus le Brun, Oratorii presbyter, in opere, quod inscribitur Explicatio litteralis, historica et dogmatica precum et cæremoniarum Missæ, anno 1726 Gallice edito; sed an non potius edendo Latine tantum, lingua utique sacra, ob sacrosanctam mysteriorum majestatem, tum præsertim quando canonem Missæ

F

Sec. I, II, III, IV.

sæ exhibet, ac explicat tom. I, a pag. 411; quidquid in præfatione operis sui a pag. XII varias congerat, quibus suadere conatur sui instituti scopum, rationes? Plura, inquam, ille scriptor collegit tom. 2, dissertatione I, pag. 10 et pag. 30.

Varia alia

37 Sed longius evagamur, quam et instituti ratio, et brevitas, quæ hic cordi nobis esse debet, a nobis postulant. Et vero ne longius nos a proposito, quod in inquisitione sacræ Liturgiæ Hispanicæ positum est, abducere pergant aliæ difficultates circa sententiam negantem objiciendæ, compendio utemur, assignando potius, quam fusius enucleando ea, quæ auctores tradidere. Eminentissimus Cardinalis Bona superius citatus, lib. I, cap. 8 rejicit quidem liturgiam illam, quæ a Lindano edita est sub nomine Petri Apostoli; deinde dubiæ fidei eas esse censet, quæ Matthæo et Marco euangelistis tribuuntur. Denique *his*, inquit,
B *rejectis, vel in quæstione relictis, de liturgia Jacobi, fratris Domini, Hierosolymorum episcopi, omnium celeberrima paulo fusius*, ait, *disserendum est.* Quod dum fecisset, illam S. Jacobo isti post Leonem Allatium vendicare conatur. Ast Ambrosius Gardebosc in Historiæ eccl. Synopsi tom. I, dissertatione 5, a pag. 546 de liturgiis quatuor, nimirum S. Petri, S. Matthæi, S. Jacobi et S. Marci, præcipue controversis, statuit sequentia.

ex variis

38 Primo. Quod quamvis prædictæ quatuor liturgiæ ab Apostolis scriptæ fuissent, tamen ante quintum Ecclesiæ seculum fuerint prorsus ignotæ. 2. Quod nulla ex dictis liturgiis eo modo, quo nunc leguntur, eum habeant auctorem, cujus nomen præferunt. 3. Quod nulla ab Apostolis scripta fuerit forma liturgiæ. Proposita nobis brevitas haud patitur, ut illa pluribus deducta et probata ex eodem auctore exhibeamus, quæ apud ipsum legi possunt. Hisce plurimum suffragatur Eusebius Renaudot in liturgiarum Orientalium collectione, tom. I, cap. 5, pag. XXXIII, quamquam candide fateatur, *rem in obscuro esse; adeo ut*
C *quando liturgiæ scribi cœperint, designari certis argumentis non possit*; mox tamen pag. XXXIV suam subdens conjecturam, verosimilius esse censet, quod liturgias Græcas scriptas fuisse oporteat ante Ephesinum concilium, anno 431 celebratum. Atque hæ duorum istorum auctorum sententiæ satis cum negante consentiunt, quidquid dissentiant Leo Allatius, et Cardinalis Bona.

circa utramque

39 Honoratus a S. Maria, Carmelita excalceatus, in Observationibus super regulis et usu critices Gallice editis, tom. 3, lib. 5, dissertat. 3 varia congessit ad præsens institutum; sed quæ rem in longos nimium sermones extraherent, si omnia huc transcriberem. Summos igitur, ut ita dicam, rerum apices inde solummodo delibabo. A pag. 165 varias præmittit observationes: quænam vero sint, colligi utcumque poterit ex conclusione, quam ex dictis observationibus deducit pag. 167. Textum ejus ita reddo Latine: *Dicendum, quod si sanctum Missæ sacrificium fuerit celebratum ab initio Ecclesiæ absque interruptione; si magnus numerus precum ac cæremoniarum, quæ eidem diversis temporibus adjectæ sunt, exigebant, ut liturgia esset scripto consignata: et si illæ, quæ attribuuntur S. Petro, S. Matthæo, S. Marco, S. Barnabæ, et* XII *Apostolis, incognitæ fuerint, et auctoritate destitutæ; sequitur, ut ex omnibus liturgiis, quæ supponuntur compositæ primis seculis, quæque ad nostram pervenere notitiam, non sit nisi illa, quæ præfert nomen S. Jacobi, et illa, quæ attribuitur S. Clementi, quæ usui esse potu-* D
erint a temporibus Apostolicis ad usque quartum circiter seculum; quæque spectari queant tamquam scaturigo omnium liturgiarum Ecclesiæ Græcæ et Latinæ.

40 Pag. 169 pro scripta a S. Jacobo liturgia allegat auctoritatem Procli, canonis item 32, concilii Trullani seu Quinisexti; Allatium denique et Cardinalem Bonam addit, qui constantem ecclesiæ Græcæ traditionem pro ista re fuisse teneant; sed quam parum illis testimoniis fisus fuerit, candide fatetur, dum dicit, *nolle* se *inferre ex omnibus istis testimoniis, certum esse, quod S. Jacobus scriptam nobis liturgiam reliquerit; et minus etiam, quod sit auctor istius, quam habemus sub ejus nomine: sed id dumtaxat, quod satis sit verosimile, quod ille Apostolus potuerit scripto exarasse* (POURROIT AVOIR MIS PAR ÉCRIT) *modum, quo mysteria divina celebrabantur in sua ecclesia; vel quod aliquis, ipso vivente, vel paullo post ejus mortem, ad conservandam ejusdem apud posteros memoriam, vel ad instruendas alias ec-* E
clesias, fecerit quasi corpus aliquod liturgicum, quod attributum isti fuerit Apostolo sequentibus seculis. Ita ille, nixus constanti, uti vult, et universali traditione. Pag. 170 conjicit, satis esse probabile, quod ista liturgia fuerit scripta saltem exeunte seculo primo, aut ineunte secundò. Etenim adjectas tum temporis ad Missam ab Apostolicis viris preces, gratiarum actiones, multasque cæremonias censet; credibile proinde non esset, quod tamdiu exspectatum fuerit, quo minus scripto committerentur ritus, in augustissimi nostri mysterii celebratione observandi. Ibidem rem suam urgere pergit ab uniformitate ecclesiarum, et ministrorum capacitate non omnium semper æquali.

sententiam proferuntur.

41 Pag. 171 censet e liturgia S. Jacobi extracta esse, quæ refert S. Justinus in Apologia 2, quam supra citavi. Quid, quod recenseat ex S. Cyrillo, archiepiscopo Hierosolymitano, cæremonias aliquot liturgicas, ejus tempore usitatas; ut videre F
est a pag. 172. Pag. 181 citat S. Proclum, et vult liturgiam S. Jacobo adscriptam, scaturiginem et fundum esse liturgiæ S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, omniumque aliarum, quæ usitatæ fuerunt in ecclesia Græca. Pag. 186 agens de Missa Ecclesiæ Romanæ, et de origine ejusdem Missæ nonnulla præfatus, pag. 187 producit Baronium ad annum 102, num. 23; cujus verba huc transcribo. *Traditio est... Clementem Romanum Pontificem, quem acceperat a S. Petro ritum offerendi sacrificium, Missam nempe ipsam, Romanæ Ecclesiæ scriptis consignatum reliquisse.* Et mox pro ista traditione a Baronio et ab Honorato allegatur testimonium S. Procli CPolitani. *Quidquid sit*, inquit Honoratus pag. 188, *de illa liturgia S. Clementi attributa; debemus consentire, oportuisse existere aliquam Missam scriptam intra quinque prima secula*; sed pag. 189 ex additionibus Missæ et ipsius quidem canonis, per Pontifices Romanos factis, vult evinci, quod ad usum Ecclesiæ Romanæ scripto expressa fuerit liturgia ante Gelasium PP., quin imo jam inde ab exordio seculi secundi. An aliqua liturgia scripto tradita fuerit seculo quinto, extra nostram controversiam est; de quatuor Christi seculis id quæritur; et neque ex rationibus Honorati, neque ex aliis argumentis, quæ protuli, videtur prorsus solide everti sententia illa, quæ negat, ullam liturgiam, integram videlicet, omnibusque ordinatam

A tam et perfectam partibus, ita ut singularis cujusdam codicis sacri formam præferret, et in stabilem singularis alicujus ecclesiæ usum esset destinata, quatuor primis æræ Christianæ seculis scripto exaratam fuisse. Ast Honorati argumenta discutienda erunt paragrapho proximo, ne hic nimium excrescat.

§ V. *Reliquæ in hac materia difficultates ; an aliqua hujusmodi liturgia quatuor primis Christi seculis apud Hispanos.*

Non probatur ex traditione, quod aliquis ex Apostolis scripserit liturgiam :

Quod S. Jacobus Minor *potuerit scripto exarasse modum, quo mysteria divina celebrabantur in sua ecclesia,* hic non quæritur; sed quæritur an revera id fecerit, et hactenus id non probat Honoratus ; sed nec probare id voluisse se in-
B sinuat, quia sub disjunctione indicat, *quod sit satis verisimile,quod ille Apostolus potuerit scripto exarasse* etc. *vel quod aliquis, ipso vivente, vel paullo post ejus mortem, fecerit quasi corpus aliquod liturgicum, quod* illi postmodum *attributum fuerit.* Traditionem illam constantem et universalem, quam adducit, an ignorassent Patres quatuor primorum Christi seculorum, siquidem talis tunc uspiam exstitisset? Imo vero quod nulla tunc litteris consignata fuerit vel ab Apostolis , vel ab alio quopiam liturgia sacra, suaderi potest *ex profundissimo totius antiquitatis silentio,quod usque ad* VI *Ecclesiæ seculum perseveravit: si enim hujusmodi liturgiæ etiam brevissimæ exstitissent,in serie scripturarum sacrarum fuissent repositæ : saltem Origenes, et Hieronymus,exacti librorum scrutatores, levem aliquam hujusmodi liturgiarum mentionem fecissent: concilia, quæ numerum librorum sacrorum determinarunt, earumdem liturgiarum meminissent: Damasus Romanus Pontifex, et Gelasius eas saltem inter apocrypha rejecissent: Basilius et Chrysostomus, qui primi leguntur scripsisse liturgias,fassi fuissent, se eas saltem ex parte exscripsisse ex Apostolorum liturgiis, ut majorem ipsis conciliarent auctoritatem. Cum ergo nihil ex prædictis contigerit ; habendum est tamquam certum, nullam ab Apostolis scriptam fuisse formam liturgiæ,* uti recte
C argumentatur Gardeboscus supra laudatus pag. 548.

neque id suadetur ex numero precum ac cæremoniarum

43 Quod dicebat Honoratus de *numero magno precum ac cæremoniarum, quæ eidem diversis temporibus adjectæ sunt* etc., nihil evincit. Nam nec quantus earum fuerit numerus, nec quales et quam longæ illæ exstiterint, scimus secundum dicta superiora. Certe S. Gregorius Magnus lib. 7, epist. 63 *orationem* , ait, *Dominicam idcirco mox post precem dicimus , quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam* SOLUMMODO *orationem oblationis hostiam consecrarent:* ubi quamvis τὸ *solummodo* non in omni rigore, quem præfert, sed accommode intelligi debeat et cum aliqua latitudine, juxta ante dicta ex S. Justino, temporibus Apostolorum admodum propinquo , et illud Apostoli ad Timotheum Epistola I , cap. 2, *obsecro..... fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* (quem locum ad sacrificium Missæ aptissime refert Augustinus tom. 2, epist. 59 ad Paulinum, quæst. 5 pag. 114 editionis Plantinianæ) et verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem;* eo tamen τὸ valet *solummodo,* ut ex S. Gregorii sensu intelligatur brevitas liturgica , quæ tempore Apostolorum fuerit. Consuli tamen potest Cardinalis Bona lib. I, cap. 5, num. 3, ita loquens :

Sec. I. II, III, IV.

ab Apostolis usitato :

44 *Hæ sunt in speciem dissidentes* circa breviorem vel longiorem liturgiæ divinæ durationem , *Patrum sententiæ, quæ facile conciliari possunt, si dixerimus, Apostolos utramque formulam et brevem et prolixam diversis temporibus adhibuisse: brevem quidem cum temporis angustia, vel persequentium metu premebantur; prolixam vero, cum per tempus et occupationes licebat. Credo autem ab initio brevissimum fuisse liturgiæ ritum, ita exigente primæ Christianitatis inter procellas adversantium nascentis conditione. Postea vero crescente fidelium numero cœperunt Apostoli lectiones, preces, cæremonias adjicere, quibus et sacrificii dignitas clarius elucesceret, et major ipsi veneratio conciliaretur, pietasque fidelium ac fervor magis accenderentur ; exemplo nimirum veteris Testamenti ; in quo plures a Deo cæremonias institutas, sacræ litteræ nos docent.* Sed imminens persecutorum furor, et præsens profanationis mysterii inter res sacras sacratissimi, cum, si non semper, plerumque saltem periculum instaret; cumque Apostoli, ac primi eorum E
discipuli et administri tot aliis maxime ad salutem animarum necessariis occupationibus distinerentur, existimo eos sacram liturgiam breviter vel semper vel plerumque saltem expedivisse. Exemplum,quod additur ex veteri Testamento, huc non spectat, quia non erant illa incommoda in veteri Testamento,quæ fuisse diximus in novo.

nec ex Proclo et Chrysostomo.

45 Textus itaque, quem ex libello de traditione divinæ liturgiæ sub nomine Procli CPolitani citat eminentissimus Bona, et habetur inter opera ejusdem Procli a Vincentio Riccardo , Clerico regulari , Romæ anno 1630 edita , et Commentariis illustrata , pag. 581 nimium probat ; dicit enim : *Salvatore nostro in cælis assumpto, Apostoli antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur. . ad* INTEGRUM ORANDUM DIEM *convertebantur.. et...* FUSISSIME LONGOQUE VERBORUM AMBITU MISSAM DECANTABANT. Quæ Bona Cardinalis ex S. Chrysostomo profert in Epistolam I. ad Corinthios Homil. 27 in hæc verba : *Cum sacras illas cœnas Apostoli accipiebant , quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur et hymnos ? Nonne in sanctas vigilias ? Nonne in longam illam doctrinam et multæ* F
plenam philosophiæ ? Nimium, inquam, ista probant. Ecquis enim concipiat, tantum inter ardua tot negotia superfuisse otii Apostolis? Et forte sanctus ille Pater modo oratorio plus dixit, minus volens intelligi; prout Patribus illis, ac S. Augustino imprimis non raro usitatum esse, norunt Theologi.

nec ex uniformitate rei sacræ.

46 Ad uniformitatem rei sacræ, et non æqualem ministrorum ejus capacitatem , ut debito modo illam peragerent , quod attinet ; respondeo Honorato ; quandoquidem ex dictis functio liturgica tempore Apostolorum non videtur fuisse adeo longa , non erat vel mediocris capacitatis ministris tunc adeo multum laborandum vel de prompta precum recitatione vel de rituum aliorum æqualitate. Et fac aliquousque eos alicubi laborasse ; certe non laborabant nisi de rebus minoris momenti , ac mere adventitiis sacrificio, quæque, salva ejusdem substantia , poterant alicub

Sec. I, II, III, IV.

cubi esse inæquales. Deinde fac ministros sacrificii, quatuor primis seculis adjutos fuisse scripto aliquarum Missæ partium minus principalium, ne memoria eos falleret; nondum tamen video, inde sequi, quod codex integer liturgiæ, sensu superius declarato, tunc exstiterit scripto exaratus. Neque id, ut censeo, videbunt sententiæ negantis assertores; qui reponere potuerunt, nimis clara sibi videri testimonia Patrum, superius producta, quam ut ex ista objectione enerventur.

An S. Proclus composuerit Tractatum liturgicam?

47 Porro S. Proclus, de quo jam dixi, floruit seculo V; et quoniam testimonio ejus (si tamen ipsius est) adeo nititur Honoratus, expendamus quid contra afferri possit. Dico *si tamen ipsius est*: nam ipsemet Leo Allatius; cujus tametsi maxime intererat, testimonium, quod sub istius auctoris nomine promit, tamquam genuinum ac vere ab eodem scriptum vindicare, ut hoc pacto majorem liturgiæ S. Jacobi, quam defendit in Συμμίκτοις a pag. 176, conciliaret auctoritatem; et ubi Proclum pag. 180 pro ea citat, tamquam *antiquissimum, et omni exceptione majorem;* ipsemet, inquam, Leo Allatius non semper sibi constitit, sed vacillavit circa auctorem Tractatus, de quo hic agimus. Nam De libris et rebus
B ecclesiasticis Græcorum dissertatione I, pag. 17, de genuino ejusdem Tractatus auctore subdubitans, *Si tamen*, inquit, *illius Procli Tractatus ille est.* Vincentius vero Riccardus supra citatus, in suo ad istum Tractatum Commentario pag. 582 ingenue de eo fatetur sequentia: *Sed nec Tractatus integer est, sed potius fragmentum quoddam excerptum ex epistola, vel Tractatu S. Procli a librario, qui liturgias exscripsit, ut tanti viri testimonio pariter et elogio eas commendaret. Quocirca ea dumtaxat, quæ ad rem suam facerent, exscripsit: nam ita abrupte a sancto viro hæc ipsa fuisse composita, haud crediderim umquam.*

48 At concilium Trullanum illam adscribit S. Jacobo. Quid tum? Responderi enim potest, concilium sub isto nomine citasse illam liturgiam, non quia re ipsa credidit, aut credi voluit, verum ac genuinum liturgiam hanc fuisse fœtum S. Jacobi; sed quia sub isto nomine tunc cognita circumferebatur. Adde ex Gardebosco pag. 548, *ex auctoritate Trullani concilii id solum sequi... post quintum Ecclesiæ seculum hujusmodi liturgias, præsertim liturgiam S. Jaco bi, prodiisse: unde non mirum est, si præfatum concilium illam*
C *laudaverit; quod in sexto Ecclesiæ seculo celebratum fuit. Potuit igitur illud concilium laudare opus, quod jam a pluribus annis Jacobo fuerat falso suppositum.* Ad S. Cyrillum, Hierosolymorum præsulem, superius objectum, quid reponendum sit, nunc intellige.

Respondetur ad ea, quæ contra sententiam negantem ex S. Cyrillo,

49 Cum floruerit S. Cyrillus seculo IV, dubium esse non potest, quin, si pro codice aliquo liturgico ante ejus tempora scripto, solidi aliquid afferri posset, sententia negans ullum istiusmodi codicem quatuor primis Christi seculis scriptum exstitisse, plane corrueret. Sed ex eo, quod Sanctus iste in sua Catechesi mystagogica quinta sanctam Missam exponat, ejusdemque partes singulatim admodum designet, notans, quænam in decursu fierent; non tamen transcribit verba, quibus ista fierent, et quibus istius liturgiæ totius ordo constaret. Unde non video sequi, ut omnes Missæ idiotismi, de quibus ibi agit, scriptis characteribus exarati tunc exstiterint, ita, ut ex integro aliquo, quod tunc Hierosolymis asservatum sit, liturgiæ sacræ corpore, fuerint deprompti ac verbatim excepti. Id etenim quomodo persuaderi sibi sinet sententia negans, præser- D
tim, quando tot alia, quæ assignavimus, antiquitatis monumenta videntur oppositum suadere? Quando autem dicit Honoratus, ea, quæ refert Justinus, extracta esse e liturgia S. Jacobi; negabunt id rotunde sententiæ negantis patroni: atque ipsi incumbet, illud idoneis argumentis probare. Atque his ita se habentibus, nullo modo assentiri poterunt laudato pluries Honorato, quod liturgia S. Jacobo adscripta, fons seu origo fuerit liturgiarum S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, et omnium aliarum, quæ usitatæ fuerint in ecclesia Græca.

ex traditione,

50 Etenim hoc si verum est; fierine potuit, ut illam S. Basilius non viderit scriptam? sin vero scriptam viderit, prorsus non intelligent, quomodo ita loqui potuerit, quemadmodum locutum fuisse constat ex ejus verbis a num. 26 allatis; e quibus arguent, quod sanctus iste doctor neque istam neque aliam ullam liturgiam characteribus insignitam aut viderit aut videre potuerit suo tempore, aliis plane verbis usurus, quam usus fuit loco mox designato, si uspiam talem vidisset. Ad traditionem, quam ex Baronio profert Honora- E
tus, non difficilis est responsio; illa quippe facile dicitur, sed difficillime probatur, habere majus pondus, quam traditionis popularis; quæ si populari major, et solidis antiquitatis documentis suffulta quatuor primis Ecclesiæ seculis exstitisset, scivissent hoc S. Basilius apud Græcos, et S. Innocentius PP. I apud Latinos; ac proinde tam hic quam ille non tam parce, caute et restricte de liturgia sacra egissent, uti egisse eos jam diximus. Ceterum quæ congerit Honoratus a pag. 188 de liturgia, quæ S. Clementi attributa sit, quæque a Gelasio aucta, a Gregorio Magno postmodum restricta, mutata, ac novis additionibus instructa sit, duobus utique Gelasii tomis, uti dicit pag. 189, ad unum ab eo redactis, negantem sententiam ferirent, si illa diceret, nullam sacram liturgiam litteris exceptam fuisse seculo V; sed, id esse factum quatuor primis Christi seculis, sententia ista negat.

aliisque rationibus desumuntur.

51 Brunus dissertatione 2, a pag. 131, ostendit, liturgias tam in Oriente quam in Occidente scripto commissas fuisse seculo V, non serius, tum ex elencho virorum vitæ integrate et sapientiæ laude florentium, qui illuc studium suum contulere, nimirum S. Basilii, S. Hilarii, Mu- F
sei Massiliensis ecclesiæ presbyteri, Voconii Mauritaniæ episcopi; tum ex aliis rationibus, propter quas scriptæ tunc fuerint liturgiæ. Quid vero causæ fuerit, quod liturgiæ Apostolis aliisque Sanctis attributæ sint, exponit pag. 136. De Sacramentario Gelasiano tractat a pag. 151; de Gregoriano autem a pag. 154; quæ si singillatim recensere velim, finis non erit. Ex iis, quæ habet Honoratus pag. 189, quod Alexander PP. I ex traditione Apostolica jusserit aquam admisceri vino in calice; quod Sixtus I instituerit hymnum *Sanctus, sanctus, sanctus;* quod Damasus I voluerit cani in Missa symbolum Nicænum; quod Innocentius I introduxerit osculum pacis ante communionem dandum; quod Leo canoni adjecerit *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam;* ex iis, inquam, *invicte probari* affirmat, quod, uti supra ex ipso retulimus, ad usum Ecclesiæ Romanæ exstiterit aliqua liturgia scripta ante Gelasium PP., quin imo a principio seculi secundi; sed quod ille pro seculo secundo affirmat, nos negamus.

52 Jam vero si sententiæ neganti aliquis objiciat

De liturgia Constitutionibus Apostolicis inserta.

A ciat liturgiam, Constitutionibus Apostolicis, quæ sub nomine S. Clementis PP. exstant, insertam; observo, libro 2 istarum Constitutionum, cap. 57, a pag. 260 editionis novæ Coteleriauæ, nullam liturgiæ formam talem, qualem hic inquirimus, contineri; uti liquet ex titulo dicti capitis: *Descriptio ecclesiæ et cleri; et quid facere debeat unusquisque clericus vel laicus in synaxi congregatus.* Lib. 7, cap. 25 habetur, *Gratiarum actio Sacramentalis*; cap. 26, *Gratiarum actio super divina Communione.* Liber vero octavus continet integram liturgiam simul cum orationibus ante et post verba consecrationis, etc. Quia vero plus hic videtur ausus fuisse istius liturgiæ scriptor, quam fuerat ausus dicere lib. 2; consequens esse apparet, quod serius ista scripserit; quæ exarata forte fuerint sub finem seculi IV, post mortem S. Basilii, quæ contigit anno 379; cum sanctus ille Doctor juxta numerum 26 nos docuerit, quod oratio, quæ præmittitur et postponitur verbis Christi, non scriberetur. Jam vero unde probabis, liturgiam istam in aliqua particulari ecclesia usitatam fuisse. Quod si probari non possit, quidquid ex ista liturgia objici sententiæ neganti potest, illam non tangit, uti B patet ex statu quæstionis sub initium § 3 proposito. Quod autem liturgia ista a nulla determinate ecclesia adoptata et usitata fuerit; suadetur ex S. Basilio, aliisque circa arcana ista testimoniis supra citatis.

Si alibi non exstiterit tunc scripta liturgia;

53 Habes, lector, de codice aliquo integro liturgico ad usum alicujus tam in Oriente quam in Occidente particularis ecclesiæ quatuor primis Christi seculis scripto vel non scripto, præcipua, quæ censui exponenda: tuum nunc est, considerare, quæ quibus momenta rationum præponderent, et controversiam hanc dirimere. Ego certe non video hactenus quidquam adeo solidum afferri, quod a sententiæ negantis patronis discedere me cogat, tamdiu saltem, donec melius aliquid edoceat. Sed jam in Hispaniam, unde digressa tamdiu fuit, revertatur oratio. Si, hisce ita expositis, nulla hujusmodi liturgia tunc temporis scripta exstiterit, multo minus talem in Hispania exstitisse, credibile videtur. Etenim quoniam Hispanica, secundum ea, quæ supra diximus, Romanæ a S. Petro Apostolo institutæ est filia, ab eodem utique Apostolo tamquam rerum liturgicarum parente ad Hispanos immediate vel mediate saltem propagata; quid- C nam satis probabile afferri poterit, quod suadeat, codicem aliquem quatuor primis seculis ibidem exstitisse, in quo œconomia tota liturgica ad usum vel totius Hispaniæ, vel loci alicujus particularis, non viva tantum voce, usu, exemplo fuerit tradita, sed expressis scripto characteribus efformata?

multo minus exstitit talis in Hispania.

54 Quid est, cur sola Hispania in usu suorum rituum amplius aliquid habuisse dicenda sit, quam omnes Orientales et Occidentales ecclesiæ simul? An quia tunc ibi gentiles non erant? An quia nulla ibi tunc sæviebat adversus Christianos persecutio? An denique quia nullum ibi tunc imminebat periculum profanationis mysteriorum sacratissimorum? At nihil horum dici potest; ac proinde quæ hactenus proponere nobis visum fuit de liturgia aliarum ecclesiarum, ad Hispanicam maxime extendenda putamus, saltem donec solidis rationibus contrarium probetur. Nunc commenta quædam liturgica refellenda dabit proximus paragraphus.

§ VI. *Commenta quædam liturgica in pseudo-Chronicis notata; certiora quædam ex concilio Toletano primo anni 400 liturgiæ veteris apud Hispanos vestigia eruuntur.*

Figmenta pseudo-Dextri,

Innotuit jam pridem viris passim omnibus eruditis famosa pseudochronicorum figlina, e qua sub personatis nominibus Flavii Lucii dextri, Marci Maximi, Juliani Petri, Luitprandi, tot falsitates in orbem invectæ sunt. Quamvis autem sordes illæ non merentur moveri; placuit tamen nonnulla circa nostrum institutum ex eis fragmenta producere, ut vel ex parvo specimine perspicuum fiat, quam strenue partes egerint in obtrudendis etiam liturgicis, commentis. Pseudo-Dexter in Chronici fragmento fol. 7 verso agens de divisione Apostolorum sic scribit: *Quo tempore canones eduntur, et Apostolicæ constitutiones componun-* E *tur, ad Sacramentorum et totius Ecclesiæ œconomiam.*

larvati Juliani

56 Larvatus vero Julianus in Adversariis a pag. 102, *Ego*, inquit, *utpote archidiaconus prius, nunc archipresbyter S. Justæ, defendi libris editis officium Mozarabum, vel S. Isidori, Missale, Breviarium, Manuale, et Antiphonarium, quod primus reformavit S. Melantius episcopus Toletanus, vir sanctus. Perfecerunt illud Olympius, Gregorius, Asturius, Audentius, et alter Olympius, Montanus, Leander, Isidorus, Ildefonsus, Julianus, Toletani archiepiscopi; et multas Missas composuerunt: sed S. Jacobi Majoris ab Discipulis S. Jacobi inceptam fere perfecit, ut modo est, S. Melantius confessor, archiepiscopus Toletanus.* Et ibidem pag. 96 ita fabulatur: *Inter officium Breviarii Gotthici per et antiquissimum est Officium S. Jacobi, Zebedæi filii; et ideo ponitur exemplo aliorum. Compositum est a discipulis ejusdem Jacobi.* Rursus pag. 115: *Missam S. Jacobi acceptam ab ejus discipulis auxit Eugenius Euangelio Epistolaque.* Pag. 116: *Missa S. Jacobi Majoris, a discipulis ejus composita, incipiebat: « Apostolo tuo Jacobo. » Post adjecit M. Marcellus Eugenius: « Hæc dicit Dominus » et orationem: « Christe, cujus virtus. Duas lectiones « Justus si morte » et « In illis diebus supervenerunt » Cetera ad finem S. Melantius Toletanus episcopus adjecit.* F

Luitprandi.

57 At multo apertius et disertius se declarat isti nugivendulo non impar Luitprandus, quando pag. 488, num. 187 obtrudere conatur sequentia: *S. Jacobus Missam, quam coram ceteris Apostolis constitueral, Petrus ceterique comprobaverant (et post litteris mandavit S. Clemens; et ob id dicitur vulgo Missa S. Clementis) Hispanis episcopis tradidit: et usi sunt illa prius in Hispania, quam aliis Occidentis partibus. Postea illam in scriptis attulerunt etiam septem sancti discipuli S. Jacobi, S. Torquatus et socii; et per Bœticam meridionalem, ubi nullum reliquerat episcopum, ut testantur Julianus et Felix, Toletani pontifices, libris ea de re editis, in confirmationem Missæ S. Isidori: quos ego legi, et aliquando evolvi, cum essem in Fuldensi bibliotheca, a Carolo Magno cœpta,*

Sec. I, II, III, IV. *cœpta, multisque libris valde referta, bibliothecarius.* At cum bibliotheca illa, quatenus hic in testimonii subsidium advocatur, in male feriato cerebro nata et instructa sit, et tam ipsa quam personatus ejusdem bibliothecarius infami falsitatis nota laborent, jure meritissimo ad aniles nænias talia commenta relegamus. Vide, quid dictum fuerit in Responsionibus Papebrochianis part. 2, ad art. 15 a pag. 230; item ad art. 18, a pag. 352; denique ad art. 21, a pag. 387, et ad art. 25, a pag. 547.

Eruditorum contra eos censuræ.

58 Emunctioris enimvero naris, veræque et non umbratilis gloriæ pro gentis suæ antiquitate avidiores fuisse, quam ut larvata hujusmodi suppellectilis scena decipi se sinerent, insignes Hispanorum eruditorum triumviros, quis ignorat, excellentissimum videlicet D. Gasparem Ibañez, Agropolitanum primo marchionem, comitam deinde de Mondexar; et illustrissimum D. Nicolaum Antonium; ac tertium denique Hispaniæ litteratæ decus, eminentissimum D. Cardinalem Aguirrium: quos satis est vel nominasse? Laudatus comes Mondexarensis in Discursu suo historico a paragrapho 6 egregie impugnat pseudo-Dextrum. B Nicolaus Antonius Bibliothecæ veteris Hispaniæ tom. 2, lib. 7, cap. 8 Julianum Petri operose castigat; et cap. 9 duodeviginti ostendit locos, ex quibus refelli promptum sit insulsi istius fabulatoris Chronicon et Adversaria. Aguirrius genuinis coloribus depingit tam pseudo-Chronica, quam eorum architectum, occasione Melantii, Toletani præsulis, ut videre est tom. I, a pag. 301 in Commentariis ejus novis; et tom. 2, pag. 63 aperit candide suum circa figmenta ista sensum. D Quid, quod ipsemet Joannes Tamayus, tantus alioqui hujusmodi mercium æstimator ac venditor, ad diem III Aprilis, pag. 469 de Juliani larvati Adversariis sic enuntiat: *Videmus passim in hisce Juliani Adversariis tot glossematum ineptias, quod potius ferrum, quam illas deglutire, compelleremur.* Sed hæc plus quam satis, ut detracta commentitiis hisce documentis fide, nihil posthac pro liturgia veteri Hispanica ex illis citemus.

Certiora ex concil. Tolet. I circa res liturgicas vestigia.

59 Nunc indaganda me vocant certiora antiquæ liturgiæ Hispanicæ vestigia ex concilio primo Toletano, quod apud Aguirrium tom. 2 pag. 130 innectitur æræ 438; id est anno Christi 400. Quæ indicantur canone seu capitulo I de diaconibus, ministerio, interdicto, atque presbyterio; can. 2 de clero, ostiariis, lectoribus, manuum impositione; can. 3, 4 et 5 de subdiacono; can. 20 de chrismate, hierarchiam proprie ecclesiasticam indicant, non liturgiam; illa vero can. 2 *divino... reconciliatus altario*: et can. 5 *ad ecclesiam ad officium* * *quotidianum non accesserit,* supponunt liturgiam, non indicant, qualis ea fuerit. His autem adde ex dicto can. 2. *Placuit, ut de pœnitente non admittatur ad clerum; nisi tantum, si necessitas aut usus exegerit, inter ostiarios deputetur vel inter lectores*: E et subditur, *ita ut Euangelia et apostolum non legat.* Hactenus quatuor primis Christi seculis circa res liturgicas omnia sunt obscurissima apud Hispanos; ad quintum transeamus.

* Apud Labbeum et Harduinum sacrificium

CAPUT II.

Status veteris liturgiæ Hispanicæ seculis v et vi.

§ I. *Hispania a barbaris occupata; summa rerum potiti Gothi; liturgia tunc ibidem duplex; disciplinæ ecclesiasticæ observatio.*

Inter barbaras gentes, quæ Hispaniam invasere,

Initium seculi quinti novam in Hispania nobis scenam aperit; de qua Idatius episcopus in Chronico, edito a nostro Sirmondo, pag. 10 sic C fatur: *Alani, et Wandali, et Suevi Hispanias ingressi æra* CCCCXLVII; *alii quarto Kalendas, alii tertio Idus Octobris memorant die, tertia feria, Honorio* VIII, *et Theodosio Arcadii filio* III *Consulibus;* id est anno 409, quo rem contigisse confirmat Pagius ad istum annum. Noster Joannes Mariana in Historia sua De rebus Hispaniæ ad annum 410 ita eam describit lib. 5, cap. 1: *Multas gentes feras et indomitas in Hispaniam per hæc tempora venisse, sequens narratio declarabit, Vandalos, Suevos, Alanos atque Silingos. Gotthi in primis ex antiquis sedibus dilapsi, cum Orientis Occidentisque solis oras sui nominis terrore famaque complessent, atque victricibus armis Italiam universam lustrassent, ad extremum in Hispania constiterunt... Ex septemtrione omnes has gentes profectas sese in Romani imperii provincias infudisse, quæstionis non est.* De regionibus, e quibus singulæ hæ nationes in Hispaniam commigrarint; quibus moribus et ingenio essent, pluribus supersedeo prosequi. Laudatus historicus Gothorum originem, quoniam diutius in Hispania regnarunt, majori utique ibidem præ reliquis nominis fama celebres, et de quibus hic a me potissimum instituetur sermo, paullo altius eruit; sed quæ ita hic a me erui, instituti mei ratio non exigit. Dividebantur porro Gothi in Ostrogothos, id est F Orientales, et Visigothos seu Occidentales, sicut vulgo notum est.

Gothi summa rerum potiti:

61 Qualis autem per dictas provincias fuerit invasorum istorum partitio, ita traditur apud citatum paullo ante Idatium pag. 11. *Barbari ad pacem ineundam, domino miserante, conversi, sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Wandali occupant et Suevi, sitam in extremitate Oceani maris occidua. Alani Lusitaniam, et Carthaginiensem provincias: et Wandali cognomine Silingi Bœticam sortiuntur. Hispani per civitates et castella residui a plagis, barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti.* Gothi vero illuc quoque introgressi, post certamina cum Romanis atque cum barbaris bene multa, cæsis Alanis, ejectis Wandalis, Suevisque in Gallæciam retrusis, suas in Hispania fixere sedes, summa ibidem rerum potiti. Ex quo intelligitur, duas illic potissimum tunc temporis liturgias usitatas fuisse, alteram quidem antiquam Hispanicam; alteram vero Gothorum, qui jam inde a Valentis imperatoris regno pestifera Arianismi lue infecti fuerant.

62 Quamlibet vero obscura et incomperta mihi

A *qui ex Philostorgio,* hi sit Gothorum liturgia, nullus tamen dubito, quin eam hauserint ex ecclesiis Orientis, secundum ea, quæ de conversione illorum tradit Philostorgius apud Valesium lib. 2, num. 5, pag. 470 : *Cum Valerianus et Gallienus imperium administrarent, ingens multitudo Scytharum trans Istrum degentium, in Romanorum ditionem trajecit... Deinde vero cum in Asiam trajecissent, Galatiam et Cappadociam invaserunt. Cumque plurimos homines captivos fecissent, inter quos non pauci erant clerici, cum ingenti præda in patriam suam reversi sunt. Captivi igitur ac pii homines isti, barbaris permixti, non paucos eorum ad veram pietatem traduxerunt; utque pro gentilium superstitione Christianam religionem amplecterentur, iis persuaserunt. Ex horum captivorum numero fuerunt etiam majores Ulfilæ, natione quidem Cappadoces, orti juxta urbem Parnassum, ex vico, qui Sadagolthina vocatur. Hic igitur Ulfila dux fuit piorum hominum, qui ex Gothia egressi sunt, primusque eorum episcopus fuit, constitutus hoc modo* etc. *Eorum itaque tum aliis in rebus maximam curam gessit; tum proprias ipsis litteras excogitavit, et universos sacræ Scripturæ libros* C *patrio ipsorum sermone interpretatus est, exceptis libris Regnorum, eo quid illi res bello gestas contineant; gens autem illa bellis maxime delectetur, et freno potius opus habeat ad bellicos impetus comprimendos, quam calcari, quo ad prælia incitentur.*

ac Sozomeno 63 Sozomenus Historiæ ecclesiasticæ libro 6, cap. 37 memoriæ prodidit, *Gothos*, prælio separatos ab Hunnis, qui universam quoque eorum regionem occuparunt, *fugientes in Romanorum regionem trajecisse; transmissoque fluvio legatos ad imperatorem misisse, qui se auxiliares in posterum fore Romanus pollicerentur, peterentque ut ipsis, ubicumque vellent, degere concederetur. Hujus legationis princeps dicitur fuisse Ulphila, episcopus gentis Gothorum.... Ulphila, qui tunc apud ipsos erat episcopus, initio quidem nulla in parte dissensit ab Ecclesia Catholica. Cumque regnante Constantio imprudenter, ut opinor, una cum Eudoxio et Acacio Constantinopolitanæ synodo interfuisset, cum episcopis Nicænorum patrum decreta sectantibus communicare perseveravit. Sed cum venisset CPolim et Arianæ sectæ antistites de religione cum eo disseruissent, eique polliciti essent, se legationem illius adjutores esse apud imperatorem, modo idem cum ipsis sentire vellet; necessitate* C *compulsus, vel quod eam de dignitate sententiam potiorem esse existimaret, cum Arianis communicasse dicitur, seque et universam gentem ab Ecclesia Catholica abrupisse.*

liturgiam Orientalem 64 *Gothi enim, in iis quæ ad religionem pertinent, ejus magisterio eruditi, et ad mansuetiorem cultum per eum traducti, cunctis in rebus ei facile obtemperabant, pro certo habentes, nihil eorum, quæ ab illo aut dicerentur, aut fierent, improbum esse; sed cuncta ad utilitatem eorum, qui zelo Dei ducerentur, spectare. Quin et virtutis suæ multiplex experimentum dedit. Quippe qui pro Christi fide innumera subierit pericula, dum barbari adhuc gentilium ritu simulacra colerent. Primusque apud eos inventor exstitit literarum, et sacros libros in patrium sermonem convertit.* Theodoretus lib. 4, cap. ultimo similia narrat compendiosius, et nonnulla superaddit, a Philostorgio et Sozomeno prætereita; ut ejus verba huc etiam transcribere, supervacaneum non videatur. Sic itaque habet ex editione Henrici Valesii : *Ego vero operæ pretium facturus mihi videor, si ignaros docuero, qualiter barbari* (Gothi) *Arianam hæresim amplexi sint. Quo tempore Gothi Istum trajicientes, fœdus cum Valente percusserunt, abominandus ille Eudoxius, qui tum aderat, suggessit imperatori, persuadendum esse Gothis, ut cum ipso communicarent : nam cum diu antea divinæ cognitionis radiis illustrati essent, in Apostolica doctrina semper fuerant innutriti.* *Sec. v.*

65 *Quod* Eudoxii *consilium cum approbasset Valens, optimatibus Gothorum proposuit, ut in doctrina fidei cum ipso consentirent. At illi responderunt numquam se adduci posse, ut a Majorum suorum doctrina discederent. Porro ea tempestate, Ulfila, totius gentis erat episcopus, magnæ apud illos auctoritatis;* qui verbis et muneribus Eudoxii eo impulsus est, *ut Gothos ad communionem imperatoris amplectendam adduceret. Id autem persuasit, cum diceret contentionem ex ambitione ortam esse; dogmatum vero nullam esse discrepantiam. Quamobrem Gothi hactenus, Patrem quidem Filio majorem esse dicunt : Filium tamen creaturam dicere non sustinent, licet cum iis communicent, qui ita dicunt. Nec tamen a Majorum doctrina penitus discesserunt. Etenim Ulfila, cum eis persuadere vellet, ut cum Valente et* E *Eudoxio communicarent, nullam dogmatum discrepantiam esse dixerat; sed ex inani altercatione ortum fuisse discidium.* *adhibuisse referuntur.*

66 Quæ cum ita se habeant; ut jam propositum mihi elucidationis liturgicæ in Hispania seculo v filium prosequar, intelligi datur ex dictis I. Quod præter liturgiam antiquam Catholico ritu ibidem hactenus usitatam, alia simul cum victricibus Gothorum armis eo introducta fuerit : quam etenim seculo IV ante imperium Valentis, duce, præmonstratore, instructore atque antesignano Ulfila una cum fidei Christianæ rudimentis didicerant (et vero quando illa ab ipso didicere, didicisse et hanc ab illo, quis dubitet ?) hanc quoque sine dubio in Hispaniam detulere secum, quando stabilem ibidem seculo v fixere sedem. Intelligimus 2. Quod, sicut cum fide Catholica, prima eorum institutio sacra consentiebat, sic etiam liturgia sacra a Catholica dissentiens tunc non fuerit ab ipsis adhibita; e tempore autem, quo Ariana fuligine infecti fuere, id non ita ausim affirmare : nam dicere promptum mihi non est, an et quo usque iisdem sordibus liturgicæ apud ipsos tres fuerint infectæ. 3. Intelligimus, F vel totam eorum liturgiam, vel magna saltem parte Orientalem fuisse. Quod vero de isto Ulfila, Gothorum catechista et episcopo, longior et repetitis quid in vicibus institutus redierit sermo, non frustra ad sanctum est; nam ex idea ipsius, hoc loco præmissa, lux quædam accedet alteri loco, quo de abrogatis in Hispania Toletanis seu Gothicis characteribus, quos vidimus ipsum ad Gothos propagasse, dicendum erit inferius. *quæ una cum ipsis Gothis in Hispaniam invecta sit,*

67 Res Gothorum sacras habuisse cordi S. Joannem Chrysostomum, liquet ex ejus epistola ad Olympiadem, quæ est 14 in editione Latina operum ipsius Parisiis excusa anno 1588: in Græca vero Henrici Savilii est ordine 13. Itaque in ea, quam primo loco nominavi, editione reperio sequentia : *Hoc autem quod dicturus sum, ne prætereas, verum de eo perquam ingens studium exhibeas. Narraverunt mihi Marsi ac Gotthi monachi, apud quos Serapion episcopus perpetuo delitescebat, Moduarium diaconum venisse, illud afferentem, eximium illum atque admirabilem virum* *et videtur fuisse*

sec. v.

* Græce apud Savilium Οὐνείλας

*rum Vuilam *, quem non ita pridem episcopum creavi, atque in Gotthiam misi, multis ac magnis rebus gestis, diem suum extremum clausisse: ac regis Gotthorum litteras attulisse, quibus, ut ad eos episcopus mittatur, petit. Quoniam igitur ad subversionem eam, cujus minæ nobis intentantur, depellendam, nullum aliud adjumentum conspicio, quam cunctationem ac dilationem (neque enim nunc ipsi in Bosphorum aut in illas partes navigare possunt) da operam, ut illos ob hiemem remoreris. Atque hæc, quæso, ne negligenter prætereas. Istud enim si perficiatur, maximi momenti erit.*

Constantinopolitana.

68 *Duo quippe sunt, quæ si contingant (quod Deus procul avertat) maxime me excruciant, nempe et quod ab isti creandus ille sit, qui tot mala perpetravit, et quod simpliciter quispiam ad his creetur, a quibus creari nefas est.* Omnia hæc ansam præbent non vanam suspicandi, quod tam episcopus ille a S. Joanne Chrysostomo creatus, et in Gothiam missus, quam alius in istius defuncti locum ea mittendus, liturgiam eo secum CPolitanam deduxerint, quodque illa ipsa
B fuerit, quam habebant Gothi, quando Hispaniam invaserunt, id quod paucis annis post mortem S. Joannis Chrysostomi contigit. Quamquam enim sub imperio Valentis aliquot ante annis natio Gothica fascino Arianorum, uti vidimus, seducta fuerit; mansisse tamen inter illos primævæ suæ institutionis tenaces et probe Catholicos, conficitur ex producto loco S. Chrysostomi; atque adeo inde etiam intelligi posse videtur, repertos fuisse Catholicos, Arianis admixtos, dum irruptio in Hispaniam facta est; quos sua illuc secuta fuerit liturgia, forte eadem cum illa, quam Gothi Ariani adhibebant, vel saltem non multum diversa; quæ ex Orientali aliqua ad illos transierit.

Turbulentis hisce temporibus.

69 Quia autem turbulentis istis et Hispaniæ fatalibus temporibus sacra omnia et profana sub barbaris nationibus sus deque vertebantur, vastationibus, deprædationibus, rapinis, cædibus, incendiis, sacrilegiis ac profanationibus eorum exposita; mirari utique non debemus, seculum illud obscurum adeo delitescere circa individuam ac singularem rerum liturgicarum communicatam cum posteris notitiam: quamquam aliunde satis constet, quod miserrima illa ibidem rerum facies
C non obstiterit, quo minus plurima circa disciplinam ecclesiasticam sancita fuerint publica auctoritate: uti videre est apud Aguirrium *tom.* 2, *a pag.* 190: ubi agitur de concilio Bracarensi, anno circiter Christi 411 celebrato; quod in adjectis ad illud notis tamquam genuinum censet. Concilii Hispanici generalis, suasu S. Leonis PP. in causa Priscillianistarum anno Domini 447 indicti, regula fidei occurrit pag. 202. Epistola Pontificis prædicti 95 *alias* 109 ad episcopos Galliarum et Hispaniarum de celebrando Paschalis festi die, anno 455, habetur pag. 223; quam pag. 225 sequitur Epistola I Episcoporum Tarraconensium, anno circiter 465 ad Hilarum PP. data, et in concilio Romano anni 465 lecta.

Tarraconensis provincia præcipua custos legum et canonum:

70 Conqueruntur in ea apud Pontificem de ordinatione episcopi contra regulas et canones, eumque consulunt de isto casu; ut illis abusibus velociter occurratur. *Et quamquam barbaricus furor,* uti pag. 226 notatur ex Binio, *Gotthorum, Hispaniarum ecclesias prope omnes devastantium, vigorem ecclesiasticæ disciplinæ relaxasset, Tarraconensem tamen provinciam custodem legum et canonum permansisse, Romanum Pontificem observasse; omnes controversias ad eumdem, velut ad supremum judicem et pastorem Ecclesiæ, detulisse; hæc epistola manifeste satis indicat.* Cum D
quanta vero et quam patheticis expressa terminis submissione ad Sedis Apostolicæ oraculum confugerint, liquet ex his eorum in initio epistolæ verbis: *Nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatum; inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* In fine vero epistolæ sic dicunt: *Erit profecto vester triumphus, si apostolatus vestri temporibus, quod S. Petri cathedra obtinet, Catholica audiat Ecclesia, si novella zizaniorum semina fuerint exstirpata.*

Liturgia tum ibi, tum alibi videtur viguisse.

71 Nos interim, quod huc spectat, discere possumus ex illa epistola, quod, sicut Tarraconensis provincia in summa aliarum ecclesiarum devastatione, custos legum et canonum fuit; sic etiam una ista præ reliquis omnibus haud dubie excelluerit in conservando augustissimo sacræ liturgiæ deposito; atque in id incumbendo enixe, ut nulla sui parte temeraretur, minueretur ejus majestas, in- E
terturbaretur ordo; quamquam is, si non jam tum, saltem seculo VI a primævo fuit diversus. Verum etiam alibi in Hispania divinum arduis hisce temporibus floruisse cultum, colligo ex epistola Simplicii PP. ad Zenonem Spalensem episcopum, qua *committit illi vices Apostolicæ sedis in omnibus Hispaniarum ecclesiis*, prout præfert ejusdem epistolæ synopsis; ibid. pag. 232. Quamquam non constat, quo determinate anno ea fuerit data; contigisse tamen hoc oportet intervallo illo, quod est inter annum 467, quo adiit pontificatum; et annum 483, quo illum una cum vita exuit. In illa itaque epistola laudatur Zeno *digna honoris renumeratione cumulandus.., per quem in his regionibus* DIVINUS *crescere innotuit* CULTUS.

§ II. *Plurima ad res liturgicas spectantia proferuntur.*

Ex concilio Tarraconensi circa divinum officium;

Seculum æræ Christianæ sextum, plurimarum notitiarum magis ferax quam alia quinque prægressa, aream bene latam pandit, ut sensim sine sensu in arcana et abstrusa hactenus divinæ liturgiæ adyta aliquo saltem usque penetremus. Viam F
præmonstrant Hispaniarum concilia isto sexto seculo celebrata; quæ memorantur apud Aguirrium tom. 2, a pag. 235. Concilium Tarraconense decem episcoporum, anno Christi 516 illigatum, quædam præscribit, non ad mysteria liturgica, sed ad mores seu disciplinam ecclesiasticam pertinentia, quæque ea de causa huc non transcribimus. Sequentia utcumque hujus loci esse, censeri possint; cum sint instituta, ut majore cum solennitate divinum officium peragatur. Igitur tit. 7 sic dicitur: *De diœcesanis ecclesiis vel clero, id placuit definiri, ut presbyteri vel diaconi, qui inibi constituti sunt, cum clericis septimanas observent: id est, ut presbyter unam faciat hebdomadam: qua expleta succedat ei diaconus similiter; ea scilicet conditione servata, ut omnis clerus die Sabbato ad Vesperam sit paratus: quo facilius die Dominico solennitas cum omnium præsentia celebretur: ita tamen, ut omnibus diebus Vesperas et Matutinas celebrent; quia desistente clero*

A *clero (quod est pessimum) comperimus, in basilicis nec luminaria ministrari. Si qui sane negligentiæ vitio hæc implere noluerint, noverint se secundum statuta canonum, pro modo personarum, canonicæ disciplinæ subdendos.*

ac Gerundensi varia præscribuntur circa Missam etc.

73 Apud eumdem Eminentissimum a pag. 241 ponitur concilium Gerundense septem episcoporum, anno Christi 517 habitum, in quo notantur ista : 1. *De institutione Missarum, ut quomodo in metropolitana ecclesia fuerit, ita in Dei nomine, in omni Tarraconensi provincia, tam ipsius Missæ ordo, quam psallendi vel ministrandi consuetudo conservetur.* 2. *De Litania, ut expleta solennitate Pentecostes, sequens septimana, a quinta feria usque in Sabbatum ; per hoc triduum, abstinentia celebretur.* 3. *Item secundæ litaniæ faciendæ sunt Kalend. Novembris ; ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinentiæ observantiam, a quinta feria incipiatur,* B *et in Sabbato Vesperæ Missa facta finiantur. Quibus tamen diebus a carnibus et vino abstinendam decrevimus.* Omnia denique, quæ ibidem sancita sunt, excipiunt ista verba : *Ita nobis placuit, ut omnibus diebus, post Matutinas et Vespertinas, oratio Dominica a sacerdote proferatur.*

Observatio Ambrosii de Morales circa litanias.

74 Ceterum circa litanias varia ibidem notantur a pag. 243. Breve est illud Ambrosii de Morales in Chronico generali Hispaniæ lib. xi, fol. 51, ubi observat, *istas litanias Hispaniæ magis esse antiquas quam Romanas : nam hæ institutæ sunt pluribus post annis a S. Gregorio PP., Romæ inquam, neque enim adhuc erat usus litaniarum, quem nunc habet Ecclesia ; tametsi jam tum antea eas haberent in Gallia, institutas a S. Mamerco *, episcopo Viennensi : prout in Sidonio Appollinare, Gregorio Turonensi, et in Martyrologio Usuardi apparet.* De Mamerto isto, Vita functo post annum 475, actum est apud nos die xi Maii, pag. 629 et seqq., ubi plura invenies. At ne ab instituto nostro in hujusmodi rebus longius evagemur ; prius quædam memoria repetenda sunt, quam ulterius pergamus.

* Mamerto

Hispanos alicubi deflexisse a Romano liturgia,

C 75 Dictum est supra, 1. Quod sacra liturgia a S. Petro Apostolo in Hispaniam manarit. 2. Quod Orientalis comitata eo fuerit Gothos : hanc vero ultimam alicubi in Hispania, adeo arrisisse Catholicis, suspicor, ut eam vel Romanæ immiscuerint, vel fortasse tertiam aliquam ex utraque simul conflaverint. Etenim si nihil horum contigit, et si manserit immutata in provincia Bracarensi Catholicorum liturgia ; quorsum pertinet igitur epistola Vigilii PP. ad Profuturum episcopum Bracarensem (non ad Eutherum sive Eutherium, ut in omnibus Conciliorum editionibus scribi in titulo epistolæ observat, et improbat Aguirrius in notis pag. 277) quorsum, inquam, pertinet ista epistola ad dictum episcopum data, cujus consultationibus Pontifex respondet, anno Christi, uti annotatur, 538 ? de quo tamen consule Aguirrii notas eadem pag. 277 ; cum Vigilius nondum tunc fuerit Pontifex rite electus, sed solus S. Sylverius. Frustra itaque ad hunc Bracarensem metropolitam direxisset Romanæ liturgiæ contextum Vigilius (forte per prolepsin Papa vocatus) si in provincia Bracarensi tunc, vel etiam prius a Romanæ liturgiæ ordine non deflexissent. Neque intelligo, quo probabilius deflexerint, quam ad liturgiam Orientalem, spectatis rerum adjunctis. Titulus itaque quintus, prædictæ epistolæ præfixus, sic sonat : *De Paschæ festivitate, precum ordine, ac Missarum solenniis.* Textus vero ita se habet :

sec. vi.

suadetur ex epistola Vigilii ad Profuturum, episcopum Bracarensem.

76 *Pascha vero futurum nos, si Deus voluerit,* ii *Kalendarum Maiarum die celebraturos esse cognoscite. Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum * ; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes et Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solennitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus. Cetera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicæ precis textum direximus subteradjectum, quem (Deo propitio) ex Apostolica traditione suscepimus. Et ut charitas tua cognoscat, quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, Paschalis diei preces similiter adjecimus.* Porro per *canonicæ precis textum* intelligo sacræ actionis canonem, et animad- E verto, arctum illud in istis arcanis sacrosanctis scripto communicandis secretum, quale superius a S. Innocentio adhibitum fuisse dixi, non observatum fuisse hoc seculo sexto ea cum cautela ; nec porro ita observari debuisse ; quandoquidem tunc exstabant liturgiæ litteris consignatæ, juxta ea, quæ superius dicta sunt.

* diversum

Concilium Barcinonense ac Valentinum nonnulla circa Officium ac Missam sanciunt.

77 Concilium Barcinonense, de quo Aguirrius pag. 279, quodque anno circiter Christi 540 celebratum notatur, canonibus suis nonnulla interserit, ac statuit 1. *Ut Psalmus quinquagesimus ante Canticum dicatur.* 2. *Ut benedictio in Matutinis, fidelibus, sicut in Vespera, tribuatur.* Valentinum anno 546 congregatum, est pag. 288, et ad rem sacram aliquid statuit: sic enim sex episcopi, qui eidem interfuerunt, decernunt titulo i : *Anno* xv *Theodorici regis, sub die* ii *Non. Decembr. in nomine Domini nostri Jesu Christi Valentiæ in concilio congregati, cum de ecclesiastica regula tractaremus, antiquos canones relegentes, inter cetera, hæc * censuimus observandum, ut sacrosancta Euangelia ante numerum illationem, vel Missam Catechumenorum, in ordine lectionum, post Apostolum legantur : quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermo-* F *nem sacerdotis non solum fideles, sed etiam Catechumeni ac pœnitentes, et omnes, qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem adtractos evidenter scimus.* Aguirrius in notis monet, pro *Theodorici* sine dubio legendum esse *Theudis* seu *Theuduredi.* Præterea *in omnibus Hispaniæ conciliis morem fuisse, ut codex canonum initio legeretur,* ibidem observat, citans Acta ipsorum ; *ac propterea,* sicut recte infert, *concilia Hispaniæ semper et ubique in magna æstimatione fuerunt, veluti mature celebrata ad præscriptum et amussim sacrorum canonum.*

* lege hoc

In Bracarensi Missæ uniformitas.

78 Synodus Bracarensis, quæ apud Aguirrium tom. 2 pag. 292 notatur prima ; apud Labbeum vero tom. 5, col. 836, secunda ; et quæ signatur apud Eminentissimum Aguirrium anno 561 celebrata, differente illam Baronio ad annum 563) omnimodam urget in divinis officiis uniformitatem : Nam *omnes episcopi dixerunt : Necessarium et valde hoc utile arbitramur, ut ea quæ apud unumquemque nostrum varia et inordinata consuetudine retinentur, unito inter nos, per Dei gratiam, quo per concordiam celebrentur officio. Et idcirco si quid illud est magnum vel parvum*

SEC. VI.

vum, in quibus variari videmur, ad unam, sicut dictum est, formulam, præfixis rationabiliter capitulis, revocentur: præcipue cum et de ceteris quibusdam causis instructionem apud nos Sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationem, quondam venerandæ memoriæ prædecessoris tui Profuturi, ad ipsa beatissimi Petri Cathedra directa est. Ista ad Lucretium, metropolitanæ in Gallæcia provincia Bracarensis ecclesiæ Præsulem, dum præfati essent episcopi, suam deinde mentem synodus ista declaravit, editis super hac re variis capitulis in hæc verba: I. *Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur; et non diversæ ac privatæ, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permistæ.* II. *Item placuit, ut per solennium dierum vigilias vel Missas, omnes easdem, et non diversas lectiones in ecclesia legant.* III. *Item placuit, ut non aliter episcopi, et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur; et ut respondeatur* B *a populo: Et cum spiritu tuo: sicut et ab Apostolis traditum omnis retinet Oriens; et non sicut Priscilliana pravitas permutavit.* IV. *Item placuit, ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ ecclesiæ episcopus, ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum.*

et alia nonnulla præscribuntur;

79 Et quibusdam aliis intermixtis, quæ non sunt proprie hujus loci, nimirum circa baptismum, episcoporum subordinationem, portiones ecclesiasticarum rerum, ac non ordinandum ab episcopo clericum alterius, mox subditur: IX. *Item placuit, ut quia in aliquantis hujus provinciæ ecclesiis diacones absconsis infra tunicam utantur orariis, ita ut nihil differre a subdiacono videantur: de cetero superposito scapulæ (sicut decet) utantur orario..* XI. *Item placuit, ut lectores in ecclesia in habitu seculari ornati non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.* XII. *Item placuit, ut extra psalmos, vel canonicarum Scripturarum novi et veteris Testamenti, nihil poetice compositum in ecclesia psallatur: sicut et sancti præcipiunt canones.* C XIII. *Item placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus; nisi tantum clericis: sicut et antiquis canonibus statutum est.* At ne cuiquam injiciat moram vox *granos*, modice explanat illam Cardinalis Aguirrius in notis pag. 297: *Excusi* ait GRADUS, *lego* GRANOS, *ut est in manuscripto.* Tum subdit illud Isidori lib. 19 Etymologiarum cap. 23.

parva circa modum ejus loquendi observatio;

80 *Nonnullæ etiam gentes non solum in vestibus, sed et in corpore aliqua sibi propria, quasi insignia vindicant; ut videmus cirros Germanorum, granos et cinnabar Gotthorum.* At quale illud Gothorum insigne, quod per *granos* hic indicatur? *Existimat*, inquit Aguirrius, *D. Loaisa, esse genus laicæ vestis oblongæ: at ex iis verbis S. Isidori potius colligere debuisset, esse cincinnum, vel capillitium, ut exponit Jo. Ludov. Zerda in adversar. cap. 177 ex antiquo interprete in verba illa Judith: „ Et discriminavit crinem „ etc. ubi exponit* GRANOS *fecit.* Per vocem autem *sanctuarium*, uti hic rursus recte ex Loaisa observat Aguirrius, *velum intelligitur, quo distinguebatur locus altaris, et tegebatur, ne omni populo esset conspicuus. Hoc constat ex Gregorio in epist.* XXX *ad Constantiam August. lib. 3. Vocatur et brandeum, ex quo, cum a S. Leone PP. forcipibus incideretur, sanguis effluxit. Alibi appellatur velamen.* D

et aliorum quorumdam circa hanc synodum annotatio.

81 Per illa verba capituli XII, quibus dicitur, *sicut et sancti præcipiunt canones*, videtur alludi ad canonem LXVII, qui ponitur post capitula, ex Orientalium synodis a S. Martino episcopo Bracarensi collecta, et in concilio Lucensi publicata; vide Aguirrium a pag. 325. Canon vero iste LXVII his verbis constat: *Non opportet psalmos compositos et vulgares in ecclesia dicere; neque libros, qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi et veteris Testamenti.* Forsan respexit synodus ad illud Augustini epistola 55, alias 119, ad Inquisitiones Januarii, cap. 18, ubi de Donatistis dicitur, quod *ebrietates suas ad canticum psalmorum, humano ingenio compositorum, quasi ad tubas exhortationis inflamment.* Quidquid sit; Patres concilii IV Toletani can. 13 præscripserunt postea; non esse renuendos hymnos, a sanctis doctoribus compositos. Ratio quoque hic habeatur eorum, quæ ad canonis XIII superioris explanationem affert pag. 297 Aguirrius ex Loaisa: sunt autem ista: *Sacerdotibus et levitis* E *dabatur communio ante altare, clero in choro, populo extra chorum. Id constat ex concilio Toletano* IV, *cap.* 18. *Hinc a locorum divisione vocatur laica communio, et peregrina, et sacerdotalis.*

Liturgia Hispanica ex Orientali commixta.

82 Quæ superius dicebam de ritibus liturgicis in provincia Bracarensi ex Orientali liturgia commixtis; suspicor non intra solam istam provinciam obtinuisse, sed ad alios quoque extensa fuisse Hispaniæ tractus. An vero et quomodo id fiat verosimile; qua item auctoritate, occasione atque adminiculis exsecutioni illud videatur mandatum, nunc discutiam, simulque conabor exponere, quo loco fuerint res liturgicæ, ex variis congruentiis, quas subdo, et quibus confirmabo ea, quæ in privincia Bracarensi facta fuisse memorabam; ac præterea in reliquam Hispaniam tempore S. Leandri Orientales quosdam ritus transivisse, suadere enitar.

§ III. *Liturgia Romano-Hispanica ex Orientali commixta.* F

Varia ex liturgia Orientali in Hispanicam translata fuisse,

Liturgiæ Romanæ, primis legis Christianæ temporibus in Hispaniam introductæ, hoc seculo VI plurima ex liturgia Orientali immixta fuisse, probabile admodum mihi videtur ex variis congruentiis; quarum prima sit, quod varii tunc viri ibidem floruerint, qui studium et auctoritatem eo conferre potuerint ac voluerint; nimirum Theodomirus seu Ariamirus, Suevorum rex, Martinus Dumiensis archiepiscopus Bracarensis; Joannes Biclarensis, ac Leander. De singulis dicam. Cardinalis Baronius ad an. 563, num. 14 scribit ista: *Dum imperator* (Justinianus) *in Oriente a Catholica fide deficiens, insequitur Orthodoxos (O mirabile divinæ providentiæ signum!) in Occidente, qui erat hæreticus ad fidem conversus princeps, collegit Catholicos episcopos; per quos concilium celebrat, quo damnentur hæreses cum hæreticis. Hoc enim ipso anno, qui tertius Theodomiri, Suevorum regis numeratur; diem princeps celebrari curavit concilium Bracharense, in totius Galliciæ metropoli civitate. Porro ineditis ibi canonibus, loco Theodomiri, Ariamirus*

A *rus positus est, qui ejus filius fuit. Præfuit autem synodo Lucretius Bracharensis episcopus, qui successit Profuturo; præcessit autem Martinum.*

ex persona regis Theodomiri seu Ariamiri,

84 De Theodomiro et Ariamiro, eodem an diverso; de anno item, quo concilium illud celebratum est, agitur apud Aguirrium in notis variorum pag. 296. Gregorius vero Turonensis De miraculis S. Martini lib. I, cap. XI mirabilem regis prædicti et subditorum ejus ab hæresi Ariana conversionem narrat; ubi perperam in plerisque Mss. haberi *Chararicum,* observat hic Ruinartius in novissima operum S. Gregorii Turonensis editione col. 1012. Recens ergo illa ac plane mirabilis conversio plurimum favebat, ne vel ex parte regis, vel ex parte subditorum moræ quidquam injiceretur, si ritus eorum sacros mutari contingeret. Ceterum quæ de Theodomiro et Suevis orthodoxæ fidei adjunctis, dicta sunt, præclare confirmata invenies ex S. Isidoro, episco- B po Hispalensi, apud nos ad diem XX Martii, quo Commentarius historicus datur a pag. 86 de S. Martino Dumiensi, archiepiscopo Bracarensi, paucis nunc, quoad in rem præsentem conducet, illustrando.

Martini Dumiensis,

85 *Pannoniæ ortus fuit,* teste Gregorio Turonensi Historiæ Francorum lib. 5, cap. 38, *et exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suis temporibus haberetur.* Vixit in Gallæcia annis circiter 20; obiit anno 580, sicut notatur in citato Commentario. Exstat in ejusdem laudes carmen Venantii Fortunati, quod Aguirrius inseruit suo tomo 2, pag. 324; et pag. 325 agitur de capitulis, quæ ex Orientalibus synodis laudatus Martinus collegit, in melius restauravit, et in concilio Lucensi publicavit, notante ad nostrum circa arcana liturgica institutum Loaisa apud Labbeum tom. 5 Conc., col. 902: *Græcus homo .. ad mores nostrorum hominum Græcos ritus sancte et prudenter accomodavit.* Quod vero tum hic dicit, tum paullo ante ibi præ- C miserat, *erat Græcus;* contradicit Gregorio Turonensi et Fortunato, si de natalibus seu patria S. Martini illud intelligas. Plura de eo ac scriptis ejus dabunt S. Isidorus jam designatus, de Viris illustribus cap. 35, Nicolaus Antonius Bibliothecæ Hispanæ veteris lib. 4, cap. 3, Commentarius noster mox allegatus, et Mabillonius Actorum Ordinis Benedictini tom. I, a pag. 257.

Joannis Biclarensis,

86 Iisdem temporibus floruit Joannes, cum Biclarensis a monasterio, cui præfuit, tum ab ecclesia, quam rexit, Gerundonsis vocatus. Elogium ejus S. Isidorus inter ea, quæ memorat De viris illustribus, cap. 44 his verbis concinnat: *Joannes Gerundensis ecclesiæ episcopus, nativitate Gotthus, provinciæ Lusitaniæ Scalabi * natus. Hic cum esset adolescens, Constantinopolim perrexit, ibique Græca et Latina eruditione munitus, post decem et septem annos in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo, incitante Leovigildo rege, Arriana fervebat insania. Hunc supradictus rex, cum ad nefandæ hæresis crudelitatem compelleret, et hic omnino resisteret, exilio trusus, et Barcinonem relegatus, per decem annos multas insidias et persecutiones ab Arrianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium quod nomine Biclaro dicitur; ubi congregata monachorum societate, scripsit regulam ipsi monasterio profuturam, sed et cunctis Deum timentibus necessariam:* et mox injecta ab Isidoro mentione scriptorum ejus, *et multa alia,* inquit, *scribere dicitur, quæ ad nostram notitiam non pervenerunt.* De hoc Joanne Gerundensi diffusius tractat Nicolaus Antonius Bibliothecæ Hispanæ veteris lib. 4, cap. 5; ubi illam, quam et nos supra dedimus, lectionem præferendam tenet, quæ non *septimo demum anno;* sed *post decem et septem annos* in Hispanias reversum esse Joannem istum, habet.

* *Nunc dicitur* Santaren

SÆC. VI

suaderi videtur;

87 Jam vero ut ad priora, quorum gratia paullo fusius deducta hæc sunt, retro referamus pedem; facile ex dictis intelligitur, quod locorum ac personarum, adde et temporis adjuncta, eo mirifice conspirarint, ad ritus, cæremonias, precationes ac consuetudines ecclesiæ Orientalis inserendas Hispanicæ veteri liturgiæ; non importuno atque alieno tempore quæsita, nedum affectata, sed sponte oblata, ac proinde facili et percommoda ad hoc tentandum favente occasione, prout ex præmissis abunde constat. Sed enim ex E parte Theodomiri seu Ariomiri, Suevorum regis, jam ad Christianam fidem ab Arianismo conversi, erat timendum nihil; quin potius tam illi quam ejus subditis grata ea res debuerit accidere; imo vero id ipsum fortasse urserint apud episcopos Gallæciæ, ut liturgiæ Romanæ, a Vigilio ad Profuturum directæ, nonnullæ intersererentur preces, aut alia hujusmodi, ex Ordine liturgico Orientali, cui, utpote Ariani, videbantur ipsi assuevisse, exprompta, vitato interim, ut credere par est, omni excessus, defectus, errorisve periculo. Et sane num prudenter timeri illud poterat? Aderat quippe Martinus Bracarensis archiepiscopus; aderat Joannes episcopus Gerundensis, ambo egregiis scientiæ atque virtutum dotibus præstantes, ad Orientem præfecti ambo, Orientales quodammodo ambo, ut ita dicam, si natales excipias; ex Oriente deinde ambo in Hispaniam reduces, memoresque eorum omnium, quæ cum in rebus ecclesiasticis generatim, tum in liturgicis singulatim coram usurpari inspexerant.

ac potissimum ex S. Leandro episc. Hispal.

88 Quid de S. Leandro, magno Gothorum apostolo, dicam, cum gesta Viri istius in clara adeo luce versentur, ut supervacaneum sit, pluribus hic verbis in laudes ejus excurrere. Elogium F ipsius contexuit germanus ejus frater, et dignissimus in cathedra Hispalensi successor, S. Isidorus De viris illustribus cap. 41; gesta quoque laudati Præsulis jam pridem apud nos Commentario historico illustrata sunt die XIII Martii a pag. 275, et apud Mabillonium Actorum Benedictinorum sec. I, a pag. 378. Annus mortis ab aliis alius ponitur; sed idem Mabillonius ex SS. Gregorio PP. et Isidoro inter se collatis, illam affigit anno 651. Quod huc spectat, illud est, quod arctissimam Constantinopoli cum S. Gregorio Magno amicitiam contraxerit; de qua re ipsemet Gregorius in epistola, expositioni libri Jobi præfixa, testatur his verbis: *Reverendissimo et sanctissimo fratri suo Leandro coepiscopo Gregorius S. S. D. Dudum te, Frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cum me illic Sedis Apostolicæ responsa constringerent, et te illuc injuncta pro causis fidei Wisigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus, quod mihi de me displicebat, exposui.*

intimo amico S. Gregorii M.

89 Gregorio deinde ad summi pontificatus apicem evecto, amicitia, quæ ibidem inter utrumque hoc sanctum par intercesserat, ultro citroque postmodum datis litteris conservata atque confirmata (adi citatum Commentarium § 3, pag.

SÆC VI.

pag. 279) satis S. Leandro præbuerit causæ, ut in sacra ecclesiæ Hispanicæ Officia introduceret varias consuetudines, in ecclesia CPolitana, ejusdemque suffraganeis usitatas; eo præsertim quod ipse S. Gregorius PP. satis sua sponte propensus fuerit, ut optima quæque ex sacro vel ecclesiæ CPolitanæ vel alterius Officio excerperet, et in Romanum transferret. Id lucescit ex epistola sanctissimi Pontificis 63, lib. 7 jam superius assignata, ad Joannem episcopum Syracusanum, in qua *contra aliquorum murmurationem, rationem reddit de Missæ ordinatione*, quasi *ecclesiæ CPolitanæ consuetudines per omnia sequeretur.* Ad quæ postquam sanctus Doctor respondisset; *In quo ergo*, subdit, *Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut* NOVAS *et* UTILES CONSTITUIMUS; *in quibus tamen* ALIOS *comprobamur* IMITARI ?.. *De Constantinopolitana ecclesia quod dicunt; quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam ?..*

B 90 *Tamen si quid boni vel* IPSA *vel* ALTERA ECCLESIA *habet; ego et minores meos, quos ab illicitis prohibeo,* IN BONO IMITARI PARATUS SUM. *Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat.* Quæ ergo Sanctus viderat ac didicerat CPoli, aut alibi hauserat liturgici ritus puncta, quamquam *nova*, tamen *utilia*, omnino se promptum diserte indicat, ut ea in Ecclesiæ Romanæ usum convertat. Quantum itaque erat ex parte Romani Pontificis, si a Leandro, uti credere par est, consultus sit, facile is ab illo inclinari se passus fuerit, ut mutatio aliqua fieret in veteri Hispanica liturgia; vel si non consultus sit, nullo negotio intelligi potest, quod Leandro novi aliquid in hoc genere meditanti non obstiterit, cum in hujusmodi *nova*, modo simul *utilia* Pontifex ille Romanus satis, ut dixi, propenderet. Ex parte autem Visigothorum ut aliquid in hoc genere fieret, nonne omnino conveniens et rationi congruum erat? Emergebant illi e barathro errorum, amplectebantur nova sacra, liturgiæ suæ, Ariana tunc fortasse multis locis con-

et satis propenso, ut ex liturgiis optima excerperentur; cum variæ rationes

C tagione corruptæ, nuntium remittebant; nonne itaque conducens plane erat in rem Catholicam regni Hispanici, recentissime ad Christum adjuncti, indulgere plusculum; obsecundare in loco et tempore, ac deferre novis conversis, et ex Orientali liturgia delibare nonnulla, ut hoc pacto magis prompti, volentes ac lubentes sacra mysteria frequentarent? Hæc itaque aut certe similia rationum momenta induxisse S. Leandrum ad mutandam liturgiam, credibile est.

assignentur, cur ex liturgia CPolitana S. Leander aliqua in Hispanam transtulerit.

91 Postquam enim Virum hunc a sua legatione CPolitana reversum Leovigildus Visigothorum rex, Catholicos acerbe persequi non cessans, in exsilium una cum aliis Catholicis episcopis relegarat; intimo deinde animi sensu dolens, quod proprium filium Hermenegildum capitis damnasset, sanctum Præsulem revocavit; filium ei suum natu minorem Recarredum educandum commisit, talibusque morum institutionibus informandum, quales perfidus ille ac ferox pater in suo Hermengildo probabat suspiciebatque. Quo factum est, ut Reccaredus, regni quidem paterni successor, sed non heres paternæ vesaniæ, acerrimus exstiterit orthodoxæ doctrinæ propugnator, et cum subditos suos, tum episcopos Gotho-Arianos exemplo et prudentia induxerit, ut fidem Catholicam amplecterentur. Gloriosa porro illa et plane illustris conversio summum accepit splendorem ex celeberrimo concilio Toletano tertio, anno Christi 589 convocato, quod D
habes apud Aguirrium a pag. 338. Inter alia vero quibus piissimus iste rex affatur patres congregatos, notare juvat ad nostrum propositum sequentia, quibus ostendit Ordinem liturgicum sibi admodum cordi fuisse.

Concilium Toletanum 3 statuit symbolum CPolitanum in Missa recitandum.
* *forte* quemque

92 *Prius tamen*, inquit, *admoneo pariter et exhortor, jejuniis vos et vigiliis atque orationibus operam dare, ut Ordo canonicus, quem a sacerdotalibus sensibus detraxerat longa ac diutina oblivio, quo * ætas nostra se nescire fatetur, divino nobis rursus dono patefiant.* Singulare omnino est, quod can. 2 *Pro reverentia sanctissimæ fidei, et propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi et gloriosissimi domini.. Reccaredi regis, sancta constituit synodus, ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Gallæciæ, secundum formam Orientalium ecclesiarum, concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta episcoporum, symbolum fidei recitetur; ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur: quo et fides vera manifestum testimonium habeat, et ad Christi corpus et sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.* Singulare, inquam, illud omnino est, quod hic circa symbolum statuitur: E

Id quod postea aliæ fecerunt ecclesiæ. S. Leander liturgiam illustravit.

93 Nam Cardinalis Bona lib. 2, cap. 8, num. 2, morem recitandi Symbolum, *Hispani*, inquit, *primi inter Latinos receperant*; ubi plura de symbolo ab aliis postmodum ecclesiis Occidentalibus recepto, addita invenies. Ceterum quidnam S. Leander in gratiam Officii ecclesiastici præstiterit, breviter exponit S. Isidorus De viris illustribus cap. 41, ita loquens: *In ecclesiasticis Officiis idem non parvo laboravit studio: in toto enim psalterio duplici editione orationes conscripsit. In sacrificio* quoque, laudibus atque *psalmis multa dulci sono composuit.* Quid autem, quale et quantum tum pro Officio ecclesiastico diurno (quod sub nomine *psalterii* hic dictum intelligimus cum Nicolao Antonio Bibl. Hisp. vet. lib. 4., cap. 4, propter majorem ejus partem psalmis insumptam) quid item, qaale et quantum pro divino Sacrificio elaborarit, in obscuro est. F
Porro quod nec ipse, nec frater ejus S. Isidorus auctores fuerint veteris liturgiæ Hispanico-Gothicæ, postmodum declarabitur.

Quid circa illam in concilio Narbonensi statutum sit.

94 Huc etiam spectat concilium Narbonense, eodem quo Toletanum tertium, anno 589, et sub eodem piissimo rege Reccaredo convocatum; cui regi et Hispania et Gallia Narbonensis tunc suberat, (de qua re consuli possunt notæ variorum apud Aguirrium a pag. 387) quamquam enim in ejusdem concilii canonibus agatur de disciplina ecclesiæ reformanda, nonnulla tamen ibidem notata reperio, quæ sunt instituti mei. *Hoc itaque que definitum est* canone secundo, *ut in psallendi ordinibus per quemque psalmum Gloria dicatur omnipotenti Deo: per majores vero psalmos, prout fuerint, prolixi us pausationes fiant, et per quamque pausationem Gloria Trinitatis Domino decantetur.* Canone autem XII dicitur: *Hæc maxime pro Dei timore et modo disciplinæ canonicæ, elegimus custodienda vel tenenda, ut, dum Missa celebratur, nullus presbyter aut diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altario audeat: nec diaconus aut subdiaconus, certe vel lector, antequam Missa consummetur, alba se præsumat exuere. Quod si quisquam* etc. Atque hæc quidem hactenus de sex primis Christi seculis. Inspiciamus seculum VII.

CAPUT III.

Acta circa res Liturgicas seculo VII.

§ I. *Multiplex earum notitia ex decretis concilii Toletani* IV.

Concilium hoc de rebus liturgicis optime meritum

Quod religiosissimus rex Reccaredus a congregatis synodi Toletanæ tertiæ patribus petierat, *admonens et exhortans* eos, *jejuniis et vigiliis* B *atque orationibus operam dare, ut ordo canonicus, quem a sacerdotalibus sensibus detraxerat longa ac diutina oblivio... divino illis rursus dono patefiant*; quodque exsecutioni circa restaurationem innovationemque sacræ liturgiæ sub Leandro mandari cœptum vidimus, id in plenissima forma exsecutioni mandatum videbimus in celeberrimo concilio Toletano IV; cui apud Eminentissimum Aguirrium tom. 2, pag. 478 præfigitur hic titulus : *Gesta synodalia in Toletana urbe, in concilio* LXII *episcoporum, Hispaniæ et Galliæ* (Narbonensis seu Gothicæ) *provinciarum, edita anno tertio regnante gloriosissimo domino nostro principe Sisenando, die* IX* *Decembris, æra* DCLXXI *, id est anno Christi 633. Etenim quæ seculo v et VI ad illustrandum veteris liturgiæ Hispanicæ statum ac progressum ex obsoletæ antiquitatis crepera, ut ita loquar, luce coacervare conatus sum, meræ quodammodo videntur esse tenebræ, si cum clarissimis comparentur novæ lucis radiis, quos laudatum illud concilium rebus liturgicis affudit; adeo enim præscribit numero multa, genere singularia, certoque precum, rituum ac cæremoniarum forma, modo, ordine definita, ut operæ pretium sit atque in rem nostram apprime conducat, illa huc transcribere; unde discat C lector statum sacræ liturgiæ in Hispania seculo VII.

** Ita etiam apud Labbeum sed apud Harduin.* die nonas

** Vide notas apud Labb., Aguirr. et Harduin.*

præscribit omnimodam in eisæqualitatem,

96 Canon itaque secundus sic sancit : *Placuit, ut omnes sacerdotes... nihil ultra diversum aut dissonum in ecclesiasticis Sacramentis agamus... Unus igitur ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conservetur; unus modus in Missarum solennitatibus; unus in Vespertinis Matutinisque officiis : nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur et regno : hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia et psallendi et ministrandi parem consuetudinem contineat.* Quod hic dicitur de antiquis canonibus; declaratur exemplis apud Aguirrium in notis variorum pag. 495. Hoc itaque præjacto ad urgendam æquabilem et uniformem in omnibus ubique sacerdotibus observationem eorum, quæ circa officium ecclesiasticum præscribentur, fundamento; pergit synodus ad singularia quædam, quæ vel jubet vel prohibet. Can. V urgetur uniformitas in celebrando Pascha : *Solet in Hispania de solennitate varietas existere prædicationis.... proinde placuit, ut ante tres menses Epiphaniorum metropolitani sacerdotes literis invicem se inquirant, ut communi sententia edocti, diem Resurrectionis Christi, et comprovincialibus suis insinuent, et uno tempore celebrandum annuntient.*

97 Canon VII jubet *celebrari Officium in feria sexta Paschæ*, seu hebdomadæ sanctæ. Textus sic habet : *Comperimus, quod per nonnullas ecclesias in die sextæ feriæ Passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec Passio Domini populis prædicatur : dum idem Salvator noster Apostolis suis præceperit, dicens* etc. *Ideo oportet eodem die mysterium crucis.. prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ* E *Resurrectionis, remissis iniquitatibus suscipere mereatur; corporisque ejus et sanguinis Sacramentum mundi a peccatis sumamus.* Cano VIII est *De non solvendo jejunio in sexta feria Paschæ, exceptis languidis, senibus, et parvulis*, uti ex hoc canonis titulo liquet; sub pœna in ipso canone expressa, ut *quicumque in eo jejunium.. ante peractas indulgentiæ preces resolverit, a Pachali gaudio repellatur; nec in eo Sacramentum corporis et sanguinis Domini percipiat.* Canon. IX agit *De benedicendo cereo et lucerna in vigiliis Paschæ*, ut iste ejusdem titulus satis indicat; ex ipso autem canonis textu intelligitur, quod hac in re fuerit defectus per Galliam Narbonensem, quando dicitur : *Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ in ecclesiis commendatur, dignum est, ut propter unitatem pacis, in Gallicanis ecclesiis conservetur.*

celebrationem Officii feria 6 Passionis, benedictionem cerei in vigilia Paschæ;

98 Canon X circa orationem Dominicam præscribit sequentia : *Nonnulli sacerdotes per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem... non quotidie, sed tantum die Dominica dicunt.* Et postquam varia protulisset canon pro quotidiana hujus orationis recitatione; concludit : *Ergo* F *sicut Christus præcepit, sicut Apostolus admonuit, et quemadmodum Doctores ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus; quotitie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergo sacerdotum vel subjacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico aut in privato officio præterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui honore multetur.* Quod Dominica oratio in sacrificio Missæ publico vel privato dicenda sit, Christus docuit, auctore S. Hieronymo lib. 3 Adversus Pelagianos; *Sic docuit*, inquit, *Christus Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui : Pater noster, qui es in cœlis.* S. Gregorii verba habes superius num. 43. Hæc, et plura ex Loaisa dat Aguirrius inter notas variorum pag. 498. Quod vero per privatum Officium, a publico hic distinctum intelligi debeat privata recitatio Horarum canonicarum (cui frequens intertexitur oratio Dominica) non autem celebratio Missæ, apud Aguirrium invenies inter notas citatas, eadem pagina 498.

quotidianam orationis Dominicæ recitationem;

99 Canon

Sec. VII. item non canendum Alleluia in Quadragesima:

99 Canon XI prohibet cani *Alleluia* in Quadragesima, his verbis : *Item cognovimus, quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in Quadragesimæ diebus Alleluia decantant, præter in ultima hebdomada Paschæ : quod deinceps interdicimus fieri, statuentes, ut in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus, quia tempus est non gaudii, sed mœroris, Alleluia non decantetur... quousque veniat tempus Resurrectionis Christi, quando oportet Alleluia in lætitia canere... In temporibus quoque reliquis, id est, Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluia non decantetur. In quibus etiam præter piscem et olus, sicut in aliis quadraginta diebus, a ceteris carnibus abstinetur, et a quibusdam nec vinum bibitur. Si quis igitur episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium suum huic constitutioni existimet præferendum, ordinis sui officio carere cogatur, et a communione ejusdem Paschæ privetur.*

B

circa quam vocem nonnulla notantur.

100 S. Isidorus Hispalensis Etymologiarum lib. 6, cap. 19, *Alleluia*, ait, *duum verborum interpretatio est, hoc est, laus Dei : et est Hebræum. Ia enim unum est de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur*. Præsentis vero canonis constitutio confirmari potest ex eodem S. Isidoro lib. I. De ecclesiast. officiis cap. 13, ubi hæc scribit : *Laudes, hoc est, Alleluia canere, antiquam est Hebræorum... Apud nos secundum antiquum Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum vel Quadragesimæ, omni tempore canitur Alleluia.* Plura dantur apud Aguirrium pag. 498 de hujus vocis usu et significatione.

Vetat idem concilium,

101 Canon XII ita statuit : *In quibusdam quoque Hispaniarum ecclesiis Laudes post Apostolum decantantur, priusquam Euangelium prædicetur: dum canones præcipiunt, post Apostolum non Laudes sed Euangelium annuntiari... Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur: excommunicationis pœnam suscepturi, qui hunc ordinem perturbaverint.* Sed canon ille, quid sibi velit, dilucidius intelligi poterit ex iis, quæ Cardinalis Bona curiose circa illum observat lib. 2, cap. 6, num 4 : *Putat*, inquit, *Berna Augiensis cap. I, tempore hujus concilii gradualia frequentari cœpisse, et Hispanos novitate rei perculsos*

C

restitisse ; postea vero Romanæ Ecclesiæ auctoritate constitutum fuisse, ut Responsoria et Alleluia ante sanctum Evangelium canerentur : idque ait Walfridus Strabo cap. 22, usu Romano commendatum, ad omnes deinde Latinorum ecclesias pervenisse. Sic omnes fere ignorantia facti hunc nodum evadunt, sed non solvunt. Ad ritum enim Mozarabicum, quo tunc (nondum tamen tum temporis sub ista nomenclatione cognito) *Hispania utebatur, et longo post tempore ibidem viguit* (prout suo loco dicetur) *pertinet citatus canon.*

ne Laudes ante Euangelium canantur :

102 *Quem ritum cum quidam sacerdotes perverterent, merito in illos Toletani concilii antistites, Isidoro Hispalensi in eo præsidente, animadverterunt. Sunt autem Laudes, quæ post Euangelium prisco more Hispaniarum dicuntur ; non hymnus trium Puerorum, ut ait in notis ad præcitatum canonem Garsias Loaisa ; sed versiculus cum Alleluia ei prorsus similis, qui ritu Romano post Responsorium cantatur. Ipsum vero Responsorium cantabant Hispani post lectionem veteris Testamenti, quæ in eorum Missali epistolæ permittitur. At post epistolam chorus respondet, Amen, et sequitur immediate Euangelium.* Vide Missæ Mozarabicæ ideam, ac cæremoniarum ejus descriptionem, infra cap. 9. Pergamus jam ad canonem XIII sæpe memorati concilii, in quo restituitur usus hymnorum ; restituitur, inquam ; nam, ex supra allato canone XXII Synodi Bracarensis I, *placuit ut extra psalmos, vel canonicarum Scripturarum novi et veteris Testamenti, nihil poetice compositum in ecclesia psallatur, sicut et sancti præcipiunt canones,* usus hymnorum erat sublatus. His itaque verbis concilium Toletanum IV circa usum hymnorum mentem suam declarat :

D

usum hymnorum restituit.

103 *De hymnis etiam canendis, et Salvatoris et Apostolorum habemus exemplum... Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt ; quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sanctorum canonum vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergo et illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque Officio in fine omnium psalmorum dicimus : Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto in secula seculorum. Amen. Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo angeli cecinerunt : « Gloria in excelsis Deo, et in terra « pax hominibus bonæ voluntatis » Reliqua quæ ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec idem in ecclesiis canendus est, quia in Scripturarum sanctarum libris non invenitur. Componuntur ergo hymni, sicut componuntur Missæ, sive preces vel orationes, sive commendationes, seu manus impositiones : ex quibus si nulla dicantur in Ecclesia, vacant Officia omnia ecclesiastica... Sicut igitur orationes ; ita hymnos, in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet ; sed pari modo Gallia Hispaniaque celebret ; excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerint ausi.* De antiquitate hymnorum varia congeruntur in notis variorum apud Aguirrium pag. 499 ; ubi etiam agitur de eorum auctoribus.

E

§ II. *Aliæ ex decretis ejusdem Concilii Toletani* IV *notitiæ.*

F

Præscribitur usus hymni Trium puerorum, et clausula psalmorum,

Canon XIV sequentis est argumenti : *Hymnum quoque trium Puerorum, in quo universa cœli terræque creatura Dominum collaudat, et quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, et in solennitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde hoc sanctum concilium instituit, ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galliæ, in omnium Missarum solennitate idem in pulpito decantetur : communionem amissuri, qui et antiquam hujus humni consuetudinem, nostramque diffinitionem excesserint.* Unde pronum est intelligere, quod recte Cardinalis Bona, paullo ante assignatus, dixerit contra Garsiam Loaisam, *Laudes* non esse *hymnum trium puerorum.* At quod attinet ad istud Canticum seu hymnum ; consule dicenda inferius cap. 10, § 2. Canon XIV jubet, ut *in fine psalmorum non, sicut a quibusdam huc usque, Gloria Patri ; sed Gloria et honor Patri dicatur... Universis igitur ecclesiasticis hanc observantiam damus, quam quisquis præterierit, communionis jacturam habebit.* De versu illo *Gloria*

ria Patri, et Filio etc. nonnulla ponuntur inter notavariorum apud Aguirrium pag. 499 ex Loaisa. De illo item versu tractat Cardinalis Bona lib. 2, cap. 3, num. 2; qui, ipso teste, ab antiquis Patribus *hymnus glorificationis* dictus est. Consilio S. Hieronymi in Ecclesia Latina additum finibus Psalmorum a S. Damaso, refert ipse Hieronymus in epistola ad istum Pontificem data. *Et hic mos Romanus prævaluit in Ecclesia; et ita non* GLORIA *et* HONOR, *sed* GLORIA PATRI *dicitur,* ut legere est inter citatas modo notas apud Aguirrium. Sequitur in nostra synodo.

item Gloria in fine Responsoriorum, et liber Apocalypseos:

105 Canon XVI: *Sunt quidam, qui in fine Responsoriorum* GLORIA *non dicunt, propter quod interdum inconvenienter consonat. Sed hæc est discretio, ut in lætis sequatur* GLORIA, *in tristioribus repetatur principium.* Canon XVII: *Apocalypsim librum multorum conciliorum auctoritas, et synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta, Joannis Euangelistæ esse præscribunt, et inter divinos libros recipiendum, atque in Ecclesia Dei prædicare contendunt. Si quis eum deinceps, aut non receperit, aut a Pascha usque ad Pentecosten, Missarum tempore in Ecclesia non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit.*

et quædam alia.

106 Canon XVIII. *Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, et postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur, et tunc demum corporis et sanguinis Domini Sacramentum sumatur; eo videlicet ordine, ut sacerdos et levita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.* Canon XXVI mandat, ut *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a sacerdote suo accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant; ne per ignorantiam etiam divinis Sacramentis offendant.* In notis ad concilium IV Toletanum apud Garsiam Loaisiam a pag. 370 circa *libellum,* prout hic vocatur, *officialem,* paucula ista observantur: *Sacramentorum manuale nunc,* inquit, *appellatur: et in eo etiam decreta Patrum de Sacramentorum usu, et ritibus contineri apparet ex concil. Magunt. cap. 22; ubi de libro Officiorum fit mentio, et duæ regulæ ex eo de clericis vagis adducuntur. Concilio Toletano octavo vocatur supplementum*; uti constat ex ejus canone VIII.

Quisnam fuerit præcipuus dicti concilii scopus.

107 Atque hæc quidem sunt, quæ de libris ac legibus circa officium sacrum a celeberrimo isto concilio tradita accepimus: in quo nullus de novo Officio aut æconomia nova liturgica concinnandis; nullus de novo codice aut libris introducendis conficiendisve occurrit sermo: sed illud unice concilium præ oculis habet, illud urget, illud inculcat, prout constat ex disertissimis ipsius verbis can. 2; ut nulla posthac in provinciis Gothorum per Hispaniam et Galliam Narbonensem liturgiæ ac ministeriorum sacrorum sit diversitas; sed *unus ordo, unus modus, par consuetudo.*

Termini provinciæ Narbonensis, tempore Gothorum

108 Quæ autem de Gallia Narbonensi per decursum dixi, modice illustranda censeo ex Cardinale Aguirrio in notis ad concilium Narbonense a pag. 387: *Porro,* inquit, *termini Narbonensis metropoleos, sicut et aliarum intra dominia regum Hispaniæ Gotthorum, descripti inveniuntur tempore Wambæ sive Wambanis.., in continuatione S. Ildephonsi Toletani ad Chronicon S. Isidori apud Lucam epicopum Tudensem.* Textum, seu fragmentum ex Aguirrio sic transcribo: *Divisio autem sedium Narbonensis metropolis hæc est. Beterris teneat de Scalath usque Barcinonam, de Macay usque Ribofora. Agathe teneat de Rusa usque Riberam, de Gallar usque Nurlam. Magalona teneat de Nurla usque Ribogar, de Castello usque Sambiam [Nemauso hæc teneat: de Busa usque Angoram, de Castello usque Sambiam] Lateva teneat de Sambia usque Ribanal, de Anges usque Montem-rufum. Carcassona teneat de Monterufo usque Angeram, de Angosa usque Rosmrlam *, de Latorsa * usque Lamasam *. Hæ sunt octo sedes immediate subditæ archiepiscopo Narbonensi provinciæ Galliæ, vel Hispaniæ, quæ citerior dicitur. Et fiunt sedes harum duarum Hispaniarum octoginta sub dominio Gotthorum, tam archiepiscopales quam episcopales, per quas nobis ministratur verbum Dei, qui a Romano Papa accipiunt communitatem Catholicæ veritatis, ut in fide Christi secundum traditionem et doctrinam sanctorum Patrum, animas sibi commissas valeant gubernare. Hæc igitur nostra divisio, quæ de assensu omnium archiepiscoporum et episcoporum dictarum sedium auctore Deo facta est, firma permaneat in æternum. Hæc omnia suprascripta legit gloriosus rex Wamba in concilio Toletano: ubi omnes archiepiscopi et episcopi Hispaniarum convenerunt, Quirico Toletano archiepiscopo, et primatiæ dignitate et fide Catholica consistente.* Ita ibi. Quæ uncinis inclusi, uti variantes lectiones ad marginem notatas, desumpsi ex editione Labbeana tom. 5, col. 883; ubi plures invenies.

* Rosinolam. * Laterosa. * Lamusam.

ex codice antiquissimo.

109 Subdit vero laudatus et sæpius laudandus Cardinalis Aguirrius; *Concilii autem hujus manuscriptum exemplar antiquissimum, simul et aliorum Hispaniæ celebratorum intra primam Chiliadem annorum Christianam, desumptum fuit ex chartulario regii venerandi monasterii S. Æmiliani in Castella-veteri* (*in quo ad sacrum,* inquit, *D. Benedicti ordinem miseratione divina admissus fui*) *unde Philippus II Hispaniarum Catholicus rex illud transtulit in bibliothecam exquisitam S. Laurentii in Scoriali; sicuti et plurima alia sacra antiquitatis monumenta ex eodem aliisque monasteriis et tabulariis ecclesiarum, ubi multis seculis delituerant.* Hactenus Aguirrius. Videsis dicta superius num. 9.

An illa divisio F

110 Concilium vero, supra designatum, esse *Toletanum* XI, *novemdecim episcoporum,* uti in ejus titulo prænotatur apud Aguirrium pag. 660. *in quo sedium episcopalium divisio facta est, anno* IV *Wambani * regis,* VII *Idus Novembris, anno Redemptoris nostri* DCLXXV, *tempore Adeodati PP.*, tenet idem Aguirrius contra Baronium, sicut videre est inter istius conciliographi notas variorum pag. 668; qui mox, *sub Wambane,* inquit, *rege nullum aliud præcedens concilium in Hispania fuisse, in quo divisio sedium fieret, videtur palam constare ex prologo hujus synodi sub initium; in quo testantur, et dolent Patres octodecim annos fuisse transactos sine concilio ullo, indeque ortam fuisse tantam disciplinæ ac morum aelaxationem in clero et populo etc. Cum igitur annus hujus concilii fuerit quartus Wambanis* (*alias Wambæ*) *regis; plane evincitur, nec totis iis quatuor annis, nec aliis quatuordecim præcedentibus, fuisse aliud concilium generale in Hispania, immo nec provinciale, in quo eadem sedium divisio fieret.*

* Bambæ

111 Quæ enimvero Aguirrii rationes rem hic controversam,

Sec. VII. sub rege Wambano facta sit.

controversam, ut mea quidem fert sententia, plene planeque evincerent, per hoc unum ni staret, quod ad istud concilium dicuntur *omnes archiepiscopi et episcopi Hispaniarum convenisse;* cui tamen post Quiricum episcopum metropolitanum, sedecim tantum subscribunt episcopi; ac duo deinde vicarii episcoporum; nonnulli denique abbates. Qui nodus ne tricis a meo instituto prorsus alienis me implicet; viderint de eo eruditi Hispani, quorum intererit. Porro breviter his videtur addendum non abs re, quando cœperit, ac quamdiu perrexerit Gallia Narbonensis spectare ad dominium Visigothorum; quamdiu item deinde gemuerit sub jugo Saracenorum.

112 Noster Jacobus Sirmondus apud Labbeum Conciliorum tom. 5, col. 1031 sic notat: *Ejecti e Gallia Gothi a Clodoveo rege, compulsique in Hispaniam, provinciæ Narbonensis oram maritimam, quæ ipsis olim a Romanis concessa fuerat, et Gothia postea de eorum nomine dicta est, in potestate sua retinuerunt; quoad tandem Caroli Martelli armis recepta, Francorum regno adscita*
B *est.* De Visigothis una cum suo rege Alarico debellatis a Clodoveo, agit Cointius ad annum 507. Rem vero gestam de adjecta Francorum regno provincia Narbonensi a Carolo Martello, nescio unde hauserit Sirmondus; cum nullum auctorem citet. Cointius certe ex verbis, quæ profert, Annalistæ Metensis, id contigisse probat anno 755, sub Pippino rege; qui, uti notum est, fuit Caroli Martelli filius. Eumdem annum signat Pagius; *licet vetus,* inquit, *Chronicon, de quo mox, hæc ad annum* DCCLIX *referat.* At nunc resumpto liturgicarum rerum filo, dispiciamus, quousque S. Isidorus, archiepiscopus Hispalensis, de illis fuerit meritus.

§ III. *S. Isidorus, archiepiscopus Hispalensis, de Officio Gothico-Hispano optime meritus; an novi fuerit conditor.*

Sanctus iste laudatissimus

C Nemo sane est, qui dubitare possit, quin S. Isidorus optime mereri potuerit de rebus liturgicis, si raras sapientissimi viri dotes norit, pari eruditionis et sanctitatis nexu conjunctas, Acta ipsius illustrata sunt apud nos die IV Aprilis: ubi pag. 329 proferuntur excellentis ejus doctrinæ testimonia. Breve est illud concilii Toletani VIII, anno 653, post sancti obitum XVII, habiti: *Nostri quoque seculi doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, et, quod majus est, in seculorum fine doctissimus, atque cum reverentia nominandus Isidorus.* Fuit itaque tum in aliis scientiis versatissimus, uti ex libris ejus constat, tum in Officiis ecclesiasticis instructissimus, sicut liquet ex iis, quæ super isto argumento erudite conscripsit. Omnia igitur in eo ita erant comparata, ut ipse, si quis alius in toto Hispaniæ regno, lucem longe maximam mysteriis liturgiæ reconditis et arcanis affundere posset. At quod in hoc genere potuit efficere, effectum re ipsa dedit in concilio Toletano IV; cui quoniam tanta cum laude, tantaque cum gratia præsedit, minime aberravero a vero, si a tanto præside, seu viva potius ejusdem concilii voce et oraculo, profluxisse dixero, vel omnes vel plerosque saltem circa œconomiam liturgicam canones, in isto concilio præscriptos, et a me superius recensitos: cui enim melius et verosimilius canones isti attribui possint? D

114 Quidquid sit; adeo magnam rebus ibi gestis sanctus Doctor sui apud auctores concitavit æstimationem circa Officium ecclesiasticum, ut crediderint ac tradiderint, novum ab illo tunc temporis conditum fuisse. Baronius ad annum 633, quo concilium illud celebratum dixi: *Fuit* inquit, *sententia plurimorum, cui volens lubensque subscribo, in hoc concilio a patribus injunctum S. Isidoro, rerum ecclesiasticarum peritia et scientia ceteris excellenti, ut ex præscripto sacri concilii volumina elucubraret ecclesiasticorum Officiorum, quibus tum in sacris Missis, tum in Horis psallendis canonicis nocturnis atque diurnis uti deberent omnes Hispaniarum ecclesiæ. Quod quidem ab eo quam felicissime præstitum est, ita ut et Missale, atque Breviarium ederet.* Longior essem, si producerem auctores Hispanos, et ex eorum verbis conficerem, quidnam et quantum in hoc, quo de agitur, argumento tribuant S. Isidoro: neque enim eodem modo loquuntur omnes; et sunt qui ipsi adjungunt præterea S. Leandrum; quem alii dicunt, E auctorem fuisse Officii sacri. Quæ videri poterunt apud scriptores, quos assigno; videlicet nostrum Joannem Marianam De rebus Hisp. lib. 6, cap. 5; Franciscum de Padilla Historiæ eccl. Hispan. centuria 1, cap. 10, et centuria 7, cap. 20; Vasæum ad annum 717; Ambrosium Moralem lib. 11, cap. 19; Alvarum Gomecium De rebus gestis Cardinalis Ximenii lib. 2, pag. 969; Marchionem Mondexarensem fol. 136; quibus addi potest observatio ad concilia celebrata in Hispania citeriore apud Labbeum tom. 9, col. 1198. Verba producam inferius alia opportunitate. Nunc juverit rem alibi expositam audire.

creditus est a variis auctoribus

115 Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana veteri lib. 5, cap. 4, pag. 269 S. Isidori opera recensens, *Tribuitur ei quoque,* inquit, *Missale et Breviarium, quibus ecclesiæ Hispaniarum... usæ fuere ex concilii Toletani* IV *decreto illo (ut creditur) quod canon secundus continet:* DE UNO ORDINE etc. *Cum enim hæresis Arianorum non potuisset non ordinem omnem rectum in ecclesiastica disciplina observandum, turbare, varietatemque, erroris sequelam, ubique inducere; nihil magis curandum fuit Catholicis præsulibus, quam sacrum omnem ritum, et cæremonias, tum* F *fidei rectæ conformes, tum universis Gotthicæ ditionis, tam in Hispania quam in Gallia provinciis uniformiter observandas præscribere. In quo vix dubitari potest, quin Leander, dum vixit, Arianismi exturbator, muneri suo satisfecerit. Sed cum Isidorianum communiter hocce audiat Missalis et Breviarii Gotthici Officium; denegare non possumus Isidoro nostro præcipuum aliquem hujus fabricæ, doctissimæque atque gravissimæ, simul et piissimæ compositionis honorem et laudem.* Id quod laudatus auctor confirmat ex Guitmundo et Elipando; de quibus dicam paullo post. Deinde ita pergit:

novam condidisse liturgiam:

116 *Quamquam, ut verum fatear, nollem ex concilii decreto isto... factum admittere... ne... haud exigui laboris et contentionis opus intra sic breve tempus, quod a celebrato concilio usque ad sancti Præsulis intercessit obitum, necessario restringamus. Vero etenim mihi similius est, pridem jam eum, post antiquiorem aliorum operam, incubuisse*

An et quo usque

A *isse huic rei conficiendæ, cum concilium celebraretur; sive in usum jam tempore concilii hunc ritum venisse Isidorianum; eo autem direxisse sanctionem suam Toletanos Patres, ut per universam Gotthici nominis ditionem, eumdem* ORANDI ORDINEM ATQUE PSALLENDI; *(Breviarium indicatur) eumdem* IN MISSARUM SOLENNITATIBUS MODUM *(Missalis significatur liber) observari præciperent. Nisi enim jam promulgatus, aut in usu esset ritus aliquis approbatus, quo uti deberent sacri homines, frustra fuisset de evitanda diversitate, atque ex ea scandalo, legem dicere*. Deinde nonnullis interjectis, quæ difficultatem movent, quo minus confectio hic agitata S. Isidoro tamquam auctori conveniat, mentem suam ita præsenti quæstioni attemperat, ut mediam quamdam sententiæ viam tenens, nec totum illud negotium ipsi arroget, nec totum etiam abroget, sed partim concedat, partim neget; id quod his verbis exprimit :

id dici possit, 117 *Quæ omnia sane cum judicio excogitata, quantumcumque solidam incepti et absoluti Officii laudem Isidoro nostro denegent; Isidorianum vulgo datum iis libris, et ab ultima antiquitate derivatum nomen, id saltem conficere apud omnes* B *recta ratione utentes debet, ut inter alios huic negotio deditos non ultima Isidori laus habeatur*. Sed præterquam quod illud proprie non disputatur; satis etiam insuper hoc convenit cum dictis meis sub exordium hujus paragraphi, ubi, quid in hoc genere tribuendum S. Isidoro censerem, non obscure exposui. At plus nonnulli exigunt scriptores, non illi dumtaxat, qui nullam sibi ex antiquitate auctoritatem conciliare possint, sed alii præterea satis antiqui. Guitmundus, Aversanus in Italia episcopus, qui floruit seculo XI, et de quo Ughellus inter istius cathedræ episcopos tom. I Italiæ sacræ, col. 488 novissimæ editionis; Guitmundus, inquam, ille De corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia lib. 3 (qui habetur in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis, anni 1618, tom. XI) pag. 369 hæc profatur : *In quodam Missali Hispano, quod dicunt sanctum dictasse Isidorum, in hebdomada ante Pascha, in quadam Missa sic inveni* etc. Inter opera Alcuini seu Albini, qui Caroli Magni magister exstitit, ac exeunte seculo VIII claruit, habetur epistola Elipandi Toletani epi- C scopi ad ipsum Alcuinum data; in qua sic dicit col. 917, editionis dictorum operum Parisinæ, quæ anno 1617 typis excusa notatur : *Nam et ipsi canimus in vigilia Paschæ, beato Isidoro dicente: Induit carnem, sed non exuit majestatem : nostram substantiam expetens, sed propriam non relinquens*.

variis rationibus 118 Audisti, quidnam in præsenti controversia pro S. Isidoro dici possit; nunc autem, quænam contra faciant rationes, intellige ex Eminentissimo Cardinale Bona lib. I, cap. XI; ubi postquam retulisset Baronium, nec non librorum, hæc Officia continentium, inscriptionem, quæ assertionem Baronianam confirmat, soletque esse talis : *Officium Gothicum sive mixtum, secundum regulam S. Isidori, dictum Mozarabes*; statim hæc proponit incommoda, his verbis usus : *Mihi autem* ait, *ne huic sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem : nam primo in Missa S. Martini in oratione* POST NOMINA, *hæc verba leguntur* : HUNC VIRUM, QUEM ÆTATIS NOSTRÆ TEMPORA PROTULERUNT, JUBEAS AUXILIUM NOSTRIS FERRE TEMPORIBUS. *Martinus autem obiit anno Domini* CCCII, *et primus ex confessoribus*

Julii Tomus VI.

paulo post obitum publico cultu cœpit honorari. Ergo multo ante Isidorum hæc Missa scripta fuit. Deinde si Isidorus hujus Officii auctor fuit, cur nec Braulio Cæsaraugustanus, nec Ildefonsus Toletanus, viri sancti et Isidoro familiares, ille in elogio ipsius Isidori; hic in libro De scriptoribus ecclesiasticis, nullam operis adeo excellentis mentionem faciunt? *sec. VII.*

119 *His accedit, quod concilium* IV *Toletanum aliquot hujus Officii ritus canone* XI, *et sequentibus tamquam jam antea usitatos commemorat; et tertium item Toletanum annis* XLIV *ante quartum, can. 2 statuit in singulis ecclesiis Symbolum recitari, priusquam dicatur oratio Dominicalis, qui mos est peculiaris Missæ Mozarabicæ. Ipse quoque Isidorus libro De Scriptoribus ecclesiasticis, Leandri fratris sui, et in sede Hispalensi antecessoris, scripta recensens, testatur, ipsum in ecclesiasticis Officiis non parvo studio laborasse, et in Sacrificii laudibus atque Psalmis multa dulcisone, composuisse. Joannes Mariana lib.* VI *De rebus Hispaniæ cap.* V, *usum inquit obtinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum invenisse. Quod si Leander dumtaxat invenit, crediderim hoc Officium concilio* III *Toletano,* E *cui Leander interfuit, antiquius esse, et seculo* V *jam in usu fuisse, ut ex Missa S. Martini modo ostendimus; sed de primo auctore non constare; ab ipso tamen Leandro illustratum, ab Isidoro auctum, ab aliis progressu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonso, cujus opera Julianus Toletanus in Appendice ad librum ejus de Scriptoribus ecclesiasticis in quatuor partes divisit, et tertiam fuisse ait Missarum, hymnorum atque sermonum.* *in utramque partem*

120 *Ipse item Julianus, qui diem clausit extremum æra Hispanica* DCCXXVIII, *anno scilicet Christi* DCXC, *scripsisse dicitur, ut in eadem appendice Felix episcopus refert « librum Missarum de « toto circulo anni in quatuor partes divisum, in « quibus aliqua vetustatis incuria vitiatas ac se- « miplenas emendavit, atque complevit, aliquas « vero ex toto composuit. Item librum orationum « de festivitatibus, quas Toletana ecclesia per to- « tum circulum anni est solita celebrare, partim « stylo sui ingenii depromptum, partim etiam « inolita antiquitate vitiatum, studiose correctum, « in unum congessit, atque Ecclesiæ Dei usibus ob « amorem reliquit sanctæ religionis » Petrus quo-* F *que Ilerdensis episcopus orationes et Missas edidit eleganti sermone, diversis solemnitatibus congruentes. Et Salvus abbas Abaildensis monasterii, Missas etiam et orationes atque hymnos composuisse dicitur, plurimam cordis compunctionem legentibus et audientibus tribuentes.* *prolatis*

121 Atque hæc sunt, quæ iste Cardinalis, rerum liturgicarum scientissimus, circa præsentem controversiam congerit argumenta, quæ laudato Nicolao Antonio tam nervosa et solida sunt visa, ut non tantum ea *cum judicio excogitata* candide, ut vidimus, et aperte profiteatur, sed etiam nihil opponat, quo eorum vim elidat. Hinc illam subjunxit iis clausulam, quo novam ab Isidoro non esse confectam liturgiam tacite admittit, prout conficitur ex ejus verbis superius productis. Ad argumentum vero, quod desumit Cardinalis Bona ex Addimentis, quæ per viros, S. Isidorum subsecutos, sacræ liturgiæ sint adjecta, satis apte respondet Antonius, sic dicens : *Quod autem post præscriptum semel ordinem sacramentorum, orandi atque psallendi, nec non et Missarum, et quotidianarum precum per* *examinatur:*

5 Horas

SEC VII.

Horas recitandarum ex concilio sanctionem, adhuc sancti doctique antistites formandis orationibus atque Missis vacarent,...ita interpretari possumus, ut id ipsum, quod nunc solet, eo tempore acciderit. Romana enim hodierna Ecclesia nihil turbato in substantialibus regulis ordine, tandem a B. (nunc sancto) *Pio V, sanctissimo Pontifice stabilito, plures Missas Officiaque integra, aut eorum partes, pro diversis ecclesiis, aut pro universo fidelium cœtu, frequenter, postquam approbata sunt, vel permittit recitare, vel præcipit.* Ad rationem itaque Eminentissimi Cardinalis ab amplificatoribus liturgiæ Hispanicæ desumptum ita respondet Antonius, sed ad alias non item; ob quas magis ad verum mihi accedere apparet illa sententia, quæ novi liturgici Ordinis confectionem S. Isidoro abjudicat.

sed non videtur novam liturgiam Sanctus iste concinnasse.

122 In eadem quoque sententia fuit Eminentissimus Aguirrius; id quod tom. 1, pag. 143 agens de decretis concilii IV Toletani, scribit; *Ex illa orta fuisse creditur ordinatio illius antiquissimi Missalis et Breviarii juxta ritum Gotthicum, quod Isidorianum appellari solet, denominatione sumpta a S. Isidoro, qui eidem synodo præfuit, et illud ordinandum curavit meliori forma : licet jam antea illud ipsum fere in aliis et aliis Hispaniæ ecclesiis cum varietate aliqua receptum et vulgatum fuisset a tempore discipulorum S. Jacobi, aut circiter, ut late probat D. Marchio Mondexarensis cap.* XXIV; ubi tamen fatetur, definire se non posse in individuo formam, quam habuerit ista Missa in suis principiis, deficientibus monumentis istorum seculorum, quæ illud evincant. Atque hæc quidem valde conformia sunt sententiæ circa obscuritatem liturgiæ Hispanicæ primis seculis a me superius propositæ. Argumentum, quod supra depromitur ex Elipando, parum aut nihil probat : nam reponi potest, quod ita locutus sit, ut majorem, apponendo nomen S. Isidori, illis verbis auctoritatem sibi conciliaret; sciebat enim nomen illud Alcuino, ad quem scribebat, debere esse venerabile præ reliquis Patribus Toleti cum illo congregatis : et tamen in eadem illa epistola paullo ante sic præmiserat Elipandus : *Iterum testimonia sanctorum Patrum venerabilium Toleto deservientium in Missarum oraculis edita sic dicunt*, etc.

Quid dicendum ad varias objectiones

123 Hic itaque Missas tribuit Patribus Toletanis, illic S. Isidoro aliquid tribuit, quod canebatur in vigilia Paschæ, non eodem modo locutus. Sed fac sanctum vere ista verba tunc cantanda præscripsisse : an inde extundes novam liturgiam ab illo compositam fuisse? Ad Guitmundum superius objectum respondeo; vix aliquid confici inde posse contra sententiam Cardinalis Bonæ : nam per τό *dicunt*, intelligitur quidem quod tunc temporis fama fuerit, quod Missale aliquod S. Isidorus dictasset; sed ne id, quod tunc dicebatur, reipsa antea contigerit, videntur suadere argumenta in contrarium proposita. Adde, quod Guitmundus nimium remotus fuerit a temporibus S. Isidori, quam ut per suum *dicunt* fidem certam facere possit. Vide laudatum comitem Mondexarensem fol. 136 verso; ubi observat, hactenus non esse repertum testimonium, invasioni Maurorum in Hispaniam prævium, quo persuaderi secure possit communis ista opinio, quæ credit S. Isidorum Officii auctorem exstitisse; quam sententiam et ipse rejicit fol. 138. Jam vero quia argumentum e Missa S. Martini Turonensis depromptum maxime incommodat opinioni contrariæ, addi hic possent nonnulla de tempore, quo Missa ista composita fuerit, uti et de aliis quibusdam circumstantiis; sed cum alibi sese sit oblaturus de illis rebus dicendi locus, lectorem eo remitto; dum interea temporis quædam specimina delibo ex S. Isidoro, unde planum fiat, qualis hoc seculo septimo viguerit Ordo sacrorum mysteriorum, saltem quod ad eorum orationes spectat; et confirmetur sententia, quæ novam liturgiæ pro Hispania confectionem isti Sancto abjudicat.

§ IV. *Orationes in sacrificio Missæ tempore S. Isidori; nonnulla circa liturgiam sacram ex variis Hispaniæ conciliis eruta.*

S. Isidorus orationes Missæ

S. Isidorus De Officiis ecclesiasticis lib. I, cap. 15 agit de Missa et orationibus, ac definit quot, quales, et quem in finem illæ tunc adhibitæ fuerint, *Prima*, inquit, *oratio ammonitionis est erga populum, ut excitetur ad impetrandum Deum, Secunda invocationis adest, ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus sive pro defunctis fidelibus, ut per idem sacrificium veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento corporis et sanguinis Christi consocientur. Quia non recipit dissensionem cujusquam, Christi indivisibile corpus. Quinta insertur illatio in sanctificatione oblationis ; in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumque cœlestium universitas provocatur, et Osanna in excelsis cantatur : quod Salvatore de genere David nascente, salus mundi usque ad excelsa pervenerit. Porro exhinc sexta succedit confirmatio Sacramenti : ut oblatio, quæ Domino offertur, sanctificata per Spiritum sanctum, corpori Christi et sanguini confirmetur. Harum ultima est oratio, quam Dominus noster orare discipulos suos instituit, dicens : Pater noster, qui es in cœlis ;*

suo tempore usitatas commemorat;

125 In cujus orationis petitiones postquam breviter esset commentatus S. Isidorus, mox ita concludit : *Hæ sunt itaque septem Sacrificii orationes, commendatæ Apostolica evangelicaque doctrina : cujus numeri ratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ Ecclesiæ universitatem, vel propter septiformem gratiæ spiritum, cujus dono ea, quæ offeruntur, sanctificantur.* De symbolo Nicæno sanctus idem Hispalensis Præsul tractat cap. 16 : *Symbolum*, inquit, *quod tempore Sacrificii populo prædicatur, sanctorum Patrum trecentorum decem et octo collatione apud synodum Nicænam est editum ; cujus veræ fidei regula tantis doctrinæ mysteriis præcellit, ut de omni parte fideli loquatur, nullaque pene sit hæresis ; cui per singula verba vel sententias non respondeat. Omnes enim errorum impietates, perfidiæque blasphemias calcat, et per hoc universis ecclesiis pari confessione a populo proclamatur.*

hodiernus tamen Missæ Mozarabicæ ordo diversus est.

126 Capite 17 agit *De Benedictione in populo* ; sed nihil inde excerpo; quia solam continet analogiam benedictionis a Moyse datæ in antiqua lege. *Diversum esse Mixtarabici Missalis*, inquit Nicolaus Antonius pag. 269, *quod idem*

SEC VII

A *idem vulgo cum Isidoriano creditur, Ordinem ab eo, quem libro* I *De eccles. Offic. cap.* XV *Isidorus servari tempore suo apud universum orbem prodidit. Quod tum Jacobus Pamelius, indicatis iis, in quibus differrent, partibus, in Latinis suis liturgiis tom.* I *pag.* 642 ; *tum Joannes Grialius in notis ad istud Isidori testimonium, annotaverunt.* At de Missa Mozarabica suo loco recurret sermo. Sed nunc tempus monet, ut controversiæ satis superque hic agitatæ finis imponatur, et dispiciatur, quidam per decursum hujus seculi VII in re liturgica gestum fuerit.

Varia alia congeruntur

127 In concilio Toletano V, quod celebratum notatur apud Aguirrium anno Christi 636, canone I decernitur, *ut a die Iduum Decembrium Litaniæ triduo usque annua successione peragantur : quod si dies Dominica intercesserit, in sequenti hebdomada celebrentur.* In concilio Toletano VI, quod coactum notatur apud Aguirrium pag. 512, anno Christi 638, can 2 sancitur, *ut hi dies Litaniarum, qui in synodo præmissa, sunt instituti, eodem in tempore, quo jussi sunt excoli, annuo recursu,* B *omni observatione habeantur celeberrimi.* Ne vero ordinem his sequentibus hujus seculi temporibus continuatum interrumpam; prosequar ipsa concilia, postque illa recensebo viros hoc ævo de rebus liturgicis bene meritos. In concilio igitur Toletano VII, anni 646, uti signatur apud Aguirrium; pag. 523 ; can. 2, *Censemus,* inquiunt Patres, *convenire, ut cum a sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium ; sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exsequi Officii cœpti... Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibi potusve quemlibet minimum sumptum, Missas facere; nullus absque patenti proventu molestiæ, minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta Officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc tentare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* De jejunio sacerdotis antequam Sacrificium offerat, inspici potest notatio Loaisæ apud Aguirrium pag. 526.

ex conciliis Hispaniæ.

128 Toletanum VIII, anno 653 celebratum, quod habetur apud synodographum sæpius jam assigna- C tum, pag. 540: *In sacris Missarum solennitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus : Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem* etc. Videri in hoc symbolum possunt notæ apud Aguirrium pag. 563. Pag. 545, can. VIII sic cavetur : *Octavæ disceptationis affectu reperimus quosdam divinis Officiis mancipatos tanta nesciente socordia plenos, ut nec in illis probentur instructi competenter ordinibus, qui quotidianos versantur in usus. Proinde solicite constituitur atque decernitur, ut nullus cujuscumque dignitatis ecclesiasticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium vel canticorum usualium, et hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum* etc. In synodo Toletana IX, habita anno Christi 655, nihil invenio, quod sit nostri instituti, quantum ex titulis eidem præfixis observare potui. Concilium Toletanum X, anno Christi 656 celebratum, et notatum apud Aguirrium a pag. 579, titulo I agit *De celebritate festivitatis dominicæ Matris* *; et mox capitulo I testatum faciunt Patres suum erga Virginem Matrem religionis ac venerationis affectum plane singularem, qui apud piissimam gentem ad hunc usque diem constantissime perseverat. Dicto itaque capitulo ita sancitur :

* *al.* Annuntiationis Dominicæ.

Ratio singulari quodam affectu habita in Tolet. 10 circa sanctissimam Virginem.

129 *Si.. Nativitatis et Mortis incarnati.. Verbi dies absque immutatione ita certus habetur, ut absque diversitate in orbe toto terrarum ab omni concorditer Ecclesia celebretur; cur non festivitas gloriosæ matris ejus eadem observantia, uno simul ubique die, similique habeatur honore? Invenitur enim in multis Hispaniæ partibus hujus sanctæ Virginis festum non uno die per omnes annorum circulos agi... Qua de re, quoniam die, qua invenitur angelus Virgini Verbi conceptum et nuntiasse verbis, et indidisse miraculis, eadem festivitas non potest celebrari condigne, cum interdum Quadragesimæ dies vel Paschale festum videtur incumbere... Ideo speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus et præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut Nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solennitas : nam quod festum est Matris, nisi incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet esse solenne, sicut est et ejusdem Nativitas * Verbi. Quod tamen nec sine exemplo decedentis moris, qui per diversas mundi partes dignoscitur observari, videtur institui.* E *In multis namque ecclesiis, a nobis et spatio remotis et terris, hic mos agnoscitur retineri. Proinde ut de cetero quidquid est dubium, sit remotum, solennitas dominicæ Matris die decimo quinto Kalendarum Januarium omnino celebretur.*

* *al.* Nativitatis

Synodus Emeritensis præcipit unum in psallendo modum;

130 Synodus Emeritensis in Lusitania, anno Christi 666, can. 2 decernit, *ut sicut in aliis ecclesiis vespertino tempore post lumen oblatum, prius dicitur Vespertinum, quam Sonum in diebus festis, ita et a nobis custodiatur in ecclesiis nostris,* inquiunt istius synodi episcopi. In concilio Toletano XI anni 675, apud Aguirrium pag. 664, capitulo III habentur sequentia : *Placuit huic S. concilio ut metropolitanæ sedis auctoritate coacti uniuscujusque provinciæ Pontifices, rectoresque ecclesiarum unum eumdemque in psallendo teneant modum, quem in metropolitana sede cognoverint institutum ; nec aliqua diversitate cujusque ordinis vel officii a metropolitana se patiantur sede disjungi...Abbatibus sane indultis Officiis, quæ juxta voluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cetera Officia publica, id est, Vesperam* F **, Matutinum, sive Missam, aliter quam in principali ecclesia celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator exstiterit, sex mensibus communione privatus, apud metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus* etc. Can. XIV instituitur, *ut, ubi temporis vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat semper quisquis ille canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem ; ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus.*

* *al.* Vesperas,

Bracarensis præscribit materiem Eucharistiæ, vasa, habitum sacrificantis;

131 Anno Christi 675 habitum in prædicta Lusitania fuit concilium Bracarense; de quo Aguirrius pag. 675, ubi idem auctor tertium istius nominis illud exstitisse memorat; alibi autem est quartum, prout colligitur ex nota marginali apud laudatum Aguirrium. In isto concilio capitulo I obviam itur erroribus circa sacrosanctam Eucharistiam commissis, hoc verborum tenore : *Relatus est in concione nostrorum omnium error manifestus pariter et diversus... Quidam enim in*

Sacrificiis

SÆC. VII.

Sacrificiis Domini relati sunt lac pro vino; pro vino botrum offerre: Eucharistiam quoque vino madidam, pro complemento communionis credunt populis porrigendam; et, quod pejus his omnibus est, quidam sacerdotum in vasis Domini epulas sibi apponunt, et manducare in eis præsumunt. Quidam etiam ex sacerdotibus relati sunt, quod ecclesiasticæ consuetudinis ordine prætermisso, Missam sine orariis audeant dicere, et quod in solennitatibus Martyrum reliquias suo collo imponant ad fastum etc. Quibus erroribus opponuntur capitula sequentia, quorum titulos huc transcripsisse suffecerit brevitatis causa. 2 *Ut repulsis omnibus opinionibus superstitionum, panis tantum et vinum aqua permistum in Sacrificio offeratur* III. *Ne vasa Deo sacrata humanis usibus serviant.* IV. *Ne sacerdos sine orario Missam audeat celebrare.* VI. *De damnata præsumptione quorumdam* etc.

Toletanum concilium 12 Communionem in Missa præcipit:

132 Supersunt huic septimo, quo de sermo est, seculo concilia duo Toletana in rem nostram, videlicet duodecimum ac decimum septimum. Primum anno 681 collectum, can. V apud Aguirrium pag. B 685, agit contra sacerdotes, qui toties non communicant, quoties sacrificant. Id quod ex canonis titulo, pag. 681 intelligitur; sic enim sonat: *De quorumdam consuetudine sacerdotum fœdissima, qui oblatis Deo per se Sacrificiis non communicant;* nam, sicut dicit textus canonis, *in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communicando suspendunt; et in sola tantum extremi sacrificii oblatione, communionis sanctæ gratiam sumunt.* Rem illustrant notæ apud Aguirrium pag. 692.

Toletanum 17 agit de Missis defunctorum non celebrandis pro vivis; quid de Litaniis?

133 Alterum, quod modo dicebam, erat concilium Toletanum XVII, anno 694 celebratum: cujus canon IV, prout ex titulo ejus constat, est *De sacris ministeriis vel ornamentis ecclesiarum.* Canonis V titulus sic se habet: *De his quis Missam defunctorum pro vivis audent malevole celebrare.* Titulo autem canonis VI agitur *De diebus Litaniarum per totos duodecim menses celebrandis.* Canones ipsos profert Aguirrius a pag. 755; lectorem, cujus interest eos inspicere, illuc mitto. Nunc quos huc distulimus viros, elucubrationibus C liturgicis hoc seculo septimo claros, commemoremus; quibus lux aliqua nova accedet ad ea, quæ hactenus ex conciliis hoc ævo habitis colligere conatus sum. Nam præter notitias, oblata aliunde opportunitate, circa hujusmodi viros paragrapho superiore subministratas, supersunt aliæ nonnullæ in hoc genere, quas prætermittere non licet.

§ V. *Viri illustres in amplificanda liturgia sacra adjutores; unde Gothica illa nuncupata sit.*

Conantius ep. Palentinus varia scripsit;

Nicolaus Antonius, rara in exquisita inter auctores Hispanos eruditione clarissimus, lib. 2 Bibliothecæ suæ Hispanæ veteris, scriptores seculi VII illustrans, materiem mihi suggerit satis amplam, dum per decursum ejusdem libri varios recenset viros, qui suam in res liturgicas operam contulere. Cap. I, pag. 238 occurrit Conantius, Palentinus episcopus, quem sedisse ponit in ista ecclesia ab anno 609 aut 610, usque ad 639 aut sequentem. Ibidem autem in elogio, quod, auctore S. Ildephonso, de illo profert, laudatur, quod fuerit D *Ecclesiasticorum Officiorum ordinibus intentus et providus: nam melodias sonis multas noviter edidit. Orationum quoque libellum de omnium decenter conscripsit proprietate psalmorum.* Et nonnullis interjectis, *Formavit ergo,* inquit laudatus bibliographus, *ad ecclesiastica Officia, sive hymnos sive alia metrica, aut prosicisica, musaque adaptavit modulis, ut in ecclesia canerentur: utramque enim et poëticam et musicam artem videtur Ildephonsus ei tribuere; uti et Joanni Cæsaraugustano;* de hoc dicens cap. 6; *In ecclesiasticis Officiis quædam eleganter et sono et oratione composuit.* Quæ is ait de Conantio, cap. XI, *Orationum quoque libellum de omnium decenter conscripsit proprietate psalmorum,* Nicolaus Antonius *Interpretari,* inquit, *possumus de singulis ad singulos psalmos orationibus ab eo compositis, sive de orationibus ab eo adaptatis in Officio ecclesiastico iis, quæ prius canerentur... Nisi orationes non de eo, quod Christianis sonat, intelligamus; sed de quibuscumque compositionibus, aut sermonibus, ad ecclesiastica Officia spectantibus: quæ multa ac prolixa sunt in libris nostris antiqui ritus Isidoriani; uti loquutum nuper observavimus in Joanne Cæsar-augustano.* E

uti et Eugenius junior ep. Tolet.,

135 Idem clarissimus scriptor inter opera S. Isidori, de quo supra dixi, cap. 4 pag. 267 ponit *Exegesin in Missæ canonem, Parisiis editam per Carolum Guillard* MDXLVIII, *in octavo;* quam *vidimus,* sicut addit, *in bibliotheca Sapientiæ Romanæ.* De Joanne Cæsar-augustano episcopo tractat cap. 5, pag. 275; et modo in antecessum egi de illo. Eugenius junior Toletanus episcopus, uti videre est apud memoratum auctorem pag. 281, scriptorum album exornans, laudatur ibidem ex Ildephonso: *studiorum bonorum vim persequens, cantus pessimis usibus vitiatos melodiæ cognitione correxit: Officiorum omissos ordines curamque discrevit.* Eodem capite, pag. 282 *Missam S. Hippolyti martyris scripsisse etiam dicitur* S. Eugenius Toletanus Præsul, *instante Protasio Tarraconensi metropolitano; ad quem data epistola* XX *Maii, æra* DCLXXXVI, *hoc est, anno* DCXLVIII, *exstare dicitur in codice Gotthico Ms. S. Æmiliani Cucullati, qui hodie ad regiam Scorialensem bibliothecam pertinet.* F

S. Ildephonsus cui præter alias Missas

136 Partem quoque non ignobilem S. Ildephonsus archiepiscopus Toletanus sibi jure vendicat in præsenti argumento; de quo Nicolaus Antonius cap. 6, pag. 290 ex Juliano inferius laudando notat sequentia: *Partem sane tertiam Missarum esse voluit, hymnorum atque sermonum;* subditque doctissimus bibliothecæ Hispanæ auctor; *Unde in albo istorum operum collocamus Missas aliquot. Solenne erat tunc temporis Missas confici pro aliquo festo die Christi Domini, Mariæ Deiparæ, aut Sanctorum. Meminit quidem duarum Cixila;* nam *statim in officio (abbatis) clarens, duas Missas in laudem ipsorum Dominorum (SS. Cosmæ et Damiani martyrum, quibus monasterium dedicatum) quas in festivitate ipsorum psallerent, miro modulationis modo perfecit: quas Missas infra adnotatas habemus, ait.* Ita apud Nicolaum Antonium notatur; quibus subdit vir clarissimus: *item alterius paullo post meminit Missæ de S. Leocadia.* At præter Missas istas, sunt aliæ, quæ apud laudatum Antonium S. Ildephonso attribuuntur.

attribuitur ea, quæ est

137 Nam *idem,* uti testatur celebratissimus bibliographus, *paullo post cujusdam Missæ* DE MARIA

A ria Virgine, *sive de ejus Annuntiatione meminit*; verba proferens *gravissimi*, ait, *historici, ad quem oportet, veluti ad fontem sæpius recurrere. Superveniente vero die sanctæ et semper virginis Marie ante tres dies tribus diebus litanias peregit, et Missam suprascriptam* (forte *subterscriptam* : *hujus enim*, ut observat idem bibliographus, *non prius meminerat*) *quæ in ejus laude decantaretur, perfecit, quæ est septima*. Hunc vero numerum habueritne in iis, quæ de beata Virgine, an in omnibus, quas de aliis solemnitatibus formavit, Missis, non satis eum explicuisse, observat laudatus bibliographus; cujus notationem parenthesi satis longa inclusam mox citato textui, ut sua eidem perspicuitas maneret, huc seorsim ab ipso textu conjeci.

de Expectatione partus : 138 Sic itaque illa habet : *Hic est a Gotthis in* x *concilio Toletano institutus dies B. Mariæ virginis, alias Incarnationis Verbi divini in ejus sacro utero* (de quo festo supra actum est a me) xv *Kal. Januarii in tota Hispania, post tot alios Deiparæ sacros dies, vel nunc celebris sub titulo* B *Exspectationis partus, alias de nuestra Senora de la O, ut vulgus loquitur, propter antiphonas ab hoc die, quarum principium ab o littera, seu vocandi interjectione concipitur, usui præscriptas*. Hisce nos addamus, quod *Officium Exspectationis partus a sacra Rituum congregatione jam pridem pro omnibus regnis Hispaniarum recognitum, et approbatum : nunc vero ex indulto S. D. N. Clementis PP. XI ad totum Belgium Hispanicum extensum, atque ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, recitandum* præscribatur inter Officia nova sub ritu duplici, *die* xviii *Decembris*. Unde istius Officii antiquitas et propagatio perspicue intelligitur.

aliæ insuper Missæ 139 Redeamus jam ad Nicolaum Antonium, ita prosequentem : *Adjungemus... nos opportunam notitiam libri Ms. ecclesiæ Toletanæ, qui, ut ex ejus indice, quo utimur, apparet, plutei* xxx *vicesimus nonus est. Breviarii Mozarabis hic partem continet, et ab ea titulum habet. In pagina autem ejus nona moderno charactere hæc habentur, par-* B *tim Latino, partim vulgari Hispaniæ sermone : Hic liber continet sequentia* : nempe 3, 4, 5, 6, 7 *Missas de B. virgine Maria. Officium Annuntiationis mense Decembri. Mas largo que en el Mozarabe*; hoc est, *longius, quam in Breviario Mixt-arabico. Officium in Assumptione B. Mariæ. Officium in Nativitate Domini. Officium S. Stephani*. Et additur : *No tiene principio, y otras dos hojas suyas estan atras enquadernadas entra la Missa* : Qui non, *de neustra Senora*. Hoc est, *principium non habet, ac duo alia ejus folia per errorem ligata fuere inter Missam* : Qui non *etc. Deiparæ Virginis*. Sequitur ibidem apud Nicolaum Antonium *Officium sancti Joannis Evangelistæ. Officium Circumcisionis Domini. Officium in capite anni. Officium in Apparitione Domini, sive Epiphania, Y en medio del hay seis hojas, que son de arriba de la Missa 2 o 3 de nuestra Senora*. Hoc est, *inque ejus medio sex folia inserta sunt, quæ ad Missam S. Mariæ virginis secundam tertiamve pertinent*.

de B. Virgine, eidem adscriptæ : 140 Et subdit mox bibliothecæ Hispanæ editor : *Sequitur ad hæc, Latina hæc nota Joannis Bapt. Perezii, olim Bibliothecarii, viri doctissimi ac diligentissimi, quod ex ejus subscriptione manifestum redditur*. » *Hic liber in magno pretio* » *habendus : nam septem Missas de B. Maria,* » *credo esse compositas a D. Ildephonso ; primum* *sæc. vii.* » *ex stylo, deinde quia Cixila archiep. Toletanus* » *in Vita D. Ildephonsi ait, illum edidisse septem* » *Missas de B. Maria. Vocant autem Mozarabes Missas, non totum Officium, sed quædam* » *quasi præambula, sive adhortationes ad cele-* » *brandum tale Officium*. Et subscribitur : *Perez*. » Addit Nicolaus Antonius : *Quæ* Missæ *nominis acceptio adjungenda est his, quas doctissimus vir Joannes Bona, S. R. E. Card. post alios collegit lib.* i *Rerum liturgic. cap.* 2. Idem bibliographus inter opera istius Sancti pag. 291 ponit *Hymnos* ; et observat sequentia : *Meminit Cixila, ut vidimus*, Cantici, *quod Ildephonsus fecerat in Leocadiæ virginis laudem ; forte ejus* (hymni) *qui immissus fuit in Breviarium Gotthicum, vulgo dictum Isidorianum*.

qui aliquid etiam videtur contulisse veteri ecclesiastico. 141 Ceterum, celeberrimus ac toties supra a me laudatus auctor pag. 295, ut probet, quod ad Officium, seu libros ecclesiasticos Isidoriani, ut vocant, ritus, Breviarium scilicet ac Missale, nonnulla contulerit Ildephonsus ; inde illud colligi posse E statuit, *quod in epistola synodali, quam ad Hispaniarum episcopos Francofordiensis concilii, sub Carolo Magno habiti, Patres undique eo collecti pro damnanda hæresi Felicis Urgelitani atque Elipandi Toletani antistitum nuncupavere, allegatis ab eodem Elipando pro se in Libello fidei suæ ad Carolum eumdem Magnum directo, SS. Eugenii, Ildephonsi, atque Juliani testimoniis, sic reponitur* : » *Sequitur in eodem Libello vestro* : » *Item prædecessores nostri Eugenius, Ildephon-* » *sus, Julianus, Toletanæ sedis antistites, in suis* » *dogmatibus ita dixerunt in Missa de Cœna Do-* » *mini* » etc. De dogmatibus istis alio loco inferius tractabitur.

S. Juliano ep. Toletano plurimum in re liturgica debetur 142 Venio ad caput 7 bibliothecæ Hispanæ veteris, ubi celeberrimi suæ ætatis viri, orbique Christiano apprime noti, Juliani Toletani præsulis scripta recensentur. Acta ipsius apud nos illustrata sunt ad diem viii Martii ; ubi a pag. 785 datur Sancti *Vita, auctore Felice episcopo Toletano, Juliani successore, ex appendice ad librum S. Isidori De scriptoribus ecclesiasticis*. Prædictæ igitur Vitæ auctor enumerans libros ab eo conscriptos, *De Officiis*, ait, *quam plurima dulcifluo sono composuit*, forte musico, vel saltem, prout ego quidem interpretor, ad concinnum liturgiæ ordinem conducente. Utcumque hoc sit, disertissimis F verbis postmodum testatur idem biographus, S. Julianum egregie ad rerum liturgicarum studium incubuisse, dum hæc fatur : *Item librum Missarum de toto circulo anni, in quatuor partes divisum ; in quibus aliquas vetustatis incuria vitiatas, ac semiplenas emendavit atque complevit ; aliquas vero ex toto composuit*. Partem ego habuit Julianus in integro corpore Missalis Isidoriani, de quo supra. *Item librum orationum de festivitatibus, quas Toletana ecclesia per totum circulum anni solita est celebrare, partim stylo sui ingenii depromptum ; partim etiam inolita antiquitate vitiatum, studiose correctum, in unum congessit, atque ecclesiæ Dei usibus ob amorem reliquit sanctæ religionis*.

Liturgiæ Gothicæ ac Isidorianæ 143 Ex omnibus hisce, quæ de statu, ordine atque incremento veteris liturgiæ Hispanicæ collegi ; intelligi facile potest, cur ea vocari possit Gothica : nam Gothorum in Hispania tempora habemus, sub quibus illa floruit. Et quid vetat, illo potissimum nomine liturgiam apud Gothos usitatam nuncupare, a tempore concilii Toletani iv ; quando

SEC. VII. IV; quando novus ex concinniore ordine etc. splendor ipsi accessit? annitente præsertim atque operam commodante non vulgarem S. Isidoro Hispalensi; unde corpus illud liturgicum, Isidori quoque nomen fecit suum: prout eruitur ex supra dictis; annitente, ut iterum dicam, atque operam commodante non mediocrem S. Isidoro: nam in notis ad concilia celebrata in Hispania citeriore apud Labbeum tom. 9 Concil. col. 1198 nimium dicitur, quando ita dicitur:

etymon. 144 *Gothicum Officium dictum est, quod a S. Isidoro Hispalensi, Gothis adhuc in Hispania regnantibus, jussu Toletanæ synodi anno* DCXXXIII *compositum digestumque sit.* Nimium, inquam, ibi dicitur, si nova Gothici Officii confectio, stricti nominis sit talis, quæ S. Isidoro, tamquam ejusdem auctori, attribuatur; secundum ea, quæ superius circa hanc rem præmissa sunt. Sequitur, ut de statu liturgiæ seculo VIII dicendum esse videatur, ubi novum indutura nomen, pro veteri Hispanica, Gothica vel Isidoriana, nominabitur Mozarabica; data isti nominis mutatB tioni causa ex Arabum invasione, quæ seculo VIII ineunte universam pene, brevissimo tempore, Hispaniam inundavit; subsecutaque est sub idem tempus ineluctabilis et lamentabilis illa catastrophe, quæ illud regnum, Gothorum dominio ex maxima parte subtractum, ab Arabibus invasum, miserrima prorsus scena in rebus publicis ac privatis; in sacris ac profanis, atque adeo in liturgicis funestavit: sicut proxime dicturus sum; postquam præmisero quæstionem quamdam, cui ansam præbet Mabillonius, de antiquitate veteris liturgiæ Gallicanæ et Hispanicæ inter se comparata.

§ VI. *An vetus liturgia Gallica sit antiquior quam Hispanica.*

Mabillonius antiquam liturgiam Gallicanam Utramque hanc liturgiam insigni antiquitate valere, satis id quidem apud hujusmodi rerum peritos in confesso est. Et sane de veteri C Hispana id abunde conficitur ex primis hujus Tractatus nostri paragraphis, in quibus de ipsius genesi ac primordiis dixi. Non quæritur itaque hic de utriusque antiquitate ut sic, sive ibi sistendo; sed quæritur, utra ex ambabus sit antiquior. Mabillonius De liturgia Gallicana lib. I, cap. 4 quæstionem hanc instituit, et rem decidit in favorem liturgiæ Gallicanæ; an satis solide ac vere, dispiciamus, pedetentim ipsum talia probare conantem secuturi. *An Gallicanus ordo*, inquit num. 4, *Mozarabicum* (dicamus eum hic potius antiquum Hispanum) *præcesserit, eique formam et exemplum præbuerit, hoc loco inquirere juvat. Gallicanum esse antiquiorem, multa persuadent. In primis Prophetiæ lectio Apostolicam præcedebat apud Gallos tempore S. Cæsarii Arelatensis episcopi* (qui floruit seculo VI, et de quo nobis agendum erit ad diem XXVII Augusti) *qui in sermone ad populum habito, ut ab ecclesia, donec sacra peracta essent, non recederet, ita loquitur.* Et productis ejus verbis, inter quæ ille memorat *lectiones, sive Propheticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas*, concludit Mabillonius, *Missam præcessisse ternas ejusmodi lectiones.*

antiquiorem esse censet 146 Et mox conversa ad illarum auctorem oratione, *vero proximum esse* censet, *eas ipsas esse, quas in ordinem redegerat seculo* V *Musæus* D *presbyter Massiliensis*; qui, sicut addit Mabillonius ex Gennadii capite 74 De viris illustribus; *Hortatu S. Venerii episcopi sui excerpsit ex sacris Scripturis lectiones totius anni, festivis aptas diebus; responsoria etiam psalmorum, et capitula, tempori et lectionibus congruentia... Sed et ad personam S. Eustasii episcopi, successoris prædicti hominis Dei, composuit* SACRAMENTORUM *egregium, et non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate Officiorum et temporum, pro lectionum textu psalmorumque serie et decantatione discretum: sed supplicandi Deo et* CONTESTANDI *beneficiorum ejus, soliditate sui consentaneum.* Et statim Mabillonius *ubi*, inquit, CONTESTANDI *vocabulum respicit ad primævum morem Gallicanum, in quo contestatio in usu erat ad significandam, quam hodie vocamus, Missæ seu Canonis præfationem.*

147 Unde infert, Musæum, qui post medium seculum V e vivis excessit, scripsisse librum *Sacramentorum*, quo veteres passim nomine sacræ Eucharistiæ mysteria designarint; ex Gennadio et Augustino hanc notionem probans. Hæc sunt argumenta nonnulla ex pluribus aliis, quibus Mabillonius veteris liturgiæ Gallicanæ antiquitatem supra eam, quam habebat vetus Hispana, efferre conatur. Hæc cum præmittat, sistamus hic tantisper, et consideremus quidnam contra responderi queat, ut controversia hic agitata primo expendatur secundum Mabillonii placita, quæ jam recensuimus; quo facto, alia discuti etiam poterunt, quæ in rem suam agglomerat, argumenta. Sic fiet, ut omnia ordinatius ac dilucidius decurrantur. *quam veterem Hispanam.* E

148 Ex probationibus a Mabillonio hactenus allatis illud ego unicum extendo; quod aliqua apud antiquos Gallos exstiterit liturgia, adeo vetusta, ut ad tempora seculi V referri possit; sed nodum hic controversum nondum ista decidunt; neque enim, etiamsi concedamus, aliquem Ordinem liturgicum tum temporis concinnatum fuisse apud Massilienses, aut Arelatenses, inde sequitur, ut vetus Ordo Gallicanæ ecclesiæ Hispanum præcesserit, multo minus, ut veteri illi Hispano formam et exemplar præbuerit; atque adeo ea lis adhuc sub judice est. Sed voluerit utique vir eruditus suæ prius liturgiæ stabilire antiquitatem, quam ad minorem, uti vult, Hispanæ vetustatem probandam progrederetur. Audiamus itaque, quomodo pergat. *Sed et ante Musæum*, inquit pag. 29, *Hilarius Pictavorum sanctissimus antistes librum hymnorum et alium mysteriorum scripsit, auctore Hieronymo in libro de Scriptoribus cap.* 100. *Hymnus Gloria in excelsis ab eodem auctus et consummatus dicitur in vulgato Alcuino. His duobus merito adnumerandus est Sidonius Arvernorum episcopus, cujus libro de Missis ab eo compositis Gregorius Turonensis præfationem adjunxit, ex lib. 2 Historiæ cap.* 22. *Discutiuntur* F

149 *Et Salvianus Massiliensis presbyter clarissimus homilias episcopis factas multas; Sacramentorum vero, quantas nec recordor, ait Gennadius, composuit. Quo in loco Sacramentorum homiliæ intelliguntur, vel sermones de mysteriis sacris, inter Missarum solennia quondam ex more Gallico recitari solitis; vel orationes seu præfationes ad Missam. Mitto, quod in fine libri sexti Gregorius Turonensis pontifex tradidit de Chilperico rege, qui inter alia opuscula hymnos scripsit* *argumenta ejus,*

A *scripsit sive Missas, quæ nulla ratione suscipi possunt. Tales auctores, id est, Hilarium, Musæum et Sidonium, habuisse videtur Ordo Missæ Gallicanus : quem a Romano diversum exeunte seculo* VI *fuisse, constat ex epistola Gregorii M. ad Augustinum : qui tertio loco Gregorium interrogavit : Cur, cum una sit fides, diversæ sint ecclesiarum consuetudines, et altera consuetudo Missarum in Romana Ecclesia, atque altetera in Galliarum ecclesiis teneatur.* De quibus verbis alia occasione a nobis dictum superius cap. I § I. *Denique Hilduinus*, uti adjungit Mabillonius, *in epistola Areopagiticis præfixa existimat, Missæ Ordinem more Gallico ab initio receptæ fidei in his partibus obtinuisse ad Caroli M. principatum.* Hactenus Mabillonius coacervavit, quidquid pro antiquitate liturgiæ Gallicanæ veteris potuit.

B 150 Cui quidem in hoc genere præ Hispana veteri palmam defert : etenim *consentiunt*, uti habet pag. 30, *Hispanici auctores, qui ejus originem ad Leandrum et Isidorum seculi* VII *episcopos revocant.* Deinde producit Baronium, qui ad annum 633 ejusdem auctorem exstitisse Isidorum agnoscat. Præterea censet, favere huic sententiæ, quod in titulo Officii Gothici editi dicatur *a S. Isidoro ordinatum.* Huc addit, quod Isidorus ipse in libro de Scriptoribus ecclesiasticis Leandri fratris sui scripta recensens, testimonium det, ipsum *in ecclesiasticis Officiis non parvo studio laborasse, et in* SACRIFICII LAUDIBUS *atque psalmis multa dulcisone composuisse.* Ex Joanne denique Mariana De rebus Hispanicis libro quinto, cap. 5 affert, *usum obtinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribueretur ; sed tamen Leandrum nonnulla invenisse.* Quæ si vera sunt, sequitur planissime, ut Ordo vetus liturgicus Hispanus, seculo demum septimo originem suam alligare debeat. Verum non ita rem se habere, conabor planum facere, revocando in memoriam ea, quæ circa hoc argumentum jam a me præmissa sunt.

quibus hoc probare conatur :

at nos respondendo ad illa,

151 Imprimis rationes illæ, quas jamjam proferebat Mabillonius, ut persuaderet, Ordinem veterem liturgicum Hispanicum minoris esse antiquitatis, C quam Gallicanum, tanti valent apud me, et non pluris, quanti valet fundamentum, cui illæ superstruuntur; ut, hoc ruente, illas quoque corruere necesse sit. Atque ego quidem sic existimo, neque S. Leandrum, neque S. Isidorum vere ac proprie veteris apud Hispanos liturgiæ auctores seu conditores exstitisse; ante quorum tempora ritus quidam fuerint in Hispania, ad divina convenientibus cum cæremoniis mysteria celebranda accommodati : quamquam in obscuro plane lateat, quale quatuor primis æræ Christianæ seculis apud Hispanos viguerit sacri altaris Officium; ut colligere est ex dictis cap. I, § 2; viguit tamen aliquod tam ibi, quam in Galliis, aliisque orbis terrarum regionibus, quo tunc temporis vera fidei lux illata est. Nonnulla item antiquæ apud Hispanos liturgiæ, quantumcumque obscurum sit, qualis ea tunc esset, vestigia designavi § 6. De statu ejusdem seculis quinto, sexto ac septimo egi cap. 2, ac 3 : unde intelliges, quid circa SS. Leandrum et Isidorum, ex consensu scriptorum Hispanorum superius a Mabillonio productos, tamquam antiquæ liturgiæ Hispanicæ conditores, respondendum sit; quid item ad Baronium; quem modo allegabat Mabillonius; uti et ad plura alia, quæ eodem cap. 3, § 3 præmisi : unde confici putem, vero proximius esse; quod SS. Leander et Isidorus novam liturgiam non confecerint; quamquam tantum in illa augenda, recensenda, excolenda et ordinanda S. Isidorus operæ ac studii conferre potuerit, ut Officium Gothicum vere ab ipso *ordinatum* dici, nihil vetet; adeo ut, quæ supra ex titulo ejusdem Officii in editis, suæ sententiæ favere Mabillonius censebat, facile isto modo exponi queant.

sec. VII.

nostrasque rationes

152 Pro Officii Gothici Hispanici, ad anteriora quam ad seculi VII tempora extendendi, antiquitate addux superius Cardinalem Bonam ; at reponet Mabillonius pag. 31 : *Elipandus Toletanus episcopus in epistola ad Albinum seu Alcuinum, Toletanos sanctos Patres agnoscit Missarum Mozarabicarum auctores ; in his Isidorum : signanter vero Eugenium, Hildefonsum et Julianum exprimit libellus, quem confutant Patres concilii Francofordiensis apud Alcuinum; quorum nullus seculum* VII *præcedit.* Unde conficit laudatus scriptor, ad seculum V istiusmodi Officiorum auctores non posse revocari. Sed nec Isidorus, nec ulli post illum Patres Toletani condiderunt Officium Hispano-Gothicum. Consule quæ circa S. Isidorum ex Elipando signatum dixi eodem § 3; e quo satis intelligi datur, quidam illis Patribus E in hac materia tribui conveniat.

in contrarium proferendo,

153 Ad textum a Cardinale Bona ex Missa S. Martini citatum, et ob quem illud Officium in usu fuisse crediderit jam tum seculo V, prout in sæpe designato isto paragrapho notatum reperies ; item ad illud, quod ibidem habes ab ipso observatum ex concilio Toletano III, cantandum videlicet symbolum, antequam oratio Dominica recitetur ; *reponi post*, ait Mabillonius pag. 31, *hæc verba* NOSTRÆ ÆTATIS *vel ex antiquiori liturgia desumpta fuisse, vel longius quam ad unum seculum protrahi posse; et statutum de symboli ante orationem Dominicam recitatione novum fuisse, ad* CORROBORANDAS HOMINUM INVALIDAS MENTES, *ut loquuntur concilii Patris.* At edisserat, amabo, nobis vir eruditissimus, quo loco, quo tempore, qua ex liturgia voces istæ in Hispanam veterem immigrarint? Quo teste, quibus tabulis, qua auctoritate, qua fide illuc aliunde intrusas esse liqueat? Quod si non ostenditur; non est, quod illæ voces tamquam adventitiæ vel apocryphæ traducantur; imo vero, F quamdiu nihil affertur tale, quod e pristina possessione illas deturbet; non video equidem, cur illa privari debeant, quidquid Mabillonio, majorem liturgiæ veteri Gallicanæ præ antiqua Hispanica vetustatem afferre volenti, incommodent, et perspicue obsint, ne S. Isidorus veteris Officii Hispanico-Gothici conditor primus habeatur; super qua opinione Mabillonius illam majorem antiquitatem potissimum fundabat. Brunus pag. 284 vocibus sæpe jam allegatis sublestæ fidei notam non modo nullam inurit, sed laudat Cardinalem Bonam, quod recte admodum observarit, Missam S. Martini designare tempus antiquius, quam sit S. Isidori. Auctorem certe illum, tametsi nuperum, afferre huc volui, quia minime haberi potest suspectus; quod, Gallus cum sit, Hispanæ veteris liturgiæ antiquitati plus æquo tribuat præ studio partium. Atque hæc de primo propositionis disjunctivæ Mabillonianæ membro.

majorem.

154 Alterum erat, quo dicebat, *vel longius quam ad unum seculum protrahi posse* voces hic controversas. At paullo amplius rem expendamus. Nomen *ætas* tempora significat varia. I. enim denotat

sec. vii. denotat plurium seculorum complexum, uti patet in ætatibus mundi. 2. Durationem unius seculi, seu annorum centum. 3. Interdum triginta annorum spatium. 4. Terminum longissimum vitæ humanæ. 5. Tempus vitæ humanæ in quinque successivos gradus distributæ respondens, et quamlibet partem ejus : de quibus vocis *ætas* significationibus consuli possunt Lexica. Jam vero non intelligo, quo pacto per *nostris ætatis tempora* denotari possit complexum plurium seculorum. Nam, ut res elucidetur exemplo, quisnam de S. Francisco Paulano jam a ducentis et amplius annis mortuo, dicere ausit : Sanctum hunc *nostræ ætatis tempora produxerunt?* Etenim tametsi vox *ætas*, vel *ætatis tempora* vi proprii sui significati, indifferens videatur ad extrahendum vel contrahendum temporis spatium; additio tamen pronominis possessivi *nostræ*, spatium illud arctat et restringit; et ita quidem, uti mea fert sententia, ut nimis laxe atque adeo minus proprie ad seculi unius integri intercapedinem extendi, contra
B vero magis vere ac proprie ad restrictius aliquod temporis intervallum, puta quinquaginta circiter annorum, referri posse videatur : alioqui non erunt *nostræ ætatis*, sed *superioris ætatis tempora*.

illam 155 Sed fac istam expressionem extendi ad annos centum (certe non ultra admodum extendere se debere, consentit jamjam citatus Brunus) jam consequens erit, ut Missa ista de S. Martino exstiterit apud Hispanos sub finem seculi circiter quinti, aut in initiis seculi sexti; quæ vel tunc vel aliquamdiu post inserta fuerit reliquo corpori liturgico veteri Hispano, quod in usu ibi erat (qualecumque demum illud fuerit) tum forte, vel aliquanto citius, quando rex Suevorum etiamnum Arianus, ut sanaretur ejus filius a lepra, ecclesiam exstrui jussit in honorem S. Martini, et Turonibus ad se deferri curavit istius Sancti reliquias, in Gallæciam apportatas, quo tempore S. Martinus Bracarensis eodem advenit, circiter annum 560. Consulesis superius assignatum S. Gregorium Turonensem lib. I De miraculis S. Martini cap. XI; et lib. 5 Historiæ Francorum cap. 38. Apud Aimoinum Histor. Franc. lib. 3 cap. 39 dicitur *beatus Martinus Galliciensis*
C seu Bracarensis, *in basilica, quæ prima apud Hispanos in honore S. Martini dedicata est, pontifex ordinatus*. Plura de eo diximus supra. Duo itaque ista argumenta, quæ citatis ex Missa de S. Martino verbis opponebat Mabillonius, non eo usque mihi faciunt satis, ut locum hunc, antiquitati liturgiæ Hispanicæ veteris adeo faventem, extorqueri sibi patiantur Hispani.

hic controversam antiquitatem 156 Neque vero satis commode respondet laudatus scriptor ad rationem aliam, qua idem Eminentissimus Bona probabat, quod vetus liturgia Hispanica antecessisset tempora S. Isidori, ex recitatione Symboli ante orationem Dominicam juxta præscriptum concilii III Toletani. Nam unde probabit Mabillonius, statutum illud ita novum fuisse in Hispania, ut antea ibidem nullo loco aut tempore Symbolum recitaretur? Repono quippe, quod novum fortasse tunc fuerit, quatenus a concilio nationali extenditur ejus usus per totam Hispaniam, ut illud *voce clara a populo decantetur* (sive, prout ad marginem notatur, *prædicetur)* tum *propter corroborandas hominum* in Hispania, tunc recentissime ab hæresi Ariana ad Christi fidem conversorum *invalidas mentes*; tum *pro reverentia sanctissimæ fidei*, sicut addunt Patres; tum denique ut *fides vera manifestum testimonium habeat* etc. D Eatenus, inquam, novum fuisse potest; tametsi cum hoc non pugnet, ut ante ista tempora in Hispania adhibitum forte sit alio modo, quam ibi in concilio isto sanciatur, nimirum non quotidie, sed aliquibus dumtaxat diebus; non a populo, sed a sacerdotibus tantum.

157 Et vero apud Orientales simile quid circa symbolum contigisse, ut nimirum primo restrictior, deinde amplior illius esset usus, refert Cardinalis Bona lib. 2, cap. 8 Rerum liturgicarum; ubi Theodori Lectoris librum secundum Collectaneorum citans refert, *Timotheum patriarcham anno* DX *CPoli instituisse, ut symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, cum ante semel tantum in anno diceretur, in magno die Parasceves, cum episcopus catechumenos instruebat*. Et postmodum in eodem capite laudatus Eminentissimus observat, quod hunc ritum postea Hispani primi inter Latinos receperint; Hispanicas ecclesias Gallicanis ac Germanicis E postmodum imitatis, prout ibidem prosequitur eruditissimus ille liturgiographus. Verum incertis hisce conjecturis omissis, an et quomodo recitatio ista symboli in Hispania obtinuerit ante concilium Toletanum III; ponamus eam tunc primum ab isto concilio introductam fuisse; an ideo enervatur argumentum, quod inde formabat Cardinalis Bona? Non opinor : nam ex facto concilii arguo, quod aliqua ante id tempus liturgia apud Hispanos exstiterit. Ecquis enim ita argumentetur : Versus finem seculi VI ex præscripto concilii istius, symbolum fidei liturgiæ Gothico-Hispanicæ apponi jussum est : ergo illa liturgia antea non exstabat? Tantum quippe abest, ut hoc sequatur, ut sequatur potius oppositum : nam pars tantilla, reliquo Ordini liturgico adjecta, supponit potius, aliquod totum præexstitisse, quam illud faciat. Ergo liturgia vetus Hispanica non est nata et condita sub S. Isidoro, uti volebat Mabillonius : neque proin ex hoc fundamento erui posse videtur major antiquitas liturgiæ veteris Gallicanæ, quam Hispanæ.

hactenus non videmus.

F

§ VII. *Alia quædam ad dictam antiquitatem pertinentia.*

Majori antiquitati isti non favet concilium Bracarense, nec epistola Vigilii

Quod vero Romanus ritus, sicut prosequitur Mabillonius pag. 31, *saltem in provincia Bracarensi*, sub Vigilio fuerit receptus, nihil favet majori antiquitati hic disputatæ : nam tametsi hujus concilii canone seu capitulo 4 sanciatur : *Ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ ecclesiæ episcopus, ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum*; quibus adde Vigilii epistolæ ad Profuturum verba, quæ superraddit Mabillonius pag. 32; de qua epistola dixi cap. 2, § 2; nihil tamen quidquam hinc extundere queo, quod controversiam nostram dirimat in favorem veteris ritus Gallicani. Nam respondeo I. Quod, etsi provincia Bracarensis tunc temporis, id est seculo sexto medio, et tempore, quod inde excurrit, assumpsisset ritum Romanum; nihil derogaretur antiquitati liturgiæ veteris Hispanicæ; neque enim ex eo, quod provincia Bracarensis ritum externum admisisset seculo VI, consequens esset

A esset, ritum Hispaniæ proprium domesticum atque internum non exstitisse seculo IV aut aut V: imo vero contra statuo, aliquem in Hispania ante seculum VI in usu fuisse Ordinem sacrum, tametsi ibidem in Bracarensi provincia Romanus seculo isto substitus esset, ne alioqui Hispania fuerit absque liturgia successive continuata, usque ad seculum VI; quod dici non potest.

tam confirmat;

159 Quid, quod in hac epistola per ista verba: *Quapropter et ipsius* CANONICÆ PRECIS *textum direximus*, aliud non sit intelligendum, quam canon sacræ actionis; ipsomet consentiente Mabillonio; ut prorsus non assequar, quid contra totum veterem ritum Hispanum, nedum contra antiquitatem ejus conficere possit, ut in hoc genere palmam tribuat Gallicano. Jam vero idem eruditissimus liturgiographus opinionem suam non confirmat, quando sic dicit: *At cum Toletanis conciliis tertio et quarto Bracarenses episcopi interfuissent, no-* B *vum ritum in eis præscriptum, Romano (ut credere par est) prætulerunt.* Quidnam a Patribus Toletanis in concilio istius nominis quarto circa res liturgicas sit gestum, explanare conatus sum cap. 3; at sive decretis hujus concilii, quod æquabilem totius œconomiæ liturgicæ consonantiam tanto ursit opere, ad uniformem cum ceteris Hispaniarum ecclesiis in sacris ordinem provincia Bracarensis reducta sit; sive non; quidnam hoc refert? Eadem enim redeunt argumenta, quæ superius allegabam, ut ostenderem, liturgiam aliquam apud Hispanos præexstitisse temporibus S. Isidori. Adde, quod ex facto particularis provinciæ, sacro Officio Romano se conformantis, vel non confirmantis, nihil concludi possit in hac controversia;

uti nec hymni;

160 Addit Mabillonius, *quemadmodum hymnos ex S. Hilario, sive etiam suum* FORTASSE *ritum ex Gallorum imitatione acceperunt Hispani.* At cur ex S. Hilario potius, quam ex Ambrosio hymnos suos C acceperint Hispani? dicente S. Isidoro De ecclesiasticis Officiis lib. I, cap. 6: *Hilarius autem Gallus, episcopus Pictaviensis, eloquentia conspicuus, hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Mediolanensis episcopus... copiosus in hujusmodi carmine claruisse cognoscitur: atque inde hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur; quia ejus tempore primum in ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt: cujus celebritatis devotio posthac per totius Occidentis ecclesias observatur.* Cur itaque ipsius hymnorum celebritas ad Hispanas etiam ecclesias non transierit? Sane ex utroque isto doctore hymnos fortasse aliquot migrasse ad Hispanos, suaderi mihi facile sinam ex canone 13 concilii Toletani IV; qui sic habet: *De hymnis etiam canendis, et Salvatoris et Apostolorum habemus exemplum... Et quia nonnulli hymni humano studio.. compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt; quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis sanctorum canonum vel Apostolica traditione non existunt;* sed eosdem idcirco a divinis Officiis non esse excludendos, statuit citatus canon, ut videre est cap. 3, § I, ubi eum dedimus.

sec. VIII.

nec Mabillonii conjectura,

161 Quod *suum fortasse ritum*, sicut aiebat Mabillonius, *ex Gallorum imitatione acceperint Hispani*, mera conjectura est; et rotunde negabitur ab iis, qui Ordinem Gallicanum ab Hispano derivant. Et vero fuisse, qui inde eum derivarent, suadetur ex sequentibus. S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum cap. 17, editionis Ruinartianæ col. 1234 dicit: *Lectis igitur lectionibus, quas canon sanxit antiquus.* In quem locum ibidem notantur ista: *Ex hoc loco confutatur eorum sententia, qui asserunt, Ordinem Gallicanum a Mozarabico Hispanorum prodiisse: cum hic dicatur* CANON ANTIQUUS, *priusquam Mozarabicus, a S. Isidoro editus, in lucem prodiisset.* Ubi vides, supponi, quod ante S. Isidorum non exstiterit antiquus canon seu Ordo liturgicus apud Hispanos; atque adeo hic militant E contra illud suppositum, quæ supra protuli contra Mabillonium, eodem supposito nixum. Sed ad id, quod ex Gregorio Turonensi circa *canonem antiquum* objicitur, repone verba concilii Toletani IV canone 2: *Hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia et psallendi et ministrandi parem consuetudinem contineat.* Erant ergo in Hispania antiqui canones ad liturgiam spectantes ante concilium Toletanum IV; ac proinde ex verbis S. Gregorii Turonensis nihil hic evincitur. Factum Cæsarii Arelatensis episcopi, de quo meminit Mabillonius pag. 32, *qui* PER ITALIAM ET HISPANIAM, *homilias sacras distribui curavit*, nihil antiquitatem liturgiæ Hispanæ infra Gallicam deprimit, non magis, quam commemorationes constitutionum F in concilio IV Toletano factarum; de quibus agit a pag. 33.

ut rem hic controversam in favorem Gallorum dirimanus.

162 Hisce omnibus ita expositis atque expensis, quibus Mabillonius majorem liturgiæ Gallicanæ quam Hispanæ antiquitatem conciliare conatus est, nihil hactenus videre me fateor satis firmi ac solidi, quo controversia hæc ab ipso agitata, in favorem Gallorum potius quam Hispanorum decidatur: neque unum unicum ex illis multis, quibus persuaderi censebat Mabillonius, a Gallis pro sua liturgia majorem antiquitatem stare, satis me convincit, ut ipsi consentiam. Plura, quæ huc spectant, dabuntur inferius cap. 10, § 3.

CAPUT IV.

Christiani eorumque liturgia sub Saracenis seculo VIII.

§ I. *Hispaniæ ab Saracenis subjugatæ notitia generica : rerum liturgicarum singularis ; quo tempore tragica illa catastrophe acciderit.*

Descriptioni hujus tragœdiæ

Aggredimur fatale atque infelicissimum Hispaniæ nostræ octavum seculum, quo vix ineunte ira divini Numinis ad vindictam sui, atque erratorum Gotthico-Hispanæ gentis punitionem, quæ ab antiqua illa morum doctri- B *næque integritate, tot conciliis ac legibus confirmata, sub Witiza et Roderico, iniquissimis regibus, misserrime præcipitaverat, e vicina Africa accitos Mauros, seu Arabes, Machometi asseclas, nobis intulit, hostes teterrimos; vultumque omnem felicissimi regni, atque Gotthici sic ad eum diem florentis imperii, ad exterminationem usque lacrymabiliter defœdavit. Quod hostium Christianæ fidei jugum octavo isto cervicibus suis impositum, multis deinde seculis Hispania tulit, vixque tandem decimo quarto excussit. Nec miraberis, lector, magnæ hujus calamitatis defuisse tempore viros illos doctrina olim inter nos, ac toto terrarum orbe inclytos, quorum nomina huic albo inseremus. Raras igitur scriptorum spicas, quibus magnum ab Austro et Oriente veniens pepercit sidus, ac tritura Sarracenorum non decussit, legere nunc erit nobis opus, ac veluti disciplinæ ignis fere exstincti stricturas quasdam historiæ hujus gremio, ne pereant, confovere.*

a Nicolao Antonio notatæ,

164 Iisdem sane his verbis, quibus Nicolaus Antonius auspicatur suum librum Bibliothecæ Hispaniæ veteris sextum, scriptores seculorum octavi, noni ac decimi complexum, videor ego non abs re auspicari posse seculum liturgiæ Hispa- C nicæ antiquæ Gothicæ, seu Isidorianæ, ut vocant, octavum, applicando illa verba, quæ ipse usurpat occasione scriptorum Hispanorum, ad res liturgicas, certa quadam cum proportione in istius auctosis præambulo, quod protuli, adumbratas. In funestissimæ itaque hujus tragœdiæ conspectum nos duxit instituti, quod præ oculis habemus, ratio; cujus lamentabilis catastrophes argumentum brevi ex antiquioribus scriptoribus repræsentare compendio juvat, ut, præmissa rerum tum temporis gestarum generica quadam idea, ad ea, quæ in rem nostram apte conducunt, clarius, distinctius ordinatiusque progrediamur. Auctores hic potissimum sectabimur Isidorum, Pacensem episcopum, rebus, quas scribit, tempore proximum, utpote qui medio seculo octavo sua monumenta litteris mandarit. Alter erit Rodericus Ximenius, archiepiscopus Toletanus, qui floruit seculo XIII.

subjungitur ex Isidoro Pacensi

165 Dolendum maxime, quod laudati istius Isidori Chronicon adeo barbarum, ac mendosum ad posteros pervenerit, ut incidas in locos ubi vix caput vel pedem invenias. Consule Joannem Vasæum in Chronico rerum Hispanicarum cap. 4; Prudentium de Sandoval, Pampilonensem antistitem, ac Chronici Isidoriani editorem, pag. 26; Nicolaum denique Antonium lib. 6, cap. 3; ubi pag. 329 affirmat, quod *auctorem hunc non minus propria et innata, quam ab exscriptoribus inflicta vulnera miserrime debilitaverint.* Plura de Isidoro dabit idem Bibliothecæ auctor. Continuatores ejus Sebastianus Salmanticensis, Sampinus Asturicensis, et Pelagius Ovetensis, ex Mss. codicibus omnes cum illo conjunctim a Sandovalio editi sunt Pampilone, anno 1615. Quod *soli Hispanici historici istos admittant tamquam ge-* E *nuinos; alii* vero *ab Hispanis omnes, istos Isidori continuatores, imo et Isidorum Pacensem suppositionis arguant,* tradit auctor nuperus heterodoxus in Commentario De Scriptoribus ecclesiasticis, tom. I, col. 1794; citans Aubertum Miræum in Bibliotheca eccles. ad cap. 8 cujusdam anonymi De duodecim scriptoribus ecclesiasticis, pag. 105; *a quo hæc,* inquit, *accepimus.* Censuram certe a Miræo non accepit; apud quem nihil lego de Isidoro; ejusque continuatoribus, præter brevem eorum notitiam, seclusa omni de illis censura. Ego sane Isidorum Pacensem (de illo quippe hic potissimum agimus) ad auctores apocryphos amandare non ausim. Sic ergo is loquitur pag. 12, a me tamen hic illic correctus, et alicui saltem intelligibiliori sensui restitutus.

calamitas Hispaniæ;

166 *In æra* DCCLXIX... *dum a supranominatis Hispania vastaretur, et nimium non solum hostili, verum etiam intestino furore confligeretur, Muza et ipse... penetrat; atque Toletano urbem regiam usque inrumpendo, adjacentes regiones pace fraudifica male diverberans; nonnullos se-* F *niores nobiles viros, quicumque remanserant, per Oppam, filium Egicæ regis, a Toleto fugam arripientem gladio patibuli jugulat, et per ejus occasionem, cunctos ense detruncat; sicque non solum ulteriorem Hispaniam, sed etiam citeriorem, usque ultra Cæsaraugustam, antiquissimam et florentissimam civitatem... depopulatur: civitates decoras igne concremando præcipitat* etc. *Cordoba in sede dudum patritia* [*quæ*] *semper exstitit* [*et*] *præ ceteris adjacentibus civitatibus opulentissima; et* [*quæ*] *regno Vuisse Gothorum primitivas inferebat delicias, regnum efferum collocant. Quis enim enarrare queat tanta pericula ? ... Sed ut in brevi cuncta legenti renotem * flagella,... quidquid historialiter capta Troia pertulit, quidquid Hierosolyma, prædicta per Prophetarum eloquia bajulavit* etc. *Omnia et tot* [*una*] *Hispania... tam in honore, quam etiam in dedecore experta est.* Ex his discimus calamitates Hispaniæ generatim.

* *forte renovem*

qua a Roderico archiep. Tolet.

167 Quo autem loco tunc ibidem fuerit cum divino cultu liturgia sacra, facile intelliges ex Roderico, archiep. Toletano, graphice et pathetice divinarum rerum statum tragicum exponente, lib. 3 De rebus Hispaniæ cap. 22: *Conticuit religio sacerdotum, cessavit frequentia ministrorum, abscessit*

A *abscessit diligentia prælatorum, periit doctrina fidei, et Sanctorum unio, pater solvitur Orthodoxorum : sanctuaria destruuntur, ecclesiæ diruuntur; et quæ laudabant in cymbalis, provocant in blasphemiis.. solemnia penitus cessaverunt, et ecclesiæ organa in blasphemiam transiverunt : non est, qui jubilet in ecclesiis... defœdat abusio ornamenta... adeo enim pestis invaluit, quod in tota Hispania non remansit civitas cathedralis, quæ non fuerit aut incensa aut diruta. Arabes. enim quæ vi non poterant subjugare, falso fœdere deceperunt, Oppa filio Egicæ Hispalensi episcopo suadente, ut subjecti Arabibus viverent sub tributo; et si forte Dominus patriam visitaret, fierent subvenientibus in succursum. Et sic fraudibus circumventi reddiderunt oppida et præsidia civitatum. Et isti dicti sunt Mixtiarabes, eo quod mixti Arabibus convivebant; quorum hodie apud nos nomen perseverat et genus.*

circa res sacras magis determinatur.

168 Quod hic dicitur de etymologia Hispanorum sub tributo inter Arabes habitantium, suo loco discutietur, ubere admodum inde subministranda B materia, explanandi statum liturgiæ sacræ sub dominio Saracenorum seu Arabum, simulque inquirendi, unde Mozarabes nomen traxerint. Interea pergit Rodericus : *Et tali fraude Arabes fere omnia occuparunt; et omnibus occupatis rupto fœdere, thesauros ecclesiarum et divitias incolarum pariter exhauserunt.* Idem Præsul Toletanus cap. 17 præmiserat causas dissensionis, propter quas miserandæ adeo vastationi Hispania fuit involuta; de quibus videri potest Baronius ad annum Christi 713; quæque noster Britius in compendium ex eo contraxit. Quæri hic præterea potest, quo determinate anno lamentabilis illa catastrophe acciderit.

Quo determinato anno

169 Auctores cum exteri tum Hispani in hoc anno presse figendo ac definiendo non consentiunt; sed lis ista non magni sane est momenti; cum tota quæstio ventiletur non circa ingens aliquod temporis discrimen, sed circa paucos solummodo annos; quo fit, ut alii præcisum annum anticipent, alii diutius differant. Constat interim, rem gestam esse ineunte seculo VIII. Primo ponam in medio sententias auctorum, qui de illa epocha invasionis Hispanicæ tractarunt. C Deinde breviter dispiciam, quænam opinio vero proximior censeri posse videatur. Baronius itaque illud factum illigat anno 713, cum Labbeo; anno autem 714 Joannes Vasæus, Mariana, Aguirrius tom. 3, pag. 67, ne plures commemorem; qui propterea quod non sint antiqui, numerum facere dumtaxat possunt, non fidem; testant excellentissimo comite Mondexarensi in Historiis eccl. parte 1, pag. 30, ruinam Hispaniæ ab historicis Hispanis passim affigi anno 714 prædicto; recte addens, eos *supponere* potius quam *examinare,* eo anno Saracenos in illam ingressos esse.

illa contigerit,

170 Franciscus de Berganza Antiquitates Hispaniæ propugnatas anno 1719 in lucem dedit; in quarum appendice pag. 555 sic refertur ex Chronico Æmilianensi : *Rodericus regnat annis tribus. Istius tempore æra* DCCLII (anno Christi 714) *Sarraceni.. Spanias occupant.* At vero quod illud Chronicon diu post istum annum litteris mandatum sit, argumento sunt sequentia : *Regnum Gothorum capiunt; quem * adhuc usque ex parte possident; et cum eis Christiani die noctuque bella iniunt *, et quotidie confligunt; sed eis ex toto Spania * auferre non possunt.* Dissentit ab isto Chronico aliud Chronicon, extractum ex libro Kalendæ antiquæ, cathedralis Burgensis, apud laudatum Berganzam pag. 561; ubi habentur ista ; *Æra* DCCXLIX *intraverunt Hispaniam Sarraceni tempore Roderici, regis Toletani*; quæ æra respondet anno Christi 711. Annales Compostellani, qui extracti notantur ex una copia, asservata in bibliotheca monasterii S. Martini Matriti, loco citato, pag. 562 eidem consonant, quando ita dicunt : *Æra* DCCXLVIIII *intraverunt Hispaniam Sarraceni tempore Roderici, regis Toletani.*

* quod
* incunt
* Spaniam

SEC. III.

non convenit inter auctores.

171 Annales Complutenses, ex variis, ut eorum textui prænotatur, copiis desumpti, ibid. pag. 565 in anno congruunt cum Chronico Æmilianensi jam citato, prout ex eorum verbis constat : *In æra* DCCLII *venerunt Sarraceni in Hispaniam tempore Roderici regis, et præoccupaverunt eam; sed non totam.* Sed cum pleraque mox producta instrumenta in signando anno, hic controverso, pugnent inter se, neque de eorum merito satis mihi constet; neque operæ pretium sit, illud quanti sit valoris, Chronica ista singulatim excutiendo, determinare; frustra volueris E quidquam inde certi extundere. Sunt, qui fatalem illam Hispaniæ cladem serius accidisse memorent; quos inter numerandus Franciscus Tarapha, canonicus Barcinonensis, De origine ac rebus gestis regum Hispaniæ; ubi ad an. 710, eam affigit anno Christi 717. Singularis est Sigebertus in Chronico, apud quem illa catastrophe notatur ad annum 720. Pagius denique in Critica historico-chronologica Baroniana adhæret anno 711.

Neotericus scriptor

172 Proposui hactenus, quam varia apud varios in figendo presso famosi Hispaniarum interitus anno sit ratio. Sed absit, ut tantilla pauculorum annorum discrepantia ullam injiciat nostro instituto circa res liturgicas prosequendo moram; cum nihil nostra intersit, aliquotne annis serius aut citius catastrophe ista acciderit. Quæ cum ita sint, aliud nihil faciendum censeo, quam lectori assignare neotericum aliquem auctorem, qui præsentem controversiam diligentissime proposuit, explanavit, illustravitque. Est is V. Cl. Josephus Perezius, Benedictinus; qui Dissertationibus suis ecclesiasticis, anno 1688 Salmanticæ editis, adjecit Appendicem secundam a pag. 319; quæ est F Dissertatio chronologica de supremæ cladis Hispaniæ a Saracenis illatæ anno.

presse istum annum figere conatur.

173 Postquam itaque Vir apprime eruditus, ex aliis cum antiquioribus tum recentioribus bene multa præmisisset, quæ ad extricandam hanc difficultatem conductura sperabat; suam deinde mentem a pag. 335 exponit, re tota majoris perspicuitatis ergo in varias distributa assertiones : quarum prima dicit, nec ante annum 711, nec post 715 illam cladem contigisse. 2. Non esse improbabile, quod ea in annum 711 inciderit. 3. Minus esse probabile, quod anno 713 acciderit. 4. Improbabile prorsus, quod in annum Christi 714 incurrerit. 5. Ex dictis concludit, Hispaniam anno Christi 712 in Saracenorum potestatem venisse. Quæ omnia pluribus apud laudatum chronographum deducta reperies, ne prætermisso quidem individuo mensis et hebdomadis die, de quibus agit pag. 343, dicens quo et cur in hoc quam in illud potius propendeat. Quæ postrema utcumque se habeant; ex anterioribus certe talem se Perezius apprime comprobat, ut in profunda et abstrusa abysso intimos ejusdem scrutatus angulos videatur. Quæ tamen ex

laudato

SEC VIII

laudato auctore recitavi, ita accipi volo, ut, etiamsi ulterius omnium examen chronophilis discutiendum, et ad regulas temporis exigendum relinquam; credam tamen, Perezium propius ad verum accedere. Nunc alia me vocant, quæ meo de rebus liturgicis sub Saracenorum tyrannide instituto magis sunt accommodata.

§ II. *Mozarabes, eorumque Officium sacrum; qua lege, et ubi illud exerceri permissum; nominis etymon.*

Christiani sub tributo vivunt inter Arabes.

Exhibui superius ideam quamdam genericam de extremis Christianorum in Hispania sub tyrannica Saracenorum captivitate gementium calamitatibus. Quædam subjicienda nunc sunt, quæ eorum atque adeo rerum sacrarum ac liturgicarum statum magis in particulari explicent. Quæ supra tangebat B Rodericus de tributo, a Christianis, tunc mixtim inter Arabes viventibus, persoluto, pressius hic exponenda videntur. Isidorus Pacensis ita refert : *Æra* DCCLIII (quæ si vere in auctore prorsus mendoso sic signari debet, respondet anno Christi 715) *Abdellaziz omnem Hispaniam per annos* III *sub censurario jugo pacificans* etc. Tributum vero nunc increvisse, nunc decrevisse, docet idem Isidorus his verbis : *In æra* DCCLIX.... *Ambiza vectigalia Christianis duplicata exagitans, fascibus honorum apud Hispanias valde triumphat.* Quibus succedunt mitiora; nam *Æra*,inquit,DCCLXIII... *Sarracenus Jahic nomine... acri ingenio Hispaniæ Sarracenos et Maures pro pacificis rebus olim ablatis exagitat, atque Christianis plura restaurat.* Hæc de tributis, quæ ingentis luctus exigua Christianis eorumque rebus factis exstitere solatia.

Viri præclari, qui tunc vixerunt;

C 175 Nec vero exiguo afflictis rebus solatio fuerint viri præclari, qui tunc in Hispania vivebant, teste Isidoro; quos inter ea, quæ scribit sub æra DCCLVII commemorat : *Per idem tempus Fredericus* * *Accitanæ sedis episcopus, Urbanus, Toletanæ sedis, urbis regiæ cathedralis veteranus melodicus, atque ejusdem sedis Euancius* * *archidiaconus nimirum doctrina et sapientia, sanctitate quoque, et in omni secundum Scripturas spe, fide et charitate, ad confortandam Ecclesiam Dei, clari habentur.* De epistola Evantii, archidiaconi Toletani, contra eos qui sanguinem animalium immundum esse judicant, et carnem mundam esse dicunt, anno circiter 730, agit Aguirrius tom. 3 pag. 86, ubi hanc epistolam ipsi vendicat. Porro locum hunc Isidori Pacensis expendit Nicolaus Antonias lib. 6, pag. 354. Ex his intelligitur, res sacras et liturgicas calamitosissimis illis temporibus miserrimum in modum obscuratas atque afflictas, non tamen omnino exstinctas fuisse; quandoquidem Christiani, sub tributi pensione inter Arabes vivere permissi, ritus quoque sacros, quam minima poterant novorum suorum dominorum offensione, alicubi exercuerunt. Id quod magis fiet perspicuum ex iis, quæ subdo.

* al. Frodoarius

* al. Ouantius

Pelagius fuit Atlas Christianorum;

176 Rodericus lib. 4 De rebus Hispaniæ cap. 1, *Deus omnipotens*, ait, *in ira sua misericordiæ non oblitus, Pelagium quasi scintillam modicam in suo conspectu voluit conservare. Hic Pelagius... fugiens a facie Vitizæ, qui eum voluerat excæcare, apud Cantabriam se recepit; sed audiens succubuisse exercitum Christianum, et Arabes quæque desiderabilia invasisse.. Asturiis* D *se donavit, ut saltem in Asturiarum angustiis posset Christiani nominis aliquam scintillam conservare. Sarraceni enim totam Hispaniam occupaverant, gentis Gothicæ fortitudine jam contrita,nec alicubi resistente, exceptis paucis reliquiis, quæ in montanis Asturiarum, et Biscagiæ, Alavæ, Guipuscuæ, Ruchoniæ, et Aragoniæ remanserunt: quas ideo Dominus reservavit, ne lucerna Sanctorum in Hispaniis coram Domino extingueretur.* Ceterum de Pelagio, qui instar Atlantis res Christianorum suis humeris sustentavit, hostesque mirabili victoria fudtt non in gladio, sed in nomine Domini, *Dei manu*, ut verbis Roderici utar, *pro suis... misericorditer dimicante*, agit idem scriptor in citato capite, uti et cap. 2 et 4. Christianis itaque spectabili adeo Domini exercituum protectione triumphantibus erecta spes, revocati animi; ut suspicari merito liceat, novum quemdam, tametsi pro ratione temporis ab anteriore plurimis gradibus minorem, rebus liturgicis usum accessisse in Asturiis. E

quibus quid Toleti,

177 Quin imo in mediis barbaræ captivitatis angustiis, et in ipsa quondam regiæ civitatis sede, quisnam favor ab hostibus indultus fuerit Christianis, et sacris eorum Officiis, accipe ex mox allegato cap. 3; e quo delibo ista : *Postquam vero urbs regia fuit non irruptione, sed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Sarraceni postea irruperunt, clerus et Christiani ejecti cum aliis, qui in Hispaniis servituti barbaricæ mancipati elegerunt degere sub tributo, permissi in lege et ecclesiasticis institutis, et habere pontifices, et euangelicos sacerdotes; apud quos viguit Officium Isidori et Leandri, et viget hodie* (seculo nimirum decimo tertio, quo Rodericus floruit) *in sex parochiis Toletanis. Igitur qui sic inter Arabes Toleti mansere*, inquit Blasius Ortizius in summi templi Toletani Descriptione fol. XCVI verso, *iis sex urbis ecclesiæ, ubi rem divinam facerent, a barbaris permissæ sunt, divorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, Justæ nominibus dedicatæ, in quibus ritum illum Isidorianum, qui incolumi florentique civitate in templis omnibus canebatur, captiva etiam quadringentos ferme annos Mixtarabes illi conservarunt. Quo factum est, ut Toletanum jam Officium appellaretur.* Sed de isto cognomento F plura dabo ad finem hujus paragraphi. Eugenius de Robles, pastor S. Marci, et sacellanus in sacello Mozarabum sanctæ ecclesiæ Toletanæ, anno 1604 Compendium edidit de Vita et gestis Cardinalis Francisci Ximenez de Cisneros, in quo et de Officio ac Missa Mozarabicis; ubi cap. 21, a pag. 212 tractat de ecclesiis Mozarabicis, quæ Toleti conservatæ fuerunt, in destructione Hispaniæ, et de earum rebus, quas notatu dignas censuit.

et in civitate Oscensi indultum sit;

178 Franciscus Didacus de Aynsa in opere De rebus memorabilibus etc. civitatis Oscensis lib. 1, cap. 7, pag. 26 singularem locum Christianis ibidem degentibus indultum fuisse ab Arabibus memorat. Textum ejus ex Hispanico sic reddo : *Providentia divina... elegit.. ad suorum tutelam in civitate Oscensi antiquum templum S. Petri veteris, quod hodiedum durat; in quo congregabantur fideles, ibidem degentes, ut divinis Officiis interessent, et cœlestem cibum comederent : persolvendo tamen Mauris pro hac re certo tributo, sicut faciebant Cæsaraugustæ. Isti Christiani Mozarabes Oscenses vixerunt intra limites parochiæ, quæ hodie est S. Petri, toto tempore, quo ista civitas*

A *tas subfuit potestati Maurorum: ita ut numquam in illa civitate defecerint Christiani; et ecclesia S. Petri nullo tempore destructa fuit, nec occupata a Mauris, ædificii, quod hodie videtur, integritate semper conservata.* Quæ omnia auctor iste fecisset multo credibiliora, si ex fide alicujus antiqui scriptoris ea retulisset. Fateor interim, non esse mihi satis causæ, ut negem, alibi fortasse locorum in Hispania, aliquid in hoc genere fuisse indultum Christianis, inter Arabes degentibus, quos Mozarabes sæpenumero jam vidisti a me per decursum hujus tractatus vocitari; et quorum etymologiæ origo nunc discutienda est.

Unde dicti sint Mozarabes,

179 Porro sicut quæstio ista apud scriptores notissima atque agitatissima est, ita alia ab aliis initur via, ut ad veram ac genuinam istius nomenclationis originem perveniant. Excellentissimus comes Mondexarensis in suo opere, quod inscribitur Prædicatio S. Jacobi in Hispania, cap. 24 tractans de origine ac progressu Officii Mozarabici, erudite præsentis quæstionis argumentum explanat a fol. 135; et quia ejusdem clarissimi scriptoris contextus e variis aliis auctoribus, quorum loca distincte allegat ad marginem, depromB ptus est, videtur mihi operæ pretium, totum hic lectoris oculis textum subjicere, ex Hispanico, quo auctor iste scripsit, a me versum; ut plane intelligi possit, quid tenuerint alii, qui ante ipsum scripserunt, et quid ipse tenendum censeat. Incipit ab his Roderici verbis, superius a me productis, *Isti dicti sunt Mixti-arabes, eo quod mixti Arabibus convivebant, quorum hodie apud nos nomen perseverat, et genus*; et mox pergens, *Cujus*, inquit, *deductio Latina est communis in omnibus nostris scriptoribus, exceptis Stephano de Garibay lib. 8, cap. 49, et Petro de Alcozer Historiæ cap. 44, qui dixerunt, eos illud nomen accepisse in memoriam Muzæ Arabis, celebris Maurorum ducis, quando subjugata fuit Hispania. Sed tutiorem originem nobis offert ipsamet lingua Arabica, unde procedit; secundum id, quod in illa magis versati sentiunt, sicut demonstrabimus.*

disserit excellentissimus comes Mondexarensis,

180 *Arabes enim distinguunt primos suæ provinciæ habitatores, quos vocant* ARABES ARABICOS; *quod tantumdem est dicere, ac primitivos aut ge-*C *nuinos, consonatque iis, quos* ABORIGINES *Latini,* AUTOCHTHONAS *Græci dixere, respectu illorum, qui postea per accidens in illa propagarunt, quos nominant* ARABES ARABIZANTES, *et in lingua sua propria* MUSTARABE: *quo denotant, eos origine Arabes non fuisse et natura; prout observant, quotquot moderni sese linguarum Orientalium studio dedicarunt, et inter alios Jacobus Golius, Eduardus Pocockius, Abraham Echellensis, Joannes Henricus Hotingerus, et Samuel Bocart; cujus verba, quia breviora, sufficiet repetere. Dicunt ergo,* inquit, citans Borcartum in Phaleg. lib. 2, cap. 30 *Porro soli Jactanis posteri pro* ARAB ARABE, *id est, genuinis, Arabibus haberi volunt; alios* ARAB MUSTARABE, *id est, Arabes factos esse pertendunt. Istam eamdem distinctionem eorum scriptores conservarunt manifestam, etiam postquam subjugarunt Africam, secundum id, quod affirmat Joannes Leo in Descriptione Africæ pag. 42, ex edit. Elcevidiana *, versatissimus in illius regionis notitiis, ubi educatus est, errorem popularium suorum sequens, donec baptismus ipsum captivum ab eodem liberavit: et sic dicit:*

* Elzeviriana, *haud dubie.*

181 " *Veteres illi Arabes, qui ante Ismaëli-* " *tas fuere, ab historiographis Africanis,* ARABI, " ARABA, *hoc est* ARABES ARABICI *vocitari solent.* " *Qui ab Ismaele genus duxisse dicuntur,* ARABI " MUSTARABA, *id est, Arabes (ut ita loquar)* " *inarabati, vel Arabes per accidens nominan-* " *tur, eo quod non sint Arabes nativi.* " *Idem repetit Ludovicus del Marmol Historiæ Africæ lib.* I, *cap.* 18, *cum testimonio Ibni Alraquiq, per cujus auctoritatem affirmat, quod* " *Africani* " *vocent Arabicos tribus modis. Eos, qui propa-* " *garunt in Arabia ante Ismaëlem, vocant* ARAB " ARUB, *quia sunt descendentes Arub; et istos* " *dicunt esse nativos Arabes. Illos, qui sunt* " *Ismaelis, vocant* A R A B M I S T A R A B A, *quod* " *vult dicere Arabes Arabicos: quia istos in-* " *quiunt non esse natos Arabes, sed quod sum-* " *pserint linguam Arabicam. Et eos, qui tran-* " *sierunt propagaturi in Africa, vocant* A R A B " M A S T E G E M E, *quod vult dicere Arabes Bar-* " *bariscos.* "

SEC. VIII. Arabum duplex distinguendo genus:

182 *Eamdem itaque ob rationem Christianis, qui manserunt, ut viverent in Hispania inter Mauros, dum eos obligassent ad lingua sua loquendum, sequendos mores suos, ac leges politicas, nomen dedere Mustarabum ipsimet Mauri,* E *qui in ipsos dominabantur, ad significandum, quod non essent Arabes natura, tametsi accidentaliter arabizarent; id est, loquerentur, mores, leges, et indumenta Arabum sectarentur. Unde modica cum variatione nomen Mozarabum, quo de loquimur, corruptum est.* Et post paucula, quæ his addit Mondexarensis ex aliis auctoribus, inter quos est Alfonsus Ortizius, citatisque ex dicti Missalis dedicatoria his ejus verbis, *Ut opinor, dicti sunt Mozarabes, hoc est inter Arabes degentes*; laudatus Mondexarensis concludit: *Atque illud est verum mea sententia nomen, propter quod Mozarabicum dictum sit Officium Gothicum, quo utebantur Christiani nostri, qui vivebant dominio Arabum subjecti.*

unde dictum etymon probat:

183 Sententiam hanc exponit et amplectitur Pagius ad annum 714, num. 7, pag 181, quando citatis a se Roderici verbis subdit ista: *Eduardus Pocockius Anglus, linguarum Orientalium, præsertimque Arabicæ peritissimus, vestigiis Abulpharagii inhærendo, docet nos in Specimine historiæ Arabum, Arabas, qui ab Ismaele genus ducunt, dictos fuisse, Most Arabas seu insititios, eo quod non essent ex primis Arabiæ incolis oriundi,* F *nec genuini Arabes. Hoc modo omnes externæ stirpis, gentis, et religionis inter Arabas viventes, vocati sunt ab ipsis Mostarabes. Verum Hispani litteram* T *de hac voce tollentes, Hispano-Arabes appellarunt Mos Arabes. Pari modo urbs a Mauris vocata Astigia vel Estija, efferunt Hispani Ecija; Saragosta, Sarragoça pronuntiant, et multas Arabum voces, quas linguæ intruserunt, corrupere. At nonnulli eruditi opinati sunt, Rodericum, seu et Hispanos eodem præsule vetustiores, cum linguam Arabicam ignorarent, syllabam* Mos *a voce Latina* MIXTOS *corruptam existimasse. Verum hanc conjecturam linguæ Arabicæ periti sugillant, licet eam admiserit Mariana lib.* 6. *De rebus Hispaniæ cap. ultimo.*

cui suffragatur Pagius:

184 Et vero etymon Mozarabum, ab illa origine deductum, mihi videtur magis ad verum accedere, quam illud, quod tradit Rodericus; nam, uti recte notat illustrissimus Petrus de Marca in Marca Hispanica libro 3, cap. I. *Dicti. Christiani Muzarabes, non eo, quod essent misti Arabibus, ut Rodericus Toletanus observavit, posterisque*

hinc aliæ quædam nomenclationes

SEC. VIII.

posterisque persuasit ; nam huic originationi ipsa scripturæ constans ratio refragatur, quæ Muzarabes illos perpetuo vocat, non autem Mistarabes. Perperam item ad indagandum Mozarabum etymon recurri videtur ad Muzam Arabem. Nonnullos eo recurrere, dicebat superius comes Mondexarensis ; quibus adde laudatum illustrissimum de Marca, ibidem sic prosequentem : *Muzæ Arabis beneficio hanc libertatem consecuti, ejus se nominis patrocinio contra sequentium principum impotentiam tuebantur, ac deditionis suæ conditiones ea nomenclatura explicabant.* Sed respondet Pagius loco citato, num. 8 : *Hæc etymologia ob eamdem, qua præcedens, rationem rejicienda.* Blasius Ortizius in Descriptione summi templi Toletani fol. XCVI verso, *fabulam* et *commentum* vocat Mozarabum appellationem a Muza petitam : *commentum*, inquam ; quod utique *nullo quidem*, uti addit, *testimonio dumtaxat idoneo nititur.*

videntur non subsistere.

185 Hæc tamen etymologiæ radix tamquam probabilior adoptatur apud Labbeum tom. 9 Conciliorum, col. 1198 ; sed nulla, quæ majorem hac in re probabilitatem suadeat, ratio additur.
B Quid memorem aliam quamdam singularem sæpe dictæ nomenclationis rationem apud Franciscum Didacum de Aynsa De rebus Oscensibus lib. I, cap. 7, ubi hæc scribit : *Ut dicit Blancas in suis Commentariis, Muza in Arabico vult dicere Christianum ; sicque dicunt Muzarabes aut Mozarabes ; tamquam si dicamus, Christiani mixti Arabibus* ; voluerit, ni fallor, dicere *Christiano-Arabes.* Sed de vocis *Muza* significatione, quæ *Christianum* velit dicere, ipsi viderint. Hoc sane si verum sit, mirari equidem non satis possum, varios viros, quos modo dedi, linguæ Arabicæ periti apprime instructos, adeo fuisse hebetes et linguæ peregrinos, ut non adhibuerint istam vocem, quæ facili negotio radicem, de qua quæritur, e tenebris eruere potuisset. At nunc de etymo Mozarabici Officii satis superque dixi. Subdere juverit, cur illud vocetur *Toletanum*, et *mixtum.*

Unde officium Mozarabicum sit vocatum Toletanum et mixtum.

186 Sive autem *Toletanum* dixeris illud Officium, quia in celeberrimo illo concilio Toletano IV magnum adeo splendorem acceperit ex iis, quæ ibi sancita sunt, ut Toletanum nomen inde
C fecerit suum ; sive quia illud Officium in Toletanæ urbis ecclesiis ex indulto Arabum Christianis concesso frequentatum fuerit per quatuor fere secula, quibus sub eorum dominio ibidem perseveravit, sive quia per dictum concilium in toto Hispaniæ regno ad uniformitatem revocatum fuit; sive, inquam, ex causis hisce simul omnibus, sive ex earum singulis hoc etymon derivaris ; nihil magnopere refragabor. Consuli interim potest Garibayus lib. XI Compend. histor. Hisp., et notatio apud Labbeum paullo ante citatum. Origo autem, cur illud Officium nominetur *mixtum*, videtur referenda ad posteriora tempora, teste Cardinale Bona lib. I cap. XI in fine, ubi hæc scribit : *Confessionem more Romano, et alias orationes ante Introitum, sicut et Antiphonam Salve Regina in fine addidit Officio Gothico Franciscus Ximenius*, Cardinalis et ecclesiæ Toletanæ archiepiscopus, suo post loco laudandus. *Addidit etiam Officia quædam Sanctorum, et alia festa recentioris ævi ; atque adeo propter hæc quæ adjecit, Missale mixtum nuncupavit.* Non video tamen, cur illud cognomentum ad anteriora secula reduci non queat, ac dici, quod quia Missali Isidoriano, ut vocant, varia subinde a variis episcopis D
sacræ liturgiæ studiosis intermixta adjectaque sunt, ideo a memorato Cardinale Ximenio editum fuerit hoc titulo : *Missale mixtum secundum regulam B. Isidori* ; cui Missali ita pie mixto, hoc seculo octavo errores ab hæreticis bene multos alicubi impie admixtos fuisse, mox intelliges.

§ III. *An et quousque liturgiæ Mozarabicæ exemplaria, Felicis Urgelitani et Elipandi Toletani erroribus corrupta.*

Felix et Elipandus ex depravatis Mozarabici Officii locis

Quemadmodum Officium Mozarabicum sub initia, sicut dictum est, hujus octavi seculi maximam fecit jacturam, usu pene funditus abolito rerum sacrarum per invasionem gentis barbara ; sic etiam id primævo suo splendore et antiqua integritate multa damna tulit, exeunte eodem isto seculo, inter medias exterorum hostium E
procellas, a duobus Hispaniæ episcopis, Elipando videlicet et Felice, quorum hic Urgelitanæ ; ille Toletanæ cathedræ præsidebat. Quamquam enim Missale Mozarabicum a viris sanctis et doctis erat concinue ordinatum, recognitum et approbatum, inventi tamen sub finem seculi octavi in aliquibus ejusdem exemplaribus fuere errores ; sive illi per inadvertentiam eo irrepserint, sive per fraudulentiam et malitiam quorumdam episcoporum Hispâniæ, qui tuebantur hæresim adoptivæ filiationis Jesu Christi, eodem fuerint intrusi. Cardinalis Bona libro I, cap. XI, num. 2. *Quamvis*, inquit, *hoc Officium a viris sanctis et orthodoxis compositum fuerit, Hispania tamen ab infidelibus devastata, ita erroribus refertum est, ut Elipandus, Toletanus episcopus, ex ipsis Officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam hæresim adstruendam ; ut constat ex Albino Flacco, libro adversus eumdem Elipandum.* Novæ itaque hujus sectæ primipili Felix et Elipandus, pluribus Patrum textibus fœde corruptis, et in sui erroris sensum detortis abutebantur. Porro de hæresi Felicis et Elipandi, Christum Dei Filium adoptivum blaspheme appellantibus, plura congerit Nicolaus Antonius lib. 6. F
cap. 2, post Baronium ad annum 783, 792, et 794.

suos errores tueri satagunt; sed condemnantur

188 Huc spectat, quod ad tuendum suum errorem allegaverint orationes ex Missali Hispanico, in quo voces *adoptivus* et *adoptio* applicantur Jesu Christo ; adduntque, orationes illas dictas atque adeo approbatas fuisse a S. Eugenio, S. Ildephonso, et S. Juliano, qui omnes tres Toletanæ sedis antistites exstiterant. Hæresim hanc anno 794 condemnavit concilium Francofordiense, ejusdemque episcopi in epistola synodica ad Hispaniæ præsules missa, ut illos ab errore suo revocarent, objectionem e Missali isto deprompptam, his verbis referunt apud Labbeum tom. 7, col. 1034 ; apud Aguirrium vero tom. 3, pag. 105 : *Sequitur in eodem libello vestro : Item prædecessores nostri Eugenius, Hildephonsus, Julianus, Toletanæ sedis antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in Missa de Cœna domini :* QUI PER ADOPTIVI HOMINIS PASSIONEM DUM SUO NON INDULSIT CORPORI. *Item in Missa de Ascensione*

A *scensione Domini* : HODIE SALVATOR NOSTER POST ADOPTIONEM CARNIS, SEDEM REPETIVIT DEITATIS. *Et cetera, quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis.* Concilii Patres huic objectioni opponunt textus Euangelii et S. Pauli apostoli, ubi Jesus Christus appellatur verus ac proprius Filius Dei Patris. Et mox subdunt ista :

a concilio Francofordiensi.

189 *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Hildephonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis et sancta Dei non habet Ecclesia; nec vos illis exaudiri putamus. Et si Hildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius Pontifex Romanæ sedis, et clarissimus toto orbe doctor, in suis orationibus semper eum unigenitum nominare non dubitavit; in oratione enim* etc.

Alcuinus arguit Felicis malevolam pertinaciam,

190 Alcuinus lib. 7 contra Felicem Urgelitanum episcopum col. 895 editionis supra designatæ ita loquitur : *Post testimonia igitur sanctorum Patrum, quæ multa quidem, et quædam etiam vere posuisti, sed omnimodis Catholicis, non hæreticis faventia, præsules quoque Hispaniarum inducis : quos tu orthodoxos dicis, in his, quæ posuisti, orationibus indubitanter hæretici esse dignoscuntur. Nisi forte et eorum dicta (sicut et in ceteris solebas) depravares; scilicet, ut quod illi bene dixerunt, tu in adjumentum erroris tui mutare, et alterum pro altero mittere ausus sis. Adserunt enim quidam ex illis Patribus, ubi tu dixisti vel* ADOPTIONEM, *vel* ADOPTIVI HOMINIS *eos dixisse pro* ADSUMPTIONEM, *et pro* ADOPTIVI ADSUMPTI : *et in hoc quoque tua malivola arguitur pertinacia. Si enim in tua sententia, quasi in veritate confideres, nequaquam ea, quæ ab aliis bene dicta sunt, in pravum sensum mutares. Veritas enim ubicumque est, semetipsam defendit.*

et veritatem orthodoxam confirmat.

191 Et sic concludit : *Sed sive mutata, sive, ut ab eis sunt dicta, hæc eadem testimonia a te sint posita, non magnopere curandum est. Nos enim Romana plus auctoritate, quam Hispana veritate adsertionis et fidei nostræ fulciri desideramus, licet nec illa reprobemus. In his tamen, quæ Catholice dicuntur, unusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab universali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ a Catholicis et recte credentibus sequenda esse probatur, se per verum Filium Dei et in Missarum solenniis, et in ceteris quoque omnibus scriptis suis,* C *vel in epistolis fateri solet eum, qui pro nostra salute homo fieri dignatus est, et crucis subire tormentum,* etc. Hæc Alcuinus contra impium dogma pro Patrum orthodoxia, et sacrorum codicum liturgicorum catholica integritate; fortius haud dubie locuturus et affirmatius, omissis *forte*, et *sive mutata* etc., nec non *adserunt quidam* etc., si codices ipsos inspicere per se potuisset; de qua re mox plura dicam : nam dum Pagius ad annum 783, num. 9 dicit : *Hanc hæresim Elipandus et Felix hauserunt ex male intellectis Missæ S. Isidori orationibus* : adeo non faciunt satis, ut nec nihil ibi dicat, nec omnia. Sed jam ad Elipandum redeamus.

Elipandum oppugnat; et suspecta reddit exemplaria

192 Alcuinus anno Christi 800; teste Pagio ad istum annum num. 18, opus suum, quatuor in libros divisum, adversus Elipandum absolvit; cujus ad objectionem e Missali Hispano obtrusam digressus a col. 953, *Dum tuæ*, inquit, *infidelitati, o venerande frater, ex aliis ecclesiarum Christi Doctoribus testes defecerunt, subito Toletanos, ut ais, venerabiles Patres protulisti, et illorum in Missarum solemniis orationes in auxilium tuæ sectæ adsumpsisti. Dicis, in Cœna Domini hujusmodi haberi orationem in eorum Sacramentis : Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo non indulget corpori nostro demum, id est iterum, non pepercit. Cujus petitionis verba sibi omnino non cohærent; et videtur a quibusdam corruptoribus pro* ADSUMPTI HOMINIS, ADOPTIVI *positum esse; quodque sequitur : Nostro demum, id est, iterum, non pepercit; sensu videlicet caret, nec satis lucet, quid his verbis significari voluit, qui hæc verba ad deprecandum Deum composuit.... In Præfatione vero ubi dicis : Et Jesu Christo Filio tuo, domino nostro, qui pietati tuæ per adoptivi hominis passionem : et forte ibi in antiquioribus exemplariis* ADSUMPTI HOMINIS, *positum fuit; sed corruptum postea.* Eamdemque, quam urget, perurgere ita corruptionem pergit :

SÆC. VIII.

e quibus hæresim suam is tuebatur,

193 *Quid est vero, quod sequitur : Cum non exierit e cœlo, exhibuerit e triumpho? Obscure dictum est : si tamen sensus in his verbis dignus inveniri poterit.... Quod ais in Missa S. Sperati martyris, adoptivi, inquit, hominis non horruisti vestimentum sumere carnis; inconveniens dictio est, adoptivi hominis vestimentum carnis.* Et mox circa Patres ista regerit : *Insuper et vestros* E *Patres et progenitores in Christo, quos ad vestra usque tempora Ecclesia Dei recepit, hæreticos efficere studetis. Quod quam impium sit et inhonestum, nemo pene doctus vel indoctus ignorat : quorum plurima ad nos pervenerunt scripta, Catholica fide veneranda, et summis Doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ convenientia. Quiescite, viri fratres, quiescite, et nolite vestri blasphemiam erroris Patribus imputare vestris... Beati itaque Isidori clarissimi Doctoris non solum Hispaniæ, verum etiam cunctarum Latinæ eloquentiæ ecclesiarum perplurima legebamus opuscula, et in magna habemus veneratione; in quibus nusquam de Redemptoris nostri humanitate adoptionis nomen exaratum invenimus. Sed et Juvenci presbyteri atque optimi scholastici.. carmina euangelicæ historiæ prospeximus... Juliani quoque Pomerii Prognostica... consideravimus; nec ibi aliquid hujus vestræ invenimus sectæ depictum. Venerabiliumque Patrum in Toleto synodales ad nos pervenerunt sanctiones, in quorum litteris nihil novi, vel antiquis contrarium Patribus; sed omnia Catholico stylo perscripta agnovimus.*

tamquam corrupta, male explicata, vel mutata.

194 Denique pessimam adversariorum suorum fidem incusans, depravationem sacræ etiam liturgiæ credibilem et verosimilem reddit ex eo, quod alias notasse se indicat Alcuinus, Doctorum catholicorum sententias perverse detortas, vel perfide immutatas fuisse a novæ istius hæreseos sectatoribus. Ita quippe subjungit : *Ideo magis æstimandum est, juniores quoslibet hujus novæ in fidelitatis catenis conligatos, ad perditionem sui ipsorum, dicta sanctorum corrumpere Doctorum... et omnibus acceptabilium catholicas sententias vel perverso interpretari sensu, vel perfida vos immutare temeritate agnovimus, veluti in aliquibus probavimus locis* etc. Hactenus Alcuinus; qui ingeniosis atque maturis observationibus valebat plurimum, ut ex Missali Hispano dissiparet obductas atra perversissimi dogmatis caligine nubes, expressiones, inquam, omnes, quæ favere poterant errori, Christum Dei Filium adoptivum blaspheme deblateranti.

Referuntur ex Baronio nonnulla

195 Baronius ad annum supra citatum 794 postquam egisset de conatu Elipandi, quo studuit suam hæresim propagare, uti et de subdolis ejus

SEC. VIII.

ejus artibus ac fraudibus, ostendit, quod suos decessores calumniose tradat erroris fuisse consortes, ac S. Ildephonsum injuste proscindat. Verba Eminentissimi viri, quoniam ad rem præsentem maxime faciunt, huc transcribenda censeo. Sic itaque se habent: *Ut autem ipsa veritas clarius elucescat, hic tibi reddenda putamus, quæ idem perfidus Elipandus in suo libello in Gallias misso de iisdem est mentitus prædecessoribus. Reperiuntur enim ista repetita in litteris a Patribus ex synodo ad eum redditis, his verbis: Sequitur in eodem libello vestro;* de quibus supra. *Hæc suo inseruit Elipandus libello fidei, non quod ista acceperit ex eorum, quos nominat, scriptis; sed quod scripta ea in Missali Toletanæ ecclesiæ (ut ait) in sacris oblationibus recitari solerent; sed an fideliter, vel, ut in aliis, fraudulenter, quod non adesset præ manibus, qui esset codex inspiciendus, ex quo (ut in aliis) idem Elipandus imposturæ convinci posset, Patres hæc tunc respondere:*

pro integritate liturgiæ Mozarabicæ;

196 *Hæc ex parentum vestrorum dictis protulistis, ut manifestum sit, quales habeatis parentes, ut notum sit omnibus, unde vos traditi sitis in manus infidelium. Quia hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negastis, vobis defensor est noluit, sed tradidit vos in manus inimicorum suorum, qui dominentur vestri, qui eum recipere noluerunt.* Deinde recitatis iis, quæ superius contra S. Ildephonsum dicta produximus, subdit Baronius: *Hæc Patres, quod scilicet, ut ille perfidus asserebat, putarent, ea Ildefonso auctore in sacris Missalibus vere legi.* Sed sanctum hunc Doctorem a calumnia vindicat Baronius, testimoniis ejus adversus errores Elipandi prolatis, prout ad dictum annum videri potest. Ceterum quod ad errores, ab impio isto jactatos, sacræque liturgiæ imputatos, spectat: statuenda videntur circa illos sequentia. I. Plane inducor, ut credam, novæ istius sectæ asseclas, obvia quæque in suæ pestiferæ doctrinæ defensionem arripientes, in Missale Mozarabicum sacrilege grassatos fuisse, atque ex sacræ liturgiæ a se facta depravatione subsidium sibi quæsivisse: quo factum sit, ut sensim sine sensu varii textus sacri ejusdem liturgiæ subdole coacti sint aliud enuntiare, quam et enuntiare debebant, et antea enuntiarant; idque referri posse videtur ad tempora subsecuta annum circiter 736, quo Theodiscus, natione Græcus, homo impostor, successorque S. Isidori pseudo-episcopus hæreticus (qui et de positus transiit in Mahometanam impietatem) primus in Hispania asseruit, Christum Dei Filium esse adoptivum Dei Patris omnipotentis, sicut Baronius ad dictum annum 794 refert. D

cujus exemplaria alicubi corrupta, sed postmodum abolita vel correcta sint.

197 Secundo. Neutiquam persuadeo mihi, hæreticorum licentiam eo usque in libros liturgicos grassatam fuisse, ut pleraque nedum omnia promiscue exemplaria depravarint. 3. Proin suspicor, nonnullos dumtaxat codices in tractibus Hispaniæ magis ab hæretica lue infectis, sortem illam subivisse. 4. Pono denique tamquam indubitatum, illos codices sacros, qui jam fuerant corrupti, postmodum vel abolitos, vel correctos, ac primævæ integritati restitutos fuisse, simul atque sæpe dicta hæresis ita desiit, ut vel nullos amplius habuerit sectatores; vel forte paucissimos, eosque occultos; pro qua re Brunus pag. 292 allegat factum anno 918 Ordonii, regis Legionis, et Sisenandi, episcopi Compostellani; de quo postmodum loquar, nunc, relicto octavo seculo, ad nonum perrecturus.

CAPUT V.

Monumenta quædam circa ritum Mozarabicum seculis IX et X ad posteros transmissa.

C

§ I. *Quid actum sit de Mozarabibus in urbe Cordubensi.*

Usus liturgiæ Mozarabicæ perseveravit in Hispania tum Toleti,

Seculum Christi IX, quod præ manibus habemus, sterilem rerum liturgicarum pandit myricam, ubi videlicet vix invenias, quod lectorem pascas. Apud Cardinalem Bona lib. I, cap. 12, num. 5 occurrit epistola Caroli Calvi imperatoris ad Clerum Ravennatem, e qua producitur sequens fragmentum: *Usque ad tempora abavi nostri Pipini, Gallicanæ ecclesiæ aliter, quam Romana vel Mediolanensis ecclesia, divina celebrabant Officia, sicut vidimus et audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ ecclesiæ ad nos venientes secundum morem ipsius ecclesiæ, coram nobis sacra Officia celebrarunt. Celebrata etiam sunt coram nobis Missarum Officia more Hierosolymitano... et more Constantinopolitano..; sed nos sequendum ducimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione.* Unde colligitur, jussu Caroli Calvi imperatoris accersitos fuisse sacerdotes, qui eoram se ritu Mozarabico rem divinam peragerent; adeoque istam liturgiam seculo IX, non ita tempore Arabum afflictam, ab Elipandi hæresi corruptam, ut quasi prorsus exstincta vel intermortua fuerit: imo vero in Hispania perseverasse, non obscure perspicimus; idque ulterius confirmabitur ex sequentibus. F

tum Cordubæ præsertim.

199 Ambrosius Morales Hispaniæ illustratæ, seu in corpore Hispanorum scriptorum tomo 4, Vitæ S. Eulogii presbyteri et martyris Cordubensis anno 859, a se editæ et illustratæ, notitias varias præmittit pag. 220 hoc titulo: *Qui status Christianæ religionis Cordubæ sub Arabum imperio D. Eulogii tempore fuerit.* Ex illis itaque notitiis juverit eas deligere, quæ prodesse possint et ad supplendam hujus seculi penuriam litterariam, et ad explanandas res Mozarabum Cordubensium, quando de Toletanis supra dictum est satis. Hæc igitur inde delibo: *Occupata ab Sarracenis Hispania, multis de causis barbari victores Christianis pepercerunt. Illudque eos in primis commovit, quod magnas lateque diffusas Hispaniæ provincias accolis ipsi implere non poterant. Ut igitur essent, qui agros colerent, consueta mercimonia exercerent, et tributa principi persolverent; Christianos nos in Hispania quoscumque potuerunt, conservavere.*

sec. ix.

A *servavere. Relictus iis fuit religionis cultus, templa multis intacta permanserunt; libereque permissum, ut Christiano ritu eadem frequentarent. Cordubæ vero major Christianorum numerus relictus, majorem etiam religionis cultum retinuit.*

quo summa rei Christianæ fuit ab Arabibus revocata celebratis ibidem 2 conciliis.

200 *In universum namque ea civitas multis modis ab Mauris jam inde fuit nobilitata. Sedes regni totius, quæ Hispali paucis annis constiterat (referentibus,* inquit, *Rasi et Ruderico Toletano antistite in Arabum Historia) per Abdalazim, Muçæ in Hispaniæ administratione successorem, eo fuit translata.... Et quoniam Cordubam cum imperii Arabici domicilio et sede ibidem constituta, summa omnia Hispaniæ jura tam sacra quam profana immigrarunt; Christianæ religionis dignitas atque potestas, quæcumque fuerunt, eo etiam ex tota provincia sese transtulerunt. Non quod Toletana ecclesia, ut fuit olim, et nunc quoque est, eo tempore totius Hispaniæ primas esse desierit.. Non quod Metropolitanum suum Hispalensem Cordubensis ecclesia non agnosceret; sed quia tyranni, cum omnia possent, et ad sese omnia revo-* B *carent, eo convenire ad concilium reliquos antistites cogebant, ibique de quibuscumque cuperent, rebus et consultare, et statuere volebant. Indicio suo* duo concilia Cordubæ per illa tempora congregata. Alterum, cujus D. Eulogius meminit, ab omnibus Hispaniæ metropolitanis cum subditis episcopis celebratum. Alterum, cujus in Sampsonis abbatis Cordubensis, de quo suo loco dicemus, Apologetico mentio fit.*

* sunt

Templa ibidem ac monasteria,

201 Templorum deinde Morales, quæ exstiterint tam intra quam extra urbem, catalogum contexit, uti et quorumdam monasteriorum; inter quæ pag. 221 ponit *Tabanense cœnobium, ipso D. Eulogii tempore constructum in* urbi vicinis *montibus.* Item *Pilemellariense monasterium sancti Salvatoris : et ipsum etiam eodem tempore, iisdem in montibus conditum, cujus etiam hodie ruinæ visuntur.* Exhibito itaque templorum catalogo, alia recenset Morales, e quibus de florente miserrimis istis temporibus rerum sacrarum fortuna edocemur, quæque ideam suggerunt, quidnam circa liturgiam Cordubensibus Christianis fuerit vel a barbaris dominis indultum. *In his,* inquit, *atque aliis multis templis, quæ nominare D. Eulogius non potuit, præterquam quod sacra fierent, docendi quoque cura et erudiendi quam* C *plurimos, consuetudo perseverabat. Id docet multis locis D. Eulogius, et in ejusdem Vita Alvarus : ubi etiam apparet, non vulgarem illum doctrinæ cultum, sed supra captivitatis et miseriarum, in quibus degebant fideles, tempora præcellentem.* Jam vero quod non solum divinæ liturgiæ exercitium, idque satis liberum Mozarabibus indultum barbari voluerint, sed veterem quoque ejusdem consuetudinem, ordinem, ritum ac cæremonias summa cum conniventia tolerarint, argumento sunt plurima alia externa indulta, quæ Christianis tum temporis licuit habere. Quæ omnia deduci possunt ex doctissimo Ambrosio Morale, qui sic pergit :

et plura alia Christianis indulta.

202 *Ipsa templa etiam intra urbem suas turres, ænea sua cymbala habuere, quibus Dei plebem assidue convocabant. Et durat adhuc Cordubæ exiguum unum, ab illis usque temporibus, ut suo loco referemus, conservatum. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines peculiari veste, legitimoque cultu amicti, detonsi etiam in publico conspiciebantur. Quæ omnia ex divo Eulogio, atque aliis duobus ejusdem seculi scriptoribus sunt manifesta. Neque sine pretio tamen, et recentibus semper ex actionibus, ut idem sanctus Martyr, et alii tradunt, concessa fuerunt. Unum illud tantummodo mortis etiam interminatione fuerat Christianis vetitum, ne pseudoprophetam eorum Mahometum maledictis incesserent, aut legi suæ cum probro detraherent. Hoc uno fideles Christi abstinerent, Arabum templa non intrarent, tributa persolverent; tuti, et pene liberi poterant permanere. Nam et comitum dignitas semper Cordubæ inter Moçarabes perseverabat; ut ex Samsone abbate, et Cypriani Cordubensis Epigrammatibus, per hæc ipsa tempora scriptis, constat : et quod in divo Eulogio legimus, publico exceptorum munere iidem fungebantur Christiani, atque inter tirones regios, de quibus suo loco dicemus, regiis annonis, ut ipsis sancti Martyris verbis utar, vescebantur. Et Samson abbas, cum de Servando comite initio libri secundi agit, aperte comitatum Cordubensem nominat; ut intelligere debeamus, Gothorum more Comitem Cordubæ Moçarabibus Christianis datum, qui eis præesset, jus inter eos diceret, et controversias aliquas leviores, neque ad publicam regis majestatem, fiscumve regium* E *pertinentes, decideret.*

Permissa item Cordubæ hierarchiæ ecclesiasticæ dignitas, uti et usus librorum :

203 Et vero hierarchiæ etiam ecclesiasticæ munera tum in usu fuisse, habemus e laudato scriptore, dum hæc subdit : *Inter sacerdotes etiam præter abbates, qui... templis præerant, archidiaconi atque archipresbyteri nomen et dignitas perdurabat. Cyprianus enim in illorum suorum Epigrammatum titulis archiepresbyterum sedis Cordubensis se appellat... Illud etiam scitu dignum, in templis etiam nostrorum publicas Cordubæ bibliothecas fuisse... Unam scriniis etiam insignem, quam in S. Acisli templo Adulphus comes reposuerit, idem Cyprianus archipresbyter longo epigrammate celebravit. Alterius etiam meminit, quam ipse Saturnino archidiacono magna ex parte perscripsit.* Sed in prosperis adeo ac præter captivitatis barbaræ conditionem feliciter succedentibus eventibus, quædam intermixta fuere, quæ Christianos fortunæ suæ memores redderent, et quam duram barbaris dominis servirent servitutem.

quamquam rebus adeo florentibus

204 *Sed enim,* inquit Morales, *cum hæc ita sint, Christianorum tamen contactum, referente divo Eulogio, tamquam in ipso contaminarentur, Saraceni prorsus devitabant; et ab illorum pueris nostri indigna multa in publico patiebantur. Tributa vero gravissima fuisse, idem sanctus* F *Martyr ingemiscit, et illud in primis, quod singulis mensibus solvebatur. Novis etiam tributis Christiani Moçarabes onerabantur : adeo ut de oblationibus omnium ecclesiarum partem solvere, novo tributo excogitato, cogerentur. Quod Samson de Servando Christianorum Cordubæ Comite, sed nefario homine loquens, his verbis deplorat* etc.; hoc inde malo consecuto, *ut venale sacerdotium sustinentes ipsæ basilicæ, non more solito dignos recipere, et indignos queant sacerdotes repellere* etc. *Hæc autem,* sicut subdit Morales, *sex octove annis post divi Eulogii martyrium facta fuisse, suo loco, plenius de Samsone agentes demonstrabimus.* In Chronologica autem ratione pag. 371 apud laudatum sæpius auctorem invenies Christianorum Cordubensium post regnum Ordonii primi, et Alfonsi cognomento Magni (quorum hic illius filius, anno Domini 862 regnare cœpisse, ibidem signatur; iste vero pag. 370 ponitur tunc obiisse) pluribus descriptam dispersionem ac lugubrem ruinam.

SEC. IX. *permixtæ fuerint calamitosæ.*

205 Non *tanta tamen fuit* ecclesiæ Cordubensis *hoc tempore dispersio, quin integra, templisque et viris optime constituta perduraret,* ut ibidem dicitur pag. 372; pro qua re affertur *in primis concilium multorum episcoporum Cordubæ paulo post divum Eulogium occisum, congregatum, circa annum nimirum Domini octingentesimum sexagesimum tertium, cujus in Samsonis abbatis Cordubensis libro Apologetico secundo fit mentio. Docent hoc ipsum præterea alia multa, quæ idem auctor eo opere commemorat... Sed enim multum diuque etiam post divum Eulogium Cordubæ templa, sacræ Deo virgines, et magnus religionis cultus vigebat. In templo namque divi Andreæ (quod semper ab sequentium temporum Christianis Moçarabibus retentum fuisse constat) introrsum in septemtrionali pariete lapis est centum viginti ferme post D. Eulogium annis, sacræ virginis et Deo dicatæ tumulo impositus;* uti ex litteris ibidem inscriptis exhibet Morales in sua Chronologia, eadem pag. 372, cujus ego verbis hic usus sum; additque sequentia: *Lapis autem extrorsum in cimeterio eidem pariete insertus,* B *satis aperte docet, idem templum ducentis post has virgines annis, Christianorum sub Arabibus semper fuisse,* ex epitaphio, quod transcribit idem chronologus. Videri etiam possunt, quæ de hoc ipso tumulo ibidem observat. Quæ omnia abunde indicant, quo loco fuerint hoc seculo nono res Mozarabum in civitate Cordubensi. De decimo ista accipe.

§ II. *Officii Mozarabici integritas seculo* x *comprobata.*

Pro integritate liturgiæ Mozarabicæ

Ad comprobandam sacræ liturgiæ Mozarabicæ per Hispaniam hoc decimo seculo usitatæ integritatem, exstat apud Cardinalem Aguirrium tom. 3, pag. 174 documentum sequens sub hoc titulo: *Era* CMLXII. *De officio Hispanæ ecclesiæ, Romæ laudato et confirmato. Ex Ms. ecclesiæ Toletanæ.* Documentum autem ipsum his verbis constat: *Regnante Carolo Francorum rege, ac patritio Romæ, et Ordonio rege in Legione civitate, Joannes Papa Romanam et Apostolicam sedem tenebat. Sisenandus vero Iliensi * sedi, retinenti corpus B. Jacobi Apostoli, præsidebat;* C *quo tempore Zanellus presbyter reverentissimus et prudentissimus a præfato Papa Joanne ad Hispanias est missus, ut statum ecclesiæ religionis, ejusdem regionis perquireret, et quo ritu ministeria Missarum celebrarent, diligenter perquireret, et comperta fideliter Apostolicæ sedi referret. Quod injunctum sibi officium præfatus Zanellus presbyter solerter complevit; et Hispanias veniens, omnem Ordinem ecclesiastici Officii, et regulam consecrationis corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi perspicaciter perscrutatus requisivit.*

* Iriensi

offertur testimonium:

207 *Canones et omnes libros Sacramentorum perlegit. Quæ cuncta Catholica fide munita inveniens, exultavit, et domino Papæ Joanni, et omni conventui Romanæ Ecclesiæ, ut invenerat, retulit. Officium Hispaniæ ecclesiæ laudaverunt et roboraverunt. Et hoc solum placuit addere, ut more Apostolicæ Ecclesiæ celebrarent secreta Missæ. Ergo hac auctoritate mansit ratum et laudabile Officium Hispanæ ecclesiæ, usque ad tempus domini Alexandri secundi Papæ;* de quo inferius dicetur loco suo. Quandoquidem vero illud instrumentum maxime conducit ad propositum D meum, et nonnulla in eo continentur, quæ materiem suggerunt ulterioris observationis, proxime exponam omnia, quibus hoc instrumentum dilucidari posse censeo.

cujus ratio temporis

208 Temporis imprimis, quo res isto documento contenta acciderit, habenda ratio est. *Æra* CMLXII, eidem prænotata, concurrit cum anno Christi 924; pro qua nisi scribi debeat æra CMLVI, ut respondeat anno Christi 918; vel ad summum æra CMLVIII, ut consonet anno æræ vulgaris 920; non cohærebit ratio temporis cum iis, quæ mox ex Ambrosio Morale, ac Baronio referam. Aguirrius sane vel non satis advertit ad æram CMLXII, quam dicto instrumento præmittit; vel non satis curavit combinationem ejus cum tempore, quo respexit, dum protulit documentum illud: nam collocat illud post testamentum, quod anno Christi 915 illigat; et ante privilegium, quod innectit anno 919: unde consequens est, ut non voluerit in medio isto inter annum 915 et 919 instrumento respicere ad annum 924, per æram CMLXII designatum, E sed ad annum priorem, forte 918, cum Baronio. Æram certe CMLII dictæ legationi præfixam non invenio apud Moralem lib. 12, cap. 19 (de quo loco statim plura dicentur) ut ab aliquo fortasse postmodum imperite adjecta fuerit, vel corrupta.

expenditur;

209 Nam ut nihil dicam de Ordonio II; cujus mortem tametsi Morales lib. 15, fol. 208 verso, innectit anno 924; fatetur tamen exactam de anno mortis certitudinem non exstare, rem aliunde conficiendam censens; ut videre est loco citato, et fol. 210; Mariana autem De rebus Hispaniæ lib. 8, cap. 2 illam affigit anno 923; Pagius denique eamdem refert anno 924; sed addit, *quot annis ipse et duo proximiores regnarint, in tantis historiæ Hispanicæ tenebris ab hoc anno usque ad annum* CML, *quo Ordonius III regnum iniit, detegi non posse:* ut nihil, inquam, dicam de anno mortis Ordonii II; æra enimvero 962 componi nequit cum morte Sisenandi, Iriensis episcopi, secundum ea, quæ ex Baronio paullo post circa illam narrabuntur: quæ ut subsistant, ad aliam æram recurrendum erit. Qua emendatione temporis adhibita, relucentes in producto legationis documento alii characteres chronologici apte inter se cohærere dignoscuntur.

F *et alia eidem substituenda probatur,*

210 Vivebant quippe tunc Carolus Simplex, Francorum rex; Ordonius item secundus, Legionis rex; denique Joannes PP. X, ac Sisenandus secundus, Iriensis episcopus. Ambrosius Morales Chronici generalis Hispaniæ lib. 12, cap. 19 dictum instrumentum producit Hispanice redditum, ex isto libro antiquo conciliorum, qui e monasterio S. Æmiliani ad Scorialense transiit; et de quo superius mentio facta est: sed idem auctor homonymia personarum deceptus, miserrime impegit in errores temporum; nam personas nominibus istis designatas, videlicet Sisenandum, Ordonium, Carolum, Joannem PP., illigat seculo nono; quo utique iste Sisenandus I, Ordonius I, Carolus Calvus, et Joannes PP. VIII vixerint, Sed libro 15. cap. 47, fol. 198 inter alia, quæ narrat ad annum 920, commissum errorem recte emendat, postea re considerata, clare intellexisse se significans, quod illa acciderint tempore Ordonii II, et Sisenandi II, nec non Joannis Papæ X: et sic cum dicto instrumento, tum personis in eo memoratis accommodatur

A commodatur et restituitur ratio temporis, de qua hic quæritur ; adeo ut nihil incommodare videam rationem chronologicam isti exemplari , quo minus eidem fides et haberi possit et debeat.

suffragante Baronio ex Ambrosio Morale ;

211 Baronius ad annum 918 et rem gestam , de qua hic agimus, illigat, et eam paullo aliter in quibusdam, quæ eidem acciderint, narrat ex Ambrosii Moralis Chron. Hisp. lib. 15 , cap. 47 jam a me designatis. *Annus* , inquit , *Redemptoris* CMXVIII.. *inchoatur, quo legatio missa est a sancto episcopo Sisenando, et ab Ordonio rege Legionensi ad Joannem X Romanum Pontificem : qui ea functus est legatione Joannes, aliter Joannellus appellatus reperitur. Hæc omnia ex veteri historia Compostellanorum episcoporum, in qua licet certus annus legationis hujus non habeatur expressus ; tamen ex eo quod ibi asseritur, eumdem legatum annum integrum Romæ fuisse detentum, et paullo post ipsum Sisenandum ex hac vita migrasse confectum senio, anno Redemptoris* CMXX ; *utique hoc anno potius quam alio aliquo eam contigisse legationem* , *possumus opinari.* Quænam vero res isti legationi ansam dederit, ibi-
B dem sic prosequitur laudatus Annalium ecclesiasticorum conditor :

Baronio, item dicti testimonii textum

212 *Quod autem ad legationem a Sisenando missam pertinet, eam præcessisse occasionem, eadem Compostellana Acta docent, quod Joannes PP., ut qui ex pluribus delictis conscientia sauciatus, animi dolore languesceret, inter alia salutis suæ remedia, illud excogitavit, ut nomine suo legatum mitteret Compostellam ad venerandum corpus Jacobi apostoli. Cum et litteras dedit ad dictum ejusdem loci episcopum S. Sisenandum, ut juges preces pro se funderet apud eumdem sanctum Apostolum, ut propitius sibi esset in hac vita, et in hora obitus sui. Qua prævia occasione, idem episcopus ad Joannem Pontificem, eumdem, quem diximus, Joannem presbyterum legavit, cui et Ordonius rex cum pretiosis muneribus apud ipsum Papam litteras dedit. Legatus ubi Romam pervenit, digne exceptus est ab eodem Pontifice, atque honorifice habitus, retentusque (ut dictum est) anno integro Romæ, sed non otiose. Siquidem occasione Missalis Mozarabici, quod tunc erat usui in pluribus Hispaniarum ecclesiis, magna*
C *oborta est controversia : nam cum Sisenandus in pervestigandis Romanæ Ecclesiæ sacris ritibus totus intentus, eos invenisset in multis plane diversos ab iis, qui in eodem codice continerentur, ex illis hos emendandi in iis, qui gravioris viderentur esse momenti, ab eodem Pontifice facultatem accepit :* SEC. X.

explananta,

213 *Cujus etiam explendi muneris gratia idem Apostolicæ sedis legatus ab eodem Papa decernitur. Qui multos ab Urbe receptos secum deferens libros, rediit in Hispaniam, et simul conferens, quamvis multa ritu diverso, in nullo tamen ea discrepare invenit a Catholica veritate. Quamobrem ad eumdem Pontificem rediens, visa ac cognita retulit in synodo, tunc coram eodem Pontifice congregata. Cui visum est, omissis reliquis ut levioris momenti, ut Romano ritu sacratiora illa potissimum verba, quibus ipsum divinitus institutum Sacrificium incruentum perficitur, proferrentur, quæ aliquibus additis vel mutatis, ita in dicto Missali scripta essent, videlicet:* HOC EST CORPUS MEUM , QUOD PRO VOBIS TRADETUR : *et :* HIC EST CALIX NOVI TESTAMENTI IN MEO SANGUINE , QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. *Sic igitur tunc ea controversia definita ; quæ tamen multos* E
post annos (ut suo loco dicetur) repetita ; suo item apud nos loco commemoranda.

Hoc sec. 10 Salvus abb. Alveldensis quædam liturgica scripsit,

214 Atque hæc quidem , etiamsi ambitu satis longo narrata a Baronio , integre huc transcribenda judicavi ; nec judicii factive pœnitet ; cum mirifice illustrent instrumentum supra ex Aguirrio prolatum , quod breve quidem, sed obscurum est, eo saltem, quod plura rerum adjuncta vel involvat vel omittat, quæ ex narratione Baronii dilucide intelliguntur. Quibus demum corollarii loco addi potest , quod hoc seculo decimo (quemadmodum antea ab aliis factitatum vidimus) Salvus abbas Albeldensis ad rem liturgicam amplificandam animum appulerit , teste Nicolao Antonio sæpius citato, Bibl. veteris Hisp. tom. I , pag. 381 , num. 354 ; ubi de operibus istius Salvi agens, *hymni, orationes, versus* , *et Missæ* , inquit , *sequuntur magna styli dulcedine et efficacia ad concitandos ad compunctionem legentium animos ; quorum nihil ad nos*, uti addit, *pervenit.* Sed nunc inspiciendum exhibeo seculum XI.

F

CAPUT VI.

Variæ Officii Mozarabici vicissitudines seculo XI.

§ I. *Quid in nonnullis locis circa illud sit actum; decreta abrogatio in Arogonia: approbatio ejusdem ab Alexandro PP. II facta.*

Seculum hoc undecimum exordior a conventu episcoporum apud monasterium Rivi-pullense, in quo basilica ejusdem monasterii quarto dedicata est, ut videre est apud Aguirrium pag. 201. Actorum prædictæ dedicationis instrumentum his signis chronologicis prænotatur : *Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi* MXXXII, *era millesima* LXX, *indictione* XV, XVIII *Kalendarum Februarium* In ejusdem deinde instrumenti decursu concessum legitur fuisse privilegium isti monasterio in materia liturgica : de quo notantur ista apud eumdem auctorem pag. 202 : *Concedimus quoque et firmamus prædicto monasterio, juxta constitutionem Domni Papæ Benedicti, sicut ipse eidem cœnobio per auctoritatem beati Petri Apostoli et suam firmavit, ut si festivitas Hypapanti Domini, quam Purificationem S. Mariæ dicimus, post Septuagesimam evenerit, habeant*

Privilegium monasterio Rivipullensi in materia liturgica concessum :

SEC. XI. *ant in perpetuum licentiam habitatores ipsius cœnobii, Alleluia et Gloria in Excelsis Deo solenniter decantare.* Benedictus PP., qui hic indeterminate nominatur, fuit hujus nominis octavus, secundum id, quod eadem pag. 201 exprimitur.

Concilium Coyacense

216 Concilium Coyacense, in diœcesi Ovetensi celebratum, tempore Ferdinandi I, regis Castellæ, cognomento Magni, anno Christi 1050, sicut habetur apud Aguirrium (cui præiverat Baronius, ad istum annum) varia præscribit, quibus liturgici Officii apparatui consulitur. Sunt autem ista: *Tertio autem titulo statuimus,.. ut ecclesiæ... sint integræ, et non divisæ, cum presbyteris et diaconis, et cum totius anni circuli libris, cum ornamentis ecclesiasticis; ita ut non sacrificent cum calice ligneo vel fictili. Vestes autem presbyteri sint in sacrificio amitus *, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. Vestes diaconi amitus, alba, cingulum, stola, dalmatica, manipulus *. Altaris vero ara tota sit lapidea, et ab episcopis consecrata. Hostia sit ex frumento *, sana et integra. Vinum sit mundum, et aqua munda, ita ut inter vinum, hostiam, et aquam Trinitas sit significata. Altare sit honeste indutum, et desuper lineum indumentum* B *mundum. Subtus calicem et desuper, corporale lineum mundum, et integrum... Quinto autem titulo decrevimus, ut archidiaconi tales clericos constitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, qui perfecte totum psalterium, hymnos, et cantica, epistolas, orationes, et Evangelia sciant.* Hæc apud Aguirrium, a quo et varias lectiones mutuatus sum.

* *Ms. Tol.* amictum

* *Ms Tol.* amictum, albam, stolam, dalmaticam, manipulum.

* *Ms. Tol.* ex frum. electo

ac Compostellanum consulunt decoro Officii divini.

217 In concilio Compostellano sub Ferdinando rege Legionis et Gallæciæ anno Christi 1056 (non autem 1031, ut contra Tamayum Aguirrius pag. 218 evincit) nonnulla lego, ad decorum sacræ liturgiæ ordinem perquam accommodata. Sic itaque statuitur canone I: *Sacrificia ipsi episcopi, et omnes presbyteri omni die offerant Deo... et qui non potuerit per se offerre... omnibus diebus audiat. Psalmos qui potuerit plus recitare, recitet; qui non plus, quinquaginta die omni persolvat, et omnibus Horis, prima, tertia, sexta, Vespertinis et Completoriis, medium noctis Nocturnis et Matutinis omni die persolvat. Ita etiam et ad omnes Missas, dum dixerit dia-* C *conus: Inter vos pacem tradite; omnibus intra ecclesiam stantibus pacis osculum sibi invicem tribuatur, et per omnes communiones majores Nativitatis Domini, Paschæ, et Pentecostes, quisquis de quo habuerit, munera offerat.* Et can. 2: *Subdiaconus annos* XVIII *habeat, diaconus* XXV, *presbyter* XXX; *et ipsi qui totum Psalterium, cantica, et hymnos, salisparsionem, baptisterium, insufflationem, et commendationem, et Horas, et ipsum cantare de festis unius justi, unius confessoris, unius virginis; de virginibus, de defunctis, et omnia Responsoria perfecte sciant.*

An in concilio Jaccensi

218 Varias hactenus ritus Mozarabici a seculo præsertim octavo vicissitudines vidimus; sed hoc seculo undecimo longe omnium præteritarum maxima superest, qua ejusdem Officii abrogatio primo in Aragonia tentata, deinde per varias successive Hispaniarum provincias exsecutioni mandata fuit. Res gesta quomodo contigerit, quibus ad hoc exsequendum machinis opus fuerit, et quanto labore, ordine jam expediam. Concilium Jaccense in Aragonia celebratum signatum apud Aguirrium pag. 228, anno Christi 1063 (juxta alios autem 1060) tempore nimirum Ramiri I, Aragoniæ regis, et Sanctii, filii ejus; D uti liquet ex donationis instrumento, quod ibidem profertur, et sic incipit: *Sub Christi nomine.. Ranimirus rex gloriosus, et Sanctius, filius ejus, omnibus divinæ legis ac Christianæ religionis* etc. In fine autem notatur *facta charta donationis anno millesimo sexagesimo tertio. Dominicæ Nativitatis, era millesima centesima prima, indictione decima tertia.* Quod vero in prædicto concilio aliquid actum fuerit circa res ecclesiasticas, ex isto instrumento plane constat; an vero circa Ordinem liturgicum aliquid sit decretum, determinate et in individuo, ex ejusdem instrumenti verbis confici haud potest: sic enim in illo habetur:

aliquid contra ritum Mozarabicum sit statutum?

219 *Volumus notum fieri dilectioni vestræ, quoniam ob restaurandum sanctæ matris Ecclesiæ statum nostris in partibus, nostra majorumque nostrorum negligentia pene corruptum, synodum novem episcoporum congregari fecimus, in loco, a priscis olim Jacca nominato; in quo synodali conventu, præsentibus atque consentientibus cunctis nostri principatus primatibus atque magnatibus, pleraque sanctorum canonum instituta episcoporum judicio restituimus et confirmamus.* Nec plus discimus ex vocibus Aragonum, qui post E ejusdem instrumenti subscriptiones, a rege, filio ejus, aliisque factas, sic inducuntur locuti: *Gratias Christo cœlesti, ac benignissimo ac serenissimo Ranimiro principi, qui curam adhibuit ad restaurationem sanctæ matris Ecclesiæ.* Status itaque ecclesiasticus ibi fuit restauratus; id quod valde vagum est, et nimis late patens, quam ut inde elicias, liturgiam Mozarabicam ibi tunc abrogatam fuisse.

Id quidem censet Surita;

220 Surita Annalium Aragonensium lib. 1, cap. 18, ex litteris Apostolicis Gregorii Papæ VII ad regem Ramirum datis, colligit *(quantum quidem ait se intelligere posse) quod admiserit regulas et institutiones canonicas, quæ antiquitus introductæ erant a sancta matre Ecclesia, in celebratione Officiorum divinorum, et reliquerit Breviarium Gothicum, ejusque cæremonias, quæ observatæ erant in Hispania jam inde a tempore Gothorum.* Ex quibus verbis conficio, in celebratione Missarum admissum quidem esse Romanum morem; sed usum Breviarii Gothici relictum; quem tamen etiam abrogatum indicat alibi. Idem quippe auctor in Indicibus rerum ab Aragoniæ re- F gibus gestarum, ad annum 1060, ita scribit: *Data sacerdotibus lex, ne quo alio more, quam Romano precarentur: neque Gothica, utpote peregrina piacula, exsolverentur.* De qua re consuli etiam possunt Baronius ad annum 1060, Labbeus Conciliorum tom. 9, col. 1112, et Pagius ad eumdem annum, num. 2.

sed ex antiquioribus monumentis id non constat.

221 An autem revera sub isto rege in dicto concilio latum fuerit decretum de abroganda veteri lege liturgica Gothica seu Mozarabica, ejusque loco substituenda Romana; et si latum, an tunc continuo exsecutioni mandatum, ex antiquioribus monumentis id certo nondum comperi. Et vero sunt nonnulla, quæ contra subitam adeo abrogationem faciunt: videlicet innata quædam hominibus tenacitas animorum, ægerrime avelli se sinentium ab ritibus sacris, quos a teneris imbiberunt. Neque scio, quod tunc intervenerit Romani Pontificis mandatum, aut quod missus hac de causa tunc fuerit ipsius legatus. Quidquid sit, si non jam nunc, certe paucis

SÆC. XI.

A cis saltem post annis mutationem illam apud Aragones inductam fuisse, conficitur ex iis, quæ inferius suo tempore de monachis Pinnatensibus docebo. Dispiciendum interea, quidnam in aliis Hispaniarum provinciis circa liturgiam sacram fuerit actum.

liturgia Mozarabica

222 Manuscriptum Toletanum, cujus fragmentum produximus num. 206, sic pergit : *Quo Alexandro PP. sedem Apostolicam æra* TLXIII *obtinente, et domino Ferdinando rege Hispaniæ regione imperante, qui Cardinalis, Hugo Candidus vocatus, a præfato Papa Alexandro missus Hispaniam venit, Officium ecclesiæ ejus a supra nominato Joanne PP. laudatum vel roboratum evertere voluit; sed Apostolica auctoritate munitum ei confirmatum inveniens, intactum, ut invenit, reliquit. Cui Cardinali succedentes quidam Cardinales alii, hoc idem facere laboraverunt: sed nullo modo facere potuerunt. Pro qua re Hispaniarum episcopi vehementer irati, consilio inito, tres episcopos Romam miserunt, scilicet Munionem Calagurritanum, et Eximinum Aucensem, et Fortunium Alavensem. Hi ergo cum* B *libris Officiorum Hispaniarum ecclesiarum se Domino PP. Alexandro in generali concilio præsentaverunt: obtulerunt, id est, librum Ordinum, et librum Missarum, et librum Orationum, et librum Antiphonarum.*

Romæ ab Alexandro PP. examinatur et approbatur;

223 *Quos libros Dominus Papa, et omne concilium suscipiens, diligenter perscrutantes, et sagaci studio perquirentes, bene Catholicos, et omni hæretica pravitate mundos invenerunt; et ne quis amplius Officium Hispanæ ecclesiæ inquietare vel damnare vel mutare præsumeret, Apostolica auctoritate prohibuerunt, et etiam interdixerunt: et data benedictione super præfatos episcopos, cum lætitia ad propria redierunt. Ex libris, quos portaverunt ad Romam, unus fuit Ordinum majoris, Albaildensis cœnobii, ubi continentur baptismus et sepultura, tenuit Papa Alexandrus, et fuit bene laudatum. Alium librum Orationum de monasterio Iraze: et tenuit abbas S. Benedicti, et fuit bene laudatum. Et librum Missale fuit de S. Gemma, et librum Antiphonarum de Iraze ita diviserunt, decem et novem diebus tenuerunt, et cuncti laudaverunt.* Hactenus documentum Toletanum, graphice ac distincte omnia et singula describens; quibus lectis et C expensis, quin in animum non induxerit Officium illud a suprema Ecclesiæ Catholicæ auctoritate ad perpetuitatem temporis approbatum, roboratum ac stabilitum deinde semper permansisse? Sed longe aliter res evenit; quod priusquam ostendam, elucidanda sunt paucula, quæ in allato documento occurrunt.

cujus rei gestæ instrumentum elucidatur.

224 Primo, era ibi sumitur non pro Hispanica, sed pro Christiana vulgari: atque hinc saltem Aguirrius a pag. 232, contra Cossartium contendit, æram ita sumptam, non esse novam, et sine exemplo. Littera autem ista T numerum denotat millesimum. Si quis alia super hac re exempla desideret, inveniet illa in instrumentis apud Aguirrium pag. 196, et 215; item apud Moralem sub finem tomi 3 Chron. general. Hisp., fol. 330 verso. 2. Alexander PP. II ab anno 1061, usque ad 1073 annum Christi sedit. 3. Satis cohæret, hosce episcopos Hispanos Mantuam profectos, etiam Romæ fuisse. 4. Scimus, ritualia Gothica examinata et approbata fuisse in concilio Mantuano: a Romano autem id factum, nescimus; per quod istius documenti auctor nihil aliud forte significare voluit, quam quod Romæ aliqua ad examinandos ritus Hispanorum, deputata fuerit Cardinalium congregatio. 5. Ne porro Toletanum illud exemplar, quia non eodem tempore omnia, quæ in eo continentur, scripta videantur, suspectæ sit fidei; Chronici general. Hispan lib. 12, fol. 121 verso ita de eo disserit Ambrosius Morales; cujus textum ex Hispanico Latine sic reddo: *Dubitare aliquis poterit, cum elapsi sint sexaginta anni et amplius, ex quo scriptum fuerit illud originale conciliorum (*de quo supra dixi*) unde ego,* inquit, *ista extraxi; quomodo ibi habeatur memoria illius rei, quæ contigit tempore regis Ferdinandi I, et anni millesimi quinquagesimi noni. Facile respondetur ad illud, quod, scripta prima memoria, quando totus liber scriptus fuit; postmodum reliquum eidem memoriæ adjectum sit, quando contigit; ut totum, quod eo attinebat, ibidem conjunctum exstaret.* Jam vero quæ dicebam paullo ante de concilio Mantuano, et Hispanis præsulibus eo profectis, magis lucescent ex proximo paragrapho; in quo rei gestæ seriem exponam.

E

§ II. *Ritus Gothicus seu Mozarabicus a concilio Mantuano probatus; acta contra eum in conventu Barcinonensi et in Aragonia.*

Libri rituales Gothici in concilio Mantuano probantur.

Anno Christi 1064 concilium Mantuæ celebratum occasione schismatis Honorii II, uti se nominabat, adversus Alexandrum PP. II, apud Labbeum tom. 9, col. 1179 signatur: ad quem annum Baronius scribit ista: *Venerunt quoque Mantuam ad dictum concilium episcopi tres, pro reliquis legatione fungentes. Fuerunt hi Manio * Calaguritanus, Exumius * Aucensis, et Fortunius Alavensis, deserentes libros Gothicos Ritualis ipsi Alexandro Pontifici ac universo concilio: a quibus cogniti, inventi sunt orthodoxi.* Unde suspicio formari potest, aliquid istis temporibus contra Gothicos ritus vel motum fuisse vel movendum; nisi forte ad sistendos dicto concilio sacros codices rituales Hispanis stimulus fuerit recens in Aragonia adoptatæ Romanæ liturgiæ F exemplum (si vere, juxta dicta, jam nunc ea de re lex lata, et exsecutioni mandata fuerat) ut mature se præmunirent, ne talis alibi casus contra suam liturgiam incideret. Incidit is enimvero, et hoc ipso eodem anno 1064, saltem secundum Eminentissimos Baronium et Aguirrium, in concilio Barcinonensi, seu potius comitiis, teste Baronio ad istum annum, qui rem exponit his verbis:

* Munio
* al. Eximius

An Barcinonem profecto

226 *Episcopi Hispani, qui Mantuano concilio interfuerunt, reversuri in Hispanias, duxerunt secum ab Alexandro PP. decretum legatum a latere Hugonem Cardinalem; cujus auctoritate Barcinone concilium congregatum est: in quo leges Gothicas, quibus Catalauni utebantur, penitus idem legatus Apostolicus abrogavit, novasque sanxit, quibus hactenus populus utitur. Ut autem et Gothici ritus, adhiberi in sacris soliti, abrogarentur, ab illis obtinere non potuit; nec cogere voluit, cum iidem in concilio Mantuano cogniti fuissent esse Catholici.* Eadem ex Baronio deprompta

SEC. XI.

deprompta Conciliis suis inseruit Aguirrius pag. 232 : quæ alio modo narrat Mariana De rebus Hispaniæ lib. 9, cap. 5 in fine : *Per hæc tempora*, inquit ad annum 1060 *(nam de anno scriptores variant, nec certi quid constitui potest) Hugo a Pontifice Romano in Hispaniam legatus, Barcinone in episcoporum et procerum conventu Raymundi Barcinonensis comitis voluntate, Gotthicas leges, quibus antea utebantur Catalauni abrogavit... Hunc esse Hugonem illum Cardinalem puto, cognomento Candidum, qui anno hujus seculi sexagesimo quarto ad principes Hispaniæ est Roma legatus, cum duo summum pontificatum gererent. Alexander et Honorius* : qui legatus omnem ad abrogandas Gothicas precationes conatum adhibuit, sed nullo successu : nam *missi contra Mantuam... episcopi tres* (de quibus supra) *Gotthicos libros, quos secum detulere, Pontifici et Patribus probarunt quasi orthodoxos, nullaque vitiosos parte.*

Hugone Cadido Cardinale, in concilio Barcinonensi.

227 Morales lib. 12, cap. 19, Roblesius Vitæ Cardinalis Ximenii cap. 23, pag. 264, et noster Oldoinus in nova additione ad gesta Alexandri B PP. II, apud Ciaconium tom. I, col. 835 circa nomen et cognomen Hugonis Candidi inter se consentiunt; qui in concilio Auscensi, anno 1068, vocatur etiam *Albus*, ut videre est apud Harduinum nostrum, Conciliorum tom. 6, part. I, col. 1157. Ad illud concilium Barcinonense quod attinet; apud Labbeum tom. 9, col. 1197 agitur de conciliis celebratis in Hispania citeriore : ad annum, prout ibidem notatur 1068 (quo Gothicos sacrorum ritus abrogatos, tamquam probabilius ibidem videri dicitur) Barcinonense concilium scribitur celebratum : primo quia Hugo idem, de quo jamjam loquebar, isto anno concilium Tolosanum et Auscense, in vicinis utique Hispaniæ locis, celebrarit. Deinde quia Sanctius Ranimirus Aragonum rex, in privilegio abbatiæ Leirensis apud Sandovalium in episcoporum Pampilonensium notitia dicit fol. 41 verso, *sexto regni mei anno...* XIV *Kal. Madii concilium in Legerensi ecclesia celebravi... Contigit autem... Hugonem... Candidum Cardinalem presbyterum illi interesse.*

anno regis Ranimiri sexto ;

228 Sed ego annum sextum regni Sanctii Ranimiri presse sumptum combino cum anno æræ C vulgaris 1069 : nam, ut ostendit Pagius ad annum 1063 ex inscriptione, quam ex nostro Moreto profert, anno 1093 *obiit* VIII *Idus Maii* Ranimirus seu Ramirus pater ejus, cui Sanctius successit; qui cum dicat, illud se concilium celebrasse XIV *Kal. Madii*, id est mense Aprili; non invenio hanc rem contigisse anno 1068, cum regni ejus sextus tantum currere cœperit mense Maio proxime frequente; nisi forte ita locutus fuerit Sanctius per anticipationem, ut, quia proxime aberat annus regni sui sextus, propediem inchoandum pro inchoato posuerit. Mea hæc temporis ratio confirmari potest ex nota chronologica, donationi Sanctii, episcopi Jaccensis, inserta : de qua dicam inferius. Verum tam parvi momenti res obiter hic sit tacta. Addo tamen, me solius privilegii Leirensis chronologicis notis neutiquam fidere : de qua re consuli potest citatus modo Sandovalius fol. 38 verso; et Brizius Martinesius paulo post citandus, lib. 3, cap. 19 illud privilegium Sanctio Ramirezio abjudicat; et inventionem antiquorum temporum esse contendit. Ad concilium seu comitia Barcinonensia redeamus. Loco itaque citato apud Labbeum non expungitur illud ex albo conciliorum, sed dumtaxat removetur ab D anno 1064, ad 1068; ubi dicitur : *Carbonellus in Chronico, et Martinezius in Historia S. Joannis, aliique anno id tribuunt* MLXXI, *nixi antiquis illorum temporum monumentis, quæ consignata sunt vel anno* MLXXI *cum intravit lex Romana in S. Joannem* XI *Kal. Aprilis, secunda septimana Quadragesimæ feria tertia : vel æra* MCIX (quæ concurrit cum anno Christi 1071) *anno nono regni Sanctii Ranimirez, primo vero ingressionis Romani Officii in S. Joanne.* Et illa concilianda satis verosimiliter ibid. col. 1198 ita proponuntur :

229 *Ut in Hispaniam Hugo Candidus anno* MLXVIII *venerit, in Aragonia finitimisque regionibus de mutandis sacrorum cæremoniis habuerit concilia; sed res, quamvis eodem anno decreta, perfecta tamen nisi anno* MLXXI *non fuerit, propter populi antiquis suis ritibus addicti pertinaciam; quem in ea re cogere invitum sacri magistratus noluerunt, sed sensim persuadere Unde et factum, ut irritum tamdiu fuerit eadem de re decretum concilii Jaccensis, anni* MLX. *Eadem causa fuit, cur sacros ritus ut mutarant Castellani, vix adduci, ac nisi vi quadam potuerint* (sicut E perspicuum fiet, ubi ad ista tempora pervenerimus.) Quod vero ibidem subjungitur : *Ad eos... Hugo non penetravit, sive id mandatum illi non fuerat, sive tempestivum nondum esse duxit*, omnino pugnat cum Ms. Toletano, cujus verba recitavi paragrapho præcedente; juxta quod adventus alter Hugonis Candidi Cardinalis in Hispaniam ponendus est anno 1063; qui non excludit alterum anno apud Labbeum 1068.

sacra liturgia abrogata suerit,

230 Pagius isti adventui ultimo suffragatur, ad eumdem annum 1068 dicens, quod anno 1064 de Hugonis Candidi presbyteri Cardinalis in Hispaniam ab Alexandro II delegati retulerat adventu, tum ob alia, tum ut divinorum Officiorum ritus ex Romana formula constitueret; id anno 1068 factum fuisse; perperamque ad annum 1064 retrahi, ostendi ait ex concilio Auscensi in Novempopulania celebrati, præside eodem Hugone Candido Cardinale legato. Auctor itaque ille, quæ ad annum 1064 do concilio Barcinone ab isto legato indicto (cui interfuerint episcopi et abbates principatus Barcinonensis, et in quo, prout ex Diago refert, communi consensu Officium Gothicum repudiarint) constituerat, facta F esse neutiquam negat. sed annum 1068 differt; contra ac facit illustrissimus vir Petrus de Marca, qui lib. 4 Marcæ Hispanicæ, col. 457 expungendum illud concilium in tomis conciliorum censet; et vero præmiserat, errare eos vehementer, qui Gothicarum legum abrogationem, seu potius additionem, ut vocat, ad veterem legis codicem decretam putant in concilio ecclesiastico; cum nulla illic ecclesiasticæ auctoritatis fiat mentio. Scriptores rerum Hispanicarum et alios quosdam, tradentes huic conventui præfuisse Hugonem Candidum Cardinalem, sedis Apostolicæ tunc in istis regionibus legatum, eumque penitus abrogasse leges Gothicas, novasque sancivisse, insignis falsitatis arguit; factum id dicens sola principum auctoritate, cum consilio tamen magnatum et judicum provinciæ.

et quo anno

231 Jam vero sive illud concilium Barcinonense cum Baronio innectas anno 1064; sive ex observatione apud Labbeum differas ad annum 1068; in quo etiam consentit Franciscus Diago Historiæ comitum Barcinonensium lib. 2, cap. 59;

id sit factum, inquiritur.

A 59 : (ubi etiam tradit, quod Cardinalis, qui erat Barcinone, quando ibidem facta est mutatio legum, fuerit Hugo Candidus, omnes affirmare scriptores) sive denique cum solo et unico illustrissimo de Marca contra omnes, quos citavi auctores, ex sua possessione deturbes, atque e conciliorum albo expungas (sed ut non expungas, conductura sunt illa, quæ dabuntur sub finem præsentis paragraphi) verisimile admodum aliunde mihi apparet, aliquid circiter ista tempora in favorem Officii Romani contra Gothicum fuisse actitatum in comitatu Barcinonensi, Aragoniæ contermino : in quo id tunc accidisse in comperto est, prout ex dictis constat, et ex dicendis confirmabitur, Hugone Candido Cardinale ob istum finem illuc delegato.

Officium Romanum

232 In historia fundationis et antiquitatum S. Joannis Pinnatensis, quinque libris vulgata ab istius monasterii abbate Joanne Briz Martinez, lib. 3, cap. 15 profertur bulla Alexandri PP. II, ad Aquilinum ejusdem monasterii abbatem, ejusque successores B directa; in qua hæc dicuntur : *Accepimus in partibus Hispaniæ, Catholicæ fidei unitatem a sua plenitudine declinasse, et pene omnes ab ecclesiastica disciplina, et divinorum cultu interiorum * aberrasse. Itaque.. ad correctionem ecclesiarum Dei, filium nostrum Hugonem Candidum, et Cardinalem presbyterum, in partes illas misimus, qui... Christianæ fidei robur et integritatem ibi restauravit... et confusos ritus divinorum obsequiorum, ad regulam canonicam et ordinem reformavit.* In fine signatur, *Datum Laterani* xv *Kalendas Novembris... anno undecimo pontificatus Domini Alexandri II Papæ, anno scilicet Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo primo, indictione nona.*

* *forte* mysteriorum

Gothico in Aragonia suffectum.

233 Laudatus abbas ibidem cap. 16 adventum istius legati, atque adeo legum Gothicarum mutationem anno 1071 affigens, dicit, quod se fundet in duobus domus suæ privilegiis, quæ expressis verbis illud dicant, præterquam quod in antiqua C illius historia id clare admodum haberi scribat. Verba autem quæ profert, sunt ista : *Et tunc intravit lex Romana in S Joannem de la Penya, undecimo Calendas Aprilis, secunda septimana Quadragesimæ, feria tertia, anno Domini millesimo septuagesimo primo, et deinde fuit servata lex Romana.* In altero autem privilegio ponitur *Facta donationis et confirmationis pagina, æra* MC *nona, anno nono regni ejusdem gloriosi principis Sanctii Ranimirez; primo vero ingressionis Romani Officii in S. Joanne.* Ambo autem privilegia esse episcopi D. Sanctii Jaccensis, indicat citatus auctor, et observat, annum nonum regni Sanctii, Aragoniæ regis, respondere anno isti 1071; ut qui post mortem patris cœperit ab octavo die Maii, anni 63 regnare.

An, et quomodo

234 Cum itaque de Romani Officii apud Aragones propagatione tam certis ex documentis constet, persuaderi mihi non ægre patior, aliquid hujusmodi in comitatu Barcinonensi sub ista tempora effectum fuisse. De qua re audire juvat Pagium in Critica Baroniana ad annum 1064, a numero 7, ubi sic loquitur : *Videns legatus* (Romanus Hugo Cardinalis) *hunc principem* (Raymundum Berengarii) *ad ea, quæ Alexander II optabat, valde propensum, de Officio Gothico, in eo principatu abrogando cogitavit. Ejus conatum promovit Adalmodis, Raymundi uxor, in Francia nata (ubi Officium Romanum, Gallicanum dictum, in usu erat) femina ingentis animi, et cujus res præclare gestæ in monumentis Hispanicis sæpe occurrunt. Legatus itaque concilium Barcinone indixit, cui interfuere episcopi et abbates principatus Barcinonensis, et in quo, ut refert Diagus laudatus, communi consensu Officium Gothicum repudiarunt... Sed concilium illud, uti jam insinuavimus, anno* MLXVIII *celebratum.*

sec. xi

235 *Antequam ei finis imponeretur, subdit Diagus cap. 58, Raymundus comes conventum procerum... convocavit, ut in eo de legibus Gothicis, quod jam factum fuerat de legibus ecclesiasticis in concilio, fieret. Huic adfuere Hugo legatus, et magnates numero* XXI, *quorum consilio et assensu codex legum, vulgo vocatus, Usatici Barcinonenses, quo etiamnum utuntur Catalani, a principe conditus est; ut liquet etiam ex ejus præfatione, in qua legitur « Hæc sunt Usaria « de curialibus usibus, quos constituerunt tenere « in eorum patria omni tempore domnus Ray- « mundus Barchinonensis vetus comes, et Adel- « modis ejus conjux, assensione et exclamatione « illorum terræ magnatum, videlicet Pontii, vice- « comitis Gerundæ » aliorumque ibidem nominatorum.* E

in concilio Barcinonensi

236 *Inter quos cum nullus episcopus compareat, Baluzius lib. 4 Marcæ Hisp. ad annum* MLXVIII, *recte concludit, Gothicarum legum abrogationem, seu potius additionem ad veterem legis codicem, factam non esse in concilio ecclesiastico; deceptumque Baronium, aliosque qui eam attribuunt Hugoni legato, cum id factum fuerit principis auctoritate. Fallitur tamen vir doctissimus in eo, quod ait, concilium Barcinonense ex Conciliorum collectione delendum esse; cum, teste Diago laudato, omnes scriptores Catalani ejus mentionem fecerint.*

abrogari jus eum illi Gothicum.

§ III. *S. Gregorius PP. VII ritum Mozarabicum abolere conatur in regnis Castellæ ac Legionis, aliisque Hispaniæ locis.*

Alexandro PP. II, quem sedulo curasse vidimus, ut liturgiæ Gothicæ in provincia Aragonica, nec non in ducatu Barcinonensi abolitæ, substitueretur Romana, vita functo successit S Gregorius VII, antea dictus Ildebrandus, anno Christi 1073; cujus Acta die xxv Maii apud nos illustrata sunt. Is, vestigiis decessoris sui presse insistens, rem eamdem unice cordi habuit in regnis Castellæ ac Legionis, diligentia, quanta poterat maxima, obnixe intentus, ut, quod ardentissimis desiderabat votis, ad optatum finem perduceret. Studium illud suum, ulterius promovendi illud negotium, non obscure subindicat, quando non ignarus, quam feliciter illud in Aragonia antea successisset, inter alia ad Sancium Aragoniæ regem sic scribit in epistola *data Romæ* XIII *Kal. Aprilis, indictione* XII (id est, anno Christi 1074) quæ habetur apud Labbeum Conciliorum tom. 10, col. 52, et apud Aguirrium tom. 3, pag. 247 : *In hoc autem quod sub ditione tua Romani ordinis Officium fieri studio et jussionibus tuis asseris, Romanæ Ecclesiæ te filium, ac eam concordiam et eamdem amicitiam te nobiscum habere, quam olim reges Hispaniæ cum Romanis Pontificibus habebant, cognosceris. Esto itaque constans, et fiduciam firmam*

S. Gregorius PP VII valde cordi habuit abrogationem Officii Mozarabici:

SEC. XI.

A *firmam habeas, et quod cœpisti perficias: quia in domino Jesu Christo confidimus, quia beatus Petrus Apostolus, quem dominus Jesus Christus, rex gloriæ, principem super regna mundi constituit, qui te fidelem exhibes, te ad honorem desiderii tui adducet, ipse te victorem de adversariis tuis efficiet.*

super quo argumento

238 Ita scribebat sanctissimus ille Pontifex, sui propositi tenacissimus, ut quæ decessores ejus recte cœperant, illuc ipse in aliis quoque Hispaniæ regnis perficeret, nihil vigilantiæ pastoralis in se desiderari passus, quod eo conducere posse judicaret. Quid enim, et quantum, et quo studio non egit? Testis est epistola illa, quæ legitur apud Baronium ad annum 1074, Labbeum tom. 10, col. 53; et Aguirrium tom. 3, pag. 248, hoc titulo prænotata: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Alphonso et Sancio regibus Hispaniæ a paribus, et episcopis* B *in ditione sua constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.* Sequitur ista epistola: *Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt* etc. (ut retulimus cap. I § I) *quantam concordiam cum Romana urbe Hispaniam in religione et ordine divini Officii habuisse satis patet: sed postquam vesania Priscillianistarum diu pollutum, et perfidia Arianorum depravatum, et a Romano ritu separatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Sarracenis, regnum Hispaniæ fuit, non solum religio est minuta, verum etiam mundanæ sunt opes labefactatæ.*

citatur epistola ejus: ad Alphonsum et Sancium data.

239 *Quapropter ut filios carissimos vos adhortor et moneo, ut vos sicut bonæ soboles; etsi post diuturnas scissuras, demum tamen ut matrem revera vestram Romanam Ecclesiam recognoscatis, in qua et nos fratres reperiatis, Romanæ Ecclesiæ Ordinem et Officium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet aliæ, sed istius, quæ a Petro et* C *Paulo supra firmam petram per Christum fundata est, et sanguine consecrata; cui portæ inferi, id est linguæ hæreticorum, numquam prævare potuerunt, sicut cetera regna Occidentis et Septemtrionis, teneatis. Unde enim non dubitatis, vos suscepisse religionis exordium, restat etiam, ut inde recipiatis in ecclesiastico Ordine divinum Officium: quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant, quod Toletanum et Bracarense demonstrant concilia; quod etiam episcopi vestri ad nos nuper venientes juxta constitutionem concilii per scripta sua facere promiserunt, et in manu nostra firmaverunt... Data Romæ* XIV *Kalendas Aprilis, indictione duodecima;* id est die XVIIII Martii, anno 1074.

Quis sit

240 Dirigitur dicta S. Gregorii epistola ad Alphonsum, istius nominis sextum, Ferdinandi Magni filium, Legionis et Castellæ regem, pluribus postea a nobis memorandum. At vero difficultas est in isto Sancio. Baronius ad dictum annum vult, Sancium hunc fuisse Alphonsi fratrem. Sed contra est, quod ex documentis apud Pagium, ad annum 1072, obitus ejus innectendus eidem isti anno 1072 comprobetur: quibus addas licet sequentia ex Sandovalii historia regum Castellæ ac Legionis fol. 34 verso; ubi in charta donationis, quam fecit Ximenus, nobilis Navarrus, dicitur, *Facta carta era* MCX, IX *Kalend. Decembris, anno in quo fraudulenter lancea percussus a quodam milite Sanccius rex Castellanorum occubuit;* anno utique 1072. Et fol. 37 mentio fit chartæ, in qua Alphonsus rex indulget favorem Lezenio cuidam etc., et eidem apponitur: *Facta carta apud Legionem anno tertio, in quarto mense post obitum Sanccii regis in Zamora, et in Castro major fuit tradita ad roborandum sub era* MCXIII, *regnante Adefonso jam dicto imperatore in Castella;* et sic reperisse se ait Sandovalius loco citato, istius anni privilegia a Januario usque ad Octobrem; e quibus constet, quod viveret et regnaret Sancius; et eodem anno ac mense Novembri et Decembri, invenisse se scribit regem in Castella et Legione Alphonsum. Unde probatur, anno 1072 e vita excessisse Sancium, atque adeo Gregorium VII anno 1074 ad illum scribere non potuisse. D

rex ille Sancius,

241 Sandovalius fol. 30, dum censet hanc epistolam fuisse directam ad duos istos reges, et quidem, uti ex voce *a paribus* confici censet, simul regnantes, variis se intricat conjecturis; sed nullo successu; quandoquidem inscriptio epistolæ ita intellecta, chronologice componi non potest. Quærendus igitur est Sancius alius. An Sancius rex Aragoniæ, qui tunc vivebat, et qui ab epistolarum Gregorianarum compilatore seu collectore, aut alio nescio quo expressus legitur apud Labbeum, Harduinum, Aguirrium? At quo pacto id suaderi queat, plane non concipio: nam cum jam ostenderim ex epistola ejusdem S. Gregorii PP. VII, eodem anno, et pridie istius diei notata, quo notatur alia ad duos istos reges Hispaniarum, significate illum Pontificem, quod ritus Romanus jam admissus esset in Aragonia; quomodo concipi potest, ut ad eumdem Aragoniæ regem, eodem anno, eodem fere die, de eodem ritu admittendo literas dederit? Quomodo hortari potuit Sancium Aragoniæ regem, *ut reciperet in ecclesiastico ordine divinum Officium;* qui in epistola responsoria, a Gregorio ad se missa laudatur, quod jam hoc fieri jussisset, et ad constantiam excitatur. Sed nodum circa regem Sancium, hactenus implexe involutum, solvit Pagius ad annum 1074, num. 10, ubi de regibus in inscriptione epistolæ Gregorianæ nominatis disserens, sic concludit: E F

ad quem epistola illa directa fuit, inquiritur.

242 *Hi ergo,* inquit, *reges alii non sunt, quam Alphonsus VI, Castellæ et Legionis rex, et Sanctius IV, Navarræ et Naiaræ rex, Garzeis et de Penalen cognominatus;* Sandovalium incusans, *qui in Vita Sanctii Samoræ, ob hæc verba a* PARIBUS, *duos fratres intelligit, Sanctium nempe Samoram et Alphonsum VI;* recteque addit Pagius, quod hæc difficultas virum in Historia Hispanica adeo exercitatum irretire non debuerit; *si enim,* uti bene observat, *ibi sermo esset de duobus fratribus; Gregorius VII Sancium, utpote majorem natu, primo loco nominasset non vero Alphonsum. Hæc itaque epistola male ad Sanctium Alphonsi fratrem jam a biennio demortuum a Sandovallio refertur.* Videri etiam potest laudatus Pagius ibid. num. 12, ubi agit de tribus Hispaniæ regibus, nomine Sanctiis, inter se non confundendis, dicitque, Sanctium istum, ad quem scripserit Gregorius, regno Navarræ præfuisse usque ad annum 1076. Porro scribere *a paribus* apud inferioris seculi scriptores significat epistolas generales, quæ uno exemplo, paucis mutatis, ad diversos mittuntur; teste Cangio, qui plura dabit in Glossario mediæ et infimæ latinitatis ad vocem *Appar.*

243 Quod

A *Alia ejusdem Pontificis epistola*

243 Quod autem S. Gregorius VII effectum videre desiderabat in Castella, Legione et Navarra, omni deinde conatu ursit in aliis Hispaniarum tractibus, uti perspicuum est ex pathetica et ardore Apostolico plena ejus epistola, ad Siameonem Hispanorum episcopum *data Romæ mense Maii, indictione decimaquarta*, anno videlicet Christi 1076 : sic enim scribit : *His itaque sulta præsidiis Romana te cupit scire Ecclesia, quod filios, quos Christo nutrit, non diversis uberibus, nec diverso cupit alere lacte, ut secundum Apostolum sint unum, et non sint in eis schismata : alioquin non mater, sed scissio vocaretur. Quapropter notum sit tibi, cunctisque Christi fidelibus, super quibus consuluisti, quod decreta, quæ a nobis imo a Romana constat Ecclesia prolata sive confirmata, in peragendis a vobis ejusdem Ecclesiæ Officiis, inconcussa volumus permanere, nec eis acquiescere, qui luporum morsibus et veneficiorum molimine vos inficere desiderant. Nec dubitamus, quod, secundum Apostolum, introeant in vos lupi graves, lupi rapaces, non parcentes; quibus resistendum sortiter est in fide.*

ad Simeonem Hispaniarum episcopum ; B

244 *Ideoque, dilectissime frater, certa, et usque ad sanguinis effusionem, si opportunum fuerit, desuda. Indignum enim et pro rediculo potest haberi, quod seculares homines, peo tam vili pretio, tamque Deo odibili commercio, seipsos periculo ultroneos exhibeant, et fidelis quisque irruentibus cedat hostibus terga. Non enim ab eis poterit acquiri virtus qui facile corruunt, quo trahuntur. Quod autem filii mortis dicunt, se a nobis litteras accepisse, sciatis per omnia falsum esse. Procura ergo, ut Romanus Ordo per totam Hispaniam et Galliciam, et ubicumque poteris, in omnibus rectius teneatur. Data* etc., sicut supra præmisimus. Simeon vero ille, ad quem dirigitur hæc epistola, quisnam sit, non ex eadem facile intelligi potest; scimus quidem ex inscriptione epistolæ, mitti eam *Simeoni Hispanorum episcopo* ; sed quo pacto inde characteres individuos extundes?

de quo nonnulla observantur.

245 Hunc tamen Simeonem indicari a S. Gregorio plane suspicor, de quo scribit Pagius ad annum 1974 in hæc verba : *Ocensis episcopus hoc tempore erat Scemeno, dictus etiam Simeon, cujus varia Acta exhibet Sandovallius in Regibus Castellæ et Leonis. Cum autem civitas Oca appellata, a Saracenis seculo* VIII *eversa fuisset, ejusque episcopus certam sedem non haberet, se episcopum Castellæ quandoque appellabat, quo nomine Scemeno subscriptus reperitur in Testamento Pelagii, episcopi Legionensis. Urraca et Elvira Ferdinandi M. Filiæ quandum ecclesiam civitati Burgensi vicinam Scemenoni episcopo dedere, ad innovandam sedem episcopalem, quæ prius apud Aucensem urbem noscitur fuisse constructa, et a Saracenis destructa, era* MCXII, *currenti scilicet Christi anno. Occam, Aucam etiam dictam, videre est tom. 5 Conciliorum editionis Labbeanæ, pag.* 892; *ubi uterque episcopatus in notis Garciæ Loyasæ egregie explicatur Alphonsus VI anno sequenti Aucensem episcopatum in urbem Burgensem transtulit, sanxitque, ut in Castella omnibus aliis honorabilior esset ; et Urbanus II eum exemit a jurisdictione metropolitæ Tarraconensis, et immediate sedi Romanæ subjecit.* Ita Pagius. Translatio porro illa episcopatus Aucensis seu Oscensis, teste Sandovalio citato, fol. 44 verso, *anno* quidem *sequente*, non tamen juxta ipsum anno proxime sequente contigit ; quia exprimet ibidem annum 1078 ; et fol. 45 translationem istam anno 1095 confirmatam fuisse ab Urbano II ; immediatam autem sedi Apostolicæ subjectionem anno 1097 ab eodem Pontifice factam memorat. At nunc ad anteriores annos redire necesse, ut inspiciantur reliqua, quæ patravit S. Gregorius PP. VII, ut abolito veteri Officio Hispanico Romanum substitueret.

Sec xi.

§ IV. *S. Gregorii PP. VII, concilii Burgensis, et Alphonsi VI gesta pro abrogatione Officii Mozarabici ; res duello commissa non dirempta fertur.*

Strenuissime laborasse S. Gregor. PP. VI pro Ordine Romano apud Hispanos, ex epistolis ad Alfonsum.

Quantum sanctissimus Pontifex cordi habuerit, ut liturgiæ Romanæ Ordo per Hispaniam propagaretur, constat ex iis, quæ aliis suis epistolis inserere super hac re voluit : nam ad Alphonsum Castellæ regem, prout videre est apud Labbeum tom. 10, col. 230, et apud Aguirrium tom. 3, a pag. 235, ita scribit : *Excellentiam vestram paterna charitate monemus, ut quod a legatis nostris de religione fidei et ecclesiastici Ordinis accepistis, et adhuc, Deo auctore, accepturi estis, firmiter teneatis... Et quidem de vobis bene speramus : quoniam relatione dilecti filii nostri Richardi Cardinalis presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem nunc secundo ad vos mittimus, bonam voluntatem vos habere intelleximus... Commendamus vobis hunc dilectum filium nostrum, quem, sicut supra diximus, nunc secundo ad vos mittimas, ut eum sicut nos audiatis, et in omnibus sibi favorem exhibeatis, quatenus non fiat inanis cursus et labor illius apud vos, sed pro commissa sibi legatione, ea quæ de ecclesiasticis causis tractanda invenerit, efficaciter exsequi.. valeat... Data Romæ decimo octavo Kalendas Novembris, indictione tertia.* E

Castellæ regem datis probatur.

247 In alia item ad eumdem Alphonsum Castellæ regem epistola apud Labbeum col. 276, apud Aguirrium vero pag. 256 S. Gregorius sic fatur : *Noverit excellentia tua, dilectissime, illud unum admodum nobis, imo clementiæ divinæ placere, quod in ecclesiis regni tui, matris omnium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ordinem recipi, et ex antiquo more celebrari effeceris. Denique in illo, quem hactenus tenuisse videmini, sicut suggerentibus religiosis viris didicimus, quædam contra Catholicam fidem inserta esse patulo convincuntur.* In fine hujus epistolæ non apponitur nota temporis ; apud Labbeum vero, Aguirrium et Harduinum illigatur anno 1080; sed observa, ad librum nonum Registri Gregorii PP. VII (ubi ista epistola ponitur secundo loco) cum desint indictiones, vix certo posse annum designari. De depravatione ac erroribus Officio Gothico imputatis tractavimus superius cap. 4, § 3 ; de comprobata ejusdem integritate cap. 5, § 2 ; et cap. 6, § I et 2 : quo lectorem mittimus ; ut mirum prorsus videri debeat, in prædicta epistola a sanctissimo Pontifice objici Alphonso ; *quædam contra Catholicam fidem* isti Officio *inserta esse, patulo convincuntur.* Durum prima fronte, fateor, de liturgia Hispanica judicium. F

Ubi locus aliquis mitigatur.

248 Illud tamen sequentibus modis mitigari posse censeo. I. Loqui sese ostendit diserte Pontifex

8

SEC. XI. tifex non ex propria scientia, sed ex aliorum relatione, dicens, *sicut suggerentibus religiosis viris didicimus*. 2. Viri illi religiosi forte inspexerunt codicem aliquem antea depravatum et nondum correctum, e quo S. Gregorium informarint. 3. Fieri etiam fortasse potuit, ut viri illi sola fama acceperint, nonnullos contra fidem errores contineri in istis codicibus; certum namque ex dictis videtur, quod Pontifex non inspexerit; incertum, an ipsimet accusatores inspexerint codices Officii Gothici, cum nullus determinate designetur error, qui in illis contineatur. 4. Si exemplaribus liturgiæ Gothicæ *quædam contra Catholicam fidem inserta* fuisse, et *patulo* quidem *convinci* vis; qui factum est, ut nulla hujusmodi errorum mentio ad nos transmissa fuerit a concilio Burgensi, quod præside Richardo presbytero Cardinale, ac Gregorii VII in Hispania legato, pro Officio Romano contra Gothicos ritus convocatum scribitur, quodque eos in regno Castellæ sua auctoritate abrogari fecit, ac Romanum ipsis Ordinem substitui? Porro de concilio isto subdo sequentia.

B 249 Sandovalius inter historicos Hispaniæ, quos collegit et edidit, habet *breve Compendium seu Pelagii Ovetensis episcopi Historiam ex codice Gotthico, qui Oveti servatur, et ab ipso Pelagio creditur descripta*, uti fert titulus eidem Compendio apud ipsum prænotatus. In dicta itaque collectione pag. 76 Pelagius sic fatur: *Tunc Adephonsus rex velociter Romam nuntios misit ad Papam Aldebrandum [qui erat] cognomento septimus Gregorius. Ideo hoc fecit, quia Romanum mysterium habere voluit in omni regno. Memoratus itaque Papa Cardinalem suum Richaredum*, abbatem Massiliensem in Hispania transmisit, qui apud Burgensem urbem concilium celebravit. Confirmavit itaque Romanum mysterium in omne regnum regis Adefonsi æra* MCXXIII, quæ respondet anno Christi 1085, Atque hæc quidem habemus ex Pelagio, qui tunc vivebat.

Concilium Burgense

* Richardum

puando

250 Mariana De rebus Hispaniæ lib. 9, cap. XI legationem istam uti et concilium memorat; quod anno 1076 agitatum esse refert. Sed ratio ista temporis non cohæret cum æra, quam ex editione Pelagii apud Sandovalium produxi: neque etiam consentit cum editione Labbeana Conciliorum; ubi C tom. 10 in Appendice col. 1815 textus Marianæ, mox a me designatus, circa hoc concilium est transcriptus; sed in figendo anno, quo celebratum sit, ab ipso disceditur: nam ibidem res gesta innectitur anno 1080; contra quam ex editione Pelagii vidimus, quæ serius rem differebat. Videmus itaque, quod annus apud Labbeum nec cum Pelagio Ovetensi, nec cum Mariana conveniat. Cur autem iste substitutus sit ibi annus ab utroque alio diversus, rationem dat noster Gabriel Cossartius in notis, a dicta col. 1815, ubi observat sequentia: *Richardus monachus S. Victoris Massiliensis, presbyter Cardinalis ab Alexandro II creatus, a Gregorio VII in Hispaniam legatus mittitur anno* MLXXVIII, *ut scribit Gregorius ipse epist. 21, lib. 5. Abbas Massiliensis constituitur anno* MLXXIX *in locum Bernardi fratris Cardinalis; ut ex ejusdem epist. 7, lib. 7 discimus. Qui stare igitur potest, quod ait Mariana, missum in Hispaniam a Pontifice Ricardum, abbatem Massiliensem anno* MLXXVI?

celebratum.

251 *Altera in Hispaniam legatione functum eumdem esse anno* MLXXIX *docet epistola* 6 *lib.* 7; *qua hortatur Alfonsum regem Gregorius, ut illam, qua de hic agitur, sacrorum mutationem instituat: ex quo apparet, non ante annum illum* MLXXIX *Burgense hac de re concilium a Ricardo habitum esse. Quando igitur celebratum dicemus? Si Pelagium Ovetensem consulimus, angetur difficultas. Æram enim ille* MCXXIII *assignat, quæ cum anno Christi* MLXXXV *congruit. At serius profecto; cum anno* MLXXX *scribat Gregorius epistolam tertiam libri octavi; cujus ipse initio significat, id perfectum esse* (quandoquidem Gregorius regis Alphonsi obedientiam ibi laudat ex relatione Richardi.) *Anno igitur* MLXXX *habitam hanc synodum crediderim, atque apud Pelagium Ovetensem, errorem in numeros, librarii vitio, irrepsisse: scriptum nimirum* MCXXIII, *pro* MCXVIII; *qui annus æræ Hispanicæ respondet anno Christi* MLXXX. *Mariana vero, qui annum Christi assignat* MLXXVI, *legabat sine dubio, æra* MCXIV. Hæc Cossartius; quæ sufficiunt ad instructionem lectoris circa annum, quo synodus Burgensis celebrata sit. D

252 Quod vero Gregorius VII et Alphonsus mutuam operam navarint, ut Officio Gothico-Hispanico Romanum subrogaretur, abunde intelligitur ex legatis, teste Pelagio Ovetensi, hac super re Romam ab Alphonso missis, sicut jam diximus: cujus autem hortatu id factum fuerit, discimus ex Roderico Toletano De rebus Hispaniæ lib. 6, cap. 25, ubi hæc narrat: *Et quia adhuc littera Gotthica, et translatio Psalterii, et Officium Missæ institutum ab Isidoro et Leandro pontificibus, quod cum translatione et littera dicitur Toletanum, per totam Hispaniam servabantur, ad instantiam uxoris suæ reginæ Constantiæ, quæ erat de partibus Galliarum, misit Romam ad Gregorium Papam VII, ut in Hispaniis, omisso Toletano, Romanum seu Gallicanum Officium servaretur.* Constantiam hanc Burgundicam fuisse, Roberti I ducis Burgundiæ filiam, anno 1084 Alphonso, Castellæ ac Legionis regi nuptam, lego apud Andream Chesnium lib. 3 Historiæ regum, ducum et comitum Burgundiæ, Gallice conscripta, pag. 272.

Alphonsus VI, E

253 Idem Alphonsus rex Toletum Saracenis eripuit die XXV Maii, anno 1085, prout videre est apud Pagium, ad annum Christi 1088, num. 5; ubi et diem et annum prædictos isti expeditioni vendicat; in quos incidit S. Gregorii PP. VII obitus; quem sanctissimum Pontificem strenuissime laborasse jam vidimus pro liturgia Romana per Hispaniam extendenda contra Gothicam, auctoritatem suam interponente Alphonso rege; qui negotium illud fortissimis animis promovere perrexit, et extrema, donec ad optatissimum sibi finem perduceretur, tentare non destitit. Hæc autem quo modo illis temporibus gesta sint, mox intelliges. Capta ab Alphonso Toletana urbe, suas eo curas convertit, ut religio Christiana ibidem restitueretur; de cujus restauratione agit Pagius ad annum 1088, num. 6; ubi ex Roderici lib. 6, cap. 24, quæ mense Decembri post expugnationem Toleti ad restituendam religionem Christianam, ab Alphonso rege gesta sint, recenset. F

Toleto capto,

254 Concilium item Toletanum, seu comitia potius, in quibus rex Alphonsus ecclesiam Toletanam a Saracenorum tyrannide liberatam amplissime dotavit, et Bernardus abbas S. Facundi in novum præsulem electus est, exhibet Aguirrius pag. 287 ex Mariana De rebus Hispaniæ lib. 9, cap. 17. Bertoldus Constantiensis, qui

res Christianas ibidem sedulo promovet;

sec. xi.

A qui Hermanni Contracti Chronicon continuavit, atque hisce temporibus vixit, ad annum 1090 regis Alphonsi in restaurandis rebus Christianis studium sic obiter attingit : *Dominus Papa Urbanus generalem synodum... in Tolosana civitate.. collegit... In qua synodo... legatio pro restauranda Christianitate, in Toletana civilate, rege Hispanorum supplicante, destinatur.* Porro de rebus, quæ a memorato superius Bernardo, qui, teste Roderico Toletano, isti concilio interfuit, gestæ sunt, consule eumdem Rodericum De rebus Hispaniæ lib. 6, cap. 26 : quas Pagius innectit anno Christi 1090.

ac mutationem Officii antiqui Hispanici duello committit.

255 Ibidem vero mirabiles duas pro Officio Romano in Hispaniam introducendo probationes ex Roderico narrat. Eodem itaque cap. 26 sequentia habet Rodericus : *Ante revocationem* (Richardi, quem legatione privatum, et ab Urbano Pontifice revocatum dixerat) *clerus et populus totius Hispaniæ turbatur, eo quod Gallicanum Officium suscipere a legato et principe cogebantur, et statuto die, rege, primate, legato, cleri et populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia et populo firmiter resistentibus, ne Officium mutaretur, rege a regina suaso contrarium minis et terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, unus a rege, qui pro Officio Gallicano; alter a militia et populis, qui pro Toletano pariter decertarent, milis regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat miles Officii Toletani. Sed rex adeo fuit a regina Constantia stimulatus, quod a proposito non discessit, duellum indicans jus non esse. Miles autem qui pugnaverat pro Officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Pisoricam, cujus hodie genus extat.* Hæc Rodericus de probatione Officii Gallicani seu Romani ac Gothici per monomachiam sumpta.

B

Notantur varia

256 Præcesserat Chronicon S. Maxentii, vulgo dictum Malleacense, apud Labbeum tom. 2. Bibliothecæ Mss. librorum a pag. 190 editum, cujus collector, si tamen unus dumtaxat fuit, centum ante Rodericum circiter annis floruit, cum Chronicon suum perduxerit ad annum 1134; præcesserat, inquam, chronographus ille; nam postquam egisset de monasteriis anno 1069 exstrui cœptis, subnectit sequentia : *His diebus Hildefonsus, rex Hispaniarum, duxerat filiam Guidonis comitis, ducis Aquitanorum, quam habuit de Mateode uxore supradicta* (de qua egerat ad annum 1058) *pro qua re exstitit causa et contentio de lege Romana. Quam legem Romanam voluit introducere in Hispaniam, et Toletanam mutare. Et ideo fuit factum bellum inter duos milites, et falsitate fuit victus miles ex parte Francorum.* Eminentissimus Bona, ac Brunus non viderint sine dubio hoc testimonium; cum Rodericum tamquam unicum hujus rei testem citent. Res porro hæc gesta, quæ a duobus istis scriptoribus narratur, observationibus nonnullis elucidari debet, quibus utriusque textus difficultates expendantur, et paullo attentius inspectæ ad æquam judicii trutinam exigantur. Et circa textum quidem Roderici hæc subjicio.

C

circa hujus historiæ

257 Si vera is narrat, res illa contigerit non serius anno 1091 : nam significat probationi per ignem factæ post duellum (de quo dicam mox) interfuisse legatum superius memoratum : qui *die* III *Nonas Octobris, anno* XXXIII *regni Philippi regis* Francorum (id est 1091) in appendice ad Marcam Hispanicam col. 1189 notatis, non amplius gavisus fuerit isto titulo; cum ibidem paullo ante col. 1192 vocetur *Ricardus Cardinalis, qui est abba S. Victoris Massiliensis*, omisso utique legati titulo. Mariana lib. 9, cap. 18 de decretorio isto conflictu agens, militem victorem appelat *Joannem Ruizium.* Non moror hic personatum Julianum, qui in Chronico a pag. 126 ineptias more suo venditat, pugnatum esse somnians *sub judicibus Petro Gomesano Barroso, Petro Alvaro Muniosio Adefonsi, Petro Juliani de domo Toletanorum equitum Muzarabum.. Vicit Joannes Roderici : quem ego Julianus peccator archipresbyter obviis ulnis et lachrymabundis excepi, acclamantibus universis Muzarabibus : Vicit Christus, et sacrum Officium Isidorianum. Adjuvat Christus precibus SS. Muzarabum.*

adjuncta,

258 Regis Alphonsi conjux, nomine Constantia, auctore Roderico, anno Christi 1090, ad quem præsens factum referri dixi a Pagio, concinne convenit : nam apud Berganzam in Appendice sectione 1, pag. 450 profertur donatio ab Alphonso VI facta; cui inseritur nota temporis, videlicet *era millesima centesima vigesima octava* (id est anno Christi 1090) *regnante rex * Aldefonso in Toleto* etc.; post quem isti instrumento *Constantia quoque* adscribitur, *divina gratia regina, quæ hanc*, inquit, *cartam fieri præcepi, legendo audivi, manu mea roboravi.* Burgundicam fuisse, jam dictum est : qualem quoque illam indicat Fragmentum ex veteri exemplari Floriacensi apud Franciscum Chesnium inter Historiæ Francorum Scriptores tom. 4, pag. 89, ubi sic habetur : *Hic* (de Alphonso VI sermo est) *filiam Roberti ducis Burgundionum duxit in uxorem, nomine Constantiam.* Fragmentum hoc conscriptum fuisse ab auctore hujus temporis, quo de agimus, id indicio est, quod sistat in anno 1110. De ista Constantia agit laudatus superius Andreas Chesnius in Historia genealogica Ducum Burgundiæ Gallice edita pag. 13; nec non inter probationes ad eamdem Historiam pag. 18. Auctor Chronici Malleacensis nec exprimit nomen Constantiæ, nec eamdem orginem denotat, quam citati signant scriptores. De uxoribus dicti regis Alphonsi tractant Pelagius Ovetensis pag. 77; Baronius ad annum 1080, et Sandovalius in Historia regum Castellæ et Legionis a fol. 105.

E

* rege

et auctoritatem.

259 Dicebam superius de Roderico Toletano, qui sæpe dictam monomachiam recenset, *si vera is narrat* : nam sunt viri eruditi, quibus veritas hujus rei non probatur. Eminentissimus certe Cardinalis Bona lib. 1, cap. XI. *Utrumque*, inquit, *eventum pugnæ et ignis* (de eventu ignis mox agetur) *Rodericus archiep. Toletanus refert lib.* VI *De rebus Hisp. cap.* XXVI, *testis unicus et singularis ; qui illi non interfuit, nec potuit interesse... Alii recentiores ipsum Rodericum sequuti sunt, penes quem hujus fabulæ vel historiæ fides sit.* Brunus item pag. 296 de utraque pugnæ et ignis qrobatione agens, satis indicat, debilem sese hisce rebus habere fidem, quando subjungit, hujusmrdi probationes, dum ab auctore contemporaneo ac fide digno referentur, molestiam creare posse; sed istas non inveniri nisi in Roderico Toletano, qui audita dumtaxat referat, nullo citato auctore. Ego interea, quandoquidem rem satis aliunde miram, duobus tamen istis Roderici et Malleacensis chronographi testimoniis

F

SEC. XI. testimoniis fulciri video, neque argumenta in contrarium afferre possum satis urgentia, ut omnem satis solide huic facto fidem detraham; historiam hanc in medio relinquo, et eruditorum judicio permitto; qui eam tamquam historice veram admittere poterunt, si duobus istis auctoribus standum esse censuerint. At vero mirum prorsus mihi apparet, quod Pelagius Ovetensis, auctor adeo synchronus, ut dicto duello, si vere contigit, vel interfuerit, vel saltem interesse potuerit, neutiquam de illo meminerit, quod sciam; quod argumentum tametsi negativum, maxime etiam officit historiæ, quæ vult, Officium Mozarabicum per ignem fuisse approbatum: de qua re mox dicam. Quo autem loco habenda sit monomachia ad sedanda jurgia, disces ex Baronio, ad annum 659.

§ V. *Officium Mozarabicum igne probatum: deinde abolitum in regno Castellæ, Legionis etc.; in locis quibusdam particularibus retentum.* B

Liturgia Mozarabica, teste Roderico, per ignem probata;

Haud dubium est, quin felix monomachiæ successus, prout is saltem refertur, a summis et infimis inter Hispanos, pro divino nutu et signo evidenti approbationis veterum rituum faustis acclamationibus exceptus, et pro manifesto ostento cæli habitus fuerit, atque ad obstinatissimam antiquis moribus mordicus adhærendi, novosque neutiquam admittendi voluntatem, ut satis res ipsa loquitur, instigarit. Pergebat interim obniti Alphonsus; certus ab incepto non desistere, donec quod suasu et annisu uxoris suæ instantissime quidem, sed frustra tamen pertentarat, satis etiam fortasse sponte sua eo propensus, ad finem perduceret. Visum itaque ipsi fuit, alia extrema adhibere; et rem committere probationi ignis, priscis istis seculis adeo usitatæ; quo tandem ultimo ac decretorio tentamine vel contra vel secundum antiquam liturgiam lis tota decideretur. Antiquissimus, imo inter antiquos unicus, quod sciam, qui rem gestam narret, est Rodericus ar-
C chiepiscopus Toletanus, qui post duellum hæc subdit: *Cumque super hoc magna seditio in populo oriretur, demum placuit, ut liber Officii Toletani, et liber Officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus jejunio a primate et legato, et clero, et oratione ab omnibus devote peracta, igne consumitur liber Officii Gallicani; et prosilit super omnes flammas incendii, cunctis videntibus et Dominum laudantibus, liber Officii Toletani illæsus omnino [et] a combustione incendii alienus.* Ita ille paucis et graphice; an tam vere?

de qua mirum est, non meminisse Pelagium Ovetensem, nec Lucam Tudensem:

261 Mirum accidit, rem in paucis adeo memorabilem a solo, quod sciam, Roderico tradi; neque invenire me quidquam apud Pelagium Ovetensem, qui tum vivebat, quando controversia ista ferbuit, et forte tum Toleti affuit; adesse certe potuit. Historiam ille suam cum morte Alfonsi concludit; indicat sepulturæ ipsius se interfuisse; uti et miraculo, octo dies ante Alphonsi mortem in urbe Legionensi in ecclesia S. Isidori, manantibus aqua lapidibus, patrato; *videntibus cunctis civibus tam nobilibus quam* D *ignobilibus, una cum episcopis, videlicet Pelagius Ovetensis.. et hoc fuit factum tribus diebus*, quos designat. *In quarto autem die, qui erat Dominica*, instituta solenni supplicatione ex ecclesia S. Mariæ ad altare S. Isidori, et dein *peracto sermone ab Episcopo Ovetensi, et peracta Missa, accesserunt Episcopi ad locum, ubi erat aqua, et ipsi episcopi biberunt ex ea, et multi alii homines.* Sic ille totus est in describendo isto miraculo et adjunctis ejus. Quomodo ergo præterire voluit aut potuit aliud miraculum adeo inusitatum, de quo hic agimus? Cujus etiam ne vel verbo quidem meminisse novi Lucam Tudensem, Roderico synchronum.

ac proin non caret aliqua formidine de sublesta fide.

262 Hæc sunt, fateor, quæ formidinem mihi injiciunt, ne vel non contigerit illud factum, vel non ita saltem contigerit, prout Rodericus illud contigisse refert. Eruntque haud dubie ex illis, qui hæc legerint, qui pro securiore rei adeo paradoxa assensu momenta credibilitatis majora requirant, quam solam unius Roderici auctoritatem, satis alioqui etiam remoti a tempore, quo eventus ille accidere debuerit. Durum interim est, auctori adeo de historia Hispa- E nica bene merito, quamquam suis quoque nævis non careat, apertam falsitatis notam hic inurere, quasi ex suo ipse cerebro novum quoddam effinxisset ac produxisset commentum. At sive historiam istam ex prævio alio scriptore hauserit, sive ex sola apud posteros didita fama audierit; non est mihi promptum, plus pro illa dicere, quam nunc dictum est, nihil habenti, quo eam ex monumentis, satis ad rem antiquis et accommodatis, confirmare vel infirmare possim. Totum itaque, quantum quantum est, hoc prodigium stat et cadit sola et unica auctoritate Roderici Toletani. Nicolaus Antonius pluries jam a me laudatus, adeo de istius rei gestæ veritate bene existimavit, ut operose eam defendendam susceperit: qua autem id opportunitate contigerit, mox intelliges.

Nicolaus Antonius

263 Quod Eminentissimus Cardinalis Bona debilem huic facto fidem adhibuerit, liquet ex ejus verbis, quæ dedi paragrapho proxime antegresso. Contra quem pro veritate rei, prout narratur a Roderico, stetit V. Cl. Nicolaus Antonius, uti liquet ex ejus epistola, hoc super argumento ad F sapientissimum Joannem Bonam, tunc temporis sacro purpuratorum Ecclesiæ Principum collegio nondum adlectum, data; cujus apographum debemus amplissimo viro ac reverendo admodum domino Adriano de Coninck, propinquo Nicolai Antonii consanguineo; qui istam epistolam Ms. una cum pluribus aliis ejusdem auctoris schedis ineditis, Matriti nobiscum communicavit humanissime. Illam itaque subdo:

data ad Joannem Bonam

264 *Non ita est, ut excidit heri et nudiustertius tibi, pater reverendissime; fidei lubricæ id esse, quod tempore ritus Romani a nobis accipiendi, et præ Isidoriano habendi, contigisse in memoriam ego tecum de re ipsa conferens revocavi. Perductam quippe regis Alphonsi VI Castellæ, seu potius Constantiæ reginæ, quæ in Galliis nata, communi jam apud suos Romano Officio favebat, cum toto fere regno controversiam fuisse ad non unum examinis discrimen, quod illus ætatis mos ferebat, Rodericus Toletanus præsul, Hispanicarum rerum historicus eximius, sesqui seculo tantum eo tempore, quo res gesta narratur, inferior, veluti rem notissimam in commentario retulit. Gerebatur*

rebatur nempe hæc res circa annum MLXXXV *redempti orbis, floruitque Rodericus sub Ferdinando rege III Sancto, circa annum* MCCXLIII, *quo historiam suam absolvit. Perductum, inquam, negotium fuit in duelli periculum ante alia, ex Roderici verbis : Ad hoc ultimo res pervenit,* etc., quæ habes superius.

265 *Sed neque id examen valuit,* uti subjungit Nicolaus Antonius, *ut ab incepto suo rex desisteret; magnaque seditione in militia et populo orta, regis pervicaciæ obnitentibis; demum placuit, ut liber Officii Toletani,* etc. quæ ex Roderico item jam præmissa sunt. *Hæc tam perspicue,* inquit, *dicta sunt pro Toletano Officio, ut nulla tergiversatione perviceris, aliter gestam rem esse, nisi omnem historico fidem abrogaveris. Nec temere venit hæc lectio in typorum lucem. Sancius Nebricensis, Antonii Grammatici celeberrimi filius, ita edidit primus Granatæ anno* MDXLV *ex manuscriptis, ut par est credere, bonæ notæ. Hisque omnimo* [*se*] *conformant duo alii hujus historiæ codices, qui asservantur manu exarati in bibliothecis Toletanis cathedralis ecclesiæ, ac monasterii Franciscanorum S. Joannis, Regum nuncupati; simillimaque rei narratio exstat in veteri exemplo Historiæ, quam generalem nostrates homines vulgo appellant, Alphonsi sapientis, Castellæ regis X jussu et auspiciis formatæ. Hunc librum Matriti vidimus apud D. Gasparem Ibanez de Segovia, Acropolitanum marchionem, eruditionis et igenii admodum locupletem, qui quidem veteri forma scriptus, quamvis acephalus, eamdem ipsam historiam continet, paucis demptis, quæ sub nomine Historiæ generalis, uti jam diximus, Floriani Decampii, regii chronographi diligentia ante centum annos in lucem primum edita est.*

266 *Ruditatem excusabis ævi illius, quo barbaris quam barbariei exstirpandæ studebant magis Majores nostri. Transcribit Historiæ auctor apertissime Rodericum episcopum his verbis : E quemose y el libro Frances, e finio y el Toledano sano. Hoc est : Exustus ibi fuit liber Gallicus, remansitque ibi Toletanus illæsus. Nec dubitare nos sinunt de Roderici mente, ea quæ sequuntur : « Sed cum rex esset magnanimus, et « suæ voluntatis pertinax exsecutor, nec miracu« lo territus, nec supplicatione suasus, voluit in« clinari; sed mortis supplicia et diremptionem* « minitans resistentibus, præcepit, ut Gallicanum « Officium in omnibus regni sui finibus servare« tur. » Miraculum igitur si quod contigit, veterem Hispanorum ritum; quem ignis non offendit, qui ignis Gallicanum, hoc est Romanum consumpserat, haud temere abrogari debere, satis indicavit. Quod cum ita scriptum ab archiepiscopo, eoque unico rei gestæ auctore sic idoneo et gravi, sequentes legerint, quid in mentem iis venerit, nondum video, ut factum aliter totoque cœlo, ut dici solet, diversum referrent.*

267 *Historia scilicet generalis Alphonsi regis X tempore scripta, de qua nuper meminimus, in utroque libro rem contigisse miram, alio tamen et alio modo diserte docet. Hispana verba interserenda sunt, quæ factum continent : Aquellos dos libros fueron puestos en la foguera, y el libro del Officio Frances quexabase con el fuego, que se queria apegar a el, y dio entonzes un salto sobre todas las llamas, y saliose de la foguera, veyendole todos, e alabaron a Dios por aquel milagro tan grande, que ay quisiera mostrar : e el libro del Officio Toledano finio en la foguera sin todo daño, de guisa, que en ninguna cosa non le tanxo el fuego, nin le fizo mal ninguno. Manifestissime ante oculos auctoris fuit, cum hæc scriberet, Roderici Toletani Chronicon : nihil ex illius verbis relationeque prætermitit. At manifestissime etiam textum Rodericianæ orationis aut corrumptum aut male interpunctum is offendit, aut nimis indiligenter expensum, eo modo, quo minus debuit, interpretatus est. Extra flammas saltum illæsi omnino libri Rodericus Toletano non obscure tribuit; siquidem Gallicanum igne consumptum diserte præmiserat. Neque alteri prius debebantur adstantium conceptæ erga Deum laudes, quam miraculo intemerati ab igne, cum remansisset in medio igne, codicis.*

268 *Qui enim asbestinum linum, quod, ut Plinius dicere amat lib.* 9 (imo 19) *cap.* I *assuescit vivere ardendo, intervenisse hic sanus dixeris? Vulgarem ritus codicem æde sacra aliqua petitum, non medicamine ullo indumentove munitum, experimento expositum fuisse, cum rei ipsius gravitas, tum ævi illius hominum sinceritas persuadet. Saltare autem rem igni suppositam, humiditate, quæ intus latet, ne calori cedat, expellente, quotidiana fere res est, admirationisque prorsus indigna. Et animadvertis tu ipse jam, ac perinde rides stupidam horum Roderici verborum interpretationem : Igne consumitur liber officii Gallicani. Quæ ille sic reddidit : E el libro Frances quexabase con el fuego, que se queria pegar a el; id est : Liber Gallicus stridebat ab insinuante se ad cum igne. Quasi non quidem flammis devoratæ, atque in favillas et cineres abeuntis, sed incendium adhuc timentis, stridoreque id ipsum testantis, rei consumptionem Latine significatam iis verbis crediderit. Et tamen quia vulgaris et vernacula hæc fuit Historia, inficere valuit vitio suo posteriores alias. Chronicon apud nos creditum D Joannis Emmanuelis, Ferdinandi Sancti, ut credo, nepotis, quod adhuc it per manus curiosorum ineditum, et quasi epitome est generalis illius Historiæ, ita habet : E salto el del Officio Frances fuera del fuego, e finio el del Officio Toledano muy quedo, que non llego el fuego a el.*

259 *Simillime conceptæ sunt noviorum, qui res nostras illustraverunt, monumenta; Joannis Marianæ lib.* IX, *cap.* XVIII; *Prudentii Sandovalis in Vita Alphonsi regis VI; Gundisalvi Argote de Molina lib.* 2 *Nobilitatis Bœticæ cap.* XXXVI; *Petri de Alcozer Historiæ urbis Toletanæ lib.* I, *cap.* LXVIII. *Quorum utroque librorum incolumi remanente, persuasum populo Hispano fuisse (ait Mariana) utramque precandi rationem Superis placere, atque eo temperamento rem compositam, ut in antiquis Toletanæ urbis, ubi curia tunc regia fuit, ecclesiis veteri precandi forma retenta, in aliis ex Romano ritu res divina procuraretur. Hæc habui ad manum, de quibus Te, vir eruditissime, tamquam de domesticis admonerem. Scis enim in talibus testimonio etiam eorum, qui alias fide indigni sunt, adhiberi fidem.... Expende Tu, et mei esto memor, cum ex munere ad Deum preces effuderis... Vale. Ex hoc palatio Excellentissimorum Hispaniæ legatorum domo nunc habitationis nostræ, die* XII *Februarii* MDCLXVI. Ita Vir eruditissimus probationem Officii Gothici ac Romani, satis alioqui incredibilem et paradoxam, stabiliendam atque explanandam censuit; sed quæ affert, rem hic controversam

* direptionem

SEC. XI. versam fortius evincerent, si non in sola Roderici auctoritate fundarentur.

sed omnis pro hac re auctoritas fundatur in solo Roderico Toletano.

270 Sic itaque juxta istum auctorem tandem aliquando post tot ac tantos conatus successit Romanus precandi ritus in locum Gothici, per Castellæ ac Legionis regna, ac ceteras, quæ Alphonso VI parebant, ditiones; atque ita anno circiter 1091 secundum dicta superiora, res tota finem habuit, dicente eodem Roderico : *Et tunc cunctis flentibus et dolentibus inolevit proverbium : Quo volunt reges, vadunt leges. Et ex tunc Gallicanum Officium tam in psalterio quam in aliis numquam ante susceptum, fuit in Hispaniis observatum : Licet*, inquit, *in aliquibus monasteriis fuerit aliquanto tempore custoditum : et etiam translatio psalterii in plurimis ecclesiis cathedralibus et monasteriis, adhuc hodie recitatur.* Itaque in ecclesiis cathedralibus et monasteriis istis, ut colligo ex Roderici verbis, non Missa antiqua Gothica tempore Roderici recitabatur; nam de hac silet, et loquitur de solo *psalterio*. Et re vera eo deventum fuit hoc seculo XI, ut vel ipse
B antiquus Gothicorum characterum usus fuerit abolitus; de quo nunc agendum.

§ VI. *Aboliti in concilio Legionensi characteres Gothici; indultum ab Alfonso VI Mozarabibus in abrogatione sui Officii temperamentum.*

In hoc concilio præter abrogationem Gothicarum litterarum,

Concilium illud *Legionense, præside Renerio S. R. E. Cardinale, et per Hispanias legato, una cum Bernardo Toletano primate, anno Adelfonsi regis* XXVIII, *æra Hispanica* MCXXIX, *Christi* MXCI, signatur in Labbeana collectione Conciliorum tom. 10, col 482; quod Rodericus Toletanus De rebus Hispanicis lib. 6, cap. 30 aperuit his verbis : *Interfuit etiam Renerius legatus, et Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ibidemque* (in Legionensi videlicet civitate Hispaniæ antiquissima) *celebrato concilio cum Bernardo Toletano primate, multa de Officiis ecclesiæ statuerunt, et etiam * de cetero omnes scriptores, omissa littera Toletana, quam Gulfilas Gotthorum episcopus adinvenit, Gallicis litteris uterentur.* Ita Rodericus brevissime; cujus synchronus Lucas Tudensis diaconus in Chronico mundi (quod tomo 4 Hispaniæ illustratæ editum est) pag. 101 paullo pluribus de isto concilio tractat, ita memorans : *In prædicta vero synodo almi sacerdotes de fide Catholica colloquentes statuerunt, ut secundum regulam B. Isidori, Hispalensis archiepiscopi, ecclesiastica Officia in Hispania regerentur. Statuerunt etiam ut scriptores de cetero Gallicam litteram scriberent, et prætermitterent Toletanam in Officiis ecclesiasticis, ut nulla esset divisio inter ministros Ecclesiæ Dei.*

* ut et jam

C

aliqua alia gesta referuntur

272 Eamdem quoque synodum anno prædicto 1091 illigat Mariana lib. 9, cap. 18, cum mutationibus litterarum Gothicarum; uti et Aguirrius tomo 3, pag. 298; qui in suis notis *Regulam*, inquit, *S. Isidori* DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS, *ad cujus præscriptum ea administrari cautum fuit in hoc concilio, non aliam censemus, quam epistolam illam celebrem ejusdem S. Isidori Hispalensis ad Laudefredum episcopum Cordubensem; quippe in ea sanctus Doctor de omnibus* D *et singulis Officiis ecclesiasticis agit, et proprias uniuscujusque functiones exponit. Quarum disciplina et exsecutio cum jam obliterata esset aut neglecta aliquibus retro seculis in Hispania, propter irruptionem Sarracenorum, et bella assidua cum iis, in hoc concilio instaurata fuit.* Quæ postquam laudatus Cardinalis exposuisset circa eâ, quæ in ista synodo de divinis Officiis statuta sunt; mox de mutatione litterarum ista subjicit : *Præterea quod in eo decretum dicitur, ut scriptores de cetero Gallicam litteram scriberent; et prætermitterent Toletanam in Officiis ecclesiasticis; ut loquitur Lucas Tudensis, non ita accipiendum existimo, quasi nomino aut re litteræ Toletanæ intelligatur Officium divinum Gotthicum, et per litteram Gallicam significetur Officium divinum Romanum, quo Galli utebantur.*

273 *Quippe ea commutatio divini Officii Gotthici in Romanum jam fuerat decreta in concilio Burgensi anni* MLXXXV, *vel, ut aliis placet*, MLXXX, *et exsecutioni mandata in regnis Castellæ ac Legionis. Mutatio itaque primum statuta in hoc concilio Legionensi non fuit penes Officium divinum; sed solum quod litteras sive characteres, qui eousque erant Toletani, sive proprii Mozarabum. Verum ab hoc tempore derelicti fuerunt in Officiis ecclesiasticis et mutati in Gallicanos, communes fere tunc in Ecclesia. Hoc enim indicat Tudensis ipse postremis illis verbis : Ut nulla esset divisio inter ministros Ecclesiæ Dei. Hæc enim causalis omnino extra rem esset, nisi eousque in aliis regionibus libri Officiorum divinorum in choris ecclesiarum usitati, et Missalia quælibet ac breviaria scripta essent Gotthicis* literis; quorum exemplaria aliquot Bernardum ex concilio Tolosano paulo ante celebrato, in Hispaniam attulisse, videtur valde probabile.*

et exponuntur;

E

* lege Gallicis

unde intelligitur solos, in eodem abrogatos Gothicos characteres.

274 *Conjecturam*, ait, *nostram firmat eruditissimus vir Joannes Mabillon in tractatu aureo De re diplomatica lib.* V, *ad tabellam* XLV, *ubi sic ait : Per id tempus* (nempe Alphonsi IX, anno MCLVI) *Europæi fere omnes Gallicanæ scripturæ genus, propria abjecta, susceperant; nempe Angli per Willelmum Conquæstorem loco Saxonicæ: Itali et Germani per imperatores stirpis Carolinæ pro Longobardica et Teutonica : Hispani pro Gotthica per Bernardum Toletanum episcopum ex monacho Gallo cœnobii Cluniacensis. Nam habito apud Legionem concilio per Renerium S. R. E. Cardinalem, ac legatum* etc. Paucula quæ circa F mutationem litterarum adduntur apud Aguirrium ac Mabillonium, quæque ex Roderici Toletani lib. 6, cap. 30 desumpta sunt; ex ejusdem scriptoris textu superius citato facile intelligi possunt; ut non sit opus ea denuo hic transcribere. Fuit itaque decretum, uti recte observat Aguirrius, in concilio Legionensi non de ritu aut Officio ecclesiastico Mozarabico abrogando, sed de abroganda Mozarabica seu Gothica scriptura, qua Officia ecclesiastica exprimi a tot jam seculis consueverant in Hispania; re eousque perducta sub hac synodo, ut, sicut in ipsa liturgiæ substantia jam Hispani se conformarant Gallis seu Romanis; ita vel circa ipsos scriptos liturgiæ apices ab illis, uti et a reliquis Europæ nationibus pene omnibus amplius non dissiderent. Porro de characteribus antiquitus in Hispania usitatis nonnulla congerit laudatus Mabillonius loco citato, quo lectorem curiosum mittimus. De Ulfila paulo ante memorato satis dixi in antecessum cap. 2, § I, ut supervacaneum foret, plura superaddere.

275 Causa

Quænam Mozarabibus sint indulta,

A 275 Causa itaque liturgica cum regio imperio tum decretis ecclesiasticis ita in favorem Gallicanæ seu Romanæ decisa; quis fuerit Mozarabicæ status, et quidnam ex illa postmodum permanserit reliquum, quod abrogatum non fuerit, sed ad sequentia usque tempora propagatum, docet nominatus supra Ortizius fol. cxix verso his verbis: *Porro cum in urbe* (Toletana) *nuper recepta inter varias basilicarum, fanorum, ædiumque sacrarum dedicationes, parochiales imprimis (quas dicunt) ecclesiæ regionatim constituerentur, ad quas populus rei divinæ causa potissimum conveniret, suique cuivis limites per vicos domosque circumquaque præfinirentur; solis illis sex ecclesiis* (de quibus superius dictum est) *fines quidem nulli præstituti sunt; sed sui cuique Mozarabes, illorumque posteri, ubiubi illos intra extrave urbem in agro Toletano morari contingeret, pro parochianis assignati. Quibus etiam immunitates datæ, privilegiaque irrogata minime vulgaria. Hi igitur primum, horumque deinde posteri suam quisque ecclesiam, sacraque gentilitia frequentabant: et interim quidem dum frequens posteritas illa fuit, sacra perinde ipsa in ecclesiis illis assidua celebriaque fuere.*

rejectis circa ea figmentis referuntur.

B 276 Sublestæ prorsus fidei sunt, quæ obtrudit pseudo-Julianus in Chronico pag. 128, dum, sub Gelasio PP. II, qui sedere cœpit anno 1099, electos fuisse somniat, *qui irent Romam, Petrum Alvari et Didacum Sanctii, filios Sanctii pincernæ Adephonsi imperatoris; cui cum assideret,* SEC. XI. ait, *in humero dextro, vestito veste Venetica, palumba alba, dictus est Palumbanus, vulgo Palomeque, qui fuit caput illustrissimæ gentis. Abeuntibus illis Romam, interventione Joannis Cardinalis factum est, ut Papa censuerat, ut remaneret Missale Muzarabum vel Gothicum... in septem ecclesiis Toleti, in aliis Romanum... Et reædificatæ sunt ibidem ædes ecclesiæ, quæ erant tempore Gothorum.* Sex porro Toleti Muzarabum ecclesias perseverasse, ex certioribus habemus documentis, quam sint fabulæ istius personati chronographi; nimirum ex Roderico Toletano, qui lib. 4, cap. i testatur, Officium Mozarabicum viguisse suo tempore in sex parochiis Toletanis; de qua re alias dixi cap. 4, § 2. Itaque sive Alphonsus VI ita in suis regnis exstinguere voluerit veterem ritum Gothicum seu Mozarabicum, et subrogate ipsi Romanum, ut, interposito quodam temperamento, exacerbatos haud dubie suorum subditorum præsertim Toletanorum animos, antiquorum utique rituum tenacissimos, nonnihil mitigaret; sive ut venerandæ Officii Mozarabici antiquitati aliquo etiamnum usque deferendum censeret; sacerdotes certe Mozarabes E Moleti tum sub isto Alphonso rege, tum sub aliis ejusdem successoribus perseverasse, discimus ex variis instrumentis; quæ huic rei fidem concilient.

CAPUT VII.

Privilegia Mozarabibus indulta seculis xii, xiii, xiv, xv; Eugenii PP. III contra eos epistola.

§ I. *Diploma Alphonsi VI, regis Castellæ ac Legionis; jubentur ab Eugenio PP. III obedire archiepiscopo Toletano, et ritui Romano se conformare; alia privilegia illis concessa.*

Alphonsus VI condit hoc diploma

C Exstat Alphonsi VI diploma, in favorem Mozarabum latum; quod sic sonat: *Ego Ildefonsus Dei gratia, Toleti imperii rex, et sub Christi nomine magnificus triumphator, una jugiter cum dilectissima uxore mea Elisabeth regina: A todos Mozarabes de Toledo, tam cavalleros *, quam pedones *, pacem in Christo, atque perpetuam salutem. Cum præteritis temporibus fuerint factas in Toleto multas præsquisitiones * super cortes *, et hæreditates; sic de pressuria * quo modo, et de compacto. Et cum tollerent inde ad illos, qui magis habebant, et darent, ad eos, quod nihil habebant, aut quod paucum habebant; nunc ego jam quæro imponere finem ad istam causam, et nolo, ut amplius fiat. Ideo autem in mense Martio mandavi a domino Joanne Alcadi, qui præpositus imperii civitatis, et juridicus judex erat, ut cum alguacil don Petro, et aliis deceim ex melioribus civitatis, inter Moszarabos et Castellanos, ipsemet cum eis exquireret et æquaret; et cortes et expositas hæreditates inter totos * illos, et ut quod ipse faceret, inconcussum semper et stabile permanent *, quod secundum meum imperium confactum fuit atque completum.*

* equites

* pedites

* an. perquisitiones ?

* villas *etc.*

* molestia

* *id est* omnes

* permaneret

278 *Tunc ego a supradictis præsquisitoribus jugata, et eorum principalius inclinatus facio hanc cartam firmitatis ad totos ipsos Moszarabos de Toleto cavalleros, et pedones, ut firmitatem hanc semper, quantas cortes et hæreditates, sive vineas ac terras hodie in suo jure retinent, et pro nulla exquisitione non podant * inde quidquam, nec pro nullo rege subsequente, sive cabet medina, aut comite vel principe militiæ, de quanto hodie pertinet, dare; et pro meo judicum vendicaverunt, atque in sempiternum; et do eis libertatem, ut quod fuerit inter eos pedes, ei * voluerit, et posse habuerit, ut militet, et vendendi, dandi vel possidendi, seu de possessione sua, quoties voluerit, faciendi, liberam in Dei nomine habeat potestatem: et si inter eos fuerit ortum aliquod negotium de aliquo indicio *, secundum sententiam in libro judicum antiquitus constitutus discutiata, et de quanta calumnia fecerint, quantum * solummodo persolvant, sicut in carta Castellanorum resonat; excepto de furto, et de morte Judæi, vel Mauri, et de omni calumnia, talem eis mando habere consuetudinem, qualem et Castellanis in Toleto commorantibus; et si voluerint vineas, aut alias arbores plantare, aut restaurare, illi qui fuerint pedites, decimam inde* F

portionem

in favorem Mozarabum

* *an.* possint. *Hisp.* puedan?

* an. si?

* judicio

* tantum

SEC. XII.

portionem solummodo ad regale palatium persolvant.

pro remedio animæ suæ etc.:

279 *Hoc autem facio pro remedio animæ meæ, et parentum meorum : et ut vos omnes, quos in hac urbe semper amavi, et dilexi, seu de alienis terris ad plantandum adduxi, semper habeam fideles et oratores ; ideoque absolvo vos ab omni feste* pristinæ subreptionis, et præscriptæ libertati trado, ut ab hodierno die et deinceps, nec vos nec filii, aut hæredes vestri ab hac præscripta regula receditis *, et in isto foro semper permaneatis ævo perempni, et per sæcula cuncta. Amen. Si quis tamen, quod fieri minime credo, aut ego, aut aliquis homo de propinquis meis, vel extraneis, contra hoc meum factum ad irrumpendi venerit ; quisquis ille fuerit, qui talia commiserit, sit excommunicatum, et Christianæ fidei libertate separatum, et cum Datan et Abiron, quos terra vivos absorbit, quia mandatis Dei rebelles extiterunt, et cum Juda, Dei traditore, qui laqueo se suspendit, et sic vitam cum visceribus fudit in profundo inferni æternas pœnas lucraturus, demergantur : et hoc meum factum in cunctis plenam obtineat firmitatem. Facta autem hæc stabilitatis carta sub hera millesima centesima trigesimanona, et nato die decimo tertio Kalendas Aprilis.*

* an. fece ?

* recedatis

B

cui ipse cum sua uxore, atque aliis subscribit.

280 *Hac autem non volo prætimitere *, quando mando, ut plantor vendat ad plantorem, et vicinus ad vicinum ; sed non quæro ut aliquis de ipsos plantores vendant cortes, aut hæreditates a nullo comite vel potestate. Ego Ildefonsus Dei gratia, totius Hispaniæ imperator, quod feci conf. Elisabeth regina, quod domino meo fieri placuit, conf. Raymundus, totius Galiciæ comes, regisque ger. conf. Urraca, imperatoris filia, Raymundique comes uxor, conf. Henricus Portugallensis et Colibriensis provinciæ comes, conf. Terasia, regis filia, et Henrici comitis uxor, conf. Hernandus, Toletanæ sedis archiepiscopus, conf. Joannes Toletanor, principalis judex atque præpositus, conf. Petrus Aluariz et medic' conf. Michael Adiz princeps Toletanæ militiæ, conf. Petrus Ansuriz, comes, conf. Fernandus Muñoz, majordomus regis, conf. Garci Alvariz, armiger regis, conf. Gomez Martinez, conf. Gutier Bermudez, conf. Joannes Ramirez conf. Gonçalo Stephanus, conf. Didago Alvariz, cont. Pelagio Petriz, conf. Rodrigo Petriz, conf. Gutier Fernandez, conf. Garci Ximenez, conf. Garci Bermudez, conf. Gonzalo Ansuriz, conf. Petrus Suariz, conf. Rodericus Ordonez, conf. Sancio Aznariz, conf. Johane Didacus, conf. Petro Didacus, conf. Pelagio Guidesteiz conf. Pelagius Erigis, cognomento Botanarius, quod notavi, conf.*

* prætermittere

C

Illud hic cur non explanetur.

281 Vides, lector, in contextu hujus regii diplomatis multos contineri barbarismos; ut de Hispanicismis hic illic intermixtis nihil dicam : unde fit, ut non vitiosa dumtaxat, sed obscura prorsus reddatur oratio. Ceterum *ruditatem excusabis ævi illius, quo barbaris, quam barbariei exstirpandæ studebant magis majores nostri,* inquit in sua epistola jam a me prolata Nicolaus Antonius Hispanus; id quod hic valeat in lingua Latina, quamquam alia de causa id supra usurparit iste auctor. Omnem textus barbariem non emendo; paucula ad marginem annotasse contentus : de aliis viderint illi, ad quos omnium vocum in isto diplomate contentarum explanatio propius pertinere videbitur. Illarum sane illustratio nihil facit ad statum ritus Mozarabici; cujus causa hoc et sequentia diplomata referuntur ex superabundanti, ut ita loquar; ac proin satis fuerit lectori, genericam saltem ex istis instrumentis sibi ideam formare circa ea, quæ Mozarabibus olim indulta fuere a regibus Hispaniæ. Pergamus itaque ad alia, quæ hoc seculo XII gesta sunt. D

Eugenius PP. III jubet, ut Mozarabes obediant

282 Concilium Fusselense, celebratum prope Palentiam apud oppidum Husillos dictum, circa annum Christi 1104, notatur apud Aguirrium pag. 317; ubi inter alia, quæ ex Sandovalio producit, *quædam circa Officium divinum tractata,* refert; an vero illa Officium Mozarabicum spectent, nescio. Ad rem nostram certissime facit epistola Eugenii PP. III, qui sedit ab anno Christi 1145 ad 1153, legenda apud Labbeum tom. 10, col. 1099, directa *ad clerum et populum Toletanum,* uti ibi inscribitur, hoc titulo, *ut Muzarabes Toletano archiepiscopo pareant, et in ceremoniis ab eo non dissentiant:* quam epistolam etiam exhibet Aguirrius pag. 362, et sic habet : *Inobedientiæ crimen quam grave, quantaque animadversione plectendum, creator omnium Dominus primi hominis inobedientiam puniendo monstravit ; et genus hominum in valle lacrymarum positum experitur. Significatum bene est, quod quidam, qui Muzarabes nuncupantur, venerabili fratri nostro archiepiscopo Toletano obedientiam denegantes, ecclesias de manu laicorum recipiant : et in sacramentis Missarum, et aliis divinis Officiis, tonsura quoque clericali et vestimentis, suam antiquam consuetudinem subsequentes, ab Apostolica sede diversa sentire præsumant* E

archiepiscopo Toletano, et Romanis ritibus se conforment.

283 *Quia igitur Apostolicæ sedi tanta est a Domino collata potestas, ut quam * pro sanis dogmatibus, fidelium moribus, dominico tempore scripsit *, hodie teneatur acceptum : et quam * illa repulit, hactenus inefficax habeatur : quanto magis quæ ob reverentiam Catholicæ fidei in sacramentis Missarum, et aliis divinis Officiis instituisse dignoscitur, omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus reverenter assumi? Universitati vestræ per præsentia scripta mandamus, quatenus eos districtius moneatis, ut in sacramentis Missarum, et aliis divinis Officiis, a Catholica Ecclesia dissentire de cetero non præsumant; et memorato fratri nostro obedientiam debitam exhibentes, si in ipsius provincia remanere voluerint, ejus monita et præcepta reverenter suscipiant et observent.* Dies et annus, quibus data fuit hæc epistola, desiderantur. Interim ex ea liquet, Romanam sedem hoc etiam seculo XII, prout anteriore eam fecisse vidimus, operam dedisse, ut liturgiæ Mozarabicæ ministri, quos in sex Toletanis ecclesiis remansisse diximus, suo quosque antiquo Officio ecclesiastico vacantes, non secus atque aliæ ecclesiæ per Castellæ, Legionis, aliasque Hispaniarum ditiones extensæ. F

* quod

* præscripsit

* quod

Privilegium Mozarabibus datum

284 Ad præsens seculum XII spectat privilegium, Mozarabibus concessum; quod ita sonat : *Quoniam ea, quæ a regibus et terrarum principibus instituuntur, semper firmantur, nec * temporum diuturnitate oblivioni tradantur : Idcirco ego Ildefonsus Dei gratia, rex Castellæ et Toleti, una cum uxore mea Alienor regina, quia vos promptissimos, et fideles in servitiis meis inveni, facio cartam libertatis, absolutionis et stabilitatis vobis, toti Toletano concilio, præsenti et futuro, in perpetuum valituram. Dono et concedo omnibus Toleti militibus ex totius termini, sive præsentibus et*

* ne

SÆC. XIII

A et futuris, quod de omnibus hæreditatibus, quas habent in Toleto, aut in aliqua parte termini sui, vel de cetero habuerit *, nullam decimam, nec forum aliquod regi, vel domino terræ, nec alicui alii umquam persolvant: et quicumque de manibus eorum hæreditates ipsorum excolunt, de fructibus inde perceptis nullam decimam tribuant; sed prædicti milites cum omnibus hæreditatibus suis liberi, et immunes ab omni regali, alioque gravamine, et exactione per secula cuncta permaneant; et cetera de ornamento privilegii. Desideratur nota temporis.

* habuerint

ab Alphonso Castellano

285 Verum ad quæ circiter tempora illud instrumentum pertineat, colligere licet ex aliis Alphonsi et uxoris ejus Alienoris nomine notatis, ab anno 1173, usque ad 1213, prout videre est apud Berganzam in Appendice sect. 1, a pag. 461. In Chronologia S. Ferdinandi, regis Castellæ et Legionis, quæ per annos dominicæ Incarnationis extenditur apud nos tom. VII Maii, a pag. 294, ita dicitur: MCLXX *Alfonsus Castellanus annos XV natus uxorem ducit Alienoram, filiam Henrici II, regis Angliæ et Alienoræ, ex Guilielmo ultimo Aquitaniæ duce natæ.* Porro per dictum privilegium videtur tolli B onus illud solvendæ decimæ partis, in superiore Alphonsi VI diplomate Mozarabibus impositum his verbis: *Talem eis mando habere consuetudinem* etc.; atque adeo videtur hoc privilegium extendi ad Mozarabes. Certe illud inter alia eis indulta continetur: atque ideo et illud ego hic produxi; post quod sequitur aliud privilegium hujus tenoris:

una cum alio quod ab eodem rege latum fuit.

286 *Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Ildefonsus Dei gratia, rex Castellæ et Toleti, vidi privilegium illud, quod rex Ildefonsus proavus meus felicis memoriæ, olim Toletanis civibus fecerat, in quo continebatur, quod quicumque morarentur in Toleto, ibidem in civitate et militia faciendo secundum forum Toleti, essent excusati et absoluti ab omni alio pecto *, et facendera in toto regno suo. Ego itaque prædictus rex Aldephonsus, volens prædecessorum meorum facta rata esse, et firma, una cum uxore mea Alienor, regina, et cum filio meo Ferrando, facio cartam libertatis, et absolutionis vobis, toti concilio Toletano, præsenti et futuro, mandans firmiter ac præcipiens, quod quicumque in Toleto morati fuerint, ibidemque in civitate et militia secundum* C *forum Toleti fecerint de hæreditatibus suis, quas in toto regno meo habuerint, nullam faciant postam, vel facenderam, seu pectum aliquod, scilicet pro vicinitate et facenda, atque militia Toleti, sint excusati in omnibus aliis villis regni mei: et reliqua de ornamento.*

* solutione

Favores a rege Marocano Mozarabibus concessi.

287 Interseratur collectioni istorum diplomatum digressio parva intercalaris, quæ ad præsens seculum XII spectat, et habetur apud Honoratum a S. Maria, Carmelitam excalceatum, operis Gallici supra citati de regulis et usu critices tom. 3, lib. 5, dissertat. 3, pag. 201; ubi refert, quod versus annum 1170 Jacob Almansor; rex Marocanus, duxerit Mozarabes ex Hispania, ut suæ personæ custodiendæ præessent, quod ecclesiam eis ædificari jusserit; quod vivere eis permiserit in sua religione; Missæque et Officio divino interesse more suo. Quæ ex laudati scriptoris fide hic damus; cum nullum citet auctorem. Nunc iterum diplomata resumamus.

§ II. *Alia quædam ab regibus Alphonso Castellano, et S. Ferdinando indulta Mozarabibus privilegia.*

*Præsentibus et futuris notum sit ac manifestum, quod ego Aldefonsus Dei gratia, rex Castellæ et Toleti, una cum uxore mea Alienor regina, et cum filio meo Ferrando, libero animo, et voluntate spontanea facio cartam donationis, concessionis et stabilitatis, vobis universo concilio Toletano præsenti et futuro, perenniter duraturam. Dono itaque vobis, et concedo illum mesonem * in Toleto, ubi venditur triticum, ut eum habeatis in perpetuum, et accipiatis semper omnes mediduras *, atque directuras *, quæ in eodem mesone evenerint, de omni tritico, quod ibidem venderetur, ita quod quantum accipiatis de illis mediduris et directuris, expendatis in illis, quæ necessaria fuerint cura * commune utilitate totius concilii Toletani: et quod inde superfuerit de mediduris illis, et directuris, deductis prædictis expensis, detis et expendatis in opere murorum de Toleto. Ideo tamen hoc duximus vobis concedendum, quod dominus archiepiscopus, et canonici ecclesiæ Toletanæ sedis percipiant semper decimam de omnibus illis mediduris, et directuris, quæ evenerint in illo prædicto mesone: et cetera de ornamentis.*

Chartæ donationis Alphonsi Castellani in favorem Mozarabum.

* domus est vel taberna

* mensuras

* an. jura, Hisp. derechos?

* circa communem

E

289 *Per præsens scriptum notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Aldefonsus Dei gratia, rex Castellæ et Toleti, una cum uxore mea Alienore regina, et cum filiis meis Ferrando et Henrico, concedo et confirmo concilio Toletano (sic proavus meus rex Aldefonsus bonæ memoriæ) quod omnes villæ, quæ sunt in termino Toleti, et aldea, sive sint meæ, sive de apotheca mea, sive domini archiepiscopi Toletani, sive ecclesiæ sanctæ Mariæ, sive Salvæ-Terræ, sive hospitalis, sive ordinis de villis *, sive militis, sive cujusque hominis, facenderam faciant in civitate Toleti; sic faciant cives hujus civitatis. Tamen excipimus ab hac generalitate Illescas, quæ fuit propria hæreditas imperatoris, et Ulmos, et Ocaniam, et Moltabam *, cum suo termino, qui numquam hoc fecit ille ruptam de villis domini archiepiscopi, et aldeis ecclesiæ sanctæ Mariæ. Mandamus igitur, quod postam et facenderam (quam supra diximus) illos debere facere cum civibus Toletanis, faciant eam non per manum eorum, sed per manum hominis domini archiepiscopi, qui colligat, et det eam alcaldibus Toleti.*

et archiepiscopi

* Ms. Ueles

F

* Ms. Montalvam

290 *Non enim volumus, quod alcades vel cives Toletani habeant aliquam potestatem vel aliquam præeminentiam super homines archiepiscopi, et ecclesiæ sanctæ Mariæ: et cum ista pecta, quam facient civibus Toletanis, sint liberi et et immunes ab omni pecta, et facendera regis. Et si ego vel filius meus, aut aliquis de genere meo voluerit aliam pectam, vel aliam facenderam habere de hominibus supradictis domini archiepiscopi, et ecclesiæ sanctæ Mariæ, non teneantur aliquam pectam, vel facenderam facere cum civibus Toletanis: et cetera spectantia ad ornamentum privilegii.*

Toletani.

291 *Per*

SEC. XIII. *Aliud privilegium*

291 *Per præsens scriptum sit notum omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Aldefonsus Dei gratia rex Castellæ et Toleti, una cum uxore mea Alienore regina, et cum filiis meis Ferrando, et Henrico, attendens damnum civitatis Toletanæ, et detrimentum, quodquod inde eveniebat terræ, statui cum bonis hominibus de Toleto, quod nullus homo de Toleto, sive vir sive mulier possit dare vel vendere hæreditatem suam alicui ordini, excepto, si voluerit eam dare vel vendere sanctæ Mariæ de Toleto, quia est sedes civitatis; sed de suo mobili det quantum voluerit, secundum suum forum* * *et ordo, qui eam acceperit datam vel venditam, amittat eam; et qui eam vendiderit, amittat morbidos, et habeant eos consanguinei sui propinquiores. Ego tamen cum concilio condonavi domino Gunsalvo Perez de Turrecremata, et suis cognatis Petro Armillez de Portugal, et Sanchæ Perez de Fonte Almerir, quod hæreditatem suam, et mobile conferant cui suæ sederit voluntati: illud scilicet quod hodie habent; condonavi, inquam, istud eis, et filiis suis, et suis nepotibus.*

* legem vel consuetudinem

B 292 *Concedimus etiam quod illud, quod dona Luna ante istam institutionem concessit Burgensi monasterio sanctæ Mariæ Legalis, cum suis directuris, valeat. Miles autem de alia parte, qui hæreditatem habeat in Toleto, vel habuerit, faciat ibi in civitate cum suis vicinis; alioquin amittat illam, et conferat illam rex cuicumque voluerit, qui pro ea faciat in civitate: et cetera de ornamento privilegii. Suprascripta igitur privilegia, et omnia, quæ in eisdem continentur, ego rex Ferrandus, superius nominatus, vobis concedo, corroboro, et confirmo; nec non statuo observari irrevocabiliter in ævum. Si quis vero hanc meæ concessionis paginam infringere, seu in aliquo diminuere præsumpserit, iram Dei omnipotentis plenarie incurrat, et cum Juda Domini proditore pœnas sustineat infernales, et regi parti mille auros in choto* * *persolvat; quodque præsumpserit, effectu careat, et damnum quod vobis super hoc intulerit, restituat duplicatum. Facta carta apud Matritum vigesimo primo die Januarii, era millesima, ducentesima sexagesima, anno regis quinto. Et ego rex Ferrandus supradictus hanc cartam, quam fieri jussi, manu ipsa roboro et confirmo.*

cum confirmatione supra scriptorum a S. Ferdinando facta.

* an. quoto?

C 293 *Ego Ferdinandus Dei gratia, rex Castellæ et Toleti, cupiens progenitorum meorum vestigiis inhærere, et eos in meis actibus, prout potero, imitari; volensque libertates, et laudabiles consuetudines confirmare, quas ipsi suis fidelibus contulere, una cum uxore mea dona Beatrice regina, et cum filio meo Alfonso, ex assensu et beneplacito dominæ Berengariæ reginæ, genitricis meæ, facio cartam concessionis, roborationis, confirmationis et stabilitatis vobis concilio Toletano, militibus, civibus tam Mostarabis, quam Castellanis, seu Francis, præsentibus et futuris perpetuo valituram. Concedo itaque vobis et confirmo totum quantum in istis subscriptis privilegiis, quæ a nostris progenitoribus vestri prædecessores impetrarunt de vestra libertate, et quo modo continetur: tenorem quarum transcribi feci verbo ad verbum sub una pagina in hunc modum: Sub imperio almæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus sancti, unius quidem omnipotentis Dei, hoc pactum, renovatum, et fœdus firmississum jussit renovare et confirmare venerabilis rex Adelfonsus, Raimundi filius, ad omnes cives Toletanos, Castellanos, Mostarabes, Francos propter fidelitatem et æqualitatem illorum, et illos privilegios, quos dederat illis avus suus Adefonsus rex (det illi Deus optimam requiem) melioravit et confirmavit per amorem Dei, et remissionem omnium peccatorum suorum.* D

Idem sanctus rex confirmat privilegia

294 *Sic vero et omnia judicia eorum, secundum librum judicum, sint judicata coram decem ex nobilissimis et sapientissimis eorum, qui sedeant semper cum judice civitatis ad examinanda judicia populorum, et ut præcedant omnes in testimoniis, in universo regno illius. Similiter et omnes clerici, qui nocte et die pro se, et omnibus Christianis omnipotentem Deum exorant, habeant absolutas suas hæreditates in reddendis decimis. Sic vero dedit libertatem militibus a portatico de cavallis et mulis in civitate Toleto. Et si quis captivus Christianus exierit in captivo Mauro, non det portaticum, et quantum dederit rex militibus Toleti de muneribus, sive proficicis, sit divisum inter illos, scilicet Castellanos et Gallecos et Moçaranes, quomodo fuerint in uno uni ab aliis, et quod ideo sint pignorati tam milites, quam ceteri cives Toletani in universo regno illius: quod si aliquis ausus fuerit unum ex illis in omnibus regionibus suis pignorare, duplet pignora illa, et solvat regi sexaginta soldos: adhuc autem et milites illorum non faciant annubdam, nisi uno fossato in anno: et qui remanserit ab illo fossato sine veridica excusatione, solvat regi decem soldos: et qui ex illis obierit, et equum aut loricam, aut aliquas armas regis tenuerit, hæreditant omnia filii sui, sive sui propinqui, et remaneant cum matre sua honorati et liberi in honore patris illorum, donec valeant equitare.* alias E

295 *Nam etsi solam uxorem relinqueret, sit honorata in honore mariti sui, Sic quoque et qui inter civitatis, aut foras in villis in solaribus suis commoraverit, et contentiones et jurgia inter illos ceciderit; omnes calumniæ ipsorum sint suorum: si quis vero ex illis in Francia aut in Castella, sive ad Gallitiam, seu quacumque terra ire voluerit, relinquat cavallerum in domo sua, qui pro eo serviat infra tantum, et vadat cum Dei benedictione. Et quicumque cum uxore sua ad suas hæreditates ultra Serram ire voluerit, relinquat cavallerum in domo sua, et vadat in Octobrio, et veniat in primo Madio. Sed si ad hoc tamen non venerit et veridicam excusationem non habuerit, solvat regi sexaginta soldos. Si vero uxorem non levaverit, non relinquat cum ea cavallerum. Tamen ad hoc placitum veniat: similiter et agricolæ et vinearum cultores reddant de tritico, et ordeo, ac vinearum partibus decimam partem regi, non plus; et sint electi ad scribendam decimam hanc homines fideles, Dominique amicos mercedem regis accipientes, et quod sint adducti in tempore triturarum mensium ad horrea regis, et in tempore vindemiarum, ad torcularia ejus, et accepta de eis cum veridica et æquali mensura videntibus duobus vel tribus de filibus* * *civitatis: et ii, qui hanc decimam regi solvunt, non sit super eos aliquod servitium, ad faciendum super bestias illorum.* concessa; F

* Ms. fidelibus

296 *Non servant* * *nec fusatoria, nec vigilia in civitate, nec in castello; sed sint honorati et liberi, et ab omnibus saceribus imperati: et quisquis ex illis equitam* * *voluerit in quibusdam temporibus, equitet, et intret in mores militum: nam et quicumque habuerit hæreditatem juxta flumen de fluminibus Toleti, et in ipso flumine molendinum,*

quæ hic * forte *servent*

* Ms. equitare

A *lendinum, aut vaceat, sive pisqueram ædificare quæsierat, faciet sine ullo timore : nec non et habeant ipsi, et filii sui, et hœredes eorum omnes hæreditates suas fixas et stabiles in perpetuum : et quod vendant et emant unum ab alteris, et donent ad quem quæsierint, et unusque faciant in sua hæreditate secundum suam voluntatem. Sic vero avus suus (det illi Deus requiem) abstulit aliquam hæreditatem uni eorum per iram aut per injustitiam, absque culpa palatina, quod in ea sit reversus : et item qui hæreditates in quacumque terra imperii illius habuerit, jussit, ut saiones non intrent in eas, nec majorinos, sed sint in pace per amorem populationis illius in Toleto : nam et cum Dei adjutorio de quantis civitatibus Maurorum, ut habeant fiduciam accipere, ut et illi, qui de ipsis civitatibus fuerint, ibunt recuperare hæreditates suas, et quod vendicent eas de Toleto cum moratoribus Toleti : sic quoque et illi, qui ultra Serram sunt, si aliquod judicium habuerint, cum aliquo Toletano, quod veniant ad medianetum in Calatalifa, ibi se judicent sanctorum patrum obedire, et implere præcepta.*

B 297 *Jussit (amplificet Deus regnum ipsius) ut nullus Judæus, nullus nuper renatus habet mandamentum super ullum Christianum in Toleto, nec in suo tritorio. De cetero vero si aliquis homo acciderit in homicidium, aut in aliquem laborem absque sua voluntate, et probatum fuerit per veridicas testimonias, si fideijussorem non habuerit, non feratur alicubi extra Toletum, sed tantum in Toletano carcere trudatur S. de Alfada, et non solvat nisi quintam partem calumniæ, non plus. Quod si aliquis aliquem hominem occiderit intra Toletum aut foras, infra quinque milliarios in circuitu ejus, morte turpissima lapidibus moriatur. Qui vero de occisione Christiani, vel Mauri, sive Judæi per suspicionem accusatus fuerit, nec fuerint super eum veridicas fidelesque testimonias, judicet eum per librum judicum. Si quis ergo cum aliquo fruto * probatus fuerit, totam calumniam secundum librum judicum solvat. Sic vero et si peccato impediente aliquis homo cogitaverit aliquam traditionem in civitate aut in castello, et discoopertum fuerit per fidelissimas testimonias, ipse solus pateat malum, aut exilium : si vero fugerit, et inventus non fuerit, portionem suam de toto suo habere regi accipiant, et remaneat uxor sua cum filiis suis in portione sua intra civitatis, et foras, sine ullo impedimento.*

singulatim

Ms. furto

C 298 *Hoc judicium dedit nobilissimus rex Alfonsus Raymundi, die, qua hoc privilegium confirmavit, et jussit, ut nullus pausaterus descendat in una ex domibus Toletanorum intus civitatis, nec in villis suis. Et si mulier ex mulieribus eorum vidua fuerit, an virgo ; non sit data ad maritum invitus, nec per se, neque per aliquam potentem personam. Similiter et nullus erit ausus rapere mulierem de mulieribus eorum, mala si fuerit, aut bona, nec in civitate, nec in via, nec in villa. Et qui unam ex illis rapuerit, morte moriatur in loco. Sic etiam honorem Christianorum confirmavit, ut Maurus et Judæus, si habuerit judicium cum Christiano, quod ad judicem Christianorum veniat ad judicium, et quod nulla arma, nec ullum cavallum de sella exeant de Toleto ad trans Maurorum. Et placuit ei, ut civitas Toleti non esset præstamo, nec sit in ea dominator, præter eum, neque vir, neque femina, et in tempore ætatis succurrat Toletum defendere ab hominibus volentibus eam opprimere, sive sint Christiani, sive Mauri : et jussit, ut nulla persona habeat hæreditatem in Toleto, nisi qui moravit in ea cum filiis suis, et uxore sua, et fabricatis muris constet semper de commodis et utilitatibus Toleti. Sic antea erat in tempore avi sui Adefonsi regis (sit ei beata requies.) Si aliquis Castellanus ad suum forum ire voluerit, vadat. Insuper hoc totum exaltet Dominus imperium suum : dimisit illis omnia peccata, quæ accidere de occisione Judæorum, et de rebus illorum, et de totis pesquisitionibus *, tam majoribus, quam minoribus : et cetera, quæ spectant ad ornamenta privilegii.*

enumerantur.

sec. XIII.

* *In Ms.* perquisitionibus

§ III. *Diplomata Alphonsi Sapientis.*

Inter privilegia Mozarabibus concessa referuntur variæ aliæ immunitates, seu indultorum a variis hactenus Hispaniæ regibus obtentorum confirmationes ; quæ ex lingua Hispanica sic sonant : *Notum sit omnibus hominibus, qui chartam hanc viderint, quomodo ego D. Alfonsus, Dei gratia* E *rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galeciæ, Hispalis, Cordubæ, Murciæ, et Giennæ, quando veni Toletum, ut facerem ibi meas cortes, venerunt ad me equites, et boni homines concilii Toletani, et monstrarunt mihi sua privilegia bonorum fororum, et favorum et immunitatum, quæ ipsis rex D. Alfonsus, ei rex D. Alfonsus Raymundus, ac rex D. Alfonsus meus proavus fecere, et confirmata sunt a rege Ferdinando meo patre; ac petierunt a me favorem, ut ego illo ipsis concederem ac confirmarem : et privilegia erant facta hoc modo : Ut facta regum ac principum memoria, quæ digna sunt, assequantur. Vacat.* Et sequitur : *Ego Ferdinandus Dei gratia, rex Castellæ et Toleti, cupiens progenitorum meorum vestigiis inhærere, et eos in meis actibus, prout potero, imitari,* etc, quæ proxime jam dedimus. Tum sequebatur aliud privilegium hoc exordio : *Quoniam ea quæ a regibus, et terrarum principibus instituuntur,* etc. Tum illud : *Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Ildefonsus,* etc. Item: *Præsentibus et futuris notum sit ac manifestum.* Et aliud : *Per præsens scriptum notum sit omnibus,* etc. Illud denique, cujus initium est : *Per præsens scriptum sit notum omnibus,* etc. quæ ordine temporis nos supra plenius produximus. F

Duo diplomata

300 Quibus privilegiis omnibus ita exhibitis ac recensitis, subduntur sequentia, quæ ex Hispanico ita sonant : *Et ego supradictus rex Alfonsus regnans una cum regina D. Violante, mea uxore, et cum mea filia infante D. Berengaria, in Castella, in Toleto, in Legione, in Gallecia, in Hispali, in Corduba, in Murcia, in Gienna, in Biatia, in Vallisoleto, et in Algarbia ; Propter affinitatem, quam mecum habent Toletani, majorem quam omnes homines alii meorum regnorum, et quia sapientis est, illis benefacere, et favere, atque illos promovere ; concedo privilegia supra dicta et confirmo, et mando, ut nemo audeat contraire isti meo privilegio in ulla re : et qui hoc fecerit, iram Dei incurrat, et cum Juda traditore descendat in fundum inferni, atque insuper solvant mihi quotam supradictam, et illis totum damnum duplicatum. Facta charta in Toleto, per mandatum regis, duobus diebus elapsis mensis Martii, æra millesima ducentesima nonagesima prima* (quæ concurrit cum æræ vulgaris anno 1253) *D. Alphonsus de Molina*

ab Alphonso Sapiente data

sec. xiii. *lina conf. D. Federicus conf. D. Gutierre conf. D. Manuel conf. D. Philippus electus Hispalensis conf. D. Lancius electus Toletanus conf. D. Joannes archiepiscopus S. Jacobi conf. D. Albaddillo Abeunazar rex Granatæ, vassallus regis, conf. D. Mahomat Abenmahomat rex Murciæ, regis vassallus, conf.*

datæ 301 Et sequuntur plura nomina eorum, qui dictam chartam confirmarunt, et additur in fine: *Albar Garcia de Fromesta eam scripsit anno secundo, quo rex D. Alfonsus regnavit.* Alphonsus utique cognomento Sapiens, S. Ferdinandi regis Castellæ et Legionis filius, qui anno 1255 mortuo patri successit; vita functus anno 1284, secundum Chronologiam Ferdinandeam loco citato, pag. 296; ubi etiam notantur hæc: MCCXLV *Alfonsus Sancti primogenitus, uxorem ducit Violantem, filiam Jacobi Aragonii, Vallisoleti mense Novembri.* Schema genealogicum regum Castellæ ac Legionis, quatenus ad S. Ferdinandi historiam, atque adeo ad reges superius in diplomate Alphonsi Sapientis designatos pertinet, habes apud nos die XXX Maii pag. 293. *Prædicta vero privilegia,* sicut subjungitur ad
B calcem diplomatis Alphonsi Sapientis, quod ultimo
Ms. latiniter loco mox recitavi, *latini * scripta, desumpta fuerunt ex veris originalibus, mihi notario infrascripto traditis et consignatis per dominum Alfonsum Fernandez a Castro, scribam regalem, locum scribæ majoris concilii Toletani tenentem, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, die vero decima nona mensis Aprilis.*

302 *Suntque vero realiter et fideliter transcripta, et per me correcta, ut in originalibus reperi; et hoc Toleti, anno, mense, et die, quibus supra; præsentibus ad eorum correctionem dominis doctoribus Ildefonso a Narbona, et Eugenio a Narbona, clerico presbytero, Toletanis testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis. Et quia ego Ludovicus Trevinus, presbyter, notarius Apostolicus Toletanus, in archivo Romanæ curiæ descriptus, sanctique Officii Inquisitionis negotiis assignatus, præmissis interfui; ideo hoc transsumptum, propria et aliena manu descriptum, transcripti, desumique feci, rogatus et requisitus, in testimonium veritatis. Ludovicus Trevinus notarius Apostolicus.* Post hæc mox sequitur aliud laudati Alphonsi Sapientis diploma, ex Hispanico idiomate Latine translatum:

C 303 *Sicut reges tenentur facere justitiam, et*
ex Hispanico *debent dare malum illis, qui illud fecerint, et ipsis propter illud inferre pœnam, secundum meritum; sic tenentur dare bonam compensationem bonis, qui legitime sibi servierunt. Et ideo Nos D. Alphonsus Dei gratia rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galeciæ, Hispalis, Cordubæ, Murciæ, et Giennæ, una cum regina D. Violante, uxore mea, et cum nostro filio infante D. Ferdinando primo et herede, et cum nostro filio infante D. Sancio, cognoscendo quomodo equites, ac nobiles nobilis civitatis Toletanæ, servierint semper illis, qui sunt ex genere nostro, in propagando et custodiendo illis Toletum; et jussis parendo et obediendo in rebus omnibus, ac Nobis, et antequam regnaremus, et postquam regnamus; et fecerunt id, quod Nos mandavimus et æqui bonique consuluimus: et propter naturæ indolem, quam eos potissimum habere cognosco; quia nati sumus in Tolelo: ut illis favorem faciam et gratiam: propter omnes istas causas supradictas damus et concedimus in perpetuum, ut omnes equites, et dominæ, et scutiferi nobiles, omnesque qui ex illis descen-* D
derint, qui sunt, et qui fuerint habitatores in nobili civitate Totetana, sint liberi a moneta in perpetuum; ut eam non dent. Atque etiam illis damus, et illis concedimus, ut hereditates, quas habent vel habuerint in Toleto, aut in ejus termino, ita in quantitate pensionis tributariæ annotentur, sicut annotantur hereditates, quas equites nobiles habent in Castella.

304 *Et prohibemus, ut nemo audeat illas capere* translata
*in illa consuetudine * per vim; neque injuriam* * ita Hispanicum conducho
aut malum inferat. Et si aliquis hoc fecerit; vertendum
mandamus, ut illud solvat, sicut illud solvunt censui.
equitibus nobilibus in Castella. Et similiter, ut fiat favor et gratia equitibus Mozarabibus Toletanis, qui directe descendunt a Mozarabum genere, quod gladio cinxerunt illi, qui ex genere meo sunt, vel divites eorum viri honorati, qui pro tempore fuerunt; aut similiter nos vel nostri viri divites faceremus aut fecerimus; vel quos nostri generis reges, qui venerint, ipsi post nos, aut viri eorum divites imposterum fecerint; illis, qui hac linea directe descenderint, concedimus, ut habeant eamdem istam liberationem a moneta, quam concedimus istis aliis equitibus supradictis. Et E
mandamus ac prohibemus firmiter, ut nemo audeat contraire isti nostro privilegio istius nostræ donationis, neque illud infringat, neque diminuat in ulla re. Et quisquis illud fecerit, incurret nostram iram, et solvere debebit in quantitate decem mille Maravedisos, et illis totum damnum duplicatum. Atque ut ista liberatio, et ista gratia supradicta sit firma stabilis in perpetuum, mandamus muneri istud nostrum privilegium sigillo nostro aureo. Facta charta in Toleto, de mandato regis, die dominica vigesima sexta die elapsa mensis Januarii, æra millesima ducentesima nonagesima septima (id est, anno æræ vulgaris 1259.)

305 *Et Nos rex supradictus D. Alfonsus, una* producuntur.
regnans cum regina D. Violante, mea uxore, et cum nostro filio infante D. Ferdinando primo, et herede; et cum nostro filio infante D. Sancio, in Castella, in Toleto, in Legione, in Galecia, in Hispali, in Corduba, in Murcia, in Gienna, etc. *istud privilegium illis concedimus et illis confirmamus. D. Sancius, electus Toletanus, concellarius major regis, conf. D. Alphonsus de Molina, conf.* Et sequebatur catalogus bene longus aliarum personarum, quæ prædictam chartam confirmarunt. F
Quam *Garcias Martinez de Segovia* se *scripsisse* testatur *anno septimo, quo rex D. Alfonsus regnavit.*

§ V. *Aliorum regum Hispaniæ diplomata seculi* XIV *et* XV, *quibus Mozarabum privilegia confirmantur.*

Petrus cognomento Crudelis, anno 1350 Alphonsum XI patrem in regnis Castellæ ac Legionis subsecutus, diploma quoque in favorem Mozarabum condidit; quod ex Hispanico Latinum facio: *Sciant omnes, qui hanc chartam viderint, quomodo Ego D. Petrus, Dei gratia rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galleciæ, Hispalis, Cordubæ, Murciæ, Giennæ, Algarbiæ, Algeziræ, et dominus Molinæ, vidi unum privilegium* Petrus Crudelis
regis

A *regis D. Alfonsi, qui vicit Toletum, littera Gothica scriptum in pergameno coriaceo, factum hoc modo: "Ego Ildefonsus Dei gratia, Toleti imperii "rex, et sub Christi nomine magnificus triumpha- "tor, una jugiter cum delectissima uxore mea "Elisabeth regina: A todos Mozarabes de Toleto, "tam cavalleros, quam pedones" etc. Et nunc equites ac nobiles, et homines boni, communitatis Toletanæ, miserunt, qui a me peterent gratiam, ut æqui bonique consulerem, illis confirmare istud privilegium, et permisi, ut mandaretur conservari. Et Ego supradictus rex D. Petrus, ad faciendum ipsis favorem et gratiam; et quia est mea voluntas, ut [subsistant] favores et gratiæ, quas ipsis fecerunt reges, e quibus ego provenio, permisi, ut illæ conservarentur, et promoverentur, propter multa servitia, et bona, quæ illi semper fecerunt supradictis regibus, et mihi; quæque mihi faciunt quotidie.*

Alphonsi VI diploma confirmat:

307 *Ratum habeo, et confirmo illis dictum privilegium, et modo, ut illis valeat, et illis observetur in omni bono, et complete in perpetuum, secundum* B *quod in illo continetur. Et prohibeo firmiter, ne aliquis aut aliqui audeant contraire illis, aut eo contra illud progredi, ut illud infringant, aut diminuant in aliqua re ex illis, quæ in illo continentur ullo modo. Et quiscumque vel qualescumque, qui id fecerint, incurrent meam iram, et præterea mihi solvent, dabuntque in pœnam mille maravedisos istius monetæ, quæ nunc est in usu; atque Toletanis supradictis, aut qui eorum vocem habuerit, omnia damna et præjudicia, quæ inde receperint, duplicata; et præterea illos aut illum, qui fuerint, conveniam propter illud. Atque ut istud sit firmum et stabile, mandavi illis inde dari istam chartam, sigillatam nostro sigillo plumbeo. Data in cortibus Vallisoletanis, die vigesima quinta Octobris, æra millesima trecentesima octogesima nona* (anno Christi 1351) *Ego Joannes Gonçalez illam scribi curavi. De mandato Regis, Ruy Fernandez Vargas. Joannes Gonçalez.*

uti et faciunt alii reges;

308 Henricus II antecessorum regum vestigiis inhærens, dicta Mozarabum privilegia confirmat: nam Joannes I, ejus filius, testatur, se vidisse privilegium, a suo patre Henrico datum; qui ubi protulisset privilegium Alphonsi VI (in C quo tamen hic, pro *decimo tertio Kalendas Aprilis*, notatur *decimo tertio Idus Aprilis*) sæpius jam supra memoratum, habuit illud ratum ac confirmavit per chartam, quæ signatur *Data in curtibus Toletanis, die* xx *Septembris, æra millesima quadringentesima nona.* Quæ omnia prædictus rex Joannes refert et confirmat similiter in sua charta, *Data in valde nobili civitate Burgensi, die* xxx *Septembris, æra millesima quadringentesima decima septima,* anno Christi 1379; atque inserta sunt collectioni privilegiorum Mozarabum, de qua dicam inferius.

quos inter Ferdinandus et Elisabeth

309 Ferdinandus et Elisabeth regia sua auctoritate sæpe nominata Mozarabum privilegia amplissimo diplomate corroborare et promovere etiam voluere; e quo, omissis Regis ac Reginæ titulis, qui privilegium condunt, atque nominibus ministrorum justitiæ, ad quos illud inspiciendum dirigitur, et qui ibidem exprimuntur, prætermissis, excerpo sequentia, quæ immunitates Mozarabum magis determinate, distincte atque in individuo commemorant. Sic itaque illud privilegium ex Hispanico Latine reddo: *D. Ferdinandus et D. Elisabeth, Dei gratia rex et regina Castellæ, Legionis* etc. *conciliis* etc. *Salus et gratia.*

sec. XIV et XV. majorum suorum

310 *Sciatis, quod clerici, pastores et beneficiati ecclesiarum Mozarabum dictæ civitatis Toletanæ, nobis fecerint relationem per suam petitionem, dicendo: Quod illustres reges gloriosæ memoriæ, nostri antecessores, ex valde magna devotione, quam habuerunt erga dictas ecclesias, et Officium Mozarabicum, illas decoraverint et honoraverint, uti et pastores ac beneficiatos atque parochianos earum, valde magnis privilegiis, libertatibus et exemptionibus; quas huc usque dicunt, sibi fuisse conservatas; et specialiter, quod nemo eorum, qui erant, et sunt parochiani dictarum ecclesiarum Mozarabicarum, aut quarumcumque ex illis, solveret exactiones, vel monetas; neque immatriculati essent in ulla ex civitatibus, villis, aut locis istorum nostrorum regnorum et dominiorum, ubicumque vixerint et habitaverint, ita ut omnes decimæ horum parochianorum talium (posito quod viverent in dicta civitate Toletana) dispersæ et diffusæ per quamlibet parochiarum Castellanarum, aut extra illam, redirent et redeant ad ecclesias aut ecclesiam Mozarabicam, cujus fuerit iste talis parochianus.* E

vestigiis

311 *Et dicunt, quod nunc in aliquibus dictarum villarum aut locorum, istorum nostrorum regnorum, malitiose et indebite, atque ut inferatur eis omne malum et damnum, patiantur molestiam, et immatriculati sint; quodque dictarum exactionum et monetarum [præfecti] petant a dictis parochianis; ut sibi solvant dictas exactiones et monetas: ac similiter dicunt, quod justitiæ administri dictarum villarum et locorum, eos ad illud cogant: quod esse dicunt, contra tenorem ac formam dictorum privilegiorum; [et] ex quo dicunt resultare magnum detrimentum divini cultus, et servitii sui; dictumque Officium Mozarabicum magnam pati diminutionem: quia dicunt, quod servi, et administratores, adimendo sibi decimas, quibus se sustentant, essent compulsi ad illud relinquendum. Et dicunt, quod, quia dictos parochianos jubent solvere dictas exactiones et monetas, eosque ideo fatigant viis diversis; dicti parochiani desinant dare decimas dictis ecclesiis Mozarabibus; et dent illas aliis parochiis territoriorum, ubi vivunt: in quo dicunt, si hoc ita transiret, quod ipsi afficerentur magno gravamine, et damno.*

presse

312 *Hinc nobis supplicabant, et petebant pro gratia circa illud, cum remedio justitiæ, ut mandassemus ipsis provideri, mandando ipsis dari nostram chartam, ut in omnibus dicta privilegia* F *ita data et concessa in dictis ecclesiis Mozarabicis per dictos reges, nostros antecessores, sibi essent conservata et adimpleta; et quemadmodum fuisset nostra gratia. Et Nos ratum illud habuimus: quia vobis omnibus, et singulis mandamus, ut videntes dicta privilegia (de quibus supra fit mentio) et observetis, et adimpleatis; et faciatis observari et adimpleri in toto et per totum, secundum quod in illis continetur, sic, et secundum quod huc usque ipsis fuerunt usitata, et observata: neque contra eorum tenorem et formam eatis, aut transeatis, neque consentiatis iri aut transiri in ullo tempore, aut ullo modo: neque [vos] faciatis neque alii faciant deinceps [aliquid] ullo modo, sub pœna nostræ gratiæ, et decem millium Maravedisorum pro nostra camera, unicuique vestrum, qui contrarium fecerit; et præterea mandamus illi, qui vobis istam chartam monstraverit, ut vos citet, ut compareatis ante nos in nostra aula, ubicumque nos fuerimus, a die quo vos citaverit usque ad quindecim dies primos sequentes, sub dicta pœna; sub qua mandamus*

Sec. XIV et XV. *damus cuilibet notario publico, qui ad hoc vocatus fuerit, ut inde det illi, qui vobis eam monstraverit, testimonium suo signo munitum, ut nos sciamus, quomodo adimpleatur nostrum mandatum.*

insistunt. 313 *Data in nobili civitate Toletana die tertia mensis Augusti, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo octogesimo. Ego Rex. Ego Regina. Ego Didacus de Santander, secretarius Regis, et Reginæ, dominorum nostrorum, illam feci scribi de suo mandato.* Alia, quæ ad Mozarabum privilegia attinent, suis quæque temporibus innexa postmodum designabuntur. Ex instrumentis interea tot jam prolatis, ac toties repetitis liquidissime conficitur, plures Catholicos Hispaniarum reges in id semper solicite incubuisse, ut liturgiæ Mozarabicæ cultus ac propagatio sarta tecta conservaretur, indulgendo gratiosissime singularia prorsus privilegia, exemptiones atque immunitates ejusdem liturgiæ clericis, beneficiatis, administrisque sacellanis; nec non iis omnibus, qui sunt e communitatis Mozarabicæ gremio; omnibus hisce regiis favoribus ac gratiis in
B eum finem directis, ut ne antiquissima ista liturgia, ejusdemque cultores tam sacri quam profani, aliquid dispendii, aut damni paterentur. Atque id distinctissime et patentissime liquet ex postremo isto Ferdinandi atque Elisabethæ privilegio, prout illud expendenti ad oculum patebit.

Mozarabes pene collapsos 314 Verum quemadmodum humana quæque et sacra et profana, in primis suis exordiis sanctissime instituta, atque ad perpetuitatem temporis legibus firmissimis temperata, ordinata et stabilita, lapsu ætatis paulatim languere solent, et tandem penitus deficere et interire, eamdem fortasse sortem subiisset dicta liturgia, nec non sacerdotes ac reliqui ad ejusdem continuationem D
deputati, nisi efficacissimis remediis isti rei prospectum fuisset exeunte decimo quinto seculo, et ineunte decimo sexto: audiamus Blasium Ortizium fol. centesimo ita loquentem: *Postea vero quam hominum illorum soboles (ut res mortalium sunt) imminui indies atque deficere cœpisset; simul et eorum ritus ecclesiasticus sensim labi, concidereque apparebat, ac vulgaris sacrorum consuetudo in eorum etiam ecclesias paulatim irrepere, adeo quidem ut memoria nostra non nisi paucis quibusdam statis festisque diebus, eo ritu in illis sacrificaretur: ita cum ritus totus in occasum jam proclivis, propediemque interiturus videretur, Franciscus Ximenez archiepiscopus* (Toletanus) *ut erat vir ille fervens admodum religionis cultor, priscarumque ceremoniarum studiosissimus, illius instaurandi curam, cogitationemque suscepit.*

315 Celebratissimus itaque Præsul iste, Hispanici, *restauravit Franciscus Æimenius.*
quod sapientissime moderabatur, regni immortale decus, omnique virtutum genere excultissimus, et quo majorem vix vidit umquam Hispania, quæsitura fortasse diu huic parem; collapsam Mozarabicam E
liturgiam, non secus atque sepultum jam sub cineribus Phœnicem, novæ vitæ redonavit, erexit, ornavitque, non Hispaniæ dumtaxat universæ, sed exteris quoque nationibus ob insignes, quos eidem affudit, splendores, longe spectatissimam. Nihil porro huc attinet, longiora tanti Viri elogia coacervare. Hoc unum facit ad propositum meum, si ostendero, quot, quantisque meritorum titulis Mozarabicum Officium, et administros ejus reddiderit sibi obstrictos. Quæ, quemadmodum gesta sint, dabo capite proximo; statum rerum Mozarabicarum seculi XVI ac XVII nobis exhibituro.

CAPUT VIII.

Officium Mozarabicum ineunte seculo XVI mirifice illustratum; confirmatio privilegiorum seculo XVII; status rerum Mozarabicarum hodiernus.

§ I. *Eminentissimus Franciscus Ximenius Cisnerius ejusdem restaurator; Breviarium ac Missale excusa; fundationes, sacellum.*

C F

Ximenius antiquos Hispanorum ritus restaurat, Alvarus Gomecius sub finem libri secundi, qui est in laudatissimis ejus lucubrationibus De rebus gestis memorati jam, ac sæpius deinceps memorandi Francisci Ximenii, occasione eorum voluminum, antiquam illam orandi rationem continentium, ita loquitur; rebus utique Ximenio gestis, de quibus scribit, satis vicinus; cum floruerit medio seculo decimo sexto, anno 1580 e vita ereptus. *Igitur*, inquit, *cum ad ea volumina Ximenius venisset; de re tota.. edoctus, indignum esse et grave judicavit, sanctissimas priscorum Hispanorum cæremonias, a viris præclaris institutas, et miraculorum testimoniis comprobatas, in tantam desuetudinem venisse, ut jamjam interituræ esse viderentur; cœpit rem altius considerare, et, ut erat priscarum cæremoniarum studiosissimus, Mozarabum ritus instaurandi curam suscepit: adhibitisque viris, quotque exstabant, ejus rei peritis, primum libros omnes, quibus sacra illa continerentur, Gotthicis characteribus conscriptos, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impressoriisque formis excudendos curavit.*

317 *Quibus non sine magna impensa in exempla innumera vulgatis, ad extremam templi* (Toletani metropolitani) *partem, Occidentem versus, in ædicula, quæ Corporis Christi dicebatur, sacellum eleganti structura ædificavit: in quo tredecim sacerdotum collegium, adjunctis tribus ministris instituit, quos Mozarabes sodales appellavit. Hoc collegium idoneis proventibus annuis instructum sub capituli Toletani patrocinio constituit. Ipsis porro sacerdotibus perpetuis horum sacrorum curationem demandavit, ut eo ritu singulis diebus sacrificare, horariasque preces concinere,* *ac Mozarabes sodales instituit.*

A *nere, solenne esset. Ad quos et sex Mozarabum ecclesiarum sacerdotia pertinere voluit: quæ quoties vacua esse contingeret, ipsi optare possent sacerdotes, quibus illa archiepiscopus conferret; aliasque leges addidit... Sic ergo sacra illa per Ximenium restituta, et ab interitu vindicata sunt: in cujus restitutionis memoriam, cenotaphium reparatori in medio sacello honorifice erectum cernitur, impendente desuper coccineo galero, Cardinalitii honoris insigni.*

Libri eorum liturgici summo in pretio habiti;

318 Ita ibi fere cum Blasio Ortizio cap. 41, laudatus Alvarus Gomecius, qui excusus legitur in Hispania illustrata, typis Francofurtensibus anno 1603, tom. I, a pag. 927; ac lib. 3, pag. 979 sic pergit: *Officii Mozarabum libri tunc per illum in publicum dati, ut res omnes usu consumuntur, nunc ita ferme jam exhausti sunt, ut volumen, quod Missale vocant, me,* inquit, *vidente, triginta aureis Toleti constiterit: (nam ab omnibus doctis et piis hominibus, quibus hujus Officii notitia est,*
B *tam Missale quam Breviarium certatim expetitur;) ipseque adeo Paulus III, Pontifex Maximus, missis Toletum legatis ab ecclesia* (Toletana) *Officium hoc petierit, et Gotthicæ pietatis monumentum in bibliotheca Vaticana asservari jusserit. Opus profecto utrumque, sive rerum gestarum per antiquos patres et Martyres, non vulgares historias quispiam consideret, magno in pretio et veneratione habendum. Utinam aliquis exoriatur, actorum Ximenii æmulus, qui sacra hæc Mozarabum volumina evulget rursus!*

de quibus proin

319 Enimvero quod summo hodieque in pretio sunt Toleti, illud argumento est, quod, dum ibidem anno 1722 essemus; dicta volumina inspiciendi copia tandem nobis facta est ex savore et gratia R. A. D. Manuelis Alfonsi Vinader, in jure canonico licentiati, ac pastoris ecclesiæ SS. Justæ et Ruffinæ Toleti, nec non sacelli Mozarabum Corporis Christi sacellani; qui dictos libros humanissime nobis ad tempus commodavit. Cum itaque exemplaria ista ob singularem penuriam ac raritatem non ab omnibus perinde palæophilis, quibus monumenta hujusmodi sunt in pretio, inspici possint; non abs re fuerit, aliquam de illis notitiam suppeditare. Missale in folio excusum, et satis crassum hoc titulo notatur:
C *Missale mixtum secundum regula B. Isidori, dictum Mozarabes.* Præmittitur huic titulo in eadem pagina imago Deiparæ excusa, sanctum Ildefonsum ante pedes suos prostratum casula induentis; obitque circum ista inscriptio: *Induam eum vestimento salutis. Sacerdotes ejus induam salutari.* Superne eminet crux, metropoliticum insigne, cum galero Cardinalitio, floccis utrimque seu nodis pendentibus. Porro per dictam imaginem exprimuntur, ut audivi, insignia ecclesiæ Toletanæ.

variæ

320 In pagina versa sequitur in litteris rubris *Ad reverendissimum in Christo patrem, ac Dominum, D. præstantissimum Franciscum Ximenem, archiepiscopum Toletanum, Alfonsi Ortiz, divini et humani juris doctoris et canonici Toletani præfatio,* his verbis expressa: *Immortales tibi, Antistes celeberrime, referant gratias seculi nostri homines oportet, cum vetera, et quasi obsoleta nostræ religionis arcana tanto studio renovare institueris, ut incipiant nostrates majorum suorum monumenta incultis characteribus hactenus obstrusa, ingenii tui igniculo respicere ac propius intueri. Beatissimi Isidori nostri ecclesiastica Officia, quæ in urbe regia Toletana, cui Tu præes archiepiscopus, quondam Maurorum irruptione cunctis absorptis simul cum Christianis, ceu captiva superfuerant, nostra ætate propriis sumptibus restaurare ac in lucem promere decreveras.*

sæc. XVI.

subministrantur

321 *Ac non immerito quidem ne tam illustria fidei nostræ mysteria abdita jam penitus interirent, quæque adeo situ et vetustate fuerant exesa, et errorum caligine respersa, ut vix callidus lector congruas sententias multorum librorum indagine rimari potuerit. Quam profecto durissimam provinciam mihi servorum tuorum minimo mandare non dubitasti, quatenus summa cum diligentia Missarum imprimis solemnia recenserem, ac vigili lucubratione, quæ a vero characterum dimissa jam diu fuerant, styli non mutato ductu reficerem, servataque verborum dignitate antiquorum majestatem custodirem: nam quæ præ se antiquitatem ferebant, intacta esse jusseras. Et tandem sic actum est: nam dispersis in ordinem redactis, vitiis abrasis, dubiisque enucleata veritate lustratis, et ceu abolita multa resarciens, tuo jussu, ut valui, omnia illustravi.*

hisce locis

322 *Unde conflatus liber iste fuit, præbentibus ad id opem mihi venerabilibus presbyteris, ejusdem Officii peritioribus, Antonio Roderico, Alfonso Martino, ac Hieronymo Guterio, beatarum Justæ, et Eulaliæ, ac B. Lucæ Euangelistæ ecclesiarum rectoribus; quorum basilicæ inter pressuras Christianorum Toleti fluctuaverant, cum Hispania pene omnis Arabum inundatione tabesceret. Quo fit, ut habitantibus Christianos Toleti inter Arabes, ejus urbis imperio potitos, nomen Mozarabes inductum huc usque permanserit, ut opinor dicti sunt Mozarabes; hoc est inter Arabes degentes. Ut autem ecclesiastica eorum Officia memoratu digna neminem de cetero laterent, litteris Latinis, explosis Gothicis, imprimenda nobili viro Melchiori Gorricio Novariensi tribuisti; cujus opera et impensis ars impressoria in ea urbe valde illustrata est.* Tum conversa ad lectorem et Ximenium oratione, dicti Missalis præfationem concludit: quod fuit *impressum in regali civitate Toleti, jussu* laudati archiepiscopi, *impensis nobilis Melchioris Gorricii Novariensis, per magistrum Petrum Bagenbach Alemanum, anno salutis nostræ* MD; *die vero* IX *mensis Januarii.* E

notitiæ.

323 Breviarium autem in folio pergameno excusum fuit; ad cujus calcem notatur perfectum et emendatum per eumdem Alfonsum Ortizium; ac Toleti impressum (jussu, impensis nec non opera concurrentibus eorumdem, qui supra notantur in Missali) anno 1502, die XXV mensis Octobris. Præfatiuncula, quæ illi præfigitur, et ad eumdem Ximenium ab Alfonso Ortizio dirigitur, pandit res in eo contentas, et earum ordinem. Nam *imprimis Dominicalia atque Quadragesimalia Officia ordine priora se offerunt; subsequentur psalterium cum Defunctorum celebri officio, atque Commune: postremoque Sanctorum Legendæ occurrentes;* prout ibidem dicitur. Eugenius de Robles in Compendio Vitæ et gestorum Cardinalis Francisci Ximenii Cisnerii etc. cap. 22 agens de fundatione unici et singularis sacelli Corporis Christi, varia congerit a pag. 236, quibus eo spectantia magis distincte et in individuo illustrari possint. Nam ubi de impressione Missalis et Breviarii dixisset, Alfonsum Ortizium, uti mox vidimus, in hac re adjutum fuisse a tribus pastoribus propriis Mozarabibus, videlicet Antonio Rodriguez, pastore S. Justæ, Alphonso Martinez de Yepes, pastore S. Eulalíliæ, et Hieronymo F

SEC. XVI

ronymo Guitierrez, pastore S. Lucæ; quos instructos in cæremoniis et antiquo modo recitandi et cantandi, secundum istum ordinem Mozarabicum, fuisse memorat;

Varia item recensentur

324 Pag. 237 agit de reditibus, qui tum facultate Apostolica applicati sunt ex beneficiis, quæ vacabant, ad sustentationem sacellanorum Mozarabum, quæ ibidem nominatim exprimit; quæque ob mutationem temporum dici nequeant, sufficere ad congruam sustentationem eorum, qui capellaniis inserviunt; curtorum adeo redituum causam refundens in mortem præmaturam laudati Cardinalis fundatoris; nam attentis principiis, et animo, quem gerebat, fuissent illæ ex præbendis melius dotatis, quam inveniantur dotatæ in tota Hispania, uti Roblesius censet: qui circa sacellum sequentia prosequitur, unde liquido constet, Eminentissimum istum fundatorum nullis pepercisse sumptibus, ut suis circa locum novum sacelli Mozarabibus prospiceret.

de sacello Mozarabum.

325 Inceperunt in initio sacellani, teste Roblesio pag. 238, recitare illud Officium in sacello, B quod est intra claustrum ecclesiæ Toletanæ juxta illud, quod fundavit archiepiscopus D. Petrus Tenorio; unde postea transierunt ad sacellum, ubi in præsentia resident, vocatum antiquitus Corpus Christi. Erat intra illud, sacellum aliud; in quod ecclesiæ Toletanæ canonici convocabant suas congregationes seu capitula; sed laudatus Mozarabum fundator ex duobus istis sacellis unum fecit, cum antiquo titulo Corporis Christi, datis capitulo dictæ ecclesiæ quatuor millibus florenorum aureorum, in compensationem loci: quod capitulum istius unici ac singularis operis patronum reliquit, imposito ei onere reparandi ædificium, necessaria subministrandi ornamenta, aliaque ad usum sacelli accommodata; uti ex Roblesio discimus. Quibus adjungi ex ipso potest a pag. 240, quod sæpe memoratus fundator alia quatuor millia florenorum aureorum dederit, ad redimenda quindenia (ut loquar cum Roblesio, qui voce *quindentos* utitur) quæ ad suam Sanctitatem singulis quindenis annis pertinebant ex beneficiis; quæ applicata sunt ad congruam sustentationem ministrorum ac sacellanorum sæpe dicti sacelli; cujus partem exteriorem et interiorem, altare etc. pluribus singillatim repræsentat C Roblesius a pag. 241.

et eorum fundatione.

326 Quo autem fundationes, ab Eminentissimo Ximenio in gratiam Officii Mozarabici, ejusque sacellanos ac ministros factæ, magis confirmentur, juverit producere publicum super hac re ejusdem Cardinalis instrumentum, ex archivo Mozarabum nobiscum Toleti communicatum, juxta copiam authentica fide munitam per Franciscum Tellez, notarium publicum. Quænam autem in prædicto instrumento transacta sint, intellige.

§ II. *Authenticum instrumentum Cardinalis Ximenii, et Capituli Toletani, circa bona Mozarabum fundationi annectenda.*

Frater Franciscus Ximenez, miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli S. Balbinæ, presbyter Cardinalis, Hispaniæ vulgariter D *nuncupatus, sanctæque Toletanæ ecclesiæ archiepiscopus, Hispaniarum primas, ac regnorum Castellæ major cancellarius etc. Universis et singulis præsentes litteras, sive præsens publicum instrumentum inspecturis; illis præsertim, quorum interest, intererit, aut interesse [poterit] quosque infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cura * ecclesiarum et piorum locorum statum salubriter dirigendum, cultumque divinum ad laudem et gloriam omnipotentis Dei augendum, juxta pastoralis officii nostri debitam considerationem, extendentes intuitum, in his eis libenter assistimus, per quæ animarum occurritur periculis et personarum commoditatibus providetur; quemadmodum ecclesiarum ipsarum piorumque locorum necessitas exigit, causæ suadent rationabiles, catholici populi devotio et incrementum exposcat *; quatenus ecclesiarum earum et piorum locorum status non mutetur seu in melius reformetur, et devotioni et saluti divinoque cultui consulatur, prout, rerum et temporum et locorum circumstantiis pensatis, id noverimus in Domino salubriter expedire.* E

Eminentissimus ille ex affectu erga divinum cultum,

* Circa

* an. exposcunt?

et Officium Mozarabum, quod vult restaurare,

328 *Cum itaque nos antiquissimum et magnæ devotionis quoddam divinum Officium, Mozarave nuncupatum, quod in aliquibus ecclesiis Toletanæ civitatis ab antiquo celebrabatur; et jam temporum longitudine, et hominum negligentia atque malitia diminutum, et prope oblivioni traditum erat, cupientes illud in pristinum statum ad gloriam et laudem omnipotentis Dei redigere et reformare, futurisque temporibus propter populi devotionem perpetuum facere; in quadam capella in claustro nostræ prædictæ ecclesiæ Toletanæ sita, tredecim amovibiles ad nutum archiepiscopi Toletani, pro tempore existentis, capellanos auctoritate nostra ordinaria instituerimus, qui dictum Officium juxta antiquam ordinationem debite celebrarent, ac unum eorum capellanum majorem seu abbatem deputaverimus, qui aliis præesset, dictamque capellam regeret et gubernaret: ac de bonis, a Deo nobis collatis, quosdam annuos redditus eidem capellæ ejusque capellanis donaverimus, applicaverimus et appropriaverimus, ut in institutione dictæ capellæ, et instrumento desuper confecto plenius continetur:* F

redditus ad sustentationem ministrorum ejus auget

* attendentes

329 *Nunc vero attendens * ad dictorum capellanorum sustentationem plures redditus esse necessarios, eorumque necessitatibus providendum et consulendum esse considerantes, cumque possessiones et decimas quasdam territorii de Alamin, videlicet terras de Alamin, quæ dicuntur de Palatio, et mediam decimam, quæ vulgo dicitur del Ganado estrangero de Alamin, y de la De Hesa Barcienҫa, nostræ mensæ archiepiscopali pertinentes, diu et per multum temporis a quibusdam dominis secularibus detentas et usurpatas, nunc de novo ex potestate illorum eduxerimus, dictæque nostræ mensæ restituerimus; utile et opportunum videbatur, si prædictas terras et possessiones ac decimas de Alamin, et de Palatio, et de Barcienҫa, sicut præmittitur, eductas, et restitutas, aut alienatas, ne in alienam interim devenirent potestatem et dominium, eidem capellæ et capellanis Mozaraves concederemus, donaremus, et applicaremus. Nos igitur dictæ capellæ Mozaraves et capellanorum ejusdem necessitatibus divinique Officii Mozaraves ministerio providere volentes, ne redituum penuria et necessariorum inopia*

A *pia diminueretur, et detrimentum aliquod pateretur; de consensu speciali et expresso capituli nostræ præfatæ sanctæ ecclesiæ Toletanæ, ut in instrumento desuper confecto, et nobis præstito coram notario, et testibus plenius continetur, cujus consensus tenor sequitur et est talis:*

cum consensu capitali Toletani;

330 *In Dei nomine. Amen. Universis et singulis, præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris notum esse volumus per præsentes, quod nos Decanus et capitulum almæ ecclesiæ Toletanæ, videlicet Alphonsus Yañes cantor, Carolus de Mendoza abbas sanctæ Leocadiæ, Joannes de Tamayo vicarius, Joannes Alvarez, Nicolaus Ortiz, Petrus Fernandez de Yepes, Ludovicus de Leon, Ægidius de Rojas, Alphonsus de Toro, Joannes Lopes de Leon, Rodericus Tenorio, Joannes Sanchez de Castro, Blasius Cavallero, Joannes Nuñez de Herrera, Lucas de las Peñas ac Joannes Ruiz bachalarius, omnes canonici præbendati, capitulariter congregati, et ad infrascriptum negotium per scedulam ante* B *diem, ut moris est, evocati dicimus; quod cum reverendissimus in Christo pater et dominus frater Franciscus Ximenes, miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis Hispaniæ, archiepiscopus Toletanus, dominus et prælatus noster dignissimus, provide considerans, quod officium Mozarave, quod ex antiquissima prædecessorum suorum institutione id certis parochialibus ecclesiis istius civitatis solitum erat decantari, indies in præceps iret, capellam quamdam in hac alma ecclesia Toletana, in qua certi capellani singulis diebus omnes Horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, juxta ritum et consuetudinem dictorum Mozarabum, prout ad præsens dicitur, quotidie decantarent, instituerit; cujus quidem capellæ et capellaniarum administrationem post obitum dicti reverendissimi domini Cardinalis, ut accepimus, nobis et successoribus nostris, perpetuis futuris temporibus relinquere intendit.*

quod, certis tamen sub conditionibus

331 *Et quia nobis dictis Decano et capitulo pertinet et spectat, ratione nostrorum vestuariorum certa pars decimarum territorii de Alamin, quod est in districtu archipresbyteratus Descalona istius diœcesis Toletanæ, et nostræ intentionis existit, illam pro capellanis dictæ capellæ Moza-* C *rabum donare, dum tamen illius administratio supradicta nobis et successoribus nostris prædictis perpetuo relinquatur: Idcirco nos dicti Decanus et capitulum tenore præsentium pro nobis et successoribus ipsis, prævia inter nos capitulari consideratione præhabita, idque in Dei omnipotentis servitium, et hujus almæ ecclesiæ decorem cedere comperto, omnibus melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus melius de jure potuimus, et debuimus, ac possumus et debemus, dictæ parti decimarum de Alamin, nobis, ut præmittitur, ratione nostrorum vestuariorum pertinenti et spectanti, in favorem dictæ capellæ Mozarabum et capellanarum ejusdem, qui nunc sunt, et pro tempore erunt, pure, libere et simpliciter cedendum duximus, et renuntiandum, prout ex nunc etiam cedimus et renuntiamus, ad hoc videlicet ut perpetuo uniatur, annectatur et incorporetnr dictæ capellæ et capellanis prædictis; ac tum* le-ge et conditione, quod dictus reverendissimus dominus Cardinalis statuat, quod post obitum suum dictorum capellæ et capellanorum administratio et omnimoda dispositio nobis et successoribus nostris prædictis plenarie relinquatur.*

** an. hac tamen?*

332 *Et, si necesse est, ex nunc etiam nominamus et deputamus personam seu personas, quam et quas dictus reverendissimus dominus Cardinalis duxerit nominandum et deputandum ad hoc, ut tam dicti reverendissimi domini Cardinalis, quam nostri et successorum nostrorum prædictorum nomine, possint supplicare sanctissimo Domino nostro Papæ pro approbatione et confirmatione nostrarum prædictarum cessionum et renuntiationum; et promittimus, et nos obligamus per nos et prædictos successores, nullo umquam tempore, quavis occasione vel causa, contra præmissa seu aliquid ex eis fore umquam venturos, sub hypotheca et obligatione omnium bonorum nostræ mensæ capitularis mobilium et immobilium, spiritualium et temporalium, præsentium et futurorum: et insuper potiori pro cautela, nostro et ipsorum successorum nostrorum nomine juramus ad sacros ordines, quos recepimus, et ad sancta Dei Evangelia, nos ratam, gratam, atque firmam perpetuo habituros dictam nostram cessionem et renuntiationem:*

SÆC. XVI. bona cedit in istum finem,

333 *Et quod hujusmodi nostri solemnis juramenti nullo umquam tempore relaxationem petemus a præfato sanctissimo Domino nostro Papa, seu a quovis alio prælato, vel judice, ad id potestatem habente: et casu quo, motu proprio nobis vel successoribus ipsis a supradictis dominis concedatur, illo nullatenus utemur. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum manu dictorum nostrorum subscriptos seu subscriptum exinde fieri et per secretarium nostrum notarium publicum infrascriptum subscribi et registrari mandavimus, sigilloque nostro capitulari a tergo jussimus et fecimus communiri.*

firmissima voluntate sit obligans, E

334 *Data et acta fuerunt hæc Toleti intra almam ecclesiam Toletanam in nostro capitulo, sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo octavo, die septima mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Julii divina providentia Papæ secundi anno quinto; præsentibus ibidem venerabilibus viris Dominis Francisco Fernandez portionario Toletano, et Petro Barrio Nuevo, et Alvaro Calderon civibus Toletanis, testibus ad præmissa vocatis, specialiter atque rogatis. R. Tenorio. L. De Leon canonicus. Et ego Ferdinandus Alphonsus, publicus apostolica auctoritate notarius, almæ ecclesiæ Toletanæ secretarius, præmissis omnibus et singulis una cum prænominatis testibus interfui, et signum nomenque meum solita et consueta in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum hic apposui, rogatus et requisitus. Ferdinandus Alphonsus Apostolicus notarius.* F

ad rei executionem.

335 *Prædictas terras et possessiones ac decimas videlicet de Alamin et de Palacio, et de Barcienca nostræ Toletanæ diœcesis, nostræ mensæ archiepiscopali, ut præmittitur, pertinentes cum omnibus juribus et pertinentiis suis a prædicta nostra mensa archiepiscopali auctoritate nostra ordinaria, vel, ut melius potuimus et debuimus; divisimus, dimembravimus, et separavimus, ac ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc tenore præsentium dividimus, dimembramus, et separamus, easdemque possessiones et decimas de Alamin, et de Palacio et de Barcienca, per nos, ut præmittitur, divisas, dimembratas et separatas, de consensu et voluntate spontanea dicti nostri capituli Toletani, præfatæ capellæ et capellanis Mozaraves, sicut prædictæ nostræ mensæ pertinebant, et pertinent, et pertinere possunt, donavimus.*

Ista itaque bona

SEC. XVI. vimus, concessimus, applicavimus, perpetuoque appropriavimus, ac ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc donamus, concedimus, applicamus, perpetuoque appropriamus per præsentes.

dictus eminentissimus in perperam Mozarabibus applicat.

336 *Itaque liceat præfato capellano majori, ceterisque capellanis dictæ capellæ Mozaraves dictarum terrarum possessionum et decimarum de Alamin, et de Palacio et Barciença corporalem possessionem per se snumve procuratorem apprehendere, earumque fructus et redditus et proventus percipere, et in suum dictæque capellæ usum et utilitatem propria auctoritate libere liciteque convertere, nullius alterius superioris super hoc licentia minime requisita; contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam compescens. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra subscriptas, et nostro sigillo munitas coram notario publico Apostolico nostro secretario, et testibus infrascriptis concessimus, fierique jussimus, et publicare datas Toleti anno Domini millesimo quingentesimo octavo, mensis Octobris die primo. Franciscus Cardinalis S. B.* Mandato reverendissimi domini mei Cardinalis, Georgius Varacaldo secretarius.* B R^ta *Didacus de Bañares.* Suum illis accessit robur et plena firmitas ex consensu et approbatione Sedis Apostolicæ; cujus ecce diploma.

* *id est* sanctæ Balbinæ

§ III. *Consensus Sedis Apostolicæ circa bona prædicta, Mozarabum fundationi annectenda. Alia ejusdem Sedis bulla, unde, a quo, qua fide transcripta.*

Julius PP. II.

Julius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos cura pastoralis Officii, nobis licet immeritis ab alio commissi, ut ad illa nostræ considerationis aciem convertamus, per quæ in singulis ecclesiis et locis cultus divinus ad laudem et gloriam omnipotentis Dei augeri possit; et his, quæ propterea provide processisse noscuntur, ut firma, perpetua, et illibata persistant, cum a nobis petitur Apostolici muniminis præsidium, propensius impartimur. Sane pro parte dilecti filii nostri Francisci, C *tituli S. Balbinæ presbyteri Cardinalis, qui ecclesiæ Toletanæ ex concessionæ et dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alis ipse de propria salute recogitans, et cupiens terrena in cœlestia, et transitoria in æterna felice commercio commutare; provide considerans, quod Officium divinum Mozarabe nuncupatum, quod in aliquibus ecclesiis et locis civitatis et diœcesis Toletanæ celebrabatur, antiquissimum et magnæ devotionis erat, crescente hominum malitia, plurimum fuerat diminutum;*

piæ Mozarabum fundationi obsecundans,

338 *Fervore devotionis accensus, Officium prædictum in certis ecclesiis dictæ civitatis, in quibus celebrabatur, auctoritate ordinaria confirmavit et in statim pristinum restituit, nec non pro majori divini cultus augmento et populi devotione Officium prædictum in quadam capella, sita in claustro ecclesiæ Toletanæ, dicta auctoritate instituit, ac tredecim perpetuos seu amovibiles ad nutum Archiepiscopi Toletani et pro tempore existentis capellanos, qui dictum Officium juxta antiquam ordinationem debite celebrare tenerentur,* D *et unus eorum capellanus major, seu abbas nuncuparetur et aliis præesset, et dictam capellam regeret et gubernaret, deputavit, ac de bonis a Deo sibi collatis eidem capellæ pro sustentatione dictorum capellanorum annuos edditus trecentorum ducatorum auri de camera, ac etiam nonnullas decimas, exceptis possessionibus et prædiis, del Palatio nuncupatis, in territorio del Alamin consistentibus, provenientes, ad mensam suam archiepiscopalem pertinentibus, et quæ olim per nonnullos temporales dominos occupatæ fuerant, et illas dictus Franciscus Cardinalis recuperaverat, et quas ab eadem mensa de consensu dictorum filiorum Decani et capituli dictæ ecclesiæ, ab illis separaverat, de simili consensu, auctoritate ordinaria concessit, et donavit, ac perpetuo applicavit, et appropriavit, prout in litteris dicti Francisci Cardinalis desuper confectis dicitur plenius contineri.*

ut bona ei ab Eminentissimo Cisnerio applicentur,

339 *Quare proparte dicti Francisci Cardinalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut institutioni, deputationi, separationi, divisioni, donationi, concessioni, applicationi et appropriationi* E *prædictis, pro eorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ex debito pastoralis Officii divini cultus augmentum sinceris exoptamus affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, deputationem, separationem, divisionem, donationem, concessionem, applicationem, et appropriationem prædictas, et, prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsitan intervenerint, in eisdem supplemus. Et nihilominus venerabili fratri nostro archiepiscopo Hispalensi, et dilectis filiis abbati monasterii sancti Bernardi extra muros Toletanos, ac Officiali Toletano per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant per se vel alium seu alios pro tempore existentem rectorem et capellanos prædictos institutione, deputatione, concessione, donatione, separatione, applicatione et appropriatione prædictis pacifice frui et gaudere, non permittentes, illos desuper indebite molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.* F

approbat;

340 *Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dictæ ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis et statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum*

A *incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octavo, duodecimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno quinto. Franciscus De Vega.*

ac proinde restaurationem Mozarabum confirmat.

341 Instrumentum illud ex archivo capellæ Mozarabum Toleti acceptum ac transcriptum juxta copiam, manu Franscisci Tellez, notarii publici authentice munitam, perspicue declarat, quod sancta Sedes Apostolica confirmando supradictam Mozarabum fundationem, eamque uti et ejusdem auctorem laudando, plenissime consenserit, et efficaciter voluerit, ut antiquus ille Mozarabum ritus Toleti tam in capella intra ecclesiam Toletanam, quam in aliis quibusdam ejusdem urbis extra dictam capellam locis sacris restauraretur, continuaretur ac fundaretur. Quæ adeo diserta atque expressa Apostolicæ Sedis aprobatio obstruere debet omnium ora, ut nemo post illam, contra restauratum Officii Mozarabici usum, ejusque ministrorum fundationem vel hiscere valeat.

Alterius diplomatis Apostolici authentia.

342 Mox tibi aliam dabo Sedis Apostolicæ bullam : ubi testimonium, quod de ejus authentica ac fideli transcriptione, ad calcem ejusdem, idiomate Hispanico apponitur, prius hic præmisero. Sic sonat : *Ego D. Petrus Caminus Velascus, commissarius sancti Officii Inquisitionis, beneficiatus proprius ecclesiæ parochialis Mozarabicæ* B *D. sancti Sebastiani, hujus civitatis Toletanæ, de mandato et commissione illustrissimorum Dominorum Decani ac capituli sanctæ ecclesiæ Primatialis Hispaniarum, extraxi istam bullam ex originali, quæ asservatur in archivo capellæ Mozarabicæ, quæ mihi tradita est a dominis ejusdem capellanis, die decima octava Julii, hujus anni, scriptaque habetur in pergameno, sigillata sigillo plumbeo, peadente e duobus funiculis, sicut est stylus Curiæ Romanæ : cujus data est eadem, quæ in ista copia ac transumpto refertur ; quod bene ac fideliter extractum est, atque in omnibus correspondet cum suo originali ; quod reddidi relato archivo. De quibus omnibus ut constet, ubi et quomodo convenerit, testor et subscribo Toleti, die* XXI *mensis Julii* MDCCXXIV. *Petrus Caminus Velascus.*

§ IV. *Alia ista Sedis Apostolicæ bulla hic datur.*

C

Julius PP. II.

Julius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ beneficiorum ecclesiasticorum omnium, præsertim metropolitanorum, ecclesiarum ac personarum, illa pro tempore obtinentium, commoditatibus consulatur; et iis, quæ propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Dudum siquidem omnia præstimonia, præstimoniales portiones, aut simplicia ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcumque nostrorum et Apostolicæ Sedis notariorum, et apud Sedem prædictam tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, et inane, si secus super illis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

344 *Et deinde uno seu una in de Orgaz, et alio seu alia in de Palomeros, ac reliquo seu reliqua in de Yebra ; et alio seu alia in de Venturada, necnon reliquo seu reliqua in de Sirvela, quas seu quæ quondam Petrus Ardones ; necnon alio seu alia in sancti Romani, oppidorum Toletanæ diœcesis parochialibus ecclesiis, præstimoniis seu præstimonialibus portionibus aut simplicibus beneficiis, quod seu quam quondam Alfonsus de Villasecha Clerici, illius seu illarum ultimi possessores, dum viverent, respective obtinebant ; per Petri, qui apud Sedem prædictam, apud Sedem eamdem et Alfonsi prædictorum, qui extra Romanam Curiam dies clauserunt extremos, respective obitus vacantibus ;*

sæc. XVI. varia beneficia ecclesiastica.

quæ a Cardinale Ximenio

345 *Nos de Orgaz, et de Palomeros, ac de Yebra, necnon et de Venturada, ac de Sirvela Didaco de Briones sub quarto Idus Januarii pontificatus nostri anno nono ; de sancti Romani vero præstimoniis seu præstimonialibus portionibus aut beneficiis prædictis, præfertur; respective vacantibus, et antea dispositioni reservatis Apostolicæ, Joanni Avari, clericis Calagurritanæ et Astoricensis diœces. dilectis filiis, sub quarto decimo Calend. Februar. dat. ejusdem Pontificatus nostri anno decimo provideri concessum *.*

* an. concessimus ?

346 *Cum autem Didacus, qui, ut asseritur, dilecti filii nostri Francisci, tituli sanctæ Balbinæ* E *presbyteri Cardinalis familiaris communis commensalis existit, et Johannes præfati, concessionibus gratiarum hujusmodi, litteris Apostolicis super eis non confectis, hodie in manibus nostris sponte et libere cesserint, nosque cessiones ipsas duxerimus admittendas ; ac prædicta adhuc, ut præfertur, necnon aliud seu alia præsimonia seu prestimoniales portiones aut simplicia in parochiali ecclesia sanctæ Leocadiæ Toletanæ per liberam resignationem dilecti filii Johannis de Frias clerici, de illo seu illa, quod seu quam tunc obtinebat, prædilectum filium Alfonsum Garsiæ de Rincon, abbatem de Compludo, in ecclesia Astoricensi procuratorem suum ad hoc specialiter ab eo constitutum, in eisdem manibus sponte factam et per nos admissam, apud Sedem prædictam vacare noscantur ad præsens, nullusque de illis præter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis :*

in gratiam

Officii Mozarabici

347 *Et sicut præfatus Franciscus Cardinalis nobis nuper exponi fecit, ipse dudum antea cupiens decorum et venustatem capellaniæ de los Muzarabes in ecclesia Toletana, in eaque divinum* F *cultum augeri, pro illius uberiori dote ac ornamentorum reparatione et manutentione, necnon illius capellanorum decenti sustentatione, præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi ordinaria auctoritate perpetuo univit, annexuit, et incorporavit : ita quod, cedentibus vel decedentibus tunc illas seu illa obtinentibus, liceret eisdem capellanis illorum seu illarum corporalem possessionem per semel * alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque seu illarum fructus, redditus et proventus in suos ac dictæ cappellaniæ usus ac dictorum cappellanorum sustentationem et ornamentorum reparationem convertere ; cujuscis licentia desuper minime requisita, prout in quibusdam litteris dicti Francisci Cardinalis suo sigillo munitis, desuper confectis, dicitur plenius contineri ;*

* an. se vel ?

548 *Cum autem de juribus unionis, annexionis, et incorporationis prædictarum a nonnullis hæsitetur, præfatus Franciscus Cardinalis nobis humiliter supplicari fecit, ut unioni, annexioni, et incorporationi prædictis, pro illarum subsistentia*

fuerant applicata ;

SEC. XVI. *tia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ac pro potiori cautela præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi eidem capellaniæ de novo perpetuo unire, annectere, et incorporare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.*

auctoritate

349 *Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis unire, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem* etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset; et idem in confirmationibus unionum jam factarum observari voluimus, ac dictæ cappellaniæ fructuum, redituum, ac proventuum verum annuum valorem, præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, unionem, annexionem et incorporationem prædictas, ac prout illas concernunt omnia et singula, in dictis litteris contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus.*

* æstimationem vel existimationem

Apostolica

B 360 *Et nihilominus pro potiori cautela præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi, quorum seu quarum insimul fructus, redditus, et proventus centum ducatorum auri de camera secundum communem extimationem, valorem annuum, ut dictus Franciscus Cadinalis asserit, non excedunt, sive præmissis suis aliis quibusvis modis, aut ex aliorum quorumcumque personis seu sanctæ Leocadiæ per similem Johannis de Frias, ac de Orgaz et de Palomeros ac de Jebra, et de Venturada, necnon de Sirvela per Petri; sancti Romani præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi per Alfonsi prædictorum vel quorumvis aliorum liberas resignationes, de illis in dicta Curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factas, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum vel earum collatio, juxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem prædictam legitime devoluta, ac præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi dispositioni Apostolicæ specialiter vel alias generaliter reservatæ seu reservata existant:*

confirmat;

351 *Et super eis inter. ..... cujus statum præsentibus habere voluimus pro expresso, pendeat indecisa; dummodum eorum vel earum dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus et* C *pertinentiis suis, præfatæ capellaniæ dote, ac capellanorum sustentatione, necnon ornamentorum reparatione hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium de novo perpetuo unimus, annectimus et incorporamus: ita quod liceat præfatis capellanis per se vel alium seu alios præstimoniorum seu præstimonialium portionum aut beneficiorum, juriumque et pertinentiarum prædictorum corporalem possessionem continuare, seu illam de novo propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere; illorumque seu illarum fructus, redditus et proventus in suos ac capellæ et præstimoniorum seu præstimonialium portionum aut beneficiorum prædictorum usus et utilitatum, ac dictorum ornamentorum reparationem convertere, cujusvis licentia super hoc minime requisita: non obstantibus priori voluntate nostra prædicta ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII, prædecessoris nostri, et aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque;*

352 *Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de præstimoniis seu præstimonialibus portionibus aut hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alius quomodolibet sit processum: quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et inde secuda quæcumque ad præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi volumus non extendi;* D

non obstantibus

253 *Sed nullum per hoc eis quoad assecutionem præstimoniorum seu præstimonialium portionum aut beneficiorum aliorum præjudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quodomolibet vel differri, et de quibus quorumque totis terroribus de verbo ad verbum habenda sid mentio specialis in nostris litteris. Proviso quod propter unionem et annexionem prædictas, præstimanio seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis. sed eorum vel earum congrue supportentur onera consueta. Et insuper, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super iis a quoquo quavis auctoritate scientur vel ignoranter attemptatum forsan est hatenus, vel in posterum contigerit attemptari.* E

quibuscumque,

354 *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, et constitutionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit; indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, deodecimo Kalend, Februar., pontificatus nostri anno dicimo. C.P. Dulius. P.Lambertus. C. Balbus.* Hactenus prædicta Julii PP.II bulla; cujus apographum huc transmisit Matrito P. Josephus Cassanì, nostræ Societatis sacerdos, dam de nobis, quam de opere nostro de Actis Sanctorum pluribus titulis longe metitissimus.

et irritis declaratis, quæ quis contra fecerit.

§ V. *Fundationes in favorem ritus Mozarabici Salmanticæ et Vallisoleti; privilegia ab Hispaniarum regibus et tandem a Carolo II confirmata; status rerum Mozarabicarum Toleti hodiernus.* F

Ardentissimum Ximenii in promovendis liturgicis rebus Mozarabicis studium, aliis quoque incitamento fuit, ut suam etiam, qua propagarentur, symbolam conferrent. Quid etenim circa præsens argumentum Salmanticæ sit gestum, discimus ex apographo Hispanico, quod laudatus P. Josephus Cassani Matrito ad me Cæsaraugustæ degentem direxit die XVI Aprilis anno 1722; inde enim habemus, quod XI Septembris auno 1517 raverendus Dominus Petrus Ymperial, Canonicus Salmanticensis, privisor, et officialis,

Salmanticæ ex fundatione dicuntur

A officialis, ac vicarius generalis istius episcopatus pro admodum magnifico domino D. Francisco de Bobadilla, episcopo Salmanticensi confirmaverit fundationem, quam egregius et nobilis dominus doctor Rodericus Maldonado de Talavera, incola dictæ civitatis, et consiliarius suarum Celsitudinum, dominus villarum de Babilafuente et Avedillo, fecit in sua capella sancti Salvatoris; quoque inter alia capitula dictæ fundationis habeatur unum fol. 336 de Gfficio et Missa Mozarabica; ubi leguntur sequentia; quæ ex Hispanico sic reddo:

plures per annum Missæ Mozarabicæ.

356 *Item.. ego habeo devotionem, ut in dicto meo sacello, quolibet mense, et in aliis festis (prout per me, et per dicti sacelli patronum fuerit ordinatum) dicatur una Missa Officii Mozarabici, quod dicitur in sancta ecclesia civitatis Toletanæ, in capella, quam reverendissimus dominus Cardinalis D. Fr. Franciscus de Ximenez de Zisneros, archiepiscopus Toletanus instituit, atque ordinavit ac dotavit; mandavitque, ut dicta Missa Mozarabica et alia Officia in dicta capella mea dicantur, utque illa sit auctioris stipendii, quam aliæ Missæ et Officia, quæ debent dici; secundum quod in ista institutione continetur. Et patronus et capellanus major ordinent,* B *quomodo dicatur, et quomodo factum sit satis capellanis, qui illam dixerint, ex reditu annuo dicti sacelli, et fabricæ: unde adimpleri debent aliæ res, ad dictum sacellum attinentes.* Concordare hæc cum clausula originali fundationis, quæ asservatur in archivo istius ecclesiæ, fidem facit infrascriptus; et addit ad ejus complementum dici singulis mensibus in sacello doctoris Talavera Missas Officii Mozarabici, de quibus disponit, et in aliquibus festivitatibus anni, per aliquem ex capellanis, cui commendatæ sunt: qui jam est D. Joannes Antonius Eler. De quibus ut constet, hæc signat in civitate Salmanticensi, die VIII mensis Aprilis, anno 1722 D. Petrus de la Puente, archivista.

Vallisoleti

357 Ex iis porro, quæ in Hispania de liturgia Mozarabica didiceram, cupido me incessit, inquirendi in illud argumentum Vallisoleti: nec vano successu. Nam P. Josephus Cassani Cæsaraugustam die XXV Aprilis anni 1722 misit mihi humanissimas et officiosissimas litteras nostri patris Lupi de Figueroa; quibus significavit die XV ejusdem mensis et anni, se, post conatus omnes non segniter impensos, nihil quidquam ad præsens propositum nancisci potuisse, quam instru- C mentum unicum, ad me tunc ab ipso directum; in quo Franciscus de Zurbano, ibidem notarius pubicus et apostolicus fidem facit, a D. Emmanuele Martinez, ni fallor, de Zamora, presbytero sacellano majore sacelli majoris paræciæ S. Mariæ Magdalenæ, dictæ civitatis, coram se exhibitum esse librum, certas constitutiones continentem, quæ pertinent ad dictam ecclesiam et sacellum majus, fundatum ab illustrissimo ac reverendissimo domino Petro Gasca, episcopo Seguntino, in dicta civitate, die VII Novembris anni 1567, vi bullæ Pii IV, Romæ anno 1564 datæ, die XIV Octobris, pontificatus sui anno quinto:

talis Missa fundatur,

358 In qua instituit sacellanos tredecim, et unum quidem cum titulo sacellani majoris, ad celebranda divina Officia Horarum canonicarum et Missarum. Inter quas constitutiones fol. 20 verso, et 21 habetur capitulum tenoris sequentis: *Capitulum decimum nonum de Missa Mozarabica. Item in quantum Officium Mozarabicum fuit antiquitus multæ devotionis et usus in Hispania, et tempore tantæ persecutionis infidelium; recitabaturque quando Christiani erant in afflictione, petentes a Deo Domino nostro misericordiam, et Christianæ religionis restaurationem: et quia non est æquum, ut Officium adeo devotum in Hispania per desuetudinem oblivioni detur. (Unde reverendissimus dominus Cardinalis D. Fr. Franciscus Ximenez, archiepiscopus Toletanus bonæ memoriæ, mandavit, ut in suo sacello, quod fundavit, et fecit in ecclesia metropolitana Toletana, diceretur in perpetuum quotidie Missa istius Officii;)*

sec XVI.

sæpius per annum facienda.

359 *Idcirco ordinamus, et mandamus, atque voluntas nostra est, ut in perpetuum in duabus feriis sextis cujusque mensis dicatur in qualibet, una Missa dicti Officii Mozarabici in dicto nostro sacello, per dictos sacellanos tredecim, in tono, secundum et quo modo dicitur in dicto sacello dicti domini Cardinalis; utque ab una Missa ad aliam interjiciantur dies quindecim, non occurrente tali feria sexta festo de præcepto, quod impediat. Et in tali casu permittimus, ut anteponatur aut postponatur in aliam, in qua non sit festum de præcepto: excepto. si contigerit in* E *feriam sextam incidere aliquem ex diebus, in quibus dicenda sunt anniversaria pro Majestatibus D. Caroli, ac regis Philippi dominorum nostrorum; aut aliquod ex festis, in quo supra a nobis ordinatum est, ut dicatur Matutinum; qui in tali casu volumus, ut cesset pro ista hebdomade dicta Missa Mozarabica.* Horum, quæ ex Hispanico transtuli, veritas confirmatur hoc testimonio, quod ex Hispanico item verto: *Tota relatio constat ex dicto libro, ad quem me remitto: atque ut etiam constet, ubi convenit, do præsens scriptum, quod signo ac firmo Vallisoleti die 2 mensis Aprilis anni* MDCCXXII. *In testimonium veritatis. Franciscus de Zuabano.*

Locum unicum ritui non Mozarabico non recte assignat Mabillonius,

360 Ex dictis circa loca ritui Mozarabico designata in urbe Toletana, Salmanticensi ac Vallisoletana, liquet, quod nimium arctarit eum Mabillonius, dum Liturgiæ Gallicanæ lib. 1, cap. 2, pag. 13 unico illum includens loco, affirmat, *Mozarabicum hunc ritum* IN UNICA *Toletanæ ecclesiæ ædicula sacra nunc observari.* Sed postea pag. 392 meliora doctus, ex Cardinale Bona libro 2 De divina psalmodia, cap. 18 refert, *hoc Officium adhuc vigere ac servari Toleti in quinque* (imo in sex) *parœciis et in sacello Francisci Ximenez Cardinalis; itemque Salmanticæ in sacello doctoris Talabricensis, quod est in claustro majoris ecclesiæ.* F Interea ex his omnibus omnino perspicuum fit, res Mozarabicas a temporibus Eminentissimi Ximenii, resuscitatoris, fundatoris ac patroni earum plane singularis, novam induisse quodammodo majestatem, atque ad mirificum splendorem Toleti præsertim fuisse evectas.

Privilegia Mozarabum a regina Joanna, Carolo V,

361 Qui postpuam anno 1517 e vita migrasset, eo in statu suos sacellanos Mozarabes reliquit, ut Serenissimi Hispaniarum reges in suam eorum negotia, privilegia inquam, veluti clientelam admisisse videantur. Etenim regina Joanna, et Carolus V, filius ejus, regum antecessorum suorum privilegia, eisdem concessa, benigne confirmarunt, uti constat ex charta, super hac re confecta, ac privilegiorum Mozarabum collectioni inserta, quæ notatur *dato in civitate Barcinonensi die* XXIV *mensis Martii, anno nativitatis nostris Salvatoris Jesu Christi* MDXIX. Privilegia

SEC. XVI. vilegia generatim omnia etc. ab Henrico II in gratiam civitatis Toletanæ confirmata, atque antea a regibus ejus antecessoribus impetrata; ac postmodum denuo a Joanne II roborata, Philippus II etiam confirmavit: uti habemus ex ejusdem regis charta, dictæ privilegiorum collectioni inserta, et data *Matriti die* IX *mensis Augusti, anni* MDLXIV. Altera item Philippi II confirmationis charta ibidem intexitur, *data in urbe Matritensi die* XXV *mensis Januarii, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi* MDLXVI, *regni ejus undecimo*.

ac Carolo II confirmantur. 362 Denique Carolus II privilegia omnia et exemptiones, quibus gaudent Mozarabes, quæque a regibus antecessoribus concessa eis sunt, atque collectioni privilegiorum inclusa, ad supplicationem eorum sacellani majoris et aliorum sacellanorum sacelli Corporis Christi, valere voluit et observari in omnibus et per omnia, sicut in illis et eorum singulis continetur; ita quidem et tam complete, prout valuerunt ipsis et observata fuerunt tempore Philippi III et IV, ac tempore etiam suo huc usque; non obstante, quod non fuerint confirmata per istos reges; quem defectum dicit se supplere;
B districte prohibens, ne quis dictis chartis privilegiorum et confirmationum, vel suæ chartæ privilegii aut confirmationis contraveniat, sub pœnis in eadem charta contentis; quæ signatur *Data in urbe Matritensi, die* XV *mensis Januarii, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christri* MDCXCIX, *et trigesimo quarto regni* ejus.

Unde ea privilegia sint extracta. 363 Sed quandoquidem favores, privilegia atque immunitates a tot et a tam variis Hispaniarum monarchis, incipiendo ab Alphonso VI, in gratiam Mozarabum concessa adeo frequenter nunc memoravi; locus præsens jam exigit, ut fidem meam circa dicta privilegia liberem, assignando, unde illa extraxerim. Anno Domini 1700 Toleti typis datus est liber hoc titulo, qui ex Hispanico sic sonat: *Confirmatio privilegiorum et exemptionum, quibus gaudent equites Mozarabes nobilis admodum civitatis Toletanæ, per majestatem regis, domini nostri, D. Caroli II, ad instantiam sacellani majoris, et sacellanorum sacelli Muzarabici, Corporis Christi dictæ civitatis, Matriti* XV *Januarii*
C MDCXCIX. In isto itaque libro continentur, et indidem a me variis locis superius desumpta sunt privilegia illa Mozarabum; quæ alio tamem ordine dantur in dicto libro, seu privilegiorum collectione, quam a me data sunt. Librum porro hunc in sacrario sacelli Mozarabum die XXVI Januarii, anno 1722 Toleti mihi perhumaniter dedit R. A. D. Eugenius de las Infantas, pastor ecclesiæ parochialis Mozarabum S. Marci, et sacellanus sacelli Mozarabici, quod dicitur Corpus Christi, sæpius nunc memorati.

Varia proferuntur 364 Hisce coronidis loco attexenda censeo paucula, quæ hodiernum cappellanorum, sex Toletanis ecclesiis inservientium numerum spectant. Igitur juxta ea, quæ laudatus dominus Eugenius de las Infantas scripto mihi tradidit, atque in cujus fide ea refero; parœciæ, quæ hodie ibidem existunt, sunt sex Mozarabicæ; ædem illæ, quæ antiquis temporibus exstitere: nimirum S. Marci, S. Eulaliæ, SS. Justæ ac Ruffinæ, S. Lucæ, S. Sebastiani et S. Torquati. In dictis sex parœciis sunt quatuordecim titulares; nimirum sex pastores, et octo beneficiati: hoc modo et forma: in S. Marci pastor ac beneficiatus; in S. Eulaliæ pastor; in SS. Justæ ac Ruffinæ pastor et duo beneficiati; in S. Lucæ pastor, et duo beneficiati; D
in S. Sebastiani pastor item et duo beneficiati; in S. Torquati, pastor et unus beneficiatus. In dictis parœciis Officium Mozarabicum dumtaxat dicitur die titularis Sancti; assistentibus omnibus titularibus. Et quamvis historici dicant, fuisse septem ecclesias tempore captivitatis, addentes aliam, quæ vocata fuerit *S. Maria Alficen*; ista hodiedum non subsistit; ac fertur, esse una ex sacellis conventus Carmelitarum calceatorum.

365 Sacellani autem sacelli Corporis Christi, diebus singulis recitant totum Officium Mozarabicum: mane Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, nec non Missam; post meridiem Vesperas, Completorium: et postea dicuntur Matutinum et Laudes. Ad hæc, laudatus D. Eugenius in citato scripto tradit, beneficiis curatis ac ministerialibus parœciarum Mozarabicarum providere dictos curatos et beneficiatos, eorumque collationem dari ab Ordinatio: et dicta provisio, quam faciunt dicti curati ac beneficiati, adeo antiqua ipsi est, ut ad tempus captivitatis illam referat. Et quamquam in aliquibus occasionibus controversa E
fuerit, opponente se Ordinario; semper manu tenuisse illos istam possessionem, memorat; et postremo litem a dignitate archiepiecopali motam fuisse atque pependisse Romæ apud Rotam; ac per tres decisiones conformes expeditas fuisse executoriales in favorem dictorum pastorum et beneficiatorum; declarando, pertinere ad ipsos provisionem relatorum beneficiorum. Et hæc quidem de hodierno Mozarabum statu hactenus; quæ retuli ex laudati D. Eugenii de las Infantas instructione Hispanica, scripto mihi tradita in bibliotheca ecclesiæ metropolitanæ Toletanæ, die XXIV mensis Januarii anno 1722; in cujus fide hæc dicta sunto. *circa statum Mozarabum hodiernum.*

APPENDIX PRIMA.

Personæ illustres, quæ Missam Mozarabicam Toleti sua præsentia honorarunt usque ad annum MDCCXXIII. F

Eugenius Roblesius supra citatus exhibet cap. 36 præsules principes ac reges, qui Officium Mozarabicum, ædemque ei sacram sua præsentia honorarunt; quæ ex ipso mutuata apud Cardinalem Aguirrium Latine dantur tomo 3, pag. 270. Ego exemplum utriusque secuturus, viros etiam illos hinc non excludam, textum apud Aguirrium transcribens: *Canitur in hac ædicula Missa singulis diebus Dominicis: in sex vero ecclesiis Mozarabibus, quæ illæsæ in eversione Hispaniæ perdurarunt, canitur Missa die advocationis Sanctorum, quibus dicatæ fuerunt. Canitur etiam Missa, quoties princeps aliquis aut potens accedit ad hanc ædiculam, illius audiendæ gratia. Præterea nemo, cujusque sit conditionis, Toletum appellit, quin ad eam audiendam accedat, quasi ad rem insolitam, quæ plerumque pietatem et admirationem ingenerat auditorum.* *Viros illos*

367 *Auctoritatem autem non modicam adjecerunt huic Officio accedentes ad hanc capellam ad Sacrum audiendum, pene omnes Præsules Toletani,* *partim ex Roblesio*

SÆC. XVI.

A *letani, præcipue vero archiepiscopus Alfonsus a Fonseca et Azevedo, illustrissimi Cardinales Joannes Tavera, et Martinus Siliceus; quos imitatus est hac in re reverendissimus Bartholomæus a Carrança et Miranda, Ordinis S. Dominici; nec non illustrissimis Cardinalis Gaspar a Quiroga. Et quamvis illustrissimus Dominus archidux et Cardinalis Albertus Austriacus, dum Toleti esset archiepiscopus, et reverendissimus Garsias a Loaisa suos antecessores non sint imitati (hic quidem ob mortem immaturam; ille vero quod se abdicarit archiepiscopatu: qua de causa nemo sedentem præsulum hic vidit) illustrissimus tamen Cardinalis Albertus, parum adhuc provecta ætate, Officio huic interfuit; sæpissime vero archiepiscopus Garsias, dum canonicus esset, Sacrificium istud frequentavit: imo omnino persuasum habeo, eum insignis hujus capellæ disquisitorem fuisse. Is tandem de numero episcoporum, qui insigne istud Officium præsentia decorarunt, fuit illustrissimus Dominus Bernardus de Sandoval et Rojas, archiepiscopus Toletanus, et Cardinalis S. Anastasiæ, qui nunc sedem Toletanam obtinet; cujusque tuitionem capellani, curiones, et ad be-* B *neficia ecclesiastica hujus Officii promoti, sibi pollicentur.*

recenset Aguirrius;

368 *Præterea præsentia sua hanc sacram ædiculam, Officiumque Muzarabicum illustrarunt, vestigia antiquorum Hispaniæ regum secuti, Carolus V imperator, ejusque filius Philippus II, et cum his illustrissima regina Anna; quorum duo quidem parentes fuere Philippi III, nunc Hispaniarum regis; tertius vero avus ejus fuit. Hic vero cum consorte thori illustrissima regina Margareta Officio huic auctoritatem addidit, decusque præbuit, audito Missæ sacrificio juxta hunc ritum in regia capella palatii Toletani.* Atque illas quidem personas dignitate spectabiles recensuit Aguirrius ex Roblesio usque ad annum 1604, quo ejus liber typis editus in lucem prodiit. Neque porro acquievi in isto catalogo ad illum usque annum producto; sed in posteriora tempora eumdem pertexere cupiens, nihil habui antiquius, quam ut denuo recurrerem ad officiosissimum P. Josephum Cassani, atque interposita ipsius opera, nancisci possem alias personas illustres, qui post eas, quas exhibuerat Aguirrius, sua præsentia cohonestarunt sacellum et Officium Mozarabicum.

C

partim aliunde supplentur.

369 Voto meo respondit eventus: nam prædictus Pater rem illam adeo diligenter curavit, ut ad continuandam istius catalogi prosecutionem induxerit admodum reverendum atque amplissimum virum D. Petrum Caminum Velascum, commissarium sancti Officii etc. supra memoratum, atque catalogum istum ad me direxerit; quem accepi Matrito, die XIV Februarii, anno 1725. Et laudatus quidem Caminus superavit exspectationem meam, plus præstando, quam ego desideraveram; petito quippe catalogo subtexuit alterum virorum illustrium virtute ac litteris, quos habuit congregatio pastorum ac beneficiatorum Muzarabum, et sacellum Corporis Christi; subditque ad catalogi utriusque finem, unde extracta sint, quæ refert, ut dicam infra suo loco. Mozarabicos igitur ritus sua præsentia dignati sunt, teste syllabo Hispanico (huc misso; ex quo ista subdo:)

Sunt hi Cardinales et archiepiscopi,

370 *Cardinales, et archiepiscopi. D. Balthasar de Moscoso et Sandoval. D. Paschalis de Aragonia. D. Ludovicus Emmanuel Portocarrero. Isti tres eminentissimi Cardinales archiepiscopi Toletani honorarunt suis personis sacellum Mozarabicum, et auctoritatem conciliaverunt Officio Gothico, audiendo ejus Missam semper; quam voluerunt sibi celebrari in sacello sui palatii archiepiscopalis Toletani, imitando devotionem, quam erga istud Officium sanctum habuere decessores sui. Etiam honoravit istud sacellum sua præsentia Excellentissimus Dominus archiepiscopus Toletanus D. Didacus de Astorga et Cespedes; qui hodie tenet Primatialem istam sedem:* et non ita pridem sacro purpuratorum Patrum numero adlectus est.

rege.

371 *Reges et Principes. Reges Catholici Hispaniæ dederunt semper exempla religionis ac pietatis, eorumque specimina manifestarunt erga istud sanctum Officium Mozarabicum, quod in singulari æstimatione et pretio habuerunt; nunc suam ibi sistendo personam, ad videndos ritus ejus ac cæremonias; vel nunc mandando, ut in suis regiis sacellis sibi celebraretur omni cum solennitate sacrosanctum Missæ sacrificium. Ita id exsecuti fuere imperator Carolus V; filius ejus Philippus II, duabus vicibus, quibus fuit in isto sacello, et una cum sua conjuge regina D. Anna Austriaca; ac Philippus III, nepos ejus cum sua conjuge, regina D. Margarita; et Philippus IV, qui* E *(etiamsi in libris de Acuerdos,* ut vocant) *et archivo istius sacelli non inveniatur notitia de ipsius ad eam adventu; sine dubio auctoritatem conciliavit isti Officio, honoravitque regia sua præsentia sacellum Mozarabicum aliquibus, ex pluribus vicibus, quibus tam publice quam privatim venit visitatum Dominam nostram de Sacrario. Porro devotionem istorum Catholicorum regum imitati quoque sunt sequentes:* quos inter ex Actis capitularibus sacelli Mozarabum fol. 85 de Maria Anna sic dicitur:

ac principes,

372 *D. Maria Anna Austriaca, regina gubernatrix Hispaniæ, Philippi IV conjux, et Caroli II mater, postquam abdicasset hujus monarchiæ gubernationem, et Toletum secessisset; Officio isti sancto Mozarabico auctoritatem impertiit, audiendo unam Missam cantatam, quæ die sexta Julii anni* MDCLXXVIII *dicebatur in suo regio sacello* (palatii, quod vocatur) *Alcassar; et ministrarunt duæ communitates pastorum et beneficiatorum, ac capellani Mozarabes; quos honoravit ista die, mittendo regium suum comitatum et rhedas, ut conducerentur ad suum palatium.* F

qui

373 *D. Carolus II, Hispaniæ rex, et conjux ejus regina D. Maria Anna Neoburgica honorarunt sua regia præsentia sacellum istud die prima Novembris, anno* MDCXCVII; *et die sequente ipsis cantata fuit Missa Mozarabica in regio sacello sui palatii;* ex dictis Actis fol. 115; *adjuvante per se dicto D. Rege sacerdotem, vestes induentem: qua re manifestavit religionem suam ac pietatem; nec non postmodum suam regiam magnificentiam, in sacellanum honorarium assumendo capellanum; qui cantavit Missam, atque confirmando privilegia, et immunitates, parœcianis Mozarabibus concessa a rege D. Alfonso VI, et amplificata ab regibus ejus successoribus* etc.

hic singillatim

374 *Nostri Catholici reges,* uti pergit Caminus, *Domini Philippus V, et D. Elisabeth Farnesia etiam honorarunt, et auctoritate roborarunt regia sua præsentia istud sacellum et Officium Mozarabicum; quoniam die* XVIII *Maii, anni elapsi* MDCCXXIII, *quo venerunt, ut viserent Dominam nostram de Sacrario, fuerint in isto sacello, et in illo audierunt Missam cantatam; cui ministrarunt*

SEC. XVI. *strarunt ambæ Muzarabum communitates.* Ad marginem vero, *In hac Missa, quæ coram Regibus, Principibusque nostris celebrata est, ego,* inquit auctor, *jussu congregationis meæ, munus subdiaconi exercui.*

commerantur 375 *Interfuerunt quoque isto die dictæ Missæ Serenissimi Principes Asturiarum, Domini nostri, D. Ludovicus Borbonius, et conjux D. Ludovica Aurelianensis, hodiedum Reges Hispaniarum Catholici;* (sed ille vix heu! rex Hispanicis terris ostensus, et præmatura morte fuit sublatus) *et cum illis magna pars magnatum. Fuit namque actus iste unus ex illis, qui majorem habuere plausum ob majestatem et gravitatem, quæ pluribus seculis Toletum vidit; et de qua re fit descriptio accurata in narratione, quæ in lucem publicam data est, de festivis gaudiis, quibus imperialis ista civitas Toletana suas Majestates et Celsitudines excepit. Qua re syllabo huic finem impono, omittens enumerare multos principes, et dominos Hispanos atque alienigenas; qui devotione aut desiderio videndi et admirandi tam antiquas et venerabiles cæremonias; impulsi, vene-* B *runt, et veniunt quotidie ad famosam istam toto orbe capellam Mozarabicam: quia neque Roblesius neque Eminentissimus Aguirrius illud etiam in suis syllabis exsequuntur.*

APPENDIX ALTERA.

Viri virtute ac litteris illustres, quos congregatio pastorum ac beneficiatorum Mozarabum Toletana habuit.

§ I. *Eorum catalogus usque ad initia seculi* XVII.

Dantur elogia C Laudatus supra Petrus Caminus, hujus itidem catalogi auctor, ex Hispanico Latine redditus, in hanc sententiam præfatur: *Si sola præsentia unius aut plurium horarum, quibus Præsules, Reges ac Principes sancto isti Officio Gothico interfuere, auctoritatem ei conciliare potuerit; atque ea de causa petuntur nomina eorum, ut locum habeant in historia; quanto magis rationi congruum est, ut perpetuitate in illa commendentur nomina virorum, qui jam virtute ac doctrina insignes, illud sanctum Officium ei sacellum Mozarabicum illustrarunt, suos exercendo ritus et cæremonias per multos annos, tamquam individui ambarum communitatum sodales, quæ hodieque nominum eorum memoria gloriantur? Idcirco itaque æquum mihe apparuit, ad continuandum syllabum antecedentem, ponere brevem catalogum illorum; quem in finem utar auctoribus et chartis, ad marginem a me citatis. Itaque sit,* ex Eugenio Robles. Tract. de Offic. Gothic. pag. 261.

Ildefonsi Martinez, 377 *Primo, Ildefonsus (*apud Roblesium vocatur *Alfonsus) Martinez, pastor ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ S. Eulaliæ Toleti, sacellanus honorarius regum Catholicorum Elisabeth ac Ferdinandi, vir vere pius, tamque doctus in ritu Gothico, ut eminentissimus venerabilis Cardinalis Cisnerius* D *illum nominaverit primum sacellanum majorem sui sacelli Muzarabici; ac de mandato ejus adjuverit canonicum Alfonsum Ortizium, ut ex littera Gothica in Latinam traduceret Missale et Breviarium Mozarabicum;* qua de re dixi superius ex Præfatione Ortizii, in Missale Mozarabicum; quamque auctor noster ad marginem sui catalogi hujus citat.

378 *Secundo. Antonius Rodriguez, pastor ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ SS. Justæ et Ruffinæ, in ritibus ac cæremoniis Officii Gothici versatus: quam ob causam nominavit illum eminentissimus Cardinalis Cisnerius, ut adesset et auxilium præberet canonico Ortizio* etc.; prout videre est in citata modo Præfatione. Antonii Rodriguez,

379 *Tertio. Hieronymus Gutierrez, pastor ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ S. Lucæ, propter suam in Officio Gothico intelligentiam etiam nominatus ad idem opus traductionis et additionum. Tres isti insignes viri (quorum patriam rescire non potui, tametsi omnem eo diligentiam adhibui) floruerunt versus annum Christi* MCII, *et jacent sepulti in parœciis, quarum fuerunt pastores. De* E *illis mentionem facit doctor Pisa (Historiæ Toletanæ part. 2) atque ista hic eis debetur memoria, propterea quod illustrarunt Officium sanctum Mozarabicum traductione et additionibus, quæ fecerunt.* Hieronymi Gutierrez,

380 *Quarto. Gaspar Manso, pastor ecclesiæ parœcialis S. Lucæ, vir perspectæ virtutis (Robles. Tract. de Offic. Gothic. cap.* XXI, *pag.* 215 *et* 216*) et devotissimus miraculosæ imagini Mariæ sanctissimæ; quæ cum titulo Spei colitur in dicta ecclesia, a temporibus S. Ildefonsi. Sancta ista singularem ejus affectum præmavit, concedendo, ut fuerit oculatus testis prodigii, quo in humana forma descenderint quatuor angelici spiritus, ad cantandum illi, tamquam reginæ suæ, Salve; quod contigit versus annum Christi* MCDXC: *et paulo post e vita excessit venerabilis iste pastor, qui jacei sepultus in dicta ecclesia.* Adscribit ad marginem præsentis catalogi auctor D. Caminus: *Exstat præterea in eadem ecclesia S. Lucæ tabula quædam antiqua, in qua hujus miraculi historia depicta est, et in ea visitur præfati rectoris ad vivum expressa imago.* Pergamus cum eo. Gasparis Manso,

381 *Quinto. Didacus de la Salve, natus Toleti, ejusdem ecclesiæ S. Lucæ beneficiatus, probatæ vitæ sacerdos. Proprium ejus cognomen erat Hernandez. Assumpsit cognomen de la Salve propter patrem suum; qui ita se vocari voluit; quia fuit primus, qui meruit videre spiritus angelicos; et qui instituit, ut singulis Sabbatis descenderet musica istius primatialis ecclesiæ, illud Salve Dominæ nostræ cantatura; quod hodiedum observatur im memoriam prodigii, quod retulimus num. 4; cujus devotionem hereditavit filius, qui istius miraculosæ imaginis amator devotissimus, vitam suam impendit totam, ut illi serviret, nolens transire ad beneficium Mozarabicum majoris reditus annui, ut ne sejungeret se a visu Dominæ istius, quæ singulari cum prodigio manifestavit, quod gratus sibi fuisset affectus hujus venerabilis sacerdotis. Postquam igitur versus annum* MCDXCIX *obiisset, et testamentarii ejus emissent duodecim faces, ad ejus sepulturam, honores, nec non Officium eccl esiæ, quod anno a defuncti morte elapso fit; illæque incensæ usui fuissent in hoc, atque in tribus Missis cantatis; quas, ut moris est, pro ejus anima celebravit capitulum pastorum ac beneficiatorum* Didaci de la Salve, F

A *neficiatorum Mozarabum et Latinorum hujusce civitatis; compertum fuit, quod duodecim dictæ faces idem habuerint pondus, quod habebant, dum ex officina ceraria extractæ fuerunt. Sepeliri se jussit in sua ecclesia S. Lucæ; ubi jacet, exspectans universalem resurrectionem.*

Mancii de Villafane,

382 *Sexto. D. Mancius de Villafane, natus Toleti, pastor ecclesiæ parœcialis S. Marci; cujus amplissimo beneficio renuntiavit sponte. Fuit capellanus major capellæ Mozarabicæ; sanguine ac pietate illustris; prout publicum illud faciunt copiosa monumenta atque opera pia, quæ dotata reliquit in dicto sacello: cujus sacellani in memorem grati animi tesseram munificentiæ ejus, posuerunt ipsius effigiem in ejusdem sacrario. Dedit quoque pastorum ac beneficiatorum Latinorum et Mozarabum istius civitatis capitulo ditissimam crucem argentam auro obductam, quæ gravitatem habet quingentorum ducatus nummorum argenteorum, et pro vexillo servit in omnibus eorum functionibus publicis. Ad instantiam ejus confirmavit Philippus III, Hispaniæ rex, privilegia,* (id quod ego
B non satis combino cum dictis num. 362) *quæ D. Alfonsus VI rex, ejusque successores concesserunt Mozarabibus parœcianis sex parœciarum Mozarabicarum istius civitatis.* (Notat Caminus ad marginem, *exstare hanc privilegiorum confirmationem in archiv. capel. Muzarab.) Jacet sepultus in claustro præcipuo sanctæ ecclesiæ Primatialis; et in lapide ejus legitur hæc brevis inscriptio:*

POST TENEBRAS SPERO LUCEM.
LICENTIATUS MANCIUS DE VILLAFANE
MUZARAB. SACELLANUS MAJOR, ET
RECTOR ECCLESIÆ SANCTI MARCI.
OBIIT
DIE 2 JUNII ANNO DOM. MDCXV.

. . . .

Francisci de Pisa; cujus opera

383 *Septimo. Franciscus de Pisa, natus Toleti, Facultatum theologiæ ac philosophiæ in hujus civitatis universitate decanus, juris utriusque doctor, ecclesiæ parœcialis S. Lucæ pastor (antea fuerat beneficiatus S. Sebastiani) et sacellanus major sacelli Mozarabici; vir ad omnes lucis splendores venerabilis; et doctissimum hujus veritatis testimonium sunt opera ejus; quæ quia copiosa sunt et docta, celebrem illum reddidere in orbe terrarum universo. Illorum mihi visum est instituere narrationem exactam: atque hunc in finem illa dividam in quinque classes... Theologica. In* I *et* III *partem D. Thomæ. In Magistrum*
C *Sententiarum. Quotlibeta theologica. Notationes in Cantic. Cantic. In Isaiam. In Epistol. D. Pauli ad Galat. Methodus intelligendi divinas Scripturas. Assertio de immaculata Conceptione Virginis Mariæ.*

in lucem edita

384 *Canonica. Summa casuum conscientiæ. Epitome summæ casuum tribus tomis divisa. Philosophica. Commentarii in libros Aristotelis de anima. In libros de cœlo et mundo. Ethica et Metaphysica. De locis Dialecticis. Quæstiones in caput* VIII *Perihermeniarum. Ecclesiastica. Manuale ad Sacramenta Ecclesiæ ministranda. De sacris ritibus et cæremoniis. Tabulæ de Officio Gothico Muzarabico;* Hispanice; uti et sequentes: *Duo tomi Sermonum super Evangelia totius anni. Duo tomi de instructione ad vitam spiritualem. Summa exercitiorum spiritualium. Exercitia septimanæ sanctæ. Historica. Historia Toletana, duobus tomis. Historia tertii Ordinis S. Francisci. Historia vitæ, martyrii, et translationum S. Leocadiæ. Additiones ad Historiam Toletanam Petri Julii Tomus VI. de Alcozer. Summarium cæremoniarum et favorum spiritualium.* Sed Nicolaus Antonius in Bibliotheca Scriptorum Hispaniæ, qui post annum 1500 floruere, pag. 351, refert, quod *posteriorem* Historiæ Toletanæ partem, *ecclesiasticis rebus destinatam, occupatus aliis, non perfecerit.* Subjungit Caminus:

SEC. XVII.

recensentur:

385 *Ista sunt opera, quæ scripsit ille insignis vir, fulgor et splendor patriæ suæ Toletanæ, quæ illum venerata est ut sapientiæ oraculum; admirataque est tamquam perfectum exemplar maxime æquabilis, et religiosæ vitæ, quam duxit in ista civitate spatio annorum octoginta trium, sine alicujus reprehensione, et cum exemplo omnium suorum civium; quorum humeris delatus fuit die transitus sui ad sepulcrum: quod, memoriam ejus honorans et merita, decreto suo singulari illustrissimum capitulum istius sanctæ ecclesiæ Primatialis ipsi designavit: ubi jacet ad ingressum capellæ Mozarabicæ, hac cum inscriptione:* HIC JACET FRANCISCUS PISA, S. THEOLOGIÆ, ET LIBERALIUM ARTIUM IN ACADEMIA TOLETANA DECANUS, JURIS PONTIFICII DOCTOR, ET MUZARABUM SACELLANUS MAJOR. OBIIT DIE III DECEMBRIS ANNO ÆTATIS SUÆ E LXXXIII, DOMINI VERO MDCXVI. QUI LEGIS, SI SAPIS, VIVE SICUT ISTE, MORITURUS.

uti et Alphonsi de Villegas.

386 *Octavo. Alfonsus de Villegas, natus Toleti, magister in sacra theologia et Scriptura, beneficiatus proprius ecclesiæ parochialis Muzarabicæ S. Marci, et sacellanus istius sacelli, bene cognitus ob suam doctrinam. Scripsit ac composuit magnum et doctum opus, Florem Sanctorum, aut Vitas Sanctorum veteris et novi Testamenti, quod circumfertur excusum tomis sex.* (Citatur ad marginem, ejus *Introductio ad Vitam S. Romani, et Vita S. Isidori archiep. Hispal.) Jacet sepultus in ecclesia parœciali S. Romani; ubi fuit baptizatus die* XXIX *Octobris, anni* MDXXXIII, *et cantavit primam Missam. Humari se jussi, in sepulcro parentum suorum, quod in dicta ecclesia proprium habent; relicto suis testamentariis mandato, ut ne supernotassent illi inscriptionem ullam; prout factum est. Fuit nomen ejus (estque hodiedum) in veneratione Toleti ob notam ejus virtutem et charitatem, qua resplenduit mirifice, exercendo illam in omni piorum operum genere, septuaginta duorum annorum spatio; et famosum in omni Europa doctis et piis ejus scriptis, quæ cum applausu magni fiunt a nationibus omnibus,* F *et auctoribus externis, qui eum citant singulari cum æstimatione doctrinæ ejus.* Lucubrationibus ipsius jam dictis aliæ nonnullæ superaddi possunt ex Nicolao Antonio paullo superius designato, pag. 43.

§ II. *Reliquorum virorum illustrium series pertexta usque ad annum* MDCCVI.

Hos inter locum habent Josephus de Valdiviess.

NONO. *Josephus de Valdiviesso, natus Toleti, magister in philosophia, pastor ecclesiæ parœcialis S. Torquati, sacellanus honoratus serenissimi Infantis Cardinalis, et sacelli Mozarabici; insignis poeta Hispanus; cujus abundans œstrum sese semper occuparit cum admiratione Hispaniæ, in argumentis sacris; et in particulari, in dulcissimo poemate, quod in octavo rhythmo composuit, de vita et morte gloriosi patriar-*

SEC. XVII. *chæ S. Josephi; quod adeo æstimatum est inter doctos; prout palam faciunt repetitæ impressiones, quæ de illo factæ sunt. Floruit versus annum Christi* MDCXXXII. *Jacet in urbe Matritensi.* Ex Nicolao Antonio, paulo ante allegato, pag. 626 explico illud *octavo rhythmo* (quod ex Hispanico exemplari, ubi est *octava rithma*, sic reddidi) hoc est, *eo carminis modulo, quem a singulis octo versibus invicem respondentibus.* OCTAVAS, *sive octava rima tam nostri, quam Itali vocare amant,* inquit laudatus Nicolaus Antonius; e quo varia quædam alia, quæ memoratus Josephus conscripserit, intelligi possunt.

Eugenius de Robles.

388 *Decimo. Eugenius de Robles, natus Toleti, magister in philosophia, et capellanus Mozarabicus, vir satis doctus, scripsit Epitomen Vitæ eminentissimi venerabilis Cardinalis Cisnerii, et Tractatum de Officio Gothico Mozarabico, quæ excusa sunt Toleti, anno* MDCIV. *Ex libris præsentiarum capellæ Mozarabicæ obiisse videtur anno sequente* MDCV *: cum in isto anno non inveniantur ejus subscriptiones, inter illos; quæ reliquorum sunt cappellanorum* Sed hoc inde non sequitur, si vera sunt, quæ de ipso refert Nicolaus Antonius pag. 276 : nam *tandem*, inquit, *professus fuit religiosæ vitæ institutum inter Clericos regulares minores*; ibidem etiam præmittens, quod B *ad S. Marcum parochus* etiam fuerit. Sequamur iterum Caminum.

389 *Undecimo* denique ac postremo. *D. Emmanuel de Messa, natus Toleti, pastor ecclesiæ parræcialis Mozarabicæ S. Eulaliæ (quem ego,* inquit, *novi.) Fuit sacerdos compositæ vitæ, quam impendit semper in operibus pietatis, et specialiter in augmento cultus divini; quæ in re omnes suos reditus annuos consumpsit. Illis reædificavit suam ecclesiam S. Eulaliæ, quæ a multis jam annis ruinam minitabatur; eamque adornavit supellectile et ornamentis tanta cum liberalitate, ut hodiedum sit una ex instructioribus parœciis Mozarabibus ac Latinis hujus civitatis. Cum idcirco, tum quia fuit fundator venerabilis confraternitatis sacerdotum, cujus titulum est magister noster Jesus Christus, qui in sua miraculosa imagine Nazareni venerationem habet in ista ecclesia S. Eulaliæ, dignus est venerabilis iste pastor memoria hac. Obiit anno* MDCCVI; *et se humari mandavit in sua ecclesia : ubi jacet usque ad universalem resurrectionem.* D

Emmanuel de Messa.

390 Addit sub finem V. Cl. Caminus Velascus, relata tam in syllabo antecedente, quam in hoc catalogo desumpta esse ex auctoribus, qui citantur (citabantur certe in Ms. ad nos misso) ad marginem : atque ex instrumentis et chartis archivi capellæ Corporis Christi Mozarabicæ; quæ de mandato Illustrissimi Capituli sanctæ ecclesiæ Primatialis, patroni dictæ capellæ, sibi patuisse refert ad istum finem, die XX mensis Junii 1724. E

CAPUT IX.

Officii Mozarabici, ac singularum ejus partium notitia.

§ I. *Quædam generatim prænotata; Horæ Canonicæ.*

Ex Hispanico Roblesii, apud Aguirrium Latine edito,

His ita hactenus de origine, progressu, variisque liturgiæ Mozarabicæ vicissitudinibus historico-chronologice deductis, nunc ad ea veniamus, C quæ ad ipsius argumentum, ordinem, modum ac cæremonias potissimum spectant, dando specialem totius dictæ liturgiæ notitiam, partesque ejusdem singulas explanando atque illustrando. Quædam itaque prius generatim prænotemus. Inseruit ea Eminentissimus Aguirrius tomo 3 Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ et novi Orbis, a pag. 261, excerpta et in Latinum sermonem conversa ex Hispanica libro de Vita et gestis Francisci Ximenii S. R. E. Cardinalis, auctore Eugenio Roblesio superius laudato.

Horarum principium.

392 *Inter alia notatu digna, et ab Officio Latino discrepantia habet istud officium Mozarabicum vel Isidorianum vel Gotthicum, quædam, quorum usus generalis est in omnibus tum majoribus tum minoribus Horis, sicuti sunt initia, in quibus semper habetur Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison : Pater noster, et Ave Maria secreto ; et protinus : In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. Respondetur autem : Deo gratias. Quod quidem convenit cum eo, quod dicitur : Deus in adjutorium meum intende, in Latina vel Gregoriano Officio, excepto Completorio, quod aliter incipit : ut suo loco videbimus. In fine vero precum semper apponitur : In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. Responsum autem est : Deo gratias. Quod congruit cum his Latini Officii verbis : Benedicamus Domino.*

Illic etiam dicitur : Per omnia semper secula seculorum ; et Dominus sit semper vobiscum, et Gloria et honor Patri, et Filio etc., ubicumque in Romano Officio se profert occasio dicendi, Gloria Patri, et Filio.

Nec secius Responsa titulorum Prophetiis vel Epistolis inscriptorum, præferunt Deo gratias, pariterque dicitur Amen in fine; sicut etiam respondetur Amen sub finem cujuslibet orationis totius Officii; quomodocumque illa desinat. Neque tamen auditur aut legitur Oremus, ante ullam orationem. F

De oratione Dominica.

393 *Horis autem absolutis adjicitur Pater noster alta voce; singulisque postulatis additur, Amen : nisi cum profertur hæc petitio : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Respondetur enim huic : Quia Deus es; et ultimæ, qua dicitur, sed libera nos a malo : moxque eodem tenores consequenter hæc pia verba proferuntur : Liberati a malo, confirmati semper in bono etc. Quibus Deo necessitates fidelium peculiariter commendantur : pronuntiaturque istud itidem in Vespertinis precibus, Laudibus, et Missa : in ceteris autem precibus suo loco dicitur : A malo nos libera, et in tuo timore, et opere bono nos confirma etc.*

His

De Benedictione

His peractis, qui sacra peragit, vel Diaconus, jubet his qui adsunt, ut humilitatem exhibeant cum his verbis : Humiliate vos benedictioni ; Dominus sit semper vobiscum. Confestim vero sacerdos benedictionem impertit, atque pronuntiat tres petitiones continenter ; quarum cuilibet respondetur : Amen. Eo modo, et cum hac benedictione preces omnes absolvuntur, exceptis Matutinis, quæ uno spiritu cum Laudibus dicuntur, imo commiscentur, et pro una eademque re censentur.

Divisio Officii.

394 *Distribuuntur Officia in Dominica, quæ vocantur ab Officio Latino Dominicæ, et in ferias, et festa : horum autem postremorum quædam nomen suscipiunt solennitatis sex trabearum vel pluvialium, eaque sunt quasi duplicia : alia vocantur quatuor pluvialium, suntque velut semiduplicia : alia duorum pluvialium, novem lectionum : suntque quasi simplicia. Et juxta Breviarii canonem, cum decantatur Officium Sancti cujuspiam, nulla fit in Sacro vel precibus Vespertinis commemoratio alterius : cujus festum vel celebratum antea fuerit, vel sit postea celebrandum. Notandum tamen est in precibus Vespertinis, quod, si contingat debere dici quidpiam de Sancto, cujus commemoratio minus sit solennis alia, quæ præcedenti die facta est, dicuntur Vespertinæ preces de insigniori, cum oratione et Laude unica minus solennis : illud autem veluti commemoratio quædam est.*

De Vespertinis precibus. Quid Laus, et Sonus.

395 Nunc ad singularia magis descendamus, quæ habentur apud laudatum Aguirrium, ex Roblesio Latine reddita, sub hoc titulo : *De Horis tum majoribus tum minoribus hujus sancti Officii ;* et sic sonant : *Officium Mozarabicum cujuscumque Dominicæ, feriæ vel festi, incipit a precibus Vespertinis, in quibus numquam dicitur ullus psalmus : suntque hæ preces totius hujus Officii brevissimæ, diciturque in iis communiter Laus, Sonus, Antiphona ; hinc alia Laus. Postremæ vero duæ dicuntur cum Gloria et honor Patri : sub finem autem cujuslibet dicitur : Dominus sit semper vobiscum ; excepta ultima ; quia e vestigio sequitur Hymnus. Laudes, Soni, et Antiphonæ hoc in Officio conveniunt cum Responsis Officii Romani.*

Quid Supplicatio.

Deinde profertur Hymnus, et eo absoluto Supplicatio : quæ nihil aliud est, quam parænesis sacerdotis ad populum, qua eum adhortatur, ut a Deo petat, quod expedit, ut eum colat. Huic autem respondetur : Præsta omnipotens, æterne Deus. Mox dicitur oratio, quæ a tribus Kyrie eleison inchoatur, absolviturque cum tribus orationibus Dominicis, et Benedictione, ut jam generatim perstrinximus.

Laus loco Magnificat.

396 *Succedit superioribus Laus una, quæ eumdem locum obtinet, quem in Officio Latino possidet Magnificat : dumque ille cantatur, thuribulo accepto sacerdos templum odore perfundit : ea vero decantata, dicitur oratio, cum Vespertinis precibus finis imponitur.*

Commemoratio.

His absolutis, suffragiorum communium loco, quibus utitur Officium Romanum, dicitur alia Laus, aliaque oratio. Verum hæc commemoratio non fit in festis sex aut quatuor trabearum, neque in Octavis.

Nota.

Quædam festivitates peculiares et Dominicæ plerumque in Vespertinis precibus plures prædictis Laudes habent, et orationes ; ut suis locis videbitur. Notandum vero est, orationes tantum et Laudes in precibus Vespertinis, Matutinis, et laudibus reperiri ; dicique ante quamlibet orationem in Matutinis et Laudibus, Dominus sit semper vobiscum. In Vesperis autem dicitur oratio sine præviis hisce verbis ; Dominus sit semper vobiscum.

Ex editis apud Aguirrium.

De Completorio.

397 *Completorium autem inchoatur a psalmo : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine etc. ; moxque dicuntur tria Alleluia singulis anni temporibus, excepta Quadragesima : substituitur enim in eorum locum : Laus tibi, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ. Confestim sequitur alius psalmus, iteraturque ter Alleluia. Deinde dicitur alius cum Hymno et Versu ; consequenterque dicitur psalmus : Qui habitat in adjutorio Altissimi etc. Huic succedit et alius psalmus, et alter Hymnus, ita ut quinque illic psalmi dicantur, interseranturque duo Hymni ; hinc dicitur Versus, Supplicatio, Capitulum, Pater noster, et Benedictio : sicque Completorium absolvitur. Post hæc dicitur Versus et oratio pro commemoratione ; exceptis sollennitatibus sex aut quatuor trabearum, aut Octavis ; ut jam monuimus, agentes de precibus Vespertinis. Sub finem autem Completorii attexitur Salve, Versus, et oratio ad Virginem Deiparam, quæ incipit, Virgo Israël etc. In Sabbatis, præcipuisque diebus festis, et Quadragesima quædam peculiaria dicuntur in Completorio, ut in Breviario videre est.*

De precibus Matutinis.

398 *Matutinæ preces hujus Officii breves sunt admodum, et exordium sumunt ab oratione Dominica, et Angelica salutatione : quibus additur Antiphona ; Ave Regina cœlorum, cum ejus Versu, et oratione beatæ Virginis ; qua absoluta sacerdos ait : In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace, ut jam scripsimus. Deinde attexitur Antiphona, et psalmus Miserere : hinc tres apponuntur Antiphonæ cum Responso uno : quamlibet autem sua comitatur oratio.*

Monendus est autem lector, dici post singulas orationes Matutinarum precum et Vespertinarum, itidemque Laudum, et sancti Missæ sacrificii ; dici, inquam : Per misericordiam tuam Deus, qui es benedictus, et vivis et omnia regis in secula seculorum. Quibus respondetur. Amen. Et ista conveniunt cum his, quæ posita sunt ad calcem orationum Officii Romani, scilicet : Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum. Tandem Matutinæ preces communiter absolvuntur cum ultimo Responso, sive sit post illud oratio, sive non sit.

Verumtamen in Dominicis per annum ; Dominicis item Adventus, et Quadragesimæ incipiunt Matutinæ preces ab Hymno : Æterne rerum conditor, loco primæ Antiphonæ ; statimque sequitur oratio : post quam dicuntur tres psalmi, singuli cum suis Antiphonis ; hisque tres Antiphonæ succedunt cum Responso et orationibus, uti a nobis ante dictum fuit.

De Dominicis post Pascha.

399 *Dominicis autem diebus, qui inter Christi Resurrectionem, et Pentecosten habentur, sequuntur Muzarabes commune Officium festivitatum totius anni : eo tamen excepto, quod loco Miserere, dicitur psalmus : Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me. Idemque in festis Inventionis, Exaltationis, et Triumphi sanctæ Crucis, Ascensionisque, et aliis solennioribus observatur.*

De Laudibus.

400 *His peractis sequuntur Laudes cum Antiphona, quam præcedit : Dominus sit semper vobiscum ; eamque sequitur Canticum quodpiam veteris aut novi Testamenti. Die vero D. Magdalenæ duo cantica dicuntur. Peculiare autem admodum est, quod in Officio Muz-arabico, totius anni decursu nullibi*

Ex editis apud Aguirrium.

nullibi audiuntur hæc duo Cantica, Magnificat, et Benedictus Dominus Deus Israël; nisi hoc in loco. Dicitur autem Magnificat in solis beatæ Virginis Officiis, et nocte Nativitatis Domini nostri. Benedictus autem solummodo in festo S. Joannis Baptistæ.

Absoluto Cantico, recitataque Antiphona, et dicto Dominus sit semper vobiscum, dicitur alia Antiphona ante psalmum, Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum; qui quidem strictim summatimque complectitur psalmum; Benedicite omnia opera Domini Domino, idemque sonat, si sensum penitus intuemur. Ad hæc dicitur Sonus, et alia Antiphona ante psalmum Laudate Dominum de cælis; quo decantato legitur prophetia quædam, quam sequitur Hymnus, Supplicatio, Capitulum, Pater noster, Laus, et Benedictio: sicque finis Laudibus imponitur. Succedit his Laus quædam, et oratio loco suffragiorum, ut in Vespertinis precibus, et Completorio: idque tantum fieri solet in festis duorum pluvialium, aut novem lectionum: quæ simplicium appellationem B *sortiuntur.*

De Aurora.

401 *Officium istud Muz-arabicum superat Romanum una precum specie, quæ vocatur Aurora. Illæ autem preces dicuntur ante Primam, et in aliis anni feriis, adeoque paucæ sunt, cum singuli dies Sanctis quibusdam addicantur, ut, excepta Vigilia Nativitatis Dominicæ, et Regum, dieque Cinerum, raro per annum iis Muz-arabes utantur.*

Hæ vero preces habent cum Antiphona quatuor psalmos, Laudem unam, Hymnum unum, Versumque unum: finiuntur autem oratione Dominica absque Capitulo, et cum precibus quibusdam.

De Prima.

402 *Initio Primæ dicitur Antiphona, et Dominus sit semper vobiscum: statimque dicuntur septem psalmi, iteraturque Antiphona, quam sequitur Responsum unum cum Prophetia, unaque Epistola, et Laude, quam comitatur Hymnus cum suo Versu: moxque dicitur: Te Deum laudamus, Gloria, et Credo.*

Id autem observatur, quod diebus Dominicis Adventus, et Quadragesimæ, quotiesque non dicitur in Sacro Gloria, non recitatur in Prima Te Deum laudamus, aut, Gloria, diciturque tantum symbolum Apostolorum; cui succedunt Supplicatio, Pater noster, et benedictio, cum quibus C *absolvitur Prima. Prima autem eo modo se habet totius anni decursu. Notandum tamen est, Responsa mutari, ut exigit festum, quod colitur, aut Sanctus, cujus memoria celebratur. Sunt et aliæ festivitates, quæ in minoribus precibus Hymnos habere proprios consueverunt, sicuti Resurrectio, quæ in Prima Responsum, et Hymnum proprium: deinde dies festi, Dominici, et feriæ sua specialia Capitula, peculiaresque suas benedictiones habentes.*

Tertia, Sexta, Nona.

403 *Tertia incipit, ut Prima, cum Antiphona, habetque quatuor psalmos, variaque Responsa, ut in prima diximus. His additur Prophetia, una Epistola, Laus una, et unus Hymnus, quem sequuntur clamores, quibus petitur a Deo, ut non juxta scelera pœnas infligat; illicoque dicitur Supplicatio, Capitulum, Pater noster et Benedictio. Sicque regulariter Tertiæ finis imponitur. Sexta et Nona eodem modo, quo Tertia, recitantur, solumque in eo differunt, quod alii psalmi, et Hymni aliaque capitula hic habentur. Verum quoad psalmorum ordinem et numerum, semper idem, quod in Tertia diximus, observatur.*

De DD. Cypriano et Martino.

Celebratur etiam solenne jejunium tribus diebus ante festum Epiphaniæ juxta istud Officium: D *iis vera diebus plurimum differunt Tertia, Sexta, et Nona: quia peculiares Prophetiæ, Antiphonæ, psalmi, Orationes, precesque dicuntur, et alia specialiter hisce diebus aptata, ut in Breviario patet. Celebratur item solenne jejunium cum Officio divino particulari, mense Septembris, tribus ante D. Cypriani festum diebus, pariterque mense Novembris tribus ante D. Martini solennia diebus, uti videre est in Breviario post Dominicas Pentecostes.*

De Adventu

404 *De quibusdam notatu dignis, quæ peculiaria sunt Officio Muz arabico,* subduntur apud Aguirrium pag. 264 sequentia: *Notandum generaliter est, celebrari in hoc Officio Gotthico Muzarabico sex dies Dominicos Adventus Domini nostri, cum in Officio Latino quatuor tantummodo celebrentur.*

De Dominica ante Quadragesiman.

Ante Quadragesimam nulla fit mentio Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ; quamvis illic habeatur peculiare Officium Dominicæ, E *quæ præcedit Qnadragesimam. In eo autem id animadversione dignum occurrit, quod legitur Evangelium Divitis avari, et mendici Lazari, ad damnandum vulgi morem, quod eo tempore quasi altissimus gurges, voracissime sese explet, adeo ut ventri, non aliis rebus natus esse videatur. Apposite autem inseritur Breviario Sermo S. Isidori, qui hoc Officium ampliavit, pro Bacchanalium, seu Martis die, cui dies Cinerum immediate succedit. Demum hoc in Officio una Adventus Dominica memoria S. Joannis Baptistæ celebratur.*

De S. Joanne Baptista.

Ea autem est, quæ festum Nativitatis ejus antecedit: mirumque profecto et notatu dignum est, neminem e Beatorum choro (Christum excipio) ne ipsam quidem Virginem Deiparam, Advéntu gaudere, præter S. Joannem Baptistam. Et hæc sufficiant quoad Officium, et Breviarium Muzarabicum. Sequuntur apud Aguirrium idea Missæ Mozarabicæ, ejusque cæremoniæ; at de istis rebus nos inferius agemus. Hæc interea nunc præmittimus.

§ II. *Misssæ Dominicarum Quadragesimæ, feriarum Quadragesimæ, Vigiliarum totius anni, ac pro Defunctis. Quædam speciatim notatu digna circa Missam Mozarabicam. Orationes pro Eminentissimo Mozarabum Fundatore. Sancti.* F

Incipit Missa a prophetia.

Aguirrius a pag. 267, ex Roblesii Hispanico a pag. 296, de Dominicis Quadragesimæ imprimis ita fatur: *Sacrificia Dominicarum Quadragesimæ immediate incipiunt post absolutam confessionem generalem a prophetia; illicque pene semper leguntur duo vaticinia, vel plura; eaque sequitur Psallendum. Deinde immediate sacerdos genu flexo supra gradus altaris recitat quasdam preces, calicem præ manibus habens cum vino, et aqua, et hostia supra patenam collocata. Deinde absolutis precibus recitat sacerdos orationem, cujus initium est: Exaudi orationem nostram Domine etc. Recitatis superioribus, dicitur Epistola*

Preces aliæ.

et

A *et Evangelium cum Laude. Hinc ante sacrificium et ablutionem, sacerdos genu flexo ad altare, recitat alias preces, quæ incipiunt: Pœnitentes orate. Quibus dictis, peragitur Sacrificium, et continuatur Missa... Antiphona ad confractionem panis, et responsum seu exhortatio, quæ vocatur Ad accedentes, in his Quadragesimæ Missis varietatem patiuntur.*

Loco Benedicamus Domino.

Sic loco Benedicamus Domino, quod dicitur in Missis Quadragesimalibus Officii Gregoriani, effertur in Muz-arabico: In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace.

Prima Dominica Quadragesimæ;

406 *Ab hac regula generali Dominicarum Quadragesimæ excipitur prima Dominica, in qua dicitur, Introibo, et Gloria cum oratione, sicut in ceteris festivitatibus totius anni. Nec dicuntur preces: Pœnitentes orate. In reliquis vero observatur ordo præfatus ceterarum Quadragesimæ Dominicarum.*

ejusdem feriæ;

Feriæ Quadragesimæ eumdem modum Officii servant, quem Dominicæ, excepto, quod absolutis vaticiniis, loco precum et Psallendi, dicitur Tractus, efformatus od similitudinem eorum, quæ
B *in Officio Romano post Epistolam dicuntur: desumiturque pene semper ex aliquo vaticinio Hieremiæ, vel alicujus alterius prophetæ. Deinde sequitur Epistolæ cum reliquis, ut dictum est in Dominicis Quadragesimæ.*

Vigiliæ totius anni.

Jam vero de Vigiliis totius anni præscribuntur sequentia: *Differunt tantum Vigiliarum Missæ a ceteris totius anni Sacris in eo, quod introitu carent, primaque oratione et Gloria: initiumque sumunt a prophetia. In ceteris vero communem totius anni Ordinem sequuntur, ut notavimus.*

Introitus Missæ pro defunctis.

407 Missæ pro defunctis ista sunt propria: *Absoluta confessione in Missa, quæ pro defunctis celebratur, constitutus sacerdos in medio altaris ait: Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum; statimque consequenter dicit Officium vel Introitum, incipiens ab his verbis: Tu es portio mea, Alleluia, in terra viventium, Alleluia. Tempore Quadragesimæ dicitur aliud Officium, vel alius Introitus, carens Alleluia.*

Non dicitur Hagios.

Notate, non dici in Missa pro Defunctis, Hagios, Hagios, ad dicendam orationem, quam vocant Aliam; verum sacerdotem, dicentem Oremus, recitare Supplicationem, Ecclesiam Catholicam etc.

Kyrie eleison.

Hoc in Officio priusquam dicatur prima oratio,
C *vocata Missa, et Dominus sit semper vobiscum, quod eam præcedit, dici Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.*

Illatio vel Præfatio.

Ante Præfationem vel Illationem non dicitur in hoc Officio defunctorum invocatio sanctissimæ Trinitatis, incipiens: Gratia Dei Patris omnipotentis etc. Nec etiam dicitur: Introibo ad altare Dei mei. Dumque absolvuntur hæc verba: Quia tu es vera pax nostra, cum quibus finis quartæ orationi, quam Ad pacem vocamus, imponitur, consequenter dicitur: Aures ad Dominum. Et cum hoc versu Præfatio vel Illatio inchoatur. Ad confractionem panis dici solet hoc responsum: Requiem æternam det eis Dominus, lux perpetua luceat tibi, et repleatur splendoribus anima tua, et ossa tua reviviscant de loco suo. Variatur autem tam hoc responsum, quam aliud, quod vocatur Ad accedentes, in quibusdam Missis, quæ pro defunctis dicuntur, ut patet in Missali.

Requiescant in pace.

408 *Neque vero dicitur Requiescant in pace, in his Missis, sed in ejus locum, Anima ejus, et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace; respondeturque: Deo gratias.*

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM.

Missæ peculiares.

Sunt in hoc Officio Missæ pecculiares pro defunctis, juxta gradum, quem hac in vita possederunt, veluti pro episcopo, sacerdote, diacono, subdiacono vel seculari. Est etiam Missa pro infantibus baptismo regeneratis, qui ex hac vita cum innocentia baptismatis excesserunt, inscribiturque, Missa parvulorum defunctorum. In eorum autem memoriam offertur Sacrificium, quo petitur a Deo in peculiaribus hujus Missæ orationibus, ut, quemadmodum pueri isti per ejus ingentem misericordiam, innocentium puerorum Bethlehem consortio gaudent: ita nos frui possimus in cælo consortio utrorumque puerorum, peccatorum nostrorum in hac vita veniam obtinendo. Sic etiam petitur venia pro fidelibus defunctis adultis.

Missa parvulorum.

Oratione fidelium Defunctorum refertur commemoratio Mozarabum fundatoris.

409 Ecce hic tibi tamquam intercalare intersero perpetuum Mozarabum sacellanorum Toletanorum mnemosynon, debitæque erga Eminentissimum fundatorem ac restauratorem suum Franciscum Ximenium, supra quam dici possit, de se meritum, memoris ac grati animi monumentum; quo teste Roblesio pag. 344, peracta Missa diebus singulis (excipe Dominicos, ac festos obser- E
vari præceptos) recitatur pro ipsius animæ refrigerio secundum ordinem Officii Mozarabici, sequens Responsorium. *Scio, Domine, quia nihil in terra sine causa. P. quia homo nascitur ad laborem, et avis ad volandum. ℣. Ego vero deprecabor Dominum, et ad eum ponam eloquium meum. P. Quia homo nascitur ad laborem, et avis ad volandum. Oremus: Pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut spiritum et animam famuli sui (Francisci Cardinalis Pontificis) in locum lucis inter agmina Beatorum propitius collocare dignetur. Resp. Præsta æterne omnipotens Deus. Kyrie. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster* totum secreto. Oratio: *Tibi, Domine, commendamus animam* etc. ut in Officio Romano (nisi quod ibi legatur *humanæ*, hic autem *mundanæ conversationis.*) *Resp. Amen. Dominus sit semper vobiscum. Resp. Et cum etc. In nomine Domini nostri Jesu Christi anima ejus, et omnes animæ fidelium defunctorum per misericordiam Dei, sine fine requiescant in pace. Resp. Amen.*

Martyres Hispani.

410 Proximum, ut revertamur eo, unde tantisper digressi sumus, ex Roblesio apud Aguirrium
pag. 269 occupant locum quædam singulatim notanda in sæpe dicta Missa Mozarabica, quæ huc etiam transcribenda censemus: *In hoc Officio habentur Missæ festorum Sanctorumque peculiarium valde prolixæ, cujus generis sunt omnes Dominicæ, nominatimque festa quorumdam Martyrum, veluti B. Laurentii, S. Vincentii, et divarum Eulaliæ, Justæ et Ruffinæ, Hispaniæ Martyrum, aliorumque plurimorum. Ejus rei ratio est, quia cum sit istud Officium mere Hispanum, nec non ejus expurgator et auctor* (Adi supra caput 3, § 3) *divus Isidorus, Archiepiscopus Hispalensis, Hispanus fuerit; jure quidem Illatio, hymni Officii, et quædam orationes Missæ exhibent gesta Martyrum, triumphosque ab iis de tyrannis sævissimis reportatos. Cumque sanctitate micantes fuerint, et pares paucos in perferendis exquisitioribus tormentis habuerint: non immerito D. Isidorus eorum vitas recensuit, majus studium in enarranda D. Vincentii fortitudine adhibens. Quod quidem patet*

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM. *patet ex eo, quod sola Missæ Præfatio septem Missalis columnas impleat.*

Sancti 411 *Notandum vero est in impressione, quam fieri jussit Illustrissimus Cardinalis Franciscus Ximenes de Cisneros, Archiepiscopus Toletanus, et in translatione Gotthici textus in Latinum, eum addidisse plerosque e Sanctis Officii Toletani veteris, et Sanctis Gotthicis Muz-arabicis miscuisse. Apposuit autem Missæ confessionem generalem cum oratione adorationis crucis, ceterisque orationibus, quæ ante Introitum dicuntur, et Salve in fine Missæ. Et qui hæc, et pleraque alia adjecit, ideo Missale inscriptionem hanc habet: Missale mistum, secundum regulam B. Isidori dictum Muz-arabe.* Vide, quæ num. 186 notavimus.

additi, 412 *Sanctis additi fuere quidam sancti Confessores, aliique Martyres, qui ab institutione et compositione Officii Gotthici vixerunt. Et quamvis verum sit, fuisse quosdam sanctos Confessores ante Officium Gotthicum; non tamen decantatum est illis temporibus Officium eorum nomine, quia hic honos Martyribus solis tunc tribuebatur. Quod si sit Confessor quispiam, in cujus honorem dicatur Officium; is profecto censeri debet e numero eorum, qui a vetere concilio Toletano additi* B *fuerunt.*

Certum autem et indubitatum adeo istud est, ut si forte datum sit solum nomen Confessoris quibusdam sanctis Muz-arabicis, ut divo Gerontio, divæ Leucadiæ virgini Toletanæ, B. Crispino aliisque id genus, constat ex hymnis festivitatum (quos habent proprios) fuisse etiam Martyres, ideoque antiquis temporibus peculiare Officium illis fuisse tributum. Hinc videre licet pene omnes Sanctos, Missam et Officium peculiariter adeptos, Gotthicos veteres esse, quia pauca sunt festa addita, quæ gaudeant Officio peculiari.

et quinam 413 *Hinc sequitur, plerosque Sanctos, aut majorem eorum partem, de quibus dicitur commune Sanctorum, additos fuisse et immistos a Cardinale Francisco Ximenez in translatione textus Gotthici in Latinum sermonem. Non ideo tamen nego, multos fuisse Martyres antiquos, qui proprio Officio minime gaudent, ut sunt divus Marcus Evangelista, divus Pantaleon martyr, et beata Juliana V. et M.; pluresque, quorum gratia compacta sunt Officia, quæ communia vocantur. Disposita etiam ea fuere pro illis; qui mandato summi Pontificis poterant addi, ut singulis diebus adduntur.* Ita quidem dicitur apud Eminentissimum Aguirrium; quibus major lux accedet ex dicendis circa fragmentum antiqui Kalendarii Gothico-Hispanici inferius paragrapho 5 producendi C atque explanandi; post quod exhibebitur Kalendarium Sanctorum Missalis Mozarabici typis excusi.

§ III. *Liturgia Mozarabicæ Hymni.*

Hymnorum usus antiquissimus tam alibi, Noster Martinus Claire in Dissertatione sua, opusculo de Hymnis ecclesiasticis novo cultu adornatis præfixa, *Si illorum,* inquit, *ortum a fonte repetere placet, idem erit in Christianæ religionis, et Hymnorum hujusmodi principium; cujus rei locuples testis est, idemque spectator Philo Judæus, vir utique primis Ecclesiæ temporibus æqualis. Is enim scribens de sanctissimis primorum Christianorum moribus, ritibusque (hos autem Essenorum nomine ab eo designari, tradunt Hieronymus, aliique Patres) suos illis* D *fuisse testatur Hymnos, illosque rhythmicos, quos singuli privato quisque in secessu, et simul suis in cœtibus, alternis choris concinerent.* Verba autem, quibus Philonem loquentem inducit, sic sonant: *Non solum contemplationi vacant, sed etiam Cantica et Hymnos in Dei laudem componunt; vario metrorum, carminumque genere, rhythmis concinnatos.* At quorsum ad Philonem recurrere opus est? Audiatur Doctor gentium, qui ad Colossenses cap. 3, ℣ 16 sic scribit: *Psalmis, Hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.*

415 Jam vero pium hoc excercitationis genus *tum in Hispania.* primis Ecclesiæ temporibus jam adultis clarescere quoque perrexisse, quis dubitet? In memoriam revocemus verba concilii Toletani IV, occasione usus Hymnorum, quem restituit, ita enuntiantis superius cap. 3, § 1, num. 103: *De Hymnis etiam canendis, et Salvatoris et Apostolorum habemus exemplum.. Et quia nonnulli Hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur; sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt* etc. Ineunte seculo V occurrit Aurelius Prudentius, natione Hispanus, qui E inter alia, quæ scripsit, pangendis variis in laudem Sanctorum Hymnis piam pariter atque elegantem operam insumpsit; prout liquet ex tractatu, qui inscribitur Περὶ στεφάνων; ex cujus calamo Hymnus S. Eulaliæ totus et integer profluxit, atque in Breviarium Hispano-Gothicum seu Mozarabicum transiit (tametsi mendose admodum in Breviario isto excusus) seu excipias brevissimam clausulam, quam ibidem, non vero apud ipsum lego.

416 Hymnorum porro propriorum, qui in Breviario Mozarabico Ximeniano notantur, pars maxima transcripta fuit, dum Toleti degeremus, *quorum ex Breviario Mozarabico* non quidem anni totius, sed postremi dumtaxat sacri semestris; relictis aliis semestris anterioris; quia Sanctos canunt, qui jam apud nos dati sunt, atque adeo ex Hymnorum sibi convenientium transcriptione amplius illustrari non debent. Ceterum nonnulli sunt in isto semestri postremo Sancti qui gemino, eoque proprio Hymno; alii sunt plurimi, qui unico tantum; alii denique qui nullo proprio celebrantur. Sed Hymnorum contextus plurimis mendis admodum misere deformis est. Causam fugio quærere. Diversis autem illi modulis constant: nam invenias inter eos, qui diverso metri genere illigantur; alios videas rhythmi syllabas ac formam præferre. Rem declaro ex F subjecto specimine, quod exhibeo ex apographo nostro, ex impresso exemplari fidelissime descripto prout jacet, nulla prorsus adhibita correctione mendorum, quorum tamen adeo frequens est copia; quæ et ego hic intacta relinquo.

417 Hymnus S. Jacobi Majoris ad Laudes *specimen profertur de S. Jacobo Majore,* cum metro Sapphico incipit, et sic habet: *Gaudeat cuncta pia plebs alumna resullet voce simul et cruore: pacis fenore semper Christum roget laudis honore. Veritas, vita, spes semper tranquilla in tui almi jacobique sancti: jam cruciamur ignibus cremamur cathenis magnis. Magnus hic ait dominusque noster dira resolve ignea cathena nihil nocente: mihi nunc affertemagnum iniquum.* etc. In festo S. Annæ canuntur ista: *lucis hujus festa collat plebs honesta: domino celorum dignis confrequentet hymnis. Mater matris Christi ex hoc mundo tristi migrans fide bona: sua vice dona vitæ dona. Annam sic expressa fudit radix Jesse: ut*

A *ut sit mater matris nati Dei patris. Exhinc planta surgit virgo sancta : ex hoc fluit fonte lapis cesus monte. Cœlo tam sublata mulier beata : suo nos precatu purget a reatu.*

de S. Felice M.

418 Mense Augusto occurrit S. Felix martyr cum hoc hymno Trochaico rhythmico : *Fons deus vite perhennis lux origo luminis aspice plebem canentem festa : summi martyris excipe vota precantum : sume laudum carmina. En tui felicis almi pangimus insignia : tu resolve vincula lingue dans sonora cantica : ut tua rite quamus promere magnalia. Iste eamque cesaree urbis mauritaniæ mundialis discipline dum studeret litteris : artium famosa vabra te sequendo deserit* etc. Idem modulus adhibetur in hymno SS. Justi et Pastoris : *O Dei perhenne verbum patris ore proditum : organum qui imbecille admovens infantium : das eis spirare flatum : vocis ut promant sonum. Tu pius adesto nobis solve fibras gutturis : ora instrue loquellis : corda reple lachrymis : ut sacrorum festa dignis precinamus canticis. Ecce justus: ecce pastor : ambo juncti sanguine : quos pia fraternitatis junxerat germanitas : invexit equalis* B *sacrate passionis unitas. Hii tamen scolis retenti dum instruuntur litteris : audientes quod tyrannus* etc. Metro Asclepiadeo constat hymnus de S. Hippolyto : *Adsunt o populi festa celebria que felix reveit temporis orbita in sese rediens axe volubili laudem sidereo reddite principi. Hic namque ypolitus tempore terream despectus nivea scandit ad ethera : cum solvens anima corpore vividam celestem meruit sumere lauream. Dum dux belligerus esset hic agminis* etc.

ac SS. Fausto, Januario, et Martiale MM.

419 Mense Septembri carmine Jambico bimetro honorantur SS. Faustus, Januarius et Martialis MM. *Gaudet caterva nobilis Dei repleta gratia : trium sacrorum martyrum preclara est solemnitas. Templum beata trinitas perenne condidit sibi : ex quo novum depromitur dulcissimumque canticum* etc. Jambico trimetio celebratur mense Novembri S. Romanus M. *Romane Christi fortis assertor Dei : elinguis oris organum fautor move : largire comptum carmen fausissimum : fac ut tuarum mira laudum concinam. Qui cum scisset ipse posse facere mutos eloqui : plectrum palati et faucium sevus tibi tortor refregit : nec tamen silentium induxit ori : quo fatebaris Deum vox veritatis testis extingui nequit : vel si recisis palpitet meatibus : Christum loquendi lingua* C *numquam defuit. cum predicatur ipse verborum dator*.etc. Atque hæc plus quam satis pro specimine. Possem his subjicere, quinam Sancti apud Mozarabes hymnis celebrentur; sed cum de festis apud ipsos præcipuis proxime occusura quædam sint ex Roblesio apud Aguirrium, reliquis omissis, eo nunc pergendum esse duxi.

§ IV. *Quædam peeuliara Officio Missæ ac festis Mozarabicis referuntur.*

Peculiaria quædam circa Sanctos,

De his rursum Aguirrius a pag. 269; apud quem Roblesii Hispanicum Latine transcribitur *Solent etiam Muz-arabes, cum Sanctus quispiam gaudet peculiari Missa, vel aliqua ejus parte, proprium aliquid apponere Breviario ad commemorationem, ut suis locis videri potest. Præterea habent Sancti quidam aliquid particulare in reliquo Officio non autem in Missa, sicuti D. Elisabeth, Hungariæ Regina, D. Saturninus martyr, D. Anna, D. Clemens, et quadraginta Martyres, D. Gabriel Archangelus, Apparitio S. Michaëlis, D. Sperati et sociorum. Id autem adeo raro accidit, ut pene notari non possit. Videantur ista suis locis. Sunt etiam Sancti quidam, qui proprios tantum habent hymnos vespertinarum precum, sicuti D. Euphemia, D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Vincentius, Sabina, et Christeta, D. Marcellus Martyr, D. Catharina, S. Æmilianus Abbas.*

Ex editis apud Guirrium.

Officia propria,

421 *Cupio tandem percensere quædam circa Sacra et Oficia propria, quibusdam festis, et Sanctis particularibus aptata, ultra Officia et Missas de communi, quæ Sanctorum causa habentur, qui propriis Officiis carent. Habent Officium Sacrumque proprium sex Dominicæ Adventus Domini nostri; item Dominica Adventus D. Joannis Baptistæ, aliaque Dominica ante Epiphaniam cum octo aliis post Epiphaniam; deinde Dominica, quæ diem Cinerum præcedit; dies ipse Cinerum cum omnibus Quadragesimæ feriis; cujus Dominicæ complectendo Dominicam Ramorum, sunt sex. Item dies Cœnæ Dominicæ, dies Para-* E *sceves, et Sabbatum sanctum : solaque dies Parasceves dicitur Passio. Habent pariter Officium, sacrumque proprium Dominica Resurrectionis cum feriis usque ad sequentem diem Sabbati. Similiter et sex Dominicæ, quas post Pascha vocamus : Dominica post Ascensionem, et octo Dominicæ post Pentecosten. Ultima autem Dominica ea est, quæ vocatur Dominica ante jejunium Kalendarum Novembrium.*

festa,

422 Observanda etiam veniunt festa præcipua, quæ Sacro proprio et Officio gaudent, quæ ab eodem auctore notantur hoc ordine pag. 270 : *Primo Nativitas Domini nostri; eaque die non dicuntur tres Missæ, ut in Officio Latino; imo tantum una : deinde Circumcisio, Epiphania, festum corporis Christi, Paschatis dies, Ascensionis et Pentecostes, uti dictum fuit : Nativitas beatæ Virginis, ejus Conceptio, Annuntiatio, vocata D. Maria de O, Purificatio et Assumptio. Quædam de his festis desumpta sunt ex antiquo Officio Toletano. Est etiam commune beatæ Virginis pro Sabbatis, cum dicitur de ea, et pro ejus festis, quæ Officium proprium non habent. Item dies Sanctorum, S. Michael Archangelus, D. Joannes Baptista, ejus nativitas et decollatio; DD. Petrus et Paulus, Cathedra D. Petri, et S. Jacobus* F *Major, D. Joannes Evangelista, D. Andreas, D. Jacobus Minor, frater Domini dictus; D. Thomas, D. Mathias : omnes denique Apostoli : Inventio sanctæ crucis, S. Maria Magdalena, D. Stephanus protomartyr, Sancti Innocentes. D. Laurentius Hispanus, D. Torquatus cum sociis Episcopis, D. Vincentius Hispanus, sanctæ Justa et Ruffina Virgines Hispalenses, D. Genesius, D. Cebrianus Episcopus, D. Christophorus cum sociis, D. Julianus cum Basilissa. D. Adrianus et Natalia, S. Martiniana virgo, DD. Cosmas et Damianus medici, DD. Faustus, Januarius, Martialis, Servandus, Germanus, Romanus; Eulalia virgo, D. Leocadia civis, et patrona Toleti, omnes Martyres.*

ac Missas Sanctorum.

423 *Sancti, qui proprio gaudent Officio, ab oratione, quæ Missa dicitur, hi sunt : DD. Fabianus, Sebastianus, Lucianus presbyter, Justus et Pastor Hispani Complutenses : Speratus cum sociis, Acisclus, Emeterius, Celedonius, Fructuosus,*

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM *Fructuosus, Angurius, Eulogius cum sociis, Thyrsus et Felix, Babylas Episcopus, et tres Pueri, omnes Martyres. DD. Martinus Episcopus, Bartholomæus, Simon, Judas et Mathæus Evangelista, Apostoli. Divæ Agnes, Agatha, Dorothea, Christina, Eugenia, Columba, omnes Virgines et Martyres, simul cum D. Eulalia V. et M. Barcinonensi. Demum maxime differunt Officia Latina a Muzarabicis quoad Evangelia: quia solet solum Euangelium Officii Muz-arabici continere ea, quæ dici solent in duabus vel tribus festibus Officii Latini. V. G. die Epiphaniæ dicitur Evangelium diei Innocentium, et vigiliæ Regum; sicque coagmentatur hoc Evangelium e tribus. Die sanctorum Innocentium dicitur aliud Evangelium, desumptum e capite* 18 *D. Matthæi; quo utitur Officium Latinum diebus festis Angelorum.*

sanctorum Virginum, ac Quadragesimæ. 424 *In officio Muz-arabico in qualibet festivitate Virginis legitur etiam Evangelium D. Magdalenæ non vero prudentium Virginum, sicut in Officio Latino. Illud vero Evangelium dicitur in communi plurimarum Virginum, hoc in Officio. Quadragesimæ tempore permutantur omnino* B *Evangelia. Prima quippe Dominica, cum in Officio Latino legitur Evangelium tentationis, in Muz-arabico legitur Euangelium Samaritanæ. Die vero Cinerum legitur Evangelium tentationis; secunda vero Quadragesimæ Dominica non legitur Evangelium Transfigurationis, sicut in Officio Romano, sed cæci a nativitate. Sunt pleraque alia notatu digna, et discrepantia, sed mihi sufficit monere lectorem, ut loca ipsa consulat.*

§ V. *Kalendarii antiqui ad alia expensi fragmentum; antiquitas ejus.*

Antiqui Kalendarii Hujus Kalendarii, inter pretiosos priscæ antiquitatis thesauros merito reponendi fragmentum typis prodiit Toleti anno 1593, opera Francisci de Pisa, quem supra laudavi, editum, atque post Tabulam de Officio divino Gothico aut Mozarabico; deque antiquitate et auctoritate ejus, ac ordine generali, illud recitandi (quam Tabu- C lam ipse idiomate Hispano vulgavit) exhibitum: quod ibidem testatur, se *invenisse scriptum litera Gothica in uno libro, qui videbatur majorem habere antiquitatem, quam sexcentorum annorum.* Dignnm sic satis, si Pisæ credimus, antiquitatis scriptæ monumentum, ut curiosis palæophilorum oculis exhibeatur. Sed delendum, exiguum solummodo ejusdem Kalendarii fragmentum typis commissum fuisse; sive plura non invenerit, sive, si plura invenit, paucula ista sufficere putaverit pro specimine quodam, ut ex illo, tamquam ex ungue leonem, cognoscere utcumque Sanctos, qui antiquis temporibus apud Mozarabes celebrabantur, liceret. Quidquid sit, quia non scio, ex quo individuo codice Pisa illud extraxerit; neque spes mihi ulla affulget fore, ut reliquos dicti fragmenti menses continuare queam; illud ipsum subjungo, prout a me Toleti transcriptum est ex impresso exemplari. Sic ergo habet:

fragmentum producitur: *Mensis Januarius dies* XXXI. *I dies habet horas* X, *nox* XIIII.
Kalen. Circumcisio Dni nostri Jesu Xpr.
IIIJ. *Non. Sctæ Columbæ virg. Senonas.* D
IIJ *Jejunium observantur tribus diebus.*
IJ.
Nonis
VIIJ *Idus. Apparitio, quod est Epiph.*
VIJ. *S. Juliani vel Comitum mar. Antiocia.*
VJ. *Scti Luciani presb. mar. Eliopoli.*
V. *Sanctorum* XL *mar. Constantina.*
IIIJ. *Sanctæ Serene virg. mar.*
IIJ.
IJ.
Idus
XVIIIJ. *Kal. Febr. Sancti Felicis Nola.*
XVIIJ.
XVIJ.
XVJ. *Policarpi et Antonii.*
XV.
XIIIJ. *S. Sebastiani et comitum. Roma.*
XIIJ. *Sanctarum Agnetis et Emerentianæ. Roma.*
XIJ. *Sctorum Fructuosi Epi, et Eulogii diaconorum. Tarracona. mar.*
XJ. *S. Vincentii Levitæ mar. Valentia.*
X. *Obitum Dni Ildefonsi Epi. Toleto.*
VIIIJ *S. Babilæ Epc. et trium puerorum. Antiocia.* E
VIIJ.
VIJ. *Caput Februarii apud Egiptios.*
VJ.
V. *Scti Tirsi vel comitum mar. Grecia.*
IIIJ.
IIJ.
IJ.

Mensis Februarius dies XXVIII. IIIJ *dies habet horas* XJ. *nox* XIII.
Kalen.
IIIJ. *Nons.*
IIJ.
IJ.
Nons Sanctæ Agatæ. virg. mar. Catania.
VIIJ. *Idus.*
VIJ. *Sanctæ Doroteæ. vel comitum mar. Cappadocia.*
VJ. *Sancti Marci : : : Evange. mar.*
V.
IIIJ.
IIJ.
IJ. *Sanctæ Eulaliæ virg. mar. Barcinona.*
Idus.
XVJ. *Kalend.* F
XV.
XIIIJ.
XIIJ.
XIJ. *Sancti Pantaleonis*
XJ.
X.
VIIIJ.
VIIJ. *Catedra S. Petri Apostoli.*
IJ.
VJ *S. Julianæ virg. et mar.*
V.
IIIJ.
IIJ.
IJ.

426 Habet hic lector laudati Kalendarii fragmentum; de cujus antiquitate placet quædam in medium producere, illud expendendo ad alia quædam valde antiqua Kalendaria, apud varios edita. Omnium, quod sciam, antiquissimum illud habetur, quod primus vulgavit noster Ægidius Bucherius; quodque a nobis editum est tom. VII Junii, pag. 185 ex Cuspiniani codice Ms. Carthaginense cum variis aliis antiquis

A Carthaginense ex codice Cluniacensi publici juris fecit Mabillonius tom. 3 Analectorum a pag. 398; at in nova editione est a pag. 163. Romanum ex Ms. codice monasterii S. Genovefæ Parisiis, aureis litteris scripto, edidit Joannes Fronto, canonicus regularis. Aliud suppeditat Spicilegium Archerianum tom. 10, a pag. 130; quod anno 826 collectum esse, conficio ex isto anno, Nonis Decembris ibidem adscripto, et primo quidem loco; aliis deinceps ordine subsequentibus usque ad 854 inclusive. Adde librum Comitis, ut vocatur, seu Lectionarium, a nonnullis S. Hieronymo adscriptum, quemque Pamelius ei vindicare conatur Prolegomeno 1, tom. 2 Rerum liturgicarum; ubi illum profert a pag. 1. Eumdem postea edidit Baluzius post Capitularia Regum Francorum a col. 1309; verum tot additionibus infartus est, ut cum vetustissimis istiusmodi monumentis comparari non possit, primæva utique simplicitate destitutus. Denique Romanum Kalendarium typis non ita pridem subjecit Edmundus Martene tom. 5 Analectorum a col. 63, ex duobus Mss. codicibus; altero quidem mo-B nasterii S. Andreæ prope Avenionem, annorum minimum, prout ipse censet, septingentorum; altero autem monasterii Grassensis in Septimania; tantæ antiquitatis; ut, *si forte*, inquit, *Bucherianum excipias, quod mediante seculo quarto in usu fuit, omnibus antiquitate præstet; utpote quod seculo quarto conditum, existimare* se dicit, *aut saltem initio seculi quinti.*

collatum. 427 Jam vero assignari possunt varii characteres, e quibus major antiquitas Kalendariorum dignoscatur: nimirum annuntiationum paucitas; simplicitas, nuda absque elogiis ac sola fere Martyrum nomina exprimens; nulla aut certe paucissima Deiparæ festa signata; Quadragesima nominibus Sanctorum vacua; non plurium coacervatio, sed unius tantum aut alterius Sancti nomen, et prætermisso quidem titulo Sancti aut Beati; nullæ denique vel saltem paucissimæ per anni decursum vigiliæ in Kalendariis notatæ; omnia hæc et singula sacrorum Fastorum antiquitatem commendant et confirmant. Quæ si ad fragmentum Kalendarii, quo de hic ago, referantur; quam paucæ imprimis in eo annuntiationes occurrant, abunde liquet, cum media plus sui parte Sanctis vacet. C Multum quidem, fateor, cedit in illa nota characteristica Kalendario Bucheriano; a quo etiam longissime superantur Kalendaria superius nominata. Aliquantulum etiam cedit Carthaginensi, Frontoniano ac Marteniano, quæ paulo rarioribus annuntiationibus constant; sed Acherianum longe superat in hoc genere. Si simplicitatem ejusdem spectes; nulli postponendum est, cum sola passim, eaque Martyrum, nomina referat, sine ullis elogiis. De more autem antiquissimo solos Martyres adscribendi Kalendariis, agit Fronto in Prænotatis ad suum Kalendarium pag. 66. In nostro unus solummodo annuntiatur, de quo constet, Martyrem non fuisse, nimirum S. Ildephonsus, episcopus Toletanus; quem puto postmodum aliis adjectum fuisse; cum tot alioqui in nostro fragmento occurrant, notæ, quæ, quantum apparet, anteriora tempora redoleant.

eos videtur præferre 428 At præcipuus mea quidem sententia idiotismus se prodit in Kalendario nostro, quod Hypapante seu Purificatio Deiparæ in eo non signetur: in quo convenit cum Bucheriano et Carthaginensi. Frontonianum hujus festi nomen quidem non exprimit, sed ejusdem Euangelium; Acherianum vero habet: *Quarto Nonas* (Februarii) *Purificatio sanctæ Mariæ virg.* (Genitricis) *Christi.* D Comes seu Lectionarius etiam signat: *In Purificatione S. Mariæ.* Martenianum ita notat: *Die secundo, mense Februario Hypapanti*; una cum Euang. Lucæ 3: *Postquam impleti sunt* etc. Id quod suspicionem non levem mihi injicit, minoris illud Kalendarium antiquitatis esse, quam clarissimus ejusdem editor putaverit; et e contrario, non contemnendum inde videor formare posse judicium, nostri Kalendarii, cujus specimen ex producto fragmento dedi, antiquitatem maxime commendari. Diu certe ante S. Ildephonsi, mortui anno 667, tempora illud concinnatum fuisse, arguo ex eo, quod dictum Hypapantes festum in eo non signetur; quod tamen verosimiliter signatum fuisset, si diu ante ejusdem S. Ildefonsi, tempora conditum non fuisset illud Kalendarium; cum, ipso vivente et scribente, illud festum in Hispania magna cum celebritate perageretur; prout intelligi datur ex ipsius S. Ildephonsi verbis sermone primo de Purificatione, ubi dicit: *Hodierna die in honore sanctæ Dei Genitricis et perpetuæ virginis Mariæ non solum clerus, sed et omnis populus loca cum cereis et diversis hymnis lustrantibus circumeunt.* E

429 Ut de festis Quadragesimæ tempore occurrentibus aliquid addam; in Bucheriano nullum mense Aprili reperio Sanctum; nullum in Carthaginensi mense Martio et Aprili cum parte Februarii; plures autem occurrunt in Acheriano tribus istis mensibus, paucissimi in Frontoniano, uti et in nostro, mense Februario. In Marteniano a die v Februarii, ad diem IV Aprilis, utrobique exclusive, vacant festa Sanctorum. Unde rursus corrigas illius editorem, hujus parallelum cum Bucheriano instituentem: *Qua in re concinit cum Calendario Bucheriano et cum Africano* (seu Carthaginensi) *in quibus nullum tempore Quadragesimæ festum assignatur.* Etenim in Bucheriano quidem ponitur *Octavo Kalendas Martii, natale Petri de Cathedra.* Et, *Nonis Martii, Perpetuæ et Felicitatis Africæ*; in Carthaginensi autem: XIV *Kalendas Mart. sanctorum martyrum Macrobi, et Lucillæ, Nundinari, Caecilianae, et Petrensium.* Quorum singula pro F ratione temporis cum Quadragesima concurrunt. Quousque vero hac in parte Sanctorum festa excluserit Kalendarium nostrum Gothicum seu Mozarabicum, vel incluserit, e duorum mensium, quos habemus, fragmento eruere quis satis tuto valeat? Si reliqui in promptu forent, multum fallor, si non perpauci, forte etiam nulli tunc temporis sese offerrent, secundum antiquam Hispaniæ consuetudinem; quæ diu ante synodum x Toletanam observata fuit. Celebrata est illa synodus anno 656, et capitulo 1 sic præscribit: *In quibus* (Quadragesimæ diebus, vel Paschali festo) *nihil de Sanctorum solennitatibus, sicut* EX ANTIQUA REGULARITATE *cautum est, convenit celebrari.* *characteres.*

430 De aliis, ac certis antiquitatis Kalendariorum notis quid dicam; quarum alteram referebam esse annuntationes Martyrum absque titulo Sancti vel Beati; alteram, vigiliarum omissionem? Meminerimus eorum, quæ in Præfatione ad Usuardum, ab annis aliquot a nobis editum et illustratum, recte circa præsens argumentum pronuntiata sunt pag. XXXVI, num. 133: *Prima antiquitatis nota propria, et ab Adoniana methodo diversa, inde in Romano parvo desumitur, quod* *ut ab antiquitate*

A *ubi Ado et ceteri noni seculi Martyrologi, religiose semper* SANCTI *aut* BEATI *nomen Martyribus et Confessoribus præfigunt; auctor illius Martyrologii, licet apponat aliquando, attamen sæpius omittere soleat,* (prout ibidem exempli ostenditur) *Hanc vero certam esse antiquitatis notam, ex eo confice, quod codices Hieronymiani, tum majores a Florentinio editi, tum minores.. raro id genus titulos præmittant, atque adeo tanto rarius, quanto antiquiores fuerint : quod mirifice elucet in apographo Epternacensi ; in quo vix nota est* SANCTI , *aut* BEATI *nomenclatio, et ubicumque apponitur, forte tamquam adjectitia expungi meretur.* Character vero iste antiquitatis maxime stabilitur ex Kalendario Bucheriano ; in quo sive in *depositione episcoporum,* sive in *depositione Martyrum,* ne quidem unus unicus ex omnibus ibidem memoratis, *Sancti* aut *Beati* titulo notatur.

maxime commendari possit.

431 In Carthaginensi illis apponitur ubique, si perpaucos exceperis ; idem contingit in Frontoniano. In Acheriano autem adeo is est perpetuus', ut, dum omittitur, ob raritatem vix considerari mereatur. Idem statue de Comite seu Lectionario, ac de Kalendario Marteniano : quod B quia isto antiquitatis genuino idiotismo caret ; suspicionem ingerit, quod sit minoris ætatis, quam vult ejus editor. Omissio tamen ista omnimoda non est certum signum, quod Kalendaria, quæ titulum hunc apponunt, sint medio seculo v recentiora : nam in mox laudando Polemei Silvii Kalendario signantur *Natalis S. Vincentii martyris. Natalis S. Laurentii mart. Natalis S. Stephani mart.* Et in Natalibus aliquot Sanctorum e Fastis consularibus exceptis, apud nos tomo VII Junii, a pag. 186, e cod. Ms., qui desinit sub an. vulgaris æræ 493, pag. 187 signatur *passus S. Laurentius* III *Idus Augusti. S. Euphemia* XVI *Kal Octobr.;* nisi forte illi tituli aliunde postmodum adjecti fuerint istis antiquis monumentis. Idiotismus itaque ille non adeo videtur certo derogare antiquitati nostri fragmenti, ut eam ob causam necessario illud removeri debeat post seculum v. Quæ de prætermissione Vigiliarum memineram, conjicio in paragraphum sequentem.

§ VI. *Alius quidam prædicti Kalendarii antiquitatis idiotismus; Sancti in eodem signati.* C

Nullis Kalendariis antiquis, Bucheriano excepto,

Ecce jam aliud indicium magnæ Kalendariorum antiquitatis ; quod in eo ponitur, ut quanto pauciores vel plures in eis notantur Vigiliæ, tanto amplius crescat vel decrescat genuinus ac primigenius antiquitatis character. Bucherianum imprimis nullas habet ; nullas item Carthaginense : Frontonianum solummodo habet quatuor, Acherianum quinque ; liber Comitis novem ; quem vel 'ideo a S. Hieronymi ætate remotissimum judicio : quidquid Cardinalis Bona Rer. liturg. lib. 2, cap. 6, num. 2 eum isti auctori asserat. Plura huc non congero : de quibus agit bibliographus recentior heterodoxus in Commentario Scriptorum eccles. tomo 1, col. 851. An vero omnibus, aut quibus Vigiliarum positionibus vacuum fuerit Kalendarium istud Gothicum, dicere non queo ex tantillo mensium dumtaxat D duorum specimine ; in quo nullæ Vigiliæ notantur. Suspicor tamen, vel nullas omnino, vel paucas admodum habuisse ; quia non signat vigilam Epiphaniæ seu Theophaniæ ; quam tamen ponit liber Comitis, et Kalendarium Martenianum ; quod addit alias insuper sex : ut vel id maximo etiam indicio sit, illud distare plurimum ab antiquitate tanta, quantam habuit in opinione editoris sui. Erunt haud dubie, quibus festum *Assumptionis S. Mariæ,* quod in eodem signatur die XV Augusti, videatur non prorsus antiqua, sed recentiora seculi circiter noni tempora redolere. Consule, quæ dicta sunt in Observatione, ad diem XV Augusti, Usuardi a nobis editi.

videtur hoc nostrum fragmentum cedere debere;

433 His itaque in nostro fragmento vetustatis notis elucentibus ; quæri nunc potest, an vel uni ex allatis Kalendariis (Bucheriano, cui præ omnibus palmam do, excepto) nostrum illud, quoad saltem ex tantillo specimine conjectare licet, antiquitate cedere debeat. Equidem non existimo. Neque reformido suspicari, conditum illud fuisse sub finem circiter seculi quinti. Atque ex hoc antiquissimo monumento non medio- E criter illustratur ritus Gothicus apud Hispanos, et Sancti ipsi relucent, qui tum temporis ibidem cultum publicum habuerint ; de quibus,uti et de festis in eodem nostro fragmento exhibitis, observo sequentia, ut perbrevis ipsius contextus non legi dumtaxat, sed etiam intelligi possit. Primo itaque loco ponitur :

cujus nota,

434 *Kalen. Circumcisio* etc. hic a Bucheriano uti et Mabilloniano præterita, quæ annuntiatur sic in Frontoniano : *In Octabas Domini.* In Acheriano, *Octabas Domini ;* in Marteniano autem, *In Octaba Domini.* Sancti porro, qui in nostro exemplari memorantur, et Martyres sunt, ac selecti quidem ; cum ad tria fere prima æræ Christianæ secula spectent (de S. Ildephonso nunc monui :) signaturquippe mense Januario IV *Non. S. Columbæ virg. Senonas :* in vetustissimis Martyrologiis notissimæ die XXXI Decembris, et sub Aureliano passæ ; quo die etiam refertur in Martyrologio Mozarabum hodierno, nec non Officio proprio et hymno apud ipsos honoratur. Agit de illa Baronius ad annum 275. Sequitur in nostro fragmento IIJ. (Nonas) *jejunium observantur tribus diebus :* quod puto esse pure Gothicum et antiquissi- F mæ institutionis : unde stabiliuntur ea, quæ dicta sunt superius, ubi de majoribus Horis ; et, nisi fallor, stabilirentur alia duo jejuniorum tempora, ibidem indicata, si Kalendarium haberemus integrum. Interim antiquissimam pariter redolet consuetudinem VIII *Idus Apparitio, quod est Epiphania.* Caret quidem illo festo Kalendarium Bucherianum ; sed in aliis maximæ antiquitatis notatur, nimirum in illo, quod sub nomine *Polemei Silvii, anno* CCCCXLIX *conscriptum* dicitur apud nos tom. VII Junii, a pag. 176 ; ubi et editum legitur ex codice Ms. Musei nostri ; signatur item in Mabilloniano, Frontoniano, Acheriano, Marteniano, ne Comitem seu Lectionarium commemorem. Videsis notationes Baronii do hoc festo, et Acta nostra isto die.

ex nominibus

435 Prosequitur nostrum fragmentum : VII (Idus) *S. Juliani* VEL *Comitum mar.* Particula disjunctiva *vel* pro conjunctiva *et,* singulare quid sonat, et mea opinione idiotismum Officio Gothico proprium : in tantillo quippe fragmento eadem bis occurrit infra ; et sæpius repetitur in Breviario Mozarabico hodierno ; ut mense Julio : *In*

A *In festo S. Christophori* VEL *comitum ejus.* Novembri; *S. Aciscli* VEL *comitum ejus.* Decembri: *Eugeniæ virginis* VEL *comitum ejus martyrum.* Particula, inquam, ista hic pure Gothica, dein Mozarabica mihi videtur: quam utique nusquam alibi in dictis Kalendariis signatam reperio. Notatur eodem isto die in Romano parvo *S. Juliani martyris Antiocheni,* et in moderno; ubi omittitur *Antiocheni;* at omissis utrobique sociis. Baronius in Notationibus, *quando.. vel ubi passus sit,* dicit *latere;* neque certo mihi liquet, idemne sit ab illis Sanctus notatus, qui in fragmento annuntiatur; apparet autem verosimile, eumdem esse; quia convenit dies: quo tametsi in aliis supra dictis Martyrologiis memoriam ejus non invenio; videtur tamen magnum antiquitatis præberi fundamentum, quod referatur in Romano parvo, et in hoc fragmento nostro. Neque refragatus fuero, si quis eum ad tria prima circiter Christi secula pertinere censeat. De S. Juliano martyre actum est apud nos die VII Januarii; ubi leges; quid pseudo-Dexter de illo referat, nullam utique fidem meritus.

Sanctorum

439 Subdit nostrum fragmentum; VI (Idus) B *S. Luciani presbyteri mar. Eliopoli.* Celeberrima ipsius memoria est die VII in Martyrologiis. Suspicor in textu nostro scribendum *Helenopoli;* cum S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 77, in ipsius elogio dicat: *Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ.* Plura de isto Martyre dabunt Acta nostra dicto die VII Januarii, Tillemontius Monum. eccles. tom. 5, a pag. 474; Ruinartius a pag. 503 editionis secundæ; Usuardus noster illustratus pag. 16. Nunc denuo nostrum fragmentum revisamus. *Sanctorum* XL *Martyrum.* De Sebastenis sub Licinio, actum X Martii; de Romanis vero sub Gallieno, XIII Januarii. An ab utraque ista classe, hæc, quæ habetur in fragmento, diversa sit, et forte Hispanica, non habeo, unde decidam. *Constantinam,* quam porrigit sine titulo virginis aut martyris, aut loco palæstræ, quorsum spectet, incertum: neque lubet meri circa illam Sanctam indulgere conjecturis. Neque *S. Serene virg. mar.,* quæ sequitur, nota mihi est, qualis sit. Aliud statue de eo, qui proxime ibidem occurrit, estque *Felix Nolanus,* ubique notissimus, qui eodem etiam C die inscribitur Mabilloniano. Acta habes die XIV Januarii. In moderno Kalendario Mozarabico est, *Felicis impinsis cfes. et mart.* In Frontoniano: *Felicis in Pincis:* vide ejus notam pag. 10. In Acheriano *S. Felicis mart.*

in eodem signatis

440 Qui proxime exhibentur in eodem nostro fragmento, *Polycarpus et Antonius,* characteribus omnibus individuis destituti sunt; forte cum aliis synonymis non confundendi, ac pure Gothici. Sequitur annuntiatio *Sebastiani et comitum;* in Mabilloniano, Frontoniano et Marteniano ponitur sine Sociis iste Martyr; cui adjungitur Fabianus in Acheriano. *S. Agnes,* quæ hic ponitur die XX Januarii; forte eo remittitur propter S. Fructuosum martyrem Tarraconensem in Hispania, postridie occurrentem; quod ipsa datur in Bucheriano, Mabilloniano, Frontoniano, Acheriano. Adisis Usuardum illustratum. S. Emerentianam, ejusdem Sanctæ collactaneam invenies in Actis nostris ad diem XXIII prædicti mensis; ubi S. Fructuosum ac socios dedimus ad diem XXI, quo et in fragmento iste Sanctus annuntiatur; sed quando in illo dicitur, *et Eulogii diaconorum;* vel legendum *diaconi,* vel potius excidit alterius diaconi nomen *Augurius,* qui apponitur in Kalendario Mozarabico moderno; et apud nos dicto die XXI Januarii. D

atque ad alia

441 In signando *S. Vincentio M.,* celeberrima Hispaniarum gloria, consentit sæpe citatum fragmentum nostrum cum antiquissimis Kalendariis, nimirum Polemei Silvii, Mabilloniano, Frontoniano, Acheriano. Acta ejus vide ad diem XXII Januarii. Singularis plane est hæc S. Ildephonsi annuntiatio; quæ in fragmento notatur: *Obitum Dni Ildefonsi* etc.. De illa jam dixi; dictis addo, quod non mirum esset, si ea eruta fuisset ex libro aliquo obituali ecclesiæ Toletanæ vel alterius, eo tempore, quo nondum ut Sanctus universaliter per totam Hispaniam celebrabatur, atque adeo non diu post obitum ejus. Mox sequitur: *S. Babylæ ep., et trium puerorum,* Acta dantur eodem, quo hic ponuntur, die. Singulare est, quod occurrit die sequenti: *Caput Februarii apud Ægyptios:* etenim quid Gothico Kalendario cum Ægyptiis? Hac phrasi designatur initium ipsorum mensis Amschir, quod concurrit cum XXVI nostri Januarii; ut videre est in parellelo Kalendarii Ægyptio-Romani ante tomum V Junii, uti etiam in Fastis ecclesiæ Æthiopicæ E apud Jobum Ludolfum in Historia Æthiopica pag. 407. In Comite seu Lectionario pluries designato similis occurrit expressio: *Feria* IV *in capite jejunii.* Ultima annuntiatio hujus mensis Januarii in fragmento exhibita, est *Scti Tirsi vel comitum mar.* etc.; de quibus consule Acta nostra ad diem XXVIII Januarii.

antiqua

442 Superest nunc fragmenti Februarius, septem dumtaxat signans annuntiationes; et aliorum veterum Kalendariorum more paucos admodum Sanctos, ob concursum, uti opinor, Quadragesimæ exprimens, de qua re supra monui. *S. Agathæ* nomen, ubique notissimum, inscribitur Mabillonia, Frontoniano, et Acheriano: quam invenies apud nos ad diem V Februarii. *S. Marcum evangelistam,* quem superius fragmentum annuntiat die VIII mensis Februarii, in ecclesia Latina coli die XXV Aprilis, nemo non novit. Qui plura desiderat de istius sancti Euangelistæ cultu, adeat Commentarii prævii ad ejus gesta paragraphum primum, dicto mox die XXV Aprilis; nec non Observationem ad Usuardum nostrum eodem die XXV; in qua inveniet, S. Marcum euangelistam, non illa die, F sed XXIII Septembris consignari in apographis Hieronymianis, uti apud Florentinium videre est ad istum diem.

Kalendaria

443 *S. Eulalia virg. et mart. Barcinonensis* illustrata est a nobis die XII Februarii *S. Pantaleon,* qui subditur in nostro fragmento, sine titulo martyris, aut loco palæstræ, si idem sit cum celeberrimo Martyre synonymo Nicomediensi, spectat ad XXVII diem mensis Julii, quo eum dedimus cum Martyrologio Romano. *Cathedra S. Petri Apostoli* dum aliis omnibus annuntiationibus isto die exclusis refertur in fragmento nostro, magnam prodit antiquitatem, conformiter ad citatum antiquissimum Bucherianum; ubi illa sic notatur: *Octavo Kalendas Martii, natale Petri de Catedra.* Notatur item hoc festum in Acheriano, et Comite; non autem hic in Mabilloniano et Frontoniano; ad quod ultimum pag. 28 observantur sequentia:

comparatis,

444 *Hic non inscribitur Cathedra S. Petri Antiochiæ, et hoc valde notandum propter ea, quæ adnotavit Hugo Menardus ad hunc diem festum, qui*

A *qui incidit in* XXII *Februarii : tum quia objectant hæretici, Cathedram S. Petri, qua sedit Antiochiæ, solam fuisse antiquitus celebrem, non aliam. Nam re vera olim neutra harum speciali festivitate colebatur. Deinde cœpit hæc recoli, sed sine hoc, quod adderetur Antiochiæ, vel Romæ. Vide Menardum et Pamelium, apud quos scribitur tantum, Cathedra S. Petri ; et sic etiam in Kalend. Ms. S. Genofevæ Paris., et in Evangeliario Ms. S. Joannis de Jardo,* At nisi illud *olim* ad maximam antiquitatem extendatur, non video, quo pacto vere dici possit, cum adeo sit diserta speciali hujus festi in vetustissimo Bucheriano, ut de aliis non loquar, annuntiatio. *S. Juliana virg. et mar.*, quæ in fragmento nostro ponitur, si sit Nicomediensis, ad diem XVI Februarii a nobis est illustrata.

445 Atque hæc quidem ad Kalendarii Gothici fragmentum, supra a nobis exhibitum, observanda habui ; cujus annuntiationes, dies vacuos, et reliquos id genus idiotismos ea gratia ad alia antiqua Kalendaria expendere visum fuit, ut ex istorum cum hoc nostro collatione aliquousque de ejus ætate lectorem instruerem. Enimvero si ex modico duorum dumtaxat mensium specimine conjectandi facultas mihi concedatur, eam apud me vetustatis commendationem relucentes ejusdem characteres mereri videntur, ut præ se ferant indicia non improbabilia, seculi quinti exeuntis, aut ineuntis circiter sexti temporibus Kalendarii istius fragmentum aptari posse. Hoc autem , et Kalendarium Missalis Mozarabici typis editi, juxta se posita, quantum differant; et quam diversos hoc ab illo characteres prodat accessionibus variis Sanctorum festorumque, quibus accrevit, planum fiet ex ejusdem contextu. D

videntur redolere, finem sec. 5, vel initium circiter sec. 6

§ VII. *Kalendarii Mozarabici hodierni primum semestre.*

B

Præmittuntur paucula observanda.

Kalendarium hoc excusum est in Missali Mozarabico, de quo supra egimus. Unde fideliter transcripta fuerunt ea, quæ ectypon repræsentabat, quæque nos hic prælo committimus, quamquam variis locis mendosa. Plurima ibidem erant exarata characteribus nigris ; alia rubris. Sed nos hic omnia exhibemus litteris currentibus. Festa vero quædam præcipua Christi Domini, Deiparæ, Apostolorum, ac nonnulla alia ibidem rubricis etiam notata, quæ in decursu Kalendarii sunt, et ordine quæque suo per anni circulum recensentur, exprimi hic curavimus litteris majusculis. Paucula Sanctorum nomina calamo postea adjecta leguntur in præsenti Kalendario, quæ nos uncis [ ] includenda putavimus, ut ab impressis secerni queant. Porro ut vitetur nimis longa ac continuata moles, placuit totum contextum dispescere in duas partes ; et primum quidem ipsius semestre præmittere, ac deinde subnectere postremum. Utrumque vero excipient observationes quædam, quibus tota res plusculum illustretur. Nunc ecce tibi ipsum Kalendarium, mendose, ut monebam, hic nunc recusum, sicut olim mendose excusum prodiit. E

Jam prima dies estis : et septima fine minetur.

Aureus numerus KL *Januarius habet dies* XXXI. *Luna* XXX. *Nox habet horas* XVI. *Dies vero* VIIII.

III	A *Januarius*	CIRCUMCISIO DOMINI	VI *capparum.* †
	B IIII	*Octava Sancti Stephani*	IIII *capparum.*
XI	C III	*Octava sancti Johannis*	IIII *capparum.*
	D II	*Octava innocentum*	IIII *capparum.*
XIX	E *Nonas*	*vigilia*	
VIII	F VIII	EPIPHANIA DOMINI	VI *capparum.*
	G VII	*Juliani et basilisse martyrum*	IIII *capparum.*
XVI	A VI	*Sanctorum quadraginta martyrum*	IX. LC.
V	B V	*Pauli primi heremite*	IX. LC.
	C IIII		
XIII	D III	*Juliani presbyteri*	XI. LC.
II	E II		
C	F *Idus.*	*S.Hilarii ep.* IX. LC. *Oct. epi.*	IIII *capparum.* F
X	G XIX. KLS	*Februarii, Felicis impincis cfes. et mart.*	IX. LC.
	A XVIII	*Mauri abbat.* IX. L. *post.* X. *luna dn̄ica fac septuagesima.*	
XVIII	B XVII	*Marcelli pape et martyris*	IX. L.
VII	C XVI	*Spensipi Elesipi martt.* IX. L. *Antonii monachi.*	IIII *capparum.*
	D XV	*Prisce virginis*	IX. L.
XV	E XIIII	*Juliani episcopi et confessoris*	IX. LC.
IIII	F XIII	*Fabiani et Sebastiani martyrum*	VI *capparum. sancti*
		cti Luciani presbyteri et martyris.	IX. L.
	G XII	*Agnet. virginis*	VI *capparum.*
VII	A XI	*Vincentii martyris*	IIII *capparum.*
I	B X	ILLEFONSI CONFESSORIS	VI *capparum.*
	C IX	*Babile episcopi et trium puerorum*	IX. LC. *Thimothei*
		episcopi discipuli Pauli IX. LC. *S.Marie de pace*	VI *capparum.*
IX	D VIII	*conversio S.Pauli* VI *capparum. Projecti martyris*	IX. L.
		Tyrsi martyris IX. L.	
	E VII	*Policarpi episcopi et martyris*	IX. L.
XVII	F VI	*Johannis grisostomi episcopi.*	IX. LC.
VI	G V	*Johannis presbyteri et confes.*	IX. LC. *Agnet.* II. IX. LC.
	A IIII	*Valerii episcopi*	IX. LC.
XIIII	B III	*S. Batildis regine* IX. LC. *Oct. S. Illefonsi*	IIII *capparum.*

IIIc

A III c II *sanctorum Ciri et Johannis martt.* IX. LC — ex Missali Mozarab. impresso.

Ast februarii quarta est: præcedat tertia finem

Aureus numerus KL *Februarius habet dies* xxviii. *luna* xxvii.
Nox habet horas xiiii. *dies vero* x

D *februarius. Ignatii episcopi et martyris* IX. LC *Brigide virg.* IX. LC.
XI E IIII PURIFICATIO SANCTE MARIE VI *capparum.*
XIX F III *Blasii episcopi et mart. ver inicium* VI *capparum.*
VIII G II *Giliberti confessoris* IX. LC. *dr*
A *nonas* *Agate virginis et martyris* VI *capparum.*
XVI B VIII *Vedasti et Amandi episcoporum* IX. LC.
V C VII *Dorothee virginis et martyris* IX. LC.
D VI
XIII E V *Apoloniæ virginis et martyris* IX. LC.
II F IIII *Scolastice virginis* VI *capparum.*
G III
X A II *Eulalie virginis barchinonensis* IX. LC.
B *Idus* *Fructuosi Augurii et Eulogii et ejus comitum* IX. LC.
XVIII C XVI *KLS martii valentini martyris* IX. LC.
VII D XV *sol in piscibus*
E XIIII *Juliane virginis et martyris* IX. LC.
XV F XIII *Pantaleonis martyris et sociorum ejus* VI *capparum.*
IIII G XII
A XI
XII B X *Columbani abbatis* IX. LC.
B I C IX
D VIII CATHEDRA SANCTI PETRI VI *capparum.* E
IX E VII *vigilia*
F VI *Mathie apostoli.* VI *capparum. Locus bisexti in anno*
XVII G V *bisexti quacumque die evenerit festum sancti Mathie*
VI A IIII *in tali jejunetur vigilia ejus et in sequenti die celebretur:*
B III *et servetur festum: et si sabbato evenerit ipso sabbato celebretur et*
XIIII C II *ieiunetur vigilia ejus et servetur in sequenti die do minico*

Aureus numerus KL *Martius habes dies* xxxi. *Luna* xxx
Nos habet horas xii, *dies vero* xii

III D *Marcius. Adriani martyris* IX. LC.
E VI *Donati martyris* IG. LC.
XI F V *Emeterii et Celodonii martyrum* IIII *capparum.*
G IIII
XIX A III
VIII B II
C *Nonas* *Thome de Aquino.* VI *capparum. Perpetue et Felicitatis* IX. LC.
XVI D VIII *Juliani episcopi et confessoris* VI *capparum.*
V E VII
F VI *Apolonie virg.* ix. lc. *Facundi et Primitive martt.* IX. LC
XIII G V
II A IIII *Gregorii pape et confessoris* VI *capparum.*
C B III *Leandri episcopi et confessoris* IIII *capparum.*
X C II *Leonis pape* IX. LC. F
D *Idus*
XVIII E XVII *KLS Aprilis*
VII F XVI *Patricii episcopi* IX. LC.
G XV *Gabrielis archangeli* VI *capparum. Eduardi regis et mart.* IX. LC.
XV A XIIII *sancti Joseph confessoris* VI *capparum.*
IIII B XIII *Cuthberti episcopi et confessoris* IX. LC.
C XII *Benedicti abbatis et confessoris* VI *capparum.*
XII D XI *Pauli episcopi et confessoris* IX. LC.
I E X
F IX
IX G VIII ANNUNCIATIO SANCTE MARIE VI *capparum.*
A VII
XVII B VI
VI C V *Marcelli pape* IX. LC.
D IIII
XIIII E III
III F II

Aureus numerus KL *Aprilis habet dies* xxx. *Luna* xxix
Nox habet horas x. *dies vero* xiiii

G *aprilis*
XI A IIII
B III *Theudosie martyris* *novem lectionum*

XIX C

EX MISSALI MOZARAB. IMPRESSO.

	XIX	c II	*Ambrosii episcopi* VI *capparum. Isidori confes.* VI *capparum.*	D
	VIII	d *Nonas*		
	XVI	e VIII		
	V	f VII		
		g VI		
	XIII	A V	*Fructuosi epis. bracarensis* IX. LC. *Toribii confes.*	IX. LC.
	II	b IIII	*Eleuterii episcopi et martyris*	IX. LC.
		c III		
	X	d II	*Victoris bracarensis martyris*	IX. LC.
		e *Idus*	*Eufemie virginis et martyris*	IX. LC.
	XVIII	f XVIII	*KLS madii Tiburtii et Valeriani martyrum*	IX. LC.
	VII	g XVII		
		A XVI		
	XV	b XV		
	IIII	c XIIII		
		d XIII		
	XII	e XII		
	I	f XI	*Vitalis martyris*	*novem lectionum.*
		g X	[*Prudencii episcopi et confessoris* IX. LC.]	
	IX	A IX	*Georgii mart.* IIII *capparum. Felicis et Fortunati martt.* IX. LC.	
		b VIII	*sancti Proficii martyris*	*novem lectionum.*
	XVII	c VII	MARCI EUANGELISTE.	VI *capparum.*
	VI	d VI	*cleti mart.* IX. LC. *Marcelli et Petri*	IX. LC.
B		e V	*sancti Georgii martyris*	*novem lectionum.* E
	XIIII	f IIII	*Vitalis martyris*	*novem lectionum.*
	III	g III	*Petri martyris ordinis prædicatorum*	VI *capparum.*
		A II	*Eutropii episcopi et martyris*	*duarum capparum.*
	Aureus numerus	KL	*Madius habet dies* XXXI. *luna* XXX.	
			Nox habet horas VIII. *dies vero* XVI.	
	XI	b *Madii*	APLORUM PHILI. ET JACO.	VI *capparum. Torcati et*
			comitum ejus episcoporum	IX. LC.
		c VI	*Athanasii episcopi et confessoris.*	VI *capparum.*
	XIX	d V	*Inventio sanctæ crucis* VI *capparum. Alexandri Eventii martt.* IX. LC.	
	VIII	e IIII	*Quiriaci episcopi et martyris*	IX. LC.
		f III	[*Conversio sancti Augustini*	IX. LC.]
	XVI	g II	JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM.	VI *capparum.*
	V	A *Nonas*	*Inventio clavorum dominicorum*	VI *capparum. sancte*
			Trepete virginis IX. LC. *Domicile virginis.*	IX. LC.
		b VIII	*Revelatio michaelis* VI *capparum. Isidori militis*	IX. L.
	XIII	c VII	*Gregorii nazanzeni* IX. LC. *eodem die translatio S. Nicho.*	VI *cap.*
	II	d VI	*Gordiani et Epima. martyrum*	IX. LC.
		e V	*Pontii martyris*	IIII *capparum.*
	X	f IIII	*Nerei et Achilei atque Pancracii martyris*	IX. LC.
		g III		
	XVIII	A II	*Victoris et Corone martyrum* IX. LC. *Bonifacii martyris*	IX. LC.
	VII	b *Idus*		
		c XVII	*KLS Junii*	
	XV	d XVI		
	IIII	e XV		
C		f XIIII	*Potentiane virginis*	IX. LC. F
	XII	g XIII		
	I	A XII		
		b XI		
	IX	c X		
		d IX	*Translatio sancti Dominici*	IX. LC.
	XVII	e VIII	*Urbani pape et martyris* IX LC. *Translatio S. Francisci.*	IX. LC.
	VI	f VII	*Augustini anglorum episcopi*	IX. LC.
		g VI		
	XIIII	A V	*Germani episcopi et confessoris*	IX. LC.
	III	b IIII		
		c III		
	XI	d II	*Petronille virginis*	IX. LC.
	Aureus numerus	KL	*Junius habet dies* XXX. *luna* XXIX.	
			Nox habet horas VI. *dies vero* XVIII.	
		e *Junius*	*Nicomedis martyris*	IX. LC.
	XIX	f IIII	*Marcellini et Petri martyrum*	IX. LC.
	VII	g III		
	XVI	A II		
	V	b *Nonas*		
		c VIII		
	XIII	d VII		

Ex Mi sali Mozarab. impresso.

A	II	E VI	*Medardi et Geraldi episcoporum*	IX. LC.
		F V	*Primi et Feliciani martyrum.*	IX. LC.
	X	G III		
		A III	Barnabæ apostoli. VI *capparum. Enofri confes.*	IX. LC.
	XVIII	B II	*Basilidis, cirini naboris martyrum*	IX. LC.
	VII	C *Idus*	*Antonii de padua confessoris.*	IX. LC.
		D XVIII	*KLS Julii Basilii episcopi.*	IX. LC.
	XV	E XVII	*Viti et Modesti martyrum.*	IX. LC.
	IIII	F XVI	*Cirici et Julite martyrum.*	IX. LC.
		G XV	*Adriani atque Natalie martyrum.*	IX. LC.
	XII	A XIIII	*Marci et Marcelliani martyrum.*	IX. LC.
	I	B XIII	*Gervasii et Prothasii martyrum.*	IX. LC.
		C XII	*Florientie virginis* IX. LC. *Silvestri pape et martyris*	IX. LC.
	IX	D XI		
		E X	*Consortie virginis. cum* XI *millium martyrum*	IX. LC.
	XVII	F IX	*vigilia.*	
	VI	G VIII	Nativitas sancti Johannis baptiste.	VI *capparum.*
		A VII	*Translatio sancti Eligii episcopi et confessoris*	IX. LC.
	XIIII	B VI	*Johannis et Pauli martyrum*	IX. LC.
	III	C V	[*Zoyle atque Felicis martyrum*	IX. LC.]
		D IIII	*Leonis papæ et confes.* IX. LC. *Vigilia.*	
	XI	E III	Apostolorum Petri et Pauli	VI *capparum.*
		F II	*Commemoratio sancti Pauli*	VI *capparum.*

B

§ VIII. Kalendarii Mozarabici hodierni semestre alterum.

E

	Aureus numerus	KL	*Julius habet dies* XXXI. *luna* XXX. *Nox habet horas* VIII *dies vero* XVI.	
	XIX	G *Julii*	*Octava sancti Johannis bap.*	VI *capparum.*
	VIII	A VI	*Processi et Martiniani martyrum. sancte Marie* VI *capparum.*	IX. L. *Visitacio*
		B V		
	XVI	C IIII		
	V	D III		
		E II	*Octava apostolorum Petri et Pauli.*	IIII *capparum.*
	XIII	F *Nonas*	*Marcialis episcopi*	IX. LC.
	II	G VIII		
		A VII	*Octava visitationis virginis Marie.*	IIII *capparum.*
	X	B VI	*septem fratrum martyrum.*	IX. LC.
		C V	*Translatio sancti Benedicti.*	VI *capparum.*
	XVIII	D IIII	*sancte Marciane virginis.*	IX. LC.
	VII	E III	*Margarite virginis.*	IX. LC.
		F II		
	XV	G *Idus*	*Quirici martyris*	IX. LC.
	IIII	A XVII	*KLS augusti. sancti Alexi conf.*	IX. LC. *Triumphum crucis* VI *cap.*
		B XVI	*Juste et Rufine virg. et martyris*	IIII *capparum.*
	XII	C XV	*Marine virginis et martyris*	IX. LC.
C	I	D XIII		
		E XIIII	*Margarite virginis et martyris*	IX. LC.
	IX	F XII	*Praxedis virginis*	VI *capparum.* [*In festo sancte esperate*
		G XI	Marie magdalene	VI *capparum. vel comitum ejus.* IX. L.]
	XVII	A X	*Apolinaris episcopi et martyris.*	IX. LC.
	V	B IX	*Christine virginis martyris*	IX. LC. *Vigilia.*
		C VIII	Jacobi apostoli VI *capparum, Christofori. et Cucufati et comitum ejus MM.* IX. L.	
	XIIII	D VII	*Anne matris ma.*	VI *capparum.*
	III	E VI	*septem dormientum*	IX. LC.
		F V	*Nazarii celsi et Pantaleonis MM.*	IX. LC. [*Sex capparum.*]
	XI	G IIII	*Felicis episcopi* IX. LC. *simplici : Faustini : et Beatricis martyrum* IX. L. *Marthe virginis.*	VI *capparum.*
	XIX	A III	*Abdon et Sennen martyrum*	IX. LC.
		B II	*Germani episcopi et confessoris*	IX. LC. [*Octava Jacobi*]
	Aureus numerus	KL	*Augustus habet dies* XXXI. *luna* XXX. *Nox habet horas* X. *dies vero* XIIII.	
	VIII	C *Augusti.*	Vincula Petri. VI *capparum. Macabeorum MM.*	IX. LC.
	XVI	D IIII	*Stephani pape et martyris*	IX. LC.
	V	E III	*Inventio sancti Stephani martyris.*	IX. LC.
		F II	*Petri episcopi exomensis*	IIII *capparum.*
	XIII	G *Nonas*	*Dominici conf. d. or. predi.* VI *ca. sancte ma. d. nivibus.* VI *ca.*	

F

Ex Missali Mozarab. impresso.

II A VIII *Transfi. d.* VI *ca. Justi et Pastoris. Sixti pa. Felicissimi et Agapiti martyrum* IX. LC. D
B VII *Donati epis. Mart. Mammetis mart.* IX. LC.
X C VI *Ciriaci. largi sociorumque ejus.* IX. L.
D V *Vigilia*
XVIII E IIII SANCTI LAURENTII MARTYRIS VI *capparum.*
VII F III *Tiburti martyris* IX. LC.
G II *Clare virginis de ordine minorum.* IX. LC.
XV A *Idus* *Ipoliti et sociorumque ejus* IIII *capparum.*
IIII B XIX *KLS Septembris. Eusebii presbyteri et confes.* IX. LC. *Vigiliæ*
C XVIII ASSUMPTIO SANCTE MARIE VI *capparum.*
XII D XVII
I E XVI *Octava sancti Laurentii.*
F XV *Agapiti martyris.* IX. LC.
IX G XIIII
A XIII *Bernardi abbatis.* VI *capparum.*
XVII B XII
VI C XI *Octava sancte marie.* VI *capparum. Timothei et Symphoriani martyrum.* IX. LC.
D X *Vigilia.*
XIIII E IX BARTHOLOMEI APOSTOLI. VI *capparum.*
III F VIII *Genesii martyris.* IX. LC.
G VII *Gerontii episcopi et confessoris.* IX. LC. E
B XI A VI *Rufi martyris* IX. LC. *Victoris episcopi* IX. LC.
XIX B V *Augustini episcopi et confessoris.* VI *capparum.*
C IIII *Decollatio Johannis bbe.* VI *capp. Sabine virg.* IX. LC.
VIII D III *Felicis et audacti martyrum.* IX. LC.
E II

Aureus numerus KL *September habet dies* XXX. *Luna* XXIX.
Nox habet horas XII. *dies vero* XII.

XVI F *Septembris Egidii abbatis et confessoris* II *ca. Vincentii et Leti MM.* IX. LC
V G IIII *Antonini martyris* VI *capparum.*
A III
XIII B II *Marcelli martyris* *novem lectionum.*
II C *Nonas* *Obdulie virginis* VI *capparum.*
D VIII
X E VII
F VI NATIVITAS BEATE MARIE VIRGINIS. VI *capparum.*
XVIII G V *Gorgonii martyris* *novem lectionum.*
VII A IIII
B III *Proti et Iacincti martyrum* *novem lectionum.*
XV C II
IIII D *Idus*
E XVIII *KALS Octobris. Exaltatio sancte crucis.* VI *cap. Cornelii et Cipriani* IX. LC] [*et Valeriani.*
XII F XVII *Octava sancte marie.* IIII *capparum. Nichomedis martyris.* IX. LC.
sancti Vincentii *novem lectionum.* F
C I G XVI *Eufemie virginis martyris* *novem lectionum.*
A XV *Lamberti episcopi et martyris.* *novem lectionum.*
IX B XIIII [*Lune et geminiani martyrum* *novem lectionum.*]
C XIII
XVII D XII *vigilia*
VI E XI MATTHEI APOSTOLI. VI *capparum.*
F X *Mauritii et sociorumque ejus.* II *capparum.*
XIIII G IX *Clete virginis.* *novem lectionum.*
III A VIII
B VII
XI C VI *Fortunati episcopi et confessoris.* *novem* LC.
XIX D IIII *Cosme et Damiani martyrum.* *novem* LC.
E IIII *Fausti et januarii et martialis martyrum* IX. LC.
VIII F III MICHAELIS ARCHANGELI. VI *capparum.*
G II *Hieronymi presbyteri et confessoris.* VI *capparum.*

Aureus numerus KL *October habet dies* XXXI. *Luna* XXX.
Nox habet horas XIIII. *dies vero* X.

XVI A *Octobris. Verissimi maximi et ejus comitum* IX. LC.
V B VI *Leodegarii episcopi et martyris.* IX. LC.
XIII C V
II D IIII FRANCISCI CONFESSORIS. VI *capparum.*
E III
X F II
G *Nonas* *Martii episcopi et conf.* IX. LC. *Sergi Bachi martyrum* IX LC.
Marcelli

Ex Missali Mozarab. impresso.

A				*Marcelli martyris.*	IX. LC	
	XVIII	A	VIII			
	VII	B	VII	*Dionisii Sociorumque ejus martyrum.*	II *capparum.*	
		C	VI			
	XV	D	V			
	IIII	E	IIII			
		F	III	*Geraldi confessoris.*	IX. LC.	
	XII	G	II	*Calixti pape et martyris.*	IX. LC.	
	I	A	*Idus*	*Unfrani episcopi*	IX. LC.	
		B	XVII	*KALS Novembris. Sancti Michalis*	IX. LC.	
	IX	C	XVI	*Victoris martyris* IX. LC. *Lupi episcopi et confes.*	IX. LC.	
		D	XV	LUCE EUANGELISTE	VI *capparum.*	
	XVII	E	XIIII			
	VI	F	XIII	*Erene virginis et mart.* IX. LC. *Caprasii martyris*	IX. LC.	
		G	XII	*Ursule et undecim millium virginum*	II *capparum.*	
	XIIII	A	XI	[*Nunilonis et Alodiæ virginum.*	IX. LC.]	
	III	B	X	*Servandi et Germani martyrum*	IX. LC.	
		C	IX	*Fructi confessoris*	IX. LC.	
	XI	D	VIII	*Crispini et Crispiniani martyrum.*	IX. LC.	
	XIX	E	VII	*Vedasti et Amandi episcoporum.*	IX. LC.	
		F	VI	*Vincentii et Sabine et Christete MM.*	VI *capparum. Vigilia.*	
	VIII	G	V	APOSTOLORUM SYMONIS ET JUDE.	VI *capparum.*	
		A	IIII	*Eustachi Sociorumque ejus martyrum*	IX. LC.	
B	XVI	B	III	*Bellum de Benamarim.* VI *ca. Claudi et Sociorumque ejus martyrum.*	IX. L.	E
	V	C	II	*Quintini M.*	IX. LC. *Vigilia.*	
	Aureus numerus	KL		*November habet dies* XXX. *Luna* XXIX. *Nox habet horas* X. *dies vero* XIIII.		
		D	*Novembris.*	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM.	VI *capparum.*	
	XIII	E	IIII	*Commemoratio omnium fidelium defunctorum.*		
	II	F	III			
		G	II			
	X	A	*Nonas*			
		B	VIII			
	XVIII	C	VII			
	VII	D	VI	*Octava omnium Sanctorum* IIII *cap. quatuor Coronatorum martyrum*	IX. LC.	
		E	V	*Theodorici martyris*	IX. LC.	
	XV	F	IIII	*Menne martyris*	IX. LC.	
	IIII	G	IIII	*Martini episcopi et confessoris.*	VI *capparum.*	
		A	II	*Emiliani abbatis*	IX. LC.	
	XII	B	*Idus*	*Britii episcopi et confessoris*	IX. LC.	
	I	C	XVIII	*KLS Decembris. Clementini et Theodoreni MM.*	IX. L.	
		D	XVII	EUGENII ARCHIEPISCOPI TOLETANI MARTYRIS.	VI *capparum.*	
	IX	E	XVI	*Sancti Seperati vel comitum ejus martyrum*	IX. LC.	
		F	XV	*Aciscli et Victorie martyrum*	IX. LC.	
	XVII	G	XIIII	*Oc. S. Martini.* IIII *cap. Romani monachi M.*	IIII *cap.*	
	VI	A	XIII	*Elisabeth de Ungaria*	VI *capparum.*	
C		B	XII	*Obdonis abbatis.* IX. LC. *Presentationis virgini marie.*	VI *capparum.*	F
	XIIII	C	XI			
	III	D	X	*Cecilœ virginis et martyris* VI *cap. Octa. S. Eugenii*	IIII *capparum.*	
		E	IX	*Clementis pape et martyris*	VI *capparum.*	
	XI	F	VIII	*Grisogoni martyris*	IX. LC.	
	XIX	G	VII	*Katherine virginis et martyris.*	VI. *capparum.*	
		A	VI			
	VIII	B	V	*Vitalis et agricole. Facundi et Primitive martyrum.*	IX. LC.	
		C	IIII			
	XVI	D	III	*Saturnini martyris.*	VI *cap. Vigilia.*	
	V	E	II	SANCTI ANDREE APOSTOLI	VI *capparum.*	
	Aureus numerus	KL		*December habet dies* XXXI. *Luna* XXX. *Nox habet horas* XVIII. *dies* VI		
	XIII	F	*Decembris.*	*Sancti Eligii episcopi et confessoris*	IX. LC.	
	II	G	IIII	*Sancte Anastasie virginis*	IX. LC.	
		A	III			
	X	B	II	*Barbare virginis et martyris*	VI *capparum.*	
		C	*Nonas*			
	XVIII	D	VIII	NICHOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS.	VI *capparum.*	
	VII	E	VII	*Octava sancti Andree*	IIII *capparum.*	
		F	VI	*Conceptio virginis Marie*	VI *capparum.*	
	XV	G	V	*Leocadie virginis*	VI *capparum.*	
	IIII	A	IIII	EULALIE VIRGINIS ET MARTYRIS.	IX. LC.	

Ex Missali Mozarab. ex impresso. D

	B III	*Damasi pape*	IX. LC.
XII	C II	*Eugenie virginis*	IX. LC.
I	D *Idus*	*Lucie virginis et martyris*	VI *capparum.*
	E XIX	*KLS Januarii.* [*Justi et Abundi martyrum.*	IX. LC.]
IX	F XVIII	*Octava conceptionis sancte Marie*	IIII *capparum.*
	G XVII	*Octava sancte Leocadie*	IIII *capparum.*
XVII	A XVI		
VI	B XV	Anunciatio sancte Marie de la O	VI *capparum.*
XIIII	D XIII	[*Dominici abbatis.*] *Vigilia.*	IIII *capparum.*
III	E XII	Thome apostoli	VI *capparum.*
XI	F XI	[*Translatio sancti Yssidori*	IIII *cap.*]
	G X		
XIX	A IX	*vigilia*	
	B VIII	Nativitas domini nostri Jesu Christi.	VI *capparum.*
XIIII	C VII	Stephani martyris	VI *capparum.*
	D VI	Johannis apostoli et euangeliste	VI *capparum.*
XVI	E V	Santorum innocentum	VI *capparum.*
V	F IIII	*Thome archiepiscopi et martyris*	IIII *capparum.*
	G III	*Translatio sancti Jacobi apostoli*	VI *capparum.*
XIII	A II	*Silvestri pa. et conf.* IIII *cap. Columbe virg.*	IX. LC.

Hactenus Kalendarium hodiernum, immane quantum genuinis antiquitatis characteribus discrepans ab alio, cujus specimen dedimus. Quomodo autem, quibus in locis, quibus Sanctis, et cujus auctoritate, progressu temporis accreverit illud antiquissimum, non est promptum definire. Nullus interea dubito, quin cum incremento temporis, paulatim ac gradatim incrementum aliorum atque
B aliorum ei accesserit Sanctorum; prout in aliis Martyrologiis usuvenisse, notissimum est. Quibus E
demum Sanctis novi rursum seculo decimo quarto vel decimo quinto forte adscripti sint; unde modernis Missalis excusi tabulis adjecti postmodum typis fuerint. Res declaretur exemplis. Die VII Martii signatur *S. Thoma de Aquino.* Die XXIX Aprilis, *S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum.* Die XIII Junii *S. Antonius de Padua.* V Augusti *Dominici confes. de Ordine Prædicatorum.* XII ejusdem, *Claræ Virginis de Ordine Minorum.* VIII Octobris *Francisci Confessoris.* Atque hæc paucula pro re sint satis.

§ IX. *Præparatio proxima sacerdotis ante Missam; ejusdem idea, ac cæremoniarum descriptio.*

Quidnam observet sacerdos antequam se vestiat,

Erit sine dubio non ingratum lectoribus, si dicatur, quænam præparatio proxima præscribatur sacerdoti ante Missam. Edmundus Martene lib. 1 De antiquis Ecclesiæ ritibus, cap. 4, art. 12, postquam ex Missali Mozarabum Ximeniano protulisset Missam in Dominica prima Adventus, ex eodem Missali ista in rem nostram subjungit: *Quando præparatus sit sacerdos ad Missam celebrandam, ingressus ad sacrarium lavet manus, dicendo: Ore-*
C *mus. Largire sensibus nostris quæsumus, Domine, omnipotens Pater, ut sicut exterius inquinamenta manuum abluuntur; sic per te mentium sordes misericorditer emundentur, et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Christum Dominum.* Deinde ibidem sequuntur ista: *Postea flectat genua coram vestibus, et dicat quater Ave Maria, et de intimo corde commendet se gloriosæ virgini Mariæ, ut offerat illum acceptabile mysterium Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto, et ut ipsam in hoc Sacrificio mediatricem et adjutricem habeat. Deinde muniat se signo crucis, et super quamlibet vestem dicat: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Orationes, quas recitat sacerdos ad singulas vestes sacras (videlicet amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam atque casulam) quando eas induit, fere coincidunt cum nostris.

et quando jam est vestitus.

448 Sacerdoti autem vestibus jam induto præscribuntur ista: ℟. *Pater peccavi in cælum et coram te, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* ℣. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo: surgam et ibo ad Patrem meum, et dicam ei. P. Fac me sicut. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* ℣. *Ab occultis meis munda me, Domine.* ℟. *Et ab alienis parce servo tuo.* ℣. *Domine, exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus. Oremus. Deus, qui de indignis dignos, de peccatoribus justos, et de immundis facis mundos; munda cor meum et corpus meum ab omni sorde, et cogitatione peccati, et fac me dignum ac strenuum sanctis altaribus tuis ministrum, et præsta, ut in hoc altari, ad quod indignus accedere præsumo, acceptabiles tibi hostias offeram pro peccatis et offensionibus, et innumeris quotidianis meis excessibus, et pro peccatis omnium viventium et defunctorum fidelium, et eorum, qui se meis commendaverunt orationibus: et per eum tibi meum sit acceptabile votum, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium, qui est omnium* F
opifex, et solus sine peccati macula pontifex Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit. Hæc apud Martenium de præparatione proxima sacerdotis ante Missam; nunc compendiosam ipsius Missæ ac cæremoniarum ejus descriptionem subjicio.

Confessio generalis,

449 Apud Aguirrium loco citato a pag. 264 rursum ex Roblesii Hispanico notantur sequentia: *Sacrum Muz-arabicum pietate refertum est, eximioque ordine constitutum, nec, ut vulgus opinatur, inverso atque præpostere celebratur. Initio dicitur confessio generalis, cum psalmo Judica me Deus. Reliqua vero usque ad introitum conveniunt cum Officio Toletano antiquo, cujus usus frequens erat et receptus, cum typis mandata fuere Missalia, opera Illustrissimi Cardinalis et Archiepiscopi Toletani Francisci Ximenis Cisnerii, conservatoris hujus sancti Officii Gotthici. Confessione vero et adoratione crucis peracta, et apertis sacris pulvinaribus (pro quibus singulis propriæ*

A *propriæ habentur orationes juxta Officium Toletanum) dicit sacerdos : Adjutorium nostrum in nomine Domini etc. Et, Sit nomen Domini benedictum; dicitque consequenter Missæ introitum ad imitationem Officii Romani.*

Introitus, Psallendum, Epistola,

450 *Introitus autem iste bis profertur; semel quidem ante Gloria et honor Patri; deinde post hæc verba prolata. Die Dominica Adventus S. Joannis Baptistæ, non dicitur Gloria in Missa; verum ejus loco subit Canticum Benedictus Dominus Deus Israël etc.; sed alii diebus post dictum Gloria, recitatur oratio absque prævio Oremus : cui respondetur, Amen; idemque fit in reliquis orationibus, ut dictum est. Hac oratione recitata sacerdos dicens, Per misericordiam tuam etc., ad medium altaris progreditur, illicque constitutus ait : Dominus sit semper vobiscum; legitque Prophetiam, respondeturque inscriptioni, quæ prælegitur, Deo gratias; et sub finem, Amen; pronuntiaturque vaticinium in quocumque Sacro, quamvis admodum solenni, nullo penitus excepto. Postea, iterato Dominus sit semper vobiscum, canitur, aut profertur, Psallendum; quod* B *idem pene est atque Responsum, non dispar Graduali Officii Latini. Eo vero absoluto, sacerdos aut diaconus petit ab adstantibus, ut attentos sese præbeant, his verbis : Silentium facite. Hoc in loco diaconus Epistolam legit, quæ in Missa Muzarabica sic incipit : Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos. Respondeturque : Deo gratias. Et ad calcem; Amen, ut jam a nobis dictum est.*

Evangelium, Ordinarium Missæ, oblatio :

451 *Perlecta Epistola, petit sacerdos submisse benedictionem ordinariam ad Evangelium recitandum, interimque Missale transfertur ad latus Evangelii, incipitque cum his verbis : Lectio S. Evangelii secundum Joannem vel Marcum etc. In fine vero respondetur, Amen. Post Evangelium sacerdos ait, Dominus sit semper vobiscum, cum Laude et Alleluia post Graduale aut Evangelium, sicut in Officio Muz-arabico post illud hoc in loco profertur. Quo vero tempore legitur Evangelium, apponitur lateri Epistolæ libellus continens partem Missalis, inscribiturque, Omnium offerentium, complectiturque omnes orationes, et reliqua, quæ communiter dicuntur in omnibus Sacris; idque censeri debet ejusdem rationis, ac in Officio Latino, Ordinarium Missæ. Hoc suppo-* C *sito, dictoque Alleluia, offert Sacerdos Hostiam, dicens orationem, imponitque sacro pulvinari patenam cum Hostia. Numquam vero integræ Missæ spatio collocatur Hostia (nec ante, nec post consecrationem) supra pulvinar, imo semper supra patenam. Oblata Hostia sacerdos signo crucis calicem munit, et cum alia oratione illam offert; deinde cum alia oratione imponit ei amiculum, statimque inclinato capite, profert hanc orationem, In spiritu humilitatis etc. Qua recitata dicit : Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, et orate pro me ad Deum. Quod quidem respondet his verbis, Orate fratres, in Officio Latino dici solitis. Protinus immediate dicit sacerdos verba Sacrificii, quæ etiam canuntur in choro, idque conferri potest cum oblatione Officii Latini. Huc usque antiquitus vocatur Missa Catechumenorum, qui non prohibebantur adesse, donec fieret oblatio; abesse vero, dum reliqua fierent, jubebantur.*

propriæ Sacrificio Mozarabico orationes, earumque distributio.

452 *Exactis iis, quæ præcensuimus, manus abluit, dicens psalmum : Lavabo inter innocentes, manus meus. Quo absoluto, signum crucis oblato calici superindit, et inclinans sese, orationem pronuntiat, qua Deum rogat, ut ei spiritum non deneget, linguamque liberam, et cor purum ad celebrandum Sacrificium largiatur. Quæ deinceps fiunt, magis huic Sacrificio propria censentur; quod ab hoc loco cum quibusdam orationibus inchoatur; quarum prima nomen Missæ sortitur : eam vero præcedit, Dominus sit semper vobiscum, quæ quidem verba viam quasi parant, et muniunt tum ad hanc orationem, tum ad subsequentes. Secunda vocatur Alia oratio. Tertia, Post nomina. Quarta ad pacem. Quinta Post Sanctus. Sexta Post pridie; distributæque sunt ordine sequenti.*

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM.

Oratio 1, quæ Missa vocatur :

Post primam orationem, quæ Missa vocatur, sacerdos Supplicationem pronuntiat, cujus initium est : Oremus sanctam Ecclesiam Catholicam. Ad hæc populus Deo laudes occinit, dicens : Hagios, Hagios, Hagios. In ea vero Supplicatione sacerdos populum monet, ut Deo necessitates Ecclesiæ commendet, nec non infirmos, captivos in carcere detentos, peregrinos, respondetque chorus : Præsta æterne, omnipotens Deus. Consequenter dicitur oratio secunda; quæ Alia appellatur : in qua a Deo enixe petitur, ut preces Christianorum fidelium admittat : desinitque hæc oratio in hæc verba : Per misericordiam tuam, Deus noster, in cujus conspectu sanctorum Apostolorum E *et Martyrum etc.;*

oratio 2, seu Alia :

commemorationes Sanctorum, ac Defunctorum fidelium :

453 *Statimque adjicitur : Offerunt Deo Domino oblationem sacerdotes nostri, Papa Romensis, etc. Hinc immediate profert sacerdos : Facientes commemorationem beatissimorum etc.; illicque fit mentio sacratissimæ Virginis, et Apostolorum, et Martyrum, et nomina quorumdam recensentur, sicut in Officio Romano in Canone Missæ. Notandum vero est, in Officio Romano Sanctorum nomina submissa voce proferri; secus vero in Muzarabico; et cum Missa canitur, omnia cantantur. Post præfatam Martyrum mentionem, fit commemoratio Defunctorum, qui æterna pace fruuntur, in his verbis : Item pro spiritibus pausantium. Et quamvis id non sit memento Defunctorum, quia fit multo post tempore; convenit tamen aliquatenus cum Memento Officii Latini, præcipueque circa hæc verba : Et dormiunt in somno pacis. Hac in commemoratione nominatim fit mentio quorumdam Archiepiscoporum, primorum scilicet, qui præfuere Ecclesiæ Toletanæ, postquam e manibus Afrorum erepta est civitas Toletana, ut sunt Bernardus, Regmundus *, Joannes, Cerebrunus, Gundisalvus etc.*

* Reymundus, Raymundus, F

oratio 3, quæ post nomina dicitur, item 4. Ad pacem vocata

454 *Hinc oratio tertia sequitur, quam Post nomina vocamus, qua petitur a Deo, ut pacem Defunctis fidelibus impertiat, desinitque in hæc verba : Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium Defunctorum. Sequitur oratio quarta, quæ Ad pacem appellatur, qua petitur a Deo pax et charitas pro fidelibus omnibus Christianis, specialiter vero pro iis, qui tunc temporis Sacrificio intersunt. Et quoniam fideles omnes antiquitus cum sacerdote communicabant, utique recordetur quilibet divini præcepti, quo jubemur reconciliari fratribus nostris, imo eam ob causam dimittere munus ad altare, ut Evangelium monet : ideo antequam fiat elevatio, pax datur in Officio Muz-arabico. Hac oratione recitata, cum his ad finem verqis : Quia tu es vera pax nostra; et charitas indisrupta etc., sacerdos divinum sanctissimæ Trinitatis auxilium invocans, his verbis : Gratia Dei Patris omnipotentis etc., pacem impertit, inquiens : Qui modo astatis, pacem facite. Et cum datur osculum, ait : Habete osculum*

Ex editis apud Aguirrium.

lum dilectionis, et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. Ob præfatas autem rationes pax præbetur in Officio Muz-arabico ante consecrationem, et elevationem. In eoque non parum differt Officium Muz-arabicum a Latino; dumque Pax populo osculanda porrigitur, canit chorus : Pacem meam do vobis; pacem relinquo vobis etc. Novum mandatum do vobis.

Præfatio seu Illatio

455 *Deinde dicitur Præfatio, quam Inlationem vocant, eaque præcedit præcipuam Missæ Sacrificii partem; nimirum eam, quæ ad consecrationem pertinet, estque veluti Canon hujus Missæ Muz-arabicæ. In ea vero Præfatione populus monetur circa mysterium, de quo Missa celebratur, vel, ut Sancti vestigiis, cujus fit commemoratio, diligenter insistat. Illic vero circa principium versus quidam sunt, Præfationi Latinæ Missæ aliquatenus respondentes. Primo dicitur: Introibo ad altare Dei mei; confestimque expansis manibus, tametsi junctis, sicuti eas componit sacerdos in Officio Romano, cum dicit : Hanc igitur oblationem; Muz-arabicus sacerdos ait; Aures ad Dominum. Cui respondetur : Habemus ad Dominum; moxque dicit : Sursum corda; respondeturque : Levemus ad Dominum. Tum loco verborum : Gratias agamus Domino Deo nostro; quæ habentur in Officio Latino, dicitur : Deo ac Domino nostro Jesu Christo, Filio Dei, qui est in cœlis, dignas laudes, dignasque gratias referamus. Respondeturque : Dignum et justum est.*

B

oratio 4, post Sanctus Canon consecratio ;

456 *Tandem concluditur hæc Illatio cum his laudibus angelicis : Sanctus, Sanctus, Sanctus; absolviturque cum his verbis : Hagios, Hagios, Kyrie, o Theos. Sequitur deinceps quarta oratio, vocata Post sanctus; cujus initium solet esse : vere sanctus, vere benedictus, Osanna in excelsis; finis autem, Redemptor æterne. Huic orationi non respondetur, Amen; quia continuatur cum sacro Canone Missæ, et in festis sex aut quatuor trabearum, et in Dominicis et Octavis dicitur hæc oratio, et sexta, quæ inscribitur Post pridie, voce submissa, contra vero in ceteris. Illico sacerdos inchoat sacrum Canonem, cum his verbis : Adesto, adesto, Jesu bone, pontifex in medio nostri; statimque consecrat; et quamvis verum sit, potuisse sacerdotes Muz-arabes sese addicere verbis, quæ apud Evangelistas habentur, et cum iis consecrare, quia sunt propria Officii Gotthici verba, quamvis aliqua ex parte ab iis, quibus utitur ecclesia Romana, differant; tamen id idem recidunt, eumdemque sensum habent. Verum hodierna die attexitur margini Missalis charta agglutinata, in qua verba Officii Romani, quibus nunc Muzarabes semper uti solent, continentur.*

C

elevatio oratio sexta Post pridie :

457 *Dum consecrat sacerdos, populo Hostiam, deinde calicem exhibet coopertum amiculo juxta usum antiquum Toleti, dicens. Quotiescumque manducaveritis, dum exhibetur Hostia; dum vero calix : biberitis; hoc facite in meam commemorationem. Hisque respondetur : Amen alta voce, si festum minus solemne fuerit; sin magis, submissa. Dum fit elevatio, dicitur oratio sexta, vocata Post pridie, quæ desinit in hæc verba : Te præstantissime *, sancte Domine, qui * hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas etc.; Quæ non mediocriter referunt hæc in Officio Gregoriano contenta; Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas etc. Deinde sacerdos dividit calicem suo amiculo, huicque imponit sanctissimum Sacramentum, nec omittitur ab eo antiphona, quæ Ad confractionem panis dicitur: hinc Hostiam postremam elevat, non elevato tamen calice, juxta antiquum Toletanæ ecclesiæ usum.*

* præstante
* al. quia tu


D

Symbolum fidei, confractio Hostiæ in novem particulas,

458 *In festis duplicibus, annique Dominicis sacerdos loco Antiphonæ ad confractionem panis, ait : Dominus sit semper vobiscum; statimque subdit : Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus. Tunc Sacramentum præ manibus habens supra calicem saserdos, quem chorus hac in parte comitatur, recitat Symbolum Apostolorum*: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem etc. Et quia multi simul Symbolum recitant, ideo dicunt, Credimus, non Credo; sicut in Officio Romano observatur. Est autem locus hic admodum proprius ad fidem profitendam, cum adoratione veri corporis Domini nostri. Symbolo Apostolorum recitato; vel dum in choro illud absolvitur, frangit Hostiam sacerdos, et patenæ imponit; neque tantum in tres partes eam dividit, ut mos est Officii Latini; verum in novem eam discepit, secundum præcipua novem Fidei nostræ mysteria, in Symbolo, quod absolvitur, contenta : dumque singulas partes frangit, ad earum quamlibet mysterii plena quædam verba profert, illasque eo, quem dicturi sumus, ordine, in patena disponit.*

* seu potius Constantinopolitanum :

E



commemoratio vivorum, oratio Dominica.

459 *Notandum, verbum hoc Corporationis, non differre ab Incarnatione; Apparitionem idem esse cum Epiphania; reliqua vero explicatione non indigent. Fracta Hostia, sacerdos Sacramentum respiciens, meminit viventium, et in eo Memento, quod profert, omnes fideles Christianos Christo commendat; nominatim vero eos, qui Sacro tunc intersunt. Commemoratione peracta, dicit sacerdos : Oremus, cum oratione una, quæ proprie Capitulum dici potest; estque quasi præfatio quædam, et via ad Dominicam orationem, non discrepans ab ea, quæ in Officio Romano incipit : Oremus, Præceptis salutaribus moniti etc. Præfatio vero hæc orationi Dominicæ connectitur, et sub eorum finem respondetur. Amen, ut superius dictum est : Liberati a malo et confirmati semper in bono etc. Cum vero ait sacerdos : Pone, Domine, finem peccatis nostris; pectus semel percutit. Respondent autem hæc verba iis, quæ in Officio Gregoriano habentur, Nobis quoque peccatoribus.*

F

Singulare aliquid tempore Paschali; præparatio ad benedictionem sacerdotis,

460 *His dictis, sacerdos ultimam partium patenæ impositarum, Regnum appellatam accipit, ordine et modo prædictis, dicensque hæc verba : Sancta sanctis; et conjunctio corporis, et sanguinis etc., calici injicit, eaque sanguini tunc commiscetur. Res autem notatu dignissima istic observatur, quod scilicet a Paschate ad Pentecosten, et in festo Corporis Christi, sacerdos in manibus habens, tenensque supra calicem præfatam particulans*

culans

A *culam Regnum; ter alta voce effert, quasi canens hæc verba, quæ Christo, quasi mortis victori celeberrimo gratulari videntur : Vicit leo, de tribu Juda, radix David; quibus respondetur singulis vicibus : Qui sedes super Cherubim, rex David, Alleluia. Statim vero sacerdos aut diaconus populum hortatur, ut humilitatem exhibeat in benedictione suscipienda, his verbis : Humiliate vos benedictioni. Sacerdos vero eam impertit cum tribus ordinariis petitionibus, quarum cuilibet repondetur, Amen, ut in majoribus Horis dictum est.* Vide, quæ de hac benedictione superius cap. 3, § 2, num. 106, ex canone 18 concilii Toletani IV præmissa sunt.

atque ad communionem fidelium.

461 *Absoluta benedictione, sacerdos ait : Dominus sit semper vobiscum; subitoque canitur in choro Responsum, quod vocatur, Ad accedentes. In eo vero monentur fideles, qui sunt communicaturi, ut accuratissime perpendant, quem cibum suscepturi sint. Id autem fit his verbis : Gustate et videte, quam suavis est Dominus, Alleluia, Alleluia. Quæ quidem verba decerpta sunt ex psalmo, Benedicam Domino in omne tempore. Notandum vero est, quod loco Responsi, vocati*
B *Ad accedentes (quod quidem nihil aliud est, quam exhortatio ad communionem) in Sacris, quæ pro Defunctis et, Quadragesimæ tempore celebrantur, dicitur aliud, cujus initium est : Qui venit ad me, non esuriet etc.*

Communio sacerdotis etc.

462 *Responso prolato, sacerdos inquit : Panem cœlestem de mensa Domini accipiam. Tum penultimam particulam, cui nomen Gloria, accipiens; quam ea de causa sacerdos majorem ceteris relinquit, eamque tenens supra calicem, mentionem facit defunctorum; quo peracto, effert orationem particularem pro susceptione Dominici corporis, et sanguinis; hisque piis sermonibus prolatis, Ave in ævum sanctissima caro Christi, in perpetuum summa dulcedo, ter pectus percutit juxta ritum veteris Officii Toletani, dicens : Domine non sum dignns. His dictis, particulam, quam præ manibus habet, suscipit, ceterasque suo ordine, primo sumens eas, quæ postremæ fuerunt in patena, statimque populo communionem largitur. Consumptis ordine particulis, dicendo, Ave in ævum cœlestis potus, qui mihi ante omnia, et super omnia dulcis es, sanguinem suscipit, aliamque dicens orationem, lavat. Postea canitur*
C *aut recitatur antiphona, Refecti Christi corpore et sanguine, te laudamus Domine, Alleluia, Alleluia, Alleluia. In cujus locum Quadragesimæ tempore, et in Missis, quæ pro defunctis celebrantur, substituitur ista : Repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Quæ quidem verba præ se ferunt quamdam gratiarum actionem ob susceptum Dominicum corpus.*

Subduntur reliqua usque ad finem.

463 *Deinde aufertur libellus Omnium offerentium, pars nimirum Missæ, de qua supra verba fecimus, transferturque Missale ad latus Epistolæ, post populi communionem. Tunc sacerdos recitat postremam orationem, quæ post communionem * vocatur in Officio Romano. Finis vero hujus orationis est : Per misericordiam tuam etc. Hinc constitutus sacerdos in medio altaris, ait : Dominus sit semper vobiscum : loco vero horum verborum : Ita Missa est, quæ proferuntur in Officio Romano, dicitur in Officio Muz-arabico, quando duplicia festa solenniora contingunt, Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi; votum nostrum sit acceptum cum pace, In festis autem minus solennibus dicitur; Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi; perficiamus cum pace. Respondeturque, Deo gratias. Absoluta Missa sacerdos genibus flexis juxta altare recitat Salve Regina cum oratione sua juxta ritum veterem Toletanum. Deinde deosculato altari convertit se ad populum; notatuque dignum est, numquam tempore Sacrificii sacerdotem ad populum sese convertere, nisi ea hora et vice. Conversus autem sacerdos ad populum, largitur ei benedictionem his verbis : In unitate sancti Spiritus benedicat vos Pater, et Filius, Amen. Tunc omnino cessans, nec amplius verbum ullum efferens, statim pergit ad adytum, ubi ornamenta deponit.*

* Postcommunio

EX EDITIS APUD AGUIRREUM.

§ X. *Missale Offerentium usque ad orationem Post nomina.*

Præmissis circa textum hic dandum

Missæ Mozarabicæ ideæ, ac cæremoniarum ejus descriptioni subnectantur nunc orationes ac reliqua, in ejusdem Missæ decursu adhi-
E beri consueta; quæ *Ordinarium* istius sacræ liturgiæ vocari possunt, continentque eam Missalis partem, quæ *Omnium offerentium* dicitur; de qua re superius num. 451; et in annotatis, huic paragrapho proxime subnexis lit. *l.* Postquam aliquod prædicti argumenti exemplar mense Januario anni 1722 Toleti transcripsissem, accessus mihi eodem mense patuit ad duos Mozarabes sacerdotes, nimirum reverendos admodum DD. Eugenium de las Infantas, superius laudatum, et Franciscum Fernandez Vela, sacellanum et archivistam sacelli Corporis Christi; qui accessus ad hoc mihi profuit, ut nonnullas circa rem præsentem instructiunculas acciperem, et annotarem; postmodum in decursu usui mihi futuras, atque textui libri Missalis Offerentium interserendas hoc et sequente §.

nonnullis observatiunculis,

465 Locus etiam dabitur aliis annotatis, seorsim textui subjungendis; quæ partim desumentur ex Tabula, Toleti per Patrum Rodriguez anno 1593 cum approbationibus impressa, et a Laudato Francisco de Pisa Hispanice in lucem edita; in qua præcipuarum partium ac cæremoniarum Missæ Mozarabicæ seu Gothicæ ratio datur. Quia vero nullum exemplar in promptu erat, F
quod nobiscum asportare liceret in Belgium; pro aliquo ejusdem transumpto seu apographo supplicatum fuit apud amplissimum ac colendissimum nobis virum, ac dominum D. Bernardum Ossorio de Velasco, ecclesiæ metropolitanæ Toletanæ canonicum : qui cumulatissimis officiis, et propensissimæ erga nos voluntatis affectui, in nostra commoratione Toletana nobis exhibitis, hoc etiam beneficium pro sua singulari humanitate superaddendum censuit, ut noluerit laborem illum alteri imperare; sed ipsemet nostra eum gratia suscipere, totamque istam Tabulam sua ipse manu transcribere non sit gravatus. Partim, inquam, annotata nostra inde; partim etiam aliunde desumentur.

pro instructione lectoris, re ipsa profertur.

466 Ritus autem ac cæremoniæ Missæ Mozarabicæ videntur Francisco Pisæ in Tabula paullo ante citata, generatim loquendo, originem ac principium accepisse a Missa, quam Apostolus Jacobus, cognomento Justus, ordinavit pro sua ecclesia Hierosolymitana; in qua Missa diaconus dicebat : *Osculamini invicem in osculo sancto.* Et sacerdos

EX TOLETANO EXEMPLARI.

sacerdos orationem : *Sancta sanctis*; nec non exhortationem ad illos, qui erant communicaturi : *Gustate, et videte* etc.; citatque Pisa Baronium Annal. eccl. tom. I, ad annum Christi 63; volens. has res, aliasque perseverasse in isto Officio. Et in his ipsis, et aliis multis Missam Gothicam similem esse addit liturgiæ Græcæ S. Basilii ac S. Joannis Chrysostomi. Verum cap. I, § I hujus Tractatus, origo Missæ veteris Hispanicæ relata fuit ad S. Petrum Apostolum, ubi et de aliis ipsius in hac re adjutoribus actum. Porro obscura adeo atque incerta sunt (juxta dicta § 2 et seqq.) quæ quatuor primis Christi seculis, cum de aliis liturgiis, tum de Hispanica inquiruntur, ut nihil ex illis elici posse videatur adeo sincerum, purum ac genuinum, quod in qualitate ac quantitate rituum Sacrificio eucharistico accidentium faciat satis. Quod ad liturgias Græcas attinet; vide an tibi probentur, quæ eodem capite præmisimus a § 3. Interim cum juxta capitis 2, § 3, liturgia Romano-Hispanica ex Orientali commixta fuisse videatur; credibile est, varios ex Orientali in Hispanicam ritus
B quondam immigrasse. Lectore de his præmonito, ipsum nunc Ordinarium Missæ Mozarabicæ exemplar subdo.

Dicenda in accessu,

467 Quando sacerdos accedit ad altare ad celebrandum Missam, dicit : *Ave Maria. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Sancti Spiritus adsit nobis gratia.* ℣. *Introibo ad altare Dei* ℟. *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Posteat dicit totum psalmum, *Judica me Deus, cum Gloria Patri.* Et iterum dicit : *Et introibo ad altare Dei.* ℣. *Dignare, Domine, die isto.* ℟. *Sine peccato nos custodire.* ℣. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* ℟. *Quonium in seculum misericordia ejus.* ℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.* ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Confessio. *Confiteor omnipotenti Deo, et beate Mariæ Virgini, et sanctis Apostolis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, et vobis, fratres, manifesto, me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, locutione, ope et omissione, mea culpa, mea culpa, gravissima mea culpa. Ideo precor beatissimam Virginem Mariam, et omnes Sanctos, et Sanctas, et vos, fratres, orare pro me.*

Absolutio : *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, abso-*
C *lutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum cum emendatione morum et vitæ, per gratiam sancti Spiritus, tribuat vobis misericors Dominus. Amen.* ℣. *Deus, tu conversus vivificabis nos.* ℟. *Et plebs tua lætabitur in te.* ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam* ℟. *Et salutare tuum da nobis* ℣. *Sacerdotes tui induant justitiam.* ℟. *Et sancti tui exultent.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣ *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Aufer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, et spiritum superbiæ, et elationis, cui resistis; et reple nos spiritu timoris, et da nobis cor contritum et humiliatum, quod non spernis, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

468 Et statim accedit ad altare, et facit sacerdos crucem super aram dicens : *In nomine pa*†*tris, et Filii, et Sqiritus sancti. Amen.* Quando D
et in ascensu altaris :
osculatur aram, dicit : *Salve crux pretiosa, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tamquam margaritis ornata. Salva præsentem catervam, in tuis laudibus jugiter congregatam.* ℣. *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.* ℟. *Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Oremus : Exaudi nos Deus, salutaris noster, et per triumphum sanctæ Crucis a cunctis nos defende periculis. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.*

oratio in extensione corporalium, mundatione calicis,

469 Ad extendendum corporalia, dicit sacernos sequentem orationem : *In tuo conspectu, quæsumus Domine, hæc nostro munera, placita sint, ut nos tibi placere valeamus. Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens in prælio : Dominus virtutum ipse Rex gloriæ.* Mundando calicem dicit : *Dignare, Domine, mundare vas istud, in quo sumere pretiosum sanctum corpus tuum valeam. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum.* E

infusione vini et aquæ, ac positione Hostiæ in patena.

470 Quando ponit vinum, dicit orationem : *Misce, quæsumus, Domine, in calice isto, quod manavit ex latere tuo, ut fiat in remissionem peccatorum nostrorum. Amen.* Ad benedictionem aquæ dicat minister : *Jube Domne benedicere.* Sacerdos dicit : *Ab illo benedicatur, cujus Spiritus super aquas ferebatur. In nomine Patris, et Filii* †, *et Spiritus sancti. Amen.* Oratio : *Ex latere Domini nostri Jesu Christi sanguis et aqua exisse perhibentur. Hæc ideo nos pariter commiscemus, ut misericors Deus utrumque ac medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.* Quando ponit Hostiam in patena, dicat sacerdos : *Benedictio Dei Patris* † *omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti descendat super hanc Hostiam, tibi, Deo Patri ,infferendam. Amen.* Postea sacerdos accendens ad cornu Epistolæ, et benedicens se, dicit : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum et terram.* ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc et usque in seculum* a.

Introitus, Gloria in excelsis etc.

471 Sequitur Introitus, estque proprius vel communis, OFFICIUM b dictus, habeturque in Missali. Quo finito dicit sacerdos, quod sequitur : *Per omnia semper secula seculorum.* Et prosequitcr, dicens : *Gloria in excelsis Deo; et in terra pax hominibus bonæ voluntatis : Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens, Domine, Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris; qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus; tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen* d. Et iterum dicit sacerdos : *Per omnia* [*semper*] *secula seculorum.* Deinde subnectitur ORATIO e ex Missali, propria vel communis. Qua finita dicat sacerdos in medio altaris : *Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in secula seculorum,* ℟. *Amen.* Postea dicit : *Dominus sit semper vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Sequitur Prophetia ex Missali, propria

A pria vel communis.

Prophetia, epistola,

Qua finita dicat sacerdos : *Dominus sit semper vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Tum subditur *Psalendum* f, proprium vel commune ex Missali. Quo finito, dicat Diaconus, vel sacerdos, si sit Missa privata etc. : *Silentium facite* g. Epistola ex Missali.

Evangelium, oblatio hostiæ et calicis :

472 Postquam dicta fuerit epistola, celebrans accedit ad medium altaris, ibique dicit : *Conforta me Rex Sanctorum, summum tenens principatum, da sermonem rectum et bene sonantem in os meum, ut placeam tibi, et omnibus circumstantibus.* Inclinet se in medium altaris, dicens : *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in ore meo, et in labiis meis ad pronuntiandum sanctum Evangelium divinum.* Legitur Evangelium ex Missali h. Quo lecto, quando presbyter osculatur librum, dicat : *Ave verbum divinum, reformatio virtutum, restitutio sanitatum.* Postea dicit sacerdos in medio altaris : *Dominus sit semper vobiscum* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde *Alleluia* cum una Laude i vel propria vel communi ex Missali. Dicto *Alleluia*, sacerdos offert Hostiam superpositam patenæ, dicens : *Acceptabilis sit Majestati tuæ, omnipotens æterne Deus, hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris, et pro stabilitate sanctæ, Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus. Per Christum, Dominum nostrum. In nomine Patris* †, *et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Et dimittit patenam super corporalia ; et deinde accipiat calicem benedicendo sic : *In nomine Pa*†*tris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Offerimus tibi, Domine, calicem ad benedicendum sanguinem Christi Filii tui, deprecamurque clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

B

preces pro offerentibus

473 Ponat calicem super aram, et accipiat *filiolam* k sine sanctificatione, et cooperiat calicem, dicens sequentem orationem : *Hanc oblationem, quæsumus domine, placatus admitte, et omnium offerentium* l *eorum* m ; *pro quibus tibi offertur, peccata indulge. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.* Hic dicat presbyter inclinando se, et junctis manibus : *In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te ; et sic fiat Sacrificium nostrum, ut a te suscipiamur hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Veni sancte Spiritus sanctificator,* C *hoc Socrifium de manibus meis tibi præparatum. Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, et orate pro me ad Deum.* Respondetur : *Adjuvet te Pater, et Filius, et Spiritus sanctus* n.

ac pro sacrificante :

474 *Sacrificium* o vel proprium vel commune ex Missali. Hic accipiat aquam in manibus, dicens : *Lavabo*, ut in Romano ; et, accepta aqua, dicat secrete super oblationem cum tribus digitis : *In nomine Patris* †, *et Filii, et Spiritus sancti. Regnas Deus in secula seculorum* ℟. *Amen* p.

Inclinet se sacerdos ante altare, et dicat secreto istam orationem : *Accedam ad te, in humilitate spiritus mei loquar ad te : quia multam spem in fortitudine dedisti mihi. Tu ergo, Fili David, qui revelato mysterio ad nos in carnem venisti, clave crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphim, qui candenti carbone illo, qui de altari tuo sublatus est ; sordentia* (fiat crux in labiis) *labia mea emundet : mentem* (fiat crux in fronte) *enubilet, docendique materiem subministret ;* (hic formetur crux communis) *ut lingua mea, quæ proximorum utilitati per charitatem servit, nec erroris insonet casum, sed veritatis resultet sine fine præconium. Per te, Deus meus ; Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.*

Ex Toletano exemplari.

Missa,

475 Postea presbyter tenens manus expansas super altare, dicit : *Dominus sit semper vobiscum.* Dein subditur Missa q, estque oratio prima, uti num. 452 dictum est ; quæ vocatur Ad Missam, propria vel communis ex Missali ; qua finita dicitur in medio altaris : *Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis et omnia regis in secula seculorum.* ℟. *Amen.* Dicat sacerdos elevando manus : *Oremus.* Chorus respondet : *Agyos, Agyos, Agyos* r, *Domine Deus, Rex æterne, tibi laudes et gratias.* Presbyter dicit : *Ecclesiam sanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide, et spe, et charitate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius respicere, redimere, sanare, et confortare* f *dignetur.* Respondet chorus : *Præsta æterne omnipotens Deus.*

E

Alia oratio, oblatio, commemoratio Sanctorum.

476 Alia oratio t ex Missali, propria vel communis. *Per misericordiam tuam, Deus noster, in cujus conspectu sanctorum Apostolorum et Martyrum, Confessorum atque Virginum nomina recitantur. Amen. Offerunt Deo Domino oblationem sacerdotes nostri, Papa Romensis, et reliqui pro se ; et pro omni clero et plebibus Ecclesiæ, sibimet consignatis, vel pro universa fraternitate. Item offerunt universi presbyteri, diaconi, clerici ac, populi circumstantes, in honorem Sanctorum pro se et suis.* Respondet chorus : *Offerunt pro se, et universa fraternitate.* Dicat sacerdos : *Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum et Martyrum, gloriosæ sanctæ Mariæ virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium; Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ; Bartholomæi, Mathæi, Jacobi, Symonis et Judæ, Matthiæ, Marci et Lucæ* u. Respondet chorus. *Et omnium Martyrum.* Dicit Sacerdos : *Item pro spiritibus pausantium : Illarii* *, *Antanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii. Leandri, Isidori, David, Juliani ; item Juliani* x, *Petri; item Petri, Joannis servi Dei, Visitani, Viventi, Feliei*, Cipriani *, Vincentii, Gerontii, Zachariæ, Cenapoli, Dominici, Justi, Saturnini, Salvati ; item Salvati, Bernardi, Reymundi, Joannis, Celebruni* y, *Gundisalvi, Martini, Roderici, Joannis, Guterii, Santii ; item Santii *, Dominici, Juliani ; item Juliani, Philippi, Stephani, Joannis, item Joannis, Felicis.* Respondet chorus : *Et omnium pausantium* z.

* al. Hilarii Athanasii

F

* al. Felicis

* al. Cypriani

* al. Sancii, item Sancii.

ANNOTATA.

a Ordo dicendi confessionem generalem in principio Missæ, cum suo psalmo, ac versibus adjunctis, non est Mozarabicus, sed desumptus ex Officio Toletano antiquo, uti observat Pisa in Tabula jam citata ; quod Officium recitabatur tempore Cardinalis Ximenii. Idem dicit de introitu sacerdotis ad altare, salutando crucem : *Salve crux pretiosa* ; ac dicendo certos versus, et orationes in aperiendis atque extendendis corporalibus ; nec non in præparanda Hostia et calice ; item *Adjutorium nostrum in nomine Domini* etc. antequam

A antequam incipiat Officium Missæ. *Totum illud conforme esse* dicit *usui Missalis Toletani.* Vide etiam quæ num. 449 ex editis apud Aguirrium præmissa sunt.

b Introitus Missæ vocatur apud Mozarabes *Ad Missam Officium*, notante Bruno pag. 309, Introitum eodem etiam modo appellari in Missalibus Cartusianorum, Carmelitarum, ac Dominicanorum. De Introitu supra num. 450; cujus specimen accipe ex Bruno a pag. 309 citata: *Dominica prima Adventus. Ad Missam Officium. Ecce super montes pedes evangelisantis pacem, Alleluia, et annuntiantis bona, Alleluia. Celebra Juda festivitates tuas, Alleluia, et redde Domino vota tua, Alleluia* ℣. *Dominus dabit verbum evangelisantibus in virtute multa. Ps. Et redde.* ℣. *Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæc. sæc. Amen Ps. Et redde.* Et mox pag. 310 subditur hoc aliud specimen: *Dominico primo in Quadragesima. Ecce nunc tempus acceptabile, Alleluia. Ps. Ecce nunc dies salutis, Alleluia.* ℣. *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se. Ps. Ecce nunc.* ℣. *Gloria et honor...*
B *seculorum.* ℟. *Amen.* De non canendo *Aleluia* in Quadragesima, dixi superius num. 99, ex canone XI concilii Toletani IV; ac proin juxta illud decretum, hic finiri debebat Alleluia pro Missa; additque Brunus ex Mozarabico Breviario, quod soleret etiamnum dici ad Vesperas, quodque non omitteretur, nisi ad Matutinum diei Lunæ; atque adeo, quod tunc initium esset Quadragesimæ: nam Isidorus supra num. 100 dicebat: *Apud nos secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum vel Quadragesimæ, omni tempore canitur Alleluia.*

c Legitur, teste Bruno a pag. 310, in Ordine Missæ, *Gloria in excelsis Deo*, ac *prosequendus a Choro,* hymnus iste in eodem præscribitur *usque in finem per totum annum, præter in Adventum Domini, in Quadragesima, et in diebus feriis.* Porro consuetudinem recitandi in Missa *Gloria in excelsis,* perantiquam esse in Hispania, liquet ex Etherto ac Beaio, qui adversus Elipandum scripsere, atque editi sunt in Bibliotheca Patrum, impressionis Coloniensis, anni 1618, tom. 8; ubi pag. 353 ita dicunt: *Sic in Missa non solum Dominicis diebus, sed etiam quibus-*
C *cumque festivitatibus: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus conclamamus.* Verum inde nihil habetur pro dicta mox exceptione; quæ, prout observat Brunus pag. 311, expressius notatur in Dominica prima Adventus hisce terminis: *In Adventu Domini non dicimus Gloria in excelsis, Dominicis diebus et feriis;* additque idem auctor, istas rubricas ad verbum quidem depromptas esse ex Missali Toletano: sed ritui Mozarabico esse oppositas; secundum quem dicatur *Gloria in excelsis* tempore Adventus; id quod probat ex oratione in Dominica prima Adventus, quæ post istam rubricam relicta est, videlicet: *Deus, qui per angelicos choros Adventum Filii tui.. annuntiare voluisti; qui per angelorum præconia Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, adclamantibus demonstrasti; concede* etc. Verum an illud, ut volebat Brunus, pugnet cum rubrica, decidendum Mozarabibus relinquo; nam aliud est, memoriam facere in oratione aliqua de istius hymni initio; aliud, eumdem hymnum integre recitare. Rubrica denique primæ Dominicæ Quadragesimæ, prout advertit memoratus auctor, præscribit, ut *dicatur* D
Gloria in excelsis, simulque ea ostendit, quod *Gloria in excelsis* dicatur ista prima Dominica Quadragesimæ, qua conservatus fuit usus *Alleluiarum,* ut ita loquar; quodque jejunium non inciperet juxta ritum Mozarabicum, nisi die Lunæ; sicut Mediolani.

d Hymnum hunc, qui est in Ordine Missæ, extractum esse ex Missali Toletano, notat Brunus pag. 310; et proinde totus cum nostro, inquit, coincidit; sed addit, in Breviario Mozarabico, aliquot vocibus auctiorem inveniri, quam in Romano; inter *Glorificamus te,* et *Gratias agimus,* interponi, *Hymnum dicimus tibi;* et post *unigenite Jesu Christe,* addi *Altissime;* denique loco *magnam gloriam tuam,* dici *Gloriam tuam magnam,* pout Cartusienses id etiamnum hodiedum dicere, affirmat.

e Hæc prima Missæ (Catechumenorum, juxta dicenda infra lit. *q*) oratio est, et quasi Collecta; ad quam non dicitur, *Dominus sit semper vobiscum,* nec *Oremus:* quia *Dominus sit semper vobiscum* magis repetitur et usitatur pro præparatione illarum rerum, quæ in choro canuntur; quales sunt Prophetia, Psallendum et Al- E
leluia, et multæ aliæ; quam pro illis, quas sacerdos debet cantare; prout ex Pisa habemus; et addit, *Dominus sit semper vobiscum* dici in principio sex orationum Sacrificii; *Oremus* autem in solis duobus Missæ locis adhiberi; neque sacerdotem convertere vultum ad populum in isto loco, neque in tota Missa. Hoc tamen videtur intelligendum accommode, si cupis illud conciliare cum dicendis infra in fine paragraphi XI, et ibi a me additis juxta instructionem, quam acceperam: *Non facit circulum, neque se invertit ad populum toto tempore Missæ, nisi quando dat Benedictionem.* Quæ consentiunt cum dictis supra num. 463 ex editis apud Aguirrium: *Deinde deosculato altari convertit se ad populum; notatuque dignum est, numquam tempore sacrificii sacerdotem ad populum sese convertere, nisi ea hora et vice. Conversus autem sacerdos ad populum, largitur ei benedictionem* etc.

f Notio ejus supra datur num. 450; sed observat Pisa, illud cantari a Choro, dum dicitur Prophetia.

g Conforme hoc est S. Isidoro Hispalensi, F
qui De eccles. Offic. lib. I, cap. 10 sic habet: *Est... lectio non parva audientium ædificatio. Unde oportet, ut, quando psallitur, ab omnibus psallatur: cum oratur, oretur ab omnibus: quando lectio legitur,* FACTO SILENTIO, *æque audiatur a cunctis.*

h Concilium Valentinum in Hispania, quod exstat apud Labbeum tom. 4, a col. 1617, et innectitur anno Domini 524, capitulo I præscribit, *ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem, vel Missam* * *catechumenorum, in* * in Missa
ordine lectionum, post Apostolum legantur. Porro quid lectioni Epistolæ uti et Euangelii præmittatur, quid ad finem respondeatur, habes supra num. 451. Observat Brunus pag. 315, quod postquam sacerdos dixit, *Lectio S. Evangelii secundum N.,* Chorus respondeat, *Gloria tibi Domine.* Ratio hic est habenda eorum, quæ Etherius ac Beatus memorant loco supra citato: *Cum Evangelium a Levita super altare levatur, a Levita primum dicitur: Laus tibi; et ab omnibus respondetur: Laus tibi Domine Jesu Christe, rex æternæ gloriæ. Præcedente Evangelium cereorum lumine,*

A *lumine, in signo gaudii et lætitiæ, eo quod tale nuntium diaconus, id est Euangelium Domini nostri Jesu Christi, clara voce populo habet intonare. Tunc silentium omnibus imperat, et dicit: Lectio sancti Euangelii secundum Matthæum; aut quemlibet ex tribus. Respondetur ab omni populo: Gloria tibi Domine.*

i Locus iste illustratur ex dictis superius pag. 20, a num. 101.

k Hispanice *la hijuela* vocatur apud Roblesium pag. 276; et superius num. 451 in editis apud Aguirrium *amiculi* nomen habet; apud Brunum vero pag. 316 dicitur *le corporal,* id est corporale: circa quam expressionem non volo instituere quæstionem de nomine.

l Hinc originem ducit etymon *Libri Offerentium,* teste Pisa in Tabula superius designata; e qua intelligimus sequentia. Mox ut transfertur Missale ad latus Euangelii, ponit minister ad latus Epistolæ parvum librum, vulgo vocatum, *Omnium offerentium,* qui habet istud nomen ex dictione, quæ dicitur in una oratione ex communibus, ad offerendam Hostiam et calicem: *Et omnium offe-* B *rentium, et eorum, pro quibus tibi offertur, peccata indulge.* Liber iste continet orationes, quæ communiter dicuntur in omnibus Missis. Et quamquam unæ atque aliæ habeantur in libro Missali, idque posset sufficere; conveniens tamen fuit, ad aliud latus ponere istum librum, ut sacerdoti non sit necessarium, folia ab uno extremo ad aliud importune invertere. Et sic stans in medio altaris, vertit vultum ad librum Missalem, qui est ad latus Euangelii, ad recitandas orationes proprias cujuscumque Officii; et pro communibus, quæ unam inter atque aliam inseruntur, convertit oculos ad *Offerentium.*

m Etiam legit Brunus pag. 319 *eorum pro quibus*; Pisam vero loco jamjam citato scribentem in apographo nostro vidimus, *et eorum, pro quibus.* Apud Roblesium vero in Missa S. Jacobi, quæ edita simul ab ipso est cum Compendio Vitæ Cardinalis Ximenii, pag. 327 ponitur *eorumque pro quibus.*

n Solæ hic sunt vices, uti Brunus pag. 317 observat, quibus sacerdos se convertit ad populum; sed non recte, juxta dicta superius in annotatis littera *e.* Conversionem quidem hoc loco non pugnare cum rubricis, colligo ex Pisa, qui dicit, quod sacerdos, quando dicit, *Adjuvate me fratre in orationibus vestris,* non soleat se vertere; tametsi hic singillatim id permittat Missale.

C *o Cantatur,* inquit Pisa hic, *unus versus, Sacrificium vocatus*; et dicit *esse sicut Offertorium Romanum. Lavat sacerdos manus.* Quæ conveniunt cum dictis supra num. 452; sed non prorsus accurate videtur eumdem ordinem exprimere Brunus, quando pag. 316 dicit, quod Sacerdos faciat oblationem Hostiæ et calicis, et accipiat oblationem fidelium; et quod tunc Chorus canat Offertorium, quod vocatur *Sacrificium.* Itaque non tunc, sed paulo serius, nimirum post voces illas, *Adjuvet te Pater* etc. *Sacrificii* apud Mozarabes locus occurrit. Isidorus De eccles. Offic. lib. I, cap. 14, *Offertoria*, inquit, *quæ in Sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est, veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur,* ex Ecclesiastici capite 50; ac deinde pergit: *Non aliter et nunc in sono tubæ, id est, vocis prædicatione, cantus accendimur, simulque corde et opere*

laudes Domino declamantes, jubilamus; in illo D *scilicet vero Sacrificio, cujus sanguine salvatus est mundus.*

p Quæ hic super oblationem dicenda notantur, nec lego expressa superius num. 452, nec apud Brunum pag. 317; sed habentur in Missa S. Jacobi apud Roblesium pag. 328.

q Incipit sacerdos id quod Missæ ac Sacrificio maxime proprium est, cum certis orationibus præcipuis, eo directis, ut petantur a Deo istæ res, quæ sunt necessariæ ad celebrandam Missam. *Primæ* istarum orationum habet nomen *Missæ*, quia ab ea videtur inchoari; ac proin omnia huc usque prægressa, sunt Missa Catechumenorum, ac pertinent ad divinas laudes, atque ad doctrinam propheticam, apostolicam et euangelicam; quæ observavit Pisa. Tametsi autem hæc oratio vocetur simpliciter *Missa*; non vero *Præfatio* seu *Admonitio*; monitionem tamen eidem subfuisse, conficitur ex Etherio ac Beato, pag. 354, post Isidorum De eccl. Offic. lib. I, cap. 15, superius num. 124 citatum, ita loquentes: *Prima oratio ejusdem Missæ ammonitionis erga populum est; ut omnes excitentur, ad exorandum Deum.* E

r Apud Roblesium pag. 329, et apud num. pag. 319 non recte scribitur *Agios* etc.; hic vero minus recte *Agyos*: scribendum enim *Hagios*, uti scribitur supra in editis apud Aguirrium num. 452; Græce enim est *ἅγιος*, *sanctus.*

s Ita etiam scribitur apud Roblesium in Missa S. Jacobi pag. 329; sed apud Brunum legitur *conservare.*

t Oratio hæc est secunda; vide supra num. 452. Post Isidorum citato cap. 15 inquiunt Etherius ac Beatus *Secunda invocationis ad Deum est, ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum.* Post orationem, quæ est in Missa S. Jacobi apud Roblesium, Resp. *Amen.* Et mox sequitur; *Per misericordiam tuam* etc.; in quæ tamen verba desinere orationem *Aliam* seu secundam, habes ex editis apud Aguirrium supra num. eodem 452; quibus eam concludi, refert etiam Pisa.

u De nominibus Sanctorum in Officio Mozarabico non submissa proferendis voce, sicut fit in Romano, vide superius num. 453; addente Pisa, solum reputari pro Canone id, quod spectat ad consecrationem Corporis et Sanguinis Jesu Christi, incipiendo ab illis verbis: *Adesto, adesto.* F

x Juliani, item Juliani etiam lego apud Roblesium pag. 330; quod pag. 331 tam apud ipsum iterum recurrit, quam hic paullo post; ut mirum mihi videatur, *item Juliani* utrobique ibi expressum, non haberi apud Brunum pag. 320.

y Apud Roblesium pag. 331 in Missa S. Jacobi scribitur *Cenebruni.* In editis autem ex ipso apud Aguirrium superius num. 453 ponitur *Cerebrunus,* cum tamen in Hispanico ejusdem Roblesii pag. 284 sit *Cenebruno.* In Catalogo Toletanorum Præsulum a tempore irruptionis Saracenorum in Hispaniam, qui est apud Aguirrium tomo 3 pag. 67 scribitur etiam *Cerebrunus.*

z Locum istum sic expono, Pisam secutus. Postquam facta fuit memoria sanctorum Martyrum, qui regnant cum Christo in cælo, consequenter habetur memoria fidelium Defunctorum, orando pro illis Deum, et nominando aliquot præcipuos Defunctos singillatim. *Item pro spiritibus pausantium*; quod significavit: *Rogamus Deum*

EX TOLETANO EXEMPLARI.

pro animabuspausantium; illorum utique, *qui dormiunt in somno pacis*, sicut dicitur in Romano. Atque inter alios Defunctos nominantur signate nonnulli ex archiepiscopis Toletanis, qui fuerunt primi post recuperatam ex dominio Maurorum civitatem; *Bernardus*, *Raimundus*, *Joannes* etc. De quibus in citato mox catalogo apud Aguirrium notantur sequentia: *Bernardus insignis præsul, restaurator ecclesiæ Toletanæ* MLXXXV. De quo item supra num. 254 mentio facta. *Raymundus ex monacho S. Facundi* MCXXVIII. *Joannes* I *alias* IV. MCL. *Cerebrunus* MCLXVI. *Petrus* III *alias* VI *de Cardona* MCLXXXI. *D. Gundisalvus* I *Perez* MCLXXXI. *Martinus Lopez de Pisuerga* MCXCI. *D. Rodericus Ximenez de Rada, scriptor celebris* MCCVIII. *D. Joannes* II, *alias* V *de Medina* MCCXLVII. *D. Guterius* I, MCCXLVIII. Sequitur ibidem in dicto catalogo *D. Paschasius;* hic non memoratus. Tum *D. Sanctius*, *filius S. Fernandi regis* MCCLXII. *D. Sanctius* II, *filius Jacobi*, *Aragonum regis* MCCLXVI.

B

§ XI. *Reliqua Missalis Offerentium usque ad finem.*

Oratio Post nomina, *et* Ad pacem; *a* *b*

POST NOMINA *a* oratio propria vel communis ex Missali. Tum subjungitur: *Quia tu es vita vivorum*, *sanitas infirmorum*, *ac requies omnium fidelium Defunctorum, in æterna secula seculorum.* Resp. *Amen.* Sequitur *Ad pacem* b oratio vel propria, vel communis ex Missali. Deinde: *Quia tu es vera pax nostra*, *et charitas indisrupta vivis tecum et regnas cum Spiritu sancto unus Deus in secula seculorum.* Resp. *Amen.* Dicat sacerdos elevando manus: *Gratia Dei Patris omnipotentis, pax ac dilectio Domini nostri Jesu-Christi, et communicatio Spiritus sancti sit sem per cum omnibus nobis.* Respondet chorus: *Et cum hominibus bonæ voluntatis.* Deinde dicit presbyter: Quomodo astatis pacem facite. *Resp. chorus: Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis; non sicut mundus dat pacem, do vobis* ℣. *Novum mandatum do vobis*, *ut diligatis invicem.* Reiteretur: *Pacem meam do vobis etc.* ℣. *Gloria et honor Patri etc.* Denuo reiteretur: *Pacem meam etc.* Et dum dicitur a choro, sacerdos accipit Pacem de patena, dicendo sic: *Habete osculum dilectionis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei.* Et statim det pacem diacono vel puero, et puer populo.

C

nonnulla Illationi seu Præfationi prævia.

478 Postea inclinet se sacerdos et junctis manibus dicat: *Introibo ad altare Dei mei.* Resp. *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Ponat sacerdos manus super calicem dicens: *Aures ad Dominum.* Resp. chorus: *Habemus ad Dominum.* Dicat sacerdos: *Sursum corda.* Chorus resp.: *Levemus ad Dominum*: Sacerdos inclinatus, junctis manibus, dicit: *Deo ac Domino nostro Jesu Christo*, *Filio Dei*, *qui est in cœlis dignas laudes dignasque gratias referamus.* Et dicendo, *gratias referamus*, elevet sacerdos manus in altum, et chorus respondeat: *Dignum et justum est*

c Illatio *seu* *Præfatio:*

Postea dicitur a sacerdote INLATIO *c* propria vel communis ex Missali. Qua finita dicit chorus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria Majestatis tuæ. Hosanna Filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Agyos, Agyos*, *Agyos, Kyrie, o Theos.*

Hagios *etc.*

D

Oratio post Sanctus, *Canon, consecratio:* *d* *e*

479 Oratio POST SANCTUS *d* ex Missali propria vel communis: *Vere sanctus* etc. *e*. Deinde sacerdos positus in medio altaris, ibique inclinatus, junctis manibus, in silentio dicit sequentem orationem. *Adesto, adesto Jesu bone pontifex*, *in medio nostri*, *sicut fuisti in medio discipulorum tuorum*, *et sanctifi†ca hanc oblationem* †, *ut sanctificata* † *sumamus per manus sancti Angeli tui*, *sancte Domine ac redemptor æterne* f *: Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur*, *accepit panem, et gratias agens bene†dixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite*, *et manducate: Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis tradetur.* Hic elevat corpus, dicens: *Quotiescumque manducaveritis, hoc facite in meam commemo†rationem.* Resp. *Amen. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens.* Hic sacerdos pronuntiat verba consecrationis super calicem: *Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* g. Hic elevat calicem coopertum cum filiola, genuflectit, et dicit: *Quotiescumque biberitis, hoc facite in meam comme†morationem.* Resp. *Amen.* Subjungit sacerdos: *Quotiescumque manducaveritis panem hunc*, *et calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat in claritatem* † *de cœlis.* Resp. *Amen.*

f

g

E

Oratio Post pridie, *h*

480 Oratio *post pridie* h propria vel communis ex Missali. Quam excipit oratio sequens: *Te præstante sancte Domine; quia tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas*, *sancti†ficas, vivificas* †, *bene†dicis*, † *ac præstas nobis: ut sit benedicta a te Deo nostro in secula seculorum.*

hic signat seipsumsacerdos.

Resp. *Amen.* Et tum presbyter accipit corpus Domini de patena, et ponit super calicem discoopertum, et dicit alta voce omnibus diebus, festivis videlicet et Dominicis, præterquam in locis, in quibus erit antiphona propria, ad confractionem panis: *Dominus sit semper vobiscum.* Resp. chorus: *Et cum spiritu tuo.*

recitatio symboli fidei

481 Dicat presbyter: *Fidem*, *quam corde credimus, ore autem dicamus.* Et elevat sacerdos corpus Christi, ut videatur a populo; et dicat chorus Symbolum bini ac bini, videlicet: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ: visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula. Deum ex Deo, lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum non factum, omousiom* * *Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ: Per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, et quæ in terra: qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine. Et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificatorem*, *et ex Patre Filio* [que] * *procedentem; cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor* * *unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. Amen* i.

F

* homousion

* al. et Filio

* confitemur *quando dicatur:*

i

482 Dicitur

A *quando dicatur :* 482 Dicitur Symbolum diebus Dominicis, et in festis sex vel quatuor capparum. At in festis duarum capparum vel in ferialibus dicitur una antiphona pro tempore ex sequentibus. Per annum antiphona : *Terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Alleluia.* Tempore Quadragesimæ antiphona : *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, sicut speravimus in te.* Tempore *Traditionis*, id est, Passionis antiphona : *Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno. Aperi manum tuam, et imple omnem animam benedictione.* Et hæc etiam dicitur in Octava Corporis Christi.

confractio Hostiæ, ad orationem Dominicam etc. 483 Post hæc frangit presbyter Eucharistiam in medium, et ponit mediam partem in patena, et de alia parte facit quinque particulas, et ponit in patena : et postea accipit aliam partem, et facit quatuor particulas, et ponit in patena similiter per ordinem : et statum purget bene digitos, et cooperto calice, faciat Memento pro vivis ; uti graphice recenset Roblesius pag. 337. Porro confractionis schema jam exhibui num. 458. Deinde sacerdos dicit *Oremus*, cum oratione una seu capitulo ; quod B sit quasi præfatio quædam Adorationem Dominicam, juxta dicta num. 459 ; estque propria vel communis ex Missali. Et postea prosequitur hoc modo : *Pater noster qui es in cœlis.* Resp. *Amen. Sanctificetur nomen tuum.* Resp. *Amen. Adveniat regnum tuum.* Resp. *Amen. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Resp. *Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Resp. *Quia Deus es. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Resp. *Amen. Et ne nos inducas in tentationem.* Resp. *Sed libera nos a malo* k.

k *ultimæ petitionis paraphrasis quædam.*

484 Dicat sacerdos : *Liberati à malo, confirmati semper in bono, tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone, Domine, fi†nem* (hic sacerdos percutit pectus) *peccatis nostris ; da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiem defunctis : concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris : frange audaciam inimicorum nostrorum, et exaudi, Deus, orationem servorum tuorum omnium fidelium Christianorum, in hac die, et in omni tempore. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum ; qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia semper secula seculorum.* Resp. *Amen.*

C *Particula Regnum, benedictio :* 485 Sacerdos accipit particulam *Regnum*, et ponit eam super calicem, dicens orationem *Sancta sanctis*, ut infra. Sed tempore Paschali, et per Octavam Corporis Christi, tenens particulam super calicem, dicit : *Vicit Leo de tribu Juda, Radix David Alleluia.* Hoc vero dicit tribus vicibus : et chorus qualibet vice respondet : *Qui sedes super cherubim Radix David Alleluia.* Postea dicat sacerdos sequentem orationem submissa voce : *Sancta sanctis, et conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi sit sumentibus et potantibus nobis ad veniam, et defunctis fidelibus præstetur ad requiem.* Et mittat particulam in calicem, et eum cooperiat, et dicat alta voce, si diaconus ibi non fuerit : *Humiliate vos benedictioni* l. *Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Benedictio propria vel communis ex Missali. Post quam dicit sacerdos : *Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Quo dicto, cantet chorus per annum :

l

m *Responsorium :* 486 *Gustate* m *et videte, quam suavis est Dominus. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus ejus in ore meo. Alleluia, Alleluia, Alleluia.* ℣. *Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet * omnes, qui sperant in eum. Alleluia, Alleluia, Alleluia.* ℣. *Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen. Alleluia, Alleluia, Alleluia* n. Tempore Quadragesimæ : *Qui venit ad me, non esuriet ; qui credit in me, non sitiet umquam.* ℣. *Ego sum lux mundi, et qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, et habebit lumen vitæ.* P. *Qui venit etc.* ℣. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* P. *Qui.* ℣. *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen.* P. *Qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.* Dicitur etiam *Qui venit ad me etc.* in Missis pro defunctis. Tempore autem Resurrectionis : *Gaudete populi et lætamini. Angelus sedit super lapidem Domini : ipse vobis evangelizavit : Christus surrexit a mortuis salvator mundi, et replevit omnia suavitate. Gaudete populi, et lætamini.* ℣. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et* E *vestimenta ejus sicut nix, et dixit :* P. *Christus surrexit etc.* ℣. *Et exierunt mulieres cito de monumento cum timore et gaudio magno currentes nunciare discipulis ejus, quia resurrexit.* P. *Christus etc.* ℣. *Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto in secula seculorum. Amen.* P. *Gaudete populi et lætamini.*

Ex Toletano exemplari. * *al. relinquet*

n

487 Tempore Quadragesimæ vel in Missis pro defunctis : *Repletum est gaudium nostrum* o, *et lingua nostra in exultatione.* Per annum vero dicitur : *Refecti Christi corpore et sanguine, te laudamus, Domine, Alleluia, Alleluia, Alleluia.* Antequam sacerdos dicat : *Refecti Christi*, vel *Repletum est*, accipit de patena particulam *Gloria*, et ponit eam super calicem, dicens secrete istam orationem : *Panem cœlestem de mensa Domini accipiam, et nomen Domini invocabo.* Et faciat *Memento* pro defunctis. Quo peracto, dicat sequentem orationem : *Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere, et tuo sancto spiritu repleri, Deus noster : qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.* *commemoratio pro defunctis :*

o

488 Et deinde sequitur hæc oratio : *Ave in ævum sanctissima caro Christi, in perpetuum summa dulcedo* p. Deinde sumat calicem, dicendo : *Ave in* F *ævum cœlesti potus, qui mihi ante omnia, et super omnia dulcis es.* Alia oratio : *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam, in vitam æternam. Amen.* Hic accipit sanguinem, et immediate dicit sequentem orationem : *Domine Deus meus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, fac me te semper quærere, et diligere, et a te per hanc sanctam communionem, quam sumpsi, numquam recedere : quia tu es Deus, et præter te non erit alius in secula seculorum. Amen.* *communis sacerdotis.*

p

489 Postea dicit sacerdos : *Refecti Christi corpore*, vel *Repletum est*, secundum temporis qualitatem, ut dictum est supra. Hic tollitur libellus *Offerentium*, et Missale transfertur ad cornu Epistolæ, ex num. 463 ; et dicitur oratio ultima propria vel communis. Cui subnectitur a sacerdote in medio altaris : *Per misericordiam tuam, Deus noster ; qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in secula seculorum.* Resp. *Amen. Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu* *et reliqua usque ad finem.*

Ex Toletano exemplari.

ritu tuo. Dicat sacerdos vel diaconus : *Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace.* Ita dicitur Dominicis diebus, et in festis sex aut quatuor capparum. Quia in festo novem lectionum aut duarum capparum, et in ferialibus dicitur : *Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi. Perficiamus cum pace.* Et Resp. *Deo gratias.* Postea sacerdos in medio altaris, positis manibus, dicit Antiphonam *Salve Regina* etc. In cujus fine, quod cum Romana liturgia Roblesius pag. 343 legit, *O dulcis Virgo Maria,* apographum meum habet, *O dulcis Virgo semper Maria.* ℣. *Ora pro nobis* etc. Resp. *Ut digni efficiamur* etc. Cujus loco in dicto apographo ponitur : *Post partum Virgo* etc. Resp. *Dei Genitrix intercede* etc. ℣. *A subitanea et improvisa morte.* ℟. *Libera nos Domine.* ℣. *Dominus sit semper vobiscum.* ℟. *Et cum* etc. *Oremus : Concede nos famulos* etc. Postea sacerdos surgit, et versus ad populum, eum benedicit his verbis : *In unitate sancti Spiritus bene✝dicat vos Pater et Filius.* Resp. *Amen.* Non facit circulum neque se invertit ad populum toto tempore Missæ, nisi quando dat benedictionem; B quæ in Missis pro defunctis non datur; quæ verba apographo meo Toletano adscripsi, aliunde instructus.

ANNOTATA.

a Tertia ex supra dictis num. 452 hæc est oratio. S. Isidorus superius a me num. 124 citatus; *Tertia,* inquit, *effunditur pro offerentibus sive pro defunctis fidelibus, ut per idem Sacrificium veniam consequantur.* Et vero oratio ista concluditur his verbis : *Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum ac requies omnium fidelium defunctorum* etc. Verum inter istos *Pausantes* nominari vidimus aliquot sanctos Confessores ac Doctores, nimirum *Hilarium, Athanasium, Martinum, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium, Leandrum, Isidorum;* quonam ergo modo Missæ Sacrificium pro illis offerri potest? Respondeo cum Pisa, fieri id posse pro illis, ad eorum gloriam et gaudium accidentale; prout Ecclesia Romana id facit in illa oratione secreta Missæ de communi unius confessoris Pontificis : *Ut per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comiretur* etc. Notum etiam est illud ex Ordine Missæ Romanæ, *ut illis proficiat* C *ad honorem* etc.

b S. Isidorus loco citato, *Quarta,* ait, *post hæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento corporis et sanguinis Christi consocientur.*

c Ita vocatur Præfatio, sic dicta, uti notat Brunus pag. 323 quia exprimit elevationem vocis et cordium. Isidorum audiamus loco citato : *Quinta infertur Illatio in sanctificatione Oblationis, in qua etiam ad Dei laudem, terrestrium creatura, virtutumque cœlestium universitas provocatur, et Osanna in excelsis cantatur* etc. In Illatione autem, prout observat Pisa, ordinarie sit exhortatio ad populum circa mysterium aut vitam Sancti, de quo celebratur.

d Orationem *Post Sanctus* dicit Pisa, esse quintam in ordine præcipuarum orationum; quem ut cum S. Isidoro mox citato concilies, dic eam cum Illatione statuere unum complexum.

e Solet sic inchoari oratio *Post Sanctus;* finiri autem, *Redemptor æterne;* uti num. 456 ex impressis apud Aguirrium habes. Specimen dat Brunus pag. 323 ex ea, quæ est in Natali Domini : D *Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui venit e cœlis, ut conversaretur in terris : Caro factus est, ut habitaret in nobis Christus Dominus, ac Redemptor æternus.*

f Videtur hic quædam esse mutatio vel defectus aliquis; et haud dubie verba quædam olim ibi habita fuerint, quæ nunc disparuerunt : nam, ut mittam dicere, quod non sit naturalis loquendi modus, ad Christum recurrere, eumque orare, ut se sistat præsentem, et subito mutare constructionem, dicendo : *Dominus noster Jesus Christus* etc. sine ulla transitione; constat enimvero, quod voces illæ *Qui pridie,* vel *pridie* saltem, ecclesiarum Hispanicarum liturgiæ olim insertæ fuerint. Etenim si hoc negas, qui sit, ut oratio *Post pridie* singularem ac constantem in illa locum acceperit? At suus paullo inferius de illa oratione recurret dicendi locus.

g Verba consecrationis in meo exemplari Missalis Offerentium erant expressa more Romano; de quibus ita exprimendis seculo x sub Joanne PP. X, dixi supra num. 213. Videri etiam possunt ea, quæ num. 456 ex editis apud Aguirrium E præmisi. Apud Roblesium vero in Missa S. Jacobi pag. 335 invenies hæc verba, ad marginem antiquæ apud Mozarabes consecrandi formæ apposita : *Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur; sed hodie servatur Ecclesiæ traditio.* Porro verba consecrationis utriusque liturgiæ in substantia et significatione coincidere, obiter hic dictum sit.

h Oratio itaque *Post pridie* in Missali Mozarabico proprium locum, nomen, et usum habet, et sexta est, juxta num. 452; atque adeo, ne oratio illa supponat nomen, quod ibi numquam fuit, τὸ *pridie* aliquando eam præcesserit, oportet; ac proin cum illa expressio ibi jam non legatur; consequens est, ut mutatio quædam vel omissio facta sit.

i Symbolum hoc est Constantinopolitanum, sicut indicabam num. 458. Mirum, quod S. Isidorus, supra num. 125 citatus, sic dicat : *Symbolum, quod tempore Sacrificii populo prædicatur, sanctorum Patrum trecentorum decem et octo collatione apud synodum Nicænam est editum; cujus veræ fidei regula* etc.; *et per hoc universis ecclesiis pari confessione a populo proclamatur.* Mirum, inquam, quod sic loquatur sanctus F iste Doctor : nam jam inde a concilii Toletani III tempore, secundum dicta num. 92, præscriptum erat, *ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Gallæciæ, secundum formam Orientalium ecclesiarum, concilii CPolitani, hoc est, centum quinquaginta episcoporum, Symbolum fidei recitetur.* Ceterum ibidem invenies, statutum fuisse, ut, *priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur.*

k Sex in liturgia Mozarabica esse orationes peculiares, nomine, numero atque officio distinctas, habes ex num. 452; quibus si cum S. Isidoro, num. 124 citato, addas orationem Dominicam; jam erunt orationes septem hujusmodi.

l Concilium Toletanum IV adversus sacerdotes, qui communicabant, antequam erat in populo data benedictio, can. 18 jubet, ut *post orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur; et tunc demum corporis et sanguinis Domini Sacramentum sumatur;* uti dictum num. 106.

m Habemus

A *m* Habemus hic *Responsum, quod vocatur Ad accedentes*, ex num. 461; ubi plura.

n In hoc Responso *Gustate et videte*, numerus ubique occurrit ternarius: nam I. Constat tribus versibus, nimirum *Gustate, Benedicam*, et *Redimet*. 2. Ter dicitur *Alleluia* post versus istos singulos. 3. Subditur illis Doxologia *Gloria et honor*, in qua nominatim exprimuntur tres Personæ divinæ. 4. Doxologiæ isti subjungitur ter *Alleluia*. In Expositione brevi antiquæ liturgiæ Gallicanæ, quæ ex Ms. codice S. Martini Augustodunensis apud Martenium edita est in Thesauro novo Anecdotorum, tom. 5, et quam in Admonitione prævia existimat, aut esse fœtum Germani episcopi Parisiensis, aut prolixioris ejus operis epitomen, ab aliquo ejus discipulo conscriptam; ibi, inquam, postquam mentio facta esset de sacra Communione, a col. 96 dicuntur sequentia: *Trecanum vero, quod psalletur, signum est Catholicæ fidei de Trinitatis credulitate procedere*. Sic enim prima in secunda, secunda in tertia, et rursum tertia in secunda, et secunda rotatur in prima. Ita Pater in Filio, mysterium Trinitatis complectet*. Pater in Filio, Filius in Spiritu sancto, Spiritus sanctus* B *in Filio, et Filius rursum in Patre*. De S. Germano, episcopo Parisiensi, qui sec. VII claruit, actum apud nos ad diem 28 Maii. Porro illud *Trecanum*, quod a ternario cantu sic vocatum censeo, magnam habet affinitatem cum Responso prædicto; ita ut liturgia Gallicana vetus cum Hispana hic etiam, uti et alibi sæpius, commune aliquid habuisse videatur.

* procedens

* an. complectetur?

o Hic habes illa, quæ sub nomine Antiphonæ præmissa sunt num. 462 ex editis apud Aguirrium.

p Sequebatur in meo exemplari Toletano: *Hic facit signum cum particula, quam in manu habet, et cooperit calicem, et consumit particulas de patena per ordinem, quo eas in ea posuit. Deinde purget patenam, abstergens cum pollice, dicens hanc orationem: Ave in ævum* etc. De signo isto nihil invenio supra num. 462, nec apud Pisam. At nihil hic dicitur de verbis terna cum percussione pectoris proferendis; de quibus ibidem agitur. Jam vero quo ordine particulæ a sacerdote sint sumendæ, ibidem dictum fuit; eo videlicet ordine, *qui*, prout diserte ex Pisa habemus, *est contrarius* C *ordini, quo fuerunt positæ in patena*.

§ XII. *Horæ ac Missa Mozarabica illustrantur exemplo.*

Illustrantur Horæ

Quo magis clarescant, quæ de Horis ac Missa Mozarabica superius operose deducta sunt, videtur a nostro instituto haud alienum, rem in exemplo seu schemate depingere; quo lectori melius innotescant partes quædam non satis obviæ; quales sunt Laudes, Soni, Benedictiones, Supplicationes, Capitula, et alia quædam singularia, quorum supra mentio facta est. Ductores sequor Roblesium et Aguirrium; quorum tamen vestigiis ita insistam, ut in aliquibus ab eorum tramite deflexurus sim. Nam quæ apud illos interseruntur ex Missali Offerentium seu Ordinario Missæ, ea huc prolixe non transcribam; cum satis jam de illis rebus a me actum sit; sed ea, quæ hic peculiaria occurrunt, et prius dicta non sunt, excerpam; in iis autem, quæ jam dicenda essent sive circa descriptionem cæremoniarum Missæ, sive Ordinarium ejus, adde etiam Vesperas, compendio usurus sum, dum interim brevitatis causa remitto lectorem ad superiora, quæ hic pro insertis haberi possunt. Sic itaque exemplar suum auspicantur laudati auctores;

ex editis.

491 *In festo S. Jacobi Apostoli, fratris S. Joannis Apostoli et Evangelistæ ad Vesperum. Kyrie eleison* etc. *In nomine Domini nostri* etc. LAUDA. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.* ℟. *Misericors, et miserator, et justus Dominus.* ℣. *Directam fecit viam justorum, et præparavit iter Sanctorum.* Presb. *Misericors etc. Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. SONUS: *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Alleluia.* ℣. *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est malitia exitus illorum, illi autem sunt in pace.* Resp. *Alleluia. Dominus sit semper etc.* Resp. *Et cum* etc. ANTIPHONA: *Dabo Sanctis meis regnum in Hierusalem: lignum enim vitæ in odorem unguenti.* Presb. *Et non laborabunt, neque fatigabuntur.* ℣. *Qui confidunt in Domino, sicuti mons Syon, non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Presb. *Et non laborabunt, neque fatigabuntur.* ℣. *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Presb. *In secula seculorum. Et non laborabunt, neque fatigabuntur. Dominus sit semper etc.* Resp. *Et cum* etc. E LAUDA: *Sanguinem Sanctorum requiram, dicit Dominus.* Presb. *Et habitabo cum eis in regno meo. Alleluia, Alleluia.* ℣. *Fidelis Dominus in verbis suis. Et sanctus in omnibus operibus suis.* Presb. *Et habitabo.* ℣. *Gloria et honor etc.* Presb. *Et habitabo.* Videri potest apud Tamayum ad XXV Julii, qui subditur.

ex Vesperis S. Jacobi Majoris,

492 HYMNUS: *O Dei Verbum, Patris ore proditum,*

earum Hymno.

Rerum creator, et verum principium,
Auctor perennis, lux, origo luminis,
Enixus alvo gloriosæ Virginis,
Christe tu noster revela Emmanuel,
Rex et sacerdos, cui sacri lapides,
En ter quaterni, onychinus, achates;
Nitens berillus, sapphirus, carbunculus,
Vel amethystus, sardius, topazius,
Smaragdus, Iaspis, et nitens chrysolitus, F
Riteque gemmis sol, dies duodenis
Enitens horis, margaritis optimis,
Gliscensque mundo jam fugatis tenebris,
Et candelabro tibi superposito,
Micans lucernis bis senis Apostolis.
Petrusque Romam, frater ejus Achaiam,
Indiam Thomas, Levi Macedoniam,
Jacobus Jebus, et Ægyptum Zelotes,
Bartholomæus Licaon, Judus Edessam,
Mathias Judæam, et Philippus Gallias.
493 *Magni deinde filii Tonitrui*
Adepti fulgent prece matris inclytæ
Utrique vitæ culminis insignia:
Regens Joannes dextra solum Asiam,
Et læva frater potitus Hispaniam.
Clari magistri creatoris innoxii
Adsistit dextram pacis unus fœdera
Tractus: sinistram alter in sententia,
Varieque regno: bis electa pignora
Mitridepoli properam ad gloriam.
Adductus, inquam, gloriosus præmio:
Electus isthinc habitus martyrio,
Christi vocatur Zebedæi Jacobus:
Apostolatus vitam implens debite,

qui hic datur:

Victorque

EX EDITIS. *Victorque rapit passionum stigmata.*
Divino quippe obsitus suffragio,
Idem magorum sontes iras, dæmonum
Coercens virus, punit æmulantium
Minasque dæmonum in stolis : oraculis
Enodatur pœnitens cor credulum.
Perplexus olim voti compos commoda,
Ruina petenti ægro adminicula :
Optando pandit fidei charismata :
Vexillo pacis ad salutis copiam,
Enseque functus se communit gloria.
O vere digne sanctior Apostole,
*Caput refulgens * Hispaniæ :*
Tutorque nobis, et patronus vernulus,
Vitando pestem esto salus cœlitus :
Omnino pelle morbum, ulcus, facinusque.
Adesto favens gregi, pius creditor,
Mitisque pastor gregi, clero, populo :
Ope superna ut fruamur gaudio,
Regno potiti vestiamur gloria
Æterna, per te evadamus tartarum.
Præsta, quæsumus, unica potentia,
B *Replensque gloria cuncta, solus machinam*
Virtute firma : ingens adesto gloria,
Æterna cujus laus atque clementia,
Et honor jugis affatim per secula. Amen.

Supplicatione. 494 SUPPLICATIO : *Oremus. Redemptorem mundi dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut per gratiam ipsius, et per intercessionem S. Mariæ Virginis, et Genitricis suæ, et per intercessionem sancti Martyris sui Jacobi Apostoli, nobis remissionem peccatorum, et pacem propitius donare dignetur.* Resp. Capitulis, *Præsta* etc. *Kyrie* etc. Resp. *Christe* etc. CAPITULA : *Subjuga, clementissime Deus, nostras tuo jugo cervices, ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus, pro innexa * collo suo fune ad passionem tractus est lætabundus : atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit, ut eum sacramentis instructum fidei, faceret ad gloriam pervenire martyrii ; sicque post ipse in confessione Filii tui, capite dejecto, interemptus occubuit, perveniens ad eum in pace ; pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus tuus Filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis; per quem nostris tu Deus Pater jubeas parcere delictis. Pater noster qui es in cœlis.* Resp.
C *Amen.* etc. *Et ne nos* etc. Resp. *Sed libera* etc. Dicat Presb. *Liberati a malo* etc. *Pone Domine finem peccatis nostris* etc. Resp. *Amen.* Dicat Presb. *Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum* etc.

* præinnexo

Benedictione. 495 BENEDICTIO : *Christus Deus, Dei Patris filius, quem Jacobus relicto patre in navi, tota secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis.* Resp. *Amen. Quique per hunc Apostolum cultores dæmonum convertit ad fidem, concedat nobis vana seculi respuendo, se in veritate diligere.* Resp. *Ut ejus remuneremini præsidiis, cujus hodie triumphum excolitis passionis.* Resp. *Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in secula seculorum.* Resp. *Amen. Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. LAUDA : *Gaudium sempiternum super caput Sanctorum.* Presb. *Laus et jucunditas apprehendet eos. Alleluia, Alleluia.* ℣. *Beati, qui custodiunt justitiam, et faciunt judicium in omni tempore.* Presb. *Laus et jucunditas.* ℣. *Gloria et honor Patri* etc. Presb. *Laus et jucunditas etc.* ORATIO : *Christe, cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit, ut in nomine tuo, emissis a se dæmoniorum catervis, potentialiter meruit imperare, tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende, ut virtute spiritus exsuperando adversa, illius doctrinam opere compleat, cujus hodie exemplum piæ passionis honorat.* Resp. *Amen, Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis et omnia regis in secula seculorum. Amen. Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, perficiamus cum pace.* Resp. *Deo gratias.* D

Exemplo elucidatur Missa 496 AD MISSAM OFFICIUM. Facta confessione, INTROITUS : *Adjutorium nostrum* etc. Resp. *Qui fecit* etc. *Sit nomen Domini* etc. Resp. *Ex hoc nunc* etc. *Hæc dicit Dominus : Ego tuli te, et sui tecum. Alleluia, et interfeci omnes inimicos tuos, Alleluia. Fecique tibi nomen grande. Alleluia, Alleluia.* ℣. *Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis.* Presb. *Fecique tibi nomen grande. Alleluia, Alleluia, Alleluia.* ℣. *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen.* Presb. *Fecique tibi nomen grande, Alleluia, Alleluia, per omnia semper secula seculorum.* Resp. *Amen.* E

Gloria in excelsis Deo etc. Dicatur iterum : *Per omnia semper secula seculorum.* ORATIO : *Christe, cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo* etc. Resp. *Amen.* Dicat Presbyter in medium altaris : *Per misericordiam tuam Deus noster* etc. Resp. *Amen. Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. ℣. *Lectio libri Sapientiæ Salomonis,* Resp. *Deo gratias. Justus si morte præoccupatus fuerit* etc. Et clauditur his verbis : *Et respectus in electo ipsius.* Resp. *Amen.* Iterum dicatur : *Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc.

Psallendum, epistola, Evangelium. 497 Tunc canitur PSALLENDO : *Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso.* ℣. *Super salutare tuum Domine exultabit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Presb. *Coronam de lapide pretioso.* Dicat sacerdos vel diaconus : *Silentium* etc. *Lectio Actuum Apostolorum.* Resp. *Deo gratias. In illis autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ* etc. usque ad hæc verba inclusive : *volens post pascha producere eum populo.* Resp. *Amen.* Accepta benedictio- F
ne, dicat presbyter : *Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. Lectio sancti Evangelii secundum Marcum. *In illis diebus, assumens iterum Jesus Duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ventura* etc. usque ad *Dare animam suam redemptionem pro multis. Dominus sit semper* etc. LAUDA : *Alleluia.* ℣. *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, Allel.*

Missale Offerentium, Ponitur Missale Offerentium in cornu Epistolæ etc.: fit oblatio, juxta supra dicta Oratio : *Acceptabilis sit* etc. ex Missali Offerentium, seu Ordinario Missæ. Sanctificatio calicis : *In nomine Pa✝tris,* etc. Oratio : *Offerimus tibi* etc. Ponat calicem super aram, et cooperiat, dicens : *Hanc oblationem* etc. *In spiritu humilitatis* etc. *Adjuvate me fratres* etc. Resp. *Adjuvet te Pater* etc. ut supra. SACRIFICIUM : *Fulgebit justus, sicut splendor firmamenti, et sicut stellæ cœli dantes claritatem lucis: ita et justus splendebit.* ℣. *In perpetua æternitate.* Et reliqua ex Ordinario Missæ.

Ad Missam oratio, Alia oratio etc. 498 Incipit MISSA : *Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. ORATIO : *Christe, cujus virtus* etc. Resp. *Amen. Per misericordiam tuam Deus noster* etc. Resp. *Amen.* Elevatio manuum :
Oremus

EX EDITIS.

A *Oremus.* Resp. *Hagios* etc. *Præsta æterne* etc. ALIA ORATIO : *Vocantem nos ad se Jesum, fratres dilectissimi, agnoscentes, qui beatissimum Jacobum Apostolum suum retia componentem in navi ad se vocans, ejusdem nos postea spiritualibus doctrinis admonet atque docet, ut postulantes in fide nihil hæsitemus; omni mentis devotione cum lacrymis eumdem Dominum flagitemus, ut postulatio nostra apud eum a nobis obtineat adimplere, quæ in ipso Apostolo docente cognovimus.* Resp. *Amen.* Deinde *Per misericordiam tuam Deus noster, in cujus conspectu* etc. ex Ordinario. Item indidem : *Offerunt Deo* etc. *Facientes commemorationem* etc. *Item pro spiritibus pausantium* etc.

oratio Post nomina,

ORATIO POST NOMINA : *Vivant in nobis, Jesu Domine, Apostoli tui Jacobi prædicamenta doctrinæ, quibus docemur illum beatum esse, qui illatus tentationis voluerit æquanimiter supportare; quo dum præsentia mala patientissime toleravimus, in pace et charitate nunc et in æternum tecum sine fine vivamus.* Resp. *Amen. Quia tu es vita vivorum* etc. ex Ordinario. Resp. *Amen.*

Ad pacem ;

499 AD PACEM ORATIO : *Suscipe, Jesu bone, in hoc natali Jacobi Apostoli tui offerentium vota : et refrigerium præsta spiritibus defunctorum,* B *ut eo apud te intercedente, et viventibus et defunctis, tuæ pietatis gratia impendatur, cujus doctrina duodecim tribuum commemorantium edocetur.* Resp. *Amen. Quia tu es vera pax nostra* etc. ex Ordinario usque ad Illationem; quæ est hæc :

Illatio,

Dignum et justum est; nos tibi semper gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum; in cujus nomine electus Jacobus, cum ad passionem traheretur, paralyticum ad se clamantem curavit, atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit, ut eum Sacramentis institutum, instinctu fidei faceret ad gloriam pervenire martyrii. Sic ipse post, in confessionem Filii tui, capite dejecto interemptus occubuit, perveniens ad eum in pace, pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus Filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis, per quem nostris tu, Deus Pater, jubeas parcere jam delictis, cui merito exercitus militiæ cœlestis non cessant clamare, ita dicentes : Respondet chorus : *Sanctus, sanctus, sanctus* etc.

Post Sanctus,

500 Dicat Presb. POST SANCTUS : *Vere sanctus,* C *vere benedictus Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus, quem Jacobus, relicto Zebedæo patre ita secutus est, ut eum obnixe diligendo, fieret electus in vita, mundus in conscientia, probabilis in doctrina : postremo ita scientiam commendans ex opere, ut pro eo truncato interierit capite; quem pro se vel pro omnibus noverat animam posuisse Christum Dominum : cui est honor et gloria, in secula seculorum. Amen.*

canon, consecratio etc. oratio Post pridie,

Sequitur Canon : *Adesto, adesto* etc. consecratio, elevatio Hostiæ, et calicis etc. ORATIO POST PRIDIE ita habet : *Subjuga, Deus, nostras tuo jugo cervices, ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus, innexo collo suo fune, ad passionem tractus est lætabundus, ut sanctificans hæc, quæ tibi offerimus, nos ipsos benedicas perceptione Hostiæ hujus.* Resp. *Amen. Te præstante, sancte Domine* etc. Vide Ordinarium Missæ. *Credimus* etc.; partitio Hostiæ, memoria pro vivis.

Ad orationem Dominicam,

501 AD ORATIONEM DOMINICAM. *Oremus : Apostolo tuo Jacobo, Domine, edocente præmonemur, ut si quis nostrum indiget sapientia, postulet a te, qui das omnibus affluenter et non improperas. Sed quia ad te pervenire cupimus per Christum, qui est virtus tua, et sapientia, id agere præoptamus, poscentes clementiam tuam, ut per eum, qui apud te advocatus factus est noster, et pervenire nos ad te facias, et orationem, quam ipso Domino instruente didicimus, ad te introire permittas, proclamantes a terris : Pater noster* etc. *Liberati a malo* etc. *Sancta sanctis* etc. *Humiliate vos benedictioni* etc. Resp. *Et cum* etc.

Benedictio,

BENEDICTIO : *Christus Deus, Dei Patris filius, quem Jacobus relicto patre in navi, tota secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis. Amen. Quique per hunc Apostolum suum, cultores dæmonum convertit ad fidem, concedat vobis vana hujus seculi respuendo, se in veritate diligere.* Resp. *Amen. Ut ejus remuneremini præsidiis, cujus hodie triumphum excolitis passionis.* Resp. *Amen. Quod ipse præstare dignetur per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis* [a] *in secula seculorum.* Resp. *Amen.*

Ad Accedentes etc. usque ad finem.

502 *Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum* etc. AD ACCEDENTES : *Gustate et videte* etc. *Benedicamus Dominum* etc. ℣. *Redimet Dominus* E etc. ℣. *Gloria et honor Patri* etc. Accipit particulam *Gloria* etc., dicens : *Panem cœlestem* etc. Memoria pro mortuis etc. Postea *Domine, Deus meus* etc. *Ave in ævum sanctissima caro* etc. *Domine non sum dignus* etc. Sumit dictam particulam, et alias; deinde calicem dicendo : *Ave in ævum cœlestis potus* etc. *Corpus et sanguis* etc. Ad ablutionem : *Domine Deus meus* etc. *Refecti Christi corpore et sanguine* etc. De Missalibus hic observatur, quod alibi supra dictum. *Oratio : Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod accepimus, et sanctus sanguis ejus, quem potavimus, adhæreat visceribus nostris, æterne omnipotens Deus, ut non veniat nobis ad judicium, nec ad condemnationem; sed proficiat ad salutem, et remedium animarum nostrarum in vitam æternam.* Resp. *Amen. Per misericordiam* etc. *Dominus sit semper* etc. Resp. *Et cum spiritu* etc. *Solemnia completa* etc. Resp. *Deo gratias.* Antiphona : *Salve Regina* etc. cum Verss. et Respp. etc., et oratione, *Concede nos famulos.* Benedictio : *In unitate* etc. Sequentia, quæ adduntur, confirmant ea, quæ superius in annotatis ad § 10 lit. *e* dicebam, quod sacerdos se convertat ad populum, quando ei benedicit. F Adduntur autem ista : *Ad hanc benedictionem vertit se sacerdos ad populum, et benedicit illum; et nihil aliud agens vadit ad sacristiam.*

Assignatur aliud liturgiæ Mozarabico exemplum.

503 Si quis aliud liturgiæ exemplum videre desiderat, inveniet illud apud Edmundum Martenium in opere, quod inscripsit, De antiquis Ecclesiæ ritibus, ac libris quatuor absolvit, parte I, lib. I, cap. 4, art. 12, pag. 457; ubi ex Missali Mozarabum jussu Francisci Ximenii, archiepiscopi Toletani edito, exhibet Missam de Dominica prima Adventus; quam lectori nostro designasse sufficiat. Quamquam vero proxime aliquot prægressis paragraphis circa Missale illud ac Breviarium, nec non circa Missam Horasque canonicas apud Mozarabes usitatas varia observata fuerint, atque hic illic sparsim variis infarta locis, non modice faciunt ad eorum arcana elucidanda; bene multa tamen alia hisce superaddi merentur,

A merentur, quæ capitis proximi erunt argumentum; præsertim quatenus Missale Ximenianum, ritus Mozarabici primigeniam integritatem, ejusdemque cum antiquo Gallicano comparati antiquitatem spectant.

ANNOTATA. D

a Editio Roblesiana habet : *Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit.*

CAPUT X.

Variæ circa Missale jussu Ximenii archiepiscopi Toletani editum, ritumque Mozarabicum cum Gallicano collatum observationes.

§ I. *In Missali Mozarabico typis edito plura sunt non pure Mozarabica; quæ videntur accepta non ex Missali Romano, sed ex Gallico, seculo* XI.

Missali Mozarabico antiquo

B Fallitur, quisquis in animum induxerit, Missale Mozarabicum ita primigenium, purum atque immutatum jam inde a temporibus SS. Leandri et Isidori ad ætatem Eminentissimi Ximenii pervenisse, ut plurima tunc, quando ab illo excusum fuit, addita non sint, quæ vere Mozarabica dici nequeant. Conficitur illud ex capitis 9 paragrapho quinto, ratione eorum, quæ de fragmento antiquissimi Kalendarii Gothici a nobis ibi disputata sunt; quod præterea intelligi datur ex citati capitis paragrapho 8 sub finem; ubi de Sanctis recentioribus Missali isti adjectis actum fuit, re confirmata ab exemplis. Memores insuper simus textus ibidem § 9 ex Roblesio citati in hæc verba : *Initio dicitur confessio generalis cum psalmo Judica me Deus. Reliqua vero usque ad introitum conveniunt cum Officio Toletano antiquo; cujus usus frequens erat et receptus, cum typis mandata fuere Missalia opera Illustrissimi Cardinalis et archiepiscopi Toletani Francisci Ximenis Cisnerii.* Roblesio adde Cardinalem Bonam, qui Rerum liturgicarum lib. I, cap. XI in fine ista atque alia nonnulla recenset, quæ Mozarabica non sint, sed a laudato Ximenio adjecta : *Confessionem*, ait, *more Romano, et alias orationes ante introitum, sicut et antiphonam Salve Regina in fine addidit Officio Gothico Franciscus* C *Ximenius. Addidit etiam Officia quædam Sanctorum, et alia festa recentioris ævi; atque ideo propter hæc, quæ adjecit, Missale mixtum nuncupavit.* Vide etiam annotata nostra ad capitis 9 paragraphum 10 lit. a.

plurima sunt adjecta aliunde, non Mozarabica, sed recentiora.

505 Locum enimvero hic obtinet illud, quod ad diem XXVI Junii pag. 215, occasione S. Pelagii martyris Cordubensis, apud nos indicatum fuit his verbis : *Uti nihil est in rebus humanis perpetuum, ipseque Romanus Ordo varias sæpe mutationes accepit; ita etiam antiquus ille Gothicæ liturgiæ modus, qui hodiedum Toleti ab aliquibus servatur, facile deprehenderetur per tot secula nonnihil alteratus, si adesset veterum atque recentium exemplarium copia, per quæ liceret Isidoriana tempora cum hodierno usu conferre.* Ita tunc ibi satis moderate pronuntiatum fuit de alteratione ritus Mozarabici; re tota necdum operose ac mature examinata. Utinam autem quæ recentiora sunt et non pure Mozarabica ita immixta fuissent iis, quæ vere antiqua et pure Mozarabica sunt, ut utraque inter se, atque adeo nova ab antiquis indicio aliquo secerni ubique possent. Certe, prout observat Brunus pag. 301, Missale Moza- E rabicum jussu Ximenii excusum plures personas in errorem induxit, quæ extracta inde dederunt, aut citarunt inde loca tamquam vere Mozarabica, quæ certe talia non sunt. Quod ne fiat amplius, observandum monet, quod Cardinalis ille inseruerit Missali suo Mozarabico (nulla adjecta nota) plures rubricas, et plures orationes ex Missali, quod in usu erat ejus tempore in ecclesia cathedrali Toletana; unde facile judicari possit, quod contineat multas res recentes, ac proin posteriores admodum S. Leandro, ac S. Isidoro.

An satis solide a neoterico quodam probetur,

506 Inter probationes, quas superaddit idem Brunus, unam pro hac re format a pag. 302 ex corporis Christi ac consecrati calicis elevatione. Verba consecrationis vere Mozarabica, in antiquis utique istius ritus codicibus expressa, sed jussu Joannis PP. X proferri curata Romano ritu, dedimus superius cap. 5, § 2. Brunus, quia verbis consecrationis panis additur *hic elevetur corpus;* et verbis consecrationis vini, *hic elevetur calix coopertus cum filiola,* seu amiculo; quærit, an non omnino locus detur credendi, quod secundum vetus Missale Gothicum SS. Leandri et Isi- F dori perageretur elevatio Hostiæ et calicis, maxime quando legitur illa nota ad marginem impressa : *Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur, sed hodie servatur traditio Ecclesiæ.* Nihilominus tamen, uti vult Brunus, usus ita elevandi calicem erat omnino recens in Hispania tempore Cardinalis Ximenii. Id quod probare conatur ex Ordinario Dominicanorum reviso, correcto et aucto pluribus notis, ac per Generalem Ordinis confirmato Salmanticæ anno 1576. Et mox affert P. Joannem de Palencia, (qui dederit illam notarum collectionem e capitulis generalibus extractarum ab anno 1500) de elevatione calicis ita loquentem :

usum elevandi calicem

507 *In septima parte nota, quod calix non elevatur in verbis rubricæ stando; sed statim post consecrationem deponitur et cooperitur corporale: sed tamen jam usus habet, quod elevetur, sed discoopertus, sicut etiam modo clerici omnes faciunt, quotquot recitant secundum Ordinarium novum Romanum ...... elevare autem calicem cum filiola,*

A *filiola, sicut faciebant clerici et aliqui regulares, nova res est in Ecclesia.* Unde demum concludit Brunus, eum in errore futurum, qui hanc consuetudinem bene antiquam crederet. Verum circa consequentiam illam ex præmissis hujusmodi deductam, inter illum ac me non satis convenit. In nota quippe ad marginem Missalis Mozarabici Ximeniani impressa agitur de *forma consecrationis*, seu de verbis, prout ego interpretor, quibus ipsa consecratio constat ac perficitur; quæ certe forma antiquitatem habet magnam, mutari utique juxta tenorem formæ Ecclesiæ Romanæ primo demum jussa sub initium seculi x, tempore Joannis PP. X, uti mox indicavimus. Elevatio autem calicis nudi vel cooperti nihil minus est quam forma consecrationis; eidem ita accidens, ut abesse vel adesse possit, salva prorsus consecrationis substantia. Quomodo itaque Brunus antiquitatem formæ consecrationis in margine Missalis Mozarabici expressam videns, inde mox transeat ad elevationem calicis cooperti comprobandam tamquam novam, non satis intelligo.

B 508 Deinde quæro ex Bruno, an Ordinarium illud, quod afferebat, et Joannes de Palencia vel per umbram agant de Mozarabibus, quorum ritum fortasse ne auditu quidem norant. Textus enimvero paullo ante productus nihil tale indicat; et esto illud indicaret, tunc Joannes de Palencia diceret, quod talis elevatio *nova res sit in Ecclesia* etiam Mozarabica; diceret, inquam, sed nondum id probaret. Abundet itaque in suo judicio Brunus: ego certe ipsi non suffragor, quod elevatio sæpe dicta, res adeo nova sit apud Mozarabes, ut ad tempora Ximenii pertineat, rituive Mozarabico inserta ab illo sit, donec id melius aliunde probetur. Nec pluribus opus est verbis: nam utcumque res illa se habeat, parum refert; cum aliunde satis constet, plurima Missali Mozarabico adjecta fuisse, quæ vere Mozarabica non sunt. Audiamus Brunum pag. 303: *Est evidens,* inquit, *omnes fere rubricas Dominicæ Palmarum, diei Jovis sancti, ac diei Veneris sancti extractas esse e Missali, qui in usu erat in cathedrali Toletana tempore istius Cardinalis: omnes enim fere leguntur verbum de verbo in Missali ejusdem ecclesiæ Toletanæ, anno* MDL *impressi; neque minus,* inquit, *constat, majorem istarum rubricarum partem omnino recentem fuisse tempore Ximenii.*

a Cardinale Ximenio ritibus Mozarabicis insertum fuisse;

C 509 Idem liturgiographus postquam produxisset Missam Mozarabicam cum observationibus, quas intermiscuit, monet pag. 333, consequens esse, ut concludatur, quod citari non possit, tamquam ex Mozarabico oriundum, quidquid nonnulli auctores extraxerunt ex Ordine Missæ istius Missalis; uti nec ex Ordine feriæ quartæ Cinerum, Dominicæ Palmarum, diei Jovis sancti, diei Veneris sancti, et diei Sabbati sancti, quæ P. Martene inseruit volumini De antiqua Ecclesiæ disciplina: nam, uti addit, omnes fere rubricæ, illis diebus notatæ, evidenter extractæ sunt ex Missali Toletano, quod tempore Cardinalis Ximenii jure merito vocatum erat *Missale mixtum.* Dicamus itaque, illud nec Romanum fuisse, nec pure Gothicum, nec pure antiquum Gallicum. Tametsi plurimis infartum fuisse usibus, qui originem trahebant ex ecclesiis Gallicanis, observat Brunus; cujusmodi esse ait cæremoniam claudendi ecclesiam in supplicatione Palmarum, et non prius aperiendi, quam sacerdos pluribus vicibus cruce pulsasset portam; quam petierat aperiri Regi gloriæ; additque laudatus scriptor, hæc ex illis esse spectaculis, versus annum D millesimum in nonnullas Galliæ ecclesias introductis; quæque tum temporis non inveniebantur vel in Missali Romano, vel in Mozarabico.

plurima aliunde;

510 At exceptis hujusmodi rubricis et usibus, illud deberi fatetur Cardinali Ximenio, quod in suo Missali Mozarabico conservarit maximum numerum Officiorum Missæ, una cum infinita orationum congerie, quæ ex Missali Gothorum proveniant, quæque per suam antiquitatem summa veneratione sint dignæ, atque Ecclesiæ utilissimæ. Tale judicium tulit Brunus. Jure itaque meritissimo Alfonsus Ortizius, quo accurante Missale illud editum est, in sua ad Eminentissimum Ximenium præfatione, uti superius vidimus, pronuntiavit, *Immortales Tibi, antistes celeberrime, referant gratias seculi nostri homines oportet, cum vetera, et quasi obsoleta nostræ religionis arcana tanto studio revocare institueris* etc. Jam vero ut de primigenia additionum origine magis individuam hauriamus notitiam, animadvertere oportet, in quo Missalia ab ecclesiis Hispaniarum adoptata sub Alfonso VI versus annum 1091, (de qua re plura E præmisimus cap. 6) differant a pure Romano; et in quo conveniant cum Missalibus ecclesiæ Gallicanæ istius temporis.

non ex Romano tamen Missali accepta;

511 Quanto conatu regina Constantia apud Alfonsum VI, conjugem suum, institerit pro ritu Romano-Gallicano contra Mozarabicum, ex dicto capite satis liquet. Credibile est, Missale illud ab eleemosynariis ejusdem reginæ vel sacellanis, ipsam comitantibus in Hispaniam, e Gallia Toletum fuisse delatum; nisi malis, dictam reginam rituum sacrorum, quibus non assueverat, novitate perculsam, Missale patrium accersi jussisse, tunc præsertim, quando abrogationem Mozarabici Officii urgente S. Gregorio PP. VII, eique obsdecundante Alfonso rege, spem affulgere conspiciebat, extremam suo annisu manum admovendi dictæ abrogationi. Quomodocumque id contigerit, parum facit in rem nostram. Dispiciendum quippe nobis est, in quo Missalia Hispaniæ seculi xi discrepent a pure Romano; et contra in quo illa conveniant cum Missalibus Gallicanis eodem seculo xi usitatis. Factum probat Brunus a pag. 305 ex comparatione Missalium in Hispania usitatorum cum Gallicis, S. Pio V anterioribus; vidisse se dicens ex Missalibus illis Hispanicis Mss. in diœcesi Gerundensi usitatis; F et a duce Noaillio sibi communicatis: ubi suppeditari affirmat plurimas assertionis suæ probationes, et Missale ecclesiæ Toletanæ, quod Lugduni anno 1550 recusum est, et in quo omnia magis singulatim notantur, clarissime id manifestare.

uti ex comparatione

512 Et mox plurima ex isto Missali congerit loca, quæ sint et a Romano Missali diversa, et antiquis Missalibus Galliæ conformia. Ea vero sic commemorat: I. In Officio Nativitatis, Euangelium *Liber generationis* ante *Te Deum.* 2. Prophetia ante Epistolam in quatuor Missis Nativitatis. 3. In Ordine Missæ, *Confitemini Domino, quoniam bonus* etc. ante *Confiteor.* 4. Osculum crucis in ascensu ad altare, et antiphona *Salve crux* etc. cum oratione. 5. Oratio *In conspectu tuo Domine*, in extendendo corporali; sicut in antiquis Missalibus Narbonensi, Nemausensi, et plurium aliarum Galliæ ecclesiarum, uti notat Brunus. 6. Præparatio aquæ ac vini in calice ante Euangelium; prout faciunt Carmelitæ et Dominicani; et sicut fiebat Parisiis ante annum

Missalium

A num 1615, teste Bruno. 7. Oblatio fidelium, et benedictio panis, quem præsentant, facta post oblationem Hostiæ et calicis in altari. 8. *Veni sancte Spiritus sanctificator* etc. dictum super oblata; sicut in Missalibus Gallicanis seculi XI, secundum observationem, ait, Micrologi versus annum 1090; et oratio, *Descendat hic angelus bene-† dictionis, et consecrationis super hoc munus*; quam legi etiam addit Brunus in pluribus Galliæ Missalibus antiquis.

inter se

513 Nono. Osculum Hostiæ datum a sacerdote, ut prius inde accipiat pacem, quam eam det. 10. In Danda pace, *Habete osculum dilectionis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. Pax Christi* etc. II Antequam sumat corpus Domini nostri, *Ave in ævum sanctissima caro Christi* etc. 12. Antequam sumat sanguinem, *Ave in ævum cælestis potus* etc. 13. *Nunc dimittis* mox post ablutionem. Atque hæc quidem sunt, quæ rerum liturgicarum scrutator et eruderator ille notanda censuit: qui rem concludens monet, omnes illos usus non fuisse Missalis Romani, sed originem duxisse partim ex Missalibus, quæ Gal-B liarum ecclesiæ habuerant usque ad tempus Caroli Magni; partim ex additionibus, seculo nono adjectis.

declaratur.

514 Jam vero quæ addit de Missali Gallicano ante tempus Caroli Magni, nec non de additionibus seculo IX eidem adjectis; oppido videntur cohærere partim cum facto ejusdem Caroli Magni, qui ritus Gallicanos veteres cum Romanis commutavit, partim cum facto reginæ Constantiæ: ut proinde Missale Gallicanum seculi IX, et seculi XI, quod ex Gallia venerat, ac Toletano substitutum fuit, unum idemque censeri posse videantur. Porro de liturgia Romana in ecclesias Gallicanas a Carolo Magno invecta, tractat Mabillonius in opere De liturgia Gallicana lib. I, cap. 3, post Cardinalem Bonam Rerum Liturgicarum lib. I, cap. 12. Qualis autem liturgia ibidem usitata fuerit ante Carolum Magnum, nostri instituti non est operose disquirere; a quo tamen non adeo apparet alienum, ostendere ulteriorem liturgiæ Mozarabicæ cum veteri Gallicana conformitatem, juxta ea, quæ jamjam dixi de ritu seu de Missalibus Gallicanis, tempore Alfonsi VI Toletum introductis.

C

§ II. *Liturgiæ Mozarabicæ cum Gallicana antiqua consensus ac dissensus ab enumeratione partium.*

Consensus

Ex dictis paragrapho proxime prægresso intelligitur, quod liturgia Mozarabica, prout nunc edita exstat in Missali Ximeniano, in multis sit conformis ritui Toletano, qui Mozarabico, jussu regis Alfonsi VI, seculo XI substitutus, deinceps, uti opinor, ibidem loci adhiberi perrexit. Sed nunc alias utriusque liturgiæ consentientes partes enumeremus, præeunte Bruno a pag. 334; cujus circa præsens argumentum observationes hic transcribimus, examinaturi deinde consectaria, quæ ex ista consensione dictus auctor deducere conatur. Interea utriusque Missalis conformitatem ita ostendit: I. Secundum ambas hasce liturgias sacerdos salutat congregationem, dicens: *Dominus sit semper vobiscum.*

516 Secundo. Duæ habentur ante Euangelium D lectiones; quarum prima ex antiquo; secunda ex novo Testamento eruta est: excepto tempore Paschali: quando secundum unum et alterum ritum more ordinario legebantur duæ lectiones novi Testamenti, et una quidem ex Apocalypsi, altera vero ex Actibus Apostolorum. Festis Sanctorum legebatur etiam aliquid ex eorum Actis; id quod clare perspicitur ex præfatione Vitæ S. Æmiliani, auctore Braulione episcopo Cæsaraugustano; ut videre est apud Mabillonium in liturgia Gallicana pag. 21; interea, sicut observat Brunus, Missale Cardinalis hoc non exprimit. 3. Canticum trium Puerorum dicitur ante Euangelium; et mox addit idem auctor, revera non conspici illud Canticum in Missali Mozarabico, nisi in Ordine Missæ, sub titulo Omnium offerentium, qui totam, uti addit, S. Jacobi Missam comprehendit; et in prima Dominica Quadragesimæ; ita ut locum esse credendi censeat, non dici in aliis Dominicis.

ut utriusque

517 Sed concilium IV Toletanum nos docet canone XIV (de qua re Brunus egerat pag. 312; nos vero superius diximus cap. 3, § 2) quod juxta antiquam consuetudinem illud Canticum dici E deberet in Missa omnium Dominicorum dierum, et in omnibus solennitatibus Martyrum, et quidem sub pœna non communicandi. Si, uti pergit Brunus, ab aliquot seculis illud Canticum non sit dictum omnibus diebus festis et Dominicis in liturgia Mozarabica; valde verosimile judicat, quod idem factum fuerit a mille annis aut circiter, in aliquibus ecclesiis Galliæ; quia lectionarium Luxoviense non notet illud Canticum nisi in Missa Natalis Domini, et in Sabbato sancto. Indicat mox Brunus, circa rem illam ecclesias Hispaniæ inter et Galliæ disparitatem fuisse aliquam; illis utique Canticum istud dicentibus post lectionem veteris Testamenti; his vero illud non recitantibus nisi post novi lectionem; citans auctoritatem S. Germani. (Adi meam notam pag. 99 lit. *n.*) Sed locus, inquit, Natalis Domini ex Lectionario Luxoviensi mox citatus clare manifestat, quod consuetudo dicendi illud canticum post Lectionem novi Testamenti, non esset generalis in ecclesiis Galliæ, Lectionario isto illud notante post lectionem antiqui Testamenti. Plures igitur ecclesiæ Galliæ convenire poterant cum ecclesiis Hispaniæ circa locum hujus Cantici, id est, ut recitaretur inter antiqui et novi Testamenti lectionem.

istius liturgiæ

F

518 Quarto. Imponitur silentium ante lectiones. 5. Canitur *Alleluia* post Euangelium; cum hoc tamen discrimine, quod secundum Missale Mozarabicum canatur *Alleluia* immediate post Euangelium; ubi secundum S. Germanum (vide Brunum pag. 246) canitur post oblationem. *Sanctus* vel *Agios* (præter illud quod præcedit canonem) pluribus etiam vicibus canitur tempore Missæ, in una atque altera liturgia, sed non eodem loco. 6. Pro utriusque demum liturgiæ consonantia adjungi post ex Bruno consuetudo orandi generatim versus tempus oblationis; quamquam, prout insinuat, in liturgia Gallicana fierent istæ preces ante oblationem, atque adeo ante principium Missæ Fidelium; et e contrario non fiant secundum Missale Mozarabicum, nisi post oblationem. 7. Missa Fidelium secundum ambas liturgias inchoatur ab oratione, quam præcedit semper præfatio quædam vel monitio: et omnes fere Missæ habent proprias. 8. Post oblationem fit memoria vivorum ac mortuorum; atque enim in finem dicitur oratio, cui titulus *Collectio post nomina*

ostenditur ex neoterico auctore,

A *na* ; et quælibet Missa habet propriam. 9. Deinde datur osculum pacis, et sacerdos dicit orationem, quæ vocatur *Collectio ad pacem* : hæc quoque oratio propria est singulis Missis.

abenumeratione

519 Decimo. Pars illa Missæ, quam nos appellamus præfationem juxta usum Ecclesiæ Romanæ, in neutra harum duarum liturgiarum nomen istud habet : sed appellatur *Contestatio* vel *Immolatio* in liturgia Gallicana, et *Inlatio* in Missali Mozarabico. Ordinarie longior est, quam illa, quæ est secundum ritum Romanum ; et quælibet Missa habet sibi propriam. II. Loco illius, quod Canon vocatur in Missali Romano, oratio est, cui titulus *Post sanctus* ; quæ continet actus gratiarum actionum ac laudum ; qui sint tamquam præludium verborum sacramentalium *Qui pridie*, et qui relationem habent cum *Sanctus*. Voces hæ *Qui pridie*, vel *Ipse enim pridie*, sunt ad finem orationis *Post sanctus* in Missalibus Gallicanis ; et conspici posse satis clare, indicat Brunus, quod illæ ipsæ orationes Missarum Missalis Mozarabici finiantur modo quodam, qui conducit ad easdem voces *Qui pridie* etc. Consule, quæ dixi superius in annotatis ad § XI lit. *f*.

B

partium,

520 Duodecimo. Verba sacramentalia sequitur oratio aut formula etiam valde brevis, et quæ in majori parte Missarum diversa est. Oratio hæc vel formula dicitur *Post mysterium* aut *Post secreta* in Missalibus Gallicanis, et *Post pridie* in Missali Mozarabico : sed hoc eodem redit : illæque denominationes probant æqualiter, quod hæc oratio seu formula diceretur post verba sacramentalia ; quia illis semper præmittitur historia institutionis Eucharistiæ. 13. Canitur Antiphona inter fractionem Hostiæ. 14. Præfatio orationis Dominicæ in omnibus pene Missis est diversa. 15. Prosecutio seu explicatio ultimæ petitionis, orationis Dominicæ etiam diversa est fere in omnibus Missis. 16. Datur benedictio solennis inter orationem Dominicam et communionem : et benedictio ista in qualibet Missa est diversa : sed secundum Missale Mozarabicum sacerdotes eam dant sicut episcopi ; juxta ritum autem Gallicanum benedictio illa solennis a solis episcopis dabatur : verum quidem est, quod secundum hunc ritum sacerdotes etiam darent benedictionem in hoc Missæ loco ; sed id fiebat modo minus solenni : illam namque dabant formula multo breviore ; et formula ista erat semper eadem.

C

in ritibus bene multis reperiri :

521 Pergens ulterius ille liturgiographus notat 17., omnem credendi ansam suggeri, quod liturgia Gallicana consonaret etiam cum liturgia Mozarabica in cantando *Gustate et videte* paulo ante communionem Fidelium : ubi addit, ex Trecano (de quo nos supra in annotatis ad § XI lit. *n*) immediate post benedictionem collocato, satis indicari, quod cantaretur in eodem plane loco, quo canitur *Gustate et videte* in Missali Mozarabico ; et ex iis quæ superius de *Gustate et videte* dixisse se indicat, ostensum esse significat, omnino verosimile esse, quod ibi esset *Trecanum* S. Germani ; ut videsis apud Brunum pag. 330. De auctore hujus Trecani consule annotata, quæ jamjam citavi.

qui ad Ordinarium Missæ

522 Pluribus, quæ liturgiæ Gallicanæ ac Mozarabicæ communia sunt, referendis supersedendum sibi censet memoratus auctor ; prout videri posse asserit conferendo quatuor Missalia Gallicana, et Lectionarium Luxoviense cum Missali Mozarabico ; supersedendum, inquam, sibi censet ; quia non alium sibi præfixum fuisse scopum fatetur, quam ostendere conformitatem ambarum D istarum liturgiarum in eo, quod ordinarie dicitur in Missa ; non autem in eo, quod certis festis aut diebus dicitur. Adjungit, adeo persuasam fuisse seculo IX conformitatem ritus ecclesiarum Hispaniæ cum ritu ecclesiarum Franciæ usque ad tempora Pipini et Caroli Magni, ut Carolus Calvus crediderit, se videre istum antiquum ritum Gallicanum, quando jussit coram se celebrari Missam juxta ritum Toletanæ ecclesiæ ; ex epistola ipsius ad clerum Ravennatem : de qua redibit sermo. Dictus scriptor refert, se quoque non recensuisse plurima puncta, in quibus ambæ istæ liturgiæ conveniunt inter se cum ecclesia Romana ; quia non alia de causa istarum duarum liturgiarum conformitatem esse expositam fatetur, quam ut ostendatur, quod Mozarabica proveniat a Gallicana.

spectant.

523 Monitiones, orationes ac præfationes, ambarum liturgiarum non admodum differunt, nisi secundum terminos ; quin imo in terminis ipsis nonnumquam eas convenire observat in notatiuncula pag. 339, adducto exemplo. Denique suam de origine liturgiæ Mozarabicæ a Gallicana sententiam visus aliunde mitigare velle laudatus auctor, Si, inquit, liturgia Gallicana merito isto gaudeat, quod formam seu exemplar Missali Gothico Mozarabico præbuerit ; fatendum esse pronuntiat, quod Missalia Gallicana eidem cedere debeant propter varietatem et copiam orationum suarum ; non posse non esse mirabilem S. Leandri, S. Isidori, aliorumque Doctorum anteriorum vel posteriorum, qui isti rei allaborarunt, fœcundidatem ; magnam ordinarie in orationibus esse analogiam cum Euangelio diei, semperque multum gustus atque accurationis ; adeo ut suspici possit missale Mozarabicum tamquam fœcunda instructionum ac precum scaturigo. Verum priusquam conveniamus Brunum super ista assertione, qua censet, quod œconomiæ sacræ Mozarabicæ formam seu exemplar subministrarit liturgia Gallicana ; dispiciamus, in quibus altera ab altera dissentiat, ex fide Honorati a S. Maria, alias citati, tom. 3, pag. 202. E

Utriusque liturgiæ discrepantia ex alio recentiore auctore.

524 Utramque igitur dicit differre admodum liturgiam. I. Collectæ, quæ ibidem recitantur, nihil habent simile. 2. Lectiones tam antiqui quam novi Testamenti non concordant. 3. Canon in pluribus Missis non est idem. At mihi Canon Mozarabicus est (intelligo Canonem proprie ac stricte dictum) qui sic incipit : *Adesto*, *Adesto* etc., secundum dicta num. 456, et in annotatis ad §. 10 lit. *u*. 4. Dicebatur Symbolum Apostolorum ante orationem Dominicam, quod proprium est ritus Mozarabici. Denique modus, quo sacerdotes Mozarabes partiuntur Hostiam, numquam in usu fuit in aliqua alia liturgia, quantum quidem laudatus Honoratus se scire dicit. Porro de ista divisione actum est superius. An autem idem fuerit Galliæ et Hispaniæ mos in divinis Officiis, videri potest apud Cardinalem Bonam Rer. Liturg. lib. I, cap. 12 ; de patribus item utriusque liturgiæ agit Mabillonius Liturgiæ Gallicanæ lib. 1, cap. 5. Sed quæri potest circa duos istos liturgiographos, an in argumento præsenti commissa ab eis non fuerit hallucinatio, quæ inde originem traxerit, quod antiquos illos libros Missales, de quibus agebant, non satis distinguerent, sed confunderent potius. Controversia ista admodum connexa est cum alia, superius a me agitata cap. 3, § 6 ; num videlicet Ordo sacer Gothico-Hispanicus

A co-Hispanicus atque adeo Mozarabicus liturgicam suam formam debeat acceptam referre ritui antiquo Gallicano.; quæ controversia ea de causa apposite hic discutietur, ubi præmisero examen rationum, quibus Brunus inducitur, ut statuat exemplarem Mozarabicæ liturgiæ formam in Gallicano Ordine sacro constituendam esse; id quod neutiquam mihi probatur: a quo autem, an ab ipso, an a me stet potior ratio, discutiatur.

§ III. *An ex consensu antiquæ liturgiæ Gallicanæ cum Mozarabica concludi possit, hanc ab illa examplar seu formam accepisse.*

Ex consensu liturgiæ Gallicanæ

Id nego ego, affirmat Brunus. Rem expendamus. Ex tam consona utriusque liturgiæ analogia, proxime prægresso paragrapho ex Bruno exhibita per enumerationem partium, eo ducimur, B ut clarissime perspiciamus, quorsum tot, tam multa, tamque singularia puncta adeo studiose corraserit; nimirum ut ex comparatione singularum, quoad potuit, partium comprobaret, Hispanam liturgiam descendere a Gallicana. Et vero quod multo amplius alibi velit, quam in illis, quæ paragrapho primo hujus capitis decimi, ex ipso recensui, manifestum est: nam toto suo articulo quarto a pag. 334, unde relata § 2 proximo excerpsi, solam demonstrat utriusque ritus conformitatem, prout ex dictis liquet; controversam vero hic originem aliunde non probat ibi, quam ex eadem illa conformitate. Et sane aliunde, meo quidem judicio, videtur probanda fuisse origo ista: neque enim sequitur ex eo, quod duæ liturgiæ in multis sint conformes, unam e duabus ab altera derivari; sed nisi derivatio illa aliunde probetur, ecquis ex sola tali similitudine satis prudenter illam deducat? Itaque dum aliam ibi probationem haud reperirem, consulendam duxi Dissertationem Bruni quartam, quæ habetur in eodem tomo secundo, a pag. 228, et in qua tractat de antiqua liturgia ecclesiarum Gallicanarum.

cum veteri Hispana etc.

526 Articulo 1, pag. 230 sermonem habet de ejus antiquitate, quam post Mabillonium sæ- C pius citatum lib. 1, cap. 4, summam ipsi vendicat. Hanc equidem non negaverim; sed tota quæstio in eo vertitur, an liturgia Gallicana talem habeat excessum antiquitatis præ Hispana veteri, ut huic tamquam idea, forma atque exemplar illa præluxerit. Quæ contra excessum illum a Mabillonio assertum, responderim, invenies supra cap. 3, § 6 et 7; et quoniam prærogativa illa ritus Gallicani contra Hispanum mihi non satis ibi suadetur; non satis etiam mihi suadetur origo, de qua nunc disputatur. Æque quidquam ex ordine temporis, aut qualitate Officii Gallicani, vel juxta ipsiusmet Bruni principia seu placita, circa hanc in Gallorum favorem dirimendam controversiam statuere satis secure possum. Nam nec vult, nec potest hic agere de ritu Hispanico quatuor primorum seculorum; etenim tomo secundo citato pag. 232 dicit, quod Ordo ritus Gallicani (de antiquo est sermo) non sit Romanus: at vero pag. 272 diserte affirmat, et quantum potest, probat, Hispanum fuisse Romanum; idque tanta cum extensione temporis, ut D pag. 273 rotunde fateatur, *verum esse, quod nihil videatur durantibus quatuor primis seculis, quod designet in Hispania alios usus* liturgicos, *quam Romanos.*

non sequitur

527 Et postquam nonnulla subjunxisset, quibus hoc confirmat, *Ecce igitur*, ait, *usque tunc vestigia liturgiæ Romanæ.* Si ergo quatuor primis seculis nihil videatur, quod, ipsomet Bruno fatente, designet in Hispania alios ritus quam Romanos; et si ad illud usque tempus ejusdem ritus vestigia deprehendantur; ergo vetus Ordo Gallicanus per totum istorum quatuor seculorum decursum non extitit forma et exemplar ritibus antiquis Hispanicis; cum hi, ipsomet fatente, quatuor primis seculis Romani fuerint; ille vero, juxta id, quod ex ipso mox retuli, diversus a Romano dicendus sit. Cap. 1, § 1 egi de liturgiæ Hispanicæ quatuor primis Christi seculis origine ac propagatione. Consule præterea ejusdem capitis paragraphum 6 sub finem; quamquam, ut ibi monui, obscura admodum et ignota sunt, quæ circa sacra apud Hispanos istis seculis mysteria, imo etiam seculo v, ad posteros pervenerunt. Itaque fateamur, necesse est, quod in principiis Bruni controversa hic antiquæ liturgiæ Hispanicæ origo imputari nequeat antiquæ Gallicanæ, quatuor primis Christi seculis. E

in principiis

428 Eoque magis hæc elucescit assertio; quod idem scriptor pag. 232 censet, antiquum liturgiæ Gallicanæ Ordinem ab ecclesiis Orientalibus esse profectum. 1. Ob istius cum liturgiis Orientalibus conformitatem. 2. Quia, ut ait, primi Galliarum episcopi pene omnes fuerunt Orientales. Et sit hoc prout vult Brunus; sic hoc pacto rursus cohæret in principiis ejus, quod Ordo iste sacer Gallicanus, qui erat Orientalis origine, formam et exemplar tunc non suppeditarit Hispanico, qui Romanus erat: etsi candide fatear, me non assequi; neque satis intelligere, quidnam determinati circa conformitatem vel difformitatem partium accidentalium, in magno saltem numero, hujus vel istius liturgiæ respectu alterius statui possit primis æræ Christianæ seculis, ob rationes, capite primo, § 2 hujus Tractatus allegatas.

recentioris cujusdam liturgiographi,

529 Quod si ab iis, quæ de quatuor primis ære Christianæ sæculis ibi potissimum dixi, pergere lubet ad seculum v, quo barbaræ gentes in F Hispaniam irruperunt; invenies ibi tunc temporis duplicem exstitisse liturgiam, videlicet nativam antiquam Hispanicam, et adventitiam Gothicam; etiam juxta principia Bruni a pag. 273; quæ liturgia Gothica ex Oriente eruta sit, pag. 274; quamque habuerint Gothi in Hispaniam venientes, pag. 275. Consule quæ superius deduxi cap. 2. Turbulentis itaque hisce temporibus quis credat, liturgiam Gallicam, quatenus utique a Gallicano-Gothica Narbonensi erat diversa, ita migrasse ad Hispanos, ut suam inde liturgiam (pristina, quam habuerant, repudiata vel omnino immutata) tamquam ex quodam prototypo efformarint? Quis, inquam, id credat, nisi probatum alicunde hoc videat? Illud interim conficio ex seculo v, quod invecta tunc una cum Gothis in Hispaniam liturgia Orientalis, Gothis seculo VI ad catholicam fidem conversis, immixta fuerit veteri liturgiæ Hispanicæ, conformiter ad illa, quæ tradidi cap. 2; quæque dicit Brunus a pag. 278; addens, S. Leandrum ordinando hujusmodi

A hujusmodi Officio valde aptum fuisse; a quo quid seculo sexto; quid item seculo septimo ab ejus fratre S. Isidoro in materia liturgica præstitum sit, expendi superius capp. 2 et 3.

quæ examinantur

530 Hactenus itaque non video, qua veri specie asserat Brunus, quod liturgia Gallicana vetus formam et exemplar præbuerit Actioni sacræ Hispano-Gothicæ, et ita præbuerit, quasi hæc ex illa originem traxerit. Adeo certe infirma sunt et debilia, quæ alia occasione ille auctor habet a pag. 279; ut videantur fundari in unico incerto et conjecturali adverbio *peut être*, *forte*. Textum itaque ipsius sic e Gallico reddo: *Hic tempus est, quo S. Leander, archiepiscopus Hispalensis, laborare debuerit ad ordinandam totam liturgiam. Non esset rationi consonum, dicere, quod fecerit unam, ab illa, quæ antea* (apud Hispanos) *habebatur, omnino diversam: sed cogitandi locus datur, quod conservando bene magnam partem antiquorum usuum ecclesiæ eorum, multi ab Orientalibus mutuati fuerint, et* FORTE ETIAMNUM PLURES a RITU GALLICANO, *ad componen-*
B *dum Officium, cui episcopi Galliæ Narbonensis, qui istum jam tum ritum habebant, aptare se possent.* Unde intelligitur, quod incerta prorsus sit origo Brunum inter ac me controversa, neque ulla sex primis Christi seculis satis probabilia lucescant indicia, e quibus assertio ejus satis solide stabiliri queat.

rejiciuntur

531 Jam si gradum faciamus ad seculum VII, tantumdem habebimus, etiam in principiis Bruni: etenim decursis a pag. 280 canonibus concilii Toletani IV, ad usuum ecclesiarum Hispaniæ ac Galliæ Narbonensis uniformitatem spectantibus; pag. 283 fatetur, sermonem ibi non haberi de novo Ordine aut novis libris conficiendis; sed hoc unice agi, ut omnes istæ sub dominio Gothorum provinciæ, eisdem uniformiter sese accommodent. Quæ plane consentiunt opinioni meæ, qua novæ liturgiæ confectionem S. Isidoro adjudicavi cap. 3, § 3; ac concilii Toletani scopum exposui ibid. § 2, num. 107. Transi nunc, si lubet, ad seculum VIII et IX, quibus errores Missali Mozarabico imputati sunt; inde porro ad seculum X, quo integritas Officii istius comprobata; ad undecimum denique, quo abrogatum illud dixi; in meam sane intelligentiam non cadit, quo loco, quo tempore, quibusve rerum ac persona-
C rum adjunctis sæpe nominata hæc origo contigerit; quæ quoniam asseritur a Bruno, alicunde comprobanda foret ex solidiore aliquo argumento; quale mihi non apparet consimilis in plurimis partibus utriusque liturgiæ consensio; quo ut redeam, consideranda propono sequentia, conaturus probabiliter exponere, quo pacto ambæ istæ liturgiæ adeo inter se sint consimiles, ita tamen, ut idcirco altera alterius filia dicenda non sit.

tamquam non satis cohærentia.

532 Liturgia quippe antiqua Gallicana ex Bruni, sicut dicebam, sententia, ab ecclesiis Orientalibus profecta est; ex Oriente item saltem ex parte profecta est Hispano-Gothica; quia post Gothorum in Hispaniam adventum ex ritibus Orientalibus commixta; ergo non adeo mirum est, partes quasdam in utraque liturgia consonare: ergo nihil cogit in Galliam abire, ut analogiam illam inde in Hispaniam accersamus: ergo denique œconomiæ sacræ Hispanicæ forma a priore diversa sub Gothis indita est, quia mixta ex eorum usibus sacris, prout ante dictum fuit. Forte etiam veteris liturgiæ Hispanicæ ritibus ali-

quid superaddiderit Gallica Narbonensis, quæ simul cum Hispania unum constituebat corpus, et D
dominio Gothorum æque ac illa suberat, atque una cum illa ad totius ditionis Hispanicæ nationale concilium Toletanum quartum convenit. Quidquid sit, omnibus ita consideratis, nondum inducor, ut credam, liturgiam antiquam Gallicanam usque adeo præluxisse veteri Hispanicæ, ut ejusdem veluti parens, magistra et altrix formam rituum sacrorum atque exemplar eidem suggesserit. Atque hæc, quæ dixi circa originem hic controversam, ita accipi cupio, ut non pluris valeant, quam simplices fere, adde tamen non improbabiles, conjecturæ, ultra quas in rebus adeo obsoletis et obscuris vix datur, quo progrediaris; sed tametsi orem certo non evincant, argumenta tamen ad hominem, eo saltem valent, ut perspicuum reddatur, Brunum in præsenti nostra controversia ita se gessisse, ut plus probandum susceperit, quam probare atque persuadere potuerit, manendo etiam intra limites probabilis conjecturæ. Nunc dispiciendum est, an alia afferri possint ex Missalibus antiquis Gallicanis argumenta, quæ contra me faciant, et opinioni istius liturgiographi E
patrocinentur.

§ IV. *An ex Missalibus, quæ sub nomine liturgiæ Gallicanæ excusa sunt, controversia ista in favorem liturgiæ ejusdem decidi possit?*

Ea est conditio istorum librorum, ut pronuntiare non reformidem, nihil exinde lucis in favorem liturgiæ antiquæ Gallicanæ contra Hispanicam sperari posse. Brunus tomo citato, articulo 2, pag. 234 monumenta sex liturgiæ Gallicanæ enumerat, Missalia videlicet quatuor seu Sacramentaria, Lectionarium unum, et unam Missæ Expositionem. Ad Missalia quod spectat (de quibus solis agimus) duo ex illis indicarat Cardinalis Bona Rerum liturgicarum lib. 1, cap. 12, num. 6; *Dum*, inquit, *vetustos codices ad propositum mihi scopum pertinentes in celebrioribus bibliothecis perquiro, factum est Dei nutu, ut duos antiquissimos repererim, quorum seriem, stylum, characterem, singulasque Missas in eis contentas se-* F
dulo consideranti venit protinus in mentem, utrumque esse vetus Missale Gallicanum; quia et illis adamussim conveniunt, quæ Hilduinus tribuit Gallicis Missalibus a se visis; et priscis ritibus consonant ecclesiæ Toletanæ, ex qua Carolus Calvus sacerdotes adscivit, ut antiquum Galliæ morem ab ipsis celebrantibus disceret. Utrumque autem cum ipso Gothico seu Mozarabico a Cardinali Ximenio edito conferens, inveni ordinem et methodum. Missæ eumdem esse, orationes vero diversas. De facto Caroli Calvi, et ejus epistola ad clerum Ravennat, meminit Mabillonius in Præfatione ad Liturgiam Gallicanam.

Præmissa variorum Missalium mentione

534 Brunus, facta horum duorum Missalium mentione, tertii insuper meminit, reperti a Thomasio; qui omnes tres Romæ anno 1680 excudi curavit uno in volumine simul cum Sacramentario S. Gelasii; ac Mabillonius recudit Parisiis anno 1685, suo libro De liturgia Gallicana insertos. *Unus*, inquit Bona, *ex his codicibus*

A (duobus nimirum, de quibus egerat) *extat in bibliotheca serenissimæ Suecorum Reginæ ante annos nongentos scriptus, ut periti censent, literis quadratis et majusculis* etc. (Nunc vero, sicut refert Brunus eadem pag. 234, est in bibliotheca Cardinalis Ottoboni.) *Initio præfixus hic titulus est manu recentiori*, teste laudato Cardinale, *Missale Gothicum*. Thomasius *Gothicum sive Gallicanum vetus* illud nuncupavit; *Gothicum seu Gothico-Gallicanum* Mabillonius; quo videlicet usi fuerint Galli Visigothorum imperio subjecti : et vero *Gothico Gallicanum* esse notat Brunus ex Sanctis Gallicanis eidem iescriptis; quos ibidem enumerat; non autem Hispanicum, propter tres dies Rogationum ante Ascensionem ; quos serius in Hispania dicit receptos, et post Ascensionem locatos.

notitia ; 535 Missale alterum Thomasius inscripsit *Missale Francorum*; circa quod Brunus pag. 236 notat ex ejus signis, Gallicanum quidem illud exstitisse; sed Romanum etiamnum potius quam Gallicanum dici posse indicat; cujus ætatem cogitat usque post seculum VIII medium differendam. Aliud B denique Missale indicatur apud Cardinalem Bonam cap. supra citato ; quod a Thomasio *Gallicanum vetus*, a Mabillonio *Gallicanum* dicitur : et de quo pluribus tractat Brunus pagg. 237 et 238 ; notatis quibusdam ritus Gallicani, uti dicit, characteribus. Atque hæc quidem ita hactenus exposui, ut pervenire queam ad statum præsentis quæstionis; videlicet an ex libris istis liturgicis præsidii quidquam sperandum sit, ut probetur liturgiam Gallicanam tamquam exemplar ac formam præluxisse veteri Hispanicæ. Ex iis, quæ mox subjiciemus, eo, ni fallor, loci controversia hæc deducetur, ut ex citatis Missalibus nihil verosimile, nedum probabile conficias, quod facere utcumque possit satis.

ostenditur 536 Honoratus a S. Maria supra laudatus tom. 3. Dissertatione 3, lib. 5, art. 3, § 2 de antiqua Missa Gallicana tractans, ostendit propendere sese in illam opinionem, quæ censeat, quod antiqua Missa Gallicana forte eadem sit cum Gelasiana. Materiam hanc pluribus ibidem prosequitur idem auctor. Circa tria Missalia a Thomasio et Mabillonio producta, nimirum *Gothicum, Francorum*, ac *Gallicanum vetus*, quæ appellantur, nulla ab eis facta mentione de Gelasiano; circa tria, inquam ita Missalia observat, duobus istis scriptoribus, uti et Cardinali Bonæ adeo parum constitisse de distinctione, quam illa inter Missalia C ponunt, ut ea confundant inter se, aliis, ut ibidem dicitur, alio nomine utentibus : qua de re postquam Honoratus latius disseruisset, concludit pag. 195, quod illud sit totum fundamentum istorum auctorum, nomina adeo diversa dandi uni eidemque Missali, atque ex uno solo Gelasiano faciendi tria ; neque vero induci se posse, addit, ut credat, quod isti scriptores dare queant vadem aliquem, seculo ultimo anteriorem, qui liturgiam jam inde a seculo V in Gallia usitatam aliquo ex jam dictis nominibus nuncuparit. Contra vero, quod libri Missales apud Gallos usitati, initio seculi IX dicerentur Gelasiani, ex testimonio irrefragabili conficitur.

auctores ita discordare circa ea 537 Nam in descriptione seu recensione bonorum Centulensis monasterii, anno Christi 831 facta, atque impressa apud Dacherium tom. 4. Spicilegii, libro 3, capite 3 leguntur ista : *De libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt : Missales Gregoriani tres; Missalis Gregorianus, et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus* I. *Missales Gelasiani* XIX. Juxta hunc itaque textum D Missa tunc celebrabatur in Gallia ritibus tribus diversis : Romano videlicet, qui eo erat introductus tempore Caroli Magni; at necdum adeo generaliter stabilitus, ut antiquus ritus Gelasianus ibidem esset abolitus. Itaque spectatis dicti instrumenti terminis, Ordo Gelasianus tunc temporis ibidem adhuc obtinuerit, solusque cognitus debuerit esse, antequam Carolus Magnus in Gallia et Germania receperit Romanum; cum in isto monasterio essent novemdecim Missalia Gelasiana, non obsoleti, non abrogati, sed usitati tunc moris; cum de iis ratio habeatur, tamquam *De libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt*. Ceterum ea, quæ hic ex laudato Honorato in compendium contraxi, diffusius deducta apud eum consuli possunt. Et vero non ritum in Gallia exstitisse ante tempora Caroli Magni, quam Gelasianum, suadere prosequitur Honoratus a pag. 196.

538 Ex hisce autem Cardinalis Bonæ verbis *inter se,* Rer. liturg. lib. 1, cap. 12, art. 5, *Deducitur, veterem Missam Gallicanam ei similem fuisse, quæ Toleti et per universam Hispaniam, atque etiam in Gallia Narbonensi*, colligit Honoratus pag. 198, sapientem hunc Cardinalem certo aberrasse : E *nam*, sicut subdit, *liturgia Gallicana, quæ similis est Hispanicæ, non est antiqua Gallicana; sed Gothica Gallicana, quæ ita vocatur, quia usitata erat in provinciis Galliarum, quæ dominio Gothorum suberant : Missa* autem *Gallicana antiqua erat communis reliquæ Franciæ. Sic Missa Gallicana, quæ similis est vel eadem, quæ Hispanorum, non est antiqua Gallicana, aut Gelasiana, sed Gothica Gallicana; quæ continuo appellata fuit Gothica, quia Gothi dominabantur in Hispania; nominata quoque Gallicana, quia populi isti possidebant Galliam Narbonensem. At quando Gothi ex Hispania a Mauris fuerunt ejecti, liturgia ista non fuit amplius appellata Gothica, aut Gothica Gallicana, sed Mozarabica vel Muzarabica. P. Thomasius et P. Mabillonius ut hanc a Gallicana distinguerent; nominant* GALLICANAM VETEREM; illam vero GOTHICO-GALLICANAM.

539 In memoriam quoque revocat Honoratus *ut origo liturgiæ Hispanæ a Gallicana* pag. 198, quod Thomasius crediderit Missale, quod *Gohicum* appellat, usitatum fuisse in Francia, antequam ritus Romani ibidem fuerint admissi, qui admodum, ipso judice, erant diversi ab his, qui spectantur in isto Missali Gothico. *Sane*, inquit Thomasius in præfatione ad librum suum (quem F inscribit *Codices Sacramentorum) Gallicanæ ecclesiæ vetus hoc esse Missale, antequam Romanos ritus ab eo longe diversos admitteret, mihi pene* (non *plene*, sicut legitur apud Honoratum) *exploratum habetur*. Jam vero, ut pergamus cum Honorato, certum esse dicit, quod Missale apud Francos usitatum ante Caroli Magni tempus, non fuerit illud, quod auctor ille appellat *Gothicum*, sed illud, quod alibi appellat *Gallicanum vetus*; quia hoc sit, quod *animadverto*, inquit, *ad Romanos ritus proprius... accedere*. Ac Mabillonius Liturgiæ Gallicanæ lib. 3 in Præfatione etiam consentit, quod in Gallicano veteri *Ordo ex Romano et Gallicano mixtus exhibetur* : id quod de Missali Gothico, quod ab ordine Romano admodum sit diversum, intelligi haud posse, observat Honoratus.

540 Perspicis, lector benevole, quam variæ *inde probari possit.* discrepantesque inter viros illos eruditos inveniantur

A antur circa libros sacræ liturgiæ usui destinatos sententiæ; quamque implexis omnia sint tricis involuta, quæ tamquam principia assumuntur, quibus cum aliqua si non probabilitate, saltem verisimilitudine perveniri queat ad determinandam veteris liturgiæ Hispanicæ a Gallicana antiqua originem. Retuli autem ex Honorato ea, quæ in rem meam dixit, unice securus, an omnia et singula secundum exactas justæ critices leges dici debuerint, prout ea dicit; neque enim mei est instituti, examinare nedum dirimere istas controversias, quæ longe nimium abducunt a præfixo mihi scopo, et dirimi forte neutiquam satis tuto possunt. Satis quippe mihi est, vel retulisse ex iis, qui tricis hisce operam navarunt, incommoda ac difficultates; quibus fiat, ut nec ipsi inter se concordent, nec facile suaderi possit, a qua parte stet potior pro veritate ratio. Maneat itaque fixa illa ex ante dictis conclusio, non satis probari, quod œconomia veteris liturgiæ Hispanicæ originem trahat ex antiqua Gallicana; quidquid Brunus ex utriusque analogia conficere illud voluerit; neque ex intricatis, incertis ac controversis adeo principiis, quæ ab antiquis Missalibus assumuntur, quidquam superaddi tanti momenti, ut in aliam nos inclinet opinionem. D

Notitia tomorum Mss. Mozarabicorum mox hic danda.

541 Nunc extremum hunc, lector benevole, mihi permitte laborem, quo notitiam tibi suggeram tomorum manuscriptorum Mazarabicorum, qui asservantur in bibliotheca capitulari metropolitanæ ecclesiæ Toletanæ; ex eorum descriptione, cui sequens et ultimum præsentis hujus Tractatus præliminaris subserviet caput. Observationes porro, notitiæ isti interspersæ, eo etiam conducere poterunt, ut occasionem tibi præbeant memoriam refricandi aliquarum rerum, quas in decursu superius tractavi.

CAPUT XI.

B

Notitia Tomorum Mss. Mozarabicorum, qui Toleti asservantur.

E

§ I. *Eorum descriptio : una cum variis observationibus.*

In fide D. Petri Camini

Descriptionem hanc volens lubensque cum grata, ut debeo, memoris animi testificatione, acceptam refero Viro longe mihi colendissimo, ac superius laudato, D. Petro Camino Velasco, S. Inquisitionis Toletanæ Commissario, nec non ecclesiæ parochialis S. Sebastiani Mozarabum in eadem urbe Rectori; qui eam et suapte manu descripsit, et huc direxit. Ex Hispanico itaque memorati Viri exemplari præcipua delibabo, atque ea in ejus fide referam, non invito, uti confido, lectore; delibabo, inquam, inde præcipua, quæ convenire potissimum judicabo, lector ut noverit : nam individua omnia, etiam minutissima istorum codicum adjuncta, quæ accuratissime ac diligentissime notanda sibi censuit laudatus Caminus, huc diffuse transcribere supersedeo; ne plus excrescat sermo, quam res ipsa postulat.

C

datur octo tomorum Mss.

543 Manuscripta ista membranacea sunt, atque in Tomos octo seu corpora dividuntur; quæ laudatus Caminus ex eorum inscriptionibus Latinis, quas subdit, nosque ex ipso ita dispescimus. Itaque hisce verbis ab ipso datur descriptio Tomi primi : *Missal. Muzarab. Pars* I. *Gothic. continens Missas a Paschate, usque ad Pentecost. Num.* 1.

Secundi : *Missal. Muzarab. Pars altera Gothica, continens Missas de Tempore et Sanct. Num.* 2.

Tertii : *Missal. Muzarab. Pars altera Gothic. contin. varias Missas Sanctor. et Quotidianas. Num.* 3.

Quarti : *Missal. Muzarab. Pars altera Gothic. continens Missas Sanctorum et Officia. Num.* 4.

Quinti : *Missal. Muzarab. Pars altera Gothic. contin. Missas B. Mariæ V. a Sancto Ildephonso compositas. Num.* 5.

Sexti : *Breviar. Muzarab. Pars* I. *Gothic. contin. part. Psalter. Cantic. et Hymn. Num.* 6.

Septimi : *Breviar. Muzarab. Pars altera Gothic. contin. part. Psalter. Offic. prop. Sanctor. et Hymn. Num.* 7.

Gothicorum partitio.

Octavi : *Breviar. Muzarab. Pars altera Gothic. Quadragesim. Num.* 8.

544 Vides omnibus et singulis horum librorum Mss. partibus nomen *Gothicum* apponi quod si ideo apponatur, quia Gothico omnes et singuli charactere sint conscripti; ut res illa combinetur cum iis, quæ cap. 6, § 6 de abolitis seculo XI in concilio Legionensi characteribus Gothicis stabilita sunt; oportet, ut omnes et singuli isti codices ante illam abrogationem conscripti fuerint : neque enim in animum induco, litteris illis operam esse datam, quando jam erant abolitæ. In qua tamen re videtur aliqua esse difficultas, ex dicendis de codice octavo. Verum utcumque se hoc habeat, nos exemplar nostrum secuti sumus, nolentes quidquam detrahere venerabili dictorum Tomorum antiquitati.

cum observationibus

545 Dictæ codicum partitioni subdit harum notitiarum scriptor observationes suas, quibus eos elucidat. Ac super Ms. quidem quod numero primo signatur, dicit I. Quod inter cooperculum ejus ac folium primum collocatus sit Tractatus Missæ et Officii Gothici, ubi referantur ejus institutio, ritus, ac cæremoniæ, auctore Francisco de Pisa, qui constanter affirmet, et evidenter probet, uti censet Caminus, quod Missa, et Officium sanctum Gothicum Isidorianum, aut Mozarabicum manarit immediate ab Apostolis; quodque celebrationis ejus formam, a multis deinde nationis Gothicæ Sanctis illustratam, quales fuere S. Leander, S. Isidorus, S. Fulgentius, S. Ildephonsus etc.; quod, inquam, celebrationis ejus formam invexerint in Hispaniam S. Torquatus, ac socii ejus; quodque hæc eadem sit, quo usi fuere Patres isti, et quo hodiedum utuntur Mozarabes. At tu vide, lector, quæ de obscuritate liturgiarum primis quatuor æræ Christianæ seculis dicta sunt cap. 1; ubi et de S. Torquato ac Sociis ejus dixi; item quæ cap. 9, § 10. F

546 Laudatus

super codice primo,

A 546 Laudatus auctor affirmat 2. Quod, si vidisset istum Tractatum Baronius, quando Annales scribebat ecclesiasticos, dubium non sit, quin omnem istam antiquitatem tribuisset Officio Gothico, retractassetque opinionem suam, quod ejusdem auctor fuerit S. Isidorus. Consulesis, quæ præmisi cap. 3, § 3. Diligens noster codicum illustrator censet 3. Eminentissimo Cardinali Bonæ haud futurum fuisse satis, affirmando ex clarissimo testimonio verborum orationis Post nomina in Missa Gothica S. Martini, episcopi Turonensis, quod istud Officium jam esset usitatum anno Christi 402. De hoc testimonio supra actum est capite 3, § 3, jamjam designatis; quod item postea a nobis dabitur antiquis characteribus expressum.

secundo,

547 Progressus Caminus ad manuscriptum numero 2 notatum, in quo exstant Missa de Tempore et Sanctis, dicit, in eo haberi Missam de Cathedra S. Petri Antiochiæ, (quod festum esse unum ex antiquioribus ab Ecclesia celebratis observat. Vide tamen ea; quæ, occasione mihi oblata ex fragmento antiqui Kalendarii Gothici, jam præmisi cap. 9, § 6 versus finem) et in ejus-
B dem Missæ oratione prima, quæ vocatur Missa, atque incipit: *Diem in quo beatissimo Petro* etc.; litteram istam initialem D inter omnes tam hujus quam reliquorum Manuscriptorum adeo singularem esse observat; ut ad graphicam illius expressionem sese fateatur adduci; id quod fidelissime exsecuturum se addit, exprimendo ejus formam, magnitudinem, lineas, characteres ac colores, prout exhibentur in originali; quamque nos hic ligno incidi curavimus.

in quo habetur littera; hic in lignum incisa.

548 En itaque eam, quam in hocce ectypo, ad imitationem exemplaris huc missi, expressam cernis.



Id quod in littera illa est singulare, exhibetur in ejus inscriptione, quæ eamdem obit in circulo superiore, Gothicis, inquit, characteribus expressa, qui ad Latinos translati, sic dicunt: Elenus abbas, etsi indignus, scripsit. Quæ epigraphe si talem notitiam dedisset anni, quo scripta est, qualem dat scriptoris, qui eam manu exaravit, indicat auctor noster, quod potuisset supersedere labore revolvendi multos e codicibus Mss. istius bibliothecæ; at vero neque in illis, neque in subscriptionibus, quæ de abbatibus Hispanis leguntur in collectionibus conciliorum Hispanorum apud Illustrissimum Loaisam, et Eminentissimum Aguirrium, occurrere fatetur notitiam de isto Eleno abbate; atque adeo non posse se dare punctum fixum antiquitatis Manuscripti istius; etiamsi magnam esse addit, D
prout ex istis, atque ex characteribus orationis, *Deus qui mirabilis es* etc. confici censet.

Codex numero 5 signatus

549 In Ms. autem, quod numero 5 notatur, ubi habentur Missæ, secundum ante dicta, a S. Ildephonso compositæ ad honorem et gloriam beatissimæ Virginis Mariæ; inveniri refert notam; Joannis Baptistæ Peresii, primo Canonici Toletani; deinde vero episcopi Segorbiensis manu adscriptam: *Hic liber in magno pretio habendus* etc.; de quo testimonio dictum est supra num. 140. Vitam quidem S. Ildephonsi; a Cixila, prout fert illud testimonium, compositam, fatetur Caminus, se non vidisse; at vero significat, posse se affirmare res duas, ad majus istius testimonii robur accomodatas; quarum una sit, quod Missæ de Annuntiatione, Nativitate, et Assumptione Dominæ nostræ, quæ inveniuntur in illo codice, ordinatæ ac compositæ sint omnes ex sententiis ac clausulis integris libri De illibata virginitate sanctæ ac gloriosæ Dei Genitricis Mariæ, quem scripsit S. Ildephonsus, et qui reperitur tomo 9 Bibliothecæ veterum Patrum, a Margarino de la Bigne, doctore Parisiensi, in lucem editæ. Videatur, inquit Caminus, E
iste liber ac conferantur prædictæ Missæ; quæ, tametsi non eo ordine ac forma sicut in codice Gothico, inveniuntur insertæ Missali Mozarabico; breviores quidem, at plenæ tamen torrentis synonymorum, quæ dulci et devoto calamo S. Ildephonsus effudit.

laudatur præ reliquis ab antiquitate.

550 Res alia est, quod codex iste littera ac forma adeo a reliquis sit diversus, ut sine majore probatione duplicatam præ illis antiquitatem habere eum censeat. Characteres etenim sunt majores, atque adeo rudi modo formati, ut sine magno labore ac vigilantia legi haud possint. Scriptura ductu continuo constat, sine ulla separatione, præter illam, quæ datur ab una linea ad aliam. Neque in eo occurrunt lusus quidam calami etiamsi rudes, qui occurrunt in aliis codicibus: (nam, uti in exemplari notitiarum præmittit Caminus, in oris ad manum sinistram, ubi incipit Missa, Officium, Psalmus, Hymnus etc., apparent variæ aves, pisces, animalia, flores, et quædam etiam figuræ hominum, monachali habitu vestitorum etc.) Omnia denique folia adeo denigrata sunt ac male habita, ut manu tractari non possint sine attentione et cura. Hæc tamen, quæ ex Camino pro antiquitate istius Ms. collegi, non usque adeo ipsi faciunt satis, ut asserat, illud esse idem, quod S. Ilde- F
phonsus conscripsit; imo vero quamquam prædicta antiquitas indicium præbeat, neque inveniatur memoria in istius bibliothecæ indicibus aut registris, a quo, et quando hoc in illa collocatum sit; totum hoc nondum sufficere fatetur ad formandam conjecturam, quod S. Ildephonsus illud manu sua exararit; dicique dumtaxat posse, quod sit copia seu exemplar transcriptum ipsis immediate gloriosi Sancti temporibus.


Minoris antiquitatis est Ms. 8; quantæ vero, nescitur.

551 Ms. numero signatum octavo, et ex octo ultimo, minoris esse antiquitatis profitetur Caminus, ex perfectione characteris, colori nigri ac rubri, quibus solis conscriptum est, claritate, ac foliorum membrana nitida, recteque tractata. Hæc porro nota, charactere rubro expressa, ei apponitur: Finit hic liber, Deo gratias, regnante Domino Adephonso, per manus Ferrandi Joaniz, presbyteri ecclesiæ sanctae. Justæ et Rufinæ civitatis Toleti in mense Aprilis. Non apponitur annus.

§ II.

§. II. *Antiquitas Missalis Ms. Gothici seu Mozarabici in schemate exhibita.*

Oratio (quæ dicitur post nomina) desumpta ex Missa S. Martini Episcopi Turonens., quæ habetur in Missali Gothico Mauuscripto num. 2. scrin. 30 bibliothecæ Capitularis S. Eccles. Tolet. Hispaniar. Primat, ex eodem Manusc. fideliter transcripta, et iisdem characteribus expressa. Titulus ipsissimis characteribus coloribusque, quos habet Codex Gothicus; inquit Caminus; e cujus apographo sequens ectypon damus.



MISSA IN DIE OBITUS S. MARTINI

POST NOMINA

Deus qui mirabilis es in sanctis tuis. cujus
cultui deputatur quicquid ami-
cis tuis honoris impenditur intenta
oratione te poscimus. ut hunc diem
quem sancti et inconparabilis viri marti-
ni inlustrat excessus prosperum nobis
et posteris in rebus nationum. propiti-
atus indulgeas : tribuasque ut cujus
veneratores sumus. imitatores effici
mereamur. hunc etiam virum quem celi-
colis adnumerandum martyribus adgregatum
ætatis nostre tenpora protulerunt. Jube-
as auxilium nostris ferre temporibus dubium enim
non est quod sit martyr in celo qui fuit con-
fessor in seculo : quum sciatur non martyno
martyrium. sed martyrio defuisse martynum.
Oramus te domine ut qui tantum potuit tuis
equare virtutibus. ut vitam mortuis red-
deret : dignetur etiam defunctorum spiritus
consolare. et huc viventes in tribula-
tione defendere. qui potens fuit
mortuos suscitare : amen.

Oratio de S. Martino

553 Idem sæpius laudatus Vir, qui codicum Mozarabicorum ideam nobis suggerit, mox productam, et ex antiquo exemplari a se delineatam orationem, aliunde illam nobis exhibet; prout constat ex hac inscriptione, quam eidem præmittit: *Oratio eadem ex Missali editionis Latinæ venerabilis et Eminentissimi DD. Francisci Ximenez de Cisneros, S. R. E. Cardinalis, archiep. Toletani, Hispaniarum Primatis, qua ad celebrandum Officium sanctum Gothicum utimur Presbyteri Muzarabes Toletani;* quæ subditur his verbis :

Post nomina. Oratio.

et Misali Mozarabico

*Deus qui mirabilis es in sanctis tuis : cujus cultui deputatur quicquid amicis tuis honoris impenditur. Intenta oratione te poscimus : ut hunc diem quem sancti et incomparabilis viri martini inlustravit excessus : prosperum nobis et posteris in rebus nationum * propiciatus indulgeas. Tribuasque ut cujus veneratores sumus : imitatores effici mereamur. Hunc etiam virum quem celicolis ammirandum martyribus adgregatum etatis nostre tempora protulerunt : jubeas auxilium nostris ferre temporibus. Dubium enim non est : Quod sit martyr in celo qui fuit confessor in seculo. Cum sciatur non martyno martyrium : sed martyrio defuisse martynum. Oramus domine ut qui tantum potuit tuis se equari virtutibus : ut vitam mortuis redderet : dignetur etiam defunctorum spiritus consolari : ac viventes in tribulatione defendere : qui potens fuit mortuos suscitare. Amen.*

* *al.* actionum

typis edito.

554 Et mox subdit sedulus hujus nostri Tractatus præliminaris allaborator : *Habetur hæc oratio pagin.* 402 *et* 403 *ejusdem Missalis.* Variantes utriusque textus lectiones notare supersedeo; quas quilibet per se satis observare poterit, unam cum alia conferendo. Illa vero, quam ad marginem adjeci, desumpta est ex Eminentissimo Cardinale Bona lib. I, cap. 12 Rer. liturg.; ubi istam quoque orationem excusam reperies.

Autographum

555 Atque hæc quidem sunt præcipua, de quibus circa descriptionem antiquorum codicum Mozarabicorum, in bibliotheca capitulari ecclesiæ metropolitanæ Toletanæ, Hispaniarum Primatialis asservatorum, instruendum me censuit V. Cl. Petrus Caminus Velascus; qui famosam ex Missa S. Martini, episcopi Turonensis, orationem, folio primo ejusdem suæ descriptionis repræsentatam, accuratissime ac fidelissime a se expressam fuisse secundum verum, genuinum ac primigenium Missalis antiqui Mozarabum exemplar, constare voluit; prout conficitur ex testimonio ejus infrascripto. Famosam dixi orationem; quæ utpote eruditis apprime sit cognita liturgiographis, Cardinali Bonæ, Mabillonio, ac Bruno; quibus addi potest P. Honoratus a S. Maria in Observationibus super regulis et usu critices tom. 3, pag. 200. Interea dum ego, lector, hic te mitto ad superius caput 3, § 3 ac 6, subjicio testimonium Latinum, quod huic codicum jam datæ descriptioni adjecit eorumdem descriptor Velascus.

harum notitiarum descriptoris testimonium.

556 *Ego infrascriptus S. Inquisitionis Toletanæ Commissarius, et ecclesiæ parochialis S. Sebastiani Mozarabum in eadem Urbe Rector indignus, Fidem facio, RR. PP. Johanni Pinio, et Guilielmo Cupero, Societatis Jesu, magni Operis Bollandi et Papebrochii meritissimis continuatoribus, omnibusque hæc visuris; Quod Oratio characteribus Gothicis supra fol.* I *expressa, et incipit : Deus qui mirabilis es etc., fuit per me eisdem verbis, characteribus, lineis et coloribus, fideliter transcripta, et delineata ex Missa S. Martini episcopi Turonensis, quæ exstat in Missali Gothico membranaceo Manuscripto num.* 2. *Qui quidem Manuscriptus, cum reliquis septem etiam membraneis scriptis, et totum Divinum Officium Gothicum continentibus, servatur in scrinio num.* 30 *bibliothecæ Capitularis, hujus S. Ecclesiæ Toletanæ, Hispaniarum Primatialis, et mihi cum septem prædictis exhibitus, et traditus fuit jussu Illustrissimorum ac Reverendissimorum DD. Decani et Capituli, ejusdem S. Ecclesiæ, per manus D. Johannis Rico bibliothecarii, ad effectum, non solum præfatæ delineationis, sed et omnium Codicum descriptionis, quam per me pari diligentia, fidelitateque factam fuisse testor, affirmo, et meo nomine subscribo. Toleti ex bibliotheca S. Ecclesiæ, Hispaniarum Primatialis,* VII *Idus Martii, anno Domini* MDCCXXVII.

Petrus Camino Velasco
S. I. T. C.

NOT. Vide notam ind. in VII tom. Julii pag. 869 ad. 889.

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM

CAPUT I. Origo liturgiæ Hispanicæ; qualis ea fuerit quatuor primis æræ Christianæ seculis, pag. I. § I. Status quæstionis; origo liturgiæ Hispanicæ S. Petrus apostolus; alii in hac re ipsius adjutores. § 2. Obscura prorsus atque incerta sunt, quæ quatuor primis Christi seculis, cum de aliis liturgiis tum de Hispanica inquiruntur, 3. An liturgia aliqua quatuor primis Christi seculis scripto exarata fuerit. Sententia negans, 4. § 4. Sententia affirmans liturgiam aliquam tunc temporis exstitisse; seu difficultates sententiæ id negantis, 7. § 5. Reliquæ in hac materia difficultates. An aliqua hujusmodi liturgia quatuor primis Christi seculis apud Hispanos, 9. § 6. Commenta quædam liturgica in pseudo-Chronicis notata; certiora quædam ex concilio Toletano primo anni 400 liturgiæ veteris apud Hispanos vestigia eruuntur, II.

CAPUT II. Status veteris liturgiæ Hispanicæ seculis V et VI, 12. § I. Hispania a barbaris occupata; summa rerum potiti Gothi; liturgia tunc ibidem duplex; disciplinæ ecclesiasticæ observatio. § 2, Plurima ad res liturgicas spectantia proferuntur, 14. § 3. Liturgia Romano-Hispanica ex Orientali commixta, 16.

CAPUT III. Acta circa res liturgicas seculo VII, 19. § I. Multiplex earum notitia ex decretis concilii Toletani IV. § 2. Aliæ ex decretis ejusdem concilii Toletani IV notitiæ, 20. § 3. S. Isidorus, archiepiscopus Hispalensis, de Officio Gothico-Hispano optime meritus; an novi fuerit conditor, 22. § 4. Orationes in Sacrificio Missæ, tempore S. Isidori; nonnulla circa liturgiam sacram ex variis Hispaniæ conciliis eruta, 24. § 5. Viri illustres in amplificanda liturgia sacri adjutores; unde Gothica illa nuncupata sit, 26. § 6. An vetus liturgia Gallica sit antiquior quam Hispanica, 28. § 7. Alia quædam ad dictam antiquitatem pertinentia, 30.

CAPUT IV. Christiani eorumque liturgia sub Saracenis seculo VIII, 32. § I. Hispaniæ ab Saracenis subjugatæ notitia generica; rerum liturgicarum singularis; quo tempore tragica illa catastrophe acciderit. § 2. Mozarabes, eorumque Officium sacrum; qua lege, et ubi illud exerceri permissum; nominis etymon, 34. § 3. An et quousque liturgiæ Mozarabicæ exemplaria, Felicis Urgelitani et Elipandi Toletani erroribus corrupta, 36.

CAPUT V. Monumenta quædam circa ritum Mozarabicum seculis IX et X ad posteros transmissa, 38. § I. Quid actum sit de Mozarabibus in urbe Cordubensi. § 2. Officii Mozarabici integritas seculo X comprobata, 40.

CAPUT VI. Variæ Officii Mozarabici vicissitudines seculo XI, 41. § I. Quid in nonnullis locis circa illud sit actum; decreta abrogatio in Aragonia, approbatio ejusdem ab Alexandro PP. II facta. § 2. Ritus Gothicus seu Mozarabicus a concilio Mantuano probatus; acta contra eum in conventu Barcinonensi, et in Aragonia, 43. § 3. S. Gregorius PP. VII ritum Mozarabicum abolere conatur in regnis Castellæ ac Legionis, aliisque Hispaniæ locis, 45. § 4. S. Gregorii PP. VII, concilii Burgensis, et Alphonsi VI gesta pro abrogatione Officii Mozarabici; res duello commissa, non dirempta fertur, 47, § 5. Officium Mozarabicum igne probatum; deinde abolitum in regno Castellæ, Legionis etc.; in locis quibusdam particularibus retentum, 50. § 6. Aboliti in concilio Legionensi characteres Gothici; indultum ab Alphonso VI Mozarabibus in abrogatione sui Officii temperamentum, 52.

CAPUT VII. Privilegia Mozarabibus indulta seculis XII, XIII, XIV, XV; Eugenii PP. III contra eos epistola, 53. § I. Diploma Alphonsi VI, regis Castellæ ac Legionis; jubentur ab Eugenio PP. III obedire archiepiscopo Toletano, et ritui Romano se conformare; alia privilegia illis concessa. § 2. Alia quædam ab regibus Alphonso Castellano, et S. Ferdinando indulta Mozarabibus privilegia, 55. § 3. Diploma Alphonsi Sapientis, 57. § 4. Aliorum Regum Hispaniæ diplomata seculi XIV et XV; quibus Mozarabum privilegia confirmantur, 58.

CAPUT VIII. Officium Mozarabicum ineunte seculo XVI mirifice illustratum; confirmatio privilegiorum seculo XVII; status rerum Mozarabicarum hodiernus, 60. § I. Eminentissimus Franciscus Ximenius Cisnerius ejusdem restaurator; Breviarium ac Missale excusa; fundationes, sacellum. § 2. Authenticum instrumentum Cardinalis Ximenii, et Capituli Toletani, circa bona Mozarabum fundationi annectenda, 62. § 3. Consensus Sedis Apostolicæ circa bona prædicta, Mozarabum fundationi annectenda. Alia ejusdem Sedis bulla, unde, a quo, qua fide transcripta, 64. § 4. Alia ista Sedis Apostolicæ bulla hic datur, 65. § 5. Fundationes in favorem ritu Mozarabici Salmanticæ et Vallisoleti; privilegia ab Hispaniarum regibus et tandem a Carolo II confirmata; status rerum Mozarabicarum Toleti hodiernus, 66.

APPENDIX I. Personæ illustres, quæ Missam Mozarabicam Toleti sua præsentia honorarunt usque ad annum MDCCXXIII, 68.

APPENDIX ALTERA. Viri virtute ac litteris illustres, quos congregatio pastorum ac beneficiatorum Mozarabum Toletana habuit, 70. § I. Eorum Catalogus usque ad initia seculi XVII. § 2. Reliquorum virorum illustrium series pertexta usque ad annum MDCCVI, 71.

CAPUT IX. Officii Mozarabici ac singularum ejus partium notitia, 72. § I. Quædam generatim prænotata; Horæ Canonicæ. § 2. Missæ Dominicarum Quadragesimæ, feriarum Quadragesimæ, Vigiliarum totius anni, ac pro Defunctis. Quædam speciatim notatu digna circa Missam Mozarabicam Orationes pro Eminentissimo Mozarabum fundatore. Sancti, 74. § 3. Liturgiæ Mozarabicæ Hymni, 76. § 4. Quædam peculiaria Officio Missæ ac festis Mozarabicis referuntur, 77. § 5. Kalendarii antiqui ad alia expensi fragmentum; antiquitas ejus, 78. § 6. Alius quidam prædicti Kalendarii antiquitatis idiotismus; Sancti in eodem signati, 80. § 7. Kalendarii Mozarabici hodierni primum semestre, 82. § 8. Kalendarii Mozarabici hodierni semestre alterum,

terum, 85. § 9. Præparatio proxima sacerdotis ante Missam; ejusdem idea, ac cæremoniarum descriptio, 88. § 10. Missale Offerentium usque ad orationem Post nomina, 91. § II. Reliqua Missalis Offerentium usque ad finem, 96. § 12. Horæ ac Missa Mozarabica illustrantur exemplo, 99.

Caput x. Variæ circa Missale jussu Ximenii archiepiscopi Toletani editum, ritumque Mozarabicum cum Gallicano collatum observationes, 102. § I. In Missali Mozarabico typis edito plura sunt non pure Mozarabica; quæ videntur accepta non ex Missali Romano, sed ex Gallico, seculo XI. § 2. Liturgiæ Mozarabicæ cum Gallicana antiqua consensus ac dissensus ab enumeratione partium, 104. § 3. An ex consensu antiquæ liturgiæ Gallicanæ cum Mozarabica concludi possit, hanc ab illa exemplar seu formam accepisse, 106. § 4. An ex Missalibus, quæ sub nomine liturgiæ Gallicanæ excusa sunt, controversia ista in favorem liturgiæ ejusdem decidi possit, 107.

Caput XI. Notitia Tomorum Mss. Mozarabicorum, qui Toleti asservantur, 109. § I Eorum descriptio; una cum variis observationibus. § 2. Antiquitas Missalis Ms. Gothici seu Mozarabici in schemate exhibita, III.

INDEX

SANCTORUM

AD TOMUM VI JULII.

A

28 Acatius martyr Mileti in Caria. Cultus ex martyrologio Romano ac Fastis Græcis; elogia 547

25 Acontius et Nonnus. *Ex Hieron.* 166

27 Ætherius episc. conf. Autissiodori in Gallia. 446

26 Anna mater Deiparæ Comm. hist. § 1 Antiquiora sanctæ Acta eorumque scriptores 233. § 2. Recentiorum opiniones de parentibus, patria et Actis S. Annæ 235. § 3 Utrum S. Anna fuerit monogama, et Deipara illius unigenita 237. § 4. Respondetur difficultatibus quæ contra monogamiam S. Annæ proponuntur 239. § 5. Sanctæ cultus in Oriente 242. § 6. Cultus Sanctæ in Occidente, et prodigiosa templi ædificatio in Hispania ad illius honorem 244. § 7. Cultus Sanctæ in variis Europæ regionibus 247. § 8. Antiquus S. Annæ cultus in Britannia Armorica quomodo restauratus 249. § 9. Inventio corporis S. Annæ in ecclesia Aptensi, et aliquæ contra eam difficultates 252. § 10. Caput S. Annæ variis locis honoratum 255. § 11. Aliæ reliquiæ, et paradoxum de corporali ejusdem Sanctæ resurrectione 257. § 12. Miracula S. Annæ, ac de iis judicium 259. Mirac. antiquiora collecta a Petro Dorlando Cartusiano. *Ex Ms. Cartusiæ Coloniensis.* Prologus. Cap. 1. Adolescens Hungarus à S. Anna variis periculis ereptus et multis favoribus cumulatus 261. Cap. 2. Alter juvenis Hungarus à S. Anna plurimis beneficiis affectus 264. Cap. 3. Cultus S. Annæ commendatus, ejus injuria punita, et invocatio compensata 265. Cap. 4. Benevolentia S. Annæ erga suos clientes duabus Sanctis ostensa; veneratio illius a Deipara et angelo commendata, et quædam beneficia eam invocantibus præstita 267. Cap. 5. Infidelis miraculo S. Annæ ad fidem conversus, mulieri sterili fœcunditas impetrata, Vidua manibus raptorum erepta, et alia femina ab injusta mortis sententia prodigiose liberata 270. Cap. 6. Miri favores duobus conjugibus a S. Anna exhibiti, et eremita patrocinio ejus ad vitam revocatus 274. Cap. 7. Vidua per intercessionem S. Annæ vinculis sæpe soluta; alter extremo supplicio mirabiliter ereptus, ac alii prædonum manibus et gravi morbo liberati 276. Mirac. authentica quæ in Britannia minori contigerunt. Excerpta sunt ex libello Gallico, quem anonymus S. J. sacerdos anno 1664 edidit: et a nobis jam Latine reddita. Cap. 1. Claudi et muti sanati 279. Cap. 2. Mortui ad vitam revocati 282. Cap. 3. Paralysi, cæcitate, et morbo caduco liberati 284. Cap. 4. In aliis morbis et infortuniis adjuti 286. Alia miracula ex variis auctoribus collecta. Cap. 1. Miracula quæ apud Marcoduranas S. Annæ reliquias contigerunt, ex idiomate Hispanico Latine reddita 288. Cap. 2. Beneficia quæ Ven. Innocentius a Clusa invocatione S. Annæ impetravit 290. Cap. 3. Recentiora miracula quæ in Sicilia contigerunt, ex Italico in compendium redacta 292. Cap. 4. Spicilegium miraculorum ex diversis libris Latinis 295

27 Anthusa Virgo Cpoli. Comm. Cultus, elogia, locus in quo vixit 447. Elogium, auctore anonymo, *ex Ms. Synaxario P. Sirmondi, et Ms. Chiffletii*, cum alio breviore bibliothecæ Ambrosianæ collatum 448

28 Auspicius ep. conf. Tulli Leucorum. Syll. de cultu et ætate 561

B

26 Benignus et Charus eremitæ, Malsesini prope Veronam in Italia 316

27 Bertholdus Abbas Garstensis in Austria superiore. Comm. § 1. Beati cultus ex variis monumentis 469. § 2. Genealogia, Acta et miracula, eorumque scriptores 471. § 3. Beati reliquiæ et gloria posthuma 474. Vita auctore anonymo subæquali, forte monacho Garstensi. *Ex editione Salisburgensi* cum aliis collata. Prologus 475. Cap. 1. Garstensis cœnobii initium, mutatio, B. Bertholdi in eo præfectura et gubernatio 476. Cap. 2. Miraculosa piscium multiplicatio: Beati mortificatio; liberalitas erga pauperes, et zelus in procuranda salute proximi 478. Cap. 3. Zelus in administrando Sacramento pœnitentiæ, prædictiones, orationis efficacia, et prodigiosa piscium impetratio 480. § 4. Energumenorum liberatio, mira pueri obedientia, dæmonis fuga et prævisa Beati in cælis gloria 481. Cap. 5. Inexspectata panis inventio; fornicationis impeditio; aquæ in vinum conversio; dæmonis expulsio; munificentia erga fratres et pauperes 484. Cap. 6. Energumenæ liberatio, claudi sanatio, iterata aquæ in vinum transmutatio, prophetia, morbus et pius obitus 485. Cap. 7. Beati apparitio, et varia ad sepulcrum ejus patrata miracula 487. Cap. 8. Diversa beneficia opem Beati implorantibus collata 489. Alia miracula ab anonymis variis paulatim priori lucubrationi addita; ex editione Salisburgensi ac Lipsiensi desumpta 490

28 Botuidus martyr in Suecia. Comm. Sancti cultus et Acta 695. Acta priora *ex Passionali Ms.*

Ms. cœnobii Bodecensis 636. Acta altera *ex editis a Joanne Vastovis in Vite Aquilonia* 637

C

28 Camelianus episc. conf. Trecis in Campania Galliæ. Syll. de cultu, nomine, ætate, gestis et reliquiis 566

27 Cæcus S. Pantaleonis; item Hermolaus, Hermippus et Hermocrates Comm. 426. Acta spuria S. Hermolai presb. et martyris 427

26 Christiana Virg. Teneræmondæ in Flandria. Comm. Sanctæ reliquiæ earumque translatio et cultus; item Acta minus antiqua 311. Vita auctore Joanne Gilemano, *ex Ms. cœnobii Rubeæ Vallis.* Prologus 314. Historia 315

25 Christophorus martyr, forte in Lycia. Comment. § 1. Cultus ex Fastis sacris, Missalibus ac Breviariis; singularis in Hispania veneratio; ædes ibidem sacræ 125. § 2. Alia loca ipsi sacra in Occidente; uti et in Oriente; reliquiæ in Italia et Hispania 127. § 3. Sacræ exuviæ apud Gallos, Germanos ac Belgas; item CPoli; patrocinium, sodalitia 129. § 4. Apparitiones; protritæ hæreticorum contra S. Christophori existentiam blasphemiæ 131. § 5. Sancti existentiæ nihil officit statura gigantea; an et qualis illa fuerit 133, § 6. Imaginum Sancti abusus, usus et significatio 135. § 7. Serpens Sancti ope necatur; annua exinde illius facti memoria; hymni, elogia, ac patria 137. § 8. Sancti genus, nomen ante baptismum; ubi et a quo baptizatus; sub quo et quando passus 139. § 9. Infideles ad Christi fidem conversi; tormenta Sancto inflicta, mors ejusque adjuncta 141. § 10. Variorum exemplarium et Actorum notitia 142. § 11. Ulterior exemplarium et Actorum notitia; aliorum ac nostrum de hisce judicium 144. Passio, *ex Ms. nostro membranaceo Fuldensi satis antiquo*, auctore anonymo conscripta Cap. 1. Sanctus ad multorum conversionem mittitur; regi Dagno sistitur; Nicæam et Aquilinam convertit 146. Cap. 2. Ambarum martyrium; Sancti cruciatus ac mors; tyrannus cæcitate punitus, et ab eadem liberatus; ejusdem edictum pro Christianis 148

25 Clemens, Stercorius et Julianus. *Ex Hieron* 166

25 Cucufas martyr, apud Barcinonem in Hispania. Comm. § 1. Sancti cultus antiquus; nomen et natalis varie signata 149. § 2. Acta antiqua; varia de illis judicia quo usque admittenda 151. § 3. Locus martyrii et sepulturæ: translatio corporis totius in Vosagum primo, deinde Dionysiopolim prope Parisios 154. § 4. Monasterium S. Cucufatis Octavianense; corporis ejusdem Martyris in eo facta agnitio anno 1079; argumenta Octavianensium pro sua possessione 156 § 5. Aliæ reliquiarum ejus translationes. Item an alius præter hunc nostrum sit S. Cucufas admittendus 159. Acta *ex Bonino Mombritio et Mss.* 161

D

27 Desideratus episc. Bisont. Ledone Salnerio in Sequanis. Breve elogium *ex Chiffletii Vesontione* 432. Sacri corporis exaltatio 432

E

25 Ebrulfus abbas, Bellovaci in Gallia, Comm. Sancti cultus, ætas, abbatia et Acta 192. Vita, auctore anonymo. *Ex Ms. Bellov. cath. ecclesiæ, cum editione Mabillonii collato* 194. Miracula, auctore anonymo recentiore. *Ex Ms. Bellovacensis ecclesiæ* 196

27 Ecclesius episc. conf. Ravennæ in Italia. Syll. hist. De cultu ætate et gestis 444

26 Erastus discipulus Pauli apostoli. Syll. hist. *Ex sacra Scriptura, aliisque antiquis monumentis* 297

26 Euangelista et Peregrinus Augustiniani Veronæ in Italia. Comm. § 1. Beati utriusque cultus modernus et antiquus; ac distinctio beati Euangelistæ a B. Alberto seu Albertino Veronensi 342. § 2. Num admittenda sit jam dicta distinctio; an obsit demonstrationi legitimi cultus B. Euangelistæ: quid de Beatorum Vita sentiendum 344. Vita, auctore Franscisco Pona medico, interprete Cornelio Curtio ex Ordine eremitarum S. Augustini. Cap. 1. BB. Euangelistæ et Peregrini ætas, patria, indoles, studia, vocatio ad religionem, exercitia pietatis, favores cælestes, omnia communia et conjuncta 346. Cap. 2. Felicissimus utriusque obitus; commune sepulcrum, translatio, honores et miracula 347

28 Eustathius mart. Ancyræ in Galatia. Cultus ex Fastis Græcis ac Marlio Romano, elogia 546

F

25 Felix, Furconii in Vestinis Italiæ 167

27 Felix Nolanus. *Ex Hieron. coll. cum Romano* 431

25 Florentius, furconii in Vestinis Italiæ 167

G

27 Galactorius episc. Lascurrensis et martyr, in Benearnia Galliæ: qua occasione de S. Juliano ejus decessore agitur 434

27 Georgius diaconus, Aurelius, Felix, Natalia seu Sabigotho et Liliosa MM. Cordubenses. Comm. Sanctorum ordo, dies obitus, cultus, Acta, et translatio SS. Georgii et Aurelii 450. Historia vitæ singulorum ac passionis, *ex S. Eulogii Memoriali Sanctorum lib. 2, cap. 10.* Cap. 1. S. Aurelius a puero virtutibus præcellens, S. Sabigothoni matrimonio junctus, exemplis Martyrum mire accenditur, ab eaque, ultro consentiente, thoro separatur 451, Cap. 2. A S. Eulogio probe edocti ambo ad omnimodam perfectionem contendunt, et sancta conjuge visione recreata, abdicatis omnibus, nihil nisi martyrium spirant, relicta aliis filiarum duarum cura 453. Cap. 3. Ad certamen pro fide animatis paratisque socius et dux accedit S. Georgius monachus Sabaïta, egregiis et ipse virtutibus præditus 455. Cap. 4. Breviarium martyrii ab ipso S. Georgio descriptum: cui obtentam palmam et sepulturam adjungit totius historiæ sanctus enarrator 456. Translatio SS. MM. Georgii, Aurelii et Nataliæ Corduba Parisios, auctore Aimoino monacho S. Germani a Pratis. *Ex cod. pervetusto Pratensi.* Mabillonii observationes

ones præviæ. Præfatio 459. Historiæ Lib. i, Cap. i. Spe obtinendi corpus S. Vincentii frustrati Usuardus et Odilardus, modum inveniunt quo Cordubam tuto perducantur 460. Cap. 2. Cordubæ ab epscopo Saüle benigne excepti, impetrant corpora SS. Georgii et Aurelii, eaque in Galliam feliciter deportant 461. Liber ii. Qui est primus de miraculis SS. Martyrum, quæ Biterris ad Autissiodorensem pagum usque contigerunt 462. Liber iii hist. Transl. qui est secundus miraculorum. Pars i. Continuata Autissiodori et alibi miracula, donec Acmantum, quo Pratenses monachi ob Normannorum infestationes confugerant, sacræ exuviæ allatæ sunt 464. Pars ii. Pergit Aimoinus miraculorum præconia sigillatim deducere 466. Pars iii. Hinc celebres redditæ reliquiæ, de quarum veritate certior fit Carolus Calvus; et portio aliqua Eddoni comiti conceditur 468

28 Gerannus episc. conf. Autissiodori in Gallia. Comm. Cultus ejus; reliquiæ; Acta, tempus episcopatus et mortis 593. Vita auctore anonymo, excusa apud Labbeum in Bibliotheca Mss. etc. Cap. i. Beati virtutes, quibus ante episcopatum enituit 596. Cap. 2. Quid in ipso episcopatu pro grege sibi credito fit passus et egerit usque ad felicem obitum 598

26 Glisens seu Glisentus conf. in territorio Brixiano. Sylloge de aliquali cultu et mirabili Vita 318

25 Glodesindis virgo Metis in Belgica i. Comm. § i. Sanctæ cultus et reliquiæ 198. § 2. Ejusdem Acta genuina; tempora nativitatis et beati obitus 200. Vita antiquior auctore monacho quodam anonymo, *ex quatuor codd. Mss. inter se collatis*. Prologus auctoris. Cap. i. S. Glodesindis natales, nuptiæ; virginitas angelico ministerio asserta; fundatio parthenonis, beatus obitus 202. Cap. 2. Sanctæ sepultura; prima translatio; incorruptio, miracula quædam 205. Cap. 3. Altera translatio, et varia illam consecuta miracula 206. Cap. 4. Prosecutio miraculorum 207. Cap. 5. Cetera miracula 208. Vita altera auctore Joanne abbate S Arnulfi Metis, *ex Miss. codd. vet. Spinalensi et Bodecensi inter se et cum editione Labbeana collatis*. Prologus auctoris. Textus narrationis 210. Historia translationum S. Glodesindis, eodem auctore, atque exiisdem Mss. atque impressi instrumentis. Auctoris præfatio 213. Cap. i. Translatio i sacri corporis ejus ad ecclesiam Deiparæ Virginis 214. Cap. 2. Narratio de secunda translatione ejusdem B. V. Glodesindis 215. Cap. 3. Miracula translationem secundam consecuta, sub Drogone et Adventio episcopis Metensibus 217. Cap. 4. Continuatio miraculorum usque ad tempora Walonis episc. Metensis 218. Cap. 5. Miraculum fluentis olei ex sepulcro Sanctæ, sub Walone ep. Metensi 220. Cap. 6. Miracula facta tempore Ruotperti ep. Metensis 221. Cap. 7. Instauratio monasterii S. Glodesindis, et brevis interea translatio reliquiarum ejus ad vicinam domum, ibique tunc patrata miracula 223

26 Gothalmus conf. in Mellicensi Austriæ inferioris monasterio. Comm. Cultus, ætas, miraculum, scriptor Actorum, et varia eorum exemplaria 337. Acta auctore Bernardo Dapifero cœnobita Mellicensi. *Ex Ms. antographo* quod Hieronymus Pezius tomo i Scriptorum Austriacorum edidit, et cum tribus aliis apographis contulit 339

H

27 Hermolaus, Hermippus et Hermocrates. Comm. 426. Acta spuria S. Hermolai presb. et mart *ex Ms. cod. S. eremi Camaldulensis folio* 100 427

25 Hierusalem martyr. *Ex Fastis Græcorum* 167

27 Hugo puer martyr a Judæis crudeliter excarnificatus Lincolniæ in Anglia. Acta martyrii *ex Capgravio* 404

26 Hyacinthus martyr, Romæ in Portu 303

I

26 Ignatius Steironita. Cultus ex Fastis Græcis 307

25 Jacobus major Apostolus et martyr, Compostellæ in Hispania. Comm. hist. Pars i. Sancti distinctio, cultus, Acta, martyrii palæstra et tempus; reliquiæ gloria posthuma, patrocinium et miracula. § i. Hujus S. Jacobi ab aliis homonymis distinctio, cultus ex variis monumentis; 5. § 2. Sancti hujus Apostoli parentes, patria, vitæ institutum, aliaque acta ante martyrium 7. § 3. Martyrium ejusque tempus ac locus 9, § 4. Translatio sacri corporis in Hispaniam 12. § 5. Revelatio et præsentia corporis S. Jacobi in Hispania 15, § 6. Corpus S. Jacobi variis ecclesiis falso attributum 19. § 7. Multiplex contentio de ejus capite, quod diversæ ecclesiæ sibi vindicant 22. § 8. Pars sacri capitis; quam Pistorienses in Italia possident 25. § 9. Aliæ illius reliquiæ multis locis honoratæ 28. § 10. Peregrinationes ad Compostellanas S. Jacobi reliquias antiquitus institutæ 32. § 11. Patrocinium S. Jacobi in bellis Christianorum contra infideles 36. § 12. Examen stupendæ cujusdam victoriæ, quæ invocatione Deiparæ ac S. Jacobi in Lusitania de Mauris relata fuisse dicitur 40. § 13. Auctor miraculorum, eorumque diversa narratio 43. Miracula, auctore, ut volunt Calixto II Papa; *ex Ms. monasterii Marchianensis, quod cum altero Ms. basilicæ S. Petri contulimus*. Prologus. Cap. i. S. Jacobus captivos liberat, peccatum in chirographo scriptum mirabiliter delet, mulieri sterili filium impetrat, eumdemque à mortuis resuscitat 47. Cap. 2. Apostolus obsequium peregrino suo exhibitum remuneratur, juvenem injuste suspensum miro modo in vita conservat, et alteri homini in angustiis succurrit 49. Cap. 3. Auxilium à S. Apostolo præstitum periclitantibus in mari, aliisque clientibus, qui opem ejus imploraverant 51. Cap. 4. Prodigiosa mercatoris captivi, militisque in certamine periclitantis liberatio, et obsequii, pauperibus peregrinis exhibiti digna remuneratio 53. Cap. 5. Mira resuscitatio hominis, qui fraudulenta dæmonis persuasione se ipsum interfecerat 54. Cap. 6. Ultronea sacelli apertio, victoriæ contra Saracenos prædictio, et hominis ad mortem condemnati liberatio 56. Cap. 7. Ægri sanatio, multiplex captivi liberatio, paupertatis levamen, et punitio quorumdam, qui festum S. Jacobi celebrare neglexerunt 57. Alia miracula quæ in Italia contigerunt, auctore Contarino, clerico synchrono, et teste in multis oculato. *Ex Ms.*

Ms. cod. Pistoriensi, *cujus authenticum apographum anno 1727 accepimus*. Prologus. Exponitur, qua occasione civitas Pistoriensis sacras S. Jacobi reliquias Compostella occeperit 59 Cap. i. Miracula patrata in ipsa reliquiarum translatione, et alia quædam paulo post eamdem secuta 60. Cap. 2. Medici dubitatio de miraculis sublata, paralyticis et contractis sanitas restituta, ac mira historia de quadam columba 62. Cap. 3. Multi à variis morbis et infortuniis liberati 64. Cap. 4. Duo magnis periculis erepti, et alius extremo supplicio prodigiose subductus 66. Pars ii Comm. hist. De prædicatione S. Jacobi in Hispania § i. Quibus populis S. Jacobus prædicasse dicatur 69. § 2. Qua occasione et quomodo de adventu S. Jacobi in Hispaniam dubitari cœperit 71. § 3. Prædicatio S. Jacobi in Hispania potissimum traditione nititur 73. § 4. Traditio illa quibusdam rationibus et veterum testimoniis stabilitur 76. § 5. S. Hieronymus prædicationem S. Jacobi in Hispania tradit 72. § 6. Eadem traditio in vetustissimo Hispaniæ Officio ab immemorabili tempore legitur 81. § 7. S. Isidorus Hispalensis eamdem traditionem confirmat suo testimonio quod ipsi vindicatur 83. § 8. Eadem traditio à S. Juliano, qui seculo vii ecclesiam Toletanam rexit, confirmatur 86. § 9. Hispanica S. Jacobi prædicatio ex antiquissimo Martyrologio Autissiodorensi, et certis seculi octavi testimoniis corroboratur 88. § 10. Ex auctoribus sequentium seculorum eadem traditio probatur 90. § ii. Respondetur argumentis adversariorum à tempore et loco desumptis 92. § 12. Explicatur difficultas ex epistola Pauli apostoli contra adventum S. Jacobi in Hispaniam objecta 94. § 13. Solvitur objectio quæ ex epistola Innocentii I Papæ formatur 97. § 14. Respondetur difficultati quam adversarii ex epistola Gregorii VII Papæ objiciunt 100. § 15. Proponitur lis, cujus occasione Rodericus archiepiscopus Toletanus prædicationem S. Jacobi in Hispania negasse dicitur 102. § 16. Narratio ejusdem litis inepta et falsa esse ostenditur 105. § 17 Ex variis instrumentis probatur, Rodericum Toletanum non interfuisse concilio Lateranensi 107. § 18. Novum argumentum contra prædicationem S. Jacobi in Hispania objicitur, ac dissolvitur 110. Appendix de Cæsar-augustana Deiparæ imagine, quam S. Jacobus erexisse traditur. § i. Qualis sit ea Aragonum traditio 114. § 2. Fundamenta Aragonum pro sua traditione 116. § 3. Juridica archiepiscopi Cæsar-augustani sententia, qua præcedens miraculum confirmatur 118. § 4. Difficultates contra traditionem motæ quibus Aragones respondent 121. § 5. Officium proprium ab Aragonibus pro sua traditione Romæ impetratum, et publica de illo lætitia 123

28 Innocentius I PP. Syll. hist. § i. Sancti cultus, elogia, calumniæ ipsi perperam impactæ, et præcipuæ ejus virtutes 548. § 2 Vitæ professio, patria, pontificatus initium, et unanimis ad eumdem evectio 551. § 3. Gesta et scripta primis pontificatûs sui annis 553. § 4. Scripta et gesta usque ad direptionem urbis Romanæ per Alaricum Gothorum regem 555. § 5. Reliqui labores ejus pro Ecclesia usque ad mortem 557. § 6. Mortis annus et dies, locus sepulturæ, ac reliquiæ 559

25 Joannes Agnus Traject. episcopus conf. Hoyi in Belgio, Sylloge hist. de cultu ætate et gestis 225

26 Jorius episcopus Bethuniæ in Belgio 340

26 Jovianus cum viii sociis Laodicenis martyribus. *Ex Hieron.* 304

28 Irene Hegumena CPoli in Chrysobalanto. Comm. § i. Cultus ex Fastis Græcis, locus vitæ 600. § 2. Ætas, vitæ chronotaxis, Acta 601. Vita, auctore anonymo, *ex bibliotheca Florentina S. Laurentii*, interprete Joanne Pinio. Cap. i. Exstincta iconomachia, Theodora imperatrix de salute Theophili mariti fit certior; S. Irene filio ejus Michaëli destinatur sponsa; at fit sponsa Christi in Chrysobalanto 602. Cap. 2. Variæ ac mirabiles virtutes; artes dæmonis, monasterii præfectura 606. Cap. 3. Varia sibi suisque dat ad virtutem documenta et incitamenta, accipit perspicientiam arcanornm 610. Cap. 4. Studium promovendi proximum in virtute; vexationes dæmonis; spiritus prophetiæ 613. Cap. 5. Sanctæ discipula à præstigiis mirabiliter liberata 617. Cap. 6. Donum lacrymarum; dæmoniacus liberatus; diuturnæ precum stationes 620. Cap. 7. Preces miraculis honoratæ; poma cælitus missa; visio angelica 624. Cap. 8. Sanctæ consanguineus mirabiliter ab injusta morte liberatur 627. Cap. 9. Prædictio propriæ ac aliorum mortis; pomi miraculosi effetus; mors, tempus vitæ, mirabilia mortem subsecuta 631

27 Julia, Jucunda et Januaria MM. Nicomed. *Ex Hieron.* 431

27 Juliana et Sempronia, in territorio Barcinonensi 430

27 Julianus episc. Lascurrensis cum Galactorio 434

25 Julianus, Stercorius et Clemens. *Ex Hieron.* 166

L

27 Laurentius archiep. conf. Mediolani in Insubria. Comm. hist. § i. Cultus ejus hoc die ex Puricello primum notus et probatus, licet alio obiisse censeatur 435. § 2. Præmittitur dictio S. Ennodii, ex qua Vitæ series deducenda est 436. § 3. Vitæ S. Laurentii aliqualis series 438. § 4. Vitæ S. Laurentii pars altera 439. § 5. Templa S. a Laurentio Mediolani condita et restaurata 441

M

25 Magnericus conf. archiep. Trevirensis Comm. § i. Cultus, elogia; Officium proprium; natales, vitæ professio, ætas. 168. § 2. Viri dignitate et vitæ integritate spectabiles Sancto synchroni 170. § 3. S. Magnerici in archiepiscopatu decessor ac successor; loca sacra ab ipso condita vel restaurata 171. § 4. Ulterior locorum istorum elucidatio; monasterii S. Martini Trevirensis vicissitudines 173.

5. Idem monasterium ad meliorem fortunam redactum; diploma Benedicti PP. VII in ejus favorem concessum; nova adversus monachos Martinianos tempestas 176. § 6. Dies quo S. Magnaricus obiit, sepulcrum, translatio, chronotaxis, Vitæ auctor 177. § 7. Reliquæ circa biographum notitiæ; Vita Ms. quæ hic datur; res nonnullæ in eadem occurrentes confirmantur aliunde et illustrantur 179. § 8. Alia quædam puncta historica, a biographo relata, ali-

aliunde explanantur 181. VITA *ex Ms. vetustissimo monasterii S. Martini Treviris*, auctore Eberwino, ejusdem monasterii abbate, cum Ms. S. Maximini Trevirensis collata. CAP. 1. S. Magnericus fidus S. Nicetii discipulus, ac dignus in cathedra Trevirensi successor 183. CAP. 2. Sanctus apud reges gratiosus; levat de sacro fonte Theodebertum; S. Gaugericum instruit et diaconum ordinat; miserias Theodori Massiliensis episcopi sublevare conatur 185. CAP. 3. Restitutus suæ cathedræ Theodorus; navis ab interitu servata; Guntramnus Bozo cur non liberatus 187. CAP. 4. Viri sanctitate insignes Sancto synchroni; S. Wolfilaici virtutes ac vita supra columnam 188. CAP. 5. Sancti suasu columnam relinquit S. Wolfilaicus; ejusdem mors, translatio et miracula 189. CAP. 6. Sancti elogium ex Fortunato; constructæ in honorem S. Martini ecclesiæ; mors, sepultura; altare post ejus apparitiones erectum; monasterii Trevirensis vicissitudines; ejusdem reditus ad monachos, hujus Vitæ scriptor 190

28 Martyres Thebaïdos in Ægypto. *Ex Marlio Romano et Hieronymo.* 544

27 Maurus, Pantaleemon et Sergius, Vigiliis in Apulia. COMM. § 1. Cultus apud Vigilienses, ejusque antiquitas 352. § 2. Acta martyrii quatenus supersint; lectiones de iis propriæ, bis Romæ approbatæ, earumque discussio 354. § 3. Historiæ inventionis primæ ac secundæ, earumque auctores et supplementum 357. HISTORIA inventionis primæ, auctore Amando episcopo Vigiliensi, *ex antiquo Officio ecclesiæ Vigiliensis impresso.* Prologus auctoris 359. Cap. 1. Inventio corporum sacrorum, et translatio ex ecclesia S. Joannis Euang. ad S. Fortunati, non sine multis miraculis, 361. CAP. 2. Translatio Sanctorum ad S. Bartholomæi: miracula varia, reliquiarum aliquot aliæ particulæ repertæ 363. CAP. 3. Prosecutio miraculorum, apparitiones variæ; sacellum Sanctis ædificatum 365. CAP. 4. Translatio SS. Martyrum ad oratorium proprium, et crebra miracula; auctoris ad eos pia apostrophe; inventionis et translationis tempus 368. HISTORIA inventionis secundæ, auctore Daniele Francino. *Ex antiquo Officio proprio ejusdem ecclesiæ.* 372

26 Mutiana et Laudasia. *Ex Hieron.* 305

N

28 Nazarius et Celsus MM. Mediolanenses, et synonymi Ebredunenses, forte alii. COMM. § 1. Cultus Mediolanensium Martyrum apud Latinos et Græcos; elogia 503. § 2. Inventio ac translatio a quo scriptæ; quo anno, die ac mense factæ 504. § 3. Respondetur ad varias alias quæstiones circa translationem corporum propositas 507. § 4. Loca sepulturæ ac translationis; duo, uti volunt, miracula 508. § 5. Ecclesiæ apud Mediolanenses Sanctis sacræ 510. § 6. Veneratio publica et antiqua in Oriente ac Mediolani, nec non in aliis Italiæ locis, ex ædibus sacris ac reliquiis 512. § 7. Sancti in aliis per Occidentem locis, præsertim in Gallia celebres et reliquiis et ædibus sacris 514. § 8. Sancti alibi in Gallia honorati; Ebredunenses synonymi probabilius ab hodiernis distincti: miraculum: reliquiæ infra Nannetas in Britannia minore S. Nazarii incerti; punitus earum contemptor; Nazarius Vercellensis 516. § 9. Corpus et S. Celsi translatum sec. X; inventum ac repositum sec. XVI: S. Nazarii inventum, inspectum ac translatum solenni pompa a S. Carolo Borromæo sec. item XVI, 518. § 10. Gloria posthuma ex S. Ennodio; sermone inter opera S. Ambrosii edito; hymno Ms. apud Prumienses, aliisque impressis ac Missali Ambrosiano 520. § 11 Natales; parentum ac S. Nazarii baptismus; sub quos is passus, et ubi; schema peregrinationum 522. § 12. Alia ad Sancti peregrinationes spectantia, et earum historia ad examen revocata 524. § 13. Nostrum de reliquis peregrinationibus Sancto imputatis, earumque adjunctis judicium 525. § 14. An S. Nazarius fuerit synchronus SS. Gervasio ac Protasio 527. § 15. Scriptores Actorum; eorum quæ sunt apud Mombritium examen 530. § 16. Alia Actorum exemplaria castigata; quodnam et cur ex iis potissimum a nobis hic detur 532. MARTYRIUM *ex Ms. Ultrajectino S. Martini* 533

27 Nevolonus confessor, Faventiæ in Æmilia Italiæ. COMM. Cultus monumenta in patria, et Actorum candida simplicitas 495. VITA auctore anonymo. *Ex veteribus Faventinis monumentis collecta.* CAP. 1. A prava adolescentia ope S. Jacobi conversus, operibus caritatis aliisque virtutibus elucet 497. CAP. 2. Post repetitas ad S. Jacobi Compostellam peregrinationes, piissimum obitum companæ ultro sonantes annuntiant 498. CAP. 3. Varia ejus miracula recensentur. 499

25 Nonnus et Acontius. *Ex Hieron.* 166

O

26 Oræozela martyr Cpoli. SYLL. CRITICA. Cultus, elogium et ejusdem auctor. 305

27. Pantaleon martyr Nicomediæ in Bithynia. COMM. § .1 Cultus ejus solemnitas et antiquitas in ecelesia Orientali 397. § 2. Cultus ejus in Occidente, item Acta et miracula 399. § 3. Reliquiæ, quæ hujus Martyris putantur esse, plurimæ et claræ miraculis, tam in Oriente quam in Occidente 401. § 4. Translationes variæ reliquiarum ejus, a seculo nono, usque ad decimum tertium factæ 404. § 5. Difficultas circa reliquias Colonienses: translationes aliæ sec. XIV ac XV 407. § 6. Gemina corporis S. Pantaleonis inventio 409. VITA ET MARTYRIUM juxta interpretationem Aloysii Lipomani, ad textum Simeonis Metaphrastæ Græcum denuo exactam. CAP. 1. S. Pantaleonis natales; conditio, conversio, tam ejus quam patris sui, et cæci quem sanaverat 412. CAP. 2. Cæci sanati martyrium; constantia S. Pantaleonis adversus idololatriam et tormenta; frequens Christi apparitio sub specie Hermolai 415. CAP. 3. Aliæ Martyris nostri victoriæ, SS. Hermolai et sociorum primum, deinde etiam suo condecoratæ mrtyrio 418. APPENDIX, de conversione et martyrio militum, qui S. Pantaleonem extremo supplicio affecerunt; *ex Ms. S. Salvatoris Ultraject.* etc. 420. MIRACULA, auctore anonymo monacho S. Pantaleonis; *ex antiquo ejusdem cœnobii Ms.* CAP. 1. Sanguis ejus prodigiosus Cpoli; apparitiones et beneficia varia 421. Cap. 2. Aliæ ejusdem apparitiones et beneficia, itemque pœnæ ejus cultum negligentium. 423

26 Pastor abbas in Sceti. *Ex Cat. Petri de Natalibus*

talibus 307. Elogium *ex Vitis Patrum* 308

26 Pastor presbyter Romæ 299

25 Paulus cum Thea et Valentina Cæsareæ Palæstinæ Comm. Cultus, elogia, palæstra martyrii; quis hic Paulus? Acta, annus ac dies mortis; reliquiæ S. Theæ, an nostræ? 163 Martyrium, auctore Eusebio Cæsareæ Palæstinæ episcopo, ab Henrico Valesio Latine redditum 165

28 Peregrinus presbyter Lugduni in Gallia 543

27 Phronimus episcopus Metensis 430

R

28 Raymundus Palmarius conf. Placentiæ in Italia. Comm. § 1. Sancti nomen, cultus apud Placentinos, probatus Romæ, expressa canonizatio controversa 638. § 2. Ejusdem sepulcrum, reliquiæ, harumque translatio; xenodochium 640. § 3. Ejusdem Acta Latina, eorumque versio Italica; appendix gemina miraculorum; epistola interpretis Itali 642. Vita auctore Rufino Latine scripta, ab anonymo Italice versa; et nunc denuo Latinitati, ex Italico Ms. archivi monialium S. Raymundi Placentiæ fideliter restituta. Præfatio auctoris et operis dedicatio 645. Cap. 1. S. Raymundi patria, parentes, conditio; patris obitus; peregrinatio cum matre vidua ad Terram sanctam et reditus 646. Cap. 2. Matris obitus, Sancti conjugium, studium doctrinæ Christianæ; mors quinque filiorum ejus; amor continentiæ; ultimi filioli susceptio et oblatio; obitus uxoris 648. Cap. 3. Relictis omnibus, sacra suscipit itinera; donec redire jussus a Christo, operibus misericordiæ, juxta præscriptum ab eo modum, se totum impendit in patria 650. Cap. 4. Caritas ejus erga viduas et pupillos, erga discordes, erga captivos, et infantes ægrosque destitutos: item sanctissimus obitus 652 Cap. 5. Defuncti corporis honores et exsequiæ; Gerardi conversio; concursus ad sepulcrum; miracula creberrima 655. Appendix 1 et 2 miraculorum S. Raymundi. *Ex Ms. archivi monialium ejusdem Sancti Placentiæ*, a pag. 657.

S

28 Samson episc. conf. Dolæ in Britannia Armorica. Comm. § 1. S. Samsonis patria, genus, ætas, professio 568. § 2. Sancti cultus et dignitas 569. § 3. Sancti Acta a variis scripta 571. Vita, auctore anonymo subæquali, *ex tom. 1 de Actis Benedict. cum Mss. nostris collata et emendata*. Præfatio ad Tigerinomalum episcopum 573. Lib. 1. Cap. 1. Precibus a Deo impetratus S. Samson pie educatur, et quinquennis S. Iltuto erudiendus committitur 574. Cap. 2. Diaconus ac presb. non sine mirabilibus signis, ordinatus, arctiorem indies virtutis viam ingreditur, invidorum machinationes patienter tolerat, ex S. Iltuti cœnobio ad Pironem transit 577. Cap. 3. A patre ægrotante vocatus, non nisi jubente Pirone ad eum pergit; mirus theomachæ in via occursus; totam familiam Deo lucratur, atque in reditu serpentem necat 579. Cap. 4. Abbas Pironi suffectus, in Hiberniam proficiscitur, reversusque cum patre et aliis in solitudinem secedit, ac, nequidquam fugiens, alteri monasterio præesse cogitur 581. Cap. 5. Miraculosa ordinatio episcopalis; angeli Missam celebranti assistunt: in Armoricam properans, miraculis suis multos paganos prius ad fidem convertit 583. Cap. 6. Pluribus prodigiis apud Gallos inclarescit; Judualem a rege Childeberto impetrat, atque item monasterium, post serpentem in mare præcipitatum Piissimus S. Samsonis obitus 585. Prœmonitio ad librum sequentem. Liber ii, 587. Interseruntur orationes et præfatio *ex Sacramentario Rataldi.* Appendix De r. Samsonis reliquiis earumque translationibus 591

27 Septem Dormientes, Maximianus etc., Ephesi in Asia minore. Comm. § 1. Horum Sanctorum distinctio ab aliis, numerus et diversa nomina 375 § 2. Cultus ex ecclesiasticis variorum populorum monumentis 376. § 3. Posthuma horum Martyrum gloria; mira de iis visio, et miraculum patrocinio eorum patratum 378. § 4. Varia Actorum compendia exhibentur 380. § 6. Diversæ Actorum circumstantiæ referuntur 383. § 6. Mss. et impressa longiorum Actorum exemplaria recensentur 384. § 7. Controversia de Actorum veritate proponitur 386. Acta antiquiora auctore Jacobo Sarugensi. *Ex Syriaco Nitriensis monasterii cod.* xiii, *fol.* 79, interprete Petro Benedetto S. J. 387. Acta alia auctore Gregorio Turonensi. *Ex Ms. ecclesiæ S. Audomari*, quod contulimus cum editione Mombritiana, ad quam proxime accedit 389. Acta longiora, auctore forsan Simeone Metaphraste. *Ex editione Surii*, quæ cum Ms. Græco, et variis apographis Latinis collata est. Cap. 1. Persecutio Decii; septem Martyrum constantia in fide; fuga ad speluncam et diuturna dormitio 392. Cap. 2. Prodigiosa septem Dormientium resurrectio agnitio ac veneratio. 394

28 Septimia et Augusta virgo. *Ex Hieron.* 546

25 Stercorius, Clemens et Julianus. *Ex Hieron.* 166

26 Simeon monachus et eremita, in monasterio de Padolirona prope Mantuam in Italia. Comm. hist. § 1. Sancti canonizatio, cultus, reliquiæ 319. § 2. Acta ejusdem; epistolæ duæ Arsenii patriarchæ Hierosolymitani, tempus quo Sanctus ex Oriente Romam advenit 322. Vita auctore monacho Padolironensi anonymo et coævo: *ex cod. Ms. Ingolstadiensi, collato cum alio Ms. et editis.* Prologus auctoris 324. Cap 1. n. Simeonis patria; natales nobiles, educatio; nuptiarum fuga, vita monastica et eremitica 325. Cap. 2. Mors repentina fratris ejusque ad vitam revocati narratio; iter sancti Hierosolymitanum ac Romanum; miracula in utroque patrata; calumniarum tolerantia et compensatio 386. Cap. 3. Ejusdem benignitas erga male meritos; varia per Italiam itinera, et crebra in illis miracula; conversio Judæorum 328. Cap. 4. Prosecutio itinerum ejus et prodigiorum per Italiam 329. Cap. 5. Peregrinatio ejus in Gallæciam Britanniam, Galliam reditus in Italiam, vita austera apud monasterium Padolironense; misericordia in pauperes et quædam miracula 331. Cap. 6. Alia prodigia, spiritus propheticus; felicissima mors 333. De miraculis post ejus obitum. Præfatiuncula ejusdem auctoris. Cap. 1. Miracula ad S. Simeonis tumulum patrata 335. Cap. 2. Continuatio eorumdem miraculorum. 336

26 Simeon Stylita tertius.

62 Symphronius, Olimpius, Exsuperia et Theodolus martyres Romani. *Ex Actis S. Stephani Papæ et M.* 302

T

T

25 Thea cum Valentina et Paulo, Cæsareæ Palæstinæ. Comm. Cultus, elogia, palæstinæ martyrii; Quis hic Paulus; Acta, annus ac dies mortis; reliquiæ S. Theæ, an nostræ? 163. Martyrium auctore Eusebio etc. 165
25 Theodemirus monachus M. Cordubæ in Hispania. *Ex memoriali S. Eulogii.* 227
28 Theophilus et octo socii Martyres Laodiceæ in Phrygia. *Ex Hieron.* 546

V

26 Valens seu Valentius ep. Veronensis in Italia 308
25 Valentina cum Thea et Paulo Cæsareæ Palæstinæ Comm. Cultus, elogia, palæstra martyrii etc. 163
27 Victor Papa et martyr Romæ. Comm. chronologico-hist. § 1. S. Victoris dies cultus, ætas seu Sedis duratio 534. § 2. Varia S. Victoris gesta et scripta 536. § 3. V. C. Emmanuelis Schelstratii elucidatio contentionis Polycratis adversus S. Victorem de observatione Paschatis. *Ex antiquit. illustrata parte 2, dissert. 1, cap. 3.* Pars 1. 538. Pars altera 541
28 Ursus et Leobatius abbates conff. in agro Turonensi. Comm. Cultus utriusque, ætas, professio 563. S. Gregorii Turonensis de SS. Urso et Leobatio. *Ex Vitis Patrum cap. 18* 564
25 Ursus ep. conf. Trecis in Gallia. *Ex Marlliis* 167

INDEX
CHRONOLOGICUS

ANTE CHRISTUM NATUM.

Anna beatissimæ Virginis Mariæ mater 233

SECULO I.

Anno 43 vel 44 Hierosolymis martyrio coronatur S. Jacobus 10
Sec. 1 floruit Erastus S. Pauli Ap. discipulus 279

SECULO II

An occultatum Aptæ in Provincia S. Annæ corpus? 252
Sec 2 medio floruit S. Pastor presbyter 302
An. 186. Sedere cœpit S. Victor Papa 535
197 Ejus obitus. 535

SECULO III.

Ejus initio floruit S. Peregrinis presbyter Lugduni 543
Eodem, sub Decio passus S. Christophorus 141
An 250 Martyres multi in Thebaïde 544
Eodem passi seu reclusi sunt SS. septem Dormientes 384
256 circiter, martyr coronatus Romæ Symphronius cum sociis 302

SECULO IV.

Sub Licinio passus est S. Acatius Mileti in Caria 547
Eod. floruisse dicitur S. Desideratus episc. Bisuntinus 432
An. 303 martyrii lauream apud Barcinonem consecutus S. Cucufas 153
304 circ. passum oportet S. Pantaleonem 397
308 martyrium passæ sunt S. Thea, Valentina et Paulus 164

SECULO V.

An. 401 ordinatus Romanus Pontifex S. Innocentius I. 552
404 ad Victricium Rothomag. scripsit 553
409 pro Urbe obsessa ad Honorium legatione fungitur 556
417 ad Deum migravit 559
425 an 436 obierit S. Camelianus Trecensis episc.? 566
437 post somnum 187 annorum redivivi apparent SS. septem Dormientes 384
478 circ. ad Superos transiit S. Auspicius episc. Tullensis 562
489 cathedram Mediolanensem conscendit S. Laurentius 438
490 natus videtur S. Samson episc. conf. 568

SECULO VI.

Hujus seculi initio celebres fuere SS. Ursus et Leobatius abbates in Gallia 563
Eod. floruit S. Ætherius Autissiodor. episc. 446
Priores duos secutus est Simeon Stylita tertius 310
Floruit item S. Ebrulfus abbas, qui Bellovaci colitur 192
An. 501 concilio Romano præsedit S. Laurentius ep. Mediol 440
507 a Visigothis trucidatus est S. Galactorius episc. Lascurrensis 434
512 laborum metam attigit S. Laurentius Mediolanensis episcopus 443
520 natus videtur S. Magnericus episc. Trevirensis, cujus Vitæ chronotaxim habes 178
521 episcopus consecratus fuerit S. Samson 569
531 mortuus S. Valens seu Valentinus E. V. 308
534 obiit S. Ecclesius Ravennen. episc. 445
557 synodo Parisiensi interfuit S. Samson 569
565 circ., non 607, aut 615 ad vitæ terminum pervenit S. Samson 569
573 S. Rustico succedit S. Magnericus in episcopatu Trevirensi 172
578 circ. nata est S. Glodesindis 202
585 Theodorum episc. Massiliensem exsulem sedi S. Magnericus restituit 178
587 S. Magnericus e sacro fonte levat Theodebertum Childeberti regis filium 186
596 vel circiter, mortuus est S. Magnericus 172

SECULO

SECULO VII.

An. 608 circ. vivere desiit S. Glodesindis 202
646 obiit S. Joannes Agnus episc. Trajectensis 226
690 obiit S. Julianus episcopus Toletanus 87

SECULO VIII.

Inventum dicitur Aptæ in Provincia corpus S. Annæ 252
Celebris fuit Cpoli Anthusa virgo 447
Atque in Flandria S. Christiana virgo 311
An. 777 an serius translatæ S. Cucufatis reliquiæ Barcinone in Vosagum Galliæ? 155

SECULO IX.

Utrum eo seculo reportata sit stupendissima de Mauris victoria ope S. Jacobi ad Montem majorem veterem in Lusitania? 42
An subsistat victoria Clavigiensis S. Jacobi patrocinio de Mauris obtenta 37
Videtur eremum incoluisse S. Glisentus 318
Sub initium floruerunt SS. Benignus et Carus apud Veronam in Italia 316
Ab Alfonso magno templum S. Jacobo Compostellæ erigitur 107
Eod. alia privilegia Toletano conceduntur 106
Sec. IX aut X in Chrysobalanto Cpoli hegumena fuit S. Irene virgo 601
An. 806 S. Pantaleonis reliquiæ ex Africa in Europam translatæ; quarum plures notantur 404
814 aut circiter inventum in Hispania S. Jacobi corpus 15
830 elevatum et venerationi exponi cœptum sacrum corpus S. Glodesindis 198
835 ex Vosago ad S. Dionysii translatæ S. Cucufatis reliquiæ 155
851 martyrium Cordubæ patitur S. Theodemirus monachus 227
852 Georgius, Aurelius et socc. martyres Cordubæ gloriose certarunt 450
858 facta in Galliam translatio sacrorum corporum SS. Georgii et Aurelii MM. Cordubensium 460
874 crucem auream S. Jacobo obtulit Alfonsus III Castellæ Rex 33
876 an solenni cæremonia sacratum templum S. Jacobi Compostellanum? 33

SECULO X.

An. 914 non sequenti incidit obitus S. Geranni ep. Autissiodor. 596
921 vel circ. obiit Regino abb. S. Martini Treviris 175
941 translatum et nobiliori loco depositum corpus S. Magnerici episc. Trevirensis 177
951 Gotescalcus Aniciensis ep. orationis gratia in Hispaniam ad S. Jacobi profectus est 33
951 nova Metis S. Glodesindi ecclesia erigitur 199
975 ad monachos rediit cænobium S. Martini Treviris 175
983 ex Oriente Romam venit S. Simeon Padolironensis 324
997 fundatum Mediolani S. Celsi monasterium 511

SECULO XI.

An. 1007 celebre monasterium in honorem S. Christophori institutum 131
1016 vivendi finem fecit S. Simeon Padolironensis 324
1020 vel paulo ante obiit S. Gothalmus in Austria 337
1024 vel paulo citius Sanctis adscriptus S. Simeon Padolironensis 320
1033 obiit Bethuniæ in Belgio S. Jorius episcopus 340
1040 circiter obiit Eberwinus abbas S. Martini Treviris scriptor Vitæ S. Magnerici 178
Eod. insignem de Saracenis ope S. Jacobi victoriam referunt Hispani 38
1056 S. Jacobi brachium Compostella Leodium allatum memoratur 29
1079 an inventum corpus S. Cucufatis in monasterio ejus nominis Octavianensi? 156
1082 fundatum Garstense monasterium ab Ottocharo I marchione Stirensi 477
1100 Botuidus martyr in Suecia 635

SECULO XII.

Institutus in Hispania celebris Ordo equestris S. Jacobi 36
Ecclesia S. Jacobi Compostellana evehitur ad metropolitanam 107
An. 1101 et sequentibus varia referuntur prodigiosa S. Jacobi miracula 53 et seqq.
1140 natus Placentiæ S. Raymundus Palmarius 647
1142 notatur obitus B. Bertholdi abbatis Garstensis in Austria 471
1145 eligitur a Pistoriensibus in Tuscia S. Jacobus in patronum suæ civitatis 25
1167 Vigiliis in Apulia inventa corpora S. Mauri et socc. 353
1174 facta divisio capitis S. Jacobi inter Canonicos Arienses et monachos Atrebatenses 24
1178 institutum Placentiæ celebre xenodochium a S. Raymundo Palmario 654
1200 ad operum caritatis coronam Placentiæ evocatur jam dictus S. Raymundus 638

SECULO XIII.

Sec. XIII circ. Veronam illustrarunt BB. Euangelista et Peregrinus eremitæ Augustiniani 342
An. 1201 Contarenus Pistoriensis multa prodigia scripsit ope S. Jacobi ibidem patrata 66
1215 quo modo Moguntiam allatum caput S. Annæ, inde Marcodurum, quod tamen in tot aliis ecclesiis exstare dicitur 256
1212 utrum in concilio Lateranensi actum de primatu ecclesiarum Hispaniæ 72
1217 Frisones post aditum S. Jacobi Compostellæ sepulcrum memorabilem de Saracenis in Lusitania victoriam referunt 35
1218 Cardinalis Sabellus, non Rodericus Toletanus in Hispania legati munere fungitur 105
1230 ope S. Jacobi Adefondus rex Saracenos ingenti clade afficit; et rursus eodem ferme tempore 38
1236 Corduba Mauris erepta 109
1238 grande miraculum operatus est S. Jacobus

bus apud Pratense castrum diœcesis Pistoriensis 68
1255 Hugo pur Lincolniæ an Anglia crudeliter excarnificatus est 494
1280 Faventiæ in Italia spiritum extremum reddidit B. Nevolonus fator 496

SECULO XIV.

An. 1386 in Arleberg sub patrocinio S. Christophori instituta pia sodalitas, renovataque 1627 130
1400 intermissus Placentiæ S. Raymundi Palmarii cultus instauratur 641

SECULO XV.

An. 1410 translatæ Barcinonem S. Cucufatis reliquiæ 159
1412 S. Vincentius Ferrerius synagogam Judæorum Valentiæ mutati curat in ecclesiam S. Christophori 128

SECULO XVI.

An. 1508 Julius II instaurationem Officii Mozarabici approbavit 82
1521 ultimo repositum corpus S. Celsi Mediolani 519
1579 translatum a S. Car. Borromæo corpus S. Nazarii 519
1600 Restauratum Venetiis vetustum templum S. Jacobo dicatum 71

SECULO XVII.

An. 1624 memorabili apparitione, exhibitum sibi olim in Britannia Armorica cultum restaurat S. Anna 249
1635 ab Urbano VIII restituta in Breviario Romano clausula de absoluta S. Jacobi in Hispania prædicatione 73
1640 Cæsaraugustæ in ecclesia S. Mariæ de Columna contigit stupendum miraculum de crure abscisso, juveni restituto 117
1646 et seqq. narrantur stupenda miracula ope S. Annæ patrata in Britannia Armorica 279
1672 Congregatio S. Jacobi instituta Antverpiæ 36

SECULO XVIII.

1723 concessum Aragonensibus proprium Officium de traditione S. Mariæ in Columna 124

MONITIO

Circa Acta S. Jacobi Majoris.

Postquam Acta S. Jacobi Majoris typis excusa essent, Excellentissimus dominus Didacus de Mendoça Corte Real ex Hollandia, ubi cum summa prudentiæ fama ac laude legationem pro potentissimo Lusitaniæ rege obierat, Ulyssiponem rediturus, Museum nostrum Antverpiense præsentia sua honoravit. Cum de re litteraria, in qua vastam ejus eruditionem admirati sumus, colloqueremur, incidit sermo de prædicatione S. Jacobi in Hispania, quam ut probabiliorem defendendam susceperamus. At Excellentissimus dominus quæsivit, an sciremus, prædicationem illam a R. P. Michaële de S. Maria ex Ordine S. Augustini libro Latine scripto et non ita pridem in Lusitania edito impugnari. Addidit, alios Lusitanice opinionem R. P. Michaëlis refutasse. Ingenue fassi sumus, hanc novam inter ipsos Lusitanos controversiam nobis hactenus ignotam esse, eo quod epistolæ nostræ, qua ab aliquot annis statum celeberrimæ

celeberrimæ academiæ Lusitanicæ et notitiam lucubrationum ejus expetieramus, nihil responsum fuisset. Instanter itaque Excellentissimum dominum rogavimus, ut ipse ea opuscula, tum Latina tum Lusitanica, ad nos mitti curaret, cum sat temporis superesset, ut sententiam mutaremus, vel argumenta R. P. Michaëlis refelleremus, antequam tomus sextus Julii nostri in lucem prodiret. Vir Excellentissimus petitioni nostræ benigne annuit, ac promissis stetit, ut intelligo ex litteris eruditissimi domini Emmanuëlis Pereira de Sylva Leal, quas die 25 Novembris anno 1728 ad nos dedit, sed quæ (nescimus quo casu) post elapsum fere trimestre dumtaxat nobis redditæ fuerunt : is enim dignissimus laudatæ academiæ Lusitanicæ socius in suis humanissimis litteris significat, memoratam R. P. Michaëlis dissertationem, aliaque opuscula, simul cum quibusdam suis lucubrationibus, jam a se ad nos missa fuisse. Sed hactenus nihil eorum vidimus, et utrum ea in mari perierint, an etiamnum alicubi hæreant ignoramus. Cum itaque editionem hujus tomi diutius differre non liceat, de his lectorem præmonendum esse censuimus.

NOTITIA FIGURARUM

Ornantium hunc Tomum.

Præfigitur solitum operis frontispicium.

Item effigies serenissimæ Archiducis Mariæ Teresiæ cui tomus ipse inscribitur.

Repræsentatio capitis S. Annæ, *ex imagine Sicula*	256
Item hermæ Græca inscriptio	ibid.
Urnæ S. Pantaleonis Lucæ in Etruria	410
Gloria B. Bertholdi primi abbatis Garstensis *in folio*	475
In Tractatu præliminari Mozarabico	
Divisio Hostiæ in isto ritu	90
Majuscula littera singularis *ex Ms. Toletano*	110
Schema orationis antiquæ de S. Martino Turon.	111

ACTA

A D

ACTA SANCTORUM

JULII

TOMUS SEXTUS

VIGESIMA QUINTA DIES

SANCTI QUI VIII KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Jacobus major, Apostolus, Martyr, Compostellæ in Hispania.

B **S. Christophorus Martyr, forte in Lycia.**

S. Cucufas Martyr, apud Barcinonem in Hispania.

S. Thea, S. Valentina, S. Paulus, Martyres Cæsareæ Palæstinæ.

S. Acontius, S. Nonnus, Martyres Romæ.

S. Stercorius, S. Clemens, S. Julianus, Martyres.

S. Florentius, S. Felix, Martyres Forconii in Vestinis Italiæ.

S. Hierusalem Martyr apud Græcos.

S. Ursus episcopus conf., Trecis in Gallia. E

S. Magnericus conf. archiepiscopus Trevirensis, ibidem in monasterio S. Martini.

S. Ebrulfus abbas, Bellovaci in Gallia.

S. Glodesindis virgo, Metis in Belgica prima.

S. Joannes Agnus Trajectensis episcopus conf., Hoyi in Belgio.

S. Theodemirus monachus Martyr, Cordubæ in Hispania.

C

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

F

S. Juliani *Cenomanensis episcopi translatio indicatur in auctariis Usuardinis : de ipso actum* XXVII Januarii.

S. Yxtam *virginem nescio unde aut qua verisimili causa ad hanc diem transtulerit Castellanus in suo Martyrologio universali, ut* cui ecclesia dicata sit in Yestetlen *(voluit dicere* Jestetten) diœcesis Constantiensis. *Nomen etiam ipsum male efformatum longioris disquisitionis occasio fuit : at tandem patuit, non aliam Sanctam designasse præter* S. Hyxtam, *de qua, sub nomine* Hixtæ *cum Notburga matre paucis actum est* XXVII *Januarii. Recursu habito ad ipsum locum opera P. Jacobi Bisselii Societatis nostræ provinciæ Germaniæ superioris procuratoris, obtenta est epistola R. D. Beati Wickaert curati in Jestetten prope Rhinoviam, ad nostrum item P. Leonardum Seiz* XXIII *Novembris* MDCCXXVI *data, qua docuit, neque hoc die* S. Hyxtam *ibidem coli, sed* VI *Februarii : ad quem proinde diem in Supplemento remittenda sunt, quæ de ejus cultu et miraculis (nam gesta penitus intercidisse videntur) impetrari poterunt* VI Februarii.

SS. Winamanus, Unamanus et Sunamanus *ut martyres hoc die referuntur in Martyrologio Anglico Wilsoni utriusque editionis, opinor, pro mero arbitrio, cum apud Joannem Magnum lib.* 17, *cap.* 20 *eorum martyrium describentem, nec verbo indicetur quo die illud subierint. Rectius majores nostri eos cum S. Sigfrido patruo vel avunculo conjunxerunt die quo is colitur.* XV Februarii.

S. Lucæ *abbatis translatio Agyræ signatur in Martyrologio Siculo nostri Octavii Cajetani; ast ejus Acta pridem illustrata sunt videndaque ad diem* II Martii.

S. Eupraxia, *vel* Euphrasia, *virgo in Thebaide, hodie memoratur apud Græcos, et in Molano cum Olympiade conjuncta est : Vita ipsius illustrata fuit* XIII *Martii, quo a Latinis colitur. Vide itaque eumdem diem* XIII *Martii.*

SS. Philippi

A SS. Philippi presbyteri, Eusebii monachi et Philippi diaconi *facta est hoc die in Sicilia* translatio *cum alia S. Lucæ abbatis, de qua jam egimus. At quæ de ea et Sanctorum ipsorum gestis dicenda erant, habes ad diem natalem* XII Maii.

S. Germani *Parisiensis episcopi translatio ad monasterium S. Vincentii notatur et describitur in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* 3, *parte* 2, *a pag.* 92; *quæ vel in ipso Usuardo annuntiatur: verum quæ eo spectant, ad propria Sanctorum natalitia reducere solemus, ut videsis* XXVIII Maii.

S. Blandina ab equis distracta martyrium consummasse *notatur in Synaxario collegii nostri Divionensis seu Petri Francisci Chiffletii cum duobus versiculis*, post memoriam, *uti ecgrapho nostro adscripsit Papebrochius*, sanctorum Martyrum Lugdunensium; *quos raro plerumque apud Græcos exemplo iterum exhibet apographum nostrum ex Menæis Mediolanensibus*
B *bibliothecæ Ambrosianæ littera O n.* 148 *cum elogio; at die proxime sequenti: ubi* Blandina *(non* Βαλανδίνα, *ut mendose in textu dicti elogii apographi nostri scribitur) ab equis distracta, Deo spiritum tradidisse etiam narratur. Eodem die notatur in Synaxario Basiliano* Sanctus *cum sociis, addito elogio, quod Græce excusum legitur ad calcem tomi primi Julii: ubi vitiose scribuntur fuisse* ex Ravenna civitate regionis Galliæ, *pro* Vienna. *Chiffletianum præter* Blandinam *tres alios ex illis refert, videlicet* Sanctum, Maturum et Attalum. *De laureatissimo horum Martyrum* XLVIII *manipulo egimus die 2 Junii cum Martyrologio Romano: inter quos herois ista invictissima, et fortitudine animi sexum supergressa, non ab equis distracta, sed capite truncata martyrium consummasse scribitur in longe æstimatissimis eorum Actis; de quorum merito dictum est in observatione ad Usuardum a nobis illustratum, ad diem 2 Junii. Absit ergo ut hic Blandinam vel ejus martyrium duplicemus ob tantillam mortis differentiam; in qua Græci facile potuerunt vel errare, vel aliquid de suo addere et mutare. Quamobrem omnia remittimus ad diem prædictum* 11 Junii.

C S. Adalbertus *Magdeburgensis episcopus in indice Sanctorum, quem Grollum appellamus, hoc die perperam signatur: de eo jam actum est* XX Jun.

S. Eurosiam *huc traxit Ferrarius in Catalogo generali, pro mero, opinor, arbitrio, quod diem cultus ignoraverit. Tu vide quæ dicta sunt* XXV Junii.

S. Landradam *Belisiensem abbatissam, nescio cur hoc die laterculo suo inseruerit auctor Florarii Sanctorum Ms.; spectat ad diem qua de ipsa egimus* VIII Julii.

S. Reticius *seu* Rheticius *episcopus Æduensis seu Augustodunensis in auctariis Usuardinis hoc die annuntiatur, a Castellano* XV *Maii; nos cum aliis de ipso egimus* XIX Julii.

Sancti martyris Hermogenis certamen *notatur in utroque Ms. Taurinensi; ejusdem, ut putamus, quem heri dedimus inter Prætermissos* XXIV Julii.

Josiam *scribam hoc die retulit Editio Lubeco-Col. inter Usuardi auctaria; Felicius eum elogio ornavit. Mirati sunt Majores nostri, eum a variis* XXV *Martii signatum. Sive sub isto, sive sub alio nomine, notus esse non potest, nisi ex Actis S. Jacobi Apostoli.*

SS. Rusticus et Florentius *male hoc die combinantur a Greveno: voluerit haud dubie signare* Felicem et Florentium *martyres Forconienses, de quibus hoc die agimus.* Felix *in Matricula Cartus. Ultraject. seorsim hoc die notatus, eodem reducendus est, aut ad hunc diem non pertinet.* D

Sanctorum Patrum CLXV, qui ad quintam Synodum adversus Origenis dogmata convenerunt, memoriam *hodie faciunt Menæa magna Græcorum excusa (sequente, ut solet, Maximo Cytherorum episcopo) cum versiculis et elogio. Martyrologium Arabico-Ægyptium a Gratia Simonio Maronita Latine redditum Patres dumtaxat legit* CL.

Gandavi Livini archiepiscopi translatio *Dempsteri mera hallucinatio est. Referimus hoc die translationem S. Lebuini; ast is cum S. Livino martyre confundendus non fuit.*

S. Marcelli episcopi Parisiensis translatio *reperitur in codice Usuardino Bigotiano: ast alii codices eam melius referunt die sequenti, tametsi hoc die factam testetur Saussayus in Supplemento.* E

S. Apersiæ memoria *notatur in dicto Martyrologio Arabico-Ægyptio, a Gratia Simonio Maronita Latine reddito: plura nos latent.*

Saladini *Asculani primam memoriam Majoribus nostris suggessit Ughellus tomo* 1, *col.* 487, *dum inter viginti altaria ecclesiæ Asculanæ aliquod numerat quod* olim exstabat beato Saladino dicatum, cujus pulveres ibi recludi docent antiqua ecclesiæ monumenta. *Ferit nonnihil sub istiusmodi nomine* Beatus, *quem non novissent Ferrarius, aut aliæ Sanctorum tabulæ; cujusque ignotus esset dies obitus. Ad quæstionem igitur idcirco Asculanis propositam, invenio responsum hujusmodi, æque ac cetera obscurum.* Fuit ejus corpus die XV mensis Aprilis hujus anni MDCXLIX intus capsam ligneam in altari lapideo sub titulo Sanctorum Michaelis et Mauri in cathedrali ecclesia repertum, cum lamina plumbea in ejus manibus, ubi hæc verba reperiuntur insculpta: Anno incarnationis Christi MCCXLI indictione XIV, die Jovis intrante Apostoli, frater Salladinus vespere migravit, et sequenti die Veneris a crypta S. Angeli, ubi XXVII annis pœnitentiam egerat, huc delatum fuit tempore Gregorii PP., residente Theodolino episcopo Asculano anno III, cujus corporis reliquiæ, de mandato et ordine Emin. ac Reverend. D. Cardinalis Gabrielis episcopi, fuerunt privatim translatæ in capellam S. Mariæ Lauretanæ, sitam in eadem Cathedrali ecclesia, ubi usque ad præsens asservantur in quadam capsa lignea introclusæ. Vulgo fertur, hunc B. Salladinum fuisse ex nobili familia de Salladinis hujus civitatis. *Id nostra interest minime: doceant nos Asculani* 1. *An* Saladinus *iste, quisquis fuerit, vere colatur*: 2, *quo die; ut debitus ei inter Sanctos locus in opere nostro concedi possit; nam* intrante Apostoli, *non magis ad S. Jacobum quam ad alios referri potest.* F

S. Abranus vel Abramus confessor in Campania Galliæ celebris. Fuit S. Gibriani frater; *sunt verba Camerarii, Sanctum alibi ignotum producentis. Egerunt Majores nostri de Gibriano ad diem* VIII *Maii, ibidemque notarunt,* necdum legisse se an et quo die Abranus coleretur *non magis quam Petranus, licet hosce cum aliis S. Gibriani sociis eo die annuntiet Sassayus.*

Obolium

A Obolium *nobis hoc die laudat Castellanus, ut martyrem cum sociis sexaginta supra ducentos, de quibus in Fastis Latinis aut Græcis nec verbum reperi hactenus. Exstat eorum memoria in Kalendario Coptorum a Ludolfo edito: ast hujusmodi Sanctos equidem non admittam, nisi de eorum vero et legitimo cultu aliunde constet; ut jam non semel protestatus sum.*

Mors beatissimi P. N. Macarii Scholtowodici Thaumaturgi *notatur in Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano: sed sola istius Menologii auctoritas nobis non sufficit, ut ipsum pro Sancto habeamus, donec de debito cultu legitime nobis aliunde constiterit.*

Sanciæ Alfonsi, *regiæ virginis, commendatricis Ordinis militaris S. Jacobi, filiæ Alfonsi IX regis Legionensis, S. Ferdinandi III sororis etc. Vitam Hispanicam habemus editam Madriti anno* 1651, *in qua* gloriosæ, *ac tantum non* Sanctæ *titulo decoratur, omni elogiorum genere exornata. Ejus corpus ex regio monasterio S. Euphemiæ de Corobiis, Ordinis S. Jacobi, Valentinensis diœcesis, ubi ab anno* 1270 *jacuisse dicitur, Philippus III anno*
B 1608 *adferri voluit Toletum ad S. Fidei parthenonem, ubi magna in veneratione habetur. Ad prædictæ Vitæ calcem argumenta subjiciuntur virtutum, sanctitatis et miraculorum, quæ inde erui possunt in ordine ad beatificationem et canonizationem, quæ ut ut urgentia fateamur, nostrum non est, Sedis Apostolicæ judicium prævenire. Neque vero in ista Vita dies obitus exprimitur, quamquam aliunde hac* xxv *Julii ad cælos evolasse supponatur. Haud dubie, ob concursum solennitatis S. Jacobi, alius dies ejus festivitati destinabitur, si ad Sanctorum honores evehatur; ut proinde Actis ejus suo tempore illustrandis locus defuturus non sit. Satis mirum est, de ea non meminisse Tamayum in Martyrologio Hispanico.*

Hieronymus Vaglegho *Ordinis S. Dominici in Marchesii Diario hoc die insigni decoratur elogio, extracto ex processibus super ejus virtutibus et miraculis pridem formatis Madriti et Vallisoleti: quousque res perducta sit in ordine ad beatificationem, fatemur nos ignorare.*

Gerekinus *Ordinis Cisterciensis Alvastræ in Suecia conversus, multis nominibus laudatissimus*
C *est, ut* qui intra annos quadraginta numquam e monasterio egressus *sit: qui* novem angelorum choros inter orandum quasi continenter viderit: ab ipsa Dei Parente visitari meruerit, *pluribus etiam aliis gratiis ornatus, et in Kalendario cum titulo* beati *relatus, de quo plura in Vita S. Birgittæ referri dicuntur ab Henriquez, Chalemoto, Bucelino atque etiam in Vite Aquilonia. Castellanus ipsi locum dedit inter Venerabiles, quo et nos hic eum reponimus, donec de cultu constet.*

Joannes Soreth *seu* Soretus *celeberrimus et præclarissimus RR. PP. Carmelitarum Prior generalis, totiusque Ordinis reformator, hoc die Andegavis, ubi depositum corpus, ferme tamquam martyr sublatus est anno* 1471, *non paucis miraculis post mortem clarus; cujus Vita, anno* 1478 *manu scripta apud nos exstat, uti et alia paulo fusior ac elegantior Parisiis edita anno* 1625 *cum titulo* beati, *qui ab Ordinis scriptoribus passim ei tribuitur, usque adeo ut Philippus Visitantinus, in Acie bene ordinata, sæpius a nobis citata, hoc ei elogium concinnare non dubitaverit ad hunc* D
diem: B. Joannes Soretus, natione Gallus, Carmelitani gregis pastor summus et reformator magnificus, Andegavi obiit ut martyr anno MCDLXXI, miraculis ante et post mortem clarissimus, ideoque ab immemorabili tempore Beatus colitur et invocatur. In Hannonia et Leodio, præter alia, etiam tertium Carmeli Ordinem restituit, ut alio in loco referimus. Beatus Romæ et ubique vocatur. *Equidem insignia Viri merita ultro et lubens agnosco, cupioque supremos honores debita auctoritate ipsi omnino decerni: hactenus vero, nec in ipsa Gallia verum cultum ecclesiasticum umquam obstinuisse, vel ex solo Saussayi silentio, qui nec inter pios quidem ipsum hoc die collocat, satis intelligitur: neque ipsius uspiam meminit magnus Sanctorum refossor Castellanus; neque alibi sufficientia ulla legitimæ venerationis indicia occurrunt. Quanto in honore fuerit apud Leodienses, narrat Fisenus in ejus ecclesiæ Floribus.* E

Thomas Kempensis *seu* a Kempis, *loco nempe natalio (oppido diœcesis Coloniensis) dictus, Ordinis Canonicorum regularium, vir sane venerabilis et toto orbe notissimus, hoc die anno* 1471, *ætatis* 92 *ad insignium virtutum meritorumque coronam evolavit;* sacræ lectionis cellæque suæ ita amans, ut hoc symbolum sæpius ore proferret, librisque suis inscriberet; In omnibus requiem quæsivi, sed non inveni nisi in angulis et libellis *Verba sunt Miræi, ita elogium prosequentis:* Scripsit varia, unum in corpus ab Henrico Sommalio digesta; inter quæ eminet vere aureus, De imitatione Christi libellus, quem sanctissimi viri Car. Borromæus, Ignatius Loyola, Philipp. Nerius, Robertus Bellarminus et alii quotidie lectitare sunt soliti. Vitam illius scripsere Judocus Badius, Franciscus Tolensis, et Henribertus Rosweydus Soc. Jesu presbyter, qui et Chronicon Montis S. Agnetis, a Thoma Kempensi scriptum, nuper edendum curavit. *Corporis ejus inventio, jussu Electoris Coloniensis procurata* XIII *Augusti* 1672, *in Swollense oratorium translatio, et in capsam depositio* x *Julii* 1674, *gratiæque eo tempore obtentæ, alibi descripta sunt, usui certissime* F
futura, siquando Sanctorum honores viro piissimo legitime decernantur. Videri possunt quæ pridem notata sunt in Paralipomenis ad Conatum in Catalogos Pontificum pag. 108.

Balthazar Alvarez *e Societate Jesu hoc die sanctissime obiit anno* 1580. *Qualis quantusque vir fuerit, fuse describit in ejus Vita Ludovicus de Ponte. Hoc ex illo dixisse sufficiat, S. Teresiam cognovisse divinitus, pro ut refertur in memorata Vita cap.* II, § 2, nullum in terris exstitisse eo tempore in tam excelso quam ipsum perfectionis fastigio, cum tamen viverent tum etiam eximiæ sanctitatis non pauci, et complures qui Fastis Sanctorum et Beatorum sunt ab Ecclesia postmodum adscripti. *Ex Bibliotheca Scriptorum. S. J.*

Philippus *anachoretha in eremo Judicæ* venerabilis *titulo ornatur ab Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo.*

Philippa virgo, regio sanguine Lusitanorum nata *Ordinis Cisterciensis fuit, et cœnobium* sancti Dionysii de Odiuelas multiplici scientia et admiranda sanctitate illustravit, *teste Henriquez*

A *et aliis; verum neque hæc altaribus hactenus admota scitur.*

Petrum Molleanum *ex Ordine Minorum anno, non* 1489 *sed* 1490, *dum fratres in choro Te Deum canerent, Camerini in Umbria vita functum, ibique ob varias virtutes et miracula in honore habitum,* beati *appellatione exornat Gonzaga pag.* 206, *ac post eum Arturus et alii; a quo non multum abhorrere visus est Papebrochius in annotatis ad Vitam B. Baptistæ Varanæ tom.* VII *Maii pag.* 489. *Est etiam penes nos expansum folium thesium ex jure Pontificio et Cæsareo, quibus præfigitur anno* 1652 *imago* B. Petri Corradini Moleanensis. *At necdum videmus tales honores ipsi legitime decretos; a quibus proinde melius abstinuit Waddingus in Annalibus, et non ita pridem Fortunatus Hueberus in Menologio Franciscano, qui laudatissimum virum meritis quidem ornant elogiis, verum absque omni* sancti *aut* beati *titulo,*

Rodulfus Delfius, *Mechliniæ in Brabantia*
B Jacobus a Falerone, *Muliani in Piceno*
Petrus a Caderola, *Camerini in Umbria*
Vaseus Correa, *in territorio Ulyssiponensi*
Baptista Canianus, *apud Theatem Marrocinorum*
Anastasius, *Albuquerquii in Castella*
Ambrosius Itinerarius, *Lutetiæ Parisiorum*
Stephanus Fulginas, *in Umbria*
Dominicus Surianus, Pacificus Clemerius } *Fulginii.*
Guiomares a S. Antonio *virgo, in territorio Braccarensi*
} *Cum titulo* beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et postrema etiam in Gynæceo.*

Hieronymus ab Asculo *additur a Fortunato Huebero, qui in eo æque ac in superioribus, Arturo prudentior, ab omni sanctitatis titulo abstinet.*

S. Pastorem presbyterum et abbatem, apud Scetim in Ægypto *ex Petri Catalogo hoc die in suum*
C *retulit Ferrarius, male citans lib.* 6, *cap.* 113, *pro* 141. *Dicitur autem ibi obiisse* VII *Kalend. Augusti, ut proinde ad sequentem spectet, quo de ipso videbitur* XXVI Julii.

S. Valens *non magis apte a Ferrario hoc etiam die ponitur in Catalogo generali, melius in altero collocatus est die sequenti* XXVI Julii.

Malinbæum *ex male intellecto Menologio Scotico, hoc die signavit Ferrarius in Catalogo generali: an vere colendus sit, videbitur die sequenti* XXVI Julii.

S. Hyacinthus *ad hunc diem non spectat, uti alicubi notatus est, sed ad sequentem* XXVI Julii.

S. Anna, Deiparæ Virginis mater, *hodie colitur apud Græcos, a quibus eam accepit Castellanus, sed de qua Martyrologium Romanum et nos die* XXVI Julii.

S. Laurentium *Mediolanensem episcopum hoc die refert Castellanus; forte quod in Papebrochiana Exegesi de episcopis Mediol. legerit* VIII Kal. Augusti *fuisse depositum: verum cum alibi signetur* XXVII *Julii, jamque pollicitus sit Papebrochius, nos de ipso eo die, ut de Sancto acturos, omnia ad eum diem remittimus* XXVII Julii.

S. Gangricum episcopum Trevirensem, discipulum S. Magnerici *hoc die* Romandissiæ *nobis assignavit Ferrarius, nesciens, opinor, quid scriberet.* S. Gaugericum *voluit dicere, non* D
Trevirensem sed Cameracensem episcopum, de quo magis apposita memorat Saussayus in Supplemento ad hanc diem. De sancto agetur die quo colitur XI Augusti.

Ursicium episcopum et confessorem, *qui hoc die locum occupat in Florario Sanctorum Ms. et in Editione Lubeco-Col. non novi: si de martyre sermo sit, refertur is in Martyrologio Romano* XVI Augusti.

S. Nemesium *martyrem Romanum hoc die signant varii Martyrologi; nos alium esse non putamus ab eo qui in Romano Martyrologio celebratur cum* Lucilla *(hoc ipso die a Ferrario relata)* XXXI Octobris.

SS. Athanasius et Theodorus, *ut* comites S. Jacobi, in Hispania relicti, juxta Magistri sepulcrum apud Compostellam tumulati, *ex Maurolyco, Felicio, Galesinio et Ferrario huc remissi sunt* XV *Maii, tomo* III, *pag.* 443: *atque iterum in Prætermissis* XXV *Junii. De iisdem etiam et aliis S. Jacobi Apostoli in Hispania sociis, aut ab eo ordinatis episcopis actum in Commentario ad Acta S. Cæcilii episc. Eli-* E
beritani ad diem I *Februarii. Recurrit item sermo de* Athanasio *tom.* III *Aprilis pag.* 1001 *et alibi. Quid de utroque aut alterutro hoc die dici possit equidem non invenio; neque enim in Actis S. Jacobi memorantur. Siqua Tamayo fides est, fuerit* Athanasius *iste Cæsaraugustanus episcopus, quem referre ipsi lubuit* I *Novembris, ad quem proinde diem rem totam ex Sampiro aliisque examinandam remittimus* I Novembris.

S. Lebuini translatio *est in Monasticis Wione, Dorganio, Menardo et Bucelino. Melius ab aliis refertur* XXV *Junii, ut ibi in Prætermissis observatum est, quo ipso die colitur Sanctus in diœcesi Antverpiensi. Verum et inde et hinc remittenda omnia sunt ad diem natalem* XII Novembris.

Jacobus intercisus *notantur hoc die in Kalendario Syriaco seu Chaldaico, Romæ edito anno* 1624, *quod Latine dictavit Majoribus nostris D. Josephus collegii Maronitici* 1661. *Sed Sanctus iste dari poterit cum Martyrologio Romano* F
XXVII Novembris.

S. Eutychianus *Papa et martyr ponitur hoc die in Usuardis Altempsiano et Florentino; quin et in Rabano, Notkero et aliis; verum ibi pridem notavimus, eum in Romano coli* VIII Decembris.

Martyres anonymi *in Actis Sanctorum Carpophori et Abundii, editis a Mombritio tomo* I, *fol.* 4 *dicuntur capite plexi hac die* XXV *Julii: verum tanti non sunt ea Acta ut hic de istis seorsim agendum putemus. Cujus porro pretii sint, invenies in Tractatu præliminari ad totum* I *Julii. Si quid forte præter ibi dicta deinceps occurrat, examinari id poterit ad diem quo de SS. Carpophoro et Abundio, una cum sociis istis ex Martyrologio Romano agetur* X Decembris.

S. Judoci translatio *aut* inventio *refertur in pluribus ad Usuardum auctariis, atque in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* 5 *a pag.* 545: *nos more nostro eam cum Sanctis Actis illustrabimus* XIII Decembris.

SS. Maximini et sociorum *inventio in monasterio Miciacensi prope Aurelianos hoc die exhibetur in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti sec.* 6, *part.* 2, *pag.* 252 *ut facta circa annum* 1025:

A 1025 : *verum de ea reliquisque ad Sanctum Maximinum spectantibus agendum erit die quo annua ejus festivitas recolitur* xv Decembris.

S. Olympias vidua et virgo, S. Joanni Chrysostomo devota, *hodie celebratur apud Græcos cum elogio, in quibusdam eorum fastis S. Eupraxiæ conjuncta. Molanus secundæ editioni suæ eam adjecit. Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano non sunt, ac Castellanus in Martyrologio suo universali inter adjectos, illam ponunt, quæ in Romano notatur die, quo de ipsa agendum erit* xvii Decembris. D

DE S. JACOBO MAJORE,

APOSTOLO ET MARTYRE,

COMPOSTELLÆ IN HISPANIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

S. C.

PARS PRIMA

B *Sancti distinctio, cultus, Acta, martyrii palæstra et tempus ; reliquiæ, gloria posthuma, patrocinium, et miracula.* E

§ I. Hujus sancti Jacobi ab aliis homonymis distinctio, et cultus ex variis monumentis.

ÆRÆ VULGARIS AN. XLIII, SIVE XLIV.

Aliqui distinguunt tres Jacobos,

H*enchenius noster cum Combefisio, Florentinio, aliisque scriptoribus tres Christi discipulos,* Jacobi *nomine insignitos, distinguit. Primus juxta ipsius opinionem est* Jacobus *filius Zebedæi et frater Joannis Evangelistæ, qui ab Herode Agrippa gladio occisus est. Alter est Jacobus, Alphæi filius, qui post annuntiatam pluribus locis Christi doctrinam tandem cruci affixus Ostracinæ martyr occubuit. Tertius vero est filius Cleophæ et Mariæ, vulgo frater Domini dictus, et primus Hierosolymorum episcopus ordinatus, qui post diuturnam ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernationem e pinna templi præcipitatus ac fullonis fuste percussus martyrium complevit. Duorum posteriorum Acta ad diem primam Maii ab Henschenio illustrata sunt. Primus autem hac die colitur, de quo tam multa tamque varia examinanda occurrunt, ut hunc Commentarium in plures partes dividere coactus fuerim, ne rerum dicendarum copia et diversitas confusionem* C *aut obscuritatem parerent.*

ex quibus Bzovius duos imperite confudit,

2 *Baronius quidem in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 44 *num.* 36 *tantum duos agnoscit Jacobos, et Jacobum Hierosolymæ episcopum cum Jacobo, Alphæi filio, eumdem esse existimavit, quam sententiam etiam alii defenderunt. Sed non capio, quomodo R. P. Abrahamus Bzovius ex Ordine Prædicatorum, sacræ theologiæ doctor, Jacobum Hierosolymitanum episcopum cum Jacobo filio Zebedæi confundere potuerit, dum in sua Historia ecclesiastica, ex Baronii Annalibus aliisque monumentis contracta, ad annum Christi* 44 *num.* i *ita imperite scripsit :* Verosimile est, quod Jacobus, quamquam Hierosolymorum episcopus, tunc Hispanias adierit, fidei mysteria docuerit, ecclesiamque aliquam Cæsar-Augustæ Virginis Matris nomine ejus monitu indidem condiderit: nam et Petrus, quamquam Antiochenus tunc episcopus, pertransibat universos, et tum multi ex Patribus, tum traditiones ecclesiarum testantur, Jacobum Alphæi lumine Euangelii aliquam Hispaniarum partem illustrasse. Hunc itaque ex Hispaniis reducem comprehendit Herodes, et gladio percussit. *At an bonus vir non legerat Act. cap.* 12 *sequentia ?* Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia : occidit autem Jacobum FRATREM JOANNIS gladio. *An non sciebat, Hispanos sibi apostolum vindicare* Jacobum *Majorem, Zebedæi filium? An denique non meminerat, se ad eumdem annum paulo supra de Herodis Agrippæ persecutione sic scripsisse :* Erat Jacobus, non quidem ille Alphæi, qui, dictus frater Domini, Hierosolymorum fuit episcopus, sed frater Joannis, filius Zebedæi, vitæ sanctitate, rerum gestarum gloria et propagatione fidei cum in Palæstina tum alibi locorum longe clarissimus. *Videtur itaque* F *hic dormitasse Bzovius, quem Joannes Georgius Herwartus, Bavariæ cancellarius, in Mantissa ob crassos hujusmodi errores acriter exagitavit. Nos ad antiquum Sancti nostri cultum demonstrandum pergimus.*

inter quos S. Jacobus Major Officio,

3 *In sacris omnium pene gentium fastis Apostolus iste celebratur. Græci plerique ad diem* xxx *Aprilis eum referunt, quando in Typico S. Sabæ ita legitur :* Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰαώβου, ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. *Id est :* Sancti apostoli Jacobi, fratris sancti Joannis theologi. *Tum ibidem assignatur Officium, quod eo die recitandum est. Menæa impressa præter Officium proprium, in quo sancti Apostoli laudes fuse decantantur, eodem die habent sequentes versiculos :*

Ὡς ἀμνὸς Ἴακωβος ἀχθεὶς ἐσφάγη,
Τῆς εὐσεβείας μηρυκίζων τουτοὺ λόγους.
Κτεῖνε μάχαιρα φόνου Ἴακωβον ἐν τριακοστῇ.
Ut agnus, ensi sponte cervicem dedit
Jacobus, atque ruminans verbum Dei,
Occisus est trigesima Aprilis die.

Nihil

AUCTORE G. C.

Nihil in his notatu dignum est, nisi quod in impressis legatur verbum μηρυκίζων, *cujus significationem in nullis lexicis reperire potui. Igitur suspicatus sum, hic irrepsisse mendum typographicum (id in istis libris rarum non esse experientia didici) et transpositis duabus litteris substitui* μυρκίζων, *quod proprie* ruminantem *significat. Præterea tertium carmen, quod est hexametrum, a Papebrochio translatum fuit in Ephemerides Græco-Moscas, tomo primo Maii præfixas, ubi in Aprili Græcorum metrico hic versus Græcus eodem metri genere ita Latine redditur.*

Jacobum gladio trigesima mactat iniquo.

et elogio decoratur a Græcis

4 *In Menæis jam citatis post istos versiculos sequitur elogium, quod ita e Græco Latinum facio:* Hic erat filius Zebedæi, et frater Joannis theologi, qui post Andreæ et Petri vocationem ab ipso Salvatore ad discipulatum cum fratre vocatus est. Illi statim patrem, navim, et simpliciter omnia relinquentes secuti sunt Dominum, qui eos adeo dilexit, ut uni concesserit gratiam recumbendi supra pectus ipsius, et alteri hibendi calicem, quem ipse bibit. Isti au-
B tem tantum zelum erga ipsum ostenderunt, ut ignem e cælo accersere, et incredulos perdere voluerint. Et sane fecissent, nisi Christi bonitas eos inhibuisset. Propterea igitur Christus hos et principem Apostolorum Petrum ad orationes et alia negotia assumpsit, sublimioribus et maxime arcanis dogmatibus eos imbuens. Herodes vero post passionem et ascensionem Domini nostri Jesu Christi non ferens hunc Jacobum, et libere loquentem ac salutare Euangelium prædicantem comprehendens gladio sustulit, et secundum a Stephano martyrem ad Christum Dominum transmisit. *Eadem leguntur in novo Anthologio Græcorum. Multum tamen ab his differunt ea, quæ habentur in Ms. Basilii Imperatoris Menologio, ex quo postmodum alia occasione elogium ejusdem Apostoli exhibebimus.*

ac in synaxariis Ruthenorum, aliarumque nationum celebratur.

5 *Mosci in signanda cultus die Græcos imitantur: nam* XXX *Aprilis in Menologio Slavo-Russico, quod nobilissimus Baro de Sparwenfeld nobis Latine vertit, ita annuntiatur:* Sancti apostoli Jacobi, fratris sancti Joannis theologi, qui
C jugulatus [est] ab Herode Hierosolymis anno quadragesimo quarto sub Claudio, alter post sanctum Stephanum martyr. *Rutheni in suo* Sobornik *id est synaxario, quod interprete P. Georgio David, Societatis nostræ missionario, circa annum* 1688 *Moscua accepimus, eumdem Apostolum ita referunt:* Sancti apostoli Jacobi, fratris Joannis theologi, qui ab Herode rege Hierosolymis decapitatus [est.] *Martyrologium Arabico-Ægyptium, quod Gratia Simonius, Romæ Maronitici collegii alumnus, ac postea Tripolitanus in Syria archiepiscopus, interpretatus est, eadem die* XXX *Aprilis sic habet:* Certamen sancti Jacobi Apostoli, filii Zebedæi, quem Christus cum suo fratre Joanne vocavit ad apostolatum. *Æthiopes et Coptitæ in Fastis sacris, a Jobo Ludolfo editis, de eodem ad diem* V *Maii sic brevissime meminerunt:* Jacobus filius Zebedæi. *In alio Menologio Coptico, quod Seldenus in Synedriis veterum Hebræorum cap.* 15 *typis vulgavit, pag.* 397 *idem sanctus Apostolus die* XII *Aprilis refertur. Hæc de Græcorum, aliorumque orientalium populorum cultu dicta sufficiant. Jam aliqua Latinorum Martyrologia et ecclesiastica Officia proferamus.*

Antiquis Latinorum Martyrologiis,

6 *In antiquissimo Carthaginensis ecclesiæ Kalendario, quod Mabillonius inter vetera analecta tom.* 3 *a pag.* 398 *edidit*, VI Kal. Jan. *colitur festum* Jacobi apostoli, quem Herodes oc- D
cidit. *Tamen Romanum parvum et pleraque alia Latinorum Martyrologia hunc Apostolum die* XXV *Julii commemorant. Sic Martyrologium, quod Edmundus Martene ex Ms. monasterii S. Germani Autissiodorensis Thesauro novo anecdotorum tom.* 3 *a col.* 1547 *inseruit, quodque ab annis circiter mille sub nomine S. Hieronymi compactum fuisse asserit, in Breviario Apostolorum* VIII *Kalendas Augusti de* S. Jacobo *meminit his verbis:* Jacob, qui interpretatur supplantator, filius Zebedæi, frater Joannis. Hic Spaniæ et occidentalia loca prædicat, et sub Herode gladio cæsus occubuit, sepultusque est in Acaia Marmarica VIII Kalendas Augusti. *Huic consonat Martyrologium Gellonense, quod Lucas Dacherius in nova Spicilegii editione tomo* 2, *pag.* 25 *ineunte seculo* IX *exaratum fuisse affirmat, et in quo ibidem leguntur sequentia:* Jacobus, qui interpretatur supplantator, filius Zebedæi, frater Johannis: hic Spaniæ et occidentalia loca prædicator, et sub Herode gladio cæsus, se- E
pultusque est in Achaia marmarica VIII Kalendas Augustas. *Eadem fere habet codex Blumianus, seculo* VIII *scriptus, et a Florentinio post Martyrologia Hieronymiana editus, cujus verba postmodum dabimus. De loco sepulturæ, quæ hic* Acaia *vel* Achaia marmarica *appellatur, postea pluribus disseremus.*

Adoni ac Usuardo

7 *Ado in libello de festivitatibus Apostolorum ad eumdem diem habet sequentia:* Natalis beati Jacobi apostoli, fratris Joannis Euangelistæ, qui decollatus est ab Herode rege Jerosolymis, ut liber Actuum Apostolorum docet. Hujus beatissimi Apostoli sacra ossa ad Hispanias translata, et in ultimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. *Usuardus in suo Martyrologio Adonem contraxit, ut satis patet ex his ejus verbis:* Natalis beati Jacobi apostoli, fratris Joannis Euangelistæ, qui ab Herode rege decollatus est. Hujus sacratissima ossa ab Hierosolymis ad Hispanias translata, et in ultimis earum finibus condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. *Haud dubie utrumque hunc Martyrologum præ oculis habuit auctor* F
Martyrologii Romani, in quo hodiedum ita legimus: Sancti Jacobi apostoli, fratris beati Joannis Euangelistæ, qui prope festum Paschæ ab Herode Agrippa decollatus est. Ejus sacra ossa ab Hierosolymis ad Hispanias hoc die translata, et in ultimis earum finibus apud Gallæciam recondita, celeberrima illarum gentium veneratione, et frequenti Christianorum concursu, religionis et voti causa illuc adeuntium, pie coluntur. *Superfluum judico hic alios Martyrologiorum textus accumulare.*

aliisque monumentis ecclesiasticis,

8 *Post diem natalem Christi et festum S. Stephani protomartyris hic Apostolus una cum fratre suo Joanne colitur in Missali Gothico, quod Thomassius et Mabillonius ex vetustis codicibus Mss. ediderunt: At die* XXV *Julii solenniter ejus festivitas celebratur in Missali et Breviario Muzarabum (de horum librorum auctoritate et antiquitate videri potest tractatus huic tomo præfixus) ex quibus pleraque ad* S. Jacobum *spectantia tomo* V *Junii a pag.* 215 *alia occasione exhibuimus. Idem Officium iterum typis subjecit Cardinalis de Aguirre tom.* 3 *Conciliorum Hispaniæ*

a

A *a pag.* 271. *Prædicatio hujus sancti Apostoli in Hispania indicatur in isto Officio Muzarabico, ex quo postmodum aliqua excerpemus.*

idem Sanctus etiam inscriptus est.

9 *Quanta cum solennitate festum* S. Jacobi *Cæsaraugustæ celebretur, patet ex statuo istius ecclesiæ metropolitanæ, quod anno* 1471 *conceptum est his verbis :* Considerantes, quod primam hujus civitatis ecclesiam ipse *(nempe* S. Jacobus, *de quo agitur)* fundaverit, et sua præsentia Dei verbum in nostra hac prædicaverit urbe, ejusdem gloriosissimi Apostoli natalitium diem vigesimum quintum Julii ordinamus et statuimuis sub solennitate sex Capparum *(is etiam festivitatum celebrandarum modus apud Muzarabes solennissimus est)* in metropolitana ecclesia Cæsaraugustana perpetuis temporibus celebrandum. Et licet in ceteris Octavis Virginis Officium propter solennitatem augendam communiter omittitur, in iis tamen ob memoriam apparitionis, qua adhuc vivens hac in civitate eidem Apostolo Virgo gloriosissima apparuit, non duximus omittendum. *Horum in appendice meminisse juvabit.*

B

§ II. Sancti hujus Apostoli parentes, patria, vitæ institutum, aliaque Acta ante martyrium.

Omissis Pseudo-Juliani fabulis,

S*i Pseudo-Juliano credere lubeat, detexit ille rarum thesaurum, nempe authenticam* S. Jacobi *Vitam, ab ipsomet Apostolo descriptam : postquam enim in Adversariis suis integrum mendaciorum plaustrum in Hispaniam invexit, hæc num.* 47 *addere non veretur :* Hæc et alia collecta sunt etiam ex Actis sinceris sancti Jacobi, quæ S. Apostolus, Zebedæi filius, de seipso scripsit. *Imo, ut majorem commentis suis fidem conciliet, num.* 407 *ita scribit :* Ego transtuli de lingua Latina Vitam S. Jacobi Majoris in Hispanam, qui multa fecit miracula, et Gadibus, ut a quodam auctore gravi scribitur, evertit templum Herculis Gaditani. *O infelix posteritas, cui nec Latinum hujus Vitæ exemplar, nec Hispanicam versionem contigit ! Nonne amanuensium labore millena hujus tam pretiosi opusculi ecgrapha in totum terrarum orbem dispergere oportuit ? Nonne omnium Christianorum intererat præclara tanti Apostoli gesta cognoscere? At quid ego Acta, tantum in Pseudo Juliani cerebro heri nata, in bibliothecis reperiri volo? Cur antiquum recentioris fabellæ exemplar frustra requiro? Jam eruditis Hispanis et ceteris notum est Pseudo-Juliani similiumque fabullatorum ingenium, ad quælibet fingenda promptum. Quis enim credat, Gaditanum Herculis templum a* S. Jacobo *eversum esse, quod diu post ejus martyrium exstitit, et impio idolotrarum cultu famosum fuit, ut Pomponius Mela lib.* 3 *Geographiæ cap.* 6, *Philostratus in Vita Apollonii lib.* 5, *Silius Italicus lib.* 3, *aliique veteres scriptores de suo tempore testantur. Videri etiam de hac re potest Joannes Baptista Suarez de Salazar in Antiquitatibus Gaditanis lib.* 3, *cap.* 1, *quas anno* 1610 *Gadibus Hispanice edidit. Ultro fateor, me genuina et antiqui* S. Jacobi *Acta (nam quæ sub nomine Abdiæ primi Babyloniæ episcopi prodierunt, nihil facienda sunt) hactenus nondum vidisse. Quare de illius gestis hic ea tantum colligam et examinabo, quæ apud auctores fide dignos invenero.*

C

11 *Imprimis quis fuerit sancti hujus Apostoli pater, clare indicat Matthæus cap.* 4, ℣. 21 *his verbis :* Et procedens inde *(nempe Jesus)* vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus in navi cum Zedebæo patre eorum reficientes retia sua : et vocavit eos. *Huic Evangelico textui novam, si superis placet, notitiam superaddit Pseudo-Julianus, dum in Adversariis num.* 60 *de thesauro suo neo-antiquo profert sequentia :* Consecratus est primus Britanniæ episcopus Aristobulus, qui et Zebedæus, pater Joannis et Jacobi Apostolorum ; qui etiam frater Cleophæ et Josephi, Genitricis Dei sponsi, socerque Petri et Andreæ. Post secutus est Petrum Romam, post mortem Jacobi filii, quem ad Hispanias secutus est. Inde secutus Petrum Romam, et in Gallias missus est ; et anno LX cum Josepho ab Arimathia patruele et aliis in Britanniam profectus, relicto fratre suo Barnaba in Cypro, egregie prædicans Euangelium Christi prius cum filio in Hibernia, pontificales infulas martyrii gloria decoravit. *Non abutar hic eruditi lectoris patientia refellendo hanc fabulam. Si cui lubeat hanc rem discutere, videat ea, quæ in Actis nostris ad diem* XV *Martii de Aristobulo Britanniæ apostolo dicta sunt. Ego autem firmiter decrevi in toto hoc Commentario non amplius similibus commentis referendis chartam contaminare, multo minus iisdem refutandis tempus perdere.* E

G. C. hujus S. Apostoli pater,

12 *Quamvis sacra Scriptura non diserte exprimat, quænam fuerit mater* S. Jacobi, *tamen Origenes recte nomen ejus colligit, ita scribens in Matthæum tractatu* 35 *circa finem :* Si autem oportet opinari, et dicere etiam nomen matris filiorum Zebedæi, dico quoniam hæc ipsa fuerat Salome pacifica appellata. *Deinde opinionis suæ rationem reddit :* Opinatus sum autem hoc, *inquit,* videns apud Matthæum et Marcum tres præcipuas mulieres nominatas, de quibus præsens sermo habetur ; et duas quidem esse, præsens *(nempe Matthæus, in quem tractatus suos scribit)* Euangelista exponit, Mariam Magdalenam et Mariam Jacobi ; tertiam autem dici matrem filiorum Zebedæi. Apud Marcum autem tertia illa Salome appellatur ; et secundum Marcum, quæ secutæ fuerant Jesum a Galilæa, cum Christo ascenderunt in Hierusalem. *Miror igitur, quod eadem a Nicephoro Callisto lib.* I, *Hist. Eccles. cap.* 33 *appelletur* Joanna, filiorum Zebedæi, Jacobi et Joannis mater. *Nihil etiam hic moror quosdam Græcos, qui dicunt, eam fuisse filiam S. Josephi, ut nempe Jacobum et Joannem faciant Christi consanguineos. Nisi propositi mei memor essem, afferem hic ea, quæ Pseudo - Julianus in Adversariis num.* 61 *et* 408 *de hac Sancti nostri matre fabulatur.* F

mater,

13 *Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ, citans recentiores quosdam auctores, patriam* SS. Jacobi *et Joannis in tribu Zabulon num.* 83 *ita collocat :* Saffa vel Saffra civitas in monte sita, a Nazareth tribus distans milliaribus, patria Zebedæi, Alphæi, et Jacobi atque Joannis Apostolorum, in quorum nativitatis loco pulcra visitur ecclesia. *Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ tom.* 2, *lib.* 7, *peregrinat.* 4, *cap.* 1 *de eodem loco ita scribit :* A Nazareth ascendendo per montes inter meridiem et occidentem, absoluto trium milliarium itinere, invenitur viculus SAFFA appellatus, Arabice DEIR, id est monasterium. . . . . Celebris et venerabilis est hic locus, quod credatur patria Zebedæi, patris

patria,

AUCTORE G. C.

patris sanctorum Apostolorum Jacobi et Joannis. *Dein post citata Adrichomii verba sic prosequitur* : Adverte, Adrichomium longius a Nazareth designare Saffam, quia non ut nos, distantia trium Italicorum milliarium, sed quæ una hora conficiuntur, et ita novem Italicis. Ecclesiam, de qua ipse, non vidi : fortasse demolita, et in summitate illius fuit ædificata. *Traditio illa non videtur satis probabilis, cum Saffa in mappis geographicis a mari Galilææ seu lacu Genezareth nimium distet, et verosimile non sit, nautas vel piscatores tam longe a mari habitasse. Certum autem est ex sacris Litteris, quod Jesus ambulans juxta mare Galilææ Petrum et Andream piscantes vocaverit, et precedens inde pusillum viderit Jacobum et Joannem in navi cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua. Quare potius assentior Theodoreto, quæ in Græco-Latina Sirmondi nostri editione tom.* 1, *pag.* 659 *interpretans psalmum* LXVII, *patriam eorum sic breviter et clare exprimit :* Petrus autem et Andreas, et Jacobus et Joannes et Philippus ex vico Betsaïda fuerunt.

B

vitæ conditio, quam aliqui extollunt,

14 *Ex dictis vix videtur dubitari posse de obscura* Jacobi *stirpe, et ignobili vitæ professione, quam ante apostolatum exercuit. Attamen hic scrupulum movet S. Hieronymus, qui in epistola* 96 *alias* 16 *ad Principiam virginem de* Jacobi *nostri fratre ita scribit :* Unde et Jesus Johannem Evangelistam amabat plurimum ; qui propter GENERIS NOBILITATEM erat notus pontifici, et Judæorum insidias non timebat : in tantum, ut Petrum introduceret in atrium, et staret solus Apostolorum ante crucem, matremque Salvatoris in sua reciperet. *Nicephorus Callistus lib.* 2 *Hist. Eccles. cap.* 3 *aliam hujus notitiæ causam reddit : affirmat enim, Joannem fuisse notum pontifici, quia Caïphæ (lib.*1, *cap.*28 *vocat* Annam) *hereditatem sibi a patre Zebedæo relictum vendiderat. Sed nos juniori isti Græculo, qui historiæ suæ multa apocrypha inseruit, non tam facile credimus. Imo Jansenius Gandensis in Commentariis suis ad concordiam evangelicam cap.*138 *non improbabiles affert rationes, ob quas suspicari licet, illum discipulum, notum pontifici, non fuisse Joannem. Sed ad rem nostram redeamus.*

C

aliideprimunt,

15 *Plerique Patres nullam in his fratribus generis nobilitatem agnoscunt : nam Basilius Magnus in Regulis fusius disputatis cap.* 8 *indicat, omnes eorum opes in unica navi positas fuisse :* Quomodo sane ut faceremus, *ait*, exemplo suo admonuerunt nos sancti Domini discipuli, Jacobus quidem et Joannes, relicto patre suo Zebedæo, ipsoque, de quo tota illorum victus ratio pendebat, navigio. *Sanctus Hilarius lib.* 2 *de Trinitate num.* 13 *Joannem, tamquam infimæ sortis hominem, describit hoc modo :* Consistit enim mecum, in patrocinium editarum superius difficultatum, piscator egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatus, veste uvida, pedibus limo oblitus, totus e navi :.... ait enim, IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, *etc. Sanctus Petrus Chrysologus serm.* 28 *simili modo loquitur :* Est ergo, *inquit*, virtutibus cognata paupertas, et si paupertas virtutum parens, virtutum socia sic habetur, sapere convenit, quare Christus ad virtutis officium pauperes sic elegit. Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, germanitas combinata, imo congeminata paupertas, in Apostolorum principes eliguntur; pauperes censu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, injuriis dati, præsidio retis, solo piscium captu, victum vestitumque conquirentes. *Hæc profecto non magnam generis nobilitatem sonant.*

D

juxta probabiliorem sententiam investiguntur.

16 *Origenes mediam viam eligit, et inter nautas ac piscatores distinguit : nam. lib.* 1 *contra Celsum eo titulo* Jacobum *et Joannem supra Petri et Andreæ conditionem ita elevat :* Manifestum est versantibus Euangelia, quæ Celsus ne legisse quidem videtur, duodecim Apostolos a Jesu electos, publicanum quidem Matthæum ; quos vero confuse nautas vocat, fortasse Jacobum et Joannem dicit, quia relicta nave, et patre suo Zebedæo secuti sunt Jesum : nam Petrum ejusque fratrem Andream, retibus necessarium victum sibi quærentes, non inter nautas, sed ut Scriptura tradit, inter piscatores censere debemus. *At frivola videtur hæc distinctio ; Evangelia enim innuunt, etiam* Jacobum *et Joannem fuisse piscatores, cum retia sua reficerent. Admittam quidem, ut Nicephorus Callistus lib.* 2 *Hist. Eccles. cap.* 3 E
loquitur, quod eorum pater Zebedæus fuerit ἰδιοναύκληρος *id est* propriæ navis rector *seu nauta qui propriam navem habebat, quia illud aliquo modo eruitur ex Evangelio Marci* I ℣ 20, *ubi in Zebedæi navigio dicuntur fuisse servi mercede conducti. Hoc tamen conditionis diversitatem, ab Origene excogitatam, nondum inducit : Petrus quippe videtur etiam navim propriam habuisse, cum Lucæ* 5 ℣. 3 *dicatur Christus ascendisse* in unam navim, quæ erat Simonis. *Denique in eodem Lucæ capite* ℣. 10 Jacobus *et Joannes vocantur* socii Simonis *Græce* κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι, *quasi in captura piscium communem cum Simone societatem habentes. Interpretationem nostram confirmat S. Epiphanius hæresi* 31 *alias* 51 *in editione Petavii nostri tom.* 1, *pag* 438, *ubi sic loquitur :* Quorum unus erat Andreas, alterum vero unum e Zebedæi liberis fuisse, propter artis societatem ac communionem rectissima conjectura suspicati sumus. *Græce* διὰ τὸ συνεργὸν, καὶ μέτοχον καὶ κοινωνικόν. *Hæc autem atque alia non obscure indicant,* Jacobum *reliquis apostolis ignobili sorte parem fuisse Omnibus itaque mature expensis, Basilio Magno, Hilario, Petro Chrysologo aliisque adhæreo, et ab Hieronymo cum reverentia recedo.*

F

Prætermissis incertis quibusdam narrationibus,

17 *In codicibus nostris Mss. multa de* Jacobi *Actis narrantur, ac præsertim ea, quæ contra Hermogenem magum (alii hæreticum appellant) sanctus Apostolus gessit. Verum cum illa ex Pseudo-Abdiæ Habylonii officina prodeant, nobis non parum de fictione suspecta sunt : homini quippe mendaci, ut vulgaris habet parœmia, etiam verum dicenti credere non solemus. Joachimus Perionius, monachus Henedictinus, gesta* S. Jacobi *stylo satis eleganti conscripsit ; sed partem historiæ suæ ex infecto aut saltem suspecto fonte hausisse videtur. Ne igitur narrationes parum certas, aut forte etiam fabulas hisce Actis immisceamus, præcipua* S. Jacobi *gesta, ex sacra Scriptura aliisque monumentis vetustis collecta, hic in compendium redigemus.*

præcipua Sancti Acta ante martyrium,

18 *Imprimis sanctus Marcus cap.* 1 *a* ℣. 19 *vocationem illius ad apostolatum ita explicat :* Et progressus inde pusillum *(scilicet Jesus)* vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi : et statim vocavit illos : et relicto patre suo Zebedæo

A dæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. *Matthæus autem cap.* 4, ℣. 22 *promptam ejus obedientiam sic clarius exprimit :* Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum. *De vocationis hujus tempore et ordine videri hic possunt passim obvii sacræ Scripturæ interpretes, ac præsertim S. Epiphanius, qui in editione Petaviana tom.* I, *lib.* 2 *hær.* 31, *alias* 51, *a num.* 14 *de hoc textu curiose disserit. Idem sanctus scriptor hæresi* 38, *alias* 58, *in editione jam citata pag.* 491 *et* 492 *asserit,* S. Jacobum *nostrum perpetuam virginitatem servasse. Præterea hæresi* 58, *alias* 78, *pag.* 1045 *de altero Jacobo, Hierosolymorum episcopo, hæc habet :* Qui quidem nonaginta sex annos natus ex hac vita discessit, cum perpetuam virginitatem servasset : cujus caput numquam ferro detonsum est : neque is balneis usus est, neque animatum quidquam ad cibum adhibuit, neque tunicam alteram induit; sed lineo palliolo dumtaxat usus est. *Deinde ad rem nostram hæc subdit :* Joannes et Jacobus una cum Jacobo nostro idem illud vitæ institutum amplexi sunt; quorum duo B priores Zebedæi filii. *Hæc Epiphanius, cui in ea re prudenter fidem adhibemus, cum hic a communi Ecclesiæ aut sanctorum Patrum sensu non discedat.*

ex sacris Litteris

19 *Salvator noster* S. Jacobum *tanto amore prosecutus fuit, ut eum pluribus miraculis et arcanis mysteriis præsentem esse voluerit. Hinc Christo adfuit, quando socrum Petri, magnis febribus oppressam, subito sanavit, et filiam Jaïri archisynagogi a morte suscitavit. Testis etiam fuit prodigiosæ transfigurationis, quando Jesus in monte Thabor Petro, ipsique, ac Joanni gloriam suam manifestavit. Forte hæc singularis Christi benevolentia* Jacobo *ejusque fratri animos addidit, ut primas in regno ejus sedes peterent; quod S. Marcus cap.* 10 *a* ℣. 35 *ita narrat :* Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes filii Zebedæi dicentes : Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. At ille dicit eis : Quid vultis, ut faciam vobis? Et dixerunt : Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in C gloria tua. *Matthæus autem cap.* 20 *a* ℣. 20 *affirmat, matrem* Jacobi *et Joannis hanc prærogativam filiis suis petiisse. Quidam sacræ Scripturæ interpretes hanc diversam Evangelistarum narrationem facile conciliant, dicuntque matris petitionem ex filiorum petitione processisse : cum enim ipsi non auderent, inquiunt, primas has dignitates a Christo petere, subornarunt matrem, ut illa id postularet. Quare filii sunt locuti per os matris, vel forte ejus petitioni suam quoque adjunxerunt. Alii aliter hæc explicant. Ut ut est, Christus illis, tamquam præcipuis ambitiosæ petitionis auctoribus, respondit, et passionis calicem proposuit, docuitque in regno suo majorem esse eum, qui cupit esse minor. Ambo hanc Magistri sui doctrinam tam alte animo insculpserunt, ut postea omnem ambitionis speciem fugerint, sicut testatur antiquissimus scriptor, quem Eusebius lib.* 2 *Hist. Eccles. cap.* I *citat hoc modo :* Clemens certe in sexto Institutionum libro ita tradit : Ait enim post Servatoris ascensum Petrum, Jacobum, et Joannem, quamvis Dominus ipsos ceteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse; sed Jacobum, cognomine justum, Hierosolymorum episcopum elegisse. *Chrysostomus, aliique Ecclesiæ Patres eleganter de hac Apostolorum imperfectione disserunt.*

colliguntur.

20 *Non etiam sine mysterio Christus nomina horum fratrum mutavit, ut Marci* 3 ℣. 17 *legimus, vocavitque eos* boanerges *id est filios tonitrui, quia illos destinaverat ad illustrem Evangelii sui propagationem, ut prædicationis fragore essent quasi tonitrua, quæ hominum infidelium ac barbarorum mentes commoverent, et ad pœnitentiam vitamque sanctam traducerent. Quantus porro fuerit eorum zelus, vel ex eo colligi potest, quod Samaritanos, Christum hospitio excipere nolentes, fulmine consumere voluerint, uti S. Lucas cap.* 9 *a* ℣. 54 *refert his verbis :* Cum vidissent autem *(inhumanitatem Samaritanorum)* discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, et consumat illos? Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus sitis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. *Quamvis nimius ille fervor reprehensione dignus esset, tamen ex eo patet, quis fuerit horum discipulorum sensus ob injuriam Magistro suo illatam. Manifestum quoque peculiaris favoris indicium fuit, quod Jesus* E Jacobum *cum aliis duobus, qui in monte Thabor gloriosæ transfigurationis testes fuerant, agoniæ suæ in horto Gethsemani interesse voluerit. Atque hæc sunt præcipua, quæ de* S. Jacobi *Actis ante martyrium occurrerunt. Si quæ levioris momenti gesta hic omissa sint, ea studiosus sacræ Scripturæ lector facile inveniet. Denique multi auctores, quos in altera hujus Commentarii parte proferemus, asserunt,* S. Jacobum *post divisionem Apostolorum in Hispaniam profectum esse, indeque Hierosolymam rediisse, ac ibidem consummasse martyrium, de quo nunc agendum est.*

§ . III Martyrium, ejusque tempus, ac locus.

S. Jacobus martyrio affectus est, F

Spiritus *sanctus nos voluit certos reddere de Apostoli nostri martyrio, quod Act.* 12 ℣. I *et* 2 *sic breviter narratur :* Eodem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. *Notabilem hujus martyrii circumstantiam memoriæ prodidit antiquissimus auctor, ex quo Eusebius in editione Valesiana lib.* 2 *Hist. Eccles. cap.* 9 *eam ita refert :* Eodem tempore, Claudii scilicet Augusti principatu, Herodes rex aggressus est affligere quosdam ex Ecclesia, et Jacobum Joannis fratrem gladio interfecit. De hoc Jacobo rem prorsus memoria dignam refert Clemens in septimo Institutionum libro, prout eam a majoribus acceperat. Ait enim, eum, qui Jacobum judicio obtulerat, cum illum vidisset Christi fidem libere confitentem, commotum Viri constantia, se quoque Christianum esse affirmasse. Ambo igitur, inquit, simul ad supplicium ducti sunt. Cumque inter eumdem rogasset Jacobum comes, ut sibi veniam daret, paulisper moratus Jacobus : Pax tibi, inquit, statimque illum osculatus est. Ita simul ambo capite truncati interiere. *Suidas tom.* I *sui Lexici pag.* 1201 *ad vocem* Ἡρώδης *eadem fere narrat; sed is, qui cum Jacobo capite truncatus est, vocatur illic* ὁ κατήγορος αὐτοῦ, *id*

AUCTORE G. C.

id est accusator ipsius. *At sive illum judicio obtulerit, ut vertit Valesius, sive accusarit, parum interest, et hoc discrimen videtur facile posse conciliari. Pseudo-Abdias lib.* 4 *Apostolicæ historiæ multis hoc martyrium ornat episodiis, quæ hic tædet referre, quia in hoc fabuloso scriptore vera a falsis discernere non possumus. Nunc oportet hujus cædis annum indagare.*

juxta chronologiam nostram,

22 *At præmonendus est lector, hujus martyrii disquisitionem procedere juxta systema de morte Christi sub duobus Geminis consulibus anno vulgaris æræ vigesimo nono, quod Henschenius et Janningus in Diatriba præliminari ante tomum primum Aprilis, et tomo quinto Junii in Commentario prævio ad Acta SS. Petri et Pauli die* XXIX *istius mensis* § 2 *et* 3 *ac alibi tam solidis rationibus probarunt, ut Papebrochius iis convictus priorem opinionem suam deseruerit, et paragrapho proxime citato in Anamnesi num.* 21 *ita candide scripserit :* Interim fateor ego, in Henschenii magistri mei sententia non vacillaturum me fuisse, si magnam illam solis obscurationem, a Phlegonte notatam, ad annum XXIX reduci posse tunc credidis-
B sem. *Norisius, Pagius, Schelstratius, aliique viri doctissimi eumdem annum mortis Christi tuentur, et non ita pridem R. P. Honoratus a sancta Maria in Reflexionibus Gallicis ad regulas et usum criticæ tomo* 3, *lib.* 5, *dissert.* I *pluribus argumentis hanc epocham confirmavit. Boschius collega meus non sine maturo examine vestigiis horum virorum institit, et nuper in Tractatu de Patriarchis Antiochenis, quem tomo* IV *Julii præfiximus, ea chronologia sic usus est, ut illam stabiliverit potius, quam ab aliis precario acceptam adhibuerit.*

quam nuperus quidam criticus inepte suggillat,

23 *Attamen heterodoxus quidam criticus, qui hunc Tractatum in compendium redegit, et hinc inde censoria virgula notavit, in Actis eruditorum Lipsiæ publicatis anno* 1726, *mense Maio, pag.* 199 *Boschium et reliquos hujus sententiæ patronos inficete suggillat his verbis :* Nempe ita sibi indulgent in chronologia præsulum, ut annos integros et lustra deglutiant, absorbeantque, modo Petrus ubique regnet, quemadmodum Hispani in suo Jacobo faciunt, cujus gratia omnes rationes chronologicas subvertunt. *Insulsum enimvero et falsum epiphonema ! Quid, obsecro, hic anni integri
C et lustra ad catholicam et pontificiam Petri gubernationem pertinent? An non regnaret ubique Petrus, licet duobus dumtaxat annis Antiochiæ sedisset? An non regnat ubique Petrus apud illos scriptores catholicos, qui chronologiam nostram non sequuntur? Sane miramur, censorem Lipsiensem ad tales ineptias evagari, et præter sodalium suorum morem tam procaciter explodere sententiam, a viris eruditissimis hactenus defensam. Ne quid in hominem dicam inclementius, tantummodo illum rogo, ut seposito paulisper suo in Pontifices Romanos odio, chronologiæ nostræ fundamenta examinet, et veterum testimonia, apud citatos illius defensores allata, attente expendat. Haud dubie videbit, ea prævalere suis cavillationibus, et conjecturis, quibus Boschium impugnat, et quas quidem refellere nullius est negotii, sed non hujus loci, ut forsan alia occasione ostendi poterit.*

ut ex Flavio Josepho eruitur.

24 *Itaque ab hac digressione redeamus in viam, et inquiramus Jacobeæ cædis annum, de quo noster Cornelius a Lapide in commentariis ad Acta Apostolorum cap.* 12 *diversas plurium auctorum refert sententias. Nos rejicimus omnes eas, quæ* S. Jacobi *mortem aut ante annum* 43 *collocant aut
post annum* 44 *differunt, ut patebit ex sequenti* D
controversia, in qua tantum disputamus, utrum S. Jacobus *anno* 43 *an* 44 *ab Herode Agrippa occisus fuerit. Communi historicorum consensu constat, mense Martio anni* 37 *imperatori Tiberio successisse Cajum Caligulam, qui Herodem Agrippam, Aristobuli filium, e carcere ad regnum evexit. Cum autem hic imperator* IX *Kalendas Februarii anno* 41 *a conjuratis interfectus esset, ei subrogatus est Claudius, qui ejusdem Herodis regnum amplificavit, addita Samaria et Judæa. Flavius Josephus lib.* 19 *Antiquitatum Judaicarum cap.* 7 *de Herodis morte sic loquitur :* Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus, vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium : quatuor enim annos sub Cajo cæsare obtinuit regnum ; primum in Philippi tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno accessit et Herodis tetrarchia : tribus deinde annis sub Claudio cæsare præter jam dictam ditionem in Judæa quoque regnavit et Samaria, simulque Cæsarea. *Græce autem* E
legitur ἄγων... ἔτος... τῆς βασιλείας... ἕβδομον, *id est*, agens annum regni septimum. *Quo loquendi modo indicat, annum regni septimum necdum fuisse elapsum. At idem Josephus, mortem Herodis narraturus, paulo antea dixerat :* Jamque tertium Judææ totius regni annum exegerat, cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est. *Græce,* τρίτον δὲ ἔτος αὐτοῦ βασιλεύοντι τῆς ὅλης Ἰουδαίας πεπλήρωτο, *hoc est*, tertius annus, ipso regnante per universam Judæam, completus est. *Sed hæc facile conciliari possunt, cum ignoremus determinatum diem aut mensem, quo Herodes Agrippa regnum, sibi a Cajo Caligula datum, auspicatus sit, ut mox videbimus.*

anno æræ vulgaris 43

25 *Ex hac chronotaxi inter se comparata sic argumentor : Herodes, testes Josepho, absolverat tertium annum regni Judaici, quod anno* 41 *post diem* 24 *Januarii a Claudio acceperat, atque adeo mors ejus ultra mensem Januarium anni* 44 *differenda est. Attamen non diu post illud tempus differri potest, cum Josephus testetur, eum mortuum esse, quando agebat annum septimum prioris regni, quod anno* 37 *circa finem Martii vel initium Aprilis a Cajo Caligula ac-* F
cepit : non enim videtur novus ille imperator, qui mense Martio anni 37 *electus est, diu exspectasse, ut Herodi regnum conferret, cum Josephus lib.* 18 *Antiquitatum Judaicarum cap.* 8 *de hac re ita scribat :* Ceterum Cajus Romam reversus, Tiberii simul corpus referens, more solenni funus celebravit sumptuosissime ; et cum vellet Agrippam eadem die solutum dimittere, monitu Antoniæ supersedit : non quod ea male vellet homini, sed negabat decoram hanc festinationem, ne videretur hoc odio Tiberii facere, si confestim solveret, quem ille vinxerat. Elapsis tamen non multis diebus, accersitum ad se domum tonderi, vestemque mutare præcepit. Imposito deinde in ejus caput diademate, tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, regem constituit, adjecta Lysaniæ quoque tetrarchia, et pro ferrea catena dedit auream pari pondere. *Si igitur usque ad obitum Herodis computemus annum regni septimum currentem, vel ejusdem regni a Claudio aucti tertium completum, mors illius mense Februario vel Martio anni* 44 *verosimillime collocanda est. Quo posito, cædes* Jacobi *et captivitas Petri ad annum*

A *num.* 43 *retrahendæ forent, cum utraque paulo ante Pascha Judæorum contigerit, ut ex Actibus Apostolorum cap.* 12 *manifeste colligitur.*

vel 44,

26 *Sed si martyrium* Jacobi *et captivitatem Petri anno* 43 *affigamus, alia oritur difficultas, et videtur inter injuriam hisce Apostolis illatam, ac Herodis Agrippæ mortem nimium temporis spatium relinqui : Eusebius enim lib.* 2 *Hist. eccles. cap.* 10 *mortem Herodis ita narrat :* Regis vero ob commotam adversus Apostolos persecutionem haudquaquam diu dilata vindicta est : sed continuo divinæ justitiæ minister angelus ab eo pœnas expetiit. Cum enim statim post commissum in Apostolos facinus, ut traditur in Actibus Apostolorum, Cæsaream profectus esset,..... repente illum ab angelo Dei percussum esse sacræ Litteræ testantur, et a vermibus consumptum interiisse. *Huic opinioni consentiunt plurimi sacræ Scripturæ interpretes. Alii tamen existimant,* B *inter martyrium* Jacobi *et Herodis mortem, longius temporis intervallum intercessisse, de quibus vide nostrum Cornelium a Lapide in Acta Apostolorum cap.* 12. *Forte etiam Josephus, dum dicit Herodem,* elapsis non multis diebus *a Cajo regem constitutum esse, intellexit non longam temporis moram, quæ ad unum alterumve mensem non improbabiliter extendi potest : nam ob rationes supra dictas aliasque nobis incognitas facile potuit Cajus a mense Martio, quo mortuus est Tiberius, exspectare usque ad Majum, antequam Herodem publico regis titulo ornaret. Quod si Herodem exeunte Aprili vel ineunte Maio anni* 44 *obiisse dicamus, potuit eodem anno ante Pascha* Jacobus *occidi, et Petrus carceri mancipari; sicque omnia ex Josepho et Eusebio allata conciliabuntur, ut consideranti patebit. Quidquid sit, a vera chronologia aberrare existimo eos, qui* Jacobi *martyrium extra hos duos annos consignarunt. Quare initio hujus Commentarii ad marginem notavi annum* XLIII *vel* XLIV *id est post Christi mortem* 14 *vel* 15 *juxta systema nostrum, in quo manifeste probamus, Christum cruci affixum esse sub duobus Geminis consulibus, anno* 29 *vulgaris æræ. Jam de gloriosa Jacobei certaminis palæstra nonnihil* C *disseramus.*

Sanctus Apostolus, non Cæsareæ in Palæstina,

27 *Vix referri, multo minus refutari, meretur erronea opinio Jacobi Charron, qui in Historia Gallorum cap.* 68, *pag.* 481 *scribit,* Jacobum Majorem *in Hispania martyrio affectum fuisse, sicuti testatur Marchio Mondejarensis in opusculo Hispanice edito de prædicatione* S. Jacobi *cap.* 5, *pag.* 18. *Crassa enimvero, et historico Gallo indigna hallucinatio! Vix observatione dignum est, quod Aloysius Lipomanus in Vitis Sanctorum tom.* 2, *fol.* 75 *de Jacobei martyrii loco ex corruptis Isidori codicibus sic edidit :* Hic in Marinarica Achaiæ ab Herode tetrarcha gladio cæsus occubuit, ibidemque sepultus. *De variis hujus textus corruptionibus postea agemus. Græci quidam volunt, eum martyrii laurea coronatum fuisse Cæsareæ, quamvis ex Actibus Apostolorum cap.* 12 *satis manifestum sit, Petrum non fuisse carceri mancipatum Cæsareæ, quo Herodes post angelicam illius liberationem tetendit, sed Hierosolymis, ubi etiam erat Jacobus Minor, et domus Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus. Quod si Petrus Hierosolymis captus fuerit, dubitari vix potest, quin* Jacobus *noster paulo antea ibidem ab Herode interfectus fuerit. Nihilominus Menologium, jussu Basilii imperatoris seculo* X *collectum, habet die* XV *Novembris sequentia, quæ ex Ms. nostro Græco sic Latina facio :* Jacobus apostolus fuit quidem unus ex duodecim Apostolis; erat autem frater sancti Joannis Theologi, filius Zebedæi Galilæi, quos videns Dominus cum Zebedæo patre eorum juxta stagnum Gennesaret resarcientes retia sua, tamquam piscatores, vocavit. Illi autem statim relinquentes omnia et patrem suum, secuti sunt eum, et fuerunt ab ipso instructi, ut discipuli. Verum post ascensionem Domini et dormitionem sanctæ Dei Genitricis Joannes quidem accepit Ephesum, et ibidem docuit. Jacobus vero relictus Hierosolymæ et duodecim tribus Israël peragrans, comprehensus est ab Herode tetrarcha Cæsareæ Palæstinæ, et ab eo jugulatus gladio, migravit ad cælum regnans cum Domino et Magistro Christo, benignissimo Deo nostro. *Ughellus tom.* 6 *Italiæ sacræ posteriorem hujus Menologii partem dedit, et col.* 1135 *ac* 1136 *idem* S. Jacobi *elogium paulo aliter vertit. Volui ego verbum verbo fideliter reddere, quia textus aliquo modo ambiguus est, et dubitari potest, an tam jugulatio* E *quam comprehensio ad Cæsaream Palæstinæ referenda sit.*

AUCTORE G. C.

ut quidam existimant,

28 *Franciscus Maria Florentinius in Martyrologio Hieronymiano, pag.* 121 *citans hoc ipsum Basilii Menologium, existimat, comprehensionem* S. Jacobi *ejusque cædem ad Cæsaream referri : nam post exhibitum idem elogium sic loquitur pagina sequenti :* Tria hic notatione digna videntur. Primum, quod Jacobi Zebedæi martyrium post Deiparæ obdormitionem contigerit; deinde, quod Hierosolymitanam ecclesiam ipse regendam susceperit. Tertium, quod Cæsareæ Palæstinæ agonem consummarit. *Quid de tribus hisce opinionibus ipse censeat, videri potest. Nos interea de gloriosi certaminis loco mentem nostram explicabimus. Si Menologium Basilianum significare velit,* S. Jacobum *Cæsareæ passum esse, opponimus illi rationes numero præcedente indicatas, et immemorabilem Hierosolymitanorum traditionem, de qua Adrichomius, (describit inter alia celebriora urbis Hierosolymitanæ loca* forum rerum venalium, quod in superiori inferioris civitatis parte situm est, ubi pisces ac variæ merces vendebantur) *in Theatro Terræ sanctæ pag.* 154 *sic loquitur :* Hoc F in foro S. Jacobus Major, frater Joannis cum suo spiculatore, qui eum ad martyrium ducebat, primus Apostolorum ab Herode Agrippa capite truncatus cum sanguine vitam profudit : in cujus honorem sibi *(forte legendum est* ibi) postea insigne erectum est templum, quod nunc Jacobitæ Armeni inhabitant, atque in eo Christum suo more colunt. *De eodem loco illustrissimus princeps Radzivilius in sua Jerosolymitana peregrinatione, typis Plantinianis anno* 1614 *Antverpiæ impressa, sic testatur pag.* 58 *:* In primis vidimus magnam Armenorum ecclesiam, eo in loco fabricatam, in quo Herodes decollari jussit S. Jacobum Majorem Act. 12. In ingressu templi ad lævam, circa medium ipsius, prope murum est altare martyrii hujus gloriosi Christi discipuli. Habet septem annos de indulgentiis, et totidem quadragenas. *Bernardus Breydenbachius in sua Peregrinatione transmarina ad diem* XII *Julii affirmat, se eamdem ecclesiam Hierosolymis vidisse.*

29 *Franciscus Quaresmius in Elucidatione*

AUCTORE G. C. *sed potius Hierosolymis*

Terræ sanctæ tom. 2, *lib.* 4, *Peregrinatione* 2, *cap.* 17 *de sacro illo loco sic copiose disserit:* Ex ecclesia sancti Thomæ revertendo ad viam, a qua declinatum fuit, et recta progrediendo occurrit statim monasterium et ecclesia divo Jacobo apostolo, fratri sancti Joannis, alio nomine Majori, dicata, a quo et nomen accepit. Causa exædificationis et dedicationis hujus ecclesiæ esse perhibetur, quod in illius loco idem Christi Discipulus glorioso martyrio feliciter cursum apostolatus sui consummaverit, et præsentem mortalem vitam cum immortali commutaverit.. ...... Locum autem particularem decollationis illum esse, ubi memorata fuit constructa ecclesia, de quo in præsentia loquimur, neminem vidi refragari. *Deinde citat verba Adrichomii, quæ nos supra produximus, quibus tunc hæc subdit :* Quod forum rerum venalium fuerit in superiori inferioris civitatis parte, ut dicit Adrichomius, non disputo; sed quod in eadem fuerit decollatus Jacobus, non credo : omnes enim in his partibus credunt, locum hunc pertinere ad civitatem superiorem et ad montem B Sion. Forte dixit ille, esse in civitate inferiori, quia in ejus superiori confinio. Præter eam ecclesiam, magnum etiam et pulcrum ibidem exstructum est monasterium, quod Armenorum episcopus cum suis religiosis monachis inhabitat (ad hos enim modo, non ad Jacobitas pertinet) et in eodem hospitantur Armeni peregrini.

martyrium subiisse videtur.

30 *Postea profert verba Bonifacii Minoritæ, qui in Opere de perenni cultu Terræ sanctæ lib.* 2 *memorans locum, martyrio* S. Jacobi *sacrum, præter alia hæc scribit :* Ista enim ecclesia magna est et valde pulchra, hospitium juxta se habens, quod Hispani simul cum ecclesia fabricarunt, in quo peregrini Hispani, qui veniebant Terram sanctam visitare, hospitebantur. *Hactenus invenire non potui, quo tempore Hispani istud xenodochium et templum Hierosolymis exstruxerint. Denique Quaresmius ulteriorem hujus ædificii notitiam suggerit hoc modo :* His jam ego addo, ecclesiam istam, exceptis ecclesiis sanctissimi sepulcri Domini nostri et sanctæ Mariæ in Bethleem, ceteris omnibus in his partibus a Christianis inhabitatis illustriorem C et pulchriorem esse. Desuper ex arcu concamerato, qui adinstar illius in templo sanctissimi sepulcri apertus est, lumen recipit. Ab ejus latere dextro, et fere in medio est parvum sacellum cum altari, et subtus ipsum est locus marmore rubro opertus, in quo sanctus ille Apostolus, doctor et virgo etiam, ut in Panario hæresi LVIII docet S. Epiphanius, abscisso capite Magistrum suum secutus est, quem in terra positum toto corde et pura mente dilexit. Supra est tabula, ubi Deo incruentum altaris Sacrificium offertur. Ante templum illud, est hypæthrium quoddam sive atrium, ubi hodie, velut et olim, frequenter merces quædam venum exponuntur, quemadmodum extra in via publica. Monasterium maximum pluribus habitationibus abundat, eminens est, et ex solario templi, quod ceteris locis altius est, tota civitas cernitur; imo castello ipsi dominatur : spatiosum ei inhæret viridarium. Et breviter, situs iste et locus fecundior et melior ceteris Hiersolymitanis censetur. *Tandem post hæc narrat, quomodo corpus sancti istius Apostoli Hierosolymis in Hispaniam translatum sit, de qua translatione jam nobis etiam agendum est.*

D

§ IV. Translatio sacri corporis in Hispaniam.

Translatio S. Jacobi in Hispaniam, quæ variis libris impressis

Joannes a Bosco, *monachus Cœlestinus, in Bibliotheca Floriacensi edidit longam hujus translationis historiam, quam circa annum Christi millesimum exaratam fuisse suspicatur. Laurentius Surius in Vitis Sanctorum die* XXV *Julii eamdem post ipsum typis vulgavit. Denique Cardinalis de Aguirre conciliis Hispaniæ tom.* 3 *a pag.* 120 *istam inseruit. Quantam vero Boscus hac prima editione ab Hispanis gratiam inierit, videri potest apud nostrum Gasparem Sanctium in disputatione de* S. Jacobi *prædicatione in Hispania tract.* 3, *cap.* 19, 20 *et sequentibus, ubi ostendit, multa falsa, absurda et fabulosa in ea narratione contineri. Nos hic omittimus tetricam illam historiam, quæ in editionibus jam citatis legi potest, ne inutili mole hunc commentarium augeamus. Ne tamen conqueratur curiosus quispiam, cui isti libri non* E *sunt ad manum, breviorem ejusdem translationis narrationem substituimus, quæ longiori admodum similis est, si pauca de reliquiarum bajulis aliisque adjunctis excipias.* Reperitur ea in vetusto codice manuscripto cœnobii Marchianensis *(sic habet titulus) cujus ecgraphum in Museo nostro servatur* † *Ms.* 103, *fol.* 64, *quod sic sonat :* Jacobus, frater Joannis Euangelistæ, traditur in Hispania prædicasse, de qua cum reverteretur circa diem Paschalem Hierusalem visitare ecclesiam, invenit eam a duobus magis Hermogene et Phileto graviter infestari : quorum fallaciam signis et prædicationibus detexit, et gregem Domini a lupis invasum ad verum Pastorem reduxit; insuper et ipsos magos, magistros erroris, cum multis aliis ad veram fidem convertit, et nobiles doctores Ecclesiæ fecit.

et manuscripto codici

32 Unde Judæi, zelo accensi, seditionem concitant, Jacobum furibundi rapiunt, ad prætorium Herodis filii Aristobuli ducunt, dataque ab Herode sententia damnationis, ad locum, quo decollandus erat, protrahunt; qui in itinere paraly- F ticum sanavit, et scribam, eum cum fune ad martyrium trahentem, convertit : is enim, qui obtulerat eum ad martyrium, Jacobum scilicet, motus pœnitentia etiam ipse confessus est, se esse Christianum. Quamobrem missa relatione ad Herodem, ducti sunt ambo ad supplicium; et cum ducerentur in via, rogavit Jacobum dare sibi remissionem. At ille parumper deliberans : Pax tibi, inquit, et osculatus est eum. Deinde rogavit sibi afferri aquam, et baptizavit eum, et ita simul cum eo capite plexus est : cujus corpus ab Hermogene et Phileto aliisque discipulis suis rapitur, navi imponitur, ut aliquo loco abscondatur, donec largiente Domino condigne sepeliatur; in navim ingressi obdormierunt, et in crastinum evigilantes, invenerunt se in Hispania, ubi primum prædicaverat. Corpus itaque efferentes super lapidem ponunt, quod mox in eumdem lapidem mergi conspiciunt, velut liquidem elementum.

Marchianensis monasterii.

33 Erat eo tempore in illis partibus præpotens femina, et nomine et actione Lupa, totius provinciæ primatum tenens. Quibusdam igitur cum corpore relictis, alii ad hanc dominam pergunt rogantes, ut sibi locus sepulturæ traderetur

A traderetur, ut cujus vivi doctrinam suscipere recusaverat, saltem mortui corpus, sibi a Deo missum, reciperet. Tunc illa comprehensos homines misit crudelissimo regi puniendos. Rex vero jussit eos in ima carceris recipi, donec cogitaret, qua morte interficerentur. Post hæc, rege a convivium discumbente, ab angelo de carcere producuntur, et populo inspectante, civitatem egrediuntur. Sublata autem mensa, rex ad carcerem ministros misit, et inclusos produci jussit; ministri vero carcerem aperientes neminem invenerunt. Cumque jussu regis ubique perquirerentur, et aliqui dicerent, se peregrinos vidisse per civitatem transire, mittuntur velociter, qui eos insequantur; sed rupto ponte, quem transibant, gurgiti immerguntur. Unde rex et sui pavore perterriti, viros cum honore revocant, fidem Christi et baptisma suscipiunt. *In Ms. Floriacensis bibliothecæ dicitur rex cum omnibus suis, crypta corruente, oppressus esse. Sed nostra parum interest, uter hic verosimiliora finxerit. Reliqua*
B *tantummodo audiamus.*

non sine admixiis fabulis inserta est,

34 Deinde ad Lupam reversi petunt sibi dari locum sepulturæ; illa vero dolens, eos non solum evasisse sævitiam regis, sed et ipsum regem cum omnibus suis Christo adquisisse, tentat eos aliquo ingenio perdere. Habebat illa tunc ingentes boves silvestres nimis feroces atque indomitos: præcepit itaque, ut hos boves sub jugo mitterent, et corpus Magistri plaustro impositum veherent, cogitans, quod a bobus discerperentur. Ipsi autem, facto signo crucis, boves ut agnos jungunt, corpus Magistri plaustro imponunt; boves autem indomiti corpus Apostoli recto itinere duxerunt in palatium Lupæ longe inde positum: quod illa videns, Christo credidit, palatium suum in ecclesiam consecrari fecit, in qua sanctum Apostolum sepelivit, cui etiam multas possessiones et alia ornamenta contulit. Ibi miracula multa facta sunt, et multi ad fidem conversi. Passus vero est idem Apostolus sub Herode Agrippa tempore Paschali; sed ejus memoria solennizatur VIII Kalendas Augusti, quando translatus est et sepultus, cælestibus signis glorificatus. *Non placent hic mul-*
C *tiplicata sine necessitate miracula, rex eo tempore in Hispania, aliaque non pauca, quæ prudens lector facile observabit. Ex his non obscure colligitur, in quo pretio habendus sit auctor Floriacensis, a quo ad majorem dramatis ornatum inducitur in scenam* immanissimus draco *(verba illius sunt)* qui omnes circum se positos pagos horrendo et horribili flatus sui anhelitu exinaniverat, omnes exstinxerat, animantia deglutierat, et reliqua omnia protriverat. *Verum ad magis seria convertamur.*

datur ex Ms. Historia Compostellana,

35 *Multo simplicius verosimiliusque eadem translatio narratur in Ms. historia Compostellana, quæ ante medium seculi* XII *a diversis auctoribus collecta est, et adhuc in archivo Compostellano servatur, ut Ambrosius Morales aliique scriptores Hispani passim testantur. Vidi anno* 1721 *Matriti in regia bibliotheca duo ejusdem Historiæ Compostellanæ ecgrapha, ex quibus ad rem nostram descripsi sequentia:* Sicut igitur ex veritate Euangelica didicimus, Dominus ac redemptor noster quadragesima resurrectionis suæ die in cælum ascensurus discipulis suis Euangelium per universum orbem terrarum prædicare et gentes ad veram fidem conversas in nomine sanctæ in individuæ Trinitatis baptizare præcepit dicens: Ite in universum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ etc. Aliis ita que Apostolis ex præcepto Domini ad diversas provincias et ad diversas civitates Euangelicæ prædicationis studio commigrantibus, beatus Jacobus sancti Joannis apostoli et euangelistæ frater *(posterior amanuensis hic uni exemplari inseruit* Hispaniæ et Hierosolymis prædicavit, in qua ab Herode *etc.; qua fide, videant Compostellani in suo autographo)* Hierosolymis remansit, verbum Dei prædicaturus, ibique ab Herode ob Christi confessionem et catholicæ fidei assertionem decollatus, primus omnium Apostolorum subiit martyrium. Unde beatus Lucas euangelista in Actibus Apostolorum ait: Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.

AUCTORE G. C.

in qua multo simplicius verosimiliusque refertur.,

36 Cujus quidem beatissimi Apostoli corpus venerandum Judæi malevolentia et invidia ducti nec sepelire voluerunt, nec a Christianis, qui tunc temporis Hierosolymis conversabantur, sepeliri permiserunt; sed, sicut Leo Papa in epistola, quam de ejus passione et ipsius corporis E
in Hispaniam translatione ad Hispanos destinavit, affirmat, integrum corpus cum capite extra civitatem projicientes, canibus, avibus atque feris devorandum consumendumque exposuerunt: sed illius discipuli, ab illo vivente præmoniti, quatenus corpus suum in Hispaniam regionem transferrent tumulandum, totum corpus cum capite, teste Leone Papa, nocturno tempore accipientes, littus ad usque maris citato calle pervenerunt. Cumque ibi de navigio, quo in Hispaniam transmearent, soliciti essent, navim sibi divinitus apparatam in littore maris invenerunt, quam, Deo gratias unanimiter referentes, sacratissimo corpore imposito, ovanter conscenderunt, et Scylla cum Charybdi atque periculosis syrtibus, manu Domini gubernante, devitatis, primum ad Iriensem portum felici navigio pervenerunt. Deinde venerabile corpus ad locum, qui tunc Liberum Donum vocabatur, nunc autem Compostella dicitur, deferentes, ipsum corpus sub marmoreis arcubus ecclesiastico more ibidem sepelierunt. *Postea idem auctor narrat, quomodo sepulcrum sancti Apostoli, ob frequentes persecutiones occultatum, tandem post diuturnam oblivionem revelatum fuerit, de qua revelatione nos paragrapho sequenti agemus. Interim adverte, in hac narratione nullam de Lupa aut rege Hispaniæ mentionem fieri, neque tam crebra tamque portentosa miracula referri.*

In gratiam Tillemontii

37 *Nunc satisfaciendum est quibusdam difficultatibus, quas Tillemontius tom.* I *Monument. eccles. pag.* 597 *nota* 7 *contra hanc translationem proponit. Primo dicit, totam hanc historiam niti epistola quadam Leonis III Papæ, quæ a Baronio quidem laudatur, sed non producitur; imo quæ in editione conciliorum inter alias Pontificum litteras locum non habet. Fateor, eam epistolam hactenus collectionibus conciliorum non fuisse insertam. Sed an inde concludet Tillemontius, eam numquam exstitisse aut etiamnum non exstare, dum quotidie in lucem protrahuntur plurimæ Pontificum epistolæ, quæ dudum in tenebris latuerunt? An forte voluit, ut ipsum Leonis autographum sibi assignaretur aut exscriberetur? At cum Historia Compostellana aliaque antiqua monumenta de ea epistola meminerint, potius concludere debuisset, illud autographum aut periisse, aut alicubi adhuc cum blattis et tineis luctari. Certe Joannes Grimaldus,*

AUCTORE G. C.

dus, archivi Vaticani præfectus, teste Francisco Macedo in Diatriba de adventu S. Jacobi *in Hispaniam cap.* XI, § 1, *libro suo de selectis Pontificum rebus hanc Leonis III epistolam inseruit. Verum cum is Grimaldi liber nobis ad manum non sit, illas Papæ Leonis litteras in gratiam Tillemontii aliunde transcribemus.*

exhibetur epistola Leonis III de translatione S. Jacobi in Hispaniam,

38 *Breviarium Eborense, quod Olissippone anno* 1548 *impressum est, in festo translationis* S. Jacobi *ad diem* XXX *Decembris ex* epistola beati Leonis Papæ *(sic sonat titulus Officii ecclesiastici) quatuor lectiones recitandas proponit hoc modo :* Lectio I. Noscat vestra fraternitas, dilectissimi, qualiter in Hispaniam integrum corpus beatissimi apostoli Jacobi translatum est. Post ascensionem enim Domini adventumque Spiritus sancti ab ipsa passione Christi anni revolutione tempore azymorum, beatissimus Jacobus apostolus, perlustratis Judæorum synagogis, Hierosolymis captus sub Abiathar pontifice, et simul cum Josia discipulo suo, jussu Herodis, capite plexus est. Lectio II. Sublatum est autem corpus illius a discipulis nocte præ timore Judæorum : qui, angelo Domini comi-
B tante, pervenerunt in Joppen ad littus maris. Ibi vero hæsitantes, quid agere deberent, nutu Dei adfuit parata navis. Ascendunt gaudentes cum Salvatoris Alumno, et sublatis velis prospero vento magnaque tranquillitate navigantes, Iriæ Gallæciæ portui applicuerunt. Lectio III. Egressi de navi posuerunt corpus in quodam prædiolo, vocitato Liberum Donum, distante a præfata urbe fere decem et octo passuum millibus, ubi nunc veneratur. Invenerunt autem in loco idolum a paganis constructum et cryptam, in qua erant ferrea instrumenta ad lapides elaborandos. Gaudentes igitur idolum diruerunt minutatim, et, reclusa tellure, in sepulcro lapideo, quod exscalpserant, corpus Apostoli recondiderunt, facta super domuncula cum altari. Lectio IV. Post aliquod autem temporis intervallum, duobus ibi remanentibus, Theodoro scilicet et Athanasio, alii eodem, quo venerant, navigio ad propria sunt reversi. Qui remanserunt, indesinenter ibi vigilantes tandem obierunt, et sepulti jussu ipsorum (alter ad dextram, alter ad sinistram Magistri) a populis, quos Deo lucrifecerant, tunc fuere. *Tunc Lectione* V *sic*
C *pergit auctor Breviarii :* Ex beati Leonis epistola cognovimus sanctissimi Jacobi corpus *etc. Eadem epistola paulo fusius refertur a nostro Joanne Mariana in Disputatione de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam cap.* 12, *et in Ms. opusculo, quod Papæ Callisti II nomine insignitum est, cujus auctoritatem postea examinabimus. Utra ex his sit genuina Leonis epistola, eruditis Hispanis discutiendum relinquo. Ego saltem Tillemontio, epistolam Leonis Papæ videre cupienti, satisfacere conatus sum.*

et respondetur quibusdam illius scrupulis,

39 *Tillemontius alterum dubium huic translationi opponit ex Græco scriptore anonymo, operibus Œcumenii præfixo, qui juxta Tillemontii interpretationem asserit, corpus* S. Jacobi *esse* ἐν πόλει τῆς Μαρμαρικῆς, *id est* in urbe Marmaricæ. *At cur Tillemontius Græcum anonymi textum truncavit? Cur non addidit verbum* ἐκοιμήθη obdormivit? *Sic enim totus sensus exprimitur :* ἐκοιμήθη δὲ ἐν πόλει τῆς Μαρμαρικῆς, *ob*dormivit autem in urbe Marmaricæ. *Quod si* S. Jacobus *obdormierit, hoc est obierit, in urbe Marmaricæ, anonymo oppono ipsum Tillemontium, qui tomo supra citato pag.* 595 *contendit,* D
S. Jacobum *non Cesareæ, sed Hierosolymis, mortuum esse. Sed ne de verbo litigemus, gratis concedamus, Anonymum voluisse significare sepulturam in urbe Marmaricæ. Quam fidem meretur hic auctor, qui de Joanne sic scribit eodem loco :* θάπτεται δὲ ἐν Ἐφέσῳ ἔτι ζῶν, *hoc est,* Sepelitur autem Ephesi adhuc vivens. *Præterea forte Græcus ille, rerum terrarumque occidentalium ignarus, legerit in aliquo corrupto Latinorum codice* S. Jacobum *requiescere in Marmarica, atque inde fecerit urbem Marmaricæ. Sic Freculphus episcopus Lexoviensis tom.* 2 *chronici, lib.* 2, *cap.* 4, *scribit, quod fuerit* sepultus intra marmoricam. *Isidoriani codices circa hanc lectionem passim inter se differunt : nam in quibusdam legitur* Carmarica, *in aliis* Marmarica, *et in antiquo codice nostro Ms.* † 117 *circa finem dicitur* sepultus in arce marmaria. *Ambrosius Morales et noster Joannes Mariana censent, utrobique legendum esse* in arca marmorea, *de qua regum diplomata, aliaque Hispanorum monumenta expresse meminerunt.* E

(horum occasione etiam varia corruptæ alicujus vocis explicatio proponitur)

40 *Mariana in Disputatione de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam cap.* 7 *de hac re sic loquitur :* Quod attinet ad posteriorem, codices variant. Parisiensis editio Carmarica habet; Madriti facta Marmarica. Ego utramque lectionem corruptam statuo, et castigandam ex Breviario Toletano, ubi in festo S. Jacobi lectione sexta habes : Sepultus est in arca marmorica (seu marmorea) cujus lectionis vestigia in antiquis codicibus exstant, cum quidam legat archis marmoricæ, alius achi-marmarica, [ut] auctor, qui eum librum nuper castigavit. At potius ex marmoris arca (quod amicus monuit) marmarica facta vitiose est. Inde vero natam arbitror vulgi opinionem, navi marmorea vectum sacrum corpus in Hispaniam; reique gestæ monimentum in littore ad Iriam Flaviam saxum ostenditur in cymbæ modum conformatum. Nimirum, ut ego interpretor, corpus, quod, ut historia Compostellana ait, Judæi sepultura prohibuerunt, discipuli clam ablatum, atque marmoreo sepulcro inclusum navique impositum in Hispaniam detulerunt. Vulgus, viso sepulcro, existimavit, eo vectum fuisse per F
aquas, ut solet levi occasione popularis fama crescere. *Maurus Castellus Ferrerius in historia Hispanica* S. Jacobi *lib.* 2, *cap.* 5, *fol.* 135 *contendit, potius substituendum esse vocabulum* Tamarica, *quia olim in Gallæcia populi quidam a fluvio Tamari vocabantur Tamarici, ac inde terra Tamarica, uti testatur Pomponius Mela lib.* 3 *Geographiæ cap.* I. *Petrus Mantuanus illam opinionem fusius defendit in observationibus ad historiam Marianæ pag.* 117 *et sequentibus. Placet eadem opinio Gaspari Sanctio nostro in Disputatione de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania tract.* 3, *cap.* 14, *ubi in fine ita concludit :* A Tamarica autem ad Carmaricam seu Marmaricam non magna est aut insolens mutatio. *Sed Thomas Tamayo de Vargas, historiam Marianæ defendens a pag.* 149, *conjecturam Mantuani pluribus argumentis impugnat.*

quos ex Venantio Fortunato

41 *Tertium argumentum desumit Tillemontius ex Venantio Fortunato, quem ita interpretatur, acsi indicaret, corpus* S. Jacobi *sua ætate, id est seculo* VI, *adhuc in Palæstina fuisse. Sed audiamus ipsum Fortunatum, qui in editione nostri Broweri lib.* 8 *Carminum cap.* 4 *sic habet :*

Præcipuum

A Præcipuum meritis Ephesus veneranda Joannem.
Dirigit, et Jacobos terra beata sacros.

Doceri cupio, cur hic Fortunatus de loco sepulturæ explicari debeat. Quid vetat, eum hic loqui de martyrii palæstra, quæ utrique Jacobo *in Terra sancta obtigit? Nonne etiam dicit:* Nobilis Andream mittit Achaia suum; *cum tamen jam seculo* IV *corpus S. Andreæ ex Achaia Constantinopolim translatum esset? Quis autem facile credat, istam translationem, quæ cum tanta pompa anno* 357 *contigit, totque miraculis et scriptorum calamis illustrata est, Fortunato ignotam fuisse. Hinc non improbabiliter conjicio, tantummodo a sacro Poeta significari regionem, id qua Andreas et uterque* Jacobus *martyrii palmam obtinuerunt. Si quis tamen hac responsione mea non acquiescat, putetque cum Baronio in Annalibus ad annum Christi* 816, *num.* 71, *hic agi de cultus aut sepulturæ loco, dabo aliud re-* B *sponsum, quod ipse Tillemontius suggerit. Hoc igitur posito, rotunde edico, Fortunatum nescivisse, quod corpus* S. Jacobi *seculo primo in Gallæciam translatum fuerit, cum ignoraverit translationem S. Andreæ seculo* IV *factam, quam tamen, utpote solenniorem et tempori suo propiorem, facilius novisse poterat.*

et silentio Lucæ Tudensis,

42 *Infelicius cavillatur ex falsa persuasione, qua putat, Lucam Tudensem de translatione* S. Jacobi *in Hispaniam nusquam meminisse. Sic tomo* I *Monument. eccles. nota* 8, *pag.* 599 *de hoc silentio loquitur:* Lucas diaconus et postea episcopus Tudensis (hæc est urbs Gallæciæ satis vicina Compostellæ) nihil nos docet, quod sciam, de prædicatione S. Jacobi in Hispania, nec de ejus translatione aut reliquiarum revelatione. Tantummodo dicit, quod Alfonsus destruxerit civitatem Iriensem, quodque sancti Jacobi apostoli ecclesiam, quam ipse construxerat, reverendi patris Leonis tertii Romani Pontificis assensu, metropolitano sublimaverit honore *Non possum, quin hic novam Tillemontio subministrem notitiam, quam ille in hoc scriptore seculi* XIII *non videtur invenisse. Simulatque igitur inspicio Chronicon Lucæ Tudensis, tomo* 4 *Hispaniæ illustratæ editum (eamdem editionem citat adversarius) statim in ipsa præfatione pag.* 2 *mihi occurrerunt hæc ejus ver-* C *ba:* Exceptis omnibus his temporalibus bonis omnipotens Deus in tantum Hispaniam cælestibus ditavit bonis, ut protomartyris Apostolorum Jacobi corpus sibi transmitteret perpetuo in carne amplectendum. *An nihil nos docet de* S. Jacobi *translatione in Hispaniam, qui eam tamquam certam et omnibus notam paucis verbis affirmat? Imo etsi Lucas Tudensis nullum de illa translatione umquam verbum fecisset, an de ea dubitandum erat Tillemontio, quando eam diserte exprimunt antiquiora monumenta, quæ jam protulimus?*

contra illam translationem movet.

43 *Tandem Tillemontius post omnia dubia sua concludit, corpus* S. Jacobi *probabiliter seculo* VII *Hierosolymis in Hispaniam translatum fuisse, ut Saracenorum, tunc Palæstinam devastantium, furori subduceretur. Deinde addit, easdem reliquias, Mauris ineunte seculo* VIII *in Hispaniam irruentibus, fortasse absconditas fuisse, et usque ad seculum* IX *incognitas mansisse, quando sub Alfonso Casto dicuntur inventæ. At ego novo Tillemontii systemati unicum oppono dilemma, quod ab ejus sectatoribus solvi cupio. Si reliquæ* S. Jacobi Majoris *usque ad seculum* VII *fuerint in Palæstina, vel fuerunt ibi notæ vel ignotæ. Si fuerint notæ, mirum est, Eusebium, Hieronymum, aliosque scriptores, dum de hoc* S. Jacobo *loquuntur, numquam de iis meminisse, præsertim cum aliorum Sanctorum reliquias et sepulcra in Terra sancta non raro assignent. Si vero fuerint ignotæ, quomodo Saracenorum persecutioni subduci et in Hispaniam seculo* VII *transferri potuerunt? Facilius itaque intelligitur, quomodo per plura secula in Gallæcia ignotum fuerit illud sacrum corpus, quod primi Christiani ex Palæstina detulerant, quodque postea propter crebras ethnicorum persecutiones absconditum delituit, et non nisi post plura secula inventum est. De hac inventione paragrapho sequenti disseram, et Tillemontium iterum conveniam.*

§ V. Revelatio et præsentia corporis S. Jacobi in Hispania. E

Etsi non possit figi annus, quo corpus S. Jacobi in Hispania; inventum est,

Non convenit inter scriptores, quo anno pretiosus ille thesaurus in Hispania detectus fuerit: Vasæus enim in Chronico Hispaniæ inventionem istius sacri corporis anno 798 *refert. Alii autem illam anno* 816 *sive* 825 *vel* 835 *consignant, uti testatur Joannes de Ferreras in Historia Hispaniæ part.* 4, *pag,* 140, *ubi felicem illam sortem circa annum Christi* 808 *Hispaniæ obtigisse existimat. Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ lib.* 13, *cap.* 43, *sol.* 71 *verso scribit, reliquias* S. Jacobi *primum anno* 835 *ibi repertas esse, quia in diplomate Alfonsus Casti, quod lib.* 9 *ejusdem operis cap.* 7, *fol.* 235 *exhibuerat, signatur æra* 873, *quæ anno Christi* 835 *respondet. At eidem diplomati apud alios relato subscribitur æra* 863 *id est annus Christi* 825, *ut notat laudatus Joannes de Ferreras part.* 4 *Hist. Hisp. pag.* 160. *Præterea ex hoc diplomate colligitur, sacras illas reliquias aliquot annis antea inventas fuisse, cum Alfonsi ibi asserat, quod in honorem* S. Jacobi *ecclesiam construi jusserit, et Iriensem sedem cum eodem loco sancto conjunxerit; quam sedis conjunctionem historici passim factam scribunt sub Leone III* F *Papa, qui anno* 816 *vita functus est. Etiamsi ex hactenus dictis certum revelationis seu inventionis istius annum figere non possim, tamen probabilius judico, illam contigisse ante annum* 814 *quo Carolus Magnus obiit; quia auctores Ms. Historiæ Compostellanæ affirmant, quod ex majorum traditione acceperint, id* tempore Caroli Magni factum fuisse.

frustra tamen Tillemontius scrupulos movet contra illam inventionem.

45 *Quamvis Tillemontius tomo* 1 *Monument. eccles. pag.* 599, *nota* 8 *præmoneat, se nolle de hac inventione litigare, tamen in decursu illam tot cavillationibus vellicat, ut tandem de vera existentia istius sacri corporis in Hispania dubitare videatur. Imprimis conqueritur, quod Baronius in Annalibus ad annum Christi* 816 *omnes rerum Hispanicarum scriptores pro hujus inventionis historia generaliter citet, et singulos non recenseat, quodque ex auctoribus synchronis universas hujus revelationis circumstantias non confirmet. At eminentissimus vir, tanta rerum scribendarum copia et varietate obrutus, non existimabat necessarium, ut peculiaris historia communiter ab omnibus recepta et apud alios rerum Hispanicarum scriptores idoneis testibus*

AUCTORE G. C

sideratione tantæ ultionis periculo suos acrius concuti conspiceret, quisnam esset ille, cujus aula eorum impetu jam fere destructa esset, sui itineris ductores fertur consuluisse : quorum nimirum responsione Jacobum scilicet, unum ex discipulis filii Mariæ virginis (cujus nomen apud eos ebni Mariæ nuncupatur) ibidem certissime tumulari comperiens, ac tantæ audaciæ pœnitudinem gerens, fugam obstinate iniit, et in fugiendo repentino languore percussus, apud Metinam Celim, ubi sepultus est, animam suam sinui Mahometino infeliciter commendavit. *Vides, hic* S. Jacobum *Compostellæ* certissime *dici sepultum, et non solum id ita vulgo credi. Vides, id de* S. Jacobo *apostolo affirmari. Frustra igitur Tillemontius interrogat, an non potuerit Compostellæ fuisse aliquis S. Jacobus, qui cum homonymo Apostolo confusus sit.*

Sampiro Asturicensi

53 *Si quis forte antiquis istius rei testimonium desideret, audiat Sampirum Asturicensem episcopum, seculi* x *scriptorem, qui in editione Sandovalliana pag.* 70 *eamdem, ni fallor, Arabum punitionem ita refert :* Interim rex Alcorexi cum multis agminibus Agarenorum per Portugalensem terram intravit Galleciam, et Compostellam venit, et totam ipsam terram depopulavit. Ad ecclesiam ergo sive et * sepulcrum beati Jacobi cum magna audacia accedere voluit; sed Deo annuente territus rediit. Sed Rex noster cælestis non est oblitus Christianam plebem; misit in Agarenis infirmitatem ventris, et nemo ex eis unus remansit, qui rediret in patriam unde venerat. *Puto, hic eamdem Arabum punitionem indicari, quamvis dux eorum vocetur* Alcorexi, *qui alibi* Almanzor *vel* Almezor *appellatur : nam potuit Arabs ille binominis esse, quod inter illos rarum non est, vel forte nomen ab amanuensibus corruptum est, uti plura alia in hac Sampiri historia leguntur. Utut est, hic seculi* x *scriptor sepulcrum* S. Jacobi *Compostellæ clare asserit. Quod autem de* S. Jacobo *apostolo id intelligat, liquet, ex initio ipsius historiæ, ubi apud eumdem Sandovallium pag.* 57 *ita diserte loquitur :* Tunc ecclesiam in Compostella prosequitur, ubi corpus beati Jacobi apostoli quiescit. *Joannes Vasæus in Chronico Hispaniæ ad annum Domini* 963 *et* 975 *idem prodigium ex historia Compostellana elegantius narrat, et ad annum* 981 *circa hanc narrationem aliqua notatu digna adjungit, quæ curiosus lector inter se conferre poterit.*

* forte ad

Joanne X Papa.

54 *Joannes X Pontifex eodem seculo corpoream* S Jacobi *præsentiam in Hispania sibi firmiter persuasit : nam Baronius in Annalibus ad annum Christi* 918 *num.* 2 *de illo ita scribit :* Eadem Compostellana Acta docent, quod Joannes Papa, ut qui ex pluribus delictis conscientia sauciatus, animi dolore languesceret, inter alia salutis suæ remedia illud excogitavit, ut nomine suo legatum mitteret Compostellam ad venerandum corpus Jacobi apostoli Cum et literas dedit ad dictum ejusdem loci episcopum sanctum Sisenandum, ut juges preces pro se funderet apud eumdem sanctum Apostolum, ut propitias sibi esset in hac vita, et in hora obitus sui. *Eamdem Joannis X legationem ex vetustissima Compostellanorum episcoporum historia narrat Hispanice Ambrosius Morales lib.* 15 *chronici generalis cap.* 47. *Ceterum huc etiam contra Tillemontium referri possunt ea, quæ infra* § 10 *de Compostellanis peregrinationibus dicemus.*

55 *His testimoniis ex abundanti addo fragmentum epistolæ, quam rex Alfonsus III scripsit ad canonicos Turonenses anno Christi* 906, *ut in ipso textu exprimitur. Equidem fateor, eo tempore in Hispania non fuisse moris, ut anni ab Incarnatione Christi computarentur; sed forte posterior quidam amanuensis usum sui temporis secutus est, et annos Christi ad æram Hispanicam aptavit, sicuti ibidem Sisenandum* apostolicæ Jacobi sedis archiepiscopum *appellat, licet metropolitana dignitas diu post Alfonsi istius mortem ecclesiæ Compostellanæ collata fuerit. De ea interpolatione consulendum esset ipsum diploma, quod Baluzius in Turonensi S. Martini archivo vidit, ut lib.* 7 *Miscellaneorum pag.* 61 *testatur. Nostra non multum interest, cujuscumque auctoritatis sit istud diploma, cum ad stabiliendam opinionem nostram aliunde suppetant argumenta, quæ supra dedimus. Saltem Andreas Quercetanus in notis ad Bibliothecam Cluniacensem col.* 50 *integram illam epistolam edidit, sicut a Joanne Massono acceperat, ex qua dumtaxat excerpam ea, quæ ad propositum nostrum pertinent. Sic incipit :* In Dei nomine Adefonsus pro Christi nutu atque potentia Hispaniæ rex Christianissimo gregi et cultoribus tumuli beati confessoris Christi Martini Turonensis ecclesiæ in Christo et per Christum æternam salutem.

et Alfonso III

rege Hispaniæ ostenditur.

56 *Demum post alia negotia, quæ ad nos non spectant, ita concludit :* De cetero quod conquæritis, cujus Apostoli tumulus hic penes nos habetur, certissime pernoscite. Jacobi apostoli, [filii] Zebedei, Bonargis, qui ab Herode decollatus est, sepulcrum habemus in archis Marmaricis * [in] provincia Galæciæ : manu enim Domini gubernante, ut multæ veridicæ continent historiæ, usque ibidem per ratem corpus ejus perlatum est atque sepultum. Cujus sepulcrum multis claret hactenus mirabilibus (lancinantur dæmones, cæcis redditur lumen, claudis gressus, surdis auditus, mutis eloquium) multisque et aliis mirabilibus, quæ cognovimus et vidimus, et pontifices et cleri ipsius narraverunt nobis. Nam quomodo in Jerosolima ab Herode decollatus est, et huc sportatus * atque sepultus vel quo tempore vel quomodo, evidenter manifestum [est] omnibus, et veridicæ nostrorum archiepiscoporum epistolæ, et patrum historiæ, et multorum testantur eloquia. Quod si ad singula modo voluerimus ea vobis narrare, in longius vexetur * stilus, quo modum excedemus epistolæ juxta *, imo festinationem gerulorum, qui noluerunt remorari. Sed opitulante Deo, dum vestri ad nos devenerint clerici, omnia liquidius et enocleata *, nullaque lucubratione retenta; sed quod a sanctis patribus accepimus et tenemus in scripta * vobis dirigere non denegamus. Deo annuente, et amota omni hæsitatione, certe credatis, quod rectum et justum tenemus. Quod autem exquisistis, quantum ab oceano mari eminus distat ejus tumulus, pernoscite. Usque ad locum, ubi Domino gubernante, *(subintellige* appulit) [inter] duos fluvios, quos antiqua vetustas nominavit Voliam et Sarem, in locum, qui dicitur Bifria, vestræ * sedis Irriensis ecclesiæ sanctæ Eolaliæ habentur millia x et exinde usque ad gloriosum ejus sepulcrum habentur millia XII. *Quidquid sit de hac epistola, quam Baluzius contra prædicationem* S. Jacobi *in Hispania allegat, ut postmodum dicetur, opinor, me hoc paragrapho plerosque scrupulos Tillemontio exemisse, ita ut inventionem* S. Jacobi *apostoli*

* id est arcis marmoricis vel marmoreis

* asportatus

* forte vertetur

* an justæ ?

* forte enucleate

* clarius scripto

* forsan veteris

AUCTORE G. C.

A *stoli in Hispania, et corporalem ejus præsentiam non nisi temere in dubium revocare possit. Jam alias difficultates, de hoc sacro corpore motas, expediam.*

§ VI. Corpus S. Jacobi variis ecclesiis falso attributum.

Christianus Massæus,

Quis umquam credidisset, post tot testimonia, quæ pro Compostellanis S. Jacobi *reliquiis supra adduximus, et qualia inferius recurrent, corpus illius aliis locis attribui potuisse? Nihilominus Christianus Massæus, e congregatione S. Hieronymi presbyter, in Chronicis mundi lib.* 8, *pag.* 101 *ita rotunde pronuntiat:* Anno XLIV rex Agrippa occidit sanctum Jacobum, fratrem Joannis gladio. Hic juxta carnem filius Zebedæi, juxta spiritum filius tonitrui, cum in Judæa diu prædicando intonuisset, abiit in Hispaniam: quorum duritiam ad fidem ut satis expertus est, rediit in Judæam, ubi passus est B VIII Kal. Augusti. Post multa tempora Carolus Magnus ipsum inde transtulit Tolosam, ubi nunc usque permanet, nec illius quidquam relictum est Compostellæ, nisi forte paucæ reliquiæ, quas sub altari conditas autumant. Placet autem Apostolo magis illum honore locum miraculis, ubi sepultus fuit, quam ubi nunc situs est. *At nos Massæo id asserenti non tam cito credimus. Ubi translationis illius testes, ubi tabulæ? Evidenti enim testimonio opus est, ut Hispani priventur ab illius sacri corporis possessione, quam eos aliquando habuisse fatetur. Quo, obsecro, tempore hæc translatio e Gallæcia in Galliam facta est? Tempore Caroli Magni, inquit, qui ipsum Tolosam transtulit. Sed in authenticis Caroli Magni Actis, quæ accuratissime conscripta sunt, nihil simile invenio; imo non est certum, ut supra vidimus, an corpus* S. Jacobi, *vivente Carolo Magno, repertum fuerit. Massæus itaque sine matura examine hoc scripserit, quia fortasse legerat, id tam confidenter asseri a Tolosatibus, quos jam audiemus.*

et Nicolaus Bertrandus

C 58 *Nicolaus Bertrandus, qui Gesta Tolosanorum anno* 1515 *typus vulgavit, tamquam certam supponit corporalem* S. Jacobi *præsentiam Tolosæ, quando illic fol.* 5 *verso corpora Sanctorum, quæ in Tolosana S. Saturnini ecclesia quiescunt, ita enumerari incipit.* Primo jacet et aperte monstratur corpus et caput sancti Jacobi Majoris, filii Zebedæi. *Deinde de corporis ejus visitatione ita fol.* 49 *verso loquitur:* Circa annum Domini MCCCLXXXV voluit Dominus gloriam et laudem Apostoli et sacrati corporis beati Jacobi Majoris, cujus sacrum cadaver Tholosæ jacebat, magnificare. *Postea narrat, quomodo Joannes dux Bituricensis, veniens Tolosam cum magno principum comitatu, reliquias* S. Jacobi *veneratus sit, et trecentos aureos aliaque munera obtulerit, ut corpus Apostoli in pretiosiori lipsanotheca collocaretur; quod et factum esse tradit hoc modo:* Insuper et ipse dux cum patriarcha et episcopis pluribus vasa super altare portarunt: benedicensque patriarcha argenteum sarcophagum et etiam capsulum cupressi, ossa Apostoli cum grandi honore in eadem capsula reposuit, clausaque diligenter per universam ecclesiam processionaliter portata fuit: et inde divinum officium quasi angelice celebratum, ubi episcoporum, archiepiscoporum, principum et militum regni et Tholosæ erat grandis copia: tamque ex domo regia, quam Tholosæ et Arverniæ; inter quos vicecomes de Polinhaco, dominus de la Voulte comes Armenhaci, et alii innumerabiles. Divinus ergo ille Jacobus pluribus miraculis ostendit, in Tholosa corpus suum esse, et illam plurimum dilexisse.

corpus S. Jacobi Majoris perperam tribuunt Tolosatibus,

59 *Tunc subdit miraculum, quod nos postmodum referemus, de adolescente injuste suspenso, qui intercessione* S. Jacobi *diu in patibulo vivus permansit, ac prodigiose liberatus est. Denique concludit his verbis:* Honoremus ergo illum Christi charum Consobrinum, qui urbem Tholosanam sacro corpore et pluribus radiantibus miraculis illustravit. Tholosæ beatus quoque Jacobus plures mortuos suscitavit, credentibus eorum parentibus, quod corpus ejus sacrum in Tholosa erat: cæcos illuminavit, paralyticos sanavit, et diversis infirmitatibus irretitos pristinæ sanitati restituit. *Tandem Bertrandus Tolosanorum opinionem auctoritate Calixti* E *II Pontificis ita confirmat:* Calixtus ipse Galicios, ubi sepultura prima divi Jacobi fuit, atque Tholosanos, ubi sanctum cadaver exstitit delatum, orat et monet, ut et grandem Jacobum, Christi germanum, honoribus extollant et magnificent. *Nihil hic dico de inusitato cognomine, quo Bertrandus vel Calixtus* Jacobum Majorem *appellavit* Christi germanum: *nam scio, quod in sermonibus de* S. Jacobo, *qui Coloniense Patrum Bibliothecæ sub Calixti nomine inserti sunt, ibidem tomo* XV *in supplemento pag.* 328 *hæc legantur:* Quisquis ergo aut Jacobum Zebedæi aut Jacobum Alphæi FRATREM DOMINI appellat, verum dicit. *At etiam scio, in iisdem sermonibus, qui Calixto II Pontifici communiter tribuuntur, semper sepulcrum* S. Jacobi *in Gallæcia assignari, et nusquam de Tolosa mentionem fieri. Bertrando igitur aut ejus defensoribus incumbit ostendere, in quibus scriptis Calixtus Papa Tolosanos monuerit, ut* S. Jacobum Majorem *in sua urbe honoribus extollant et magnificent. Cum autem Bertrandus confidenter asserat, corpus* S. Jacobi *e Gallæcia Tolosam translatum esse, ab ipso vel a Tolosatibus peto, qua occasione, quo tempore tantus thesaurus in* F *Galliam advectus fuerit. Requiro fideles hujus translationis testes ac tabulas: cum enim Hispani priores sint tempore, ut Tolosates fateri coguntur, etiam potiores sunt jure, quod illis eripi nequit, nisi producantur manifesta translationis illius testimonia.*

quibus non favet fabella, Actis S. Heliodori inserta,

60 *Neque Tolosatibus prodesse potest inepta recentioris ævi narratiuncula, quæ ad diem* III *Julii Actis S. Heliodori episcopi Altinensis tomo* I *istius mensis pag.* 649 *inserta est his verbis:* In tempore autem illo pervenerunt episcopi de Galliæ confinibus ad Theodosium imperatorem, et petierunt ab eo corpus beatissimi Jacobi apostoli Zebedæi, fratris Joannis, quod in Judæa collocatum erat, dicentes: Noster fuit prædicator, nobis concede corpus, piissime imperator. Hoc audito, venerabilis Augustus misit Hierosolymam, et jussit reddi corpus beati Jacobi Gallis civibus. Cum autem redditum esse corpus, beatus Heliodorus, nequaquam hujus rei inscius, venit ad Galligenas et blandis sermonibus eos alloquebatur, ut de ejus sacrosancto corpore sibi concessissent. At illi ejus sermoni-

AUCTORE G. C.

bus placati dederunt ei brachium dextrum, et ad propria cum magna lætitia repedaverunt. Sanctus Dei Heliodorus, expleta Hierosolymitica devotione et accepta licentia a sancto Hieronymo, regressus est in patriam, et gratuita pietate eam beavit : nam beati Jacobi reliquias secum devexit, quas et honorabiliter condidit in oratorio sancti Andreæ apostoli: quapropter ingens gaudium exortum est civibus. *Quidquid sit de brachio* S. Jacobi, *quod apud Ughellum tom.* 5 *Italiæ sacræ col.* 1430 *jam Torcelli in ditione Veneta asservari dicitur; hæc narratio repugnat ipsi traditioni Tolosatium, qui sese corpus* S. Jacobi *ex Gallæcia accepisse arbitrantur. Præterea nemo ex eruditioribus Gallis affirmat,* S. Jacobum *in Gallia prædicasse, quod tamen in hac historia asseritur. Denique incerta et ab auctore anonymo male digesta S. Heliodori Acta vix ullam fidem merentur, ut ibidem in Commentario prævio et annotatis ad Vitam illius dictum est.*

et quorum opinionem recte mitigat Spondanus

61 *Henricus Spondanus, Apamiensis in Gallia episcopus, satis indicat, quid Tolosates velint, dum corpus* S. Jacobi Majoris *a se possideri* B *gloriantur: sic enim illustrissimus præsul in Epitome Annalium Baronii ad annum Christi* 44 *num.* 4 *de iisdem reliquiis scribit:* Quod vero pertinet ad corpus Apostoli; gloriatur et Tolosa nostra de possessione illius, aut certe magnæ partis. Nec quæ adversus hanc assertionem protulit unus ex recentioribus historicis Hispanis (nempe Maurus Castel Ferrer in Historia S. Jacobi lib. 3) ejusmodi sunt, ut id negent. Ajunt illa quidem, esse Compostellæ corpus S. Jacobi, sed non dicunt, esse integrum. Ut autem aliqua ecclesia dici possit habere corpus alicujus Sancti, et ut is locus eo nomine venerationi sit omnibus, satis esse, si vel ejus particulam possideat, demonstrabitur inferius anno LV num. III, IV. Nec tamen hæc dixerim animo convellendi opinionem de corpore S. Jacobi existente Compostellæ; sed potius ut moneam, non minori eam ecclesiam venerationi esse debere, etiamsi non integrum possideat. *Non inficior, ecclesiam, parte dumtaxat sacri corporis ditatam, venerationi esse debere, ac tenues Martyrum reliquias integro corpori parem habere virtutem, ut alia occasione ex Theodoreto referam, et ex Gregorio Nazianzeno aliisque Patribus probari potest.*

ut ex aliis eorum reliquiis colligitur.

C 62 *Interim ex his illustrissimi Viri verbis colligo, quo sensu supra laudatus Nicolaus Bertrandus in Gestis Tolosanorum fol. 5 verso ita hyperbolice scripserit :* Primo jacet et aperte monstratur corpus et caput sancti Jacobi Majoris, filii Zebedæi. Item corpora beatorum apostolorum Philippi et Jacobi Minoris, præter caput ejusdem, quod inde translatum fuit in Compostellam civitatem Galiciæ *(de Compostellano S. Jacobi Minoris capite infra agetur)* pro solatio et devotione peregrinorum illic affluentium. Item sacra corpora sanctorum Simonis et Judæ Christi apostolorum. Item corpus et caput beati Barnabæ apostoli Jesu Christi. *Deinde recenset multa alia Sanctorum corpora, pro quibus ego partes intelligo. Quis enim credat, in unica Tolosana ecclesia tot integra Apostolorum aliorumque Martyrum corpora quiescere? Nec novum est, in enumerandis Sanctorum reliquiis totum pro parte poni: nam idipsum Theodoretus in dialogo 3, cui titulum fecit* Impatibilis, *et qui in Græco-Latina Sirmondi nostri editione tomo 4 legitur, ibidem pag.* 138 *de suo tempore ita testatur :* Hoc et nos facere solemus : nam communi- D bus nominibus etiam partem appellamus. In sanctorum enim Apostolorum vel Prophetarum aut Martyrum ædes sacras ingressi interrogamus : Quis situs est in arca? Qui autem verum norunt, respondentes, aut Thomam forte apostolum dicunt, aut Joannem Baptistam, aut Stephanum Martyrum antesignanum, aut alium quempiam ex Sanctis nominantes, tametsi perexiguæ interdum reliquiæ conditæ sint. *Si etiam hoc modo loquantur Tolosates, non altercabimur, sed libenter ipsis aliquam sacrarum reliquiarum partem concedemus, ea tamen conditione, ut fide digna de illis testimonia proferant.*

Historicus Delphinas profert contra Hispanos aliud commentum,

63 *Nicolaus Chorier in generali historia Delphinatus tom.* 2, *lib.* I, *sect.* 8, *pag.* 15 *ineptius commentum contra Hispanos excogitavit, quod etiam Dictionario Moreriano insertum vidi. Postquam ibi narraverat, Guigonem VII, cognomento Crassum, comitem Albonensem, post varias injurias, sancto Hugoni Gratianopolitano episcopo illatas, anno* 1107 *pœnitentiæ causa in Gallæciam ad* S. Jacobum *discessisse, tuncque primum sacras illas peregrinationes inchoatas esse, loco proxime citato subjungit sequentia :* Jacobus quidam, vir notæ sanctitatis (diversus tamen ab istius nominis Apostolo, quem omnia antiqua Martyrologia in Asia mortuum esse dicunt) ante E ecclesiam vulgo dictam d'Echerolles, una leuca Gratianopoli distantem, sepultus fuerat, ac ibidem honorabatur; sed illius caput in Gallæciam delatum fuerat, quod Hispani, tamquam caput S. Jacobi apostoli, cultui exponere non dubitarunt, ut ei majorem venerationem, et patriæ suæ illustriorem gloriam acquirerent. *Quo jure Hispani tam leviter ac confidenter turpissimæ fraudis insimulantur? Ubinam incorrupta gravissimæ istius accusationis testimonia inveniuntur? Ubi terrarum usus obtinuit, ut accusasse sufficiat? Quare fidem Hispanorum in hac re paucis vindico, tametsi totam narrationem sola negatione possem refellere. Imprimis falsum est, Compostellanas peregrinationes ad* S. Jacobum *eo tempore primum cœpisse, cum infra* § 10 *ostendamus, Gotescalcum episcopum Aniciensem, medio seculo* X, *aliosque diu ante Guigonem Crassum in Gallæciam ad* S. Jacobum *perrexisse. Præterea quis fuit ille sanctus Jacobus, prope Gratianopolim sepultus, de quo Saussayus, Castel-* F *lanus, aliique Martyrologi Galli altum silent? Denique Chorierius inepte asserit, quod omnia antiqua Martyrologia* S. Jacobum *in Asia mortuum dicant. Quis id neget aut negare audeat, cum sacra Scriptura affirmet, illum ab Herode, verosimillime Hierosolymis, gladio occisum esse? At forte Chorierius intelligi voluit, etiam* S. Jacobum *in Oriente sepultum fuisse. Esto; sed quænam antiqua Martyrologia Orientalem* S. Jacobi *sepulturam posteritati prodiderunt? Cur potius non credit antiquissimis martyrologis, Adoni, Usuardo, aliisque seculi* IX *scriptoribus, qui testantur, corpus* S. Jacobi *Majoris in Hispaniam translatum esse? Hæc obiter ad temerariam istius historici assertionem retundendam dicta sunto.*

cujus occasione traditio quædam Andegavensis exploditur.

64 *Rideri magis quam refutari meretur, quod in Menagianis, anno* 1693 *Amstelodami recusis, pag.* 14 *de corpore* S. Jacobi *legitur.* Andegavi in ecclesia S. Maurilii, *inquit Menagius,* dicitur corpus S. Jacobi quiescere. Cumque idcirco Menardus in historia sua Andegavensi scripsisset, corpus illud, si non sit Jacobi Majoris, saltem Minoris

A Minoris esse, posita est ad marginem hæc juris regula: SEMPER IN OBSCURIS, QUOD MINIMUM EST, SEQUIMUR. *Puto, hic a Menagio indicari manuscriptam Menardi historiam, de qua Jacobus le Long in Bibliotheca Galliæ pag.* 767, *num.* 14961 *meminit his verbis:* Ms. historia Andegavensis, auctore Claudio Menard, procuratore Andegavensi. *Sed quæcumque demum sit ea historia, ex hac inepta et ridicula juridicæ regulæ applicatione satis patet, illam popularem opinionem ab ipsis eruditioribus Gallis explodi.*

Itali dicunt, se habere corpus S. Jacobi Majoris in monte Grigiano,

65 *Non solum Galli, sed etiam Itali, de corpore* S. Jacobi *apostoli cum Hispanis contendunt: nam antiqua monumenta ecclesiæ Veronensis, a Raphaele Bagata et Baptista Peretto collecta, et partim ab illustrissimo Augustino Valerio Veronensi episcopo in ordinem digesta, sic habent pag.* 81: In ecclesia sancti Jacobi in Monte Grigiano extra urbem, seu monasterio, reconditum est corpus S. Jacobi Majoris apostoli, et asservatur vas vitreum cineribus plenum, qui, B ut nobis relatum fuit, habentur pro reliquiis S. Philippi apostoli. Asservatur etiam quædam arca lignea ossibus plena, quæ pro sanctis reliquiis habentur: nam dum a Timotheo Leoniceno monacho anno MDXXXVII dilataretur capella, in qua collocatum erat corpus S. Jacobi, ossa illa inventa fuerunt in eadem arca lignea in muro subter lapide, super quo reposita fuerat arca ferrea continens corpus sancti Jacobi. *Porro corporis istius inventio, miracula, templi ædificatio, et in hanc rem Bonifacii IX Pontificis epistola in iisdem monumentis a fol.* 24 *fuse referuntur. Attamen hic dico idem, quod Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXV *Julii in annotatione pag.* 458 *respondit in hunc modum:* Veronenses se corpus divi Jacobi Majoris in Monte Grigiano inventum anno MCCCLXXXXV die XXII Maii, ut monumenta ecclesiæ ipsorum testantur, habere dictitant: cujus inventionis in Bonifacii IX, ecclesiam dicti Montis Veronensibus concedentis, diplomate fit mentio. Verum cum corpus hujus sancti Apostoli Compostellæ in Hispania asservari adeo manifestum sit, ut de re hac dubitare non liceat, vel ipsi in errore versantur, vel partem aliquam ejus corporis dumtaxat C habent.

ubi forte aliqua ejus ossa possident,

66 *Ut nihil dicam de prima hujus propositionis disjunctivæ parte, quæ facillime vera esse potest, saltem secundam negare non possunt Veronenses, cum Bonifacius IX in epistola sua non de corpore, sed de ossibus* S. Jacobi *loquatur hoc modo:* Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, ab olim in loco de Monte Grigiano nuncupato Veronensis diœcesis, quædam ecclesia in honore et sub vocabulo S. Jacobi, prout fundamenta demonstrant, fundata et constructa fuerit, ad quam, ex eo quod in ea ossa beati Jacobi Majoris, ut dicitur, noviter inventa fuerint, et Altissimus intercessionibus et meritis ipsius beati Jacobi, ut pie creditur, multa miracula operatus est, et in dies operatur, magna ex devotione confluit populi multitudo, vosque zelo devotionis accensi cupientes terrena in cælestia, et transitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis a Deo vobis collatis, pro animarum vestrarum salute, et ut divinus cultus inibi augeatur, ipsam ecclesiam honorifice reædificare et sufficienter dotare, ac rectores et ministros inibi in divinis perpetuo deservituros proposueritis deputare; et pro parte vestra nobis fuerit humiliter supplicatum, ut vobis præmissa faciendi et jus patronatus ipsius ecclesiæ ac præsentandi rectores et administratores ad eam concedere de benignitate apostolica dignaremur: nos vestrum in hac parte laudabile propositum in Domino commendantes, ac volentes vos specialis prosequi prærogativa favoris, hujusmodi vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis præmissa faciendi auctoritate apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur *etc. Imo id tantummodo de quadam reliquiarum parte intelligendum esse, ultro fatentur monumentorum Veronensium collectores fol.* 35 *his verbis:* Sciendum, quod per piam extensionem dici solet, alicubi alicujus Sancti corpus haberi, quia ejus bona pars ibi habetur. Unde nec reprehendendum nec redarguendum est, quod in monumentis prædictis dictum sit, etiam corpus S. Jacobi Majoris apostoli in Monte Grigiano requiescere, cum in Compostellam translatum dicatur. E *Nunc aliud ejusdem Apostoli corpus seculo* IV, *si Superis placet, in Italiam translatum examinemus.*

AUCTORE G. C.

et in pago Zibiti diœcesis Mediolanensis vindicant sibi integrum ejus corpus, excepto brachio,

67 *Paulus Morigius in Sanctuario urbis ac diœcesis Mediolanensis, quod anno* 1641 *Mediolani Italice impressum est, pag.* 231 *scribit, in pago Zibiti, octo milliaribus Mediolano Papiam versus distante, honorari corpus* S. Jacobi Majoris, *fratris S. Joannis Euangelistæ, quod a S. Eustorgio Mediolanensi episcopo circa annum.* 312 *Constantinopoli illuc translatum fuerit. Est autem ibi ecclesia,* sancto Jacobo *dicata, quam jam Carmelitæ congregationis Mantuanæ religiosissime administrant, in qua memoratum corpus summa cum veneratione et frequenti populi concursu colitur. Nec desunt miracula, quæ intercessione istius* sancti Jacobi *fieri perhibentur. Inter alia mirandum est, quod neque Zibitensis pagus, neque affines agri (uti fama est) umquam grandinis detrimentum patiantur. Ob hæc aliaque, quæ infra dicentur, facile mihi persuaderi sinam, illic alicujus sancti Jacobi corpus requiescere; sed nullo modo credam, illud esse corpus* S. Jacobi Majoris, *quod primo circa seculum* IX *in Gallæcia inventum fuisse, supra ex* F *antiquis instrumentis ostendimus. Quomodo enim corpus* S. Jacobi Majoris *Constantinopoli, ubi numquam fuisse legitur, in Italiam transferri potuit? Fuit aliquando Constantinopoli corpus S. Jacobi Minoris; at propterea affirmare non ausim, illud in Italiam translatum fuisse. Potius suspicor, sacrum istud corpus (cujuscumque demum sancti Jacobi fuerit) populari traditione, quæ tempore non parum crescit ac mutatur,* S. Jacobo Majori *perperam fuisse attributum: præsertim cum Morigius fateatur, omnia incolarum traditione niti, seque nihil de hac re scriptum invenisse. Neque hic locum habere potest solutio, quam numero superiore dedimus, accipiendo videlicet partem pro toto, cum Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensis ecclesiæ ad diem* XXV *Julii pag.* 216 *hodiernum S. Jacobi Zibitensis statum ita depingat:* Illius corpus in arca marmorea custoditur; cujus operculum cum annis elapsis immutaretur, repertum est corpus fere integrum, altero tantum brachio carens, peregrinantis hominis amictu indutum. Crates ferrea tegit corpus, eaque velata est Attalica veste auro intexta.

68 *Morigius*

AUCTORE G. C.

de quo tamen S. Carolus Borromæus in visitatione judicium ferre noluit.

68 *Morigius pag.* 232 *affirmat, venerabile illud corpus a S. Carolo Borromæo inspectum fuisse, et, dum in honoratiorem locum transfertur, tonitrua audita esse, ac fulgura emicuisse, quæ non tantum præsentes, sed etiam vicinos populos terrebant. Addit præterea, corpus istud in translatione adeo suavem spirasse odorem, ut omnia mundi aromata superaret. Sed Petrus Paulus Bosca post diligentem indagationem nihil de his prodigiis aut translatione rescire potuit: etenim loco proxime citato sic testatur:* Verum nihil de hac translatione accepi, quamquam interrogaverim per litteras Carmelitam eruditissimum Alexandrum Mariam Briantum, qui tabulas omnes cœnobii Zibitensis periisse affirmavit, cum superioribus annis Papia a Gallis fuisset obsessa. Unam ille ait superesse traditionem de divo Carolo: cum enim lustraret diœcesim, ac Zibiti consistens noctem ibi traduxisset insomnem, pernoctans in oratione Dei (fortasse ut divino spiritu afflatus veritatem de corpore S. Jacobi assequi posset) ab ara ejusdem Sancti discedens,
B conversus ad Carmelitas cœnobii incolas inquit: Lasciamo i corpi de i Santi, ove sono; Patri tenetene conto. *(id est:* Relinquamus corpora Sanctorum, ubi sunt; vos, Patres, eorum rationem habetote.) Certum ergo est, ibi servari corpus divi Jacobi; cujus autem Jacobi sit, cum S. Carolus Borromæus significare noluerit, nec ego quidquam certi de eodem tradere possum. *Nos etiam S. Jacobo Zibitensi, quem a* Jacobo Majore *longe diversum censemus, venerationem suam relinquimus. Ceterum ab omnibus sacri corporis Compostellani competitoribus exigimus talia documenta, qualia pro se allegant Hispani; quæ quamdiu ostensa non fuerint, antiquam Hispanorum possessionem tuebimur.*

§ VII. Multiplex contentio de ejus capite, quod diversæ ecclesiæ sibi vindicant.

Tolosates

C Non *minor est de capite* S. Jacobi, *quam de corpore controversia, variis ecclesiis illud sibi vindicantibus. Tolosates, quos supra de corpore sancti Apostoli cum Hispanis contendentes vidimus, firmiter sibi persuadent, sese ejusdem caput possidere. Nicolaus Bertrandus in opere jam citato de Gestis Tolosanorum præter illa, quæ paragrapho præcedenti ex eo retulimus, fol.* 49 *de hac possessione sic scribit:* Et primo de fundatione dictæ ecclesiæ primitus est notandum, quod sedes episcopalis Tholosana erat in ecclesia beati Jacobi, ut continetur in multis antiquis instrumentis: quæ fuit ecclesia prima fundata et erecta in civitate Tholosæ et etiam in honorem beati Jacobi, cujus caput erat subtus pilare, quod est prope altare sanctæ Quiteriæ; ubi est vel debet esse circulus ferri magnus, nisi fuerit subtractus, depictumque caput beatissimi Jacobi in summitate pilaris rotundi de una petia lapidis. Et dicit quidam historicus, dictæ ecclesiæ canonicus, in hunc modum: « Vidi ego continere * « in multis instrumentis de capite sancti Jacobi, « egoque constitutus in ætate octodecim annorum, « existens canonicus dictæ ecclesiæ, et in domo et « sub ferula recolendæ memoriæ R. P. domini « Aycardi de Quinballo, decretorum eximii pro- « fessoris, canonici et canceliarii Tholosani, asso- « ciando ipsum una cum suis scutiferis et sacerdoti- D « bus vidi quemdam militem Lumbardum sive Ita- « licum, honorabiliter associatum, et in magno « statu petentem dictam ecclesiam sancti Jacobi in « claustro [cum] dicto domino cancellario, et defe- « rentem unum magnum instrumentum diversis « sigillis et in magna copia sigillatum.

* *lege contineri*

in Gallia

70 « Et venerat is miles Romipeta de illis « partibus dicendo dicto domino cancellario, prope « dictum pilare existenti, hæc verba Latinis ver- « bis: Domine reverende magister, quamplurimi « errant et errarunt euntes ad caput beatissimi Ja- « cobi Majoris ad partes Galiciæ: nam hic est cer- « tissime. Et quod hoc esset verum, ostendit dicto « domino cancellario ipsum instrumentum, et ipso « viso per ipsum dominum Aycardum, et oratione « facta genibus flexis ante pilare, pluribus præsen- « tibus dictus dominus cancellarius in ipsorum præ- « sentia cum manu sua fortiter traxit mei Ægidii « dexteram dicendo: Recorderis de his dictis et E « ostensis. Et dictus miles pransus fuit secum illa « die, et post prandium, et per multum tem- « pus insimul fuerunt locuti. Ignoro tamen, « si dictus dominus cancellarius retineri fecit « copiam seu VIDIMUS dicti instrumenti de præ- « missis confecti. « *Hoc ignoti militis instrumentum non videtur esse antiquum, adeoque non magni faciendum. Parum etiam refert, illud nobis ad examinandum non exhiberi, cum Bertrandus statim subjungat sequentia:* Notandum tamen est, quod cum eodem instrumento pars capitis gloriosi Jacobi inventa fuit a quindecim annis citra. *Ecce caput* S. Jacobi Majoris, *de quo supra fit mentio, in partem capitis mutatum est. Quod si Tolosates tantummodo partem capitis sibi vindicent, eam facile concedemus, ubi legitime probaverint, sese illam ab Hispanis accepisse.*

et apud Venetos

71 *Etiam apud Venetos duæ ecclesiæ de capite* S. Jacobi Majoris *inter se litigant, ut colligo ex quodam Ms. reginæ Sueciæ, in quo agitur de Sanctis, quorum reliquiæ in monasterio* F *S. Georgii Venetiis requiescunt. Opinor, hic intelligendum esse monasterium S. Georgii, quod in insula Venetiis adjacet, et cujus fundationem Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum* 982 *refert. Utut est, apographi nostri hic est titulus:* De venerando beati apostoli Jacobi jam olim in hoc nostro cœnobio, ut etiam nunc, existente capite. *Tunc monachus anonymus sic scribit:* Ex sacris constat historiis, fratres carissimi, beatam Annam tres peperisse filias, quarum quælibet Maria vocata est. Harum prima fuit beatissima virgo Maria, mater Domini ac Salvatoris nostri; secunda, quæ conjugio copulata Alphæo genuit Jacobum Minorem, qui Justus dictus est, ac Domini frater, nec non et Simonem Chananæum, et Judam, qui et Thaddæus vocatus est. Tertia, quæ et Maria Salome dicta est, Zebedæo conjuncta, peperit Jacobum Majorem ac Joannem Euangelistam: hujus nos apostoli Jacobi pretioso capite Dei benignitate donati sumus, quod testatur ejus imago, in palladio altaris sui depicta, sed et solennitas, quam Julii tempore ad dictum altare ejus nomine annis singulis honorifice celebramus. Peregrini quoque ex Compostella, Gallitiæ urbe, ubi sanctissimum ejus corpus quiescit, reversi testantur, hanc ipsius capitis partem ibi deesse. *Quod hic asseritur de tribus*

A *tribus S. Annæ filiabus, falsum esse ostendemus ad diem sequentem, ipsi sacrum.*

duo monasteria.

72 *Deinde idem scriptor contra alteram ecclesiam reliquias suas ita tueri conatur :* Cum autem monasterium sanctorum Philippi et Jacobi, olim membrum sancti Felicis de Aimanis, et nunc ecclesiæ sancti Marci copulatum, asserat, se habere similiter caput sancti apostoli Jacobi, tenendum est, caput illud esse sancti Jacobi Alphæi suprascripti, qui et Minor dictus est : nam et ejus festum celebrant die prima Maii, cujus nomini monasterium ipsum dedicatum est. Deo igitur debitas gratias [agamus,] qui nos tanti muneris gloria decoravit : caput enim principale ac præcipuum est totius corporis membrum; nam omnes ipse * continet sensus, qui ceteris in membris singuli in singulis tantummodo insunt; ob quod interdum caput etiam pro toto corpore ponitur. Devotis itaque ipsum ac continuis orationibus, tamquam patronum præcipuum, excolamus, quem videmus cum tanto quotidie longissimi Compostellani itineris labore et impensarum incommodo tam devote tam alacriter a peregrinis ex diversis regionibus visitari. *Mallem, ut auctor pro his logis, nil ad rem facientibus, protulisset fide digna testimonia,* B *quibus probaret, quando et unde monasterium suum has sacras reliquias acceperit. Donec ea afferantur, neutri ecclesiæ causam adjudicabo, cum neutra legitimum juris sui titulum alleget.*

* *lege ipsum*

aliæque Italiæ urbes,

73 *Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro urbis Romanæ ad diem* XXV *Julii part.* 2, *pag.* 81, *præter alias* S. Jacobi Majoris *reliquias, nobis Romæ in ecclesia duodecim Apostolorum, quam modo PP. Franciscani Conventuales possident, sacrum ejusdem Apostoli caput assignat. Cum hoc legissem, pervolvi auctores quosdam, qui de basilicis et reliquiis Romanis scripserunt, atque indagavi, an aliqua antiqua pro hoc capite testimonia inventurus fuissem. At oleum et operam perdidi : nam nusquam apud ipsos hunc thesaurum detexi. Imo R. P. Bonaventura Malvasia, Minorita Conventualis, qui anno* 1665 *de hac basilica duodecim Apostolorum Compendium historicum Italice edidit et cap.* 15 *sacra illius ecclesiæ lipsana enumerat, nullam de* S. Jacobi *capite facit mentionem, cum tamen ibidem pag.* 195 *de prodigioso istius Apostoli sanguine ita loquatur :* C In ampulla conservatur sanguis S. Jacobi Majoris, qui ita liquidus et rubicundus apparet, acsi recenter ex venis gloriosi istius Apostoli eductus esset. *Nescio igitur, ubi Piazza invenerit istum thesaurum, qui Malvasiam aliosque scriptores latebat.*

de capite S. Jacobi majoris

74 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ in annotatione ad diem* XXV *Julii testatur, Valentiæ juxta Podum fluvium in diœceci Ticinensi asservari caput, quod incolæ* S. Jacobi Majoris *esse affirmant, quodque populo hac die cum magna celebritate ostenditur, capillis et carne sic constans, acsi recens fuisset abscissum. Laudatus vero Bosca in Martyrologio Mediolanensi ad eumdem diem notat, juxta Ticinensia visitationum episcopalium acta hoc esse caput S. Jacobi Minoris. Sed neque Boscæ neque hic actis Ticinensibus secure assentiri audeo, cum Balduinus imperator Constantinopolitanus caput S. Jacobi Minoris sive fratris Domini miserit ad comitem Artesiæ, ut constat ex ejus epistola, anno* 1240 *die* IX *Junii scripta, quam Gallica istius temporis lingua contextam edidit Edmundus Martene in Thesauro Novo anecdotorum tom.* I, *col.* 1042. *Nescio, an Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad Kalendas Maii voluerit indicare idem caput, de quo parte* 2, *pag.* 1113 *ita loquitur :* Apud Compendium in sacrario monasterii sanctorum Cornelii et Cypriani, veneratio pretiosi capitis sancti Jacobi Minoris apostoli, in quo magnifice condito ictus adhuc apparet, quo a fullone percussus est. *Præterea Compostellani gloriantur, sese quoque ejusdem Jacobi Minoris caput in sua ecclesia habere, quod etiam signum ictus, fuste fullonis inditum, gerit, ut postea videbimus. His adde, quod ad diem* I *Maii in Commentario prævio ad Acta SS. Jacoborum Alphæi et Cleophæ* § V *et* VI *idem caput in varias partes diviserimus.*

AUCTORE G. C.

inter se contendunt :

75 *Ex his eruditus lector statuat, quid sentiendum sit, de capite* S. Jacobi, *quod Ughellus tomo* 7 *Italiæ sacræ col.* 287 *prope urbem Amalphitanam in regno Neapolitano ita collocat :* Ceterum hoc cœnobium sancti Petri de canonica magnæ fuit existimationis apud Amalphitanos ob eximiam Cisterciensium monachorum religionem et Petri Cardinalis memoriam..... E Ecclesiam hujus abbatiæ (translato titulo) nudam octuaginta abhinc annis Capuccinis fratribus incolendam tradiderunt, prope quam ex ruinis veteris monasterii novum ad eorum usum ex Amalphitanorum eleemosynis septum excitarunt. Asservantur in hac ecclesia plures Sanctorum reliquiæ, a Petro Cardinale vasculis inclusæ, et a Constantinopoli delatæ, caput nempe sancti JACOBI MAJORIS apostoli, sancti Diomedis martyris *etc. At Ughellus eodem tomo col.* 243 *de eadem ecclesia jam dixerat :* Hic asservatur caput sancti JACOBI MINORIS apostoli, sancti Diomedis martyris *etc. Idem error in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tom.* 7, *col.* 188 *et* 215 *relictus est. Doceant nos igitur Amalphitani, cujus Jacobi apostoli caput venerentur; sed meminerint, pro alterutro adducenda esse testimonia, quæ aliorum possessionem evertant, qualia ab ipsis difficulter afferenda existimo.*

sed Belgæ sacrum istud caput.

76 *Belgæ opinantur, sese jam a pluribus seculis venerabile* S. Jacobi Majoris *caput, aut saltem magnam ejusdem sacri capitis partem, habuisse, atque etiamnum possidere. Neque id profecto levibus aut recentioribus argumentis in-* F *ducti sibi persuadent : nam Vuimannus monachus Vedastinus et S. Bernardo coætanæus, ut asserit Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 525, *de hac re ita scribit :* Francorum reges hoc monasterium sancti Vedasti successiva devotione semper amplexati sunt, et multorum Sanctorum collectis reliquiis sublimarunt. Hoc nihilominus super aurum et topazion nobile et pretiosum ecclesiæ nostræ de suis thesauris donarium addiderunt, caput videlicet sancti Jacobi apostoli, fratris sancti Joannis Euangelistæ. *Quamvis Vuimannus non exprimat nomen regis, a quo Atrebatense S. Vedasti monasterium tam pretioso thesauro ditatum est,* ex aliis tamen monumentis antiquioribus hujusce cœnobii, *inquit Rayssius,* clarissime convincitur, Carolum Calvum Franciæ regem caput S. Jacobi ipsis donasse, ut diserte narrat Martinus hujus monasterii abbas, Vuimanno coævus, in quadam epistola; additque Philippum Flandriæ comitem, qui furtive ipsis præfatum pignus sancti Jacobi, Hispaniarum tutelaris, surripuerat, profectum fuisse Compostellam,

AUCTORE G. C.

Compostellam, ut certior fieret, an vere esset caput S. Jacobi Hispaniarum tutelaris: tandem magna ac feria indagine adhibita, cognovit, a multis retro annis sacrum illud caput in Flandriam fuisse delatum. *Hoc Compostellanum comitis iter etiam affirmant antiqua Ariensium monumenta.*

de quo inter comitem Flandriæ

77 *Cum Philippus has reliquias Vedastinis violenter eripuisset, et in Ariensi S. Petri ecclesia sexennio retinuisset, interim querelæ delatæ sunt ad summum Pontificem, Alexandrum III, qui ad Henricum archiepiscopum Remensem duas dedit epistolas, quarum prima, novissimæ Edmundi Martene collectioni inserta tom.* 2, *col.* 747, *moneri jubet comitem Flandriæ, ut reliquias ablatas monasterio S. Vedasti restituat; altera vero, quæ apud Edmundum Martene tomo citato col.* 811 *legitur, eidem archiepiscopo præcipit, ut canonicos Arienses caput* S. Jacobi *cogat reddere. Posterior epistola concipitur his verbis:* Perlatum est ad audientiam nostram, quod
B nobilis vir Philippus comes Flandrensis caput beati Jacobi ab ecclesia sancti Vedasti per violentiam asportaverit, et illud in Ariensi ecclesia dicitur posuisse. Unde, quoniam jam dictam ecclesiam sancti Vedasti, quæ nullum episcopum præter Romanum Pontificem habet, reliquiis, ut aliis bonis suis, nolumus sine rationabili causa privari, per apostolica scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus præpositum et canonicos præfatæ Ariensis ecclesiæ instanter moneas, et districte compellas, ut præscriptum caput cum aliis reliquiis prætaxatæ ecclesiæ sancti Vedasti, omni occasione et appellatione cessante, restituant. Quod si juxta commonitionem tuam præfatum caput cum reliquiis reddere forte noluerint, prælibatam Ariensem ecclesiam, dilatione et appellatione remota, subjicias interdicto, et in alia, ad quamcumque prætaxatæ reliquiæ delatæ fuerint, quamdiu præsentes extiterint, divina prohibeas officia celebrari. Data Beneventi septimo Kalendas Junii.

et monachos Atrebatenses diuturna lis fuit,

78 *Tandem comes Flandriæ, Pontificis Romani et archiepiscopi Rhemensis monitionibus motus, de lite componenda cogitavit, et per Hu-*
C *gonem, S. Amandi abbatem, monachis Vedastinis prædia, et possessiones obtulit, ut reliquias sibi relinquerent. Verum Martinus, S. Vedasti abbas, illis conditionibus non acquievit, sed sacrum thesaurum, monasterio suo injuste ereptum, restitui voluit, ut satis patet ex ipsius litteris, ad Philippum datis, quas exhibent Ferreolus Locrius in chronico Belgico ad annum Christi* 1174, *et noster Jacobus Malbrancq lib.* 10 *de Morinis cap.* 26. *Comes denique, visa abbatis Vedastini constantia, aliud consilium de dividendo sacro pignore iniit cum arbitris, qui jam tot annis in conciliandis partibus desudarant. Consilium probavere arbitri, si monachi Vedastini assentirentur. Hi autem huic conditioni assensum præbuere, rati satius esse parte potiri, quam toto carere. Atque ita finita est ea contentio, ut Vedastinis occiput, Ariensibus sinciput concederetur. Itaque Arienses canonici magna cum lætitia anteriorem capitis partem acceperunt, quam postea anno* 1272 *Joannes Aleranus, decimus hujus ecclesiæ præpositus, theca argentea ornari curavit, quamque hactenus fideles devote venerantur, quibus Nicolaus IV Papa indulgentias concessit, ut tradit Rayssius in Hierogazophylacio pag.* 404. *Ascetæ autem Vedastini magna cum pompa et populi frequentia posteriorem ejusdem capitis partem ad suum mo-* D
nasterium retulerunt, et Martinus abbas pretiosum vas jussit fabricari, in quo Petrus, titulo S Chrysogoni presbyter Cardinalis, Alexandri Papæ in Galliis a latere legatus, anno 1175, *die* XXX *Aprilis illas reliquias reposuit, ut ex auctore synchrono diximus tomo* I *Januarii pag.* 160, *ubi etiam pagina præcedenti ex eodem scriptore dedimus miracula, quæ in ista sacrarum reliquiarum relatione contigerunt.*

potiori jure sibi vindicant.

79 *Ne quis fortasse dicat, has esse alterius S. Jacobi reliquias, audi testimonium prædicti ascetæ Vedastini, qui translationi verosimiliter interfuit, et post miracula, suo tempore facta, sic scribit:* Eodem quoque anno, quo prædictus nobilis comes Flandriarum ipsum venerabile caput B. Jacobi restituit, ad Hispanias orationis gratia, et ipsius capitis veritatem inquirendi desiderio accensus, S. Jacobum adivit: qui eo adveniens cœpit pius explorator curiosius inquirere, an ibi sacratissimum ejus- E
dem caput haberetur; quatenus, an apud nos, an illic verissime haberetur, certior redderetur. Facta inquisitione, quoddam [vas] argenteum ei allatum est, in quo a quibusdam esse dicebatur caput, non ipsius Jacobi fratris Joannis, sed Jacobi Minoris ibi repositum ferebatur. Verum cum Comes illud sibi aperiri summopere postulasset, nec ullo modo impetrare potuisset; a senioribus quibusdam omnino illic non haberi, sed olim in Flandrias translatum fuisse, ipsi intimatum est. Quod audiens cum gaudio repatriavit, et in ipsa nocte festivitatis B. Jacobi Attrebatum veniens, nos super his certiores et alacriores reddidit. *Nolim, ut quis existimet, ex amore erga Belgium nostrum nos illam opinionem tueri: nam nobis amica: quidem est patria, sed magis amica veritas. Quare si forte fallimur, proferant Hispani Apostoli sui caput, distinctum a capite S. Jacobi Minoris, de quo nunc etiam ex occasione agendum est.*

Hac occasione agitur de tempore,

80 *Historia Compostellana Ms. circa finem libri* I *fuse explicat, quomodo Mauritius Burdinus, Conimbricensis episcopus (is communiter male audit, et anno* 1118 *contra Gelasium II fuit antipapa, etsi Baluzius lib.* 3 *Miscellaneorum a pag.* 471 *famam illius contra torrentem* F
historiographorum post plura secula vindicare nitatur) ex oratorio quodam prope Hierosolymam furtim abstulerit caput S. Jacobi, *et in Hispaniam asportaverit, quod postea Didacus archiepiscopus Compostellanus, sibi a regina Urraca donatum, in ecclesia* S. Jacobi *collocavit. Postquam vero historia illa exposuit, quomodo hic sacer thesaurus ad notitiam Mauritii pervenerit, et qualia ille ad eum auferendum machinatus fuerit, hæc ad propositum nostrum addit:* Quadam denique nocte tempestiva, ceteris absentibus, clauso ecclesiæ ostio, aggrediuntur altare ligonibus, quos secum furtim attulerant, et fodientes in altum sub altari, sicut audiverant, inveniunt vas quoddam eburneum, et intus aliud argenteum plenum reliquiis: quod accipientes, discedunt cum episcopo noctu, et adeunt civitatem sanctam Hierosolymam fugientes. Quos cum vidisset summo diluculo in via prætereuntes quidam eremita, vocavit eos ad se et ait illis: Scio equidem, fratres carissimi, quid feratis, et quam pretiosum thesaurum furati fueritis. Ite, gratia Dei comitetur vos: oportet enim, ut ubi est hujus Apostoli corpus, ibi sit et caput ejus. *Hæc postrema verba*

quosdam

A *quosdam scriptores Hispanos induxerunt, ut crederent, tunc primo caput* S. Jacobi Majoris *in Hispaniam allatum esse.*

quo caput S. Jacobi Majoris vel Minoris

81 *Franciscus Berganza Benedictinus, in Antiquitatibus Hispaniæ novissime Matriti editis, parte* 2, *pag.* 34 *contra Maurum Castellum Ferrerium perperam contendit, caput a Mauritio allatum*, *ad* S. Jacobum, *Hispaniæ Apostolum, pertinere, et ad opinionem suam stabiliendam jam a nobis citata Historiæ Compostellanæ verba allegat. Sed vir ille, qui historiæ Hispanicæ vult peritus videri, advertere debuisset, eamdem Historiam Compostellanam, a nobis* § IV *transcriptam*, *asserere*, *quod* illius discipuli, ab illo vivente præmoniti, quatenus corpus suum in Hispaniam regionem transferrent tumulandum, TOTUM CORPUS CUM CAPITE, teste Leone Papa, nocturno tempore accipientes, littus ad usque maris citato calle pervenerunt. *In dubium revocare debuisset Leonis Papæ epistolam, eodem paragrapho allatam, quæ sic incipit*: Noscat vestra fraternitas, dilectissimi, B qualiter in Hispaniam INTEGRUM CORPUS beatissimi apostoli Jacobi translatum est.

in Hispaniam translatum est.

82 *Denique Berganza debuisset elevare fidem cujusdam historiæ*, *quam Maurus Castellus Ferrerius lib.* 3, *cap.* 2 *Hispanice, et ex illo Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico ad diem* I *Maii Latine sic narrat*: Cum dominus Joannes a sancto Æmiliano, Tudensis episcopus, forte devotionis intuitu circa annum Domini MDL apostolicam basilicam visitaret, et illi minister, ad hoc deputatus, in ecclesiæ sacrario sacras reliquias episcopo demonstraret; cum virgula caput S. Jacobi Minoris ostenderet, antistes de ejus veritate tenaciter dubitavit, dicens: Quod illud, si fuisset S. Jacobi Minoris caput, necessario signum ictus fustis fullonis in cerebro deberet habere. Tunc minister crustam * ex altare descendens *, ab eaque caput extrahens, episcopo dubitanti cerebrum totum contusum et quassatum ictu fustis indigitavit. Qua evidentia præsul compunctus, effuso lachrymarum imbre, supplex a Domino et a sancto Apostolo veniam deprecabatur. *Eligant ergo Hispani, utri assertioni Historiæ Compostellanæ malint fidem adhibere. Videant, utrum Mauritii auctoritas, qua tota hæc narratio nititur, epistolæ Leonis Papæ præferenda* C *sit.*

* *id est* cistam ex altari demittens

§ VIII. Pars sacri capitis, quam Pistorienses in Italia possident.

R. P. Dominicus Sardi Societatis nostræ,

Pistorienses in Tuscia S. Jacobum Majorem *elegerunt civitatis suæ patronum post acceptas capitis ejus reliquias, quas S. Atto, eorum episcopus, anno* 1145 *a Didaco archiepiscopo Compostellano impetraverat, et in ecclesia cathedrali honorifice collocaverat, exstructo etiam in sancti Apostoli honorem sacello, ubi per illius intercessionem plura miracula contigisse referuntur. Cum hæc et similia tomo* V *Maii nostri in Commentario historico de Actis S. Attonis cap.* 2 *legissem, et scrinia Musei nostri excutiens deprehendissem, illuc dudum promissa* S. Jacobi *prodigia hactenus a nobis frustra exspectari, scripsi ad R. P. Dominicum Sardi, collegii nostri Pistoriensis rectorem, ut mihi dignaretur mittere ecgraphum istorum miraculorum, quæ Pistorii in antiquo codice Ms. conservari didiceram. Summa cura ac diligentia R. P. Rector exsecutioni mandavit ea, quæ rogaveram; imo ultro addi jussit alia monumenta, ad sacras* S. Jacobi *reliquias spectantia, atque illa omnia per notarium publicum et episcopalis curiæ cancellarium legitime exscribi curavit, ut latius patet ex sequenti ejusdem notarii instrumento.* AUCTORE G. C.

84 In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo septimo, indictione quinta, die vero septima mensis Januarii stylo Pistoriensi, Benedicto XIII summo Pontifice, serenissimo Joanne Gastone primo Etruriæ duce VII regnante. Universis et singulis præsentes transumpti paginas visuris, lecturis, et audituris fidem indubiam facio, et attestor ego infrascriptus curiæ episcopalis Pistoriensis cancellarius generalis, qualiter coram illustrissimo domino Joanne Jacobo de Scarfantonis J. C. patricio Pistoriensi, protonotario apostolico, equite religionis D. Stephani, cathedralis ecclesiæ Pistoriensis præposito, et illustrissimi ac reverendissimi domini D. Columbini de Bassis, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopi Pistoriensis et Pratensis, in spiritualibus et temporalibus vicario et L. J. generali, personaliter comparuit R. P. Dominicus Sardi, collegii Societatis Jesu in hac civitate Pistorii rector, et rem simul æquissimam ac Pistoriensi civitati gratissimam ab eodem illustrissimo domino vicario generali postulavit, dum litteris. R. P. Guilielmi Cuperi ejusdem Societatis, datis Antverpiæ XVI Kalendas Novembris MDCCXXVI, sibi redditis Pistorii exposuit, in archivio Operæ S. Jacobi apostoli, patroni populi Pistoriensis, reperiri librum perantiquo exaratum charactere, in quo Contarinus quidam clericus, cancellarius Pisarum cetera inter plura recensuit, quæ ad sacrum divi Jacobi corpus, ecclesiamque Compostellæ, in qua illud asservatur religiosissime, pertinebant; nec non ea posterorum memoriæ mandavit, quæ tanti Patroni et meritis et intercessione præter omnem naturæ ordinem viresque Pistoriensibus ad ejus opem confugientibus, vel alias utcumque mirifice contigerunt.

ut patet ex authentico notarii instrumento,

E

85 Exposuit etiam, ejusmodi miracula exstare in pervetere quoque volumine, vulgo LECTIONARIUM nuncupato, quod asservatur in cimeliis cappellæ in ecclesia cathedrali Pistoriensi Apostolo patrono dicatæ: quo quidem volumine præcipuo sibi (ut habebant sua præcipua aliarum cathedrales civitatum) more veteri et instituto utebatur clerus Pistoriensis, cum divina recitabat officia ante Romani reformationem Breviarii, S. Pii V jussu anno MDLXVIII editam, et singulis quibusque annis, dum celebrabat Patrono suo vigilias per octo præcedentes dies ac festum diem cum subsequenti Octava, ejus miracula inter horas canonicas ex eo volumine Lectionum loco petebat. Quibus omnibus in hunc modum expositis, enixe petiit ab ipso illustrissimo domino vicario generali, uni ex hujus curiæ episcopalis cancellariis committi, ut se ad dicta loco transferat, et, quæ ad hanc rem videbuntur pertinere, transcribat. Quia vero juxta petentibus non est denegandus assensus, et plura sunt R. P. Dominici Sardi in hanc civitatem merita, et nihil esse magis cordi potest, quam ut Dei Sanctorumque ejus, ac potissimum Patroni sanctissimi gloria incalescat, præfatus illustrissimus D. Vicarius

procuravit plenam notitiam de Pistoriensibus S. Jacobi miraculis, et reliquiis, F

AUCTORE G. C.

carius generalis petitioni prædictæ libenter annuit, et proinde mihi cancellario infrascripto super præmissis ejus mandata dedit: ego vero eadem mandata executurus ad loca prædicta, ut innuit idem P. Dominicus Sardi, accessi, signanterque ad archivium Operæ supradictæ, et ex libro supra enuntiato omnia et singula, quæ sequuntur, data mihi opportuna facultate ab illustrissimis dominis Operariis etiam dictæ Operæ, omni fidelitate et diligentia ac de verbo ad verbum, prout in ipso libro descripta sunt, transcripsi; videlicet. *Tunc sequuntur epistolæ aliaque antiqua de venerandis* S. Jacobi *reliquiis testimonia, quæ hic juxta rei gestæ ac temporis ordinem ex Ms. Pistoriensi subjungo, et ad marginem addo variantes alicujus momenti lectiones, quas in novissima editione Ughelliana tom.* 3 *Italiæ sacræ a col.* 296 *inveni.*

quæ ad S. Attonem,

86 *Cum sanctus Atto Raynerium, scientia celebrem, qui Pistoriensi clero adscriptus fuerat, atque ex Italia in Angliam et inde Compostellam docendi causa transierat, ad ecclesiam suam revocare studuisset, Raynerius illum de obtentis* B *a se pro ecclesia Pistoriensi* S. Jacobi *reliquiis certiorem facit, eique respondet in hunc modum:* Suo dilectissimo patri A. *(id est Attoni, quod semel de his initialibus litteris monuisse sufficiat)* Dei gratia Pistoriensis ecclesiæ pontifici reverendissimo *R. (nempe Raynerius)* eadem gratia ejusdemque sedis omnium levitarum minimus, quod semper debetur. Tuis desiderabilibus perlectis cartulis salutatione, fideli oratione, Dominicæ benedictionis promissione, gratiarum actione, mira exhortatione, salutari doctrina, honesto et utili imperio usquequaque refecti sumus. Quocirca non inhians * et immobilis, sed vivus et advolans, cupio fieri lapis exemplo illius, quem reprobaverunt ædificantes, qui factus est in caput anguli, juxta * quem remanere non est tutum, ultra ipsum * quærere est stultum, vitæ docendo viam, prius tamen incedendo per eam.

* *Ughel.* milliaris
* *Ughel.* infra
* *Ughellus interserit* aliquid

Pistoriensem episcopum,

87 Acceptis prius a te gratiarum laudibus, summas itaque * tuæ grates et laudes refero sanctitati: non enim valescit * planta, care pater, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, ut in C transitu prosit. Ad te igitur, promissor fidelissime, et ad sacratissimam meam Pistoriensem ecclesiam matrem, divina comitante clementia, cum debuero et potero, redibo; et te, et eam pro viribus honorare [et] juvare non immerito statui. Tuæ virtus innocentiæ a me laudanda foret, sed timui laudes diminuisse tuas. Romana namque et Apostolica sedes, dum studium tenerem Quintoniæ in Anglia, in tantam tuæ prorupit laudem excellentiæ in curia præsulis Quintoniensium per dominum Matthæum diaconum et cardinalem S. Georgii, [qui] interrogatus a me de nostræ et Romanæ ecclesiæ statu, dicens *, quod Romana et Apostolica sedes beata foret, si tui duceretur moderamine gubernaculi, quod me ultra, quam dici possit, lætificavit.

* *Ughel* utique
* *Ughel.* non convalescit
* *forte* dixit

ex urbe Compostellana

88 Legimus de beato Joanne Baptista, quod in deserto verbum prædicaverit vitæ, et testimonium præbuerit Filio Dei, et negaverit, se Christum esse eo tempore, quo ei satis crederetur, si diceret, et numquam Salvator eum inde abstraxit, sed capi et in carcerem tradi et ab Herode capite minui permisit. Te vero ab eremi solitudine abstrahens ad cæli forum usque deducit; aperto monachorum carcere, summum D pastorem super ecclesiæ candelabrum immobiliter statuit. De Joanne dictum est: Non erat ille lux. De te et Apostolis, quorum vices geris, scriptum est: Vos estis lux mundi. Superas etiam beatum Ambrosium in inventione et acquisitione sacrorum corporum: ille enim tantum martyres exposuit suis civibus; tu vero tuis, admirande pater, dabis martyrem et Apostolum. Non hoc dico, ut sanctis detraham Patribus, sed ut Deus in te ex parte nostris glorificetur temporibus, gloriosissimis tuis meritis, divina tamen præveniente et subsequente gratia, meoque non modico labore et sudore, et angustissima difficultate non minimam reliquiarum de capite beatissimi apostoli Jacobi, fratris Joannis Euangelistæ, omnibus pro me apud dominum archiepiscopum Compostellanæ sedis, qui dedit, intervenientibus personis, atque ejusdem ecclesiæ canonicis, et in locello, in quo sunt, propriis locavit manibus, obtinui partem, quam non promitto, sed fideliter atque filialiter et devote per Medium Villanum, prudentissimum E virum, et vestrum legatum, et per Tebaldum avunculum ejus vobis et sanctæ matri ecclesiæ Pistoriensi ad præsens mitto.

transmissæ fuerunt,
* *Ughel.* et

89 Suppliciter igitur atque obnixe vestram imploramus sanctitatem atque pietatem, ut ea reverentia, eo * honore, quo tantum decet Apostolum et nostram matrem ecclesiam, vestramque personam, exeundo obviam cum clero et populo, si vestræ complacet majestati, facta ex ordine processione, supradicta patrocinia suscipiatis, et ad vestram et nostram matrem ecclesiam, cui delegamus, deducatis, et honeste tractetis, et in honorem supradicti Apostoli in basilica nostræ matris Pistoriensis ecclesiæ altare larga benedictione consecrare, sicut mihi litteris significastis, quanto citius studeatis. Si feceritis, erit, qui domino archiepiscopo et mihi dicat. Salutat vos per me dominus Compostellanæ sedis archiepiscopus, et omnes vestros canonicos, quem ex vestra salutavi parte, qui gavisus est valde, et amplectitur vos summo amore præ solicitudine et dilectione erga me, quam in vestris perpendit litteris, revolvens illud sæpius: Non valde miretur fraternitas tua, quod ignoti ignoto scribemus. Salutant vos omnes beati Jacobi apostoli canonici. Salutate omnes sanctæ matris ecclesiæ Pistoriensis canonicos. F Ad præsens, o paterna dulcedo, me bene habere, Deo gratias, existimo, et vobiscum sum corde et animo. Saluto domnum Anselmum, sanctissimum monachum monasterii S. Michaelis de Furcule, et omnes ejusdem loci et congregationis fratres. *Non videtur Raynerius ille ad ecclesiam Pistoriensem rediisse, quia in titulo epistolæ, quam auctor synchronus ei præfixit, et ab Hieronymo Vallumbrosano vocatur* cardinalis, *id est canonicus Compostellanus: sic enim ut appellarentur canonici Compostellani, Paschalis II Papa concesserat. Hinc Papebrochius noster tomo* v *Maii in Commentario historico de Vita S. Attonis num.* 15 *existimat, Raynerium, qui tunc quidem, cum hæc scriberet, necdum talis erat, postea vinculo isto obstrictum et Compostellanæ ecclesiæ fuisse* incardinatum, *ut ibidem loquitur. Sed hæc aliaque, quæ in his litteris observari possent, ad rem nostram nihil faciunt. Quare in referendis veteribus instrumentis pergamus.*

90 *Didacus*

A 90 *Didacus Gelmirez, qui Compostellanam ecclesiam diutissime gubernavit, veritatem ac sinceritatem reliquiarum, quas Raynerius in suis litteris expresserat, testimonio suo sic confirmat :* Didacus Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus, totiusque ejusdem ecclesiæ canonicorum conventus Attoni Pistoriensis ecclesiæ reverendissimo præsuli, omnibus ejusdem ecclesiæ canonicis, et prædictæ urbis consulibus et universo populo salutem et benedictionem in Christo. Sciatis pro certo, et in nullo dubitetis, magistrum Raynerium, nobis familiarissimum et omnimode charissimum, ut scripsistis, domnum, vestræque ecclesiæ filium, verum dicere de reliquiis corporis beatissimi Jacobi apostoli, quas recepit a nobis cum summa difficultate, benigna tamen charitate, vobisque misit, sed * quod audiverit a prudentissimis et senioribus viris, beati Jacobi apostoli ecclesiæ canonicis, et in rei veritate nobis, illud [esse] caput beatissimi B Jacobi apostoli, fratris Joannis Euangelistæ, unde cum summa reverentia a nobis sumpta sunt : et ita apud nos creditur esse, dicitur, et pro certo tenetur. Proinde obsecramus vos, quatenus honorifice, prout oportet, suprascriptas reliquias prædicti Apostoli suscipiatis et honestissime tractetis. Vale.

quarum sinceritas testimonio archiepiscopi Compostellani.

* *Ughel.* scilicet

epistolis

91 *Deinde archiepiscopus Compostellanus scire cupiens, quo in honore Pistorii sacræ* S. Jacobi *reliquiæ haberentur, hoc inquiri jussit per memoratum Raynerium, qui S. Attoni scripsit in hunc modum :* Attoni Dei gratia Pistoriensi venerabili episcopo Raynerius Pistoriensis ecclesiæ filius, levitaque humilis, quod semper debetur. Injunxit mihi, pater sanctissime, dominus Compostellanæ sedis archiepiscopus, per omnia fidelissimus amicus, ut mitterem vobis, quatenus significaretis ei vestris litteris per peregrinos venientes ad limina beati Jacobi apostoli usque ad proximum Pascha vel usque ad Ascensionem, quo honore sint apud vos habita beati Jacobi apostoli patrocinia, et quam honorifice locata, quæ mihi, valde pro hoc fatigato, benigne tribuit, et vestræ sanctitati misi. Suppliciter igitur postulo, ut rescribere illi non differatis. Val. Dixit namque mihi prædictus archiepiscopus, quod numquam hujusmodi tantum et tale quid fecit hactenus C pro aliquo.

ultro citroque datis,

92 *Haud dubie S. Atto de honorifica istarum reliquiarum collocatione rationem reddidit, et justæ Raynerii petitioni abunde satisfecit : nam præsul Compostellanus ei ita respondit :* Didacus Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus Attoni reverendissimo Pistoriensi episcopo salutem, et beatissimi Jacobi apostoli benedictionem. Vestra, quas sæpius vidimus, et audivimus, salutationes et litteras, quas cuidam nostro filio et ecclesiæ beati Jacobi scholarum magistro, prudenti viro, videlicet domno Raynerio, in quibus nos a vobis per ipsum salutatos cognovimus : unde vobis gratias agimus, et quia pretiosissima beatissimi Jacobi apostoli capitis honorifice atque sanctissime tractastis patrocinia, quæ nos supradicto dedimus Raynerio, laudes immensas Deo et vestræ referimus sanctitati. Pro certo namque teneatis, quod si aliquid magis, quod est nobis impossibile, haberemus, vestro amore et magistri Raynerii vobis diligentissime transmitteremus. Quocirca vestram imploramus clementiam, ut me vestrarum, omniumque Vallisumbrosæ fratrum orationum participem et beneficiorum consortem deinceps facere dignemini, quod nos pro vobis facimus, et nunc confirmamus in omnibus nostræ ecclesiæ beneficiis. Rogamus præterea, ut vestris litteris nos visitare dignemini, et supradictæ * congregationis similiter litteras nobis acquirere dignemini : nempe vere es, quod diceris, archimandrita pius, et sobrius * episcopus *. Salutant vos omnes canonici ecclesiæ nostræ. Salutamus etiam vestros canonicos. Val.

AUCTORE G. C.

* *Ughellus inserit* atque sanctissimæ

* *Ughellus ad*[illegible] et justus

* *Ughel.* præsul

93 *Denique Eugenius III Pontifex, motus crebris miraculis, quæ intercessione* S. Jacobi *in ecclesia Pistoriensi fieri ex Attone intellexerat, ut devotionem erga has sancti Apostoli reliquias promoveret, ad vicinos episcopos direxit sequens diploma :* Eugenius episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus reverendis, R. Senensi, O. Vulterrano, N. Florentino * O. Lucano *, et G. Lunensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Ad vestram notitiam pervenisse credimus, quæ et quanta miraculorum insignia omnipotens E Dominus per beati apostoli Jacobi merita ad sacrum altare suum in Pistoriensi ecclesia præsenti tempore voluit demonstrare : unde fideles populi de diversis et remotis terrarum partibus devotionis intuitu ad eumdem venerabilem locum cœperunt concurrere, et salutis suæ remedia postulare. Expedit ergo fidelibus Christianis et maxime convicinis, pro tanto collato beneficio, Redemptori nostro gratias agere, et beato Jacobo, apostolo ejus, debita devotionis obsequia fideliter exhibere. Ideoque per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus populum et parochianos vestros districte commoneatis, quod viros et mulieres, undecumque fuerint, ad tam sacrum oratorium devotionis et orationis causa proficiscentes, nulla occasione præpediant, nec eis aliquam molestiam seu perturbationem inferre præsumant. Quod si facere præsumpserint, eos tamquam sacrilegos et treguæ Dei violatores excommunicatos publice denuntietis, et eamdem excommunicationis sententiam, quousque satisfecerint, per parochias vestras * observari firmiter faciatis. Datum Viterbii x Kalendas Decembris.

ac Eugenii III Pontificis

* *Ughellus* hunc omisit

* *Ughel.* Lucensi

94 *Idem Pontifex omnibus Christi fidelibus, qui Pistoriense* S. Jacobi *altare visitaverint, concessit indulgentias altero diplomate, cujus in Ms. nostro hic est tenor :* Eugenius episcopus, servus servorum [Dei,] universis Dei fidelibus, oratorium beati Jacobi apostoli, quod in Pistoriensi ecclesia situm est, devote visitantibus F salutem et apostolicam benedictionem. Ineffabilis divinæ clementiæ magnitudo, quæ vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, plurima clara diversorum miraculorum genera beati Jacobi apostoli meritis ad sacratissimum altare suum ad compunctionem fidelium in Pistoriensi ecclesia demonstravit. Nam sicut venerabili fratre nostro Attone, ejusdem civitatis religioso episcopo, et aliis pluribus referentibus, agnovimus, cæci, claudi, contracti, et aliis * diversis languoribus debiles in eodem loco per beati, ut diximus, Jacobi preces et merita, optata salutis remedia perceperunt. Nos itaque pro tanta divinæ gratiæ ostensione omnipotenti Domino gratias referentes, dignum duximus, ut fideles Christiani, qui præfatum venerabilem locum pietatis intuitu devote visitaverint, peccatorum suorum per nos relevationem aliquam mereatur, ideoque de bea-

diplomatibus comprobatur.

AUCTORE G. C.

torum Petri et Pauli et ejusdem Jacobi apostolorum Christi meritis confisi, apostolica auctoritate statuimus, ut quotquot præfatum venerabile oratorium causa devotionis et orationis visitaverint, de injuncta pœnitentia septem dierum indulgentiam se accepisse congaudeant. Datum Viterbii x Kalend. Decembris. *Cum igitur juxta hactenus relata testimonia Pistorienses aliquam sacri capitis portionem possideant, et Belgæ magnam ejusdem partem jam olim acceperint, ut paragrapho præcedenti probatum est, verosimiliter concludo, hoc tempore parum de capite* S. Jacobi Majoris *Compostellæ superesse.*

Miracula, quorum pleraque auctor synchronus collegit,

95 *Veteribus hisce instrumentis subduntur stupenda beneficia, Pistoriensibus aliisque patrocinium* S. Jacobi *implorantibus collata, quæ collegit clericus quidam, nomine Contarinus, scriptor synchronus, et testis omni exceptione major, ut ex ipsa miraculorum lectione apparebit. Attamen non arbitror, ab isto Contarino conscripta fuisse omnia miracula, quæ in illo codice Ms. nar-* B
rantur. Imprimis id conjicio ex fine capitis tertii juxta nostram capitum divisionem, in quo legitur hæc clausula, quæ quidem continua serie scribitur, sed ad hunc rhythmum videtur reducenda :

Annus Domini millenus,
Tumque primus bis centenus,
Nec non decimo Kalendas
Fert Aprilis recolendas
Actor hujus et relator
Rei gestæ exarator.

Ex his verbis conjicio, Contarinum decimo Kalendas Aprilis anno 1201 *scriptioni suæ finem imposuisse. Hæc conjectura mea confirmatur ex ultimo miraculo, quod diserte dicitur* dominicæ Nativitatis anno MCCXXXVIII *patratum esse. Cum autem Contarinus dicat, sese quædam miracula ex relatione S. Attonis scripsisse, et S. Atto obierit anno* 1153 *vel* 1155, *ut alii volunt, quomodo post octoginta et plures annos idem Contarinus hoc postremum miraculum conscripsit, nisi ipsum centenario majorem facias, quod sine evidenti testimonio non est temere affirmandum. Itaque suspicor, miracula capitis quarti ab aliis successive addita fuisse. Neque hæc suspicio mea pretium eorum diminuit : nam videntur a testi-*
C *bus coævis notata fuisse eo tempore, qui contigerunt. Sic cap.* 4, *num.* 291 *scriptor quiscumque hæc habet :* Cuncta vero præmissa intellexi ab eo plenius et audivi, qui periculum memoratum incurrerat.

nobis exacte exscripta sunt a notario Pistoriensi,

96 *Nos hoc pretiosum antiquitatis monumentum, pro cujus sola exscriptione octodecim scuta Romana, seu ultra quinquaginta florenos nostrates persolvimus, ut fine hujus partis post alia miracula ad majorem sancti Apostoli gloriam nunc primum typis vulgabimus. Porro quanta accuratione notarius Pistoriensis hæc vetusta instrumenta exscripserit, post apographum suum testatur his verbis :* Quæ omnia et singula supradicta cum de verbo ad verbum ego cancellarius infrascriptus exscriberem, prout rei gravitas postulat, nec diligentiæ defui nec fidei, ut jota unum vel apicem non præterierim, quo haberi iis omni procul dubio fides possit, quibus etiam validius confirmandis mei vis adjungitur sacramenti. Hoc perfunctus demum munere ad cimelia me contuli cappellæ beati Jacobi apostoli, in quibus, quemadmodum R. P. Dominicus Sardi commonuerat, volumen illud reperi nuncupatum LECTIONARIUM ; quo qui-
dem perlecto quam diligenter, eorum pleraque D
miraculorum, quæ superius memorantur, reperi recenseri, eaque una cum supra descriptis Eugenii PP. III litteris ibidem insertis, distributim per dies nimirum singulos divinis in Officiis in vigiliis, hoc est diebus octo festum Patroni civitatis præcedentibus, die ejusdem festo, nec non octo subsequentibus, lectionum loco recitari. His addere illud arbitror operæ pretium, nonnulla ex iis miraculis, quæ mandata fuerunt litteris, cerni etiam expressa perantiquo penicillo in parietibus cimeliorum, ubi hæc servantur vetustissima monumenta. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium ego Ignatius Nicolaus Bracali, quondam D. Caroli filius, J. U. D. civis et notarius publicus Pistoriensis, nec non episcopalis curiæ Pistoriensis cancellarius generalis manu propria subscripsi ad laudem Dei, et beatæ virginis Mariæ, ac divi Jacobi apostoli.

cujus fides alio testimonio confirmatur.

97 *Demum de more legitima hujus notarii seu cancellarii auctoritas altero testimonio sic confirmatur :* Joannes Jacobus Scarfantom J. C. E
patricius Pistoriensis, protonotarius apostolicus, eques religionis D. Stephani, cathedralis ecclesiæ Pistoriensis præpositus, et illustrissimi ac reverendissimi DD. Columbini Bassi, omnipotentis Dei et S. Sedis apostolicæ gratia episcopi Pistoriensis et Prætensis, in spiritualibus et temporalibus vicarius, et L. J. generalis. Universis et singulis fidem facimus et attestamur, supradictum dominum juris utriusque doctorem Ignatium Nicolaum Bracali hujus episcopalis curiæ Pistoriensis cancellarium generalem fuisse et esse notarium publicum Pistoriensem, legalem, fide dignum, et in antiquis perlegendis characteribus non modice versatum, ac talem qualem se supra fecit, ejusque scripturis tam publicis quam privatis semper in judicio et extra indubiam adhibitam fuisse et adhiberi fidem, prout nos etiam adhibemus. In quorum etc. Datum Pistorii in palatio episcopali die decima sexta Januarii MDCCXXVI a Nativitate. Joannes Jacobus Scarfantoni vicarius generalis. *Apographum sigillo episcopi Pistoriensis in cera rubra munitum erat, et inferius etiam subscripserat* Carolus Blasius Spinelli J U. D. cancellarius episcopalis. *Ex his au-* F
thenticis instrumentis patet, quanti faciendum sit insigne istud anecdoton, quod nos post decimum tertium hujus partis paragraphum aliis miraculis seorsim subnectemus, ut supra promisimus, præfixis antiquis titulis, quos more nostro ad pauciora capita reducemus.

§ IX. Aliæ illius reliquiæ multis locis honoratæ.

Pro aliquibus reliquiis, quæ sub nomine S. Jacobi Majoris in Gallia,

Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad diem XXV *Julii festum sancti Apostoli more suo ita magnifice annuntiat :* Celebritas sancti Jacobi apostoli, Zebedæi filii, fratris vero sancti Joannis Euangelistæ, Hierosolymis Octavo Kalendas Aprilis ab Herode decollati, cujus sacratissimis pignoribus suffulta Gallia, Atrebati caput, Trecis alterum brachium, Tolosæ partem pretiosissimi corporis non modicam digna honorificentia asservatam, aliaque alibi sacra spolia devote veneratur. *De Atrebatensibus et Tolosanis reliquiis satis superque supra § 7 egimus. Jam de Trecensi brachio etiam pauca dicamus. Nicolaus Des-Guerrois in Gallica*

A *lica diœcesis Trecensis historia fol.* 85 *putat,* brachium S. Jacobi Majoris *circa annum* 1209 *Constantinopoli Trecas allatum esse, ubi hactenus in monasterio S. Martini de Areis conservatur in argentea lipsanotheca, cui incisi sunt sequentes versiculi :*

Constantine tua translatus ab urbe, lacertus
Majoris Jacobi latet hic reverenter opertus.

Suspicor ego, has reliquias potius spectare ad S. Jacobum Minorem, cum dicantur allatæ ex urbe Constantinopolitana, in qua ejus ossa aliquando quieverunt, ut dictum est tomo I *Maii pag.* 27.

Sicilia,

99 *Cajetanus noster in Martyrologio Siculo ad diem* XXV *Julii alterum ejusdem Apostoli brachium nobis in Sicilia assignat his verbis :* In Monte Regali translatio brachii S. Jacobi apostoli. *Citat ille quidem in margine tabulas ecclesiæ Montis Regalis ; sed ampliorem harum reliquiarum explicationem ac probationem desidero. Idem fere judicium ferendum est de digito* S. Jacobi, *qui Messanæ in templo majore servatur, ut* B *lego in quodam opusculo de reliquiis, quod Martyrologio Maurolyci subjungitur, et anno* 1568 *Venetiis impressum est : nam in editione minoris formæ fol.* 151 *inter reliquias seculo* XV *ad Messanensem ecclesiam translatas numeratur* digitus S. Jacobi apostoli. *Ob hanc expressionem merito dubitari posset, an S. Jacobi Minoris, an Majoris digitus ibi honoretur. At idem opusculum ibidem eodem anno in majori forma editum, et Martyrologio Maurolyci subnexum, nescio qua auctoritate, reliquias illas fol.* 117 *ita Sancto nostro tribuit :* Digitus S. Jacobi MAJORIS apostoli. *Quid sit de hac re, et quæ fuerit mutandæ editionis ratio, discutere poterunt Messanenses. Nescio, an in alio Siciliæ oppido, quod vocatur Calata Jeronis, vulgo* Calatagirone, *serventur reliquiæ* S. Jacobi *nostri ; sed scio, illum ibi, tamquam præcipuum patronum, coli, ac miraculis clarum esse, quæ tamen numquam ad manus nostras pervenerunt, quamvis nobis jam dudum promissa fuerint, ut dictum est in Annotatis ad miracula B. Gerlandi tomo* III *Junii pag.* 658 *et* 659.

regno Neapolitano.

100 *Insula regni Neapolitani, in mari Tyrrheno sita, quæ ab urbe episcopali, vulgo* Capri C *dicta, nomen Capreæ accepit, etiam gloriatur, se reliquias* S. Jacobi Majoris *habere, de quibus Ughellus tomo* 7 *Italiæ sacræ col.* 353 *ita scribit :* Tria in ea insula recensentur Religiosorum cœnobia, quorum pulcherrimum et opulentum Cartusianorum, ubi templum, divi Jacobi cultu nobile, pulcra turri munitum, a Jacobo Arcucio, insulæ domino, conditum, qui cœnobio octingentos aureos singulis annis legavit, in quo divi Jacobi, Joannis Euangelistæ fratris, brachium visitur; ideoque divo Jacobo dicatum, ubi humatus legitur ipse fundator, defunctus anno MCCCLXXXVI. *At quantum fidei in ea re Ughello tribuendum sit, facile colligitur ex* § 7 *num.* 75, *ubi de Amalphitano* S. Jacobi *capite egimus.*

et alibi in Italia monstrari solent, major certitudo requiritur.

101 *Jacobus Gualla in catalogo reliquiarum, quem suo Sanctuario Ticinensi præfixit, enumerat sacras Sanctorum exuvias, quæ anno* 1499 ex arce Papiæ in ædem ejus majorem translatæ fuere. *Inter illas autem recenset* branchium dextrum sancti Jacobi Majoris apostoli. *Onuphrius Panvinius, M. Attilius Serranus, aliique, qui septem Urbis ecclesias descripserunt, mihi quoque in templo S. Pauli extra muros Romanos brachium* S. Jacobi Majoris *assignant. Denique Gabriel Bucelinus in sacrario Benedictino, quod suo Menologio subjunxit, magnam brachii partem cum tribus ossibus in Andecensi Bavariæ monasterio collocat. Sed pro his omnibus reliquiis etiam firmiora testimonia requirimus, uti et pro brachio dextro, quod Torcelli in Ducatu Veneto servari fertur, ut supra num.* 60 *diximus.*

Leodienses S. Jacobi majori reliquiæ

102 *Leodienses in Belgio antiquiora et solidiora proferunt documenta pro brachio ejusdem sancti Apostoli, quod anno* 1056 *Compostella acceperunt: nam Albertus, secundus monasterii S. Jacobi abbas et oculatus testis, de hisce reliquiis a se in quodam altari repositis, hæc in pervetusto codice memoriæ posterorum scripta reliquit :* Quæ propitia diuinitate huic loco contigerunt suffragia provisionis meæ tempore, ego Albertus abbas indignus huic indidi scedulæ, ut, si forte mutatum fuerit altare, qualiter hæc pignora Sanctorum recondita sint, neminem queat latere. Anno dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo sexto, indictione nona, imperante Henrico tertio, præsidente huic Leodicensi ecclesiæ Tietwino pontifice, quidam e nostris fratribus, E nomine Rotbertus, cum aliquibus Deum timentibus, nostra et omnium fratrum licentia et benedictione, Galetiam causa orationis adiit, gloriosissimi Jacobi apostoli reliquias huic loco transmitti a rege et pontifice petiit, et Dei gratia impetravit. Directæ sunt sanctorum apostolorum Jacobi, Bartholomæi, sanctorumque martyrum Pancratii et Sebastiani de corporibus suis particulæ, ac jussu episcopi totius urbis exultatione ac veneratione templo isti præsentatæ.

juxta antiquiora

103 *Lambertus, cognomento Parvus, ejusdem abbatiæ religiosus in chronico Ms., quod usque ad annum* 1194 *deduxit, eamdem reliquiarum translationem ita confirmat :* Anno ab Incarnatione Domini MLVI, indictione IX adventus reliquiarum S. Jacobi apostoli, fratris S. Joannis Euangelistæ et Bartholomæi apostoli (*alibi additur* et sanctorum Sebastiani atque Pancratii martyrum) a Compostella vico Galiciæ; quas nobilissimus rex Garsea misit Dietwino episcopo per Robertum monachum, postea abbatem ejusdem ecclesiæ S. Jacobi Hæ cum tanto honore et totius populi jucunditate, miraculisque coruscantibus ad ecclesiam Apostoli de- F portatæ sunt, ut majorum nostrorum ætas lætiorem diem prius nec postea meminerit se vidisse. *Chronicon Gemblacense, Tungrense aliaque de his reliquiis ex Gallæcia allatis meminerunt, et Gesta abbatum sancti Laurentii easdem distinctius exprimunt his verbis :* Theoduini tempore ecclesia S. Jacobi Leodiensis brachio sancti Jacobi Majoris, cum reliquiis sancti Bartholomæi apostoli, Sebastiani et Pancratii martyrum meruit ditari, misso ad Galetiam fratre Roberto ejusdem monasterii monacho.

et fide digna monumenta.

103 *Ægidius Aureæ Vallis monachus, qui ante medium seculi* XIII *gesta episcoporum Leodiensium ex antiquioribus monumentis collegit, apud Joannem Chapeavillum in opere de Pontificibus Leodiensibus tom.* 2 *a pag* 18 *usque ad* 26 *hanc historiam, omnibus suis adjunctis vestitam, fuse narrat. Quod autem eam ex vetustioribus instrumentis descripserit, indicat Ægidius hac præfatione :* Qualiter vero brachium beati Jacobi apostoli, fratris B. Joannis Euangelistæ de Galetia cum reliquiis SS. Bartholomæi apostoli, et Sebastiani martyris sanctique Pancratii, temporibus ipsius Theoduini in civitatem Leodiensem translatum et in cœnobio sancti Jacobi

AUCTORE G. C.

cobi in insula præfatæ urbis honorifice sit reconditum, sicut in quodam libro præfatæ ecclesiæ legimus, ad honorem Dei et totius patriæ huic operi dignum duximus annectendum. *Mox idem auctor prolixam totius rei narrationem instituit, quam hic prætermittimus, ne Commentarius noster nimium excrescat. Cum tamen recentior rerum Leodiensium scriptor hanc historiam in compendium accurate redegerit, eam hic subjicio in gratiam lectoris, cui forte citatum Chapeavilli opus ad manum non est.*

videntur esse genuina.

105 *Bartholomæus Fisenus noster in Historia ecclesiæ Leodiensis lib.* 8, *num.* 27, *pag.* 304 *rem totam ita contrahit:* Felici religionis incremento, pretiosa gaza Leodium ex Hispaniis advecta, sancti Jacobi monasterium locupletavit. Ex eo monachus, nomine Robertus (quartus is postea fuit abbas) Compostellam pie affecto erga Numen animo profectus cum aliis, etiam e nobilitate nonnullis; exceptus est insigni humanitate a rege Garsea; qui cum nuptias cum Henrici imperatoris sorore ambiret, hos ejus clientes omni officio demerendos putavit. Auditoque, monasterium S. Jacobo Leodii recens esse B conditum, Roberto monacho roganti concessit liberaliter sancti Apostoli brachium (insignem ejus portionem interpretor, nec aliud hodie superest) addiditque alias S. Bartholomæi apostoli, sanctorum martyrum Sebastiani et Pancratii reliquias. Nobili hoc ditatus thesauro Robertus Leodium rediit, ipso sancti Servatii festo die anni *(millesimi)* quinquagesimi sexti. Excepit effusa obviam civitas, insigni pioque apparatu. Sanctum suum Apostolum Deus prodigiis postmodum illustrasse fertur. Sane qui velum, quo delata fuerant sacra lipsana, profanos in usus abjecerat negotiator, rem istam omnem pessum ire sensit, donec Leodium ad S. Jacobi relatum consecrari voluit, et tum brevi magnas opes felici negotiatione collegit. Ait Ægidius, vexilla bina, ex velo illo facta, in eodem templo ad suum usque tempus esse servata. *Ex talibus monumentis videor secure posse concludere, veras* S. Jacobi Majoris *reliquias a Leodiensibus honorari.*

uti etiam de Capelbroukanis asseri potest,

106 *Ex iis, quæ supra* § 7 *diximus de diviso* S. Jacobi *capite inter monachos Vedastinos et canonicos Arienses, facile colligitur, etiam* C *genuinas esse reliquias, de quibus Malbrancus noster tomo* 2 *de Morinis lib.* 10, *cap.* 26, *pag.* 296 *ita scribit:* Cum secaretur caput, ossiculum quoddam ad magnitudinem Turonensis regalis, ait scriptor, effractum excidit in altare; quod statim arripuit comes sibi adservans: atque uti Petrense templum jam recens instauratum sincipitis munere exornabat, ita censuit consentaneum capellam in Broco seu ædem Capelbroukanam, a se pariter superioribus annis conditam, illa particula donare; quandoquidem is pagus attributus esset canonicis illis Ariensibus, quos anno MCLXIX sedecim sacerdotiis, inde præsertim petitis, instruxerat: et sic interior magis Flandria magni Apostoli cultu et præsidio frueretur; et re ipsa, ait scriptor idem, in ea villa populus infinitus usque hodie per octo dies ante Augustum ad ipsum os congregatur.

sed non de ejusmodi aliis Belgii et Germaniæ lipsanis

107 *Hæc videntur satis certa; sed nolo idem judicium ferre de variis reliquiis, quæ in Belgio sub nomine* S. Jacobi Majoris *ostenduntur, quasque Rayssius in suo Hierogazophylacio Belgico passim commemorat. Idem scrupulus mihi* D *inhæret circa quasdam Germaniæ reliquias, quales Ægidius Gelenius lib.* 4 *de Coloniæ Agrippinensis magnitudine pag.* 708 *in sacris et piis Fastis assignat hoc modo:* Octavo Kal. Augusti, S. Jacobi Majoris apostoli, cujus mandibula Coloniæ in S. Panthaleonis, et aliæ reliquiæ in aliis ecclesiis honorantur.

Omissis quibusdam incertæ quantitatis

108 *Nescio, quales quantæque fuerint* S. Jacobi Majoris *reliquiæ, de quibus auctor anonymus, quem Joannes Boscus seculo* X *scripsisse existimat, in Commentario de translatione* S. Jacobi, *in Bibliotheca Floriacensi edito, parte* 2, *pag.* 195 *meminit his verbis:* Est namque in Neustriæ partibus ecclesia, sancta ejus memoriæ sacrata, in qua ipsius gloriosissimæ venerantur reliquiæ, Floriacensi sancti Benedicti subdita basilicæ, ubi tanta fieri quotidiana operatione novimus miracula, quanta decent tantum operari Apostolorum, quæ etiam alias in plurimis pretiosorum sufficerent baulicis Sanctorum.

ac qualitatis exuviis,

109 *Rogerus Hovedenus, scriptor Anglus, qui ineunte seculo* XIII *floruit, in parte priori* E *Annalium ad annum Christi* 1116 *narrat, quod Mathildis, Henrici imperatoris vidua, ad patrem suum Henricum Anglorum regem redierit, allata secum manu S. Jacobi apostoli:* Imperatrix vero, *inquit,* sumptis secum manu beati Jacobi apostoli incorrupta et corona imperali, ad regem Henricum patrem suum rediit..... Rex vero Anglorum Henricus præ gaudio manus beati Jacobi apostoli fundavit nobilem abbatiam de Reddinges, et eam bonis multis ditavit, et in eam manum beati Jacobi apostoli posuit; coronam autem imperialem in thesuaro suo recondidit. *Sed eum Hovedenus non exprimat, cujus sancti Jacobi apostoli manus ista fuerit, nec ego quidquam determinabo. Prætermitto hic alias hujus sancti Apostoli reliquias, per totam Europam sparsas, quia vel minoris momenti sunt, vel antiquis et authenticis testimoniis carent. Nolo hic etiam curiosius examinare viatorium* S. Jacobi *baculum, aliaque posthuma ejusdem Apostoli monumenta, quæ a peregrinis Compostellanis pie visitari vel alibi in Hipania passim monstrari solent, de quibus videri possunt Maurus Castellus Ferrerius lib.* 3, *cap.* I, *Ambrosius Morales lib.* 9, *cap.* 7, *aliique scriptores Hispani.*

recensentur Scorialenses ejusdem sancti Apostoli reliquiæ,

110 *Merentur tamen hic notari insignes ejusdem sacri corporis partes, quæ magna cum veneratione conservantur in Scorialensi S Laurentii monasterio, quod Philippus II, Hispaniarum rex, plane regia munificentia construxit, et pre-* F *tioso plurimarum reliquiarum thesauro ditavit. In manuscripto istius cœnobii Lipsanologio, quod summo studio et nitore exaratum est, quatuor majora et duo minora sancti Apostoli ossa exacte recensentur, quibus Lipsanologii scriptor hæc subjungit Hispanice:* Aliqui mirantur, sacras hujus sancti Apostoli exuvias inveniri extra Compostellam, cum corpus ejus jam omnibus omnino sit clausum. Sed non advertunt, præsulem istius ecclesiæ id postea ita fecisse, ne tandem peregrinorum devotione totum corpus paulatim auferretur. *Satis facile intelligo, quomodo Catholici reges aliique principes, antequam ob dictam rationem tumulus* S. Jacobi *Compostellæ clauderetur, quasdam hujus Apostoli reliquias obtinere potuerint, adeoque vera sint* S. Jacobi Majoris *ossa, quæ in Scorialensi monasterio honorantur. At alia sese mihi offert difficultas, dum lego litteras donationis, huic Lipsanologio insertas, quibus Helena Dunckers, Ordinis S. Benedicti in*

A *in Germania priorissa, Joanni Baptistæ Massia ex Ordine sanctissimæ Trinitatis anno* 1595 *concedit* os magnum brachii S. Jacobi Zebedæi apostoli, ut in aliquo monasterio sui vel alterius Ordinis, sive alterius ecclesiæ in Hispaniarum partibus reportet et reponat. *Circa magnum illud os, quod una cum reliquiis S. Laurentii postea ad Scorialense Hieronymianorum cœnobium pervenit, jam dubitationem meam propono.*

circa quas aliqua difficultas proponitur,

111 *Priorissa prædicta in litteris donationis, ab illustrissimo archiepiscopo Colonisnsi approbatis, persuadere nititur, hæc esse genuina SS. Laurentii et* Jacobi Majoris *ossa, atque in hunc finem ita loquitur :* Quas Sanctorum reliquias Laurentii et Jacobi apostoli pro certo credimus illas esse, licet ex eorum vetustissimis scriptis [non] colligitur, tamen a tempore immemorabili, nullaque hominum recordatione pro talibus habentur, et in eadem ecclesia venerantur. Est quidam lapis in eodem monasterio, ubi Benedictus abbas fatetur et testa-B tur, [se] has easdem et multas alias a Gregorio Papa primo et Magno impetrasse Sanctorum reliquias. *At nunc quæro, qua verisimilitudinis specie dicatur Gregorius Magnus, qui ineunte seculo* VII *obiit, dedisse Benedicto abbati has* S. Jacobi Majoris *reliquias, præsertim cum Hispani velint, sacras omnes sancti Patroni sui exuvias seculo* I *in Hispaniam delatas, ibidemque usque ad initium seculi* IX *occultas et ignotas fuisse? Scio equidem, quoddam hic effugium posse excogitari, ac responderi, quod primo ecclesiæ seculo potuerint Romanis Pontificibus dari aliqua S. Apostoli ossa, quæ postea ad Gregorium Magnum pervenerint. Sed illud responsum sine probabili ratione et legitimo testimonio non videtur admittendum. Malim igitur credere, magnum hoc os ad Jacobum Minorem aut alium homonymum Sanctum pertinere, quod simplex piarum monialium traditio* S. Jacobo Majori *attribuerit.*

sicut etiam circa eas, quæ ante medium seculi octavi

112 *Non minorem difficultatem patiuntur reliquiæ* S. Jacobi Majoris, *quæ ante medium seculi* VIII *in monasterio S. Petri de Taberna (situm est illud in Ripacurtiensi regione et hodiedum post varias ruinas, sub titulo Prioratus, abbatiæ san-*C *cti Victoriani annexum, ut tradit Historia monasterii Pinnatensis, ab amplissimo D. Joanne Briz Martinez abbate Hispanice edita lib.* 2 *cap.* 20) *repositæ fuerunt, sicuti narratur in pervetusto cœnobii Pinnatensis codice, ex quo Hieronymus Blancas in Commentariis rerum Aragonensium fragmentum quoddam edidit, cujus hic partem, postea usui futuram, exhibemus.*

in monasterio S. Petri de Taberna quievisse dicuntur.

113 *Igitur in hoc fragmento, quod inter Commentarios Hieronymi Blancas tom.* 3 *Hisp. illust. pag.* 580 *impressum est, Belascutus monachus synchronus testatur sequentia :* Furor persecutionis invaluit, quo tempore Rudericus rex præerat Hispaniæ, et Sarraceni Hispanias sunt ingressi...... Hac persecutione comperta, sanctus episcopus Bentius *(nempe Cæsaraugustanus, ut ex sequentibus patet)* discipulos suos in unum congregavit, et cum lachrymis ait : .... Nunc ergo filii acquiescite consiliis patris vestri, et cum codicibus vestris, et cum brachio sancti Petri apostoli, et cum aliis Sanctorum reliquiis aut Romam pergamus, aut ad montes, ubi nos Sarraceni invenire non possint, fugiamus...... Cum paucis de suis occulte de civitate fugit, ... ad monasterium nostrum venit, et, ut decebat, abbas noster domnus Donatus cum congregatione tota eum honorifice suscepit : venit enim cum magno thesauro ...... Eodem tempore strenuissimus rex Carolus super gentem Francorum regnabat *(non potest hic alius significari, quam Carolus Martellus, nisi quis velit ætatem episcopi Bentii portentose extendere)* ad quem misit me domnus Donatus .... Ergo post regressum meum a Francia sanctus episcopus Bentius adhuc vivebat, et ordinavit diem, ut dedicaret nova altaria, in quibus sanctissimas reconderet .... reliquias de corpore sancti Pauli apostoli, et sancti Andreæ, et SANCTI JACOBI, FRATRIS SANCTI JOANNIS EUANGELISTÆ .... His ergo rebus venerabiliter completis, convocatis episcopis totius provinciæ, ordinavit diem dedicationis ecclesiæ, et fuit dedicata cum magna honorificentia. Huic dedicationi interfuerunt septem episcopi .... et ego peccator Belascutus : et juro vobis fratribus meis dilectissimis per diem tremendii judicii, quod hoc, quod vobis exposui, in veritate dixi; quia oculis meis vidi, et aliqua, quæ non vidi, de ore fidelium audivi. *Horum postmodum meminisse juverit. Quod autem ad præsentem reliquiarum difficultatem attinet, ea mihi videtur solvenda, sicuti præcedens; nisi quis malit dicere, primis Ecclesiæ seculis sacras* S. Jacobi Majoris *exuvias divisas fuisse. Quod si neuter is modus placeat, ipsi Hispani alium suggerant.* E

AUCTORE G. C.

Innocuus catholicorum quorumdam error,

114 *Nemo ægre ferat, hactenus tam rigidum reliquiarum examen a nobis institutum esse : nam id facimus, ut obturemus ora hæreticorum, qui calumniantur Catholicos, acsi sine ullo delectu obvia quælibet ossa superstitiose thecis includant, ac publicæ venerationi exponant. Sacrilegi isti scire possunt, prudentissima a Concilio Tridentino edita esse decreta, ne quis dolus in sacra lipsana irrepat, videntque, quam severe ab ipsis Catholicis ea discutiantur, et quam certa sanctitatis testimonia exigantur. Nec impudentissimo horum hagiomachorum mendacio favet error quarumdam ecclesiarum, quæ existimant, se habere alicujus Sancti reliquias, quas alia ecclesia revero possidet. Sic Brisacenses in Germania (plura hujusmodi exempla in Actis nostris passim occurrunt) pie venerantur corpora SS. Gervasii et* F *Protasii, et eorum patrocinio prodigiosa beneficia impetrant, quamvis eo probabilius Mediolani in Italia quiescant, uti Papebrochius noster in appendice ad diem* XIX *Junii tomo* VI *istius mensis part.* I *a pag.* 209 *post revocatam priorem suam sententiam ingenue fatetur.*

quo unum Sanctum pro altero invocant.

115 *Sic benignissimus Deus pluribus locis, in quibus unius ejusdemque Sancti corpus esse putatur, ob exiguas qualescumque istius Sancti reliquias, aut fortasse propter merita ignoti cujusdam Martyris, cujus sacra ossa ibi quiescunt, manifesta patrat miracula, ut S. Gregorius Magnus lib.* 2 *Dialogorum cap.* 38 *Petro, de similium miraculorum causa interroganti, respondet his verbis :* Ubi in suis corporibus sancti Martyres jacent, dubium, Petre, non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt, et pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est, eos majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto

AUCTORE G. C.

to majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit et non jacere corpore, et tamen non deesse ab exauditione.

nihil hæreticis favet

116 *Denique concludo cum Saxio, qui in apologia pro corporibus SS. Gervasii et Protasii cap. 8, num. 24, de eadem controversia sic scribit:* Itaque nullus prudens erroris timor etiam sacrarum reliquiarum recepto communiter constantique cultui subesse potest: nihilominus imperscrutabilia judicia et investigabiles viæ Domini, illæsa semper puritate religionis nostræ, permittunt, aliqua omnino in obscuro esse, aliqua in dubio loci: neque hoc offendiculum aut scandalum Catholicæ fidei dici potest: cum enim unus sit Deus, quem primo colimus in Sanctis suis; Sanctos vero ipsos felicissima æternæ vitæ societas ita nectat, ut nulla invidiæ aut æmulationis pateat rima; quid mali, si ignoto vel sub alieno nomine affundamus obsequium nostrum cælestibus animis, dummodo, quæ præsentia colimus depositæ mortalitatis spolia, vere sint alicujus Sancti? Etenim nec vocibus nec syllabis affigimus superstitiosum cultum, neque intra venerabiles lipsanothecas concludimus sistimusque preces ac vota, ut falso blaterant nostræ fidei hostes, sed mente animoque pervolamus ad cælum, opemque et patrocinium imploramus adstantium divino throno Sanctorum, ejusdemque regni indissolubili consortio congaudentium.

B

aut fidei nostræ officit.

117 Nihil igitur aut eorum gloriam aut religionem nostram lædit innocens nominis lapsus. Imo si intime rem spectemus, tum Sanctorum cultus, tum pietas populorum ex his opinionum conflictibus quoddam recipit incrementum: dum enim plures de eodem corpore ecclesiæ disputant, unaquæque interim vires omnes impendit, ut eximiis religionis officiis testari studeat venerationem suam erga Sanctos, quorum sacras exuvias custodire se existimat, atque in hoc uno concors discordia est, quod sancta æmulatione omnes succensæ, multiplicata veluti obsequii materie, ad gloriam ipsorum amplificandam, augendamque in nobis fiduciam ac virtutum imitationem conspirant, ut passim experientia notum est. *Tunc subjungit exemplum Polonorum ac Bohemorum, qui de S. Adalberti corpore acriter contendunt, et in utroque regno festum ejus cum Octava solenniter celebrant, ut Papebrochius noster tomo* III *Aprilis pag.* 177 *ostendit.*

C

§ X. Peregrinationes ad Compostellanas S. Jacobi reliquias antiquitus institutæ.

Etsi Carolus Magnus sepulcrum S. Jacobi verosimiliter non adierit,

L*ucas Tudensis in chronico mundi, quod tomo 4 Hispaniæ illustratæ editum est, pag. 75 scribit, quod Carolus Magnus Galliæ rex sepulcrum* S. Jacobi *adierit.* Limina etiam beati Jacobi, *inquit,* cum per devia Alavæ veniens Christianissimus Carolus gratia visitaret orandi, saniori ejus consilio rex Adefonsus Iriam civitatem destruxit, et sancti Jacobi apostoli ecclesiam, quam ipse construxerat, reverendi patris Leonis tertii Romani Pontificis assensu metropolitano sublimavit honore. *Ut nihil hic dicam de metropolitano honore, qui diu post illa tempora primum præsuli Compostellano concessus est, cum synchroni et suppares auctores, qui res a Carolo Magno gestas copiose et exacte scripserunt, hujus peregrinationis non meminerint, vereor, ne Lucas Tudensis deceptus fuerit a Pseudo-Turpino, qui in Historia Caroli Magni cap.* 19 *inter alias fabulas, Amadisianis non absimiles, sic narrat:* Tunc dimissis majoribus exercitibus, Carolus in Hispania beati Jacobi limina adiit, et quos in illa patria habitantes reperit Christianos amplificavit; illos vero, qui ad perfidiam Saracenorum reversi fuerant, aut gladio peremit, aut in Galliam exules misit. Tunc constituit per civitates antistites et presbyteros, et adunato in urbe Compostella episcoporum et principum concilio, instituit a majore beati Jacobi, quod cuncti præsules et principes et reges Christiani, Hispani scilicet et Galliciani, præsentes et futuri episcopo sancti Jacobi obedirent. Apud Iriam præsulem minime instituit, quia illam pro urbe non reputavit, sed villam subjectam sedi Compostellensi esse præcepit. Tunc in eodem concilio ego Turpinus Rhemensis archiepiscopus beati Jacobi basilicam et altare cum quadraginta episcopis Caroli rogatu Kalendis Junii honorifice dedicavi.

D

E

quod iter Lucas Tudensis asseruit forte ex pseudoTurpiono fabulatore.

119 *Tædet referre alias nugas personati hujus fabulatoris, de quo, Possevinus noster in Apparatu sacro ad vocem* Tilpinus *tom.* 2 *pag.* 498 *ita pronuntiat:* Libelli autem fabulosi, qui Tilpino sive Turpino affingitur, nec ipse Frodoardus in Tilpino, neque Hincmarus, neque Lupus, neque Vitaldus, neque Adelmus et Theodulphus temporum illorum gravissimi (ut et Papirius Massonus in suis Galliæ Annalibus testatur) scriptores usquam meminere: ab homine imperito ac mendaci scriptum multa arguunt. De morte quidem Caroli Magni capite trecentesimo secundo mentionem facit, cum tamen constet, Tilpino mortuo successorum Vulfarium ab eodem Carolo Rhemensibus datum archiepiscopum, et ex synodo habita Rhemis anno octingentesimo decimo tertio liqueat, coactam a Carolo Magno, postulante Vulfario Rhemorum archiepiscopo. Igitur libellus ille (ut recte ait Massonus) ab homine otioso in gratiam juventutis scriptus videtur, non multo post Caroli Calvi imperium: ejusdemque versio in bibliotheca regia servatur in Gallia, antiqua ac pene obsoleta Gallorum lingua, vetustissimisque characteribus. *Baronius in Annalibus ecclesiasticis circa finem anni* 812 *ostendit, Lucam Tudensem, Rodericum Toletanum, aliosque scriptores Hispanos ab hoc pseudo-scriptore in errorem inductos fuisse, et ibidem aliam ejusdem ficti Turpini fabulam explodit.*

F

tamen seculo 9 præter alios

120 *Non dubito tamen, quin seculo* IX, *cujus initio sacræ* S. Jacobi *reliquiæ in Gallæcia primum detectæ fuerant, plurimi fideles ad hunc locum confluxerint: nam Walafridus Strabo, qui anno* 849 *obiit, sepulcrum ejus suo tempore miraculis claram fuisse innuit his versibus apud Canisium tom.* 6 *Antiq. Lect. pag.* 661:

Hic quoque Jacobus, cretus genitore vetusto,
Delubrum sancto defendit tegmine celsum;
Qui, clamante pio ponti de margine Christo,
Linquebat proprium panda cum puppe parentem;
Primitus Hispanas convertit dogmate gentes,
Barbara divinis convertens agmina dictis,
Qui priscos dudum ritus et lurida fana
Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.

Plurima

AUCTORE G. C.

A Plurima hic Præsul patravit signa stupenda,
Quæ nunc in chartis scribuntur rite quadratis.
Hunc trux Herodes regni tetrarcha tyrannus
Percussum machera crudeli morte necavit,
Quem Pater excelsus, qui Sanctos jure triumphat,
Vexit ad æthereas meritis fulgentibus arces.

Quidam hoc carmen Alcuino seu Albino tribuunt, inter cujus poemata etiam impressum est; sed cum is obierit anno Christi 804, *quando forte nondum inventum, aut saltem non tam celebre erat corpus* S. Jacobi, *potius cum aliis censeo, illud adscribendum esse Walafrido Straboni, qui indicat, isti Apostolo* delubrum *erectum esse, et ejus* signa stupenda in chartis *suo tempore annotari. Idem liquet ex Adone et Usuardo, qui eodem seculo de celebri illarum reliquiarum veneratione scripserunt, ut supra num.* 7 *diximus.*

Alfonsus III Hispaniæ rex illud visitavit.

121 *Eodem seculo* IX *Alfonsus III Hispaniæ rex cum regia familia multisque nobilibus sepul-* B *crum* S. Jacobi *veneratus est, postquam illius templum, ab Alfonso Casto magna cum festinatione ac rudi opere ædificatum, magnifice instaurari jusserat, ut ipsemet testatur in diplomate, quod Maurus Castellus Ferrerius in Historia S. Jacobi lib.* 4, *cap.* 19 *integrum profert, ubi inter alia pius rex hæc dicit :* Igitur anno secundo, mense decimo, postquam Deo auxiliante et merito Apostoli ædificatum est et completum *(nempe templum Compostellanum)* venimus in sanctum locum cum prole nostra, et de sede unaquaque episcopi, et de regno nostro omnes magnates cum plebe catholica, ubi facta est turba non modica *etc.*

quamvis ex ejus diplomate certus istius visitationis annus figi non possit.

122 *Porro in æra hujus diplomatis tanta est obscuritas ac diversitas, ut non possit statui certus annus, quo hoc novum templum coram Alfonso rege ab episcopis consecratum est. Ambrosius Morales lib.* 9 *Hist. Gen. Hisp. cap.* 7, *fol.* 239 *scripserat, hoc contigisse anno* 873; *sed postea lib.* 15, *cap.* 25 *putat, id anno* 900 *factum esse. Illustrissimus Sandovalius post scriptores a se editos pag.* 245 *hanc consecrationem anno* 876 *illigat. Mariana noster lib.* 7 *Hist. Hisp. cap.* 18 *post allatum Joannis VIII Pontificis diploma, pro eodem anno sic concludit :* Tem- C plum ergo Compostellanum, iis episcopis procurantibus, solenni ceremonia sacratum Nonis Maii, die lunæ, luna undecima, tertio aureo numero, ut Sampyrus Asturicensis est auctor, hoc est anno octingentesimo septuagesimo sexto, in quem eæ notæ omnes certa ratione conveniunt. *Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 882 *eamdem Joannis VIII epistolam exhibet, ac in fine num.* 6 *hæc addit :* Porro occasione ingruentium bellorum tum civilium tum externorum ipsa dedicatio ecclesiæ Compostellanæ dilata aliquamdiu fuit *Videri etiam potest Pagius, qui in Critica historico-chronologica Baronii ad annum* 882 *a num.* 5 *de hac Pontificis epistola disserit, et Sandovalii sententiam amplectitur, variasque difficultates explicat. Alii vero eamdem ad annum* 899 *referunt. Legi potest Sampirus episcopus Astoricensis, qui apud Sandovalium a pag.* 57 *hanc historiam fusius narrat. Nobis sufficit, illam eodem, quo corpus* S. Jacobi *inventum est, seculo retulisse. Certior est annus* 874, *quo idem rex obtulit* S. Jacobo *crucem auream : nam teste Ambrosio Morale lib.* 9, *cap.* 7 *fol.* 239 *verso, ei inscripta sunt verba sequentia :*

HOC SIGNO VINCITUR INIMICUS :
HOC SIGNO TUETUR PIUS.
OB HONOREM SANCTI JACOBI APOSTOLI
OFFERUNT FAMULI DEI ADEFONSUS
PRINCEPS CUM CONJUGE SCEMENA
REGINA. HOC OPUS PERFECTUM EST
IN ERA DCCCC DUODECIMA,

Ad Compostellanum S. Jacobi tumulum seculo decimo

123 *Haud dubie seculo* X, *sparsa per orbem miraculorum fama, sepulcrum* S. Jacobi *magno etiam exterorum concursu frequentatum est, etiamsi omnes illæ peregrinationes ad notitiam nostram non pervenerint. Conjicio id ex itinere, quod Gotescalcus, episcopus Aniciensis, circa medium hujus seculi ad* S. Jacobum *instituit. Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana nuper edita tom.* 2, *col.* 694 *ex antiquis instrumentis de eo sic scribit :* Gotescalcus orationis gratia in Hispaniam profectus est, et ad extremos Galiciæ fines pervenit, S. Jacobi suffragia imploraturus. In hac autem peregrinatione ad Hildense monasterium in finibus Pampeloniæ divertit, rogavitque pium hujus loci abbatem, Go- E mesanum nomine, ut sibi conscriberet librum S. Hildefonsi de perpetua B. Mariæ virginitate, quem secum tulit, ut tanto thesauro ecclesiam suam, sanctæ Mariæ patrocinio nobilem, ditaret. Id factum mense Januario currente feliciter æra DCCCCLXXXIX, hoc est anno Christi DCCCCLI, ut legitur in præfatione Gomesani, quam damus. *Suspicor, Gotescalcum aliorum exemplo hanc peregrinationem arripuisse, aliosque etiam eodem seculo ipsius pietatem imitatos fuisse. Sed non vacat hæc singula operosius inquirere. Nolo quoque commemorare constantem principum Hispanorum erga* S. Jacobum *munificentiam et devotionem, de quibus videri potest Ambrosius Morales in Historia Generali Hispaniæ tom.* I, *lib.* 9, *cap.* 7.

et undecimo,

124 *Quam frequens fuerit seculo* XI *exterorum concursus ad Compostellanas* S. Jacobi *reliquias, patet ex Actis duorum Sanctorum, qui illo seculo benevolentia et hospitalitate erga peregrinos, sepulcrum* S. Jacobi *visitantes, excelluerunt. Primus est S. Adelelmus, cujus corpus, magnificæ tumbæ inclusum, aliquando Burgis veneratus sum. In illius Vita, quam dedimus ad diem* XXX *Januarii, cap.* 4, *num.* 20 *leguntur sequentia :* Rati deinde *(nempe rex et regina Hispaniæ)* haud F satis decere, ut tanti vir nominis et sanctimoniæ aulam perpetuo sequeretur, secedere id rogantem permiserunt, transcripta illi ad habitationem cappella aut domo sancti Joannis Euangelistæ, quam ad muros urbis Burgensis rex construxerat suscipiendis juvandisque eleemosyna peregrinis, Compostellam ad S. Jacobi sepulcrum tendentibus..... Ut traditam sibi habitationem Adelelmus adiit, Deo isthic cœpit religiosissime famulari, peregrinis sedulo ministrare, tecto recipere, cibo recreare, morbis liberare.

ut ex Actis quorumdam Sanctorum colligitur.

125 *Alter est S. Dominicus Calceatensis, ab Hispanis vulgo dictus san Domingo de la Calzada,* quoniam viis muniendis atque complanandis, *inquit Mariana lib.* 10, *cap.* 7, qua Compostellam ibatur, diligentem operam dabat, Calzadii vernacula Hispanorum lingua cognomentum invenit. Hujus viri industria regem usum arbitror pontibus exstruendis, quos Lugrunio Compostellam usque constituendos curavit. *Videri possunt illius Acta, quæ Henschenius noster ad diem* XII *Maii tom.* III *ejusdem mensis a pag.* 167 *illustravit. Addi his possent duo peregrini, sanctitate illustres, qui eodem seculo Compostellanum*

AUCTORA G C

Compostellanum S. Jacobi *sepulcrum adierunt. Primus est S Symeon eremita, cujus Acta, Deo favente, ad diem* XXVI *Julii illustrabimus. Alter est S. Theobaldus etiam eremita, de quo jam die* XXX *Junii egimus.*

ac præsertim duodecimo

126 *Seculo* XII *duorum præcedentium Sanctorum caritatem erga peregrinos imitatus est S. Joannes eremita Hispanus, in cujus Actis tomo* 1 *Junii nostri editus hæc habentur pag.* 262: Cumque consummata esset ecclesia, ædificavit et juxta eam asylum, in quo peregrini haberent refugium, quibus ipse pro posse necessaria ministrabat..... In fluvio, qui dicitur Iberus, a quo tota Hispania alio nomine vocatur Iberia, pontem firmavit in vico, qui dicitur Lucronium, in quo partem non modicam substantiæ sibi a Deo commissæ expendisse dignoscitur. Similiter in urbe Naxara de novo pontem fabricavit, qui impetu aquæ multoties corruptus, ab eo multoties est restitutus. Juxta vicum B. Dominici pontem ligneum fecit, super torrentem de montibus Cuculsæ descendentem. B cujus longitudo quingentorum passuum spatio distenditur. Inter locum etiam habitationis suæ, et villam Octaporcam nomine, manibus propriis stratam posuit in locis humentibus et aquosis, ut Jacobipetæ, longo fessi labore, facilem transitum haberent. *Suppetunt eodem seculo plurima sanctorum virorum exempla, qui ad Compostellanum* S. Jacobi *sepulcrum peregrinati sunt. Occurrunt ex iis quidam in primo Operis nostri semestri, quos hic tomorum ordine paucis recensebo.*

multi Sancti,

127 *Primo offertur die* VII *Januarii B. Albertus eremita, qui, ut Acta loquuntur tom.* I *istius mensis pag.* 402, nullum subterfugiens aut itineris laborem aut incommodum corporis, duce, quo agebatur, Dei spiritu in Gallæciam abit, ad S. Jacobi sepulcrum. Hic cum moraretur, sæpius conspecta est in dexterum ejus humerum advolare columba, rostrumque in aurem ejus inserere, et quasi ei quidpiam insusurrare. *Die* X *Februarii Henschenio variæ tricæ expediendæ fuerunt circa S. Guilielmum eremitam, in quibus fit mentio alterius Guilielmi, de quo ibidem tom. 2. pag.* 440 *ex Oderico Vitali hæc referuntur:* Anno MCXXXVII, tertia septimana Martii, C Stephanus rex in Normanniam venit..... Eodem tempore Guillelmus, Pictavensium dux, memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus est, pœnitentia motus ad S. Jacobum peregre profectus est. Deinde feria VI parasceve, V Idus Aprilis, sacra communione munitus est, et ante altare beati Apostoli venerabiliter defunctus est. *Postea pag.* 462 *in Actis S. Guilielmi eremitæ dicitur:* Venit in Hispaniam, et ingressus Compostellanensium civitatem cum omni devotione tanti Apostoli visitavit ecclesiam, et effudit sicut aquam cor suum ante conspectum Apostoli. *Tomo* VII *Maii a pag.* 144 *illustrantur Acta S. Bonæ Virginis Pisanæ, ab auctore suppari scripta, in quibus pag.* 150 *refertur pia Sanctæ istius peregrinatio ad* S. Jacobum, *et ibidem ac paginis sequentibus describuntur familiares ac prodigiosi favores, quos eadem Sancta a beato Apostolo accepit. Tomo* I *Junii occurrit S. Morandus monachus Cluniacensis, qui, ut ibi pag.* 349 *narratur,* ad memoriam S. Jacobi perrexit cum pluribus ejusdem viæ sponsoribus. *Denique tomo* V *ejusdem mensis dantur Acta S. Guilielmi abbatis et fundatoris eremitarum Montis Virginis, de quo pag.* 115 *dicitur:* Relicta patria, una contentus chlamyde, D nudis etiam pedibus ad B. Jacobi aliorumque Sanctorum sacra visendum limina impiger est iter aggressus.

ac pia Hollandiæ comitissa instituerunt peregrinationes.

128 *Hisce non incongrue adjungi potest piissima Hollandiæ comitissa, quæ eodem seculo invisit sepulcrum* S. Jacobi, *et in via prodigiosam illius opem experta est, ut Joannes de Beka in chronico Ultrajectino, cum notis Buchelii edito, pag.* 53 *narrat his verbis:* Sophia vero veneranda comitissa in orationibus, eleemosynis et jejuniis indefessa veraciter suit sancta, per quam Deus operatus est miracula etiam in ipsius vita: nam et hæc divina matrona viam peregrinationis ad sanctum Jacobum semel arripuit, et per casum infortunii clam latrones incidit, qui eamdem tota vi nitebantur occidere, et clenodia sua violenter abstrahere. Sed hi prædones, Deo judicante, meritis beati Jacobi stabant immobiles, nihil adversitatis sibi quomodolibet inferre valentes, ac eamdem virtute divina munitam attingere formidantes: quo viso miraculo, prædicti nequam demum gementes, postulaverunt ab E ea veniam. Pro quorum absolutione benedicta matrona exoravit omnipotentis Dei misericordiam. Hæc Deo dilecta femina jam tertio Jerosolymas profecta est, quæ ibidem VI Kalendas Octobris (*scilicet anno* 1176) in Domino feliciter obdormiens ad hospitale Teutonicorum in Jerosolyma tumulata est. *Ne autem Batavi heterodoxi cum Buchelio obstrepant huic miraculo, legant veteres patriæ suæ historicos, qui plerumque idem miraculum referunt, atque inter alios Wilhelmum monachum Egmondanum, qui in Chronico apud Antonium Matthæum tomo* 4 *Analectorum post eamdem historiam graphice depictam hæc pag.* 45 *addit:* Hoc ex ejus relatione dictum et certificatum sit, qui ejus peregrinationi interfuit, et ideo mortis periculum timuit, postea monachus noster. *Hæc pro seculo* XII *collegisse sufficiat.*

quæ seculis sequentibus continuatæ sunt.

129 *Quantus fuerit peregrinorum confluxus initio seculi sequentis, abunde colligitur ex litteris Innocenti III Pontificis (leguntur eæ in editione Baluziana tom.* 2 *epistolarum lib.* 10, *pag.* 43) *qui Compostellano archiepiscopo respondet in* F *hunc modum:* Proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus, quod venientibus ad ecclesiam beati Jacobi ex diversis regionibus peregrinis, et volentibus aliis ab alteris per contentiones et rixas altaris de nocte custodiam vendicare, homicidia contingunt interdum, et aliquando vulnera inferuntur. Propter quod humiliter postulasti, ut alio modo quam per reconsecrationis beneficium dignaremur ipsi ecclesiæ providere. Manente igitur ecclesia et altari, fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat, quod ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino et cinere benedictam. Datum Viterbii XII. Kal. Julii, anno decimo. *Annus decimus Pontificatus, qui hic procul dubio notatur, incidit in annum Christi* 1207. *Habemus seculo* XIV *mulierem sanctitate illustrem, ad* S. Jacobi *sepulcrum peregrinantem, videlicet S. Elisabetham Lusitaniæ reginam, cujus Acta Janningus noster, jam viribus exhaustus (fuit postrema ejus lucubratio) utcumque elucidare conatus est ad diem* IV *Julii, tom.* 2 *a pag.* 169. *Sed hanc posterioresque peregrinationes omitto, tum quod passim notæ sint, tum quod parum faciant ad intentum meum, quo tantum volui ostendere continuam Compostellanarum reliquiarum venerationem*

A *venerationem ab eo tempore, quo primum inventæ fuerunt.*

Exponitur devotio Frisonum erga S. Jacobum,

130 *Nescio, ad quod seculum pertineant piæ Frisonum peregrinationes, de quibus Martinus Hamconius in sua Frisia fol.* 68 *sic canit :*

Magna Petri Paulique fuit veneratio Romæ,
Matris Agrisgrani Mariæ veneratio magna :
Sed Frisonum major nusquam devotio, divi
Quam Compostellæ venerantum busta Jacobi.
Hujus Evermarus sacram Friso nobilis urnam
Visens, ante octo est jugulatus secula Ruthis.
Huic pagi et portæ, sunt huic insignia quædam
Frisiadum; sunt huic compluria templa dicata
Hujus ope et precibus Saracenos Frisica pubes
In Syriam tendens, urbem prope fudit Ulyssis.

Non intelligo, quomodo S. Evermarus, de quo egimus tomo I *Maii a pag.* 120, *potuerit invisere seculo* VII *ignotas* S. Jacobi *reliquias. Legitur quidem in illius Actis :* Ingreditur itaque vir Dei viam, quæ Galæciam tendit ad S. Jacobum, ingressusque ecclesiam S. Jacobi, et expetitis ejus suffragiis, regreditur ad partes Gal-
B liæ inferiores. *Sed ibidem dicitur natus regnante* mediano Pippino, ex S. Begga Ansigisi ducis filio. *Regnavit autem Pippinus iste ab anno* 687 *usque ad* 714. *Quomodo igitur S. Evermarus potuit adire Compostellanum* S. Jacobi *sepulcrum, quod initio seculi* IX *tantummodo inventum fuit? Scriptor itaque Actorum vel varios Pippinos confudit, quod non raro fit in historia Belgica, vel Compostellanam* S. Jacobi *peregrinationem, suo tempore celebrem, ad ornatum addidit, quia forte legerat vel audierat, S. Evermarum ad diversas Sanctorum memorias peregrinatum fuisse.*

qui in Lusitania insignem de Mauris victoriam retulerunt.

131 *Facilius intelliguntur ea, quæ quatuor postremis versiculis continentur, nempe quod in honorem* S. Jacobi *variæ ecclesiæ in Frisia dedicatæ fuerint, quodque Frisones, implorata* S. Jacobi *ope, insignem de Saracenis retulerint victoriam, quam Cæsarius Heisterbachensis, scriptor coævus in opere illustrium miraculorum et historiarum memorabilium lib.* 8, *cap.* 66 *ita narrat :* Anno gratiæ millesimo ducentesimo decimo septimo, cruce signati ex tota Alemania ac Frisia cum trecentis fere navibus circa Idus Julii intraverunt portum Ulixibone *; in quo dum per aliquot dies morarentur, plures naves illic exspectan-
C tes, ad petitionem Severi episcopi jam dictæ civitatis, et episcopi Eborensis, nec non et Templariorum atque Hospitalariorum, castrum Saracenorum, nomine Alkaser, id est omnium carcer, obsederunt. Sexta vero feria post nativitatem beatæ Dei Genitricis Mariæ congregati sunt contra eos quatuor Saracenorum reges, habentes in exercitu suo ad centum millia pugnatorum : quibus Christiani, numero minores, sed fide majores, sanctum Jacobum beatumque Vincentium regionis illius patronum, et alios, si quos poterant, Sanctos invocantes, hostibus occurrerunt. In primo vero congressu unus regum cecidit; interfectorum vero non erat numerus : plurimi captivati sunt : qui cum per exercitum ducerentur a Christianis, quærebant signa victorum, asserentes candidissimam aciem, cruces rubeas in pectore gerentem, suorum multitudinem in fugam convertisse. Insuper galeæ *, quas per mare contra Christianos conduxerant, cælestis illius visionis terrore sunt fugatæ. Quod peregrini audientes gratias egerunt Christo, qui Martyrum suorum auxilia eis destinare dignatus est de cælo. Hæc mihi relata sunt ab his, qui certamini interfuerunt, et ex ore Saracenorum, quæ dicta sunt, audierunt. *Ita ille. Videri etiam potest noster Antonius Macedo in Divis tutelaribus orbis Christiani a pag.* 429, *ubi eamdem historiam elegantius narrat.*

* id est Ulyssiponis

* id est triremes

posiquam sacrum ejus sepulcrum adierant, quos propterea superstitionis insimulat Ubbo Emmius,

132 *Plurimi alii scriptores tum Hispani tum exteri, quos citat Joannes de Ferreras in sua Historia Hispanica part.* 6 *ad annum Christi* 1217, *eamdem memorant victoriam ; at aliqui ex iis referunt, prius Frisios Compostellanum* S. Jacobi *sepulcrum venerationis causa adiisse, idque non dissimulat heterodoxus Frisiæ scriptor Ubbo Emmius, qui in Historia rerum Frisicarum lib.* 8, *pag.* 119 *ita de hac re scribit :* Rursum velis vento datis, aspirante aquilone, septima luce ad Galliciæ oppidum Pharium, præcelsa turre conspicuum, haud procul Compostella appulere, ex quo oppido Compostellam superstitionis causa (*ita more hæretico venerationem Sanctorum sacrilege appellat*) cum contendissent itinere pedestri fere omnes, qui in classe erant, atque E
ad classem redissent, in Phario portu in nonum usque diem, quod venti essent adversi, commorati sunt. *Deinde narrat, quomodo Ulyssipponem advenerint, ac postea Saracenos clade affecerint, in qua primas partes Frisiis suis tribuit. Nobis satis est habere hæreticum testem catholici cultus, quem sui populares ac majores olim* S. Jacobo *impendebant. Mitto alias nationes, quæ a multis seculis usque ad nostra tempora ex omni orbis parte ad sacras reliquias confluunt. Attamen notatu dignum est, quod Molina in descriptione Gallæciæ fol.* 3 *verso, et post ipsum Ferdinandus Oxea Dominicanus scribunt de Sclavis seu Illyricis; nempe in Sclavonia statutum esse, ut a vectigalibus aliisque tributis liberi sint, quicumque ter Compostellanum* S. Jacobi *sepulcrum visitaverint*

qui cum aliis hæreticis, cultum Sanctorum explodentibus,

133 *Porro Lutherani, Calvinistæ, aliique hæretici, qui cum Ubbone Emmio pias hujusmodi peregrinationes arguunt superstitionis, et sacrarum reliquiarum venerationem explodunt, calumnias suas refutatas videant apud Gretserum nostrum in Opere de sacris et religiosis peregrinationibus lib.* 2, *cap.* 16. *Quod si forte illis non placeat recentior iste errorum suorum castigator, saltem audiant antiquiorem, nempe Theodoretum, Cyri episcopum, qui in Græco latina Operum editione, tomo* 4, *serm.* 8 *de Martyribus,* F
pagina 593 *contra gentiles Græcos disputans, videtur ipsos temporis nostri heterodoxos impugnare, dum post enumeratos Apostolorum ac Martyrum cruciatus de eorum gloria sic scribit :* Qua de causa et immortalem illis gloriam contulit certaminis Præses, memoriamque nullo tempore finiendam. Nam cum cetera omnia corrumpere tempus soleat, horum tamen gloriam incorruptam servavit. Ac generosæ quidem animæ triumphatorum cælum nunc obambulant et angelorum choris intersunt : eorum vero corpora non singula cujusque condunt monumenta, sed urbes et vici hæc inter se partiti, animarum illos servatores corporumque medicos appellant, venerantùrque tamquam urbium præsides atque custodes, et horum apud Deum universorum interventu divina per eos munera consequuntur. Sectis eorum corporibus integra et indivisa gratia perseverat, et tenues illæ ac tantillæ reliquiæ integro nullasque partes diffecto Martyri parem habent virtutem : quæ enim adstat gratia, dona distribuit

AUCTORE G. C.

distribuit et fide supplicantium liberalitatem metitur. Vos autem ne hæc quidem adducunt, ut horum Deum laudetis; sed deridetis ac ludibrio habetis honorem, qui his passim ab omnibus defertur, et abominandum scelus ducitis ad eorum busta propius accedere.

ex Theodoreto redarguitur.

134 *Deinde circa finem ejusdem sermonis in editione proxime citata pag.* 605 *ita pergit :* Victorum vero Martyrum templa clara et conspicua cernuntur, magnitudineque præstantia, et omni ornatus genere illustria, et pulcritudinis splendorem late fundentia. Neque ad hæc nos semel bisve aut quinquies quotannis accedimus, sed frequentes conventus celebramus; sæpe etiam diebus singulis horum Domino laudes decantamus, et qui integra sunt valetudine, hanc sibi conservari; qui autem morbo quopiam conflictantur, hunc depelli petunt. Petunt et liberos, qui his carent, et quæ steriles sunt, rogant, ut matres fiant : qui donum adepti sunt, salvum id sibi servari postulant. Qui peregrinationem aliquam auspicantur, ab B his petunt, ut viæ sibi comites sint, ducesque itineris : qui sospites redierunt, gratias referunt, non illos adeuntes, ut deos, sed tamquam divinos homines eos orantes, intercessoresque sibi ut esse velint postulantes. Quod vero votorum compotes fiant, qui fideliter petunt, palam testantur illorum donaria curationem indicantia : alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento aurove confecta : accipit enim horum Dominus etiam parva pretiique exigui, pro ferentis facultate donum metiens. Hæc autem morborum depulsionem indicant, cui testandæ ab iis posita sunt, qui sanitatem receperunt : eadem ibi sepultorum virtutem prædicant; horum porro virtus, horum Deus verum esse Deum declarat. *Nonne hic Theodoretus, seculi* v *scriptor, graphice depingit antiquam Christianorum consuetudinem, hactenus a Catholicis usitatam, dum Sanctos invocant, et ad eorum altaria aut sepulcra anathemata suspendunt? Nonne hic aperte confundit novos hæreticos, qui contra Sanctorum cultum et sacrarum reliquiarum venerationem contumeliose debacchantur?*

C

§ XI. Patrocinium S. Jacobi in bellis Christianorum contra infideles.

Tempore dominii Hispanici in Belgio

M*agna fuit semper Hispanorum erga* S. Jacobum *pietas, quam inter Belgas, sibi olim subditos, non parum promoverunt. Hinc præter alia hujus pietatis vestigia, quæ in Belgio reliquerunt, Antverpiæ in insigni collegiata ecclesia, quæ* S. Jacobum *patronum habet, instituta est in honorem ejusdem Sancti congregatio, cujus notitiam mihi suggessit R. admodum D. Ægidius Jacobus de Plancken, ejusdem ecclesiæ collegiatæ canonicus et hodiernus prædictæ congregationis præpositus, qui etiam perhumaniter mihi communicavit librum manu scriptum, in quo istius erectionis initium et ornatus ita describuntur :* Anno MDCLXXII, die XVIII Aprilis, feria secunda Paschatis, celebrata fuit in ecclesia collegiata insigni divi Jacobi apostoli solennis institutio congregationis capitaneorum Antverpiensium sub protectione S. Jacobi, ut patroni. Eleganter chorus, altare majus et odeum exornata fuerunt vexillis quadraginta, circumcirca chorum, altare majus, et odeum pendentibus. Ad cornu Euangelii erectus fuit thronus regius, in quo posita erat sedes regia et pictura repræsentans regem nostrum Carolum II. In columna ad cornu Epistolæ pendebat pictura eleganter circumornata exprimens comitem de Monterey, gubernatorem Belgii. In duabus columnis juxta sedilia canonicorum pendebant ab utraque parte chori carmina dedicata præfato comiti. D

Antverpiæ erecta est congregatio,

136 In altari majori fuit erecta pictura repræsentans divum Jacobum equo vectum, triumphantem de Saracenis, multis vexillis circumcincta. In odeo posita fuit pictura divi Jacobi vibrantis gladium, ex qua circumcirca pendebant insignia consulum hujus urbis, qui præsunt vel præfuerunt cameræ excubiarum, quam cingebant vexilla plurima eleganter deposita. In parte odei dextra erant insignia præfati comitis, in sinistra parte reverendissimi domini episcopi nostri Ambrosii Capello. Hac die ad medium E duodecimæ solenniter celebrata fuit Missa per amplissimum dominum prælatum S. Michaelis Macarium Simeomo, præsente episcopo nostro præfato. Adfuerunt gubernator castri Antverpiensis, totus magistratus, magistri excubiarum, omnes capitanei, vexilliferi *etc. Deinde in eodem libro Ms. refertur, quomodo annua hujus institutionis solennitas in festo* S. Jacobi *celebretur, cui capitanei aliique interesse tenentur. Denique sequuntur statuta ejusdem congregationis, forma benedicendi vexillis, aliaque, quæ ad institutum nostrum non pertinent. Nunc ad majora et antiquiora Hispanicæ pietatis monumenta progrediamur.*

et abhinc pluribus seculis institutus est in Hispania Ordo militaris in honorem S. Jacobi,

137 *Hispani seculo* XII *in honorem* S. Jacobi *instituerunt Ordinem equestrem sine militarem, quem vulgo* de la espada *appellant. Scio Maurum Castellum Ferrerium lib.* 4, *cap.* 1, *aliosque scriptores altius hujus Ordinis primordia repetere; sed illustrissimus Sandovalius in notis ad antiquos auctores a se primum editos a pag.* 230 *eorum argumentis respondit. Cum aliis itaque eruditis scriptoribus existimo, hanc originem ultra medium seculi* XII *differendam esse. Nostrum non est hic singula in eam rem argumenta producere vel diluere. Quare si quis opinione nostra nolit acquiescere, habeat responsum verbis* F *Marianæ, qui lib.* 2 *Rerum Hisp. cap.* 13 *post alia de hoc Ordine dicta sic concludit :* Hæc habebamus, quæ de initiis ejus Ordinis litteris mandarentur, pauca pro dignitate, pro suscepti operis modo nimis multa. Neque ignoramus, quosdam vetustiorem originem designare; alios ab Alfonso Casto; a Ramiri ætate alios. Nimirum utrosque decepit ejus militiæ illustrandæ studium : nam diploma, quod ante centum amplius annos virginibus sacris, quæ Salmanticæ a sancto Spiritu nomen habent, concessum profertur, falsi ab eruditioribus accusatur : quibus argumentis, explicare non attinet : res ipsa se prodit sive stylum expendenti, ab eorum temporum ruditate abhorrentem, sive annos numerandi ab ortu Christi rationem consideranti, nondum per hæc tempora in Hispania susceptam. Verum hæc missa facimus. *Ceterum qui hujus Ordinis, professionem, propagationem, privilegia variosque successus nosse cupit, legat Hippolytum Helyotum tom.* 2 *Ordinum religiosorum et militarium*

A rium capp. 39 et 40, *ubi multa ex variis auctoribus de Ordine* S. Jacobi *collegit.*

ui dicitur apparuisse in pugna Clavigiensi,

138 *Hujus Ordinis institutionem haudd ubie varia præcesserant beneficia, quæ Hispani a protectore suo* S. Jacobo *in bellis sibi prodigiose conferri sentiebant. Inter ea primo loco numeratur famosa victoria Clavigiensis, quam Mariana noster lib.* 7, *cap.* 13 *eleganter narrat. Sed nos more nostro malumus audire primum narrationis illius auctorem Rodericum Toletanum, qui lib.* 4. *Rerum Hisp. cap.* 13 *eam ita exponit :* Post hæc autem rex Ranimirus nolens otiosus a Dei servitio inveniri, aggressus est loca Arabum, et tam in villis, quam in agris cuncta, quæ reperit, etiam Anagarum, incendio concremavit. Tunc Sarraceni cum maxima multitudine occurrerunt : exercitus autem regis Ranimiri, visa multitudine, in locum, qui Clavigium dicitur, se recepit. Cumque in nocte de certamine dubitaret, apparuit ei beatus Jacobus confortans eum, ut certus de victoria, sequenti die B bellum Arabibus instauraret. Cumque diluculo surrexisset, visionem episcopis et magnatibus revelavit : qui pro visione gratias exsolventes, ad pugnam omnes se communiter paraverunt, Apostoli oraculo roborati. Sed ex alia parte Sarraceni de multitudine confidentes ad prælium processerunt. Hinc inde itaque conserto prælio, Sarraceni confusione turbati, Christianorum galliis * terga dederunt ita quod ex eis fere septuaginta millia ceciderunt; in quo bello beatus Jacobus in equo albo vexillum manu bajulans fertur apparuisse. Tunc rex Ranimirus cepit Albaidam, Clavigium, Calagurram, et multa alia, quæ regno adjecit. Ex tunc, [ut] fertur, hæc invocatio inolevit : DEUS ADJUVA ET SANCTE JACOBE. Tunc etiam vota et donaria beato Jacobo persolverunt, et in aliquibus locis non ex tristitia aut necessitate, sed devotione voluntaria adhuc solvunt. *Lucas Tudensis, Roderico Toletano synchronus, paucis mutatis, eamdem refert historiam, quæ legi potest in Hispania illustrata tom.* 4, *pag.* 76. *Ex his Baronius aliique recentiores sua hauserunt.*

* *lege* gladiis

de qua aliqui Hispani dubitant,

139 *Eruditi quidam Hispani hanc victoriam in dubium revocant, eamque cum altera confu-* C *sam esse existimant. Audi ex iis Josephum Perezium Benedictinum in suis Dissertationibus ecclesiasticis pag.* 203 *ita loquentem :* In primis itaque illud magnopere contra ipsum facit, quod nemo ex antiquioribus prælii adeo celebris, insignisque victoriæ mentionem facit. Non Sebastianus, non Sampirus, non denique Ovetensis Pelagius. Primus, quod quidem constet, Rodericus Toletanus ejus meminit. Sed enim ejus, quamvis gravis alioqui auctoris, testimonium hic nihilo majoris ponderis est, quam hodierni scriptoris, qui id memoriæ, nullo antiquiore fretus, sed rumusculos secutus, proderet : cum a tempore, quo id prælium commissum fertur, ad Roderici ævum quadringenti, et eo amplius, anni fluxerint. *Deinde pag.* 297 *de eadem re sic disserit :* Quod vero viciniæ ejus tractus, in quo prælium commissum dicitur, traditio obtenditur, haud pluris debet fieri. Constat utique ex Sebastiani locuplete testimonio, Ordonium I Ramiri filium, ingentem ad Albeldam montemque Asturcem, vulgo Laturcem, cladem Sarracenis intulisse. Ea res huic traditioni ansam dederit, quam posteritas incuriosa et temporum negligens mox corruperit, et cum celebri ad Calavicium vulgo Clavigium, qui prope abest, prælio confuderit. Neque autem verosimile est, duo intra tam brevem periodum temporis adeo insignia prælia ibidem loci commissa fuisse. *Hæc Perezii argumenta, quamvis non contemnenda, rem plane non conficiunt, neque antiquam Hispanorum traditionem evertunt ; præsertim cum Sebastianus Salmanticensis episcopus de Ramiro I diserte asserat :* Adversus Sarracenos bis præliavit, et victor exstitit. *Scio, Perezium hoc de minoris momenti præliis et quasi velitationibus intelligere. Sed hæc illius explicatio tam facile rejicitur, quam affertur. Præterea Franciscus de Berganza in Antiquitatibus Hispaniæ parte* 2 *edidit vetus Chronicon ex monasterio S. Petri de Cardena, ubi pag.* 583 *victoria Clavigiensis Ramiro I clare adscribitur.*

AUCTORE G. C.

quibus nondum assentimur,

140 *Angelus Maurique tomo* 3 *Annalium Cisterciensium pag.* 112 *eadem popularium suorum traditionem ita confirmare nititur :* Vestigia belli hodie etiam invisi apud Clavigium Mariana testatur, effossis passim stragibus armorum E per ruricolas, oppidanos illius loci. Nos sacratiora adnotabimus vestigia, sancti Jacobi insigne referentia; vulgaria incolis, sed forte ideo minus observata, quia vulgaria. Vix ullus lapis in loco reperitur, qui non conchulæ formam præ se ferat; VENERAS vernacula lingua Hispani dicimus. Et quod mereris, si in partes comminuatur, tot conchulas formabit, quot partes feceris. Naturæ loci, an perpetuo miraculo tribuere, aliorum sit. Nos rem compertam, et notam tantum scribimus. *Verum hæc* S. Jacobi *insignia controversiam non dirimunt, et potius naturæ loci, quam perpetuo miraculo attribuenda videntur : nam Maurus Castellus Ferrerius lib.* I, *cap.* 21 *fatetur, similia* S. Jacobi *insignia non procul ab oppido S. Sebastiani in Cantabria inveniri, ubi tamen non dicuntur Mauri a* S. Jacobo *in prælio cæsi. Auctor ille quidem affirmat, hæc ibi crescere, quia eo loco sanctus Apostolus fuit, quando fidem in Hispania prædicabat. At illustrissimus Sandovalius in notis supra citatis prg.* 190 *hanc rationem explodit, et pagina sequenti addit, non procul Victo-* F *ria, primaria Alavæ civitate, in spatioso agro innumerabiles erui lapides, qui corda et rotas repræsentant. Quamvis autem hæc sint insignia S. Augustini et S. Catharinæ, quis tamen inde concludet, eos in illa provincia umquam fuisse ? Sed licet hæc Clavigianam victoriam non probent, nihilominus ob argumenta superius allata communi Hispanorum traditioni adhæreo, donec validior ratio vel auctoritas me ab ea cogat recedere.*

etsi diploma de hoc prælio non videatur genuinum.

141 *Ad eamdem victoriam comprobandam circumfertur etiam quoddam Ramiri I diploma, quod eruditissimus Perezius Dissertationibus ecclesiasticis a pag.* 287 *totum inseruit. At tum ipse, tum Sandovalius, in eo tot characteristicas falsitatis notas detexerunt, ut ab imperito homine confictum, aut saltem genuino diplomati, quod forte intercidit, postea substitutum fuisse omnino appareat. Ne quis autem ex dictis malam formet conclusionem, subjungo hic illa verba, quæ Perezius eidem controversiæ præmisit pag.* 286 : Profiteor, mei animi mentisque non esse, ut per ea, quæ hic dicentur, aliquid præjudicii Compostellanæ ecclesiæ juri antiquo afferatur : id enim inconcussum manere volumus; quippe quod non hocce tantum diplomate niti, sed immemorabili possessione credimus,

AUCTORE G. C.

mus, ac, si non a Ramiro I, certe ab ejus nominis II aut ab aliis principibus, quorum privilegia ævi diuturnioris injuria perierint, eam concessionem perhonorificam justa ac utilem manasse certum habeamus : non enim veri est simile, aut religiosissimam ecclesiam rem sibi non debitam a Christianis populis per fraudem exigere voluisse; aut plebem credulam in re, quæ sua tantopere intererat, sibi fucum fieri gratis passam esse. Quare jus illi suum illibatum maneat, quidquid adversus istud diploma eruditi disputent. *Hæc verba, tamquam nostra, accipi volumus.*

Rex Ferdinandus

142 *Non tantam dubitandi materiam subministrat victoria, quam rex Ferdinandus circa medium seculi* XI *intercessione* S. Jacobi *de Mauris reportavit. Monachus Siliensis, illi ætati proximus, et nuper primum a Francisco de Berganza in lucem datus, part.* 2 *Antiq. Hisp. pag.* 543 *eam sic refert :* Quibus triumphatis, ut Conimbria illarum partium maxima civitas, quæ istis præ-
B fuerat, in cultum Christianitatis redigeretur, limina beati Jacobi apostoli, cujus corpus per divinam nostri Redemptoris visitationem ad Hispaniam delatum dicitur, rex flagitando petiit, ibique supplicatione per triduum facta, ut id bellum prosperos ac felices haberet eventus, Apostolum ad divinam Majestatem pro eo intercessorum postulabat. Donato * itaque venerando loco, Fernandus rex, divino fretus munimine, Conimbriam audacter accelerat, [et] castris supra eam positis, consedit.

* *id est* dorato *seu* donis aucto.

Conimbricam Mauris eripuit,

143 Ceterum ut devotissima ejus oratio, qualiter Deo accepta fuerit, omnibus clareat, exprimere dignum duxi. Completa namque exstitit in devotione Fernandi regis rata sententia nostri Salvatoris; Amen, inquiens, dico vobis, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. In hoc enim, quod civitatem illam a ritibus paganorum erui, et ad fidem Christianorum reverti flagitabat; profecto in nomine Jesu, quod Salvator interpretatur, Deum Patrem pro ejus salute rogabat. Sed quoniam adhuc Fernandus, in corruptibili carne
C positus, familiarem se divinæ gratiæ esse per meritum vitæ nesciebat, Apostoli suffragia postulat, quatenus ad intercedendum, dum * piissimi Magistri familiarem notitiam accedat. Pugnat itaque Fernandus rex apud Conimbriam materiali *, pro cujus victoria capessenda Jacobus Christi miles Magistrum apud intercedere non cessat.

* *forte* ad

* *deest* arte *vel* machina

sicut S. Jacobus Græco cuidam apparens

144 *Deinde auctor explicat, quomodo populo innotuerit, hanc victoriam ope* S. Jacobi *relatam fuisse :* Tandem Fernando serenissimo regi cælitus concessum triumphum hoc modo beatus Apostolus Compostellæ innotuit *. Venerat a Hierosolymis peregrinus quidam, Græculus, ut credo, et spiritu et operibus pauper, qui in porticu ecclesiæ beati Jacobi diu permanens, die noctuque vigiliis et orationibus instabat. Cum nostra loquela jam paulisper uteretur, audit indigenas, templum sanctum pro necessitatibus suis crebro intrantes, aures Apostoli, bonum militem nominando, interpellantes. Ipse vero apud semetipsum, non solum equitem non fuisse, imo etiam nec usquam ascendisse asserens. Supereminente nocte, clauditur dies. Tunc ex more cum peregrinus in oratione pernoctaret, subito in ecstasi raptus, ei aspostolus Jacobus, velut quasdam claves in manu tenens, apparuit, eumque alacri vultu alloquens, ait : Heri, inquit, pia vota precan- D
tium deridens, credebas me strenuissimum militem numquam fuisse. Et hæc dicens, allatus est magnæ staturæ equus splendidissimus ante fores ecclesiæ, cujus nivea claritas totam, apertis portis, perlustrabat ecclesiam : quem Apostolus ascendens, ostensis clavibus, peregrino innotuit, Conimbriam civitatem Fernando regi in crastinum circa tertiam diei horam se daturum.

* *id est* indicavit.

prædixerat.

145 Interea labentibus astris, cum die dominica sol primo clarus patefecerat orbem, Græcus tanta visione attonitus omnes clericos et omnes villæ primores in unum convehat *, atque hujus nominis et expeditionis ignarus, eis ordine rem pandendo, Fernandum regem hodie Conimbriam ingressum dicit : qui, denotato die, legatos cum festinatione ad castra invictissimi regis dirigunt : qui solerter iter agentes percipiant, utrum ex Deo hæc visio procederet, ut ad laudem nominis sui ministri * debuisset huic mundo. At legati postquam maturantes in Coninbriam pervenerunt, ipso E
die, quem Apostolus Compostellæ significaverat, regem aggressum hora tertia civitatem invenerunt. Siquidem cum per aliquot temporis spatia Conimbricenses infra mœnia inclusos teneret, positis in gyro arietibus, murum civitas in parte fregerat : quod videntes barbari legatos cum suppliciis * ad regem miserunt, qui sibi liberisque vitam tantummodo postulantes et urbem et omnem substantiam, præter viaticum perpaucum stipendium, regi tradiderunt. *Rodericus Toletanus lib.* 6, *cap* II, *Lucæ Tudensis tom.* 4 *Hisp. illust. pag.* 93, *et Baronius ad annum Christi* 1040 *num.* 2 *eamdem historiam referunt. Nos eam ex scriptore coævo aut saltem suppari dare voluimus.*

* *lege* convocat.

* *forte* manifestari

* *id est* supplicationibus

Hispani,

146 *Christiani ante medium seculi* XIII *auxilio* S. Jacobi *obtinuerunt victoriam, quam Lucas Tudensis, qui eo tempore vixit, tomo* 4 *Hisp. illust. pag.* 114 *describit hoc modo :* Sequenti vero anno *(id est Christi* 1230, *ut notant Odoricus Raynaldus et Joannes de Ferreras)* Adefonsus rex Legionensis obsedit civitatem Emeritam, et cepit eam. F
Erat tunc temporis quidam barbarus insignis, nomine Abenfuth, qui expulit Almophades ab Hispania, et factus est rex barbarorum. Hic a suis vocabatur rex virtutis, et congregato exercitu Maurorum innumerabili, venit pugnaturus cum Adefonso rege Legionensi, qui erat Emeritæ cum paucis. Sed rex Adefonsus, ut erat fortis et animosus, fecit exercitum suum de nocte contra Sarracenos flumen Guadianam transire. Fixerant Sarraceni tentoria juxta castrum Alhange, et viderunt primo mane nostrorum acies paratas ad bellum, et ipsi ordinaverunt acies suas ad prælium properantes. Fuit Dominus cum rege Adefonso et populo Christiano, et in congressione ipsius belli tanta Sarracenorum millia prostrata sunt, quod multa barbarorum oppida remanserunt vacua, habitatoribus eorum exstinctis in ipso bello. Abenfuth autem rex barbarorum fugit graviter vulneratus. Tunc rex Adefonsus a victoria reversus obsedit Badajozum, et post paucos dies cepit ipsum. Dimiserant Sarraceni Elves et castra alia plura, fugæ committentes, quæ Christiani populaverunt, cum vacua reperissent. Reversus est rex Adefonsus cum multis spoliis et victoria magna, laudans Deum et beatum Jacobum, qui sibi de inimicis dedit tam nobiliter

AUCTORE G. C

A ter triumphare: siquidem in ipso bello visibiliter apparuit beatus Jacobus cum multitudine militum albatorum, qui Sarracenos in manu valida prosternebant. *Hactenus ille.*

invocata S. Jacobi ope,

147 *Circa idem tempus Alfonsus, S. Ferdinandi regis frater, manifesto auxilio* S. Jacobi *prope Xerez ingentem Mauris cladem intulit, quæ describitur in Vita S. Ferdinandi, quam tomo* VII *Maii illustravimus, ubi pag.* 323 *post narratam Christianorum victoriam leguntur sequentia:* Grande eo die miraculum in favorem Christianorum creditur operatus fuisse Deus, misso ad eos in prælio juvandos sancto apostolo Jacobo, idque duabus de causis sustineri potest. Primum, quia impossibile erat, Christianos tam paucos de Mauris decuplo pluribus reportare victoriam istiusmodi absque simili auxilio. Deinde quia plurimi ipsorummet Maurum dixerunt, se vidisse equitem equo albo invectum, cum vexillo B albo in manu una, gladio evaginato in altera, quem alii multi equites albi sequebantur; vidisse etiam per aerem discurrentes angelos: quodque equites isti multo plus damni inferebant Mauris, quam ipsimet Christiani, quorum etiam aliqui idem se conspexisse testati sunt. *Haud dubie plura hujusmodi reperirem exempla, si mihi omnes Hispaniæ historias pervolvere vacaret.*

et Pisani,

148 *Nolo tamen hic prætermittere navalem Italorum triumphum, ope* S. Jacobi *seculo* XIII *obtentum, quem noster Antonius Macedo in Divis Tutelaribus orbis Christiani pag.* 128 *ita exponit:* Sanctum etiam Jacobum Majorem apostolum Pisanorum olim patronum fuisse memorant: Frederico enim hoc nomine II, Neapolis rege et Germaniæ simul imperatore, contigit, ut duo Pisani duces Oddo Gualdulius et Rogerius Piscis, comparata valida navium classe in Moream (sic vocant) vela facerent, pugnandi studio incensi contra fidei Christianæ hostes. Commisso cum iis prælio, diu ancipiti marte pugnatum, in neutram partem inclinante victoria; donec sancti Jacobi nomen iteratis vocibus C invocantes de exstruendo in ipsius honorem templo votum emiserunt, in eo videlicet Christianorum portu, ad quem primum appulissent: et voti compotes facti sunt, insigni de hostibus parta victoria, eorum navibus partim captis, partim demersis, paucis dumtaxat fuga elapsis. In Neapolis deinde portum secunda navigatione delati die XXIX Julii, anno MCCXXXVIII, patrono suo Jacobo apostolo templum ædificarunt, quod procedente tempore S. Jacobi Gladiferi nomen accepit: in eo enim ejusdem militaris Ordinis equites initiari consueto de more solent.

promisso in ejus honorem templo,

149 *Josephus de Magistris, qui patrui sui Francisci opus de statu ecclesiæ Neapolitanæ additionibus auxit, eamdem historiam pag.* 427 *narrat, et ibidem exhibet sequentes versus, quos in marmore prope januam istius ecclesiæ ita legi testatur:*

Annis millenis ter denis octo ducenis
Post Christum natum fuit hoc opus ædificatum,
Quarto Septembris dena inditione * Kalendas.
Condidit hanc consul Oddo Gualdulfus aulam,
Rogerius Piscis reliquis cum compatriotis.
De Fusarello sanctus Petrus hic erat ante;
En * Pisanorum nunc est, sic plebe vocante,
Adi * Pisis urbanæ laudem, famamque, decusque.
Cui parent terræ, cui parent æquoris undæ,
Jacob in petra voluit tunc sculpere metra.

* *al.* indictione
* *forte* et
* *lege* Ad

Qui hanc obscuram inscriptionem utcumque intelligere cupit, legat citato loco Josephum de Magistris, qui memoratæ ecclesiæ, Neapoli a Pisanis in honorem S. Jacobi *ædificatæ, statum ab initio usque ad sua tempora explicat. Cæsar Engenius Caracciolus in Neapoli sacra, anno* 1623 *Italice edita, ortum et progressum ejusdem templi a pag.* 469 *describere incipit, ubi etiam pagina sequenti prædictos versiculos adducit.*

ac demum Lusitani in India Orientali,

150 *Addo hic epimetri loco insignem Lusitanorum victoriam, intercessione* S. Jacobi *in Oriente partam, quando Alfonsus Albuquercius anno* 1510 *Goam recuperavit. Maffeius noster in historiis Indicis circa finem libri* 4 *rem totam narrat, et post multa, quæ hic longum esset transcribere, hæc ad propositum nostrum subdit:* Neque huic tantum signo *(nempe Crucifixi imagini, quam in domus cujusdam parietinis invenerant)* acceptam eam victoriam Lusitani E ferebant; quod ejus ope quodammodo introducti in urbem fuisse viderentur; sed etiam divi Jacobi apostoli, Hispaniarum præsidis evidenti auxilio: quod amissa iterum Goa, barbari sine fine requirerent, quisnam esset egregius ille dux, punicea cruce et fulgentibus armis insignis, qui tantam edidisset stragem, ac Mahometanas phalanges Christianorum paucitati cedere coegisset. Neque Albuquercius cælestis promeriti sese immemorem ostendit: siquidem pietatis causa inclusum vermiculati operis auro scipionem cum capulo ex pyropis et margaritis; et bombycinum petasum addito aureo gemmatoque conchilio; itemque pertusos in linea globulos aureos (ea peregrinantis olim Apostoli insignia sunt) in Palmulano Jacobeæ militiæ contubernio (qui locus Olisipponensis agri notissimus est) poni jussit: ac deinde moriens Compostellano ejusdem Apostoli templo terræ Callaicæ pensilem ingentis formæ lychnuchum argenteum cum perpetui luminis alimento legavit. F

aliique Christiani sæpe de hostibus vera fidei triumpharunt.

151 *Si quis recentiora istiusmodi prodigia desideret cognoscere, adeat nostrum Antonium Macedo in Divis tutelaribus orbis Christiani a pag.* 232, *aliosque historiographos, qui res ab Hispanis ac Lusitanis in Africa et utraque India fortiter gestas memoriæ prodiderunt. Videri etiam potest noster Georgius Crugerius in sacris Pulveribus Bohemiæ, Silesiæ, et Moraviæ ad diem* XXV *Julii, ubi post enumeratas* S. Jacobi *ecclesias in iis regionibus, narrat, quomodo sanctus iste Apostolus, Nissæ patronus, Suecos ex urbe Nissensi prodigiose fugaverit. Nos cum Crugerio fidem hujus miraculi penes affirmantes hujus civitatis incolas relinquimus. Nunc Lusitana quædam stupendæ victoriæ traditio singulari paragrapho discutienda est.*

§ XII.

AUCTORE G. C

§ XII. Examen stupendæ cujusdam victoriæ, quæ invocatione Deiparæ ac S. Jacobi in Lusitania de Mauris relata fuisse dicitur.

Stupendam historiam, cujus notitia ad non casu pervenit,

Dum aliquando cum P. Joanne Feytens, qui theologicis Societatis nostræ studiis Lovanii præest, familiarem de Actis S. Jacobi *sermonem instituebam, is ea occasione mihi narravit prodigiosam historiam, quam in festivis Knittelii nostri concionibus legerat. Synopsis autem historiæ continebat, quod pauci Lusitani, in castro quodam fluvium Mundam a Mauris obsessi, implorata* S. Jacobi *ope, et eruptione facta, incredibilem hostium multitudinem fudissent, ac post insperatam victoriam ad castrum reversi, reperissent* B *mulieres puerosque vivos, quos ante eruptionem occiderant, ne Saracenorum ludibrio ac abnegandæ Christianæ fidei periculo exponerentur. His auditis, ingenue fassus sum, me inter varia sancti Apostoli miracula nihil umquam simile invenisse, et quæsivi, an Knittelius aliquos hujus prodigii testes afferret. Cum ille id etiam affirmaret, et liber iste in bibliotheca nostra hic non esset, petii Knittelianæ narrationis ecgraphum, ut citatos ab ipso auctores consulerem, et sic more nostro primum miræ historiæ fontem detegerem. Post aliquot hebdomadas petitum miraculi ecgraphum Lovanio accepi, quod apud Knittelium in festo* S. Jacobi *post alia ita incipit :* Unum refero tam stupendum, ut non crederem, nisi legerem in Benedicto Fernandio in Genesim tomo 3, Bernardo de Britto lib. 6 Annalium Cisterciensium capp. 27 et 28, Elia de S. Theresa Legationis ecclesiæ triumphantis lib. I, cap. 15, num. 19. *Tunc subdit ipsam historiam, quam nos ex vetustioribus scriptoribus mox referemus.*

C

domus ex Fernandio, qui narrat, quomodo pauci Christiani,

153 *Accepta hac notitia, tres istos auctores inspexi, et fideliter a Knittelio citatos comperi. Elias a sancta Theresa, Carmelita discalceatus, in Legatione ecclesiæ triumphantis ad militantem tomo I pag. 91 citat Fernandium nostrum, qui tomo 3 Commentariorum in Genesim sect. 8 in caput 32 Geneseos num. 3 rem ita narrat :* Quo tempore universa Hispania post Gothorum regum interitum a Mahometanis vastata excisaque sub barbaro illo nefandoque jugo tenebatur ; in Portugallia tamen aliquot munitiora Christiani habebant castella, quæ Saracenum jugum adhuc nesciebant. Erat unum in campis illis valde spatiosis et fœcundis, quos peramœnus irrigat Munda, non procul a Conimbrica, quæ nunc divinarum et humanarum disciplinarum altrix est quam celeberrima. Visitur nunc illud castellum in Monte majore vetere, inter cetera totius regni oppida nobilissimo. Ad hoc obsidendum confluxerat infinita Saracenorum multitudo sub rege Cordubæ Abderrameno aut Almanzore : visebantur latissima illa camporum æquora, quoquoversum protenduntur, barbarorum copiis plena : equites peditesque instar locustarum omnia occupabant.

154 Acerrimum deinde cœptum est contra oppidanos bellum, qui numero pauci, animo tamen impigri et prævalentes, gravem illam intra castelli angustias molem obsidionis tecti usque ad triennium pertulerunt. Ceterum, pertinacius instante barbaro novisque semper et machinis et armis et militibus in oppugnationem oppiduli, veritus, qui ducem gerebat Joannes abbas ex ordine S. Benedicti, capiendum haud dubie castellum, seque deinde cum omnibus, qui intus erant, hostili fero ac probro mancipandum, consilium cepit, re quidem impium atque infandum, nec ullis antea seculis aut patratum aut auditum, sed ob ignorantiam ex pia intentione forsitan excusabile. Eia, inquit, socii, ad extremum jam res adducta ; capiendum castellum, trucidandi omnes, quibus per ætatem licuit arma sumere, oppugnantibusque obsistere : feminæ puerique in ludibrium atque in prædam cessuri hostibus, quibus præter intolerandum servitutis jugum impendet periculum, ne decepti aut compulsi Christianam religionem deserant, et ad nefandam Mahometis sectam transferantur. Igitur (quod honestius est ac securius) trucidatis prius feminis ac pueris, ne barbarorum injuriis exponantur, facta nos eruptione in obstantes hostium legiones irruamus, ut saltem fortiter ac viriliter deprælientes gloriosam inter Saracenorum strages mortem oppetamus.

D *in quodam Lusitaniæ castro ab innumeris Mauris obsessi,*

E

consilio abbatis Joannis mulieres ac pueros jugularint,

155 Placuit omnibus Joannis consilium, omnesque brevi mulieres, puerique ac vetuli cæso gutture ad unum perempti : atque omnibus demum opibus incendio absumptis, soli qui restabant vivi propugnatores, apertis subito portis, facto impetu in hostes Christum dominum, et SANCTUM JACOBUM de more implorantes involarunt. Favit Deus bellatoribus suis, qui licet pauculi barbarorum illam innumerabilem colluviem, cæsis nonaginta millibus, profligarunt : fugientes deinde nostri sunt persecuti ; tum castra plena omnis barbaricæ opulentiæ a nostris direpta. Verum ubi receptui datum est signum, ad saltum valde condensum, ne introrsum silvarum latebras temere ingressi hostium pateret insidiis, substiterunt ; læti quidem de prodigiosa illa victoria, quam fere incruento marte divinitus pepererunt ; at mœsti nimium, et animis, plus quam explicari aut credi potest, exulceratis ob deplorandam feminarum et puerorum cædem, redeunt in castellum, ut suorum cadavera debitis lamentationum et precationum officiis ad sepulturam usque prosequerentur. Versam diceres cytharam in luctum, triumphi gloriam in pompam sepulcralem. Victis potius quam victoribus similes, ejulatu ad cælum usque sublato, suam et suorum miserandam infelicitatem deplorantes domum miseri revertebant. F

quos post factam eruptionem et relatam de Mauris victoriam redivivos invenerint,

156 Accedentibus ergo jam ad portas castelli (o immensam Dei clementiam pariter atque potentiam !) occurrit obviam universa cæsorum multitudo : mulieres ac pueri omnes vivi et incolumes festivis cantibus et victoriam bellatorum, et redditæ peremptis vitæ miraculum concelebrant. Quis, obsecro, incredibilem animorum lætitiam ac voluptatem in utrisque merito explicabit? Ceterum ad perpetuum tam inauditi miraculi testimonium ac monumentum admirabili quodam notati signo videbantur : in cujusque scilicet gutture, qua vulnus prius late hiabat, quoddam veluti rubrum filum protendebatur. Nimirum quod de Jacob dixit Gennadius, claudum ex lucta remansisse, ut continentem

A nentem atque perpetuam luctationis illius memoriam teneret, de nostris egregie dicam, sanguineo colore insignita illorum guttura fuisse, ut memoriam tam stupendi miraculi, et qui tum viverent, et posteri subinde immortales perenniter Deo gratias agentes concelebrarent, magnam quoque Dei Matrem virginem debitis obsequiis et colerent et amarent, cujus in gratiam ac preces illud esset tam insigne a Deo patratum prodigium : nam prope illum saltum condensum, ubi bellatores nostri substiterunt, exstructum a Joanne illo templum est, dicatumque virgini Deiparæ, cujus etiam effigies lignea idem in gutture signum cruoris præferre visa est, aut quia sic divinitus concessa imago apparuit, aut quia mortales illi grati et pii eam, cui beneficium referebant acceptum, illo suo signo prænotarunt.

et narrationis suæ testes citat.

157 *Denique narrationis suæ testes adducens ita concludit :* Latius fortasse, quam par erat,
B hanc historiam retulimus, sed ea tamen digna est, quam et nostri homines oblivionis ac taciturnitatis consepultam esse tenebris non patiantur, et gentes quoque universæ in majorem Dei gloriam, Virginisque matris honorem et sciant et admirentur. Testantur hoc, uti a me descriptum est, miraculum præter ipsam ab antiquis usque ad nos deductam traductam traditionem, archivi * Cisterciensis monasterii, quod in eo loco saltus, ubi a bellando cessatum est, ædificatum huc usque visitur, demumque diligentissimus nostræ gentis historiographus F. Bernardus de Britto lib. 6 Chronici Cisterciensis cap. 27 et 28 patrio sermone conscripsit. *Hactenus Fernandius noster Lusitanus, qui haud dubie juxta vulgarem popularium suorum traditionem prodigium istud exposuit : nam Bernardus de Britto, quem laudat, idem miraculum aliis exornavit adjunctis, quæ loco proxime citato in Chronico ejus notari possunt. Sed neque hic subsistendum est, cum Brittus ibidem indicet, sese hanc stupendam historiam ex manuscriptis Lorvanensis monasterii monumentis hausisse. Itaque ulterius progrediamur, ut primam hujus narrationis originem indagemus.*

* *forte* archiva

Vasconcellius noster ex archivo

C 158 *At opportune nobis se hic offert Vasconcellius noster, qui in Anacephalæosibus Lusitaniæ pag.* 540 *agens de memorato Deiparæ templo (Lusitanice vulgo* nossa senhora de Ceiça *vocatur) eamdem historiam ex archivo Lorvanensi sic narrat :* Hujus ædiculæ originem invenies Lorvanis in archivis, quæ ita habet : Per id tempus, quo Maurorum reges res Hispaniarum administrabant, et in aliquibus Hispaniæ urbibus Gottorum reliquiæ perennabant, complures fuere rei Christianæ professores, qui Legionensem regem agnoscerent, ad quem jure gentium res Hispana pertineret. Hi tamen, soluta pecunia tributi nomine, rem Christianam ægre sustentabant. Inter alia, in quibus Christiani ritus fierent, Lorvaniense erat cœnobium, jam ibi a divi Benedicti ætate fundatum, ad quod se complures conferebant, ut nomine sacræ illi familiæ dato mira rerum humanarum despicientia ætatem agerent. Quos inter quidam fuit, Joannes nomine, Alphonsi Legionensis regis patruelis, et Ramiri regis avunculus, qui priusquam se Benedictinæ adscriberet familiæ, honestas victorias cum maxima laude domum retulerat. Hunc Lorvaniensem abbatem donavit Alfonsus Montis majoris, cognomento veteris, principatu, quia tunc propugnaculum erat bene munitum, paucis tamen militibus peropportunum, ut ex redditibus et proventu inde collectis cibaria in monachos et stipendia in milites, qui præsidio erant, solverentur.

AUCTORE G. C.

monasterii Lorvanensis

159 Accidit per id tempus, ut quidam sacro fonte lustratus, et sub Joannis disciplina enutritus a Christi pascuis ad Mahometis fabuleta se reciperet, et ab Abderameno Cordubensi rege copias summe contenderet, queis rem Christianam funditus deleret : qui post varia in Christianos homines exempla Montem majorem obsidione obvallavit eo animo, ut vel arcem iniquis conditionibus caperet, vel omnes ad unum ferro demeteret. Qui cum arcem crebris assultibus et dolis attentarent, tanta animi contentione sunt repulsi, ut Mauri rebus diffisi de dimittenda obsidione cogitarent; acriter tamen pro intercipiendis commeatibus, ne in arcem inferrentur, laboratum est. His coactus Joannes extra muros egressus cibaria sæpissime non citra sanguinem comparabat. Enimvero ad illos egestatis E terminos adducti sunt, ut aut deditionemem facerent, aut fame sitique enecti interirent : quorum utrumque moleste ferebat abbas, cum certo sciret, Mauros propugnaculum ingressos feminas puerosque cum maximo et pietatis et corporum discrimine in captivitatem abducturos. Itaque viros bellaces vocat ad consilium, qui cum longiores moras in consultatione traherent, invariatis omnium sententiis convenerunt, ut vulgus imbelle, feminas nimirum, infantes, et seniores jugularent, lautamque supellectilem, et quidquid auri argentive esset, immissis flammis ad cinerem resolverent et favillam; postea copiis in acum * eductis cum hostibus arma conferrent, ut victoriæ spe prorsus amissa, seque suosque ulciscerentur.

* *forte* agrum *vel* aciem

eamdem prodigiosam historiam

160 His ita decretis, furentibus similes, manantibus ubertim lacrymis, cogitata perficiunt. Queis ut abbas Joannes exemplo præiret, sororem cum nepotibus jugulavit. Tandem cum desperati jam in hostes involarent, tam fortiter se gessere, ut F hostium imperatore, Christianæ fidei desertore impudentissimo, abbatis gladio interempto, alii in fugam penetrarent, quorum tergo hærentes nostri per aliquot leucas animose instabant. Postquam receptui datum est signum, nostrates ad colligenda spolia remearunt. Videres lautam supellectilem, pretiosas vestes, vasa aurea, arma, equos, frena, cadavera per agros passim jacentia. Totam eam noctem, dum per lacrymas licuit, victoriæ palmam celebrarunt : quis enim oblectamentum caperet, iis interemptis, quos in vita charissimos habuerat? Die crastina ad primam auroram duos vident equis insidentes, glomerato incessu ad se festinos venire, quorum festivi clamores et voces incomptæ cælum feriebant. Qui ut abbatem convenere, fide majora retulerunt; illos nimirum, quos per summam carnificinam jugulaverunt, singulari Numinis beneficio ab inferis fuisse excitatos. Dici non potest, quam immortaliter fuerint tam festino * nuntio gavisi, cui fidem non habuerunt, priusquam rem oculis usurparunt. Hi omnes, qua ictus est inflictus, purpurea linea signati apparebant.

* *forte* festivo

paulo aliter refert.

161 Joannes alta quadam mente præditus spolia in omnes æque distrahit, quibus ornati et locupletes ad patrios lares recesserunt, et vastam illam solitudinem, ubi tam lætum nuntium audierat,

AUCTORE G. C.

dierat, elegit, ut reliquum vitæ tempus ageret, augustissimæ cæli Reginæ, cui se suaque omnia multis nominibus debebat, emancipatus, cui et hostes exstinctos, et suos ab inferis reduces factos referebat: quamobrem ædiculam illam excitavit, ubi tempus continuis ad Deum precibus absumeret, effigiemque Deiparæ, puerum Jesum molli amplexu præferentem, in memoriam accepti beneficii a materia duci curavit, queis eamdem lineam imprimi jussit, quas suscitati in collo præferebant, ut tanti muneris memoria immortalitati transmitteretur. Sunt, qui asserant, effigiem illam e cælo lapsam ultro se Joanni obtulisse eadem in collo cicatrice, quam nostra adhuc ætate videre est. *Ita Vasconcellius, citans in fine Bernardum de Britto, qui in Chronico Cisterciensi eodem fere modo et verosimiliter ex iisdem monasterii Lorvanensis instrumentis istud prodigium Lusitanice narrat. Interim video, hanc narrationem a præcedenti differre in variis circumstantiis, quas curiosus lector facile observabit, si Fernandii ac* B *Vasconcellii textum attente inter se conferre voluerit.*

Hispani passim hanc historiam inter fabulas numerans.

162 *Nunc videamus, quid eruditus quidam Hispanus de portentosa hac historia judicaverit. Is est Antonius de Yepes Benedictinus, qui in Chronico generali Ordinis sui tomo* 1, *fol.* 99 *rotunde edicit, gesta abbatis Joannis quibusdam fabulis contaminata fuisse. Audi ejus verba, quæ Thomas Weiss, ex eodem Ordine Neresheimensis in Suevia monachus, in Latina istius operis editione tomo* I, *pag.* 96 *ex Hispanico idiomate ita interpretatur:* Raros item casus de quodam Joanne hujus monasterii *(nempe Lorvanensis, de quo ibidem agit)* antistite, Britto narrat, quem regis Ramiri patruum facit, Maurorum prodigiosum debellatorem, multosque mortuos vitam redditam ipsi debuisse. Pollicetur, se parte secunda de Monarchia Portugalliæ archivorum monumenta producturum, ad fidem historiæ comparandam, quam nos in Castilia * in fabulæ loco habemus. Ego vero tantisper calculum sustineo, donec ille stet promissis: nam historia de abbate Johanne vulgata non majorem hactenus fidem habuit, quam ea quæ de comite Ro- C lando circumferetur. Sed quemadmodum is auctor, qui res a Rolando gestas nimium quantum amplificavit, magnasque nugas facinoribus veris miscendo fidem historiæ ademit, ita mihi prorsus persuadeo, fuisse quemdam hujus monasterii abbatem, forti animo præditum, duxisse militem in Mauros; victorias præclaras retulisse: quibus dum nonnemo fabulas aspersit, mera somnia narrare ac fumos vendere est visus. *Non est hic operæ pretium corrigere oscitantiam interpretis, qui non satis presse Hispanicum primi scriptoris textum secutus est, cum ex his sententiam Yepesii abunde intelligamus.*

* id est Castella

de quorum censura scriptor Lusitanus conqueritur,

163 *Hæc Yepesii censura displicet Leoni a sancto Thoma, qui anno* 1644 *Conimbricæ historiam Ordinis S. Benedicti Lusitanice edidit: nam tomo* 1 *Benedict. Lusitan. tract.* 2, *part.* 2, *cap.* 6, § *ultimo vehementer conqueritur, quod Castellani huic Lusitanorum traditioni fidem abrogent, et interim similes casus in Hispania evenisse tradant. Certe Hieronymus de Quintana in Historia urbis Matritensis lib.* 1, *cap.* 60 *post Franciscum de Pareda, Alfonsium de Salas, aliosque scriptores Hispanos, simile quid narrat de Garcia Ramirez, qui in castro quodam a Mauris cinctus, prius uxore ac filiabus jugulatis, cum exigua suorum manu in hostes irruerit, ac post relatam de iis victoriam redux uxorem et filias invenerit redivivas, quæ coram imagine Deiparæ (vulgo* nuestra Senora de Atocha*) genua flectantes tantummodo quoddam vulneris signum in collo retinuerant.* D

eo quod similia prodigia in Hispania contigisse scribunt.

164 *Sic Franciscus Diago in Historia comitum Barcinonensium lib.* 2, *cap.* 14, *Antonius Vincentius Domenec in Historia Sanctorum Catalaunorum lib.* 2, *fol.* 93 *verso, ac novissime Petrus de Marca, sive Stephanus Baluzius, lib.* 3 *Marcæ Hispanicæ cap.* 30 *referunt, filiam comitis Barcinonensis, quæ ante multos annos a Joanne Guarino decollata fuerat, ad vitam rediisse. Deinde idem scriptor Lusitanus ad eximendum Castellanis omne dubium dicit, sese anno* 1636 *in ipso Montis majoris oppido examinasse, quid incolæ de hac historia sentirent. Tunc denique asserit, se unum alterumque civem audivisse, qui affirmabant, sibi plus quam triginta personas ex istorum decollatorum posteris notas fuisse, quæ prædictam cicatricem, tamquam filum rubrum, in collo habebant. Non est nostrum lites illas inter* E *Lusitanos ac Hispanos componere, aut statim fidem adhibere incertis recentiorum relationibus, quas Brittus, Fernandius, aliique antiquiores videntur ignorasse, cum de isto signo, in occisorum posteris perseverante, nullum verbum fecerint.*

Angelus Manrique ex auctore Lusitano profert ipsum Joannis abbatis diploma,

165 *Potius itaque inquiremus, an ad confirmandam mirabilem illam historiam robur aliquod accesserit ex vetustis monumentis, quæ Brittus in secunda parte Monarchiæ Lusitanæ se daturum promiserat, ut supra ex Yepesio intelleximus. At cum inter omnes partes Monarchiæ Lusitanæ, quas in bibliotheca nostra habemus, sola hæc secunda nobis desit, defectus ille supplendus est ex Angelo Manrique, qui in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1195, *cap.* 5 *inter alia ex eo opere profert diploma, quo Joannes post relatam prodigiosam victoriam officio abbatis ita renuntiat:* In nomine individuæ sanctæque Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Hæc est charta testamenti donationis et abrenuntiationis perpetuæ, quam ego Joannes abbas facio de meo monasterio de Laurbano, vobis Theodemiro abbati et fratribus vestris. F Quoniam ego post labores multos et pericula, quæ portavi in castro Monte major contra Saracenos, qui locum illum destruere et me captivare volebant, et illos per Dei pietatem vici, et plus minus septuaginta mille in fluvio et arrancada matavi *. Et quoniam Deus prodigium unum ostendit, vitamque dedit occisis, quos de meo consilio decollaverant, et propter multa bona alia, quæ de manu Domini recepi, cum jam video præfatum castrum in pace, do illud et pono in manus Ramiri regis, quia est terra ista, et de sancta Maria cum aliis pluribus: monasterium vero de Laurbano, quod ille mihi dederat, do vobis Theodemiro, tam pro bona vivenda vestra, quam propter secorsum * bonum datum nobis a vobis contra Saracenos in Monte major *etc.* Facta fuit abrenuntiationis et testamenti series VI Kalendas Januarii æra DCCCLXXXVIII. Joannes abbas propria manu roboravi. *Apud Bernardum de Britto lib.* 6 *Chronici Cisterciensis pag.* 28 *legitur Lusitanice idem instrumentum, cui illic post abbatem Joannem rex Ramirus, aliique duodecim testes subscribunt.*

* id est stricto gladio mactavi

* id est auxilium

166 *Si*

de cujus veritate si constaret, prodigium illud admitteremus;

A 166 *Si de hujus diplomatis sinceritate constaret, historiam illam, quantumlibet portentosam, cum Lusitanis admitteremus, scientes, non esse abbreviatam manum Domini in prodigiis patrandis : non enim solemus fidem abrogare miraculis, quia prodigiosa sunt, sed quia debitis testimoniis carent, et sæpe tantummodo populari ac inconstanti traditione nituntur. Sic ad diem* xxiv *Julii defendimus stupenda S. Christinæ Mirabilis Acta, quæ a coævis et fide dignis testibus confirmantur. Sed suspicor, memoratum instrumentum ab imperito quodam in gratiam popularis traditionis postea confictum fuisse, sicut de Clavigiensi diplomate, aliisque pluribus eruditiores Hispani fatentur.*

sed cum falsa sic ejus subscriptio,

167 *Saltem in hoc instrumento, quod Joannis abbatis nomine profertur, falsa est chronologia, dum illa renuntiatio facta dicitur* vi Kalendas Januarii, æra dccclxxxviii, *id est anno Christi* 850. *Quomodo, obsecro, abbas Joannes exeunte æra* 888 *potuit castrum ponere* in manus Ramiri regis, *qui ineunte eadem æra jam mortuus et Oveti sepultus fuerat? Quomodo die* xxvii *Decembris* B *anno* 850 *subscribit huic abdicationi Ramirus, qui eodem anno Kalendis Februarii obierat? Quod autem Ramirus isto anno obierit, præter antiquos scriptores, testatur vetus epitaphium ecclesiæ Ovetensis, quod Ambrosius Morales lib.* 13 *Hist. Hisp. cap.* 54 *ita legit :* Obiit divæ memoriæ Ranimirus rex die Kal. Februarii, æra dccclxxxviii. Obtestor vos omnes, qui hæc lecturi estis, ut pro requie illius orare non desinatis. *De hoc mortis anno ac epitaphio etiam videri potest eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 850 *num.* 4, *cui Pagius aliique exactiores chronologi consentiunt.*

hæc et alia recentiora hujus traditionis monumenta nobis suspecta sunt.

168 *Quamvis igitur Antonius Brandaonus, abbas Ordinis Cisterciensis, parte* 3 *Monarchiæ Lusitanæ lib.* 10, *cap.* 45 *hæc monumenta tueri, aliisque argumentis confirmare conetur, nobis tamen suspecta esse non desinunt : qualia etiam aliis eruditis visa sunt, ut in Annalibus Cisterciensibus fatetur Anhelus Manrique, qui de illis loco proxime citato ita caute pronuntiat :* C Addit Brittus, manere usque in hanc diem iconem Virginis, quæ collum cicatrice sanguinea notatum teneat in memoriam miraculi, quod ejus creditur factum intercessione. Simile quid in Mantua Carpentana dicitur contigisse apud Castellam recentiori eventu. Mihi de neutro disputandum est, uti cui nec dubium, contingere potuisse, nec contigisse aliunde probari possit, quam ex his instrumentis et traditione, quæ multi probant, alii suspecta habent. Mansisse dicitur in eodem oratorio Joannes, quamdiu vixit, ubi et sepultus jacet, inscriptione recenti, et nostro seculo sepulcro superposita, quæ breviter historiam illius notat totidem verbis : Joannes, monasterii Laurbanensis, quondam abbas, Ramiri primi Legionen. regis patruus, qui anno Domini dcccl Montem majorem tutaturus, Abderramen II Cordubæ regem (trucidatis lxx Saracenorum millibus) parva Christianorum manu debellaverat, mulieresque ac parvulos, suo consilio occisos, hujus sacræ Virginis interventu ad vitam restitutos conspexerat, hic tumulatus jacet.

§ XIII. Auctor miraculorum, eorumque diversa narratio.

Habemus in duplici Ms. miracula S. Jacobi.

Haud dubie innumera patrocinio S. Jacobi *patrata sunt miracula, quæ posterorum notitiam effugerunt. Aliqua tamen annotata fuerunt, de quibus olim in Hispania Officium recitabatur, ut patet ex antiquo monasterii Siliensis Lectionario, ex quo Berganza parte* 2 *Antiq. Hisp. pag.* 680 *duas Lectiones edidit. Non opus est, eas hic transcribere, cum habeamus duplex Ms., in quo ista et plura alia miracula continentur. Primum apographum nostrum prodiit ex Ms. codice Basilicæ S. Petri, in quo unicuique miraculo suus auctor additur (hos etiam distinxit Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib.* 26, *cap.* 30 *et sequentibus) ut postea observabimus. Alterum desumptum est ex Ms. Marchianensis cœnobii, quod a Chiffletio nostro cum aliis codicibus collatum fuit. In utroque Ms. eadem est rei substantia, sed hinc inde mutatus capitum ordo, ita ut in priori quædam miraculis postponantur, quæ in posteriori iisdem præfiguntur.* E *Præterea Ms. Marchianense sine ulla auctorum distinctione hunc habet titulum :* Liber de miraculis S. Jacobi apostoli a Calixto II Papa editus. *Fateor, hoc opusculum sub nomine Callixti in plurimis bibliothecis inveniri, et passim a scriptoribus ipsi tribui, imo et a Vincentio Bellovacensi, tamquam ipsius fœtum, referri. Attamen, quid cum Ambrosio Moralio contra varios de hac re sentiam, candide declarabo.*

quæ non videntur scripta esse a Callixto II Papa,

170 *Non inficior, a Callixto, cum forte Viennensem cathedram obtineret, aut etiam junior esset, pro singulari suo erga* S. Jacobum *affectu aliqua ipsius miracula collecta fuisse ; sed totum illud opus, prout jam passim exstat, genuinum Callixti fœtum esse nego : crederem enim, me magnam doctissimo isti Pontifici injuriam illaturum, si parachronismos, aliosque errores in eo occurrentes, ipsi tribuerem. Nec facile mihi persuadere possum, istud ipsum opusculum, quod* F *jam sub Callixti Pontificis nomine circumfertur, ab Innocentio II Papa approbatum fuisse, si genuina sit Innocentii epistola, quam Mariana noster in Disputatione de adventu S. Jacobi in Hispaniam cap.* 12 *exhibet. Antequam id pluribus ostendo, ipsemet lector judicet ex fronte opusculi, quod ita incipit :* Callistus episcopus servus servorum Dei, sanctissimo conventui Cluniacensis ecclesiæ, heroibusque famosissimis Guilelmo, patriarchæ Jerosolymitano, et Didaco Compostellanensi archiepiscopo, cunctisque orthodoxis salutem et apostolicam benedictionem in Christo. Quoniam in cunctis mundi partibus excellentiores vobis heroes dignitate et honore reperiri nequeunt, hunc de beati Jacobi virtutibus codicem paternitati vestræ misi, quatenus si quid corrigendum in eo invenire poteritis, auctoritas vestra amore Apostoli diligenter emendet.

ut ex inepto et falso proœmio,

171 Verumtamen innumeras pro hoc codice passus sum anxietates : dum enim essem scholaris et ab infantia Apostolum diligens, quatuordecim annorum numero perambulans terras et provincias barbaras, paucis et vilibus et hirfutis scedulis diligenter scribebam; ut in uno volumine miracula audita comprehendere potuissem;

AUCTORE G. C.

tuissem; quatenus sancti Jacobi amatores aptius simul invenirent, quæ necessaria sunt festis diebus ad legendum. O mira fortuna! Inter prædones cecidi, et, raptis omnibus spoliis meis, codex tantum mihi remansit: ergastulis trusus fui et perdito toto censu meo, et, ut jam dixi, codex solus superfuit: in profundo aquarum multarum crebro cecidi proximus morti, et evasit codex minime illæsus * me exeunte. Domus, in qua eram, cremabatur, et consumptis rebus meis, evasit codex mecum inustus.

* al. infectus

iisdem præfixo,

172 *Tunc idem auctor post alia non minus inficeta ac mira, quæ non est operæ pretium hic referre, ita concludit :* Sic igitur omnibus patefactum est opusculum istud, ut tam peritis arte grammatica, quam non intelligentibus magna, proficiat. Quidquid in eo scribitur, authenticum est, magnaque auctoritate expressum. Idem de historia Caroli, quæ a beato Turpino Remensi archiepiscopo describitur, statuimus. Miracula beati Jacobi, quæ in hoc codice continentur, diebus ejus festis per unamquamque hebdomadam tali scilicet die, qua ejus festivitas annua præcessit, legantur. *Vincentius Bellovacensis, qui circa medium seculi* XIII *floruit,*
B *lib. 26. Spec. Hist. cap. 39 his similia Callixto attribuit. Unde obiter colligo, opusculum Callixti de miraculis* S. Jacobi *ab aliquo corruptum fuisse post centum et paulo plures annos, quod spatium temporis satis magnum est ad immutandam augendamque alicujus auctoris scriptionem.*

ostenditur.

173 *Possem varia in hoc prologo examinare; sed unum alterumve crassum errorem observasse suffecerit. Rogo igitur primo, ut mihi quis explicet, quomodo Callixtus II, qui juxta omnes chronologos obiit anno 1124, potuerit opusculum tuum mittere* Guilelmo patriarchæ Jerosolymitano, *qui tantum anno 1130 ad patriarchatum Hierosolymitanum evectus est, ut ostendit Papebrochius in tractatu præliminari ante tomum* III *Maii pag.* XLVII, *num. 200. Deinde quæro, qua veri specie dicatur prudentissimus iste Pontifex approbare historiam Pseudo-Turpini, quam omnes eruditi insulsis fabulis refertam, et ab homine imperito ac mendaci scriptam arguunt, ut*
C *supra num. 119 ex Possevino aliisque ostendi. Tamen præmoneo, me hoc ratiocinio non velle abrogare fidem miraculis* S. Jacobi, *tametsi alieno nomini supposita et hinc inde interpolata sint.*

Hæretici passim hoc opusculum Callixto tribuunt,

174 *Mirabar, hæreticos semper promptos ad adjudicanda quælibet veterum auctorum opera, ubi sectæ suæ incommodant, hic adeo esse faciles ad istud opusculum Callixto II concedendum. Sed tandem intellexi iniquitatis mysterium : nempe id eo tendit, ut Callixtum fabulosæ Pseudo-Turpini historiæ auctorem faciant. Inter alios Casimirus Oudinus, infelix Ordinis sui ac fidei apostata, in Commentario de scriptoribus ecclesiasticis tomo 2, col. 69 in hac re ita mentitur :* Auctor hujus operis, non Turpinus, sed Calixtus II Papa, qui tribus post mortem Caroli Magni seculis, illam fabulam confinxit, non ut Carolum Magnum, sed ut sanctum Jacobum apostolum et ecclesiam Compostellanam, quam ardenter amabat, illustriores his fabulis redderet. Unde nihil mirum, quod in Ms. codice Cantabrigiensi sancti Benedicti Calixtus II hanc fabulam a se confictam dicat OPUS AUTHENTICUM, primusque illius mentionem faciat.

175 *Citat hic apostata Papirium Massonum in Annalibus Galliæ, ut probet, hoc opus esse* D
anilibus commentis plenum; sed caute tacet, quid Papirius Massonus in iisdem Annalibus lib. 2, pag. 92 de istius fabulæ auctore judicaverit his verbis : Igitur libellus ille ab homine otioso in juventutis gratiam scriptus videtur, non multo post Caroli Calvi imperium : ejusdemque versio in bibliotheca regia servatur, antiqua ac pene obsoleta Gallorum lingua, vetustissimisque characteribus. *Si historia illa* non multo post Caroli Calvi imperium, *qui anno 877 obiit, conscripta sit, quomodo eam Callixtus seculo* XII *fingere potuit? Si ipse sub nomine Turpini confinxisset illam historiam, an sano cerebro in ea asserere potuisset, in concilio Compostellano statutum fuisse, ut cuncti* præsules et principes, et reges Christiani, Hispani scilicet et Galleciani, præsentes et futuri episcopo sancti Jacobi obedirent, *ut supra num. 118 ex pseudo-Turpino retulimus. An sano cerebro, inquam, asserere potuisset, omnes Hispaniæ præsules episcopo sancti Jacobi subjectos fuisse, cum ipsemet Callixtus Papa ecclesiam Compostellanam primo ad metropoliticam dignitatem evexerit? Certe infidus iste apostata nobis auctoritate sua non persuadebit, Callixtum fuisse adeo habetem, ut crassis ac mani-* E
festis hisce fictionibus sese omnium ludibrio exillum, qui ponere voluerit. At deseramus calumniatorem non ita pridem inter heterodoxos infelicem animam efflavit, et opinionem nostram ulterius stabilire pergamus.

ut eum faciant auctorem fabulosæ, sub nomine Turpini confictæ,

176 *Ambrosius Morales in Chronico Generali Hispaniæ tomo* I, *lib. 9, cap. 7, fol. 241 affert aliquot rationes, ob quas præfatum miraculorum opusculum Callixto abjudicat. Imprimis jure merito miratur, auctores Historiæ Compostellanæ, qui tempore Callixti II vivebant, nullam istius libelli mentionem fecisse, cum tamen in ea de rebus a Callixto usque ad mortem præclare gestis sæpe meminerint. Deinde asserit, in Compostellano istius operis exemplari multa absurda et tanto Pontifice indigna contineri. Non me fugit, Petrum Mantuanum in Observationibus ad historiam Joannis Marianæ a pag. 124 ob frivolas conjecturas contendere, quod Ambrosius Morales Compostellanum illius opusculi exemplar non viderit. Sed Thomas Tamayo de Vargas in Historia Marianæ contra Mantuanum Hispanice defensa a pag. 159 fidem Moralii egregie* F
tuetur. Imo ego ipse assertionem Moralii testimonio meo confirmare possum : cum enim anno 1722 Toleti in domo nostra professa per aliquot dies degerem, memini me legere Ms. libellum de miraculis S. Jacobi, *nomine Callixti II Papæ insignitum, et ex apographo Compostellano exaratum (forte a Mariana nostro, qui Toleti moriens plura illic manuscripta assidui ac diuturni laboris sui monumenta reliquit) in quo inter monita de itinere ad* S. Jacobum *tot habebantur ineptiæ, ac contumeliæ adversus Cantabros vicinosque montium Pyrenæorum accolas, quos Galli vulgo* Basques, *Hispani* Bizcaynos *appellant, ut me partim ad risum partim ad indignationem commoverint.*

quod utrumque opus cum Ambrosio Moralio

177 *Hactenus primum Ms. nostri caput examinavi; nunc de quatuor sequentibus, quæ prælo danda esse non censeo, etiam pauca dicam. Capite secundo et tertio de* S. Jacobi *passione ac translatione multa narrantur, quæ, ut mitissime loquar, plane incerta sunt. Præter alia prodigia inducitur rex Gallæciæ, rupto ponte, submersus,*

nos tanto Pontifice indignum censemus.

A *submersus, atque ingens draco, quem discipuli* S. Jacobi *signo Crucis interfecerunt. Ad hæc refertur historia Lupæ (hic Luparia appellatur) cum indomitis bobus, quæ omnia superius* § 4 *tamquam parum verosimilia rejici. Caput quartum continet epistolam Leonis Papæ, quæ multo longior est illa, quam supra num.* 38 *ex Breviario Eborensi exhibui. Quinto denique capite agitur de tribus* S. Jacobi *festivitatibus, ibique dicitur certa passionis ejus dies alicui fuisse revelata, de qua tamen Gaspar Sanctius noster in Commentariis ad cap.* 12 *Act., aliique eruditi sacræ Scripturæ interpretes adhuc disputant. Omissis ergo hisce capitibus, sola* S. Jacobi *miracula prælo subjiciam, quæ tamen omnia Callixto adscribenda non sunt, ut in annotatis observabo. Cum autem Sanctius noster in disputatione de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania tract.* 3, *cap.* 9 *post Baronium existimet, huic opusculo Callixti* aliqua esse ab aliis addita et afficta, *vereor, ne et ipsa miracula subinde interpolata* B *sint, præsertim ea, quæ ab antiquis scriptoribus modo multum diverso referuntur, cujus varietatis unum alterumve specimen jam exhibeo.*

Guibertus abbas narrat miraculum de peregrino, in Gallæciam tendente,

178 *Guibertus abbas B. Mariæ de Novigento, qui anno* 1124 *mortuus est, lib.* 3 *de vita sua cap.* 18 *miram hominis, diabolica persuasione se ipsum interimentis, historiam narrat hoc modo :* Quæ dicturus sum nostris inaudita temporibus relatione cujusdam religiosi ac vere humilis monachi accepi, qui quidem Joffredus vocatur : Samurensis quondam castri et aliorum castrorum in Burgundia dominus fuit, cujus vita quia vero cognata dignoscitur, verba sua . . . . . conferenda putamus. Relatio autem sic se habet : Juvenis quispiam in superioribus terrarum sibi contiguarum partibus fuerat, qui seminæ cuidam non uxorio, id est debito, sed usurario, ut secundum Solinum loquar, id est indebito amore cohæserat. Is aliquando aliquantisper resipiscens ad sanctum Jacobum Galiciam orationis gratia meditatur abire. Sed in ipsa piæ intentionis massa quiddam fermenti inseritur : nam cingulum mulieris secum in illa peregrinatione asportans, eo pro ejus recordatione abutitur, et recta ejus oblatio non jam C recte dividitur.

qui diabolica fraude deceptus,

179 Inter eundum ergo diabolus occasionem incursandi hominem nactus, apparet ei in specie Jacobi, et ait : Quo tendis? Ad sanctum, inquit, Jacobum. Non bene, ait, vadis. Ego sum Jacobus, ad quem properas; sed rem meæ dignitati tecum indignissimam portas : cum enim in totius fornicationis volutabro hactenus jacueris, modo pœnitens vis videri, et quasi aliquem boni initii prætendens fructum, ad meam te tendere præsentiam profiteris, cum adhuc illius obscœnæ mulierculæ tuæ balteo accingaris. Erubuit homo ad objecta, et credens revera Apostolum infert : Scio, domine, quondam me et nunc etiam flagitiosissime operatum; dic, quæso, quid ad tuam clementiam proficiscenti consilii dabis? Si vis, ait, dignos pro perpetratis turpitudinibus fructus pœnitudinis facere, membrum illud, unde peccasti, veretrum scilicet, pro mea et Dei fidelitate tibi abscinde, et postmodum ipsam vitam, quam male duxisti, tibi pariter desecto gutture adime. Dixit, et ab oculis ejus se subtrahens in multa mentis hominem perversitate reliquit.

sese occiderat, et patrocinio S. Jacobi ad vitam redierat,

180 Ad hospitium igitur nocte perveniens, diabolo, non, ut putabat, Apostolo, qui se monuerat, obedire præproperat. Dormientibus itaque sociis, mentulam sibi primo præcidit, deinde cultrum gutturi immergit. Cum stridorem morientis, et crepitum sanguinis prorumpentis comites subaudissent, exciuntur a somno, et lumine adhibito, quid circa hominem factum fuerit, vident. Mœrent denique, tam funestos sodalis sui exitus attendentes, sed quid a dæmone consilii acceperit, nescientes. Quia ergo, qua id causa ei contigerit, ignorarunt, tamen illi curam exsequiarum non negarunt; quodque taliter mortuo indebitum fuerat, pro compéregrino, ut videbatur, suo Missarum officia celebrari mandarunt. Quibus ad Deum fideliter fusis, placuit Deo, ut resarcito vulnere gutturis, vitam per Apostolum suum repararet exstincto. Exsurgens igitur homo, et cunctis supra quam dici potest redivivum stupentibus, fari incipit.

quod alibi alio modo refertur.

181 Sciscitantibus itaque qui aderant, quid animi in se interficiendo habuerit, de diabolica E sub Apostoli nomine apparitione fatetur. Inquisitus, quod judicium post sui homicidium in spiritu censura subierit, ait : Ante Dei thronum sub præsentia communis dominæ Dei genitricis Virginis Mariæ, ubi et patronus meus apostolus sanctus Jacobus aderat, delatus sum. Illic cum quid de me fieret, coram Deo tractaretur, et beatus Apostolus memor intentionis meæ, licet peccatricis et adhuc corruptæ, pro me Benedictam illam precaretur, ipsa ex ore dulcissimo sententiam protulit, homini misero indulgendum fore, quem malignitas diaboli sub sancta specie sic contigit corruisse. Sic me in seculum hæc * evenit ad mei correctionem, et horum denuntiationem, Deo jubente, rediisse. Senior ergo, qui hæc mihi retulit, ab eo, qui redivivum viderat, se audisse narravit : nam ferebatur etiam, quod cicatrix evidens et insignis illi remansit in gutture, quæ miraculum circumferret, et abrasa tentigo pertulusum *, ut sic dicam, ad urinas residuum habuisset. *Confer hæc cum iis, quæ inter miracula post hunc paragraphum danda a num.* 227 F *narrantur, et accipe alterum similis discrepantiæ exemplum.*

* *lege* hoc

* *id est* foramen

Vulgare miraculum de juvene injuste suspenso,

182 *Cæsarius Heisterbachensis, monachus Ordinis Cisterciensis, in Historia miraculorum, quam circa annum* 1220 *conscripsit, prodigium de adolescente injuste suspenso et ope* S. Jacobi *mirabiliter in vita conservato sic refert lib.* 8, *cap.* 58 : Civis quidam de Trajecto Inferiori cum filio ad S. Jacobum profectus est. Accidit, si bene memini, ut in quodam loco hospes ejus, nescio quid, perderet, et suspicionem de eo habens, furtum illi coram judice civitatis imponeret. Quo negante et dicente : Deus novit, et sanctus Jacobus testis est, me numquam fuisse furem, neque furis socium; verbis judex non credidit, sed suspendii sententia innocentiam damnavit. Videns filius patrem damnatum, nec aliquid ei prodesse fratrum testimonia, flens et ejulans dixit ad judicem : Rogo vos, domine, quatenus intuitu Dei et S. Jacobi me suspendatis, patre meo dimisso : ego enim novi innocentiam illius. Cujus fletibus et intantia tandem judex victus, patrem absolvit, ipsumque suspendit. Pater vero tristis nimis cum sociis procedens, et limina beati Jacobi visitans, ipsique pro anima filii supplicans,

AUCTORE G. C.

cans, postquam ad locum suspensionis rediit, ait fratribus: Ecce, fratres, filius meus: precor, ut paululum subsistatis, donec illum deponam et sepeliam.

et ope S. Jacobi prodigiose in vita conservato,

183 Audita voce patris, respondit: Bene venias, pater: adhuc enim vivo. Depositus ab eo et interrogatus, quænam esset causa tanti miraculi, ait: Sanctus Jacobus apostolus ab ea hora, qua huic patibulo appensus sum usque nunc manibus suis sustentavit me. Non esurivi, non sitivi, nihil doloris sensi, nec umquam melius mihi fuit omnibus diebus vitæ meæ. Statimque pariter ad beatum properantes Apostolum, filius ut votum suum solveret, pater ut gratias rependeret, incolumes reversi sunt in civitatem Trajectensem. Et est idem miraculum in eadem civitate, sicut nobis retulit Wilhelmus monachus noster, ibidem canonicus, valde celebre atque notissimum. *In Ms. nostro hoc Tolosæ contigisse traditur, et modo diverso narratur, ut infra a num.* 202 *videri potest.*

B

Lucius Marineus Siculus in urbe Calceatensi

184 *Lucius Marineus Siculus in opere de rebus Hispaniæ memorabilibus lib.* 5 *circa finem hoc miraculum in urbe S. Dominici Calceatensis factum esse scribit, illudque longe aliter exponit his verbis:* Vir quidam probus et amicus Dei, et uxor ejus optima mulier cum filio adolescentulo magnœ probitatis ad sanctum Jacobum Compostellam proficiscentes, in hanc urbem (*nempe Calceatensem, de qua supra egerat*) itineris labore defessi ingrediuntur, et quiescendi gratia restiterunt in domo cujusdam, qui adultam filiam habebat: quæ cum adolescentem pulcra facie vidisset, ejus amore capta est. Et cum juvenis ab ea requisitus atque vexatus ejus voto repugnasset, amorem convertit in odium, et ei nocere cupiens, tempore, quo discedere volebant, ejus cucullo crateram sui patris clam reposuit. Cumque peregrini mane discessissent, exclamavit puella coram parentibus, crateram sibi fuisse subreptam. Quod audiens prætor, satellites confestim misit, ut peregrinos reducerent: qui cum venissent, puella conscia sui sceleris accessit ad juvenem, et crateram eruit e cucullo.

C

contigisse scribit.

185 Quapropter comperto delicto, juvenis in campum productus iniqua sententia et sine culpa laqueo suspensus est, miserique parentes cum filium deplorassent, postea discedentes Compostellam pervenerunt. Ubi, solutis votis et Deo gratias agentes, subinde redeuntes ad locum pervenerunt, ubi filius erat suspensus, et mater multis perfusa lacrymis ad filium accessit, multum desuadente marito. Cumque filium suspiceret, dixit ei filius: Mater mea, noli flere super me: ego enim vivus sum, quoniam Virgo Dei genitrix et sanctus Jacobus (*Ludovicus de la Vega infra citandus pro* S. Jacobo *substituit S. Dominicum Calceatensem*) me sustinent et servant incolumen. Vade, charissima mater, ad judicem, qui me falso condemnavit, et dic ei, me vivere propter innocentiam meam, ut me liberari jubeat, tibique restituat. Properat solicita mater, et præ nimio gaudio flens uberius, prætorem convenit in mensa sedentem, qui gallum et gallinam assos scindere volebat: Prætor, inquit, filius meus vivit, jube solvi obsecro. Quod cum audisset prætor, existimans, eam, quod dicebat, propter amorem maternum somniasse, respondit subridens: Quid hoc est, bona mulier? Ne fallaris: sic enim vivit filius tuus, ut vivunt hæ aves. Et vix hoc dixerat, cum gallus et gallina saltaverunt in mensa, statimque gallus cantavit.

D

et variis circumstantiis exornat,

186 Quod cum prætor vidisset attonitus, continuo egreditur, vocat sacerdotes, et cives: proficiscuntur ad juvenem suspensum, et invenerunt incolumem, valdeque lætantem, et parentibus restituunt; domumque reversi gallum capiunt et gallinam, et in ecclesiam transferunt magna solennitate: quæ ibi clausæ (res admirabiles et Dei potentiam testificantes!) observantur. Ubi septennio vivunt (hunc enim terminum Deus illis instituit) et in sine septennii, antequam moriantur, pullum relinquunt et pullam sui coloris et magnitudinis, et hoc fit in ea ecclesia quolibet septennio. Magnæ quoque admirationis est, quod omnes per hanc urbem transeuntes peregrini, qui sunt innumerabiles, galli hujus et gallinæ plumam capiunt, et numquam illis plumæ deficiunt. Hoc ego testor, propterea quod vidi et interfui, plumamque mecum fero. *Simile prodigium de gallo gallinaceo jam ad comedendum apposito dicitur patratum fuisse in gratiam cujusdam Christiani, qui implorans opem S. Dominici Calceatensis e Maurorum captivitate liberatus est, ut retulimus in Actis istius Sancti tomo* III *Maii pag.* 171.

E

ex quibus unam negat Ludovicus de la Vega, etsi circa locum ei consentiat,

187 *Ludovicus de la Vega in Vita S. Dominici Calceatensis, quam Burgis anno* 1606 *Hispanice edidit, parte* 2, *cap.* 8 *geminam hujus rei narrationem proponit, quam utramque die* XII *Maii pagina proxime citata latine vertimus. Posterior ejus narratio convenit cum ea, quam superius ex Marineo Siculo dedimus: sed scriptorem illum fictionis arguit, quod asserat, plumas galli et gallinæ, quæ quotidie peregrinis illac transeuntibus distribuuntur, prodigiose multiplicari. Affirmat autem tamquam testis oculatus, in ea ecclesia designatum esse quemdam clericum, qui plumas illas conservet et peregrinis distribuat; at negat, continuum multiplicationis miraculum, a Marineo Siculo tam confidenter assertum, in ea urbe videri aut patrari. Multis tamen probare nititur, reliqua omnia prodigia esse vera, testaturque, ad perpetuam rei memoriam in superiori ecclesiæ parte omnium oculis exponi idem patibulum, in quo peregrinus suspensus fuit.*

F

contra quos Tolosani contendunt, illud in sua urbe evenisse.

188 *Nihilominus Tolosates illud miraculum in sua urbe contigisse volunt: nam Nicolaus Bertrandus, qui anno* 1515 *Tolosanorum gesta typis vulgavit, hanc rem fol.* 49 *verso ita narrat:* Unum miraculum, quod legimus ac pictum etiam videmus in singulis beati Jacobi ecclesiis aut capellis, Tholosæ factum fuit de peregrino ad beatum Jacobum accedente in Compostella, qui mense uno manens suspensus falsis accusationibus hospitis Tholosani, usque ad patris et matris reditum vivus remansit, quem beatus Jacobus sustinuit: ipsumque parentes in patibulo vivum cernentes de gravi injuria et calumnia accusatum filium conquesturi judicem adeunt. Sed cum præses Tholosanus id credere recusaret, nisi pulli jam tosti in veruto exeuntes cantassent aut volarent, et volatu sumpto ab igne discessissent garriendo, admiratus est. Cumque patibulum adiisset, juvenemque suspensum vivum cerneret, et vitæ causam quæreret, ait judici, meritis divi Jacobi [se] servatum fuisse. *Viden', quam varia a variis tradantur? Nos litem illam inter Hispanos et Gallos*

A *Gallos non dirimimus; sed ab utrisque antiquiora documenta requirimus, præsertim de gallo et gallina resuscitatis, de quo prodigio apud Cæsarium Heisterbachensem et in Mss. nostris altum est silentium. Jam primo loco dabimus miracula, quæ Callixti II nomine communiter circumferuntur, quibus deinde subnectemus alia ex Ms. Pistoriensi, de quorum præcipuo collectore et authentica fide superius § 8 sat multa monuimus.*

MIRACULA

AUCTORE, UT FERTUR, CALLIXTO II PAPA.

Ex Ms. monasterii Marchianensis, quod cum altero Ms. Basilicæ S. Petri contulimus.

B

PROLOGUS.

Auctor præmonet, quomodo hac miracula collegerit.

Summopere pretium est beati Jacobi miracula ad decus Domini nostri Jesu Christi scripturæ tradere et memoriæ æternaliter commendare: dum enim Sanctorum exempla a peritis narrantur, auditorum corda ad patriæ cælestis dulcedinem et amorem excitantur. Quod ego animadvertens barbaras terras perambulans, quædam ex his miraculis in Galetia, quædam in Gallia, quædam in Teutonica terra, quædam in Italia, quædam in Hungaria, quædam in Dacia *a*, quædam etiam ultra tria maria *b*, diversa scilicet diversis in locis scripta reperi: quædam in oris barbaris, quibus beatus Apostolus ea dignatus est operari, narrantibus illis, qui ea viderunt aut audierunt, didici; quædam propriis oculis vidi: quæ diligenter ad decus Domini et Apostoli litteris commendavi. Quæ quanto magis sunt pulchriora, tanta magis chariora. Nec vero quis me putet omnia, quæ audivi de eodem, miracula et exempla scripsisse, sed quæ C verissimis assertionibus verissimorum hominum vera approbavi fuisse. Si enim miracula omnia, quæ de eodem in compluribus locis sub multorum narratione audivi, scriberem, magis deficeret manus studiumque et pergamenum, quam ejus exempla. Quapropter præcipimus, ut codex iste inter veridicos et authenticos codices deputetur, et in ecclesiis et in refectoriis diebus festis ejusdem Apostoli aliisque, si placet, diligenter legatur.

ANNOTATA.

a *Nemo eorum, qui gesta Callixti II conscripserunt, tradit, eum tot regiones peragrasse. Quare mihi hic prologus non parum de fictione suspectus est.*

b *Nescio, quam regionem* ultra tria maria *sitam intelligat auctor, nisi forte significare velit Palæstinam, inter quam et Italiam occurrunt tria maria nempe Jonium, Creticum, et Ægyptiacum. Sed non est operæ pretium hæc operosius inquirere, cum istud verosimiliter a Pontifice Calixto scriptum non fuerit.*

EX MSS.

CAPUT I.

Sanctus Jacobus captivos liberat, peccatum in chirographo scriptum mirabiliter delet, mulieri sterili filium impetrat, eumdemque a mortuis resuscitat.

Quidam Christiani a Mauris capti,

Beatus Jacobus apostolus qui passionis dolorem inter Apostolos primus sustinuit, asperitatem gentium, quam sanctæ prædicationis doctrina irrigavit, innumeris signis virtutum funditus eradicare desudavit, et qui tantæ virtutis in exilio hujus præsentis vitæ operator divinitus extitit, nunc, postquam in æterna felicitate sui laboris sudorem E remunerationis linteo detersit, super eos, qui per affectum importunæ petitionis eum quærere non desistunt, suæ virtutis exhibitionem satius infundit. Unde quodam miraculum quod sub veritatis cognitione ipsi didicimus, successorum notitiæ hujus scripturæ serie enucleatius demonstramus. Cum itaque temporibus regis Adefonsi in Hispaniæ partibus Sarracenorum rabies acrius adoleret, quidam comes, nomine Ermengotus, videns Christianorum religionem Moabitarum impetu deprimi, sui exercitus robore circumvallatus ad debellandam eorum sævitiam quasi sub invincibilis pugnæ argumentis se infestavit *a* Sed, nostris exigentibus meritis, ejus devicto munimine, triumphi contrarium incurrit *b*. Quapropter hostilis feritas, elevationis fastu in voce superbiæ, elevata viginti viros unda fidei regeneratos, quorum unus sacerdotali fungebatur officio, sub imperio captivitatis in Cæsaraugustam urbem pro victoria duxit, ubi adinstar perpetuæ cæcitatis inferni sub intolerabili obtenebratione carceris diversorum generem nexibus obligati secundum divinam inspirationem beatum Jacobum, admonente presbytero, sic invocare cœperunt: Jacobe apostole Dei pretiose, qui sub officio pietatis oppressorum angustiis pie subvenis, tam inauditæ captionis gemitibus tuæ consolationis manum porrigens F a vinculis, quibus immaniter arctamur, propitius nos libertati redditos evadere * accelera.

* *al.* enodare

implorei S. Jacobi auxilio, mirabiliter liberantur.

191 Quorum irremediabiles pene voces beatus Jacobus exaudiens, in obscuritate carceris sic eos alloquens refulsit: Ecce adsum, quem vocastis. Qui tantæ auditionis charitate succincti, ora, quæ præ magnitudine doloris in genibus fixa tenebant, erigentes, ad ejus pedes prociderunt. Quibus beatus Jacobus visceretenus condolendo suæ virtutis auxilio eorum vincula perfregit. Præterea suæ potentiæ dexteræ captivorum manibus conserta de ergastulo tanti periculi divinitus erepti ad portas civitatis eo duce pervenerunt. Portæ vero, facto signo crucis apostolicæ reverentiæ, egressionem ultronee adeo ministrarunt, quod pristinæ adjunctionis rigorem, egressis eis, reformarunt. Quos beatus Jacobus longo delapso spatio post gallicinium, jam fere resultante lucis spiculo, precedendo ad

ex MSS. ad quoddam castellum, quod sub christianitatis tutamine tenebatur, perduxit. Ubi etiam se ab eis advocari percipiens, cælos visibiliter conscendit. Cujus præceptione cum magno vocis strepitu eum advocantes, apertis foribus, interius sunt suscepti. Altera autem die egredientes, ad propria redire conantur. Post paucum vero temporis quidam eorum beati Jacobi limina petens in festivitate ejusdem translationis Apostoli, quæ apud nos *c* die tertio Kalendarum Januarii annue celebratur, hæc omnia sic facta fuisse, ut scripsimus, omnibus nuntiavit. A Domino factum est istud, et est mirabile et oculis nostris. Regi ergo supremo sit decus et gloria in secula seculorum. Amen.

Peccator quidam crimen suum, quod in schedula scriptum fuerat,

192. Temporibus beati Theodemiri *d*, Compostellanensis episcopi, fuit quidam Italicus, qui quoddam magnum facinus, quod inique olim egerat, vix sacerdoti suo et antistiti ausus est confiteri. Quo audito, ejus antistes horrore tanti facinoris pavefactus pœnitentiam illi dare non audet *e*. Attamen pietate motus peccatorem cum schedula, eodem delicto scripta, ad sancti Jacobi limina B pœnitentiæ causa dirigit; præcipiens illi, ut auxilia beati Apostoli toto corde imploret, et præsulis apostolicæ basilicæ judicium subintret. Ipse autem sine mora beatum Jacobum in Galitiam adiit, et super altare ejus venerandum se tantum crimen fecisse pœnitens, a Deo et Apostolo veniam postulans lacrymosis singultibus die festo sancti Jacobi, scilicet octavo Kalendas Augusti hora prima, reatus sui chirographum posuit.

ope S. Jacobi deletum reperit.

193 Cumque beatus Theodemirus Compostellanensis sedis præsul episcopalibus infulis decoratus ad Missam cantandam ad altare die ipsa hora tertia accederet, schedulam ipsam sub altaris linteamine reperit, sciscitans, cur ibi vel a quo posita fuisset. Cui cum pœnitens illico occurrisset, facinusque proprium, et antistitis sui jussum, quo advenerat flexis genibus coram eo, cunctis audientibus, non sine lacrymis enarraret, Sanctus præsul aperta schedula, acsi numquam litteris esset conscripta, nihil in ea reperit scriptum. Mira res magnumque gaudium magna laus et gloria Deo et C Apostolo decantantur dicendo: A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Sanctus vero præsul credens, cum apud Deum meritis Apostoli veniam impetrasse, aliam pœnitentiam ei dare noluit de perpetrato crimine, excepto quod sexta feria tantum ex tunc jejunare præcepit, et a delictis cunctis præteritis absolutum illum ad patriam remisit. Hinc datur colligi, quia quisquis vere pœnitens fuerit et de longinquis oris veniam a Domino et auxilia beati Jacobi postulaturus Galitiam toto corde petierit, procul dubio delictorum ejus chirographum deletum erit in ævum.

Mulier sterilis parit filium,

194 Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octavo in Galliæ oris vir quidam spe prolis, ut mos est, uxorem sibi legitime conjunxit. Cum qua longo tempore commorans, peccatis exigentibus, a spe illa frustratus est. Unde graviter dolens, quod proprio herede careret, decrevit, se beatum Jacobum adire, eumque viva voce filium poscere. Quid plura? Nulla fuit mora, ejusque adiit limina, ibique se ante ejus præsentiam sistens, flens, lacrymans, eumque toto corde deprecans, promereri valuit id, unde Dei Apostolum interpellavit. Solito igitur more, completa oratione, quæsita a beato Jacobo licentia ad patriam incolumis remeavit. D Ubi triduum quiescens facta prece accessit ad mulierem suam, ex qua commixtione mulier ejus effecta gravida, mensibus expletis, filium peperit, cui præ gaudio ejusdem Apostoli nomen imposuit.

qui postea mortuus, intercessione S. Jacobi

195 Qui postea progrediens, circiter quintum decimum annum habens ætatis, cum patre suo et matre et cum quibusdam parentibus suis, beati Jacobi iter aggressus est. Qui etiam cum salute veniens usque ad montem, qui vocatur Oqua *f*, ibi gravi morbo puer percussus animam exhalavit. De cujus morte illius parentes debacchantes more arreptitiorum totum nemus et villas suis ululatibus clamoribusque repleverunt. Mater tamen in majorem prorumpens dolorem, quasi extra sensum posita, his vocibus beatum Jacobum allocuta est: Beate Jacobe, cui tanta a Domino data potentia fuit, ut mihi dares filium, nunc illum mihi redde. Redde, inquam, quia potes: si enim hoc non feceris, me statim interficiam, aut vivam cum eo sepeliri faciam. Interea cunctis stantibus, et pueri funera E procurantibus, atque ad sepulturam ducentibus, Dei miseratione et beati Jacobi ad Dominum prece quasi de gravi somno puer excitatus est.

ad vitam revocatur:

196 De quo tanto miraculo omnes adstantes nimis exultantes Deum laudaverunt. Puer vero ad vitam restitutus, cunctis adstantibus enarrare cœpit, qualiter beatus Jacobus ejus animam a corpore egressam ab hora tertia sextæ feriæ usque ad horam nonam sabbati in sinu suo in æterna videlicet requie refocillavit, eamque suo corpori, Domino præcipiente, reddidit, et per brachium dextrum illum de funere erigens, ut tramitem Jacobitanum cum parentibus suis velociter incederet, et præcepit: et aiebat adolescens, quoniam suavius tunc erat sibi in illa cælesti patria, quam nunc in ista miserrima. Demum itaque cum parentibus suis ad beati Jacobi limina profectus est. Quid plura? Ejus precibus fuit creatus, ejus venerabili altario extitit oblatus. A Domino itaque factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

ex quo miraculo auctor ineptum et falsum argumentum deducit.

197 Res est nova et inaudita adhuc, quod mortuus mortuum suscitaret. Beatus Martinus adhuc vivens tres mortuos, et Dominus noster Jesus Christus todidem suscitavit. Beatus vero Jacobus mortuus mortuum ad vitam reduxit. Si F Dominus noster, et beatus Martinus neminem post mortem, sed ante mortem tres tantum mortuos suscitasse leguntur *g*: ergo mortuos non posse suscitare mortuum perhibent ipsi testimonium, sed vivos. Quæ propositio ita concluditur. Si mortuus mortuum suscitare nequit, sed vivus: Ergo beatus Jacobus cum Deo veraciter vivit, quia mortuum mortuus suscitavit. Itaque constat, quia et ante mortem et post mortem Sanctus quilibet, Deo donante, mortuum potest suscitare. Qui credit, inquit, Dominus in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et his majora faciet. Et alibi. Omnia possibilia credenti.

ANNOTATA.

a Infestare *apud scriptores medii ævi aliquando significat occurrere vel invadere, sed tunc hic redundat particula* se, *quæ tamen in utroque Ms. legitur.*

b *Mira phrasis ad indicandum, quod clade affectus*

A *affectus fuerit, ut ex sensu satis colligitur.*

c *Hic auctor præbet aliquod fundamentum, ut suspicemur, eum fuisse Compostellanum, cum dicat* apud nos, *et translatio* S. Jacobi *tertio Kalendas Januarii quotannis Compostellæ celebretur, ut constat ex istius ecclesiæ Breviario.*

d *In altero nostro Ms. dicitur hoc miraculum* a B. Beda presbytero et doctore conscriptum. *Vincentius Bellovacensis lib.* 26, *cap.* 31 *id etiam Bedæ presbytero attribuit. At quomodo Beda, qui anno* 735 *obiit, potuit scribere, quod hoc miraculum contigerit* temporibus beati Theodemiri Compostellanensis episcopi, *qui tantum circa seculum* IX *reliquias* S. Jacobi *invenit, ut diximus* § 5? *Hinc patet, Vincentio Bellovacensi ac Ms. nostro caute fidem adhibendam esse.*

e *Non est verosimile, Italum illum, gravi crimine obstrictum, ab episcopo suo sine absolutione sacramentali tantis longinquæ viæ periculis expositum fuisse.*

f *Est mons maxime extensus, qui a Pyrenæis* B *incipiens, Cantabriam, partem Castellæ veteris, Legionem et Gallæciam transit usque ad Oceanum. Vulgo vocatur* Sierra de Occa.

g *Præterquam quod inepta sit et Pontifice Callixto indigna hæc ratiocinatio, etiam falsa est: nam Gregorius Turonensis, anno* 1699 *Parisiis a Ruinartio editus, lib.* 2 *de miraculis S. Martini cap.* 43 *narraturus miraculum de puero intercessione S. Martini a mortuis resuscitato præmittit, quod hic Sanctus faciat* etiam post sepulcrum, quod *alii* fecerunt viventes in seculo. *Denique sic miraculum absolvit:* Tunc a Sancto vivificatus, et a patre receptus, sospes usque hodie in testimonium virtutis habetur. *Præterea lib.* 3, *cap.* 8 *narrat miraculum de altero puero, qui ope ejusdem Sancti, jam mortui, ad vitam revocatus est.*

CAPUT II.

Apostolus obsequium peregrino suo exhibitum remuneratur, juvenem injuste suspensum miro modo in C *vita conservat, et alteri homini in angustiis succurrit.*

Peregrinus quidam a comitibus suis derelictus,

In hoc beati Jacobi, filii Zebedæi, apostoli Galitiæ, præsenti miraculo approbatur, verum esse, quod Scriptura testatur: Melius est non vovere quam post votum retrorsum redire. Fertur namque, triginta heroes in Lotharingiæ oris pietatis devotione se visitaturos beati Jacobi limina in Galitiæ partibus, anno Incarnationis dominicæ millesimo octogesimo proposuisse. Sed quia mens humana quandoque variatur per multa promittentes, fidem inter se mutuæ servitutis et conservandæ fidelitatis commune officium et pactum subierunt. Verumtamen unus ex illo numero sacramento hujuscemodi se noluit implicare. Denique hi omnes propositum iter aggressi usque ad Guasconicam urbem, dictam Portam clausam *a*, *a* incolumes venerunt. Ibi vero unus ex illis, infirmitate gravatus, nullo modo ire potuit: quem *ex Mss.* socii sui ex pacto fidei promissæ equis et subvectione manuum cum gravi labore usque ad portus * Cysere *b* per quindecim dies detulerunt, cum spatium viæ hujus ab expeditis quinque diebus soleat expleri. ** al. portam* *b*

199 Tunc tandem gravati ac nimio tædio affecti, pactum fidei postponentes, infirmum deseruerunt. Ille autem solus, qui fidem ei non dederat, opus fidei et pietatis, eum non deserens, debilitato exhibuit, et in proxima sequenti nocte circa eum vigilias in vico sancti Michaelis ad pedem præfati *c* montis exercuit. Mane autem facto, infirmus dixit socio suo, quod tentaret montem ascendere, si sibi auxilium secundum vires suas vellet ipse sanus impendere. Cui ille respondit, quod non esset eum usque ad mortem deserturus. Itaque cum ad montis fastigium maximo videlicet cum labore simul ascendissent, dies clauditur, et infirmi beatissima anima a seculo nequam egreditur, et in paradisiaca requie digne pro meritis, beato Jacobo ducente, collocatur. Quod vivus videns maxime perterritus, tum loci solitudine, tum noctis caligine, tum præsentis E mortui horrore, atque in natione barbaræ gentis Basclorum *d*, scilicet impiorum, circa portus commorantium, supra modum extimuit. *et ab una eorum fideliter adjutus moritur in via,* *c* *d*

200 Et quoniam a se vel a quolibet homine nullum invenit auxilium, jactans super Dominum cogitatum suum, a beato Jacobo supplici corde expetiit præsidium. Dominus vero, fons pietatis, non deserens sperantes in se, per Apostolum suum dignatus est desolatum visitare. Enimvero beatus Jacobus, quasi miles insidens equo, in angustia posito supervenit, dixitque ei: Quid hic agis frater? Domine, inquit ille, sepelire hic meum socium maxime desidero: sed qua ope sepeliatur in hac vastitate non habeo. Tunc ille: Porrige, inquit, mihi hunc mortuum: tu quoque post me super equum, quousque ad locum sepeliendi veniamus, reside. Sicque agitur. Defunctum ergo coram se Apostolus in brachiis diligenter accepit, et vivum post se super equum residere fecit. Mira Dei virtus, mira clementia; mira beati Jacobi subsidia! Nocte illa transcur- F so intervallo itineris duodecim dierum, ante solis ortum uno milliario citra monasterium prædicti Apostoli in monte Gaudii *e* ambos socios ab equo deposuit, intimans vivo, ut præfatæ basilicæ canonicos ad sepeliendum hunc beati Jacobi peregrinum invitaret. *quem S. Apostolus una cum socio prodigiose Compostellam transvehit,* *e*

201 Deinde adjunxit dicens: Cum exsequias defuncti tui honorifice expletas videris, et pernoctans in oratione solito more redieris, apud urbem, nomine Legionem *f*, socios obviam habebis; quibus et dices: Quoniam circa socium vestrum, deserentes eum, infideliter egistis, Apostolus per me vobis denuntiat, vestras preces vestrasque peregrinationes usque ad dignam pœnitentiam penitus sibi displicere. Tum demum his auditis intelligens, ipsum esse Christi Apostolum, ad pedes ejus procidere voluit. Sed Dei miles ei non amplius comparuit. His ita gestis, revertens, socios in urbe præfata invenit. Quibus quæcumque sibi a discessu illorum contigerant, quot quantasque minas, de fide in socium non ex integro exhibita, Apostolus intulerat, per ordinem enarravit. Quibus auditis, ultra quam dici fas est mirati sunt, et accepta illico ab antistite urbis *ac infideles comites de neglecto obsequio moneri jubet.* *f*

EX MSS.

bis Legionis pœnitentia, peregrinationis suæ iter consummaverunt. Et a Domino quidem factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hæc enim sunt quæ fecit Dominus : exultemus et lætemur in eis. Sic in hoc miraculo comprobatur, quia quidquid Dómino vovetur, cum hilaritate reddi debet : quatenus vota digna reddens, veniam a Domino consequatur *g*.

Adolescens ad S. Jacobum tendens,

202 Memoriæ tradendum est, quosdam Teutonicos *h* sub peregrinationis habitu anno Incarnationis dominicæ millesimo nonagesimo ad beati Jacobi limina euntes Tolosam *i* urbem cum divitiarum suarum copiis devenisse, ibique apud quemdam divitem hospitium habuisse. Qui nequam sub pelle ovina mansuetudinem ovis simulans, accurate eos suscepit, variisque potibus, quasi sub hospitalitatis gratia, inebriari fraudulenter compulit. Proh cæca avaritia, proh hominis nequam mens in malum prona! Tandem peregrinis somno et crapula plus solito gravatis, hospes dolosus spiritu avaritiæ exagitatus, quo eos furti reos convinceret, convictorumque pecunias sibi acquireret, scyphum argenteum clam in quadam mantica dormientium abscondit. Quos
B post galli cantum cum manu armata abeuntes subsecutus est iniquus hospes, inclamitans : Reddite, reddite subtractam mihi pecuniam. Cui et illi : Super quem, inquiunt, inveneris, pro velle tuo illum condemnabis.

et falso furti accensatus suspenditur,

203 Facta igitur inquisitione, duos, in quorum mantica scyphum invenit, patrem videlicet et filium, injuste eorum bona rapiens, ad publicum judicium traxit. Judex vero pietatis gratia motus, alterum dimitti, alterum ad supplicium jubet adduci. O misericordiæ viscera! pater volens liberare filium addidit se ad supplicium; filius e contra, Non est, inquit, æquum, patrem pro filio tradi in mortis periculum; sed pro patre filius indictæ pœnæ subeat excidium. O venerabile certamen clementiæ! Denique proprio voto filius pro liberatione patris dilecti sibi suspenditur : pater vero flens et mœrens ad sanctum Jacobum progreditur. Visitato autem apostolico altari venerabili, pater revertens inde, transactis jam triginta sex diebus, ad corpus filii sui adhuc pendentis facit diverticulum, exclamans lacrymosis gemitibus et
C miserandis ejulatibus : Heu me, fili, ut quid te genui! Ut quid te videns suspensum vivere sustinui!

quem pater Compostella rediens in patibulo vivum invenit, ac deponi jubet.

204 Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Filius suspensus consolatur patrem, et ait : Noli, amantissime pater, de mea pœna, cum nulla sit, lugere; sed potius gaudeas, quia suavius est mihi nunc, quam fuisset antea in tota vita præterita. Enimvero beatissimus Jacobus manibus suis me sustentans, omnimoda dulcedine me refocillat. Quod pater audiens, cucurrit in urbem, convocans populum ad tantum Dei miraculum. Qui venientes et hunc tam longo tempore suspensum adhuc vivere videntes, intellexerunt, ex insatiabili hospitis avaritia hunc esse accusatum, sed Dei misericordia salvatum. A Domino plane factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Igitur cum magna gloria a patibulo illum sustulerunt. Hospitem vero, sicuti male promeruerat, ibidem communi examine morti addictum illico suspenderunt *k*. Quapropter quicumque Christiano nomine censentur cum magna solicitudine debent attendere, ne in hospites vel in quoslibet proximos hujusmodi fraudem vel consimile aliquid moliantur facere; sed misericordiam et benignam pietatem D
peregrinis studeant impendere, quatenus inde præmia æternæ gloriæ mereantur a Deo percipere.

Sanctus Jacobus peregrino asinum suppeditat,

205 Anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo instante, Guillelmo Pictavensium comite, Ludovico rege Francorum principante *l*, pestis mortifera gentem Pictavorum miserabiliter invasit; adeo quod paterfamilias cum tota gente sua quandoque sepulturæ tradebatur. Tunc temporis heros quidam, hujusmodi clade perterritus, flagellum hoc evitare desiderans, per Hispaniarum partes ad sanctum Jacobum ire disposuit. Qui cum uxore sua propria et duobus puerulis, supra jumentum suum positis, usque urbem Pampiloniam pervenit. Ibi autem, uxore sua defuncta, ejus hospes iniquus substantiam, quam vir et uxor secum detulerant, nefande retinuit. Ille autem uxore desolatus et pecunia omnino jumentoque, quo puerulos subvectabat, spoliatus, trahens eos manibus cum gravi vexatione sui iter incepit. Cui summa in angustia E
et solicitudine angariato vir quidam honesto habitu cum validissimo asino in via occurrit. Qui cum ab illo narrante, quæ et quanta contigerant sibi misera adversa, audisset, miseratus inquit ei : Quoniam anxietates tuas maximas considero, hunc meum asinum optimum ad subvectandos pueros tuos usque in Compostellam urbem, unde sum civis, dummodo ibidem restituas, accommodo.

quo Compostellam petat,

206 Itaque accepto asino, peregrinus ille, desuper positus puerulis suis ad beati Jacobi limina usque pervenit. Denique cum in ejus basilica veneranda in quodam angulo secreto de nocte vigilaret, gloriosissimus Apostolus, præclara veste indutus, apparuit ei simpliciter dicens : Numquid, frater mi, me nosti? Cui et ille : Nequaquam, inquit, domine. Ego sum, inquit, Christi Apostolus ille, qui in Pampiloniæ oris asinum meum tibi angustianti accommodavi. Nunc autem illum deinceps quousque ad propria revertaris tibi accommodo; et nefandum hospitem tuum Pampilonensem, eo quod tua injuste spolia retinuit, de proprio solio præcipitandum graviterque moriturum tibi pronuntio, omnesque iniquos hospites in itinere commorantes, qui in- F
juste retinent hospitum suorum aut vivorum aut mortuorum censum, qui ecclesiis et egenis deberet dari pro remediis defunctorum, in ævum damnandas tibi insinuo. Mox ut pedes sibi loquentis peregrinus pronus amplecti voluit, reverendissimus Apostolus ab humanis oculis illius disparuit.

ac in patriam redeat.

207 Postea vero peregrinus, apostolica visione ac tanta consolatione gavisus, una cum asino et puerulis suis, aurora rutilante, ab urbe Compostellana rediit, et perveniens usque Pampiloniam, hospitem suum de solio domus suæ lapsum colle confracto penitus mortuum, ut Apostolus ei prædixerat, reperit. Qui cum ad patriam lætus pervenisset, depositis ab asino puerulis suis, ad introitum domus suæ asinus ille ab oculis ejus evanuit. Quod multi, illo narrante audientes, ultra quam dici fas est admirati sunt dicentes : Quia aut verus angelus * *m* fuit, aut angelus in effigie asini extitit, quem Dominus multoties in circuitu timentium eum, ut eruat eos, emittit. A Domino itaque factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Igitur in hoc miraculo plane ostenditur quod omnes subdoli hospites morte æternali damnantur, qui

* *al.* asinus

A qui hospitum suorum vivorum aut defunctorum censum retinent, unde ecclesiis et pauperibus Christi eleemosynæ pro mortuorum remediis fieri deberent. Omnem itaque fraudem omnemque damnationem meritis beati Jacobi apostoli ab omnibus credentibus dignetur penitus amovere Jesus Christus Dominus noster.

ANNOTATA.

a *Quænam sit illa Vasconiæ urbs, apud geographos frustra quæsivi.*

b *Vincentius Bellovacensis lib.* 26, *cap.* 32 *pro* Cysere *scribit* Risereos, *sed nec unius nec alterius situm invenio.*

c *Cum autem hic meminerit* præfati montis, *et antea de monte non fuerit locutus, suspicor, pro portu vel porta* Cysere *forte substituendum* B *esse montem.*

d *Intelligit, ni fallor, incolas Vascitaniæ, et Cantabriæ, qui in confiniis Galliæ et Hispaniæ circa montes Pyrenæos habitant, vel mare Cantabricum accolunt, et quos Galli vulgo* Basques *appellant.*

e *Est locus ita appellatus non procul Compostella, de quo meminit Ms. Historia Compostellana.*

f *Est notissima Hispaniæ civitas, vulgo dicta* Leon, *et primaria regni, quod idem nomen gerit.*

g *In altero Ms. dicitur hoc* exemplum B. Jacobi conscriptum a magistro Huberto piissimo Bisuntinæ ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ canonico. *Verum qui iste fuerit, aut quando vixerit, non reperio.*

h *Cæsarius Heisterbachensis, ex quo supra in Commentario num.*182 *idem exemplum retulimus, dicit, eos fuisse cives Ultrajectinos, qui Teutones inferiores vocari possunt. Sed Ludovicus de la Vega in Vita S. Dominici Calceatensis part.* 2, *cap.* 8 *ait, eos fuisse natione Gallos. Quidquid sit, vide quæ* § 13 *de diversa hujus miraculi nar-* C *ratione diximus.*

i *Arbitror, hic indicari Tolosam, notissimam Galliæ civitatem, in qua hoc prodigium accidisse affirmat Nicolaus Bertrandus, ut* § 13 *num.* 188 *diximus. Est tamen etiam altera hujus nominis urbs in Guipuscoa, Hispaniæ provincia, quæ prope Orium fluvium ad radices Pyrenæorum montium sita est.*

k *In antiquo monasterii Siliensis Lectionario apud Berganza part.* 2, *pag.* 680 *et* 681 *duplex miraculum, quod huic admodum simile est, refertur. In priori autem sic legitur:* Cognita quoque nequitia hospitis, eum suspendere voluerunt; sed precibus peregrini vivere permiserunt. *Alterum in fine ita habet:* Hospes vero arripiens fugam, non fuit ausus ibi de cetero apparere. *Neutrum cum Ms. nostri narratione componi potest.*

l *Falsum est, quod* anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo instante *Ludovicus esset rex Francorum; sed eo tempore Philippus I in Gallia regnabat, cui anno* 1108 *successit Ludovicus. Quis autem credat, tam crassum parachronismum a Callixto tunc vivente positum fuisse, cui tamen in utroque Ms. et a Vincentio Bellovacensi istud miraculum tribuitur.*

m *Præplacent prior opinio et altera lectio: nam nimis crudum nobis videtur, angelum sub effigie asini latere.*

EX MSS.

CAPUT III.

Auxilium a sancto Apostolo præstitum periclitantibus in mari, aliisque clientibus, qui opem ejus imploraverant.

Anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo primo cum quidam nauta, nomine Frisonus, quamdam navim plenam peregrinorum ad Dominicum sepulcrum Jerosolymitanis partibus causa orationis ire cupiens per mare navigando duceret, contra eum causa pugnandi quidam Sarracenus, nomine Avitus *a*, venit, volens omnes peregrinos secum in terram Moabitarum ducere captivos. Cumque duæ E rates, Sarracenorum scilicet, et Christianorum simul convenirent, fortiterque debellarent, cecidit Frisonus inter duas naves lorica ferrea, galea et clypeo indutus in profundum maris. Qui cum Dei clementia roboratus esset, cœpit invocare in corde suo beatum Jacobum his verbis dicens: Gloriose et magne Jacobe, et ultra quam dici fas est, piissime apostole, cujus ore meo indigno osculatus sum altare, cum omnibus his Christianis tibi commissis, liberare me digneris.

Sanctus Jacobus quosdem Christianos in mari

209 Illico beatus Apostolus illi in profundo maris apparuit, et per manum illum arripiens navi incolumen restituit, et protinus cunctis audientibus Apostolus inquit Sarraceno: Nisi hanc Christianorum dimiseris naviculam, eorum potestati te et galeam *b* tuam tradam. Cui respondit Avitus ille: Amabo, heros inclyte, cur prædam meam moliris auferre? Numquid tu es Deus maris, qui genti nostræ in mari resistis? Cui Apostolus dixit: Non ego sum Deus maris, sed famulus Dei maris, subveniens periclitantibus et ad me clamantibus tam in mari quam in terra, prout vult Deus. Statimque Dei virtute et beati Jacobi subsidiis Sarracenorum navis valida tempestate cœpit periclitari, et puppis Christianorum, beato Jacobo divinitus ducente, F ad optatum locum pervenit. Et Frisonus, visitato Dominico sepulcro, in eodem anno beatum Jacobum in Galitiam adiit.

a captivitatis

210 Anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo secundo cum quidam antistes a Jerosolymis rediens et in navi residens juxta bordum *c*, psalterio aperto, psalleret, veniens quædam unda valida maris rapuit illum cum quibusdam aliis in mari. Qui cum a navi fere LX *d* cubitis super undas fluctuantes jam distarent, et beatum Jacobum viva voce invocarent, protinus Apostolus illis affuit: Et stans siccis plantis supra maris undas secus illos, periclitantibus et adesse sibi clamantibus ait: Nolite timere filioli mei. Statimque mari, ut redderet navi, quos male ab ea rapuerat, imperavit, et nautis, ut ratem retinerent, a longe exclamans præmonuit. Sicque factum est. Nautæ navim retinuerunt, et unda, beati Jacobi subsidiis omnes, quos male invaserat, in navi, aperto etiam adhuc antistitis codice, in quo legebat, et minime infecto, sanos restituit, et Apostolus illico disparuit. A Domino factum est

et submersionis

EX MSS.

est istud, et est mirabile in oculis nostris.

periculo liberat.

211 Postea vero venerandus ille antistes Domini, a marinis periculis beati Jacobi auxiliis ereptus, gloriosissimum Apostolum in oris Galitiæ adiit, et ad ejus decus hoc responsorium edidit, et in primo artis musicæ tono sic illud mellificavit dicens: O auditor omnium seculorum, o decus Apostolorum, o lux clara Galitianorum, o advocate peregrinorum, o Jacobe supplantator vitiorum, solve catenas nostrorum delictorum, et educ nos ad salutis portum: Et versiculum sic edidit: Qui subvenis periclitantibus ad te clamantibus tam in mari quam in terra, succurre nobis nunc, et in periculo mortis. Et rursum repetiit dicens: Et educ nos ad salutis portum.

Quidam votum, S. Jacobo factum, non implens punitur;

212 Anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo tertio quidam inclytus genere Francorum miles nobilissimus apud Thabariam *e* in Jerosolymitanis oris, si sibi apostolus Jacobus vim Turcas vincendi et destruendi in bello daret, ad ejus limina ire vovit. Cui tantam potestatem dedit, Deo donante, Apostolus, quod omnes Sarracenos, qui contra eum decertabant, B devicit. Sed quia omnis homo mendax dicitur, quod Apostolo voverat, idem miles oblivioni tradit. Quapropter usque ad mortem merito infirmatus est. Illo itaque propter nimiam infirmitatem loqui non valente, beatus Jacobus illius scutigero in exstasi apparuit dicens, quod si perficeret dominus suus, quod pollicitus fuerat Apostolo, statim remedium haberet. Quod miles, scutigero narrante, cognoscens, mox ut sibi baculum peregrinationis et peram benedictam darent sacerdotes, qui ibi aderant, manu innuit. Quibus acceptis, ab infirmitate, qua tenebatur, evasit, et ad beatum Jacobum, sumptis necessariis, illico ire cœpit.

at postea resipiscens una cum aliis naufragii periculo eripitur.

213 Qui cum esset in navi, sævissima tempestate cœpit puppis periclitari, ita ut jam maris fluctibus irruentibus, omnes, qui in navi erant, penitus mergerentur. Protinus peregrini omnes una voce exclamantes: Sancte Jacobe, adjuva nos, promiserunt se alii ad ejus limina ituros; alii singulos nummos ad opus suæ basilicæ voverunt: quos videlicet nummos illico præfatus miles collegit; et statim beatus Apo- C stolus in humana forma illis augustiantibus apparuit in navi dicens: Nolite timere, filioli mei, quia ecce adsum, quem vocastis. Estote confidentes in Christo, et veniet vobis salus hic et in æterno. Et statim veli chordas idem inclinavit, anchoras misit, ratem pacificavit, et tempestati imperavit, et, facta illico magna tranquillitate, disparuit. Habebat vero ipse talem faciem, decentem scilicet et elegantem, qualem illorum nemo ante et post videre sibi visus est. Postea vero tranquillo cursu ad optatum portum, in Apulia scilicet, navis cum peregrinis læta pervenit; et miles nummorum collectam, quam acceperat, in arca beati Jacobi ad corpus ecclesiæ misit.

Apostolus quemdam in mare delapsum conservat,

214 Anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo quarto dum peregrinus quidam ab Jerosolymis rediens causa digerendi super navis bordum sederet, de navi cecidit in magno pelago maris. Cui beatum Jacobum altisonis vocibus imploranti quidam alius socius ipsius de navi clypeum suum illi in mari projecit dicens: Gloriosissimus apostolus Jacobus, cujus auxilium invocas, auxilietur tibi. At ipse, clypeo accepto, beato Jacobo divinitus ducente, per maris undas tribus D diebus totidemque noctibus natans navis vestigia secutus, ad optatum portum cum aliis incolumis venit, et quemadmodum beatus Jacobus hora, qua illum invocavit, ante eum, capitis ejus verticem jugiter manu tenens, perrexerat, cunctis enarravit.

carceri inclusum liberat,

215 Anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinto extitit quidam, nomine Bernardus, apud castrum nomine Coranum * in Italia in episcopatu Mutinensi captus, catenis alligatus, et in profundo cujusdam turris ab inimicis projectus. Cui die nocteque beati Jacobi subsidia voce continua imploranti apparuit gloriosissimus Christi Apostolus dicens: Veni, sequere me usque ad Galitiam; et diruptis catenis ipsius, disparuit. Illico peregrinus ille, suspensis ad collum boiis *f* usque ad turris summitatem sine aliquo humano juvamine, beati Jacobi [ope] suffultus ascendit. Quid plura? De sublimitate turris usque ad solum terræ forinsecus sine aliqua læsione unum saltum fecit. Turris vero sublimis LX *g* erat cubitorum. Unde magis mirum fuit, qualiter mortem evasit, qui de E tanta celsitudine incolumis cecidit.

* al. Corganum

ægrotantem sanitati restituit,

216 Anno autem dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexto instante, miles quidam in Apuliæ oris in gula, velut uter repletus, vento inflatus est: qui cum a nullo medico sanitatis medelam inveniret, confisus in beato Jacobo dixit: Quod si invenire posset aliquam crusillam *h*, quæ a sancto Jacobo per peregrinos redeuntes deferri solet, et ex ea propriam gulam infirmam tangeret, statim remedium haberet. Quam cum apud quemdam peregrinum, vicinum suum, inveniret, ex ea tetigit gulam et sanatur: et inde ad beati Jacobi limina in Galitia proficiscitur.

et injuriam clienti suo illatam ulciscitur.

217 Anno item Incarnationis dominicæ millesimo centesimo trigesimo quinto *i* quidam Allobrius *k* miles, nomine Dalmatius, de Cavannis Raimbertum quemdam rusticum suum, sancti Jacobi peregrinum, secum sibi litigantem, injuste pugno in gena percussit. Aiebat autem, dum percutiebatur Raimbertus a milite: Deus F et sancte Jacobe, adjuva me: Et statim, divina operante ultione, miles extorto ac etiam confracto brachio velut exanimis factus solo prostratus, atque a presbyteris absolutus petivit veniam ab eo. Raimberte, inquit, sancti Jacobi peregrine, exora Apostolum, in quo confidis, pro mea salute. Cui beatus Jacobus exoratus a Raimberto pristinam salutem divina clementia reddidit.

ANNOTATA.

a *Apud Vincentium Bellovacensem vocatur* Auctus; *in altero autem Ms. nostro appellatur* Avitus Maimon.

b *Penultima syllaba producta est species navigii. Unde exstat versus Ebrardi in Græcismo.* Armo caput galea, pelagus percurro galea. *Plura de hac voce vide apud Cangium in Glossario.*

c Bordum *a Gallica voce* bord *vel Hispanica* bordo, *quam Vincentius Bellovacensis recte vertit* oram.

d *Apud Bellovacensem notantur* XI *cubiti; in utroque Ms. nostro* LX. *At facile hoc discrimen ex unius litteræ transpositione oriri potuit. Unde forte in aliis exemplaribus scribebatur* XL

e *Est*

A e *Est urbs Palæstinæ in Galilæa, olim Tiberias dicta. Nunc ab incolis vocatur vulgo* Tabarie, *unde hic nomen* Thabaria.

f Boiæ, *id est compedes, qua voce etiam usus est Plautus in Asinaria. A scriptoribus medii ævi accipitur pro quocumque genere vinculorum.*

g *Apud Bellovacensem iterum ponitur* XL *pro* LX, *forte ob causam supra dictam.*

h *Suspicor, hac voce significari parvam crucem, quæ Hispanice vocatur* cruzecilla *vel* cruzecita, *atque hinc etiam conjicio, scriptorem hujus miraculi fuisse Hispanum, qui inde barbaro-Latine* crusillam *deduxerit.*

i *In altero Ms. notatur annus* 1125, *et apud Bellovacensem* 1105, *et hic* 1135. *Quis computus præferendus sit, ignoro; at si alterutrius Ms. numerus verus sit, non potest miraculum scribi a Callixto, qui anno* 1124 *vita functus est.*

k *In Vincentio Bellovacensi lib.* 26, *cap.* 35 *vitiose scribitur* Adlobos, *sed in altero Ms. rectius* Allobrox.

B

CAPUT IV.

Prodigiosa mercatoris captivi, militisque in certamine periclitantis liberatio, et obsequii, pauperibus peregrinis exhibiti digna remuneratio.

Mercator injuste carceri mancipatus,

Anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo septimo quidam negotiator volens ad nundinas cum mercibus suis proficisci, ad dominum terræ illius, qui forte in villa, ad quam ille negotiator venerat, morabatur, accessit: rogans et petens ab eo ut secum eum duceret ad nundinas illas salvum, et reduceret ad domum suam. Qui ejus petitioni annuens promisit, se facturum, et dedit fidem. Negotiator itaque verbis tanti hominis credens, in C partes illas, ubi nundinæ fiebant, cum mercimoniis suis profectus est. Post hæc vero ille, qui ei fidem promiserat, ut illum et res suas custodiret, salvumque duceret et reduceret, instinctu diaboli commotus negotiationem et res ejus accipiens in carcerem retrusit, fortiterque constrinxit.

miro modo liberatur,

219 Ille autem memoriæ suæ reducens innumerabilia mirabilia beati Jacobi, quæ a multis audierat, vocavit illum sibi in auxilium dicens: Beate Jacobe, libera me de hoc carcere, et me et res meas tibi promitto dare. Beatus igitur Jacobus gemitus ejus et preces exaudiens, nocte quadam, vigilantibus adhuc custodibus, illi in carcere apparuit, et imperans ei, ut surgeret, ad summitatem turris illum usque perduxit; quæ se tantum inclinavit, quod visa est cacumen suum in terra ponere, a qua sine saltu, et læsione descendens, solutus a vinculis abiit. Custodes vero illum insequentes juxta eum venerunt, et minime invenientes excæcati retro abierunt. Catenas tamen, quibus ipse constrictus fuerat, ad beati Apostoli basilicam in Galitiam secum deportavit: quæ usque hodie in testimonio tanti facti ante altare gloriosissimi Jacobi pendent.

ex Ms. et miles in pugna S. Jacobum invocans,

220 Anno dominicæ Incarnationis millesimo centesino decimo instante, in Italia ex duabus civitatibus, inter se diffidentibus milites ad certamen convenerunt. Quorum una pars ab alia superata terga vertens, inordinate fugere cœpit. Inter quos miles quidam, beati Jacobi limina solitus petere, aufugiens atque sociorum suorum aliorsum fugientium jam partem captam partemque interfectam perspiciens, suæ vitæ dissidens, beatum Jacobum in auxilium sibi profuturum vix jam voce, sed plangendo cum gemitu cœpit clamare. Tandem viva voce, Beate Jacobe, inquit, si ab imminenti periculo me liberare digneris, ad curiam tuam sine dilatione properabo, et me equumque meum (nil enim charius aut pretiosius habeo) tuæ præsentiæ præsentabo.

hostium manus evadit.

221 Facta autem hac oratione et sponsione, beatus Jacobus, qui sese recto corde poscentibus non negat, immo quantocius auxiliaturum repræsentat inter illum et hostes, qui eum acrius insequendo, jam cunctis aliis fugientibus gladio et captione consumptis, capere sitiebant, apparuit, atque ab hostibus illum sex leucis insequentibus clypei sui protectione liberavit. Et E ne viribus equi potius hoc miraculum, quam beati Jacobi laudi (ut solet ab invidis bonorum atque ab ecclesiæ impugnatoribus fieri) adscriberetur, utque omnis invidorum quæstio removeretur; patens fuit, equum illum viginti solidorum dimidietatem non valuisse. Ipse quoque, ne reus voti existeret, sese et equum ante beati Apostoli præsentiam obtulit, et ut plenarie, quod voverat, perficeret, contradicentibus tamen custodibus, ante altaris januas repræsentavit. Pro cujus miraculi gaudio clerici ac laici ex more ad ecclesiam concurrentes, in hymnis et psalmis Deo gratias egerunt.

Miles peregrinæ mulieris sarcinam ferens,

222 Tres milites diœceseos Lugdunensis ecclesiæ de oppido Dumereo * sibi condixerunt, ut orandi causa sanctum Jacobum apostolum in oris Galitiæ adirent; et profecti sunt. Qui cum essent in via peregrinationis, mulierculam invenerunt, quæ res sibi necessarias in sacculo quodam deferebat. Cum autem equi- F tes intuita fuisset, rogavit ut sui miserti sarcinulam, quam ferebat, suis in jumentis amore beati Jacobi apostoli deportarent, sibique tanti itineris laborem alleviarent. Quorum unus peregrinæ petitioni annuens, ejus manticam suscepit et portavit. Igitur veniente vespera, mulier secuta de sua sarcinula sibi necessaria accipiebat, et primo gallorum cantu cum peregrini pedites proficisci solent, equiti sacculum reddebat, sicque expedita lætior iter agebat. Taliter miles amore Apostoli serviens mulierculæ, ad locum orationis optatum festinabat.

* al. Dumzey

et alium pauperem equo suo imponens,

223 Sed cum duodecim diætis ab urbe beati Jacobi distarent, pauperem infirmatum in itinere invenit, qui eum cœpit orare, ut sibi equum suum ad equitandum accommodaret: quatenus ad sanctum Jacobum pervenire valeret; alioquin moreretur in via, quia amplius ambulare non poterat. Consensit miles, descendit, imposuitque mendicum [super equum suum, ejusque baculum sua in manu accepit, ferens etiam proprio collo et sarcinulam *a*] mulierculæ, quam susceperat. Sed cum ita miles pergeret, nimio solis fervore ac longi itineris lassitudine constrictus infirmari cœpit. Quod ut sibi sensit, perpendens quia in multis sæpe multum offenderit

EX MSS. offenderit, incommoditatem suam Apostoli amore usque ad ejus limina pedibus eundo æquanimiter toleravit. Ubi Apostolo deprecato, hospitio receptus ex eadem molestia, quam in via ceperat, lectulo decubuit, et aliquot diebus languore ingravescente jacuit. Quod alii milites, qui ejus socii fuerant, videntes, ad eum accedentes monent, ut sua peccata confiteatur, et ea, quæ Christianum decent, petere quærat, ut suum exitum maturius muniat.

in morbum lapsus

224 Hoc ille audiens faciem avertit, et respondere non potuit; sicque per triduum sine verbi prolatione jacuit: unde socii vehementi mœrore afflicti sunt, tum quia de ejus salute desperati erant, tum maxime, quia suæ salutem animæ procurare non poterat. Quadam autem die, quando eum citius spiritum exhalare putabant, illis circumsedentibus et exitum illius præstolantibus, graviter suspirans locutus est: Grates, inquit, Deo et sancto Jacobo domino meo, quia liberatus sum. Quod qui aderant quærentes, quid significaverit, quod ita jacens tacuerit: Ego, inquit, ex quo sensi me languore gravari, tacitus mecum cogitare cœpi, quod vellem peccata mea confiteri, sacra unctione liniri, et B Dominici corporis perceptione muniri. Sed dum hoc in silentio tractarem, subito venit ad me turba tetrorum spirituum, quæ me in tantum oppressit, ut neque verbo neque signo ex illa hora innuere potuerim, quid ad meam salutem pertinuerit. Ea etiam, quæ dicebatis, bene intelligebam; sed nulla ratione respondere poteram: nam dæmones, qui ad me confluxerant, alii mihi linguam stringebant, alii oculos meos claudebant, nonnulli quoque caput et corpus meum ad libitum suum huc illucque, me nolente, vertebant.

auxilium S. Jacobi contra dæmones experitur,

225 Sed modo paulo antequam loqui cœpissem, intravit huc sanctus Jacobus, ferens sinistra manu mulierculæ sacculum, quem in via tuleram; baculum vero mendici, quem portavi, dum idem equitaret equum meum, ipsa die, C qua me infirmitas cepit, in manu dextera tenebat. Baculum habebat pro lancea, sacculum pro annis. Et confestim quasi furoris indignatione veniens ad me, elevato baculo nisus est percutere dæmones, qui me tenuerant. Qui mox fugerunt territi: quos ille insecutus per angelum hunc exire coegit. Et ecce Dei et beati Jacobi gratia liberatus ab illis, qui me vexabant premendo, nunc loqui valeo. At citius mittite, et presbyterum accite, qui mihi sanctæ communionis viaticum tribuat: diutius enim in hac vita non habeo licentiam manendi.

acpiemorit ur.

226 Qui cum misissent, dum ille moram veniendi faceret, unum de suis sociis publice admonuit dicens: Amice, inquit, noli amodo Girino Calvo domino tuo, cui hactenus adhæsisti, militare: veraciter enim damnatus est, et in proximo periturus mala morte. De quo hæc contigisse rei veritas declaravit. Postquam enim peregrinus ille bono fine quievit, et sepulturæ traditus est, reversis sociis et narrantibus, quæ gesta sunt, prædictus Girinus, cognomento Calvus, qui dives homo fuerat, eorum relationem pro somnio duxit, nec se a pravitate sua quidquam emendavit. Unde non post multum temporis spatium contigit, dum militem quemdam armis invadendo interficeret, ut et ipse quoque lancea ejusdem militis transfixus interiret *b*.

6

D

ANNOTATA.

a *Hæc uncis inclusa supplevi ex altero Ms., quia in hoc aliqua deerant, ut ex sequentibus collegi.*

b *In altero Ms. dicitur in titulo, hoc miraculum* a domino Anselmo Cantuariensi archiepiscopo editum esse. *At apud Vincentium Bellovacensem lib. 26, cap. 37 scriptor illius vocatur* Hubertus Sibuntinus; *pro quo haud dubie legendum* Bisuntinus, *ut in Annotatis ad caput 2 litt. g vidimus.*

CAPUT V.

Mira resuscitatio hominis, qui fraudulenta dæmonis persuasione se ipsum interfecerat.

E

Juveni alicui, qui fornicationem commiserat,

Prope civitatem Lugdunensem est vicus, in quo juvenis morabatur, nomine Giraldus, qui arte pelletaria instructus, justo labore suarum manuum vivebat, et matrem suam, patre defuncto, suis laboribus sustentabat. Hic sanctum Jacobum vehementer diligebat, ad cujus limina singulis annis venire, suamque oblationem solebat offerre. Uxorem ipse non habebat, sed solus cum matre sua vetula vitam castam ducebat. Sed cum diuscule se contineret, tandem vice quadam carnis voluptate superatus cum juvencula fornicatus est. Mane autem facto, quia peregrinationi se disposuerat, cum duobus vicinis suis ducens secum asinum quemdam, ad sanctum Jacobum in Galitia ire cœpit. Qui cum in via essent, invenerunt mendicum quemdam ad sanctum Jacobum proficiscentem. Hunc secum et gratia societatis et potius amore sancti Jacobi tulerunt, largientes ei necessaria victus.

apparet dæmon, fingens, se esse S. Jacobum,

228 Pergentes igitur, plures cum lætitia dies pariter fecerunt. Quorum pacificæ ac charitativæ societati invidens diabolus in humana forma satis honesta ad juvenem, qui domi fornicatus fuerat, F clam accessit, eique dixit: Nosti, quis sum ego? At ille dixit: Nequaquam. Et dæmon: Ego sum, inquit, Jacobus apostolus, quem singulis annis jam ex multo tempore visitare consuevisti, tuisque præmiis honorare. Scias quia multum gaudebam de te, quoniam quidem magnum bonum sperabam de te futurum: sed nuper, antequam domum tuam exires, fornicatus es cum muliere, nec inde usque nunc pœnituisti, nec confiteri voluisti, sicque peregre profectus es, quasi peregrinatio tua Deo et mihi sit acceptabilis. Non ita fieri oportet: nam quicumque propter amorem meum vult peregrinari, prius necesse est, ut peccata sua per humilem confessionem aperiat, et postea peregrinando eadem commissa puniat. Qui aliter fecerit, peregrinatio ejus grata Deo non erit.

eique suadet, ut ad consequendam peccati veniam

229 Hoc dicto ab oculis ejus evanuit. His auditis, homo contristari cœpit, proponens in animo suo se domum velle redire: suoque presbytero confiteri, et sic cœpto itinere regredi. Hoc itaque dum apud se tractaret, in eadem forma, qua prius apparuerat, venit dæmon dicens ei: Quid est quod cogitas in corde tuo, te domum velle

A velle redire? Putasne tantum scelus tuis jejuniis sive lacrymis posse redimi? Multum desipis: sed crede meis consiliis et salvus eris; alioquin salvari non poteris. Quamvis enim peccaveris, ego te tamen amo, et propterea veni at te, quod tale consilium tibi tribuam, ut salvari possis, si mihi credere volueris. Cui peregrinus: Ita, inquit, cogitabam, sicut dicis: sed postquam mihi ad salutem non prodesse hoc asseris, dic, quid tibi placet, unde salvari possim, et libens exsequar. At ille: Si, inquit, plene a delicto emundari desideras, virilia, quibus peccasti, citius amputa. Quo ille consilio territus dixit: Si mihi, quod consulis, fecero, vivere non potero, eroque mei ipsius homicida, quod sæpe audivi coram Deo esse damnabile.

se ipsum occidat; quod ille executioni mandat.

230 Tunc dæmon irridens: O, inquit, insipiens, quam parum intelligis ea, quæ tibi ad salutem possunt prodesse. Si taliter mortuus fueris, ad me sine dubio transibis, quia puniendo B delictum tuum martyr eris. O si esses tam prudens, ut temetipsum occidere non dubitares! Ego certe cum multitudine sociorum meorum, statim ad te venirem, ac mecum mansuram animam tuam lætus susciperem. Ego, ait, sum Jacobus apostolus, qui tibi consulo. Fac ut locutus sum, si ad meum vis venire consortium, et tui delicti invenire remedium. Quibus dictis, peregrinus, ut homo simplex, animatus ad facinus, nocte sociis suis dormientibus, cultellum extraxit et quidquid virile fuerat in partibus illis amputavit. Dein versa manu ferrum erexit, ejusque acumini se injiciens sibi ventrem transfodit.

Sociis ejus præ timore fugientibus,

231 Cum autem sanguis ubertim efflueret, ac ille tumultuando palpitaret, expergefacti socii vocaverunt eum, sciscitantes quid haberet. Qui cum illis responsum non daret, sed anxius extremum spiritum traheret, consternati concite surgunt, luminaria accendunt, sociumque semivivum, nec jam eis respondere valentem reperiunt. Ex quo stupefacti sunt, simul et timore percussi, ne mors illius sibi imponeretur, si mane eodem loco invenirentur, fugam ineunt *a*; ipsum vero volutatum in suo sanguine, asi- C num et egenum, quem alere solebant, derelinquunt. Mane autem facto cum in domo familia surrexisset, occisumque reperisset, non habens certitudinem, cui ejus necem imponeret, advocat vicinos, et defunctum ad ecclesiam sepeliendum ferunt: ante cujus fores dum paratur sepulchrum propter sanguinis fluorem illum deponunt. Nec interveniente multa mora, ille qui mortuus fuerat, [ad vitam] rediit, et in strato funereo resedit. Quod qui aderant intuentes, perterriti fugerunt et exclamant.

homicida sui ipsius ad vitam revocatur.

232 Quorum clamore populi concitati accurrunt, quid acciderit inquirunt, mortuum vitæ restitutum audiunt. Qui cum propius accessissent, et eum alloqui cœpissent, quæcumque circa se acta fuerant, libera voce coram omnibus enarravit. Ego, inquit, quem a morte resuscitatum videtis, ab infantia sanctum dilexi Jacobum, eique in quantum potui servire consuevi; modo autem, dum ad eum pergere decrevissem, et usque in hanc villam venissem, adveniens diabolus fefellit me, dicens, se esse sanctum Jacobum, totumque ordinem, ut supra dictum est, palam edocuit, atque subintulit: Postquam mihimet vitam ademi, et anima mea coarctaretur egredi de corpore, venit ad me idem malignus spiritus, qui me deceperat, ducens secum magnam dæmonum turbam. Qui confestim absque misericordia me rapuerunt atque plorantem ac miserabiles voces emittentem ad tormenta tulerunt. EX MSS

et adstantibus narrat,

233 Euntes ergo versus Romam tendimus. Verum cum ad silvam, quæ inter urbem et villam, quæ vocatur Labicanum *b*, sita est, venissemus, sanctus Jacobus insecutus nos post tergum nostrum advolavit, comprehensisque dæmonibus ait: Unde venitis, et quo tenditis? Aiunt illi: O Jacobe, certe nihil ad te pertinet: nam in tantum nobis credidit, ut semetipsum interficeret. Nos persuasimus, nos fefellimus, nos eum habere debemus. Quibus ille: De hoc, quod quæro, ait, nihil respondetis; sed Christianum vos decepisse jactando gaudetis, unde malas habeatis gratias: meus enim peregrinus est, quem vos habere jactatis. Utique non hunc impune feretis. Videbatur autem mihi beatus Jacobus juvenis, et venusti aspectus, macilentus, medii coloris, qui vulgo brunus dicitur. E

quomodo dæmonibus eum sibi vindicantibus,

234 Illo igitur cogente, Romam divertimus, ubi prope ecclesiam beati Petri apostoli erat locus viridis et spatiosus in planitie aeris, in quo turba Sanctorum innumera ad consilium venerat. Cui præsidebat domina venerabilis Dei genitrix et perpetua virgo Maria, multis et præclaris proceribus dextra lævaque ejus considentibus. Quam ego cum magno cordis mei affectu considerare cœpi: numquam enim in vita mea tam pulchram creaturam uspiam vidi: non enim magnæ, sed mediocris erat staturæ, pulcherrima facie, delectabilis aspectu. Ante eam beatus Apostolus, meus advocatus piissimus, coram omnibus protinus constitit, et de satanæ fallacia qualiter me devicerat, clamorem fecit. Quæ mox ad dæmones conversa: O, inquit, miseri quid quærebatis in peregrino Domini et Filii mei, et Jacobi fidelis sui? Satis vobis posset sufficere pœna vestra, nec esset opus, ut eam augeretis malitia vestra.

intercessione Deiparæ et S. Jacobi ereptus fuerit,

235 Postquam locuta est Domina beatissima, clementer super me sua lumina flexit. Dæmonibus autem magno timore constrictis, omnibus, qui concilio præerant, dicentibus, eos contra Apostolum me fallendo injuste fecisse, imperavit F Domina, me ad corpus reduci. Sanctus igitur Jacobus me suscipiens, confestim me in hunc locum restituit. Taliter mortuus et resuscitatus sum. Quod incolæ ipsius loci audientes, vehementer lætati sunt, et eumdem protinus in domum suam tulerunt, ac per triduum secum tenuerunt, divulgantes ac demonstrantes illum, in quo Deus per beatum Jacobum tam insolitam rem operatus est atque mirabilem. Nam plagæ illius sine mora sanatæ sunt, solis cicatricibus loco vulnerum manentibus. Loco vero genitalium crevit sibi caro quasi verruca, per quam emittebatur urina.

idemque miraculum sociis postea occurrentibus

236 Expletis diebus, quibus habitatores loci illum secum præ gaudio tenuerant, paravit asinum suum, et cum socio paupere, quem sibi in via junxerat, iter suum aggressus est. Sed cum appropinquasset ad beati Jacobi limina, ecce socii, qui eum reliquerant, regredientes obviaverunt illi. Qui cum adhuc procul esset, et duos illos asinum minantes intuiti fuissent, locuti sunt ad invicem: Similes, aiunt, homines illi sunt sociis nostris, quos reliquimus, alterum mortuum, alterum vivum. Nec quod minant animal, differt ab illo, in quantum videtur, quod

Ex Mss.

quod cum illis derelictum est. Postquam autem appropinquaverunt, et mutuis agnitionibus se cognoscere cœperunt, agnoscentes, quod factum fuerat, vehementer exultaverunt, et domum venientes, rem per ordinem asseruerunt.

ac aliis hominibus exponit.

237 Sed is, qui resuscitatus fuerat, postquam a sancto Jacobo rediit, hoc, quod socii prius enarraverunt, re ipsa confirmavit : nam rem, sicuti gesta est, passim divulgavit : cicatrices ostendit, et etiam, quod in secretiori loco fuerat, multis hoc videre cupientibus, demonstravit. Hunc hominem et omnia opera ejus et signa mortis ejus reverendissimus Hugo Cluniacensis abbas *c*, cum multis aliis vidit, et pro admiratione hoc, ut relatum est, sæpius solitum se vidisse asseruit : et nos Apostoli amore, ne a memoria deleretur, litteris commendavimus, præcipientes omnibus, ut per omnes ecclesias festum tanti miraculi ceterorumque miraculorum sancti Jacobi v die Nonarum Octobris dignis celebrarent obsequiis *d*.

B

ANNOTATA.

a *Guibertus abbas, cujus narrationem de hac re* § 13 *Commentarii a num.* 178 *attulimus, affirmat, exsequias illius a sociis celebratas fuisse, quod cum hac fuga componi non potest.*

b *De hodierno hujus locis situ disputant geographi, et de eo videri possunt Leander Albertus in descriptione Italiæ, Cluverius, aliique topographi passim obvii.*

c *Hugo inter relationes, Bibliothecæ Cluniacensi a col.* 457 *insertas, narrat quidem terribile exemplum clerici, se ipsum interficientis, quod S. Petrus Damianus in epistolis lib.* 2, *epist.* 15 *ex ipso refert; sed huic prorsus est dissimile. Non tamen inde concludo, id S. Hugoni Cluniacensi abbati perperam adscribi : nam in quodam codice Ms. collegii nostri Claromontani de Vitis Sanctorum, ex quo fragmentum quoddam descriptum habemus, fertur Hugo abbas Cluniacensis idem S. Anselmo archiepiscopo Cantuariensi exposuisse.*

d *In altero Ms. nostro auctor hujus miraculi in titulo citatur S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis. Sed utriusque Ms. clausula (ea apud* C *Vincentium Bellovacensem omittitur) potius conveniret Callixto, quia præcipit* omnibus, ut per omnes ecclesias festum tanti miraculi..... celebrarent. *Quidquid sit de illa clausula, fortasse ab interpolatore quodam hic addita, reperitur idem miraculum, aliis omnino circumstantiis vestitum, inter Opera Hugonis a S. Victore lib 2 de Sacramentis part.* 16, *cap.* 2, *ubi ei præfiguntur sequentia :* Quidam probati testimonii frater narravit mihi, se a suo abbate veraciter hoc affirmante audivisse, quod cum aliquando ille ad quosdam fratres eminus constitutos visitandos pergeret, in itinere (ut solet) quodam loco hospitium accepit, ubi factum, tunc apud omnes ejusdem loci habitatores celebre, paucis ante diebus contigisse didicit. Quidam peregrinus orationis causa ad sanctum Jacobum pergens in eodem loco hospitatus est *etc.*

D

CAPUT VI.

Ultronea sacelli apertio, victoriæ contra Saracenos prædictio, et hominis ad mortem condemnati liberatio.

Nobilis peregrinus, clauso S. Jacobi oratorio,

Nuper comes de sancto Ægidio, nomine Pontius, cum fratre suo causa orandi ad sanctum Jacobum venit. Qui cum ecclesiam ingressi fuissent, et oratorium, in quo corpus Apostoli jacet, ingredi pro suo libitu non potuissent, rogaverunt ædilem *a*, ut eisdem oratorium aperiret, quatenus illi ante corpus apostolicum vigilias facere potuissent. Cum autem suas preces effectu carere viderent (nam mos ille fuerat, ut post solis occubitum januæ præfati oratorii, donec illucesceret mane, clausæ manerent) ad sua hospitia tristes accedunt. Quo dum perve- E nissent, peregrinos suæ societatis omnes adesse jubent. Quibus assistentibus dixit comes, se sanctum Jacobum velle adire, illis secum pari animo comitantibus, si forte illi per semetipsum dignaretur aperire.

illud sibi ac aliis peregrinis ultro aperiri postulat,

239 Cumque illi concorditer libenterque verbum ejus susciperent, paraverunt sibi luminaria, quæ manibus in eodem oratorio tenerent. Vespere itaque facto, accensis luminaribus ecclesiam ingressi sunt viri numero ferme ducenti. Qui venientes ante beati Apostoli oratorium elevata voce precati sunt : Beatissime, inquiunt, Jacobe, apostole Dei, si tibi placet, quod nos venimus ad te, aperi nobis oratorium tuum, ut nostras faciamus vigilias coram te. Mira res ! Necdum verba finierant, et ecce ejusdem oratorii januæ tanto strepitu insonuerunt, ut omnes, qui aderant, in minutas partes eas confractas putarent fuisse.

atque impetrat.

240 Verumtamen inspectis illis repagula seræ atque catenæ, quibus obserabantur, rupta atque disjuncta sunt. Sicque januæ, sine manibus hominum F invisibili virtute patefactæ, peregrinus ingressum præbuerunt. Qui vehementer lætificati introierunt; tantoque magis ex eodem miraculo exultaverunt, quanto evidentius beatum Apostolum, invictissimi imperatoris militem, verissime vivere probaverunt; quem tam celeriter suæ petitioni adfuisse viderunt. Qua in re perpendi potest quam sit exaudibilis piæ petitioni, qui servorum suorum tam benignus adfuit supplicatui. Tum ergo clementia, benignissime apostole Dei Jacobe, nobis subveniat, quatenus sic satanæ fallacias in præsentis vitæ curriculo caveamus, sicque bonis studiis patriæ cælestis inhæreamus, ut ad eam per Christum Dominum nostrum, te opitulante, pervenire valeamus.

Episcopus Græcus Compostellæ degens

241 Notum est omnibus tam clericis quam laicis Compostellæ commorantibus, quemdam virum, nomine Stephanum, divinis virtutibus præditum, dimisso episcopio atque pontificali officio, beati Jacobi amore a Græciæ partibus limina ejusdem Apostoli petiisse. Qui hujus mundi illecebris abrenuntiavit, ut sic divinis præceptis adhærere posset. Ad propria ergo redire recusans, ad custodes ædis, in qua pretiosissimum

A tiosissimum talentum, beati videlicet Jacobi corpus, et decus Hispaniæ reconditum est, accessit, seseque ad eorum pedes provolvens petiit, ut pretiosissimi Apostoli amore, pro cujus dilectione hujus seculi delicias et terrenas voluptates postposuerat, intus in ecclesia secretum sibi locum concederent, ubi assidue orationi sibi vacare liceret. Illum vero, licet vilem habitum portantem, nec quasi episcopum, sed ut pauperem peregrinum sese habentem despectui non habentes, immo justæ petitioni ejus consentientes, ad modum cellulæ quoddam tugurium ex junceis tegminibus constructum intus in beati Apostoli basilica, unde recta fronte altare inspicere posset, paraverunt; in quo die noctuque jejuniis, vigiliis, precibus invigilans, cælibem et beatissimam duxit vitam.

miratur, S. Jacobum a rusticis appellari militem;

242 Quadam vero die cum solitæ orationi de more vacaret, turba rusticorum ad speciale festum pretiosissimi Jacobi concurrens, seque B juxta illius sanctissimi viri cellulam in præsentia altaris sistens, Dei Apostolum his verbis rogare cœpit: Beate Jacobe, bone miles, ab instantibus malis et futuris nos subleves. Quod verbum ille sanctissimus vir Dei indigne ferens, quod rustici scilicet illum militem vocarent, increpans eos dixit: Stultissimi rustici, gens fatua, beatum Jacobum non militem sed piscatorem vos vocare convenit; commemorans illud, quod ad vocem Dominicam, relicto piscatorio officio, Dominum secutus est: et illud, quod postea hominum piscator effectus est. In sequenti vero nocte diei illius, qua sanctissimus ille vir de beato Jacobo commemoraverat, idem beatus Jacobus candidissimis vestibus ornatus, nec non militaria arma, solis radios excedentia, indutus, quasi miles effectus, duas claves in sua manu tenens, apparuit. Quem tertio vocans, sic locutus est: Stephane, serve Dei, quia me non militem, sed piscatorem vocari jussisti, ideo taliter tibi appareo, ut me Deo militare ejusque athletam esse, meque in pugna contra Sarracenos Christianos anteire, et pro eis victorem existere amplius non dubites.

cui Sanctus sub forma militis apparens victoriam prædicit.

C 243 Impetravi autem a Domino, ut universis me diligentibus ac recto corde invocantibus protector sum et adjutor in cunctis periculis: et ut firmius hoc credas cum his clavibus, quas manu teneo, portis Colimbriæ urbis apertis, quæ septem annis a Fernando rege Christianorum obsidione premitur, crastina die hora tertia, intromissis Christianis, eorum reddam potestati. Hoc dicto, ab ejus oculis evanuit. Sequenti vero die, matutinis expletis, saniorem partem tam clericorum quam laicorum advocans, quæ oculis viderat, auribusque audierat, ex ordine eis enarravit. Quod postea multis argumentis verum esse probatum est: diem etenim et horam scripserunt, quibus post captam civitatem nuntii a rege missi veritatis testimonium perhibuerunt, asserentes in illa die et hora urbem prædictam captam esse. Cognita ergo veritate, præfatus Stephanus Dei servus beatum Jacobum omnibus, in militia se invocantibus, prævalere asseruit, et pro veritate certantibus illum invocandum esse prædicavit. Ipse vero, ut ejus patrocinium consequi mereretur, pœnitentiam sibi augmentavit, et efficacius orationibus invigilans ibidem totum vitæ suæ tempus in Dei servitio consummavit; ac tandem in beati Jacobi apostoli basilica sepulturam honorifice suscepit. EX MSS.

Miles in bello captus, invocato S. Jacobi præsidio,

244 Multorum itaque temporum labente curriculo, cum jam nostris temporibus multis miraculorum signis beatissimus Jacobus per totum orbem longe lateque refulsisset, accidit, ut bellum maximum inter comitem fontis Calcariæ et alium militem suum, nomine Guillelmum, oriretur. Qui cum in pugna contra ipsum comitem firmiter equitaret, cum suis militibus utrique in bello concurrerunt. Sed deficiente exercitu militis, vertit terga, et idem miles in bello captus in præsentiam comitis ductus est. Cumque comes ipse eum decollari præcepisset, et miles magna voce clamaret: Jacobe apostole Dei, quem Herodes Jerosolymis gladio occidi præcepit, adjuva me, et libera me a spiculatoris gladio, ter ictum collo objectum erectis ad cælum manibus sustinuit, et nihil læsionis in eo comparuit.

mirabiliter a spiculatoris gladio liberatur.

245 Videns autem spiculator, quod cum acumine gladii nocere ei non poterat, direxit mucronem in ventrem ipsius, ut sic eum perforaret. Beatus vero Jacobus sic illum hebetavit, quod nec ictum ejus ipse præsensit. E Cumque comes omnesque, qui simul aderant, ad hæc mirarentur, jussit eum in castro suo vinctum reduci *. Mane autem futuri diei incipiente, eoque beatum Jacobum inter suos gemitus invocante, ecce ipse Apostolus coram eo stans dixit ad eum: Ecce adsum, quem vocasti. Tunc impleta est domus ipsa tanto odore et serenissima luce, quod omnes milites, et qui ibi aderant, in paradisi amœnitate se sitos esse crederent, atque in ipso fulgore, præcedente Jacobo, ac manum ejus tenente, coram omnibus usque ad portam postremam castri, factis quasi cæcis custodibus, pervenit; et apertis januis, ambo pariter usque ad unum milliarium extra muros perrexerunt. Unde factum est, ut iste miles statim amore beati Jacobi ad ejus corpus et ecclesiam in die translationis ipsius perveniret, et omnia, ut supra diximus, ordine enarraret.

* al. recludi

ANNOTATA.

a *Ædilis apud veteres Romanos vocabatur, qui habebat curam ædificiorum; at apud* F *scriptores medii ævi est custos ecclesiæ. Hinc ædilitas est munus et dignitas in quibusdam collegiis Canonicorum, ut habet Cangius in Glossario.*

b *Nemo auctorum, quos* § II, *num*, 145 *pro hoc miraculo citavimus, de tam diuturna Conimbricæ obsidione meminit.*

CAPUT VII.

Ægri sanatio, multiplex captivi liberatio, paupertatis levamen, et punitio quorumdam, qui festum S. Jacobi celebrare neglexerunt.

Vir membrorum usu destitutus sanatur,

Nostro itaque tempore quidam vir inclytus ex Burgundia, nomine Guibertus, ab annis quatuordecim suorum passus diminutionem membrorum

EX MSS.

membrorum, ita ut neque gressum movere posset, impositus duobus equis suis cum uxore sua et servis suis, ad sanctum Jacobum profectus est. Qui cum in hospitali ejusdem Apostoli volens * hospitaretur, prope ecclesiam in somno admonitus est, ut quousque beatus Jacobus sua membra constricta extenderet, in ejus ecclesia semper orationi insisteret. Cum itaque in apostolica basilica duabus noctibus vigilaret, tertia nocte invigilans orationi, veniens beatus Jacobus et apprehendens manum ejus erexit eum : qui cum interrogasset eum, quis esset, Ego sum, inquit, Jacobus apostolus Dei. Tunc homo restitutus sanitati per tredecim dies in ecclesia ejus vigilavit, et hæc proprio ore cunctis revelavit.

* al. nolens alibi

alter sæpius carceri mancipatus

247 Anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quemdam civem Barcinonensem sancti Jacobi basilicam in oris Galitiæ peregrinationis causa fertur adiisse. Qui cum ab Apostolo tantum peteret, ut eum a captione inimicorum suorum liberaret, si forte in ea caderet, ad propria reversus, cum negotii causa Siciliam pergeret, a Sarracenis in mari captus est. Quid plura? Per mundinas et foros tredecies venditur et emitur. Qui vero emebant eum, beato Jacobo catenas et vincula conterente, tenere nequibant. Primo venditur in Corociana, secundo apud urbem Jazaram in Sclavonia, tertio in Blavia, quarto in Turcoplia, quinto in Perside, sexto in India, septimo in Æthiopia, octavo in Alexandria, nono in Africa, decimo in Barbaria, undecimo in Deserto, duodecimo in Bugia, tredecimo in urbe Almaria *a*; in qua cum esset a quodam Sarraceno duplicibus catenis fortiter circa crura nexus, beatum Jacobum altisonis ei imploranti vocibus idem Apostolus apparuit dicens : Quia dum esses in basilica mea, tantum a me petisti liberationem corporis tui, et non animæ salutem, in hæc pericula lapsus es; sed quia Dominus misertus est tui, misit me ad te, ut ab his ergastulis eruam te.

B

a

liberatur ;

248 Illico diruptis catenis ejus per medium, ab oculis ejus beatus Apostolus disparuit. Itaque homo ille solutus a vinculis per urbes et castella Sarracenorum, quamdam partem catenæ in testimonio tanti miraculi manibus ferens, ad terram Christianorum, videntibus Sarracenis, palam cœpit redire. Cumque aliquis paganus illi obviaret, et eum capere tentaret, ipse ostendebat ei partem catenæ, et statim adversarius ab eo fugiebat. Multa etiam agmina leonum, ursorum, leopardorum et draconum gradientem per deserta loca illum devorare appetebant; sed, visa catena, quam Apostolus tetigerat, procul ab eo recedebant. Hunc hominem ad beati Jacobi limina denuo regredientem, catenam manibus ferentem, nudis etiam pedibus et excoriatis inter Stellam *b* et Guignum * veraciter ego reperi; et hæc omnia mihi narravit. In hoc ergo exemplo illi sunt corripiendi, qui petunt a Domino et Sanctis ejus uxorem aut terrenam felicitatem, aut honores, aut censum, aut inimicorum mortem, aut cetera his similia, quæ ad profectum corporis solummodo pertinent, non ad animæ salutem. Si corporis necessaria sunt petenda, multo magis animæ jura, id est, bonæ virtutes, fides scilicet, spes, charitas, patientia, temperantia, hospitalitas, largitas, humilitas, obedientia, pax, et cetera his similia magnopere sunt petenda, e quibus in sidereis sedibus ipsa anima ornata.

C

b

* al Grugnum

D

alius denique ad paupertatem redactus juvatur.

249 Anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo *c*, Ludovico rege Francorum regnante, Innocentio Papa præsidente, vir quidam, nomine Brunus, de Viceliaco villa sanctæ Mariæ Magdalenæ, a sancto Jacobo rediens, nummis sibi deficientibus, cœpit egere. Qui dum non haberet, unde solam panis nummatam *d* emere posset, die quadam circa nonam adhuc jejunus mendicare erubescens et valde anxius beati Jacobi auxilium toto corde implorando sub arbore quadam solus quievit. Ibi vero paulisper dormiens somniabat, quod beatus Jacobus Dei apostolus cibo illum pascebat. Evigilans autem subcinericium panem ad caput suum invenit, ex quo quindecim diebus vixit, quousque videlicet ad propria venit, per unumquemque diem sufficienter comedens bis. Altera autem die eumdem panem in sacculo inveniebat. O admirabile factum Eliæ prophetæ renovatum! Sed quia a Domino est factum, non debet esse mirabile in oculis nostris.

c

d

E

Varii festivitatem S. Jacobi colere contemnentes

250 Hæc sunt mirabilia memoranda, quæ olim festa sancti Jacobi non digne colentibus, divina ultione operante, evenerunt. *e*. Inter Hispanos apud Titdelionum *f* die festo sancti Jacabi triticum tota die rusticus quidam excussit. Advesperascente autem die, balneum, quod juxta castrum idem miro opere Sarracenico antiquitus constat esse factum, ipse intravit. Cumque in eo sederet, statim pellis dorsi ejus ab humeris usque ad crura balnei parietibus adhæsit, cunctisque videntibus, ob transgressionem tanti festi spiritum exhalavit. Vasconum plebs apud Albinetum sancti Jacobi diem colere renuens tota die operabatur : sed divina ultione operante, totum castrum ejusdem plebis nocte sequenti igne consumitur. Nec fuit qui sciret, ex qua domo ignis processisset, sed e cælo dicitur advenisse.

e

f

puniuntur.

251 In episcopatu Bisontiensi Bernardus, qui dicebatur de Majora, carro manipulos segetum tota die, vicinis tamen contradicentibus, duxit. Advesperascente vero die, adhuc illo sic operante, tempestivus ignis validus e cælo adveniens carrum manipulos et boves in cinerem redegit. Sed et mulieres quædam, quæ cum eodem Bernardo aderant, ab aliis supervenientibus attonitæ deportantur in fonte proximo : et ita etiam vix evaserunt. Item Harduinus ejusdem villæ miles eodem die plaustrum suum cum manipulis tritici tota die duxit; sed ultio divina oculos boum sero excæcavit. Inter Gotos *g* in provincia Montis Pessulani jussu cujusdam militis Mirreoriensis *h*, rustica quædam apud villam sancti Damiani die sancti Jacobi panem subcinericium fecit et coxit : quo allato ad mensam et confracto, coram discumbentibus sanguinolentus apparuit; et dum magis magisque frangebatur, tanto magis sanguinem ejiciebat. Cessemus ergo ab operibus carnis, et operemur bona in sacris beati Jacobi solemniis, ut ejus mereamur semper et ubique protegi patrociniis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

F

g

h

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Aliqua ex his locis ita corrupta sunt, ut apud geographos frustra quærantur; alia vero passim nota sunt, ita ut explicatione non indigeant.*

b *Suspicor, hic indicari duos Italiæ fluvios, de quorum primo agit Leander Albertus in Latina Italiæ descriptione pag.* 755; *de altero autem pag.* 457.

c *In altero Ms., et Vincentio Bellovacensi notatur annus* 1139; *sed sive legatur* 1131 *sive* 1139, *neuter annus ætati Callixti II convenire potest, qui anno* 1124 *obiit, ut jam sæpe diximus. Quare Bellovacensis lib.* 26, *cap.* 39 *hoc imperite inter miracula a Callixto edita recenset, et post caput* 41 *ita concludit*: Hæc de libello Calixti Papæ dicta sufficiant. *Verosimilius igitur in altero Ms. nostro dicitur* a domino Alberico Vezeliacensi abbate, atque episcopo Ostiensi et Romæ legato editum.

d Nummata *aliquando significat pretium rei per*
B *nummos, aliquando valorem nummi, et interdum ipsas merces, de qua voce plura vide apud Cangium in Glossario.*

e *Sequentia miracula in altero Ms. nostro non habentur; attamen leguntur apud Vincentium Bellovacensem lib.* 26, *cap.* 41, *cum quo Ms. nostrum contulimus.*

f *Bellovacensis vocat* Tudelionum; *sed nec unum nec alterum apud topographos invenio. Forte est corruptum ab urbe vulgo dicta* Tudela, *quam in Navarra ad Iberum fluvium sitam aliquando transivi. Posset etiam deduci a Tude vulgo* Tuy *episcopali urbe in Gallæcia sub archiepiscopo Compostellano.*

g *Opinor, hos incolas vocari* Gotos, *quia olim Occitania, in qua situs est Mons Pessulanus, vocabatur Gothia Gallica propter Gothos, qui eam invaserant.*

h *Bellovacensis legit* Mircoriensis; *sed hujusmodi locum tantum invenio in Lotharingia, vulgo dictum* Mirecourt. *Quare conjicio illam vocem forte vitiose deductam esse ab episcopali Occitaniæ superioris urbe, Gallice dicta* Mirepoix.

C

ALIA MIRACULA

QUÆ IN ITALIA CONTIGERUNT.

AUCTORE CONTARINO, CLERICO SYNCHRONO, ET TESTE IN MULTIS OCULATO.

Ex Ms. codice Pistoriensi, cujus authenticum apographum anno 1727 *accepimus.*

ANTIQUI CAPITUM TITULI.

Incipiunt miracula beatissimi Jacobi noviter facta.
Quomodo reliquiæ beati Jacobi portatæ sint Pistorium.

Miraculum in transitu fluvii. *ex Ms*
Miraculum de lumine.
Miraculum de muliere paralytica liberata.
Miraculum de muliere contracta sanata.
Miraculum de uno medico dubitante de miraculis sancti Jacobi.
Miraculum de muliere contracta, trahente nates per terram.
Miraculum de muliere pauperrima, habente maritum et plurimos filios, contracta per decennium.
Miraculum de quodam de sancto Baronto cruribus infirmis.
Miraculum de filio cujusdam dominæ Florentinæ contracto et gibboroso.
Miraculum de columba.
Miraculum de columba, quæ ostendit pauperculam in ecclesia morientem.
Miraculum de puero Bononiensi contracto.
Miraculum de quodam Florentino de Montebono contracto et arido pes viginti annos.
Miraculum de alio contracto.
Miraculum de sanata in manu.
De multis aliis miraculis. E
Miraculum de dæmoniaco liberato.
Miraculum de quodam super mula.
Miraculum S. Jacobi apostoli de quodam adolescente Pistoriensi, cujus guttur acus transfixerat, liberato.
De juvene civitatis Pistorii super equum sedente liberato.
De rustico de Brandeglio Pistorii comitatus ab arboris periculo liberato.
Miraculum de Milone de Savignano condemnato in Castro Prati, ut traheretur ad caudam equi et ad ignem, liberato.

PROLOGUS.

Exponitur, qua occasione civitas Pistoriensis sacras S. Jacobi reliquias Compostella acceperit. F

Raynerius clericus pro ecclesia Pistoriensi

In provincia igitur, Tuscia nuncupata, in civitate, quæ dicitur Pistoria, erat quidam clericus, nomine Raynerius *a*, diaconus ex ipsius episcopatu civitatis oriundus, qui causa discendi in Franciam perrexit, ibique apud Parisios tamdiu commoratus est, quamdiu prudens, et potens in litteris effectus est. Post non multum vero temporis in Hispaniam ad sanctum Jacobum proficisci festinavit, cujus prudentiam cum Didacus *b* venerabilis archiepiscopus Compostellanæ ecclesiæ cognovisset, eum gratanter, et honorifice suscepit, cui gratiam largiter omnium bonorum Dominus in conspectu ejus dedit: nam magistrum scholarum ecclesiæ beati Jacobi eum constituit, et canonicum *c* fecit, in cujus gratia et cleri dilectione cum magis ac magis quotidie succresceret, factum est divina dispensatione, ut venerabilis ac religiosus Acto, *d* Pistoriensis ecclesiæ episcopus, per quosdam cives suos ad sancti Jacobi apostoli corpus causa orationis proficiscentes, jam dicto Raynerio scholarum magistro, quem numquam viderat, proprias litteras quasi notus ignoto dirigeret, rogans eum, et postulans obnixe, ut si in conspectu divinæ Majestatis placeret, de pretiosissimo

 reliquiarum

EX MS. reliquiarum thesauro beatissimi Jacobi apostoli, si possibile esset, aliquid ei dignaretur mittere.

reliquias S. Jacobi ab archiepiscopo Compostellano impetrat.

253 Demum pervenit ad aures domini Didaci Compostellani archiepiscopi fama bonitatis venerabilis Actonis, Pistoriensis episcopi, quomodo prudens, honestus, et religiosissimus, et fide catholicus sit, qui quidem prius fuerat sanctæ Vallumbrosanæ congregationis archimandrita per omnia venerandus : motus precibus, piisque petitionibus talis ac tanti viri, et interventu jam dicti Raynerii magistri cum canonicis ejusdem ecclesiæ beati Jacobi apostoli, multis etiam suffusus lacrymis, summa cum devotione et debita veneratione, sumens aliquam partem de reliquiis pretiosissimi capitis sanctissimi martyris et apostoli Domini nostri Jesu Christi Jacobi, per egregios viros urbis Pistoriæ, Tebaldum videlicet, et Medium avunculum Tebaldi
e Villanum *e* nomine, diligenterque in capsam eumdem pretiosissimum thesaurum recondens, Pistoriensi episcopo mittere curavit, dicens et in veritate asserens, quod nullus umquam mortalium hoc donum impetrare posset. Quod vere
B a Domino factum credimus et non dubitamus, sicut manifestis et apertis indiciis manifeste et aperte miracula declarabunt.

ANNOTATA.

a *De hoc Raynerio plura diximus parte prima Commentarii* § 8, *ubi etiam ejus litteras exhibuimus, ex quibus constat, eum in Anglia docuisse, antequam in Hispaniam discederet.*

b *Is est Didacus Gelmirez, qui ab anno* 1100 *usque ad annum* 1152 *diœcesim Compostellanam gubernavit, ut testatur Ægidius Gonçalez Davila in Theatro ecclesiastico Hispaniæ tom.* I *a pag.* 43, *ubi etiam plura illius gesta Hispanice enarrat.*

c *Hinc patet, quomodo Raynerius iste in titulo epistolæ vocetur* cardinalis, *cum fuerit ecclesiæ Compostellanæ canonicus, de qua re part.* I § 8, *num.* 89 *nonnihil dictum est.*

d *Vita hujus sancti Actonis vel Attonis ad diem* 22 *Maii nostri Commentario historico illustrata est.*

e *Hic Medius Villanus vocatur avunculus Tebaldi; at contra in litteris Raynerii, quas part.* I
C § 8, *num.* 88 *exhibui, Tebaldus indicatur esse avunculus Medii Villani. Sed facile unum pro altero intelligi aut scribi potuit.*

CAPUT I.

Miracula patrata in ipsa reliquiarum translatione, et alia quædam paulo post eamdem secuta.

Unus ex legatis reliquias Pistorium deferens

Cum enim prædicti Pistorienses gloriosissima lipsana, id est reliquias, ferentes a sancto Jacobo redirent, et Francigenis associati, ad quemdam fluvium devenirent, ut per navem eumdem transirent, et rectores navis peregrinos pretio valde gravarent, Francigenæ cum eis contendentes, prohibebant omnino se id pretium, quod nautæ quærebant, sibi minime dare : dicebant quippe adversus eos furiose : Melius est D
nobis flumen transnadare *a*, quam vobis tan- a
tum pretii dare. Hortantes igitur sese ad invicem, ut non in navi, sed per vadum transirent, is qui sancti Jacobi reliquias ferebat, cum suo equo flumen audacter introiens, et vadum velut ignotus nesciens, cœpit carpere devium et ignotum iter; quem cum socii tam periculose considerarent per liquidas undas pelagi pergere, timuerunt valde, mortem præcessoris tantummodo præstolantes. Inter angustias tamen recordatus reliquiarum sancti Jacobi, quas ipse ferebat, confidenter ipsum precibus exorabat : Sancte, inquiens, Jacobe, tuas pretiosissimas reliquias bajulo, antequam mors me præveniat, adjuva me, ne umquam hic perire valeam.

in itinere a submersionis periculo liberatur,

255 Mox meritis ipsius Apostoli sine magna difficultate ad alteram ripam fluminis optime pervenit, Deique omnipotentis misericordiam cum cunctis, qui cis, et citra flumen aderant, be-
nedixit atque laudavit, qui eum de metu mor- E
tis et tanto periculo precibus sancti Jacobi apostoli liberavit. Lætetur ergo Pistoriensis civitas, exultet, atque congaudeat, et glorietur non modicum in exaltatione sua, congratuletur gaudio magno valde, quam quidem voluit omnipotens Dominus per suum sanctum Apostolum noviter ac mirabiliter visitare; proinde gaudeat et Tuscia tota, quoniam, si voluerit sanctum Domini Apostolum cum digno honore excolere, et celebrare studuerit, ad ejus sacra solemnia corde simul, et animo devotissime properaverit, hæc salus et lætitia non tantum ipsius loci, in quo conditæ sunt ejus reliquiæ, propria, sed totius provinciæ communis erit.

et de nocte ex iis lumen mirabiliter emicat,

256 Cum vero jam dicti Pistorienses ad propria summo conamine sedulo festinarent, et in ipso itinere in quodam burgo hospitium acquirerent, factaque cœna, cubiculis præparatis, lassata membra quieti pro solito dedissent, igne, ceterisque luminaribus domus extinctis, ubique vocabant eos nominatim hospites, apud quos hospitati fuerant frequenti vice, media nocte ipsis talia crebro referentes : Fratres peregrini et hospites, quid domum perlustratis tota nocte? Lumina vestra exstinguite, et longo itinere fatigati quiescite atque dormite, nosque dormire cupientes dormire permittite. Ipsi vero nullum lumen habentes, nec cur eis hoc dicebatur intelligentes,
asserebant, se lumen ignis minime habuisse, suas- F
que lampades jam dum exstinxisse : quod * enim capsam, id est reliquias beati Jacobi veraciter dicitur fuisse.

** forte hoc*

quibus recipiendis S. Atto sacellum præparat,

257 Remeantibus autem Tebaldo et Medio Villano a sancto Jacobo Pistoriam, decenter repræsentaverunt Actoni reverendissimo episcopo pretiosissimam margaritam, deferentes etiam ei Compostellani archiepiscopi epistolam, quam ipse vidi, atque perlegi, deprecans eum una
cum magistro Raynerio, ut susciperet debito honore sacras reliquias *b*, et condigna veneratio- b
ne propriam cappellam construeret ad Dei et ipsius Apostoli honorem in ecclesia majori, vi-
delicet beati Zenonis *c* episcopi et confesso- c
ris Pistoriæ civitatis, ibique in aptissimo altari capsam, id est reliquias, beati Jacobi apostoli decenter collocaret : quæ, sicut debuit, gratanter hilariterque episcopus suscepit, et omnipotenti Deo gratias egit, eo quod tam pretiosum thesaurum habere promeruit. Quid longius morer?

A morer? Cappellam in ecclesia S. Zenonis honorifice fieri fecit, atque composuit; altare quoque ibi superædificavit, in quo reliquias supradictas postea collocavit.

in quo illas honorifice et solenniter collocat.

258 Post receptionem vero sacrarum reliquiarum Compostellanus archiepiscopus atque Raynerius diaconus multoties Pistoriensem episcopum suis litteris reverentissime visitaverunt, et ut de reliquiis S. Jacobi sic ageret, ut eum per litteras postulaverunt, nihilominus rogaverunt: de ejus enim bonitate non modice et honestate præsumentes, pariter confidebant; nam in epistolis, quas ei miserunt, eumdem dominum Actum episcopum suamque sanctitatem multum commendabant, et affatim per omnia laudabant; quas epistolas ego Contarinus clericus, licet indignus, qui hæc scripsi *d*, cancellarius Pisanæ civitatis, oculis meis vidi, perlegi, et memoriter tenui, testis utique verax atque fidelis, una quarum epistolarum hæc est *e*. Post multas igitur deprecationis, exhortationis, et commonitionis epistolas, et cap-B pella S. Jacobi constructa, anno millesimo centesimo quadragesimo quinto dominicæ Incarnationis, dominus Acto episcopus in mense Julio, octavo die exeunte, altare S. Jacobi ipso die ejusdem Apostoli festivitatis cum multis honestissimis clericis, Prioribus, et Plebanis ab eo decenter invitatis, sicut dignum fuerat, devotissime consecravit.

Post reliquiarum collocationem languidus quidam,

259 Facta vero consecratione, Missarumque solemniis solemniter celebratis, magnum præclarumque miraculum virtus Dei omnipotentis per merita beati Jacobi Pistoriensibus patenter declaravit, nam in eadem Pistoriensi civitate erat quidam languidus, qui extensis nervis ita rigidus et siccus per sex continuos annos in lecto jacuerat, ita quod nullo modo ad ullum corporis usum aptus fuerat, excepto quod aliquantulum virtutis ei Deus in manibus reservaverat, quibus sibi ministrantibus cibum sumebat; sed numquam de lecto surgere, vel se movere poterat: quem quidam nobilissimus civis Pistoriensium, nomine Opitho, Eharardi quondam filius, victualibus sustentabat amore illius, qui dicit: Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis.

a sancto Jacobo monitus, ut eas adiret,

C 260 Cum igitur redeunte populo ab ecclesia, jam vero transacta hora sexta, præfatus Opitho, vir illustrissimus, ex consuetudine misit languido pauperi alimoniam per suum clientulum (ipse namque infirmus proprio Lætus nomine appellatur, et hoc quidem bonum prodigium; nam de maxima tristitia repente lætus efficitur, cujus quidem corpus, et animam salvavit Dominus per gloriosissimum apostolum suum Jacobum) cui dixit portitor ciborum: Frater Læte, hora refectionis est, accipe cibos, et comede: qui cum Dominum benedixisset, et minister ante se cibos apposuisset et abiisset, Lætus æger cœpit cum gratiarum actione cupitum cibum sumere; post duas autem buccellas inter ipsas epulas divino nutu somno corripitur, sicque Dominus in eum soporem misit, et in ipso sopore vir quidam ei apparuit vocans eum nominatim; Læte, inquit, Læte, quid agis? Cur potius hic moraris? Et adjecit: Surge cito, et propera ad memoriam mei altaris, quod hodierna die Pistoriensis episcopus dedicavit; cui respondens ait: Quis es, domine, qui vocas me; quid mihi jubes facere? Ego namque, domine mi, nullatenus possum surgere, nec pedibus terram calcare, nec brachia sursum levare, qui per sex continuos annos miser, et rigidus, siccus, et extensus, medullis evacuatus, corpore defectus, miserabiliter cubavi in lecto. Tunc ille respondens, ait ad illum: Surge, et noli timere, nec in aliquo dubites, quia ego sum Jacobus apostolus, qui loquor tecum: [propera] ad locum, quem tibi prædixi, quoniam sine dubio liberaberis. *ex ms.*

repente usum membrorum recuperat,

261 Tum ille expergefactus, ossibusque crepitantibus, exclamavit magnis vocibus: Adjuva me, Domine Deus. Mulierculæ vero de vicinia audientes voces illius cucurrerunt velociter ad eum, existimantes illum proxime moriturum. Sic illi dicunt: Frater Læte, quid habes, quid clamas? Vis forsan accipere pœnitentiam? Ibimus pro sacerdote, qui tibi ferat consilium animæ tuæ, quoniam cernimus te morti propinquare; nam sic attenuatus erat, quod paucissima caro in ossibus ejus remanserat, et ab omnibus videbatur, quod in proximo esset moriturus. Is autem mulieribus inquit: Dominæ mulieres, non modo presbyterum quæro, E sed ad hodiernam dedicationem S. Jacobi proficisci desidero, et indubitanter ibo, auxiliante Domino; quo audito, mulieres irridentes eum, quia desperabant de salute ejus, nec cogitantes illum ullatenus evasurum, non crediderunt, donec illum ambulantem viderunt, et secutæ sunt eum.

quem cum multis ex clero et populo ipse scriptor sanatum vidit et examinavit.

262 Eo autem ad ecclesiam properante, viri simul et mulieres undique concurrentes mirabantur valde dicentes: Benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit nobis mirabilia hodie! Veniente quoque eo, qui eum solebat alere, mox ut vidit eum, cum clero simul et populo gloriam dedit Deo, qui vivit, et regnat in secula seculorum. Amen. Hominem autem ipsum ante altare S. Jacobi multoties oculis meis vidi, et hæc cuncta, quæ narravi, sicut ab universo clero et populo ejusdem civitatis prius audiveram, sic ab ore illius didici, et fiducialius scripsi, cujus omnia membra jam recreata fuerant, et carnibus ossa cooperta. Quem Lætum lætum et alacrem vidi, completo jam mense dedicationis altaris, qui ad indicium venientium usque ad præsens moratur inibi.

Sanatur mulier paralytica

263 Hoc miraculo longe lateque celeberrime divulgato, erat quædam mulier de Castro Pitecio paralytica, misera, et pauperrima, quæ totum F latus omnino perdiderat, cujus etiam manus arida fuerat, semperque mendicabat, nihilque cum ipsa manu suscipere poterat, quia strictissime clausa paralysi fuerat; insuper autem totum corpus ejus paralysi exagitabatur, et contremebat ad similitudinem avis, quæ cauda tremula *f* nuncupatur, et quidquid ei pro eleemosyna dabatur, manu suscipere non valebat, sed in pera, quam collo circumligatam ferebat, sibi aptabantur omnia. Pro consuetudine vero paralytica ista ad monasterium S. Mariæ de Sala *g* ad eleemosynam suscipiendam frequenter ire solebat, cui quædam Benedicta, venerabilis ejusdem monasterii abbatissa, cum suis sororibus benefaciebat, cujus frequenti hortatu ad oratorium S. Jacobi pervenit, ut in ipso loco donum perciperet recuperandæ sanitatis, quæ tam diu in precibus ibidem permansit, quamdiu Deus omnipotens manum ipsius aperuit, et tremorem membrorum suorum ab ea similiter abstulit.

coram multis testibus,

264 Hoc autem miraculum, cum ego ad oratorium S. Jacobi Pisis venirem, apud præfatum monasterium S. Mariæ de Sala, quod uno milliario ab urbe Pistoria distat, hospitatus

EX MS. tus fui, ibique ab eadem abbatissa ipsius monasterii et sororibus suis hoc præsens miraculum didici; deinde ad civitatem veni, et simili modo testati sunt omnes, episcopus, et omnes canonici Pistoriensis ecclesiæ, et reliquus clerus, et populus civitatis ejusdem. Postea mulierem ipsam et vidi, et alloquutus fui, eamque de hoc satis interrogavi, et sic cuncta mihi seriatim retulit, et manum, quæ multo ante clausa fuerat, similem manui alteri mihi coram multis ostendit, in qua signum capitum digitorum apparebat, qui se ad invicem glomerati constringebant. Gratias igitur agamus omnipotenti Domino, qui eam liberare dignatus est beati Jacobi apostoli precibus. Ipsi gloria, decus, et imperium per infinita secula seculorum. Amen.

uti et alia contracta. 265 His autem duobus dum hæc fama circumquaque crebresceret, et multitudo copiosa virorum simul, ac mulierum ad ecclesiam beati Zenonis episcopi, in qua reconditæ sunt reliquiæ beati Jacobi apostoli, desideranter concurreret, B contigit, ut quædam paupercula contracta illuc deveniret, ibique misericordiam Dei omnipotentis exspectaret. Facta oratione, mulier ipsa omnium membrorum suorum sanitatem recepit, et magnalia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus, qui aderant, benedixit atque laudavit, eique multas gratias egit. Hoc igitur signum divulgatum est per cunctam civitatem Pistoriæ, et habetur ibi celebre, et propter illud sine dubitatione studui scribere, non modicam simul a clericis et laicis inde sumens auctoritatem: sciens namque in veritate, quoniam Deo nihil est impossibile.

ANNOTATA.

a *Suspicor, pro* transnadare *legendum esse* transnatare *aut potius* transvadare; *id est per vadum fluminis transire, ut ex sequentibus colligitur.*

b *Hanc epistolam exhibui part.* 1 § 8, *num.* 90.

c *De Zenone episcopo aliqua dicta sunt inter Prætermissos ad diem* 8 *Aprilis, et Acta illius elucidata sunt ad diem* 12 *ejusdem mensis. Videri potest novissima editio Veneta Italiæ sacræ, in qua tom.* 3 *col.* 284 *et* 285 *nonnulla de hoc Sancto* C *addita sunt.*

d *De hoc synchrono miraculorum scriptore pauca monuimus part.* 1, § 8, *num.* 95.

e *Hanc epistolam una cum aliis dedimus paragrapho proxime citato.*

f *Huic aviculæ, quæ a Latinis motacilla dicitur, omnes fere nationes a frequenti caudæ motu nomen indiderunt, ut videri potest apud Aldrovandum tom.* 2 *Ornithologiæ lib.* 17, *cap.* 22. *Hinc etiam a poeta Italo vocatur* coditremola, *ut dictionarium academiæ Cruscanæ ad vocem* cutrettola *testatur. Hanc Italorum expressionem scriptor noster Italus haud dubie hic Latine imitatus est.*

g *Nicolaus Coleti in Veneta Italiæ sacræ editione, nuper ab ipso aucta, inter alia Pistoriensis civitatis cœnobia tom.* 3, *col.* 287 *in additione sic recenset etiam monasterium* sanctæ Mariæ angelorum, a Sala nuncupatum, eo quod olim extra civitatem in loco, qui Sala vulgo dicitur, exstructum fuerit, deinde in civitatem translatum, cui plurimas opes dedit pia femina Adola Rospigliosia ea lege, ut puellæ ex aliquibus familiis nobilibus gratis exciperentur.

D

CAPUT II.

Medici dubitatio de miraculis sublata, paralyticis et contractis sanitas restituta, ac mira historia de quadam columba.

Item miraculum vobis enarrare cupio, quod nullatenus est prætereundum. Igitur cum omnes admirarentur propter hæc miracula, quæ Deus per apostolum suum Jacobum cooperabatur, eo quia nostro tempore, præcipue nostris in partibus, numquam talia vidimus. Erat in civitate, et de civitate Pistoria quidam medicus, nomine Fridericus, qui in mirabilibus dubitabat, et de causa ista contra credulos sicut incredulus tractabat. Eo autem super hoc dubitante, et fidem penitus non adhibente, Dominica sequenti consecrationis altaris S. Jacobi cum ad matutinas surrexisset, et ad ecclesiam solito more veniret, vidit procul in ecclesia cereorum multa luminaria, et in corde suo meditabatur, si fieri posset, ut in ipsa ecclesia S. Jacobi patrocinia forent, et vera ea miracula, quæ divulgabantur longe lateque. *Medicus de miraculis S. Jacobi dubitans* E

267 Cumque hæc in corde suo frequenter revolveret in ipso itinere ad quemdam puteum, qui est juxta viam, qua veniebat, haud longe a beati Zenonis ecclesia repente ducitur, submittens caput in ipsum, quasi impulsus ab aliquo; in quem sic introivit usque ad talos, caput quidem præmittens deorsum, pedes vero tenens sursum; qui recordatus sancti Jacobi, confestim vocavit eum nominatim: Sancte Jacobe, apostole Christi, velociter succurre mihi, et miserere mei: Necdum verbum finierat, et ecce quasi in momento reducitur ad superiora; sequebatur autem ipsum quædam cognata sua, quæ illum ruentem in puteum viderat: qui protinus, non ut incredulus, sed ut credulus, venit ad ecclesiam, et confessus est, se male egisse pro incredulitate sua; cum enim ipse miracula Dei sponte credere noluisset, coegit eum divina pietas, ut amodo crederet, et credendo, quod non crediderat, prædicaret. Quod ego sicut ab episcopo civitatis, clero simul, et populo, nec non et ab ore illius didici, ita fideliter scripsi; nam ipse verus testis est, fide catholicus, legalis, atque veridicus. Nos itaque pro his et pro aliis beneficiis laudemus, et benedicamus omnipotentem Dominum, cujus imperium permanet in secula seculorum. Amen. *propria experientia de veritate eorum convincitur.* F

268 Ipsis autem diebus erat quædam mulier paupercula de ipsa vicinia, quæ est juxta eamdem ecclesiam, adeo contracta, quod se aliter movere non poterat nisi nates eundo traheret per terram, et non adminiculo pedum, sed sustentatione manuum ibat: nam pedes ita revolutos et tortos habebat, quod nullum servitium, vel auxilium sibi in aliquo subministrabant, sed manibus, ut dixi, eundo per terram carpebat *. Ad beati Zenonis igitur ecclesiam confidenter ivit, et facta oratione per merita sanctissimi Jacobi apostoli eam sine dilatione Dominus misericorditer liberavit, quæ quidem *et tres mulieres*

* *forte* repebat

A dem prius nullum opus operari poterat. Postea vero cœpit agere, quæ sibi necessaria fuerunt, et pedibus suis ambulare libera et erecta, quam cum quodam canonicorum quantocius adivi, eamque diligenter per ordinem interrogavi, obsecrans, si sic ei factum fuisset a Domino, velut de se dicebatur ab omnibus : non inde mutavit aliquod verbum, ac etiam cum ea reperi testes quamplurimos. Hoc denique miraculum clarissimum est repertum, quæ quidem prius invalida cognoscebatur ab omni clero civitatis ejusdem simul et populo; in ipsa vero, vel sequenti hebdomada reperi eam sedentem et excutientem linum propriis manibus in platea, quod per multum tempus antea nec hoc, nec simile fecerat. Nos igitur omnes dicamus Deo gratias. Amen.

membrorum usu privatæ,

269 Aliud quoque miraculum die octavo consecrationis peractum fraternitati vestræ denunciabo pulcherrimum. Quædam mulier ex ipsa B civitate virum, et filios plurimos habens propter longam, et nimiam infirmitatem devenerat in multam necessitatem; non enim valebat aliquod opus manibus peragere : in lecto quippe contracta jam fere per decennium miserabiliter jacuerat, et, quod turpe est dicere, peccatis exigentibus, propter incontinentiam cogebat eam vir ejus carnis sibi reddere debitum, ita tamen quod in ipsa visitatione, qua Deus sic illam visitaverat, in maritali thoro jam quater pepererat, puerique illius cum essent parvuli plangebant quotidie tum fame et siti, tum quia non poterant habere consolationem matris, eo quod non poterat subvenire sibi. Accipiens igitur eam vir ejus celeriter bajulavit ad S. Jacobi oratorium, ibique mansit per triduum, sed in his tribus diebus continuit super eam misericordiam suam Dominus.

patrocinio S. Jacobi

270 Exinde vero reportavit eam vir ejus ad propriam domum, quæ tunc invenit flentes, atque lugentes pueros suos; exaudivit autem Dominus gemitus puerorum, respiciens ad paupertatem et miseriam illorum : quam cum vir ejus in C lecto reposuisset, dulcissimo somno arripitur mulier, quæ tunc in visione vocata, ut surgeret ac denuo ecclesiam adiret, ut Domino, et ejus Apostolo gratias ageret, expergefacta continuo surrexit, fratremque suum Martinum voce magna vocavit, et ut ad gratias agendum secum pergeret precibus invitavit; qui cum vellet eam manibus apprehendere, ut illam sustentaret, prohibuit ipsum, et alios, qui se juvare cucurrerant, ne se tangerent, dicens et asserens, se sine alterius emolumento pergere posse, beato Jacobo apostolo sibi opem ferente. Videntibus autem viris, et mulieribus undique concurrentibus, eamque per decennium contractam cognoscentibus, sic eam suis pedibus ambulantem et laudantem Dominum, omnes ad ecclesiam velociter concurrerunt, clericisque convenientibus TE DEUM LAUDAMUS alta voce pariter decantaverunt, et signis in classicum sonatis, omnes suffusi lacrymis, flexisque poplitibus, humique prostrati, palmas ad cælum tendentes, de tanto et tali miraculo Domino nostro Jssu Christo, suoque Apostolo gloriam dederunt.

sanantur,

Item alia quædam paralytica contracta de Villis habitans in loco, qui Agellus dicitur, profecta est ad oratorium S. Jacobi, et ibidem remedium sanitatis accepit.

ex MS. quale beneficium etiam cuidam viro,

271 Quidam vir de sancto Baronto, cujus monasterium situm est in montibus, distans ab urbe Pistoria milliariis octo, tantam ægritudinis molestiam jam fere per duos annos in nervis patiebatur, quod numquam sese movere poterat de loco aliquo, nisi ab aliquo traheretur : hujus etenim crura ita turgida malisque humoribus plena fuerant, quod nullatenus ab aliquo medico remedium salutis accipere valebat, qui de facultatibus paupertatis suæ, quas ipse habebat, multa pro liberatione sua multoties expenderat, nihilque sibi profuerunt. Divulgata vero S. Jacobi fama, eo quod Dominus multas virtutes operabatur ob ipsius merita, properavit æger ad S. Zenonis basilicam, ubi recondita sunt Apostoli patrocinia, ibique suscepit orationibus ipsius salutis suæ remedia, qui prius, ut dixi, multa medicis erogaverat, et ita liberatus est ab ægritudinis molestia, quod absque dilatione suscepit sospitatem, et peregre profectus est in Hispaniam ad beati Jacobi apostoli basilicam. E Hoc etiam miraculum satis apertum et divulgatum, ac in eadem civitate celeberrimum, didici a domino Actone reverendo episcopo, canonicis ejusdem ecclesiæ, clero cuncto simul et populo. Proinde gratias agamus omnipotenti Domino, cui est honor, et gloria in secula seculorum. Amen.

[H]ic puero [Flo]rentinæ urbis,

272 In civitate Florentia, quæ tunc temporis inimicabatur cum civitate Pistoria, percrebuit ejusdem Apostoli fama. Quædam mulier, quæ inibi erat, mox ut hoc audivit, cum gaudio surrexit, suumque filium contractum, et gibborosum, ita quod caput fere genibus inhærebat, secum assumpsit, eumdemque vehiculo imposuit, et gloriosum iter hilariter incepit, atque complevit : quo completo, ecclesiam S. Zenonis intravit, puerumque suum, cujus totum corpus conglomeratum fuerat, beato Jacobo repræsentavit : sed non multo post cœpit pellis corporis ejus extendi, et dilatari, videntibus cunctis, qui aderant ibi, et ad sonitum ossium crepitantium concurrentibus et multis aliis, corpus ejus illico est extensum, et caput a genibus separatum, sursum quoque erectum, et elevatum; F verumtamen in dorso adhuc apparet signaculum gibbi illius. Hoc miraculum factum est coram multis et diversis gentibus, Pistoriensium videlicet, Florentinorum, atque Lucensium, et qui venerunt de longinquis partibus, qui omnes pariter unanimiterque benedixerunt et laudaverunt Dominum manibus expansis ad cælum. Puer autem is, qui liberatus est, cum matre Florentiam pedibus remeavit, qui prius Florentia Pistoriam vehiculo in cophino venerat, ut audistis; quo redeunte, quidam credebant, et Deo gratias agebant; quidam autem non eum esse dicebant, sicut Judæi de cæco a nativitate, quem Christus illuminaverat.

[illegible]

273 Post hæc autem credulis et incredulis par concordia fuit : nam in eadem civitate Florentia huic miraculo superaddita sunt et alia miracula, quæ facta sunt ibi a Domino per ejusdem Apostoli merita. At puer, qui, ut diximus, ita conglomeratus fuerat, iterum cum matre venit Pistoriam ad referendas Deo et beato Jacobo laudes condignas, et debitas gratias, quem ipse, Deo gratias, oculis meis vidi, qui alacer effectus fuerat nimis, coloratus, et pinguis, nullum habens indicium pristinæ infirmitatis, præter aliquantulum gibbi, qui remanserat illi; vidi namque, et allocutus fui,

diligenterque

EX MS

diligenterque satis interrogavi, quomodo, qualiterque hoc ei accidit, qui, sicut ab omnibus audiveram, sic retulit mihi, cui dominus episcopus, me vidente, frequenter eleemosynam fecit, qui et testimonium de ipso perhibuit. Quo miraculo Florentini in veritate cognito, licet tunc adversus Pistorienses inimicati valde fuissent ad invicem, cum nimia tamen veneratione discalceatis pedibus, et laneo indumento induti multi ex eis exinde ad sanctum Jacobum cœperunt venire, maxime mulieres cum cordis compunctione, sicut cælitus fuerant inspiratæ.

Mira narratio de columba silvestri,

274 In diebus illis aliud miraculum tam pium, tam gloriosum factum est a Domino, de quo, qui digne meditari voluerit, satis nosse poterit, quod pertineat ad ædificationem omnium ad beati Jacobi curiam venientium, cunctorumque Christianorum fidelium. Puella denique quædam de agro Pitacio cum quadam die infra tertiam hebdomadam post altaris S. Jacobi consecrationem canapem * de horto evelleret, considerans vidit columbam per aërem volantem, et non procul ad se postea venientem, et requiescentem: C quam cum non longe ante se cerneret, rogavit Dominum, et beatum Jacobum dicens: Domine, et beate Jacobe, si vera sunt ea, quæ de te Pistoriæ dicuntur, et ea miracula operaris, quæ Pistorienses asserunt, dona mihi hanc columbam venientem meis in manibus; mox ergo columba de loco surrexit, in quo quiescebat, quæ mitis ac mansueta, quasi multo jam tempore domestica, venit ad eam; quam sic manibus accipiens [tenebat] acsi corpus inanimatum fuisset. Quid tamen egit puella? Portavit illam ad domum suam, ostendit patri, et indicavit ei omnia, omnibusque, qui erant ex ipsa familia quonam modo columba suis in manibus devenerat.

* lege cannabem

quæ prodigiose capta, ac Pistorium delata,

275 Quidam ex eis dicebant: Occidatur, ut manducemus illam. Quidam alii subclamabant: Non interficiatur, sed abire permittatur. Laxavit itaque manum puella, ut videret quid ageret. Ipsa columba, quæ de manu illius egrediens descendit, et gallinis colligentibus escam se admiscuit, nec umquam postea de domo exibat, sed sic associata cum illis manebat, tamquam si cum eis mansisset per multa et longa tempora. C Admirantes autem omnes admiratione non modica pro tanta mansuetudine jam dictæ columbæ, quæ siquidem usque ad ipsum diem non domestica, sed agrestis fuerat, euntes ierunt ad sacerdotem ejusdem villæ, studentes ei hoc factum denuntiare; proinde sacerdos patri et puellæ salubrius et utilius consilium dedit, sicut more suo divinitus impositum fuit: Die, inquit, Dominico ad dominum nostrum episcopum pariter pergamus, et sicut ipse nobis dixerit, sic inde faciamus. Euntes igitur die Dominica Pistoriam repræsentaverunt domino episcopo columbam, dum in honorem S. Jacobi devotissime cum suis canonicis celebraret Missam super sacrosanctum altare, quod in ejus honore consecratum fuerat. Audita vero præsul per ordinem causa, suscepit columbam, et super murum cancelli, qui est circa altare S. Jacobi posuit illam, in quo loco mansit per tres hebdomadas, quæ numquam inde decedebat, nisi quod aliquando, et rarissime per ecclesiam volabat, sed semper, et absque dilatione ad pristinum locum redibat, ibique mitis, humilis, simplex, et mansueta sedulo manebat; escas autem aut vix aut raro rostro colligebat.

tamquam cicur ad altare S. Jacobi diu mansit,

276 Sed Lucenses et alii forenses pennas D gutturis ejus avellentes pro devotione secum deferebant, et pro signo iis, qui non viderunt, ostendebant; ab injuriis etiam numquam se defendebat, cujus jam guttur a vulsione pennarum decorticatum erat; tamdiu sic incaute factum est istud, quamdiu persolvit naturæ debitum: et nihil mirum, quomodo namque vivere poterat avis animata, quæ vix escam carpebat, et nihil penitus dormiebat? Gens quidem die, noctuque undique concurrebat, eamque vicissim venientes vexabant, in nocte semper vigiliæ fiebant, clerus, et populus altis vocibus Domino jubilabant, luminaria plurima illic incessanter ardebant. Quomodo ergo, qualiterve vivere poterat, quæ a tanto strepitu numquam cessabat, sed quasi pro custodia semper ibi manebat? De cujus itaque decessu cunctus clerus, et populus pariter dolentes, quia dolendum fuerat valde, consilio inito, corium simul et pennas ejusdem sursum in ecclesia suspendere ad E indicium venientium. Quid potuit esse dulcius, quid convenientius in tanto et tali negotio hoc admirabili signo, quod nobis ostendere dignatus est omnipotens Deus? Non opus est quidquam de jam dicta columba plura referre, quam quidem videbant omnes illuc venientes aperte et manifeste. Unde non solum laici, vel clerus ejusdem civitatis, sed multi religiosi, abbates, et priores, clerici, et laici ab unde testimonium veraciter inde possunt perhibere; nec non et ego testimonium perhibeo, testis utique verax atque fidelis, qui eam per integram hebdomadam oculis meis vidi, et manibus in veritate tetigi.

et mulierem morti proximam indicavit.

277 In præfata ecclesia multi contracti multi languidi et infirmi diversarum infirmitatum jacent, Domini misericordiam pariter expectantes, ibique mulier quædam paupercula, nimisque infirma ab aliis infirmis semota in angulo ecclesiæ jacebat, et, nescio qua occasione, a custodibus derelicta. Factum est autem ut ipsa morti appropinquaret, et nullo eam vidente, columba, quæ circa altare S. Jacobi morabatur inde surrexit, et usque ad mulierem, vicinam morti, contra solitum volavit, ac supra corpus illius se ponens quievit; illi vero, qui aderant, F considerantes columbam languidæ mulieri associatam, admirantes valde concurrerunt ad eam cupientes nosse, cur se illuc diverterat: et cognoverunt, quod non cognoscebant, videlicet ægram proxime morituram: accedentibus autem turbis, columba recessit, et ad locum suum juxta altare rediit. Elevantes igitur inde cum grabato languidam, portaverunt eam foras ecclesiam, quæ post paululum fuit mortua, et honorifice sepulta; quam quidem, prout credimus, nisi columba monstrasset, nemo morientem vidisset.

CAPUT III.

Multi a variis morbis et infortuniis liberati.

Monialis misere distorta,

Aliud itidem miraculum charitati vestræ declarare cupio. In monasterio S. Petri de Campaliana quædam sanctimonialis erat, quæ totum latus sinistrum ita perdiderat, quod non pedibus, sed manibus miserabiliter incedebat, natesque per terram trahebat: planta quidem pedis

A pedis a dorso, et dorsum in loco plantæ conversum fuerat, nec non et digiti pedum a calcaneo, et calcaneus in locum digitorum vertebatur; talus quoque in inferiori parte corporis locum inverterat, in loco videlicet, ubi planta manere solebat. Licentia igitur accepta ab abbatissa sua, ad oratorium S. Jacobi venit, ibique per triduum mansit, et non liberata ad cœnobium suum rediit : quæ cum sero ante completorium ante altare S. Petri reverenter oraret, et in ipsa oratione recordaretur miraculorum beati Jacobi, omnia membra Dominus in suo loco repente restituit meritis ipsius Apostoli. Sorores autem, quæ tunc in claustro erant, illico cucurrerunt ad sonitum ossium crepitantium. Habita igitur iterum licentia ab abbatissa sua, properavit et rediit ad agendum Deo et beato Apostolo debitas gratias. Monacham vidi et allocutus fui, et de hac re satis interrogavi, ac
B signa liberationis ostendit mihi : et ideo hæc fiducialius scripsi, et ut verius credi possit, eadem abbatissa, quæ jam dictam monacham in monasterium susceperat, nomine Fabronia, quæ nunc est monasterii S. Petri majoris Pistoriensis abbatissa, frequenter retulit mihi de contractione sua cuncta, quæ audieram signa, qualiterque miserabiliter incedebat.

aliique multi,

279 Præterea puer quidam de episcopatu Bononiensi totus fere contractus, ad memoriam beati Jacobi fuit a matre ductus, ut per merita ipsius Deus omnipotens ei subvenire dignaretur, utpote [qui] multis aliis misericorditer subvenit; tandem misericordia Domini cooperante, reddidit filium matri suæ sanum et incolumem.

Cæcos etiam de episcopatu Florentino et de diversis aliis partibus haud dubie multos illuminavit, multosque languidos et paralyticos ad se venientes curavit.

inter quos mulier per viginti annos contracta,

280 Post hæc autem et alia innumera miracula, me præsente, sanctum est et aliud miraculum. Cum igitur ipso anno, quo in honorem S. Jacobi altare consecratum fuit, cum monachis S. Bartholomæi de burgo Pistoriensis ci-
C vitatis tertio Nonas Septembris ad celebrandas vigilias quadam die sero perrexi, nec non et populo cuncto ejusdem parochiæ, lampadibus et cereis accensis, et cantato responsorio, factaque oratione, sicut mos est, quidam contractus, qui gratia recuperandæ sanitatis illud venerat, repente surrexit, et coram multitudine diversarum gentium, de longinquis partibus venientium, clericorum, virorum simul ac mulierum, extensis manibus et pedibus, qui prius contracti fuerunt per viginti annos, prout ipse et omnes noti ejus testabantur, ante altare S. Jacobi apostoli erectus venit, quem super cancellos illico posuere, ut se omni populo liberatum ostenderet, et brachiis sursum erectis manibusque extensis se gerendo * hinc et illinc, omnibus, qui aderant, gratanter ostendit, cujus quidem manus et brachia sicca erant et arida; erat autem jam dictus invalidus de Florentino episcopatu, videlicet de Monte Bono; huic enim miraculo et ego interfui. Tunc ergo omnes gratias egimus Domino, qui tanta dignatus est operari per Apostolum suum.

** forte gyrando*

variis morbis ac malis affecti

281 Eadem quoque nocte, peractis vigiliis, et remeantibus ad propria clericis, alterum contractum, qui aderat, ut ab adstantibus audivi, simili modo sanavit; qui ad altare veniens piissimo Domino cum omnibus, qui aderant, gratias egit.

ex ms.

Ipsa vero nocte cuidam mulieri de civitate Pistoria manum reddidit, prout audivi; non erat autem mulier in ecclesia quando eam sanavit, sed in domo sua S. Jacobum exoravit, ibique ei subvenit.

Quanti sunt debiles, et claudi, cæci, atque contracti, paralytici, et morbidi, qui concurrunt ad oratorium beati Jacobi gratia recuperandæ sanitatis, quibus Deus misericordiam suam reservat, et in sinu suo continet, quam eis postea vel in medio itineris, vel ad propria remeantibus ostendit? Quosdam enim sanat, quosdam a doloribus liberat, quosdam illuminat, quosdam extendit, quosdam languoribus curat; innumerabiles enim sunt illi, qui veniunt ad referendas Deo gratias, sanitate recepta. Vere multa super his illic crebro et alibi fiunt miracula, referentibus plebanis, presbyteris, clericis, multisque laicis asserentibus, ita quod sic et sic, E
tali die factum est in terra mea de tali et tali ægro masculo, vel femina : unde difficillimum est scribere omnia.

sanitati restituuntur.

282 Quidam dæmoniacus illuc venit, ibique sanitatem accepit, de cujus corpore Dominus amore S. Jacobi dæmonium effugavit. Hoc a multis audivi, sed domino et venerabili Actone episcopo mihi referente, magis ac magis fiducialiter scripsi. In eadem quoque ecclesia vidi frequenter quemdam puerum cruribus exstensis et a natibus separatis, signis ab utraque parte natium apparentibus, quomodo prius cohærebant sibi : sed quoniam adeo subtilia erant, quod vix tantummodo videbantur in eis ossa, nisi pelle et paucissima carne cooperta, nondum erectus ambulare poterat.

Ipse miraculorum scriptor mulæ insidens,

283 Cum de mirabilibus gloriosissimi Apostoli huc usque Pistoriæ scripsissem, meque Pisas oporteret redire, deveni juxta ecclesiam S. Martini in Monte Culio sitam, quæ quatuor milliariis distat ab urbe Pistoria. Vidi equos in monte stratos, cæpique mulieres de monte vocare, de illis interrogans, qui equos in montem duxerant, quibus quidem me associare cupiebam. F
Tunc mula, super quam sedebam, repente duxit me per angustum tramitem inter Casinulum et Casellam, quæ inibi erat, me utrisque manibus lorum freni retrahente, prout poteram; sed hanc retrovertere non valebam. Cum igitur sic subito in tam strictissimo loco me coarctatum cognovissem, retroque redire non possem, nec a dextris vel sinistris descendere, et trabeculæ non longe a terra Casinulæ et Casellæ cohærerent, ita quod inde non poteram nisi flexo corpore transire, timebam, quia timendum erat duplici timore, tum quod ab aliqua parte nequibam descendere, tum ne caput trabeculas percutiens eliderem.

imminenti gravis læsionis periculo mirabiliter eripitur,

284 Insuper autem multo magis timui, quoniam mula gressus ad ostium stabuli parvissimum, quod erat juxta ecclesiam, festinanter dirigebat, per quod se velle ingredi demonstrabat; altitudo namque limitaris ostioli non major erat, quam altitudo mulæ cum sella, quam ipse sedebam : ad quod cum mula appropinquaret, et ex ingressu jam certus essem, et metus ac timor multo plus mihi succresceret, meditabar in corde meo dicens : Descendere non valeo, adjutorem non habeo, trabeculas timeo, sub quas transire nequeo, nisi corpore flexo, nec etiam

EX MS. etiam redire retro; confidenter rogavi Dominum, et beatum Jacobum : Domine Deus, inquiens, et S. Jacobe apostole, adjuva me. Hoc dicto, cum tanta suavitate transivi per medium ostii stabuli, quod etiam nec capillum quidquam tangere sensi; sed sic mihi fuit sufficiens introitus ostioli, tamquam si transissem per amplissimas portas cujuslibet civitatis; at ubi me esse in stabulo cognovi, mox de mula descendi, manibusque frenum comprehendi, mulam exinde extraxi, ac pedibus flexo capite exii, sella quoque mulæ liminare ostii in egressu tetigit, et latitudinem utriusque lateris, a dextris videlicet et sinistris, et sic a summo usque deorsum mula ostium replevit. Sic ergo, ut audistis, me virtus Dei omnipotentis facile liberavit per merita gloriosa apostoli sui sanctissimi Jacobi. Ipsi laus et gloria in secula seculorum. Amen.

et narrat,

285 Supremo regi, regum Domino, et salvatori nostro Jesu Christo, qui dignatus est de intemerata Virgine nasci, et ex ea carnem assu-B mens humanam, pro salute humani generis non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum, immensas cum jubilo gratias referamus, quoniam mirabili suæ divinitatis virtute mirabile novumque nuper miraculum, meritis beatissimi Jacobi exigentibus, voluit declarare, quod tacito sermone prætermittendum non est, sed inter cetera, quæ Deus est per eumdem Apostolum operatus, miracula celebri memoria recolendum est merito, quia non debet civitas abscondi super montem posita, nec lucerna ardens sub modio delitere *.

* *forte* delitescere

quomodo juvenis ab acu gutturi infixa liberatus fuerit.

286 Cum itaque quidam Pistoriensis juvenis, Bujamonte nomine, Veneris die sancto, id est sexta feria, qua Jesus Christus Dei filius pro nobis peccatoribus crucis patibulum sumpsit *, dieque tertia resurrexit, desiderabili appetitu, prout moris est juvenilis, cænaret, morsellum *a* quemdam panis, in quo acus quædam ferrea, eo prorsus inscio, sinistro fortuitu latitaret, ex improvisu transglutiens, eum acriter in gutture versatum persensit, sicque intolerabili puncturæ dolore aliquamdiu tortus, et anxiatus, nec non in tanto mortalis periculi metu gravissime constitutus, cœpit cum lacrymis beatissimi Jacobi flagitare suffragium, cujus clamore, cæ-C lum, ut vere credo, per intercessionem Apostoli penetrante, tussi, veluti Deo placuit, juvenis provocatus, cum non modica quantitate cruoris acum evomit; quam, priusquam fuisset intuita, non acum, sed quamlibet festuculam, vel spinam fore quidem putabatur; qui sic a tam pestifero cruciatu Dei nutu et S. Jacobi precibus liberatus, acum illam continuo apprehendens, capellæ S. Jacobi presbytero, et aliis nonnullis præsentibus, domino Bono *b*, venerabili Pistoriensi episcopo, vultu irragato lacrymis præsentavit; sicut ego ipse oculis meis vidi, et rei eventum, qualiter congerat, ab eodem juvene per ordinem plenius intellexi : eadem quippe acus dudum super altare S. Apostoli evidenter perpendit in testimonium tam pretiosi miraculi, longe lateque relatione publica divulgandi. Honor Patri almifico, semper sit decus Filio, qui meritis Apostoli opus fecit miraculi. Amen. Annus Domini millenus, tumque primus bis centenus, nec non decimo Kalendas fert Aprilis recolendas actor hujus et relator rei gestæ exarator *c*.

* *forte* subiit

D

ANNOTATA.

a *Satis patet ex sensu, hanc vocem pro frusto panis poni ab Italica voce* morsello, *quæ idem significat. Alii etiam medii ævi scriptores apud Cangium in Glossario eadem voce utuntur, forte illam derivantes a voce Latina* morsus.

b *Is præsul, nomine Bonus, anno* 1186 *Pistoriensem cathedram ascendit,ut tradit Ughellus tom.* 3 *Italiæ sacræ col.* 299 *Venetæ editionis.*

c *Ex hac clausula in Commentario part.* I § 8, *num.* 95 *conjeci, Contarinum hic suæ lucubrationi finem imposuisse.*

CAPUT IV.

Duo magnis periculis erepti, et alius extremo supplicio prodigiose subductus. E

Juvenis feroci equo insidens,

Eodem quoque anno, veniente die solemni et optabili festivitate inclyti et pretiosissimi apostoli Jacobi, cum scutiferi, militaris solatii gloria invitante, prout antiquus longusque terræ mos expetit, cum hastis cursim luderent equitando, puer quidam, filius viri nobilis Gherarduccii quondam Letaminii de Montemurlo juxta rivum, qui Umbroncellus vocatur, ex inferiori parte portæ Lucensis Pistoriæ civitatis, ingentem equum currebat : qui cum esset tam corpore, quam altitudine magnus, et caballina feritate immaniter incitatus, ruptis fræni ejus habenis, sicut hirundo suo celerrime vehitur advolatu; sic et ipse rabido cursu immoderatæ fortitudinis, atque velocissimo portabatur. Puer autem in tam meticuloso et gravissimo personæ periculo positus Apostoli adjutorium flebili vultu et excelsa voce incessabiliter postulans : Sancte, ait, Jacobe, adjuva me. Viri etiam et mulieres ipsum in tanto discrimine intuentes dicebant : Adjuvet te Christus, et sanctus Apostolus, quem tui flagitas adjutorem. F

et in magnum vitæ discrimen adductus,

288 Ille vero destrarius *a* dæmoniaca, sicuti a quibusdam creditur, appulsus * insania, ita currens cum puero, ut superius dicitur, in medio viæ publicæ, quæ strata *b* nuncupatur, saltum inæstimabilem, et, ut arbitror, inauditum sursum ferociter carpens bancum *c*, et pannos multos super illud more solito positos ad vendendum ante ostium domus cujusdam nomine Date, de porta Lucensi constructum, in quo diversa mercimoniorum genera venumdantur, et maximum lapidem solium *d* apothecæ prædictæ domus introrsum furiosissime transilivit, puero pariter et equo, upote Deo placuit, illæsis penitus remanentibus : illius vero posteriorum pedum impressa vestigia solio memorato satis evidenter apparent. Nec potuit hic destrarius unde transierat ullo modo regredi, sed aliunde per amplum ostium domus ab hominibus est foras eductus, gratias Deo et beato Jacobo gratanter agentibus, qui per sui Apostoli merita puerum et equum divinæ virtutis potentia conservavit indemnes. Altitudo autem instrumentorum, quæ ad opus rerum venalium inibi sunt composita, subter quibus equus idem prosiliit, quam

* *forte* impulsus

A quam parva sit, non est oblivioni tradendum : spatium enim a pertica, a qua quædam venalia, cerei scilicet, aliaque nonnulla tunc dependebant, usque bancum ex septem semissibus, minus fere una uncia constat : storiumque namque lignis desuper et acutis firmiter confixum, quod ante apothecam mansionis ejusdem ad arcendum fervorem solis nec non impetus aquarum et imbrium est constructum, a solo terræ distat solummodo tribus brachiis *e* et dimidio : longitudo nempe saltus ipsius animalis decem et octo pedum diligenti studio mensuratorum spatium capit, veluti juxta mensuram mensum est.

ope S. Jacobi illæsus servatur,

289 Tam miram rem et admiratione dignam vix aut numquam nostris audivimus temporibus huc usque uspiam evenisse, quod tantum animal sic corpulentum et magnitudine grande, tam angustum, periculosum, et implicitum locum simul cum puero super ipsum sedente intactum transegerit et impune. Sed quis Deus magnus, sicut Deus noster? Ipse est Deus, qui facit mirabilia solus; ipse namque licet sit magnus in magnis, mirabilia tamen quotidie in minimis operatur. B Lætentur ergo, fratres, clerus et populus Pistoriæ civitatis cum omni episcopatu, et gaudio magno gaudeant in immensum; quoniam tantum et talem nobis Patronum largiri dignatus est Jesus Christus : quia ejus patrociniis tota civitas illustratur, ejusque pia intercessione hoc miraculum, vidente innumera gentium multitudine, noviter ac mirabiliter declaravit. Ipsi quoque laudes et gratias debitas semper agere studeamus, apud quem nihil impossibile reperitur : cui est honor, decus, et imperium sine fine manenti in secula seculorum. Amen.

sicuti etiam rusticus intercessione ejusdem Sancti

290 Quod magnus sit Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non sit finis, ore Davidico voce dulcisona præcantatur. Nos etiam per multa et innumera miracula, quæ ipse in Sanctis suis hodierna die dignatus est operari, satis evidenter audimus, et oculis corporeis intuemur, inter quæ miraculum quoddam, quod non est silentio transeundum, Jesus Christus per sui Apostoli Jacobi merita mundo voluit declarare : nam homo quidam, Romeus nomine, filius Marinellini de Brandeglio, cum in Versilia biennio perstitisset, in festivitate S. Mariæ Magdalenæ ad locum, qui dicitur Vallis bona, C ubi argentum foditur, proficiscens per montem quemdam ad findendam incisam fagum pro sustentandis cryptis terrarum, ne ruerent, ubi vena argentea reperta fuerat, festinanter ascendit, quæ ictu securis contra ferientem commota, ipsum per diruta montis periculose versando usque ad alteram fagum, quæ incisa non erat, ruinosissime volutavit.

manifesto mortis periculo eripitur.

291 Is vero inter utramque fagum capite arctius intrusus per medium fere diem ibi fortiter adstrictus crudeli tormento affectus permansit; sed tam in ruinæ, quam coarctationis flagitio, Dei et beatissimi Jacobi apostoli patrocinio sæpius expetito, et clamore dudum passi pœnam quorumdam virorum a loco militiariis ferme duobus distantium aures, ut Deo placuit, reverberante, octo ex illis scitati quidnam esset, illuc velociter cucurrere; unus autem eorum, qui processerunt, hunc videns sic morantem in terra, præ timore cecidit semivivus; ceteri vero ad afflictum pergentes interrogare cœperunt, quomodo id ei acciderat. Hic voce debili casum enarrans, Dei Apostolique auxilium et illorum lacrymabiliter postulabat : qui divino et apostolico nomine invocato, arborem illam viriliter capientes, sursumque trahentes adeo summoverunt, quod ipse tantum periculum per Apostoli merita, cooperante potentia Salvatoris, evasit. Fagus autem tam ingens erat, quod parum vel nihil possent eam viri sexaginta movere, nisi Deus esset cum eis, sicut fuit cum illis octo, qui vires suas, addita Christi virtute, in arborem exercuere. Cuncta vero præmissa intellexi ab eo plenius et audivi, qui periculum memoratum incurrerat. Laudes ergo et gratias omnipotenti Domino referamus, cui omnia possibilia sunt et erunt in secula seculorum. Amen.

EX MSS.

Quidam ad caudam equi raptatus,

292 Cum quidam, Milo nomine, filius quondam Fidenrichi de villa, quæ dicitur Savignanum, districtus Pratensis, coram domino Rodulpho comite, Potestate Pratensium *f*, prætextu cujusdam excessus accusatus fuerit a quibusdam, idem dominus Rodulphus more Potestatum terrorem incutientium sibi subjectis, vel fortius temere * E dictum Milonem pœna hujuscemodi condemnavit : videlicet, ut deberet ipse Milo per omnes oras castri Pratensis ad caudam equinam trahi, et igni deputari postea comburendus; quo taliter condemnato, ad caudam jumenti cujusdam præfatus Milo protinus est ligatus, et sic ligatis ei pedibus, et post tergum manibus, per oras ejusdem castri ad caudam tractus est ipsius jumenti cursu rapido incedentis : qui cum immaniter traheretur, idem Milo, cor contritum et fiduciam habens in Deo magnam, et sperans, ut ipse beatus Jacobus, cujus celebrabatur vigilia ipsa die, sui existeret liberator, Dei et ipsius Apostoli non cessabat auxilium implorare. Deus vero, quem nullum secretum latet, et qui exterius et interius cuncta videt, considerans cor illius, et quod ii, qui Milonem accusaverant ipsum, condemnationi suæ causam dederant manifestam, mira potentia sua et meritis ejusdem Apostoli, supposuit ipsi Miloni manum, eripiens eum prorsus ab hujusmodi cruciatu, nulla læsione in aliqua sui parte corporis remanente. Consuevit is profecto, qui tanto puniendus traditur periculo, sic torqueri, ut nulla remaneret sanitas in eodem; sed Milo jam dictus evasit, illæsus existens totus, Dei et dicti Apostoli misericordia præeunte.

f

* *forte* formidinem

et jam admoto igne comburendus,

F 293 Verum licet tanta res et tam mira in oculis omnium mirabilis haberetur, nihilominus tamen ipse Potestas volens eidem Miloni combustionis inferre pœnam, fixo magno palo, sive columna, in alveo Bisentii *g*, ubi ob hoc populus Pratensis convenerat ad videndum, jussit ligari eum ad ipsum palum : qui cum sedens, nec habens in dorso nisi camisiam, nec in capite aliquid præter ...... fuisset ad eumdem palum inter ejus crura ligatus funibus vehementer, et post tergum ligatas haberet manus, mox dictus Milo ex omni parte sui circumdatus est lignis siccis, et stipis * sive scopis multis in quantitate maxima illic peratque * et supra eum stipa plurima est collocata, ita ut facilius consumi ab igne posset : cumque ibi appositus esset ignis, et flammæ illius continuo creverint immoderate ardentes, Milo prædictus constitutus in medio ardoris tanti, Dei et jam dicti Apostoli voce magna præsidium indesinenter cum lacrymis exposcebat, exspectans Dei et

g

* *forte* stipulis

* *forte* paratis

ex ms.

et ipsius Apostoli pervenire sibi misericordiam, sicut prius omnipotens quoque Deus, qui gloriose in suis consuevit Sanctis miracula operari, et afflictis benignæ compassionis misericordia subvenire, volens ad ejus, et ipsius Apostoli decus suæ potentiam Deitatis ostendere in Milone, misericordiam exspectante, inhibuit dicto igni, ne ipsum Milonem ab eo inclusum tangere attentaret: Creator quippe inhibuit creaturæ, ne in eumdem Milonem extenderet vires suas, ad quam inhibitionem teput adeo dictus ignis, quod ipsius calor in eodem Milone, sua proprietate amissa, nequivit eum lædere, nec irrogare gravaminis sibi quidquam: unde Milo jam dictus exemptus divinitus ab ardore conservatus est incolumis per omnia inter flammis.

ab omni læsione immunis conservatur,

* *forte* tantum

294 Recte per hoc tam *, et tam illustre miraculum omni reverentia pignum fides Catholica roboratur, et infideles patenter confusi errorem suæ possunt recognoscere cæcitatis. Cessabit de cetero damnabilis contentio reproborum, quoties tam B miraculosa res ad memoriam fuerit revocata. Vere ipse dominus Deus noster pretiosum miraculum illud, quod olim gessit de trebus pueris in camino ignis a flammis circumstantibus liberatis, in Milone voluit renovare, ut hæresis perniciosa cessaret, et fidelibus firmior spes, et sincerior devotio adderetur. Deinde cum palum, stipas et ligna prædicta idem ignis consumeret acriter comburendo, et ipse Milo jam consumptus ab igne penitus crederetur, et etiam dictum esset, ut fierent pro ipsius anima Deo preces, dictus Milo, combustis funibus, quibus ligatus fuerat, sedens ad dictum palum, et aliis ligaminibus manuum et pedum ejus, in medio surrexit ejusdem ignis, vere apparens sanus, nec habens neque in capillo aliquo capitis, neque aliqua parte vel particula corporis læsionem aliquam vel jacturam: undique tamen ignis flammiger, ne inde Milo posset egredi, repugnabat; sed Dei clementia succurrente illi usque in finem fortiter, fuit actum, quod flammæ se aperientes ipsius ignis dicto Miloni semitam præstiterunt, per quam ipse illæsus exiit C ab eisdem. Interea Pratenses ipsum Milonem a mortis nexibus liberum, potiri corporea sanitate, ac ipsum non habere aliqui læsionis cernentes, admiratione non modica sunt mirari, Deo, cui nihil est impossibile, et beato apostolo Jacobo laudes omnimodas exsolventes.

atque ita supremo supplicio subductus

295 Quis ergo Deus est magnus, sicut Deus noster? Ipse est, qui prædicta miraculose fecit, et qui facit mirabilia magna solus. Ipse est, qui omnia quæcumque voluit et vult, fecit et facit in cælo, et in terra, mari, et in omnibus abyssis. Ipse est, cui obtemperant elementa, et qui flammis, ne ipsum Milonem læderent, voluit inhibere, cui tamquam domino Deo nostro, et beato Jacobo apostolo ejus, cujus amore ista fuere acta, fratres dilectissimi, honorem offerentes et gloriam sine fine, ipsius Dei gratia et dicti Apostoli, a flammis et cruciatibus hujus seculi eripi mereamur vitæ cælestis gaudio potituri. Hæc sequidem omnia gesta sunt apud dictum Pratense castrum Pistoriensis diœcesis, quod castrum magnum non modicum, et famosum inter cetera Italiæ castra nobile ac præcipuum reputatur, dominicæ Nativitatis anno MCCXXXVIII, IX Kalend. Augusti, scilicet die Vigiliæ Apostoli supradicti, Indictione undecima *h*. D

h venit Pistorium, ut S. Jacobi publice gratias ageret.

296 Sed licet gloriosa dicti Apostoli merita sint ubique, quia tamen Pistoriensis civitas ipsius Apostoli meritis et suffragiis decorata incessanter personat ejus laudes, et in ipsius celebritatibus et honoribus superior invenitur, dictus Milo ad ipsam civitatem veniens læta mente, se Apostoli altari ejusdem, in ecclesia majori Pistoriensi constructo, ubi omnipotens per eum miracula multa pretiosa exercet, flexis genibus cum omni reventia præsentavit, cereos illi offerens, et gratias ipsius Apostoli * de tantis ei collatis beneficiis agens: et cum campanæ ad laudem Dei et dicti Apostoli pulsarentur, et Pistoriensis populus in ipsa majori ecclesia convenisset, E jam dictus Milo, cum esset in pulpito ipsius ecclesiæ, canonicis ejusdem narravit prædicta omnia diligenter, et ne veniret in dubium aliquod alicui de prædictis, monstravit corporaliter præstito juramento prædicta omnia esse vera, sicut superius sunt narrata, eoram dicto populo, et præsentibus multis Pratensibus, qui affuerant dictis miraculis, et supradicta omnia dicentibus, plenam veritatem procul dubio continere, præfatis quoque canonicis, et aliis clericis devote TE DEUM LAUDAMUS cantantibus, et omnibus laudantibus, et benedicentibus Dei nomen et Apostoli memorati.

* *lege* ipsi Apostolo

ANNOTATA.

a Destrarius *vel* dextrarius *significat equum magnum et cataphractum, ut fusius videri potest apud Cangium in Glossario.*

b Strata *aliquando sumitur pro via publica, lapidibus vel silice munita; inter vero pro via regia.*

c *De variis* banci *significationibus consule Cangium in Glossario. Satis ex adjunctis intelligitur, quid ea vox hic significet.* F

d *Forte deductum est a voce Italica* soglia, *quæ limen significat. Alias etiam habet significationes, quas vide apud laudatum Cangium. Videtur hic pro alto limine accipi.*

e Brachium *in mensuris communiter apud Italos ponitur pro ulna, ut in Vita B. Antonii Aquilani ad diem* XXVI *Julii me fusius explicare memini.*

f *Pratense castrum, nunc oppidum, inter Florentiam et Pistorium jacet, et ab utraque civitate distat decem milliaribus. Plura de eo, si lubet, vide in novissima editione Ughelliana tom.* 3 *a col.* 317.

g Bisentius *vel* Bisentio *vocatur fluvius, qui civitatem Pratensem alluit, ut loco citato legitur apud Ughellum*

h *Ex hoc anno part.* I *Commentarii* § 8, *num* 95 *collegi, istud miraculum Contarino non fuisse scriptum.*

PARS SECUNDA

COMMENTARII HISTORICI

De prædicatione S. Jacobi in Hispania.

§ I. Quibus populis S. Jacobus prædicasse dicatur.

Sardi volunt, S. Jacobum in insula sua prædicasse, antequam Hispanias adiret,

Quemadmodum variæ regiones sacrum S. Jacobi *corpus aut caput sibi vindicant, ut supra vidimus, ita etiam diversi populi prima fidei suæ documenta ab ejusdem Apostoli prædicatione repetunt. Non est dubium, quin Judæis in Oriente Christum annuntiaverit, cum Hierosolymis ob Christianæ fidei confessionem martyr occubuerit: sed magis incertum est, quibus locis in Occidente Evangelium prædicaverit. Sardi contendunt, sese primos fuisse, quos sanctus iste Apostolus Christianæ doctrinæ luce illustrarit. Dionysius Bonfant, Calaritanus sacræ theologiæ ac juris-prudentiæ doctor, in Triumphis Sanctorum Sardiniæ lib.* I, *cap.* 5, *aliique scriptores Sardi nobis hanc insulæ suæ traditionem persuadere conantur. Salvator Vitalis ex Ordine S. Francisci in Annalibus Sardiniæ parte* 2 *ad annum Christi* 37 *pag.* 18 *eamdem patriæ suæ gloriam parabolice, ne dicam ridicule, sic probat:* Viso Jacobi in Hispanias adventu, operæ pretium est, in Sardiniam videre præventum: advenit quippe nos prius, quam vos, Hispani. Sardinia nonne Sandaliotis Apostolorum crepida sacra, sandalium? Æquum hinc, Jacobum sandalio istoc ad Hispanias calceari: quippe qui, teste Marco, calceati sandaliis ad prædicandum ibant Apostoli, nudipedes pergere non debebant. Neque imus inficias, hic mystice loqui de sandalio isto: nihilominus ad rem nostram confert (fasque sit fari agedum beatum apostolum Jacobum, antequam Hispaniæ dumeta tentaret, Sandaliotis pedes suos sandalio munivisse: a Joppe namque iter arripiens, recto cursu navigatione directa, Calaritanas calcavit arenas; a Joppe siquidem portu aliam quam Calaritanam insulæ partem æquius atque rectius, quin et commodius, attingere minime poterat. *Hæc nugatoria ratiocinatio tantum probat,* S. Jacobum *prius ad insulam Sardiniæ potuisse appellere.*

quod probare nituntur ex Breviario Armenio,

298 *Magis ad rem faciunt, quæ idem scriptor subdit his verbis:* Venisse Jacobum in Sardiniam, priusquam Hispaniam penetraret, virorum in litteraria et historica re summorum testantur elogia. Est in primis Breviarium Armenium, cujus testimonium ex Armenica in Hispanicam transtulit illustrissimus et reverendissimus Paulus Pacheco episcopus de Murs, filius, inquam, nobilissimi D. Don Joannis Pacheco, ex militia S. Jacobi, equitis inclyti, Caroli V Imperatoris ad principes Armenios oratoris et nuntii..... Hoc Breviarium ab archiepiscopo seu patriarcha Hierosolymitano ordinatum et digestum fuit circa annum Domini MLIV. *Deinde subnectit Hispanicam Lectionis Armeniæ versionem, in qua dicitur* S. Jacobus *ex Joppensi portu solvisse in Sardiniam, ac inde appulisse ad Carthaginem Hispaniæ, multisque urbibus peragratis, venisse in Gallæciam. Denique eadem Lectio addit, eum ex Gallæcia profectum esse Cæsaraugustam, ibidemque jussu Deiparæ in illius honorem construxisse sacellum, ac tandem ex portu Tarraconensi rursum vela dedisse in Palæstinam.*

de cujus antiquitate et auctoritate hactenus non constat,

299 *Si tanta sit hujus Breviarii antiquitas vel auctoritas, miror, quod Postulatores Cæsaraugustani Romæ suam traditionem non confirmaverint hoc testimonio, quod certe inter alia fuisset clarissimum ac vetustissimum. Neque dicas, id illis ignotum fuisse; cum apud Ferdinandum de Oxea in Historia* S. Jacobi *cap.* 6, *Didacum de Murillo Minoritam in Fundatione miraculosa Deiparæ de Columna, cap.* 32, *pag.* 270, *aliosque scriptores Hispanos idem passim referatur. Hinc conjicio, illam Breviarii Armenii auctoritatem Aragonibus suspectam fuisse. Porro non placet, quod* hoc Breviarium ab archiepiscopo seu patriarcha Hierosolymitano ordinatum et digestum *dicatur, cum Armeni proprium metropolitam habuerint, et utraque Armenia patriarchæ Constantinopolitano subesset, ut videre est apud Carolum a sancto Paulo in Geographia sacra, anno* 1704 *Amstelodami recusa, lib.* 9, *pag.* 247, *vel forte postea Antiocheno patriarchatui subjecta fuerit, ut colligitur ex Historia Armenia, a Clemente Galano Romæ anno* 1650 *edita, part.* I, *cap.* 25 *a pag.* 373. *Si quis tamen solide probaverit, hoc testimonium Armenii Breviarii genuinum et antiquum esse, omnem de eo suspicionem libenter deponam, ac facile admittam,* S. Jacobum *exiguo temporis spatio in Sardinia substitisse, cum id in transitu ad Hispaniam non adeo difficulter fieri potuerit.*

et Hispani cujusque provinciæ sibi primam istius Apostoli prædicationem præ aliis vindicantes,

300 *Firmioribus fundamentis nituntur Hispani, ut paragrapho sequenti videbimus, dum* S. Jacobum *in patria sua Christianam legem promulgasse affirmant. Sed inter eos non convenit, a qua provincia apostdicam prædicationem inchoaverit, et in quibus locis Christum annuntiarit. Si lubeat credere Aulo Halo, quem Joannes Tamayus Salazar ad quælibet probanda semper promptum habet, et cujus fictitium carmen in suo Martyrologio Hispano hac die refert, sanctus Apostolus pene omnes Hispaniæ provincias peragravit, et in singulis fere urbibus Christianam fidem docuit. Verum dum Hispani inter se de apostolicæ prædicationis primatu contendunt, adversariis animos addunt, ut* S Jacobum *in Hispaniam venisse confidentius negent.*

probent adversariis occasionem dubitandi, an ipse in Hispania prædicaverit

301 *At ne hoc a Belga dictum forte ægre ferant, audiant popularem suum Franciscum a sancto Augustino Macedo, qui in Diatriba de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam cap.* I, *de hac re ita disserit:* Advenisse Jacobum in Hispaniam certo

AUCTORE G. C.

certo est certius. Illud minus constat, in quam provinciam venerit. Cum ergo Hispania in multas sit distributa, singulæ eum sibi pio quodam studio vendicant, atque adeo suum dicunt, idque rationibus conantur ostendere; quæ cum hinc inde apponantur, dum alii alios refutant, dubium reddunt, in quam venerit: cum autem non potuerit venire in Hispaniam, nisi per unam provinciam, et ii monstrent, in nullam certam, contra singulas argumentando, venisse, fit, ut, an in Hispaniam venerit, dubitetur. Nec satis est iis Jacobo frui, quod facile esset ad componenda dissidia, ita ut illum ordine quodam serieque temporis una post aliam provincia exceperit; sed unaquæque illum cum prærogativa primatus habere vult: tam enim sunt religionis amantes, ut primas habere velint, non contenti habuisse, nisi prius aliis habuerint. Itaque de primis contendunt, quod turpe videatur in secundis tertiisve consistere. Ita sunt ad honores Hispani comparati, ut aut summos, aut nullos velint. B Igitur Tarraconensis provincia ad se vocat; Bætica sibi deberi ait; Lusitania suum esse contendit; Gallæcia ad se trahit. Omnes eum apprehendunt, et dum conantur arripere, in diversa trahunt et lacerant, ut nusquam videatur esse, quod apud singulas esse minime patiantur. *Ita ille mentem suam candide explicat. Attamen hanc Hispanorum contentionem nihil ipsorum traditioni officere ex eodem scriptore postea ostendam.*

Non est verosimile, quod S. Jacobus Gallos, Anglos,

302 *Aliqui volunt, a* S. Jacobo, *ex Hispania reverso, Gallos, Anglos, Hibernos, Venetos, imo et Armenos evangelica doctrina instructos fuisse. Quid sentiam de hisce excursionibus apostolicis, breviter dicam. Quantum ad instructionem Gallorum et Anglorum attinet, ea primum, quod sciam, refertur a Pseudo-Dextro, qui in Chronico ad annum Christi* 41 *ita pronuntiat:* Rediens Jacobus, Gallias invisit ac Britannias, ac Venetiarum oppida, ubi prædicat. *Aulus Halus sub larva antiqui poëtæ Burdigalensis, sed ex fabuloso recentioris Hispani cerebro nuper natus, hoc fallax Pseudo-dextri oraculum confirmare nititur, dum in carmine supra citato apud Tamayum die* XXV *Julii de* S. Jacobo *ita canit:* Lubens remeavit ad urbem C Isacidum, quo creditur in itinere Gallos invisisse meos, durosque tegisse Britannos. *Verum Alfordus noster in Annalibus ecclesiasticis Britanniæ ad annum Christi* 41 *num.* I *fraudem subodoratus, post adducta Pseudo-dextri verba sic prudenter concludit:* Ceterum malo primordia fidei in Britannia docta certioribus argumentis asserere.

Hibernos,

303 *Non est etiam verosimile, quod Vincentius Bellovacensis, Venitiis anno* 1591 *impressus, lib.* 8 *Speculi historialis cap.* 7 *scribit his verbis:* Apostolis itaque diversa cosmi climata adeuntibus, nutu Dei Jacobus Hiberniæ oris appulsus, verbum Dei prædicavit intrepidus. *At opinor, errore amanuensis aut typothetæ positam fuisse* Hiberniam *pro* Iberia, *ut ex contextu colligitur, et in posteriori editione Duacena correctum est. Nescio, utrum Pseudo-Julianus editionis Venetæ errorem secutus fuerit, vel an Hibernos palpare voluerit, dum in Adversariis num.* 409 *dicit, sacrum* S. Jacobi *corpus ex Judæa in Hispaniam transvectum fuisse a discipulis*, quos tales fecerat in Hibernia. *Ut ut est, hoc aut inter sphalmata aut inter figmenta reponimus cum Henrico Spelmanno, qui in Apparatu ad concilia Angliæ tomo* I, *pag.* 2 D *de hac opinione ita judicat:* Transeo, quæ de adventu S. Jacobi in Hiberniam et Britannicas insulas nonnulli suggerunt; cum vetustiorum nemo, quod sciam, hoc affirmaverit, et ab inferioribus non videatur aliunde proditum, quam HIBERNOS et HIBERNIAM male substituentibus pro HIBERIS et HIBERIA (id est Hispania) quibus et ubi Jacobus * prædicasse multi asserunt, priusquam Hierosolymis * redierat, cum ab Herode Agrippa interfectus esset *.

* lege Jacobum
* lege Hierosolymas
* lege est

aut Venetos Christiana doctrina imbuerit,

304 *Obscurum est, quid Pseudo-Dexter significare voluerit per* Venetarium oppida, *ubi* S. Jacobum *prædicasse comminiscitur. Si Venetias ad mare Adriaticum sitas intellexerit, nimis crasse finxit, cum ea urbs primum seculo* V *condita fuisse perhibeatur. Vidit hanc difficultatem Bivarius, et chari sui Dextri auctoritatem tueri cupiens, textum illius magis subtiliter quam vere commentatur:* Ceterum, *inquit*, quod de Venetiis asseritur, non est intelligendum dici de urbe, quæ nunc eo nomine ad sinum Adriaticum sita extat: eo siquidem tempore condita adhuc non fuerat. Nuncupabantur autem E Venetiæ oppida Galliæ Orientalis, ut apud Ptolomæum et Plinium videre est; et cum hæc versus Angliam sita sint, facile intelligitur, ea invisisse Apostolum, cum a Gallia in Angliam vel Britannias tenderet: nisi quis velit, ut advertenter non dixerit Dexter INVISIT VENETIAS, sed VENETIARUM OPPIDA, illa, inquam, quæ sita erant juxta locum, ubi postea Venetiarum urbs prædives ædificata erat: nam et olim quoque Venetos eam regionem inhabitasse testis irrefragabilis est Silius Italicus. *Laudo saltem ingeniosum explicandi conatum; sed his diutius non est inhærendum, quandoquidem non credam,* S. Jacobum *in Gallia aut Italia evangelium promulgasse, nisi id fide dignioribus testimoniis comprobetur. Suspicor, Ppseudo-Dextrum incaute Venetias maris Adriatici intellexisse, atque hujus figmenti occasionem arripuisse ex Veneta inscriptione, quam apud Ambrosium Morales legere potuit, et de qua jam pauca dicam.*

etiamsi Venetiis ab immemorabili tempore

305 *Franciscus Sansovinus in Italica urbis Venetæ descriptione lib.* 4, *pag.* 72 *narrat, quomodo aliqui istius provinciæ incolæ, ut vitarent barbarorum incursiones, ad vicinos lacus confugerint,* F *ibidemque quasdam domos ædificaverint. Cumque in una earum incendium exortum esset, invocato* S. Jacobi *auxilio, et voto facto, ignis per subitam pluviam prodigiose exstinctus est. Addit, post hoc miraculum anno* 421 *in honorem* S. Jacobi *eodem loco, qui nunc vulgo dicitur* Rialto, *exstructum fuisse templum, cujus varias instaurationes postea refert, sed de prædicatione* S. Jacobi *apud Venetos nullum verbum facit. Ambrosius Morales in chronico Generali Hispaniæ tomo* I, *lib.* 9, *cap.* 7 *templi hujus etiam meminit, et primæ ædificationis memoriam, lapide incisam, exhibet hoc modo:*

FUNDAMENTA HUJUSCE TEMPLI, DIVO JACOBO
APOSTOLO EX VOTO ERECTI, JACTA FUERE
CHRISTIANÆ SALUTIS ANNO CCCCXXI * DIE XXV
MARTII, ZOZIMO ROMANO PONT., HONORIO
IMPERANTE. DEDICATIO CELEBRATA SEQUENTI
ANNO, EODEM DIE, PER QUATUOR EPISCOPOS,
SEVERIANUM PATAVINUM, HILARIUM
ALTINATEM, JUCUNDUM TAURISINUM *,
ET EPODIUM OPITERGINUM; CURA VERO
FELICI SACERDOTI PRIMUM DELEGATA.

* alii legunt CCCCXX

* forte TARVISINUM

Non placent mihi hic anni ab Incarnato Verbo numerali,

A *numerati, cum iste computandi modus eo tempore nondum esset in usu, et primum circa medium seculi* VI *a Dionysio Exiguo fuerit usurpatus, ut passim tradunt chronologi. Præterea falsum est, Zosimum anno* 421 *fuisse Romanum Pontificem: nam anno* 418, *Zosimo mortuo successit Bonifacius, ut habet Baronius ad hunc annum, et constat ex antiquissimis Pontificum Romanorum catalogis.*

ecclesia in ejus honorem constructa fuerit,

306 *Ob has rationes suspicari cœpi, hanc inscriptionem Venetam alteri dudum destructæ ab aliquo recentiore substitutam esse. Nec vanam fuisse meam suspicionem postea didici ex Ughello, qui tomo* 5 *Italiæ sacræ col.* 1257 *eamdem inscriptionem integram et ab aliis restauratam exhibet, postquam columna præcedente de illius occasione ita præfatus fuerat:* Omnium ecclesiarum *(agit de patriarchis et ecclesiis Venetis)* vetustissima est D. Jacobi in Rivo-alto, a Pata-B vinis hac excitata causa: cum enim, sæviente Attila, cum finitimis populis ad Rivum-altum refugissent, ibidem excisarum a barbaris civitatum exules excepturi, novumque ac tutius paraturi domicilium; quod dum continentibus operibus moliuntur, paratas casas adeo pertinax, non sine Numine, invasit incendium, ut non prius exstingui potuit *, quam divo Jacobo apostolo ædificandum templum vovissent. Quod primum fuisse narratur hoc in Rivo-alto, ut legitur in quadam tabula marmorea, cujus ipsissima verba hic exscribenda curavimus.

* *lege* potuerit

cujus inscriptio examinatur.

307 *Deinde subjungit inscriptionem integram, et identidem renovatam, quæ sic habet:* FUNDAMENTA HUJUSCE TEMPLI, D. JACOBO APOSTOLO EX VOTO ERECTI, JACTA FUERE CHRISTIANÆ SALUTIS AN. CCCCXX, DIE XXV MARTII, ZOZIMO ROMANO PONTIFICE, HONORIO IMPERATORE. DEDICATIO CELEBRATA EST SEQUENTI ANNO, EODEM DIE, PER QUATUOR EPISCOPOS, SEVERIANUM PATAVINUM, HILARIUM ALTINATEM, JOCUNDUM TARVISINUM, ET EPODIUM OPITERGINUM. CURA VERO FELICI SACERDOTI PRIMO RELEGATA. HÆC VETUSTATE FERE ABOLETA * COMPERTA SUNT INDUSTRIA NATALIS REGIA CANONICI CENETENSIS, QUI ELECTUS PLEBANUS *, ET DICTO TEMPLO IN SPLENDIDIOREM ECCLESIAM INSTAURATO, UT ÆDI-C FICATIONIS, CONSECRATIONIS INSTAURATIONIS ET ELECTIONIS MONUMENTUM POSTERITATI RELINQUERET, HÆC IN MARMORE NOTANDA CURAVIT: QUÆ OMNIA ET TEMPORIS ET LOCI INJURIA CORROSA AC PENE CONSUMPTA HIERONYMUS AB AQUA DE MURIANO CANONICUS D. MARCI, ATQUE HUJUS ECCLESIÆ PLEBANUS HOC MARMORE RESTAURARI JUSSIT ANNO DOMINI MDC, DIE XXV MARTII. *Quamvis ex his pateat, eam inscriptionem recentiorem esse, tamen ex illa antiquum et immemorabilem* S. Jacobi *cultum Venetiis recte demonstrari fateor. Videri etiam de hac re potest Bernardinus Scardeonius in opere de Antiquitate Patavinæ urbis lib.* 2, *classe* 6, *pag.* 106.

* *forte* ABOLITA

* *Scardeonius notat anno* MDIII

Non videtur idem Apostolus Armenis Euangelium prædicasse,

308 *Antonius Caracciolus, ex Ordine Clericorum Regularium presbyter, in Biga illustrium controversiarum num.* 42 *apostolicum* S. Jacobi *zelum etiam ad Armenos extendit his verbis:* Traditionem Hispaniensem magis magisque firmat Armenica in Oriente traditio: nam etiam ipsa Armenia, licet remota admodum ab Hispania sit, servat tamen, ubicumque nunc inter Turcas, Christianos habet (et plurimos sane habet) beatum Jacobum abiisse quondam ad Hispanos, et adeo firme retinet, ut in voto peregrinationis ad Compostellanam S. Jacobi ecclesiam difficillime inter Armenos dispensetur, eo quod credant, revertentem Apostolum ab Hispania ad Palæstinam, transiisse per Armeniam, ibique Euangelium disseminasse Interrogentur, qui ex ea natione presbyteri aut episcopi negotii sive religionis causa Romam accedunt: ii, quod asserimus, et quod certo ac gravi testimonio accepimus, fatebuntur aperte.

AUCTORE G. C.

licet recentiores Armeni id asserant.

309 *Facile credo, quod hodierni Armeni hanc traditionem testimonio suo confirmaturi sint; at oportet eam recentiorem esse, cum in veteribus istius nationis monumentis nihil simile inveniatur: quippe in supra memorata illius gentis historia, quam Clemens Galanus Latine et Armenice edidit, ac annotationibus illustravit, ubi de primordiis Christianæ religionis, huic regioni illatis, agitur parte* I, *cap.* I, *tantum leguntur* E *sequentia:* Post gloriosam Domini nostri Jesu Christi in cælum ascensionem beatissimi apostoli, accepto Spiritu sancto, universas mundi plagas inter se, ductis sortibus, partiuntur. Sancti vero apostoli Bartholomæus et Thaddæus in Armenas regiones, quæ illis sortitione obtigerant, proficiscuntur; ibique a Sanatrugho, Armeniorum rege, necati martyrium compleverunt. *Hic, si usquam, mentio de* S. Jacobo *fieri deberet. His præmissis, nos solam* S. Jacobi *prædicationem in Hispania tuebimur, et jactus nostræ opinionis fundamentis, contraria quorumdam scriptorum argumenta solvere conabimur, ubi prius controversiæ istius originem et progressum explicuerimus.*

§ II. Qua occasione et quomodo de adventu S. Jacobi in Hispaniam dubitari cœperit.

Baronius communem traditionem, quam antea defenderat, deseruit,

Thomas Stapletonus, eruditissimus Anglus, qui anno 1598 *pie obiit, lib.* 1 *de Magnitudine Romanæ Ecclesiæ cap.* 3 *ostendit, quam certa suo tempore haberetur traditio de accessu* S. Jacobi *ad Hispaniam, dum sic scribit:* Verum F et indubitatum est, toto terrarum orbe velut in provincias distributo, facta primum in Judæa et Samaria verbi prædicatione juxta ordinem a Christo præscriptum, Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Achaia, Joannem in Asia, et Jacobum in Hispaniam hoc Euangelium, cujus est caput Roma, latissime propagasse. *Cardinalis Baronius communem Hispanicæ prædicationis sententiam tunc etiam pluribus testimoniis confirmare conatus est in notis ad Martyrologium Romanum, ac postea in Annalibus ecclesiasticis tom.* I *ad annum Christi* 44, *num* I *se eidem opinioni adhuc adhæsisse indicat his verbis:* Quod vero ad ipsum Jacobum pertinet; cum Hispaniarum ecclesiæ omnes ex æquo profiteantur, eumdem Apostolum antea in Hispanias esse profectum, illicque primum prædicasse Euangelium, et aliquot collegisse discipulos, nihil amplius, quod de ea re dicamus, habemus, quam quæ sunt a nobis in Martyrologio Romano notata; quæ consulat, qui hæc cupit: hic enim tantum agere de ejus martyrio in animo est, quod eo clarius atque celebrius reputatur, quod primus inter Apostolos tantam gloriam promeruisse cognoscitur. *At idem*

AUCTORE G. C.

idem eminentissimus scriptor tomo 9 *Annalium ad annum Christi* 816 *a num.* 48 *mentem mutavit, aut saltem priorem suam sententiam in dubium revocavit. Id autem, qua occasione factum sit, ex certa alterius eminentissimi viri relatione paucis accipe.*

potissimum impulsus dissertatione de primatu Toletano,

311 *Cardinalis de Aguirre tomo* I *Concil. Hisp. dissert.* 9 *excurs.* 2, *num.* 14 *causam hujus mutationis refert his verbis:* In ea veluti pacifica possessione ab immemorabili, non dico annorum, sed seculorum cursus persistebat traditio eadem, cum clarissimus vir Garsias Loaisa, canonicus Toletanus, et magister serenissimi Hispaniarum principis, postea Philippi III regis, novem post annis *(nempe ab edito Martyrologio Romano cum notis Baronii)* id est anno Christi MDXCIII edidit concilia Hispaniæ, et eorum occasione tractatum sive dissertationem de primatu ecclesiæ Toletanæ, in cujus defensionem affert narrationem quamdam (nescio unde acceptam) concertationis habitæ in concilio Lateranensi generali celebrato sub Innocentio III anno MCCXV inter archiepiscopum Toletanum D. Rodericum
B ex una parte, et archiepiscopos Bracarensem, Tarraconensem, ac Compostellanum ex alia, circa primatum ecclesiarum Hispaniæ, contendente unoquoque eorum nulli alii, quam suæ ecclesiæ, deberi.

quam Garsias Loaisa ex Ms. codice edidit:

312 Licet autem Loaisa ad illum asserendum ecclesiæ suæ Toletanæ (cujus tunc canonicus erat, et postea archiepiscopus fuit) haberet plura et validissima fundamenta, adhuc tamen novum aliud adjicere voluit ex narratione quadam eorum, quæ inter archipræsules prædictos in Concilio Lateranensi sub Innocentio III ultro citroque circa eam controversiam dicta, allegata, ac disputata fuerunt. Inter ea autem unum est, quo adventus S. Jacobi in Hispaniam, atque in ea prædicatio videtur in dubium vocari ab archiepiscopo D. Roderico, aut potius inter aniles fabulas reputari. Hæc cum legisset Cardinalis Bnronius, et vera credidisset, dubitare admodum cœpit de prædicatione S. Jacobi in Hispania, non ausus persistere in antiqua sententia.
C *Deinde miratur, eruditissimum Baronium nihil suppositionis aut fraudis subodoratum fuisse in ea narratione, cujus postmodum falsitates, anachronismos, contradictiones, aliaque absurda Franciscus Macedo Lusitanus, et excellentissimus Marchio Mondexarensis, aliique docti Hispani clarissime demonstrarunt.*

ea occasione prædicatio S. Jacobi in Breviario Romano ad traditionem ecclesiæ Hispanicæ restricta est,

313 *Interea novum Baronii judicium tanti fiebat, ut prædicatio* S. Jacobi *in Hispania, quæ in Breviario Romano sub Pio V absolute recitabatur, sub pontificatu Clementis VIII ad traditionem ejusdem regni restringeretur; antea enim tempore sancti Pii V sic legebatur:* Mox peragrata Hispania, ibique prædicato Euangelio, rediit Hierosolymam. *Postea autem Clemens VIII hanc periodum in propriis* S. Jacobi *lectionibus ita mutari jussit:* Mox Hispaniam adiise, et ibi aliquos ad fidem convertisse, ecclesiarum illius provinciæ traditio est: ex quorum numero septem postea episcopi, a beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. *Verum hæc mutatio non omnes istius temporis scriptores æque commovit, nec ab antiqua opinione revocavit: nam post illam anno* 1626 *Cornelius a Lapide in Commentariis ad cap.* 12 *Actor.* ℣ 2 *scribebat:* Jacobum in Hispania prædicasse universalis est, immemorabilis, non tantum Hispaniæ, sed et fidelium ubique traditio, cui refragari D nemo potest.

quam mutationem traditioni Hispanicæ favere contendit Sanctius noster,

314 *Imo Sanctius noster in Disputatione de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania tract.* 2, *cap.* 9 *contendit, eam mutationis formulam causæ Hispanicæ multum favere. Cum interim sciret, Hispanos non parum ea mutatione turbari, sibi capite sequenti hæc objicit:* At dices, si clausula hæc a Clemente supposita causæ tantopere favet Hispanicæ, quam traditione tot ecclesiarum confirmatam ostendit; si tam aperte septem viros dignos, quos deinde Petrus ordinaret episcopos, a Jacobo in Hispania fuisse conversos dicit, ex quo fit plus quam verosimile, plures alios minoris notæ, aut ex alio sexu fuisse a Jacobo ad Ecclesiam vocatos. Si ita se res habet Hispanica, quid Hispani tam graviter ferunt, antiquam clausulam de peragrata Hispania fuisse sublatam, et illius loco suffectam, quam nunc ex sensu, ut opinabamur, Pontificis exposuimus?

qui tamen simul explicat, cur ea Hispanis displicuerit.

315 *Huic objectioni a se formatæ deinde ita subtiliter respondet:* Sane si sincerum omnes et simplicem animum afferrent ad verba Clementis, aut ea essent doctrina vel ingenio, ut illorum E sensum explorare, aut de Pontificis animo conjectare possent, minus esset, quod de clausula nuper inducta laborarent Hispani. Sed quis rude atque imperitum vulgus instituat; aut non æquissime in Hispanorum nomen animatos ad verum illorum verborum sensum informet? Ex hac sive ignoratione, sive animo minus in Hispanorum gloriam affecto ortum est, ut plurimi liberius jam de primo Hispanorum Magistro loquantur, alii dubitent, minus denique firmitatis habeat antiquissima de Jacobo traditio. Cum ergo eam ob causam apud multos jam levior sit, quam antea, traditionis fides, occurrendumque videatur non prudentium solum judiciis, sed levissimis quoque vulgi rumoribus, ac vanis imprudentium ac delirantium somniis, pie dolent Hispani, meritoque contendunt, ne, quod ad hoc usque seculum indubitatæ fidei pondus obtinebat, cujusvis jam non solum ratiocinationi prudenti, sed etiam cogitationi futili et orationi liberæ proponatur, et ex suo potius au- F dacter et inscite, quam ex Pontificis sensu modeste atque sapienter loquatur. Timent igitur et merito cavent Hispani non id, quod a prudentibus et æquis rerum æstimatoribus, sed quod ab imperitis et iniquis, provenire potest incommodi.

Hispani Baronium ita oppugnarunt, ut is dicatur ad primam suam opinionem rediisse,

316 *Forte ob causam, jam a Sanctio allatam, plurimi Hispani scriptores ad oppugnandum Baronium undique prosilierunt, qua de re Spondanus in Epitome Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi* 44, *num.* 4 *ita scribit:* Adversus ipsum consurrexit pro suarum ecclesiarum traditione universa Hispania, multis ea de re a quocumque hominum genere editis scriptis, quæ si vidisset Baronius, etiamsi non id necessario evincant, quod volunt, sunt tamen ejusmodi, ut eum potuerint in priori sententia continere. *Imo, quod majus est, amantissimus veritatis Baronius, visis et expensis aliquod eorum argumentis, dicitur ad primam rediisse opinionem, uti testatur Didacus del Castillo, qui tempore Clementis VIII Romam missus, pro defensione prædicationis* S. Jacobi *librum composuit, quem postea Hispanice edidit, in cujus præfatione dicit, sese vere et jurato asserere posse, quod*

A *quod tunc suum librum, Latine conscriptum, dederit Cardinali Baronio, qui, eo diligenter lecto, respondit ipsi Italice coram pluribus suis ministris, librum optime esse compositum et prælo dignum; ac repetiit hæc verba:* Imprime illum, ut alii non decipiantur circa adventum et prædicationem S. Jacobi in Hispania. *Tum Didacus del Castillo addit, se tantum eminentissimi viri humilitatem admiratum fuisse. Cæsaraugustani proprii Officii Postulatores, de quibus in appendice hujus Commentarii agetur, Romæ in Responsione ad animadversiones R. P. D. fidei Promotoris num. 9 idem testimonium protulerunt.*

tantumque Romæ effecerunt, ut sublata fuerit restrictio,

317 *Tandem Hispani querelis et argumentis suis Romæ tantum effecerunt, ut anno* 1635, *re utriumque mature ac diu examinata, formula Clementina, ad Hispanicam traditionem restricta, iterum ab Urbano VIII in absolutam mutata fuerit, quam etiamnum hodie in Breviario legimus hoc modo:* Mox in Hispaniam profectus ibi aliquos ad Christum convertit, ex quorum numero septem postea episcopi, a beato B Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. *Quomodo id factum sit, fusius narrat Michael de Erze Ximenez, canonicus Legionensis, hujus causæ actor, initio libri, quem de adventu* S. Jacobi *Hispanice conscripsit. Bartholomæus Ranaldus Lucensis, protonotarius apostolicus, in notis ad Officia ecclesiastica anni* 1635 *idem sic breviter observat:* Affirmativa, quæ habebatur in Breviario Romano Pii V de prædicatione S. Jacobi in Hispania, et per recognitionem Clementis VIII reducta fuerat ad traditionem illarum ecclesiarum illius provinciæ, nunc restituta est in ampliori forma per novam sanctissimi Urbani VIII recognitionem. *Quamvis autem hoc judicio causæ Hispanicæ non parum roboris accesserit, tamen post illud Christianus Lupus Belga ex Ordine S. Augustini, Natalis Alexander ex Ordine S. Dominici, Tillemontius, aliique quidam Galli illam traditionem aut in dubium revocarunt, aut aperte impugnarunt.*

quam Clemens VIII inseri jusserat Breviario Romano,

318 *Denique brevem dictorum omnium anacephalæosin accipe ex verbis Francisci Macedo, qui in Diatriba jam laudata cap.* 10, § 3 *totius controversiæ historiam ita in compendium* C *redegit:* Antiquum Breviarium Romanum, *inquit,* venisse sanctum Jacobum in Hispaniam certo affirmabat; idque Pius V in sua correctione integrum ac inviolatum esse voluit. Postea cum Cardinalis Baronius ob illud manuscriptum Toletanum, a Garzia Loaysa infeliciter repertum, de eo cœpisset ambigere, tanti viri auctoritas Urbem commovit. Exorta igitur contentio est, utrum deceret antiquam formulam retinere, quæ ejus rei auctorem. Ecclesiam Romanam significabat, et publicæ fidei sacræque quodammodo faciebat, an aliam de novo concipere, quæ ad traditionem Hispaniarum rem cum fide tantum Hispanicæ gentis traduceret, ut illa suis auctoribus nixa staret, nec intra Romanos sinus reciperetur. Visum hoc est Clementi VIII æquius et congruentius: cum præsertim, affirmata traditione, minime labare historiæ fides videretur. Magnum huic sententiæ pondus addebat Cardinalis Baronii, cujus gravissimum erat judicium, nova de adventu sancti Jacobi in Hispaniam dubitatio. Quare, illo in primis auctore, mutata est prisca et vetus, nova traditionis inserta particula, formula narrationis, quæ hujusmodi fuit: Mox HISPANIAM ADIISSE, ET ALIQUOS DISCIPULOS AD FIDEM CONVERTISSE, ECCLESIARUM ILLIUS PROVINCIÆ TRADITIO EST.

AUCTORE G. C.

in quo tamen antiqua Pii V formula non fuit renovata iisdem verbis,

319 Pervenit ad Hispanos fama: non potuerunt non vehementer dolere de inexspectata correctione. Cumque inter ceteros ejus gentis homines unus eruditus et insignis amator patriæ Didacus a Castillo Romæ tum esset, obsistere decreto voluit, et priscam Breviarii formulam sustinere. Scripsit super eo commentarium, quem cum ipsemet Baronio legendum dedisset, miratus is confirmavit, idoneum esse, et sibi omnino probari. Non potuit tamen scriptum, quod jam erat typis cusum revocare. Donec, Urbano VIII Pontifice, qui serio de recognitione Breviarii et Missalis et ceterorum, quæ ad divinum cultum sacrosque ritus pertinent, Officiorum correctione cogitabat, adnitente D. Michaële d'Erze Nimenez viro impigro et docto, de restituenda veteri lectione, et inducenda nova agi cœptum. Dura provincia videbatur; sed interventu Cardinalis Borgiæ, legati E Hispaniæ ad Urbanum Pontificem regii, admissa et suscepta causa fuit. Nihil diligentius et accuratius examinatum, nihil sæpius et pensiculatius tractatum: donec, re perspecta et explorata, nova lectio antiquata et vetus renovata.

secus Franciscus Macedo perperam affirmat.

320 *Dum scriptor ille in fine hic dicit, veterem lectionem renovatam esse, non id ita intelligendum est, acsi ante Clementem VIII eadem verba in Breviario Romano legerentur, quæ postea ab Urbano VIII ei inserta sunt: nam Breviarium Romanum, jussu sancti Pii V Antverpiæ anno* 1569 *editum, in Lectionibus propriis de* S. Jacobo *sic habet:* Mox peragrata Hispania, ibique prædicato Euangelio, rediit Hierosolymam. *Clemens VIII hanc absolutam assertionem, ad Hispanicarum ecclesiarum traditionem ita restrinxit:* Mox Hispaniam adiisse, et aliquos discipulos ad fidem convertisse, ecclesiarum illius provinciæ traditio est. *Denique Urbanus VIII hanc restrictionis formulam iterum mutavit in absolutam, quam hactenus in Breviario Romano ita recitamus:* Mox in Hispaniam profectus ibi aliquos ad Christum conver- F tit; ex quorum numero septem postea episcopi, a beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. *Unde patet, errasse Franciscum Macedo, dum in Diatriba cap.* 3, § 3 *asserit, hanc postremam formulam, cujus eadem verba describit, ante Clementem VIII in usu fuisse.*

§ III. Prædicatio S. Jacobi in Hispania potissimum traditione nititur.

Hispani merito conqueruntur, pro sua traditione exigi plura testimonia.

Hispani haud immerito conqueruntur, pro hac S. Jacobi *prædicatione antiquiora a se postulari testimonia, quam ab aliis populis pro suarum ecclesiarum traditionibus exigantur, cum tamen in Hispania, toties a variis gentibus occupata ac devastata, perire debuerint ecclesiastica primorum seculorum monumenta, si ea litteris consignata fuerint. Audiamus hic laudatum Gasparem Sanctium, qui in opere supra citato tract.*

AUCTORE G. C.

tract. 2, cap. 5 de hac re ita disserit: Sunt qui canonicæ fidei aut antiquæ historiæ pondus desiderent, quæ de Jacobi adventu aliquid certum prodat, in quo curiosus atque attentus animus acquiescat. ..... Agit sane inique, qui de Jacobo ab Hispanis requirit, quod de aliis Apostolis, paucis admodum exceptis, alia provinciarum nulla possit ostendere. Neque enim Lucas in Apostolorum Actis omnia persecutus est, quæ primis Ecclesiæ temporibus gesta sunt ab Apostolis. De Joanne et ejus fratre Jacobo, altero Hierosolymæ episcopo vix unum verbum; de aliorum aut factis aut dictus mirum silentium. De Paulo et Petro, deque Ecclesiæ statu in suis incunabulis institutum esse videtur illud opus a Luca: sed de Petro et Paulo quinta sint omissa, quis non videt? Sane quamplurima de Paulo ignoraret Ecclesia, nisi ex Pauli epistolis illa didicisset. Desinant igitur curiosi isti ab Hispanis exigere de Jacobo, quod de Petro ejusque cathedra Antiocheni reddere nequeunt aut Romani.

quam pro aliarum ecclesiarum traditionibus,

322 De historiis agam antiquis; quod si minus quidem inique, minus tamen belle atque benigne a nobis exigunt adversarii. Quam mul- B ta olim contigerunt illustria, quæ tamen diu latuerunt in tenebris, neque de illis quidquam esset posteris compertum, nisi longa post secula relatione aliqua seu cælesti signo, aut speciali aliqua providentia in lucem et cognitionem hominum forent evocata? Ignotum fuerat Toleto, prima se accepisse Euangelii semina ab Eugenio, quem suum sibi nunc apostolum atque præsulem implorat, donec post millesimum ac centesimum annum Raymundus Toletanus antistes, dum S. Dionysii religionis gratia templum ingreditur, Eugenii, quem episcopum Toletanum tunc primum agnovit, corpus invenit. Quis nosset Gervasii et Protasii aut martyrium nobile, aut sepulturæ locum, nisi multa post secula Ambrosio notum esset e cælo? Longum esset numerare singula; sed dicam aliquid de Hispani, quod adversarii negare non audent; neque possunt, qui sane ultimam rei gestæ memoriam appellandam esse non putabunt. Concedit Baronius tomo IX, anno Christi DCCCXVI, Jacobi C corpus esse in Hispania, ignotum tamen ad tempus usque Alfonsi, cognomento Casti, id est post octingentos ferme annos; inventum vero variis e cælo prodigiis. Idem quoque fatetur de lustrata Hispania Pauli prædicatione, quam cum certam existimet, scriptorum tamen inopiæ tribuit, quod de illius gestis nihil habeamus memoriæ proditum.

cum tamen Diocletiani persecutio

323 Satis, credo, omnibus notum est, quam graviter in Hispania Diocletiani sævitia grassata sit contra Christi sectatores et nomen, assumpto in eam curam Daciano, suæ crudelitatis administro, cujus exstant ubique locorum per Hispaniam totam cruenta vestigia: notum est enim his, qui mediocriter in Hispana eruditione versati sunt, quam eo tempore abundanter Martyrum sanguis Hispanos irrigarit ac fœcundarit agros. Illa vero Diocletiani crudelitas non tantum Christi cultoribus, sed scriptis etiam, quæ ad Sanctorum memoriam Christianamque religionem pertinerent, bellum indixit. *Tum subjungit aliquot testimonia, quibus probat, sacros Christianorum codices ab ethnicis olim combustos fuisse. Nobis hic suffecerit dedisse verba Arnobii, qui post explosam deorum inanitatem lib. 4 adversus Gentes circa finem ita de hac injuria conqueritur:* Quod si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius litteras, hos exu- D rere debuistis olim libros, istos demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis: nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari?

contra Christianos in Hispania,

324 *Porro ex Prudentio poeta Hispano ostendit, eam ethnicorum rabiem etiam in Hispaniam penetrasse, ibidemque periisse libros, in quibus scripta a Christianis Martyrum gesta continebantur. Prudentius, qui seculo IV floruit, libro Peristephanon hymno I, quem in laudem SS Hemeterii et Cheledonii conscripsit, de illa jactura sic conqueritur:*

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa exstinguitur:
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita secula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum,
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent. E

ac deinde Arabum irruptio plexaque monumenta perdiderint.

325 *In Missali Gothico, quod S. Isidorus Hispalensis in ordinem redegisse dicitur, in annua eorumdem Martyrum festivitate leguntur sequentia:* Non illas paginas negligentia perdidit, nec casus abolevit, nec vetustas cariosa corrupit, sed malitia persecutoris invidit. *Ex his Sanctius ita concludit:* Unde etiam constat, quam agant nobiscum minus æque, qui antiquissima a nobis testimonia requirunt, cum illa potentissimorum hominum armata solertia tanto studio abolenda curaverit. *Denique addit, quod reliqua monumenta, quæ Diocletiani edictum et Daciani solertiam effugere potuerunt, postea in misera totius Hispaniæ vastatione barbarus inundantium Arabum furor perdiderit. Locaples hujus ruinæ testis citatur Rodericus Toletanus, qui in præfatione ad regem Fernandum fatetur, sese ea, quæ de rebus Hispaniæ conscripsit,* de membranis et pictariis *laboriose investigasse, et laboriosius compilasse:* Tempore enim vastationis arabum *(inquit ibidem Rodericus)* scripta et libri cum pereunte patria petierunt.

Mariana de scriptorum superstitum silentio

326 *Quod si dicas, ne quidem eos historicos Hispanos, qui rapaces gentilium aut Arabum manus effugerunt, et adhuc quotidie leguntur, de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania meminisse, respondet Mariana in Disputatione de adventu* S. Jacobi Majoris *cap. 6 hoc modo;* Hæc de inventione corporis sint dicta, quod tamen Compostellæ esse fatetur Sampyrus. De adventu Apostoli siluisse non miror: nullus enim nostrorum illius ætatis historicus exstat; neque vero, quos nominavimus, ad prima ecclesiæ tempora suam narrationem extendunt, iis contenti, quæ proxime eorum ætatem contigere: fortassis etiam rem vulgatissimam, et quæ in ore omnium erat, intactam reliquerunt, venisse Apostolum in Hispaniam.... Rodericum Toletanum, qui meliora tempora et majorem lucem est assecutus, suspicabar infensum Compostellanæ ecclesiæ, quæ Toletanæ primatum agnoscere recusabat, studio siluisse in historia, quæcumque ejus dignitati patrocinari poterant. F

rationem reddit,

327 *Deinde caput decimum ejusdem Disputationis ita exorditur:* Satis multa, ni fallor, suppetunt externorum hominum in hac causa testimonia; ad nostrates esse convertat oratio, quorum fides vacillare non debet, quod sint indigenæ: sed potius existimare æquum est, res suas melius habuisse, quam alios, exploratas. Recte

A Recte quidam : De gentis origine magis creditur ipsi genti, quam externis et remotis : de quibus non negabo, magnam antiquis temporibus exstitisse barbariem, neque minus perturbatam historiam, quam rempublicam; sic ut nullus veterum historicorum Hispaniæ de adventu Jacobi meminerit, translatione, inventioneque corporis. Credo, quoniam res celeberrimas, quæ in universi populi ore erant, non putarunt, indigere monimentis litterarum, ut memoria earum propagaretur.

et Sanctius vult, immemorabilem Hispanorum traditionem sufficere pro hac opinione.

328 *Sanctius in laudata disputatione tract, 2, cap.* 1 *contendit, talem esse de Hispanica* S. Jacobi *prædicatione traditionem, ut ea foret recipienda, quamvis antiquis testimoniis destitueretur. En ejus verba :* Si pro Hispanorum causa nihil staret præter traditionem, omni memoria superiorem, satis putaretur habere præsidii, quia communis conspiransque consensio, nullo interrupta tempore, eam habet auctoritatem, quam nulla nisi magna aut inconcussa fides convellere aut infirmare possit : quam si de
B medio tollas, cadant necesse est illorum plurima, quæ nunc religiose servat Ecclesia. Quæ si qui damnaret, aut in dubium adduceret, violatæ ipse religionis reus ageretur. Neque parvi emerent hujus ætatis hæretici, si traditionum religio aut tolleretur e medio, aut suspecta censeretur et dubia : a cujus rei longiori disputatione omnino me liberant aliorum studia, qui de traditionum momento ac fide longiores disputationes inierunt. Vide interim Bellarminum tomo 1 Controversiarum, ubi tractatum edidit luculentum de verbo Dei non scripto, id est de traditionibus. Quod vero ibi de verbo Dei non scripto, sed ex Apostolorum ore per posterorum manus ad nos usque producto, id est de fide canonica, dictum est, idem suo etiam modo de historia non scripta, sed constanti sermone ad posteros deducta, id est de humana fide, censeri omni suo modo debet.

quam Suarezius etiam ita confirmat.

329 *De eodem historiographorum silentio Suarezius noster in opere de virtute et statu religionis lib.* 2, *cap.* 9, *num.* 15 *ita disserit :* Parum profecto refert, quod privatæ historiæ humanæ illorum temporum illius peregrinationis Jacobi mentionem non fecerint; tum quia in
C ea Jacobi peregrinatione nihil accidit adeo publicum et prodigiosum, ut in universum orbem illius fama exierit, quo possent excitari historici ad id memoriæ prodendum; tum etiam quia in illis temporibus non fuerunt in Hispania diligentes scriptores rerum, quæ in ea gerebantur : externi autem non poterant facile illarum notitiam habere, nisi fortasse earum, quæ ad publica bella et reipublicæ statum et dominium pertinebant : nam aliarum rerum, pertinentium ad religionem, parvam aut nullam rationem vel curam habebant. Unde cum in illa ætate non fuerint scriptores ecclesiastici, qui de rebus Hispaniæ mentionem fecerint, nisi tenuem, mirum non est, quod in historiis antiquis nihil de hac profectione Jacobi in Hispaniam reperiatur. Nam profecto si Lucas Acta Petri et Pauli posteritati scripta non reliquisset, multæ illorum Apostolorum peregrinationes et prædicationes oblivioni traditæ fuissent, nec aliter quam ex traditione ipsarum ecclesiarum, quas fundassent, cognosci potuisset : sicut profectio Petri Antiochiam, quæ a Luca omissa est, non aliter quam ex illius ecclesiæ traditione cognita fuit, nec ad nostram notitiam pervenisset, nisi ex monumentis illius ecclesiæ Clemens Alexandrinus et ab illo Eusebius et Hieronymus illam scriptam reliquissent.

Cum natalis Alexander appulsum S. Mariæ Magdalenæ in Provinciam defendat,

330 *Certe huic traditioni acquiescere debuisset Natalis Alexander, qui Dissert.* 17, *sec.* 1 *appulsum beatæ Mariæ Magdalenæ in Gallias, antiquis testimoniis destitutum, propter traditionem defendit, uti fatetur tomo* 3 *novissimæ editionis pag.* 178 *his verbis :* In veteri quidem historia ecclesiastica nullum est hujus rei, et appulsus sanctarum sororum cum fratre in Provinciam testimonium : sed illius testis est ecclesiarum Provinciæ traditio, iis fulta monumentis, quæ simul sumpta non levis ponderis sunt, et quibus nihil est in historia ecclesiastica, quod expresse repugnet. *Potiori jure idem dicere possunt Hispani de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam, qui pluribus et antiquioribus monumentis fulcitur, ut paragraphis sequentibus probabitur. Sed ut in hoc primo congressu cum adversario agam nonnihil liberalius, gratis tantisper concedam, pro utraque traditione æqualia esse rationis et auctoritatis momenta.* E *Cur igitur traditionem Gallicam admittit, et Hispanam rejicit? Nonne hic dici posset, quod stet pro ratione voluntas? Nonne hic forte locum aliquem haberet amor patriæ, qui aliquando ex severis in aliena causa Aristarchis facit clementes domesticæ litis judices? Sane magis consequenter Natalis Alexander neutram aut utramque traditionem admisisset.*

traditiones ecclesiarum potius sequendas quam evertendas esse doceat,

331 *Audiamus tamen ipsum Alexandrum, dum in præfata Dissertatione pag.* 179 *rationem reddit, cur Gallicam Provincialium traditionem tueatur.* Has partes ut susciperem, *inquit,* effecit abhorrens a novitate indoles, et quod Catholici ac religiosi theologi officium esse duxerim, traditiones ecclesiarum, ubi de illarum originibus agitur, sequi potius quam evertere. . . . . . Non enim in destructionem, sed in ædificationem, talentum qualecumque scribendi a Deo mihi collatum arbitror. *Si Catholici et religiosi theologi esse duxerit, traditiones ecclesiarum, ubi illarum originibus agitur, sequi potius, quam evertere, quare traditionem ecclesiæ Hispanicæ, quæ originem suam* S. Jacobo *adscribit, destruere conatur? Utinam Natalis ex animo id dixisset, et indolem a novitate abhorrentem semper conservasset, talentisque sibi a* F *Deo concessis ad Ecclesiæ ædificationem usus fuisset! Tunc certe a constitutione Clementis XI, quæ incipit* Unigenitus Dei Filius, *ad futurum concilium cum maximo Catholicorum scandalo non appellasset. At pergamus hominem propriis armis oppugnare.*

argumenta negativa

332 *Dum Launoius adventui sanctæ Mariæ Magdalenæ opponit silentium Cassiani, Salviani, Victoris Massiliensis, Eucherii Lugdunensis, sarii Arelatensis, aliorumque celebrium scriptorum, qui Massiliæ vel in Gallia floruerunt, Alexander pagina proxime citata respondet,* hæc argumenta futilia esse, quia negantia sunt. Quis enim apparitionem stellæ, quæ Magos ad Christi cunas deduxit, commentitiam esse dixerit, quia nullus præter S. Matthæum Euangelii scriptor ejus meminit? Quis resurrectionem Lazari fictitiam esse effutiat, quia SS. Matthæus, Marcus, et Lucas eam scriptis non commendarunt? Quis ædis Deiparæ mirabilem Lauretum advectionem fabulis accenseat, ob silentium

AUCTORE G. C.

tium S. Antonini, qui et coævus auctor, et Lauretanæ regioni erat finitimus? Perperam itaque infert ex silentio illorum auctorum Launoius, B. Magdalenam nusquam in Provinciam appulisse, aut sacrum ejus corpus ibi non quiescere. Addendum, multa illorum auctorum opera tempus et fortunam nobis invidisse, ut constat ex Honorio Augustodunensi, Isidoro Hispalensi, et Trithemio, qui scriptorum ecclesiasticorum catalogum texuerunt : ex quibus forsan, si superessent, nostræ sententiæ veritas probaretur. In iis vero operibus, quæ præ manibus habemus, nulla sese præbuit occasio de Lazaro, Magdalena, Martha, aut Maximino loquendi, cum de aliis longe argumentis agerent.

ac scriptorum silentium explodat,

333 *Dum autem Launoius urget, etiam de hoc S. Mariæ Magdalenæ appulsu in Provinciam siluisse veteres auctores, qui compendiosa Sanctorum Acta Martyrologiis aut scriptis suis inseruerunt, Alexander ibidem respondet,* mirum videri non debere, quod Beda, Usuardus, et Freculphus, qui in regionibus a Provincia longe remotis floruerunt, scilicet vel in B Anglia vel in Galliæ septemtrionalis partibus, octavo et nono seculo ab appulsu beatæ Magdalenæ in Provinciam, tanto intervallo distantibus, nihil hisce de rebus scripserint, quæ sola pene ecclesiarum Provinciæ traditione tunc notæ erant. *Deinde etiam explicare nititur, quomodo Ado præsul Viennensis et Provinciæ vicinus de eodem Sanctæ appulsu tacuerit. Non discutio, qua verisimilitudine hæc omnia dicantur, quia Provincialium traditionem hic labefactare non intendo. At quid est in his responsionibus, quod Hispani facilius contra suos adversarios retorquere non possint?*

et facile amplectatur quasdam Galliæ traditiones,

334 *Præterea potuisset Alexander Hispanicæ* S. Jacobi *predicationi applicare regulam, quam eodem tomo pag.* 168 *ad probandum S. Dionysii Areopagitæ adventum in Gallias profert ex Tertulliano, quin in libro de Præscriptionibus adversus hæreticos cap.* 31 *ad veras traditiones dignoscendas ita tradit :* Ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. *Ex hac Tertulliani regula Alexander contra adversarios suos sic* C *argumentatur :* Ex quo colligo, assertionem de duobus Dionysiis, de Atheniensi uno et Areopagita, Parisiensi altero, qui sub Decio dumtaxat in Gallias venerit, falsam esse, quia longe posterius nata est altera opinione, quæ unum Dionysium, Atheniensium et Parisiensium episcopum, eumdemque Areopagitam propugnat, qui a sancto Clemente missus sit in Gallias. Namque hunc ab octo et amplius seculis, nullo reclamante, Gallia sibi apostolum vindicabat, donec viri eruditi Sirmondus et Launoius alterius opinionis vexillum erexerunt. *An non eadem probabilius dici possunt de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam, cum ipse adversarius fateri cogatur, eam opinionem paulo post seculum octavum invaluisse? Igitur posterius nata est contraria opinio, cum ab octo et pluribus seculis, nullo reclamante, Hispania hunc sibi Apostolum vindicarit, donec eminentissimus Baronius alterius sententiæ vexillum erexit. Imo etiamsi gratis concedatur, quod Rodericus Toletanus illam traditionem negarit, nihilominus æque apud Hispanos, quam apud Gallos, obtinebit regula Tertulliani, quia illa Hispanorum opinio juxta adversarium saltem seculo* IX *fuit tradita, et seculo* II *primum negata.* D

inter ipsos eruditos Gallos controversas,

335 *Tum vero adversarius prudentiam archiepiscopi Parisiensis, qui Gallicam de S. Deonysio traditionem retineri voluit, ibidem laudat his verbis :* Denique cum selecti ex sacra facultate Parisiensi theologi ad Breviarii Parisiensis emendationem, quæstionem de S. Dionysio Areopagita et Parisiensi episcopo diligenter expendissent, et in utramque partem suis libratam momentis disceptassent coram illustrissimo archiepiscopo Francisco Harlæo I, censuit archipræsul sagacissimus et ad recte judicandum de rebus, antiquitatem ecclesiasticam spectantibus, per eximias ingenii doctrinæque dotes comparatus, antiquæ Gallicanæ ecclesiæ traditioni de uno Dionysio Areopagita et Parisiensi episcopo, in Officio ecclesiastico honorem suum servandum esse; non vero convellendam piam majorum nostrorum opinionem, cui saltem probabilis sententiæ jura, non spernenda momenta confirmant. E

potiori fundamento Hispanicam S. Jacobi prædicationem admittere potuisset.

336 *Hoc decessoris sui judicium reformandum putavit illustrissimus Ludovicus Antonius de Noailles, hodiernus ecclesiæ Parisiensis archiepiscopus et S. R. E. Cardinalis, qui in Breviario Parisiensi, quod anno* 1700 *auctoritate ipsius, ac venerabilis capituli consensu, editum est, duos Dionysios distinxit, et die* III *Octobris Officium semiduplex de S. Dionysio Areopagita, ac* IX *ejusdem mensis solenne majus de Dionysio Parisiensi sociisque recitandum præscripsit. Non reprehendo Natalem Alexandrum, quod nimis scrupulose primum illustrissimi Francisci Harlæi judicium secutus fuerit, sed ipsum inconsiderantiæ accuso, quod ob graviores rationes non fuerit amplexus sententiam Urbani VIII Pontificis, a quo post severum examen absolutam Jacobeæ prædicationis assertionem Breviario Romano restitutam esse noverat. Minori cum scrupulo sane acquiescere potuisset immemorabili Hispanorum traditione, quam jam aliquot rationibus ac testimoniis confirmabo.*

§ IV. Traditio illa quibusdam rationibus et veterum testimoniis stabilitur. F

Verosimillime aliquis ex Apostolis missus est ad docendos Hispanos,

Legimus in sacris Litteris, Christum post suam resurrectionem, antequam ad cælum ascenderet; dedisse Apostolis præceptum promulgandi Evangelii, non solum in Judæa et Samaria, sed etiam in aliis regionibus, ubi gentes in idololatriæ tenebris et in umbra mortis sedebant : Matthæus enim cap. 28 *ita scribit :* Undecim autem discipuli (*Judas Iscariotes duodecimus jam laqueo se suspenderat*) abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus..... et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *Lucas autem in Actibus Apostolorum cap.* 1, ℣ 8 *testatur, Jesum illis dixisse :* Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. *Cum hic sermo ad omnes Apostolos dirigatur, non video, cur a præcepta gentilium instructione*

A *structione* Jacobus *Zebedæi excipi debeat. Cum vero* omnes gentes *doceri jubeantur, cur gens Hispana excluditur?*

et Hieronymus et Theodoretus tradunt, isque probabilius fuit S Jacobus,

338 *Certe Hieronymus ab Apostolorum prædicatione non exclusit Hispanos, ut postea fusius demonstrabitur. Non eos exclusit suppar Hieronymo Theodoretus, doctissimus Cyri episcopus, qui serm.* 8 *de Martyribus (is inter Opera ejus Parisiis anno* 1642 *Græco-Latine edita tomo* 4 *a pag.* 591 *occurrit) de Apostolorum doctrina et gloria ita scribit :* Sacræ enim doctrinæ rivos cum hauriunt *(videlicet ethnici, de quorum conversione hic agit)* non modo Apostolorum linguas non irrident, sed valde potius admirantur, quod eloquentiæ prorsus expertes, alii a pueris piscationem edocti, alii publicanorum mensis assistere, alii sutoriam exercere soliti, divinorum eloquiorum illico ministri, cælestiumque bonorum dispensatores prodierint, et salutiferi malorum depulsores, claraque luminaria, non unam modo gentem, sed quocumque sol hic, quem cernimus, radios fundit, illustrantia. Admirantur autem et suspiciunt præcipue universi, quod jam mortui ea nunc quoque peragant, quæ viventes facere solebant. Imo vero longe majora sunt et clariora, quæ ab illis, postquam hinc abiere, gesta sunt : cum enim corpora induti inter homines versabantur, modo ad hos, modo ad illos populos accedebant, et nunc Romanos, nunc HISPANOS aut Celtas alloquebantur. Postquam vero ad illum se receperunt, a quo missi fuerant, omnes illis continue perfruuntur : non solum Romani, quique Romanorum jugum amant, et ab illis gubernantur, sed et Persæ et Scythæ et Massagetæ et Sarmatæ et Indi et Æthiopes, atque ut semel dicam, omnes fines terræ. *Saltem hic vides, juxta opinionem Theodoreti aliquem ex Apostolis ad* Hispanos *missum fuisse, quem nos ob dicta dicendaque* S. Jacobum Majorem *verosimilius esse putamus.*

B

cujus missio non potest dici martyrio præpedita,

339 *Neque dici potest,* S. Jacobo *tantummodo destinatam fuisse Hispanorum conversionem; sed illum in Judæa gladio Herodis interiisse, antequam ad instruendas gentes discedere potuisset : iis quippe, qui tale effugium quærerent, opponerem verba, quibus Mariana noster Roderico Toletano (tantisper cum Mariana supponimus, eam controversiam in concilio Lateranensi agitatam fuisse, ac Rodericum simile responsum dedisse) in tractatu de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam cap.* 10 *ita respondet :* Sed sane, *inquit,* quorsum Jacobo data cura est prædicandi in Hispania, si facultatem habiturus non erat? An Apostolos in ea re humanas rationes secutos putabimus, et non potius in re gravissima divino inflatu actos, ne errarent? Ita ex confessione ejus *(nempe Roderici Toletani)* quod facit dubium, refellitur, et ex concesso confirmatur, in quo nutare visus est. *Nequaquam hoc Roderici Toletani responsum approbare potest eminentissimus Baronius, qui in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 44 *num.* 20 *divisionem provinciarum inter Apostolos speciali Spiritus sancti instinctu peractam esse asserit, et ibidem num.* 21 *ita concludit :* His ergo et aliis exemplis admoniti dicimus, singulos Apostolorum in eas orbis regiones esse amandatos, ad quas Spiritus sanctus privato instinctu voluit eos proficisci.

C

AUCTORE G. C

tum, præter rationes huic effugio contrarias S. Marcus.

340 *Præter alia in hanc rem postmodum referenda, videtur S. Marcus huic effugio aditum præcludere, quando cap.* 16 *istud Christi præceptum exsecutioni mandatum fuisse innuit his verbis :* Novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ..... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Ex hac S. Marci clausula colligo,* S. Jacobum *Zebedæi etiam inter alios Apostolos profectum esse ad annuntiandam gentibus Christianam doctrinam; verum cum nulla gentilis natio potiori jure et antiquiore traditione hunc Apostolum sibi vindicet, quam Hispana, verosimillime concludo, eum in Hispania prædicasse : quamvis enim apostolus Paulus forte etiam in Hispania Evangelium prædicaverit, tamen ipsi convenire non possunt ea, quæ hic et superius ex Evangelistis retulimus, ut cuivis tempus et textum consideranti manifestum est.* E

S. Justinus philosophus,

341 *Phrasin sacræ Scripturæ imitantur antiquissimi Ecclesiæ scriptores, inter quos S. Justinus philosophus et martyr circa medium seculi secundi scripsit ad Antonium Pium imperatorem et senatum populumque Romanum apologiam pro Christianis, quæ Coloniensi Patrum Bibliothecæ inserta est, et in qua post narratam Christi vitam tomo* 2, *pag.* 47 *de Apostolis hæc habet :* Atque ita factum esse credere potestis : Hierosolymis enim DUODECIM VIRI NUMERO IN MUNDUM EXIERUNT, iique ignari et idiotæ, nullaque dicendi facultate præditi, vi divina OMNI HOMINUM GENERI EXPOSUERUNT, missos se esse a Christo, qui omnes Dei verbum docerent. *Deinde ibidem pag.* 48 *dicit :* Prænuntiat verbum, in quo vis erat, quod ejus Apostoli Hierosolymis egressi ubique prædicaverunt. *Denique pagina sequenti hæc rursus ita inculcat :* Post vero cum ab inferis excitatus esset *(nempe Christus)* eisque se ostendisset, docuissetque eos prophetias, quibus hæc omnia fore, prædicta essent, legere, eumque illi in cælum revertentem vidissent, atque credidissent, vimque illinc ipsis missam ab eo accepissent, et ad omne hominum genus profecti essent, hæc docuerunt, appellatique sunt Apostoli. *Cum Jacobus Minor ad regendam ecclesiam Hierosolymitanam in Judæa remanserit, haud dubie duodenario numero, quem cum Mathia et Paulo reliqui decem Apostoli ad gentes profecti constituebant, Jacobus Major comprehenditur. Nec video, qua ratione dici possit,* S. Jacobo *nostro tantummodo assignatam fuisse prædicationis provinciam, cum S. Justinus diserte asserat, duodecim illos viros re ipsa Hierosolymis discessisse, in mundum exiisse, ubique prædicasse, et omni hominum generi doctrinam Christianam exposuisse.* F

et Tertullianus testentur. Apostolos Hierosolymis profectos, gentibus prædicasse,

342 *Tertullianus in libro de Præscriptionibus contra hæreticos cap.* 20 *de eorumdem Apostolorum prædicatione ita loquitur :* Christus Jesus dominus noster,..... quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat, sive populo papulam, sive discentibus seorsim; ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens ad Patrem post resurrectionem, jussit ire et docere nationes, intingendas

AUCTORE G. C.

intingendas in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum. Statim igitur Apostoli (quos hæc appellatio MISSOS interpretatur) assumpto per sortem duodecimo Mathia in locum Judæ, ex auctoritate prophetiæ, quæ est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt *etc. Cardinalis de Aguirre tomo* I *concil. Hisp. dissert.* 9 *excurs.* 2 *num.* 17 *ex his et similibus veterum expressionibus ita argumentatur :* Quidni iis verbis absque ulla exceptione prolatis comprehendatur Jacobus juxta antiquissiman totius fere orbis Christiani traditionem? Ut quemadmodum alii Apostolorum ad diversas regiones missi sunt, ita etiam ad Hispaniam Jacobus? *Fateor equidem, hoc argumento rem non omnino confici; at quis negaverit, hæc aliaque receptissimæ Hispanorum traditioni favere, ut, quæ non possunt singula,* B *multa juvent.*

Franciscus Macedo

343 *Hujusmodi etiam sunt rationes, quas pro traditione ista adducit Franciscus Macedo, Lusitanus, dum in Diatriba cap.* 6 *ex translatione corporis* S. Jacobi *in Hispaniam infert ejusdem Apostoli viventis in ea prædicationem hoc modo :* Qua obsecro de causa sancti Jacobi discipuli ex Judæa illius defuncti corpus (nam ab iis deportatum scribunt omnes et Loaysa fatetur) in Hispaniam detulerunt? Nisi quod in ea prius cum eodem Apostolo fuerant, aut noverant, eum ibi fuisse. Certe non alia esse potuit, uti rem consideranti patebit. Quomodo enim, aut cur ex tam dissita regione in extremam illam Hispaniæ et mundi partem, quæ FINIS TERRÆ a nautis dicitur, corpus illud Apostoli, suscepto studio per tantam duplicis maris vastitatem, emenso mediterraneo et oceano, transportarent? Nota illis erant illa littora, illi portus, imo et voluntas Apostoli perspecta, ut eo corpus suum post mortem transferretur.

ex sepulcro S. Jacobi

344 Nec adhuc moror, quo illuc tempore delatum fuerit : nec enim multum ad causam C facere arbitror, quod quis forte magni interesse existimavit, eodemne, quo passus est, anno, quod affirmatur vulgo, an postea delatum fuerit : dummodo enim sit in Hispanias a discipulis comportatum, integra manet vis argumenti, quæstione temporis, quæ difficilior est, præcisa. Nolo quippe nisi certa et explorata in argumentum assumere. Cum autem perspectum omnino ac exploratum sit, corpus Jacobi apostoli in Hispaniam a discipulis delatum fuisse, eo persuadere volo, ideo delatum mortuum, quia ibi moratus fuerat vivus : cui argumento nihil detrahit annus, quo eum discipuli detulerunt. Fuisse autem, qui exportarunt, discipulos, tradunt omnes, qui de illa translatione scripserunt, et Baronius et Spondanus et Bisciola, et Garcias Loaysa fatentur....... Et quidem mos erat, ut discipuli magistrorum corpora sepelienda curarent, uti de corpore Joannis Baptistæ, sepulto a discipulis, apud Marcum habemus; idque exemplo Christi corporis, a Josepho et Nicodemo curati et tumulati, edocemur.

quod est in Gallacia,

345 *Idem scriptor in catalogo auctorum, quos pro sua opinione post Diatribam citat, pag.* 214 *refert testimonium S. Hieronymi, quo significat, Spiritum sanctum Apostolis distribuisse forte,* D ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, et unusquisque in Euangelii sui atque doctrinæ provincia requiesceret. *Tunc ex his postremis sancti doctoris verbis ita disserit :* Hæc ultima clausula designat Jacobum, quem minime nominarat : nam dum ait, singulos Apostolos in suis, ubi prædicaverunt, provinciis habuisse sepulturas (id enim est requiescere) cum aliunde constet divum Jacobum in Hispania situm esse, manifesto ostendit, se de illo mentionem fecisse, cum de Apostolo in Hispaniam misso locutus est. Itaque ex tumulo clamat, auctore Hieronymo, Jacobus, se in Hispania prædicasse, et hoc ad epitaphium pertinere, ut secundum testimonium cum primo consentiat. *Sanctius noster tract.* 2, *cap.* 2, *num.* 2 *eadem S. Hieronymi verba etiam isto sensu intelligit sic scribens :* Ubi, fateor, Jacobi non auditur nomen; at sermonem esse de Jacobo Hispaniarum apostolo, id, quod ad extremum legis, non obscure suadet : nam si, sancto disponente Spiritu, ibi requiescit, id E est sepultus est, juxta vulgarem Scripturæ phrasim, Apostolus, ubi sparsit Euangelii femina, quis neget, significare voluisse Hieronymum, Hispaniam forte Jacobo contigisse, quando constat, illum apud Hispanos nactum esse sepulturæ locum? *Eminentissimus Aguirrius Hieronymi textum eodem modo interpretatur, ut paragrapho sequenti videbimus, ubi duplex ejusdem sancti Doctoris testimonium contra adversarios expendemus.*

et singulari Hispanorum affectu

346 *Franciscus Macedo in memorata Diatriba cap.* 7 *similem consequentiam eruit ex peculiari Hispanorum amore erga* S. Jacobum, *et ex affectu, quem vicissim sanctus Apostolus Hispanis, tamquam suis clientibus, sæpius ostendit. Ratiocinium ejus hic iterum exscribam : nam in tota hac controversia malo alienis verbis, quam meis, uti; tum quod in ea vix quidquam occurrat, quod non sit dictum prius; tum quod nolim vim argumentorum ex utraque parte diminuere. Itaque scriptor ille loco mox citato sic loquitur :* Qui clientum et patronorum causas et jura norit, ei demum sanctum Jacobum venisse in Hispaniam perspectum erit. Ecquis enim populus se in alicujus ducis principisve clientelam dedit, qui non prius eum vidisset suæ provinciæ urbive præfectum? Id historias Romanorum legenti constabit; et quidem ratio persuadet, ut non nisi ei, quem probe noveris, te commendes. Quare ii, qui patrocinium aliquarum gentium susceperunt, earum provincias peragrarant, easque vel armis domuerant, vel beneficiis devinxerant : cujusmodi legimus fuisse Marcellos, Fabios, Metellos, Scipiones, a quibus devictæ gentes in clientelam sunt acceptæ. F

erga eumdem sanctum Apostolum

347 Hoc nomine Hispaniarum populi sese Jacobi clientes professi sunt, isque se patronum eorum præbuit : nec enim alia ratio tum clientelæ tum patrocinii esse potuit. Unde, quæso, tanta religio, tot obsequia, tot officia Hispanorum erga Jacobum, tam præsens hujusce tutela, tam certum patrocinium Jacobi erga Hispanos, nisi ex ista hujus inter eos habitatione, et prædicatione, ac doctrina? Cur non alium ex martyribus, vel suis gentilibus vel vicinis adsciverunt? Unde nosse poterant Jacobum, si Hispanias non lustrasset, si earum populos non erudisset? Certe nullum ex omnibus minus nosse debuerant,

debuerunt, si ille e Judæa non exiisset. Vixit ille parum : si intra illas angustias, in quibus vixit, mortuus esset, ecquis eum tandem agnosceret? Aut si nosset, qua ratione eum aliis prætulisset. Æquius sane erat, vel Petrum, vel Paulum, vel Bartholomæum, vel Matthæum, vel Andream, vel Joannem, qui non multum recesserunt, patronum eligere. Injuriam facerent Hispani Petro et Paulo Apostolorum principibus, quorum Petrus, auctore Metaphraste, et aliis, in Hispaniam venit ; aut si (quod judico verius) non venit, eo saltem misit episcopos, uti supra ex Innocentio diximus epistola ad Decentium. Paulus vero aut Hispanias adiit, teste Mariana, qui magnis id auctoribus infra producendis confirmat; aut si minus id probatur, optavit sane, decrevitque adire, uti in epistola ad Romanos aperte monstratur.

Infert prædicationem illius in Hispania.

348 Igitur justissima causa intervenire debuit, quæ Hispanos compulit ad Jacobum iis anteferendum, quæ justa esse non potuit, nisi hæc, quæ in ejus adventu nititur. Eum sane Hispani tamquam patrem diligunt, quasi magistrum colunt, quasi pastorem sequuntur, quasi dominum venerantur. Eo duce adversus hostes et patrono utuntur, præsens ejus numen implorant, ejusque nomine, quasi tessera, se milites ejus esse profitentur. Cum pugnam ineunt, ut sibi animos sumant, et hostes exaniment, in prima, quæ vehementior esse solet, impressione illam vocem intonant : SANCTE JACOBE; URGE HISPANIA! SANTIAGO; CIERRA ESPANA! Unde hæc tanta in Apostolo fidentia, tanta spes, tantus ardor, nisi ex insito in eum amore et igenita pietate? Itaque militari se illi sacramento addicunt, et Ordine illius nomini dedicato, religiose ejus se obsequio adstringunt, ut nullius erga quemquam alium sanctum patronum gentis clariora exstent, quam Hispanicæ erga Jacobum amoris et religionis indicia. *Post hæc fuse demonstrat quam fideliter sanctus Apostolus huic Hispanorum amori respondeat, concedendo clientibus suis prodigiosas victorias aliaque beneficia, de quibus parte* I, *§* II *abunde egimus.*

§ V. Sanctus Hieronymus prædicationem S. Jacobi in Hispania tradit.

Omissis auctoribus apocryphis aut suspectis,

Nolo hic imitari quosdam scriptores, qui ad tuendam S. Jacobi *prædicationem in Hispania undique corradunt testimonia, etiam a primis Ecclesiæ seculis repetita, ac interim parum curant, an ea ab eruditis passim apocrypha habeantur. Quare præmoneo, nullos a me testes per decursum producendos esse, de quorum fide prudenter dubitari possit. Hinc nolui allegare testimonia Hippolyti, Bedæ, aut Anastasii Sinaitæ, qui posterior in libro Arabico de Passionibus Apostolorum ita scripsisse dicitur :* In hoc die multiplicibus martyriis affectus est S. Jacobus apostolus, frater Joannis, filius Zebedæi ; idque postquam abiit in Occidentem in civitatem Andiat : et fecit apud eos miracula, quæ homines attoniti stupebant, ita quod converterit eos in cognitionem Dei excelsi. Tunc reversus est ad civitates Palæstinæ, prædicavit apud eas Euangelium Christi. *Sanctius noster tract.* 2 *de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam cap.* 2, *num.* 7 *et* 8 *subtiliter explicat, quomodo per* occidentem *et* Andiat *Hispania intelligatur. Sed nullam in hoc testimonio vim pono, cum eminentissimus Aguirrius tom.* I *concil. Hisp. Dissert.* 9 *excursu* 3 *pag.* 142 *de illo sic caute judicet :* Intra idem seculum sextum floruit sanctus Anastasius Sinaïta, quem nonnulli Hispani allegant pro eadem sancti Jacobi prædicatione in libro DE PASSIONIBUS MARTYRUM. At revera nusquam invenio eum librum ab Anastasio scriptum. Nec illius videntur meminisse ii, qui de scriptoribus ecclesiasticis egerunt..... Unde non ausim tam incerto testimonio Anastasii inniti ad asserendam S. Jacobi in Hispania prædicationem, neque illa eget inanibus aut aëriis præsidiis.

prædicatio S. Jacobi in Hispania.

350 *Imprimis ingenue fateor, quod certum hujus traditionis assertorem hactenus non invenerim, Hieronymo antiquiorem ; sed tale est istius sancti Doctoris testimonium, ut adversarii frustra conentur illud eludere, sicuti jam videbimus. Hieronymus itaque in Commentariis ad caput* 34 *Isaiæ juxta novissimam editionem Parisiensem anni* 1704 *tomo* 3, *col.* 279 *et* 280 *hæc habet :* Sic allegorice interpretabimur, ut doceamus cervos, id est Apostolos...... obviasse sibi in Jerusalem, et mutuos vidisse conspectus, et transiisse ac reliquisse eam, et ad diversas provincias perrexisse, quia Dominus mandaverit eis : ITE ET DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EAS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI; et spiritus illius congregaverit eos, dederitque eis sortes atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, et unusquisque in Euangelii sui atque doctrinæ provincia requiesceret.

confirmatur testimonio S. Hieronymi,

351 *Cardinalis de Aguirre tomo* I *concil. Hisp. pag.* 140 *ex hoc S. Hieronymi textu ita argumentatur :* Quibus verbis, præter illum apostolum, qui in Illyrico prædicavit, comprehenditur unus aliquis, qui in Hispania promulgaverit Euangelium. Is vero alius non fuit, nec legitur, quam Jacobus. Paulum autem in Illyrico prædicasse, testatum habemus in ipso Romam. 15 ℣ 19. Superest itaque, ut Jacobus judicio Hieronymi in Hispania prædicaverit. Quin et solus ille in Hispania juxta phrasim Hieronymi, tamquam in Euangelii sui atque doctrinæ provincia requievit, sicuti alii Apostolorum in provinciis commissis : nam licet in Judæa pro Christo occubuerit, statim fere corpus ipsius in Hispaniam a discipulis translatum fuit, ut toti orbi Christiano notum est. Itaque juxta Hieronymi sententiam ipsa requies corporis S. Jacobi in Hispania denotat, illum in ea prædicasse.

quod eludere nititur Natalis Alexander,

352 *Natalis Alexander in Historia ecclesiastica, Parisiis anno* 1714 *recusa (hanc operum ejus editionem in hoc Commentario semper sequor, quod hic semel monuisse sufficiat) tomo* 3, *sec.* I, *dissert.* 15, *pag.* 160 *videns, se auctoritate Hieronymi constringi, ita hunc nodum solvere nititur :* Respondeo, *inquit,* hoc sancti Hieronymi testimonium, si quid probet, evincere solum, Hispaniam Apostolorum alicui sorte obtigisse, quam fide imbuere deberet, postquam dispersi essent. Esto fuerit ille S. Jacobus : sed martyrio, quod obiit ante dispersionem Apostolorum,

AUCTORE G. C.

lorum, præpeditus est, ne hanc in regionem proficisceretur. *Dein etiam in Hispanos retorquet argumentum, verbis sancti Hieronymi conceptum, et ex epistola S. Pauli ad Romanos desumptum, quod postea ex professo solvam, ubi prius præsentem nodum paulo arctius strinxero, et adversario omnem evadendi spem præcidero. Certe hæc Natalis Alexandri violenta explicatio non videtur facile conciliari posse cum supra allato S. Marci textu, ubi dicit :* Illi autem profecti prædicaverunt ubique. *Præterea hæc nova interpretatio, sine ullo fundamento excogitata, manifeste repugnat S. Justino martyri et Tertulliano, quorum verba paragrapho præcedente dedi, utpote qui diserte asserunt, quod* Hierosolymis duodecim viri *(nempe Jacobo Minore ad gubernandam Hierosolymitanam ecclesiam in Judæa relicto, ceteri cum Paulo apostolo ad erudiendas gentes destinati duodenarium numerum constituebant) re ipsa in mundum exierint, et Christianam doctrinam omni hominum generi exposuerint. Quid ni ergo* Jacobus Major *annu-*

B *meretur aliis apostolis, qui* in orbem profecti, *ut Tertullianus loquitur,* eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus PROMULGARUNT *? Cur de solo* Jacobo *nostro negatur, quod de reliquis Apostolis generatim affirmatur?*

cui præter alios ipse Hieronymus,

353 *Imo ipse S. Hieronymus, cujus auctoritas ex alio textu Hispanis objicitur, Natali Alexandro hoc effugium præclusit, dum in iisdem Commentariis ad caput* 42 *Isaiæ, tomo* 3 *editionis jam citatæ, col.* 319 *ita scribit :* In omnem terram exiit Apostolorum sonus, et in terminos orbis terræ verba eorum....... Apostolos enim videns Jesus in littore juxta mare Genezaret REFICIENTES RETIA SUA, vocavit et misit in magnum mare, ut de piscatoribus piscium faceret hominum piscatores, qui de Jerusalem usque ad Illyricum et Hispanias Euangelium prædicarunt; capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam. *Observari hic velim, Hieronymum non dicere, quod illi Apostoli tantum decreverint evangelicam legem in iis regionibus prædicare, aut ad eam prædicandam designati fuerint, sed* de Jerusalem, *ait,* usque ad Illyricum et Hispanias Euangelium PRÆDICARUNT.

C

cujus verba

354 *Ne quemquam hic moretur capta ab iis Apostolis Romanæ urbis potentia, Hieronymum ita intelligo, acsi dicat, populos Romanis subditos, qui non exiguam Romanæ potentiæ partem constituebant (eo tempore Roma non tantum Illyrici ac Hispaniæ, sed totius fere mundi erat domina) ab istis piscatoribus suavi evangelicæ doctrinæ esca captos fuisse, atque ita diminutam esse idololatricam Romanæ urbis potentiam.* Dici etiam posset, quod S. Joannes quodam modo ceperit ethnicam Romanæ urbis potentiam, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, *ut Tertullianus in libro de Præscriptionibus contra hæreticos cap.* 36 *affirmat. Sanctus Hieronymus lib.* I *contra Jovinianum cap.* 15 *idem prodigium tradit his verbis :* Refert autem Tertullianus, quod Romæ missus in ferventis olei dolium, purior et vegetior exiverit, quam intraverit. *Dici igitur posset mystico sensu, quo sane captura Romanæ potentiæ hic intelligenda est, quod hac stupenda illæsi Joannis conservatione constricta fuerit potestas Romani imperatoris, qui sanctum Apostolum morti adjudicarat. Forte etiam plures Romani hoc miraculo ad fidem Christianam conversi sunt, atque hoc modo idololatrica Roma-* D *næ urbis potentia capta aut saltem diminuta est, ut paulo ante dicebam. Si alicui hæc varia interpretatio non arrideat, ipse meliorem suggerat de illis Apostolis, qui a Christo vocati sunt, dum retia sua reficerent : nos enim firmiter adhæremus S. Hieronymo, qui secundum characteristica Evangelii verba haud dubie hic agit de* Jacobo *et Joanne, quos Jesus ad apostolicum munus vocavit* καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν, *id est proprie* resarcientes retia sua, *ut mox apertius declarabitur.*

quibusdam observationibus elucidantur,

355 *Quamvis litteris proditum non sit, alterutrum ex Apostolis, de quibus hic agit sanctus Hieronymus, Christianam legem annuntiasse in Illyrico, tamen facile fieri potuit, ut Joannes, cujus multas apostolicas expeditiones ignoramus, Epheso usque ad eam regionem aliquando excurrerit. Certe Joannem, cujus diuturna fuit vita, remotioribus ab Asia Minori populis Evangelium prædicasse, eminentissimus Annalium ecclesiasticorum conditor ad annum Christi* 44 *num.* 30 *tradit his verbis :* Ceterum Joannem non semper in Asia permansisse, sed et alias Orien- E tis regiones Euangelium prædicando peragrasse, multa sunt testimonia : ad Parthos enim ascendisse, titulus suæ ipsius primæ epistolæ, quæ olim ad Parthos inscripta legebatur, facile monstrat. Sed adhuc ulteriores Orientis partes penetrasse et Bassoras Christiana fide imbuisse, accepimus certa ac fide diqna relatione religiosissimorum Patrum Societatis Jesu, qui nostris temporibus ad Indos euangelicæ prædicationis causa profecti, hæc ex ejusdem populi a majoribus accepta tratitione didicerunt. *Hæc Parthica S. Joannis expeditio eruitur ex ipso titulo epistolæ, quæ ad Parthos scripta fuit, sicut S. Augustinus lib.* 2 *quæstionum Euangelicarum cap.* 30 *testatur, de quo Tillemontius tomo* I *Monument. eccles. pag.* 336 *et ipse Natalis Alexander tom.* 3, *pag.* 16 *consuli possunt. Si S. Joannes Epheso ad tam longinquas regiones discesserit, cur usque ad Illyricum excurrere facilius non potuit?*

omne effugium præcludit.

356 *Ut ut est, clare patet, sanctum Hieronymum hic loqui de Joanne et fratre ejus* Jacobo, *cum Jesus hos solos invenerit* reficientes retia sua, *ut testatur Matthæus cap.* 4 ℣ 21 *his verbis :* Et pro- F cedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum REFICIENTES RETIA SUA; et vocavit eos. *Quando autem Christus vocavit Petrum et Andream, invenit eos* mittentes rete in mare, *ut idem Evangelista capite citato* ℣ 18 *dixerat. Unde eminentissimus Aguirrius in opere proxime citato tomo* I, *pag.* 140 *ita recte ratiocinatur :* Constat autem ex Matthæi cap. 4 ℣ 21 et Marci cap. I ℣ 19, Apostolos illos a Christo vocatos, dum retia sua reficerent, fuisse Jacobum et Joannem, filios Zebedæi. Unus igitur amborum prædicavit in Hispania judicio Hieronymi; ac certe Jacobus, cum id nemo dixerit de Joanne. Quæ duo Hieronymi testimonia ita expendimus, ut adversariorum interpretationes, et evasiones Natalis Alexandri præcludant. *Hæc mihi adeo solida videntur, ut de S. Hieronymi sententia prudenter dubitare non possit, qui eam animo a præjudiciis libero attente revolverit.*

§ VI. Eadem

A

§ VI. Eadem traditio in vetustissimo Hispaniæ Officio ab immemorabili tempore legitur.

Cardinalis Bona ex Missa S. Martini,

Antiquissimum Officium Hispanicum, quod communiter Gothicum vel Mozarabicum cognominatur, ætatem S. Hieronymi proxime attingit, aut forte etiam superat, ut eruditissimus marchio Mondexarensis in tractatu Hispanico de prædicatione S. Jacobi *cap.* 24 *contendit. Saltem eminentissimus Joannes Bona lib.* I *rerum Liturgicarum cap.* II *putat, istud divinum Officium seculo* V *fuisse usitatum, idque probat ex Missa S. Martini, quæ in Missali Mozarabico invenitur, et in qua leguntur hæc verba :* Hunc virum, quem ætatis nostræ temra protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus. *Cardinalis autem ibidem notat,*
B *Martinum obiisse anno Domini* 402 *(alii annum* 397 *vel* 400 *morti ejus assignant) et paulo post obitum publico cultu honorari cœpisse.*

aliisque monumentis

358 *Tum pergit eminentissimus scriptor ostendere, quod S. Isidorus non fuerit primus hujus ritus auctor, atque in hunc finem ita disserit :* Deinde si Isidorus hujus Officii auctor fuit, cur nec Braulio Cæsar-augustanus, nec Ildefonsus Toletanus, viri sancti et Isidoro familiares, ille in elogio ipsius Isidori, hic in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, nullam operis adeo excellentis mentionem faciunt? His accedit, quod concilium quartum Toletanum aliquot hujus Officii ritus, canone secundo et sequentibus, tamquam jam antea usitatos commemorat : et tertium item Toletanum, annis quadraginta quatuor ante quartum, canone secundo statuit, in singulis ecclesiis symbolum recitari *(scilicet statim post Corporis et sanguinis Dominici consecrationem)* priusquam dicatur oratio Domincalis, qui est
C mos peculiaris Missæ Mozarabicæ. Ipse quoque Isidorus libro de Scriptoribus ecclesiasticis Leandri fratris sui, et in sede Hispalensi antecessoris, scripta recensens, testatur, ipsum in ecclesiasticis Officiis non parvo studio laborasse, et in sacrificii laudibus atque psalmis multa dulcisone composuisse.

colligit antiquitatem Officii Gothici,

359 Joannes Mariana lib. 6 de rebus Hispaniæ cap. 5, usum inquit obtinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum invenisse. Quod si Leander dumtaxat invenit, crediderim, hoc Officium concilio tertio Toletano, cui Leander interfuit, antiquius esse, et seculo quinto jam in usu fuisse ut ex Missa sancti Martini modo ostendimus; sed de primo ejus auctore non constare, ab ipso tamen Leandro illustratum, ab Isidoro auctum, ab aliis progressu temporis amplificatum. *Pagius in Critica historico chronologica ad Annales Baronii anno* 633, *num.* 29 *iisdem eminentissimi viri argumentis ac verbis utitur. Quoniam nostri instituti non est, ea hic fusius prosequi, vide quæ de istius ecclesiastici Officii antiquitate et ritu in præliminari hujus tomi tractatu dicta sunt.*

360 *Ex his ita arguo : si jam seculo* V *celebrabatur in isto Officio Hispanico memoria S. Martini Turonensis, haud dubie in eodem tunc temporis recolebantur Apostolorum, quorum prædicationi omnes Christiani debent sui Redemptoris agnitionem. Porro in his libris ecclesiasticis, quorum usus etiamnum in quibusdam Hispaniæ ecclesiis perseverat, et quos anno* 1722 *Toleti præ oculis habui, celebratur festum* S. Jacobi *solenni Officio, ex quo excerpsi sequentia, quæ ad propositum nostrum maxime faciunt.*

AUCTORE G. C. in quo adventus S. Jacobi in Hispaniam asseritur.

Magni deinde filii tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Utrique vitæ culminis insignia,
Regens Joannes dextra solus Asiam
Et læva Frater positus Hispaniam.

Præterea ibidem, teste eminentissimo Aguirrio, legitur illud Responsorium : Adest nobis valde lætabunda dies præcellentissimi Jacobi apostoli, per cujus saluberrimam prædicationem totius plebs Hispaniæ suum cœpit cognoscere Redemptorem. *Hæc et similia antiquitus cantabantur in ecclesiis Hispaniæ, et adhuc quotannius in Officio Mozarabico repetuntur, non absque traditione* E *semper continuata in Hispania a primis æræ Christianæ temporibus.*

et cujus auctoritatem Natalis Alexander

361 *Nihilominus Natalis Alexander existimat, hæc antiqua sacrorum librorum monumenta unico spiritu a se difflata esse, atque inepte respondet,* Officium illud Toletanum, in quo sancti Jacobi in Hispanias accessus hymno sacro recolitur, non fuisse a Romana Ecclesia probatum. *Quid hic ad rem facit Romanæ Ecclesiæ approbatio? An scripta Philostorgii, Eusebii Cæsariensis, Socratis et Sozomeni, aliorumque veterum auctorum a Romana Ecclesia approbari debent, ut ex iis stabiliatur factum quoddam historicum? An ex antiquissimo illo Officio non recte colligo, qualis antiquitus fuerit de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam opinio, quamvis istud ab Ecclesia Romana non fuerit approbatum?*

frivola responsione declinare nititur.

362 *Debuisset Alexander negare antiquitatem istorum librorum ecclesiasticorum, si hoc testimonium sibi oppositum volebat enervare; sed eam negare non potuit, cum tom.* 5, *pag.* 552 *agens de concilio* IV *Toletano ad canonem undecimum hæc notaverit :* Ad ritum autem Mozarabicum, quo tunc utebatur Hispania, pertinet hic canon, F quem cum quidam sacerdotes perverterent, in eos patres Hispani animadverterunt, excommunicationis pœnam in eos decernentes, qui hunc ordinem violarent. Tanti momenti est ritum ordinemque ecclesiæ suæ religiose sequi! *Deinde eodem tomo pag.* 568 *argumenta eminentissimi Joannis Bona, quæ supra statim exhibuimus, totidem fere verbis Historiæ suæ ecclesiasticæ inseruit. Cum vero nihil illis opposuerit, videtur venerandam Officii Mozarabici antiquitatem agnovisse. At hominem, nonnumquam sui oblitum, propria responsione implicemus. Natalis tom.* 3, *pag.* 164 *asserit, S. Martialem primo seculo Lemovicas venisse, atque ibi Evangelium prædicasse, idque probat,* primo ex tabulariis et Officiis sacris ecclesiæ Lemovicensis. *An Romana Ecclesia hæc tabularia et Officia sacra ecclesiæ Lemovicensis probavit? Quod hic responsurus est adversarius, nos potiori jure in ipsum retorquebimus, ut ex sequentibus patebit.*

Falsum adversarii ratiocinium proponitur,

363 *Interim audiamus falsum consequens, quod Alexander ex hoc inepto antecedente sic deducit :* Unde cum Romanæ ecclesiæ traditio cujuscumque singularis ecclesiæ traditioni sit anteponenda, probabilius asseritur, nusquam profectum

AUCTORE G. C.

ctum in Hispaniam esse sanctum Jacobum, quia id Romana inficiatur Ecclesia, quam asseratur illuc profectus, quia id tradit ecclesia Hispaniensis. *Libenter fatemur, traditionem Ecclesiæ Romanæ quibuslibet aliarum ecclesiarum traditionibus præferendam esse; at ubinam, obsecro, adventum* S. Jacobi *in Hispaniam negavit Romana Ecclesia, quæ illum diserte affirmat in Officio, quod ex ejus præcepto quotannis recitamus? Præterea illustrissimus ac reverendissimus Gaspar de Quiroga, archiepiscopus Toletanus et simul eminentissimus S. R. E. Cardinalis, edi jussit Officia propria suæ diœcesis, quibus præfixit hunc titulum :* Officia propria Sanctorum Toletanæ ecclesiæ et diœcesis a Sanctissimo domino nostro Gregorio XIII, Sixto V, et Paulo V approbata.

et ex Breviariis,

364 *Ceterum in epistola illustrissimi præsulis, hisce Officiis præfixa, videri potest, quanta diligentia hæc Officia propria collecta fuerint, et quomodo Gregorius XIII post severum examen eadem approbaverit. Inter hæc autem Officia ad diem* XXX *Decembris colitur translatio* S. Jacobi,
B *et in secundo Nocturno lectione* IV *leguntur sequentia :* Cujus corpus ne a Judæis, acerbissimis fidei Christianæ hostibus, ignominia aliqua afficeretur, ejus discipuli in navim, divinitus admoniti, imposuerunt, Deum precati, eorum ut cursum dirigeret, et in eas terras navigium perferret, ubi sanctissimi Apostoli corpus humari vellet. Deo igitur duce, per vastum mare delata navis brevi pervenit IN HISPANIAM, QUAM JACOBUS VIVENS LUSTRAVERAT, ET IN QUA DEI VERBUM ALIQUANDO MAGNIS LABORIBUS DISSEMINAVERAT. *An, quod Romani Pontifices approbant*, id Romana inficiatur Ecclesia? *Qualem Romanæ Ecclesiæ approbationem in factis historicis Alexander exigit? An forte requirit concilium generale, in quo Breviarii sive Toletani sive Romani lectiones probentur?*

quorum testimonia non sunt temere rejicienda,

365 *Nullum hic video adversario effugium, nisi recurrat ad suum illud effatum, quod tom.* 3, *pag.* 732 *contra Breviarium Romanum pronuntiavit his verbis :* Ad confirmationem respondeo, Romani Breviarii auctoritatem efficere non
C posse, ut fabulæ in historias evadant, nec censeri debere exploratæ et inconcussæ veritatis, quæcumque Breviario sunt inserta, quod multis probare facile esset. *Scimus, non omnia exploratæ et inconcussæ veritatis censenda esse, quæ in Breviario Romano leguntur. Sed meminisse oportet, nobis hic rem esse cum homine, qui ad opiniones suas stabiliendas sæpe auctoritatem Breviarii aut Martyrologii Romani in auxilium advocat. Sic tomo* 3, *pag.* 47, *ut Acta martyrii S. Andreæ genuina et sincera esse probet, inter alia testimonio Breviarii Romani utitur :* Ecclesia, *inquit*, hæc Acta legit in Officio S. Andreæ, nec in iis aliquis notatur error. *Numquid etiam Ecclesia Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem legit in illius Officio? Quis porro error in his Lectionibus notatur? Num forte erronea censenda est in illis sola* S. Jacobi *prædicatio in Hispania, quæ in quæstione versatur? At error ille invictis rationibus demonstrandus est, antequam auctoritas Breviarii Romani impugnetur. Certe Tillemontius tom.* I *Monument. eccles. a pag.* 589 *contra hæc Acta S. Andreæ plures opponit difficultates, quas R. P. Ambrosius Gardebosc Carmelita in Synopsi historiæ ecclesiasticæ tom.* I, *sec.* I, *part.* I, *lib.* 2, *dissert.* 2, *quæst.* 2 *ad octodecim capita reduxit, et ibidem* D
solvere conatur. Huic controversiæ nos non immiscemus, qui hic tantummodo argumentamur ad hominem, quo argumenti genere jam sæpius usi sumus, ac deinceps utemur.

atque ex Pontificia Officis Gothica approbatione

366 *Forte aliquis Alexandri defensor dicet, antiqua ista Officia Gothica ab hæreticis fuisse corrupta, ut Alcuinus lib.* 2 *contra Elipandum Toletanum fatetur, et Gregorius VII Papa in quibusdam epistolis non obscure indicat, adeoque eorum auctoritatem parvi faciendam esse. Possem hic orthodoxiam istorum librorum ecclesiasticorum variis argumentis vindicare; sed cum de hac re egerit collega meus in prævio hujus tomi tractatu, falcem in alienam messem non mitto, et in gratiam adversarii tantisper concedo, in istum ritum Mozarabicum lapsu temporis quosdam errores irrepsisse. At cur inter eos numerandus est adventus* S. Jacobi *in Hispaniam? Saltem censendum est, illos errores, si qui fuerint, correctos fuisse, quando eminentissimus Franciscus Ximenius antiquum istum ritum pene exstinctum restituit, et Julius II Pontifex anno* 1508 *restaurationem illius approbavit, ut fusius* E
videri potest in præfatione Alphonsi Ortiz, quam Missali Mozarabico præmisit, aliisque instrumentis, quæ jam dicto tractatui præliminari inserta sunt.

refutatur,

367 *Porro ex sacro illo Officio, quod hactenus in Toletano Mozarabum sacello perseverat, et cujus ritum Pontifex probavit, quotannis canitur idem hymnus, cujus partem Natali Alexandro supra opposui. Si igitur adventum* S. Jacobi *in Hispaniam* Romana inficiatur Ecclesia, *cur Pontifex Romanus illum errorem historicum in Breviario Mozarabico reliquit? Imo cur alii Pontifices eumdem Romano Breviario inseruerunt? Quomodo denique tam multæ diversarum nationum ecclesiæ ad errorem illum in sacris Officiis suis asserendum conspirarunt, ut mox ab adversario quæremus? Si quis contendat, Natalem Alexandrum hoc loquendi modo respexisse ad litteras Innocentii I et Gregorii VII (quod tamen hic nullo signo innuit) atque ex iis opinionem Ecclesiæ Romanæ eruisse, postea ipsi satisfacere conabimur. Interim hactenus ostendimus, hanc adversarii responsionem ineptam ac falsam esse.*

quæ refutatio argumento ad hominem confirmatur.

368 *Attamen lubet paragraphum hunc rursus concludere argumento ad hominem, ut vulgo dicitur. Natalis Alexander tom.* 3 *memoratæ editionis pag.* 168 *adventum S. Dionysii Areopagitæ* F
in Gallias inter alia probat ex omnium ecclesiarum, imo totius pene orbis Christiani Breviariis et Missalibus libris, qui S. Dionysium Areopagitam in Gallias missum a sancto Clemente, Pariensem fundasse ecclesiam, et martyrium obiisse Parisiis testantur. Quis porro, *inquit*, tot ecclesias hac in traditione errasse dicat, et ad fabulæ assertionem conspirasse? *At simile argumentum pro adventu* S. Jacobi *in Hispaniam Alexander invenire potuit apud R. P. Franciscum Macedo in Diatriba cap.* 16, *ubi præter Officium Romanum, Mediolanense, et Mozarabicum, recensentur Breviaria Italiæ, Galliæ, Dalmatiæ, Poloniæ, Germaniæ, Armeniæ, ac Hispaniæ, quibus addi possent alia Ordinum religiosorum, quæ prædicationem* S. Jacobi *in Hispania agnoscunt. Itaque idem, quod adversariis suis ibidem Alexander objicit, sibi dictum putet, et ipsiusmet verbis ipsum interrogemus :* Quis porro tot ecclesias hac in traditione errasse dicat, et ad fabulæ assertionem conspirasse?

§ VI

§ VII. Sanctus Isidorus Hispalensis eamdem traditionem confirmat suo testimonio, quod ipsi vindicatur.

Hic constans Isidori textus,

Ante medium seculi septimi Isidorus præsul Hispalensis in libro de ortu et obitu Patrum cap. 73 *Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem tradit his verbis :* Jacobus filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine ,duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione gentium, scripsit, atque Hispaniæ et Occidentalium locorum gentibus Euangelium prædicavit. *Displicet hic quibusdam verbum* scripsit, *quo S. Isidorus epistolam Catholicam* Jacobo Majori *attribuit, quam Eusebius, Hieronymus, et concilium Tridentinum alteri Jacobo, fratri Domini, adscribunt. Quare Joannes Baptista Perez, Joannes Grial, aliique plurimi existimant, hanc vocem in textum Isidori perperam irrepsisse, et ab imperito aliquo amanuensi additam esse, idque probant ex ipso Isidoro, qui in prœmiis ad libros veteris et novi Testamenti diserte hæc habet :* Jacobus, frater Domini, scripsit unam epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem.

de cujus lectione inter se disputant Hispani,

370 *Verum hæc responsio non placet aliis, inter quos Ignatius Zuleta noster in Commentariis ad memoratam S. Jacobi epistolam prolegomeno* I *num.* 11 *sic scribit :* Doctor Grialius et eum secutus pater Mariana suspicantur, verbum SCRIPSIT fuisse ibi addititium; id tamen nullo fundamento, cum in omnibus antiquis codicibus sine ulla varietate legatur, consequensque sit ad ejusdem sancti doctoris alibi traditam sententiam. *Deinde ad contrarium Isidori testimonium, ex prœmiis ad libros veteris et novi Testamenti depromptum, ibidem num.* 13 *respondet , ita quidem antea sensisse, sed postea mentem mutasse in libro de vita et obitu Patrum, quem post alterum opusculum composuit, quando nempe examinaverat ac digesserat Officium Gothicum, in quo illa epistola* S. Jacobo, *Hispaniarum apostolo, manifeste tribuitur.*

convenit cum Officio Gothico, et indicat.

371 *Zuleta secutus est in hac re Sanctium nostrum, qui de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania disserens tract.* 3, *cap.* 12, *num.* 2 *eamdem opinionem suam indicaverat his verbis :* Quidam , ut Isidorum defendant , et opus de vita atque obitu sanctorum *(idem liber variis titulis insignitur, ut per decursum patebit)* illius esse probent , expungendum censent illud SCRIPSIT, quasi errore scriptorum insertum fuerit, ita ut Jacobus non dicatur scripsisse, sed prædicasse tribubus inter gentes dispersis. Fortasse hoc verum; neque mirum, tot seculis si (tam sæpe ac varie Isidori libri transcripti sunt) verbum illud importunum irrepserit. Sed, ut, quod sentio, vere atque ingenue confitear , eam fuisse puto Isidori sententiam, ut existimaret, epistolam illam non ab alio, quam a Jacobo, Zebedæi filio, fuisse compositam. *Tunc numero sequenti profert quædam Officii Gothici verba, ex quibus eam epistolam Jacobo, Zebedæi filio, antiquitus adscriptam fuisse demonstrat. Zuleta autem hanc postremam S. Isidori opinionem, tamquam probabiliorem, amplectitur.*

AUCTORE G. C. quod sanctus doctor mutaverit sententiam circa epistolæ Catholicæ auctorem.

372 *Ne quis autem contemnat auctoritatem Isidori , eo quod sententiam mutaverit, laudatus Sanctius ibidem num.* 4 *istud factum ita tuetur :* Illud fortasse judicabit nonnemo, Isidori nomine parum esse dignum , quod in præfatione librorum novi Testamenti Jacobum fratrem Domini auctorem esse dicat epistolæ. Si qui est, qui ita statuat , condemnet quoque necesse est Augustinum, Hieronymum, sanctum Thomam, et magnos alios Ecclesiæ doctores, qui ad novam rerum cognitionem, novam quoque sententiam amplectuntur, quam ante non probarant. Quod si in eodem opere atque studio foret, minus esset ferendum; at in diversis, ubi diversæ etiam rationes occurrunt, usitatum est et venia non indignum.

quem ultimo putavit esse Jacobum Majorem.

373 Putabat, credo, Isidorus prius, canonicam illam epistolam scriptam a Jacobo Minori, idque testatum reliquit in illa præfatione : sed cum datum illi fuit a concilio Toletano IV, ut ecclesiasticum Officium toti Hispaniæ commune concinnaret, ut est communis Hispanorum sensus, videretque in Officiis, quæ varie recitabantur in Hispania, ex quibus ipse Breviarium, quod Gothicum seu Mozarabicum appellamus, compegit, illius epistolæ scriptorem vocari, Zebedæi filium, antiqua illa traditione et sacrorum Officiorum auctoritate permotus, quæ sane gravissima est, sententiam mutavit, et tam in libro de vita atque obitu Sanctorum, quam in Officio Mozarabo, a Jacobo Majori epistolam illam dixit esse compositam. *Sane non est omnino improbabile , quod S. Isidorus, jussu concilii* IV *Toletani varia Hispaniæ Officia ad eamdem normam redigens, hanc traditionem in antiquo ecclesiæ Toletanæ Missali invenerit, ac propterea a priori sua opinione recesserit. Sic eminentissimus Baronius, accepta Loaisiani commentarii notitia, deseruit sententiam de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania, quam antea in notis ad Martyrologium Romanum et tomo primo Annalium ecclesiasticorum defenderat, ut supra dictum est, ac infra iterum dicetur.*

Quæstio de certo auctore epistolæ Catholicæ

374 *At, inquies, hæc posterior S. Isidori sententia concilio Tridentino ac communi scriptorum opinioni repugnat. Zuleta prolegomeno proxime citato num.* 20 *primam hujus objectionis partem ita exponit :* Ad argumentum, ex concilio Tridentino desumptum, quod Achilles est contrariæ sententiæ, duplici via respondent istius patroni; primo aliud dici a concilio enuntiative, definitive aliud. Dicitur definitive, epistolam scriptam esse a Jacobo apostolo, esseque canonicæ auctoritatis scriptum, idque sessione quarta, canone primo, ubi scripta canonica eorumque auctores definit; enuntiative autem dicitur, epistolam scriptam esse a Jacobo, fratre Domini, quod dicitur in sessione decima quarta allata : ibi enim tantum definitur, extremam unctionem fuisse a Jacobo promulgatam , Ea autem vim legis intelliguntur habere in conciliis, quæ dispositive * et non enuntiative dicuntur.

* an definitive

non est a concilio Tridentino definita,

375 *Tunc præter alia , hanc explicationem suam confirmantia, citat testimonium Gasparis Sanctii, qui tract.* 3, *cap.* 12, *num.* 3 *idem innuit hic verbis :* Neque in re ipsa periculum est, quocumque modo sentias, dum epistolam canonicam esse et ab apostolo conscriptam fateare, cum de alterutro Jacobo nihil Ecclesia definierit, et utriusque æqualis sit et canonica fides. *Dein Zuleta eamdem objectionem alia via*

AUCTORE G. C.

solvere conatur, scilicet explicando, quomodo Jacobus Major *etiam quodam sensu frater Domini vere possit appellari. Hæc aliaque, ad hanc controversiam spectantia, apud ipsum legi possunt in eodem prolegomeno, ubi etiam pleraque utriusque sententiæ fundamenta fusius referuntur.*

et licet opinio S. Isidori sit minus vulgaris,

376 *Petrus Possinus noster in Apocalypsis enarratione, quam anno* 1685 *Tolosæ edidit, pag.* 39 *et sequenti, ex cap.* 6 *Apocalypseos* ℣ I *hanc postremam S. Isidori opinionem confirmat, et ad secundam supradictæ objectionis partem, quæ ex ingenti adversantium auctorum numero petitur, ibidem ita modeste respondet :* Contra hæc statim e diametro incurrit vulgaris opinio, quæ Jacobum Minorem, vulgo dictum fratrem Domini, hujus epistolæ auctorem facit. Scio, ultro et fateor, plurimos et fuisse olim et hodie in ea esse sententia : precor tamen prudentem lectorem, ne gravetur advertere animum ad hæc, quæ mox refero. *Tunc ponit præcipua Isidorianæ sententiæ fundamenta, post quæ sic concludit :* Quibus testimoniis cum accedat hæc ex B libro Apocalypsis conjectura, quis æquus æstimator non judicet, hanc, licet minus vulgarem, tamen haud aspernandam videri debere sententiam, quæ a Jacobo Majore scriptam Catholicam epistolam affirmat? *Sanctius huic adversariorum multitudini opponit Officium Gothicum, quod in concilio* IV *Toletano a doctissimis ac sanctissimis Hispaniæ præsulibus approbatum, et consensu Romanorum Pontificum hactenus usitatum, publica sua auctoritate multis scriptoribus æquivalet. Laudatus vero Zuleta num.* 16 *citat Alphonsum Castellæ et Legionis regem, cognomento sapientem, Philippum Bergomensem, Sebastianum Forra, Jacobum Daza, aliosque non paucos, qui Isidorianam sententiam amplectuntur.*

non est tamen adeo improbabilis aut exotica,

377 *Possent etiam pro hac opinione allegari vetustiora testimonia, quale unum in novo Testamento Syriaco, quod Joannes Albertus Widmanstadius anno* 1572 *Viennæ in Austria edidit, invenitur his verbis :* In nomine Domini nostri Jesu Christi sigillamus tres epistolas Jacobi, Petri, et Joannis. Isti sunt, qui testes fuerunt super revelatione domini nostri Jesu Christi, quando immutavit se ipsum coram oculis ipsorum in monte Thabor. *Aliqui existimant, hanc* C *Syriacam novi Testamenti versionem a quodam Apostolorum discipulo factam esse. Quidquid sit de hujus versionis antiquitate, consonat huic testimonio vetus auctor, qui Coloniensi Patrum bibliothecæ tom.* 5, *part.* 2 *insertus est, et a quo illic pag.* 645 *scriptor hujus epistolæ vocatur* tertius Dominicæ gloriæ testis electus. *Scio, hunc auctorem de Pelagiana hæresi merito accusari, et sub Sixti III Pontificis nomine perperam aliquando citari; sed quis propterea illum antiquum esse negaverit? His accedunt alia argumenta, quæ apud Possinum nostrum paginis proxime citatis videri possunt.*

ut propterea testimonium tribus recusari possit.

378 *Nolo tamen cum Zuleta aliisque hujus opinionis defensoribus contra torrentem luctari, atque idcirco potius Jacobo Minori hanc epistolam adscribendam censeo. Solum contendo, hanc S. Isidori sententiam non esse adeo exoticam, ut propterea liber de ortu et obitu Patrum ipsi abjudicari debeat, quod etiam sæpe laudatus laudandusque Sanctius tract.* 3, *cap.* 12, *num.* 1 *probat hoc modo :* Ego primum existimo, nimis severam esse censuram, quæ gravi alicui doctori, maxime ex antiquis, quando res etiam gravissimæ minus erant exploratæ et certæ, opus aliquod adimit, quia minus cum aliorum opinione consentiat, aut etiam cum iis, quæ ab eodem auctore aliis in locis prodita sunt. Quam multa negares Tertulliano, Origeni, Hieronymo atque Augustino, qui scripsere non pauca, quæ aut alii improbant, aut ipsi ultro damnant et retractant? Ab exemplis abstineo, quæ sane multa sunt. *Hæc etiam applica Officio Gothico seu Mozarabico cujus antiquitas et auctoritas ob hanc singularem opinionem non diminuuntur.* D

Natalis Baronium secutus putat, hoc opus sub Isidori nomine esse confictum,

379 *Natalis Alexander tomo* 3, *pag.* 158 *graviorem litem huic Isidori opusculo intentat : nam ad testimonium Isidori, quod initio hujus paragraphi allegavi, rotunde respondet,* jam fere constare apud doctos, librum de vita et morte Sanctorum, qui sub nomine sancti Isidori circumfertur, sancti revera Isidori genuinum fœtum non esse, cum in eo plura legantur Isidori ingenio indigna, imo et putida mendacia, ut scribit eminentissimus Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium ad diem Julii XXV. *Non me latet, hæc ab eminentissimo Baronio in notis ad Martyrologium Romanum scripta fuisse.* E *At etiam non ignoro, quod Franciscus Macedo in Diatriba cap.* II *huic Baronii censuræ ita responderit :* Invenio apud Baronium in Annalibus, in quibus majorem sibi haberi fidem cupit, et in eodem primo tomo Annalium, et postquam hæc de his auctoribus refellendo eos scripsit, unum ex iis Isidorum in operibus, quæ rejecerat, citatum, et inde testimonia, ad faciendam fidem suo judicio idonea, desumpta, eumque inter gravissimos Ecclesiæ Patres collocatum : dum enim recenset Patres, qui Paulum Hispanias adiisse tradiderint, Isidorum etiam numerat, et citat librum de vita et obitu Sanctorum.

ex quo tamen Baronius postea testimonium adhibuit

380 Verum quidem est, eum se purgare addendo ; ISIDORUM, inquit, AUT QUISQUIS ILLE EST AUCTOR. Ingenuus sum, fateor, et ille cautus. Sed non elabitur : nam dum ille, sive nomine Isidori sive alio citat, non ejus elevat auctoritatem ; imo ea illam Patrum confirmat sententiam : nec pseudo-Isidorum vocat, sed quisquis demum sit, eum recipit. Cur ergo F rejicit, et cum injuria, quando auctorem adventus in Hispaniam Jacobi facit? Ferat eum ac eodem modo, quo postea citat. Dubitet de nomine auctoris, libri non detrahat auctoritati. Sinat adduci ab Hispanis, quemadmodum ab ipso in hoc Annalium loco adducitur. Non multum enim, opinor, curant Hispani, sitne Isidorus, an alter suæ ætatis scriptor, dummodo sit idoneus, cujusmodi eum Baronius esse putat, dum inter Patres gravissimos recenset. *Hisce claritatis causa addo, quod satis appareat, has notas ad Martyrologium Romanum a Baronio ante primum tomum Annalium scriptas esse, cum eminentissimus scriptor in illo ad annum Christi* 44 *num.* 1 *de Hispanica* S. Jacobi *prædicatione agens ita loquatur :* Nihil amplius, quod de ea re dicamus, habemus, quam quæ sunt a nobis in Martyrologio Romano notata. *Hæc evincunt, Baronium hic sibi non constitisse. At profecto mirum non est, virum, magna negotiorum ac librorum mole obrutum, nonnunquam sui oblitum esse, ut vasti operis scriptoribus aliquando solet contingere. Quare interdum hanc veniam petimusque damusque vicissim, atque id nobis semper indicari cupimus.*

381 *Non equidem inficior, hunc librum propter*

AUCTORE G. C.

Aliis idem opus Isidoro vindicantibus,

A *propter quasdam narratiunculas leves aut parum verisimiles a nonnullis viris doctis S. Isidoro abjudicari; sed aliter de hoc opere sentiunt eminentissimus Aguirrius, marchio Mondexarensis, Gaspar Sanctius, et plures alii cum Nicolao Antonio, qui postremus tomo* I *Bibliothecæ Hispanicæ lib.* 5. *cap.* 4, *num.* 114 *et sequentibus multa antiqua hujus operis exemplaria in diversis Europæ bibliothecis assignat. Præterea hi viri eruditi opponunt crisi adversariorum sanctos præsules, Braulionem Cæsar-Augustanum et Ildefonsum Toletanum, ambos S. Isidori coætaneos, quorum primus in prænotatione librorum beati Isidori apud Miræum part* I *Bibliothecæ ecclesiasticæ pag.* 77 *ita de illo scribit :* Edidit.... de ortu et obitu Patrum librum unum, in quo eorum gesta, dignitatem quoque et mortem eorum atque sepulturam sententiali brevitate subnotavit. *Alter vero apud eumdem Miræum pag.* 97 *inter alia Isidori Opera recenset,* librum de ortu et obitu Pro-
B phetarum *vel* Patrum, *ut alia habent exemplaria. Sigebertus Gemblacensis ibidem pag.* 139 *idem Isidori opusculum indicat, aucto nonnihil titulo, asseritque præter alia illum scripsisse* de ortu, vita, et obitu sanctorum Patrum, qui in Scripturarum laudibus efferuntur. *Hæc antiqua testimonia Natalem Alexandrum eo saltem adegerunt, ut tom.* 5, *pag.* 565 *moneat, se S. Isidoro dumtaxat denegare librum de vita et morte Sanctorum,* quem habemus, *ita ut similem librum ab Isidoro scriptum fuisse fateatur. Si his verbis indicare velit, illum S. Isidori librum,* quem habemus, *non esse ubique genuinum, sed hinc inde corruptum, facile inter nos conveniet, ut jam dicam.*

nos putamus, illud subinde interpolatum esse :

382 *Argumentis sine partium studio utrimque expensis, cum Labbeo nostro in opere de scriptoribus ecclesiasticis judicio, hunc librum de ortu et obitu Patrum S Isidoro tribuendum esse, sed eumdem ab imperito aut malevolo interpolatore subinde corruptum esse. Aliqui excusant historicos S. Isidori errores, eo quod scripserit in Hispania longe dissita ab Oriente, ex quo rari libri in eam advehebantur, atque inde concludunt, eum non habuisse accuratam plurium rerum notitiam. Alii suspicantur, illum fuisse credu-*
C *lum, atque ita falsas et heteroclitas quorumdam sententias, non tam sua quam aliena fide, scriptis suis inseruisse. Utraque hæc conjectura mihi non placet, quamvis neutra opinioni meæ contradicat : tametsi enim concederem, S. Isidorum non fuisse rerum Orientalium valde peritum, an inde sequeretur, quod etiam res Hispanicas ignoraverit? An antistes Hispalensis non noverat, qualis de prædicatione* S. Jacobi *suo tempore in Hispania esset traditio? Quod si etiam ultro faterer, ipsum in quibusdam narrationibus admittendis nimis fuisse credulum, id certe locum non haberet in rebus Hispanicis, quas facile per se ipsum indagare potuit. Itaque ego honori tanti doctoris magis consultum volo, et potius existimo, hoc illius opus de ortu et obitu Patrum postea interpolatum fuisse*

ex quo non sequitur, testimonium de Hispanica S. Jacobi prædicatione

383 *Hinc fortasse quispiam inferet, sic etiam Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem ab illo interpolatore in hunc Isidori librum intrusam esse. Sed respondeo, hanc illationem omnino corruere, dum inspiciuntur antiquissimi codices manuscripti, de quorum uno illustrissimus Petrus de Marca in epistola ad Henricum Valesium data, et a nobis tomo* V *Junii a pag.* 544 *cum animadversionibus edita, sic testatur :* His adjungendum putavi testimonium vetustissimi codicis manuscripti ex bibliotheca S. Germani Parisiensis, in quo ille tractatus Isidori *(videlicet de ortu et obitu Patrum, aut ut ipse vocat, de vita et morte Sanctorum)* ante octingentos annos adscriptus una cum aliis ejusdem auctoris libris continetur . . . . Nec dissimulandum est, in eodem codice legi, Hispaniam Jacobo apostolo datam, eumque Hispanis fidem prædicasse : quæ vetusti codicis auctoritas a quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ forsan loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studioso. *Nullo modo suspectum esse potest hoc gravissimum eruditi et Gallici præsulis judicium. Petrus Fuentiduena, canonicus Salmanticensis, qui cum magna sui nominis celebritate concilio Tridentino interfuit, eumdem Isidori librum in octo veteribus codicibus vidit, ex quibus inter se collatis correctissimum exemplar reliquit, sicut testatur eminentissimus Aguirrius tom.* I *conciliorum Hispaniæ dissert.* 9 *excursu* 4, *ubi etiam plura manuscripta ejusdem opusculi exemplaria recenset.*

etiam corruptum esse, ut ex antiquis Mss. ostenditur.

384 *Hipse accedit antiquus Musei nostri codex signatus* † *Ms.* 117, *in quo post alia sanctorum Patrum opera circa finem legitur hic titulus :* In nomine Domini incipit ortus et vita vel obitus sanctorum Patrum, qui in Scripturarum laudibus efferuntur. *Iste itaque codex noster membraneus, in quo ante duo immediate præcedentia ejusdem doctoris opuscula nomen* Hisidori *clare exprimitur, et qui cum San-Germanensi de characterum antiquitate posset certare, in textu ad rem nostram habet sequentia :* Jacobus, filius Zebedæi, frater Johannis, quartus in ordine, duodecim tribus *, quæ sunt in dispersione gentium, scribit, atque Spaniæ et occidentalium locorum *(supple* gentibus *vel* populis) Euangelium prædicavit, et in occasum mundi lucem prædicationis infudit : hic ab Herode tetrarcha gladio cæsus occubuit, sepultus in arce marmaria. *Gaspar Sanctius tract.* 3, *cap.* 13 *erudite explicat, quomodo hic ab Isidoro Herodes* tetrarcha *vocari possit, qui in Actibus Apostolorum rex appellatur. Porro de* arce marmaria, *quæ expressio hic propius ad arcam marmoream accedit, parte* I *hujus Commentarii a num.* 39 *satis dictum est.* F
Ex hoc antiquorum codicum consensu concludo, prudenter dubitari non posse, quin S. Isidorus adventum S. Jacobi *in Hispaniam litteris mandaverit.*

** lege tribubus*

Non est certum S. Braulionis testimonium,

385 *Non adeo certum est, an S. Braulio, Isidori discipulus et postea episcopus Cæsar-Augustanus eamdem traditionem posteris scriptam reliquerit. Constantinus Cajetanus abbas in quodam opusculo, quo SS. Isidorum Hispalensem, Ildefonsum Toletanum, ac Gregorium Magnum Ordini Benedictino vindicare nititur, ex sermone de laudibus beati Isidori affert nomine S. Braulionis hæc verba :* Interea, fratres charissimi, dignum est, ut hunc sanctissimum confessorem Isidorum omnis laudibus attollat Ecclesia; sed maxime Hispaniarum, quæ præ ceteris ejus specialius saluberrima refulsit doctrina : nam sicut Gregorius doctor Romæ successit Petro, ita beatus Isidorus in Hispaniarum partibus doctrina Jacobo successit apostolo : semina namque vitæ æternæ, quæ beatissimus Jacobus seminavit, hic beatissimus doctor Isidorus verbo prædicationis, quasi unus e quatuor paradisi fluminibus sufficienter irrigavit, atque universam Hispaniam tam exemplo

AUCTORE G. C.

exemplo boni operis, quam fama sanctitatis, velut splendidissimus solis radius illuminavit. *Huc respexisse videntur, qui nuper novum de S. Isidoro Officium concinnarunt, in cujus secundo Nocturno legimus, quod eum* sanctus Braulio non modo Gregorio Magno comparaverit, sed et erudiendæ Hispaniæ loco Jacobi apostoli cælitus datum esse censuerit.

quod in Ms. quodam codice de eadem prædicatione legitur,

386 *Equidem scio, aliqua scripta nomine Braulionis jam fere a sesquiseculo conficta fuisse, quæ una cum Dextro, Maximo, aliisque pseudographis prodierunt; at hoc fragmentum de tam recenti fictione suspectum esse nequit, cum Constantinus Cajetanus pag.* 5 *memorati opusculi sui in notis ad illud S. Isidori elogium sic scribat :* Ceterum integer hic sermo, quem nancisci adhuc minime potuimus, exstat in antiquitus manu exarato Isidori Etymologiarum opere, quod asservatur apud Carthusianos monachos cœnobii Aulæ Dei in agro Cæsar-Augustano siti. *De eodem codice, illic asservato, plures alii meminerunt. Cum igitur sermo iste tempore Constantini Cajetani in antiquo codice Ms. apud Cartusianos dicto loco exstiterit, haud dubie vetu-* B *stior est ficulneis figmentis, quæ necdum centum et quinquaginta annorum ætatem numerant. Sed etsi ex dictis sequitur, hunc sermonem de recentiori suppositione argui non posse, tamen inde certo concludere non licet, illum esse genuinum S. Braulionis fœtum : nam Mariana noster juxta fidem antiquorum Mss. putat, hæc et similia a Luca Tudensi addita fuisse. Ingenuus ille Hispaniæ historicus in Disputatione de adventu* S. Jacobi *in Hispaniqm cap.* 10 *ita loquitur :* Lucas item Tudensis ante quadringentos paulo minus annos Chronico Isidori multa de suo inseruit, plura adjecit ad suam ætatem, cujus operis prima pars Isidori nomine citatur a multis per errorem, cum pleraque absona Lucas miscuerit, indigna gravitate Isidori.

quia Lucas Tudensis hoc Braulionis opusculum interpolavit,

387 *Mariana deinde paulo post propius ad rem nostram sic habet :* In additionibus ad Vitam divi Isidori, Braulione auctore consarcinatam, venisse Jacobum in Hispaniam *(Lucas Tu-* C *densis)* expressis verbis testatum reliquit. Eas Lucæ additiones quidam per errorem quasi ipsius Braulii verba citant. Sed fides veterum codicum omnium reclamat, ubi post librum Isidori de viris illustribus ponitur Isidori Vita, auctore Braulio. In ipsa etiam Operum divi Isidori editione nuper Madriti facta, tum eo loco, tum initio libri Etymologiarum, sincera exstat ea Isidori Vita, alienis non fœdata centonibus. *Contra hanc Marianæ opinionem Petrus Mantuanus in observationibus ad ejus historiam pag.* 108 *acriter insurgit; pro ea stat Thomas Tamayo de Vargas in ejusdem historiæ defensione contra Mantuanum a pag.* 128, *qui utrimque sua argumenta proferunt.*

quod ex oculata Ms. codicis inspectione discernendum esset.

388 *Nolim in hac controversia contentiosum funem ducere, aut quidquam definire, cum tota litis decisio pendeat ex oculata Mss. codicum inspectione, qua viro veterum characterum perito examinandum esset, an codex Cartusianus in agro Cæsar-Augustana, aut ceteri ab aliis assignati, in quibus Hispanica* S. Jacobi *prædicatio exprimitur, ætatem Lucæ Tudensis superent. Si hæc Lucæ Tudensis interpolatio etiam in libro de ortu et obitu Patrum obtineat, confirmatur nostra opinio, qua illud S. Isidori opus ab aliquo corruptum esse supra diximus. Neque tamen inde ullo modo fit suspectum aut dubium ejusdem* D *doctoris testimonium pro adventu* S. Jacobi *in Hispaniam, cum memoratus Musei nostri codex et San-Germanensis, in quibus hoc diserte legitur, characterum antiquitate tempora Lucæ Tudensis longe transcendant.*

§ VIII. Eadem traditio a sancto Juliano, qui seculo septimo ecclesiam Toletanam rexit, confirmatur.

Testimonio S. Juliani, Toletani antistitis

Toletanus præsul Julianus qui inclinante seculo septimo floruit, et cujus Acta Majores nostri tomo I *Martii a pag.* 782 *diligenter illustrarunt, in Commentariis ad prophetam Nahum, Coloniensi veterum Patrum Bibliothecæ insertis tomo* 7 *pag.* 524 *Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem tradit his verbis :* Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per universum mundum detulerunt : Petrus enim eum Romæ, E Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, JACOBUS HISPANIAM, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Judas Thaddæus eum retulit Mesopotamiam, Jacobus Alphæi eum retinuit Hierosolymam. Quisque sua sorte Christum sparsit sine sorde; per Paulum vero toto dispergitur orbe. *Nemini de fictione suspectum esse debet hoc S. Juliani opusculum, sicuti Cardinalis Aguirrius in memorata dissertatione num.* 49 *ita recte monet :* Nec suspicari fas est, aliquid mangonii irrepsisse in id testimonium adeo manifestum, extractum e codice Bavaro, primum quidem ab Henrico Canisio, qui in Germania illud edidit; deinde vero a Feuardentio, postea a Margarino de la Bigne tomo I Bibliothecæ PP. pag. 583, ac tandem ab Anissoniis tomo XII nuper citato : idque in media Gallia, ubi nec mos est, nec utilitas ulla sperari potest, si quisquam Hispanis aduletur, aut ipsorum honorem plus justo promoveat.

Natalis Alexander opponit quasdam cavillationes,

390 *Attamen Natalis Alexander in editione jam aliquoties citata tomo* 3, *pag.* 159 *hoc testimonium ita infirmare nititur :* Respondeo, *inquit,* incertum esse, an illud opus sit S. Julia- F ni Toletani, quod ex uno tantum Ms. codice, undequaque mutilo et mendis scatente, editum est; et quatuor tantum aut quinque versus Nahum prophetæ exponit. Recentiorem sane auctorem Juliano indicant versus isti Leonini, qui ad finem testimonii mox laudati leguntur. *Possem hic Alexandro, mutatis tantummodo nominibus, idem responsum dare, quod ipse tom.* 3, *pag.* 161 *prædicationem Euangelii in Gallia primo seculo defendens, adversario suo reddidit his verbis :* Hujus epistolæ fidei detrahit Launoius, eamque sancti Cypriani esse negat, quod nullus mortalium ante ipsum ausus est. *Non disputo, jure an injuria Launoius id fecerit. At nemo etiam ante Natalem Alexandrum, quantum scio, hos commentarios in prophetam Nahum sancto Juliano abjudicare ausus est. Legatur, si lubet, Labbeus noster de scriptoribus ecclesiasticis, Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica, et ipse Caveus heterodoxus in Historia litteraria, qui omnes hoc opusculum isti sancto præsuli adscribunt, et de nemine id negante*

AUCTORE G. C.

A *gante meminerunt. Verum jam omnes Alexandri cavillationes, contra hanc S. Juliani auctoritatem allatas, solido fundamento carere ostendam.*

quorum prima,

391 *Primo frivolum omnino est, quod illud S. Juliani opusculum, ut incertum, rejiciat, quia tantum ex uno Ms. codice prodiit : ut enim alia brevitatis causa omittam, utor argumento ad hominem. Ipsemet Natalis Alexander tomo* 4, *sec.* 4, *cap.* 6, *art.* 3 *enumerans opera Lactantii, in fine articuli pag.* 103 *sic scribit :* Librum de persecutione sive de Mortibus persecutorum edidit senior. Opus insigne, quod huc usque latuerat, e tenebris eruit V. C. Stephanus Baluzius. *At quomodo opus illud vocat* insigne, *quod tantum ex uno Ms. codice Colbertino, et quidem mendoso, editum est, ut primus ejus editor Baluzius in notis, tomo* 2 *Miscellaneorum a page* 347 *insertis, ultro fatetur? Qua ratione Alexander istud Lactantio adscribit, cum in Ms. Colbertino solum* Lucii Cecilii *nomen legatur, ut discere potuit ex iterata ejusdem opusculi impressione, quam Nicolaus le Nourry, Monachus Benedictinus anno* 1710 *Parisiis ex eodem unico Ms. heri curavit, ac variis dissertationibus adornavit? Porro liber ille de Mortibus persecutorum (quiscumque demum sit ejus auctor) magnæ apud eruditos est auctoritatis, et a nemine rejicitur, eo quod ex uno tantum Ms. codice prodierit.*

B

secunda,

392 *Neque ad probandam Alexandri cavillationem quidquam roboris habet, quod istud S. Juliani opusculum sit mutilum, et tantummodo quatuor aut quinque versus Prophetæ exponat : potuit enim auctor inchoato huic operi immori; si vero totum absolverit, hoc exordio servato, potuerunt reliqua perire, vel forte adhuc alicubi cum blattis et tineis luctantur. Quidquid sit, operis alicujus complementum nihil ad ipsius sinceritatem facit, nisi fidem abrogare velis omnibus imperfectis sanctorum Patrum lucubrationibus, aliisque fragmentis, quæ tamen ad illustrandam historiam hoc tempore tam studiose tamque avide ubique conquiruntur. Certe nos ad diem* XIII *Julii ex unico Ms. Græco Petri Seguierii, Cancellarii Franciæ, edidimus Vitam S. Stephani Sabaïtæ acephalam et magna sui parte mutilam, quæ tamen a Leontio Sancti discipulo scripta est, et tam singulares veritatis characteres habet, ut multis integris Metaphrastis Actis longe præferenda sit.*

C

et tertia

393 *Æque ineptum est argumentum, quod ex supradicta S. Juliani clausula format hoc modo :* Recentiorem sane auctorem Juliano, *inquit,* indicant versus isti Leonini, qui ad finem testimonii mox laudati leguntur. *Ut Alexandri objectio clarius intelligatur, sciendum est, quod juxta Cangium in Glossario et Macrum in Hierolexico carmina rhythmica vocentur Leonina a quodam Leone poeta, qui ea seculo* XI *primus affectavit. Vult itaque indicare, auctorem hujus Commentarii in Nahum seculo* X *posteriorem esse. At quid si negem, in fine illius testimonii legi versus rhythmicos, quos Græci appellant* ὁμοιοτελεύτους *id est* similiter desinentes? *Quomodo Natalis Alexander probabit, ea esse carmina Leonina?*

Quisque sua sorte Christum sparsit sine sorde;
Per Paulum vero toto dispergitur orbe.

facillime destruuntur.

394 *Dubitari posset, an S. Julianus hæc stylo ligato scribere intenderit, cum primus versus legitimo metro non sit adstrictus, et uterque eodem tenore reliquæ prosæ addatur, prout illos num.* 389 *exhibuimus. Sed demus, Julianum voluisse testimonium suum duobus versiculis concludere. An sunt Leonini? An in primo hexametro* sorte *et* sorde, *atque in secundo voces* vero *et* orbe *similiter desinunt? Imo quamvis auctori per incogitantiam unum alterumve carmen* ὁμοιοτέλευτον *seu similiter desinens excidisset, an propterea ætas illius post seculum* X *removenda est? Nemo certe Virgilium et Ovidium juniores existimat, etsi ille lib.* 12 *Æneidos habeat hunc versum rhythmicum seu Leoninum :*

Ora citatorum dextra contorsit equorum.

Hic vero in elegantissima Ulyssis oratione scripserit :

Si Troiæ fatis aliquid restare putatis.

Et in epistola Hermiones ad Orestem :

Vir precor uxori, frater succurre sorori.

Itaque ista Alexandri argumentatio tantummodo aliquid probaret, si hic sermo esset de integro poemate, in quo metrum Leoninum studiose affectaretur, quale dedimus in Vita S. Alexii tomo IV *Julii a pag.* 254.

Denique auctoritatem Juliani admittere renuit

395 *Tandem Natalis videns, ratiunculas suas nimis infirmas esse, ut sancto isti archiepiscopo Toletano commentarios illos auferant, rotunde auctoritatem ipsius ibidem rejicit his verbis :* Sed quamvis Juliani esset ille commentariolus, major ipsi non esset adhibenda fides, quam Scripturæ sacræ, ex qua colligitur, sanctum Jacobum nusquam in Hispanias profectum esse, et quam Innocentio I, Hormisdæ, et Gregorio VII Pontificibus maximis, quorum ex testimonio idem superius probatum est. Certe tam errare potuit sanctus Julianus in sancto Jacobo, quam in sancto Philippo apostolo, quem in Galliis prædicasse Euangelium absque fundamento asserit. *Primum responsionis hujus membrum verissimum est, si ex sacris Litteris ostendi possit,* S. Jacobum *in Hispaniam non venisse. Si Natalis serio crediderit, adventum* S. Jacobi *in Hispaniam sacræ Scripturæ repugnare, poterat compendiose totam hanc controversiam terminare et sola illa spongia immemorabilem Hispanorum traditionem ac omnia eorum argumenta delere. Non erat itaque ipsi operose disputandum de textu S. Hieronymi, de auctoritate S. Isidori, aliisque antiquis testimoniis. Tantummodo ostendendum erat, adventum* S. Jacobi *in Hispaniam a sacra Scriptura negari : ultro enim omnes fatemur, majorem fidem adhibendam esse sacræ Scripturæ, quam ulli populorum traditioni, aut etiam gravissimæ sanctorum Patrum auctoritati. At videtur Alexander, dum in angustiis est, ad hanc aram dumtaxat confugere. Sic post relatos quosdam seculi* IX *ac* X *scriptores, quorum manifesta testimonia negare nequit, ad idem responsum ita aliis verbis recurrit :* Habemus firmiorem propheticum sermonem. *Verum, quod hic de sacrarum Litterarum et Romanarum Pontificum auctoritate, tamquam adventui* S. Jacobi *in Hispaniam contraria, adeo confidenter repetit, postea singillatim discutiemus.*

E

F

quæ ex ipsis adversarii verbis

396 *Interea rursus adversarium propriis armis aggrediamur, atque ex aliis ipsius verbis deducemus, quod hic sine ullo fundamento asserat, S. Julianum in designanda Jacobeæ prædicationis provincia errasse. Alexander tom.* 5, *pag.* 568 *honorificum S. Juliani texuit elogium, quod ita contraho :* Julianus Toletanus.... Quirico in sede Toletana successit.... eamque rexit ecclesiam ab anno sexcentesimo octogesimo ad diem octavam Martii anni sexcentesimi nonagesimi, quo vitam immortalitate mutavit.... Vitæ sanctitas

AUCTORE G. C.

ctitas cælestium numero inseruit, fastisque, ut Martyrologia testantur. Ingenio fuit facili, copioso, suavi; eruditione eximia, quam relicta monumenta testantur, ac præsertim opus, quod PROGNOSTICON FUTURI SECULI inscripsit, in tres libros distinctum, in quibus SS. Cypriani et Augustini verbis frequentius loquitur, quam suis..... Scripsit etiam commentarios in Nahum prophetam *(videtur hic sui oblitus Alexander, dum sine ulla dubitationis nota hoc opusculum S. Juliano tribuit)* qui ab Henrico Canisio ex Ms. codice Bavaricæ bibliothecæ editi, in Bibliothecas Patrum transcripti sunt.

sancto præsuli vindicatur.

397 *Deinde post enumerata alia illius scripta hoc addit :* Multis orationibus et Missis Officium Gotthicum sive Mozarabicum auxit, ut idem Felix ipsius successor testatur. *Hic paucis adversarium interrogo, an sibi persuadere possit, S. Julianum, virum sanctitate et* eruditione eximia *præditum, qui verbis sanctorum Patrum frequentius loqui consuevit, quam suis, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem temere asseruisse? An sine injuria dici potest, hanc opinionem e cerebro sancti viri primum prodiisse? Nonne certum videtur, quod eam*
B
ex traditione vel antiquorum scriptis hauserit? Sane verosimillimum est, quod sanctus iste archiepiscopus Toletanus illam traditionem consignatam invenerit in Officio Gothico, cui ipse quasdam orationes et Missas addidit : quis namque credat, festa Apostolorum tempore S. Juliani nondum in Hispania solenniter celebrata fuisse? Denique nulla veri specie affirmari potest, quod vir sanctus et eruditus traditionem illam scriptis suis inseruerit contra auctoritatem sacræ Scripturæ, ad quam hic adversarius importune recurrit.

et minime rejicienda est.

398 *Quod autem attinet ad Gallicam S. Philippi prædicationem, ob quam memoratos S. Juliani commentarios erroris arguit, ea profecto non adeo leviter explodenda est, cum illustrissimus Petrus de Marca in jam laudata epistola ad Valesitum prædicationem S. Philippi in Gallia variis antiquis testimoniis plane probabilem reddat, illamque inter alia potissimum confirmet ex Eusebio, qui in Demonstratione evangelica lib.* 3, *cap.* 5 *asserit, quod Apostoli non tantum Romanis provinciis, sed etiam aliis regnis, atque ipsis quoque Britannicis insulis fidei lumen intulerint. Ex hac Eusebii assertione illustrissimus iste ar-*
C
chiepiscopus ita argumentatur : Sane neminem puto tam insipidum, qui sibi persuadeat, de divisis toto orbe Britannis solicitos Apostolos, negligentiores fuisse in Galliis, per quas iter est ad Britannias, per se aut per legatos veritate imbuendis. Quod egregie illi præstiterunt per Philippum, unum ex eorum collegio.

etsi S. Philippum in Gallia prædicasse asserat.

399 *Hæc aliaque doctissimi præsulis argumenta Papebrochium nostrum, virum non nimis credulum, ita moverunt, ut in animadversione ad prædictam epistolam tomo* v *Junii pag.* 546 *non diffiteatur, Galliam a Philippo aliisque saltem obiter Christiana doctrina instructam esse, ibidemque ab Apostolis jacta fuisse aliqua Evangelii semina, quæ primo et secundo Christi seculo inter persecutiones utcumque germinabant, quamvis eo tempore nondum tantos fructus producerent, ut pro numero provinciarum vel etiam majorum civitatum instituti fuerint episcopatus. Sed hanc controversiam, ab instituto meo hic alienam, in medio relinquo, solumque contendo, sancto huic antistiti Toletano in rebus Hispanicis fidem adhibendam esse : scire enim poterat, qua-* D
lis suo tempore in Hispania de S. Jacobi *prædicatione esset traditio. Haud dubie eam ex communi fama, aut præfatis S. Isidori scriptis et vetustiori ecclesiæ suæ Officio hauserat. Certe concedi debet, eam opinionem non ab ipso primum excogitatam vel temere assertam fuisse.*

§ IX. Hispanica S. Jacobi prædicatio ex antiquissimo Martyrologio Autissiodorensi et certis seculi octavi testimoniis corroboratur.

Natalis Alexander vehementer extollit

Facile possem initio seculi octavi aut etiam seculis præcedentibus adscribere Martyrologium Autisssiodorense, si imitari vellem Natalem Alexandrum in extollenda Martyrologiorum antiquitate, quando opinioni suæ favent : nam tomo 3, *pag.* 172 *de Martyrologio, quod in codice Corbeiensis monasterii* annis abhinc circiter sexcentis *exaratum, et a Luca Dacherio tomo* 4 *Spicilegii typis editum est, ita magnifice pronuntiat :* E
In illo itaque Martyrologio, quod omnium vitustissimum est, et quod, si non ab ipso Hieronymo editum, paulo post obitum ipsius Hieronymi ab incerro auctore ecclesiastico evulgatum existimat vir doctissimus Henricus Valesius in dissertatione de Martyrologio Romano, quod edidit Rosweydus : in illo, inquam, Martyrologio hæc leguntur VII [Idus] Octobris : PARISIUS, NATALIS SANCTORUM DIONYSII EPISCOPI, RUSTICI PRESBYTERI, ELEUTHERII DIACONI.

sibi faventem Martyrologii Corbeiensis antiquitatem,

401 *Non inficior, antiquum esse istud Martyrologium ; sed an sit* omnium vetustissimum, *et* paulo post obitum ipsius Hieronymi..... evulgatum, *non facile determinabit, qui tomo* 3 *Thesauri novi anecdotorum in admonitione prævia ad Martyrologia seu Calendaria aliquot antiquissima col.* 1545 *hæc Edmundi Martene verba attente expenderit :* Utrum autem alicubi exstet, quod sub Hieronymi nomine conditum est Martyrologium parum putum, quale fuit ab auctore conscriptum, temere asserere nolim : nam quod S. Gregorii libro Sacramentorum accidit, id Hieronymiano Martyrologio contigisse non du- F
bitamus; tot nimirum additionibus aut auctum, tot truncationibus diminutum, ut jam primarius auctoris fœtus, quavis adhibita diligentia, agnosci nequeat.

cui credere non debet Martyrologium Autissiodorense, traditionem Hispanorum confirmans,

402 *Si, inquam, imitari vellem Natalem Alexandrum, facile possem simili ratiocinio istud Martyrologium, in quo Hispanica* S. Jacobi *prædicatio asseritur, ad seculum septimum aut sextum referre, cum illius editor Edmundus Martene tomo proxime citato col.* 1547 *hanc ipsi titulum præfigat :* Martyrologium vetus ab annis circiter mille sub nomine S. Hieronymi compactum. Ex Ms. monasterii S. Germani Autissiodorensis. *Porro in eo Martyrologio ibidem col.* 1549, *ut initio hujus Commentarii num.* 6 *me iterum dicere memini, ita legitur :* Jacob, qui interpretatur supplantator, filius Zebedæi, frater Johannis : hic Spaniæ et Occidentalia loca prædicat, et sub Herode gladio cæsus occubuit, sepultusque est in Acaia Marmarica VIII Kalendas Augusti.

403 *Ut*

quod valde antiquum esse ostenditur.

A 403 *Ut curiosus lector melius cognoscat Ms. codicem, ex quo hoc testimonium pro adventu* S. Jacobi *in Hispaniam desumptum est, audiamus laudatum editorem, qui in admonitione prævia inter aliorum Martyrologiorum enumerationem de illo sic præfatur :* Codex Autissiodorensis S. Germani, ex quo illud descripsi, annos circiter octingentos refert ; nullum Sanctum exhibet, qui ante annos mille non vixerit : in hoc differt ab Acherianis et Florentiniano, quod longe pauciora Sanctorum nomina proferat ; ab iis omissa nonnulla exhibeat, martyrii loca martyrumque titulos dignitatis sæpius indicet ; cetera cum iis in multis convenit. An vero prolixiora brevioribus Martyrologiis præferenda sint, atque ita a primario auctore composita sint, penes viros litteratos esto judicium. Movet me tamen, quod flumina, quo magis fonti sunt viciniora, eo minus diffusa esse soleant ; quo vero magis ab eo recedunt, eo etiam magis dilatantur, faciliusque
B sit, hujusmodi scriptis plura addere, quam detrahere. Et revera omnes antiquos Martyrologos brevissimos esse animadvertimus ; qui vero ultimi scripsere, diffusiori stylo opus suum prosecuti sunt, ac longe majori Sanctorum numero auxerunt. *Etsi ex dictis colligi possit, hoc Martyrologium Autissiodorense antiquitate non debere cedere Corbeiensi, cum tamen de certa illius ætate non constet, nihil definio, et ad certiora progredior.*

Adventum S. Jacobi in Hispaniam

404 *Seculo octavo sanctus Beatus presbyter, de quo noster Henschenius ad diem* XIX *Februarii egit, in expositione Apocalypseos lib.* 2 *eidem traditioni ita subscribit :* Hi duodecim sunt Christi discipuli, prædicatores fidei, et doctores gentium ; qui dum omnes sint unum, singuli autem eorum ad prædicandum in mundo sortes proprias acceperunt : Petrus Roma, Andreas Achaia, Thomas India, Jacobus Spania, Joannes Asia, Matthæus Macedonia, Philippus Gallia, Bartholomæus Licaonia, Simon Zelotes Ægypto, Jacobus frater Domini Hierusalem [potitus est ;] Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors traditur propria, quia in omnibus gentibus magister et prædicator eligitur.

asserit sanctus Beatus,

405 *Aliqui hæc verba perperam adscripserunt Apringio, Pacensi in Lusitania episcopo,*
C *qui seculo* VI *floruit, ut videre est apud eminentissimum Aguirrium dissert.* 9, *excurs.* 3, *num.* 30 *et sequentibus. Ne quis tamen dubitet, an hoc opus S. Beato sit tribuendum, adeat Nicolaum Antonium tomo* I *Bibliothecæ Hispanicæ, qui lib.* 6, *cap.* 2, *num.* 41 *commentarios in Apocalypsin Beato vindicat, ac variis locis manuscriptos haberi demonstrat. Joannes de Ferreras in Dissertatione de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania num.* 23 *etiam testatur, idem opus Ms. Matriti in bibliotheca regia exstare, et sub finem illius notari, quod Facundus æra* 1085, *id est anno Christi* 1047, *istud exscripserit.*

cujus auctoritate alibi utitur Natalis Alexander

406 *Si quis antea Natali Alexandro objecisset hunc Beati textum, quem non ita pridem eruditi quidam Hispani ad confirmandam suam traditionem ex Mss. codicibus eruerunt, haud dubie propter Gallicam S. Philippi prædicationem, quæ in illo exprimitur, auctoritatem sancti istius scriptoris admittere noluisset, sicut supra testimonium S. Juliani ob eamdem causam respuit. At tunc prætor responsionem, quam ibidem num* 398 *dedi, retorsissem argumentum in adversarium, atque ipsum interrogassem hoc modo : Dic mihi, amabo, nonne iste idem est* Beatus presbyter, *quem tomo* 3 *Historiæ tuæ ecclesiasticæ pag.* 46 anno DCCLXXXVIII aut DCCLXXXIX contra Elipandi errorem *scripsisse affirmas ? Si idem est, uti fateri cogeris, cur illius auctoritate primo loco uteris, ut probes, martyrium S. Andreæ a presbyteris Achaiæ paulo post medium seculi primi genuine et sincere conscriptum esse ?*

auctore G. C.

contra suos adversarios

407 *Nonne adversarii hujus opinionis præter alia, de quibus hic non est agendi locus, tibi respondere possent, tam errare potuisse Beatum in approbanda S. Andreæ Passione, quam in assignanda S. Philippi prædicatione,* quem in Galliis prædicasse Euangelium absque fundamento asserit, *ut tu supra de S. Juliano pronuntiasti ? Nonne adversarii tui hæc potiori jure dicere possent, cum Beatus ob viciniam Galliæ et Hispaniæ facilius judicare potuerit de prædicatione S. Philippi in Gallia, qupm de historia martyrii,* E
quod S. Andreas in longe dissita Achaia consummaverat ? An enim non meministi, quod tomo 3, *pag.* 184 *propter multo minorem locorum distantiam testimonium Gregorii Turonensis ita rejeceris :* Respondeo, Gregorium Turonensem, Græcorum fidem secutum, cum ipsis facile errasse : quod mirum non est, cum traditionem ecclesiarum Provinciæ ignoraret, longeque degeret a Provincia ? *Viden', quibus te consectariis exponas, et quam facile hæc in te retorqueri possint ?*

et cui adscribit idem opus, ex quo desumptum est hoc testimonium,

408 *Neque hunc commentarium in Apocalypsin S. Beato potes abjudicare, cum ad seculum octavum Historiæ tuæ ecclesiasticæ tom.* 5, *pag.* 686 *de illo sic loquaris :* Scripsit etiam Beatus presbyter commentarium in Apocalysim, ut anonymus Vitæ ejus auctor testatur : hunc se vidisse ait Morales in ecclesia Vallecavensi, Hispanis Valcabado, haud procul a Saldana oppido diœcesis Legionensis, qui locus S. Beati memoria et cultu celebratur. *Tum paulo inferius, ut probes, Beatum Ordini monastico fuisse adscriptum, inter alia prologum ejusdem operis ita adducis :* Item constat ex præfatione Commentarii ipsius in Apocalypsim hactenus inediti, cujus hæc verba refert Ambrosius Morales. *Tunc sequuntur verba Beati ad Ætherium, quem* consortem Ordinis *appellat. Sed non vacat hisce diutius immorari.*

quod ex Martyrologio seculi octavi confirmatur.

409 *Ad idem seculum octavum pertinet Martyrologium Blumianum, quod anno* 772 *scriptum est, ut Florentinius ex prima codicis vetustissimi pagina collegit, et post editionem Martyrologii* F
Hieronymiani pag. 1055 *indicavit. Deinde a pag.* 1056 *ex eodem Blumiano subjunxit Breviarium Apostolorum, in quo legitur sequens* S. Jacobi *elogium :* Jacobus, qui interpretatur subplantator, filius Zebedæi, frater Johannis ; hic [per] Spaniam et Occidentalia loca prædicatur *, et sub Herode gladio cæsus occubuit, sepultusque in Achaiam Marmaricam VIII Kal. Augusti. *Notari velim, testimonia hactenus allegata antecessisse inventioni corporis* S. Jacobi, *quæ contigit sub finem octavi, aut probabilius initio seculi noni, ut part.* I, § 5, *num.* 44 *diximus. Unde nemo suspicari potest, opinionem de* S. Jacobi *adventu in Hispaniam ex hac Jacobei sepulcri revelatione ortam esse. Hinc etiam corruit responsum Natalis Alexandri, quod nobis tamquam ex tripode sic reddit :* Respondeo, hanc opinionem invaluisse post seculum

* *lege* prædicat

AUCTORE G. C.

lum octavum, quam omnes auctores præfati indiscussam amplexi sunt. *Sed de hoc ipsius effato uberior sermo infra recurret.*

§ X. Ex auctoribus sequentium seculorum eadem traditio probatur.

Traditio Hispanorum seculo nono a variis scriptoribus exteris asseritur.

Ineunte seculo nono Martyrologium Gellonense, cujus verba parte* I, *num.* 6 *exhibui, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem affirmat : quod cum in Gallia inventum et excusum sit, adversariis suspectæ fidei esse non potest. Ante medium ejusdem seculi floruit Freculphus, Lexoviensis in Gallia episcopus, qui tomulo* 2 *Chronici lib.* 2, *cap.* 4 *hæc habet :* Jacobus, filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine, duodecim tribubus scripsit, atque Hispaniæ et occidentalium locorum (*supple* gentibus *vel* populis) Euangelium prædicavit, et in occasum mundi lucem prædicationis B infudit. Hic ab Herode tetrarcha gladio occisus occubuit, sepultus intra marmaricam. *Videtur Freculphus hic præ oculis habuisse aliquem Isidori Hispalensis codicem, quia non tantum illius verba, sed etiam opinionem de auctore Epistolæ catholicæ exscripsit. Eodem tempore Walafridus Strabo, Augensis in Germania abbas, cujus integrum carmen parte* I, § 10, *num.* 120 *alia occasione protuli, de* S. Jacobo *nostro sic cecinit :*

Primitus Hispanas convertit dogmate gentes,
Barbara divinis convertens agmina dictis.

et sub initium seculi decimi a Notkero.

411 *Initio seculi decimi, quod ob inopiam scriptorum vocari solet obscurum, Notkerus Benedictinus sancti Galli monachus, in Martyrologio suo* VIII *Kalendas Augusti eamdem traditionem refert hic verbis :* Natale beati Jacobi apostoli, filii Zebedæi, fratris Joannis Euangelistæ, qui jussu Herodis regis decollatus est Jerosolymis, ut liber Actuum Apostolorum docet. Hujus beati Apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, et in ultimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. Nec immerito, quia ejus corporali præsentia et doctrina atque signorum efficacia iidem populi ad Christi fidem conversi referuntur ; ad quorum fidei confirmationem etiam beatissimus Paulus C se iturum esse pollicetur. *Notkerus ab Hispania longe remotus non id temere scripsisse putandus est, sed ex testimoniis fide dignis, et vulgata sui temporis traditione, quod ipsum de auctoribus supra memoratis intelligi volo.*

cujus testimonium vellicat Natalis Alexander.

412 *Natalis Alexander contra hoc Notkeri testimonium cavillatur hoc modo :* Notkerus prædicationem sancti Jacobi in Hispaniis REFERRI scribit ; non autem hanc ipse relationem innuit esse certissimam : et alio prorsus modo loquitur de sacris Apostoli præfati reliquiis, et de ejus in Hispanias profectione. *Verum Cardinalis Aguirrius in sæpe laudata dissertatione num.* 62 *huic scrupulo ita respondet :* Inanis autem est evasio illorum, qui aiunt, Notkerum non asserere veritatem ejus traditionis, sed solum referre : etenim non modo illam narrat apud Hispanos exstantem, sed etiam confirmat ac probat, præsertim verbis illis NEC IMMERITO. Nam celebritatem magnam S. Jacobi in Hispania rationabilem esse ait, non modo ob corporalem Jacobi in ea præsentiam, sed etiam ob doctrinam, prædicationem, et miracula, quibus Hispanos ad Christum convertit ; quod certe non diceret, si traditionem illam, sive existimationem communem de prædicatione Jacobi in Hispania incertam aut dubiam censeret. D

cui præter alias responsiones

413 *Antiquam responsionem eminentissime viri ulterius urgeam, peto ab Alexandro, cur memoratum Notkeri testimonium sibi objiciens hæc ultima ejus verba suppresserit :* ad quorum fidei confirmationem etiam beatissimus apostolus Paulus se iturum esse pollicetur. *Quare, obsecro, adversarius hanc clausulam siluit ? An timebat, ne opinio Notkeri ex ea certior appareret ? An verebatur, ne ea materiam suggereret ad explicandum S. Pauli textum, quem contra Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem tantum roboris habere existimat, ut postea videbitur ? Quæcumque sit hujus omissionis causa, hic majorem in adversario sinceritatem aut accurationem desidero. Jam vero ad Alexandri cavillationem respondeo, quod verbum* referuntur *non semper narrationis alicujus incertitudinem, sed nonnumquam illius confirmationem sonet. Sic si exempli gratia dicam, quod Romani doctrina et miraculis S. Petri ad Christianam fidem conversi* E *referantur, nullo modo significo, me de prædicatione Petri apud Romanos dubitare ; præsertim si addam, quod S. Paulus ad horum fidei confirmationem postea Romam venerit : hac enim phrasi satis indico, eos antea a Petro instructos fuisse. Ut id tuto et probabilissime asseram, sufficit, me scire, quod utraque hæc prædicatio a fide dignus auctoribus tradatur, etsi nullus eorum determinatus jam mihi occurrat. Hoc sensu forte Notkerus dixit, Hispanos* S. Jacobi *doctrina instructos referri, nempe ab antiquis scriptoribus, ex quibus suum Martyrologium collegerat, etsi eos plerumque citare non consueverit.*

suggesta ab ipsomet cavillationis solutio redditur.

414 *At cur operose refellimus argumentum, cujus solutionem ipse adversarius alio loco incaute nobis suggerit : quando enim Alexander tom.* 3 *jam sæpe dictæ editionis pag.* 170 *defendit adventum S. Dionysii Areopagitæ et sociorum in Gallias, pro opinione sua de sancto Saturnino citat verba Gregorii Turonensis, quæ apud ipsum lib.* I *de miraculis cap.* 48 *sic sonant :* Saturninus martyr ab Apostolorum discipulis ordinatus, UT FERTUR, in urbem Tolosatum est directus. *Cum autem videret, istud Gregorii Turonensis testimonium ab adversariis suæ sententiæ obvio responso* F *eludendum esse, objectionem eorum ibidem ita prævenit :* Nec obstat, quod in illis posterioribus locis Gregorius Turonensis hoc adhibuerit vocabulum UT FERUNT ; quasi Saturnini et Eutropii missionem ab Apostolorum discipulis ex incerta dumtaxat fama haberet : licet enim hæc formula interdum sit dubitantis, non tamen incerta sunt historicis omnia, quæ his formulis adjectis scribunt. *Si Alexandro licuit phrasin* UT FERTUR *sine ulla certitudinis diminutione explicare, cur nobis contra ipsum non liceat ita exponere verbum* REFERUNTUR, *quod sæpe minorem dubitationis significationem habet, ut jam supra dixi ?*

Tantummodo recensentur aliqui ejusdem traditionis assertores.

415 *Circa medium seculi undecimi Metellus monachus Tegerseensis apud Canisium in appendice tomi* I, *pag.* 60 *et* 61 *in Quirinalibus sive carminibus scriptis in laudem S. Quirini martyris, prædicationem quorumdam Apostolorum in variis regionibus, et nominatim* S. Jacobi *in Hispania, ita canit :*

Indiæ

A Indiæ de finibus, ortus dat ubi diem sol,
Quæ tenet arva Thomas,
Usque Spanos occidui sideris axe clausos,
Quos Jacobus docebat,
A Scytharum frigoribus perpetuis in ævum,
Quæ tulerat Philippus,
Ad perustæ proxima quadrantificat * nigellos
Æthiopes Matthæus,
Mundus omnis dogmata jam rescierat salutis,
Barbarie relicta.

* An non forte qua albificat?

416 *Exeunte eodem seculo florebat venerabilis Hildebertus, episcopus Cenomanensis ac postea archiepiscopus Turonensis, qui inter sua carmina miscellanea, Parisiis anno* 1708 *una cum operibus ejus edita, de duobus Jacobis col.* 1350 *hæc habet :*

qui seculo undecimo,

Ex Jacobis non litiget a modo quivis.
Hic satus Alphæo fuit, alter a Zebedæo.
Quem prius audisti, fratrem memor assere Christi;
Jerusalemque situm, legimus quem sæpe petitum.
Vulgoque solemnis Maii solet esse Kalendis.
B Ultimus ast iste frater fuit Apocalistæ,
Galliciæque solum se gaudet habere colonum.

Per colonum, *quo gaudet terra Gallæciæ, quid ni possit intelligi ille, qui Gallæciam spiritualiter excoluit, id est Christiana fide imbuit?*

duodecimo,

417 *Sequenti seculo Gotfridus Viterbiensis presbyter in Chronico, quod anno* 1584 *Francofurti inter scriptores rerum Germanicarum tomo* 2 *editum est, parte* 15, *col.* 363 *post assignatas aliorum Apostolorum provincias, sortem utriusque Jacobi ita exponit :* Jacobus in Judæa remanens Hierosolymorum rexit ecclesiam : nam alterJacobus ab Herode fuerat decollatus, qui tamen, ut dicitur, prius Hispanis prædicaverat, ubi adhuc sepulcrum ejus habetur clarissimum. *Vix ambigo, quin Gotfridus Viterbiensis illa excerpserit ex Ottone, Frisingensi episcopo, qui lib.* 3 *sui Chronici cap.* 15 *varias Apostolorum sortes iisdem pene verbis circa medium istius seculi explicuerat. Ne quem vero offendat phrasis illa* ut dicitur, *observari cupio, Viterbiensem in editione jam dicta tomo* 2, *part.* 14, *col.* 326 *absolute prædicationem* S. Jacobi Majoris *affirmasse his verbis :* Hispaniæ et occi-
C dentalibus gentibus Euangelium prædicavit, et in occasu mundi lucem prædicationis infudit. Ipse ab Herode tetrarcha gladio cæsus occubuit octavo Kalendas Augusti, sepultus in arce marmarica. *Hanc postremam periodum auctor ille verosimiliter exscripsit ex Isidoro, aut Freculpho, aliisve antiquis scriptoribus, qui fere eodem modo illam* S. Jacobi *prædicationem expresserunt, ut paragraphos præcedentes recolenti manifestum fiet.*

et decimo tertio floruerunt,

418 *Ex seculo* XIII *tantum seligo duos vel tres ejusdem traditionis testes, inter quos senior est Thomas Cantipratanus ex sacro Prædicatorum Ordine, qui lib.* 2 *de Apibus cap.* 25 *indicat*, *quod* Jacobus Major Hispaniam, *Christiana lege instructam, Domino obtulerit. Hunc sequitur Martinus Polonus, ex eodem S. Dominici Ordine ad archiepiscopatum Gnesnensem electus, qui in Chronico, opera Suffridi Petri Antverpiæ impresso, pag.* 117 *ita loquitur :* Jacobus Major Hispaniam circuiens, tandem Hierosolymis decollatur. *Aliqui ad idem seculum referunt Guilielmum Durandum, Mimatensem episcopum, qui in Rationali divinorum Officiorum lib.* 7, *cap.* 17 *sic scribit :* Jacobus Major, filius Zebedæi, frater Joannis Euangelistæ, missus est ad prædicandum Hispanis ; sed cum non posset nisi unum principem ibi convertere, rediit Hierosolymam : sed tandem ab Herode decollatus, et in Hispaniam reportatus, quos vivus convertere nequit, mortuus divino miraculo convertit. *Alii hoc opus tribuunt Guilielmo Durando juniori, etiam Mimatensi episcopo, qui seculo* XIV *obiit, et quem ob nominis, cognominis, et dignitatis similitudinem cum patruo suo confusum fuisse existimant. Parum hic nostra interest, sive hoc testimonium ad finem seculi* XIII *sive ad initium sequentis spectet. Saltem Natalis Alexander hunc testem, tamquam recentiorem, explodere non potest, cum ipsemet Dissert.* 17, *tom.* 3, *pag.* 178 *ex eodem istius auctoris opere appulsum S. Mariæ Magdalenæ in Gallias probare conatus fuerit.*

AUCTORE G. C.

419 *Sequentibus seculis adeo numerosa auctorum idem affirmantium turba sese offert, ut illorum testimonia hic proferre non sit necesse, cum ipsi adversarii fateantur, eam opinionem postremis hisce temporibus omnino communem fuisse. Omitto itaque S. Vincentium Ferrerium, Al-* E *phonsum Tostatum, S. Antoninum Florentinum, Cardinalem Turrecrematam, aliosque viros sanctimonia et doctrina illustres, qui traditionem illam e suggesto auditoribus suis viva voce inculcarunt, et posteris scripto reliquerunt. Neque solum ab Hispanis aut Lusitanis hæc* S. Jacobi *prædicatio litteris tradita fuit, quamvis ipsi traditionis suæ optimi testes esse possint, sed etiam apud varias Europæ nationes recepta, totum Christianum orbem pervolavit, uti ex supra dictis intelligi potest.*

eo quod seculis sequentibus

420 *Postulatores causæ Cæsaraugustanæ, de quibus infra in appendice hujus Commentarii pluries sermo recurret, texuerunt auctorum recentiorum catalogum, in quo præter innumeros Hispanos recensentur quatuordecim Itali, novem Galli, novem Germani, duodecim Belgæ, duo Poloni et unus Dalmata, qui omnes adventum* S. Jacobi *in Hispaniam libris suis inseruerunt. Imo jam nuperrime intelligo, regiam historiæ Lusitanæ academiam, quæ non ita pridem Ulyssipone instituta est, in collectione documentorum tom.* 5 *iter* S. Jacobi Majoris *in Hispaniam ex quingentis auctoribus probasse. Opinor, maximam horum scriptorum partem recentiorem esse; sed de illorum antiquitate et auctoritate nihil certi statuere* F *possum, cum ea Opera Lusitanica necdum ad manus meas pervenerint, et hæc lucubratio mea jam prælo sit subjicienda. Interim gratulabor eruditis Lusitanis, si quos antiquiores Jacobei adventus defensores, mihi hactenus incognitos, e tenebris eruerint. Nec dubito, quin ea testimonia optimæ notæ futura sint, cum prudentissima illa academia in suis statutis pseudochronicon Flavii Dextri, et similia fabulatorum figmenta proscripserit.*

innumera illorum multitudo occurrat.

421 *Non habuit Natalis Alexander, quod contra scriptores, hoc paragrapho relatos, reponeret, nisi sequens responsum :* Respondeo, *inquit,* hanc opinionem invaluisse post octavum seculum, quam omnes auctores præfati indiscussam amplexi sunt. *Præterquam quod hæc responsio sit falsa, ut ex superioribus paragraphis liquet, mirum profecto est, eam dari potuisse ab illo homine, cujus omnia testimonia pro appulsu S. Mariæ Magdalenæ in Provinciam (excipe unum, de quo mox dicam) sunt seculo octavo posteriora : secundam etenim traditionis istius*

Falsa Natalis Alexandri responsio

AUCTORE G. C.

probationem desumit ex Ms. codice ecclesiæ Saniciensis, de cujus antiquitate hæc subdit : Hoc porro manuscriptum antiquissimum esse constat, et ad nonum circiter seculum referendum. *Cur, amabo, hoc aliaque sequentium seculorum testimonia adducit, si scriptoribus seculo octavo posterioribus non sit adhibenda fides, quando de rebus primo seculo gestis loquuntur ? Quid si ego etiam respondeam, illam opinionem de appulsu S. Mariæ Magdalenæ in Galliam post seculum octavum invaluisse ?*

argumento ad hominem refellitur,

422 *At dicet Alexander, se eam traditionem primo loco probasse* ex Actis Sanctorum tutelarium ecclesiæ Tolonensis, seu ex antiquissimo codice Acta illa continente, qui jussu et piis curis Desiderii Tolonensis episcopi conscriptus est anno DLXXII. *Audio, et sine ulteriori discussione Alexandro affirmanti credo. Attamen huic privato traditionis Gallicæ instrumento prævalet publicum testimonium S. Hieronymi,* B *qui sesquiseculo antea traditioni Hispanicæ aperte favet, ut supra* § 5 *evincere conatus sum. Huic unico codici saltem æquivalet testimonium Officii Gothici, SS. Isidori, Juliani, Beati, et antiquissimorum Martyrologorum, qui ante seculum octavum Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem litteris consignarunt.*

et ex ipsis adversarii verbis eruitur,

423 *Neque firmiora sunt argumenta, quibus Natalis Alexander probare nititur, corpus beatæ Mariæ Magdalenæ apud Fratres suos Prædicatores in oppido S. Maximini quiescere. Juvat ipsummet audire tom. 3, pagg.* 181 *et* 182 *de hac traditione disserentem :* Quamvis hæc controversia, *inquit*, ad eruditionem ecclesiasticam non omnino necessaria sit, neque ad primum nominis Christiani seculum spectet ; hanc tamen, occasione data, et ut Ordinis mei viris, Magdalenæ reliquias sibi vindicantibus, gratificer, hanc veritatem aggredior adversus dominum Launoium stabiliendam, non iis quidem argumentis, quæ ex veteribus ecclesiasticæ historiæ scriptoribus, aut ex sanctorum Patrum testimonio repetantur : hujusmodi enim fateor, nulla impræsentiarum occurrere ; sed eo probationum genere, quæ traditionibus ecclesiarum et probatissimis instrumentis fulciantur, quæque adeo cordatos homines, et citra sobrietatem minime criticos, movere possint. *Si defensores tra-* C *ditionis Hispanicæ ad similem prologum confugissent, quantam gloriandi materiam Natali Alexandro suppeditassent? Sed probationes ejus audiamus.*

traditionem Hispanicam æquivalere aut potius prævalere

424 *Hic iterum omnia instrumenta, quæ ad firmandam suam opinionem accumulat, sunt posteriora seculo octavo, excepta unica incertæ ætatis schedula, quam quidem Alexandro ad quintum circiter seculum referre placuit, eo quod scripta esset in tabula cerata. Hanc conjecturam suam de schedulæ antiquitate sic stabilire nititur :* Istud scriptionis genus in tabulis cera illitis viguisse quinto seculo constat, postea in usu fuisse non legitur. *At non recte sequitur, istud scriptionis genus seculo sexto aut septimo non fuisse in usu, tametsi id non legatur. Sic non legitur, quod seculo tertio aut quarto in Provincia fuerit traditio de appulsu S. Mariæ Magdalenæ, et tamen vult Alexander, eam ibi tunc fuisse.*

variis Gallorum traditionibus, quas ille defendit,

425 *Meminisse hic debuerat responsionis, quam Launoio, adventum S. Trophimi seculo primo in Gallias oppugnanti, sic pag.* 163 *dederat :* Nugatorium plane, quia negativum argumentum. D *Recordari debuerat axiomatis, quod eidem Launoio, appulsum S. Mariæ Magdalenæ in Provinciam neganti, tam confidenter pag.* 179 *opposuerat, nempe* hæc argumenta futilia esse, quia negantia sunt. *Hactenus argumentatus sum ad hominem, ut vulgo ajunt, nec intendi Massiliensium aut Sanmaximiniensium traditionem evertere ; sed tantum volui ostendere, immemorabilem Hispanorum traditionem solidioribus fundamentis niti, adeoque ab Alexandro non fuisse tam temere rejiciendam.*

426 *Ceterum Natalis Alexander ibidem pagina proxime citata fateri cogitur, his aliisque suis opinionibus non leves difficultates opponi posse :* Ut ut est, *ait*, ecclesiarum Provinciæ traditionem solicitare nolui, ubi de S. Maria Magdalena ; nec ecclesiarum Galliæ cum Romana et Græca consentientem traditionem convellere, ubi de S. Dionysio agendum fuit ; nec Dionysii opera Areopagitæ abjudicare, quamvis speciosis et difficilibus argumentis opiniones illas impugnari posse probe E scirem, quibus pro virili respondi, probabilesque, ut existimo, responsiones ostendi, non minus quam contraria argumenta.

et quibus difficilia argumenta opponi posse fatetur,

427 *An Alexander ubique probabiles responsiones dederit, judicent æqui æstimatores, qui has controversias ecclesiasticas utrimque funditus examinarunt. Quod autem Alexander hic de suis opinionibus fatetur, de mea non negabo : non enim ignoro, contra adventum* S. Jacobi *in Hispaniam multa quoque objici solere ; sed singulis adversariorum ac nominatim Natalis Alexandri argumentis, Deo dante, me satisfacturum spero. Saltem spondeo, nullam difficultatem a me dissimulandam esse, imo etiam aliquam ultro addendam, quæ a nemine, quod sciam, huc usque Hispanis opposita fuit. Jam rem ipsam aggrediar.*

qualia etiam contra opinionem nostram objici solere non diffitemur.

§ XI. Respondetur argumentis adversariorum a tempore et loco desumptis.

F

Eminentissimus Baronius tomo 9 Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi 816 a num. 48 occasione controversiæ, quæ inter Rodericum Toletanum et archiepiscopum Compostellanum de primatu Hispaniæ in concilio Lateranensi sub Innocentio III agitata fuisse dicitur, præcipua suppeditavit arma, quibus adventus S. Jacobi *in Hispaniam oppugnari posset. Contra Baronium Joannes Velasquius, Joannes Mariana, Gaspar Sanctius, Thomas Malvenda, aliique scriptores Hispani acriter decertarunt, et traditionem suam illæsam conservarunt. Postea tamen Natalis Alexander, Sebastianus Tillemontius, et quidam recentiores Galli Baroniana tela avide arripuerunt, eaque jam sæpius retorta et obtusa exacuere conati sunt, quamquam vix aliquid cujuspiam momenti afferant, quod jam antea objectum non fuisset. Nihil hic curo scriptores heterodoxos, qui eamdem cramben recoquunt, et non tantum prædicationem* S. Jacobi *in Hispania negant, verum etiam sacras ejus reliquias umquam Compostellæ fuisse, aut jam esse, inficiantur. Quid enim agas cum iis hominibus, qui miracula, revelationes, atque ipsas apostolicas traditiones temere explodunt ? Mihi itaque*

Omissis aliis traditionis Hispanicæ adversariis.

A *itaque hic dumtaxat res est cum illis, qui inter Catholicos nomen suum profitentur.*

potissimum respondemus Natali Alexandro,

429 *Statueram Cardinali Baronio Cardinalem Aguirrium opponere, ut post singulare horum illustrium pugilum certamen æquus lector alterutri parti triumphum decerneret. At mentem mutare debui, quia omnia Baronii argumenta tali modo disposita sunt, ut iis distincte et clare Aguirriana responsa aptari non possint. Cum igitur objectiones, contra Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem olim allatæ, distinctiori ordine ab his recentioribus collocentur, claritatis causa eorum vestigiis insistam, et sic eadem opera singillatim antiqua Baronii argumenta et novas aliorum difficultates refellere conabor. Neque id consilium primus capio : nam video, idem factum fuisse ab eruditissimo marchione Mondexarensi, ac eminentissimo Cardinale Aguirrio, qui Natali Alexandro potissimum responderunt.*

cujus opinio de tempore, quo divisi sunt Apostoli, incerta est,

430 *Adversarii primum argumentum petunt ex tempore, quo divisi sunt Apostoli, dicuntque,* S. Jacobum Majorem *martyrio affectum esse, antequam Apostoli in varias mundi provincias dispergerentur, adeoque illum non potuisse prædicare in Hispania.* B *Natalis Alexander probare nititur, quod Apostoli divisi non fuerint ante secundam persecutionem, quæ ab Herode mota est contra Ecclesiam, quando, occiso* Jacobo *nostro, Petrum carceri mancipavit : nam in prima persecutione, inquit, in qua S. Stephanus lapidibus obrutus est, Apostoli nondum dispersi erant, sed soli discipuli, idque colligit ex cap.* 8 *Act.* ℣. I *ubi legitur :* Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter Apostolos. *Verum ipse Tillemontius tomo* I *Monument. eccles. pag.* 597 *fatetur, hoc ratiocinium parum roboris habere, cum non constet de tempore, quo facta est Apostolorum divisio. Ceterum scriptores Hispani variis modis hanc objectionem diluunt, ut videri potest tomo* IV *Julii a pag.* 10, *ubi diversas de divisione Apostolorum opiniones retuli.*

quam Hispani variis modis diluere conantur,

431 *Spondanus in Epitome Baroniana ad annum Christi* 44, *num.* 7 *circa diversas Hispanorum in hac materia sententias notat sequentia :* C Divisionem Apostolorum cum alii in alios annos referant, Hispani illi, qui contra Baronium scripserunt, ut suam tueantur traditionem de S. Jacobi in Hispaniam accessu, nonnullis haud adeo contemnendis conjecturis et argumentis probare nituntur, tunc contigisse, quando Petrus et Jacobus petierunt Samariam, vel etiam post Domini ascensionem et adventum Spiritus sancti, etiamsi non statim omnes ad suas provincias profecti fuerint. Quorum tamen argumenta sunt alii qui eadem licet cum ipsis de accessu S. Jacobi sentientes, aliis certis, ut putant, rationibus refellunt; eruntque, opinor, alii, qui illorum rursus argumentationes confutabunt : ut novum profecto ipsimet ruinæ periculum afferre videantur ædificio, quod tam debilibus fulcimentis stabiliunt. *Quidquid sit de hoc illustrissimi viri judicio, saltem chronologica adversariorum argumentatio nullum mihi facessit negotium, cum juxta systema nostrum de morte Christi sub duobus Geminis consulibus divisio Apostolorum anno vulgaris æræ quadragesimo affigenda sit, ut ad diem* XV *Julii loco proxime citato fusius ostendi.*

AUCTORE G. C.

et cui præferenda est sententia Lupi, quæ tamen nobis nullum facessit negotium.

432 *Christianus Lupus Belga ex Ordine S. Augustini in scholiis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus contra hæreticos cap.* 20, *pag.* 379 *ex testimonio Apollonii, qui juxta Eusebium lib.* 5 *Hist. Eccles. cap.* 8 tamquam ex veterum traditione hæc refert, Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent, *deducit contra Hispanos sequens corollarium :* Quarto discimus, quod sancti Jacobi apostoli prædicatio non careat scrupulis : hic enim quadragesimo quarto anno ante lapsos duodecim fuit gladio percussus ab Herode rege, ideoque videtur Judæam non fuisse egressus. *Sed neque istud telum nos ferit, qui antiquam Apollonii traditionem admittimus, et martyrium* S. Jacobi *anno* 43 *vel* 44 *æræ vulgaris consignamus, ita ut post divisionem Apostolorum tres aut quatuor anni superfuerint, quibus sanctus iste Apostolus in Hispania prædicare et Hierosolymam redire potuerit. Non diffiteor, veneranda Clementis Alexandrini et Apollonii auctoritate, quam tomo* IV *Julii pagg.* 12 *et* 13 *defendimus, urgeri posse Hispanos, quos miror nondum amplexos esse systema de morte* E *Christi sub duobus Geminis, quod Henschenius noster in Diatriba præliminari ante tomum* I *Aprilis solide stabilivit, et Schelstratius, Pagius, aliique eruditi nonnulli jam in scriptis suis sequuntur. Porro hanc curam relinquo Hispanis : nobis enim hic laborandum non est, cum in nostra sententia istis difficultatibus nos facile expediamus, ut consideranti patebit.*

Argumentum quod adversarii ex Hispanorum contentione formant,

433 *Alterum adversariorum quorumdam argumentum desumitur a loco, per quem* S. Jacobus *in Hispaniam venisse dicitur, et de quo inter littorales Hispaniæ populos acriter disceptatur : nam Franciscus Macedo in Diatriba jam sæpe laudata cap,* 3 § 6 *testatur, primum sancti Apostoli appulsum a Tarraconensibus, Valentinis, Bœticis, Lusitanis, Gallæcis æquali traditionis jure vindicari, et singulis provinciis istam prærogativam ab aliis inter se contendentibus denegari. Unde adversarii, ipso teste, tale ratiocinium instituunt : Quandoquidem non constat, ad quam Hispaniæ provinciam* S. Jacobus *appulerit, et aliæ alias Hispanicis argumentis impugnant, non videtur ad ullum Hispaniæ portum appulisse : debuit quippe per aliquam partem intrare; facta autem partium distributione, singulæ ex-* F *cluduntur ab aliarum provinciarum incolis : per nullam igitur* S. Jacobus *intravit, adeoque Hispaniam non est ingressus : sicut enim evidenter inferri potest, rem aliquam hac hebdomada factam non esse, si nec hoc, nec illo, aliisve hebdomadæ diebus contigerit, ita etiam recte sequitur,* S. Jacobum *in Hispania numquam fuisse, si per hanc vel istam ceterasque provincias omnes enumeratas non intraverit. Ita quidem illi magis acute, quam solide argumentantur.*

a Francisco Macedo solide

434 *Franciscus Macedo in Diatriba cap.* 10, § 4 *huic sophismati omnino satisfacit : quare hic illius verba tantum transcribo :* Facile tamen, *inquit*, hoc argumentum confutatur : nam ex eo, quod singulæ provinciæ pugnent pro Jacobo ad se trahendo, non sequitur, eum in Hispaniam non venisse; imo sequitur, venisse : nisi enim venisset, non contenderent eum ad se trahere provinciæ. Igitur idcirco conantur eum sibi singulæ vendicare, quod certum putent, eum in Hispania fuisse. Unde ineptum est argumentum : singulæ pugnant, et impugnant

AUCTORE G. C.

gnant alias; ergo non venit. Imo quia venit, idcirco unusquisque conatur eum ad se trahere. Alioqui pugnando pro se, et impugnando alios, sequitur, Homerum Græcum non fuisse, quia tot de eo civitates contendebant, Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios *, Argos, Athenæ. Nemini sane in mentem venit negare, Homerum Græcum fuisse, quod dissensio et contentio de eo inter septem civitates fuit. Cur ergo non de Anacharsi, aut Numa Pompilio civitates illæ inter se pugnarunt? Nimirum, quia sciebant, Anacharsim esse Scytham, Numam Romanum; nec posse conari eos, qui Græci non erant, ad civitates Græcas trahere. Homerum vindicare poterant, quia cum in Græcia natus esset, poterat in illa vel illa civitate nasci. Ita cum constaret, Jacobum apostolum Hispaniam petiisse, ac non posset in eam, nisi per aliquam
B certam intrare, volebant singulæ provinciæ affirmare, in suum primum portum appulisse. Idque ex studio et pietatis et religionis in Apostolum profectum; quod inane prorsus esset, nisi Jacobus ad eas regiones pervenisset. Sin; dicant adversarii, cur provinciæ Hispaniæ de Joanne, Bartholomæo, Matthæo aut Simone, aut de Jacobo minore non litigant, non contendunt, nisi quia sciunt, horum neminem in Hispaniam venisse?

* *lege* Chios

ac subtiliter refutatur.

435 Hinc igitur firmissimum sumitur argumentum, penetrasse Jacobum apostolum in Hispaniam, quod non de aliis, sed de illo uno singulæ tam acri et pertinaci studio concertant. Cumque de Petro et Paulo item possent, quod non sit improbabile, eos ad Hispaniam pervenisse, quemadmodum supra indicavimus, asserere; nulla tamen de illis sibi vendicandis contentio est inter Hispanos auctores; quasi ii ad se non pertinerent, aliis provinciis relinquunt. In solo Jacobo apostolo morantur. Hinc Tarraconenses, hinc Bætici insiliunt, apprehendunt, et ad se trahere student, quod existimant, cum venit in Hispaniam, in suos portus appulisse, atque adeo posse singulos pro jure hospitii vendicare. Et quidem ex argumentis, quæ quisque pro se adducit, apparet, Apostolum totam ferme Hispaniam peragrasse: idque fortasse æquius
C esset dicere, et omnibus commune adventus et prædicationis bonum facere; sed Hispani eo non contenti, dum quisque vult illud hospitium vendicare, alii alios impugnant; non tamen ii negant, Jacobum apud alios fuisse et prædicasse: dummodo enim primi in eo excipiendo fuerint, non dubitant cum aliis communicare; sed negant, prius ad alios, quam ad se venisse. *Ego Hispanos de illa primi hospitii prærogativa inter se digladiari sino, cum mihi sufficiat,* S. Jacobum *in Hispania prædicasse. Parum etiam curo, quamdiu, et quibus locis Apostolus iste in Hispania Christianam legem promulgarit, cum hæc peculiaria prædicationis adjuncta ex veteribus et fide dignis monumentis probari nequeant, ut* § I *hujus partis num.* 300 *breviter indicavi.*

D

§ XII. Explicatur difficultas ex epistola Pauli apostoli contra adventum S. Jacobi in Hispania objecta.

Sanctus Paulus existens adhuc in Oriente decrevit Hispanos adire, ut constat ex epistola, quam Corintho dedit ad Romanos, ubi cap. 15 ℣ 24 *ita loquitur:* Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quod præteriens videam vos. *Et paulo post* ℣ 28: Per vos proficiscar in Hispaniam. *Disputatur inter eruditos, an hoc decretum exsecutioni mandaverit, ut fusius videri potest apud Gasparem Sanctium nostrum in Tractatu de prædicatione sanctorum apostolorum Petri et Pauli in Hispania. Natalis Alexander affirmativam sententiam avide amplectitur,* E *atque thesim suam tomo* 3, *pag.* 157 *ita proponit:* Traditione constat, sanctum Paulum, in Hispanias profectum, ibi ecclesia fundavisse. *Recte dicit, eam S. Pauli profectionem in Hispanias* traditione *constare, cum nullus trium primorum seculorum scriptor illam litteris mandasse inveniatur.*

Propter prædicationem S. Pauli in Hispania,

437 *Attamen illam traditionem negant Gelasius I Pontifex apud Gratianum causa* 12 *quæst.* 2 *cap.* beatus, *et divus Thomas in commentariis ad citatum Apostoli textum lectione* 3, *ut Dominicum de Soto, aliosque recentiores omittam. In ipsa Hispania de hac traditione dubitavit Lucas Tudensis, Roderico Toletano (is de adventu S. Pauli in Hispaniam non meminit) coævus scriptor, qui in præfatione ad Chronicon mundi tomo* 4 *Hispaniæ illustratæ pag.* 2 *ita loquitur:* Deus in tantum Hispaniam cælestibus ditavit bonis, ut protomartyris Apostolorum Jacobi corpus sibi transmitteret perpetuo in carne amplectendum, et doctorem gentium Paulum illi contulit specialius in spiritu venerandum: etenim cum Romanis idem Apostolus scriberet, dixit se per eos transitum facturum et venturum ad Hispanias; quod utrum in corpore venerit, licet quædam scripta, quæ videntur authentica, eum testentur venisse corporaliter, nos tamen ignoramus. Firmiter credimus, eum promissum suum, F etsi non in corpore, in spiritu complevisse. *Si Roderici Toletani silentium, Lucæ Tudensis dubitatio, et Gelasii Papæ ac divi Thomæ contraria opinio Alexandrum ab asserenda Paulini adventus traditione non dimoverint, neque nos similia in defendenda* S. Jacobi *prædicatione terrere debent, qui simul Hispanicam S. Pauli peregrinationem admittimus, et utramque traditionem magis consequenter defendimus. Nunc ad dissolvendam difficultatem progrediamur.*

quam tamen aliqui negant,

438 *Paulus in eadem epistola ad Romanos de apostolicis suis expeditionibus, hactenus a Jerusalem usque ad Illyricum factis, eodem cap.* 15, ℣ 20 *et* 21 *ita scripserat:* Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus erat Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent. *Aliqui ex his postremis Apostoli verbis inferunt,* S. Jacobum *non prædicasse in Hispania. Si, inquiunt, S. Paulus juxta*

impugnatur traditio Hispanorum ex epistola ejusdem Apostoli,

A *juxta communiorem Patrum et interpretum sententiam ad promulgandum Euangelium in Hispaniam profectus fuerit, certe ibidem* S. Jacobus *antea non prædicaverat ; alioquin S. Paulus prædicasset Euangelium, ubi nominatus jam fuerat Christus, ædificassetque super alienum fundamentum, quod textui mox allato repugnat. Ita quidem illi argumentantur. Nos vero jam diversam horum verborum explicationem proferemus, ut appareat, non deesse Hispanis varia media, quibus hanc difficultatem solvant.*

cujus textus commode ita explicatur,

439 *Hugo de S. Charo S. R. E. Cardinalis, qui circa medium seculi* XIII *floruit, objectum Apostoli locum ita exponit :* Prædicavit, ubi Christus non erat nominatus, maxime, licet etiam aliis. *Vult itaque doctissimus ille interpres, S. Paulum præcipue illis prædicasse, quibus nondum fuerat annuntiatum Euangelium Christi, quamvis non neget Apostolus, se aliquando etiam illis prædicasse, qui aliquam Christianæ legis notitiam jam habuerant, sed plerumque se super alienum fundamentum non ædificasse significat.* B *Huic Hugonianæ interpretationi favet Græcus Apostoli textus, in quo legitur* φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, *id est* contendi, ambivi *vel* conatus sum prædicare ; *quasi dicat : quantum in me fuit, in illud potissimum incubui, ut iis Christianam fidem annuntiarem, quibus nondum notus erat Christus.*

ut Hispanicæ S. Jacobi prædicationi non officiat,

440 *Hujusmodi autem modus loquendi non impedit, quo minus etiam aliquibus interdum prædicaverit, quibus jam alii Christum annuntiassent, inter quos numerari possunt Hispani, cum præsertim* S. Jacobus *paucos admodum convertisse dicatur. Certe hæc S. Pauli propositio stricte et universaliter intelligi non potest, quasi Apostolus semper studiose caverit, ne usquam prædicaret, ubi Christus fuerat annuntiatus : ipse enim prædicavit Damasci, ubi jam ante Christiani erant, quos adhuc Ecclesiam persequens volebat vinctos perducere Hierosolymam, ut in Actibus Apostolorum cap. 9 legimus. Prædicavit Antiochiæ, ubi quidam discipuli, in prima persecutione dispersi, jam multos Christiana doctrina imbuerant, ut patet ex iisdem Actibus cap.* II. *Denique, ut alia omittam, in hac ipsa epistola Romanos scripto instruit, eosque postea verbo docuit, quos tamen jam Petrus erudierat.*

et a Francisco Macedo sic in adversarios convertitur.

C 441 *Franciscus Macedo in Diatriba cap. ultimo, data simili explicatione, textum Apostoli ad oppugnandos adversarios convertit, et ex eo Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem probare nititur hoc modo :* Imo adjicio conjecturam, *inquit* ad confirmandam communem de adventu Jacobi in Hispaniam doctrinam, qua retorqueo in adversarios argumentum : nam Paulus ita loquitur, ut significet, in ea tantum prædicatione id effecisse, ut prædicaret Christum gentibus eum ignorantibus, eoque itinere confecto, vacuum esse ad prædicandum ubique, tum ubi annuntiatus erat Christus, tum ubi non erat. Unde sequitur, in Hispania prædicatum jam esse Christum. Suadeo autem meam conjecturam sic : Paulus fatetur se velle Romam venire, prohibitum tamen esse, ne veniret, propter illam suam prædicationem, quam susceperat in regionibus, quæ carebant lumine fidei : id constat ex eodem capite num. 22. Impedimentum autem erat illa prædicatio; qua finita, volebat Romam venire, et inde Hispaniam adire, et a Romanis deduci fidelibus, quod expresse dicit num. 24 : CUM IN HISPANIAM PROFICISCI CŒPERO, SPERO, QUOD PRÆTERIENS VIDEAM VOS, ET A VOBIS DEDUCAR ILLUC, SI VOBIS EX PARTE FRUITUS FUERO.

AUCTORE G. C.

ut etiam traditioni Hispanorum faveat.

442 Unde colligo primum, cessasse jam in Paulo illud studium prædicandi, ubi non erat annuntiatus Christus : nam Romæ, quo ibat, jam erat fides et Ecclesia constituta. Secundum, non esse eamdem prædicandi in Hispania necessitatem, quæ in aliis regionibus, ubi Christus non erat annuntiatus : si enim tanta necessitas foret, non diverteret Paulus Romam, nec ibi tamdiu morari vellet, donec frueretur et satiaretur aspectu et consuetudine Romanorum. Quomodo enim, qui excusabat impedimentum veniendi Romam ortum ex prædicatione, quæ eum morabatur inter gentes, quæ Christum non noverant, et illam prædicationem anteponebat conspectui et consuetudini Romanorum, modo, relicta Hispania, Romæ moraretur, si in ea Christus non esset annuntiatus? Certe si illa non jam esset fidei doctrina imbuta, et Christum prorsus ignoraret, non moraretur Paulus Romæ, nec in ea quiesceret; sed aut recta in Hispaniam tenderet, aut brevi Roma eo migraret. Tertium, quod Paulus dicat deducendum se esse a Romanis in Hispaniam, signum est, illos Romanos vel in Hispania fuisse et ex ea venisse, vel saltem iis Hispaniam notam esse, ac perspectum, in ea Christianos esse : quorsum enim vellet ab iis deduci se Paulus, nisi deducentibus se fidelibus in Hispania fideles noti et familiares essent? Quod si hæc vera sunt, uti apparet, non modo hic locus epistolæ Pauli ad Romanos nihil officit adventui sancti Jacobi in Hispaniam, sed illi etiam favet. *Hoc ratiocinium lector cum integro S. Paulo discursu conferat, et attente expendat : nos interim alias Paulini textus expositiones adducemus.* E

Idem S. Pauli textus

443 *Eminentissimus Aguirrius dissert. 9 num. 104 aliter argumentum adversariorum solvit hac plana responsione :* Quisquis ita objicit, non attendit tempus, quo epistola ad Romanos scripta fuit ab Apostolo : id enim contigit anno Christi quinquagesimo octavo, dum Paulus esset Corinthi; unde illam ad Romanos misit per Phœben, uti habent biblia Græca, Syra, ac Latina regia in fine epistolæ, quo tempore Petrus Roma abierat in Britanniam, ideoque in ea non salutatur. Prædicatio autem Pauli in Hispania contigit multo postea : nimirum post annum sexagesimum primum, in quo Lucas coronidem imposuit Actis Pauli et Apostolorum : tunc enim ille primum e carcere sub Nerone liberatus fuit, ac proinde potuit in Hispaniam proficisci. Quapropter dum scriberet Corinthi ad Romanos verissime dixit, se eousque prædicasse Euangelium, non ubi nominatus fuerat Christus, nec supra alienum nominatus ædificasse. Cum hoc tamen cohæret, ut postea prædicaverit, ubi jam Christi nomen auditum fuerat, ædificaveritque supra fundamentum ab aliis positum : quod patet ex ipsa Roma, ubi Petrus jam antea prædicaverat, et fundamentum posuerat, priusquam Paulus eo accederet. Quid ergo mirum, si pariter post suum in urbem accessum perrexerit inde in Hispaniam, licet antea ibidem prædicasset Jacobus, et fidei fundamenta posuisset? F

vario modo

444 *Imo etsi verba Apostoli tam ad futurum quam*

AUCTORE G. C.

quam præteritum tempus spectarent, et rigide accipienda essent, tamen necdum prorsus excluderent prædicationem S. Jacobi, *cum adeo spatiosa sit Hispania, ut S. Paulus facile prædicare potuerit in quibusdam istius regionis oppidis aut locis, in quibus* S. Jacobus *nulla prius euangelicæ veritatis fundamenta jecerat : nihil enim nos cogit asserere, quod* S. Jacobus *singulas Hispaniæ provincias lumine fidei illustrarit. Sed non est necesse ad eam solutionem confugere, ut ex dictis dicendisque satis colligitur.*

ab eruditis viris ita exponitur,

445 *Alfonsus Salmeron noster tomo* 13, *lib.* 4, *disp.* II *verbis Pauli maxime consentaneam existimat explicationem, quam tradit hoc modo :* Tertius sensus est, quod gentibus prædicavit, inter quas non fuerat Christus nominatus per legem veterem, neque prænuntiatus, neque præfiguratus aut exspectatus : perstat enim in confirmanda sua sententia, qua asseruit, se esse gentium apostolum a tempore, quo cum Barnaba segregatus fuit, et missus ad prædicandum gentibus. *Huic interpretationi congruit totus Pauli* B *contextus, ac præcipue testimonium, ex cap.* 52 ⅌ 15 *Isaiæ desumptum, quod ad dicti sui confirmationem adducit Apostolus his verbis :* Sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audierunt, intelligent. *Haud dubie hic Isaias spiritu prophetico locutus est de gentilibus, postea ad Christum convertendis, qui nulla prophetarum oracula noverant, nullam de Messia prædicationem audierant, nullumque Christianæ fidei fundamentum habuerant, quemadmodum Judæi, quibus ea ex sacris monumentis et magistrorum suorum prædicatione innotescere potuerunt. Ita etiam hunc Isaiæ locum intelligit S. Hieronymus, ut mox videbimus.*

ut Hispanicæ S. Jacobi prædicationi nequaquam contradicat,

446 *Hinc facile colligi potest, quo sensu Apostolus dixerit, se super alienum (nempe veterum prophetarum) fundamentum non ædificasse. Neque refert, quod S. Paulus etiam subinde Judæis Christum annuntiaverit : id enim fecit potius, quod justa aliqua ratio occurreret, quam quod illi muneri esset destinatus. Sic in epistola* I *ad Corinth. cap.* I *baptizavit Crispum, et Caium, ac Stephanæ domum, quamvis paulo post dicat :* Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. *Igitur juxta hanc expositionem, quam aliqui insignes sacræ Scripturæ interpretes am-* C *plectuntur, nihil aliud S. Paulus significat, quam se ad instruendas gentes præcipue missum esse (esto occasione data etiam Judæos docuerit) ad quas neque Christi antea nomen, neque prophetarum oracula pervenerunt.*

et ab Alexandro objectus S. Hieronymi locus

447 *Ex dictis facile explicari potest S. Hieronymus, qui lib.* 2 *Commentariorum ad Amos prophetam cap.* 5 *in novissima editione Parisiensi tom.* 3, *col* 1412 *de S. Paulo ita scribit :* Effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Euangelium de Jerosolymis usque ad Illyricum, et ædificaret non super alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum, sed usque ad Hispanias tenderet, et a mari rubro, imo ab Oceanum curreret. . . . . ut ante eum terra deficeret, quam studium prædicandi. *Facile, inquam, juxta jam datas Paulini textus interpretationes hæc explicari possunt : non enim potuit S. Hieronymus plus velle, quam ipse Apostolus significare voluerit. Nihilominus Natalis Alexander, omisso Apostoli textu, hæc sancti Hieronymi verba, tamquam adventui* S. Jacobi *magis adversantia, in Hispanos retorquet.* D

juxta alia sancti Doctoris verba commodam explicationem patiatur.

448 *Ne ulla Alexandri objectio singulari solutione careat, expono verba sancti Doctoris juxta explicationem num.* 445 *et sequenti datam, quæ ipsius menti magis consentanea videtur, quamvis aliæ propterea non sint rejiciendæ. Neque ad id alio interprete indigeo, quam ipso sancto Doctore, qui lib.* 14 *Commentariorum ad Isaiam cap.* 52 *in editione Parisiensi tomo* 3, *col.* 382 *verba prophetæ, a sancto Paulo superius allata, sic elucidat :* Qui non habuerant legem et prophetas, et quibus de eo non fuerat nuntiatum, ipsi videbunt et intelligent. . . . . In quorum comparatione, Judæorum duritia reprehenditur, qui videntes et audientes Isaiæ in se vaticinium compleverunt *etc. Confer hæc cum iis, quæ supra dixi, et videbis, omnem difficultatem statim evanescere. Præterea si Alexandri argumentatio esset legitima, sanctus Doctor sibi contradiceret, cum Hispanicam* S. Jacobi E *prædicationem alibi affirmaverit, ut supra* § 5 *ostendi.*

sicuti etiam Ambrosiastrum quemdam, ab eodem adversario allegatum,

449 *Nondum tamen acquiescit Alexander; sed undequaque desperatæ suæ causæ patrocinium corradit. Unde in fine dissertationis tom.* 3, *pag.* 160 *Hispanis objicit nescio quem Ambrosiastrum, qui in Commentariis ad caput* 15 *epistolæ ad Romanos habeat sequentia :* Venturum se promisit *(nempe S. Paulus)* tempore, quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus. *Quæro primo, quis sit ille Ambrosiaster, qui sub ficto S. Ambrosii nomine istos commentarios scripsit, aut cujus opera saltem sancto Doctori perperam attributa sunt? Eminentissimus Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi opera S. Ambrosii examinat, hos commentarios multis de causis sancto Doctori abjudicat, et de illorum scriptore hanc conjecturam facit :* Credibile igitur est, *inquit,* auctorem horum Commentariorum esse Hilarium diaconum Romanum, qui Luciferi schisma propagavit, et libros etiam non paucos scripsit, ut sanctus Hieronymus testatur in dialogo contra Luciferianos extremo. *At quiscumque sit illorum auctor, idem Bellarminus paulo ante affirmat, quod* in his commentariis sint non pauca, quæ Pelagii errores continere videntur, ut perspicuum est ex commentariis in epistolam ad Romanos.

F

propriis suis verbis facile explicamus,

450 *Cum tamen auctor ille, quisquis demum fuerit, videatur esse antiquus, in gratiam Natalis Alexandri ostendam, ipsum adventui* S. Jacobi *in Hispaniam non adversari. Neque ad id demonstrandum magno molimine opus est, cum scriptor ille satis se ipsum explicet, si totus textus legatur, quem Alexander mala fide truncavit, ne objectæ difficultatis solutio ex ipso auctoris sensu ultro in oculos incurreret. Ambrosiaster ergo sæpe memoratum S. Pauli locum primo ita commentatur :* Non sine causa illic prædicare niti dicit, et non ubi nominatus est Christus, sciens, pseudo-apostolos aliter, quam oportebat, Christum tradere : ad hoc enim circumibant, ut sub nomine Christi aliis dogmatibus populum manciparent, quod postea corrigere maximi erat laboris. Idcirco prævenire voluit, ut inviolatæ prædicationis verba traderet audientibus, et ut recta linea superficies ordinata incolumis fundamenti robur haberet. *Deinde post alia de eodem Apostolo hæc subdit :* Venturum tamen

tamen se promisit tempore, quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus ut occuparet mentes illorum (quia pseudo-apostolis difficile fuit iter ad illos) ideo tardius si iret, non foret molestum.

sine ulla Hispanicæ traditionis læsione.

451 *Auctor itaque iste tantum vult dicere, quod S. Paulus plerumque non prædicavit, ubi per pseudo-apostolos nominatus fuerat Christus, sed quod conatus sit illos antevertere, ne super corruptum aliorum fundamentum cogeretur ædificare. Indicat etiam, sanctum Apostolum ob eam causam tamdiu in Oriente hæsisse, ac tandem venturum esse ad Occidentem, ubi a pseudo-apostolis minus erat periculum, eo quod iter ad eas regiones illis nimis difficile esset. Hæc autem omnia Hispanicæ traditioni nihil omnino incommodant: potuit enim Paulus in Hispania postmodum Christum annuntiare, quia non ibi pseudo-apostolus aliquis, sed fidissimus Christi discipulus* S. Jacobus *prædicaverat. Equidem ingenue fateor, Ambrosiastricam illam sacri textus interpretationem mihi non multum placere, quamvis eadem ab aliis quibusdam etiam tradatur. At quis ægre ferat, objectum auctorem propriis suis verbis a me explicari? Cur mihi non liceat iisdem armis uti ad defendendum, quibus adversarii utuntur ad oppugnandum?*

§ XIII. Solvitur objectio, quæ ex epistola Innocentii I Papæ formatur.

Epistolam Innocentii I Pontificis,

Adversarii identidem Hispanis opponere non cessant epistolam Pontificis Innocentii I, qui anno 416 *ad Decentium episcopum Eugubinum scribit hoc modo:* Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putent, sibi aut ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod a principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari; nec superinduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? PRÆSERTIM CUM SIT MANIFESTUM, IN OMNEM ITALIAM, GALLIAS, HISPANIAS, AFRICAM ATQUE SICILIAM, ET INSULAS INTERJACENTES, NULLUM INSTITUISSE ECCLESIAS, NISI EOS, QUOS VENERABILIS APOSTOLUS PETRUS AUT EJUS SUCCESSORES CONTITUERINT SACERDOTES. AUT LEGANT, SI IN HIS PROVINCIIS ALIUS APOSTOLORUM INVENITUR AUT LEGITUR DOCUISSE. Qui * si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

** al. Quod*

auctore G. C. quam adversarii traditioni Hispanicæ objiciunt,

453 *Hæc integra epistola cum octo decretis, ad ritus ecclesiasticos spectantibus, legitur in Labbeana conciliorum Collectione tom.* 2 *a col.* 1245, *et nuper iterum edita est a Petro Coustant monacho Benedictino inter epistolas Romanorum Pontificum tom.* 1 *a col.* 855. *Insertum etiam est illius compendium juri Canonico part.* I *Decreti Distinct.* XI *cap.* Quis nesciat. *Ego primam istius epistolæ partem, quæ ad rem nostram maxime facit, ex novissima Pontificiarum epistolarum editione transcripsi. Traditionis Hispanicæ oppugnatores præcipue ponderant ea verba, quæ numero præcedenti litteris majusculis expressi, et ex iis inferunt,* S. Jacobum *in Hispania non prædicasse, cum Innocentius summus Pontifex diserte affirmet, a nullo in Hispaniis aliisque enumeratis regionibus institutas fuisse ecclesias, nisi ab iis, quos S. Petrus eo miserat. Imo addit, nec legi nec inveniri, quod ibidem alius Apostolus præter Petrum per suos legatos docuerit. Illi autem post martyrium* S. Jacobi *Majoris in Hispaniam missi fuerunt. Unde adversarii confidenter concludunt,* S. Jacobum *nequaquam in Hispania Christianam fidem docuisse.*

Franciscus Macedo de ecclesiarum seu episcopatuum erectione interpretatur,

454 *Satis hanc difficultatem solvit Franciscus Macedo in Diatriba cap.* 10, § 5, *cujus proinde verbis hic primum respondeo:* Innocentii I testimonium, *ait*, duas habet partes. Prima affirmat, in Italia, Gallia, Hispaniis, Africa, atque Sicilia nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Hæc nihil continet adversum traditionem generalem, quæ tradit, Jacobum in Hispaniam venisse, et ibi prædicasse; sed adversum traditionem ecclesiarum particularium, quæ affirmant, [se] ab eo esse institutas, et episcopos a Jacobo accepisse: de quo ego abstineo dicere, qui id ago, ut probem generatim, Jacobum euangelizasse in Hispania, quod fieri potuit sine erectione ecclesiarum et institutione episcoporum. Quare stat mea veritas cum Innocentii doctrina. De Innocentio, solum Petrum et successores Pontifices misisse in Hispaniam episcopos, in ecclesias in ea instituisse; nego tamen, apostolum Jacobum non prædicasse: aliud quippe est prædicare: aliud ecclesias instituere: cum præsertim constet apud veteres auctores, Jacobum septem tantum aut novem homines convertisse, qui non sunt satis ad ecclesiam, ne unam quidem instituendam, nedum ad plures, quas Innocentius inficiatur erectas. Hac ratione manet antiqua traditio inconcussa, uti a nobis est proposita et asserta.

ita ut S. Jacobus in Hispania Euangelium prædicaverit.

455 *Deinde, quibusdam interpositis, ad alteram Innocentiani testimonii partem explicandam ita progreditur:* Secunda negotium facessit. AUT LEGANT, inquit, SI IN HIS PROVINCIIS ALIUS APOSTOLORUM INVENITUR, AUT LEGITUR DOCUISSE. Negat igitur usquam legi, alium Apostolum ibi docuisse, id est, prædicasse, præter Petrum, non quod hunc in iis provinciis prædicasse affirmet, sed quod eo miserit prædicatores. Hac particula videtur excludi Jacobus Hispania. Primum miretur quis, Innocentium negare, legi uspiam, alium Apostolum eas adisse provincias, cum Paulus in Italiam venerit, et Romæ fuerit et docuerit; idque de fide constet, cum in Actis Apostolorum habeatur. Deinde ut de Hispanis loquamur, quot Patres tum Græci, tum Latini scribunt,

bunt, Paulum ibi prædicasse? . . . . . Sed quoniam credibile non est, Innocentium nullum ex his aut aliis, qui scripsere, Apostolos in iis, de quibus loquitur, provinciis prædicasse, legisse umquam, diligenter inspecto textu epistolæ, et considerata mente Innocentii, apparet, eum eo tantum sensu locutum, quo cœperat, negando, ullum alium Apostolum, præter Petrum, ecclesias in iis provinciis erexisse, et episcopos instituisse; atque adeo hanc secundam partem ad primam redire, nec aliud Innocentium, quam quod in ea primum asseruerat, deinceps affirmare: non enim negare poterat, Paulum Romæ prædicasse; sed quia Romæ nec episcopum dederat, nec ecclesias instituerat, non habuit rationem adventus nec prædicationis, quia de ista minime cogitabat; sed de illa tantum, quæ cum erectione ecclesiarum et institutione episcoporum conjuncta erat, mentionem facere voluit.

etiamsi illis episcopatum seu stricte dictam ecclesiam non instituerit,

B 456 Patet hoc ex contextu epistolæ, quæ scopum continet, quo ejus mens collimat. Is erat conservare et custodire ecclesiastica instituta, et traditiones communes et antiquas et ad publicam disciplinam spectantes, quas nolebat novis et peregrinis institutionibus misceri et corrumpi. Hæc autem quoniam non pertinebant ad privatam singulorum fidem, sed ad communem ecclesiarum administrationem, de earum institutione loquebatur, eo argumento, quod cum illæ a solo Petro et successoribus essent erectæ, non deberent aliis institutionibus regi, quam iis, quas initio a suis auctoribus acceperant.

quæ interpretatio aliquibus exemplis confirmatur.

457 *Non habeo, quod his addam, præter unum alterumve exemplum, quo confirmetur distincto inter simplicem Euangelii prædicationem et ecclesiarum institutionem, quæ posterior exigit Christianum gregem pastori suo subditum, ita ut episcopus sit in ecclesia et ecclesia in episcopo, sicut loquitur S. Cyprianus juxta editionem Pamelii in epistola* 69 *ad Florentium Pupianum. Sic in Actibus Apostolorum cap.* 8 *legimus:* Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter Apostolos . . . . Igitur qui dispersi erant, pertransibant euangelizantes verbum Dei. C *Nullibi tamen hi leguntur instituisse ecclesias. Certe iidem Christum prædicarunt Antiochiæ, et tamen ibi non instituerunt ecclesiam, quam postea Petrus, primus istius urbis episcopus, fundavit, ut paragrapho sequenti dicetur. Sic Paulus statim post conversionem suam prædicavit Jesum Damasci; attamen non videtur ibi instituisse ecclesiam. Non dubito, quin Apostoli aliique Christi discipuli pluribus locis fidem euangelicam docuerint, ubi tantum postea episcopales cathedræ erectæ fuerunt. Liquet ergo, prædicationem Euangelii sine ecclesiarum institutione posse consistere. Eamdem distinctionem agnovit Baronius, cujus verba paragrapho sequenti referemus, adeoque nostram Innocentianæ epistolæ interpretationem tacite videtur approbare.*

Argumentum Baronii, ex eadem epistola desumptum, refellitur,

458 *Nihilominus idem eminentissimus scriptor in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 816 *num.* 51 *fragmentum ejusdem epistolæ contra Hispanos profert, atque ex eo evidenter demonstrari existimat,* ante ipsius Innocentii tempora nec quidquam de S. Jacobi accessu in Hispaniam esse conscriptum, dicam amplius, neque cognitum, vel si cognitum, certe non creditum, neque post multa temporum secula. D *At saltem de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam sex aut septem annis ante Innocentii epistolam scripserat Hieronymus, cujus verba part.* 2, § 5 *contra adversarios expendimus: nam ipse Baronius ad annum Christi* 409, *num.* 14, *et Tillemontius tom.* 12 *Monument. eccles. pag.* 293 *affirmant, Commentarios in Isaiam, ex quibus pro Hispanica* S. Jacobi *prædicatione duplex testimonium desumpsimus, anno* 408 *vel* 409 *ab Hieronymo scriptos fuisse, cum tamen epistola Innocentii ad Decentium anno* 416 *data fuerit. Dum vero Baronius ibidem addit* multa temporum secula, *et statim subjungit contra Hispanos quædam fragmenta ex epistola Gregorii VII Pontificis, quæ anno* 1074 *scripta est, innuere voluit, traditionem Hispanicam ne quidem ante istius Pontificis tempora fuisse litteris traditam, aut cognitam, aut saltem creditam. Id autem quam a veritate alienum sit, patet ex supra allatis* E *sanctorum doctorumque virorum testimoniis, atque aliis Hispanicæ traditionis monumentis, quæ ætatem Gregorii VII longe præcesserunt.*

et inter Mediolanensem traditionem, quam ipse tuetur,

459 *Occasione hujus argumenti, quod Baronius Hispanicæ* S. Jacobi *prædicationi opponit, libenter discerem, an ante tempora Innocentii primi Papæ aliquid scriptum, aut cognitum, aut creditum fuerit de prædicatione S. Barnabæ in Liguria, aut Mediolanensis ecclesiæ institutione, quam eminentissimus auctor tomo* 1 *Annalium ad annum Christi* 51 *num.* 54 *ei attribuit his verbis:* Verum ipsum (*videlicet Barnabam, de quo ibidem agit*) in Italiam venisse, et in Liguria prædicasse Euangelium, nobilissimamque Mediolanensium ecclesiam erexisse, ac longe lateque Christi fidem feliciter propagasse firmæ traditiones, ejusdemque ecclesiæ monumenta, complurium scriptorum testimoniis confirmata, fidem certam atque indubitatam faciunt. *Quæro, an ecclesiæ Mediolanensis monumenta, et laudata complurium scriptorum testimonia ætatem Innocentii I superent, cum S. Ambrosius de hac ecclesiæ suæ gloria siluerit, ut in Actis S. Barnabæ tom.* II *Junii pag.* 430 *observatum est.*

atque Hispanicam, quam rejicit, comparatio instituitur.

460 *Quamvis non velim ex hoc S. Ambrosii silentio communem ecclesiæ Mediolanensis traditionem impugnare, tamen dubito, an Mediolanenses ad eam confirmandam antiquiora et solidiora possint proferre testimonia, quam sint ea* F *quæ nos ad probandam* S. Jacobi *prædicationem in Hispania superius produximus. Hæc occasione Baronianæ argumentationis dicta sufficiant. Nolo hic urgere ratiocinium quorumdam auctorum, qui argumentatur ad hominem, et contendunt, illam S. Barnabæ prædicationem in Italia, aut Mediolanensis cathedræ erectionem litteris Innocentii repugnare, adeoque eas ab eminentissimo traditionis Mediolanensis defensore explicandas esse, præsertim cum S. Barnabas communiter apostoli cognomen habuerit. Nolo, inquam, id multum urgere, cum prævideam, totum hoc ratiocinium alio modo posse eludi ac gratis reponi, Innocentium hic tantummodo loqui de stricte dictis Apostolis, quibus S. Barnabas non est annumerandus. Sed nunc paucis proponam aliud argumentum, propter quod epistola Innocentii æque ab eminentissimo adversario, atque a nobis explicanda est.*

461 *Baronius ad annum Christi* 58 *num.* 173 *narrat,*

AUCTORE C. G.

cui additur alia difficultas, ob quam æque ipsi ac nobis epistola Innocentii explicanda est.

A *narrat, quomodo S. Paulus in insula Melita, ubi tribus mensibus hiemavit, multa patraverit miracula, post quæ sic pergit:* Verum non tantum ea Melitensibus Paulus præstitit, ut ægritudine laborantes omnes curarentur, sed et Christiana eosdem religione imbuit, ipsumque Publium, ad fidem Christi conversum, eisdem præfecit episcopum. *Atqui Melita* posita est contra Pachynum Siciliæ promontorium, *ut ibidem num.* 172 *eminentissimus adversarius ex Strabone notavit. Si igitur* sit manifestum, *teste Innocentio Papa*, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes, *quomodo Paulus in insula Melitensi, quæ inter Siciliam et Africam sita est, instituit ecclesiam? Si præter Petrum nullus* in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse, *quomodo Paulus in illa insula interjacente Euangelium docuit? Quidquid hic Baronius dixerit, eodem jure ab Hispanis poterit responderi. Nunc* B *disputationem convertimus ad alterum adversarium, qui ubique nobis amplam disserendi materiam subministrat.*

Natali Alexandro, qui alibi illum epistolam sibi objicere cogitur,

462 *Natalis Alexander inter argumenta sua hanc Innocentii Pontificis epistolam callide prætermisit, eamque adventui* S. Jacobi *in Hispaniam opponere non est ausus, quia illius verba æque a se, quam ab Hispanis, explicanda esse noverat. Attamen alia occasione fragmentum illius referre coactus est, dum scilicet Hispanicam S. Pauli prædicationem defendens tom.* 3, *pag.* 157 *sibi ipsi ita objicit:* Arguitur secundo ex Innocentio I Romano Pontifice, in epistola ad Decentium scribente, Apostolorum neminem, præter sanctum Petrum, Hispanias et alias Occidentis provincias fide Christi imbuisse: LEGANT, inquit, SI IN HIS PROVINCIIS ALIUS APOSTOLORUM INVENITUR AUT LEGITUR DOCUISSE. QUOD SI NON LEGUNT, QUIA NUSQUAM INVENITUR, OPORTET EOS HOC SEQUI, QUOD ROMANA ECCLESIA CUSTODIT, A QUA EOS PRINCIPIUM ACCEPISSE NON DUBIUM EST. Ergo sanctus Paulus nusquam profectus est in Hispanias. *Ex hac objectione patet, illa Innocentii verba tam contra Hispanicam* S. Jacobi, *quam S. Pauli, prædicationem allegari posse. Alexander itaque tacite fassus est, illam epistolam adventi* C S. Jacobi *in Hispaniam non contradicere, cum eam Hispanis non opposuerit. Sed videamus, quam leviter sese ea difficultate expediat.*

ex propria sua responsione satisfit;

463 *Scholastico more hanc objectionem solvere conatur his verbis:* Respondeo distinguendo antecedens: Innocentius I ait, neminem, præter sanctum Petrum, Hispanias et alias Occidentis regiones euangelica doctrina imbuisse, et sanctum Paulum illa exceptione minime complectitur, concedo: et illum complectitur, nego. *At ea distinctio videtur supponere, quod est in quæstione, ut hic etiam more scholastico loquamur. Si Alexander judicet, hanc distinctionem suam solidam esse, non ægre feret, eamdem a nobis adhiberi, et dumtaxat pro S. Pauli nomine nomen* S. Jacobi *substitui. Audiamus tamen ejusdem explicationem, quam ita subjungit:* Namque cum Innocentius Hispanienses ecclesias ad Romanæ ritus ecclesiæ traducere satagat, illosque constet, nedum a sancto Petro, verum etiam a sancto Paulo institutos, atque in illas regiones, quas fide imbuendas susceperunt, translatos ac propagatos, nulla subest ratio, cur sanctum Paulum excipiat ab eorum numero, qui Occidentalibus regionibus et ipsi Hispaniæ Euangelii lumen intulerunt. *Imprimis falsum est, quod Innocentius* Hispanienses ecclesias ad Romanæ ritus Ecclesiæ traducere satagat *hac epistola, cum illam ad Eugubinum in Italia episcopum scripserit. Præterea Pontifex ibi solum conqueritur, quod aliqui instituta ecclesiastica,* ut sunt a beatis Apostolis tradita *non servent. At quid hæc ad* S. Jacobi *prædicationem, etsi talis abusus in Hispaniam irrepsisset? Nunc aliam epistolæ expositionem offero.*

sed in gratiam aliorum datur altera ejusdem epistolæ interpretatio,

464 *Cardinalis de Turre-cremata, Archidiaconus, Præpositus Mediolanensis, aliique canonum interpretes, ad jam citatum cap.* Quis nesciat, *verba Innocentii ita exponunt, ut solum significare voluerit, neminem Apostolorum in nominatis ibidem regionibus ecclesias instituisse aut docuisse, nisi a Petro accepisset potestatem: hæc enim soli Petro, tamquam totius Ecclesiæ capiti, ejusque in sede Apostolica successoribus a Christo concessa est; ceteris autem Apostolis dependenter a Petro, qui proinde omnium ecclesiarum fun-* E *dator dici potest. Hoc sensu Stephanus VI Papa apud Baronium anno Christi* 885 *num.* 10 *Basilio imperatori scribit sequentia:* Oro itaque pietatem tuam, ut inhæreas decretis principum Apostolorum, ut nomen eorum honores et dignitatem: institutio enim et sacerdotum omnium, quæ in orbe sunt, ecclesiarum, a principe Petro ortum accepit. *Quod itaque Innocentius de Occidentalibus ecclesiis dixit, id ipsum de Orientalibus asserere poterat. At quia longum erat singulas enumerare, et episcopo Occidentali rescribebat, satis habuit, id de præcipuis Occidentalis regionibus pronuntiasse.*

quæ verbis S. Leonis Magni,

465 *Juxta hanc igitur minime violentam interpretationem dicimus, neque* Jacobum *ex Asia in Hispaniam venisse, neque ibidem aliquas ecclesias instituisse (si quas de facto constituit) nisi ex consensu et voluntate Petri,* qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque ecclesiæ patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint (*editio vulgaris addit* multique pastores) omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. *Ita loquitur Leo Magnus serm.* 3 *in anniversario assumptionis suæ, et ibidem ad rem nostram hæc subdit:* Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid F cum eo commune ceteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. *Idem sanctus Pontifex in epistola ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, quæ apud Labbeum nostrum tom.* 3 *conciliorum a col.* 1382 *refertur, sub finem ita scribit.* Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemineret.

aliisque testimoniis et argumentis confirmatur.

466 *Huic explicationi, quam auctoritate S. Leonis Magni non parum confirmari arbitramur, etiam subscribunt Theologi, inter quos Gretserus noster in Defensione controversiarum eminentissimi Bellarmini tomo* 1, *col.* 1482 *asserit,* datam reliquis Apostolis summam potestatem, et universalem toto terrarum orbe prædicandi facultatem; sed dependenter a Petro. *Deinde tomo* 2 *ejusdem operis col.* 507 *contra calumniatorem hæreticum concludit,* nec S. Jacobum in Hispanias

AUCTORE G. C.

nias, nec S. Paulum Romam et in alias orbis partes concessisse, nisi ductu et auspiciis Petri, tamquam summi pastoris et ecclesiastici gubernatoris, et hoc respectu Innocentium scripsisse id, quod scripsit. *Si epistola Innocentii crude ac stricte intelligatur, sane non video, quomodo cum divinis sacræ Scripturæ testimoniis, et receptissimis quorumdam populorum traditionibus conciliari possit: nam Paulus in insula Melitensi et urbe Romana Christianam fidem docuit, ut ex Actibus Apostolorum cap.* 28 *colligitur. Concors fere interpretum, et ipsorum adversariorum, sententia est, S. Paulum in Hispania prædicasse:* et tamen fuit alius apostolus a Petro, nec fuit successor ejus, *ut doctissimus Cardinalis de Turre-cremata in prima parte Decreti distinct.* II *ad cap.* Quis nesciat *solerter observavit, ubi propterea cum pluribus canonum interpretibus amplexus est explicationem, quam supra num.* 464 *dedimus. Admissa igitur Melitensi, Romana, et Hispanica S. Pauli prædi-* B *catione, quomodo verum erit, neminem ex Apostolis, præter Petrum, in Italia, Gallia, Hispania, Africa, Sicilia, et interjacentibus insulis docuisse, nisi verba Innocentii uno vel altero modo accipiantur, prout hoc paragrapho explicata sunt.*

§ XIV. Respondetur difficultati quam adversarii ex epistola Gregorii VII Papæ objiciunt.

Refertur epistola

Potuissem paragrapho superiori difficultatem hic proponendam eadem opera dissolvere, sicuti ab aliis factitatum esse video. Sed claritatis gratia voluit huic objectioni distincte respondere, tum quod præcedens paragraphus nimium excurreret, tum quod Natalis Alexander, omissa Innocentii I auctoritate, hoc Gregorii VII testimonium præcipue urgeat, quasi singularem quamdam vim haberet, ac eo solo traditio Hispanica everteretur. Gregorius iste in Labbeana conciliorum collectione tomo 10, *col.* 53 *ad Alphonsum Castellæ et Sancium Aragoniæ reges anno* 1074 *scribit in hæc verba:* Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse *(Baronius eamdem epistolam referens notat in margine* C adire voluisse) significet, ac postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem et officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine suo ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et ordine divini officii habuisse *, satis patet: sed postquam vesania Priscillianistarum diu pollutum, et perfidia Arianorum depravatum, et a Romano ritu separatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hispaniæ fuit, non solum religio est diminuta, verum etiam mundanæ sunt opes labefactatæ.

* *lege habuisset vel habuerit*

Gregorii septimi Papæ,

468 Quapropter, ut filios carissimos, vos adhortor et moneo, ut vos sicut bonæ soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen, ut matrem revera vestram, Romanam ecclesiam recognoscatis, in qua et nos fratres reperiatis, Romanæ ecclesiæ ordinem et offi- D cium recipiatis, non Toletanæ vel cujuslibet aliæ *, sed istius quæ a Petro et Paulo supra firmam petram per Christum fundata est, et sanguine consecrata, cui portæ inferni, id est linguæ hæreticorum, numquam prævalere potuerunt, sicut cetera regna Occidentis et Septemtrionis, teneatis. Unde enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium, restat etiam ut inde recipiatis in ecclesiastico ordine divinum Officium: quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant, quod Toletanum et Bracarense demonstrant concilia, quod etiam episcopi vestri ad nos nuper venientes juxta constitutionem concilii per scripta sua facere promiserunt, et in manu nostra firmaverunt. *Marchio Mondexarensis in dissertatione sua Hispanica de adventu* S. Jacobi *cap.* 17 *antiqua Pontificum et conciliorum testimonia, hic a Gregorio VII ci-* E *tata, Latine exhibet. Sed jam ad epistolam Innocentii I paragrapho præcedenti respondimus, et reliqua monumenta difficultatem nullo modo augent, ut ea apud marchionem legere volenti manifestum fiet.*

* *lege alius*

ex qua traditionem Hispanorum oppugnans Natalis Alexander

469 *Natalis Alexander ex initio et fine istius epistolæ hanc deducit conclusionem:* Porro si a sancto Jacobo illata esset fides Christi in Hispanias, et septem præfati episcopi ejus discipuli fuissent (ut recentiores Hispani fingunt) Gregorius VII Hispaniensium ecclesiarum fundationem ad Paulum dumtaxat apostolum, et ad Petri Paulique discipulos non retulisset, neque id confirmasset certissimis antiquitatis ecclesiasticæ monumentis. *Adversarius non satis clare et valide rem suam urget; quare potius argumentationem instituisset hoc modo: si* Jacobus *in Hispania prædicasset, missi postea a Petro et Paulo septem episcopi ibi Christianitatem non fundassent, nec religionem plantassent, ut loquitur Gregorius VII (id namque de primis fidei Christianæ prædicatoribus tantum proprie dici potest) sed jactum ab alio Euangelii semen dumtaxat excoluissent, ac alienam plantationem regassit. Unde juxta phrasin et mentem Gregorii sequitur, antea* S. Jacobum *in Hispania non prædicasse. Antequam huic argumento fusius satisfaciam, breviter contra Alexandrum velitor iis ar-* F *mis, quæ ipse mihi suppeditat.*

argumento ad hominem refutatur,

470 *Natalis tomo* 3 *dissert.* XV *pag.* 157 *ita scribit:* Traditione constat, S. Paulum, in Hispanias profectum, ibi ecclesiam fundavisse. *Sed jam adversarium ita aggredior: si Paulus ecclesiam Hispaniæ fundaverit, quomodo Gregorius VII asserere potuit, illam a septem episcopis, per Petrum et Paulum Roma in Hispaniam directis, fundatam ac plantatam fuisse? Si vero septem isti episcopi eam fundaverint ac plantaverint, quomodo Paulus ecclesiam Hispanicam fundavisse dicitur? Quomodo cumque Alexander hunc ictum declinaverit, mihi pariter monstrabit, quo modo suum mucronem debeam avertere. Jam omnem propositi argumenti vim variis modis infringo.*

omissaque solutione, quam ipsimet adversarii suggerunt.

471 *Si Gregorius VII traditionem Hispanicam manifeste negaret, possem arripere responsum, quod Natalis Alexander loco proxime citato ad auctoritatem Gelasii Pontificis, alia occasione sibi objectam, dedit his verbis:* Deinde etsi Gelasius profectionem sancti Pauli in Hispanias negasset, quid contra tantam nubem testium, contra traditionem, tot sanctorum Patrum testimoniis

A niis firmatam, probaret unius Pontificis, ex privato sensu scribentis, auctoritas? *Baronius ad annum Christi* 61 *num.* 3 *idem fere respondet hoc modo*: At licet Gelasius contrariæ sententiæ esset assertor, tamen si numero testium eadem definienda sit controversia, pro uno Gelasio complures sunt, ei eruditione non impares, qui profectioni Pauli in Hispanias libentius adstipulantur. *Possem ego simili responsione omnem difficultatem evadere, cum Hieronymus, Isidorus, Julianus, Beatus, aliique Gregorio VII antiquiores, et ei sanctitate ac doctrina non impares, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem diserte affirment, ut supra ostendi. Sed minime necessarium est hac via effugere, cum Gregorius immemorabili Hispanorum traditioni, tot testimoniis confirmatæ, non adversetur.*

cum cardinale Aguirrio propositæ difficultati respondetur.

472 *Primo igitur cum Cardinale Aguirrio tomo* I *concil. Hisp. dissert.* 9 *excurs.* 9 *respondeo*, Gregorium VII iis verbis nullatenus meminisse Jacobi apostoli, nec illius prædicationem in Hispania negasse: quomodo enim negare poterat id, quod constanti et antiquisssima B traditione circumferebatur, non in Hispania modo, sed etiam in Italia, Germania, et Gallia? . . . . Itaque Gregorius non negat, Jacobum in Hispania prædicasse; sed intactum prætermittit, quia nihil conferebat ad scopum illius epistolæ, in quia hortatur reges Hispaniæ ad servandum ritus et ordinem sacrorum Ecclesiæ Romanæ. Huic autem fini obtinendo opportunum censuit in memoriam revocare, quomodo Paulus significet, se Hispaniam adiisse, et quod postea simul cum Petro direxerit septem episcopos qui destructa idololatria Christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt etc. Exinde enim Gregorius merito colligit, Hispanos debere in ritibus ecclesiasticis et divinis Officiis imitari Ecclesiam Romanam, a cujus duobus principibus Petro ac Paulo Christianitatem, religionem, ac sacrorum ordinem per episcopos ab Urbe missos acceperant. An vero præterea Jacobus in Hispania prædicaverit, ejusque discipuli, antequam a Petro ordinarentur episcopi, et Roma in Hispaniam dirigerentur, necne, nullatenus declarat Gregorius, quia non spectabat ad illius scopum.

Potest dici, quod ecclesiæ ab aliquo fundatæ vel institutæ fuerint.

C 473 *Fortasse quisdam hic iterum contendet, id satis a Gregorio declarari, dum de discipulis Petri et Pauli Roma missis testatur, eos Christianitatem in Hispania fundasse, et religionem plantasse, cum fundatorum ac plantatorum nomen primis Euangelii seminatoribus conveniat juxta illud Pauli* I *ad Corinthios* 3 ℣ 6: Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. *At præter ea, quæ supra num.* 470 *Natali Alexandro opposui, hic nodus solvendus est ab ipso Gregorio, qui non obscure indicat, Paulum prædicationis causa in Hispaniam profectum esse, ac postea in eam septem episcopos misisse, qui ibi Christianitatem fundaverint, et religionem plantaverint. Quomodo enim cohærere potest, quod ii discipuli fuerint in Hispania plantatores istius religionis, quam antea Paulus prædicatione sua plantaverat? Eadem difficultas enodanda est a Baronio, Alexandro, aliisque omnibus scriptoribus, qui Paulinam in Hispania prædicationem tuentur. Verba igitur Gregorii indigent explicatione, neque vox fundationis et plantationis adeo stricte accipienda est, ut semper primam Christianæ fidei annuntiationem significet, quod jam evidenti exemplo demonstrabo.*

AUCTORE G. C.

etsi in iis antea alii Evangelium prædicaverint,

474 *Labbeus noster tomo* 4 *conciliorum col.* 883 *refert epistolam Leonis I Papæ, qui ad Maximum Antiochenum episcopum inter alia sic scribit*: Et ideo, frater carissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cujus ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluerit præsidere, et ejus meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum mundum quidem uniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena et Romana urbe fundavit. *Si ego ex hoc Leonis testimonio inferrem, neminem ante Petrum Antiochiæ Euangelium docuisse, merito mihi objicerentur Actus Apostolorum, in quibus cap.* II *leguntur sequentia*: Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. *Vides hic Antiochiæ prædicatores fidei, antequam Petrus ecclesiam Antiochenam fundaret. Quid ergo impedit, quo minus* S. Jacobus *in Hispani Euangelium prædicaverit, ac postea septem episcopi, a Petro et Paulo missi, Hispanicam ecclesiam fundaverint?* E

sicut cardinalis Baronius fatetur

475 *Juverit hic audire explicationem Baronii, qui ad annum Christi* 39 *num.* 16 *ita scribit*: Modo igitur ut dicamus a Petro fundatam seu erectam sedem Antiochenam, non est intelligendum, quod ibi Petrus primo prædicaverit Euangelium: id enim factum esse ab illis, qui post necem Stephani pulsi Hierosolymis sunt, discipulis Lucæ testimonio (quod diximus) exploratum satis atque perspectum habetur. Sed accipiendum est, sic a Petro fundatam dici ecclesiam Antiochenam, quod scilicet illi a Petro præcipua dignitas sit collata, ut Orientalium sedium maxima diceretur et esset. Nam si ante Petrum alii prædicavere discipuli Euangelium Antiochiæ, a quibus jactum videretur ecclesiæ fundamentum, quamvis Petrus et Paulus postea iisdem Euangelium prædicassent, certe hac ex parte fundatores dici non poterant, secundum quod idem Paulus ad Romanos scribens ait: SIC PRÆDICAVI EUANGELIUM HOC, NON UBI NOMINATUS EST CHRISTUS, NE SUPER ALIENUM FUNDAMENTUM ÆDIFICAREM. F

expressis verbis,

476 Quod si quoque modo, quia Petrus post alios Antiochiæ Euangelium prædicavit, fundasse eam ecclesiam dicendus esset, nihil certe hac de causa tribuendum amplius Petro, quam Paulo, cum et ipse ibidem eadem in re egregiam operam navaverit. Etenim quod ad hoc spectat, non plus Petro Ignatius scribens ad Magnesianos, quam Paulo tribuit, affirmans ab utroque esse fundatam ecclesiam Antiochenam. Quamobrem ut a Petro peculiariter dici possit (quod tradunt omnes) fundatam esse ecclesiam Antiochenam, dicendum est, Petrum primo erexisse seu instituisse sedem patriarchalem Antiochenam; ad quod agendum (si velimus et hoc dicere) nulla profecto incubuit necessitas, ut Petrus abierit Antiochiam, cum ubicumque ageret, id sua, qua pollebat, auctoritate præstare potuisset. *Quid si ego juxta hanc expositionem dixero, septem illos episcopos vocari*

AUCTORE G. C.

vocari Hispanicæ ecclesiæ fundatores, quia auctoritate sibi a Petro concessa illic episcopales cathedras erexerunt, iisque specialem dignitatem contulerunt, sicuti Petrus ob eam causam Antiochenæ ecclesiæ fundator appellatur? Id sane nequaquam priorem S. Jacobi *prædicationem in Hispania excludit, ut ex jam allato Antiochenæ ecclesiæ exemplo manifestum est.*

quibus hic subditur alia eminentissimi Aguirrii explicatio,

477 *Si hactenus datæ responsiones necdum alicui satisfaciant, addo ultimam, quam Cardinalis Aguirrius loco proxime citato reddit his verbis :* Damus ultro auctoritati Gregorii (quamvis nihil ex cathedra definientis et errori obnoxii circa purum factum historiæ ecclesiasticæ et traditionis Hispaniarum, quæ a solis earum ecclesiis et populis petenda est) damus, inquam, discipulos a Petro et Paulo Roma missos, ea omnia in Hispania præstitisse, quæ Gregorius memorat. Quid si illi ipsi fuerint antea discipuli S. Jacobi, et cum ipso prædicaverint in Hispania exiguo fructu, simulque Hierosolymam redierint : postea autem, occiso Magistro ab Herode, Romam contendentes, ab apostolo Petro ordinati episcopi, in Hispaniam iterum prædica- B verint, et ecclesias constituerint? *Nihil in hac explicatione violentum est, nihil limites verisimilitudinis excedit : nam si discipuli* S. Jacobi, *qui simul cum ipso in Hispania evangelicum semen sparserant, postea a Petro consecrati episcopi illuc redierint, et ecclesias constituerint, ritusque ecclesiasticos juxta Romanam institutionem ordinaverint, legitime Gregorius Pontifex collegit,* quantam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et ordine divini Officii habuerit, et *jure Hispanos hortatur, ut inde recipiant ecclesiastici ritus ordinem, unde susceperunt religionis exordium.*

quæ cum epistola Gregorii VII et traditione Hispanica optime conciliatur.

478 *Aguirrius recte observat, hanc suam expositionem optime congruere testimonio Gregorii, antiquæ traditioni, ac Lectionibus secundi Nocturni, post diuturnum examen Romæ probatis, in quarum secunda hodiedum de* S. Jacobo *ita legimus :* Post Jesu Christi ascensum in cælum, in Judea et Samaria ejus divinitatem prædicans, plurimos ad Christianam fidem perduxit. Mox in Hi- C paniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit, ex quorum numero septem postea episcopi, a beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. *Ecce in his Lectionibus accuratissime examinatis septem illi episcopi, postea a Petro in Hispaniam missi, inter antiquos* S. Jacobi *discipulos numerantur. Quare cum eodem eminentissimo viro sic concludo :* Itaque admisso integre testimonio Gregorii VII, vera permanet adhuc prædicatio S. Jacobi in Hispania, et quod discipuli simul cum ipso Christianitatem fundaverint, religionemque plantaverint; deinde vero post Jacobi obitum ordinati episcopi a divo Petro, et missi in Hispaniam, id ipsum perfectius ac fructuosius præstiterint, quod antea simul tum Jacobo inchoaverant. *Post has explicationes non arbitror, homini cordato ex hac Gregorii VII epistola contra prædicationem* S. Jacobi *in Hispania scrupulum superesse.*

D

§ XV. Proponitur lis, cujus occasione Rodericus archiepiscopus Toletanus prædicationem S. Jacobi in Hispania negasse dicitur.

Commentarius anonymi, ob quem Baronius sententiam suam mutavit,

Nunc aggredior præcipuum adversariorum argumentum, quod formant ex verbis Roderici Ximenii, archiepiscopi Toletani, qui in plena synodo Lateranensi, sub Innocentio III habita, adventum S. Jacobi *in Hispaniam rotunde negasse aut saltem in dubium revocasse dicitur. Is est invulnerabilis, ut ipse quidem putant, Achilles, qui eminentissimum Baronium ita terruit, ut priorem suam sententiam deseruerit, sicuti ipsemet ad annum Christi* 816, *num.* 49 *fatetur his verbis :* Hic enim ille fuit insignis Rudericus archiepiscopus Toletanus, rerum Hispana- E rum historiæ scriptor, ore omnium prædicatus : cujus fateor, perculsus auctoritate substiterim aliquantisper, et revocarim in dubium, quæ in notis ad Romanum Martyrologium de adventu Jacobi in Hispanias dixisse meminerim, atque omnia altiori indagine, graviorique expendenda esse lance putarim, ob ea quæ a tanto viro in tanto concilio sine tuti adversarii redargutione reperiuntur asserta. *Eminentissimus Aguirrius miratur,* gravissimum Cardinalem Baronium, qua pollebat eruditione ac crisi ad discernendum inter germana scripta et notha, nihil suppositionis aut fraudis in ea narratione subodoratum fuisse ; imo ob illam potissimum mutasse sententiam, quam prius in notis ad Martyrologium Romanum solide stabilierat, et nemo eousque impugnaverat. *Ita ille dissert.* 9, *num.* 15.

ex Ms. Toletano primum editus est a Loaisa,

480 *Jam supra* § 2, *num.* 311 *dixi, totam hunc controversiam, quæ in concilio Lateranensi inter Rotericum Toletanum aliosque Hispaniæ præsules de jure primatus ventilata fuisse fertur, primum a Garsia Loaisa publicæ luci datam esse. Postea Binius, Labbeus, et Harduinus eamdem suis conciliorum collectionibas inseruerunt. Marchio Mondexarensis in jam sæpe laudata dissertatione Hispanica integram illam disceptationem, cum ecgrapho Loaisæ collatam, ex Ms. codice Toletano edidit, et in viginti quatuor numeros distinxit, quos singulos severa crisi examinavit, ut postmodum patebit. Mihi non vacat nec lubet hanc totam næniarum farraginem transcribere, quam curiosus quilibet apud citatos auctores facile inveniet. Quapropter hic sufficiet exhibere quoddam futilis istius disputationis fragmentum, quod ad rem nostram propius spectat, et ex quo facile colligetur, quam fidem reliqua mereantnr.* F

in quo præter alia refertur lis inter præsulem Compostellanam et Toletanum,

481 *Desumpsi hanc altercationis partem ex Garsia Loaisa, primo editore, qui in collectione conciliorum Hispaniæ, anno* 1593 *Madriti impressa, post relatam Roderici Toletani contentionem cum archiepiscopo Bracarensi pag.* 290 *hæc habet :* Compostellanus similiter eadem die in pleno consistorio respondit : Pater sancte, certe derisoria videtur petitio domini Ruderici; quod ecclesia Compostellana tam antiqua et nobilis, condita in honorem apostoli Jacobi, Domini

AUCTORE G. C.

A Domini consanguinei, qui primo in Hispania verbum Domini seminavit, et infinitos ad fidem Christi convertit, cujus corpus in eadem ecclesia requiescit, (quod absit) obediat ecclesiæ Toletanæ. *Deinde pagina sequenti præsul Toletanus archiepiscopo Compostellano ita respondisse dicitur :* Dominus autem Rudericus archiepiscopus Toletanus, petita et obtenta a domino Papa facultate, respondit : Pater sancte, o utinam causa ista in rationibus reverendi archiepiscopi Compostellani nunc propositis remaneret, et aliæ undique allegationes cessarent, maxime si per prædicta credat, se posse defendere, Toletanæ ecclesiæ nullam se debere obedientiam. Ad quod breviter respondeo. Causa mea derisoria fortasse videbitur, non tamen sapientibus, sed insipientibus.

qui posterior antiquitatem

482 *His præmissis, si anonymo memorati commentarii auctori lubet credere, Rodericus Toletanus ineptam præsulis Compostellani objectionem falsa et ineptiori responsione ita refutavit :* Si antiquitatem Compostellanæ ecclesiæ pro te facere existimas, antiquitas ista centum et novem B annorum spatio continetur ; quod sic persuadeo. Dominus Calixtus Papa ad instantiam principis, cleri et populorum Hispaniæ, metropoliticum jus antiquæ et celeberrimæ civitatis Emeritensis Compostellam transtulit anno Domini MCXXIV, tum quia civitas Emeritensis erat sub dominio Sarracenorum constituta, tum quia peregrinantium devotio, qui ob reverentiam beati Jacobi, cujus corpus ibidem creditur esse sepultum, in melius semper cresceret : nam usque ad hæc tempora oratorium quoddam admodum parvum erat locus ille, in quo nunc sita est Compostellana ecclesia. Antiquior est ergo ecclesia Toletana, quæ fundata est a tempore Eugenii, qui Pauli apostoli fuit discipulus.

et nobilitatem ecclesiæ Compostellanæ frivole oppugnat

483 Si nobilitate ecclesiæ suam tueri causam nititur propter invocationem beati Jacobi ; licet Apostolorum appellatio nobilis sit et illustris, nobilior tamen est et illustrior beatæ Virginis, cujus invocatione et nomine ecclesia quæcumque augustissima et celeberrima efficitur, et potissimum C Soletana, quam ipsa Virgo sanctissima præsentia sua invisere voluit atque dignata est, cum quondam beato Illephonso archiepiscopo Toletano, sacrificium Domino offerenti, et omnibus præsentibus qui divinum audiebant Officium, se visibilem præbuit. Si præterea in suæ causæ confirmationem consanguinitatem Domini inducit, certe nemo sanæ mentis ignorat, arctiori consanguinitatis vinculo beatam Virginem Domino copulatam esse, quem concepit, peperit, nutrivit, et usque ad crucis patibulum et sepulcrum secuta est.

negando adventum S. Jacobi in Hispaniam

484 *Tunc Rodericus Toletanus adversus præsulem Compostellanum profert ea, quæ adversariis maxime arrident :* Si inducat etiam, *inquit*, primam divini verbi promulgationem et plurimorum conversionem ad fidem Christi in Hispania, qui divinam Paginam noverunt, testimonium perhibeant : ego tantum legi, datam et fuisse potestatem prædicandi in Hispania ; sed interim cum per Judæam et Samariam divinam legem seminaret, sub Herode Hierosolymis, truncato capite, exhalavit animam et Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quo nondum ingressus est? Aut sine prædicatione quos, obsecro, convertit ad Dominum? Memini bene, in primis me annis accepisse a quibusdam sanctis monialibus et religiosis viduis, paucos admodum ejus prædicatione ad fidem conversos esse : in qua cum tam exiguos progressus effici videret, in patriam reversus fato functus est.

et gloriam sepulcri ejus diminuendo.

485 Si nobilitatem etiam sepulturæ inducant, quod ibi D. jaceat Jacobus, libenter assentior cum his, qui istud asserunt ; licet quidam affirment, corpus ejus Hierosolymis requievisse, postea raptum a discipulis delatum esse, et sepultum apud Compostellam. Absit autem, ut propter gloriam hujus primatus asseram, corpus beatæ Virginis, quod firmiter credimus in cælestibus cum Domino gloriosum esse, in ecclesia Toletana fuisse aliquando sepultum, pedibus humanis quotidie conculcandum : membratim enim dilaniari me potius paterer, quam ad hoc affirmandum, animum adjicere. Videat ergo dominus Compostellanus, an debeat ecclesiæ Toletanæ fasces submittere. Sed omissis rationibus, si placet, respondeat propositæ quæstioni. Dominus autem Compostellanus respondit, quod licet Toletanus esset Hispaniarum primas, quod falsissimum erat, non tamen ejus suffraganei deberent ei in aliqua re obedire. Qua responsione multi crediderunt, Compostellanum contestatum esse litem. E

Franciscus Macedo hactenus supponens illam litem verum esse,

486 *Franciscus Macedo in sæpe laudata Diatriba cap.* 10, § 2 *contra Rodericum Ximenium, archiepiscopum Toletanum, ita insurgit :* Traditione, quidquid ex adverso Ximenius objicit, confutatur. Sed volo manum cum hoc adversario conserere, eumque suomet gladio jugulare. Primum postulat dari sibi ex Scripturis auctores. Det ille item nobis auctorem ex Scripturis, qui neget. Pares itaque hac in re sumus. Traditione vincimus, cui nisi ille credat, quomodo nobis persuadebit, Eugenium primum fuisse episcopum Toletanum? Nec tamen et est universæ Hispaniæ, sicuti est Jacobei adventus, traditio. Urgeo item Baronium. Dicat ille, quibus Scripturis probetur, Petrum Romam venisse, cum tamen nihil eo magis certum sit. Non sunt ergo semper Scripturæ postulandæ : satis est monstrare traditionem, ac nihil et Scripturas officere, quod nos accurate, opinor, egimus.

disputat contra Rodericum Toletanum,

487 Redeo ad Ximenium, admissa narratione, de qua postea. Vidit ille, quantum in traditionibus momenti esset, ac elevare conatus est eam F de adventu in Hispaniam Jacobi traditionem, eamque religiosis quibusdam viduis et monialibus attribuit, ceu eam vellet infringere. At quomodo potuit negare illam, qua ceteri omnes Hispaniæ primates nitebantur? Itaque unus ille traditionem inficiabatur, ceteri affirmabant. Erant autem Braccharensis, Compostellanus, Tarraconensis, et Narbonensis ; illi duo præsentes ; hi ore illorum, quos sibi absentes substituerant. Hi autem reliquam Hispaniam repræsentabant. His ergo credendum, non Ximenio : non enim ille poterat solus traditionem convellere, quæ in pluribus residet, et fidem publicam habet. *Deinde ad elevandam Ximenii fidem, aliquot errores in ipsius historia detegit. Similia cap.* 13 *repetit, ac tandem cap.* 17 *et sequentibus ostendit, istam narrationem omnino esse fictitiam.*

cujus fidem in hac disceptione minuit Sanctius noster,

488 *Sanctius noster in Disputatione de prædicatione S. Jacobi in Hispania tract.* 3, *cap.* 3 *auctoritatem Roderici alia via diminuere nititur, putatque*, si verba sint Roderici, dicta fuisse, non quod ita sentiret, sed quod in eo certandi genere licere sibi existimarit, quod aliis, qui ad judices agunt ; qui ne causa, quam in judicio

AUCTORE G. C.

judicio sustinent, ignominiose cadant, multa se nescire simulant, multa confingunt, quæ deinde judices severius expendunt. In illis autem scriptis non dictum est, quid judices senserint, sed tantum quid Toletanæ causæ patronus declamarit.

qui deinde aliis argumentis

489 *Magis mihi placent ea, quibus idem auctor initio ejusdem capitis num. 2 fidem manuscripto isti codici abrogat:* Hæc, *inquit,* quæ Baronio adeo visa sunt gravia, ut subsistere primum coegerint, ac tandem damnare, quæ in annotationibus ad Martyrologium ante probaverat, sumpta sunt ex manuscripto quodam codice qui in Toletanæ ecclesiæ bibliotheca servatur, cui nulla inest publica atque legitima fides, quæ illum a suspicione vindicet levitatis, imo qui, ut cuilibet mediocriter attento facile constabit, illa continet, quæ minus videntur cum tempore ac loco, aut etiam cum rerum, quæ tractantur, natura consentire. Et primum hæ litteræ, quæ apud eos servantur, quibus cum aliis controver-B sia est, si aliena auctoritate, id est, ejus, qui in ea causa judex esse legitime potuit, consignatæ non sint, fidem facere nulla ratione debent. At his litteris neque ab ejusmodi fide ullum pondus inest, neque quidquam habent, quo suam sibi fidem aliis aut ostendant aut probent. Neque ibi de scriptore constat. Constaret utinam! Forsitan illius aut nomen aut levitas, quo loco habenda essent illa manuscripta monumenta, docuissent.

commentarium illum de fictione suspectum facit.

490 *Præterea ibidem num. 3 ex silentio concilii Lateranensis eamdem narrationem ita suspectam reddit:* Quod si Compostellana causa tam acriter in ea synodo disceptata est, cur in ejus actis neque ullum apparet illius, sive causæ sive controversiæ vestigium? Si Toletanus præsul exstitit in ea disceptatione superior; si, quod de primatu contendebat, obtinuit, ut scripta ipsa docent, cur tantum de re tanta in ea synodo silentium? Sane locus huic Toletanæ causæ fuisset non importunus in illius synodi capite v, de patriarchalium sedium dignitate atque ordine decernitur. *Laudatus Macedo in Diatriba cap. 17 hoc Sanctii argumentum operose deducit, et plura Lateranensis concilii capita assignat, in quibus de hac controversia opportune agi potuisset. Ostendit etiam, leviores causas in ea synodo agitatas fuisse, et* C *adversariis alia effugia præcludit. Unde cum Sanctio nostro num. 7 concludo:* Quod igitur attinet ad hanc Compostellanam controversiam, primum mihi videtur, quod aliis etiam valde probari video, disceptationem illam confictam esse ab aliquo, qui gratiæ plus dedit, quam inire voluit ab ecclesia Toletana, quam veritati aut historicæ fidei: aut scriptam ab aliquo ex eorum numero, quorum in urbe Romana magnus est, qui rumores colligunt e foro et triviis, quos deinde varie in alias atque alias provincias disseminant.

Redditur ratio, ob quam Rodericus Toletanus

401 *Si quis cum Baronio objiciat, satis manifestum esse, quod Rodericus Toletanus adventum* S. Jacobi *negaverit, cum in sua historia nullum de prædicatione illius in Hispania verbum fecerit; respondet idem Sanctius in opusculo mox citato tract. 2, cap. 3, num.* I. Primum dico, non fuisse cur de Jacobi prædicatione Rodericus agere debuerit; quia totum illud tempus omisit, in quod incidere potuit Jacobi prædicatio: cum enim Hispanicam instituisset historiam ab iis, qui in illam a communi diluvio primum ingressi sunt, plurimis intermissis D seculis, ad Gothorum tempora festinato contendit. Quod si ecclesiæ in Hispania primam institutionem, aut illius progressum prodere voluisset, dixisset saltem de Jacobi in Hispaniam destinatione, ac de ipsius corpore inibi sepulto, quæ in illa disceptatione Lateranensi non negat.

de Hispanica S. Jacobi prædicatione in scriptis suis forte tacuerit,

492 *Alii dicunt, non est mirum, quod Rodericus de prædicatione* S. Jacobi *tacuerit, cum non ecclesiasticam, sed profanam seu cum profana plerumque connexam Hispanicarum rerum historiam conscripserit. Sed qualiscumque fuerit causa hujus prætermissionis, saltem Rodericus adventum* S. Jacobi *in Hispaniam nusquam in scriptis suis negavit. Supra autem part.* I *hujus Commentarii* § 5 *diximus, Rodericum ubique in sua Historia de honore ac prærogativis ecclesiæ Compostellanæ studiose tacuisse aut caute locutum fuisse, cujus taciturnitatis vel cautæ locutionis aliquam ibidem rationem ex conjectura dedimus.* E

et a Natale Alexandro, illud silentium etiam objiciente,

493 *At hoc paragrapho pene oblitus fueram Natalis Alexandri, qui post relata præcipua hujus litis verba, quæ sine ullo scrupulo verissima supponit, auctoritatem Roderici Toletani in hac re ita extollit:* Hæc cum summo Patrum omnium applausu urgebat illustrissimus antistes, qui et addidit, se de sancti Jacobi prædicatione in Hispaniis nihil a viris eruditis et fide dignis audivisse; sed a piis dumtaxat mulieribus, cum junior esset. Quamobrem in Historia rerum Hispanicarum, quam accuratissime conscripsit, ne leviter quidem meminit itineris a sancto Jacobo in Hispanias suscepti.

quæritur, cur idem scriptor de adventu S. Pauli in Hispaniam siluerit,

494 *At cur Rodericus Toletanus in Historia rerum Hispanicarum, quam tam accurate scripsisse dicitur, de adventu S. Pauli in Hispaniam non meminit? An hunc etiam fortasse a piis dumtaxat mulieribus audivit, et idcirco historiæ suæ inserere noluit? Scio, hanc rationem Alexandro non placituram. Dicat ergo nobis aliam, ob quam accuratus ille Hispanicæ historiæ scriptor eam S. Pauli prædicationem, patriæ suæ tam utilem quam gloriosam, commemorare prætermiserit. Sed quamcumque silentii causam Alexander allegaverit, semper Rodericus silebit. Liceat igitur nobis, silente Roderico, adventum* S. Jacobi *in Hispaniam tueri, sicut adversarius nobiscum defendit Hispanicam S. Pauli prædicationem, etiamsi Rodericus eamdem tacuerit.* F

eique iterum gratis etiam concessa commentarii illius veritate,

495 *Sed Alexander reponet, Hispanicam* S. Jacobi *prædicationem a Roderico Toletano non solum fuisse in Historia omissam, verum etiam in concilio Lateranensis publice negatam. Intelligo, et tantisper exercitii gratia concedo, cum de veritate illius Ms. Toletani necdum disputem, atque erga hunc adversarium liberalis esse decreverim.* At non tantæ auctoritatis est in re historica, ut ipsi contra traditionem, tanta nube testium firmatam, credi debeat: maxime cum multos in errores intra unam aut alteram paginam lapsus sit, et evidenter ostendatur falsitas epochæ ab illo constitutæ. *Hæc inconsiderati adversarii verba sunt, quibus tom. 3, pag. 168 diminuere nititur auctoritatem Severi Sulpitii, quia lib. 2 Historiæ sacræ contra sententiam ejus hæc scripserat:* Sub Aurelio, Antonini filio, persecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.

496 *Si ipsi sic placuit eludere aut potius recusare*

AUCTORE G. C.

proprium argumentum opponitur,

A *cusare testimonium Severi Sulpitii, qui exeunte seculo* IV *floruit, cur mihi non licebit ita rejicere opinionem Roderici Toletani, qui seculo* XIII *adventum* S. Jacobi *in Hispaniam negasse dicitur? Quod addit de erroribus, a Severo Sulpitio contra historiam commissis, etiam in Rodericum Toletanum apte quadrat, ut videri potest apud Franciscum Macedo in Diatriba, ubi cap.* 10, § 2, *et cap.* 13 *plures Roderici errores recenset. Hæc autem errorum accusatio multo magis convenit in anonymum commentarii Lodisiani auctorem, qui a capite ad calcem erroribus et ineptiis scatet, ut Franciscus Macedo, et marchio Mondexarensis fuse demonstrarunt, et nos paragrapho sequenti compendiose ostendemus. Attamen totum hoc argumentum, quod Alexander tantopere jactat, ac ter repetit, sola ignoti illius scriptoris auctoritate nititur. Hæc hactenus adversario gratis concessi et ad hominem disputavi. Nunc autem personato isti Roderico, seu potius anonymo fabulæ istius inventori, larvam detraham, atque evincere conabor, totam illam disceptationem, a Loaisa* B *editam, prudentissimo Roderico Toletano indignam esse, adeoque confictam a quodam male feriato nugatore, qui adulari voluit præsulibus Toletanis, quorum jura defensoribus istis non indigent.*

§ XVI. Narratio ejusdem litis inepta et falsa esse ostenditur.

Anonymus litis narrator

Quibusdam Hispanis hoc videbor actum agere, quia excellentissimus marchio Mondexarensis narrationem, a Loaisa vulgatam, ita discussit et convulsit, ut nihil mihi faciendum reliquerit. Cum tamen ille eruditissimam suam dissertationem Hispanice composuerit, non ingratum fore arbitror lectoribus, linguæ Hispanicæ ignaris, si præcipuas ipsius observationes hic in compendium redegero. Anonymus disputationis narrator errat in ipso sui exordio, ubi sic loquitur : Anno Domini ducentesimo supra millesimum, quinta decima die mensis Novembris, celebrata est sancta et universalis synodus Romæ in ecclesia sancti Salvatoris, præsidente domino Innocentia Papa III, pontificatus ejus anno decimo octa- C vo.

male signat annum et diem quo habita est synodus Lateranensis,

498 *Perperam hic annus Domini et dies mensis exprimuntur : constat enim, synodum illam Romæ habitam fuisse* MCCXV *die* XI *Novembris, ut Raynaldus tomo* 13 *Annalium ad annum Christi* 1215 *num.* 2 *ex antiquis scriptoribus demonstrat. Porro idem memoratæ narrationis auctor, postea sui immemor, sibi ipsi contradicit, dum in fine ponit hanc clausulam :* Acta sunt hæc apud Lateranum, octavo Idus Octobris anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo quinto, pontificatus domini Innocentii Papæ III anno decimo octavo. *Hic recte quidem annum Incarnationis Dominicæ, sed male diem mensis expressit. Hanc caudam cum capite componat, qui volet. Saltem hinc apparet, quam vera sit vulgaris parœmia :* Mendacem memorem esse oportet.

et citra ullam verisimilitudinis speciem asserit,

499 *Paulo post initium (in Loaisiana conciliorum collectione pag.* 288) *imperitus ille nugator Rodericum in scenam inducit, eumque in concilio Anglice, Theutonice, aliisque linguis concionantem exhibet :* Quia, *inquit*, ex diversis mundi provinciis tam clerici, quam laici convenerant, ut omnibus satisfaceret, rationes et testimonia, Latino sermone prolata, laicis et maternis linguis, singulis exponebat; Romanis videlicet, Theutonicis, Francis, Anglis, Navarris et Hispanis. *Quis credat, Rodericum hæc omnia idiomata ita calluisse, ut statim in iis publicam orationem posset instituere? Quod si ea sciverit, nonne indecorum erat, in tali consessu publicum sermonem habere eo idiomate, quod nec Pontifex nec plerique concilii Patres intelligebant?*

Rodericum in ea variis linguis cum omnium applausu concionatum fuisse,

500 *Si Rodericus tot peregrinis linguis perorasset, potius præsentium præsulum et legatorum indignationem incurrisset, quam eorum plausum obtinuisset, ut idem nugator fingit his verbis :* Hujusmodi autem prædicationis expositio valde placuit, utpote quæ admirationem omnibus propter concionatoris acumen et ingenii subtilitatem attulit, cum ab Apostolorum tempore auditum non sit, aut scriptum reperitur, quemquam ad populum eamdem concionem habuisse, tot ac tam diversis linguis cuncta exponendo. *Ne diutius hisce nugis immorer, quomodo ibi verbum Dei prædicavit Rodericus, cum in coævo Chronico Fossæ novæ apud Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ col.* 488 *legamus, initio concilii ab ipso Innocentio Papa concionem habitam fuisse? Labbeus noster tomo* XI *conciliorum parte* I *a col.* 131 *edidit duos sermones, quos iste Pontifex in ea synodo pronuntiavit. Certe opportunior hic locus fuisset Roderico ad proferenda primatus sui testimonia, quæ ad peregrinam plebem nullo modo spectabant, quæque Pontifici ac congregatis concilii Patribus Latine exposuisse sufficiebat.* E

ac in eadem munus legati in Hispaniis per decennium obtinuisse,

501 *Idem impostor huic figmento alteram fabulam subnectit hoc modo :* In eodem autem concilio obtinuit, *(nempe Rodericus Toletanus)* ut per decennium legati munere in Hispaniam fungeretur. *At manifeste falsum est, quod hic tam confidenter pronuntiatur : nam anno* 1217 *non videtur fuisse legatus ullus Apostolicus in Hispania, cum Honorius III negotia ecclesiastica diversis Hispaniæ episcopis commiserit, ut videre est apud Raynaldum tomo* 13 *Annalium ad annum Christi* 1217 *num.* 84 *et* 85. *Post hunc annum legati munere in Hispania functus est Cardinalis Sabellus, de quo Oldoinus noster in Historia Romanorum Pontificum et S. R. E. Cardinalium tomo* 2, *col* 57 *ita scribit :* Centius Sabellus Romanus, Honorii III affinis, ab eodem renuntiatus episcopus Cardinalis Portuensis et S. Rufinæ, legationis munere functus est in Hispania, ut de eo memoriæ proditur in registro Honorii. Sub eodem Pontifice decessit Romæ anno Dominicæ Incarnationis MCCXIX, cum ex Hispania post functam legationem revertisset. *Idem affirmat Ughellus tomo* I *Italiæ sacræ col.* 150. F

quod ex ipsa Roderici Historia.

502 *Omitto alios, qui a marchione Mondexarensi adducuntur : ipse enim Rodericus satis anonymum hunc auctorem falsitatis convincit, dum in Historia rerum Hispanicarum lib.* 9, *cap.* 12 *de apostolico Hispaniæ legato ita meminit :* Eo tempore *(nempe inter annum* 1224 *et* 1226*)* erat in Hispaniis legatus Romanæ ecclesiæ Joannes de Abbatis villa, quæ est in comitatu Pontini *, Sabinensis episcopus Cardinalis, vir bonus, sapiens, litteratus, qui celebratis in singulis regnis conciliis, postquam monita salutis proposuit, ad sedem Apostolicam est reversus,

* lege Pontivi

AUCTORE G. C.

reversus, tribus annis legationis expletis. *Quomodo igitur Rodericus ab anno 1215 per decem annos legati munus in Hispania administravit?*

et Honorii III epistola, quæ forte nobis objici posset,

503 *Nemo mihi objiciat epistolam Honorii III Pontificis, qui apud Raynaldum tomo* 13 *Annalium anno Christi* 1218 *num.* 69 *et* 70 *Hispanos ad sacrum bellum excitat, et Roderico Toletano officium legati decernit his verbis :* Ecce tempus opportunum, ut credimus, ad insurgendum contra eos, quibus estis circumdati, Agarenos . . . . Et licet dignum ac necessarium videretur, ut propter hoc ad vos destinare legatum de nostro latere deberemus : quia tamen dubium nobis erat, utrum in movenda illis guerra regum consilia concordarent, nos tamen pensantes prudentiam venerabilis fratris nostri archiepiscopi Toletani, odorem nominis cujus etsi fama dudum ad nos præconio tanto pertulerit, ut profusa in ejus laudibus videretur, nunc ta-
B
men illam avaram in eisdem comperimus exstitisse, cum scientiæ, circumspectionis, modestiæ, honestatis, ac omnis industriæ longe plus, quam illa retulerit, invenerimus in eodem; ei onus hujusmodi diximus imponendum legationis officium, eidem ad id per vestras provincias concedendo, ut cum ad guerram illis movendam ipsorum regum consilia concordaverint, ipse, quasi alter Josue, vos præcedat, *etc.* Dat. Lat. III Kal. Febr. pont. nostri anno secundo.

falsum esse ostenditur.

504 *Nemo, inquam, mihi objiciat hanc epistolam : nam ex ipsa satis patet, eam legationem fuisse extraordinariam, ac Rodericum deputatum esse ad ea curanda, quæ alterius legati apostolici officium non impedirent. Præterea ex eadem epistola liquet, quod Honorius III primum anno* 1218 *Roderico illud munus concesserit, ac proinde quod Rodericus istud sub Innbcentio III in synodo Lateranensi non acceperit, ut anonymus comminiscitur. Forte importunus adulator ille alicubi legerat vel audiverat, Rodericum munere legati apostolici aliquando functum fuisse, atque hinc imperite confinxit, illam dignitatem præsuli Toletano publice in concilio Lateranensi collatam esse, ut ex hoc honorifico œcumenicæ*
C
synodi judicio aliqua gloria in ecclesiam Toletanam redundaret, aut inde ejusdem ecclesiæ primatus confirmaretur. At quemcumque in finem anonymus auctor hoc asseruerit, saltem ab ipso illud legationis munus non satis apte suo tempore collocatum fuisse, patet, ex hac ipsa Honorii III epistola, ex qua etiam colligo, Rodericum Toletanum non interfuisse concilio Lateranensi, ut paragrapho sequenti probabo.

Præter incredibilia privilegia,

505 *Fabulator huic legationis muneri adjungit incredibilia quædam privilegia, quæ in eadem synodo Roderico Toletano concessa esse narrat hoc modo :* Sed ultra permissum est illi, ut cum trecentis illegitime natis dispensare posset; ut ex his ad sacros ordines quidam, alii vero, ad beneficia, etiam animarum curam habentia, reliqui ad dignitates et honores ejus voluntate promoverentur, et ut cum aliquibus excommunicatis, sacrilegis, irregularibus, et concubinariis dispensaret. *Grande enimvero privilegium, cujus aliud exemplum mihi exhiberi cupio.*

et fictitium alterius prærogativæ tempus,

506 *Deinde addit alteram prærogativam, quam Roderico in eodem concilio Lateranensi datam fuisse sic fingit :* Et etiam consecutus est, ut quamprimum civitas Hispalensis redderetur cultui Christiano, sine strepitu judicii, jure primatus ecclesiæ D
Toletanæ subesset. *Equidem admitto, istud jus Roderico datum aliquando fuisse, sed id ipsi in synodo Lateranensi obtigisse pernego. Satis istud eruitur ex ipsa epistola Honorii III Papæ, qui apud Labbeum tomo* xi *conciliorum parte* i, *col.* 245 *Roderico archiepiscopo Toletano hanc potestatem primum anno* 1218 *concedit his verbis :* Hinc est, quod attendentes nobilitatem ecclesiæ Toletanæ, intuitu spiritualis devotionis, quam ad Apostolicam sedem habere dignoscitur, volentes facere gratiam specialem in Hispalensi metropoli, ac ejus provincia : eidem ecclesiæ præsentis scripti privilegio jus concedimus primatiæ statuentes, ut cum præfata metropolis ad Christianorum manus, Deo favente, redierit, tu frater archiepiscope, ac successores tui, ea quæ spectant ad primatis officium, exerceatis libere in eadem. *Qua fide ergo dicitur Rodericus in concilio Lateranensi obtinuisse hoc privilegium, quod ipsi tantummodo post tres annos ab Honorio datum est?* E

idem fabulator affingit Roderico contumeliosa,

507 *Sequitur apud Loaisam pag.* 289 *altercatio Roderici Toletani cum archiepiscopo Braccarensi, in qua tot occurrunt parachronismi, falsitates, ineptiæ, aliaque absurda, ut ea non solum refutare, sed etiam referre pigeat. Verbo uno illic Rodericus, si anonymo credimus, insulse disserit, præcipua sui primatus testimonia omittit, seriem Romanorum Pontificum et imperatorum imperitissime perturbat, et impotenter archiepiscopo Braccarensi exprobrat, quod inter decessores suos Burdinum seu Mauritium schismaticum habuerit; quasi is regerere non potuisset, Elipandum hæreticum olim archiepiscopum Toletanum fuisse. Profecto hæc non conveniunt scientiæ, circumspectioni, modestiæ, aliisque Roderici Toletani dotibus, quas supra num.* 503 *Honorius III Pontifex tantopere extollit.*

puerilia,

508 Præterea *(verba sunt Francisci Macedo cap.* 13 *Diatribæ)* quam puerile illud de pictura Pontificis et Burdini, ad quam necesse erat intendere digitum, et cardinalibus monstrare cum risu quodam Sardonico, eosque ad contemptum Braccarensis gravissimi præsulis incitare. *Denique hic Rodericus aliter historiam Burdini narrat, quam illam lib.* 6 *rerum Hispanicarum cap.* 28 *litteris mandaverit, ut utramque conferenti manifestum fiet. Mihi non lubet immorari iis, quæ ab Hispanis apud marchionem Mondexarensem cap.* 12, *et ab aliis, linguæ Hispanicæ ignaris, apud Franciscum Macedo in Diatriba cap.* 19 *et sequentibus Latine refutata legi possunt.* F

tantoque præsule indigna ratiocinia,

509 *Nunc progredior ad refellendam concertationem Roderici Toletani cum archiepiscopo Compostellano, quam paragrapho præcedenti totam exhibui, et de quæ sæpe laudatus Franciscus Macedo cap.* 13 *ita judicat :* Illud item frivolum est, velle officere traditioni antiquissimæ et receptissimæ restringendo eam ad certas quasdam moniales et viduas, cum omnes ferme illam ecclesiæ per totam Hispaniam in suis breviariis et Missarum solemniis personarent..... Tandem quid ineptius, quam inducere argumentum a consanguinitate Jacobi cum Domino Christo, perinde [quasi] hoc ad causam facere posset, et illud imponere Compostellano præsuli, qui ne de ea quidem re cogitaret? Quid absurdius, quam conari de dignitate certamen inter Deiparam virginem et Jacobum apostolum instituere, et eo digredi, quod in mentem Compostellani

A stellani episcopi non venerat, et historiam de descensu Virginis ad sanctum Ildefonsum in Toletano templo commemorare? Quasi auderet ille reliquias sancti Jacobi mortui cum beatissimæ Virginis glorioso corpore comparare: quod ne somniare quidem, vel impos sui, quispiam potuisset. *Hisce futilitatibus accedunt crassi errores, quorum unum alterumve jam breviter detegam.*

et in deprimenda ecclesiæ Compostellanæ antiquitate

510 *Rodericus Toletanus contra archiepiscopum Compostellanum ita argumentatus fuisse dicitur:* Si antiquitatem Compostellanæ ecclesiæ pro te facere existimas, antiquitas ista centum et novem annorum spatio continetur. *Si Rodericus hoc intelligat de ecclesia Compostellana, ex quo primum ab Alfonso Casto condita, vel ab Alfonso III postmodum magnificentius instaurata fuit, pluribus seculis a vera illius antiquitate aberrat, ut patet ex iis, quæ parte* 1 *Commentarii* § 5, *num.* 49 *et* § 10, *num.* 121 *dixi. Sed videtur dumtaxat velle designare tempus, ex quo ecclesia illa ad archiepiscopalem dignitatem evecta est, cum assertionem suam statim probet* B *hoc modo:* Dominus Calixtus Papa ad instantiam principis, cleri et populorum Hispaniæ metropoliticum jus antiquæ et celeberrimæ civitatis Emeritensis Compostellam transtulit anno Domini MCCXXIV. *At hoc sensu etiam hallucinatur: nam ab anno* 1124, *quo juxta pseudo-Rodericum ecclesia Gompostellana metropolicum jus obtinuit, usque ad annum* 1215, *quo concilium Lateranense celebratum est, non* centum et novem, *sed tantum* 91 *anni effluxerant. Ego autem existimo, Rodericum arithmeticæ peritiorem fuisse, quam ut in computu tam facili et exiguo tot annis aberraret.*

atque magnitudine

511 *Si quis hoc sphalma arithmeticum excusare velit, eo quod scriptoris vel amanuensis oscitantia facile error aliquis in numeros irrepat, non ero severus similium mendorum castigator. Attamen non tam facile ignoscam alterum errorem, quem pseudo-Rodericus ad deprimendam ecclesiam Compostellanam in eodem orationis contextu ita obtrudit:* Usque ad hæc tempora *(nempe Callixti II Pontificis, de quo paulo antea egerat)* oratorium quoddam admodum parvum erat locus ille, in quo nunc sita est Compostellana ecclesia.

crassos errores commisit.

C 512 *Istud omnino falsum est, ac ipsi Roderico contrarium; quandoquidem de Alfonso Magno, qui* æra octingentesima septuagesima quinta, *id est anno Christi* 837 *regnare cœpit, lib.* 4 *rerum Hispanicarum cap.* 15 *scribit sequentia:* Ecclesiam S. Jacobi, quæ erat terrea, quadris lapidibus et columnis marmoreis reparavit. *Deinde cap.* 18 *ejusdem libri celeberrimam istius ecclesiæ dedicationem, ad quam plurimi totius Hispaniæ præsules convenerant, ita refert:* Rex, visis epistolis, gaudio est gavisus, et constituit diem, in qua convenirent nobiles et magnates et pontifices, qui ecclesiam beati Jacobi dedicarent. *Plura de hac Compostellanæ ecclesiæ consecratione habet Sampirus Asturicensis apud Sandovallium a pag.* 75, *ubi inter alia dicit, quod Alfonsus construxerit* eam valde pulcherrimam. *Quomodo ergo usque ad annum* 1124, oratorium quoddam admodum parvum erat locus ille, in quo nunc sita est Compostellana ecclesia?

quos ab adversariis nostris observatos non fuisse, mirum est.

513 *Franciscus Macedo cap.* 19 *Diatribæ alia hujusmodi pseudo-Roderici ratiocinia exhibet, et ab ipsa veri Roderici historia discrepare ostendit. Porro reliquas anonymi istius fabulatoris narratiunculas, partim falsas, partim insulsas, a jam sæpe laudatis auctoribus explosas vide, quia me talium nugarum jam diu tædet. Interim satis mirari nequeo, quomodo imperitus ille commentarii Toletani auctor, quisquis hic demum fuerit, apud doctissimos viros tam facile fidem obtinere potuerit. Quid dicam? Nova delectant, ut habet proverbium, et nonnumquam homines vigilantissimos fallunt. Sic putabant multi eruditi Hispani, initio elapsi seculi ab impostoribus quibusdam decepti, sese genuina Flavii Lucii Dextri, Luitprandi, aliorumque veterum auctorum opera invenisse, et pro hoc novo thesauro, tamquam pro aris et focis, acriter decertabant. Sed perspicax quorumdam industria fraudem detexit, et tempus paulatim docuit, ea a recentioribus sub falso antiquorum nomine conficta esse, ita ut jam litteratus orbis et oculatiores Hispani illos pleudo-scriptores passim contemnant, eosque nuper Lusitani ex academia sua prudenter eliminaverint. Nunc ad evertendam penitus hujus Loaisiani commentarii fidem ostendere conabor, Rodericum archiepiscopum Toletanum concilio Lateranensi non interfuisse.* E

§ XVII. Ex variis instrumentis probatur, Rodericum Toletanum non interfuisse concilio Lateranensi.

Tempore Innocentii III Papæ controversia de primatu

Innocentius III Papa anno pontificatus sui tertio decimo *id est Christi* 1210 *ad Rodericum archiepiscopum Toletanum dedit litteras, quibus in editione Baluziana tomo* 2, *pag.* 408 *ipsi primatum Hispaniæ ita confirmat:* Hac igitur ratione prudenter inducti, jura nobilis et famosæ Toletanæ ecclesiæ, apostolicæ Sedis propriæ ac specialis filiæ, conservare volentes, tuis, venerabilis frater Roderice, quem vera in Christo caritate diligimus, rationabilibus postulationibus paternæ pietatis affectu duximus annuendum: ideoque per præsentem privilegii paginam ad exemplar felicis recordationis Urbani, Gelasii, Calixti, Honorii, Eugenii, Adriani, Alexandri I, Alexandri II, Alexandri III, Urbani et Cælestini prædecessorum nostrorum, primatus dignitatem per Hispaniarum regna tibi et ecclesiæ F Toletanæ, auctoritate apostolica confirmamus, teque primatem præsules Hispaniarum respicient, et ad te referent, si quid inter eos dignum exortum fuerit quæstione. *Archiepiscopus Braccarensis huic Pontificis decreto non paruit. Quare Rodericus misit quemdam clericum ad eumdem Innocentium, ut decreti sui exsecutionem urgeret. Verum Pontifex anno* 1211 *respondit, sese ob periculum, quod a Saracenis Hispaniæ imminebat, id modo facere non posse, sed opportuniori tempore eam litem esse dirimendam, ut legitur in responsoria Innocentii epistola apud Baluzium tomo* 2, *pag.* 530. *Hinc patet, eam controversiam inter Rodericum Toletanum et archiepiscopum Braccarensem ante concilium Lateranense cœptam esse.*

inter archiepiscopum Toletanum et Braccarensem

515 *Cum autem Rodericus anno* 1212 *post relatam insignem de Saracenis victoriam iterum instaret, ut decretum Pontificis exsecutioni mandaretur, præsul Braccarensis, allegatis repugnantiæ suæ rationibus, litem protraxit usque ad tempora Honorii III Pontificis, qui apud Labbeum tomo* XI, *parte* 1, *col.* 244 *ei et capitulo Braccarensi*

AUCTORE G. C.

carensi ita scribit : Coram felicis memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro, litem inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Toletanum et te, frater archiepiscope, super primatia solemniter contestata, vobis fuit peremptorius terminus assignatus, quo cum rationibus et defensionibus vestris procuratores idoneos ad Sedem apostolicam mitteretis. *Cum autem procuratores causæ ad Romanam curiam postea venissent, ac debitis instrumentis carerent, iterum dilationem postularunt, quam Honorius* usque ad octavas Pentecostes proxime futuras *ipsis indulsit. Sed dicit, elapso peremptorio hoc termino, sese ad litis decisionem processurum. Ex his constat, falsum esse, quod post memoratum anonymi commentarium asserit Loaisa his verbis :* Quæ omnia peregit publice Rudericus Ximenius Romæ in sui primatus causa, quam obtinuit : nam summus Pontifex primatus honorem eidem coram omnibus detulit, sicut ante in diplomate concesserat. *Eumdem Loaisæ errorem Gabriel Cossartius noster in notis ad concilium Lateranense* B *tomo et parte proxime citatis pag.* 236, *Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana tomo* 2, *pag.* 35, *aliique eruditi viri ante me observarunt.*

(de lite tunc mota inter Toletanum et Compostellanum nulli antiqui meminerunt)

516 *Antequam ad id acccedam, quod hoc paragrapho probandum suscepi, tria notari cupio. Primo hactenus non inveni ullum scriptorem, Loaisiana præfati commentarii editione antiquiorem, qui præsentiam Roderici archiepiscopi Toletani in concilio Lateranensi affirmet. Secundo neque Innocentius, neque Honorius, quorum epistolas ad Hispaniam spectantes Cardinalis Aguirrius tomo* 3 *conciliorum a pag.* 403 *edidit, ullibi meminerunt de primatu inter Rodericum Toletanum et archiepiscopum Compostellanum controverso, ita ut totam hanc altercationem in syno- Lateranensi anonymus fabulator tantum ecerebro suo produxisse videatur. Non tamen inficior, postea inter Rodicum et archiediscopum Fompostellanum de primatu litem Romæ fuisse institutam : siquidem Joannes de Ferreras in Historia Hispaniæ, nuper Hispanice edita, ad æram* 1273 *seu annum Christi* 1335 *ex antiquioribus monumentis notat, Rodericum Toletanum propterea eo tempore Romam discessisse, quod idem iter Romanum infra num.* 519 *ex ipsa Roderici Historia* C *satis colligitur, quamvis illic itineris causa non exprimatur. Sed eo tempore Innocentius et Norius dudum obierant. Tertio litteræ horum duorum Pontificum nusquam indicant, Rodericum Toletanum tempore Innocentii III ob controversiam cum Braccarensi archiepiscopo Romam venisse, ut per se suam causam ageret ; imo ex iis potius colligitur, quod causæ suæ procuratores ad Urbem miserit : nam Innocentius anno* 1211 *in editione Baluziana lib.* 14, *epist.* 57 *archiepiscopo Toletano ita respondet :* Quod petitiones, quas obtulisti nobis per M. clericum tuum super negotio primatiæ, nondum admisimus, non ex duritia, sed ex providentia noveris processisse.

Romæ agitata fuit utrimque per procuratores,

517 *Illustrissimus Didacus de Castejon in defensione primatus Toletani inter instrumenta operi præmissa fol.* 24 *refert epistolam, die* XII *Januarii anno* 1215 *datam, qua idem Pontifex archiepiscopo Braccarensi præcipit, ut ante* festum omnium Sanctorum, proxime venturum..... procuratores idoneos ad *suam* præsentiam *destinet,* ut causa ipsa (*videlicet de primatu inter Rodericum Toletanum ac ipsum controverso*) fine possit debito terminari. *Id etiam confirmat Honorius Papa, cujus verba superius num.* 515 *protuli. Idem eruitur ex altera Honorii epistola, apud Labbeum nostrum tomo* XI, *parte* 1, *col.* 244 *relata, in qua ad Rodericum Toletanum de Joanne clerico, Braccarensis archiepiscopi procuratore, ita scribit :* Idem procurator terminum, tibi et præfato archiepiscopo, ejusque capitulo, in causa, quæ superprimatia inter te et eosdem vertitur, a felicis memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro peremptorie assignatum, ... petiit prorogari, pro eo, quod I. Guterii canonicus Toletanus, quem procuratorem ad eorum præsentiam, quibus commissa fuit receptio testium, destinasti, judicatus fuit insufficiens ab eisdem. *Videtur itaque ea causa tempore Innocentii III, qui anno* 1216, *die* XVI *Julii obiit, utrimque per procuratores acta esse.* D

etsi Rodericus Toletanus ibidem postea causam suam egerit.

518 *Attamen propterea non nego, Rodericum alias Romam ivisse : nam coram Honorio III ipse comparuit, ut jus primatus sui contra præsulem Braccarensem tueretur : postea autem tempore Gregorii IX Pontificis iterum Romæ fuit,* E *ut causam suam contra archiepiscopum Compostellanum ageret, aut forte alia quædam negotia perficeret. Affirmare non ausim, quod idem præsul Toletanus anno* 1211 *ad Innocentium III profectus fuerit, etiamsi id præter alios Mariana noster lib.* 11 *hist Hisp. cap.* 23 *asserat his verbis :* Rodericus præsul Toletanus Romam amandatus est, [pro] venia peccatorum impetranda omnibus, qui more per ea tempora usitato, cruce insigni distincti ad bellum sacrum convenirent. *Non temere de hoc Roderici itinere dubitari posset, cum alii auctores scribant, Giraldum sive Gerardum, qui electus erat Segoviensium episcopus, Romam missum fuisse, ut Christianis, contra Mauros bellaturis, indulgentias ab Innocentio III impetraret. Nec Giraldi electi Segoviensis legatio eruitur ex ipsis litteris Innocentii Papæ, qui lib.* 14, *epist.* 154 *in editione Baluziana tom.* 2, *pag.* 582 *Alfonso, Castellæ regi respondet, sese* omnibus, qui Hispanos in sacro bello adjuverint, *remissionem peccatorum concedere,* juxta petitionem tuam, *inquit,* et instantiam dilecti filii Se- F gobiensis electi, nuntii tui, qui circa promotionem ejusdem negotii exstitit solicitus et attentus. *Rodericus autem Toletanus eo tempore cum quibusdam Hispaniæ præsulibus videtur in Galliam discessisse, ut regni illius incolas ad bellum contra Mahometanos in Hispania gerendum excitaret. Sed parum refert, ubicumque Rodericus tunc fuerit, si concilio Lateranensi, quod anno* 1215 *die* XI *Novembris inchoatum est, non interfuerit, sicut non interfuisse, jam ostendam.*

colligimus ex silentio Lucæ Tudensis

519 *Imprimis liceat mihi etiam uti argumento negativo, quo adversarii toties Hispanos oppugnant. Lucas Tudensis, Roderico Toletano coævus, tomo* 4 *Hisp. Illust. pag.* 113 *narrat, magnam præsulum multitudinem ad concilium Lateranense convenisse, et silet de præsentia archiepiscopi Toletani, de quo tamen eadem pagina paulo antea meminit his verbis :* Eo tempore reverendissimus pater Rodericus archiepiscopus Toletanus ecclesiam Toletanam mirabili opere fabricavit.

et ipsius Roderici Toletani,

520 *Quin imo Rodericus in suis scriptis nullam de hoc itinere Romano mentionem facit, cum tamen alibi res a se gestas aut omissas soleat commemorare*

A *memorare. Sic lib.* 9, *cap.* 12 *agens de bello S. Ferdinandi contra Mauros dicit:* In hac expeditione non interfuit Rodericus pontifex Toletanus, qui Guadalphaiare * remanserat, febris acumine fatigatus. *Sic eodem libro cap.* 17 *rationem reddit, cur ecclesiam Cordubensem, anno Christi* 1236 *Mauris ereptam, non consecraverit:* Et quia venerabilis Joannes, *inquit*, de quo diximus, Roderici Toletani primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud Sedem apostolicam morabatur, eliminata spurcitia Machometi, et aqua lustrationis perfusa [mezquitam] in ecclesiam commutavit. *Qui ita de se loquitur, cur taceret, se celeberrimo concilio Lateranensi interfuisse? Fateor tamen, hoc argumento negativo rem non plane confici. Quare ad alia pergo.*

* al. Guadalfaianæ *id est* Guadalajaræ

variisque negotiis Hispanicis

521 *Post mortem Alfonsi VIII regis Castellæ, et Eleonoræ ejus conjugis, qui ambo anno* 1214 *obierunt, Rodericus archiepiscopus Toletanus, qui cum aliis tribus regii testamenti exsecutor constitutus fuerat, junioris regis Henrici tutelam suscepit, ut probatur ex quibusdam antiquis instrumentis, quæ marchio Mondexarensis aliique historici Hispani passim citant. Didacus de Colmenares in Historia Segoviensi cap.* 20, § 1 *refert integrum Henrici regis diploma, in gratiam ecclesiæ Segoviensis datum* æra MCCLII *id est anno Christi* 1214, decimo octavo die Decembris, *cui subscribit* Rodericus Toletanæ sedis archiepiscopus *cum multis aliis die* XVIII *Januarii anno* 1215, *quando habita sunt comitia in civitate Burgensi, ut* § 2 *tradit idem Colmenares, et confirmat marchio Mondexarensis, qui postremi hujus diplomatis ecgraphum, ex archivo desumptum, penes se conservari testatur.* B

quibus hic posterior adfuit.

522 *Cum interim Berengaria loco fratris minorennis regnum Castellæ administraret, potens Laræ familia variis artibus regni procurationem ambiebat, et alieno nomine regnare cupiebat, tantumque effecit, ut Berengaria ad conservandam regni tranquillitatem Alvaro Larensi fratrem suum committere coacta fuerit, postulatis prius quibusdam conditionibus, quas ipse Rodericus lib.* 9, *cap.* I *ita exponit:* Quod cum solers regina Berengaria percepisset, animo gratanti concessit; sed timens insolentias, quæ venerunt, fecit jurare comitem Alvarum et magnates, ut sine ipsius reginæ consilio nec aliquibus terram auferrent, nec aliquibus terram C darent, nec vicinis regibus guerram moverent, nec mulctam, quæ Hispaniæ pecta * dicitur, imponerent in aliqua regni parte: et juramento et hominio * in manu Roderici Toletani pontificis firmaverunt, et si contrarium facerent, proditionis infamia tenerentur. *Hæc autem contigisse videntur mense Martio anni* 1215, *ut infertur ex quodam instrumento, de quo meminit Alfonsus Munez apud Mondexarensem citatus.*

* *forte* Hispaniæ pecho
* *al* homagio

et quorum chronologiam Mariana noster

523 *Mariana noster in hac historia enarranda ordinem temporum et rerum gestarum perturbat: nam lib.* 12, *cap.* 4 *asserit, machinationes Larensium fratrum ex sententia successisse, eo quod Rodericus Toletanus ad concilium Lateranense profectus esset. Deinde capite sequenti juramentum ab Alvaro Larensi præstitum, de quo supra, usque ad Roderici reditum differt. Mihi non placet ea chronotaxis: cum enim synodus Lateranensis tantum sub fine Novembris anno* 1215 *finita fuerit, non potuit Rodericus Toletanus ante initium anni* 1216 *in Hispaniam rediisse. Interim tomo* 2 *Hispaniæ Illustratæ pag.* 161 *lego instrumentum, quo idem Alvarus post injustas ecclesiarum vexationes et prioris juramenti violationem meliora spondet; isti autem instrumento ita subscribitur:* Facta charta apud Soriam ip. exp. XV die Februarii æra MCCLIV *id est anno Christi* 1216.

non satis accurate collocavit,

524 *Itaque juxta Marianæ opinionem si Rodericus ineunte Januario anni* 1216 *Roma in Hispaniam redierit, inter primum comitis Alvari juramentum, coram Roderico præstitum, et posteriorem emendationis promissionem vix potuit sesqui-mensis intercedere. At ipse Rodericus lib.* 9, *cap.* 1 *narrat, post primum fidelitatis juramentum contigisse sequentia:* Qui *(nempe Alvarus)* cum Gundisalvo Roderici et fratribus suis, tunc sibi faventibus, in continenti Burgis egrediens cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, et vulgi divites exhaurire, religiones et ecclesias ancillare, et decimarum tertias, quæ ad ecclesiarum fabricas pertinebant, cœpit similiter infiscare. Sed excommunicatus a Roderico Toletano decano, qui vices archiepiscopi tunc gerebat, coactus fuit restituere, et jurare, ne de cetero attentaret. *Quis credat, tam multa, tamque diversa tantillo temporis* E *spatio peracta fuisse? Adde, quod Burgensis magnatum conventus anno* 1215 *habitus fuerit, ut ex supra dictis eruitur.*

Rodericum præsulem Toletanum anno 1215 ex Hispania non discessisse.

525 *Neque refert, quod Rodericus decanus Toletanus*, qui vices archiepiscopi tunc gerebat, *contra comitem Alvarum sententiam excommunicationis tulerit: ex eo enim non sequitur absentia Roderici archiepiscopi Toletani, cum verosimillime hic præsul, variis arduisque ecclesiæ et regni occupationibus obrutus, ad gubernandam vastam suam diœcesim semper vicarium habuerit, cui plura negotia committerentur, uti etiamnum hodie in multis ecclesiis fieri videmus. Nec id temere dicitur: nam Chronicon generale, a marchione Mondexarensi citatum, satis ostendit, illam anathematis sententiam jussu archiepiscopi latam esse, et parte* 4, *cap.* 10 *habet hæc verba, quæ ex veteri idiomate Hispanico ita fideliter Latina facio:* Et quando hoc vidit archiepiscopus dominus Rodericus Toletanus, regnum interdicto subjecit, ita ut eum *(scilicet Alvarum Larensem)* omnia ablata reddere coegerit, qui juravit, sese exinde nihil amplius ablaturum. *Si Rodericus tunc non fuisset* F *in Hispania, certe causam absentiæ suæ indicasset, sicut supra num.* 519 *rationem reddit, cur Joannes ecclesiam Cordubensem consecraverit. Adde, quod Rodericus die* XX *Aprilis anno* 1215 *cum rege fuerit Abulæ, ubi privilegio, quod in istius urbis gratiam datum est, ita subscripsit:* Rodericus Toletanæ sedis archiepiscopus. *Id apud Marchionem Mondexarensem comes de Mora tomo* 9, *sol.* 306 *testatur.*

Ex duobus diplomatibus,

526 *Præterea Rodericus anno* 1215 *die* XXVII *Septembris in oppido Arevalensi, quod in Castella veteri circa limites Legionis situm est, subscripsit donationi, quam rex Henricus Ordini sancti Joannis Hierosolymitani fecit, et quam Marchio Mondexarensis ex Ms. Joannis Lucæ Cortesii refert his verbis:* Æra MCCLIII *(hæc respondet anno Christi* 1215*)* Arevalæ vigesima septima die Septembris Henricus rex Castellæ donat in perpetuum fratribus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, et commendatori, qui tenuerit castrum de Consogra triginta caficios *(est mensuræ Hispanicæ species, de qua meminit Jacobus I rex Aragonum in Mss. constitutionibus Catalauniæ apud Cangium in Glossario)* salis de mensura

AUCTORE G. C.

mensura Toletana annuatim ad opus castelli de Consogra. Confirmant Rodericus archiepiscopus Toletanus, Tellius Palentinus episcopus *etc. Joannes de Ferreras, supremus regiæ bibliothecæ Matritensis custos, in Dissertatione Latina de adventu* S. Jacobi *in Hispaniam num.* 43 *affirmat, istud privilegium jam inter suos codices Mss. conservari.*

quorum uni die 27 Septembris anno 1215,

527 *Si Rodericus die* XXVII *Septembris anno* 1215 *Arevalæ in Castella fuerit, quomodo eodem anno Romæ esse potuit* VIII *Octobris, quo die anonymus Loaisiani commentarii auctor eam Roderici concertationem in concilio Lateranensi habitam fuisse fabulatur? Sed demus, anonymum errasse, et initium synodi Lateranensis die* XI *Novembris figendum esse. Hoc posito, si Rodericus terrestri itinere ex oppido Arevalensi Romam profectus fuerit, debuit spatio quadraginta quatuor dierum ultra trecentas quinquaginta leucas conficere, quod parum est verosimile.*

alteri circa initium anni 1216 Rodericus in Hispania subscripsit

528 *Forte quispiam dicet, eum potuisse brevi tempore per mare ex Hispania in Italiam trajicere. At quis sibi facile persuadeat, Rodericum in eo casu tamdiu distulisse iter Romanum,* B *in quo præter grande terræ intervallum, quod Arevala usque ad aliquem maris mediterranei portum prius peragrare oportebat, tota adventus certitudo a venti inconstantia pendebat? Accedit, quod Rodericus simili temporis spatio ex Italia in Hispaniam redire debuerit, cum ante initium Decembris Roma discedere non potuerit, et die* XV *Januarii sequentis anni alteri privilegio Matriti subscripserit, ut laudatus Joannes de Ferreras in Historia Hispaniæ ad annum Christi* 1215 *parte* 6, *pag.* 60 *affirmat.*

et ex Honorii III epistola infertur,

529 *Denique ex epistola Honorii III, quam anno* 1215 *ad episcopos Abulensem et Burgensem dedit, et cujus fragmentem paragrapho præcedenti num.* 503 *exhibui, probabilissime eruitur, Rodericum concilio Lateranensi non interfuisse: in ea etenim inter alia sic scribit:* Nos tamen pensantes prudentiam venerabilis fratris nostri archiepiscopi Toletani, odorem nominis cujus etsi fama dudum ad nos præconio tanto pertulerit, ut profusa in ejus laudibus videretur; NUNC tamen illam avaram in eisdem comperimus exstitisse, cum scientiæ, circumspectionis, modestiæ, honestatis, ac omnis industriæ longe plus, quam illa retulerit, invenerimus in eodem. *Ex hoc loquendi modo duplicem de-* C *duco sequelam. Prima est, Rodericum Toletanum coram Honorio Pontifice comparuisse, eique ex conversatione notum fuisse; quæ proprior notitia etiam confirmatur ex alia ejusdem Pontificis epistola, ad Rodericum Toletanum scripta, quæ apud Labbeum tomo* XI, *part.* 1, *col,* 244 *ita incipit:* Te, ac Joanne Bracarensi clerico procuratore venerabilis fratris nostri Bracarensis archiepiscopi in nostra præsentia constitutis *etc.*

eum concilio Lateranensi circa finem anni 1214 non interfuisse,

530 *Altera consequentia est, Rodericum Toletanum Honorio III ante pontificatum dumtaxat ex fama notum fuisse, adeoque illum in concilio Lateranensi cum memoratis archiepiscopis de primatu publice non concertasse: si enim ibi ita disputasset, et tot tamque diversis linguis coram Pontifice Innocentio et Cardinalibus ad omnium stuporem perorasset, ut fingit anonymus; quomodo eum non audisset Honorius, qui tunc sub nomine Centii cardinalitia dignitate fulgebat, ut apud Raynaldum tom.* 13 *Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi* 1216 *num.* 16 *ex antiquis scriptoribus refertur. Quomodo hic S.R.E.* D *Cardinalis toto concilii tempore præsulem Toletanum adeo celebrem non vidisset? Quomodo demum post mortem Innocentii III ad Pontificatum evectus scribere potuisset, sibi Rodericum Toletanum antea non nisi ex fama cognitum fuisse, at se* nunc *in eo plures, quam fama tulerat, virtutum dotes invenisse. Ex his itaque probabilissime concludo, Rodericum archiepiscopum Toletanum concilio Lateranensi non interfuisse, quamvis id aliqui recentiores scripserint, qui sine antiquis ducibus hunc ineptum et anonymum Toletani primatus defensorem incaute secuti sunt.*

cujus tamen præsentiam in ea synodo adversarii tamquam certam supponunt.

531 *Post omnia huc usque disputata speramus, æquos totius controversiæ arbitros non difficulter consensuros, ut saltem Natalis Alexander deinceps nobis occinere desinat hoc suum epinicium:* Habemus firmiorem propheticum sermonem, habemus luculentiora veterum Pontificum Romanorum, scilicet Innocentii I, Hormisdæ, et Gregorii VII testimonia, nec non Roderici Toletani archiepiscopi gravissimam in concilio œ- E cumenico disceptationem, quam concilium et Pontifex probando suam fecerunt. *Hoc triumphale adversarii epiphonema sufficienter, ut opinor, antea discussimus: nam duodecimo hujus partis paragrapho probavimus, propheticum sermonem seu textum sacræ Scripturæ sine ulla Hispanicæ traditionis læsione variis modis commode exponi posse. Deinde* § 13 *et* 14 *diversis explicationibus ostensum est, nulla Pontificum Romanorum testimonia Hispanicæ* S. Jacobi *prædicationi repugnare. Tribus demum sequentibus paragraphis demonstravimus, publicam Roderici Toletani disceptationem in concilio Lateranensi, quam adversarius* gravissam *appellat, tanto præsule esse indignam atque a tenebrione quodam confictam,* quam *proinde* concilium et Pontifex *numquam audierunt, multo minus* probando suam fecerunt, *ut Natalis Alexander nimis confidenter jactat.*

§ XVIII. Novum argumentum contra prædicationem S. Jacobi in Hispania objicitur, ac dissolvitur. F

Litteræ Cæsarii abbatis

N*unc restat ultima difficultas, eaque in speciem non minima, quæ mihi aliud quærenti fortuito occurrit, et quam miror a nemine hactenus Hispanis objectam fuisse. Dum pervolverem opus posthumum illustrissimi Petri de Marca, cui titulus est* Marca Hispanica sive limes Hispanicus, *a Stephano Baluzio auctum et editum, lib.* 4, *col.* 403 *et* 404 *reperi sequentia:* Exstat in archivo ecclesiæ Ausonensis epistola Cæsarii abbatis sanctæ Cæciliæ in Monteferrato ad Papam Joannem, in qua narrat, se ordinatum fuisse archiepiscopum provinciæ Tarraconensis in synodo Compostellana; sed postea, cum in provinciam profectus esset, susceptum non fuisse ab episcopis, immo gravem contradictionem passum a Petro Barcinonensi, Arnulfo Gerundensi, Hattone Ausonensi, Wisado Urgellitano, et Emerico metropolitano sedis Narbonensis.

533 Et quoniam Cæsarius, ut sibi reverentiam

ex quibus prædicatio S. Jacobi in Hispania impugnari potest,

A tiam et ordinationi suæ auctoritatem conciliaret, ajebat; se ordinatum fuisse ante corpus beati Jacobi apostoli, qui ecclesias Hispanicas fundaverat, responderunt illi, nullum hinc præsidium causæ suæ peti ab eo posse, cum certum esset, hunc Sanctum non fuisse apostolum Hispaniarum: QUIA ILLE APOSTOLUS INTERFECTUS HIC VENIT, inquiunt, NULLO MODO AUTEM VIVUS. Ejus erat probare, quod ab aliis negabatur. Non fecit tamen; sed conversus ad distributionem provinciarum factam ab Apostolis, ait, Jacobum SPANIAM ET OCCIDENTALIA LOCA prædicasse. Deinde Papam orat, ut sibi præsto sit adversus contumaces. *Qua fide Baluzius hanc narrationem ex litteris Cæsarii eruerit, postea discutietur. Interim quisque satis vidit, quid adversarii contra* S. Jacobi *prædicationem in Hispania ex his verbis possint elicere. Si Natalis Alexander hæc invenisset, haud dubie confidentius cecinisset triumphum ante victoriam: siquidem tantopere extollit auctoritatem* B *solius Roderici Toletani, quem seculo* XIII *prædicationi* S. Jacobi *in Hispania contradixisse existimabat.*

ipse editor Baluzius falsas aut interpolatas esse censet.

534 *Mihi non parum de fictione suspectæ redduntur hæ Cæsarii litteræ, cum in iis ordinatus dicatur* die III Kalend. Decembris æra DCCCCXXXVIII, *id est anno Christi* 900, *quo forte nondum natus erat, ut ex personarum aliarumque rerum adjunctis manifestum est. Quare vehementer miror, quod Labbeus, eminentissimus Aguirrius, et novissime Harduinus in suis conciliorum collectionibus hanc synodum Compostellanam, de qua in aliis antiquis monumentis nulla fit mentio, ad eumdem annum* 900 *retulerint. Vidit hunc anachronismum ipse Baluzius, ideoque statim post proxime memoratum litterarum compendium sic notat:* Difficile videtur constituere tempus, quo ista acta sunt: nam in epistola Cæsarii, quam oportet aut falsam esse aut interpolatam, ordinatio ejus peracta dicitur æra DCCCCXXXVIII *(ea designat annum Christi nongentesimum, ut jam monui)* III Kal. Decembris; quod manifeste falsum est: nondum enim erat archiepiscopi nomine insignitus anno DCCCCLXXI exeunte *(imo serius, cum Benedictus VI primum anno* 972 *die* XX *Decembris ad Petri cathedram evectus fuerit)* quo Benedictus VI Papa privilegium ei C tum abbati tantum sanctæ Cæciliæ concessit. *Observa, epistolam Cæsarii hic a Baluzio dici falsam aut interpolatam.*

Antonius Pagius contendit,

535 *Antonius Pagius in Critica historico-chronologica ad Annales Baronii tom.* 3, *pag.* 776 *et* 777 *de hac æra fuse disputat, contenditque, epistolam Cæsarii non esse rejiciendam, quamvis in ea numerus annorum depravatus fuerit. Unde loco proxime citato ad annum Christi* 900, *num.* 10 *ita scribit:* Harum litterarum a Cæsario scriptarum exemplar ab imperito librario facile in numeris depravari potuit; cum Hispani diu cifras, a decessoribus suis usurpatas, ignorarint, eæque nostra tantum ætate e tenebris erutæ fuerint: obliti, inquam, erant, hanc cifram Xv denotare XL, et T pro mille ab illis adhibitam, qui ideo multarum litterarum subscriptiones, in quibus eæ reperiebantur, depravarunt. In autographo litterarum Cæsarii scriptum fuit: æra T VIIII, id est æra M VIIII, et librarius interpretatus est æra DCCCCXXXVIII.

AUCTORE G. C. solum numeros in ea epistola corruptos esse,

536 *Pagius tam confidenter pronuntiat, a Cæsario positam fuisse notam* T VIIII, *acsi autographam ipsius epistolam vidisset, quod tamen non facile mihi persuadebit. Facilius errari potuisse crederem, si de unius alteriusve numeri additione, omissione, aut transpositione ageretur. Quod si tantum numerorum mutationem velis librario adscribere, poteris etiam suspicari, periodum de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania ab amanuensi malevolo et Hispanis infensa hisce litteris insertam esse. Igitur hæc Pagii conjectura tam facile negatur, quam asseritur. Nihilominus ibidem num.* II *sic concludit:* In litteris itaque Cæsarii ad Joannem XIII annus tantum æræ Hispanicæ corruptus, eæque certo concilium Compostellanum anno CMLXXI indictum fuisse demonstrant.

quo etiam gratis concesso,

537 *At gratis Pagio demus, æram fuisse corruptam ac substituendam esse* M VIIII, *quæ anno Christi* 971 *respondet. Hoc etiam concesso, non leves supersunt scrupuli, quos mihi eximi cupio. Imprimis ipse Pagius ad annum* 900 *num.* 8 *ita loquitur:* Eo Christi anno *(nempe* 971, *de quo ibidem agit)* Borcellus Barcinonensis comes ad E limina apostolorum Petri et Pauli profectus est cum Hattone episcopo Ausonensi et Gerberto monacho Auriliacensi, obtinuitque a Joanne Papa, hujus videlicet nominis XIII, ut Tarraconensis provinciæ metropoliticum jus transferretur ad Ausonensem, et utraque ecclesia uniretur. *Addit autem, sese hoc didicisse ex Francisco Diago, seu Didaco Dominicano, qui in Hispanica comitum Barcinonensium historia lib.* 2, *cap.* 19 *profert Latine integram Joannis Pontificis bullam,* in mense Januario, indictione quarta decima *de hac re datam, et capite sequenti contra Antonium Augustinum ostendit, eam anno* 971 *scriptam fuisse, ita ut Pagius manibus pedibusque in ejus descendat sententiam.*

argumentamur ad hominem,

538 *Jam vero ex his sic argumentor ad hominem: Si initio anni* 971, *quando urbs Tarraconensis sub Saracenorum jugo gemebat, jus metropoliticum ad episcopatum Ausonensem transierit, et utraque ecclesia sub Hattone præsule Ausonensi unita fuerit, quomodo Cæsarius circa ejusdem anni* 971 *finem (videlicet* III Kalend. Decembris, *ut in epistola Cæsarii notatur) in concilio Compostellano consecratus fuit archiepiscopus Tarraconensis? Quomodo accepit ecclesiam jam alteri a Pontifice unitam? Nonne Hatto Ausonensis de injuria conquestus fuisset, dixissetque, sibi a concilio* F *Compostellano eripi non posse dignitatem, quam a Pontifice Romano acceperat? Nihil horum tamen in epistola Cæsarii memoratur, ut postmodum videbimus.*

et ex diplomate Benedicti VI Papæ

539 *Neque hinc evades dicendo, solum archiepiscopi Tarraconensis titulum Cæsario concessum fuisse, cum Tarraco a Saracenis occuparetur: nam Cæsarius in litteris suis satis ostendit, se non nondum archiepiscopi Tarraconensis nomen sibi velle, sed jus metropoliticum in sedecim civitates, ecclesiæ Tarraconensi subjectas, quas enumerat. Præterea quæro, cur Benedictus VI in diplomate, quod in appendice Marcæ Hispanicæ col.* 895 *ex archivo Montis-serrati refertur, postea ad Cæsarium scribat hoc modo:* Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Cæsario abbati venerabilis cœnobii sanctæ Cæciliæ Montis ferrati et cunctæ tuæ congregationi, successoribusque tuis perpetuam in Domino salutem. *Cur hic Pontifex Cæsarium Tarraconensis archiepiscopi nomine non compellat, quod jam ab anno* 971 *habuerat? Nonne ii præsules, quos nunc communiter episcopos*

AUCTORE G. C.

pos in partibus vocamus, titulo suæ ecclesiæ a Pontificibus Romanis appellantur? An in curia Romana nesciebatur, quis archiepiscopi Tarraconensis titulum eo tempore gereret? An denique, Romano Pontifice invito, consecratus fuerat Cæsarius? At quomodo tunc ausus fuisset ad Pontificem Romanum recurrere, ut jus suum confirmaretur?

alias difficultates ipsi proponimus.

540 *Pagius quidem num.* 12 *respondet, hunc archiepiscopalis dignitatis titulum a Pontifice dissimulari, ne, eo commemorato, reliqui Catalauniæ præsules conturbarentur. Sed istud effugium sine ullo fundamento excogitatum est: ut enim alia omittam, nonne magis conturbati fuissent Catalauniæ episcopi, si vidissent hominem sibi arrogare titulum, quem Papa ipsi dare non audebat? Nonne altius conquesti fuissent, Cæsarium sibi vindicare dignitatem, qua Joannes XIII episcopum Ausonensem antea ornaverat, et quam nullus Pontifex Romanus Cæsario concesserat?*

Sicut autem Pagius censet diploma Benedicti Papæ supposititium,

541 *Non ignoro, hoc Benedicti Papæ diploma a Pagio fictionis argui, dum ad eumdem annum num.* 12 *ita disserit:* Verum eæ litteræ de falsitate suspectæ videntur, eoque tantum fine confictæ, ut B monasterii Ripollensis abbates magis ac magis in possessione monasterii sanctæ Cæciliæ confirmarentur: nam præter subscriptionis falsitatem, rescripti stylus ab eo dissonat, quo temporum illorum Pontifices Romani utebantur: Pontifices quippe Romani neque successoribus potestatem res, prout sibi melius visum fuerit, statuendi auferre possunt, neque eosdem excommunicant. *Deinde ostendit, hæc absona in eo diplomate contineri. Tandem idem diploma suspectum reddit hoc argumento negativo:* Denique anno MXXIII, quo Berengarius comes Barcinonensis, partibus auditis, abbatiam sanctæ Cæciliæ monasterio Rivipullensi adjudicavit, ut videre est in ejusdem Berengarii litteris mox memoratis, monasterii sanctæ Cæciliæ monachi nulla privilegia exhibuere adversus Rivipullenses; sed in sola possessione, in quam per vim immissi fuerant, totum suum jus fundarunt. Quod si paucos ante annos Benedictus VI vel VII aliquid in favorem monasterii sanctæ Cæciliæ statuisset, hac in causa tacitum non fuisset. *Fateor, propter illas aliasque Pagii rationes fidem hujus diplomatis merito in* C *dubium revocari posse. At si eo tempore, quo hæ litteræ sub nomine Pontificis confictæ sunt, fuisset memoria de archiepiscopatu Cæsarii, cur diplomatis fictor tacuisset istum titulum, qui ad gloriam monasterii sanctæ Cæciliæ etiam pertinebat?*

ita nos has Cæsarii litteras ob puerilem stylum.

542 *Quomodocumque solvantur aut explicentur difficultates, quas circa archiepiscopatum Tarraconensem hactenus proposui, saltem de litteris Cæsarii idem suspicor, quod Pagius de diplomate Benedicti Papæ judicandum existimat: siquidem præter manifestum errorem chronologicum et insolitum scribendi modum, plures ineptiæ in iis sese offerunt. Ne autem id temere dixisse videar, specimen accipe ex ipsa epistola, quam Baluzius lib. 7 Miscellaneorum a pag. 57 integram edidit, et quæ ibidem sic incipit:* Sydereo fulgore veluti clari poli luminaria virtutum meritis radianti, florenti ut olori opinione alma, candenti ut lilium, pudicitiæ cingulo rubenti ut rosa, prolixa execratione ecclesiasticæ ut apparet gaudium jejuniorum vigiliarumque, ac obedientiæ colla submittentium, fraganti respersione, odorifera unitate, dissociabili pacis, amoris, ac benignitatis et suavitatis vinculis connexum, quorum oratio in alto æthereoque throno penetrat sicut incensum..... nitore et hu- D militatis volatio resplendet color, et laus ac minus vel prope resonare cernitur, domno meo Johanni, ego Cæsarius indignus, gratia Dei archiepiscopus provinciæ Tarraconæ, quæ est fundata in Spania. *Puerile enimvero et archiepiscopo indignum exordium, quod Oedipo interprete indigeat!*

falsum anni numerum,

543 *Deinde causam suam exponere aggreditur hoc modo:* O domine mi pater, sanctissime Apostolice, audite me pater, quomodo ego pergi ad domum sancti Jacobi apostolicæ sedis, qui est tumulatus in suam apostolicam sedem Galiciæ. Et ego indignus supradictus fui ad domum sancti Jacobi, et petivi benedictionem de provincia Tarragona vel suis munificentiis, hoc est Barquinona, Egara, Jerunda, Ympurias, Ausona, Urgello, Hilerta, Hycto, Tortuosa, Cæsar-augusta, Oscha, Pamplona, Aucha, Calaorra, Tirasona. Et fiunt XVI civitates sub metropolitana Tarraconensi. *Tum longo ordine recenset nomina episcoporum, a quibus in synodo Compostellana archiepiscopus Tarraconensis electus fuerit* die III Kalend. Decembris æra DCCCCXXXVIII, *quæ respondet anno Christi nongentesimo. Baluzius et Pagius fatentur, hanc æram falsam esse, ut supra pluribus dictum est.* E

et inepta ejusdem abbatis responsa

544 *Post hæc Cæsarius controversiam inter se et aliquot episcopos ortam ita narrat:* Isti episcopi superius exarati unxerunt me et benedixerunt de ipsa provincia Tarraconensi vel cum suis munificentiis, civitates exaratas. Et ego Cæsarius archipræsul reversus ad provinciam meam nominatam, contradixerunt me episcopi his nominibus: Petrus Barchinonensis episcopus, Arnulphus quondam qui fuit sedis Gerundensis episcopus, Atto sedis Ausonensis episcopus, Wisaldus Urgelitanensis sedis episcopus, et Emericus metropolitanus sedis Narbonensis episcopus. Isti jam supra scripti et nominati, quia istum apostolatum, quod est nominatum Spania et Occidentalia, dixerunt, non erat apostolatum sancti Jacobi; quia ille Apostolus interfectus hic venit, nullo modo autem vivus. Et ego responsum dedi illis secundum canonicam auctoritatem de Nicæno concilio, ubi fuerunt trescentum F decem et octo episcopi, et secundum canonem Toletanum, ubi subscripserunt episcopi LXVI episcoporum Spaniæ et Gotthiæ provinciarum edita anno III., regnante domino Sisenando, die Nonas Decembris æra DCLXXI. O domine, sciatis vos, quia Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus, qui interpretatur filius Zebedæi, frater Johannis apostoli et evangelistæ, Spaniam et Occidentalia loca prædicavit, et sub Herode gladio cæsus occubuit.

fictitias esse suspicamur.

545 *Tunc, enumeratis aliorum Apostolorum provinciis, ita imperite contra adversarios suos concludit:* O pater sancte, ego dico, qui hoc contradicit, quod verum non esset, contradictor est Domini et legi. *Ubinam, obsecro, Dominus revelavit, aut in qua lege scriptum est, quo loco singuli Apostoli prædicaverint? Qua igitur fronte Cæsarius illos episcopos, tamquam Domino et legi contrarios, ex hoc capite apud Romanum Pontificem accusare ausus fuisset? Sane prudentius dixisset, illam adversariorum opinionem communi traditioni aut historiæ repugnare. Juverit ad suspicionis meæ confirmationem audire epilogum ejusdem epistolæ, quam non minus inepte ac barbare sic*

absolvit

A *solvit :* Precor vos, pater, per Deum Patrem omnipotentem, ut vestrum consilium et vestras gramatas mihi transmittere faciatis per istum sacerdotem nominativum nomine Galindo. Est quandocumque ego citius potuero, cum reverentia magna, honore, pergere facio ad limitem sancti Petri apostoli. Et ego cupio vestros pedes osculare et vultum vestrum hilarem videre. Rogamus, ut talem nobis donetis ex vestris consiliis, quomodo ego possim explicari super illos. Tantum agite ut rogamus, et nostris precibus vestras dignate accommodare aures, domine et venerabilis Papa. Amen. Fiat. *Viden', ex quam obscuro et suspecto instrumento prædicatio* S. Jacobi *in Hispania oppugnatur?*

Hanc Cæsarii epistolam auctoritate Alfonsi III regis

546 *Satis mirari nequeo, eruditissimum Baluzium tantam auctoritatem tribuisse huic epistolæ, ut in notis ad eam lib.* 7 *Miscellaneorum pag.* 61 *ita scripserit :* Ceterum valde notandum est, quod Cæsarius ait in hac epistola, episcopos, qui ei contradicebant, dixisse, Jacobum apostolum interfectum B Compostellam venisse, nullo modo autem vivum : cui illorum sententiæ consonant litteræ Adefonsi regis Hispaniæ datæ anno DCCCCVI. *Has Adefonsi seu Alfonsi litteras, quas Baluzius in chartulario Turonensi se vidisse testatur, parte* I *hujus Commentarii* § 5 *exhibui. Sed non video, quomodo eæ patrocinentur opinioni illorum episcoporum, qui* S. Jacobum *vivum in Hispaniam venisse negabant. Alfonsus potius innuit, sese tali sententiæ adversari, dum initio epistolæ præsulem Compostellanum vocat* egregium pontificem apostolicæ Jacobi sedis. *Quomodo ecclesiam Compostellanam titulo* apostolicæ sedis *decorasset, nisi eam a* Jacobo *apostolo institutam aut saltem fidei lumine illustratam putasset? Quippe non solent ecclesiæ vocari apostolicæ, eo quod in iis corpora Apostolorum quiescant. Sic ecclesia Constantinopolitana vel Amalphitana non appellatur apostolica, etsi ad eas corpus S. Andreæ apostoli translatum fuerit, de quibus translationibus Martyrologium Romanum ad diem* IX *Maii meminit.*

perperam confirmat Baluzius,

547 *Imo etiamsi ultro concederem, Alfonsum de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania, ne implicite quidem, ullum verbum fecisse, contendo, ad ipsi* C *in ea epistola faciendum non fuisse; quod sic probo. Petierant Turonenses, cujus Apostoli tumulus in Hispania haberetur. Alfonsus respondet, ibi certissime quiescere corpus* S. Jacobi, *filii Zebedæi, quod Hierosolymis in Hispaniam translatum fuerat ; et non facit expressam mentionem de ejus prædicatione, tum quia de ea non quærebatur, tum quia instans tabellariorum discessus pluribus eam explicari non permittebat.* Quod si ad singula modo voluerimus ea vobis enarrare, *inquit Alfonsus in suis litteris,* in longius vertetur stilus, quo modum excedemus epistolæ justæ, imo festinationem gerulorum, qui noluerunt remorari. *Deinde spondet, se omnia liquidius enucleatiusque perscripturum, quando clerici Turonenses in Hispaniam venerint. Quomodo igitur sententiæ illorum episcoporum consonat Alfonsi epistola, quæ dumtaxat respondet ad ea, quæ petebantur, et explicite non memorat prædicationem* S. Jacobi, *de qua non agebatur? Est et aliud, in quo majorem a Baluzio fidem requiro, ut jam ostendam.*

et non satis fideliter aut accurate refert,

548 *Imprimis in tota Cæsarii epistola nusquam invenio, episcopos ipsi adversantes dixisse, quod* certum esset, *sanctum apostolum* Jacobum *in Hispania Euangelium non prædicasse. Negant quidem, sanctum illum Apostolum in Hispaniam vivum venisse, sed non asserunt, id certum esse. Interim Baluzius, initio hujus paragraphi citatus, in Marca Hispanica col.* 404 *nobis tale præsulum istorum responsum exhibet :* Responderunt illi, nullum hinc præsidium causæ suæ peti ab eo posse, CUM CERTUM ESSET, hunc Sanctum non fuisse apostolum Hispaniarum. *Hæc itaque affirmatio certitudinis parum sincere a Baluzio compendiosæ memoratarum litterarum expositioni inserta est. Si quis id neget, provoco ad textum epistolæ Cæsarianæ, quam ipse Baluzius lib.* 7 *Miscellaneorum a pag.* 57 *postea cum notis quibusdam edidit. Præterea ex jam relatis ejusdem epistolæ fragmentis satis colligitur, quid hi præsules Cæsario objecerint, et quid ipse illis reponderit. Attamen Baluzius supra num.* 532 *contractam a se litis hujus synopsin ita concludit :* Ejus erat *(nempe Cæsarii)* probare, quod ab aliis negabatur. Non fecit tamen; sed conversus ad distributionem provinciarum factam ab Apostolis, ait, Jacobum SPANIAM ET OCCIDENTALIA LOCA prædicasse. *Nunc ea Baluzii clausula paucis discutienda est.*

AUCTORE G. C.

E

quomodo quibusdam episcopis,

549 *Dum Cæsarius respondet, sanctum illum Apostolum per* Spaniam et Occidentalia loca prædicasse, *verosimiliter juxta communem istius temporis traditionem, aut vulgo notum antiqui scriptoris textum locutus est. Videtur sane hunc loquendi modum mutuatus esse ab Isidoro aut veteribus Martyrologis, qui simili phrasi utuntur, et quorum verba superius parte* I § I, *et parte* 2 § 6 *et sequentibus retulimus. Imo Cæsarius putabat, sententiam suam de prædicatione* S. Jacobi *in Hispania tam manifestam ac certam esse, ut episcopos illi opinioni adversantes apud Romanum Pontificem serio accusaret, acsi Domino et legi contradicerent, uti supra vidimus.*

Hispanicam S. Jacobi prædicationem negantibus,

550 *Certe apud illustrissimum Petrum de Marca tanta est S. Isidori in hac re auctoritas, ut in epistola ad Henricum Valesium de primis Galliæ prædicatoribus existimet, hac sola Hispanos causam suam contra adversarios tueri posse : in ea enim immediate post fragmentum, quod parte* 2 *hujus Commentarii* § 7 *num.* 383 *protuli, apud nos tomo* V *Junii pag.* 546 *sic scribit :* Disceptatur F quidem apud eruditos de Jacobi in Hispaniam adventu ex eo præcipue capite, quod Apostoli nondum a Judæa, sortibus sibi apud gentes prædicandi distributis, recessissent; sed quemadmodum auctoritate Isidori, qui sua ex prioribus haurire potuit, se tueri possunt Hispani adversus OPINIONIS CONFICTÆ NOVITATEM, quæ illis opponi solet, ita nobis de Philippo differere licet. *Quid dicturus fuisset vir illustrissimus, si sancti Hieronymi aliorumque veterum testimonia, quæ supra adduxi, adventui* S. Jacobi *in Hispaniam patrocinari vidisset? Sed ad Cæsarium revertamur, qui objectionem istorum præsulum jam refutaverat solidiori responso, quod Baluzius in memorata clausula subticuit.*

Cæsarius responderit.

551 *Cum prædicatio* S. Jacobi *in Hispania ab istis episcopis negaretur, Cæsarius pro ea citabat concilium Toletanum, quod* æra DCLXXI *id est anno Christi* 633 *celebratum fuisse asserebat An non probabat id, quod negabatur, qui tam venerandum antiquitatis monumentum contra eos allegabat? Tanti ponderis erat eo probatio, ut hactenus*

AUCTORE G. C.

hactenus idem argumentum pro adventu S. Jacobi *proferant eruditissimi Hispani, inter quos eminentissimus Aguirrius tomo* I *conciliorum Hispaniæ dissert.* 9, *num.* 44 *de eo ita loquitur* : Accedit urgentissima confirmatio prædicationis S. Jacobi in Hispania, simulque sententiæ sancti Isidori, in celebri concilio Toletano IV, cui ipse præfuit anno Christi DCXXXIII. *Videri illic fusius potest, quomodo doctissimus Cardinalis adventum* S. Jacobi *in Hispaniam ex isto concilio confirmet. Mihi hic sufficit Baluzium de non satis sincera hujus litis ratione convicisse.*

Etsi ea lis nobis de fictione suspecta sit,

552 *Porro si quis opponat, Cæsarium pro prædicatione* S. Jacobi *in Hispania, quæ sola ab episcopis illis in eadem epistola negatur, primo loco inepte allegasse concilium Nicænum, quod de hac quæstione nullum facit verbum, non refragabor, etsi illam responsionem alia ratione explicari posse non ignorem : non refragabor, inquam, quia inde eomfirmabitur suspicio mea, quod scriptum istud ab imperito quodam impostore, confi-* B *ctum sit, neque diutius contendam cum Baluzio de textu epistolæ, quam ipsemet lib.* 4 *Marcæ Hispanicæ col.* 404 falsam esse aut interpolatam *fassus est, licet eamdem lib.* 7 *Miscellaneorum pag.* 60 *et* 61 *tueri velle videatur.*

gratis tamen supposita illius veritate,

553 *Quinimo etiamsi quispiam omnibus meis dubiis, hoc paragrapho circa illam epistolam propositis, plane satisfaceret, ac vera esse demonstraret, quæcumque inter Cæsarium ac memoratos episcopos contigisse narrantur, tamen a sententia nostra recedendum non esset, cum ex iis tantummodo sequeretur, illam opinionem post medium seculi* X *ab aliquibus in dubium revocatam fuisse. Cæsarius nempe illam traditionem allegabat, tamquam antiquam et communiter receptam. Negabant eam adversantes episcopi, quia causæ suæ noxiam putabant : scimus enim in hujusmo-* D *di controversiis ab utraque parte litigante dissimulari multa, negari alia, donec manifeste probentur. En igitur litem, quam ab aliis judicibus dirimi oportet.*

ad eam dirimendam idoneos judices eligimus,

554 *Quare appello ad SS. Hieronymum, Isidorum, Julianum, Beatum, aliosque antiquos et integros hujus litis arbitros, qui contra hos episcopos sententiam pronuntiant, et prædicationem* S. Jacobi *in Hispania affirmant. Ego itaque, cui in hac re nec seritur nec metitur, malim stare judicio horum vivorum, sanctitate et doctrina illustrium, quam negationi quorumdam episcoporum, qai causam suam agebant. Præterea hic suo modo locum habet illa Tertulliani regula, quam superius num.* 334 *alia occasione sic retuli :* Ex ipso ordine manifestatur, in esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. *Testimonia autem Martyrologorum aliorumque sanctorum scriptorum, quæ pro adventu* S. Jacobi *in Hispaniam* E *supra adduxi, longo temporis intervallo contrariam istorum præsulum opinionem præcedunt, ut ipsi traditionis Hispanicæ oppugnatores fateri coguntur.*

et huic quæstioni finem imponimus

555 *Atque hæc hactenus disputata sunt in gratiam veritatis, quam in toto hoc Commentario præ oculis habui, paratus corrigere, sicubi ab ea aberraverim : sancte enim profiteor, me ita ad hanc disputationem illustrandam accessisse ut putaverim, non usque adeo solida esse Hispanorum fundamenta ad prædicationem* S. Jacobi *in Hispania asserendam. Sed postea, variis monumentis diligenter excussis, omnibusque utriusque partis argumentis mature expensis, comperi, immemorabilem Hispanorum traditionem, antiquis testimoniis firmatam, omnibus adversariorum argumentis longe prævalere.*

APPENDIX

De Cæsar-augustana Deiparæ imagine, quam S. Jacobus erexisse traditur.

C F

§ I. Qualis sit ea Aragonum traditio.

Cardinalis Aguirrius distinguit

Etsi proprie ad institutum nostrum non spectet de prodigiosis beatissimæ Virginis imaginibus agere, earumque originem examinare, quandoquidem tamen Cæsar-augustana Deiparæ effigies per totum terrarum orbem celeberrima nonnullam habet cum gestis S. Jacobi *connexionem,* placet ex superabundanti *(verba sunt eminentissimi Aguirrii in Collectione maxima conciliorum Hispaniæ tom.* I, *dissert.* 9, *excurs.* 7 *num.* 77) prædicationem ipsam S. Jacobi uberius confirmare traditione alia perantiqua adventus Deiparæ in Cæsaraugustanam urbem, et apparitionis ad B. Jacobum inibi prædicantem.

inter alias traditiones ecclesiasticas,

557 *Porro cujus ponderis sit ea traditio, indicat idem eminentissimus Cardinalis, dum loco proxime citato num.* 93 *et* 94 *inter apostolicas et ecclesiasticas traditiones distinguit, et in ipsis ecclesiasticis varios historicæ auctoritatis gradus ita assignat :* Adhuc intra limites traditionum pure ecclesiasticarum, quæ inferioris sunt conditionis, quædam inveniuntur magis fide dignæ, quam aliæ ; et eo majori, quanto antiquioribus testimoniis innituntur. Porro adventus et prædicatio S. Jacobi in Hispania, subindeque discipulorum ipsius, inter omnes traditiones ecclesiasticas nuper indicatas primum habet dignitatis locum : quoniam a duodecim saltem seculis usque modo firmatur testimoniis patrum, Breviario S. Isidori, diplomatibus Romanorum Pontificum, et continuata usque in diem hanc ecclesiarum Hispaniæ persuasione, ut supra vidimus.

et traditionem Cæsar-augustanam,

558 Apparitio vero Deiparæ supra columnam facta Jacobo apud Cæsaraugustam prædicanti, et erectio illius oratorii in honorem ejusdem adhuc viventis, licet non habeat tot certa et adeo antiqua veterum pro se testimonia, ac adventus Jacobi in Hispaniam, adhuc tamen est traditio valde antiqua, Pontificum ac regum privilegiis firmata a multis seculis, et plurimorum gravium scriptorum libris a longo tempore comprobata : quam proinde nemo refutare sine temerito

A meritate aut impietate aliqua possit. *Nunc videamus, quid ea traditio contineat.*

quæ legitur in antiquo codice Ms.

559 *Dum anno* 1722 *per unam alteramque hebdomadam Cæsar-augustæ commorabar, amplissimus D. Franciscus Urquiola, ecclesiæ metropolitanæ decanus, coram aliquibus ejusdem ecclesiæ canonicis ostendit mihi in archivo sanctæ Mariæ de Pilari codicem membraneum, in cujus fine narratur, quomodo ædificatum fuerit sacellum sanctæ Mariæ de Columna. Historia autem illa (quantum ex charactere conjicere potui) circa seculum* XIII *scripta videtur, eique præmittitur sequens præfatiuncula:* Ad laudem et gloriam summæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui est verus Deus, Trinus et unus, et ad promulganda beneficia et præconia Advocatæ humani generis, Filii Altissimi Genitricis, annuntiamus fidelibus universis narratione veridica et fideli, qualiter ab exordio Christianæ religionis camera seu basilica sanctæ Mariæ de Pilari civitatis Cæsaraugustanæ, et ecclesia ejusdem adorsa fuerit fundamentum. Consequenter B notitiæ fidelium tradere disponimus pauca quædam, quæ de mirabilibus multis ad nostram notitiam pervenerunt, operante Virginis Filio, precibus et meritis Genitricis ipsius cappellæ de prælibato Pilari devotis. *Postulatores propriarum Lectionum pro secundo nocturno Officii dedicationis ecclesiæ Metropolitanæ Cæsar-augustanæ in Summario num.* I *etiam exhibent hunc prologum, et in positione num.* 9 *ex eo colligunt, quod illius scriptores loquantur tamquam de historia ab immemorabili tempore a majoribus accepta, cum dicant, se vel tantum* notitiæ fidelium tradere .... pauca quædam, quæ de mirabilibus multis ad *suam* notitiam pervenerunt.

in quo narratur, quomodo S. Jacobus

560 *Deinde sequitur ipsa historia, quam ex præfato codice Ms. judicialiter desumptam, et in Summario num.* I *relatam, hic fideliter transcribo. Sic autem habet:* Post passionem et resurrectionem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ac ipsius in cælum aureo volatu ascensum, remansit piissima Virgo virgini commissa Joanni. Crescente vero discipulorum numero in Judæa, ad Apostolorum prædicationem et signa C fremuerunt quorumdam corda Judæorum perfida, magnamque adversus Christi Ecclesiam persecutionem sævissimam commovendo lapidantes Stephanum, diversosque nihilominus trucidando. Propterea dixerunt ad eos Apostoli: Vobis quidem primum oportebat prædicare verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sicque euntes per mundum universum juxta Christi mandatum prædicaverunt Euangelium omni creaturæ unusquisque in sorte sua. Cum autem egrederentur de Judæa unusquisque accipiebat congerium *, et benedictionem ab ipsa gloriosa Virgine benedicta.

* *id est* licentiam abeundi

post per agratas alias Hispaniæ civitates

561 Interea, revelante Spiritu sancto, beatus Jacobus Major, frater Joannis, filius Zebedæi, mandatum accepit a Christo, quatenus ad partes Hispanas verbum Dei prædicaturus accederet. Ipse vero statim pergens ad Virginem, osculatis manibus, licentiam, et benedictionem piis lacrymis postulabat. Ad quem Virgo: Vade, inquit, fili; imple mandatum Magistri tui: et per ipsum te precor, quatenus in una civitate Hispaniæ, ubi majorem numerum hominum ad fidem converteris, ibi ecclesiam in mei memoriam, prout te monstravero, facias. Progrediens autem beatus Jacobus ex Hierusalem venit ad Hispanias prædicando. Inde pertransiens per Isturias devenit in civitam Oveti, ubi unum ad fidem convertit. Sicque Galliciam intrans Patronum civitatem alloquitur *: inde properans in Castellam, quæ major Hispania nuncupatur, tandem venit in minorem Hispaniam, quæ Aragonia dicitur, in regione illa, quæ Celtiberia nuncupatur, ubi sita est Cæsaraugustana civitas ad Iberi fluvii ripam.

AUCTORE G. C.

* *id est* in ea prædicat

ad urbem Cæsar-augustanam venerit,

562 Ibi igitur beatus Jacobus, multis diebus prædicans, viros octo convertit ad Christum, cum quibus quotidie tractans de regno Dei, exibat ex parte noctis ad ripam fluminis quetis causa, in loco ubi paleæ jactabantur. Ibi namque post soporem orationi vacantes, turbationes hominum et molestias gentilium declinabant. Et ecce post dies aliquot, media nocte lustrante, stabat beatus Jacobus cum fidelibus supradictis contemplatione et orationibus fatigatis. Ceteris igitur sopore deditis, in hora ipsa mediæ noctis audivit beatus Apostolus voces angelorum cantantium Ave Maria gratia plena; quasi suavi invitatorio matutinale E Virginis inchoando Officium: qui statim flectens genua sua vidit Virginem matrem Christi inter duos choros millium Angelorum super pilare, quoddam marmoreum residentem. Concentus igitur cælestis militiæ angelorum matutinale Virginis cum versu Benedicamus Domino compleverunt.

et ibidem in honorem Deiparæ.

563 Quo finito, piissimus vultus beatæ Virginis Mariæ Apostolum sanctum ad se quam dulciter evocavit: Ecce, inquit, Jacobe fili, locus signatus, meoque honori deputatus, in quo in mei memoriam tua industria mea ecclesia construatur: conspice quinimo pilare hoc, in quo sedeo: nam Filius meus, magister tuus, per manus angelorum illud transmisit ex alto, circa cujus situm capellæ altare locabis. In quo præsertim loco precibus ac reverentia mea signa et mirabilia Altissimi virtus operabitur admiranda, illis nimirum, qui in suis necessitatibus meum auxilium implorabunt: eritque pilare illud in loco isto usque in finem mundi, F et Christum colentes numquam ex hac urbe deficient. Tunc Jacobus apostolus hilaratus lætitia multa, innumeras gratias Christo referens, easdem retulit Genitrici. Et, ecce, subito cælestis illa concio angelorum Dominam cælorum suscipiens ad Hierosolymam urbem reduxit, et in suam cellulam collocavit. Hic est enim exercitus ille millium angelorum, quem Deus misit ad Virginem in hora, qua Christum concepit, ut illam servarent et viis omnibus sociarent, et illæsum puerum custodirent.

sacellum construxerit,

564 Beatus autem Jacobus de tanta visione, et consolatione congaudens, continuo cœpit ibi ædificare ecclesiam, juvantibus, quos ad fidem converterat, supradictis. Capit autem præfata basilica octo quasi passus latitudinis, et sexdecim longitudinis, habens pilare prædictum in capite versus Iberum cum altari, in cujus ecclesiæ servitium, unum de prædictis in presbyterum, quasi magis idoneum, beatus Jacobus ordinavit. Consecrans vero prædictam ecclesiam, et ipsos Christicolas in pace dimittens, reversus est in Judæam, verbum Domini prædicando. Intitulavit autem ipsam ecclesiam, Sanctam Mariam de Pilari. Hæc est enim pri-

32 ma

AUCTORE G. C.

ma mundi ecclesia in honore Virginis apostolicis manibus dedicata. Hæc enim angelica camera [in] primordiis Ecclesiæ fabricata. Hæc est aula sacratissima sæpius per Virginem visitata, in qua cum angelicis choris visa est sæpius Dei Genitrix matutinos psallere psalmos; in hac siquidem obtentu Virginis plurimis præstantur beneficia, et operantur insigna multa, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita secula. Amen.

quam traditionem R. P. Salvator Gilaberte ad tria capita reducit,

565 *Atque hæc est communis Aragonum traditio, quam R. P. Franciscus Salvator Gilaberte ex Ordine B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum in dissertatione sua Ms., quam mihi Cæsar-augustæ perhumaniter communicavit, ad tria potissimum capita reducit his verbis:* Itaque tria simul annuntiaverunt nobis patres nostri; primum, Deiparam adhuc viventem apparuisse Jacobo Cæsar-augustæ super columna marmorea missa ex alto; secundum, jussisse ipsi, ut sacellum in sui honorem erigeret; tertium, paruisse illico Apostolum, et Pilarensem basilicam construxisse.

B

quorum secundum eminentissimus Aguirrius admittere recusat.

566 *Doctissimus Cardinalis de Aguirre hanc secundam traditionis partem admittere renuit, et de ea loco supra citato num.* 97 *ita loquitur:* Quod vero aliqui aiunt, Deiparam Jacobo jussisse, ut oratorium in ipsius honorem ædificaret, videtur a non multo tempore introductum, sine fundamento apud antiquos, et a veritate alienum. Quis enim facile credat, Deiparam tam insigniter humilem, ut propterea ad summam eam dignitatem præ omnibus creaturis evecta fuerit, exegisse eum cultum omnibus mortalibus insolitum a Jacobo? Nec satis occurres, si dicas, illam non proprio nutu, sed Dei monitu et inspiratione jussisse, ut is honor sibi ab Apostolo et aliis Christianis intra mortalem vitam impenderetur: quamvis enim id sit possibile absolute, videtur incongruum modestissimæ et humillimæ Virgini. Quare non est putandus id ipsi inspirasse Deus, sed dumtaxat Jacobo, qui absque ulla cenodoxiæ umbra, aut præsumptionis specie, potuit Dei Matrem, novum orbis prodigium, novo eo cultu et mortalibus insolito venerari. *Verum Cæsar-augustani propriarum lectionum postulatores in responsione ad animadversiones R. P. D. fidei promotoris* § 8 *et sequentibus huic eminentissimi viri argumento ita satisfecerunt, ut sacra Rituum congregatio illam Deiparæ jussionem in Officio exprimi permiserit, sicuti postea videbimus. Jam fundamenta, quibus ea traditio innititur, exhibeamus.*

C

§ II. Fundamenta Aragonum pro sua traditione.

Aragones pro sua traditione allegant litteras,

Non hic proferam integra probationum instrumenta, ne nimium excrescat commentarius, sed ex illis ea tantum excerpam, quæ ad memoratam traditionem confirmandam potissimum pertinere Aragones judicant. Si quis autem ea monumenta integra videre velit, inveniet illa in Summario, sacræ Rituum congregationi oblato, aut locis hic per decursum assignandis. Primo allegatur epistola encyclica, qua Petrus Librana, episcopus Cæsar-augustanus, anno 1118 *post vindicatam e Maurorum servitute Cæsar-augustam promulgavit indulgentias a Gelasio II Pontifice concessas omnibus fidelibus, qui manus adjutrices porrexerint auxiliumque præbuerint ad reparationem templi majoris, quod exiguam Deiparæ ædem continebat, quæ juxta historicos Hispanos inter medias gentilium Maurorumque persecutiones semper usque ad hunc diem stetit illæsa.* D

quibus Petrum Librana anno 1118 Christianos excitat

668 *Cardinalis Baronius, post Hieronymum Blancas, in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1118 *annum.* 18 *et* 19 *refert diploma Gelasii Papæ, et Petri episcopi Cæsar-augustani epistolam, in qua leguntur sequentia:* Divina favente clementia, vestrisque precibus et fortium virorum audacia Cæsar-augustanam urbem Christianis manibus subjugari, ac beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ ecclesiam, quæ diu (proh dolor!) subjacuit Sarracenorum ditioni, liberari satis audistis, QUAM BEATO ET ANTIQUO NOMINE SANCTITATIS AC DIGNITATIS POLLERE NOVISTIS.

ad restaurandam Cæsar-augustanam Deiparæ ecclesiam.

569 *Aragones ex his verbis, majori charactere impressis, ita argumentantur:* Postrema verba merito in rem nostram sunt ponderanda: nam esto nihil distincte et in specie de hujusmodi enuntient traditione, mirandum tamen quidquam innuunt, quod cum ea mire consonat, sive antiquitatis, sive sanctitatis ratio habeatur: antiquitatis quidem basilicæ, veluti quæ a tempore ineuntis legis gratiæ initium duxerit; et sanctitatis, quoniam a Deiparæ præsentia et apparitione consecratus et sanctificatus ille fuerit locus. Unde quæ paucis ac prægnantibus verbis QUAM BEATO ET ANTIQUO NOMINE, SANCTITATIS AC DIGNITATIS POLLERE NOVISTIS, generatim et tacite complexus est sua in encyclica epistola Cæsar-augustanus episcopus eos alloquens, quibus aliunde res nota erat, diserte pia nostra et constans servavit et reseravit traditio. E

cujus antiquam celebritatem Baronius agnoscit:

570 *Baronius tomo* 12 *Annalium loco mox citato agnoscit hujus ecclesiæ dignitatem et antiquitatem, dum post utrumque hoc instrumentum exhibitum sic loquitur:* Hactenus venerandæ antiquitatis monimenta, Hieronymi Blancæ industria in lucem prodita in Commentariis rerum Aragonensium de Cæsar-augustano tabulario, quibus indulgentiarum promulgandarum pristinus mos reseratur, pariterque antiquus cultus religiosissimæ ecclesiæ, beatissimæ Virginis de Pilari nuncupatæ, quæ hactenus non solum Hispanorum populorum, sed exterorum etiam visitatione frequentatur, universo Christiano orbi illustri fama notissima. *Hic, inquam, eminentissimus ille scriptor agnoscit quidem vetustam ecclesiæ istius celebritatem, sed prodigiosum illius exordium admittere non potuit, cum tomo* 9 *ad annum Christi* 816 *adventum* S. Jacobi *in Hispaniam negaverit, nisi quis probet, eum sententiam mutasse, de qua re aliquid antea diximus.* F

pro eadem traditione asserunt veterem Missam et collectam,

571 *Alteram ejusdem traditionis documentum est Missa propria, in dedicatione* apostolicæ, imo angelicæ, basilicæ beatæ Mariæ Majoris et de Pilari *antiquitus decantari solita, quam capitulum Cæsar-augustanum a tempore sancti Pii V solummodo prætermisisse creditur, ut juxta istius Pontificis præscriptum sese ad Romanum Missale religiose conformaret. Habeo penes me antiquum istius Missæ exemplar, Gothicis typis excusum, in quo præter alia præfatæ traditionis testimonia*

AUCTORE G. C.

A *testimonia legitur sequens collecta, quæ omnia distincte complectitur his verbis :* Omnipotens æterne Deus, qui sacratissimam Virginem matrem tuam inter choros angelorum super columna marmorea, a te ab alto emissa, venire dum adhuc viveret, dignatus es, ut basilica de Pilari in ejus honorem a protomartyre apostolorum Jacobo suisque sanctissimis discipulis ædificaretur; præsta quæsumus ejus meritis et intercessione fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Qui vivis et regnas *etc.*

(hoc posterior hactenus quotidie canitur)

572 *Hujus collectæ usus, ab immemorabili tempore cœptus, usque ad hanc diem perseverat, quando capitulum ejusdem ecclesiæ quotidie processionaliter ad beatissimæ Virginis sacellum accedit, ubi ea canitur; ut Cæsar-augustæ existens aliquoties vidi. Postulatores in Positione num.* 12 *de hac collecta ita ratiocinantur :* Hoc certe documentum gravissimi ponderis est, cum preces contineat ecclesiasticas, in quibus magna semper adhibita cura, ne quidquam intermisceatur, quod vel speciem erroris præ se ferat, vel ulla ex parte veritatem offendat : ægre enim existimari potest, prælatos ecclesiasticos hujusmodi preces recitari permisisse, quin traditio- B nem ad incudem revocaverint, verissimamque habuerint.

aliaque testimonia,

573 *Conservatur in archivo metropolitanæ ecclesiæ, et in Summario num.* 10 *exhibetur integrum assecurationis (vulgo vocant* Salvaguardiæ) *edictum, quod anno* 1299 *in lingua vernacula istius temporis promulgavit civitas Cæsaraugustana, et quo cavit, ne quis molestia afficeret peregrinantes ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Pilari, ne peregrinorum devotio erga sacrum istum locum intepesceret. Unde patet, tunc venerabilem illam Deiparæ ædem magno populi concursu frequentatam fuisse. In eodem archivo exstat privilegium (in Summario num.* 17 *totum profertur) Joannis II Aragoniæ regis, anno* 1459 *datum, quo plures prærogativas concedit in favorem istius* ecclesiæ, quæ inter ecclesias alias Hispaniæ divinis mysteriis et miraculis refulget, et de illius institutione et ædificatione, testante historia, multa miraculosa referuntur; et principaliter illud mirabile, quod in vita ipsius beatæ ac gloriosæ Virginis, ejusque jussu a beato Jacobo Majori apostolo constructa et ædificata extitit, in cujus capite ipsa beata Virgo pilare C marmoreum, quod sibi e cælo transmissum habuerat, et supra quod eidem beato Apostolo apparuit, firmari et collocari jussit. *Non opus esse arbitror hic plura posterioris ævi testimonia congerere, cum tempore regis Ferdinandi, cognomento Catholici, illa traditio ita fuerit pervulgata, ut in suo diplomate anni* 1504 *existimaverit, eam* ex Catholicis occiduis neminem latere.

ac diploma Callixti III Papæ,

574 *Non possum tamen, quin hic transcribam partem diplomatis, quo Callixtus III summus Pontifex anno* 1456 *concedit indulgentias visitantibus ecclesiam S. Mariæ de Pilari,* in qua, *inquit*, dicta beata Maria Virgo, antequam ad cælos assumeretur, cum Jesu Christo filio suo ac domino nostro, beato Jacobo Majori in columna marmorea apparuit, et ob hoc ipsa ecclesia nomen beatæ Mariæ de Pilari assumpsit, ac inibi quamplurima et infinita miracula divina permissione dietim fiunt; nec non Christi fideles cum magna devotione et veneratione imaginem ejusdem beatæ Mariæ et ejus Filii in quadam cappella ipsius ecclesiæ, quæ de mandato beatæ Mariæ per dictum beatum Jacobum fabricata, et camera angelica Dei Genitricis de Pilari nuncupata et appellata existit, colunt et venerantur, et cum magna devotione visitare non cessant. *Omitto alia posteriorum Pontificum diplomata; quia nemo dubitat, quin ea traditio postremis hisce seculis fuerit receptissima. Ob eamdem rationum prætermitto innumeros variarum nationum scriptores, qui a seculo* xv *illam traditionem litteris mandarunt. Si quis eos nosse desideret, adeat Processum Cæsar-augustanum, sacræ Rituum congregationi oblatum, ubi in Positione a num. num.* 33 *de istis auctoribus fit mentio, et ubi in Summario num.* 21 *texitur illorum catalogus, qui ferme ducentos complectitur.*

in quo sit mentio de miraculis, ibidem patratis,

575 *Quoniam Callixtus III testatur, in sacra illa æde per intercessionem beatissimæ Virginis quotidie innumera patrari miracula (R. D. Josephus Felix de Amada canonicus Cæsar-augustanus in compendio Hispanico, quod anno* 1680 *Cæsar-augustæ impressum est, sexaginta collegit) ego ex omnibus unicum seligam, quod adeo manifestum est, ut heterodoxos, qui cultum Deiparæ* E *impie calumniantur aut impugnant, erroris sui convincere debeat, nisi similes esse velint pervicacibus quibusdam Judæis, qui Christi doctrinam nolebant amplecti, etiamsi viderent Lazarum ab eo ad vitam revocatum.*

quorum occasione refertur unum, quod anno 1640 contigit juveni,

576 *Contigit istud anno* 1640, *et Cæsar-augustæ coram illustrissimo archiepiscopo severum examen subiit. Post duos annos typis Matritensibus Latine editum est a Petro Neurath, medico Trevirensi, qui eo tempore in Hispania commorabatur, et qui post alia huc non spectantia rem gestam sic narrat :* Hisce nostris diebus juveni crus abscissum ibidem restitutum est; erat autem juvenis ille Michael Joannes Pellicer, annorum novemdecim, Calanda ortus (pagus Arragonum est, Ordinis Calatravæ) filius Michaelis Pellicer agricolæ, et Mariæ Blasco, ejusdem pagi incolarum. Hic dum Castelloni de la Plana (pagus regni Valentiani est) avunculo suo Jacobo Blasco serviret, ex curru, in quo triticum vehebatur, excidit, atque crus illi dextrum ab rota confractum est. Cumque et ipse et avunculus ejus pauperes essent, Valentiam ad domum hospitalem delatus est. Ubi cum variis tentatis remediis nihil proficeret, magnum F illud Cæsar-augustæ nosocomium petiit, et se Joanni de Estanga, chirurgo expertissimo et medicinæ publico ibidem professori commisit; qui crus ex toto corruptum videns, ad quatuor digitos infra genu abscidit, ac terræ mandavit.

qui crus abscissum mirabiliter recuperavit.

577 Juvenis cicatrice obducta ædem Sanctæ Mariæ adiit, ibique nunc opem Virginis implorans, nunc stipem a prætereuntibus petens, biennio integro omnibus se notum fecit. Anno MDCXL, ut parentes inviseret, Calandam, patriam suam petivit, unde ad vicina oppida proreptans, sibi parentibusque victum quærebat. Die vigesima nona Martii, anno a Virginis partu, millesimo sexcentesimo quadragesimo, fœnum colligendo fessus, ad focum assistentibus patre, matre, aliisque duobus conterraneis, ligneum crus deposuit, ac cubitum ivit. Undecima noctis hora mater cubiculum intrans, duos in filii lecto pedes mirata est, et militem (eorum enim cohors ibidem tunc morabatur) esse suspicata, ad maritum cucurrit, qui filium agnoscens, excitavit; ille vero in

AUCTORE G. C.

in hæc verba prorupit : Somniabam, me in sacello divæ Virginis de Pilari lampadis oleo crus ungere. Et pater : Gratias Deo redde, Deipara tibi crus restituit : hoc enim juvenis eo usque ignorabat.

Hoc prodigium publicum,

578 Stupendum hoc factum mox illa ipsa nocte divulgatum est, et omnes incolæ oculati testes id arbitrari sunt. Die sequentis juvenis a frequenti populo ad templum ductus est, ibi pes (quem Virgo sanctissima distortum, ut omnes miraculum intuerentur, reliquerat) situm naturalem recepit, agnoveruntque eum vere bipedem, quem pridie altero crure destitutum viderant : cui scriba publicam fidem tunc quidem dedit.

post severam discussionem

579 Juvenis autem Cæsar-augustam adductus est, res in judicium vocata, datus causidicus, examinati testes, causa ventilata, et tandem die vigesima septima Aprilis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi sententia, qua factum illud verum et omnem naturæ vim excedens di- B citur, lata est ab illustrissimo et reverendissimo domino domino Petro Apaolaza archiepiscopo Cæsar-augustano, subscribentibus domino Antonio Xavierre Priore sanctæ Christianæ, domino Joanne Perat vicario generali et officiali canonico S. metropolitanæ ecclesiæ Cæsar-augustanæ, domino Virto de Virto de Vera archidiacono Cæsar-august., domino Joanne Plano a Frago officiali, domino Philippo Bardaxi sacrorum canonum primario interprete, domino Didaco Chueca canonico magistrali Cæsar-augustano, domino Martino Irribarne Can. Lectore Cæsar-august., Fratre Bartholomæo Foyas Provinciali Ordinis S. Francisci, Fratre Antonio Ortin Abbad Provinciali Ordinis Minorum S. Francisci de Paula, domino Dominico Cebrian cathedratico primario theologiæ Cæsar-august.

juridice probatum,

580 Promulgata est sententia a juris utriusque doctoribus, dominico Philippo Bardaxi, domino Ægidio Fuster, et Michaele Cipres causidico, et notario publico. Signata ab Antonio Alberti Zaporta notario apostolico, et scriba principali curiæ ecclesiasticæ Cæsar-augustanæ. In Annales vero retulit dominus Thomas Tamayo de Vargas Hispaniarum ac Indiarum historiographus regius, in eis, quæ addidit Enchiridio temporis, Rever. Pat. Frat. Alfonsi Veneri C Ordinis S. Dominici, Compluti nuper lingua vernacula editis.

objicitur hæreticis,

581 Videant hæretici, si hoc tam facile explodent, ut illud S. Joannis Damasceni, et reliqua, quæ a majoribus accepimus, quæque apud Indos hodie fiunt. Hoc enim, et nostro seculo, et coram multis oculatis contigit, Cæsar-augustæ in civitate frequentissima, et Aragonum regia, spectantibus Hispanis et Gallis. Testes examinati, causa per integrum annum agitata, et sententia ab archiepiscopo juridice lata est. Quod si rei tam notæ contradicere ausint; quis illos non impudentes, et Judæis magis incredulos incusabit?

et altero testimonio confirmatur.

582 *Huic accedit testimonium nostri Hieronymi Brizii, qui in censura, opusculo isti præfixa, sic loquitur :* Ex mandato R. D. Gabrielis de Aldama vicarii generali Matriti legi libellum de stupendo miraculo, nostro seculo inaudito, divæ Virginis de Pilari, quod verum esse scio : cognovi enim puerum primo Cæsar-augustæ absque altero crure ad portam ædis ejusdem Virginis stipem poscentem, et eumdem postea vidi Matriti (quo eum rex noster Catholicus adduci jussit) utroque crure incedentem : vidi stigma, quod B. Virgo cæsuræ signum reliquit : nec ego solum, verum et reliqui cæsarei hujus collegii Patres Societatis Jesu viderunt : novi parentes, quibus canonici sanctæ Mariæ de Pilari alimenta præbebant : novi chirurgum, qui ei crus abscidit. Ita vero ab auctore eleganter scriptum est, ut ad Dei gloriam, in argumentum nostræ fidei, et hæreticorum confusionem edi possit. Hoc judico, Matriti in collegio Societatis Jesu, XII Martii, anno MDCXLII. *Si hæc testimonia hæreticis nondum satis authentica videantur, legant paragraphum sequentem, quem in eorum gratiam hic addidi, quamvis Commentarius noster jam inde nimium excreverit.* D

§ III. Juridica archiepiscopi Cæsar-augustani sententia, qua præcedens miraculum confirmatur. E

Producitur authentica, sententia

Prodigio illo, quod superius a num. 576 retulimus, per integrum annum mature discusso, et testibus severe examinatis, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus Cæsar-augustanus de veritate illius anno 1641 *tulit sententiam, quam ex jam memorato postulatorum Aragonum Summario excerpimus, quod num.* 22 *hoc authenticum judicium ita refert :* In Dei nomine etc. Noverint universi, quod anno a nativitate Domini MDCXLI, die vero XXVII mensis Aprilis apud civitatem Cæsar-augustæ coram illustrissimo et reverendissimo Domino Petro Apaolaza, Dei et apostolicæ Sedis gratia archiepiscopo Cæsar-augustano, regioque consiliario etc., in quodam processu, et causa coram præfato illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo, et in ejus camera vertente intitulato processu admodum illustrium DD. juratorum concilii et universitatis civitatis Cæsar-augustæ super verificatione cujusdam miraculi, instantibus et supplicantibus doctoribus Philippo Bardaxi, et Ægidio Fuster etc. I. V. DD., et Michaele Cipres notario causidico Cæsar-augustano personis nominatis per dictos admodum illustres DD. Juratos, et concilios præsentis F civitatis ad dictum processum faciendum dictus illustrissimus et reverendissimus dominus meus archiepiscopus quamdam in scriptis tulit, legit, et promulgavit definitivam sententiam tenoris sequentis :

in qua archiepiscopus Cæsar-augustanus asserit,

584 Christi ac beatæ Virginis de Pilari nominibus invocatis. Nos Don Petrus de Apaolaza, Dei et sanctæ Sedis apostolicæ gratia archiepiscopus Cæsar-augustanus, regiusque consiliarius etc. viso toto præsenti processu, ejusque meritis attentis, diligenter inspectis, summaque cum maturitate rimatis, qui ad instantiam admodum illustrium DD. Juratorum, concilii, et universitatis præsentis civitatis Cæsar-augustæ factus exstitit, constat ex eo, quod Deus optimus maximus, qui gloriosus est in Sanctis suis, et in majestatis mirabilis, cujus ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura judicii, cælestia pariter, et terrena disponit,

A nit, et qui, etsi cunctos ejus ministros magnificet, altis decoret honoribus, et cælestis efficiat beatutidinis possessores; illos tamen (ut dignis digna rependat) potioribus attollit insigniis dignitatum, et præmiorum uberiore retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, et commendat ingentior excellentia meritorum, voluit illam, quæ supra omnes choros est exaltata angelorum, cujus thronus juxta thronum Dei positus est, et ad ejus dexteram in vestitu astitit deaurato, virginem Mariam, matrem suam, miro quodam his nostris temporibus honorare facto.

ex juridico testium examine constare,

585 Constat enim in hospitali generali beatæ Mariæ de Gratia præsentis civitatis Michaëli Joanni Pellizero, loci de Calanda hujus archiepiscopatus, propter infirmitatem fuisse crux dextrum abscissum et amputatum, et in cœmeterio dicti hospitalis terræ mandatum duos annos et menses ante dictorum testium depositiones, ut I, V, et VII testes super XI et XII articulum deponunt. Constat etiam ex quinque contestantium testium depositionibus scilicet VIII, IX, X, XII et XIII, super XXI et XXII articulo quod B ipsa nocte qua factum miraculum dicitur, quæ erat in ultimis Martii, anni præteriti MDCXL, uno hora antequam dictus Michaël Joannes Pellizero lectum gradiendo super terram petiisset, dicti testes cicatricem cruris præcisi viderunt, suisque propriis manibus et tetigerunt, et palparunt.

quod juveni crus abscissum

586 Constat quod paulo postquam dictus Michaël Joannes cubationem faceret, testes VIII, et XIII, qui sunt parentes dicti Michaëlis, cubiculum ingredientes, eumdem dormientem cum duobus cruribus invenerunt, et admiratione pleni voces dederunt, ut dictum Michaëlem a somno excitarent, ad quarum strepitum testis XII, qui foris ad ignem remanserat, illuc accedendo dictum Michaëlem, quem paulo ante unum tantum crus habentem viderat, cum duobus invenit, et quod interrogatus dictus Michaël a suis parentibus (quomodo illud factum esset) respondit, quod nesciebat. Verumtamen quod statim atque in lecto positus fuit sopore correptus somniabat, se in cappella virginis Mariæ de Pilari cruris cicatricem cum oleo lampadis unguendo existere, et sic credebat a beatissima Virgine id esse factum, cui, dum le- C ctum ascenderet, serio, et veraciter se commendaverat; quo viso, dictus testis XII (ut ipse asserit super articulo XXIII) vocavit testes IX, et X, qui erant vicini, et simul cum illo et parentibus dicti Michaëlis paulo ante eumdem unum tantum crus habentem viderant, et cicatricem præcisi cruris contrectaverent, qui ad domum Michaëlis redeuntes, illum cum duobus cruribus et viderunt, et admirati sunt, ut ipsi in suis depositionibus super dictis articulis attestantur.

ac eidem prodigiose restitutum fuerit,

587 Ex quorum octo testium depositionibus plenissime constat, et de defectu cruris in ipso Michaële, et de ejus restitutione. Cum etiam et identitas personæ sit in processu probata, de qua major numerus testium super articulo XXIX deponunt; imo et identitas cruris, quod esse idem, quod ei amputatum fuit, constat ex signis datis per dictum Michaëlem, et per testes in dicto crure inventis, ut apparet ex depositionibus testium VIII, X, XIII, super XXIV articulo, de quo etiam deponunt V, VIII, XI, et XIII, super articulo XXX. Constat etiam ax plurimum testium depositionibus super XXV articulo de magno populi concursu in die sequenti ad videndum crus dicto Michaëli mirabiliter restitutum, et quod eumdem ad ecclesiam comitati sunt, pro gratiis Deo agendis, ubi Missæ sacrificium celebratum est in gratiarum actionem, et ubi omnis populus vidit dictum Michaëlem ambulantem, et laudantem Deum, sua peccata confitentem, et sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumentem, et impleti sunt stupore et extasi in eo, quod contigerat illi, quia agnoscebant, quod ipse erat, qui eleemosynam cum uno crure tantum paulo ante petebat; prout de claudo illo a nativitate a beato Petro miraculose sanato refertur in Actibus Apostolorum.

AUCTORE G. C.

postquam pius juvenis

588 Constat insuper de virtute et bonis moribus ejusdem Michaëlis ex pluribus testibus super articulo VI, et aliis, de ejusdem charitate, taliter quod ab subveniendum suis inopibus parentibus profectus fuit ab hac civitate ad locum de Calanda, ad quem maximo cum labore pervenit, et ibi per loca vicina eleemosynas colligebat ad suam dictorumque parentum sustentationem, quæ sunt argumenta tanti beneficii ab ipso Deo erga eum collati, quia dat humilibus Deus gratiam, Constat tandem de dicti Michaëlis affectu, fide, et spe erga Deiparam Virginem de Pilari, ut patet ex ipsius depositione super articulo IX, ubi affirmat statim atque pervenit ad istam civitatem pro sui cruris infirmitate curandus, ecclesiam beatæ Mariæ de Pilari adivisse, ibidemque suorum fecisse peccatorum confessionem, ac salutare Eucharistiæ sacramentum sumpsisse antequam ad hospitale generale curandus accessisset. E

se sæpius patrocinio Deiparæ commendaverat,

589 Et super articulo XI asserit, quod in cruciatu, et tempore scissionis et adustionis cruris semper et ex toto corde Virginem prædictam invocabat, et illi se commendabat, suumque implorabat auxilium, et super articulo XIII, quod indurata aliquantulum vulneris cicatrice adhuc debilitatis viribus, ita ut subvenire sibi non posset, ligneo crure super terram gradiendo, devotione Virginis motus, et attractus ad ipsius templum accessit, et gratias pro recuperata sanitate reddidit, ac noviter eidem Virgini se suamque vitam obtulit, et super articulo XVI cum primo teste contestans, F inquit, quod præ dolore in residuo cruris amputati ad cappellam Virginis de Pilari perveniebat, et oleo alicujus et lampadibus ibi existentibus se ungebat; quod cum retulisset licentiato Estanga, chirurgiæ magistro dicti hospitalis, primis testis in præsenti processu, eidem respondit, præfatam olei unctionem nocivam esse ad vulneris curationem propter olei humiditatem, salvando fidem in his, quæ a sanctissima Virgine operari poterant, sed non propter hoc cessavit dictus Michaël ab unctione, quoties se offerebat occasio.

ut ipsemet testatur.

590 Et licet plura ex supradictis ex sola depositione dicti Michaëlis constent, fides tamen eidem videtur adhibenda, quia deponit de facto proprio, nec agitur de alicujus præjudicio, maxime cum et miraculum aliquando per unum testem probari possit, quod tamen in præsenti non est necessarium; cum factum, ex quo miraculum resultat, pluribus sit contestantibus testibus probatum, ex quibus constat in præsenti reperiri omnia illa, quæ ad naturam, et essentiam veri miraculi requiruntur. Est enim a Deo

AUCTORE G. C

Deo factum precibus beatæ Virginis de Pilari; cui ex corde dictus Michaël Joannes se commendavit; Et est super ordinem totius naturæ creatæ, cum ipsum crus abscissum et amputatum restitui non valeat; Et est ad corroborationem fidei, quia etiamsi inter fideles simus, fides augmentum recipere potest, juxta illud Luc. cap. 17. Adauge nobis fidem, et Marci cap. 9. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam; profuitque ad fovendam fidelium charitatem, et plebis Christianæ devotionem augendam, quibus fides ipsa conservatur; præterquam quod juxta multorum opinionem non est de miraculi essentia, quod ad fidei corroborationem fiat. Et tandem fuit in instanti factum : nam sub tam brevi tempore, quod demonstrat processus, visus fuit dictus Michaël sine crure, et cum illo. Igitur non videtur de illo dubitandum.

Illustrissimus præsul solvit difficultates,

591 Neque obstant ea, que per dictum Michaëlem et majorem partem testium deponuntur super articulo XXVI, videlicet, quod non statim potuit dictus Michaël pedem firmare : habebat enim nervos et digitos pedis contra- B ctos, et impeditos, nec naturalem calorem in crure sentiebat, ejusque apparebat color morticinus, nec erat in longitudine et crassitudine cum altero æquali, quæ omnia essentiæ miraculi repugnare videntur; tum quia non in instanti fuit factum, tum quia res tam imperfecta non videtur a Deo, qui non novit opus imperfectum : nam respondetur, esse de natura miraculi, quod fiat in instanti, esse verum in his, que paulatim natura posset operari, verbi gratia in restituenda sanitate febricitanti, quæ, ut cognoscatur, an fuerit miraculosa, vix alio signo cognosci potest, quam ex eo, quod facta est in instanti : nam ex decursu temporis id natura facere potest sine miraculo, et in dubio esset judicanda sanatio naturalis; quia miraculum debet esse supra vires totius naturæ creatæ; at vero quando natura neque in instanti, neque paulatim, potest operari, tunc, etiamsi factum non sit in instanti, reputabitur miraculum, ut in casu nostro; nam certum est, quod natura non potest illi, cui crus est amputatum, ullo modo illud restituere, quia de privatione ad habitum non datur regressus.

C

quæ huic miraculo opponi possent,

592 Igitur si visus fuit dictus Michaël unum tantum crus habens, nunc autem duo possidens, miraculose id factum est, quia naturaliter erat impossibile, et si perfecta non fuit ipsi cruri salus restituta, non repugnat essentiæ miraculi, quia quod erat faciendum miraculose, quod erat restituere crus dicto Michaëli, jam fuit factum perfecte et in instanti; cetera vero, qualia sunt calor, extensio, et dissolutio membrorum, longitudo, et incrassatio cruris, liberatio ab imbecillitate, recuperatio virium et firmitatis, non erat necessarium, quod fierent miraculose, quia hæc omnia natura præstare potest et sic licet facta non sint in instanti, nihil miraculo detrahunt; vel dici potest, quod etiamsi misericors Deus poterat in instanti crus, et perfectam eidem sanitatem restituere, tam ut ait Glossa in cap. 8. Matthæi, quem uno verbo statim curare poterat, paulatim curat (loquitur de cæco illo a nativitate) ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix quasi per gradus ad lucem redeat, et gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat; vel dicamus, quod hic non fuit successio miraculi, sed pluralitas : nam quemadmodum in dicto cap. 8. Matthæi voluit Christus dominus per unum miraculum dare visum obscurum cæco, cum potuisset dare clarum, et per aliud miraculum voluit perficere visum ejus, ita ut clare videret, et sic, quod poterat fieri per unum miraculum, factum est per duo. D

et solide probat,

593 Ita in casu nostro Deus poterat etiam in eodem instanti perfectam sanitatem dicto Michaëli dare, voluit tamen per unum miraculum illi crus restituere, licet debile, et mutilatum, et per aliud miraculum, post tres dies, quod calor naturalis cruri restituto communicaretur, nervi et digiti extenderentur, et tandem crus æquale cum altero remaneret : sicque non fuit successio in miraculo, sed quædam miraculi divisio, seu multiplicatio; ut quod per unum fieri poterat, per duo, vel plura factum existat, ad ostendendum forte precibus beatissimæ Virginis de Pilari id factum esse : cujus visitatione per dictum Michaëlem facta, fuit sanitas eidem integraliter restituta, et ad dicti Michaëlis, et nostram fidem E et devotionem cognoscendam.

illud viribus naturæ adscribi non posse

594 Nec tandem potest obstare, quod dicto Michaëli aliquis dolor remanserit, quia non est contra rationem miraculi, si in liberatione dolor interveniat, vel cum dolore remaneat ille, qui miraculose sanatur, ut patet Marci cap. 9, ubi spiritus ad præceptum Domini exiit ab illo surdo, et muto exclamans, et multum discerpens eum, ita quod vexatus remaneret, ut mortuus, et multi dicerent, quod mortuus est; prout nec est contra rationem miraculi, si in sanato remaneat corporis vel membrorum debilitas, tumor, seu durities aliqua; nec etiamsi fiat cum aliquo ministerio aut adjutorio naturæ, vel aliquo medicamento humano.

adeoque hoc prodigium legitime probatum,

595 Quare his, et aliis attentis, de consilio infrascriptorum, tam sacræ theologiæ, quam juris Pontificii illustrium doctorum dicimus, pronuntiamus, et declaramus, Michaëli Joanni Pellizero loci de Calanda, de quo in præsenti processu, fuisse miraculose crus dextrum restitutum, quod antea amputatum habebat, et sic non esse opus F a natura, sed mirabiliter et miraculose operatum, esseque miraculo adscribendum, uti concurrentibus omnibus iis, quæ ad essentiam veri miraculi concurrere de jure debent, prout cum præsenti illud miraculo attribuimus, et ut miraculum approbamus, et declaramus, et auctorizamus, et ita dicimus etc.

PETRUS ARCHIEPISCOPUS.

et pluribus testimoniis corroboratum, publice promulgari permisit.

596 *Huic illustrissimi præsulis sententiæ subscribunt nonnulli sacræ theologiæ et juris utriusque doctores, aliique, quorum nomina paragrapho præcedente num.* 579 *expressa sunt. Denique in fine præfati Summarii hæc sequuntur :* Dicta diffinitiva sententia sic lata, promulgata etc. acceptata, laudata et approbata fuit. Quibus instantibus et supplicantibus præfatus illustrissimus dominus archiepiscopus concessit ejusdem copiam, sive litteras intimatorias suprascriptæ sententiæ, ex quibus omnibus etc. fuit confectum publicum instrumentum. *Quid ad fidem faciendam ab homine prudente ultra desiderari potest? Utinam heterodoxi nostri temporis, qui ea lecturi sunt, hæc et similia in Actis Sanctorum defecato ac maturo animo expendant, et ad Catholicæ Ecclesiæ, in qua sola hujusmodi miracula patrari vident, gremium postliminio revertantur!*

§ IV.

A

§ IV. Difficultates contra traditionem motæ, quibus Aragones respondent.

Illustrisimus fidei promotor contra traditionem Cæsar-Augustanam

Decreveram antea omnes illustrissimi Promotoris fidei objectiones, et integra Aragonum ad eas responsa hic proponere; sed postea mutavi consilium, tum quod viderem præcedentes Commentarii partes in nimiam molem excrevisse, tum quod post obtentum a sacra Rituum congregatione Officium vim perderent multa illius argumenta, quibus pro munere suo contendebat, Lectiones proprias Cæsar-augustanis non esse concedendas. Quare hic primo contraham argumenta intrinseca, quæ illustrissimus fidei promotor in suis Animadversionibus num. 13 *ingenue fatetur, se a Natale Alexandro hausisse; deinde pauca quædam addam, quæ a minutioribus quibusdam adjunctis, et diuturno scriptorum silentio petuntur.*

B

aliqua argumenta desumpsit ex Natali Alexandro,

598 *Itaque Natalis Alexander in ultima editione Hist. eccles. tomo* 3, *dissert.* 15, *pag.* 159 *argumenta seu potius dubia sua sic profert :* Porro ecclesiam Deiparæ adhuc viventi a sancto Jacobo erectam quis credat? Quis humillimam Virginem id jussisse sibi persuadeat? Quis id licuisse sub ethnicis imperatoribus, et mediis in persecutionibus sibi fingat; iis temporibus, quibus Christiani templa nulla habebant, sed privatis in domibus et in cryptis cœtus agebant suos; et in exordiis religionis Christianæ? *Hæc objectio ad tria potissimum capita reducitur, quibus ex Hispanis auctoribus jam singillatim respondetur.*

cujus objectionibus

599 *Imprimis jam sæpe laudatus Cardinalis de Aguirre tomo* I, *Conc. Hisp. dissert.* 9, *excurs.* 7, *num.* 79 *primæ dubiorum parti ita respondet :* Obiter hoc loco observandum, nemini incredibile censendum esse, quod non multis post Christi obitum annis vel Jacobus vel quispiam alius Apostolorum dicaret Deiparæ Virgini, adhuc viventi, templum vel oratorium aliquod, qualiter juxta traditionem prædictam creditur Cæsar-augustæ factum : imprimis enim nulla in eo repugnantia apparet, cum dignitas propemodum infinita Deiparæ, et sanctitas incomparabilis supra omnes electos, et puritas, qua nulla major sub Deo potest intelligi, ut loquitur S. Anselmus, exigant quasi jure suo specialem aliquem cultum, nulli alteri mortalium concessum.

C

cum eminentissimo Aguirrio

600 Et id certe putandum non est accidisse nisi ex speciali ordinatione Dei, volentis ac jubentis, ut Matri suæ singulariter inter omnes mortales id obsequium impenderetur; curantisque, ne ullum inde sequeretur damnum. Quæ addidi ad præoccupanda quædam objecta Natalis Alexandri et aliorum. Proindeque nemo prudenter respuere potest, veluti indecentem aut rationi adversum honorem ejusmodi singularem Deiparæ a Jacobo apostolo præstitum, utpote satis conscio ejus summæ dignitatis, juxta quam nec primam similem visa est, nec habere sequentem, ut Ecclesia accinit, et præterea divinitus monito ad id agendum.

Aragones respondent.

601 *Deinde num.* 96 *idem eruditissimus Cardinalis ita prosequitur :* Quid autem mirum erit, si Deiparæ, in infinitum fere excedenti Sanctos omnes, concessum fuerit, non modo ut statim post dormitionem, verum adhuc in decursu vitæ cælestis ac sole purioris splendidiorisque oratoria aliquot in ejus honorem exstruerentur, tum a Jacobo Cæsar-augustæ, tum ab aliis Apostolis aut discipulis Christi prædicantibus in variis locis terrarum? Sane sicuti id in singulari non est temere affirmandum de certo aliquo oratorio aut ecclesia, ita nec pro libito respuendum, ubi gravia omnino fundamenta et antiqua traditio id suadent. *Postulatores Officii proprii plura his addunt, quæ videri possunt in Responsione ad Animadversiones R. P. D. fidei Promotoris* § 7.

AUCTORE G. C.

Sanctius noster contendit, jussionem Deiparæ

602 *Alteri dubitationis parti, qua innuitur, illam ædificandi sacelli jussionem singulari Deiparæ humilitati repugnare, jam dudum ante occurrit Gaspar Sanctius noster, quando in opusculo de* S. Jacobi *prædicatione in Hispania tractatu* 3, *cap.* 8 *hoc argumentum eleganter more suo sic discutit :* Hic mihi, nisi aliud instituti ratio posceret, in Mariæ causa agendum foret de humilitatis atque obedientiæ natura; ex quo, E
ut mihi ipsi persuadeo, planum cuivis fieret, nihil beatam Virginem contra summum humilitatis fastigium esse molitam, cum templum sibi a Jacobo ædificari jussit. Plane humilis est, quicumque, jubente alio, cujus imperio repugnare nefas, ad splendidum aliquem atque sublimem dignitatis gradum attollitur. Neque humilis ille censeri debet, qui in loco sordido atque humili, obstinato consilio hærere vult, si inde superioris voluntas et auctoritas evocat. Humilis plane est, quem in quamcumque partem flectit et versa aliena voluntas, neque parendum jam amplius existimat suæ.

de ædificando sibi sacello.

603 Recusabat Petrus pedes suos lavandos porrigere Præceptori suo, quia eo se humanitatis officio indignum putabat : hoc ita ab humilitate profectum videbatur, ut tamen aliquid deprehendatur arrogantis animi, cum corrigere vellet Christi consilium, quasi minus deceret ipsius personam, et quasi Christus, quid ex omnium usu aut dignitate futurum esset, nesciret. Quare humilior omnino Petrus fuit, cum dixit velle se, ut non tantum pedes, sed et manus et caput lavarentur a Christo, quam cum libera dixit atque audaci voce : Non lavabis mihi pedes in æternum.

non repugnare ejus humilitati.

604 *Tunc post pauca idem scriptor sic pergit :* Quis hoc loco pius dubitet, beatam Virginem, dum templum sibi ædificari jubet, divinæ obsecutam esse voluntati; cum nihil aut magnum aut novum moliretur in terris, nisi instinctu afflata divino; cum F
Spiritus illi sanctus assidue atque familiariter assisteret? Quod si beata Virgo proprie apparuit Jacobo, sane tam longo superato tam terrestri quam maritimo tractu, non potuit ad Tarraconensem illam plagam accedere, nisi agente atque probante Deo, cujus se voluntati totam addixerat. Quod etiam judicandum est, si Virginis tantum species oblata fuit Apostolo : neque enim ab humana virtute fieri potuit, nisi adjuvante atque admittente divina. *Postulatores istam quæstionem fusius examinant in Responsione proxime citata* § 8 *et sequentibus, ubi etiam refellunt opinionem Cardinalis de Aguirre, de qua supra meminimus num.* 566. *Sed nobis non licet hæc omnia transcribere, qui pluribus Sanctis debitores sumus. Quare ea hic assignasse sufficiat.*

605 *Dum tertio loco Natalis Alexander quærit,*

AUCTORE G. C.

Alteram difficultatem, a Natali Alexandro propositam,

rit, quomodo initio Christianæ religionis sub ethnicis imperatoribus, quando Christiani nulla habebant templa, sacra illa ædes Cæsar-augustana in honorem Deiparæ ædificari potuerit, postulatores jam sæpius laudati, ita respondent § 6 *:* Levissimi autem momenti objectio ista facile dignoscitur : tunc enim vim aliquam utcumque haberet, si de magno quodam templo, et sub dio posito sermo esset; at cum res sit de exigua æde, parvulo sacello, seu oratorio clam servato, undenam concepta difficultas? Equidem fatemur, Christianos olim templis caruisse, quæ priori vocis significationi responderent : nam templa antiquitus non dicebantur quælibet sacræ ædes, sed amplissima tantum, ut eruditis omnibus notum est. Inde autem nihil ad præsentem causam vel quod eminentissimos Patres remorari queat ab approbatione nostrarum Lectionum, in quibus dicitur, Jacobum, discipulis opem ferentibus, ÆDICULAM Deo in honorem beatæ Virginis exstruxisse, quæ a columna nomen
B accepit.

Aragones refellunt,

606 *Deinde ex sacris et profanis auctoribus erudite ostendunt (id ipsum probat eminentissimus Baronius in Annalibus tomo* I *ad annum Christi* 57 *a num.* 99*) Christianos in primordiis Ecclesiæ habuisse sacra ædes a privatis domibus distinctas, ac tandem ita concludunt :* En igitur, quot quantisve invincibilibus argumentis depellatur umbra illa difficultatis a Natali Alexandro, alioquin hac in causa nimis jam præjudicato scriptore, injecta circa primævam sacram Columnensem ædem, exiguam quidem, pauperem, non palam initio expositam, sed clam et in occulto repositam ac servatam, quemadmodum et ejus testatur fama, et scriptores ac traditio fidem faciunt.

et, cum fateatur, eam communem Hispanorum traditionem,

607 *Cum vero Natalis Alexander tacite fateatur, hanc prodigiosam sacelli Cæsar-augustani ædificationem ab omnibus scriptoribus Hispanis referri, iidem postulatores in Responsione toties memorata* § 5 *sic contra eum argumentantur :* Supponit auctor, scriptores omnes rerum Hispanicarum fidem facere Pilarensis traditionis, ipsique calculum addidisse. Quis autem credat (ut ejus arguendi formulam fundamento validiore
C retorqueamus) innumeros Hispanicarum rerum scriptores universim cæcutiisse, aut oculos sponte clausisse, ne obvia viderent, quæ pro responsione objicit Natalis Alexander? Angusta enim et afflicta Christianæ religionis exordia, quemadmodum et sanctissimæ Virginis eximiam, supra quam dici potest, humilitatem nemo illorum ignoravit; et nihilominus in sententia cuncti perstiterunt a majoribus accepta, difficultatis umbras ex conjecturis illis subnascentes contemnendo; quippe qui optime noverant, nascentis Ecclesiæ gressus, illiusque incrementa non ad humanæ prudentiæ regulas exigi debere, sed ad omnipotentis Dei virtutem, qua juxta Danielis prophetiam lapillus de monte sine manibus abscissus superbam confregit statuam, in cineres redegit, atque ita in magnum excrevit montem, universamque implevit terram.

conqueruntur, quod adversarius ei non acquieverit.

608 Porro Christiana religio signis, virtutibus, et miraculis singularissimaque Dei auxiliantis providentia et incepit et adolevit. Non ergo æstimandæ objectiones a Natali Alexandro suscitatæ, ut traditionis nostræ fidem everteret; imo quæ illæ continent difficilia, religionis infantiæ ac primæ illius ætati consona omnino juxta divina sunt consilia. *Cum denique scriptor ille de historiæ possibilitate non dubitet, sed tantum de facto, conqueruntur Aragones, quod celeberrimæ traditioni non acquieverit, ac immemor fuerit istius regulæ, quam in sua Historia ecclesiastica tomo* 3 *postremæ editionis dissert.* D
17, *sec.* I, *pag.* 179 *sibi præfixerat, dum rationem reddit, cur traditionem de apulsu S. Mariæ Magdalenæ, Lazari et Marthæ in Gallias tueatur, qua de re in secunda hujus Commentarii parte* § 3 *plura diximus.*

Aliis argumentis ex Sanctio respondetur,

609 *Alii apostolicam* S Jacobi *paupertatem, sumptuosam ac difficilem sacræ ædis structuram, Marianæ imaginis formam et materiam objiciunt, aliisque hujusmodi minutiis traditionem illam vellicant. Verum illis Sanctius noster loco supra citato reponit sequentia :* Sane isti, quicumque sunt, humanis rationibus omnia metiuntur, neque ad divinum opus divinas etiam vires et postestatem adjungunt. Idem, credo, multo melius objicere potuissent de marmoreo templo in mediis fluctibus excitato in honorem et tumulum Clementis Papæ. Si hæc manus requirunt hominum, non dubium, quin aliquid operæ Jacobus in illius sacrarii fabricam contulerit; sed neque pius aliquis dubitabit, opinor, opem ibi E
quoque intercessisse divinam, sicut alibi quoque contigisse ecclesiastici produnt annales : quia aut angeli ipsi manus admoverunt, sicut de marmorea Clementis æde canit Ecclesia, et de templo, Michaëlis nomini consecrato in Gargano monte, antiqua et constans traditio est; aut Tarraconensium animi in Jacobum religionisve causam sic affecti, ut brevi sine ullo euangelicæ prædicationis incommodo ædes illa sacra ædificari potuerit; quæ sane, quia exigua fuit, neque adeo artificiose polita, haud multum operæ requirebat aut spatii.

et veterum scriptorum de hac traditione testimonia

610 *Plerique demum præcipuum negationis suæ argumentum desumunt ex silentio veterum scriptorum, qui de sacrario illo, per tot secula perseverante, non meminerunt. At huic ratiocinationi negativæ postulatores in Responsione* § *ultimo sic occurrunt :* Quod si plura in hanc rem non suppetunt priorum seculorum scripta, mirabitur nemo, qui mente revolverit dirissimas Hispanicis regnis illatas clades, Daciano illorum præside,
qui non solum Christi fidelibus, sed etiam omnibus F
scriptis, sive ad Sanctorum memoriam, sive ad Christianam religionem pertinentibus crudele attulit bellum, morem gerens impio Diocletiano. *Tunc post antiqua hujus subdolæ crudelitatis testimonia, quæ supra num.* 324 *dedi, sic ad eamdem posteriorum seculorum calamitatem transeunt :* Si quæ diffugere potuerunt Diocletiani edictum et Daciani rabiem, armatamque solertiam, periere prorsus Arabum furore, subsequentibus seculis Hispanias devastantium..... Et quod antiquitatem præcipue ecclesiasticam Cæsar-augustæ ad extremum pene interitum adduxit, id tandem fuit, quod tempore irruptionis Maurorum episcopus, qui tunc erat Bentius nomine, sacris codicibus ac permultis Sanctorum reliquiis Pilarensis ecclesiæ acceptis, ad montes sese in fugam contulit, ut constat ex Canonica cœnobii sancti Petri de Taberna. *Fragmentum istius Canonicæ seu historiæ in prima hujus Commentarii parte num.* 113 *dedimus, adeo ut illam episcopi Cæsar-augustani fugam hic iterum probare non sit necesse.*

propter iteratam Aragoniæ ruinam periisse dicuntur.

611 *Ceterum postulatores conjiciunt, hos codices Cæsar-augustanos deinde in Pinnatense Ordinis Benedictini monasterium, quod in Aragoniæ montanis exstat, translatos fuisse (id admodum*

A *dum verosimile est, cum Hieronymus Blancas ipsam Canonicam Tabernensem post flammas superstitem in cœnobio Pinnatensi invenerit) ac postea incendio consumptos ibidem periisse. Ut ut est, laudatus Hieronymus Blancas in præfatione ad suos Commentarios tomo* 3, *Hisp. Illust. pag.* 572 *jacturam veterum monumentorum Aragonensium indicat his verbis:* Antiquæ res nostræ, quod te minime ignorare arbitror, Loaysa eruditissime, adeo scitu difficiles sunt et perobscuræ, ut non modo quæ priscis illis seculis, sed quæ avorum ætate gestæ fuerunt, vix a nobis, nisi abstrusa et perturbata ratione, comprehendantur. Plures autem istius jacturæ afferuntur causæ multiplicesque; hæ tamen præcipuæ: nam in ipsis regni initiis memoriæ proditur, Pinnatensem sanctioris ærarii locum igne consumptum fuisse, instauratumque denuo, multos, post annos incendio simillimo conflagrasse: cumque ibi veterum privilegiorum exempla, monumentaque publica asservanda exstarent, flammis combusta
B omnia interiere. Postea quoque alia ejusmodi cum ibidem reposita servarentur, a Raimundo Berengario, Barcinonensi comite, Ranimiri II regis genero, circa annum Christi MCL extracta feruntur. *Ex his tandem concludunt, mirum non esse, si antiquiora priorum seculorum testimonia, in membranis exarata, hodie exhiberi nequeant.*

§ V. Officium proprium ab Aragonibus pro sua traditione Romæ impetratum, et publica de illo lætitia.

Aragones antea Romæ repulsam passi

Quamvis ab immemorabili tempore festum dedicationis ecclesiæ S. Mariæ de Columna celebratum fuerit, ut patet ex Missa Gothicis characteribus excusa, tamen in generalibus Aragoniæ comitiis, anno 1678 *Cæsar-augustæ habitis decretum fuit, ut nomine ipsius regni apud summum Pontificem ageretur, et Officium proprium cum Octava ac historiali narratione hujus miraculosæ apparitionis enixe a sancta Sede pe-*
C *teretur, ut constat ex Actis Curiæ, quæ supra laudatus R. P. Franciscus Salvator Gilaberte mihi describi curavit. Sed tum res in longum protracta est, et tandem sacra Rituum Congregatio, ad quam preces Catholici regis et archiepiscopi capitulique remissæ fuerant, respondit anno* 1694, *non esse locum concessioni propriarum Lectionum. Cum postmodum causa resumpta esset, referente eminentissimo Cardinale Gabriëllio, sacra Congregatio anno* 1704 *in eadem sententia perstitit. Ab eo tempore ob bellicos tumultus aliasque turbas, quibus Aragonia concutiebatur, causa intermissa fuit.*

animum non desponderunt de obtinendo Officio proprio:

613 *Nondum tamen Aragones omnem spem abjecerant obtinendi Officium, quod tantopere desiderabant: nam anno* 1717 *vix a turbulenta patriæ suæ ruina paulisper respiraverant, quando eamdem rem iterum Romæ urgere decreverunt. Opportune eo tempore ob gravia Capituli negotia in Urbem mittebatur R. admodum D. Josephus Martinez Rubio, Canonicus Cæsar-augustanus, quem honoris et amicitiæ causa hic libenter nomino, cui simul demandatum est, ut in veras prioris repulsæ causas inquireret, et pro impetrando Officio prudenter instaret.*

auctore G. C.

sed melioribus monumentis instructi

614 *Is igitur pro ea, qua pollet, rerum gerendarum peritia causam aliter disposuit, firmiora argumenta breviter collegit, relictis fabulosis testimoniis, quæ antea purpuratorum Patrum aures offenderant, ut postulatores in Responsione ad animadversiones R. P. D. Promotoris fidei num.* II *non obscure indicant, dum illustrissimo fidei Promotori, iteratam repulsam objicienti, respondent,* alium omnino a præsenti fuisse causæ statum, tum quoad inductas probationes, tum quoad Officii propositi qualitatem et circumstantias; olim enim postulatores, nimia ducti confidentia, pauca exhibuere monumenta, eaque non in forma probante, nec, ut fas erat, compulsata; ut taceamus, magnam tunc eos fecisse vim in Chronicis Flavii Lucii Dextri, Marci Maximi, aliorumque similium sublestæ fidei librorum, qui seculo XVI jam desinente, illustrium antiquorum scriptorum personato nomine in lucem prodiere, et merito eminentissimis stomachum movere potuerunt; quos E numquam modo in suffragium advocamus, nec ullo in pretio habemus, multo melioris notæ ac certis innixi auctoribus, monumentisque et notissimis et antiquioribus, quam [sint] supposititia illa chronica. *Deinde afferunt alias discrepantiæ notas, quas hic brevitatis causa omitto*

causam intermissam alacriter resumpserunt,

615 *Res quidem ob brevem laudati canonici in Curia Romana moram tunc ad exitum perduci non potuit: ille enim sequenti anno Cæsar augustam rediit, postquam Officio obtinendo primum aditum, ut ita loquar, ad sacrum Congregationis tribunal aperuerat. Cum itaque jam major impetrandi Officii spes affulgeret, causa novo ardore urgeri cœpit, et illius cura R. P. Josepho Nicolao Cavero, Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, qui anno* 1719 *Romam proficiscebatur, commendata est. Tunc autem in inclyta Aragoniæ metropoli maxime opus fervebat: nam authentica instrumenta ex archivis juridice eruebantur, argumenta pro pia et antiqua traditione ubique conquirebantur et concinno ordine collocabantur, dirigente omnia R. D. Josepho Martinez Rubio, qui desiderati successus impedimenta antea Romæ intellexerat, atque adeo causæ statum optime noverat, et Romanæ curiæ stylum in hujusmodi processibus disponendis experientia didicerat.*

F

conspirante in eam rem tota Hispania.

616 *Imo ita animi Aragonum succensi sunt amore erga beatissimam Virginem, ut afflictis illis temporibus magnificum templum in ipsius honorem Cæsar-augustæ a fundamentis erexerint, cujus sumptuosam stucturam, anno* 1722 *nondum perfectam, admiratus sum. Tunc etiam pius reliquorum Hispanorum fervor apparuit: nam statim nomine Catholici regis pro concessione propriarum Lectionum preces Innocentio XIII summo Pontifici porrectæ fuerunt, quas præcesserant supplices litteræ ab archiepiscopis, episcopis et capitulis, quorum omnium catalogus in summario num.* 6 *texitur, ita ut tota Hispania ad hanc causam evincendam conspirasse videatur.*

Denique anno 1723 ad confirmandam suam traditionem

617 *Interea R. P. Josephus Nicolaus Cavero, his instrumentis eminentissimo Cardinali Orighio traditis, negotium sibi commendatum diligenter promovebat, et post varias cum illustrissimo fidei promotore disceptationes effecit, ut res die* III *Julii anno* 1723 *in Congregatione coram*

AUCTORE G. C.

coram sex Cardinalibus proponeretur, et fere ad optatum finem perduceretur, nisi aliquis scrupulus occurrisset circa proprias lectiones, quas in gratiam curiosi lectoris ex numero 7 Summarii exhibeo : Lectio iv. Ex Apostolis, qui post admirabilem Christi in cælos ascensum ad docendas omnes gentes, distributis sibi terrarum partibus, profecti sunt ; Jacobus, cognomento Major, divino consilio in Hispaniam appulit : ubi cum discipulos nonnullos Christianis mysteriis imbuisset, Cæsar-augustæ, quæ Aragoniæ caput et metropolis est, aliquamdiu substitit, ibique a beatissima Virgine Dei Genitrice Maria insigni beneficio dignatus est, cujus memoriam celebri traditione commendatam plurima etiam vetustatis monumenta ad posteros propagarunt.

sacræ Rituum congregationi

618 Lectio v. Apostolo enim, ut ferunt, ad Iberi fluminis ripam una cum discipulis noctu secedere solito, ut rerum divinarum contemplationi liberius vacaret, Deipara adhuc in humanis agens apparuit, ac sese inter angelorum choros columnæ insistentem conspiciendam dedit, eique injunxit, ut omnipotenti Deo sacellum dedicaret. Quare Jacobus nihil cunctatus, discipulis opem ferentibus, ædiculam Deo in honorem beatæ Virginis exstruxit, quæ a columna cognomen accepit. Ac plane mirandum est, quod regione toties a Christiani nominis hostibus, ac Saracenis præsertim vexata, totque sacris templis aut solo æquatis aut in profanos usus conversis, hæc beatæ Virginis ædes sarta tecta perpetuo steterit.

B

Lectiones proprias secundi Nocturni proposuerunt,

619 Lectio vi. Inter ipsas autem infelicium temporum clades hæc sacra religionis, sanctitatis, ac publici consilii ara portusque salutis incolis fidelibus fuit. Sed procedentibus deinde seculis, cum ad eam undique populi confluerent, assiduis prodigiis maxime nobilitata est, ac summorum Pontificum, regumque privilegiis et largitionibus insignita. Quibus permotus Innocentius XIII Pontifex Maximus ad cultum illibatæ Virginis amplificandum benigne concessit, ut in ejusdem ecclesiæ dedicatione quarto Idus Octobris ab omnibus, qui in civitate ac diœcesi Cæsar-augustana ad horas canonicas tenentur, Officium solenni ritu recitaretur : qua ipsa die ecclesiæ etiam sancti Salvatoris ejusdem Metropolitanæ dedicatio celebratur.

C

quibus non admissis, aliæ substitutæ et probatæ sunt,

620 *Videns igitur R. P. Josephus Nicolaus Cavero, difficultatem concessionis non amplius circa substantiam, sed dumtaxat circa rei modum, versari, memoratas secundi Nocturni Lectiones mutavit, et pro iis alias ex sermone S. Bernardi de dedicatione ecclesiæ desumptas substituit, ac in fine historiam apparitionis Deiparæ contraxit hoc modo :* Sane inter cetera sacra loca, quæ in Hispaniis speciali devotione coluntur, illustri fama ille notissimus est, qui Virginis Matris nomine Cæsar-augustæ Deo consecratus a columna cognomen accepit : ut enim pia et antiqua traditio habet, cum Jacobus Apostolus, Major nuncupatus, divino consilio in Hispaniam appulisset, et aliquandiu Cæsar-augustæ substitisset, ibi a beatissima Virgine insigni beneficio dignatus est : ipsi namque, ut ibidem perhibetur, cum aliquot discipulis noctu ad Iberi fluminis ripam oranti Deipara, adhuc in humanis agens, apparuit, eique injunxit, ut sacellum exstrueret. Quare nihil cunctatus Apostolus, discipulis opem ferentibus, ædiculam Deo in ejusdem Virginis honorem dedicavit. Procedentibus autem seculis augustior accessit ecclesia, cujus dedicatio, atque etiam alterius ecclesiæ sancti Salvatoris in civitate et diœcesi Cæsar-augustana quarto Idus Octobris anniversaria solemnitate celebratur. *Hæ posteriores Lectiones a Congregatione, die* vii *Augusti anno 1723 habita, cui interfuere duodecim Cardinales, approbatæ sunt*

D

ut patet ex authentico decreto,

621 *Quapropter sacra rituum Congregatio, facta de iis relatione summo Pontifici, edidit sequens decretum :* Cum archiepiscopus, capitulum, magistratus, et academia Cæsar-Augustana, nec non plures archiepiscopi et episcopi Hispaniæ S. M. Clementi P. XI nonnullis abhinc annis humillimas preces porrexerint, novissime vero serenissimi regis Catholici Philippi V ad sanctissimum D. N. Innocentium XIII piæ supplicationes accesserint pro concessione lectionum propriarum secundi Nocturni in festo dedicationis ecclesiæ metropolitanæ Cæsar-Augustæ, illas vero sanctitas sua ad sacram Rituum congregationem remiserit, sacra eadem congregatione ad relationem eminentissimi et reverendissimi D. Cardinalis Orighi, instante P. Magistro Fr. Josepho Nicolao Cavero, procuratore generali Ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum, et tam in scriptis quam in voce R. P. D. Prospero de Lambertinis fidei promotore audito, re pluries mature discussa, indulsit atque concessit, ut in festo dedicationis ecclesiarum sanctissimi Salvatoris et beatissimæ Virginis de Columna civitatis Cæsar augustæ pro secundo Nocturno suprascriptæ lectionis propriæ, desumptæ ex sermone S. Bernardi, cum additione in fine sextæ lectiones nonnullorum verborum, ab omnibus Christi fidelibus civitatis et diœcesis Cæsar-augustanæ, qui ad horas canonicas tenentur, die xii Octobris in festo dedicationis earumdem ecclesiarum recitari possint et debeant, si sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die vii Augusti mdccxxiii. Et facta de prædictis per me secretarium eidem sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die xi ejusdem mensis et anni. *Inferius subscribebatur :* F. Card. Paulutius Præf. *Tunc infra locum † sigilli habebatur.* N. M. Tedeschi archiepisc. Apamenus sac. Rit. cong. secretarius.

E

quod præcipue Aragones summo gaudio affecit.

622 *Vix credi potest, quantam lætitiam concessio hujus Officii Hispanis omnibus ac præsertim Aragonibus attulerit : nam simulatque certus memorati decreti nuntius in civitatem Cæsar-augustanam advenit, continuo capitulum metropolitanum, magistratus, ac universitas in mutuas gratulationes eruperunt, et gaudium suum regi Catholico per litteras communicarunt; cives vero Cæsar-augustani, ea fama per urbem sparsa, statim in plateas alacri cursu prodiere, ad sacratissimam Deiparæ ædem confluxere, et beatissimam Virginem variis laudibus extulere, quas etiam pueri læto clamore per plateas ubique repetebant. Mox omnium ecclesiarum campanæ pulsabatur, festivi ignes excitabantnr, tot faces aliaque lumina accendebantur, ut noctis tenebræ omnino superarentur. Verbo uno tota civitas in summam lætitiam effundebatur. Ingenue fateor, me incapacem esse, qui paucis hic exprimam reliquos triumphos per solennem dedicationis Octavum celebratos, ingeniosa lemmata et carmina, aliaque platearum ornamenta, de quibus D. Joannes Franciscus Escuder integrum librum Hispanice conscripsit. Itaque hic solum superesse video, ut Aragonibus de pia et antiqua traditione, novo sacræ Congregationis judicio confirmata, ex corde gratuler, meque potentissimo Deiparæ Cæsar-augustanæ patrocinio commendem.*

F

DE

A D

DE S. CHRISTOPHORO MARTYRE

FORTE IN LYCIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS J. P.

§ I. Cultus ex Fastis sacris, Missalibus ac Breviariis; singularis in Hispania veneratio; ædes ibidem sacræ.

Sub Decio. Sancti memoria hoc die inscribitur Fastis Latinis;

Si ulla uspiam alicujus sancti Martyris per totam, qua late patet, Ecclesiam Catholicam celebris claret memoria; talis certe haberi debet hodierna S. Christophori martyris, *cultus celebritate, antiquitate et extensione ubique notissimi. Nomen ejus consignant antiquissima Martyrologia hoc die* XXV *Julii, quo colitur in Occidente. Non est dubium quin eum memorent apographa* B *Hieronymiana, quidquid et nomen et palæstræ positio nonnihil in eis deformata appareant : sic enim habent :* In Licia civitate Salmon natalis sancti XPofari. *Romanum parvum rectius:* Civitate Samo, Christophori martyris. *Ado :* In Licia, civitate Samo, S. Christophori, qui virgis ferreis attritus, et a flammis æstuantis incendii Christi virtute salvatus, ad ultimum ictibus confossus, martyrium capitis obtruncatione complevit. *Usuardus* Samon *scribit (vide varias lectiones hoc die in Martyrologium istius auctoris a nobis editum) cetera Adoni conformis. Suo quoque Martyrem nostrum metrico Martyrologio intexuit Wandelbertus, ut nihil dicam de Rabano et Notkero, qui eum etiam memorant. Nihil attinet recentiorum hisce catalogum subnectere: suffecerit producere annuntiationem hodierni Martyrologii Romani, quæ ita sonat :* In Lycia S. Christophori martyris, qui sub Decio virgis ferreis attritus: *reliqua fere ad verbum consentiunt cum Adone et Usuardo.*

sed Græcis die 9 Maii.

2 *Latini itaque hoc quidem die* XXV *Julii annuam Sancti memoriam celebrant; at Græci non* C *item; qui diem* IX *Maii ipsius cultui dedicant, uti videre est in Typico sub nomine S. Sabæ citari consueto, Synaxario Basiliano, Kalendario Græcorum apud Genebrardum, Horologio anni* 1607; *Anthologio, Menologio, quod ex versione Sirleti edidit Canisius ; et ibi quidem datur ipsi titulus* magni martyris, *uti et in elogio ejus apud Maximum episcopum Cytheræum post Menæa magna excusa; a quibus honoratur sequentibus versiculis :*

Τὸν χριστοφόρον οἶδά σε Χριστοφόρε
Χριστῷ συνθέντα τῷ Θεῷ διὰ ξίφους.
Χριστοφόρον δὲ ἐνάτῃ σύγχροος ἔκταμε χαλκός.
Te novimus, Christophore, Christiferum ; simul
Quem junxit ensis martyrem Christo Deo.
Christophorum nona mactavit concolor ensis.

Addi his possunt cum Ephemerides Græco-Moscæ ante tomum primum Maii ; tum ecgraphum, quod servamus, Menologii Slavo-Russici, Menæum Chiffletii, Menologium Florentiæ apud PP. Dominicanos plut. 10, *cod.* 2. *Atque ex his conficitur, Athletæ nostri cultum tam in Occidente quam in Oriente longe celeberrimum fuisse. Quibus addi potest, quod* Christophorus *inscribatur Litaniæ, Francofurti ad Mœnum repertæ, et anno* 1555 *editæ a Georgio Wicelio seniore inter Excitamenta sinceræ pietatis : quamque in usu ecclesiarum fuisse dicit temporibus imperatoris Ludovici Pii.*

Cultum ejus admodum in occidente fuisse propagatum liquet e Breviariis

3 *Verum de cultu hæc satis in genere diximus; nunc ad singularia descendamus, prompturi ex Missalibus ac Breviariis quæ ad particularium locorum cultum illustrandum conducunt. In Directorio ecclesiæ et diœcesis Venetæ, quod anno* E 1683 *typis editum est, at diem* XXV *Julii notatur* fest. S. Christophori in E. R. in Insula. *Proprium civitatis ac diœcesis Tridentinæ anni* 1627, *dicto die* XXV *seu* XXVII *ponit* S. Christophori martyris dupl. *Ordo divini Officii pro anno Domini* 1665 *juxta ritum Breviarii Romani et consuetudinem basilicæ Vaticanæ, die* XXVII *Julii ponit eum per modum semiduplicis. Diximus jam pridem in prætermissis ad diem* XXIX *Januarii, Sanctum tunc in ecclesia Atrebatensi coli Officio duplici, citato istius ecclesiæ Breviario ; quem ritum apographum nostrum Kalendarii Nucernensis, quod ex Directorio anni* 1637 *desumptum est, ad diem* XXVII *Julii etiam præscribit. In Ordine recitandi Officium divinum Missasque celebrandi etc. cum festis, quæ generaliter in Hispania celebrantur, pro anno* 1718, *quo iste Ordo excusus prodiit Matriti, lego sequentia :* XXV Julii Christophori M., dup. in matrice *Compostellana*, ob reliq.; sed transfertur in prim. diem non impeditam. *De Breviario Mozarabum dicetur infra.*

ac Missalibus

4 *Missalia item plurima typis edita in promptu sunt, e quibus de propagata sancti Martyris nostri veneratione abunde constet; nimirum Moguntinum anni* 1493; *Spirense anni* 1497; *Speciale, uti vocatur, Argentinæ excusum anno* 1512, *Virdunense* 1554, *Trajectense* 1514; *Ordinis S. Joannis Equitum Melitensium* 1505; *Tornacense et Herbipolense* 1509; *Mediolanense* 1522; *Cameracense* 1527; *Spirense, quod excusum notatur ante annum* 1540; *e quibus Missalibus nonnulla quidem orationem propriam, nonnulla etiam propriam Missam* S. Christophori *assignant; quæ singillatim recensere, longum foret et tetricum. Juverit tamen unicum speciminis gratia exemplum producere ex citato Missali Mediolanensi:* Super populum: Deus, qui ineffabili misericordia per beatissimum martyrem tuum Christophorum multorum animas ab errore infidelitatis, ad lumen fidei revocasti : præsta populis tuis, ejusdem suffragantibus meritis, in eadem fide permanere stabiles, et esse in opere efficaces. Per.

quæ proferuntur.

5 Super syn. Omnipotens sempiterne Deus, qui agnitionem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi,

AUCTORE J. P.

Christi, mirifica ostensione beato martyri tuo Christophoro revelare dignatus es: concede propitius, ut eo interveniente, mentes nostras, peccatorum detersa caligine, clementiæ tuæ largitas copiosa purificet. Per eumdem Filium tuum *etc.* Super oblata: Deus, cui per martyrii palmam beatissimus martyr Christophorus se ipsum offerre sacrificium voluit, populi tui hostiam clementer sanctifica, atque ad sumentium animarum salutem exhibere nos dignanter perficias. Per. *Sequitur* Præfatio *ex Actis, de quibus suo loco.* Postcom. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua beati martyris tui Christophori celebrando triumphum, corporis tui sacramento refecta, ejusdem intercedente martyrio, supernarum dapium perfrui mereatur dulcedine. Qui cum Patre *etc. Ast inter tot et tam varias Occidentis regiones, ad quas longe lateque Sancti veneratio diffusa est, palmam in hoc genere aliis præripit Hispania.*

Apud Mozarabes Toleti

B 6 *Imprimis Missale Mozarabicum Toleti anno* 1500 *jussu eminentissimi Cardinalis Francisci Ximenez, archiepiscopi Toletani excusum, luculentissime indicat, ibidem in sacello corporis Christi, in quo Officia sacra ex peculiari fundatione laudati Cardinalis isto ritu quotidie peraguntur, singulari veneratione annuam* S. Christophori *memoriam celebrari. Ad formandam rudem quamdam ideam, sufficient paucula, quæ Toleti degens ego ipse extraxi ex dicto Missali, in quo Sancti et comitum ejus præscribitur* Offic., oratio, Missa. Alia oratio. *Et dicitur:* Ex sacro etenim lavacro tinctus Christophorus est appellatus, quia Christum indutus, et Christi gratia jam refertus, Christi virtute firmatus, Christi etiam exemplo existeret gloriosus... *Sequitur* Post nomina: ad pacem oratio. Inlatio, *seu præfatio:* Qui sanctum hunc martyrem tuum Christophorum et corporali ostensione terribilem, et gratia muneris eminentem, et gloria nominis tui demonstras potentem... Quem *(cæsarem)* ita suo almifico terruit aspectu, ut properaret cadere de solio suo; vere Christicolam intuens magnum: cujus vultum territus, in se confusus extiterat inimicus. *Deinde* Ad orationem dominicam *sic dicitur:* Qui sanctum tuum Christo-

C phorum martyrem, dum juxta quod in omnibus consueta species manet, dissimilis extat *etc. Atque hæc singularem ibidem Sancti cultum probant, quamquam correctione egeant, quatenus giganteam Sancti staturam videntur adstruere vel supponere.*

et alibi in Hispania singulari Sanctus veneratione honoratur.

7 *Enimvero si Tamayo credimus ad hunc diem* XXV *Julii, sancti Martyris nostri* apud Hispanos gloriosa memoria ita efficaciter inolevit, ut vix erit oppidum, in cujus ecclesia, aut ejus proceritas depicta non adservetur, aut tanto Martyri eremitorium haud inveniatur extructum. *Ita ille satis magnifice, si non hyperbolice. Quanto simplicius ac rectius Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum!* Frequens, *inquit*, erat ac religiosus in Hispaniis Christophori martyris cultus; *quod probat ex monasterio, et ecclesia; de quibus, aliisque tum ibi tum alibi in variis Occidentis regionibus ad Sancti honorem exstructis, nunc acturi sumus.*

Ecclesia ibidem et monasterium Cordubæ sub ejus nomine,

8 Erat, *inquit ibidem Baronius*, Cordubæ nobilis ac vetus memoria S. Christophori, ecclesia et monasterium ab eo denominatum, cujus meminit S. Eulogius, dum agit de alio Christophoro, ejusdem monasterii alumno; qui

sicut et nomen, ita etiam eum imitatus, martyrii coronam est consecutus tempore persecutionis Saracenorum. *In Hispaniæ illustratæ tomo 4 habentur Opera S. Eulogii, Ambrosii Moralis Cordubensis scholiis elucidata; ubi in Memoriali Sanctorum lib. 2, cap. 4 notatur* S. Christophori monasterium, quod situm est in spectaculum urbis *(Cordubensis)* in parte Australi super crepidinem ulteriorem Bætis; *quod* beatissimus Habentius *incoluisse ibidem dicitur. Et cap. 9 recurrit* basilica S. Christophori martyris, quæ est ultra amnem in parte meridiana. D

circa quem locum nonnulla observantur.

9 *Capite autem 10 ponit* S. Christophori, quæ ultra flumen est, aulam. *Ast nullum hactenus istius monasterii alumnum synonymum habemus; quem æque non invenimus ibidem cap.* II, *quod haud dubie innuere voluerit Baronius, cum pro titulo habeat* Christophorus et Leovigildus monachi martyres; *sed iste* Christophorus *ibi scribitur* cœnobium S. Martini, quod est in montana Cordubensi, loco, qui appellatur Roiana, ingressus. *Ubinam ergo alumnum istum Baronius invenit apud S. Eulogium?* S. Christophori *monasterium, cujus alumnum vult fuisse Martyrem synonymum a Saracenis occisum, perperam ab ipso positum hic fuerit pro monasterio S. Martini. Porro in Scholiis ad cap. 4, quod citavimus, circa monasterium* S. Christophori *sic dicitur:* S. Juliani templum operis pervetusti, ex adverso ferme urbis, nunc conspicitur. Potuit id nomen immutasse. Certe nullius alterius apparent vestigia. *Sed nos, missis istiusmodi minutiis, Sancti apud Hispanos venerationem prosequamur.* E

Ecclesia item Valentiæ, monasterium in Castella.

10 *S. Vincentium Ferrerium, maxima Judæorum parte urbis Valentinæ anno* 1412 *ad Christum conversa, synagogam eorum mutari fecisse in ecclesiam, sub nomine* S. Christophori *die* X *Julii dedicatam, tradit neotericus Legendista Gallus in Vita sancti, quam edidit ad hunc diem* XXV *Julii; sed nullum auctorem citat. Mirum est, id tacuisse Tamayum, si alicubi hoc reperit; præsertim cum de translatis Valentiam reliquiis agat. Gesta S. Vincentii Ferrerii illustrata sunt ad diem* V *Aprilis; at nihil cum in illis de ista ecclesia invenire potuimus; tum in Commentario prævio ibid. pag.* 482, *num.* 16: *ubi tamen erat proprius locus de ista re agendi. Dicitur quidem in Vita pag.* 495, quod in diversis utriusque Hispaniæ urbibus supra viginti quinque millia ex *Judæis* ad suscipiendam Christianam adduxerit religionem, et eorum templa in Christi ecclesias dedicari fecerit; *quas inter fortasse fuerit prædicta Judæorum synagoga; quamquam id ex illis verbis non magis elici determinate potest, quam ex genere apud Philosophos species hæc vel ista determinata. Interea tamen rem non negamus, sed idoneam pro ejusdem veritate auctoritatem desideramus. Monasterium SS. Vincentii et* Christophori *in Castella memorat Mabillonius Annal. Benedict. tom. 2, pag.* 324. F

§ II

AUCTORE J. P.

A

§ II. Alia loca ipsi sacra in Occidente, uti et in Oriente; reliquiæ in Italia et Hispania.

Monasterium in Sicilia tempore S. Gregorii M.; item ædes sacra Mediolani;

Italia in locis sacris sub nomine S. Christophori *dedicatis symbolam quoque suam contulit, quæ quasi quædam sint tesseræ singularis erga eum venerationis. S. Gregorius magnus PP. Epistolarum ex Registro lib.* 8, *cap.* 33 *scribens* Secundino, episcopo Tauromenitano, *in Sicilia, memorat* monasterium S. Christophori, quod in vestra, *inquit*, diœcesi est constitutum. *Sigonius lib.* 3 *de Regno Italiæ, ad annum* 743 *nominat* basilicam B. Christophori ad quinquagesimum a Ravenna lapidem. *Templum item Mediolani notatur in istius urbis Antiquitatibus, quas ex ejusdem parœciis collegit Joannes Antonius Castellionæus, part.* 1, *sect.* 2, B *fasciculo* 9, *a pag.* 252; *quæ autem deinde pluribus illic deducuntur, in compendium contrahimus, diffusius ibidem legenda ab eo, cujus id interfuerit; videlicet delubrum* S. Christophori, *ubi, quando, et a quibus conditum fuerit; in augustiorem formam ex voto a civibus Mediolanensibus redactum. Porro opportune huc transcribenda videntur, quæ de hospitali ibidem erecto sic recenset a pag.* 264 : Nunc adnotandum restat, aliquando apud hanc novam D. Christophori ædem quosdam cives ex nostris huic sacræ ædi addictos ad honorem et gloriam beatissimorum Joan. Baptistæ, Jacobi et Christophori ac Christinæ, et inopum miserorumque auxilium ac subsidium, hospitalitatem exercuisse; postea vero mutato consilio, sodalitatem sub iisdem Sanctis tutelaribus instituisse, fierique rem ibi sacram procurasse ex oblationibus piorum hominum, et in primis Philippi Mariæ Ducis *(Mediolanensis)* egentibus elargiendo quidquid ex redditibus annuis, quos possederant, superesset; petiisse quoque a principe confirmationem sodalitatis, et quarumdam ejusdem legum.

de qua plures hic notitiæ

12 Ex hac Philippi ducis munificentia, et inditum novæ ædi jam fabricatæ nomen Ducalis sacelli, et ipse idem ejus auctor habitus et C nominatus quamvis et illius nihil publico elogio testatum, et illius nihil veritate fundatum reperiatur, ut vel ipsis, *inquit*, prælibati archiepiscopalis vicarii litteris supra apertissime patuit. Fuisse tamen tunc temporis pinguioris hujus delubri redditus annuos, cum ex Ducali liberalitate, adjunctis maxime aliis uberrimis piorum civium subventionibus; tum ex quantitate proventuum, qui temporis decursu pendebantur huic religioso loco, in quo præter ministros, tot alebantur pauperes, ad justi instar xenodochii, facile est conjicere. Verum, succedentibus variis patriæ nostræ tam belli quam sterilitatis infortuniis, decrevisse ac imminutos esse redditus, clare constat ex antedicta epistola vicarii archiepiscopalis; in qua legitur, hanc ædem D. Christophori habere annuis in redditibus libras 227, et solidos duodecim imperiales. At sub annum MD excrevisse hujusmodi redditus usque ad libras 312 f. 9 imperiales, et bona immobilia, ex quibus percipiebantur, fuisse æstimata libris octo millibus, et ducentis nonaginta; verisimileque est exinde semper auctos, quemadmodum et ceterarum rerum pretia.

dantur.

13 Cura et munus exigendorum reddituum, sicut et in varios usus erogandorum societati S. Christophori jam diu erectæ incubuit, ac duce Mediolano prædicto approbante, demandatum est. Hujus Societatis sunt honesti cives numero duodecim; quem in numerum aliqui equestris et senatorii etiam ordinis adscripti sunt. Distribuunt quotannis certas eleemosynas pauperibus, adventante nostri Servatoris natali die, loco fortasse alimentorum, quæ in illo olim xenodochio egentibus præstabantur. *Tum subjectis pauculis tam de duabus e regione hujus sacræ ædis domibus, vinea, horto, et area; prædictæque societatis censu; quam de annuo tributo, abbati ibidem S. Vincentii persolvendo (de quibus, ne longiores simus, consuli potest laudatus auctor) sic pergit :* Est ecclesiastico more rite consecrata, ut testantur Acta S. Caroli eam lustrantis; longitudinemque habet cubitorum 24; latitudinem vero 23. In duas item partes erat divisa E ac dispartita, pariete ac ferrea craticula interpositis olim : nunc autem iis de medio remotis atque sublatis adinstar unius amplioris ædis redacta et restituta. *Fuit item mos servandæ in ea Eucharistiæ a festo Paschatis ad festum S. Martini, teste eodem auctore; ubi de pueris ac puellis, qui ibidem Christianis instituuntur præceptis: ac de jure curati S. Vincentii in eamdem ædem, quod archiepiscopalis vicarii decreto confirmatum fuerit, etiam agit.*

Varia alia in Occidente loca

14 *Varia in Occidente monasteria, Sancti nomine insignita, suppeditant indices Mabillonii ad Annales Benedictinos; quibus singulatim recensendis non immoramur.* Arvernis, *inquit Saussayus*, antiqua visitur ecclesia, ejus patrocinio illustris; nec non Lutetiæ Parisiorum alia, titulo etiam parœciali conspicua. *In libro Gallice edito anno* 1668, *cui titulus,* Ecclesia metropolitana et primatialis S. Andreæ Burdegalensis, *inter beneficia ecclesiastica istius archiepiscopatus notatur* S. Christophle de Castillon *pag.* 393; Christophle de Donzac *pag.* 400. *In Ms. nostro Gallico de Sanctis Autissiodorensibus, quod prænotatur extractum e Martyrologio istius ecclesiæ, hoc die signatur* patronus ecclesiarum *vulgo* Sessy-les-Bois, Coulanges-les-Vineuses, F Nitry, Fontenay apud Mailly. Ex reliquiis ejus sunt in Charbuy, et in Mailly-le-château. *In historia captæ et liberatæ urbis Autissiodorensis, a V. Cl. J. le Beuf, canonico et succentore ecclesiæ Autissiodorensis, Gallice non ita pridem edita, pag.* 161 *ponitur tamquam patronus Marciaci; vulgo* le Val de Merci. *Onomasticum sanctum Gallico-Latinum Simonis de Peyronet, anno* 1658 *Tolosæ excusum, in fine inter omissa ponit :* Christal, Christophorus, martyr celebris, qui sub hac nuncupatione habet ecclesiam, Tolosa non procul distantem; ab eoque non paucæ feminæ Christailles in baptismo denominatæ. *Altare vero in honorem ejusdem Sancti nostri in ecclesia Remensia S. Leone PP. IX consecratum, habes in Commentario prævio ad ejus Vitam die* XIX *Aprilis, pag.* 644. *Ad Belgium nostrum quod attinet; ecclesia Cathedralis Kuræmundensis, quæ est unica simul parochialis in ista civitate, sub titulo* S. Christophori *dedicata est; cujus in præaltæ turris culmine exposita visitur ejusdem Sancti statua. Bruxellis ex adverso nostri collegii est gerontotrophium*

AUCTORE J. P.

rontotrophium sub isto nomine; Brugis sacellum in magno foro, in quod statis diebus conveniunt puellæ, a nostris doctrina Christiana instituendæ.

S. Christophori nomine insignita.

15 S. Christophori parœcia Moguntiæ notatur tom. I. Rerum Moguntiacarum anno 1722 Francofurti ad Mœnum edito; apparitio autem de condendo monasterio occurrit apud Leibnitium de Scriptoribus Brunsvicensibus tom. I, pag. 580 (quam infra narrabimus). Et ibid. a pag. 703 occurrunt ista: Tribus fratribus comitibus et Mathildi.. placuit, ut locum suum principalem, unde originem duxerant.. specialiter S Christophoro martyri deputarent. Unde quia quatuor erant, totidem inibi canonicos sacerdotes ordinarunt, et præpositum eis Siboldum nomine instituerunt; qui locus postea in monasterium mutatus est Ordinis S. Benedicti, Rheinhausense dictum; quod non longe ab opido cognomine, in diœcesi Moguntina constructum fuisse, ex Trithemio refert Mabillonius Annal. Benedict. ad an. 1096 in fine. Videri
B etiam potest Bucelinus in Germaniæ sacræ parte altera pag. 75. Item ecclesia parochialis visitur Coloniæ Agrippinæ, ex Gelenio de istius urbis Magnitudine lib. 3, syntagm. 33; ubi et de origine ac progressu ejus; et § 3 inter festa dicitur, quod patroni diem celebrant quotannis XXV Julii; § 4 ponitur inter fraternitates ea, quæ est B. M. Virginis et S. Christophori. Adde sacellum SS. Christophori, Erasmi et Sebastiani lib. 3, syntagm. 116. Ibid. in Fastis lib. 4 ad dictam diem XXV Julii dicitur; eadem die in parochiali ejus patronalia et processio Erunt fortasse qui existiment, nimios nos esse in coacervandis adeo studiose tot minutiis, vix relatu dignis; sed parva etiam non negligenda putamus, dummodo celeberrimi nostri Martyris gloria aliquo usque iis illustrari possit; quando majora desunt, quæ de ipso aliunde satis pro merito memorentur.

CPoli encœnia et ædes una.

16 Neque dubitandum videtur, quin summam in Oriente cultus celebritatem olim adeptus fuerit; sed paucula ex illis ad nostram notitiam pervenere, annosa haud dubie oblivione sepultis.
C Ædes et encœnia S. Christophori die XVI Decembris CPoli, sunt apud Cangium CPolis Christianæ lib. 4, pag. 121, ex Menæis; quæ ædes fuerit juxta S. Polyeucti ædem; sed Menæa die IX Maii ponunt ædem ipsi sacram exstitisse prope sancti megalomartyris Georgii ἐν τῷ Κυπαρισσίῳ, in qua ejusdem Sancti nostri synaxis agi dicitur. Eademne utrobique ædes ista, an diversa? Nescire se id fatetur Cangius. Tillemontius unius dumtaxat ex Menæis sacelli CPoli meminit, ubi festum ejus celebratum fuerit. Neoterico Legendistæ Gallo videtur duplex ibidem ædes exstitisse; atque adeo una ab altera fuisse diversa. In mappa topographica urbis CPolitanæ, in tres partes divisæ, qualis ab auctore anonymo, qui Alexii Comneni tempore vixerit, descripta dicitur ac datur ante tomum 2 Imperii Orientalis apud Bandurum; in mappa, inquam, ista duas invenio S. Georgii ecclesias; et unam quidem ad portam Polyandri, seu, ut Menæa ad XXIII Aprilis, in Deutero (vide Bandurum pag. 484) alteram vero plane ei oppositam totaque urbe diversam, in Manganis (vide rursus Bandurum pag. 606)

imo et altera; monasterium in Galatia.

17 Inter utramque media exhibetur ecclesia S. Polyeucti. An vero et quænam ex duabus istis S. Georgii ædibus sita fuerit in Cyparissiis, incompertum nobis est; sed utravis fuerit; cum ædes S. Polyeucti, juxta quam S. Christophori collocabatur ædes, et utraque S. Georgii tanta D
utrimque intercapedine distent, consequens est, ut dicatur duplex CPoli Martyris nostri ædes exstitisse; et una quidem juxta ædem S. Polyeucto, altera autem juxta S. Georgio sacram. Tempore S. Theodori Siceotæ, mortui anno 613, exstitisse in Galatia monasterium S. Christophori, in quo degebant Deo sacratæ feminæ ac virgines, habes ex Commentario Vitæ ipsius prævio ad diem XXII Aprilis, pag. 32; de quo consule ibidem Vitam ipsam pag. 38, 43 et 57. Nunc relictam tantisper viam relegamus, varias Occidentis regiones lustraturi reliquiarum causa, quæ sub vero vel ascititio nomine S. Christophori pluribus ibidem in locis asservari dicuntur. Ac primo quidem ab Italia incipiamus.

Reliquiæ in Italia,

18 Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romæ humerum in templo Vaticano S. Petri; brachium in S. Mariæ ad portam Æmiliam, vulgo del Popolo, et in S. Petri ad Vincula, et reliquias in aliis ponit; ut videre est in Indice reliquiarum ad calcem dicti libri. Carolus Bar- E
tholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ et gentilis part. 2, pag. 82 reliquias memorat ad S. Sabinam. Masinius in Bononia perlustrata reliquias etiam notat; uti et noster Papebrochius in suo Itinere Romano Ms. pag. 220 brachium Ravennæ. Os ex corpore S. Christophori mart. habes inter reliquias sacrarii Tranensis apud nos die 2 Junii pag. 258. In Indice reliquiarum ecclesiæ Brundusinæ, qui subjungitur Officiis Sanctorum patronorum ecclesiæ, Romæ anno 1583 prælo cusis, notantur ossa brachii S. Christophori martyris. Castellionæus supra allegatus inter sacra pignora ædis S. Christophori, de qua egimus, asservari mandibulam S. Christophori affirmat pag. 266. Et paulo post ibidem, Visitur, inquit in tabernaculo ex aurichalco dens ille magnus S. Christophori, qui dono datus est sodalitati SS. Joannis Baptistæ, Jacobi, Christophori et Christinæ sub certis legibus ample lateque digestis in quodam publico elogio inter Acta Joannoli Piscinæ tabellionis, relato VI Idus Novembris anno MCD. Antedictæ omnes sacræ reliquiæ fuisse antiquitus in hoc delubro, palam factum est, tunc maxime cum D. Carolus visendi causa huc venisset, ex compluribus vetustis indicibus, et ex nonnullis etiam publicis documentis, fide notarii munitis; easque jure et merito approbavit idem sanctus Archiepiscopus, omnique honore dignas laudavit. Idem auctor pag. 259 reliquias ejusdem Sancti apud Laudenses commemorat. Asservari partem humeri Rossanæ, habes apud Ughellum Italiæ sacræ tom. 9, col. 380. In indice reliquiarum Veronensium, qui ponitur ad calcem libri, cui titulus Sanctorum episcoporum Veronensium antiqua monumenta etc. anno 1576 Venetiis editi, recurri pluries Christophori nomen; at singulare est illud, quod inter sacra lipsana ecclesiæ S. Christophori, seu monasterii monialium notetur fol. 78 de osse gutturis ac de lingua ejus.

et Hispaniæ; circa quas nonnulla

19 Nunc Hispania nos vocat. Asservari Toleti ejusdem Martyris venerandas reliquias, ex Breviario Toletano secundum regulam S. Isidori, tradit Baronius in notationibus. Crediderim, inquit Tamayus, translatas eo reliquias paulo post sancti Martyris agonem. At cur id credit bonus Tamayus? Ob auctoritatem scilicet male feriatorum pseudo-Chronicorum, sexcentis locis in opere nostro protritorum, quæ hic cum referre tum refellere supersedeo. Notior utique jam omnibus passim

A *sim eruditis est ista falsitatum figlina, quam ut nos vel aliquantisper hic jure suo debeat morari. Anno autem* 828 *inde eas Valentiam translatas fuisse affirmat; tantumdem fidei meretur; cum id probet ex solo pseudo-Juliani chronico. Credi potest,* ex Catalogo reliquiarum S. E. Toletanæ ab Eminentissimo DD. Bernardo de Rojas et Sandoval..., archiepiscopo Toletano, confecto, num. 44, *quem citat,* adhuc in prædictæ S. E. Tol. sacrario aliquot reliquias *sub nomine* S. Christophori adservari. *Addit, in metropolitana majori basilica Valentina* molam, et alia pignora *quiescere, ex Gasparis Escolani historiæ Valentinæ tom.* I, *col.* 954, *num.* 2 *et seqq.; at vide, obsecro, quam accuratus more suo sit Tamayus; nam de monasterio, apparitione et imagine Sancti agit ibi Escolanus; de mola vero seu mandibula aut maxilla ne verbo quidem meminit.*

a nobis castigantur. 20 *Bivarius in Commentariis ad pseudo-Maximi Chronici annum* 496, *postquam dixisset, Sancti reliquias Asturicam translatas fuisse,* B *affirmat, ibi* portionem quamdam mandibulæ proceritatem viri perspicue demonstrantis, in cathedrali honorifice adservari ecclesia. Vidi, *inquit,* eam venerabundus A. C. MDCXXXI..., percepique dimidiam mandibulam tredecim vulgares libras 16 unciarum appendere. *Apage auctore dignas, Sanctoque indignas nugas. In ecclesia Compostellana S. Jacobi, haberi* unum brachium S. Christophori *notat Ægidius Gonzalez Davila in Thesauro istius ecclesiæ, tom.* I *Theatri ecclesiastici, pag.* 20; *sed rem susceptam reddit Molina in Descriptione Gallæciæ fol.* 5 *verso, quando de reliquiis dictæ ecclesiæ agens, eisdem accenset* brachium *illud, et integrum quidem, quod, uti habemus ex ejus notis, magnitudine sua et quantitate, recte, si ipsi credimus, cujus sit corporis, manifestet. Similis farinæ est* dens columellaris, *quem ecclesiæ Cauriensi tribuit Tamayus ex eodem Ægidio Gonzalez; quem vide tom.* 2, *fol.* 441. *Ac de his plus quam satis; quibus diutius immorari, nihil aliud foret, quam tempus perdere rebus Sancto neutiquam* C *honorificis, et lectoris patientia abuti. Apud cœnobitas monasterii Scorialensis asservantur variæ ossium partes, quæ describuntur in lipsanologio seu inventario reliquiarum, nobis, cum ibi essemus, communicato. At nunc ad alia sacra pignora, Sancti nomen præferentia, alibique gentium asservata, transeamus.*

§ III. Sacræ exuviæ apud Gallos, Germanos ac Belgas; item CPoli; patrocinium, sodalitia.

Recensentur Sancti reliquiæ apud Gallos, Germanos. Digitum *in monasterio Centulensi in Picardia tom.* III *Februarii, pag.* 103; reliquias *in basilica Trevirensi ibid. pag.* 454 *invenies; uti et apud Bononienses, tom.* V *Julii pag.* 297. S. Christophori mart. *mentio fit in numerosissimo reliquiarum ab Eleonora augusta monialibus excalceatis Viennensibus concessarum catalogo apud nos tom.* V *Maii, ad diem* XXI *pag.* 9. *Inter sacra pignora monasterii Murensis apud Helvetos, in Opere de Scriptoribus rerum Germanicarum, anno* 1718 *edito, tom.* 2, *col.* 419 Christoferi, *et* Christophori *ibid. col.* 421 *nomen notatur. Inter varia sacra lipsana a S. Brunone, archiepiscopo Coloniensi, conquisita,* Christophori sanctique Pantaleonis... pretiosas reliquias, quibus se patronis specialius delegavit... ad sanctissimam suæ ecclesiæ sedem miro ambitu variis de locis *eum* attraxisse, *dictum fuit ad diem* XXI *Januarii pag.* 348. *Videri idem potest de hac re Leibnitius de Scriptoribus Brunsvicensibus, tom.* I, *pag.* 283, *in Vita laudati Brunonis, quam is edidit. Apud Gelenium vero de Coloniensis urbis magnitudine lib.* 3, *syntagm.* 3, § 2 *collegiatæ basilicæ S. Severini adscribitur* scapula; *ibid. syntagm.* 4, § 2 *ecclesiæ collegiatæ S. Cuniberti* digitus pedis; *syntagm.* 40, § 2 *Cartusiæ Coloniensi* digitus; *syntagm.* 52, § 2 *monialibus ad Machabæos* dens; *et plures alibi notantur reliquiæ. In vestigio Bohemiæ piæ nostri Alberti Chanowsky pag.* 81 *occurrit* pollex : *in Catalogo autem monasterii Utenburani locum habet noster Sanctus, uti videre est in Suevia ecclesiastica Francisci Petri pag.* 843 AUCTORE J. P.

22 *In Raissii Hierogazophylacio Belgico sequentes recensentur :* de ossibus *apud S. Auberti, canonicorum regularium S. Augustini cœnobium Cameraci, pag.* 81; os parvum capitis *apud nostros patres Anglos Audomari pag.* 161; *apud ecclesiam cathedralem Brugis* de manu et vestimentis *pag.* 200; *apud Lætienses* brachium, *pag.* 280; brachium *item Tungris in collegiata B. Mariæ ecclesia, pag.* 330; *Dononii apud Benedictinas* dens portentosus, *(et ideo nobis merito suspectus) pag.* 201 : *apud Floreffienses Præmonstratenses prope Namurcum* os, *pag.* 219; *apud Wevelgemienses Cistercienses inter Cortracum et Menenas,* magnum os brachii, *pag.* 549; *in metropolitana Cameracensi* os magnum, *pag.* 334; *apud nostros Mechliniæ* officulum ex capite, *pag.* 494. *Aliis ex Raissio referendis supersedemus. De aroasiensibus in Artesia meminimus ad diem* XIII *Januarii pag.* 834. *Nunc relicto Occidente, ad Orientem pergamus.* *ac Belgas :* E

23 *Cangius CPolis Christianæ lib.* 4. *pag.* 112 *agens de S. Jacobi, fratris Domini æde;* Capta, *inquit,* a nostris CPoli *(anno* 1024*)* Gervasius de Castellanovo, nobilis Gallus, diœcesis Carnotensis *(de quo plura tradit idem auctor in Observationibus ad suum Godefridum Villharduinum a pag.* 256, *num.* 5) dextram S. Jacobi abbatiæ S. Vincentii ejusdem diœcesis concesserat; *ac* S. Christophori caput *præter alias reliquias eidem dextræ adjectum fuisse, indicat sequens tetrastichon, quod laudatus auctor in claustro monasterii legi affirmat :* *item illæ, quæ CPoli ad abbatiam S. Vincentii in diœcesi Carnotensi.* F

Anno milleno bis centeno duodeno,
Obiit Gervasius Castrinovi dominus.
Nicolai digitum, dextram dedit ipse Jacobi,
Dulce crucis lignum, Christophorique caput.

Per hanc abbatiam intellige S. Vincentii in Nemore *(S. Vincent aux bois) Ordinis canonicorum regularium S. Augustini; fundatum ante annum* 1212, *ex chartulario abbatiæ; ut videsis tom.* 4 *Galliæ Christianæ apud Sammarthanos pag,* 949; *adi etiam indicem abbatiarum eidem tomo præfixum.*

24 *Porro ex hisce sacris lipsanis solam superesse* veram, *uti vocari ait,* crucem; *et* os capitis S. Christophori, *ibidem testatur Cangius,* reconditum, *sicut addit,* intra duplex ex ære aurato hemisphærium, in medio in ovalem formam apertum; ubi S. Christophorus, militis armati more depictus conspicitur, dextra hastam tenens, *translatæ sunt, quarum dantur inscriptiones,*

AUCTORE J. P.

nens, sinistra scuto innixus cum hisce characteribus : Ο ΑΓΙΟϹ ΧΡΙϹΤΟΦΟΡΟϹ. Infra, hi leguntur characteres, ejusce ævi more effícti, *teste eodem auctore* :

† Ο ΜΙΧΑΗΛ ΠΛΟΥΤΩ ϹΕ ΤΟΝ ΧΡΙϹΤΟΦΟΡΟΝ ΚΚΑΤΕΙ ΚΡΑΤΟϹ ϹΟΥ ΜΑΡΤΥϹ ΕϹΤΕΡΙΓΜΕΝΟϹ ;

ΚΑΙ ϹΕ ϹΤΕΦΑΝΩ ϹΩΝ 'ΔΑΠΑΡΧΩΝ ΤΟ ϹΤΕΦΟϹ ;

Quæ sic Latine interpretatur Cangius :

Ego Michael (*f.* Ducas imp.) exorno (πλουτῶ) te Christophorum,

Conserva (*vel* posside) virtutem tuam Martyr confirmate.

Et te corono : corolla autem est ex tuis primitiis. *Jam vero sive ex conjectura Cangii Michael Ducas, imperator Orientis seculo* XI *aliquantulum provecto, sive alius fortasse aliquis synonymus imperator eodem seculo, illas Sancti nostri exuvias lipsanotheca exornarit ; satis patet, eas præ reliquis multis aliis æstimandas esse tum ob locum, in quo asservatæ, et ex quo translatæ fuisse*
B *referuntur, tum ob antiquam inscriptionem, qua muniuntur.*

Sanctus inter Auxiliatores honoratus, patronus item contra pestem,

25 *De potentissimo hujus sancti Pugilis apud Deum patrocinio summam homines spem concepisse, illud argumento est, quod suis ipsum miseriis et angustiis singulari titulo præesse voluerint. Inter sanctos quippe Auxiliatores, Missa olim speciali honoratos in antiquis Missalibus, ac nominatim Ultrajectensi, et Missali Ordinis Prædicatorum anni* 1550, *diximus ad diem* XXIII *Aprilis, pag.* 149. *Castellionæus supra citatus pag.* 261, *Mediolanenses tempore pestis ad Sanctum confugisse memorat ; interque varias causas, cur id factum sit, illam ponit pag.* 262, *quod* D. Christophorus sagittis confixus fuerit, *atque adeo* meruerit, ut qui in se ipso expertus est sagittarum vulnera, aliis subvenire posset ad se recurrentibus, ut infectæ * pestis sagittas declinare et evitare valerent *Consuli de hac re etiam potest noster Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi pag.* 514. *Sancti imaginem tempore pestis pluribus locis Valentiæ ex consilio S. Vincentii Ferrerii expositam fuisse, docemur ex Escolano historiæ Valentinæ parte* I,
C *lib.* 5, *col.* 959.

* *forte* infestæ

ac dæmones.

26 *Noster Martinus Delrio Disquisitionum magicarum lib.* 6, *cap.* 2, *sect.* 3, *q.* 3 *ex Joannis Molineti Chron. Belg. anno* 1490, *refert,* energumenarum illarum Quercetensium, de quibus egi, *inquit*, non semel, possessores dæmones inter cetera questos, sibi a misericordiæ Matre manubias animarum plurimas quotidie eripi, nec non ab illo Gigante, pueri bajulo, et ab alia rotæ, et alia turris gestatrice : sic enim illos sanctis Mariæ, Chritophori, Catharinæ et Barbaræ nominibus abstinentes, ad ecclesiasticam picturam allusisse. *Amplissimum Sancti gloriæ campum nobis aperiunt sodalitia sacra, que in Germania erecta legimus, magnum utique conceptæ apud ipsius clientes de præsentissimo ejus patrocinio fiduciæ argumentum. Subdere juverit, quas de hac re habemus notitias, in ipsius, qui eas huc misit, fide a nobis excerptas et transcriptas.*

Sodalitium in Alpibus Penninis.

27 *Inter Mss. quippe de* S. Christophoro, *quæ præ manibus sunt, habemus* notas in Vitam S. Christophori mart.; *adjuncta illis epistola,* IV *Julii anno* 1688 *ex S. Lamberti monasterio in Styria a Christophoro Jager ad nostrum Papebrochium*
data ; qua significat, se, quas promisit, et obvias D
ad manum habuit de S. Christophoro notatiunculas *suis* hisce transmittere. *Porro de isto monasterio consuli potest Gregorii Ulrici Chemnicensis Compendium, Salisburgi, anno* 1604 *editum ; uti et historia Salisburgensis, primum conscripta a Josepho Mezger, ad S. Petrum ibidem priore, ac deinde a germanis ejus fratribus Francisco et Paulo, idem ibidem Benedictinæ vitæ institutum professis, post ejus mortem ad finem perducta, et Salisburgi vulgata anno* 1692; *in cujus libro* 6, *pag.* 1188 *exhibetur catalogus DD. abbatum liberi et exempti istius monasterii. Prædictæ itaque notitiæ in rem nostram sic memorant :* Prætereundum non est... sodalitium... S. Chistophori martyris honori in Alpibus Penninis, Vindeliciæ et valli Œnanæ objacentibus, vulgo Arleberg (Gabriël Bucelinus in Rhætia topogr. montem Arulæ vocat) de quibus fusius Paulus Merula Cosmogr. part. 2, lib. 4, cap. 5 ex Simlero et Aventino agit, a quodam infimæ sortis, sed priscæ pietatis homine Henrico Campidunensi institutum. E

cujus initia ac progressus

28 Hic pascendis ovibus in prædictis Alpibus addictus, miseratusque multorum frigore nivibusque sibi pereuntium, ac in præcipitia frequenter aberrantium interitum, quindecim, quos toto famulitii sui decennio comparserat, florenis locuples, ac insuper largitionibus fidelium per Germaniam, Hungariam, Bohemiam et Poloniam ab eo maxima cura corrogatis adjutus, sub titulo et patrocinio S. Christophori, cujus charitatem in transvectandis Christi nomine peregrinis pie æmulabatur, dictam sodalitatem anno MCCCLXXXVI exorsus est ; primoque septennio quinquaginta viatoribus vitam inde servatam in ipsis fundationis litteris testatur : quo etiam anno eadem sodalitas a Friderico episcopo Brixinensi ordinaria, Leopoldi vero ducis Austriaci territoriali authoritate confirmata, jusque domus ac sacelli in vertice montis excitandi datum fuit. Nomen eidem ab exordio usque ad annum MCDXIV dederunt quatuor Duces Austriaci ; episcopi quatuordecim, videlicet Salisburgensis, Chiemensis, Brixinensis. Frisingensis, Tridentinus, Curiensis, Constantiensis, Coloniensis, Passaviensis, Argentoratensis, Pataviensis, Bambergensis, Herbipolensis F
et Maguntinus.

nec non restauratio describitur.

29 Burcardus item et Florianus ; ille Fabariensis ; hic Garstensis in Austria superiori abbas. E marchionum comitumque prosapia sedecim ; ex equestri viginti novem, ex inferiori vero nobilitate supra octingentos : præter eorum uxores pari fere numero in idem sodalitium cooptatas ; quorum omnium nomina ac insignia habentur in libro, e quo hæc aliaque plura exscripsit, ediditque publicis typis R. D. Jacobus Feurstein Camerarius et parochus in Zambs, ejusdem confraternitatis administrator et propagator eximius. Cum enim a seculo XIV * charitate refrigescente, ac etiam hæresibus post hæc ingruentibus, non modo devotio, sed ipsa prope memoria hujus sodalitatis evanuisset, obliteratam eatenus pietatem anno MDCXXVII resuscitandam, magnoque sodalium numero augendam, ac pontificiis indulgentiis exornandam, certis quoque statutis Joannis episcopi Brixinensis authoritate ordinaria roboratis instruendam curavit ; e quibus singularem notam meretur ordinatio § 12, qua pauperibus eas Alpes transeuntibus

* *an* XVI?

A transeuntibus gratuito victu et hospitio; aberrantibus aut periclitantibus commeatu; sacerdotibus egentibus stipendio prospicitur.

Aliud in Carinthia

30 *Præmiserant eædem notitiæ aliam* sodalitatem . . . quam in honorem hujus sancti Martyris in Carinthia anno MDXVII institutam Hieronymus Megiserus in Chronico Carinthiæ, et ex eo D. Albertus Reichart, abbas S. Pauli, in Breviario hist. Carinth., Clagenfurti anno MDCLXXV edito, ad eumdem annum MDXVII memorat. Author illius D. Sigismundus Dietrichstainius, præter generis, aliarumque virtutum merita, pietate in Deúm laudatissimus heros exstitit, eamque viginti, quibus præcipue blasphemias, et insana compotantium certamina eliminavit, legibus circumscripsit, addito symbolo pendulæ S. Christophori imaginis e collo aut pileo a quovis sodalium gestandæ. Quæ eximia Dietrichtainii pietas in exemplum ivit plurimis ex Carinthia, Styria; et Carniolii primoribus viris, huic societati adnumeratis; quorum nomina iidem citati Megiserus et Richardus abbas exhibent. Inter alias autem hujus sodalitatis leges, a Megisero prolixe recitatas, ea in rem præsentem
B observatu digna est, qua statuitur, ut sodales expositam ubivis locorum S. Christophori imaginem contuiti orationem dominicam recitarent; neglectum autem hujus orationis certa stipe in pauperes eroganda luerent.

Lutheri temeritati ac temulentiæ oppositum:

31 Estque haud indignum memoria, eo ipso, id est decimo septimo *(imo decimo sexto)* seculo, huic piæ societati datum initium, quo Lutherus in omnem Dei Cælitumque injuriam impie grassatus in arenam prosiliit, Ecclesiæque ac Christianæ sobrietati nefarium bellum indixit. Nec dubitaverim, conspicuam S. Christophori figuram eo quoque ex capite publice solitam exponi, ut in oculos passim incurrens adscriptos eidem fœderi sodales reverentiæ in Superos, juratæque sobrietatis ipso sui conspectu admoneret. Meminit hujus sodalitatis Speculum honoris Austriaci, ex monumentis D. Jo. Jacobi Fuggeri Norimbergæ anno MDCLXVIII editum, ubi ejusdem erigendæ occasionem, Cæsari Maximiliano I, pietatis in Deum ac sobrietatis studiosissimo tribuendam affirmat. Has enim illius virtutes a dicto D. Sigismundo, eidem imperatori perquam familiari, propius notatas, uti principum in bo-
C nis malisque peræque validissima sunt exempla, animum impulisse, ut eo religionis authoramento et optimo principio se probaret, et reliquam nobilitatem in idem sodalitium, virtutisque studium attraheret.

circa cujus utriusque sodalitii narrationem, quædam observantur.

32 *Ita nos docet laudatus Christophorus Jager, qui tum hic egregium sui patroni cultorem, tum alias insignem Operis nostri æstimatorem se probavit, typis edita non invenustæ venæ elegiaca parænesi, qua Majores nostros hortatur, ut in continuandis Sanctorum Actis æmulorum conatus contemnant. Neque abs re fuerit interspersos superiorum notitiarum textui characteres pauculis illustrare.* Leopoldus *apud Rittershusium in tabula imperatorum Romanorum et archiducum Austriæ notatur, cognomento* probus, occisus ad Sempach IX Jul. MCCCLXXXVI; *ac proin, stante hac Rittershusii ratione temporis, confirmatio supra memorata, ultra istius anni diem removeri non potest.* Fredericus *de Nenzingen ex episcopo Curiensi factus Brixinensis ponitur apud Bucelinum Germaniæ sacræ part.* 1, *pag.* 46, *et obiisse anno* 1396. Fabariense *monasterium Benedictinum congregationis Helvetiæ, diœceseos Curiensis, notatur apud eumdem Bucelinum Germ. sacr. parte altera, pag.* 178. Garstense *autem ejusdem Ordinis in ripa Anassi fluminis, B. M. Virgini sacrum, ibid. part.* 2, *pag.* 37; *de quo item historia Salisburgensis citata lib.* 4, *cap.* 3, *pag.* 365; *et lib.* 6 *inter abbates S. Pauli, Ord. Benedict. in Carinthia, quorum catalogum texit a pag.* 1204, *laudatur* Albertus Reichart, vir insignis doctrinæ, cujus exstant plures ingenii partus, *anno* 1617 *electus.* Sigismundum *in tabula Dietrichsteiniorum, natum* 1484, *mortuum* 1538, XX *Maii;* Maximilianum I, *in ea, quæ est imperatorum etc. domus Austriacæ; natum* 1459, XXII *Martii; electum imperatorem* 1486, V *Aprilis, mortuum* XII *Januarii* 1519 *Rittershusius recenset. Hieronymi Megiseri Chronicon Carinthiæ, Germanice editum anno* 1612 *in promptu nobis est; in quo a pag.* 1294 *agitur de Sancti sodalitio.*

§ IV. Apparitiones; protritæ hæreticorum contra S. Christophori existentiam blasphemiæ. E

S. Christophorus Friderundi virgini apparens, jubet sibi construi monasterium

Apparitio S. Christophori *refertur apud Leibnitium de Scriptoribus Brunsvicensibus tom.* 1, *pag.* 580 *in hæc verba:* Anno... post partum Virginis millesimo venerabilis domina. Frederunda, serenissimi Altmanni comitis, et felicis uxoris ejus Hathewigis, comitis de Olesburch filia, divinæ inspirationis ductu castrum suum in Stederborch divino servitio mancipavit . . . Quæ venerabiles feminæ cum de Olsburg, comitante exercitu, castrum suum Stedereburg venandi studio inviserent, venatoribus bestias cornicolando insequentibus, egregia virgo Friderundis in sinu venerabilis comitissæ Hathewigis, matris suæ reclinata obdormiens, præstantissimum egregiæ formæ miræque longitudinis gloriosissimum Christi martyrem S. Christophorum, altitudini muri incumbentem, taliaque sibi dicentem aspexit: In hoc loco divinitus electo mihi monasterium ædifi- F
cabis, et sanitatem integerrimam tam animæ quam corporis recuperabis. Quæ subito evigilans, supernæ visitationi congaudens, spiritualiter jucundata, matri devotissimæ cælicam visionem simul et divinam jussionem alacriter intimavit.

quod Hathewigis, Friderundis mater exsecutioni mandat:

34 Quibus gratissimæ filiæ dictis, devota comitissa Hathewigis ardentissimo sancti Spiritus fervore succensa, gratulabundo animo consentiens, ejecta raptorum et prædonum violentia, de castro latrocinii, claustrum largissimis expensis et ædificiis decrevit fieri. Hoc, inquam, castrum Deo servientibus deputavit, et collegium sanctimonialium canonicarum, ut vulgo dicitur, secularium, prout de patrimonio eodem sustentari poterant, coadunavit. Eo tempore gloriosissimus et summe justus.. Henricus Bavenbergensis totius imperii monarchiam feliciter tenebat, et septimo anno ante institutionem ecclesiæ Bavenbergensis . . . , hujus donationis et felicis institutionis cœpit initium; *quam confirmavit idem imperator confecto super hac re instrumento, ac* dato IX Kal. Febr. anno domi-

nicæ

AUCTORE J. P.

nicæ incarnationis MVII, Indictione III; *sed cum isto anno concurrit Indictio* V. *Referuntur illa ex Chronico Stederburgensi, quod ad annum usque* 1319 *perductum est; quodque, sicut notat ejus editor in introductione ad suam Scriptorum collectionem, imperfectum ediderat Meibomius, non viso ipso codice authentico: quem olim ex archivo Guelfebytano nactus, quæ deerant supplevit, integrumque libellum dat idem editor, uti addit.*

cujus rei adjuncta hic explanantur.

35 *Imhovius in Notitia sacri Romani Germanici imperii, lib.* 4, *cap.* 4, *num.* 25 *supra dicti comitis uxorem* Hedwigam Palatinam Saxonicam *nominat. Merianus in topographia ducatus Brunsvicensis et Luneburgensis, a pag.* 190 *de monasterio* Steterburg, *ejusque vicissitudinibus, quod ita situm dicit, ut Guelfebytum et Brunsvicum in prospectu habeat, varia collegit; novissime autem a serenissimis Rudolpho Augusto, et Antonio Ulrico, germanis DD. Brunsvicensibus et Luneburgensibus, instauratum, splendidius exstructum, ac in heterodoxum parthenonem nobilium conversum fuisse anno* 1691, *tradit idem Imhovius loco citato. De S. Henrico actum die* XIV *hujus. De* mira longitudine, *sub qua apparuisse Sanctus dicitur supra, consuli possunt, quæ postea discutientur, de statura, ut volunt, Sancti gigantea.*

Alia apparitio refertur contigisse in Hispania.

36 *Escolanus in historia Valentiæ superius memorata, tom.* 1, *lib.* 5, *cap.* 10, *col.* 594 *refert mirabilem apparitionem, quæ anno* 1391 *ibidem contigerit in loco, Judæorum tum temporis synagogæ destinato; postea autem in ædem ac monasterium Sancto sacrum commutato. Accipe rei gestæ compendium. Volunt itaque terribilem auditam esse vocem, quæ Judæos absterruerit ab erroribus; quaque* S. Christophorus *loqui sese indicarit, ac jusserit evacuari domum istam, ac nomini suo dedicari; vocem illam postridie repetitam ac perendie; loco effosso invenisse Judæos parvam Sancti imaginem; suborta deinde seditione, plures eorum occisos, alios ingenti numero baptizatos; synagogam in honorem* S. Christophori *dedicatam, non sine novo, uti fertur, miraculo.*

sed quæ pro rerum adeo mirabilium existentia non satis stabilitur.

37 *Lampades nimirum, quæ illuminabant altare novum cum imagine Sancti, cum pluries exstinctæ essent, sponte accendi visas esse; nulloque imposito eis novo nutrimento, manasse ac crevisse oleum, sanando infirmos, qui illo se ungebant. Crescente autem pio erga hanc sanctam ædem affectu, in monasterium abiisse Canonicarum regularium Ordinis S. Augustini anno* 1409. *Hisce insuper Escolanus addit, librum super ista historia compositum fuisse a Joanne Bapt. Agnes, ecclesiæ majoris ibidem beneficiato; qui liber desumptus fuerit ex instrumentis publicis et authenticis. At cum non proferat Escolanus ista documenta, ut ab eruditis dispici queat, cujus sint auctoritatis ac fidei, non ægre feret, si dicamus, majorem pro historia hujus apparitionis firmitatem desiderari, ut credi possit tamquam vera. Melioris enimvero notæ est apparitio Sancti sequens, quæ in Oriente contigit versus monasterium Galatiæ, sub ipsius nomine dedicatum; de quo supra meminimus.*

Certior est alia apparitio in Oriente.

38 *Apud nos itaque in Vita S. Theodori Siceotæ ad* XXII *Aprilis a pag.* 42 *leguntur ista:* Ductus est ad eum puer e quodam monasterio nomine Arsinus, qui a spiritu immundo vexabatur... Itaque cum vellet Christi servus sancti martyris Chistophori mulierum monasterium invisere, secum Arsinum duxit.. Commoto igitur dæmone, cœpit affligi et in sublime tolli. Dæmon autem suspensus dicebat: Egredior, fervore: tantum solve me, et statim discedam. Et hæc dicens, vidit sanctum Christi martyrem Christophorum, Dei servo obviam venientem, et vehementius ululans dæmon, prostravit illum ad pedes ipsius atque discessit. Cumque se collegisset, duxit eum vir sanctus in ipsius Martyris monasterium *etc. Melioris, inquam, notæ est hæc apparitio, cum fundetur in Vita, a S. Theodori discipulo conscripta. Atque ex his, quæ de antiquo Pugilis nostri cultu, publica veneratione, ædibus sacris, atque apparitionibus hactenus a nobis producta fuere, liquidissime constat, Sanctum aliquem in orbe exstitisse, sub* S. Christophori *nomine cognitum, honoratum atque invocatum; idque adeo certis et irrefragabilibus rationum momentis evictum datur, ut vel obstinate, qui hoc neget, excors sit, vel in clarissima veritatis luce cæcitate voluntaria obductus tenebras affectet; adeo ut mirum sit, ne dicam incredibile, inventos esse, qui assererent, hujusmodi Sanctum numquam exstitisse in rerum natura: quorum somnia refutare aggredimur.*

Sancti existentiam negantibus hæreticis, eam probat Serarius.

39 *Si hagiomastiges impios ac blaterones novatores audimus, jam Sanctus noster erit inane sine re phantasma, et umbratilis fungus, ex vanis nocturnæ illusionis somniis in catholicorum cerebello natus: eo namque insaniæ fere redeunt, quæ infrunito ore contra ejus existentiam eructant, et conducto ad maledicendum calamo scribillant. Sed egregium imprimis contra sycophantas ejusmodi atque invictum pro Ecclesia Dei et honore Sanctorum murum se opposuit noster Nicolaus Serarius in opere, cui titulus Litaneutici seu de Litaniis, duobus libellis conscripto, quod inter opera ejus theologica Moguntiæ excusa, habetur tomo* 3. *Huc spectat lib.* 2, *quæstio* 20, *hoc titulo notata,* An in rerum natura exstiterit aliquando S. Christophorus? *Probat hoc Serarius* I. *Ex* S. Christophoro *apud S. Eulogium; de quo nos supra.* 2. *Ex monasterio apud Gregorium magnum; de quo item jam nos egimus.* 3. *Ex Martyrologiis; de quibus abunde a nobis dictum est.* 4. *Addit Menologium ecclesiæ Græcæ, monasterium hujus Sancti et ecclesiam Cordubæ, reliquias Toletanas; quarum rerum major a nobis data fuit notitia superius.*

variis argumentis;

40 Patrocinium *Sancti,* ut qui Christum portare humeris meruisset, ab Anglis et Germanis adhibitum esse ad Deum, *novatoribus ex ipsomet eorum assecla Rainoldo, in os regerit; quem id dicit confirmare ex Missa de Sancto in Sarisburiensi Missali, et ex Hildesheimensis ecclesiæ ordine apud Kemnitium Examinis parte* 3. *Nec præterit Ruggerum Fuldensem, e quo brevem de Sancto isto epitomen concinnavit in Hagiologio suo Wicelius; nec indictam relinquit veterem Ludovici imperatoris Litaniam, quæ in S. Bartholomæi Francofurtensis archivo custoditur, etc. Nunc autem quænam a novatoribus machinæ adhibeantur ad eliminandum e rerum natura, atque adeo e Cœlitum cœtu* S. Christophorum; *ac deinde Serarii contra eorum cavillationes responsa in medium proferamus.*

et futiles eorum argutias

41 Primam, *inquit Serarius,* petunt a nomine, quod appellativum esse *volunt.* Alteram ab historiæ ipsius mendis: „ Cum alicubi sub „ Dagno rege passus in Samo „ inquit Raynol- „ dus „ nescio qua, sive Ciliciæ urbe sive „ Lyciæ

AUCTORE J. P.

A " Lyciæ " Tertiam a giganteæ molis pictura. Quis " ait Daniel Chaimerus Calvinista " posset Christo- " phorum negare portentum esse ? " Et per ludibrium Cythræus in Onomastico suo Polyphemum appellat. *Ad objecta autem ista ita Serarius apposite respondet.* Ad primum. Negat nemo, *inquit*, Christophori nomen posse ut appellativum accipi, quod Latine Christifer aut Christipho-us vertatur : nam sane a D. Athanasio Orat. contra idola B. Paulus vocatur χριστοφόρος, et cum sacrosanctum Domini corpus suminus χριστοφόροι γινόμεθα, ut ait in Mystagogica 4 Hierosolymitanus S. Cyrillus. Unde et seniorum apud Polonos pietas Christianum sacerdotem vocat interdum Piastum Bozi, id est, gerulum Dei, seu θεοφόρον. At nonne multa hujusmodi appellativa sunt, quæ usu ac instituto facta propria? Nonne Sanctorum quilibet θεόφιλος est? Et tamen apud S. Lucam Theophilus unius proprium nomen est? Nonne quisquis amat equos φίλιππος est? Et tamen B Apostolorum unus ita nominatur.

circa Sancti nomen;

42 Quid Stephanus, Petrus et Paulus? Nonne vocabula communia sunt? Et tamen primi Martyris primorumque Apostolorum nomina sunt. Quid Philemon, id est, amabilis, et ejus servus Onesimus, id est, ut Mureto recte adversum, utibilis? Imo et Adam utroque in Scripturis modo appellatur : fereque omnia Græcorum propria ejusdem sortis sunt. Equorum etiam propria nonne illa sunt, quæ alioquin appellativa? Volucris apud Capitolinum in Vero; Incitatus apud Martialem; Babylonius apud Ammianum lib. 23. Est igitur non appellativum modo, sed etiam proprium nomen Christophorus; quod a Sancto isto acceperunt non illibenter in Græcia, Hispania, Germania, Gallia, Polonia, provinciisque aliis Christiani, sicuti et illæ Alexandriæ in Sophia prope Pharum, de que in Prato Sophronius c. 105.

strenue refutat;

43 *Deinde blaterones illos merito comparat Serarius cum ethnico Medaurensi Maximo, qui apud S. Augustinum epist., quam citat,* 44 *Christianos ob Sanctorum vel mortuorum nomina quædam irridat; sed cui egregie in sequenti responC deat epistola Augustinus, ab Afro apud Afrum exagitanda non fuisse Punica nomina. At pleni, ut ita dicam, sunt libri, plenæ scriptorum lucubrationes, plena exemplorum vetustas, atque Acta præsertim nostra, ut aliunde exempla deessent; in quibus nomina Sanctorum, quæ propria sint simul et appellativa, sexcentis locis recurrunt; quorum sæpissime etymologia apud nos inquiritur et indicatur. Ne remotiora aut diu præterita consectemur, quando vicina et nupera in promptu sunt, videant scioli isti vitilitigatores illa, quæ ad diem* XVII *hujus pag.* 263 *dicta sunt occasione S. Alexii, Risciæ apud Syros nomine nuncupati; et quiescant porro ac desinant maledicere. Nunc pergamus cum Serario, ad secundum objectum ita respondente :*

et recte probat, non ideo Sancti existentiam negandam;

44 Dixi jam supra, *inquit*, non ideo ex hominum numero removendum quemquam, quia vanæ ac mendosæ de ipso narrationes. *At vero, sicut dixerat sub initium præsentis quæstionis* 20 an e beata Sanctorum civitate *Martyrem nostrum* exturbent tam futiles ac stuppeæ ratiunculæ? An proletarium, vulgaremque quemlibet e possessa multos jam annos domuncula, vel urbecula et vico, tales ullæ apud sapientem gravemque judicem, expellant cavillatiunculæ? *Reliqua Serarii ad objectum secundum sunt ista :* Et e Catholicis non desunt docti, diligentes, Christianæque antiquitatis scientissimi, qui in hujusce generis emaculandis maculis laborarint, hodieque laborent navissime, ut vel in unius .... Baronii Martyrologicis prioribus ac posterioribus notis, in omnibusque Annalium tomis videre est; adeo ut quæ de Dagno rege, aliisque similibus in Sancto etiam Georgio et Catharina inculcat Rainoldus, ex Catholici hujus hauserit omnia fontibus.

quod multa ipsi falsa efficta sint.

45 *Porro quid jam a centum fere annis circa Sanctos et eorum Acta a nobis præstitum fuerit, facile patimur hic sileri. Quid plura? Objectum hoc secundum, seu ineptum ac miserum potius sophisma, ad dialecticam triobolarem relegandum, ulteriore refutatione non indiget : cum infirmitas ejus et aperta prorsus falsitas quemlibet prima fronte ferire debeat, qui affectata pertinacia abreptus non sit; et Serarius* S. Christophori causam, *teste nostro Gretsero lib.* 2 *de Festis*, ita egerit, ut si quid in posterum sectarii contra hiscere velint, limites prudentiæ longe sint transcensuri, nisi prius Serariana argumenta solide refellant; quod sat scio, *inquit*, numquam facient; homines, qui in hoc argumento nullum penitus argumentum, præter suam ἀπιστίαν seu incredulitatem, adferunt. *Tertiam eorum cavillationem exhibebimus paragrapho proximo.* E

§ V. Sancti existentiæ nihil officit statura gigantea ; an et qualis illa fuerit.

Pro statura Sancti gigantea varias offert conjecturas Serarius;

A*d tertium hæreticorum argumentum ita respondet Serarius pag.* 85 : Cur gigantea objicitur moles? An gigantes nulli sunt? An ii omnes mali ac impii? An e quolibet genere, statu ac statura non potest Sanctos excitare, qui e lapidibus filios Abrahæ potest facere Deus? Si certum aliquod Sancti hujus exstaret alicubi membrum, posset, ut ex Herculis pede apud Gellium lib. I, F cap. I a nonnullis factum colligi, fuissetne revera gigas. Scripserat S. Augustinus lib. 15, cap. 9 hæc " Vidi ipse, non solus, sed aliquot mecum, " in Uticensi littore molarem hominis dentem " tam, ingentem, ut si in nostrorum dentium " modulos minutatim concideretur, centum nobis " facere videretur potuisse. Sed illum gigantis " alicujus fuisse crediderim. " *Deinde Serarius citat Ludovicum Vives, in hunc locum scribentem, dicentemque,* ostensum esse *sibi* molarem dentem, pugno majorem, quem dicebant esse illius. *Affert item Bernardum Bredenbachium Serarius, qui in Hierosolymitana sua peregrinatione* p. I. c. de reliquiis Venetis, *notat* os quoddam magnum S. Christophori; *ac denique Serarius sic pergit* : Nec forte absque fundamento et causa, pictorum pene omnium in vastiorem Sancti hujus figuram consentiens delatus penicillus. Nolle tamen *sese* solis pertendere conjecturis, *recte adjungit.*

quæ utcumque se habeant, nihil inde accedit hæreticis. Raynaudus illam staturam tenet;

47 *Jam vero sive illæ circa giganteam Sancti nostri staturam conjecturæ falsæ sive veræ sint; somnia certe sibi fingunt hagiomachi, quando ex hac parte præsidii aliquid sperant, quo eum e rerum natura, ac proin e Cœlitum numero proscribant;*

AUCTORE J. P.

scribant; statque et stabit porro, quidquid impie ipsi obganniant, nemini negandum esse verum ac realem locum inter mortales ac Cœlites ideo quia falsa de illo circumferuntur. Noster Theophilus Raynaudus in Sanctis Lugdunensibus agens de symbolis Antonianis, eadem occasione pag. 346 *editionis Lugdunensis anni* 1662, *post Romanam tertiæ, tractat de symbolica* S. Christophori *pictura, contra sectarios, et simplices quosdam Catholicos; qua tam hi, quam isti in errorem, quamquam toto cœlo diversum, inducti sint; de qua re vide infra.* Quamquam, *inquit,* proceritas corporis S. Christophori, et gigantea statura, citra symbolum admitti potest, cum Serario *loco supra citato*, et aliis. *At se* nolle solis pertendere conjecturis, *Serarius diserte subjecit, sicut vidimus.* Alii *isti, quos appellat Raynaudus, vel forte tantumdem dicent, vel si quid dicant amplius, erunt haud dubie exiguæ ætatis et auctoritatis; cum nomina eorum non exprimat, nec alioqui multum solidi ad rem præsentem sperari possit.*

B 48 *Argumentum, quo eam confirmat, apud æquos arbitros habebit parum suadæ; quia nimis est incredibile, ne dicam ridiculum et paradoxum.* Pedem *inquit,* cum crure, et coxa ejusdem Martyris, carne ac pelle plane integra, capto per Turcas Byzantio, exportatum in Occidentem, cum Gennadii patriarchæ syngrapha, scribit ex testimonio Bosnensis antistitis Melchior Inchofer in Mantissa ad opus pro epistola Deiparæ nota 76. Dimensio autem pedis illius pertingebat a calcaneo hominis justæ staturæ ad axillam ejusdem. Ex quo æstimare licet totius corporis proceritatem, et magnitudinem, ut ex Herculis pede, *de quo supra. Et tandem sic concludit:* Itaque quantum attinet ad molem, et proceritatem, potest S. Christophori imago accipi ad litteram, absque symbolicæ interpretationis adminiculo. *Ita ille rotunde satis et affirmate, si ita solide.*

sed eam non satis probat.

49 *Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum magis caute et pedetentim incedens; quod pertinet ad giganteam staturam,* qua pingi *Sanctus* consuevit, quid dicam, *inquit,* non habeo; *retulisse contentus* ex hymno *Toletano*
C *secundum regulam S. Isidori* hos versus, quibus ejus imago describitur, imo potius tantummodo adumbratur. *Ita sonant:*

Baronius videtur illam improbare:

Elegansque statura, mente elegantior,
Visu fulgens, corde vibrans, et capillis rutilans:
Ore Christum, corde Christum Christophorus insonat.

Et ex capitulo recitat ista: De minimo grandis, ut ex milite dux fieret fidelium populorum *etc. Escolanus citatus, col.* 907, *satis gnarus ex eo, quod hic apud Baronium dicitur Sanctus non giganteæ sed* elegantis staturæ *fuisse, everti dentem molarem Valentinum, de quo supra egimus, immerito sapientissimum Annalium conditorem traducit, quasi levibus et apparentibus in speciem argumentis totam historiæ ecclesiasticæ machinam evertat.*

50 *At bona verba, quæso: quid Baronius egerit pro veritate historiæ ecclesiasticæ, novit orbis universus. Ratiunculas, quas Escolanus in longum extrahit, ut probet istum dentem vere habendum tamquam dentem* S. Christophori, *non moramur; cum apud ipsum videri possint; et si vel unica rem conficeret, non prætermitteremus illam referre; sed in factis positivis, quæ vocant, et mere historicis non ratiunculis aut conclusiunculis innitendum, sed solidis, antiquis* D
et idoneis testimoniis; hic præsertim, ubi plurimi auctores veram, realem ac physicam staturam gigantis Sancto abjudicant, symbolicam autem ei solummodo concedunt; an et quam vere mox a nobis discutietur. Baronius certe, sive suum dumtaxat circa staturam giganteam judicium suspenderit; sive potius ex dicto Breviario inclinari se passus sit, ut illam negaret, plusculum certe acutius hic videre potuit ac debuit, quam Escolanus, aut plures alii istiusmodi notæ scriptores. Porro tametsi dicat Baronius, veram, realem ac physicam staturam sibi ex dicto hymno esse incompertam, verba tamen Missalis Mozarabici, Isidoriani seu Toletani giganteæ isti staturæ multum favere non ignoramas: nam in Missæ, quæ est de sancto Martyre nostro, Inlatione, *ut ibi vocatur, seu Præfatione sic dicitur:*

(idcirco non recte reprehensus ab Escolano)

51 Qui., Christophorum et corporali ostensione terribilem, et gratia muneris eminentem... demonstras.. Quem *(cæsarem)* ita suo almifico *ille* terruit aspectu, ut properaret cadere de solio suo; vere Christicolam intuens magnum. *Id quod manifestissime redolet Sancti Acta; quæ staturæ ejus cubitos duodecim tribuunt; alibi autem totidem dumtaxat pedes eidem dantur.* Porro ea omnia, *sicut pergit Baronius loco citato*, quæ de S. Christophoro feruntur, de palma, flumine, statura procera; ea, *inquit,* omnia Hieronymus Vida, episcopus Albæ, allegorico sensu interpretata egregio cecinit epigrammate: *a cujus interpretatione sese non multum abhorrere, tracite quidem sed non obscure tamen idem Baronius insinuat, quando mox mentionem faciens de symbolicis picturis Christianis antiquitus pingi solitis, de quibus egisse se dicit ad diem* XXIII *Aprilis in Georgio, tacite item videtur innuere, quod sicut illius Sancti pictura,* symboli potius quam historæ alicujus, opinari *se dicit,* esse expressam imaginem; *sic totus ille,* qui S. Christophoro *appingi consuevit, apparatus, typus sit, seu symbolum, quod res a Sancto Christi ac fidei Catholicæ ergo exantlatas allegorice potius repræsentet, quam veram et realem historiam: præsertim cum mos ille, symbolicas ejusmodi picturas pingendi, apud Christianos in usu fuerit jam inde ab antiquissimis temporibus, uti constat ex Eusebio in Vita Constantini imperatoris lib. 3, cap. 3; et ibidem Baronius recte observat.* F

et sequi, quem citat, Vidam in significatione symbolica; E

52 *Nunc juvat audire, quam graphice et eleganter singula,* S. Christophoro *appingi consueta, ea præsertim, quæ immanem corporis proceritatem spectant, exprimat symbolice et allegorice laudatus Vida episcopus; quando sic canit:*

cujus auctoris locus profertur.

Christophoro, infixum quod eum usque in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris:
Quem gestans quoniam multa es perpessus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta mari *.
Id quia non poteras, nisi vasti corporis usu,
Dant membra, immanis quanta gigantis erant,
Ut te non capiant, quamvis ingentia, templa:
Cogeris et rigidas sub Jove ferre hiemes.
Omnia quod victor superasti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat cum fingere vera.
Accipe cuncta bono, tu bonus, ista animo,

* an maris ?

Atque hæc quidem quia Sancti potissimum staturam giganteam, de qua hic quærimus, symbolice adumbrant; dicta sunto: de aliis, quæ insuper

A *insuper ipsius imagini adjungi consuevere, dicemus alibi, ubi de ejus imagine agemus.*

Quod Sanctus statura fuerit vere gigantea

53 *Staturam porro illam si in sensu proprio, physico ac reali accipiendam velis, necesse omnino est, ut aptis eam testimoniis probes, talibus utique, quæ antiquitate, auctoritate ac rationum momentis idonea sint, ut pudentem eliciant assensum: imo vero quanto res magis singulares, extraordinariæ et inauditæ, quarum veritatem persuadere quis cupit, exstiterint, tanto firmius ac solidius ex stabiliendæ sunt, ne quæ prius apparebant mirabiles, paradoxæ postmodum atque incredibiles habeantur, quia debito modo non probantur. Jam vero quoniam statura ista gigantea adeo inter alios omnes, quantum scimus, Sanctos, rara, inusitata et inaudita est, et soli huic nostro Sancto peculiaris ac propria, postulare nobis liceat, uti eam solide alicunde stabilias. Et, amabo, unde id effectum dabis, nisi ex Actis, quæ tametsi antiqua esse fateamur, parum tamen aut nihil ac in re auctoritatis habent, quia alibi passim non modica correctione indigent; sicut* B *postea ostendetur.*

neutiquam alicunde satis probatur.

54 *Quæ referuntur a Serario superius num.* 46 *circa staturæ giganteæ existentiam ac possibilitatem, neutiquam evincunt, tali statura Sanctum nostrum fuisse præditum; sed evincunt, dari posse gigantes, ac proinde nihil pugnare, quo minus homo hujusmodi unus ex illis exstiterit Martyr noster. Ast illud præsentem staturæ controversiam neutiquam dirimit: neque enim valet argumentum a potentia ad actum, uti loquuntur philosophi: et sane ratio a giganteis aliorum staturis petita, id unicum probat, talem etiam in nostro Sancto dari potuisse; quod hic non quærimus, quodque nemo negaverit: sed illud quæritur, illud urgetur et contenditur, ut mirabilis illa statura re ipsa, vere ac physice in Sancto exstitisse, fide dignis documentis ostendatur. Talis enimvero Albanensi episcopo displicet; talis Baronio non probatur. Ribadeneyra noster in Vita Sancti Hispanica, quæ habetur in Flore Sanctorum hoc die, videtur mediam quamdam inivisse viam, dum* altam *quidem* et grandem staturam *ipsi tribuit, non tamen giganteam. Papebrochius in* C *Ephemeridibus Græco Moscis ante tomum* I *Maii pag.* XXVI *non obscure præ se tulit, quid de hac controversia sentiret, dum candide profitetur:* Quam facile est *hujus celeberrimi Martyris* probare cultum, et giganteæ imaginis MYSTERIA explicare, tam difficile erit ex fabulosa ejus Legenda aliquid certæ veritatis elicere.

Nos viam quamdam

55 *Suprest nunc, ut nostram nos sententiam exponamus, quæ sit non systema certum, sed mera hypothesis, juxta quam controversa hæc difficultas, declinato utroque extremo, et retento aliquo medio explanari queat. Supponamus itaque Sanctum supra ordinarium hominum staturam ita procerum fuisse, ut ceteris quidem omnibus notabili cum discrimine altior emineret, non ea tamen proceritate, ut vel remote ad giganteam pertingeret. Hoc posito, scriptum alicubi in antiquo Kalendario vel Fastis fuerit, quæ nunc interciderint, quod fuerit vir* procerissimæ staturæ, *uti revera scribitur in lectione* I *de Sancto, quæ habetur in Breviario Slesvicensi, anno* 1512 *typis edito; quæ statura sic in exemplari, quod præluxerit dramatico totius historiæ exornatori, reperta, quoniam sua interesse putarit, ut Sanctum suum sub mirabili schemate in theatrum produceret, ita sub ejus manu excrescere perrexerit, ut ex procerissima in giganteam transformata ab ipso sit; adjecto postmodum vel ab eodem fabulatore vel ab aliis ejusdem genii nugatoribus toto illo alio apparatu.*

AUCTORE J. P.

in hoc argumento mediam proponimus.

56 *Simili forte ex causa cœperint symbola, S. Georgio appingi consueta: nam* non imus inficias, *inquit Baronius loco supra citato,* S. Georgium, ut equestris militiæ militem, equestri imagine referri consuevisse; *qua semel inducta, facillime contingere potuerit, ut sub penicillo pictorum pulatim excreverit atque accreverit symbolica ista scena, ingeniosæ eorum inventioni non tam longe quæsita, quam sponte quodammodo et ex natura rei oblata; id est eques armatus, draconem cuspide tranfigens; ac virgo juxta posita, quæ supplices tendens manus, auxilium imploret. Quippe ni itaque simile plane modo de Sancto nostro ratiocinari liceat? Verum quæ super hoc argumento hactenus diximus, non aliter accipi volumus, quam ut meram conjecturam, ac puram putam hypothesim; cui consentire vel dissentire,* E *liberum omnino unicuique sit, et melius aliquid suggerere. Statura porro hæc gigantea præluxit, sicut modo innuebamus, reliquo symbolico comitatui, qui in Sancti imagine seu pictura repræsentari solet; de qua nunc agendum.*

§ VI. Imaginum Sancti abusus, usus et significatio.

Inquiritur, cur exposita Sancti imago ante templa;

Molanus in opusculo de historia sanctarum imaginum et picturarum pro vero earum usu contra abusus, libris quatuor edito, lib. 3, *cap.* 27 *multis modis* S.Christophori *picturam discutit. Quæ potissimum huc spectant, inde delibabimus, usuri editione Lovaniensi anni* 1594. Imprimis solent eum, *inquit,* passim pingere in aulis ædium, et in templis, ut facile conspici possit. Imo audio in Alemannia multis locis depictum esse extra templum, circa ingressum, aut in exteriori templi pariete. Hujus autem causam indicant quibusdam locis subscripta carmina; qualia sunt:

Christophori sancti speciem quicumque tuetur,
Ita nempe die non morte mala morietur.

Verum cum alias *(lib.* 2, *cap.* 35*)* diximus istud F vanum esse, merito rectius facere censentur, qui alio decenti loco ejus imaginem statuunt, ut ex loco non possint hujus vani erroris occasio desumi. *Ita ille, et recte: quamquam non videmus, cur, sicut ista pictura ita exposita occasionem dare potest superstitioso vulgi errori, ita alio modo adhiberi non possit, ut maneat usus, ac tollatur abusus.*

ubi cavendus abusus.

58 *Serarius antea productus:* Cur vero, *inquit,* ante templa pleraque sacrum hoc pingatur symbolum, quærunt nonnulli. In citatis versibus, *quos et nos jam citavimus,* respondere aliquid videtur Cremonensis Vida, et plura Lucas Gauricus; sed significari puto nobis, ut Christum dominum feramus ipsi, ædes ingrediendum sacras; ibi transmissis tantisperque sepositis mundi hujus aquis, advocandum, et in humeros vel animos potius imponendum Christum dominum, per sanctas nimirum preces, per sacramentorum sumptionem, per divini verbi auditionem. Huc etiam vulgare illud aspicit distichon:

Christophore

AUCTORE J. P.

Christophore sancte, virtutes sunt tibi tantæ,
Qui te mane videt, nocturno tempore ridet.

Jucundus enim et felix ejus diei vesper, cujus a Deo matutinæ horæ inchoatæ, uti gentilium etiam exemplis docet apud Gellium lib. 14, cap. 4 Varro. Livius lib. 26. D. Augustinus lib. 3 de Civitate Dei, cap. 21. *Ita, inquam, picturæ extra ædes sacras expositæ bonus manebit usus, ac superstitiosus tolletur abusus. Quod ad istius expositionis originem attinet; censet auctor notitiarum Mss. Sanlambertinarum in Styria, de quibus supra,* haud abs re dici posse, eum S. Christophori in templorum foribus effingendi morem in *istis* Austriacorum principum provinciis ab ea sodalitate ortum traxisse, *quam Dietrichsteinius instituisse fertur, et de qua nos superius egimus.*

Symbolicus

59 *Sed redeamus ad Molanum, et explicationem symbolorum prosequamur. Non abs re ille censet, pictores, in humeris* Christophori *Christum pingentes, et alia quædam ei appingentes, ad Legendam auream respexisse, cujus* B *ex* Leg. 95 *verba producit, quæ eremita quidam Sancto dixerit in hunc modum:* Cum proceræ staturæ sis, et fortis viribus, si juxta fluvium eum resideres, et cunctos traduceres, regi Christo, cui servire desideras, plurimum gratum esset, et spero, quod ibidem se tibi manifestaret. *Et postquam addidisset, quod puerum Christum in humeris portaverit, et miratus sit ejus pondus, subjungit, quod fluvium transgressus dixerit:* In magno periculo, puer, me posuisti, et adeo ponderasti, quod si totum mundum super me habuissem, vix major pondera persensissem. *Cui puer:* Ne mireris, Christophore, quia non solum super te totum mundum habuisti, sed et illum, qui creavit mundum, tuis humeris bajulasti. *Fabulosa hæc narratione, sive, ut verbis Molani utamur,* pictura hæc exprimens, etsi numeranda sit inter eas, quæ probabiles sint simplici populo: apud doctos tamen aut parum, aut nihil probabilitatis habent: ac proinde ab istis non est extendenda.

apparatus

60 Principale tamen, videlicet imago Christophori cum Christo in humeris, videtur mihi, *ait*, a doctis extendi posse, alio tamen re- C ferendo significationem, ut dicatur Christum in humeris portare, ad significandum, quod sicut nomine, sic et re fuerit verus Christophorus sive Christiferus; *id quod ibidem Molanus paulo pluribus deducit, et nos jam antea de eo egimus num.* 41. *De transvectione per mare diximus modo ex Vida, uti et de aliis quibusdam imagini ipsius apponi solitis, cum interpretatione ejusdem Vidæ.* Quod si assumas, *inquit Molanus in rem nostram,* hæc longe petita esse; non inficior. Sed memineris, aliter tractandam esse obscuram et raram picturam; aliter imaginem ubique notissimam: et ut non facile hujusmodi damnanda est: quamvis non nisi longe petita expositione id fieri possit. *Mirum interea accidit, quod Georgius Wicelius in Hagiologio seu opusculo suo de Sanctis Ecclesiæ Dei, fateatur, quod* de transitione per mare, et alia *, quæ pinguntur, nullam syllabam legerit.

* aliis

Sancto

61 *Sed nunc ad reliqua picturæ symbola exponenda pergamus cum Serario.* Circumfertur, *ait*, Sancti hujus imago quædam Augustæ Vindelicorum, pulchre satis et eleganter incisa; cui hæc a novatore quodam Stigelio, Lutherum suum in sermone de S. Christophoro apud D Aurifabrum in Symposiacis cap. 53, pag. 363 imitato, asscripta carmina, quæ laudavit in Hagiologio suo Vicelius, exscripsit in Onomastico Chytræus.

Tu quis es? Ingenue Cristum profitentis imago:
Cui nomen puer hic, quam * fero, dulce dedit.
Quis puer hic? Christus. Quæ moles tanta gigantis?
Exigui pueri cum leve portet onus.
Omnibus in speciem parvus puer iste videtur:
Quo tamen est toto majus in orbe nihil.
Hinc opus est animis, ut sint et corpore fortes,
Qui Christum populi ferre per ora volunt.
Cur tamen ingrediens tumidi per marmora ponti,
Arborea infestas mole repellis aquas?
Per mare, quod calco, perversum intellige mundum:
Ille animis præbet sæva pericla piis.
Arbore nil aliud nisi sanctum intellige verbum, E
Rebus in adversis quod pia corda regit.
Hoc etenim instructi ruimus per saxa, per ignes,
Qui Christi meritum, grande docemus opus.

* quem

62 *Atque hæc quidem hactenus satis vulgaria sunt, et intellectu clara; modicæ tamen observaionis indiga, uti et cetera, quæ sequuntur; sed iis recitatis illam dabimus. Sic itaque prosequitur dictum carmen:*

apponi

Dic tamen hoc etiam, quid pendens mantica tergo,
Quid sibi cum liquido pisce placenta velit?
Certa piis numquam desunt alimenta ministris:
Quique Deo fidunt, servat, alitque Deus.
Porro quis insigne cana procul ille senecta,
Prævius accensa qui face monstrat iter?
Fax præmissa refert venturi oracula Christi,
Significat vates, qui cecinere, senes.
Huc ades, o hospes, tuque, o puer optime Christe,
Mecum habita: tecum vivere sola salus.

63 *Porro an mantica illa, prout mox descripta fuit, non sit a novatoribus afficta reliquis symbolis; an in Germania vel saltem Augustanæ Vindelicorum imagini a Catholicis sit exhibita, non habeo, unde definiam: id unum scio, nullibi hactenus in imaginibus.* S. Christophorum F *repræsentantibus, manticam illam a me deprehensam esse; quam item non exhibet elegantissima pictura Rubeniana, quæ exposita cernitur in altari hujus ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis ad portam lateralem, qua itur ad aulam episcopalem. Sed suspicio est, manticam istam, cum nihil ei contradicat Serarius, nihil impii hæreticorum habere salis et joci; sed hoc unum dumtaxat eam apud illos habere commune cum aliis, quæ enumeravimus, Sancti nostri symbolis: quod, si illos audiamus, tota illa, quanta quanta est, pictura nihil aliud sit quam merum phantasma, umbratile schema ac pura puta imaginaria allegoria, quæ typum hominis Christiani vel ministri evangelici ita fingi ponant, ut vere eam existere non supponat; cum numquam, ut ipsi impie deblaterant, talis vere exstiterit in rerum natura; ac proin juxta ipsos ad prosopopæias mere fictitias amandandus sit: quem errorem nos superius abunde refutavimus; et de quo Molanus, contra Melanchtonem et Magdeburgenses Centuriatores videri etiam potest.*

consuctus

64 *Quidam Græcæ linguæ in academia Basileensi professor heterodoxus in suo Lexico universali, Basileæ excuso anno* 1677, *inepte æquivocus hic est: nam postquam ad nomen* Christophorus,

exhibetur

A stophorus, *dixisset ista* : In Lycia Euangelium de Christo propagasse, et capite truncatus esse, sub Diocletiano imp. scribitur; *mox subjungit* Christophorum *mere allegoricum, qui* puerum Christum per mare gestans, pictura est hominis Christiani, et præcipue doctoris Euangelii, eleganter his versibus expressa; Tu qui es? *etc.*; *de quibus paulo ante. Ita ille, imitatus in hoc hæreticum Lutheranum Dresserum, qui in opusculo de Festis non ausus hunc nostrum Sanctum e medio tollere, ponit*, Christophorus XII (*voluit dicere* XXV) Julii; *ac statim*, Christophori imago, *inquit*, grandis et insignis pictura est Christiani hominis, et euangelici doctoris. *Sed nihil mirum, hosce ambos a religione Catholica Romana alienos, in umbratili sua effingenda imagine adeo inter se esse concordes. Magis mirum est, similia Catholicis scriptoribus obrepere potuisse in explananda, qua de hic est sermo, pictura.*

et variis observationibus

65 *Qua super re Molanus convenit Laurentium Xeresanum, qui in libris, quos restituit de ratione studii theologici, quamquam per imprudentiam, obrepere facile solitam in hæreticorum* B *scriptis purgandis, quia sub latente lenociniorum melle occulta porrigunt venena, scriptum reliquerit, confictam* Christophori *picturam adumbrare Evangelii præconem.* Neque enim, *sicut recte addit Molanus*, hæc verba Catholici sunt scriptoris, sed hæretici, in quibus latens venenum a theologo, opus recognoscente, non est animadversum. *Convenit item Molanus Joannem Eunæum, quod* in eumdem lapidem, sibi per suæ gentis spurios scriptores positum, incautus offenderit: qui allegoriam de S. Christophoro, Christiano et Catholico quidem spiritu conscripsit; durius tamen eam tractat, et nimis in adversariorum partes propendere videtur, dum inter alia, scribit:

Hæc sub Christophori monstravit imagine, quisquis
Figmenti exstiterit primus mortalibus auctor:
Cumque nihil fidei contra pia fabula dicat,
Sub quovis sane tolerari judice quibit.

illustratur.

66 *Prius autem quam huic argumento finem imponamus, præteriri non potest parva observatio, quam verbis Serarii subjicimus* : Addunt, C *inquit*, quidam interdum pictores eremitam, qui Cucuphates nominatur: sed is non eremita, verum verus martyr est, in Diocletiani persecutione martyrio laureatus: cujus quia anniversaria memoria in festum S. Christophori diem incidit, error et fictoribus et pictoribus arreptus. Est cæteroquin apud Ægyptios symbolica quædam avis κούκουφα; quam, quia et in parentes eximie pia est, cum ciconia confundunt quidam; distinguit vero hieroglyphicus Horapollo, cum de illa lib. 1, cap. 55 agat de hac lib. 2, cap. 58 *Itaque si senem cum lucerna in pictura* S. Christophori *intelligas in sensu symbolico, quem supra dedimus, bene se res habet; sin vero physice ac realiter eremitam senem, qui Cucuphates martyr fuerit, cum nostro Sancto conjungas, abberras toto cœlo: namque is præterquam quod alio tempore sit passus, nec eremita nec senex exstitit: ut consulesis ea, quæ hoc die de ipso apud nos proxime dicentur.*

§ VII. Serpens Sancti ope necatur; annua exinde illius facti memoria; hymni, elogia, ac patria.

Laudenses gravissima damna passi a serpente,

In dira atque infesta necanda bellua S. Christophorum *Laudensibus auxilio fuisse, auctor est Castellionæus loco citato a pag.* 259, *ex ædis ipsi Laude Pompeia dicatæ tabula, quæ vernacule conscripta et ibidem appensa sit; quæque in hanc sententiam Latine ab ipso redditur; et nonnullis brevitatis causa a nobis rescissis sic habet:* Circa Laudis Pompeiæ oppidum anno tercentesimo supra millesimum lacus subsederat, qui ob vastitatem et copiam restagnantium in unumque confluentium aquarum, Gerundi maris nomen obtinuerat. In hoc lacu, magno apparuit portento dira et virulenta serpens, horribilis forma monstri, halitum adeo fœtidum ac venenosum spirans, ut vicinum oppidum ferme totum inficeret, ac misere affligeret. Hinc fiebat, ut multi civium perirent odoris illius dumtaxat intolerabili fœditate. Verum cum animadverterent cives, hujusmodi morbum ac pestem in dies magis invalescere.. et.. timerent quoque civitatem ipsam ex frequentiori turbidarum aquarum colluvione obruendam ac penitus submergendam, in acerbissima versabantur solicitudine... E

ope S. Christophori liberantur.

68 Quare exclusa spes omnis videbatur interemptionis illius immanis belluæ, eas innatantis aquas... Laudenses... divinam opem imploravere .. Et ut facilius impetrarent, quod toto cordis desiderio exoptabant, Bernardinus Talensis, tunc Laudensium episcopus, congregata cleri et populi multitudine, de suggestu piam habuit ad eos concionem... Quapropter statuit primum, habendas triduum solemnes supplicationes; deinde votum una a civibus nuncupandum in hunc modum, ut si quando Numen haberent propitium... sacram ædem sanctissimæ Trinitati, et glorioso martyri Christophoro ponerent. Nec eorum spes fuit inanis, aut vanum consilium; nam tribus supplicationibus rite gestis, et voto pro urbis salute nuncupato, eodemmet die, qui in Kalendas Januarias incidit, duo magna et memorabilia evenerunt miracula: serpens enim statim periit, et lacus exsiccatus est. F

et accepti beneficii memoriam celebrant;

69 Quamobrem pii cives hujus singularis beneficii non immemores, magnificum, prout voverant, exstruxere templum, quod postea, Deo favente, monachi Olivetani anno MDLXIII maagis amplum reædificarunt, et ad cultum augustiorem reformarunt... Apud divi Christophori aram hodie etiam suspensa spectatur pergrandis illius serpentis spina, ossis instar bubulini, adservata illic usque ab illo ævo... Verum quia hic dies feriari debuerat in ipsis Januarii Kalendis... hæc solemnis et jucunda recordatio a Plantino, Ordinis Minorum S. Francisci, Laudensi episcopo translata est in diem post Epiphaniam sequentem. Hactenus tabella Laudensis. *Quam mirabilis est illa historia, et ad Sancti nostri laudem perquam honorifica, tam nobis optabile foret, si auctor, qui illam narrat, aliunde eam confirmasset, quam ex sola tabella incertæ ætatis atque auctoritatis.*

70 Bernardinus

AUCTORE J. P. *circa quod factum*

70 Bernardinus *ille (apud Ughellum Italiæ sacræ tomo* 4, *col.* 923 *vocatur* Bernardus de Talente) *inter Laudenses episcopos ab eodem ponitur hanc dignitatem consecutus anno* 1296, *et e vivis ereptus circa annum* 1307; *qui, sicut ibidem in rem nostram additur*, fusis precibus, publicoque civium voto inundationem aquarum avertit a civitate, *nulla facta mentione de* S. Christophoro, *nedum de venenosa ista bellua, ejusdem patrocinio exstincta. Alius ejusdem sedis episcopus, qui supra dabatur sub nomine* Plantini, *ibidem col.* 925 *nominatur* Fr. Leo Palatinus, *diciturque ab anno* 1318, III *Non. Maii, ad* 1343 *isti cathedræ præfuisse. Unde confirmatur historia prædicta, quatenus enuntiabat liberationem ab inundatione aquarum sub isto episcopo; nam tempora conveniunt cum illo, uti et cum alio, sub quo institutum seu translatum festum fuisse dicitur. Historia rerum Laudensium Ottonis et acerbi Morenæ, inter scriptores Italicos novissime recusa tom.* 6, *a col.* 955 *nihil hic nobis subsidii subministrare potest,* B *cum desinat in anno* 1186. *Quæ vero non tantum apud Laudenses, sed deinde etiam apud Mediolanenses religiosa erga Sanctum grati animi memoria consecuta sit, paucis intellige.*

variæ a nobis

71 *Pergamus cum Castellionæo*: Igitur unde fuerit prima origo diei festi D. Christophori, qui VII Idus Januarii a Laudensibus celebratur, vel ex hoc monumento jam satis est clarum; quomodo vero ad nos, *inquit*, transierit, non item. Certissimum quidem illud et toto Mediolano notissimum, quod ille septimus Januarii dies in honorem ejus Divi ferietur: et ante S. Carolum Borromæum archiepiscopum celebris tunc habebatur in divinis precibus anniversaria gratulatio, quam is Sanctus, sicut et aliorum quorumdam Sanctorum abstulit, ac prorsus abrogavit, ut Basilio episcopo sanctissimo aliquem inter fastos Ambrosianos concederet locum; populus tamen eumdem diem ad Sancti honorem atque reverentiam agere festum numquam destitit; isque celebris est in nostro delubro, cum propter populi frequentiam, tum C propter musicos concentus in eo fieri solitos. Quæ sanæ res argumento est, illum diem VII Idus Januarii D. Christophoro celebrem.. multo ante Jo. Galeatii, ducis Mediolani tempus, alibi feriari solitum, tunc pestilentia cessante, penitusque exstincta, et Mediolani voto Numini hujus Divi nuncupato, cœptum esse feriari. Hinc manifeste deprehenditur, simul stare posse, ut is festus dies primo alibi introductus, prodigiosa serpentis nece, postea nostræ patriæ voto fuerit inter feriatos receptus; *et a Laudensibus, uti suspicamur, ad Mediolanenses translatus.*

hic dantur

72 *Ne autem historia superior, quatenus magnum istum serpentem in scenam producit, tamquam apertum commentum atque hactenus inauditum traducatur; juverit meminisse, quod similia alias contigerint, ita solide stabilita, ut plenam fidem facere debeant: nam de* inundatione Tyberis *super* urbem Romam.. *ac* multitudine etiam serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, *qui* per hujus fluvii alveum in mare descendit, *scribit S. Gregorius Turonensis historiæ Francorum lib.* 10, *cap.* 1. *Videri etiam potest ea de re Paulus Diaconus de Gestis Langobardorum lib.* 3, *cap.* 23, *tomi* 1 *parte* 1 *novissimæ impressionis rerum Italicarum* D *Scriptorum, pag.* 447; *et Baronius ad annum* 589.

73 De veteri hymno sacro, qui legitur in *observationes.* veteri Breviario Toletano secundum regulam S. Isidori, quo ejusdem Martyris *nostri* Acta describuntur, *meminit Baronius in suis notationibus*; quæ quidem, *inquit*, præ ceteris omnibus nobis arrident. *Hymnum istum rhythmicum ex dicto Breviario transcripsit socius noster Guilielmus Cuperus, quando anno* 1722 *mecum Toleti degebat, pluribus quidem locis mendosum, sed a Tamayo correctum et editum inter ea, quæ habet hoc die de nostro Sancto: ac proinde cum ibi integer tegi possit, non tamen vel sic ubique satis clare intelligi, quid sibi velit; eum huc non transcribimus, illorum dumtaxat postea meminisse contenti, quæ sancto Martyri propria commemorat, et subservitura sunt ad discutienda Acta, de quibus infra erit dicendi locus. Bivarius in Commentariis in pseudo-Dextri Chronicon, ad annum Christi* 496, *num.* 2, *vult ex per-* E *sonati Juliani Chronico, Castinum, præsulem Toletanum, hujus hymni auctorem fuisse. Apage male feriatæ figlinæ ineptias. Apud Petrum Lambecium Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis lib.* 2, *cap.* 8, *cod.* CCLXXVI *notatur* Vita et Passio S. Christophori... antiquis Italicis rhythmis composita, *cujus principium ibidem datur; sed rhythmi isti suum mox exigui valoris meritum produnt, quando vel in ipso narrationis limine de* Canineo, *et* Caninea *mentionem faciunt. Sed de hac re postea.*

Elogia apud Græcos notata,

74 *Nunc dicamus de sancti Pugilis nostri elogiis; ac primo de Græcis. Synaxarium Basilianum ad diem* IX *Maii, apud nos ante tomum* 1 *istius mensis, pag.* 723, *sequentia in laudem ejus prædicat, quæ Latine sic sonant*: Nonnulla de hoc Sancto monstrosa et paradoxa ab aliquibus dicuntur: quod canino prius esset vultu, et homines comederet; deinde autem, postquam Christo credidisset, transformatus fuerit. Hoc vero [ita] non est: sed nonnulli hujusmodi eum exstitisse, in animum induxerunt suum, quod gentilis esset, feroxque et terribilis. Verumtamen vixit sub regno F Decii, captusque in bello a comite, ac Græce loqui ignarus, Deum oravit. Missusque est ipsi angelus, dicens: Viriliter age. Et cum tetigisset labia ejus, fecit ipsum Græce loqui. Ingressus igitur urbem, prædicabat Christum. Mittuntur ergo milites, ipsum ut capiant. Cumque virga ejus germinasset, credidere Christo, et cum illo Antiochiæ baptizantur a S. Babyla; ibique Christophorus appellatus fuit. Deinde perductus ad imperatorem, ac multis prius crucitiabus affectus, capite demum truncatus est.

hic dantur

75 *Menologium a Sirleto versum et a Canisio editum paucioribus rem absolvit, sic loquens eodem die* IX *Maii*: Certamen magni martyris Christophori. Hic sub Decio imperatore baptizatus Antiochiæ a S. Babyla, propter Christi confessionem simul cum Callinice et Aquilia *, quas ad fidem converterat, capite detruncatus est. *Longius est elogium in Menæis magnis typo editis, quam ut huc transcribi mereatur; præsertim cum nihil fere in substantia sit, quam Actorum, quæ vulgo circumferuntur, compendium. Eumdem etiam fontem sapit elogium, quod de* S. Christophoro *apud Rabanum invenitur, locum hic etiam aliquem habiturum: unde*

* Aquilina

unde consequens sit, ut Acta qualiacumque ad posteros transmissa fuerint, magnum tamen antiquitatis argumentum vel ex eo probent, quia, quod laudatus Rabanus congerit elogium, inde certo certius excerptum est. Ita habet :

et illud etiam, quod est apud Rabanum.

76 Eodem die (xxv *Julii*) passio est S. Christophori martyris, qui in Samo civitate, a Dagno rege martyrizatus est. Nam per varia tormenta rex illum cruciare jussit. Sed vir Sanctus impetravit a Domino, ut multi crederent per ipsum in Christo, nec non et ipsum regem, qui sagittæ ictu oculum perdidit, sanguinis sui gutta post passionem suam sanavit: sicut et ipse ante prædixit, et ad fidem Christi convertit. *Longius excurrit elogium, quod Martyrologio Bedæ ex Floro aucti et a nobis editi, insertum legitur, adeo multis ac certis Actorum characteribus constans, ut dubium superesse non possit, quin illud ex iisdem Actis contractum sit. B. Petrus Damianus sermonem habet de* S. Christophoro, *qui est trigesimus tertius. Atque hæc cum viam sternent faciliorem ad Acta ipsa, tum ad palæstram martyrii, nunc examinandam*

An Samos aliqua in Lycia,

77 *Quod ea fuerit* in Lycia, civitate Samo, *notant antiqui Martyrologi, num.* I *prolati.* Samon *item civitatem exprimunt nostra Sancti Acta in principio : sed ex iis, quæ mox superaddunt, illam in Syria fuisse innuunt.* Samon *etiam habes apud Rabanum ; quæ et occurrit interea, quæ nostro Bedæ, ex Floro aucto, adjecta sunt. Sed dispiciendum hic nobis est, an quam clare iste locus palæstræ ab ipsis indicatur, tam facile is in Lycia inveniri alicubi possit. Cluverius postquam ad vocem* Samos *varia id nominis loca distinxisset*, est, *inquit*, et civitatis Lyciæ nomen, testibus Martyrologiis Adonis et Usuardi ad VIII Kal. Augusti; *ubi vides hanc* XXV *Julii, ac proinde* S. Christophori *annuntiationes, superius ex ipsis relatas indigitari. At cum quæratur hic, an hujusmodi civitas uspiam existat in Lycia, et an eatenus Actis, quæ eam consignant, credi possit; velle illius existentiam ex solis istis Martyrologis probare, qui illam ex Actis haud dubie desumpsere, est probare idem per idem, seu petere principium. Consulere itaque oportuit geographos alios; quod et factum est : sed* Samos *tum illa tum in Syria, nusquam comparuit; atque adeo videtur expungenda ex Actis, donec ejus existentia alicunde ex antiquis probari queat. Viderint fortasse hanc difficultatem reformatores Martyrologii Romani : qui Martyrem* in Lycia *annuntiant, omissa vel expuncta* civitate Samo; *quam tamen diserte signat Romanum parvum seu vetus; cujus auctor forte eam quoque in Lycia non invenerit, cum Lyciam non exprimat.*

Sancti palæstra

78 *Sive vero cum Martyrologio Romano hodierno* in Lycia *hanc palæstram ponas, sive cum Romano parvo* in civitate Samo, *modo utrumque locum non conjungas, nihil magnopere repugnabimus : quamquam tunc incertum maneat, quænam e* Samis *homonymis, quas enumerat idem Ortelius, intelligenda hic sit. Porro rem neutiquam evolvunt, sed magis involvunt apographa Hieronymiana apud Florentinium (qui pauculis illis, quæ observat hic in suis notis, difficultatem non solvit) dum scribunt :* In Licia, civitate Salmon. *Involvunt item rem Acta apud Mombritium* in civitate Samon, in provincia Syria; *nec non Petrus de Natalibus* in Lycia civitate Amon.

AUCTORE J. P.

Nugas more suo hic denuo nobis obtrudit pseudo-Maximus in Chronico ad annum Christi 483, *palæstram ponens* in Lycia, urbe Sami, aliis Solymi. *In quem locum commentans Bivarius pag.* 256, Sciat, *inquit*, lector, regionis ipsius, quæ postmodum Lycia nuncupata est, habitatores vocatos olim etiam Solymos, a monte Solyma, illic existente, *ex lib., quem citat,* 14 *Strabonis, et quorum meminisse dicit Homerum Iliados* 3 *(at voluit dicere lib.* 6, ỷ 184.)

dici posit:

79 *Sed Strabo loco citato*, Homerus, *inquit*, Solymos a Lyciis diversos facit... Melius, qui ab Homero Solymos dictos ajunt, qui nunc Milyæ appellantur. *Sed fac eosdem esse : quid tum? Non agitur in hac controversia de Lyciis aut Solymis, sed de* Samo in Lycia; *cujus existentia cum ostendi non possit, consequens est, ut ibidem etiam ostendi non possit urbs, quæ* aliis Solymi *nomine dicta sit, prout somniat Bivarius cum suo duce, seu potius seductore, in tenebris anbulans. Nos itaque, nullo hactenus reperto præmonstratore satis idoneo ac perito, qui e labyrintheis hisce anfractibus expeditos, ad veram, fixam ac genuinam martyrii, quam frustra quærimus, palæstram nos deducat; Sanctum annuntiavimus* in Lycia *cum Martyrologio Romano post Adonem et Usuardum etc.; sed cum adverbio* forte, *et omissa, quam ipsi signant,* civitate Samo.

§ VIII. Sancti genus, nomen ante baptismum; ubi et a quo baptizatus; sub quo et quando passus.

Sancti genus ita refertur,

Acta asserunt, nostrum Martyrem venisse de insula, genere Caninæorum; *alibi scribitur* Chananæorum *seu* Cananæorum. *Menæa autem magna Græca typis excusa* e regione homines comedentium, *seu Anthropophagorum ipsum fuisse memorant. Sed quid incolis terræ Chanaan, quæ et Palæstina seu Terra sancta, cum Anthropophagis, toto, ut ita dicam, a se orbe divisis? Sive enim voces istos Anthropophagos cum Plinio historiæ naturalis lib.* 7, *cap.* 2 Scythas, in quadam convalle magna Imai montis *etc. ; sive cum Aulo Gellio Noctium Atticarum lib.* 9, *cap.* 4 Scythas penitissimos, qui sub ipsis Septemtrionibus ætatem agunt : *(populum certe Americæ majori ex parte, præsertim versus Brasiliam et Magellanicam et alibi, intelligere non potes, cum nimis recenter orbi detectus sit) certe immane quantum ac nimis enormiter utraque ista Chananæorum atque Anthropophagorum origo, et situ locorum, naturæque ac morum diversitate inter se discrepat, quam ut umquam simul vel in speciem componi queat. Apud Mombritium ponitur,* quidam homo de insula ex genere Abnoch.

ut labyrinthus sit

81 *In codice nostro pergameno* P. Ms. 18 *dicitur Sanctus* de Cynocephalorum oriundus genere. *Menæa citata* canina facie (κυνοπροσώπον) *fuisse*, et humano modo loqui non potuisse . . *sed* postquam angelus labia ejus tetigisset, loqui ipsum fecisse, *memorant : sed æque omnia fabulose et inepte; quidquid apud Gellium loco mox designato referantur* esse in montibus terræ Indiæ homines caninis capitibus, et

AUCTORE J. P.

et latrantibus. *Ad quam forte Menæorum expressionem κυνοπροσώπου, vel saltem ad exemplar Græcum Actorum, e quo illud elogium compilatum fuit, respexerint Latini, qui sub* genere Caninæorum *Sanctum nobis obtrudunt.*

omnino inextricabilis.

82 *Nisi forte mendose ibi sic fuerit scriptum pro* Chananæorum. *Sed verte, inverte; volve ac revolve Sancti, quam inquirimus, originem, æque quidquam omnino fide dignum probaveris, etiam tum, quando* Chananæum *feceris cum B. Petro Damiano citato, qui asserit, eum* tamquam rosam purpuream de Chananæorum spinis effloruisse. *Nam Actorum scriptor, qui fabulari alias ibi assuevit, et hic merito suspectus haberi debet, et non satis aptus est, ut fidem per se ullam hic faciat.* Et vero postquam otioso, *sicut observatur in notitiis superius laudatis,* narratori semel in mentem venit, gigantem efformare; proximum fuit, ut illum ex Chananæa, quam a gigantibus de stirpe Enacim, et excelso populo habitatam, Deuteronomii 2 dicitur, accerseret. *Nihil itaque de Sancti genere determinari satis verosimile posse putamus, donec et magis concordi, et magis idonea auctoritate nitatur.*

Similis farinæ sunt, quæ de Sancti ante baptismum nomine

B 83 *Nunc nonnulla dicenda sese hic offerunt de Sancti nomine, non illo quidem, quod ipsi post baptismum volunt Acta cum Menæis impositum fuisse; et de quo jam egimus : sed de alio, quo, ut fertur, appellatus fuerit ante baptismum. Ecquodnam vero illud?* Reprobus (*Menæa minus recte* Ῥέπρεβος) *sed illud nomen, quam apte vel in speciem cum Sancti origine conveniat, neutiquam assequimur; ut longe verosimillimum nobis appareat, illud inter alia ab eodem Actorum fabricatore excogitatum fuisse, ut scenam suam magis adornaret, dum aliud, uti putabat, aptius ipsi non occurreret; vel postea historiæ male semel ab initio consutæ intrusum atque superadditum.*

circumferuntur,

84 *Quidquid sit ; vox* reprobus *appellativa non tam apud antiquos Latinæ linguæ auctores facile inveniri potest, quam usu jam dudum nota est et usitata. Hac usus est interpres sacer* I *Corinth.* 9. 27 *et alibi ; ex Græco* ἀδόκιμος. *Jam vero cuinam umquam in mentem venit dicere, quod vox* ῥέπροβος, *vel* ῥέπρεβος, *uspiam apud Græcos reperiatur auctores tam antiquos quam novos, qualem mox Menæa nobis obtrudebant : si quis ejusdem patronum agere velit, ipsius est*
C *suspicionem nostram solida aliqua ratione nobis eximere, vel nobiscum fateri, eam vere suppositit iam ac commentitiam esse, a Latino aliquo fabulatore prius inventam et adhibitam, atque a Græco inde mutuatam, et ex qualiquali voce appellativa formatum esse nomen proprium, nulla, quod sciamus, auctoritate stabilitum. Sed circa baptismum ipsum, quo nomen prius* Reprobi, *ut volunt, in* Christophorum *mutatum sit, nonnulla occurrunt, quæ difficultatem creant non modicam.*

ut et de ipso baptismo.

85 *Elogium a Canisio editum memorat, ut vidimus, Sanctum* sub Decio imperatore baptizatum Antiochiæ a S. Babyla. *Consonant Menæa excusa in baptismo, ejusque loco ac ministro Babyla, uti addunt* hieromartyre *: et postea* Decii *nomen exprimitur. Porro designatur hic S. Babylas hieromartyr, patriarcha Antiochenus: de quo egimus in Tractatu historico-chronologico istorum patriarcharum ante tomum* IV *Julii, sedisseque eum diximus ab anno* 237 *usque ad annum ineuntem* 250. *Decius autem cum imperare cœperit anno* 249, *baptismus ille jam inciderit oportet in ultimos S. Babylæ annos; siquidem vere, prout ibidem narratur, tunc eo modo is contigit; quod addimus, propterea quod Acta Latina modo plane extraordinario et miraculoso Sanctum baptizatum innuunt. Atque hæc quidem adeo inter se diversa, quæ illum, ut fertur, Martyris nostri baptismum circumstant adjuncta, simpliciter hic a nobis proponuntur expendenda; quandoquidem candide profiteri cogimur, nihil defectu idoneorum documentorum nobis in promptu esse, unde decidere possimus, quæ quibus tamquam veriora aut saltem verisimiliora anteponenda sint.* D

Neque certo constat, sub quo,

86 *Nova nunc occurrit controversia circa regem vel imperatorem, sub quo sanctus Athleta martyrium consummarit. Vincentius Bellovacensis in Speculo lib* 13, *cap.* 24 *ponit eum inter Martyres, de quibus, quando passi sint, non constat. Menæa magna typis edita, Menologium apud Canisium, Nicephorus Callistus ecclesiasticæ historiæ tom.* I, *lib.* 5, *cap.* 27, *ac Martyrologium Romanum; adde Baronium tomo* 2 *Annalium ad annum* 254, *et in notationibus ad idem Martyrologium Romanum, sub Decio passum indicant. Sed quid sibi vult rex vel imperator* Dagnus, *sub quo Sanctus noster martyrio sit coronatus, sicut volunt Acta Latina? Enimvero quisnam ille sit, an et quando vixerit, quodnam regimen aut imperium administrarit, cuinam historico notus sit, neutiquam nos satis assequimur : nec porro id assecutus fuit Baronius in notationibus; ubi fatetur* irrepsisse inter alia *Actis,* ut pro Decio Dagnus quidam sit positus. *Ecgraphum nostrum qualecumque, e bibliotheca Vaticana descriptum, de quo infra, annum quartum Decii notat in ipso exordio suæ de Sancti martyrio narrationis; sed annum imperii quartum non attigit Decius, juxta auctores apud Tillemontium citatos historiæ Imperatorum tomo* 3, *pag.* 285. E

et quando

87 *Ad hæc, quo minus isto tempore stemus, prohibent fabulæ, quæ dicto exemplari intermixtæ sunt. Singulare prorsus hic est Menologium Slavo-Russicum, quando Martyrem nostrum scribit* passum anno CCCLV sub Constantio. *Ast hæc temporis ratio totam, quanta quanta est, martyrii historiam planissime evertit : nam Constantius imperator non gentilis, sed Arianus fuit, ac potentissimum istius sectæ fulcrum, excitata anno dicto* 355 *in eorum favorem crudelissima adversus Catholicos persecutione; adeo porro remotus a professione gentilium, ut rescripta adversus ipsos ediderit; quæ videsis apud Baronium ad annos* 341 *et* 353. *Nisi itaque aliud tempus, et alium imperatorem affigas huic martyrio; jam sus deque evertis ejusdem Acta, quæ Sanctum ab initio usque ad finem memorant tormentis ac morte perfunctum ob cultum unius ac veri Dei; jamque in fumos evanescent ea, quæ de SS. Aquilinæ et Niceæ seu Nicetæ, aliorumque in Actis memoratorum agone proferuntur. Itaque cum nihil adeo hic nobis appareat contrarium, quo minus Sancti martyrium contigerit sub Decio imperatore, ut potius Græcis illud documentis sit omnino consentaneum; malumus id cum Baronio tunc ponere, vel aliunde supponere, illud tunc contigisse; quam cum Actis Latinis obtrudere Dagnum aliquem mere imaginarium ac commentitium; quo videlicet omnis occluditur aditus, ad determinatum aliquod martyrii tempus perveniendi. Adde, quod sub finem Sylloges historicæ de* F

SS.

SS. Niceta et Aquilina die XXIV *hujus diserte Decius imperator exprimatur, ac proinde ad alium, sub quo noster Martyr sit passus, recurrendum non sit.*

passus fuerit,

88 *Henschenius noster in schedis, in quibus transcriptum est ex Ms. Fuldensi* S. Christophori *martyrium, ponit exordium, quo Passio incipit in Ms. Cardinalis Mazarini; et mox adjungit annotationem P. Combefisii, his verbis eam exprimens :* Offendit Baronium vox Dagnus, quod Decio imperatore Christophorus martyrium sumpserit. Verum illa non imperatorem, sed regulum ac toparcham perspicue indicant : cui sic liberum fuerit in Christianos sævire. *Sed parum putum hoc est effugium, ex sola Combefisii conjectura natum; quod proinde eadem, qua obtruditur, facilitate negatur. Dagnus enimvero ille sive toparcha, sive regulus, sive imperator, quamdiu ex melioribus, quam sint Acta, documentis non probabitur, commentitium nobis semper erit nomen sine re, ac umbratile phantasma.*

aut quo die.

89 *Varia apud varios dies martyrii ponitur. Apud Mombritium enim* passus *dicitur* S. Christophorus VII Idus Januarias; *apud Petrum vero de Natalibus lib.* 6, *cap.* 135 octavo Kalend. Augusti : *quæ videtur fuisse opinio antiquorum Martyrologorum, ista die eum referentium : quamquam an illa, et non alia die martyrium confecerit, definire satis tuto non possimus propter Græcos, qui diem, ut vidimus, annuæ ipsius memoriæ plane diversum impendunt : cum tamen verosimillime Sanctus ab ipsis ad Latinos transivisse videatur, sive nomen ejus, sive Lyciæ provinciam, cui attribuitur, consideres. Verbulo in memoriam revocasse juverit,* S. Christophorum martyrem *signari die* XXVIII *Aprilis, in nostro Beda, ac Rabano; item in Ms. Casinensi, Trevirensi S. Maximini et S. Martini, ac Ms. Adone reginæ Sueciæ; in quodam vero scripto Cartusiæ Bruxellensis notari* translationem S. Christophori; *sicut dictum jam pridem fuit in Prætermissis ad istum diem.*

§ IX. Infideles ad Christi fidem conversi; tormenta Sancto inflicta; mors ejusque adjuncta.

Conversæ ad Christum SS. Niceta et Aquilina.

Inter infideles, a sancto nostro Pugile ad Christi fidem conversos, locum imprimis merentur SS. Niceta, Nicea seu Callinica, et Aquilina, glorioso deinde martyrio perfunctæ : at quia de illis die XXIV *hujus cum Martyrologio Romano actum fuit; illud nunc unicum superest, ut præter ea, quæ occasione nostri Sancti hodierni ipsarum res gestas illustrare possint, plenioris notitiæ gratia ad Syllogen historicam lectorem remittamus : ubi elogio S. Aquilinæ, quod ex duplici Ms. codice Menæorum bibliothecæ Taurinensis, Ducis Sabaudiæ, tunc produximus, notatur, quæ huc proprie spectat, memoria* Sanctorum ducentorum, qui cum illa martyrium compleverunt : *ubi et modico isto elogio honorantur :* Hi ab impio imperatore Decio ad sanctum Christi martyrem Christophorum comprehendendum missi : sed visis miraculis, quæ Sanctus hic patrabat, crediderunt in Christum, et coram tyranno divinitatem hujus confessi, mandato ejus, capite plexi sunt.

AUCTORE J. P.

cum aliis ducentis anonymis.

91 *Atque hi quidem ducenti Martyres anonymi, quia istorum saltem Menæorum Mss. auctoritate stabiliuntur, tamquam a* S. Christophoro *ad Christum conversi, non tantam patiuntur difficultatem, quantam alii infideles, immani supra fidem multitudine ab eodem aggregati ad Christi fidem; et numero quidem adeo presse determinato, ut singulari studio illum, qui istos recenset, singulos enumerasse diceres; auctorem, inquam, Actorum vulgarium, vel alium quemdam similis ingenii scriptorem, e quo is sua desumpserit. Sed quandoquidem in numero non conveniunt testimonia, et aliunde adeo graviter laborant ista Acta pluribus de causis; certe quidnam satis tutum vel verosimile saltem circa istos conversos infideles admitti queat vi talium Actorum, nobis persuaderi non patimur. Ms. Fuldense num.* 2 *ponit* millia hominum decem et octo, *qui* baptizati sunt de manu ejus; *et hos de una* quidem civitate; *Samo Syriæ intellige, de qua supra.*

ac pluribus aliis referuntur;

92 *In hoc apographo adscripta habetur alia lectio, quæ est haud dubie munuscripti Trevirensis S. Martini (nam cum eo dictum Fuldense collatum esse notatur) et sic habet :* Crediderunt per illum Domino : erant autem uno die millia quadraginta octo : et alio die animæ centum quindecim. *Missale Mediolanense anno* 1522 *excusum, in Præfatione ad Missam de* S. Christophoro, *scribit, quod* quadraginta et octo millia hominum de gentilitatis errore ad Christiani dogmatis cultum coruscantibus miraculis revocarit. *Apud Mombritium sic dicitur :* Crediderunt . . . ad octo millia, et baptizati sunt per manum ipsius. *Nunc redeamus ad nostrum Ms. Fuldense; in quo num.* 4 *occurrunt milites* 400, *ad arcessendum Sanctum missi, baptizati, ac martyrio functi : adeo autem jam tum in sacris Litteris versati, ut verbis sacris apposite tyranno respondeant. Apud Mombritium dumtaxat* quadraginta milites *ibi referuntur. In Fuldensi num.* 10, *multus populus credidisse refertur : et num.* 11 *nova aperitur scena in tribus viris consularibus capite plexis.*

sed testimonia non conveniunt.

93 *Ac num.* 16 Sunt autem numero, qui crediderunt . . per S. Christophorum millia hominum quadraginta et octo, et animæ centum undecim. *Ms. S. Viti in Gladbach,* vetustum, *sicut apographo nostro adscripsit Rosweydus, multum ob ingenti isto numero recedit, quando signat* decem millia et octo, et animas centum quindecim. *Jam vero cum Dagnum regem vel imperatorem tamquam fictitium ac mere imaginarium superius exsufflaverimus, consequens est, ut tam ipsius conversio cum adeo plane mirabilibus adjunctis ad finem Actorum narrata, inanes prorsus in fumos abeat, quam* tota gens Syrorum, *quæ alibi notatur* conversa ad Dominum; *nam nititur supposito commentitio civitatis Sami in Syria, quam non dari in rerum natura, superius indicavimus. Quod si contendas, errorem hic esse commissum in persona et gente, aliam pro alia substituendo, ut substantia conversionis maneat vera, respondemus, tam demum illam probabilitatis aliquid habituram, quando ex fide dignioribns documentis stabiliri eam contigerit, quam sint Acta, adeo inter se et ornatu varia, et rerum narratione fabulosa, ac proin non majorem hic, quam in aliis pluribus, quæ referunt, fidem merita.*

94 *Tormenta*

AUCTORE J. P.

Scenam sapiunt tormenta, ut fertur, Sancto inflicta:

94 *Tormenta Sancto nostro inflicta, hujuscemodi etiam esse putamus, ut examen aliquod mereantur.* Tunc jussit rex fieri scamnum ferreum secundum statum ejus : et venerunt artifices, et retulerunt mensuram ejus, quæ erat cubitorum duodecim : et factum est secundum jussionem regis. *Ita Acta nostra num.* 11. *Sed contra faciunt ea, quæ de rege Dagno, et statura Sancti gigantea præmisimus. Scenicas etiam putamus esse illas* quadraginta horcas olei, *quas rex* mitti *jusserit* super eum, *in igne ardentem; sicut ibidem habes. Porro ejaculatio ista sagittarum num.* 13, *qua Martyr dicitur appetitus* ab hora prima usque horam duodecimam; et *ita quidem, ut* sagittæ suspenderentur a vento a dextris atque a sinistris ejus; *quarum* nulla corpus ejus tetigit... et alio die... statim exiliens una de sagittis ipsis ingressa est in oculum regis, et excæcavit eum; *ista, inquam,* B *ejaculatio, nec non pristinus oculorum visus regi a Sancto prænuntiatus, ac postea miro modo ipsi redditus, utinam paulo melioribus documentis niterentur; quæ cum desint; nos hæc et similia ad corruptam Actorum sentinam remittimus.*

mors quoque

95 *Nec vero mors sancti Martyris, nec non quæ illam circumstant, melioris notæ characteres præferunt, quam plura alia, hactenus indicata : nam mors non eodem modo obita narratur. Ms. Fuldense* tunc adpropiavit hora, *inquit*, ut coronaretur Sanctus Dei... Complens autem suum martyrium bonum, coronatus est; *ubi nihil de modo, quo martyrium complevit, non magis quam apud Mombritium. Quod vero capitis obtruncatione finis martyrio impositus fuerit, habemus tum ex Martyrologis supra allatis, tum ex Petro de Natalibus ac Surio, ut nihil dicam de nostro codice Valcellensi, aliisque Mss. Dissentit codex noster* Q Ms. 7 *valde antiquus, qui sic habet :* A militibus punctus lancea, emisit spiritum. *Sed potius standum Martyrologorum dictorum, ac plurium exemplarium auctoritate, quam unius istius, præsertim cum addat commentitium hoc episodium :* Et de corpore ejus exiit columba alba sicut nix. *Utrum ex duobus modo memoratis suppliciis, an* C *potius neutrum velit Ms. S. Maximini Treveris, cujus fragmentum transcriptum præ manibus habemus, non satis liquet, dicit enim :* Complevit suam orationem; sicque a ministris interemptus est.

cum suis adjunctis

96 *Sed quoniam de oratione, quam a Sancto proxime ante consummationem sui agonis prolatam volunt ipsius Acta, mentionem hic fieri videmus, ista opportunitate memores reddimur, ut circa hunc locum paucula quædam observanda suggeramus. Orationes hujusmodi plurimum derogant auctoritati istorum Actorum, in quibus intermixtæ reperiuntur. Et dic, amabo, ubinam umquam in sinceris ac genuinis, vel alicujus saltem pretii actis illas deprehendes? Consule quæ diximus in Commentario ad S. Procopii ducis Acta, die* VIII *Julii, pag.* 554. *Et vero orationes illæ nihil aliud nobis esse videntur, quam piæ alicujus fabulatoris cogitationes, quæ eo collimant, ut illi qui Passiones istiusmodi legerint, vel ad fiduciam excitentur, vel ad frequentandum locum, ubi corpus istius Sancti quiescere putatur, vel reliquiæ saltem aliquæ asservari : et quid ni aliquando etiam, ut ad legenda ac describenda similia Acta homines reddantur promptiores, mercede indidem iis promissa, qui hoc fecerint; qualis rogatur ad calcem Actorum, quæ damus, his verbis :* D

vacillat.

97 Hanc orationem constituit S. Christophorus : Domine Jesu Christe, præsta bonam mercedem scribentibus et legentibus Passionem meam. *Quibus etiam suffragantur codex noster* Q Ms. 7, *et fragmentum Passionis ex Ms. Maximini Treveris. Quid, quod, ut facilius credatur his Actis, interpolator aliquis paulo liberalior, veritus fortasse, ne alioqui parum fidei invenirent apud nonnullos, qui plusculum supra simplex saperent vulgus, addiderit hanc fabulosam clausulam, quæ in schedis nostris e Ms. cœnobii Marchianensis extracta notatur in hæc verba :* Et iterum orans dixit : Domine Deus omnipotens, retribue bonam mercedem omnibus credentibus, et celebrantibus, scribentibus, et legentibus passionem meam. *Viden', quomodo gradatim crescat oratio?*

E

§ X. Variorum exemplarium et Actorum notitia.

Varia ac multiplex

Varia Actorum exemplaria per decursum hujus Commentarii jam enumeravimus; sed hoc loco cum ea, tum alia, sub unum conspectum producemus. Ac primo de exemplaribus Mss. instituatur sermo. Apographum ex Ms. S. Viti in Gladbach vetusto, *quod citavimus; hoc notatur principio :* In tempore illo, quo Dagnus rex regnabat in civitate Samon, venit illuc homo ex genere Cananeus : *hoc autem fine* : Hanc orationem fudit ad Dominum S. Cristophorus : Domine Deus omnipotens, bonam mercedem præsta scribentibus et legentibus Passionem meam. Qui vivis et regnas etc. *Ex iis, quæ involucro istius apographi adscribuntur, in variorum exemplarium Mss. notitiam deducimur. Sunt autem ista, quibuscum illud Passionis apographum notatur collatum fuisse : videlicet* cum Ms. S. Maximini Treviris, *nec non* cum Ms. cœnobii Marchianensis. *Addit ibidem ista noster Bollandus :* Exstat in Ms. S. Huberti, sed alio principio et fine. F

plurium exemplarium Mss.

99 Exstat diversa et prolixior in Ms. nostro, quod fuit ante monasterii Valcellensis. Item in Ms. nostro α (*nunc* Q Ms. 7) fol. 42. Videtur re eadem, sed verbis discrepans. Exstat eadem Vita, quæ hic, ex Ms. Fuldensi, in Ms. serenissimæ Reginæ Sueciæ in 4, sine involucro et initio, signato num 136, convenitque cum nostra Vita initio et fine *Indicatur Fuldense ecgraphum, quod habemus, secundum ea, quæ in fronte ejus habentur,* collatum cum Ms. S. Martini Treviris, et exstare *dicitur* in catalogo P. Beatilli num. 51. *Post finem vero ejusdem ecgraphi notavit Henschenius, illud* exstare in Ms. Cardinalis Mazarini hoc exordio : " In tempore illo, quo Dagnus rex regnabat " in civitate Samani, quæ est in provincia Ly- " cia, venit homo ab insulis genere Chana- " næus. "

suggeritur notitia.

100 *Continent item sancti Passionem, præter dictum codicem Valcellensem nostrum* P Ms. 157, *alius item noster pergamenus majoris etiam formæ* P Ms. 155, *atque alius insuper minoris formæ, quam isti duo priores, signatus* P Ms. 18, *eodem omnes tres exordio consoni, in hæc verba :* Erat quidam Christianus nomine Christophorus,

stophorus, Vir sanctus et valde clarus in illis temporibus, Et doctrina ammirandus, et potens virtutibus. *Fine itidem (non spectatis leviusculis quibusdam minutiis variantibus tum hic, tum in fragmentis mox infra citandis, quæ facile in exemplaria irrepunt) codices isti consentiunt. Ita legit Valcellensis :* Ita tota gens Syrorum conversa ad Dominum, Tunc primum credidit Christo per sanctum Christophorum. Dein libere per regem, Christum cœpit colere. Qui cum Patre atque sancto utriusque Spiritu, *etc.*

exhibitis speciminibus aliquot,

101 *Quisquis fuerit prædictæ narrationis auctor, et quo is cumque tempore vixerit, vulgarem historiæ Christophorianæ cramben, antea satis male coctam, male item, imo pejus, recoxit, ita omnem substantiæ succum dilatando, ut eam cum novo, si ita loqui liceat, condimenti sapore lectoribus porrigeret. Dicamus rem ipsam propriis terminis. Acta ille prosaica amplificavit, stylum mutavit ac rhytmice expressit. Ac rhythmi quidem specimen habes ex textu proxime allato : quibus adde ista, quæ de Sancto prædicat, ex dicto codice exscripta :* Hic de Cynocephalorum oriundus genere, Gente, vultu, et loquela omnibus

B

dissimilis, Vultu pristino retento loquelam mutaverat. *De Dagno sic loquitur :* Ea ibi tempestate Dagnus rex exstiterat, Qui quamvis in cunctos prorsus esset implacabilis, Maxime tamen infestus Christianis fuerat *etc. De Niceta et Aquilina sic :* Erant ibi duæ forte vultu pulchræ feminæ, Sed morum improbitate ipsæ multum fœtidæ *etc. Militibus vero ad arcessendum Martyrem missis, et ad fidem conversis tribuuntur ista :* Unde quia corde credi debet ad justitiam, Ore autem [ad salutem] fieri confessio *etc.* Sit tecum in perditione tua, rex, pecunia, Quia, nos auro putasti Christum Deum vendere *etc. Pluribus supersedeo.*

unde de eorum valore statui queat.

102 *De fragmento quod habemus ex Ms. S. Maximini Treveris, jam diximus. Aliud insuper apud nos asservatur Passionis exemplar in codice pergameno in forma* 4, *signato* † Ms. 87, *qui olim pertinuit ad S. Albani monasterium Cartusiense Treveris ; sed istius Passionis argumentum, si in initio etymologiam nominis, et in fine verba ex Præfatione Missalis Mediolanensibus excipias, convenit in substantia cum excusis apud Petrum de Natalibus. Atque*

B

hæc quidem hactenus de Mss. exemplaribus, quorum notitiam habemus. Nunc de alio exemplari Ms., cujus ex codice Vat. 6074 *exordium habemus ; in quo auctor vulgaria, quæ cuilibet Martyri applicari possint, præfatus, sed mox ad* S. Christophorum *delapsus, eum se prodit, ut statim ineptias ejus palpare possis. Audi novas fabulas :* Beatus, *inquit*, martyr Christophorus intenta cordis aure viguit, et spiritualiter juxta nominis .... etymologiam feronomus * *etc.* Ad hoc itaque sancti Spiritus characterisma recipiendum per regenerationis lavacrum feliciter beatum apostolum Simonem, nomine Zelotem atque prænomine Chananæum adiit ; cujus doctrina imbutus fideliter, tale in ipso purgationis fonte nomen fortitus est. *Novum enimvero commentum, et alibi, quantum scimus, inauditum ! Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 3, *nota* 19 *in persecutionem Decii, Acta Mss. vidisse se asserit, quorum prologus incipit :* Laudatissima Christi Martyrum certamina: *historia vero sic :* Tempore, quo nequissimo errore.

* pheronymus

AUCTORE J. P.

Exemplaris quædam Græci indicantur,

103 *Exemplar Græcum asservatur in bibliotheca Vaticana, cui titulus,* μαρτύριον τοῦ ἁγίου Χριστοφόρου ; *exordium vero,* ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τοῦ βασιλέως Δεκίου, πολλὴ μαλακία ἦν ἐν τῷ λαῷ, καὶ πλῆθος ἱκανοῦ τῶν τὰ εἴδωλα σεβομένων. Anno quarto imperatoris Decii multa segnities erat in populo ; cumque fat magna multitudo esset, quæ idola coleret. *Partem aliquam hujus martyrii ex Vaticano codice* 866 *f.* 720 *transcribere cœperat Papebrochius ; sed calamum stitit, quia, uti annotatum reliquit,* ea fabulis mixta per sex paginas sequentes. *En tibi paucula fragmenta, e quibus rem totam in compendio noris.* Ἀνήρ δέ τις ἀβλαβὴς, τοῦ γένους τῶν κυνοκεφάλων... οὗτος συλληφθεὶς ἀπὸ τῶν στρατιωτῶν τοῦ βασιλέως, ἀπὸ τῆς ἐρήμου ἠνέχθη τῷ βασιλεῖ Δεκίῳ εἰς τέρψιν· ἐτέρπετο γὰρ ὁ βασιλεὺς τὸ εἶδος αὐτοῦ ὁρῶν ἐν τῷ ἀρίστῳ. Vir quidem erat innocuus, ex genere Cynocephalorum ..... hic a militibus imperatoris comprehensus, ex eremo ductus fuit ad imperatorem Decium, ut eo se oblectaret : oblectabatur enim imperator, videns vultum ejus, in prandio. E

quæ ex fragmentis paucu-lis

104 Κατενύγη ὁ αὐτὸς ἀλλόφυλος ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.. διὰ τὸ μὴ δύνασθαι αὐτὸν λαλεῖν τῇ ἡμετέρᾳ διαλέκτῳ, καὶ μὴ ὑποφέρων τὴν πύρωσιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἀπελθὼν ἐκάθισεν ἔξω τοῦ παλατίου, προσέχων τῆς κτίσεως τὸν εὐμορφίαν, Alienigena iste a Spiritu sancto compunctus fuit... propterea quod lingua nostra loqui non posset; et cum Spiritus sancti flammam non sufferret, discedens sedit extra palatium, attendens ad elegantiam rerum creatarum *etc.* In fine autem, *teste Papebrochio*, hæc habentur : Τὸ δὲ ἅγιον μαρτύριον τοῦ ἀθλοφόρου Χριστοφόρου ἐκέλευσεν ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Πέτρος εἰς τὸν ἀπόρροιαν τοῦ ποταμοῦ γενέσθαι, εἰς τό ἐπικειμενον εἰς τὸν πόλιν· ἔστι δὲ πεφυλαγμένη ἡ πόλις ἐκείνη μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, διὰ τῆς πρεσβείας τοῦ ἁγίου Χριστοφόρου· μακάριοι δὲ ἔσονται, οἱ τὸν μνείαν αὐτοῦ ἐπιτελοῦντες ἐν Χριστῷ I, τῷ κυρίῳ ᾧ, ἡ δόξα.

suam vilitatem produnt.

105 Sanctum autem gloriosi Christophori martyrium fieri fecit sanctissimus Petrus episcopus, ad fluminis fluentum, qua parte adjacet civitati (*præcesserat autem* Italia, Persarum civitas, *sicut idem Papebrochius notatum pariter reliquit*) Ista vero civitas ad hodiernam usque diem sub S. Christophori tutela fuit conservata. Beati autem erunt, qui memoriam ejus celebrant in Christo Jesu, Domino nostro : cui gloria *etc.* Italia, Persarum civitas, F *quæ hic dicitur, an et ubi ? Item* Petrus *ille* episcopus, *quis, ubi et quando? At nunc tempus est ut de exemplaribus typo excusis nonnullo subjiciamus.*

Actorum typis editorum

106 *Exstant illa apud Vincentium Bellovacensem citatum, Jacobum Januensem, Petrum de Natalibus, S. Antoninum, Wicelium, Mombritium, Surium. Denique rerum ad Sanctum spectantium apud neotericum Legendistam Gallicum historica habetur collectio : ut nihil dicamus de aliis Legendistis, ipso antiquioribus, nimirum Flore Sanctorum seu Legenda, Hispali impressa anno* 1532 *Hispanice ; nostro Petro Ribadeneyra, atque Alfonso de Villegas item Hispanice ; Didaco de Rosario Ordinis Prædicatorum, in historia Sanctorum anno* 1585 *Lusitanice ; Thoma de Trugillo, Ordinis Prædicatorum, tomo* 2 *Thesauri concionatorum Barcinone anno* 1583 *Latine edito ; ac demum historia Sanctorum, a variis collecta et Gallice edita Lutetiæ Parisiorum anno* 1601. *De Actis item, ab auctore admodum antiquo metrica et soluta oratione*

AUCTORE J. P.

oratione conscriptis, dicetur paullo post. Quæ sunt apud Vincentium Bellovacensem, breviora quidem sunt, quam illa, quæ nos edimus; sed communem omnibus sentinam sapiunt. Jacobus Januensis historiæ Sancti magnam partem contexit ex narratione, quam in quibusdam ipsius gestis legi affirmat. Rei compendium accipe. Sancto cum quodam rege Chananæorum versanti venit in mentem, ut majorem, qui in mundo esset, præ aliis principem quæreret. Digressus igitur ad unum, fama maximum, cum eo mansit. Forte contigit, ut rex audiens cantilenam, in qua joculator quidam frequenter diabolum nominabat, se cruce signaret. Rem miratus, suscitatur causam Christophorus.

magna series

107 *Cumque id fieri intelligeret ea de causa, ne dæmon noceret; mox* Christophorus: *Ergo ille, inquit, te, utpote cui noce possit, major est. Ideo continuo se ad illum, ut ipsi serviat. Dictum factum: occurrit ei, ac in dominum accipit. Ita res tulit, ut dum iter facerent, crux sese offerret: hanc fugere dæmon:* Christophorus *autem in solitudinem recedere. Deinde ad diabolum redux, et causam edoctus, cur is crucem fugeret, inanem operam insumpsisse se videt* Christophorus, *et maximum omnium, qui in mundo essent, principem nondum hactenus se reperisse; statuit ipsum Christum inquirere: quem ab eremita docetur; eodemque suasore* Christophorus, *adeo proceræ existens staturæ, viatoribus per fluvium transvehendis operam navat, fabricato juxta habitaculo. Quid multa? Dum quadam vice is quiesceret; audit vocem cujusdam pueri, tertio se vocantis; transvehit illum, ita humeros portitoris gravantem, ac si totum mundum ille portasset. Tum puer, Christum se esse manifestat (vide superius num.* 59*) adjecto dictis promisso, ut* Christophorus *baculum in terra figat; mane eum habiturum flores et fructus.*

recensetur.

108 *Post hanc singularem et fabulosam scenam, inducitur Sanctus perrexisse* in Samon civitatem Luciæ *etc.; ubi est initium aliorum Actorum, eorumque in substantia prosequitur argumentum. Petrus de Natalibus eumdem male cohærentem scenici dramatis funem trahit. S. Antoninus, relato Sancti martyrio ex Vincentio, subdit fabellam ex Jacobo de Voragine; recte addens,* hæc tamen non scribere Vincentium... vel quia abbreviare voluit; vel quia forte non reputavit ista authentica: *utroque certe, seu potius ultimo titulo Vincentius meritissimo jure nugas hace supprimere debuit. Apud Wicelium in Actorum compendio perquam immodeste illæ exploduntur, quando verbis supra num. 60 ex ipso citatis, subduntur ista:* Nisi forte credas, hunc Christophorum Nessum quemdam Centaurum fuisse, qui Deianiram per Euenum Ætoliæ fluvium transvexit, ut est in fabulis poetarum. *Sed quia ista non habentur in editione Moguntina anni* 1547; *suspicor ab heterodoxo editioni Basileensi anni* 1557 *adjecta esse. At nunc alia, quæ ad præsens institutum spectant, prosequamur.*

§ XI. Ulterior exemplarium et Actorum notitia; aliorum ac nostrum de hisce judicium.

Ulteriores

Sequitur, ut de Passione Sancti, edita apud Mombritium aliquid breviter dicendum esse videatur. Hoc porro summatim de ea pronuntiare liceat, quod nihil melioris aut diversi characteris præ se ferat, ob quem Actis proxime typo a nobis producendis, aut alii ejusdem farinæ Mss., paullo ante magno numero recensitis, vel hilum anteferri mereatur: cum ex iisdem omnia lacunis hausta fuerint, et iisdem sordibus increverint; ac proin, quandoquidem in substantia conveniunt, alia sibi præ aliis majus meritum ac pretium vindicare non possint. Ad Surium quod attinet; edidit is Vitam et martyrium ex diversis compendio descripta, *prout narrationi, quam breviter collegit, prænotatur. Sed cum* ex diversis *ea accepta sint, ac communis Actorum, prout vulgo circumferuntur, historiæ narrationi fere consona, saltem in substantia; patet, cujus pretii sint, non majoris utique, quam Acta ipsa, e quibus prodiere: quamquam inficiari non possimus, ea Actis prolixioribus tanto esse tolerabiliora, quanto, rescissis pluribus dramaticis ornamentis, paucula quædam referunt* compendio descripta.

circa exemplaria quædam

110 *Legenda Hispalensis superius indicata Sancti martyrio præmittit centonem ex anilibus fabulis consutum, quem ex Legenda aurea seu historia Jacobi Januensis modo contraximus. Tantum vero abest, centonem illum ut adoptet Ribadeneyra, ut post* S. Christophori *gesta, ita illum refutet:* Communiter pingitur S. Christophorus cum puero Jesu in humero, tamquam eum traducat per fluvium. Ego, *inquit,* non invenio, quid fundamenti habeat, illum ita pingere, nisi est per symbolum *etc. Historia Sanctorum Lusitanica centonem jam dictum non habet; et martyrio bene subnectit,* multas alias res scribi de isto beato sancto Martyre; sed quia videntur apocryphæ, *eas omissum iri. Thomas de Trugillo Acta quidem dare se ex Surio asserit; sed ea per decursum mutavit ac decurtavit; inter illa vero, quæ ad eorum finem adjecit, dicitur* passus esse martyrium circa annum Domini CCCLIV, imperante Juliano apostata, ut ait Vuicellius.

suggeruntur rationes.

111 *Ubi triplex corrigendus est error.* 1. *circa annum mortis; de quo supra disputatum est.* 2. *quod imperatorem istum connectat cum anno* 354; *qui anno* 361 *imperare cœpit.* 3. *Wicelium citat; sed cum locum non indicet, alium haud dubie designare noluerit, quam* S. Christophori *Vitam ex Ruggero Fuldensi ab ipso editam: ast in neutra, quam supra citavimus, editione, ullum de anno martyrii, aut imperatore, sub quo illud contigerit, apicem reperimus. Alfonsus de Villegas Actis, quæ ex Surio profert, præmittit parergon, in quo alludit ad transvectionem per fluvium, in picturis exprimi consuetam. Porro quæ de martyrio refert, morari nos non debent, non magis quam illud, quod habet historiæ Sanctorum, a variis collecta et Gallice edita: nam utrobique his Surii nomen prænotatur. Majorem sane attentionem meretur aliud exemplar, de quo ista accipe.*

112 *Acta*

A *Acta seculo 10 conscripta metrice, ac nuper edita,* 112 *Acta quippe* S. Christophori *sub Ottone III imperatore, qui floruit exeunte seculo* x, *conscripta non ita pridem typis publici juris fecit R. P. Bernardus Pezius Benedictinus, in suo Thesauro anecdotorum novissimo, anno* 1721 *edito, tom.* 2, *parte* 3, *a col.* 27. *Versu autem et prosa exarata sunt a Walthero subdiacono Spirensi, atque* eruta *notantur* ex cod. Ms. imperialis et celeberrimi monasterii ad S. Emmerammum Ratisbonæ Ord. S. Ben.; *qui quidem ipsius auctoris ævo exaratus videatur, uti habes in Dissertatione isagogica, isti tomo præmissa, pag.* L. *Metrica sic incipiunt suam narrationem :*

More quidem regum gestabat sceptra Syrorum
Fascibus indignus publicis rex, nomine Dagnus,
Celans corda lupi, simulatis vultibus agni.
Texerat oculte serpentem forma columbæ.
Jam quid plura querar? Tigribus rabidis fuit impar.
Hic dum forte Samon ditione teneret avorum,
Quæ caput urbis erat, Syriæ dum regna manebant,
B Vir quidam meritis in censu paupere dives,
Quem patribus non ignotis Chananæa propago
Ediderat

a Waltero subdiacono Nemetensi composita exhibentur, *hypolevita, id est subdiaconus* 113 *Et eodem quidem argumento per libros omnino sex deducto, sequitur in fine ista clausula, auctorem describens :*

Hæc hypolævita * Vualterus ab urbe Nemeta
Pro vice Christophori metrica depinxit amussi,
Cum primum regno successit tertius Otto.

Ac proinde versus annum 983 *vel paullo serius. Vitæ vero prosaicæ præmittit prologum, indicatque, quod eam dedicet* domno Balthericho, sanctæ Nemetensis ecclesiæ patri, et episcopo : *qui in Catalogo episcoporum Spirensium apud Bruschium de episcopatibus Germaniæ, subrogatus notatur Odogario anno Domini* 970; *decessisse autem ex hac vita anno* 987; *die vero* xv *Aprilis, sicut legitur in nostro ecgrapho ex Necrologio Ms. ecclesiæ Wissenburgensis seu Weissenburgensis, Ordinis S. Benedicti, non in Saxonia, sed ad Rhenum : (vide Bucelinum tom.* 1 *et* 2, *et Mabillonium Annal. Benedict, tom.* 1, *ad annum* 642, *num.* 16) *atque adeo auctor ille post annum istum* 987 *non scripsit hanc Vitam; cui apposita est in fine clausula ad laudem Sancti, toto orbe miraculis tunc, uti testatur, celeberrimi :* Ejus namque, *inquit,* inaudita quantitas signorum hodieque diffunditur toto orbe terrarum.

C *cum nostro de illis judicio; uti de prosaicis, ab eodem auctore conscriptis.* 114 *Ceterum alia nonnulla, quæ ad hunc auctorem, eruditionisque ac poeticæ præsertim venæ facultatem spectant, dabit Dissertatio mox indicata : in qua quia doctissimus ejusdem auctor,* cujus sint fidei Acta S. Christophori, a Walthero illustrata, *nobis* (quorum, *inquit,* præcipue gratia cum hæc tum alia plura in nostram collectionem intulimus) discutiendum statuendumque relinquere *sese profitetur; dicimus pluris illa non valere, quam alia; imo minoris esse pretii; quia poeta metrice illa imprimis amplificando, adornandoque similitudinibus, inductionibus ac colloquiis, drama epicum potius panxit, quam simplicem historiæ narrationem, tametsi jam tum corruptam ac fabulosam, iisdemque ex sordibus coagmentatam, quibus nunc scatere vulgaria Sancti Acta, profiteri cogimur. Acta vero prosaica, quæ eodem Walthero auctore post metrica sequuntur, quia ejusdem cum vulgaribus sunt argumenti, satis inde liquet, quo in pretio sint habenda; eo vulgaribus deteriora, quod illorum auctor oratoriis phaleris usus, extra præstitutas hagiologis metas longe lateque sit expatiatus. Joannes Hessels a Lovanio in censura de quibusdam Sanctorum historiis, quæ habetur ad calcem primæ impressionis Usuardi a Molano editi, citat Passionem cum hoc exordio :* Fuit igitur glorosus sanctus Christophorus in humana effigie Chananæus. AUCTORE J. P.

Alia quædam Acta 115 *Bartholomæus Chioccarellus de Episcopis Neopolitanis pag.* 161 *scribit,* S. Christophori martyris gesta a.. Petro *quodam*, ipsius archiepiscopi *(Petri, ut vult, de Surrento)* mandato esse recensita; *productis hisce, qui inibi in fine legantur, versibus :*

Parthenopensis apex præsul per cuncta beate,
Nectar salvifico red imitus munere divo,
Petre, Petri meritis, qui te sacravit in urbe.
Sume tui Petri famulatum mente benigna,
Quod patravit ovans ad vestri nominis odas E
De Christophori laude magnisque triumphis
Martyris eximii, pro Christi lege patratis etc.

Quænam sint illa Acta, incompertum habemus; at quæcumque fuerint, vix dubitare possumus, quin ex eodem vel simili sint furfure subacta; e quo alia constant. De utroque porro isto Petro, archiepiscopo videlicet, ac scriptore meminimus die xvi *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Julianæ V. et M.,* § 1, *pag.* 868; *cujus Vitam, secundo loco a nobis datam, iste Petrus archiepiscopo Petro non hujus nominis II, cognomento de Surrento, sed Petro I circa annum* 1100, *secundum ea, quæ ibidem dicta sunt, inscripsit, hoc habens in ea singulare, quod cum utatur stylo soluto, pluribus hinc inde locis carmina quædam inspergat. Apud Leibnitium citatum pag.* 870, ecclesiæ in Stedereborch *adscribitur* liber de singulis quaternionibus compositis, in quo continetur de S. Christophoro; *cetera nobis ignotus.*

enumerantur, cum virorum eruditorum 116 *Atque hæc quidem hactenus de exemplarium atque Actorum, quæ, in eis exhibentur, notitia. Reliquum nunc est, ut virorum eruditorum circa Acta censuras proferamus. Agmen ducat sapientissimus Annalium ecclesiasticorum concitor Baronius, qui tum hic tum alibi nimii rigoris minime suspectus videri debet judex. In citatis itaque notationibus* Legimus, *inquit,* eadem in nonnullis antiquis codicibus, quæ et Surius retulit in tomo 4; sed omnia quæ censura indigeant. Irrepsit inter alia, ut pro Decio imperatore Dagnus quidam sit positus. *Hesselius paulo ante designatus, de Passione, cujus initium mox ex ipso dedimus, ita censet :* Placet Passio S. Christophori : licet ex ea parte displiceat, quod locus martyrii non memoratur : neque civitates, quarum mentio fit in historia, exprimuntur. *Non assequimur, quomodo ista Passio absolute ipsi placere potuerit : neque enim induci possumus, ut credamus, Acta ista qualiacumque dissimilis adeo notæ ac melioris characteris fuisse, quam tot alia hactenus enumerata, seu eadem potius in substantia, atque alia aliis magis vel minus mala, quatenus magis vel minus in amplificatione et ornatu rerum sibi temperant.* F

circa ea judicio: 117 *Cardinalis Bellarminus minime obscure, tametsi non expresse sed tacite indicavit, quidnam de Actis hisce sentiret : nam tom.* 2 *Controversiarum, de Sanctorum Beatitudine lib.* 1, *cap.*

AUCTORE J. P.

cap. 20, *ad argumentum* 8, *quo hæretici contendunt, multos invocari, qui non modo non Sancti, sed nec homines fuerint, ut* Christophorus, *Georgius, Catharina, ac proin superstitiosam esse eam invocationem; respondet*, Sanctorum quorumdam historias apocryphas quidem et incertas esse, non tamen propterea Sancto ipsos numquam fuisse .. quia etsi apocrypha erat historia S. Georgii, quæ tunc *(sub Gelasio, uti vult, Papa) exstabat* : non tamen apochrypha est consuetudo universalis Ecclesiæ : quia semper Georgii, Christophori et Catharinæ memoria celeberrima fuit. *Ubi habes de istis S. Georgii Actis expressam, ac tacitam Actorum* S. Christophori *censuram.*

cui nos

118 *Nec videmus, cur post adeo magnos viros, Baronium videlicet ac Bellarminum, qui suum circa Acta hic agitata judicium protulere, nimiæ severitatis accusanda sit censura, quam jam pridem de iisdem tulit Papebrochius, quando candide mentem circa illa suam elocutus in* B *Ephemeribus Græco-Moscis supra allegatis*, difficile *censet*, ex fabulosa Sancti Legenda aliquid certæ veritatis elicere. *Videri interim possunt ejus Responsiones parte* 1, § 9 *ad prætensæ Exhibitionis errorum articulum* 11. *Tillemontius circa Acta, quorum initium superius ix ipso protulimus, asserit, quod* non possint servire, nisi ad confirmandam Baronii censuram. *Neotericus Legendista Gallicus, alibi exortice criticus et audax censor, temeritatis culpam non incurrit, quando aliorum exemplo Acta Sancti reprobat.*

nostram quoque censuram subdimus.

119 *Quod si nobis aliorum judicio nostrum quoque superaddere liceat, dicimus, Acta ista prorsus a nobis improbari tamquam incerta et apocrypha.* 1. *Quia in multis peccant, uti sparsim in Commentario hoc ostensum est.* 2. *Quia inexspectatis ac plane scenisis eventibus et colloquiis ineptis sunt infarta.* 3. *Quia denique, ut paucis complectar omnia, tota illorum symmetria ex male cohærentibus partibus composita tantum abest ut præbeat rebus adeo mirabilibus, quas narrat, motiva credibilitatis accommodata; ut occasionem præbeat heterodoxis ipsam Sancti existentiam impugnandi, tamquam imagi-* C *nariam ac fabulasam, cui tam imaginaria et fabulosa historia applicetur. Similis furfuris sunt Acta S. Margaritæ, quæ dedimus* XX *Julii, et S. Christinæ V. et M.*, XXIV *ejusdem. Quæ ibi circa utriusque Sanctæ Acta diximus, consuli possunt, atque huc applicari. En ipsam qualemqualem Sancti passionem.*

D

PASSIO

Ex Ms. nostro membranaceo Fuldensi satis antiquo,

AUCTORE ANONYMO CONSCRIPTA.

CAPUT I.

Sanctus ad multorum conversionem mittitur; regi Dagno sistitur; Nicæam et Aquilinam convertit.

Sanctus ad plurium conversionem destinatur.

In nomine Domini Jesu Christi. In tempore illo, regnante Dagno *a* in civitate Samo *b*, homo venit de insula, genere Canineorum *c*, et ostensum est ei a Domino, ut baptizaretur baptismo sancto; quem ostendit Dominus Jesus Christus in seculo suo : et ostensum est ei, quoniam multæ generationes per te credere habent, in Dominum Jesum Christum; et vocabuntur filii Dei vivi. Ipse autem Sanctus, ex toto corde orans, ecce nebula de cælo descendit, et inluxit super eum : et venit ei vox de cælo, dicens : Serve electe Dei : ecce accepisti baptismum in nomine Domini et sanctæ Trinitatis. Et ingressus ipse Sanctus intra Syriam, orabat dicens : Gloria tibi Deus, qui convertis ignorantes, et adducis in viam veritatis; mutas linguas ferarum, et das eis linguam humanam. Et ingressus in ipsam civitatem, orabat dicens : Domine, qui fecisti Adam, et dedisti ei scientiam, ut agnosceret viam veritatis; da et mihi, servo tuo, ut doceam populum istum, qui erravit.

pro populo orat, ac multos baptizat.

2 Et orante eo, exivit mulier de civitate, ut iret, et adoraret idola : et videns ipsum Sanctum, contremuit : et facies ejus mutata est, videns corpus hominis, caput autem canis *d* : et cucurrit ad civitatem, et clamabat dicens : Venite et videte mirabilia, quæ adhuc nullus potuit videre. Et exierunt turbæ multæ, et videre ipsum Sanctum stantem, et orantem juxta ecclesiam; et respiciens ad illum populum, orabat dicens : Domine Deus omnipotens, da mihi, ut credant per me nomini sancto tuo. Et tenens virgam ferream in manu sua, fixit eam in terram, et dixit : Domine, Deus meus, fac virgam meam florere, et ramos bonos habere et folia formosa; quomodo mutasti in Cana Galilææ aquam in vinum. Multi autem videntes, quoniam virga illa floruit, crediderunt in eum de hac civitate millia hominium decem et octo, et baptizati sunt de manu ejus *e*.

Sistitur regi Dagno:

3 Audiens autem Dagnus rex, transmisit ad eum ducentos milites, ut eum ad se exhiberent. Videntes autem milites eum, timuerunt adpropiare ad illum; et transmisit alios ducentos. Et venientes milites ad ipsum, viderunt eum stantem et orantem; et ipsi orare cœperunt cum eo. Complens vero orationem suam, surrexit : et dixerunt milites ad eum : Domine, rex

A rex desiderat videre te. Et respondit ad eum : Si voluntatis meæ est, veniam : si non, non veniam : tamen venio vobiscum. Et ingressus ante conspectum Dagni, videns eum rex, quoniam magnus erat, statim corruit de consistorio, in quo sedebat, et postmodum surrexit, et sedens pro tribunali, interrogabat eum dicens : Quis es tu, aut unde es, aut quod nomen tuum? Respondit sanctus Christophorus : Ex nativitate mea Reprobus dictus sum : post baptismum sanctum Christophorus *f* vocor. Dicit autem rex ad illum : Canine, et fax mala, non sacrificas diis meis magnis?

f

4 Respondit sanctus Christophorus, et dixit ei : Vere bene vocatus es Dagus; quia *g* tu es pars mortis, et conjux patris tui diaboli : dii autem, quos mihi dicis * sacrificare, vani sunt. Oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; nec ipsos, qui adorant eos, adjuvare possunt : quoniam aurei, argentei, et lignei sunt; dii autem, qui non fecerunt cælum et terram, pereant. B Tu autem tanquam stultus adoras eos. Utinam audires me, et adorares Dominum, qui fecit cælum et terram! quoniam potest te liberare de igne, et dimittere peccata tua. Ipse autem stultus Rex intra se dicebat : Quomodo possum istum, qui inter feras nutritus est, vincere, si non inveniam diversa tormenta? Et jussit eum rex mitti in carcerem. Ecce illi quadringenti milites venerunt ante conspectum Dagni, et jactaverunt omnes arma sua ante illum, dicentes : Et nos credimus in Deum sancti Christophori, et adoramus eum. Et dixit rex : Numquid et vos maleficati estis, quod ipsum vultis sequi? Venite autem, adorate deos meos, et dono vobis aurum et agentum immensurabile; et in honore magno constituo vos.

cujus impietatem redarguit, et 400 milites convertit:

g

* quibus me jubes

5 Dixerunt milites ad illum : Aurum et argentum tecum sit in perditione : nos autem semel baptizati sumus, et credimus in sanctam Trinitatem. Iratus autem rex jussit eos decollari. Ipsi vero propter gratiam sancti Christi * impleverunt martyrium. Tunc jussit rex, ut venirent ad eum quæ puellæ pulchræ, et includi cum sancto Christophoro in carcere, Nicæa et Aquilina *h*, et promisit eis aurum et argentum, C et lapides pretiosos, ut facerunt eum secum peccare, et sacrificare diis. Ingressæ autem ad Famulum Dei, viderunt faciem ejus tamquam flammam ignis, et ceciderunt in facies suas ab hora tertia usque ad horam sextam *i*. Cum vero explesset sanctus Dei Christophorus orationem, dixit ad illas : Levate vos, filiæ meæ, nolite timere : stare autem habet ante judicium Dei, qui vos transmisit ad me. Et interrogabat eas, dicens : Quod est artificium vestrum? Et responderunt : Ora pro nobis, Famule Dei, ut dimittat Dominus peccata nostra, opera autem nostra maritorum * est : et quod accipiebamus de corpore nostro, pauperibus erogabamus, nudos vestiebamus, captivos redimebamus, esurientes satiabamus *k*.

qui et Martyres fiunt. Duæ puellæ, ad Sanctum pervertendum missæ,

* Christophori

h

i

* meretricum

k

6 Dixit eis sanctus Christophorus : Negate ergo Jovem et Apollinem, et omnia idola vestra, et communicate mecum in oratione; et ego spero in Deum meum, quoniam ipse dimittet vobis peccata vestra. Responderunt illæ et dixerunt : Ora pro nobis; quia credimus in Deum tuum : quoniam tecum perferemus martyrinm. Alia autem die jussit eas rex exire de carcere et interpellare Deum suum. Responderunt illæ dicentes : Utinam audires nos, et adorares Dominum Deum sancti Christophori. Respondit rex et dixit ad Nicæam et Aquilinam : Numquid et vos maleficatæ estis de illo malefico, ut vos negaretis deos meos magnos? Cogitate autem propter pulchritudinem vestram, et sacrificate diis meis : si autem nolueritis, male vos faciam perire a facie terræ. Responderunt illæ et dixerunt : Si volueris, ut sacrificemus diis tuis, jube mundari plateas totas, et exeat præco clamans, ut omnes congregentur in templum, quoniam Nicæa et Aquilina sacrificare habent diis.

ab eo reducuntur ad meliorem frugem,

ex ms.

7 Tunc congregatus est populus magnus : et dixit rex ad populum : Nicæa et Aquilina sacrificare habent diis. Et venientes ad templum, respiciebant in carcerem, ubi erat inclusus sanctus Christophorus : et clamabant voce magna dicentes : Ora pro nobis Famule Dei, ut liberet nos Deus de idolis his. Et ubi ingressæ sunt in templum, clamabant : Dii paganorum, audite nos. E Hoc cum ter dixissent, non erat vox in illis. Et dicebant ad populum : Ne forte somnum ceperint, et non audiant, aut aliquo artificio operentur, et non illis vacet. Tunc Nicæa solvit cinctorium suum, et posuit in collo Jovis, et traxerunt ambæ, et jactaverunt eum in faciem suam, et contriverunt eum. Similiter fecerunt et Apollini, et dixerunt : Si Dii estis, levate et adjuvate vosmet-ipsos. Audiens autem Dagno rex, quod Nicæa Aquilina deos suos contriverunt, veniens dixit ad illas : Ego vos rogaveram, ut diis meis sacrificaretis, et non conlideretis. Respondentes dixerunt : Nos lapides conlisimus; stulte tales sunt dii tui, ut a mulieribus conliderentur.

ita quidem ut idola collidant.

8 Respondit rex et dixit eis : Quoniam illi malifico credidistis, et læsistis deos meos, male vos faciam perire ab hoc sæculo; ut Christophorus videat perditionem vestram, et sacrificet diis meis. Et jussit rex ferreas catenas in manibus et pedibus Aquilinæ mitti : et jussit eam suspendi, et mitti lapidem magnum pedibus ejus, ut membra ejus disrumperentur. F Ipsa autem elevans oculos suos, videbat sanctum Christophorum orantem : et clamabat ad eum dicens : Famule Dei, ora pro me, quoniam in nomine Dei tui accipio meam coronam in omni bono, et Spiritu sancto. Postea audivit vocem magnam dicentem : Accipe tuam coronam : intra in gratiam Dei tui. Et Nicæa vidit eam, et orans dixit : Domine Deus sancti Christophori, noli me separare de mea sorore, sed cum ea me dignare coronare. Et jussit rex, ut veniret Nicæa ante conspectum ejus; et dixit ad eam : Adhuc in stultitia tua perseveras? Audi me et sacrifica diis meis, ut non amplius tormenta, quæ passa est soror tua, et tu patiaris.

Ideo Aquilina torquetur Nicæa regi sistitur.

ANNOTATA.

a *De imaginario isto rege disseruimus in Commentario prævio* § 4.

b *Locum hunc satis examinavimus ibid.* § 7.

c *Plura huc spectant ibid.* § 8; *ubi et de baptismo.*

d *Consule hac super re Commentarium* § 8.

e *De infidelibus a Sancto conversis, superius* § 9.

f *Circa*

EX MS.

f *Circa utrumque Sancti nomen varia dedit Commentarius prævius.*

g *Quænam inter* Dagnum *et* mortem *vel umbratilis etiam sit connexio, atque adeo quid sibi velit particula ista causalis, non concipimus. Nam* τὸ δαγνὸν *(pro quo citatur Hesychius) pro* πυκνὸν, frequenter, *huc non spectat; non magis quam* δάγμα *Dorice pro* δῆγμα, morsus, *a* δάκνω.

h *Nomina hæc elucidat sylloge historica, quam habes die* 24 *hujus, a pag.* 492.

i *Scena producitur nova, similis ei, quam superius habes in* rege corruente de consistorio; *et infra num.* 11.

k *Locum hunc castigavimus in dicta Sylloge pag.* 493.

CAPUT II.

B

Ambarum martyrium; Sancti cruciatus ac mores; tyrannus cæcitate punitus, et ab eadem liberatus; ejusdem edictum pro Christianis.

Nicæa multis excruciata tormentis martyrium subit una cum sorore.

Nicæa respondit: Tormenta tua mihi dulcedo sunt, et mors tua, vita æterna est. Tunc jussit rex ligari manus et pedes ejus, et dentes ejus singulariter expelli, ut præ dolore respondere non posset. Ipsa vero amplius clamabat et dicebat: Ego tormenta tua non timebo; habeo autem Sanctum adjutorem, qui potest me liberare de manibus tuis. Iratus autem rex jussit exhiberi ligna multa, et fieri pyram ingentem; et jussit eam ibi concremari. Ipsa autem in medio flammæ stabat et clamabat: Domine, qui misisti angelum tuum in caminum trium puerorum, et liberasti eos de flamma ignis, ita et me liberes de igne isto, ut erubescat tyrannus iste. Et tunc solutæ sunt manus et pedes ejus, et stabat in medio igne: et facta est flamma illa tamquam ros, qui de cælo descendit. Videns autem tyrannus quia nihil poterat eam * nocere, jussit eam decollari, et complevit coronam suam cum sorore sua in testimonia magno.

* ei

C

S. Christophorus torqueri jubetur

10 Multus autem populus exspectabat gloriosam passionem ipsarum, quoniam vicerunt illum tyrannum, et crediderunt in Deum sancti Christophori, et clamabat omnis populus: Magnus Deus Christianorum. Iratus autem rex dixit in corde suo: Si non perdidero istum maleficum a facie terræ, in maleficiis suis totum seculum * ad se trahere habet, ut omnes in illum credant. Et jussit rex venire eum ante conspectum suum, et dixit: Canine, et fax mala, non sacrificas diis meis? Usquequo in hac fide stas; et quam diu te possum sustinere? Sacrificas diis meis, an non? Respondit ei et dixit: Ego volo te adduxi in fide bona, ut relinquas malum, et adores Christum meum: qui potestatem habet in vita et in morte tua. Et dixit rex: Adhuc in stultitia hac stas? Et quamdiu te possum sustinere? Respondens sanctus Christophorus dixit; Ego non sum stultus, sed sum servus Domini Jesu Christi; tu autem stultus es, et insipiens, qui non confiteris Dominum Jesum Christum, sed confiteris satanam patrem tuum. Et iratus rex jussit ligari manus et pedes ejus, et cædi ad virgas D ferreas, et mitti in caput ejus cassidem igneam. Tunc dixerunt tres ex consulibus: Beatus fueras Dagne, si natus non fuisses, quoniam talia tormenta fieri jussisti Famulo Dei. Iratus rex jussit eos decollari.

* *forte* populum

exquisitis cruciatibus;

11 Tunc sanctus Christophorus dixit ad eum: Si amplius potueris tormenta mihi facere, fac rex stulte: mihi vita æterna est, et dulciora super mel et favum tormenta tua. Tunc jussit rex fieri scamnum ferreum secundum statum ejus. Et venerunt artifices et tulerunt mensuram ejus, quæ erat cubitorum duodecim *a*. Et factum est secundum jussionem regis, et posuerunt eum in medium civitatis, [et] jussit eum rex ibi ligari, et ignem supponi: et jussit quadraginta orcas *b* olei mitti super eum. Respondit Sanctus Dei de medio igne; et dixit: Hæc tormenta tua, quæ mihi facis in tua turpitudine, et diis tuis [consumentur.] Ego semel tibi dixi: quia non timebo tormenta tua, nec iram tuam. Cum hæc dixisset de multitudine E flammæ, scamnum illud factum est tamquam cera *c*. Veniens autem rex, et videns sanctum Cristophorum in medio igne stantem et orantem (et erat facies ejus tamquam rosa nova) videns eum rex, cecidit in faciem suam a timore magno ab hora prima usque ad horam nonam.

a

b

c

sed irrito plane conatu.

12 Postquam vero surrexit, dixit sancto Christophoro: Fera mala, non tibi sufficiunt peccata animarum, quas errare fecisti, et non permisisti sacrificare diis; sed omnem populum meum traxisti ad te? Respondet sanctus Christophorus, et dixit: Adhuc multæ animæ per me credere habent [in] Dominum Jesum Christum, et tu ipse. Et blasphemavit rex eum: et dixit ad Sanctum Christophorum: Numquid et me vis in tuis maleficiis adducere? Et iratus valde rex dicit ad sanctum Christophorum: Sic mihi faciant dii mei, et sic mihi reddant, si non crastina ista hora perdidero animam tuam, et ad exemplum omnium te faciam pervenire. Aiia autem die jussit adduci sanctum Christophorum: et cum venisset ante conspectum ejus, dicit ad eum: Jam sacrifica diis et intellige verba mea, ut non per multa tormenta pereas. Sanctus Christophorus dixit: Ego diis tuis abominationem feci; quia fidem meam habeo, quam in baptismo accepi. F

Sagittis frustra impetitur,

13 Tunc jussit rex exhiberi lignum magnum secundum statum ejus, et poni ante pal[illegible]; et vocati sunt milites, et jussit fam[illegible]ei Christophorum ad lignum adligari. E[illegible]enientes milites secundum ordinationem regi[illegible] ternas sagittas sagittaverunt super eum, ut citius interficeretur Famulus Dei. Et dixit rex: Videamus, si Dominus ejus potest venire, et liberare eum de manibus meis, et de sagittis his. Et sagittaverunt eum ab hora prima usque horam duodecimam: et putabat rex stultus quod totæ * sagittæ in corpore ejus fixæ essent. Sagittæ autem suspendebantur a vento a dextris atque sinistris ejus: et nulla ex his corpus ejus tetigit. Et post solis occasum, jussit eum rex dimitti ligatum, et custodiri eum, ne forte a Christianis nocte solveretur. Multus autem populus exspectabat excipere corpus ejus.

* *id est omne*

quarum una in oculum regis exsiliens, ipsum excæcat.

14 Alio vero die dicit rex: Eamus et videamus illum maleficum. Et veniens ad eum dixit ei: Ubi est Deus tuus? Veniat et liberet te de manibus meis, et de sagittis his. Statim

A tim exsiliens una de sagittis ipsis ingressa est in oculum regis et excæcavit eum, et dicit sanctus Christophorus: Tibi dico, tyranne stulte, si credis: ego crastino, hora octava, accipio meam coronam in omni bono. Et hoc mihi Dominus ostendere dignatus est. Veniunt multi Christiani, et accipiunt corpus meum, et ponunt illud in locum orationis; tu autem veni in illo loco, et fac lutum cum sanguine in nomine Domini nostri Jesu Christi; et pone in oculum tuum, et salvus fueris. Et tunc adpropriavit horà, ut coronaretur Santus Dei. Aperuit os suum in oratione et dixit:

Sanctus fusis precibus, demum martyrio coronatur.

15 Domine Deus meus, qui eduxisti me de errore in scientiam hanc, quod te rogo, præsta mihi: et in quo loco posuerint corpus meum, non ibi ingrediatur grando, non ira flammæ, non fames non mortalitas: et in civitate illa, et in illis B locis, si fuerint ibi malefici, aut dæmoniaci, et veniunt, et orant ex toto corde, et propter nomen tuum nominant nomen meum in suis orationibus, salvi fiant Et venit ei vox de cælo dicens: Christophore, famule meus, ubi est corpus tuum, et ubi non est; commemorantur * autem in oratione sua nomen tuum; quidquid petierint, accipiant, et salvi fiant. Complens autem suum martyrium bonum, coronatur mense Julio VIII Kal. Augustas *d*.

* commemoraverint

d

Rex a cæcitate sanatus, edit edictum pro Christianis.

16 Sunt autem numero, qui crediderunt in nomine Domini Jesu Christi per sanctum Christophorum, millia hominum quadraginta et octo, et animæ centum undecim. Alia vero die dixit rex: Eamus, et videamus, ubi posuerunt eum. Et veniens in illum locum, clamavit voce magna, dicens: Christophore, famule Dei, ostende mihi virtutem Dei tui, ut et ego credam in eum. Et tulit terram de loco illo, ubi passus est, cum modico sanguine ejus, et posuit in oculum suum in nomine Dei Christophori et in ipsa hora aperti sunt oculi ejus. Tunc rex clamavit voce magna dicens: Gloria tibi, Deus Christianorum; qui facis voluntatem timentibus te, et ego ab hodierno die [ponam] præceptum meum in omni populo, et in omni lingua; [ut] quisquis blasphemaverit Deum Christianorum, gladio percutiatur. Hanc orationem constituit sanctus Christophorus: Domine Jesu Christe præsta bonam mercedem scribentibus et legentibus passionem meam *e*: qui regnas cum Patre, et Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen. e

EX MS.

ANNOTATA.

a *Statura Sancti an gigantea, et qualis fuerit, docet Commentarius* § 5.

b Orca *vas olei (et quidem fictile, uti notat Cangius ex Persio) seu species amphoræ magnæ. Vide plura apud eumdem Cangium.* E

c *De tormentis Sancto illatis consule Commentarium* § 9.

d *Mortem, ejusque adjuncta ibidem discussa invenies.*

e *Finis hujus Passionis cum principio, et cum his ea, quæ sunt media, adeo constant ex ineptiis, et in dramaticis commentis consonant, ut culpam severioris, quam par sit, adversus ea censuræ commeruisse non videamur: de qua pluribus mentem nostram exposuimus in Commentario prævio.*

DE S. CUCUFATE MARTYRE

APUD BARCINONEM IN HISPANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P.B.

C

§ I. Sancti cultus antiquus, nomen et natalis variè signata.

F

ANNO CIRCITER CCCIII.

Elogium Sancti apud Prudentium: varium nomen apud alios.

Celeberrimum hunc Martyrem apud Catalaunos in Hispania fuisse, antiquissima quæque monumenta testantur. Breve illud est, sed elegans et luculentum, quod apud Aurelium Prudentium, qui ineunte seculo quinto maxime floruit, libra Περὶστεφάνων, *Hymno 4 legitur his verbis:*

Barcinon claro Cucufate freta

Surget:

quibus quidem non obscure docemur, sicut aliis Martyribus urbes alias, quas ibidem recenset; ita Cucufate *suo gloriatam præcipue fuisse per illa tempora Barcinonem; neque gloriatam tantummodo, verum etiam* fretam; *ut urbem illam non venerationi ejus qualicumque, sed singulari insuper patrocinio ac tutelæ addictam consecratamque jam tum fuisse intelligamus. Prudentio consonant Martyrologia cujusvis propemodum ætatis ac generis; in quibus tamen, sicut et apud recentiores quosdam historicos, observari velim, aliter atque aliter Sancti hujus nomen exprimi: nam qui prudentio juxta exactissimas editiones et codices vetustissimos, quales bini apud nos sunt, est* Cucufas, *aliis est* Cucuphas *(Sic enim etiam scribitur in Litaniis desumptis ex libro precum Caroli Calvi apud Baluzium Capitularium tom. 2, col. 1486) aliis* Cucufans, Cucubas, Ququfas, Quoquofas, Cocofas, Cocovatus, *etc. Catalauni appellant* san Culgat, *Galli* saint Quiquenfat, *unde ecclesiæ in diœcesi Parisiensi; et* saint Couat, *unde pago cuidam in diœcesi Alectensi nomen est inditum; et aliter varie inflectunt; ut vide apud Castellanum in additionibus ad Martyrologium Romanum die* XV *Februarii.*

Natalem ejus celebrant vetustissima Martia 16 Februarii;

2 *Martyrologiorum agmen ducit vetustius illud, quod S. Hieronymo tributum vulgavit illustravitque Florentinius, dum Sancti nostri memoriam die* XVI *Februarii his verbis celebrat:* In Spania Barcilona, passio S. Quoquofatis. *Sequuntur alia ejusdem classis atque ad eumdem diem, tum quæ ibidem producit Florentinius, ut Antverpiense, seu potius Epternacense, Corbeiense, et Blumianum ad calcem libri, tum quæ a nobis edita sunt contractiora; ut Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, reginæ Sueciæ; et in Spicilegio Acheriano editionis novissimæ tom. 2, pag.*

AUCTORE P. B.

pag. 27 Gellonense. Eadem Hieronymiana majora putantur a quibusdam eumdem Sanctum, luxato nomine, etiam annuntiare die præcedenti, XV *Februarii ; sed in brevioribus nusquam illo die comparet. Corbeiense insuper eum proponit* XXV *Julii, ut vide apud Acherium in Spicilegio citato, et Florentinium. Martyrologium antiquum, quod a loco, unde descriptum accepimus, Trevirense S. Maximini appellamus, illius etiam meminit die* XII *Februarii, et* XXV *Julii ; sed priori loco tantum occasione S. Eulaliæ ; quod et Notkerus fecit, qui ejus memoriam celebrat* XII, *et* XVI *Februarii, ac* XXV *Julii, et hoc quidem die cum elogio satis longo, quod ab Adone mutuatus est. Adisis Prætermissos in Actis nostris ad dies Februarii commemoratos.*

recentiora vero die 25 Julii quem et Acta confirmant,

3 *Alii tamen cum Martyrologi, tum biographi inde a seculo nono ad nostram usque ætatem, ejus memoriæ consecrant unice tamquam natalem diem hunc* XXV *Julii; credo, quia tum primum innotescere cœperunt Acta nostra, in quibus dies ille* Cucufatis *martyrio assignatur. Præisse ceteris Wandelbertus videtur, nisi hunc anteverterit Florus, quod opinati sunt Majores* B *nostri in Martyrologio, quod tomo 2 Martii præfixerunt. Secuti subinde sunt Ado, Usuardus, Liber sacramentorum S. Gregorii in codice Ratoldi, qui seculo decimo scriptus est, apud Menardum pag.* 170 *; et, ne multa recenseam, Romanum, quo nunc utitur Ecclesia, Martyrologium, sic hodie Sanctum annnuntians :* Barcinone in Hispania beati Cucuphatis martyris, qui in persecutione Diocletiani sub Daciano præside plurimis tormentis superatus, percussus gladio, victor migravit in cælum. *Juvat hic etiam adscribere elogium Adonis : neque enim ad cultum* S. Cucufatis *hodiernum comprobandum tantummodo facit, sed ad Actorum quoque nostrorum, quorum exhibet epitomen, demonstrandam qualemcumque antiquitatem: sic igitur habet :*

quorum epitomen hoc die dat Ado.

4 In Hispaniis, civitate Barcinona, S. Cucufafatis martyris *(subintellige* natalis, *quæ vox præcesserat,)* qui ex civitate Sillitana oriundus fuit, C et Barcinonæ sub Galerio proconsule et Maximiano et Rufino passus. Primo gravissime tortus et cæsus, deinde catenis adstrictus in craticula superextensus, aceto et sinapi perfusus, assari jussus est. Cum vero ab igne et flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est : quo divino nutu exstincto, iterum ferro vinctus in custodia retrusus est, ubi divino splendore consolatur. Iterum cardis ferreis et taureis crudelissime cæsus, ut ultimo, dictata sententia : Cucufatem rebellem principum, et diis sacrificare nolentem, gladio feriri jubemus; octavo milliario Barcinona perductus, ferroque animadversus, martyrium consummavit. Cujus corpus a Christianis cum reverentia sepelitur. Unde postmodum translatum non longe a Parisiorum civitate, in ecclesia beatorum martyrum Dionysii, Rustici, et Eleutherii cum honore tumulatum est.

eumdem diem pridem Hispani

5 *Eumdem triumpho ejus diem adscripserunt celebraruntque jam pridem Hispani, et quidem Officio peculiari, quod asserit Tamayus in Martyrologio Hispanico ad hunc diem, cum ait :* In omnibus Hispaniæ Breviariis Officia specialia olim inesse cognoscimus. *Quod idem fere ante illum testatus est Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ tom.* I, *lib.* 10, *fol.* 334 *; ubi affirmat, in Breviariis Hispaniæ Acta* S. Cu- D cufatis *aliquanto ampliora contineri, quam sint in Martyrologiis ; simulque observat, paucas ibi admodum ecclesias esse, quæ de illo Officium non recitent, in eoque non eam exhibeant martyrii narrationem, quam ille ibidem idiomate vernaculo subjicit, quaque Acta nostra in compendium rediguntur; diesque adeo Sancti natalis statuitur* XXV *Julii. Et de Eborensi quidem ecclesia id constat etiam ex Legenda Sanctorum Lusitanica Didaci de Rosario, excusa Ulyssipone* 1585 *; nam ad diem* XXV *Julii Martyrium Sancti nostri desumptum dicitur ex Breviario Eborensi simul et ex S. Antonino parte* 1, *tit.* 8 *cap.* I (§ 28) *Ejusdem rei exemplum reperi in Officiis propriis Sanctorum ecclesiæ cathedralis et diœcesis Barcinonensis, auctoritate Apostolica approbatis, et excusis Barcinone anno* 1668 *; in iis enim ad diem* XXVII *Julii notatur festum* S. Cucuphatis martyris duplex ; *et subditur hæc rubrica :* Quia hoc festum semper occurrit cum festo S. Jacobi apostoli, ideo in ecclesiis diœcesis Barcinonensis, quæ non sunt dicatæ nomine S. Cucuphatis, E semper transfertur in diem XXVII. Quod si ea dies fuerit Dominica, transfertur ad diem XXX Julii. *In ipso autem Officio nihil est singulare præter lectiones secundi nocturni, quæ fere continent Acta nostra. Non existimo idem etiamnum factitari in aliis per Hispaniam ecclesiis : nihil certe hujuscemodi invenio in Directoriis viginti et unius diœceseon et aliquot Ordinum religiosorum ejusdem regni, impressis Matriti anno* 1718.

pro ejus natali habuerunt; licet Officium transferrent.

6 *Verum id olim apud alias in usu fuisse, conjicere etiam licet ex Kalendario Toletani Missalis, ritus Mozarabici, quod anno* 1500 *typis editum, non ita pridem Toleti Cuperus noster exscripsit : sic enim in eo scribitur ad* VIII *Kal. Augusti :* Jacobi apostoli VI capparum *(hæc rubrica exprimuntur ob Festi solennitatem, non item id quod sequitur)* Christophori et Cucufati et comitum ejus MM. IX. LC. *id est,* novem lectionum *Officium : sed quid* comites *hi sibi velint, nescio ; neque Acta vel auctores alii meminerunt ; nisi forte hic male* Cucufati *jungantur, qui juxta ipsum Breviarium Mozarabicum ad Christophorum pertinent. Ceterum quamquam* F *eodem die notata sint SS. Jacobi, Christophori, et* Cucufatis *festa ; quia eodem die occurrunt : nequaquam tamen eodem die apud Mozarabes eorum Officia recitantur ; ut ex eorum Breviario, quod biennio post Missale excusum est, colligo ; ubi hoc ordine Officia horum Sanctorum propria disponuntur :* In festo S. Jacobi apostoli fratris sancti Joannis apostoli et euangelistæ. *Tum sequitur Officium ejus proprium. Deinde :* In festo sanctæ Annæ matris Virginis Mariæ, *cujus Officium subjicitur propriam. Tum vero :* In festo S. Christophori vel comitum ejus. *Et sequitur Officium proprium. Tandem :* In die sancti Cucufati ; omnia dicantur unius martyris fol. CCCXVIII. *Vides, hic postponi diem Officio* S. Cucufatis *destinatum non modo festo S. Annæ, quod juxta Kalendarium jam dictum incidit in diem* XXVI *Julii ; sed etiam differri ultra festum translatum S. Christophori. Porro licet hic omnia præscribantur de communi unius Martyris, excipi tamen debet Hymnus de Sancto proprius, qui ibidem sequitur, quemque, quia commendatur a Baronio, hoc loco repræsentandum putavi, non ut a Bivario in Chronico Pseudodextrino mutilatus est ; sed ut ex ipso fonte, Breviario,*

A *viario, inquam, Mozarabico, accuratissime depromptus est, ne syllaba quidem in textu immutata, nisi cum pro simplici littera vocali, diphthongus erat exprimanda; ceteras emendationes, plerumque ex Tamayo ad hunc diem desumptas, seponam in margine, neglectis metri Sapphici vitiis. En ipsum :*

Hymnus ex Breviario Mozarabico.

7 Barchinon læte Cucufati vernans,
Corporis sancti tumulum honora :
Et locum sacri venerans sepulchri
Sparge ligustris.

Munus hoc clarum tibi Scilitarna * (* Scillitana)
Civitas misit, dedit et beatum
Quando Felicem populis Gerundæ
Sorte colendum.

Hi sequestrato tumuli * honore, (* tumulis)
Proprias sedes adeunt tuendas;
Barcinone Hic celebratur aula,
Ille Gerunda.

Hinc cruor hujus Cucufati * almi (* Cucufatis)
Factus est nostræ regionis herens * : (* heres)
Inde hic nobis sua membra ponens
Vivere præstat.

B Hic fide plenus redamando Christum,
Lucis infestum patitur tyrannum;
Moxque bis seno territur * beandus (* teritur)
Milite tortus.

Cæde percussus nimia furentis,
Viscera fudit quasi peritura;
Quæ reformata recepit * in alvum. (* recipit)
Sanus ad horam.

Missus in flammis, precibus minaces * (* minacem)
Ignis admoti perimit vigorem.
Nequit adurere * nimis in beato (* *Bivar.* ardere)
Corpore flamma.

Cratis ignitæ facibus cremari
Jussus : ardoris nutrimenta gliscunt;
Sed nihil Famulo nocent... * (* *supple* rigores)
Suppliciorum.

Sustinet posthinc Pius ille cardos
Ferreos in se ferientes ictu.
Sic * decisi capitis in æthera * (* Sicque * æthra)
Spiritus efflat.

Jam fave, Martyr, precibus clientum;
C Instrue et civem; populum tuere;
Et sacerdotum pia corde mulce.
Pacis amore.

Crimine dempto, anima virescat :
Pane cælesti satiemur omnes :
Carmine * lapsa vitiata membra
Spiritus ornet.

Non ruinosi perimatur * arctus * (* perimantur * artus)
Non cibus * corpus vitiisque pressum : (* *an.* cibis ?)
Non in occultis animæ crementur
Igne malorum.

Ut pia tecum, Cucufas beate,
Regna cælorum meritis tenentes,
Det Deo nostro resonans placentem
Lingua canorem.

Gloriam Patri celebrans * honore : (* *Tamay.* celebrent)
Gloriam Nato recinent * superni, (* *Tamay.* recitent)
Cum quibus sanctus sociatus extat
Spiritus unus. Amen.

Officium antiquum in cœnobio S. Cucufatis prope Barcinonem

8 *De hoc carmine recurrit sermo inferius. Tres insuper alios Hymnos hoc die profert Tamayus, erutos, ut ait, ex Officio vetustissimo et manuscripto monasterii* S. Cucufatis *del Valles prope Barcinonem; sed quia nihil ad historiam nostram lucis afferunt, eos assignasse satis habeo. Quanta autem solennitate jam olim in illo monasterio celebrari ipso hoc die et sequentibus consueverit Sanctus noster, ex iis lectionibus facile intelligimus, quas nobis ex antiquissimo ejusdem Lectionario membranaceo descriptas transmisit anno* 1627 *vir studiis nostris addictissimus Joannes Baptista de Castellarnau, tum ejusdem cœnobii monachus ac vicarius generalis. Quamquam non omnes ille quidem exscripsisse se fateatur, quas ibi de* S. Cucufate *invenerat; sed illas dumtaxat, quæ Acta nostra integra, sine translatione complecterentur; reliquas vero prætermittere sese voluisse, quod novi nihil, sed eadem tantum omnia aliis atque aliis verbis exornarent. Ex iis, inquam, intelligimus Officium ibi antiquitus cum octava celebratum fuisse, et quidem primo die, seu* VIII *Kal. Augusti, cum lectionibus duodecim propriis, uti et Dominica infra octavam : nam de ceteris nihil accepimus : Porro ex dictis dubium videri debet, quis tandem ex variis, quos assignavimus toto hoc paragrapho, diebus* Cucufatis *martyrio re ipsa conveniat; cum omnes (si forte* XII *Februarii excipias) tamquam natales, nulla facta translationis mentione, notentur. Verum id commodius paragrapho sequenti discutiam; cum de Actis nostris, quanti facienda videantur, pauca dixero.* E

AUCTORE P. B.

§ II. Acta antiqua; varia de illis judicia quo usque admittenda.

Acta habemus Mss., quorum stylum mutavit Surius.

A*cta* S. Cucufatis *Mss. habemus ex cœnobio S. Maximini Trevirensi, quibus adscripsit olim Bollandus noster, exstare eadem, sed sine prologo, in Ms. S. Huberti, quo de cœnobio dictum est sæpius alias; Henschenius vero, esse eadem etiam in codice pergameno reginæ Sueciæ in quarto. Sunt et ad hunc diem* XXV *Julii in codice nostro membraneo Valcellensi signato P. Ms.* 157; *et in Lectionibus quas accepimus ex monasterio, ut ante monui, Vallensi prope Barcinonem; sed in his prologus deest, non in illo : neutro autem loco de translatione verbum est unum. Iisdem usus est in Historia Hispanica priscorum comitum Bar-* F *cinonensium Franciscus Diagus ea antiquissimo, ut ait, Flore Sanctorum, in membranis manu exarato, servatoque apud capitulum cathedralis ecclesiæ Barcinone inde ab anno* 1360, *cum illum, tamquam monumentum rarissimum, acquisiverat capitulum istud a clerico quodam Guilielmo de Muntels; sed neque in hoc, teste Diago, ulla translationis mentio fiebat. Eadem publici juris fecit Laurentius Surius* ex vetustis *quidem* Mss, libris, *sed* mutato passim, *ut fatetur,* stylo; *non ita tamen, quin exemplaribus nostris, quantum ad res attinet earumque ordinem ac sententias, fideliter ac presse inhæserit. Hæc eadem denique Hispani certatim auctores, quorum aliquos per decursum producemus, arripuere.*

Ex quidam proscribunt.

10 *Et Hispani quidem ea permagni faciunt; Diagus imprimis in opere citato lib.* I, *fol.* 17; *ubi ait, historiam hanc* auctoritatis esse magnæ, omnemque mereri fidem. *Non tamen ita sensisse omnino omnes dixerim; cum Franciscus Bivarius in commentariis ad Chronicum suum Dextrinum pag.* 329 *aliud his verbis innuat :* Porro sancti Cucuphatis Barcinonensis Acta exstant apud Surium tom. 4, XXV Julii, et apud Equilinum lib. 6, cap. 136. Sed eadem FELICIS canuntur Sapphico carmine, Hymno sacro, qui legitur in Breviario Toletano. *Habes hymnum illum paragrapho præcedenti. Idem ante illum*

AUCTORE P B

scriptoris Actorum fidem laudat in iis saltem, quæ ad primam translationem attinent; simul eamdem in illis ipse subvertit, statuendo diem XV *Februarii pro translatione facta, pro martyrio autem diem* XXV *Julii.*

§ III. Locus martyrii, et sepulturæ: translatio corporis totius an partis tantum in Vosagum primo, deinde Dionysiopolim prope Parisios.

Interfectus esse videtur in castro Octaviano prope Barcinonem,

Barcinonem Athletæ hujus palæstram fuisse præcipuam, Prudentius, Acta, Martyrologia, quæ produximus, testantur omnia: ibi apprehensus est, ibi pleraque passus supplicia; ibi suprema capitis in eum lata sententia. Quæ quidem omnia sufficiunt, ut simpliciter Barcinoni martyrium ejus possit adscribi: tametsi ex-
B *tra illam raptari jussus ad necem, octavo inde milliaro caput gladio demum subjecerit; ut affirmant, non Acta quidem Mombritiana, sed alia illa posteriora, ut putamus, quæ in hac etiam re secutus est Ado, loci tamen nomen omittens, quod varie legitur in Mss.; et in nostris quidem Trevirensi et Valcellensi,* Optianus, *apud Surium vero,* Tianus; *at in Legendario cœnobii* S. Cucufatis, *et Flore Sanctorum Ms. apud laudatum supra Diagum,* Octavianus; *et sic habent quoque Antonius Vincentius Domenec in Sanctis Catalauniæ, Franciscus de Padilla in Historia ecclesiastica Hispaniæ, et Joannes Baptista de Castelarnau in schedis olim huc missis; in quibus queritur, de Officio proprio* S. Cucufatis *per diœcesim Barcinonensem recitari solito, quod ibi sanctus Martyr Barcinone interfectus dicatur. Sed hoc, ut monui, rotunde potest asseri, quantumvis in Octaviano necatus esse statuatur; idque tum ob ea, quæ dixi modo, tum etiam quod Octavianus Barcinone haud procul admodum distet. Fuit autem Octavianus, seu castrum Octavianum in agro Vallensi in feraci et salubri tu-*
C *mulo situm,* ex eo forte dictum, *inquit in Marca Hispanica sua illustrissimus Petrus de Marca lib. 2, cap. 16, num. 5,* quod Octavius augustus ad Cantabros tendens, ibi castra metatus fuerit. Eo loci conditum est celebre monasterium sancti Cucufatis, Ordinis sancti Benedicti, vulgo san Culgat. Quem locum vetusta regum Francorum diplomata docent olim fuisse dictum Octavianum.

ibidemque sepultus,

20 *Idem forte de sepulturæ loco sentiendum: eodem enim sepultum esse Sanctum, quo cecidit, innuunt Acta nostra Mss., et Surius, quamquam obscuriuscule. Lectiones cœnobii Vallensis id clarius exprimunt, uti et Flos Sanctorum Ms. Barcinonensis apud Diagum: nec leve hujus rei argumentum est, quod eodem loco illustre* S. Cucufatis *cœnobium, ut infra notabitur, erectum ab eo est, qui transferri aliquanto ante reliquias ejus in Galliam curarat; idque quasi ad compensandum, quem avexerat, thesaurum; ut scribit Morales in Chronico lib. 10, cap. 2:* Pro certo, *inquit,* habeo, Ludovicum imperatorem, Caroli Magni filium, quando Barcinonem cepit, sibi sustulisse Parisios hoc sacrum corpus; atque in ejus honorem, et compensationem quodammodo, ædificari jussisse istic prope Barcinonem monasterium hujus Sancti, unde loco nomen est inditum; ut in Annalibus Aragoniæ D
scribitur. *Hæc ille; qui tamen, ut plerique alii etiam Hispani,* S. Cucufatem *simpliciter* Barcinone *sepultum fuisse affirmat; sive latiori modo id intellexerit pro locis Barcinoni vicinis, sive minus lato et ad urbem ipsam restricto; utrovis enim sensu res potest accipi: hinc Franciscus de Padilla neutrum ausus determinare, Martyrem quidem nostrum octavo ab urbe lapide occubuisse ait, et a Christianis tumulatum; sed* ubi, *inquit,* non dico; quia nullus auctor id dicit; *cum tamen Barcinone humatum fuisse asserant quos in margine citat auctores Hist. eccles. Hispan. Centuria 4, cap. 2. Aliter, credo, statuisset, si Mss. instrumenta, quæ hoc numero assignavimus, habuisset in manibus. Sane, si extra urbem consummatum esse velis martyrium, difficile est credere, relatum a Christianis tum fuisse corpus, ut suprema illi obsequia intra urbem tyrannicis furiis agitatam periculose persolverent, qua extra illam exhiberi poterant multo securius.*

indeque translatus primum in Vosagum

21 *Ex priori illo tumulo (non Roma, ut ait Doubletius Antiquitat. abbatiæ S. Dionysi lib.* I, *cap. 28, et codex S. Victoris, de quo infra num. 23) translatus fuisse* S. Cucufatis *reliquias primum in cellam Lebraham in saltu Vosagico per S. Fulradum, cœnobii prope Parisios Sandionysiani abbatem; deinde per Hilduinum abbatem ad ipsam S. Dionysii basilicam, Acta nostra Mss, testantur; atque ex his S. Ado, qui tamen compendii causa nec Fulradum, nec Hilduinum nominat; nec de cella Lebraha meminit; quippe in qua nec tumulo condita fuerint sacra hæc pignora, neque diu substiterint, reposita potius ibi tantisper, quam in perpetuum destinata; si tamen reposita istic umquam fuerunt: nam ex ipso S. Fulradi testamento, quod exhibent Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec. 3, parte 2, pag. 341, et Michaël Felibienus in monumentis, Historiæ cœnobii Sandionysiani subjectis, pag.* XXXVIII, *ex illo, inquam, testamento constat,* S. Cocovatum, *ut ibi appellatur, anno Caroli Magni nono a successione in regnum patris, regni autem Italiæ quarto, Christi 777 ante Octobrem, quo exspirabat annus Caroli nonus, requievisse, non* E
in cella Lebraha, sed in alia ab eodem Fulrado ædificata in saltu Vosagico super fluvium Laima, quæ dicebatur Fulrado cella. Itaque vel Lebraham allatæ ex Hispania reliquiæ non fuerunt; vel non permanserunt certe usque ad annum jam dictum, nedum usque ad tempora Hilduini; vel denique post scriptum illud testamentum ex Fulrado-cella eo primum delatæ sunt, indeque porro ad S. Dionysii: nam Castellanus in Martyrologium Rom. ad diem XV *Februarii ex Adone colligens, Sancti nostri reliquias recta Barcinone delatas esse ad basilicam S. Dionysii, ne refutandus quidem videtur. De cella autem Lebraha dictum est die* XVII *Februarii in Commentario historico de S. Fulrado abbate* § 3; *ubi et de hac translatione* S. Cucufatis *aliqua reperies.*

non sub Pipino rege, aut Ludovico pio: sed sub Carolo Magno;

22 *Qua occasione, quove anno instituta sit hæc translatio, quis definiat? Cointius eam refert ad annum Christi 756, num. 39; Legendista Gallus annum quidem non determinat; asserit tamen, eam sub Pipino contigisse; sed neuter habet, quo dictis fidem faciat. Serius eam statuunt Acta Mss., cum affirmant, ex Hispania delatas esse reliquias in cellam, Caroli Magni*

A *gni (tum quidem regis; quamvis per prolepsim imperatoribi dicatur) magnificentia constructam; neque enim alius locus ullus assignatur, in quo post factam translationem Hispanicam vel tantillo tempore fuerint repositæ; quem tamen indicare debuisset auctor, si ante Caroli regnum et ædificatum ab illo monasterium depositæ per annos aliquot in alio fuissent. Sub Carolo igitur, non sub Pipino, videtur accidisse. Nec minus proinde aberrant plerique scriptores Hispani, ut Thomas de Trugillo in Thesauro concionatorum tom.* 2 *ad diem* I *Augusti; Joannes de Marieta in Sanctis Hispaniæ lib.* 2, *cap.* 8; *Diagus ante citatus, eumque sequens Antonius de Yepes in Chronico Ordinis S. Benedicti ad annum Christi* 778, *aliique, qui cum Ambrosio Morales, supra num.* 20, *eam tribuunt Ludovico Pio post captam deditione Barcinonem: cum ex testamento S. Fulradi certum esse debeat,* S. Cucufatem *in Vosago jam requievisse ab anno Christi* 777, *quo natus nondum erat Ludovicus. Ad-*
B *de etiam, S. Fulradum, qui præcipuas in hac translatione partes egit, obiisse anno Christi* 784, *cum Ludovicus annos tantum ætatis sex numeraret. Quid si ipso illo anno, quo testamentum condidit, reliquias hasce ex Hispaniis Fulradus obtinuerit? Potuit certe, ut erat sacrarum istiusmodi gazarum cupidissimus, thesauri hujus notitiam, acquirendique occasionem arripuisse ab illo Maurorum duce, qui anno* 777 *stipatus, haud dubie ad captandam benevolentiam, Christianis aliquot, Paderbornam ad Carolum venit, eique Cæsaraugustam, aliasque, quibus præerat, urbes dedidit; ut habet in Annalibus Eginhardus. Diem huic translationi assignari jam superius diximus* XVI *Februarii.*

e Vosago autem ad S. Dionysii prope Parisios an. 835.

23 *Sequitur alia translatio. seu ejusdem potius complementum; cum, sive ex cella Lebraha sive ex Fulrado-cella, ad stabilem denique dignumque tanto deposito locum exuviæ* S. Cucufatis *allatæ sunt, ad basilicam nempe S. Dionysii prope Parisios, idque accurante, ut Acta referunt, Hilduino abbate; non tamen* anno Dominicæ Incarnationis, *ut habet ecgraphum nostrum,* octingentesimo; *sed* octingentesimo tricesimo quinto, *ut melius in suis Mss. legit Surius: Hilduinus enim S. Fulrado post Maginarium, Fardulfum, et Waltonem successit an-*
C *no primum Christi* 814, *et præfuit usque ad annum circiter* 843; *ut patet ex Historia cœnobii S. Dionysii nuper edita, et præfixo abbatum catalogo: annis igitur fere quinquaginta in Vosago hæc lipsana servata fuerant, cum ad S. Dionysii tandem afferrentur anno jam dicto, ibique perhonorifice conderentur die octavo Kalendarum Septembrium, seu* XXV *Augusti. Scio, annum alium translationi huic assignari in Tractatu quodam Ms. de translatione reliquiarum ad S. Dionysii, cujus fragmentum aliquod de SS. Hippolyto et* Cucufate *descripsit olim Papebrochius noster ex codice, ut notatur, S. Victoris* 873: *nam ibi facta narratur* anno ab Incarnatione Domini DCCCXVI. *Verum Actis nostris instrumentum illud seculis ut minimum tribus recentius est, cum de Roberto rege, qui obiit anno Christi* 1031, *tamquam vita defuncto meminerit; deinde in chronographia nullo modo accuratum: nam S. Fulradum Carolo magno superstitem facit, qui totos tamen ante Carolum annos triginta decesserat; sunt in eo et alia, quæ non placent; sed hæc sufficiunt, ut quanti faciendum hic sit, quivis intelligat.*

Ubi etiamnum servatur. Sed an totus?

24 *Gloriantur etiam nunc hoc inter alios bene multos thesauro Sandionysiani, quem in sacello servant, quod ab illo* sancti Cucufatis *appellatur, in postica chori parte, in viliori tamen, quam olim theca; ut patet ex ecclesiæ S. Dionysii descriptione, quæ Historiæ ejusdem abbatiæ subjungitur, cap.* 2. *Quæritur vero, an totum ibi corpus aut nunc sit, aut allatum umquam fuerit; an pars tantum illius aliqua. Totum illuc translatum fuisse, innuunt antiquiora monumenta; cum non corporis partem, sed simpliciter corpus exprimunt. Sic Acta nostra num.* 7: Indeque translatum est venerabile corpus ipsius a Fulrado *etc. Sic Ado supra:* Cujus corpus a Christianis cum reverentia sepelitur. Unde postmodum translatum, non longe a Parisiorum civitate.... tumulatum est. *Sic et ipse S Fulradus in testamento suo,* Tertiam, *inquit,* cellam infra vasta Vosgo ædificavi, ubi sanctus Cocovatus requiescit, super fluvium Laima, quæ dicitur Fulrado-cella. *Sic denique Carolus Calvus imperator in Præcepto pro partitione S. Dionysii in Annalibus Benedictinis ad* E
annum 862, *num.* 108 *inter Sanctos, quorum* corpora *apud S. Dionysium erant humata, quarto loco sanctum* Cucufatem *nominat. Et idem adhuc loquendi modus observatur in catalogo quodam rerum in abbatia S. Dionysii visendarum, ad vulgi et peregrinorum usum excuso Parisiis anno* 1700. *Fatendum tamen est, ubi de reliquiis Sanctorum agitur, frequentem usum esse synecdoches, qua totum pro parte sumitur saltem notabili.*

Negant Hispani: corpus apud se mansisse dicentes,

25 *Atque hoc sensu facile jam citatos textus admittent Hispani: falsum est enim, quod Florentinium adducens illis affricat Tillemontius Monumentorum ecclesiast. tom.* 5, *pag.* 58, *quasi apud se esse adhuc velint caput et corpus sancti hujus Martyris in monasterio prope Barcinonem. Corpus habere se dicunt,* sed præter caput, *ut loquitur Florentinius,* hoc est, sine capite; *non vero,* cum capite, *ut male interpretatur Tillemontius, quia Tamayum a Florentinio pro se allegatum non inspexerat; nam si illum vidisset loco assignato, sive ad diem* XXIX *Aprilis, aut etiam ad* XXV *Julii, animadvertisset utique, caput Martyris nostri disertis verbis cœnobio S. Dionysii a Tamayo, atque adeo etiam a Florentinio, concedi. Nec vero solus id fatetur inter Hispanos Tamayus; sed et alii* F
tanto numero, ut ne unum quidem viderim, qui sacrum hoc saltem caput ad Sandionysianos translatum neget. Dixi, saltem caput: *nam sunt qui aliquot iis insuper ossa concedunt; ut Yepes in Chronico Benedictino tom.* 3, *fol.* 264. *Imo Diago loco supra laudato satis habere videtur, si partem corporis Hispani retenuisse dicantur, partem (forte etiam majorem) obtinuisse Galli. Solum tamen caput ablatum olim in Galliam fuisse, asserunt cum Tamayo monachi cœnobii* S. Cucufatis *prope Barcinonem; et in eamdem sententiam Florentinius ad diem* XVI *Februarii adducere Notkerum videtur; sed perperam: non enim uspiam hic mentionem facit ullam translati capitis, sed corporis; uti legentibus illum ad diem* XXV *Julii manifestum erit. Itaque quod de capite quoque Parisiis asservato ex Notkero affirmat Castellanus in notis ad Martyrologium Romanum die* XV *Februarii, id ipse ex Florentinio arripuisse se ostendit, non ex ipso Notkero.*

AUCTORE P. B.

Imo solum caput in Galliam fuisse translatum.

26 *Mirum tamen videri poterit, nihil de hac re distinctius claruisse legi in Officiis propriis diœceseos Barcinonensis; sic enim habent festo* S. Cucufatis *in secundo nocturno, lectione tertia:* Cucuphas securi percussus, insignem martyrii palmam octavo Kalendas Augusti est consecutus. Cujus corpus Barcinone primum sepultum, postea in Galliam translatum, et in ecclesia sancti Dionysii, quæ non procul a Lutetia Parisiorum distat, reconditum est. *Questi jam pridem id sunt monachi* S. Cucufatis, *culpamque contulerunt in Patrem Ægidium Societatis Jesu, rectorem collegii Barcinonensis versus initium præteriti seculi; cui (utpote viro, ut ipsi testantur, doctissimo) ecclesia Barcinonensis concinnandarum de Sanctis propriis lectionum provinciam demandaverat. Sic enim ad nos anno* 1627 *scribebat Joannes Baptista de Castelarnau, cœnobii jam dicti monachus, et vicarius, ut*
B *supra monebam, generalis :* Patre Ægidius (el padre Gil) non satis adhibuit diligentiæ in quaternione, quem composuit de Sanctis episcopatus Barcinonensis. Posuit in eo etiam, corpus S. Cucufatis esse Parisiis: et memini, rogatum illum fuisse abhinc annis sedecim aut amplius a cathedrali Barcinonensi, ut ad hanc domum accederet, rem penitius exploraturus. Venit ipse, et cum eo canonicus Petrus Pla, nunc sacrista; et locum hunc manu ac litteris propriis emendavit in quaternione, quem ego penes me servo, in hunc modum: CUJUS SACRÆ RELIQUIÆ PARTIM IN GALLIAM TRANSLATÆ ET IN ECCLESIA S. DIONYSII JUXTA LUTETIAM PARISIORUM RECONDITÆ: PARTIM IN MONASTERIO S. CUCUFATIS ORDINIS S. BENEDICTI NON PROCUL A BARCINONE IN MAGNA VENERATIONE HABENTUR. Sed nec ista retractatio mihi placet, *inquit ibidem Castelarnavius;* quia Sanctus hoc loco mortuus est, non Barcinone; et Parisiis solum caput habent. *Rem eamdem aliquanto fusius descriptam idem ad nos anno insequenti misit, addens,* asseruisse Ægidium, brevi fore ut iterum quaterniones revocarentur ad prælum; tum se in iis
C emendaturum omnia, prout ibi jam scripto emendasset. Verum, *inquit,* cum impressio resumpta non sit, error hic tam insignis etiam nunc in iisdem perseverat. *Imo vero perseveravit diu etiam posterius : nam editio, unde superiorem textum dedimus, facta est Barcinone anno* 1668 : *quod errore contigerit, an studio, non est nostrum decidere. Dabimus hic interim quæ pro sua possessione Hispani proferunt ; postquam de monasterio* S. Cucufatis *pauca dixerimus.*

§ IV. Monasterium S. Cucufatis Octavianense ; corporis ejusdem Martyris in eo facta agnitio anno 1079 ; argumenta Octavianensium pro sua possessione.

Monasterium S. Cucufatis prope Barcinonem

Monasterium S. Cucufatis *ibi Ordini Benedictino erectum esse, supra monuimus, ubi Martyr ille glorioso certamini, rescisso capite, finem imposuit; hoc est,* in loco vocato Octaviano, *ut est im Præcepto Lotharii regis anni* 988 *apud Petrum de Marca in appendice Marcæ Hispanicæ col.* 937*: hinc et* Octavianense cœnobium *nuncupatur in alio seculi undecimi instrumento, quod ibidem habes col.* 1053. D
Vulgus tamen hodie illud appellare consuevit San Culgat, *vel* San Cugate del valles, *quod in Vallensi territorio ad octavum ab urbe Barcinonensi milliare sit situm. Antiqua sunt illius et augusta, sed non satis hactenus perspecta primordia. Castelarnavius ea refert et ad annum Christi* 785, *et ad Carolum magnam, ut conditorem ; atque hoc postremum nemini dubium ait esse. Non dubitarunt certe idem affirmare Diagus in Hist. comitum Barcinon. lib.* I, *cap.* 10, *Domeneccus de Sanctis Catalaunicis ad diem* XXVII *Julii, Yepes in Chronico Benedictino; et hi quidem ambo monasterii hujus initia retroagunt ad primam Caroli magni in Hispaniam adversus Saracenos expeditionem, id est, ad annum Christi* 778. *Alii tamen opus illud Ludovico, Caroli filio, malunt* E
adscribere post captam patris auspiciis anno 801 *Barcinonem, ut Morales supra num.* 20 *productus, Marieta de Sanctis Hispaniæ lib.* 2, *cap.* 8, *Petrus Marca Marcæ Hispanicæ lib.* 3, *col.* 334 *et seq., Mabillonius Annalium Benedictinorum tom.* 2, *pag.* 497*; quorum sententia nobis eatenus apparet verior, quod ante annum* 801 *tanta fuerit rerum Barcinonensium, nunc Francis, nunc iterum Saracenis dominantibus, vicissitudo; ut in ea ne spatium quidem ædificandi cœnobii aut facultas, nedum animus fuisse videatur sive Carolo, sive Ludovico, sive utrique: nam aut uterque monasterium illud erexit simul fundavitque; aut saltem quod utervis præstitit prius, alter postea confirmavit, ut ex amborum Præceptis a Lothario rege, loco paullo ante assignato appellatis, manifestum est.*

Vindicat sibi possessionem corporis ejus, ex subjecta inventionis historia.

28 *Plurima nobis de hoc suo cœnobio communicavit laudatus modo Castelarnavius, quæ si singula percenseremus, res ad molem immensam excresceret. Quinque enim sunt capita apud Domeneccum et Yepes proxime citatos, unde illud inter celeberrima non Catalauniæ dumtaxat, sed universæ etiam Hispaniæ monasteria sit numerandum; antiquitas scilicet; fundatio imperialis;* F
religiosorum numerus et nobilitas (nam ab anno 1541 *nobiles huc tantum admitti posse statutum est;) divitiæ atque amplissimi reditus; sacrarum denique reliquarum thesaurus nullo satis pretio æstimandus. Hæc ille multis auget accessionibus, quæ ad loci descriptionem, Pontificum Romanorum privilegia, monasterii abbatumque jura, eleemosynas immensas, hospitalitatem, peregrinorum omnium atque advenarum cujusvis generis conditioni statis legibus accommodatam, aliaque pertinent. Addit et seriem, seu potius historiam, abbatum omnium, quos ex antiquis monumentis potuit eruere, eamque ad sua usque perducit tempora. Sed hæc longiora sunt omnia, quam ut hic referri possint. Misit idem de Sanctis, quorum ibi corpora requiescunt, quidquid archiva perscrutanti notatu dignum occurrit. In hac admodum copiosa congerie, ex manuscripto et valde antiquo, ut affirmat, Lectionario historiam profert inventi corporis* S. Cucufatis *martyris, quæ ad rem præsentem unice facit: ea namque sola nititur possessio, quam sibi vindicant Octavianenses, jam dicti thesauri. Et quamvis ex eodem illo Lectionario eamdem historiam Hispanice dederint Domeneccus in Sanctis Catalauniæ die* XXIX *Aprilis,*

et

A *et eodem die Latine Tamayus in Martyrologio; quia tamen hic omisit aliqua, ille vero contraxit omnia, ex apographo Castelarñaviano repræsentabimus eam, ut, ipso teste, in fonte legitur. Sic igitur habet:*

Lazarus quidam, monachus S. Cucufatis factus.

29 Lect. i. Inventio corporis beatissimi martyris Christi Cucuphatis, quæ facta est in cœnobio ipsius, quod ab antiquis vocatum est Octavianus, distans ab urbe Barcinona octavo milliario. Veniens quidam vir a partibus Hispaniæ ad præfatam urbem Barcinonæ, nomine Lazarus, cum audisset famam prædicti cœnobii gloriosissimi martyris Christi Cucuphatis, adiit Andream, venerabilem abbatem ejusdem loci; et cum lacrymis ejus amplectens vestigia, devovit, se monachum fieri prædicti monasterii, Lect. ii. Quod primum renuens [abbas,] noluit assensum præbere. Tandem victus lacrymis ejus et precibus, cunctorumque bonorum hominum consilio fultus, acquievit; secumque duxit ad monasterium. Qui cum aliquot diebus ibi moraretur, contigit religiosissimum abbatem Rivipullensem in prædicto cœnobio B advenire. Præfatus vero abbas Andreas, videns jam dicti hominis assiduam humilitatem, una cum consilio fratrum et ejusdem abbatis]Rivipullensis] habitum ei sanctæ religionis tradidit.

propter iracundiam occupatur a duplici dæmone.
* consistenti

30 Lect. iii. Postmodum autem inter fratres humiliter consistens *, omnium bonorum invidus inimicus tentamentum ei suæ calliditatis intulit: peractis namque sanctæ dominicæ Resurrectionis diebus, adveniente Letaniarum die, feria secunda, quod est ante Ascensionis dominicæ festum, hora diei prima, cum intentis precibus universi fratres pro defunctis sacrificia offerrent Deo, stans prædictus Lazarus ante altare sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, in eodem cœnobio Deo consecratum, subito arreptus a diabolo, cecidit. Lect. iv. Quo tremefacti fratres advenerunt, ferentes secum lignum dominicæ Crucis, adjurantes eum per virtutem ejusdem pretiosissimi ligni, ut manifestaret eis, qua ex causa præsumpsisset eum arripere. Noluitque confiteri. C Hora vero ejusdem diei tertia atque sexta iterum atque iterum vexatus, diu permansit mutus. Vespertinam vero synaxim celebrantibus fratribus, iterum arripuit eum dæmon. Prædicti vero fratres venerunt ad eum, ferentes secum vexillum dominicæ Crucis, et adjurantes eum per virtutem ejusdem ligni; cum vi magna confessi sunt, se esse duos immundissimos dæmones. Nomen unius Zenab; alter vero dicebatur Ynt. Simul etiam confessi sunt, quoniam propter nimis maximam iram, quam semper habebat, occasionem invenissent introëundi in eum.

Cumque imponeretur ei corpus occulti Martyris.

31 Lect. v. Totam vero noctem insomnem ducentes fratres, atque vigilias ante venerabiles martyres Cucuphatem et Severum similiter facientes, assiduis precibus Dominum rogaverunt, ut dignaretur eis subvenire. In crastinum vero universi pro eo Missas celebrantes, et in magna tristitia permanentes, cum jam hora diei esset, ut in capitulum more solito cuncti fratres, residerent, ut de eo quod acciderat, mente consternati secum fabularentur; subito iterum arripuerunt eum dæmones. At illi consurgentes, venerunt ad eum. Lect. vi. Et invenientes eum, clausis oculis, strictisque dentibus, jacentem in terra ante imaginem beatæ Mariæ intus in claustro, cœperunt pro eo enixius Psalmos et Letanias Domino decantare. Cum magna autem veneratione, et cum cereis, cum thuribulis et incenso et aqua benedicta, adduxerunt lignum Domini et beatissimum martyrem atque pontificem Severum, simulque et alium gloriosissimum Martyrem, qui ab antiquis vocatus est Martyr occultus.

AUCTORE P. B.

cruciati spiritus fassi sunt, esse corpus illud S. Cucufatis,
* imponentibus illis

32 Lect. vii. Quo ut venerunt, statim conturbati sunt dæmones. Et imponentes * corpora Sanctorum supradictorum super pectus vexati, clamare cœperunt dæmones, quod duo montes magni starent super eos. Cumque interrogarentur, qui essent illi montes, ululando, et in porcorum similitudinem nimium vociferando, diras voces emiserunt, dicentes: Unus dicitur Cucuphas; alius vero Severus martyr atque pontifex Fratres vero non credentes *(patet, legendum esse,* fratribus non credentibus;) sed contrario illis dicentibus; quia spiritus ille mendax esset, sicut et pater ejus; et quia corpus beatissimi et gloriosissimi martyris Cucuphatis non esset ibi, iterum confessi sunt, quoniam sanctus erat Cucuphas absque E dubio, cujus corpus eos torquebat. Monachi * vero in eadem dubitatione adhuc permanentes, nimiumque eos acrius increpantes, confessi sunt dæmones, quod vere esset corpus beatissimi Cucuphatis, quod super pectus hominis vexati tenebatur; sed omnino non erat totus; quia caput ejus in terra majore, quod est Francia, esset humatum.

* imo monachis *etc.*

cujus virtute unus eorum expellitur.

33 Lect. viii. Cumque instanti animo prædicti fratres cum lacrymis et precibus Dominum exorarent, ut pro sua clementia dignaretur eis ostendere virtutem gloriosissimi ejusdem Martyris, iterum clamantes dæmones dixerunt, quod unum ex eis, nomine Zenab, sanctissimus martyr Christi Cucuphas eum exire compelleret; et se stare ibi non posse fatebatur, quia per ignem maximum eum exurens compelleret egredi. Et sic clamans et multum discerpens eum, atque stridens dentibus et arescens, cum magno fœtore discessit. Et factus est homo velut mortuus. Et cum a fratribus interrogaretur, quare taceret, et nihil responderet; F manifeste confessus est, quod præfatus dæmon, nomine Zebab, inde esset expulsus per virtutem Dei, et ejusdem meritis gloriosissimi martyris corporis Cucuphatis, qui usque nunc vocabatur Occultus: modo vero sine dubio esset manifeste patefactus. Tunc prædicti fratres cœperunt ineffabiliter gratias Deo reddere, qui per sanctum suum Martyrem talia dignatus est servis suis ostendere præstita miracula.

alter vero per admotas reliquias SS. Simonis et Judæ.

34 Demum vero fratres cœperunt interrogare alium dæmonem, nomine Ynt, quare moram faceret in egrediendo, Tum cœpit clamare et dicere, non egressurum inde, nisi per reliquias sanctorum Simonis et Judæ. At ubi fratres cum magna veneratione illas attulissent, petiit dæmon, ut eas ille adorare permitteretur. Quas cum adoraret, confessus est, ex eis ignis ardens * egredi, qui cum combureret, seque ante illas stare non posse; qui Simon et Judas Apostoli Dei jam alia vice ejecerant eum ex quadam femina ultra mare. Sicque fratres * prædicti in precibus et lacrymis commorantes, Dei virtute et precibus sanctorum Apostolorum sanatus est homo.

* ignem ardentem

*fratribus *etc.*

35 Hanc igitur revelationem beatissimi Christi

auctore P. B.

Contigit 1079. 29 Aprilis, quo die celebratur, hæc inventio.

** f. Ecclesiæ Catholicæ*

sti Cucuphatis agnoscentes, tantique Patris glebam præ oculis semper habentes, scribere curavimus universis ecclesiis * catholicis fidelibus; maxime autem Barcinonensium civibus, ut urbs inclyta, quæ talem ac tantum meruit habere Prædicatorem, habeat nunc apud Deum piissimum Intercessorem; quatenus ipsi et omnes, qui ejusdem gloriosissimi Martyris memoriam fecerint, locumque ejus similiter et tumbam devote frequentaverint, continuo precum suarum benignissimum consequantur effectum, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui Martyrem suum suscipiens in pace, miraculis coruscare facit; cui sit honor et gloria, virtus et potestas per indeficientia seculorum secula. Amen.

Hæc inventio facta fuit anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXXIX; æra MCXVII, Indictione 2, III Kalend. Maii. Totum hoc e Lectionario descripsi, *subjicit Castelaravius. Tamayus vero ad diem* XXIX *Aprilis*, Hæc Inventionis, *inquit*, ejus sacrarum exuviarum festivitas apud monachos S. Cucuphatis del Valles prope Barcino-
B nem, ubi evenit miraculum, annuatur. *Alibi tamen de illa nihil fit, ne Barcinone quidem, quod mireris; ut colligimus ex Officiis propriis istius diœceseos; ac directorio, quod vidimus, anni* 1719.

Alia argumenta pro possessione Hispanorum

36 *Dixi supra, hac sola narratione niti Hispanos, dum asserunt, corpus illud apud se permansisse, excepto capite, quod in Galliam translatum esse confitentur: nam cetera, quæ in hanc rem proferunt argumenta, vel non subsistunt, vel hac inventione posteriora sunt, eamque supponunt. Prioris generis unicum affertur a citato supra Diago, habetque pro solido ad annum Christi* 778 *Antonius de Yepes; et huc redit:* Excitatum est monasterium a Carolo magno in honorem S. Cucufatis *eo loco, ubi et necem passus olim fuerat et adhuc erat sepultus, idque anno Christi* 778, *cum primum in Hispaniam imperator ille advenit: translatio autem* S. Cucufatis *instituta est sub Ludovico, Caroli adhuc tum superstitis filio, post domitam (anno* 801) *Barcinonem: non est ergo translatus totus in Galliam: incredibile enim est, Ludovicum ita ditare voluisse monasterium regale S. Dionysii thesauro alieno, ut eo cœnobium Octavianum spoliaret omnino, cujus erat proprius, ut quod*
C *ejus martyrio consecratum, ejus nomine dedicatum, ejus sepulcro impositum nuper a Carolo ejus patre fuerat. Non subsistit, inquam, hoc argumentum: falsum enim est, ante conditum fuisse cœnobium* S. Cucufatis, *quam sint alio asportatæ ejus reliquiæ: nam ablatas fuisse ostendimus, antequam pedem in Hispaniam Carolus intulisset, atque adeo antequam natus esset Ludovicus; cum ne ipsi quidem Octavianenses tam antiquum esse velint cœnobium suum. Itaque Morales supra, licet serius translatas esse statuat reliquias hasce, quam translatæ re ipsa fuerint, tamen posterius erectum credit cœnobium, tamquam in compensationem avecti ex eo loco antea thesauri.*

hanc historiam supponunt,

37 *Secundi generis illud est, quod Castelarnavius mirifice extollit, petiturque ab oculari testimonio Patris Ægidii; de quo supra num.* 26. *Item aliud, quod urget Domeneccus* XXIX *Aprilis ex instrumento authentico translationis S. Severi episcopi et Martyris, ex quo recitat hoc fragmentum:* Tandem Dominus desiderium cordis sui benigne tribuens dicto regi *(Aragoniæ Martino)* non permisit eumdem suorum labo- D
rum voluntate fraudari. Nam die Lunæ nuncupata, tertia mensis Augusti, anno a Nativitate Domini 1405 benigne convertit corda abbatis et prædictorum monachorum *(cœnobii Octaviensis)*, ut super his voluntati annuerent dicti regis. Et exeuntes capitulum dicti monasterii, in quo fuerant pro hujusmodi negotio specialiter et capitulariter congregati, accesserunt ad ecclesiam dicti monasterii, in qua invenerunt reverendissimum in Christo patrem, dominum fratrem Joannem, divina miseratione episcopum Oscensem, dicti domini regis confessorem; et honorabilem Petrum Guillermi Jofre, præcentorem, Ferrarum Despujol, canonicos dictæ sedis; Galcerandum de sancto Miniato, militem consiliarium et camerlengum dicti domini regis; Franciscum Burges, et Marcum Turel, consiliarios anni istius dictæ civitatis, tamquam per dictum dominum regem majori veritate et testimonio circa agenda in hujusmodi destinatos: et appropinquantes se contritis animis et devotione ingenti ad altare majus dictæ eccle- E
siæ, fuit aperta ibidem quædam magna caxia *(id est theca)* de argento, quæ duas caxias intus se continebat; altera quarum fustea, sed altera de viminibus erat texta. IN CAXIA FUSTEA ERANT CORPORA SANCTI CUCUPHATIS, prædictique S. SEVERI *Credo; sed unde agnoscebatur corpus* S. Cucufatis, *nisi ex signis anno* 1079 *appositis? Ante illud tempus enim nihil habebat, unde vel ab ipsis illis monachis posset, discerni, cujus esset, ut ab iis propterea* Martyr occultus *appellari consuevisset; ut ex historia jam data, et ex instrumento inferius num.* 41 *producendo elucescit. Nituntur hæc ergo ea fide, eoque pondere, quod ad stabiliendam Hispanorum possessionem historiæ paulo ante recitatæ inesse videbitur.*

38 *Ceterum si quis roget, quo primum tempore corpus Octavianense* Occultis Martyris *dici cœperit, id nuspiam nos invenisse fatemur; causam vero hujus nominis, deperditæque veri nominis notitiæ Castelarnavius in Maurorum incursiones refundit, quibus devastatum non semel cœnobium fuerit. Nescio equidem, quid sibi velint, quæ scribit idem in Catalogo abbatum, sub Andrea Riculpho, sub quo inventionem jam dictam contigisse affirmat; ibi enim, cum negasset, quidquam de* S. Cucufatis *reliquiis ad* F
Gallos unquam transisse, præter caput, subdit: Semper enim fuit in hoc monasterio sub nomine MARTYR OCCULTUS ejus corpus reservatum; et etiam antiquitus hic quiescere legitur in Cartulario fol. 374, anno X Ludovici Balbi, filii Caroli Calvi, et ab Incarnatione anno DCCCLXXXVII; et etiam anno 2 Lotharii regis, et ab Incarnatione anno CMLXXV. *Non intelligo, inquam, quo nomine annis hic assignatis quievisse ibi legatur Sancti nostri corpus, an proprio nomine* Cucufatis, *an alieno et obscuro* Occulti Martyris: *nam si nomine* Cucufatis *ibi tum fuisse creditum esset; multum id sane valeret, ad firmandam Hispanorum possessionem. Quamquam quis id sibi suaderi facile sinat ex tam corruptis Chartularii locis? Nobis quidem suspecta sunt, quæ annum decimum Ludovici Balbi cum anno Christi* 887 *committunt: obiit enim ille anno Christi* 879, *cum Aquitaniæ rex fuisset ab anno* 866, *totius vero Galliæ ab anno tantum* 887, *et quidem exeunte. Annus quoque Christi* 975,

eaque nituntur.

Lotharii

A *Lotharii secundus dicitur, cum fuerit vigesimus primus. Restat ergo, ut ad solam Inventionis hihistoriam potius Octavianensium causa expendatur.*

§ V. Aliæ reliquiarum ejus translationes. Item an alius præter hunc nostrum sit S. Cucufas admittendus.

S. Guniforti reliquiæ perperam acceptæ pro S. Cucufatis reliquiis.

Ex duabus ecclesiis, S. Dionysii scilicet, et S. Cucufatis, *dubium non est, quin ad alias transferri pars reliquiarum aliqua potuerit. Falli tamen putamus Castellanum in additionibus ad Martyrologium Romanum die* XV *Februarii, cum delatas eas fuisse Ticinum existimat, ubi Sanctus noster sub nomine* Guniforti *celebretur* XXII *Augusti; imo et ad sancti Mauritii apud Senones; ubi eodem nomine colatur* XXV *Februarii. Quid illum moverit, ut sanctum Gunifortum cum sancto* Cucufate *confusum vellet, equidem nescio; nisi forte Gunifortum inter Sanctos nullum noverit; ideoque alium intelligendum putarit, qui ad Guniforti nomen utcumque videretur accedere. At enim vel sic temere Martyrem nostrum arripuit : nam* Cucufas *et* Gunifortus *nimium dissonant, quam ut aliud ex alio nomen provenisse credi possit. Negamus, Guniforti nomine alium intelligi oportere, quam ipsummet sanctum martyrem Gunifortum, qui a sancto* Cucufate *longe diversus, est ut ex Actis ejus patebit ad diem* XXII *Augusti, quo colitur apud Ticinenses: legi ea interim possunt apud Mombritium volumine primo sub finem.*

Molaris Sancti nostri Barcinonem delatus 1410; et alia quædam 1628,

40 *Verisimilius est, quod fragmento citato supra num.* 37 *subjicit Domeneccus in hæc verba* : Deinde anno MCDX, IX Octobris reverendus dominus de sancto Hilario, canonicus Barcinonensis, dedit ecclesiæ parochiali S. Cucufatis dictæ civitatis molarem *(seu dentem maxillarem)* unum, cum particula ejusdem Sancti (Cucufatis, *de quo ibi est sermo.*) Istæ reliquiæ desumptæ sine dubio fuerunt ex dicto S. Cucufatis monasterio, ac de ipso corpore sancto; ut constat supradictum ex antiqua quadam scriptura, vel, ut melius dicam, instrumento juridico ejusdem ecclesiæ, quod mihi communicavit Mosen Guardia, notarius Barcinonensis. *Est autem ecclesia parochialis* S. Cucufatis *intra ipsam urbem Barcinonensem anno* 1024 *erecta ac dedicata eo loco, ubi rogum illæsus Martyr olim superasse tradebatur; unde et appellatur ecclesia* S. Cucufatis *de furno, seu fornace, (la iglesia de san Cucufate del horno;) de qua plura Diagus fol.* 93. *Ceterum reliquiæ hæ perierint, an exiles nimium visæ sint, ignoramus; asserit certe Castelarnavius, ejusdem ecclesiæ rectorem aliosque ministros nomine parochiæ totius ad cœnobium Octavianum venisse, ut reliquias alias obtinerent, quas argentea theca ad eum finem adornata solenniter transferrent festo Epiphaniæ Domini anno* 1628.

quando reperta est in ejus theca hæc membrana.

41 Hac occasione, *inquit Castelarnavius*, arcam aperiendam putavimus anno MDCXXVII, XXIX Decembris, ut quid potius tradendum esset dispiceremus. In arca Sancti membranam reperi, in qua charactere admodum antiquo hæc erant scripta : « Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, pridie Kalendas Julii, in die solennitatis B. Pauli Apostoli, tempore domini Petri de Turricella, abbatis hujus monasterii, invenimus has reliquias in altari veteri S. Cucuphatis martyris, constructo in ecclesia S. Cucuphatis et antiquitus consecrato : imprimis reliquias beatissimi Martyris Occulti, id est S. Cucuphatis, qui tempore consecrationis prædicti altaris vocabatur Martyr Occultus; sed postea, divina misericordia disponente, per miraculum cujusdam monachi dæmoniaci, nomine Lazari, in expulsione ipsius dæmonis, cum propter alia corpora Sanctorum cum eo mixta non posset discerni, taliter ab ipso dæmone exstitit nominatus : reliquias S. Severi episcopi et martyris; reliquias S. Ylarii M. etc.... Isti autem erant præsentes in prædictis reliquiis colligendis, P. de Turricella, abbas hujus monasterii, G. Gont, capellanus beatæ Mariæ, Bn. de Bisulduno capellanus S. Jacobi Apostoli » *etc : nam plures adduntur testes, etiam laici. Tum subdit Castelarnavius, delectatum esse se plurimum, quod inspicere ac venerari licuisset corpora* S. Cucufatis, *et aliorum* E *Martyrum; additque revolvisse se studiose ossa S. Severi, comperisseque, ejus corporis partes apud se esse septem octavas; at de corpore* S. Cucufatis, *nihil adjungit.*

Translatæ quoque Compostellam reliquiæ S. Cucufatis,

42 *Celebratur et alia translatio corporum* SS Cucufatis *et Silvestri martyrum in diœcesi Compostellana, et quidem festo duplici, ut constat ex Officiis propriis dictæ ecclesiæ excusis Compostellæ anno* 1596, *ad diem* IX *Aprilis, quando totum Officium præscribitur de communi plurimorum Martyrum. Hujus translationis historiam ex antiquis membranis ad diem* XVI *Aprilis post Acta S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis, pag.* 436 *et seq. dedimus. Unde intelliges, translata fuisse hæc corpora ex ecclesia S. Victoris apud Bracaram ad ecclesiam S. Jacobi Compostellanam per Didacum Gelmirezium, episcopum tunc temporis Compostellanum*, anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo secundo .... XVII Kalendas Januarii : *ibique deinceps in tanta veneratione sunt habita; ut soleant, siqua populum premit necessitas, in publicum frequenter educi non sine ingenti apparatu et frequentia supplicantium, teste Molina in Descriptione regni Gallæciæ fol.* 6. *Idem de corpore solius* S. Cucufatis *narrat Morales lib.* 10, *cap.* 2, *ubi ait, etiam vidisse* F *se illud thecæ affabre elaboratæ inclusum servari in ecclesia S. Jacobi Gallæciensi; additque (quod post illum alii plures affirmarunt) ibidem celebrari festum translationis per Gelmirezium factæ; quod non potest aliud esse, quam quod ex Officiis propriis agi diximus* IX *Aprilis, tametsi in iis aperta translationis mentio non fiat, et alio die ac mense juxta citatam historiam translatum fuerit : cum in iisdem Officiis nullo alio per annum die vel minima* S. Cucufatis *memoria præcipiatur.*

sed an hujus nostri?

43 *Quæritur ergo, idemne ille sit* S. Cucufas *martyr cum nostro; an alius. Eumdem esse supponit Morales modo appellatus; negatque proinde, ibi corpus integrum esse; sed partem concedit notabilem. Idem sensere, ad diem* XII *Aprilis, qui Conimbricæ anno* 1591 *Martyrologium Lusitanicum vulgarunt; idem Thomas de Trugillo in Thesauro concionatorum tom.* 2 *ad diem* I *Augusti; Joannes de Marieta, qui Moralis non tantum sententiam, sed et verba adoptat in Historia Sanctorum Hispaniæ lib.* 2, *cap.* 8;

AUCTORE P. B.

cap. 8; Alphonsus de Villegas in Flore Sanctorum Hispaniæ ad I *Augusti; Franciscus Diagus in Historia comitum Barcinonensium lib.* I, *cap. 10; Franciscus de Padilla Hist. eccles. Hisp. centuria 4, cap. 2; Antonius de Yepes in Chronico Benedictino ad annum Christi 778. Nullus vero horum omnium explicat, unde pars illa reliquiarum* S. Cucufatis *martyris Barcinonensis, quam ecclesiæ Compostellanæ tribuunt, primum desumpta sit; an ex monasterio Dionysiopolitano, an ex Octaviano. Putavit quidem Nicolaus Antonius in scriptis posthumis, quorum aliqua nobis communicata sunt, id se legisse apud Marietam loco citato; sed hujus verba, ex Morale accepta, nihil evincunt; sic enim habent:* Truxo estas reliquias de san Cucufate a Santiago de Galicia, mas a de quadrocientos anos, el primer arçobispo de aquella iglesia don Diego Gelmirez; como en la Historia Compostellana se refiere: *Sic vero hæc interpretari licet:* Attulit istas reliquias sancti Cucufatis ad ecclesiam S. Jacobi Gallæciensem, ab annis amplius quadrin- B gentis, primus archiepiscopus ejusdem ecclesiæ D. Didacus Gelmirez, ut in Historia Compostellana narratur; *non autem, ut vertit Antonius:* Attulit istas reliquias de monasterio S. Cucufatis ad ecclesiam S. Jacobi *etc: nam sensus hic repugnat Historiæ translationis hujus, quam supra assignavimus.*

An alterius, puta Bracarensis?

44 *Contra sentiunt alii, Compostellanum a nostro plane diversum esse: quod non sine admiratione in citato opere posthumo Ms. Nicolai Antonii his verbis assertum legimus:* Indubitatum quippe habent omnes, quotquot Sanctorum aut Ecclesiæ historiam apud nos scripserunt, diversum hunc Barcinonensem (Cucufatem) ab eo, cujus nunc in alma Compostellana ecclesia reliquiæ asservantur, excepto uno Joanne Marieta Dominicano. *Patet, hoc falsum esse tum ex numero præcedenti, tum ex nota, quam ibidem in margine jungit auctor laudatus his vocibus suis,* omnes quotquot... apud nos scripserunt: *addit enim:* Quos laudat Tamayus die XXV Julii, volumine 4. *Tantum vero abest, ut ibi Tamayus laudet omnes, quotquot Sanctorum aut Ecclesiæ historiam apud Hispanos scripserunt, ut* C *pro sua sententia non plures appellare potuerit, quam nos modo pro opposita; Bivarium scilicet laudat cum suo pseudo-Dextro, quem nemo acrius insectatur quam ipse passim Nicolaus; tum Stephanum Garibay in Comprend. lib. 7, cap. 8, et Joannem Vasæum in Chronico anno 304 (imo 306;) Franciscum de Padilla Hist. eccles. Hisp. tom.* I, *cent. 4, cap. 19; qui poterat omitti; quandoquidem num. superiori testatur,* Cucufatis *Barcinonensis reliquias esse Compostellæ, non alterius; et hoc loco tantum dicit,* Cucufatem *martyrem cum tribus aliis a Vasæo et Garibayo, tamquam Bracaræ vel notum vel passum adstrui; simulque neget se id apud alium ullum auctorem reperisse; quod fere tantumdem est, ac si rotunde id refutet. Sequuntur lectiones vetustissimi Breviarii Compostellani ad diem* IX *Aprilis, tam suspectæ ipsi Antonio, quam dicetur jam mox; deinde citatur Lupus in Martyrologio Lusitano, eumque sequens Rodericus da Cunha Hist. Bracarensis parte* I, *cap. 43; ac demum Tamayi delicium, Aulus Halus. Addi possunt et Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitano ad diem* XV *Aprilis, et Ludovicus ab Angelis* (dos Anjos) *in Viridario Portugalliæ cap. 5.*

45 *Atque hi quidem sibi dum geminum* Cucufatem *exhibent, de secundo illo, quem a Barcinonensi distinguunt, tum a Tamayo, tum inter se plurimum dissident: nam pseudo-Dexter et Bivarius Iriæ Flaviæ passum volunt sub Diocletiano, quidquid alio eos torquere conatur Tamayus: Vasæus et Garibayus sub Diocletiano quidem; non tamen Iriæ Flaviæ, sed Bracaræ Lectiones vetustæ Compostellanæ cum Bivario consonant; easque Nicolaus Antonius (qui dubitat primum, jactatumne Breviarium umquam exstiterit) in citatis Mss. hoc adornat elogio:* Non dubito, quin lectiones, quas exinde *(ex Breviario Compostellano)* profert *(Tamayus,)* uti solet vetusta alia monumenta, verbis propriis rebusque ex officina Dextri et Hali mutuo acceptis, falsi securus, interpolaverit. *Nunc certe in proprio Compostellano nihil peculiare est, sed Officium indicitur totum de communi Martyrum, ut ante monuimus. Lupus, teste Tamayo, Bracaræ Cucufatem suum decertasse contendit; da Cunha ibidem natum et capite plexum affirmat sub Diocletiano: Aulus Halus,* elegantiarum fuccus et medulla, *ut hoc loco per jocum appellatur ab Antonio, hic, ut alias, cum editore suo Tamayo solus consonat, cum Cucufatem illum Iriæ passum, ac deinde Bracaram translatum esse canit: addit tamen Tamayus, tempus martyrii fuisse non sub Diocletiano, sed sub Nerone; non* XII *Aprilis, ut habet Ludovicus ab Angelis, neque* XV *ejusdem, ut Cardoso placuit; sed* XXV *Julii, quem diem invenisse se ait in vetustissimo suo Breviario Compostellano:* sed propter Apostoli *(Jacobi)* solemnitatem, *inquit,* ab ejus ecclesia apostolica anticipatur ad IX Aprilis, ut in ejus rubrica dicitur.

D Hujus ab illo diversitas non satis probatur.

E

46 *Enimvero magis cohærentia, magisque antiqua desiderari videntur testimonia, ut alius a Barcinonensi Cucufas admittatur: nam Dexter, Halus, Lectiones ex Breviario Compostellano nusquam indicato, nusquam hactenus viso, per solum Tamayum citato, perexigui apud eruditos momenti sunt. Vasæus et Garibayus, ex citatis omnibus antiquissimi, non citant alios, cum seculo decimo sexto, et quidem adulto, scripserint: nec alios fuisse, saltem utcumque notos, pro suo tempore satis indicat paulo superius de Padilla. Recentiorum vero auctorum quantalibet multitudo ad rem nihil confert, nisi aliena solidaque muniatur auctoritate. Idem jam olim de altero Cucufate ejusque sociis Majorum nostrorum judicium fuit, cum in Prætermissis ad diem* XII *Aprilis, ubi de S. Susanna et sociis; tum in Commentario de S. Victore ibidem pag. 78. Neque tamen ullo modo negamus, reliquias aliquas* S. Cucufatis *martyris olim apud Bracaram fuisse repositas, indeque per Gelmirezium translatas Compostellam; sed Barcinonensis eas potius esse credimus, quam alterius, quamquam ignorare nos fateamur, qua ratione, aut unde Bracaram pervenerint.*

nostri ergo videntur esse reliquiæ Compostellanæ.

F

47 *Superest modo, ut Acta ejus qualiacumque subjiciamus. Sed quoniam de duobus Cucufatibus martyribus mentionem hic fecimus, juvat verbo etiam uno lectorem admonere, tertium quemdam circumferri Cucufatem, et quidem eremitam, qui S. Christophorum baptismi fonte lustraverit, imbueritque principiis fidei Christianæ: ac proinde a pictoribus fere S. Christophoro dux aut comes appingitur; imo et in Belgio mos alicubi dudum obtinuit, ut, si in solenniori supplicatione jussus aliquis esset personam agere S. Christophori, alius, quem vulgus Cucufatem nuncupat,*

Cucufas eremita fictitius est.

A *nuncupat, lucernam ei præferret. Sed hunc plebejus tantum error invenit, inde ortus, ut censet Ambrosius Morales lib.* 10, *cap.* 2, *et post hunc Marieta de Sanctis Hispaniæ lib.* 2, *cap.* 8, *quod in eumdem diem SS. Christophori et* Cucufatis *festum incidat; unde illos rudis populus etiam in vita conjunctos putaverit, itaque quoquo modo repræsentandos.*

ACTA

Ex Bonino Mombritio et Mss.

SS. Felix et Cucufas nobiles Scillitani Barcinonem navigant:

Sanctus Cucufatus ex Scillitana civitate *a* nobilissimis ac ditissimis natalibus oriundus, cum sancto Felice *b*, ipsius civitatis æque illustrissimo, Cæsaream maritimam *c* litterarum liberalium studio migravit. Quo cum vacantes scholis pervulgata fama comperissent, persecutionem Christianorum *d* in Orientis partibus efferbuisse *e*, mox cum mercium pretiosarum B varietate, non pauco etiam navium numero, se contulerunt Occidentali plagæ sub negotiatorum specie ac nomine: sicque Barcinonam appulerunt. Repereruntque, etiam in Occiduis partibus impietatem principum usquam *f* grassari. Unde tempus imminere intelligentes, ut, quod in lacrymis brevi tempore seminarent, in gaudio perpetuo meterent, cœperunt operibus pietatis et eleemosynis, quibus sedulo fuerunt assuefacti, largius insistere; necnon verbum salutis privatis * et per domos ad se confluentibus prædicare; donec universa, quæ attulerant, officiis misericordiæ potuissent impendere, et sic demum publice Christum confitentes et prædicantes, seipsos, ut exitus rei demonstravit, superimpendere.

* Mss. priva-

hic ibidem fidem catholicam profitens.
* Mss. condicto

2 Quocirca unanimi conditione * beatus Felix ad Gerundensem civitatem *g* transmeavit, ubi divinis muniis se exercens, gloriosum martyrium consummavit. Sanctus autem Cucufatus in Barcinona, urbe populosa, remanens, una cum constantissima et apertissima fide et prædicatione etiam miraculis resplendere cœpit, et in omni gratia curationum excrevit; dæmones solo verbo expellebat, et virtutem Domini confitentes etiam a creditium finibus perturbabat. Hoc C audiens proconsul Galerius, directis militibus, eum sibi offerri jussit. Cui tribunali suo assistenti dixit: Cujus nominis *, insanissime rebellis, patrocinium excolis, qui principum jussa contemnis, et deorum maximorum cultum refugis? Ad quem Sanctus constanter, Quibus me, inquit, insipientissime, cultum imperas exhibere, qui non Dei arbitrio, sed arte fraudis diabolicæ et stultissimorum tibique similium stoliditate adinventi sunt?

* Mss. numinis.

jussu Galerii torquetur immanissime; sed non impune;

3 Hac responsione Galerius nimio furore succensus et seipsum ab ira non capiens, tortoribus eum tradidit, dicens: Tamdiu torquete eum, quamdiu extorqueatis ab eo spiritum. Cumque duodecim milites eum vicissim prolixius et exquisita crudelitate gravissime torquerent, adeo ut ejus intestina, durissima flagellorum torsione disrupto corpore, paterent, clamavit, dicens: Domine Jesu Christe, ostende virtutem tuam super incredulis, ut videntes aut credant et convertantur, aut pereant et destruantur. Impiissimum autem Galerium, qui sic rapide * insanivit in Servum tuum, si non est prædestinatus ad vitam, gladio tuo citius interime. Hac ejus oratione completa, videntes milites, qui eum torquebant, intestina ejus in terram perfusa, cæcati sunt. Galerius quoque cum omnibus idolis suis est repente consumptus *h*. Sanctus vero Martyr, visceribus in alvum receptis, citius divina operatione sanatus est. Quo gratias agente, omnes quoque populi laudaverunt Deum, dicentes: Tu es verus Deus, quem sanctus Cucufatus colit.

Ex Mombritio et Mss.
* Mss. rabide

sicut neque impune secundo cruciatus est,

4 Ut autem hæc ad præsidis Maximiani notitiam perlata sunt, jussu ejus viri crudeles *i* catenarum eum pondere fatigatum ad ipsum consilium perduxerunt; qui interrogatus ab eo, quem Deum coleret, respondit: Quare sub dubietate de Deo interrogas, quasi aut plures dii sint, aut ipse, qui Deus est, divisus sit? Ego enim Deum alium nescio præter Deum verum, qui fecit cælum et terram; quem corde credo, et omni studio prædico. At ille: Si verus est Deus tuus, quem tu dicis, nunc eripiat te de manibus meis et de præparatis tibi tormentis. Ad hæc Sanctus: Te que, nefandissime, et patrem tuum diabolum cum E omnibus exquisitis tormentis, quæ mihi irrogaveris, irrideo, et per virtutem Dei despicio: vere enim summæ dementiæ es et extremæ miseriæ, qui dereliquisti Deum et adoras thecas dæmoniorum. Tunc præses insaniens, in craticula jussit eum assari, et combustum sinapi et aceto perfundi: Miles autem Christi psallebat, dicens: Exaudi, Domine, justitiam meam et cetera. Cumque explicuisset psalmum, penitus sanatus est. Ministri vero pœnarum ab eodem igne consumpti sunt.

et tertio sub Maximiano.
* Mss. ut nec tepor quidem

5 Post hoc autem jussit præses ignem copiosum extra civitatem fieri, et Sanctum in eo concremari: qui illic projectus oravit; et ignis ita exstinctus est, ut nec tempore * incendii remaneret; et ipse penitus illlæsus apparuit. Tunc præses jussit eum ferro vinctum in custodiam reduci; clausoque ostio carceris, tantus splendor ibidem refulsit, ut eodem lumine viso, custodes in Dominum Jesum Christum crediderint. Mane autem præsidi Martyr præsentatur, ejusque jussu cardis *k* ferreis et taureis cæditur; et dum cæderetur, suspiciens in cælum cum grandi fletu oravit et gratias egit: et vox F de cælo insonuit: Quodcumque petieris, dabitur tibi secundum fidem tuam. Qua audita, oravit Sanctus, ut Dominus ei virtutem omnia superandi daret, et ut tyrannus Maximianus, si Dei judicio converti non posset, celerius cum omnibus idolis suis interiret. Maximianus denique aras ornari jusserat, ut idolis sacrificia cum sacerdotibus offerret. Et ascenso curru, illoque tendens, in medio fori nutu Dei in terram cecidit, et miserabiliter crepans interiit. Idola quoque, quibus ad immolandum ire volebat, corruentia, in pulverem sunt redacta.

Donec tandem sub Rufino capite plexus est.

6 Tunc omnis populus adorans, clamare cœpit et dicere: Magnus est Deus Christianorum et potentissimus liberator eorum. Ruffinus autem, qui in civitate præesse videbatur, ait sancto Martyri: Ut quid, o nequissime, tantam multitudinem deos maximos blasphemare facis; et nescio cujus nomen, qui dicitur Christus, confiteri? Qui cum rationem reddidisset, jussu Ruffini caput ejus amputatum est. Cujus corpus Christiani

Ex Mombritio et Mss.

Christiani rapuerunt, et conditum aromatibus honorifice sepelierunt octavo Kalendas Augustas *l*.

In quo loco sepulturæ *m* ejus virtus Domini nostri Jesu Christi per sanctum suum Martyrem petentibus benignum præstat auditum, et piæ petitionis largitur effectum ad laudem et gloriam nominis sui, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen *n*.

Translatio reliquiarum ejus.

7 Passus est autem beatus Cucuphas [pro] gloriosa concessione Christi nominis, et sepultus apud Barcinonam, ut diximus, octavo Kalendas Augusti; indeque translatum est honorabile corpus ipsius a Fulrado *o* reverentissimo et glorioso abbate cœnobii sanctorum martyrum Dionysii pretiosi, Rustici et Eleutherii quarto *p* Kalendas Martii in cellam ejusdem cœnobii, quam idem Fulradus in suo proprio munificentia divæ memoriæ domini Caroli imperatoris *q* construxit, et patrono suo gloriosissimo Dionysio tradidit; quæ sita est in saltu Vosago, et apellatur Lebraha *r*. Quo tempore in modicum inhumatum, ut allatum fuerat, jacens, expedi- B tiore consilio religiosi patris atque præfati monasterii abbatis Hilduini solerti studio et devotissimo desiderio (ut erat Dei et Sanctorum amator et cultor) in crypta ante pedes ipsius sanctissimi Dionysii sociorumque ejus, quam idem Hilduinus in honorem Dei et sanctæ atque intemeratæ Genitricis ejus Sanctorumque omnium ædificavit, anno Incarnationis dominicæ octingentesimo *s*, die autem octavo Kalendarum Septembrium, veneratur humatum.

ANNOTATA.

a *De* Scillitana *Africæ* civitate *actum est ad diem* 17 *Julii pag.* 205, *num.* 7.

b *De hoc* S. Felice *agendum erit* 1 *Augusti. Nescio, unde recentiores quidam fratrem hunc fuisse asserant* S. Cucufatis; *hoc certe ante Petrum de Natalibus lib.* 6, *cap.* 136 *qui dixerit, opinor, nemo est. Sed et hoc mirum, quemadmodum in his Actis fit mentio S. Felicis, sic, in Actis S. Felicis nulla fieri* Cucufatis.

c *Mss. habent,* Cæsaream, quæ est in litto- C re Mauritaniæ, in ipso maris magni margine sita; *et consonant Acta S. Felicis. Est ea, ni fallor, quæ olim Jubæ regia cum esset, Jol vocitata fuit, nunc Capo Figalo, vel, ut Carolo a S. Paulo placet, Alger, in Mauritania Cæsariensi. Vide Abrahamum Ortelium in Thesauro geographico, vel Christophorum Cellarium in Notitia orbis antiqui tom.* 2, *part.* 3, *pag.* 111 *et* 125.

d *In Mss. additur,* sub ministris diaboli, Diocletiano videlicet et Maximiano imperatoribus.

e *Videntur ergo hi Sancti in Hispaniam navigasse potius ad evitandam, quam ad incurrendam (quod passim auctores Hispani volunt) persecutionem.*

f Usquam, *si sensum consulis, hic sonat* ubique. D

g Gerunda, *vulgo* Girona, *urbs est episcopalis in Catalonia. Sed Mss. docent, S. Felicem Barcinone* ad Impuritanam, indeque ad Gerundensem civitatem transmeasse: *id quod et Acta S. Felicis affirmant Impuriæ autem, seu potius Emporiæ, vulgo Ampurias, oppidulum est Cataloniæ in ora maris Mediterranei et in diœcesi Gerundensi.*

h *Id est, dehiscente terra haustus est, ut post episcopum Equilinum fere recentiores explicant.*

i *Quorum præcipuos duos Mss. nominant* Niloximum et Antrasium.

k *Sic habent Mss. et Ado aliique; Notkerus tamen legit* carduis, *quem sequitur Saussayus; Vincentius Bellovacensis lib.* 12, *cap.* 92 *ponit* chordis ferreis, *Surius aliique*, virgis. *Videntur instrumenta significari ferrea, carduis, quibus lana carminatur, haud multum absimilia.*

l *Hic desinunt Acta apud Mombritium: quæ sequuntur, ex Mss. attexo.* E

m *Ita Mss. nostra et Surius; at Lectiones ex antiquo Legendario cœnobii* S. Cucufatis *del Valles; habent:* In quo loco decollationis sive tumulationis illius virtus Domini *etc.*

n *Hic Acta terminantur in variis codicibus Mss., uti in Lectionario jam laudato, in codice nostro membraneo Valcellensi, in iis, quos secuti sunt Vincentius Bellovacensis ac S. Antoninus, in Flore Sanctorum Ms., quem ab antiquitate multum commendat Franciscus Diagus in Historia sua Hispanica de antiquis Barcinonensium comitibus tum fol.* 28, *ubi martyrium describit* S. Sucufatis, *tum paulo superius fol.* 21. *Verum quæ modo subjicientur de Sancti translatione, ea dabo continua serie, ut leguntur in Mss. cœnobii S. Maximini Treviris.*

o *De* S. Fulrado *abbate egimus die* 17 *Februarii.*

p *Surius legit* decimo quarto; *et illi credimus fidendum hic potius, quam apographo nostro, quod scatet mendis librarii turpissimis. Favet etiam Surio, quod in antiquis Martyrologiis Sancti nostri memoria celebretur aliqua decimo quarto Kal. Martii, cum ad quartum Kal. Martii nulla sit uspiam.* F

q *Imperatoris titulum per anticipationem hic usurpari, advertimus in Commentario: imperator enim jam fuerat, cum hæc translatio describeretur; non item dum superfuit S. Fulradus.*

r *Germanis* Leberaw, *inter Selestadium et oppidum Markircham; adi Commentarium de S. Fulrado* 17 *Februarii* § 3, *num.* 17, *vel Acta Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* 3, *p.* 2, *pag.* 339; *uti et Commentarium hisce Actis præmissum num.* 21.

s *Iterum error est amanuensis: nam Hilduinus annis tantum postea quatuordecim abbas factus est. Vide Commentarium num.* 23, *ubi cum Surio legendum diximus*, octingentesimo tricesimo quinto.

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THEA, VALENTINA ET PAULO

CÆSAREÆ PALÆSTINÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Cultus, elogia, palæstra martyrii; quis hic Paulus? Acta, annus ac dies mortis; reliquiæ S. Theæ an nostræ?

Anno cccviii. Diebus variis isti Sancti inscribuntur Fastis Græcis,

Diversis omnino diebus isti tres Christi Pugiles notantur in Synaxariis vel Menæis Græcis tam editis quam manuscriptis; prout videre est in Prætermissis ad diem XV, XVI, XVII *et* XVIII *hujus mensis: unde eos retraximus ad hunc* B *diem, quo* S. Valentinam *ac* S. Paulum *refert Martyrologium Romanum, Menologio, quod ex interpretatione Sirleti vulgavit Canisius, die* XV *hujus præeunte. Non est necesse, pluribus hic coacervare annuntiationes, quibus isti Martyres apud Græcos memorantur: de quibus consuli possunt Prætermissi ad mox notatos dies: unicum moneo, nos in superiore titulo observasse ordinem, quo Eusebius illos recenset.*

versiculis honorati;

2 *Synaxarium porro chartaceum Ms. Divionense seu Petri Francisci Chiffletii nostri die* XVII *hujus, parvo elogio subdit sequentes versiculos in laudem* S. Pauli:

Αἰγυπτιάζεις, Παῦλε, γλώττῃ τοῦ γένους,
Οὐ μὲν δὲ πίστει, τοιγαροῦν κτείνει ξίφος.
Ægyptium te, Paule, lingua comprobat
Genere; fides sed neutiquam: hinc ferro cadis.

De SS. Valentina *et* Thea *subduntur isti versiculi:*

Οὐ αλεντίνην καὶ Θέαν ἡττημένην
Ἐχθροὶ Θεοῦ κτείνουσιν ὡς ἐχθρὰς πλάνης.
Theam Valentinamque pœnis enecant,
Erroris hostes quod forent, hostes Dei.

Αἰγυπτιάζειν *est* I. habitum Ægyptium, seu mores et linguam imitari: *quod hic applicatur* S. Paulo, *ista lingua (patria, ut volunt Græci Fasti; non nos, ex num.* 5 *infra) loquenti* 2. *significat* C *metaphorice* vafre et versute agere, imponere, *sumptum a moribus Ægyptiæ gentis, ab artibus et imposturis infamatæ: unde citatur illud Æschyli poetæ:*

Δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι.
Miri struendis artibus Ægyptii.

Utroque modo hic sumitur, ut consideranti allusionem patebit. Reliqui duo versiculi nihil habent singulare, quod lectorem remoretur.

et cum Martyrologio Romano huc retracti.

3 *Martyrologium Romanum* S. Pauli *memoriam ita consignat:* In Palæstina S. Pauli martyris, qui in persecutione Maximiani Galerii sub Firmiliano præside capitis damnatis, exiguo orandi spatio impetrato, primum pro contribulibus suis, deinde pro Judæis et gentilibus, ut fidei veritatem agnoscerent; postea pro circumstantium multitudine; demum pro judice, qui ipsum damnaverat, et pro carnifice, a quo feriendus erat, Deum toto corde precatus, abscissis cervicibus, martyrii coronam accepit: *ubi in compendio habes ea, quæ mox ex Eusebio, paulo pluribus ejus martyrium describente, referemus. Idem Martyrologium de duabus aliis ista subdit:* Ibidem S. Valentinæ virginis, quæ ad aram, ut immolaret, adducta, cum eam calcibus evertisset, dirissime cruciata, una cum socia virgine in ignem conjecta, cucurrit ad sponsum: *ubi vides,* S. E Theæ *nomen non exprimi, exemplo Eusebii, qui etiam illud non expressit, tametsi graphice ei adaptata ab ipso narrentur, tacito nomine, quæ Græci memorant de* S. Thea; *cujus an, et ubi nomen invenerint, an potius pro libito excogitatum, aut alicunde mutuatum illud Virgini isti, quam noluerint innominatam recensere, applicarint ignoro. Hoc constat, eamdem ubique personam indicari, ut planum fiet ex elogiis, quæ subdimus: recteque Henricus Valesius in notis ad Eusebium de Martyribus Palæstinæ pag.* 177 *observat, desiderari hujus Virginis nomen:* sed hanc lacunam, *inquit,* supplebimus ex Menologio Græcorum, *per Canisium videlicet edito. Interim* S. Valentinæ CUM SOCIA VIRGINE in ignem injectæ *memoriam facit Romanum; non itaque solius* S. Valentinæ, *ut perperam affirmat Tillemontius Monum. eccles. tom.* 5, *pag.* 91.

Elogia

4 *Laudatum, Sirleto interprete, Canisii Menologium tradit ista:* Eodem die (XV *hujus)* sanctarum martyrum Valentinæ et Theæ, quæ fuerunt ex Ægypto ad urbem Diocæsaream deductæ, [et] Familiano judici oblatæ, Christi veri Dei nostri confessæ nomen, sinistris pedibus combustis, et dexteris oculis effossis, gladio et igne consummatæ sunt: cumque illis alii multi viri et mulieres Christi nomen confessæ martyrium pertulerunt: e quorum numero bea- F tus martyr Paulus post latam sententiam, ut gladio percuteretur, stans et orans pro Christianis, pro Judæis, pro Samaritanis, pro Græcis, pro aliis quoque gentibus, ut ad verbi Dei notitiam venirent, et Christianorum persecutio cessaret, ad misericordiam et lacrymas omnes attraxit. Itaque capite obtruncatus est. *Similia fere memorant Synaxarium Basilianum, Menæa magna excusa cum Maximo Cythereo, ac Taurinensi a Ducis Sabaudiæ; in quibus non* Ægyptii *dumtaxat, sed* ἀδελφοί, fratres *etiam vocantur; si Basilianum excipias, in quo sola* Valentina *soror* Theæ *vocatur: quæ ad fidem Eusebii expendenda et corrigenda sunt. In Passione huic Commentario subnectenda utramque Martyrem is donat titulo virginis, non sororis. In errorem fortasse Græcos induxerit* Valentinæ *apud eumdem oratio, qua* Theæ *cruciatus amplius videre non sustinens, judicem ita affatur:* Quo usque tandem adeo crudeliter MEAM torquebis SORO-REM.

AUCTORE J. P.

REM. *At vocem hanc in latiori significatione accipiendam vel pro socia virginitatis, vel religionis orthodoxæ (quo sensu Christiani omnes olim fratres nuncupari solebant) tacite videtur indicare idem Eusebius; nam* ambas simul, *inquit*, copulans *(judex)* hanc ipsam *(Theam)* scilicet cum illa, quam sororem suam APPELLAVERAT, flammis jussit absumi. *Expende* appellaverat; *et conclude.*

cum observationibus nostris circa adjuncta quædam

5 *Idem suadetur ex diversa utriusque patria apud laudatum Eusebium :* Harum prior *(Thea)* ex regione Gazensium orta esse ferebatur : altera vero Valentina nomine, multis probe cognita, patriam habuit Cæsaream. *De* S. Pauli *patria ne verbo quidem meminit Eusebius; nedum duarum istarum virginum fratrem fuisse dicit. Indidem etiam corrige nomen* ’Ουαλέντης *in Menæis excusis ac Maximo Cythereo, et cum Eusebio scribe* ’Ουαλεντίναν. *Præses sub quo sancti Martyres passi sunt, vocatur ab Eusebio* Firmilianus *(ut videre est de Martyribus Palæstinæ cap.* 8 *sub initium; per cujus decursum nostrorum Martyrum certamen describit) Urbani per provinciam Palæstinæ in isto munere successor, et capitali supplicio postea affectus, teste Eusebio in*
B *fine capitis* II. *At ex eo recte scribi illud nomen apud Sirletum, et in Martyrologio Romano, comprobatur : quod non exprimit Basilianum; at Menæa excusa cum suo sequace Maximo ac Ms. Taurinensi male ponunt* Firminum; *ponere certe sic voluerit Maximus, quamquam mendose apud ipsum scribatur* Φιμίνου, *pro* φιρμίνου.

quæ in iisdem

6 *Memoratus paulo ante Valesius, postquam produxisset elogium a Canisio excusum, de quo supra, ex eoque supplevisset nomen* Theæ, *in Eusebio desideratum, adjungit sequentia :* Narratio *ista* non convenit cum Eusebii nostri narratione : neque enim Eusebius eas in Ægypto comprehensas esse dicit; sed alteram Gazæ captam esse memorat; alteram vero Cæsareæ, Valentinam nomine. Sed neque sinistros pedes candenti ferro debilitatos, aut dexteros oculos ei effossos esse dicit. *At nusquam ibi clare dicit Eu-*
C *sebius, Cæsareæ captam fuisse* S. Valentinam, *sed* patriam habuisse Cæsaream, ἀπὸ τῆς Καισαρέων ὡρμῆσθαι, *prout ipsemet vertit Valesius. Jam vero utramque fuisse e numero Martyrum, qui capti fuerant apud Gazam, tametsi videatur constare, paulo tamen clarius id dicitur ab Eusebio de* S. Valentinæ *socia, quam de ipsa* S. Valentina; *nam de illa, præmissis verbis,* qui apud Gazam capti fuerant, *statim subjungit*, ex quibus quædam *etc.*; *de hac vero magis determinate*, alia quædam mulier; *an numero tantum, an aliis adjunctis ab ipsis diversa? Porro de aliis multis viris et mulieribus, qui una cum eis martyrium pertulerint, ut supra Canisii Menologium, tacent Eusebius, Menæa excusa cum Maximo Cythereo ac laudato Taurinensi. Nunc de martyrii palæstra.*

proferuntur.

7 *Non fuit hæc Diocæsarea, sicut tradit Menologium Canisii ac Synaxarium Basilianum ; pro qua Menæa excusa cum codice Taurinensi laudato melius ponunt Cæsaream. Tres apud Baudrand notantur Diocæsareæ : quarum una sit Asiæ minoris in Cappadocia mediterranea, episcopalis sub archiepiscopo Cæsariensi, nunc Tisaria dicta, ut quidam credunt. Alia notatur Diocæsarea, urbs Ciliciæ asperæ in Asia minore inter Aphrodisiam et Philadelphiam, episcopalis sub archiepiscopo Seleuciensi. Tertia annumeratur Asiæ minori, quæ et Ceratapa, in Phrygia* D
combusta 20 circiter milliaribus ab Apamea in Septemtrionem : de quibus videri possunt geographi. Nulla istarum huc spectat. Nam de Martyribus Palæstinæ agere Eusebium, manifestius est, quam ut probari debeat, tum ex initio capitis primi, ubi ex Palæstinæ Martyribus primus *ab ipso datur* Procopius, *de quo nos egimus die* VIII *hujus ; tum ex fine capitis* II, *quod post Eubulum,* qui Cæsariensium Martyrum certamina ultimus obsignavit, *sic concluditur :* Et hæc quidem sunt martyria, quæ in urbe Cæsarea toto persecutionis tempore perpetrata sunt. *Itaque martyrii palæstra Martyrum nostrorum statuenda est Cæsarea Palæstinæ (de qua pluribus Carolus a S. Paulo in Geographia sacra pag.* 311) *cujus primo presbyter, deinde episcopus Eusebius, vidit presbyter coram, vel videre saltem potuit pleraque, quæ suis temporibus in sævissima persecutione, a Diocletiano inchoata, et ab aliis ad decimum usque annum prorogata, ibidem pro Christo exantlarunt certamina invicti Pugiles, quorum triumphos describit. Quo itaque jure Tillemontius dicit, Græcos expressius notare, quod* E
Valentina *et* Thea *passæ fuerint Cæsareæ, quam Eusebium, qui ex dictis expressissime id dicere probatur : ad hæc, Tillemontius merito displicet, quod præter Menæa magna citet Menologium a Canisio editum, in quo, prout vidimus non Cæsarea, sicut habetur in istis Menæis, sed Diocæsarea ponitur; quod miror Tillemontium vel non vidisse, vel non correxisse; præsertim cum illud ipsum tamquam unum e diversis falsitatibus, quibus pag.* 98 *affirmat* S. Theæ *historiam intricari a Græcis, numerari posset.*

8 *Die* XVI *hujus dedimus S. Paulum martyrem Cæsareæ in Cappadocia cum S. Mammete, palæstra martyrii, et socio, qui vel cum eo simul fuerit passus, vel saltem sub eadem positione cum eo Cæsareæ conjunctus annuntiatur, ab hodierno* Paulo *distinguendum. Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus in Disceptationibus suis ad Martyrologium Romanum hoc die utrumque confundens, varias hallucinationes commisit, facile Eusebium, Notkerum et Martyrologium Romanum conciliaturus, si distinxisset Sanctos, et palæstram cuique suam, nimirum* Paulo *hodierno Cæsaream Palæstinæ, alteri autem Cæsaream Cappadociæ assignando. Verum pluribus singula discutere supersedeo, cum ista sufficiat indicasse.* F

Paulus, qui hic datur, cum synonymo non confundendus.

9 *Acta ab Eusebio conscripta excudit Theodoricus Ruinart inter selecta et sincera, ex interpretatione Henrici Valesii, quam et nos sequemur. Eadem ex laudato Eusebio collegit Tillemontius tomo quinto citato, articulo* 35, *a pag.* 90; *quæ etiam inter Vitas Sanctorum impressit novus Legendista Gallus. Quanta vero in pretio illa Acta sint habenda, liquet ex dictis num.* 7. *Baronius ex Eusebio Annalibus suis eadem inseruit ad annum* 307; *eumdem etiam signans in notationibus ad Martyrologium Romanum; at pro illo substituendus annus* 308 : *nam cum persecutio Diocletiani inceperit anno* 303, *mense Februario (Videsis Tillemontium nota* 6, *pag.* 594) *cumque anno* 6 *ejusdem persecutionis, teste Eusebio in initio capitis* 8, *in nostros Martyres sævitum sit, patet anno æræ vulgaris* 308 *etiamnum currente eorum martyrium contigisse, adeoque cum recentioribus illigandum illud esse anno dicto* 308. *Res gesta est sub Maximino, qui in Ægypto et Syria summa rerum tum potiebatur. Diem quidem martyrii*

Acta a quibus edita, annus martyrii in Baronio corrigendus; ejusdem martyrii dies.

A *tyrii* SS. Theæ *et* Valentinæ *non exprimit Eusebius; sed colligi is potest ex die mortis* S. Pauli, *qui obiit juxta Acta* XXV mensis Panemi, *prout vocatur Macedonice,* hoc est ante diem octavum Kalendas Augusti, *seu* XXV *julii*; et *cujus* martyrium *illarum agonem fuit* proxime subsecutum, *teste Eusebio in iisdem Actis: imo vero eadem die omnes tres simul occubuisse, liquet ex eo, quod* S. Paulus eodem temporis articulo, eodemque, qua Virgines illæ sententia, capitali supplicio damnatus fuisse, *ibidem narretur.*

Reliquiæ S. Theæ apud Gazam videntur esse alterius S. Theæ.

10 *Ex Vita S. Porphyrii episcopi Gazensis, a Marco discipulo conscripta et a nobis edita* XXVI *Februarii, cap.* 3, *pag.* 648 *habemus, extra Gazam (non Gazæ, ut scribit Tillemontius loco mox citando) fuisse* martyrium *(seu ædem sacram)* gloriosi martyris Timothei, in quo repositæ . . . reliquiæ Mæuris martyris et Thees, quæ relata est in numerum confessorum; *nostræne* Theæ *an alterius? Tillemontius nota* 42 *ad persecutionem Diocletiani;* Credi posset, *inquit,* hanc Theam esse sociam S. Valentinæ, si Vita *(S. Porphyrii)* non adderet, eam esse re-
B latam in numerum confessorum, dum interea S. Mæuri *eadem Vita* dat titulum martyris. *Verum ex eo, quod uni detur titulus* martyris, *alteri* confessorum, *non sequitur utramque non fuisse martyrem: nam constat, martyres antiquitus etiam vocatos fuisse sub nomine confessorum. Sufficiat, ne plura consecter, illud Ambrosii lib.* 2 *ad Gratianum imperatorem,* Jam satis, omnipotens Deus, nostro exitio nostroque sanguine CONFESSORUM neces, exilia sacerdotum, et nefas tantæ impietatis eluimus. *Hoc itaque nequaquam obstat, quo minus per hanc Theam, in confessorum numerum relatam, nostra* Thea *martyr intelligatur; sed aliud obstat potius, si videlicet (prout ad diem* XIX *Decembris habetur in Martyrologio Romano, et de quo ex annotatis nostris ad dictum diem* XXVI *Februarii pagina* 649 *vide Tillemontium in eadem nota) SS. Meuris et Thea Gazæ in Palæstina passæ fuerint, quod tractari suo tempore poterit: nostra enim ex dictis num.* 6 *Cæsareæ Palæstinæ agonem consummavit.*

C

MARTYRIUM

Auctore Eusebio Cæsareæ Palæstinæ episcopo,

Ab Henrico Valesio Latine redditum a pag. 330.

Cruciatus virgini Martyri illatos

Post hos *a* deinde quidam alii, qui apud Gazam capti fuerant, dum ad audiendas sacræ Scripturæ lectiones convenirent *b*, pars easdem, quas superiores illi, oculorum pedumque mutilationes sustinuerunt; pars sulcatis lateribus multo graviores cruciatus pertulerunt. Ex quibus *c* quædam in muliebri corpore virilem animum gerens, cum stupri comminationem non sustineret; jacto adversus tyrannum convicio, quippe qui tam sævis judicibus regendas provincias commisisset; primum quidem flagris verberata est; dein sublimis in eculeo suspensa, admotas lateribus ungulas *d* pertulit.

A. Eusebio. S. Valentina non ferens, judicem increpans

2 Cum vero ministri ad id constituti, omni pertinacia omnique virium nisu instantes; jussi judicis eam excruciarent, alia quædam Mulier, quæ virginitatis propositum perinde ac prior amplexa fuerat, ipso quidem aspectu vilis ac despicabilis, verum forti ac supra quam sexus ferebat sublimi animo prædita, ac longe præstantior pugnatoribus illis, qui apud Græcos ob libertatem in loquendo omnium ore celebrantur, cum tantam atrocitatem ferre non valeret, ex media turba inclamare adversus judicem cœpit: Quousque tandem adeo crudeliter meam torquebis sororem? Quo dicto ille exacerbatus, corripi repente Mulierem jubet, Tracta igitur in medium, cum augusto Servatoris nostri nomine sese indigitasset, primum blandioribus verbis solicitata est, ut sacrificare vellet. Sed cum id abnueret, vi ad aram pertracta est.

ac aram evertens, post gravissimam lanienam, simul cum priore flammis traditur.

3 Tum vero illa sui similis, nec de priore alacritate quidquam remittens, firmo ac fidenti pede aram calcibus incessit, camque *e* cum imposito ipsi rogo disturbat. Quam ob causam judex instar truculentæ cujusdam bestiæ percitus, primum quidem ejus latera tot tantisque ungularum ictibus laniari præcepit, quot nullius umquam antea; adeo ut crudis ejus carnibus saturari velle E videretur. Postquam vero improbitatis ipsum satietas cepit, ambas simul copulans, hanc ipsam scilicet cum illa, quam sororem suam appellaverat; flammis jussit absumi. Harum prior ex regione Gazensium orta esse ferebatur: altera vero Valentina nomine, multis probe cognita habuit Cæsaream patriam.

S. Paulus pro variorum salute Deum precatus,

4 Illud autem martyrium proxime subsecutum, quo beatissimus Paulus exornatus est, quo tandem modo pro dignitate explicare possim? Qui cum eodem temporis articulo, eademque qua Virgines illæ sententia, capitali supplicio damnatus fuisset, imminente consummationis suæ tempore, a carnifice, qui caput ipsi jamjam erat præcisurus, breve temporis spatium sibi concedi flagitavit: eoque impetrato, contenta voce primum quidem pro universa Christianorum gente preces ad Deum fudit, orans ut iisdem reconciliari vellet, utque pax illis ac securitas quam primum restitueretur. Tum pro Judæis supplicavit, ut per Christi fidem ad Deum conversi accederent. Deinde ordine progressus eadem pro Samaritanis obsecravit. Post hac pro gentilibus, qui errore mentis impliciti et ignoratione obcæcati tenebantur, F Deum precatus est, ut ad agnitionem ejus *f* tandem pervenirent, veramque religionem susciperent.

capite truncatur.

5 Sed nec promiscuæ circumstantium turbæ mentionem prætermisit. Post hos omnes (o vere eximiam et inexplicabilem animi mansuetudinem!) pro ipso judice, a quo capitis supplicio damnatus fuerat; pro imperatoribus, ac pro ipso etiam carnifice, qui cervicem ipsi jamjam erat præcisurus, illo ipso, et cunctis qui aderant audientibus, supplex Deum omnipotentem rogavit, ne quod in ipsum admittebant facinus, illis imputaretur. Hæc clara voce precatus, cum universi miseratione ejus commoti, utpote qui innocens occideretur, lacrymas funderent; nihilominus semet ipse composuit *g*, nudamque cervicem gladio feriendam præbens, divino martyrio decoratus est die XXV mensis Panemi, hoc est, ante diem octavum Kalendas Augusti. Et hujusmodi quidem exitus fuit Martyrum illorum.

ANNOTATA

A. Eusebio.

ANNOTATA.

a *Postquam retulisset Eusebius alios, quibus excisa candenti ferro pedis sinistri curvatura, oculusque dexter mucronibus confossus et perustus, adjunctis quibusdam aliis Christum confessis in urbe Cæsarea, mox nostrorum Martyrum certamen subjungit: unde eos ibidem passos intelligo. Plura in Commentario num. 7.*

b *Christophorsonus presbyteros ac diaconos intellexit, uti observat Valesius in notis hic, qui populum ad audiendas sacræ Scripturæ lectiones collegerant: quod quidem, prout addit, in privatis ædibus tunc fieri necesse erat: dirutis enim ecclesiis et oratoriis, Christiani non nisi in privatis domibus conventus habere poterant.*

c *Hoc relativum refero ad hos dumtaxat,* qui sulcatis lateribus *etc.*; *non vero ad illos,* qui oculorum pedumque mutilationes sustinuerunt. *Plus volunt Menæa magna excusa cum Maximo Cythereo et Ms. Taurinensi* α, *quando dicunt, nostrorum Martyrum pedes fuisse debilitatos* D *candenti ferro: Menologium a Canisio editum oculorum mutilationem adjungit; ut monuimus supra.*

d *De hoc supplicio Antonius Gallonius de Martyrum cruciatibus cap.* 5.

e *Græce,* τὰ εἰς αὐτὸν *accipitur vel pro* τὰ ἐν αὐτῷ, *intelligendo ea, quæ super aram imponebantur, puta thus, acerram aut alia hujusmodi: vel voces istas expone,* quæ ad aram attinebant, *quod eodem recidit.* Possent, *inquit Valesius hic,* etiam deleri verba illa τὰ εἰς, ut intelligatur Martyr aram ipsam, utpote tumultuario opere ex tabulis ligneis fabricatam cum igne et thuribulo imposito subvertisse. *Quod non probo: cum nihil cogat mutare textum.*

f *Sic legere malim cum Valesio in notis, ut scribatur potius* αὐτοῦ, *subintellecto* Θεοῦ, *quod proxime præcedit, quam* αὐτοὺς, *quod tamen in textu Græco retinuit, addens codices suos nihil mutare.*

g Ὅμως αὐτὸς ἑαυτὸν σχηματίσας *legit Valesius: pro quo aliam lectionem profert in notis.*

B E

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

ACONTIO ET NONNO

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

xxv Julii. *Soli isti duo*

Præter S. Jacobum Apostolum, S. Christophorum et in Corbeiensi codice S. Cucuphatem, hos duos Martyres in Hieronymianis laterculis reperio, qui hoc die tuto et certo referri posse videantur; siquidem ad ipsum pertineat vera eorum depositio seu natalis, et non potius translatio aliqua; quandoquidem in veteri Kalendario, a Bucherio olim, et a nobis iterum tom. VII *Junii vulgato, eadem ipsa nomina diserte exprimantur Nonis Septembris; nisi fateamur, synonymos alios fuisse, ut in plurimis aliis sæpius accidisse, ex toties dictis repetitisque notissimum est. Reliqua quæ in textu Florentinii adjiciuntur, nempe* Agathenis de nativitate sua: *item;* Et alibi natalis S. Stercorii *etc. eadem ferme ipsa videntur quæ de S. Athenogene et sociis die præcedenti fusius exposuimus. In codice Epternacensi,* Jacobi, Agathonis *nomina repetita et transposita* B *sunt quemadmodum et sequentia. In Corbeiensi non minor confusio:* Jacobi, Agathonis, Donativi, Suavis. *Tum;* Stercorii, Clementis, Juliani *etc. de quibus alibi lucis aliquid frustra quæsieris.*

2 *Porro de duobus nostris ita prædicti codices* *ex laterculo Hieron. recte signati.* *hoc die. Lucenses;* In Porto urbis Romæ, natalis sancti Aconiti, Nonni, *quibus consonat codex Blumianus. Epternacensis;* Romæ portu, natalis Canti et Nonni. *Corbeiensis vero;* In portu urbis Romæ, natalis sancti Aconti, Nonni. *Inter codices contractos sunt in quibus scribatur* Acanthi *et* Acontri. *In Rhinoviensi, Augustano et Autissiodorensi solus* Acontius *ponitur: in Richenoviensi tamen, Labbeano et Reg. Sueciæ ambo distincte referuntur* Acontius *et* Nonnus, *quam lectionem reliquis præferendam censui. Neque vero Florentinii observationes quidquam evincunt, ut vel mutanda sint ea nomina, vel bina uni soli martyri aptentur, vel demum proprium nomen in appellativum transmutetur, ut proinde tamquam diversos, recte consignatos et efformatos existimem: quod hic* F *solum requiri potest, quandoquidem de ætate aut gestis nihil memoriæ proditum sit.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

STERCORIO, CLEMENTE ET JULIANO

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

xxv Julii.

Jam satis indicavimus, mutata esse, luxata et ex diei præcedentis laterculo repetita nomina, præsertim ea classe quam ad S. Athenogenis socios referri posse ibi diximus, cujus etiam nomen diversimode truncatum jam exhibuimus. Id clarius perspicies ex enumerata classe integra, cujus solos tres primos Martyres, et quidem non nisi subtimide hic annuntiavimus. Textus Florentinii sic habet: Et alibi, natalis S. Stercori, Clementis, Juliani, Caritonis, Emeriti, Sterce, Sticiani. *Aut ego vehementer fallor aut ultimi hi quatuor repetuntur ex jam præcedentis diei laterculo, ubi* Cariton, Emerita *pro* Emeritus, Stercatius *et* Statianus *eadem prorsus nomina esse videntur.*

AUCTORE J. B. S.

A *videntur. Quod in aliis codicibus* Suticiani *legatur, alia, procul dubio, amanuensis hallucinatio et corruptio est. Quibus omnibus perpensis, locus hic dari potuit solis dumtaxat tribus hic supra a nobis expressis, quorum medium, nempe* clementem, *inter Sanctos suos Clementes hoc die retulit noster Oldoinus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FLORENTIO ET FELICE

Furconii in Vestinis Italiæ.

J. B. S.

xxv Julii.

H*orum duorum Martyrum memoria ita annuntiatur in hodierno Romano :* Furconii in Vestinis, Sanctorum martyrum Florentii et Felicis Sipontinorum, *nullis Fastis assignatis, unde accepti fuerint : id solum annotavit Baronius,* hos duos esse ex numero illorum LXXXIII mi-
B litum, de quibus agitur pridie hujus diei. *Utrum ex veteribus Martyrologiis satis certus sit numerus ille* 83 *martyrum militum, est cur dubites ; ut ex ea classe bini isti* Florentius *et* Felix *facile sese eximi patiantur. Et sane ipsorum Acta, cum Actis S. Justæ virg. mart.* S. Florentii *filiæ, omnino connexa, quorum exempla quinque Mss. apud nos exstant, ita concinnata sunt, ut id saltem ex iis intelligas, neutrum istorum Martyrum, militiam umquam secutum fuisse. Dicamus ea esse ex illorum Actorum genere, quæ ut minimum prudenti examine opus habent. Cum autem ad S. Justam spectent potissimum, hujus vero festivitas in ecclesia collegiata, Aquilæ ipsi dicata, solenniter recolatur* I *Augusti, eo remittendam censuimus prædictorum Actorum discussionem, hic ea solum describentes, quæ de sanctis* Florentio *et* Felice *ex ipsis ad mentem Baronii contraxit Ferrarius in hunc modum :*

Florentius et Felix milites Sipontini, ex numero LXXXIII, qui apud Amiternum pro Christo martyrii palmam adepti sunt, cohortis illius præcipui, qui, ut erant genere conjunctissimi (erant enim germani) sic et religione Christiana pares; quorum prior S. Justæ virginis et martyris pater fuit. Cum itaque e E
Siponto Theate venissent, inde vero Forconium profecti, prædicare cœpissent, pluresque ad fidem perducerent, eo miraculo, quod Hilarii hospites nepoti cæco visum restituissent, ab idolorum sacerdotibus apud Maximianum imperatorem deferuntur. Qui Aurelio Forconiensi præfecto mandat, ut illos comprehendat, Deosque venerari recusantes interficiat. Quare is imperatoris jussa faciens, sanctos milites comprehendi jubet, ductosque ad Jovis templum, cum ei sacrificare nollent, apud Abellinum amnem, urbem præterfluentem, capite plecti præcepit VIII Kal. Augusti : quorum corpora beatus Justinus presbyter ibidem sepelivit.

DE S. HIERUSALEM MARTYRE

Ex Fastis Græcorum.

J. P.

Die xxv et xxvi Julii.

C N*ota nobis est ista Sancta ex Synaxario Ms. Græco, quod Majoris nostri invenerunt in collegio nostro Divionensi apud Petrum Franciscum Chiffletium ; in quo sic memoratur :* Ἡ ἁγία Ἱερουσαλὴμ ξίφει τελ. S. Hierusalem gladio perempta. *Adduntur isti duo versiculi :*

Τομὴν κεφαλῆς Ἱερουσαλὴμ φέρει,
Καὶ τὸν ἄνω Ἱερουσαλὴμ βλέπει.

F

Capite Hierusalem secta martyrium refert,
Hierusalemque recta cælestis videt.

In Synaxario Ms. Collegii nostri Claromontani Parisiis seu P. Sirmondi notatur die XXXI *Julii, adjuncto ei* Appione, *prout adscripsit Papebrochius in nostro laudato Chiffletiano ecgrapho. In indice tamen nostro Ms. ad Menæo, ambo ponuntur hoc die ex Claromontano. Ubi, sub quo, et quando hæc Martyr fuerit passa, nescimus.*

DE S. URSO EPISCOPO CONFESSORE

TRECIS IN GALLIA

Ex Martyrologiis.

J. B. S.

An. ccccxxvi. In Martyrologiis refertur hoc die,

N*on aliunde quam ex Martyrologiis sancti Antistitis repetenda memoria, cum de ejus gestis, virtutibus aut miraculis nihil prorsus scriptum ad nos pervenerit. Ordine septimum fuisse Trecensis urbis episcopum, atque adeo celeberrimi S. Lupi in cujus Vita Ms. Sanctus noster laudatur, decessorem, apud omnes in confesso est ; neque dubium quin commissum sibi gregem sanctissime instituerit, eo præsertim seculo quo plenissima libertate Euangelium in Galliis prædicabatur ; supponitur enim e vita decessisse anno* 426, *hac ipsa die* XXV *Julii, tametsi memoria ejus,*

AUCTORE J. B. S.

ejus, obintercurrens solennius S. Jacobi festum, non nisi postridie seu XXVI *recolatur. Nobis natalem ipsum præferre visum est cum iis Martyrologiis qui de eo diserte agunt dicta* XXV, *duce, ni fallor in hisce saltem partibus, Florario Sanctorum Ms. ita hoc die annuntiante:* In pago Meldensi, depositio S. Ursi Trecorum episcopi et confessoris, *quæ eadem verba et eodem die leguntur in edit. Lubeco-Col., Greveno, Molano et Canisio: Saussayus diem cultus secutus est in Supplemento, nihil inveniens quo dignum Sancto elogium conderet.*

licet Trecis colatur postridie.

2 *Indigentiam suam satis quoque profitetur Cl. Camuzatus in Promptuario suo pag.* 153, *dum de ipso hæc paucula refert:* Festum ejus natalis diem celebrat ecclesia Trecensis XXVI Julii, et in vetustissimo Agendicensi Martyrologio hæc de ipso leguntur VI Kal. *(melius Desguerrois* VIII *Kal.)* Augusti. In pago Meldensi, in centena Cupedensi, loco qui dicitur Cubtas, depositio S. Ursi, Tricassinensis ecclesiæ episcopi et confessoris. Corpus vero ejus condigne humatum in marmoreo sarcophago, B miro opere sculpto. *Paulo pressius locum designare voluit Castellanus, dum hoc etiam die scripsit;* In pago Meldiciano *(Gall.* pays Mulcien*)* loco diœcesis Meldensis *etc. neque tamen vel sic repertus est hactenus, utpote nimium confusus per* in centena, Cupedensi, *cui eruendo frustra se insudasse asserit laudatus Desguerrois ad annum* 426; *neque nobis lubet in eo quærendo operam perdere.* Reliquiarum ejus, *inquit Camuzatus*, non minima portio in dicta Trecensi ecclesia nunc custo- D ditur; sed vitæ ejus historiam nullibi reperire est: sanctissimam autem animam exhalavit circiter annum CCCCXXVI.

Reliquiarum ejus partitio

3 *Jam dixi de anno felicis obitus nullam esse controversiam: de tempore quo ex prima sepultura reliquiæ Trecas delatæ sunt, altum æque ac de gestis ipsis silentium: verum translatas fuisse oportet, et quidem de earum partitione inire debet concordia inter S. Petri cathedralem ecclesiam et collegiatam S. Stephani, ubi pars saltem aliqua corporis* S. Ursi *deposita censetur, eaque non alterius synonymi sed* S. Ursi *hujus, tametsi id expresse appositum non sit. Ceterum in sacrarum reliquiarum elencho, qui Dominica infra Octavam Ascensionis in Cathedrali recitari solet, hæc disertissime habentur in ipso Promptuario pag.* 121; Veneremur etiam pretiosas et inæstimabiles margaritas corporum beatorum episcoporum Trecensium Ursi, Cameliani, Prudencii et Pauli, in præsenti ecclesia integre quiescentium. *Litem amice componere conatur Desguerrois eo plane modo* E *qui nobis sexcenties usuvenit, ut quocumque demum tempore divisæ fuerint, pars pro toto accipienda sit, maneantque interim ambæ ecclesiæ in pacifica possessione, singulæ thesauro suo qualicumque contentæ. Quæ de Sancto narrat Tamayus, tu vide in ejus famoso Martyrologio ad* XXVI *Julii; nobis ea tædet referre quæ nulla veri specie nituntur: neque scimus cur Castellanus* S. Ursum *omittendum censuerit.*

DE S. MAGNERICO CONFESSORE

ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI

Ibidem in monasterio S. Martini.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus, elogia, Officium proprium; natales, vitæ professio; ætas.

F

CIRCA ANNUM DXCVI.

Sancti memoria ab antiquissimis martyrologiis præterita, ex recentioribus datur

Treviri seu Augusta Trevirorum, longe antiquissima Europæ in Belgica prima urbs, plurimorum Martyrum fœcunda parens, et felix magnorum Sanctorum hospita, adeo passim omnibus nota est, ut eam vel nominasse sufficiat. Copiosissimas de ea omnisque generis notitias exhibet Proparasceve, Annalibus ejusdem urbis, quos Christophorus Browerus noster in lucem edidit, præfixa. Inter alia, quibus gaudet, sacra decora jure merito numerari potest S. Magnericus, *dignissimus ejus archiepiscopus; cujus memoriam in antiquis Martyrologiis frustra quæsivi. Varii codices, a nobis enumerati inter auctaria Usuardo adjecta die hoc, ipsum ita referunt:* Treviris, S. Magnerici, episcopi et confessoris. *Addit codex Bruxellensis;* qui beatum Gaugericum clericali militiæ asscripsit. *Grevenus sic eum annuntiat:* Treviris S. Magnerici episcopi et confessoris; qui a S. Nicetio ejusdem urbis episcopo educatus, eum, ob zelum justitiæ, a Chlotario in exilium pulsum, non dereliquit, sibique postmodum digne successit. *De hac successione postea videbitur. Molanus item suo ipsum Usuardo adjecit.*

cum Martyrologio Romano et Florario Ms.

2 *Codices mox primo loco a nobis allatos sequitur Martyrologium Romanum, dum sic loquitur:* Treviris S. Magnerici episcopi et confessoris. *Præcesserat Florarium nostrum Ms., quod Sanctum signat in hunc modum:* Treveris S. Magnerici ep. et conf.; qui multis clarus miraculis quievit in Domino anno salutis DCXVIII, *postmodum ad veriorum temporis calculum a nobis reducendo. Atque hæc pauca in promptu sunt ad stabiliendum Sancti cultum ex Fastis sacris, quibus accedent alia quædam, occasione elogiorum, proxime nobis hic sese oblatura. Interim meminisse juvat, ex nullo fortasse antiquo documento proponi clarius ac persuaderi fortius posse vetustissimum Præsulis nostri cultum, quam ex erecto ad ipsius sepulcrum altari, testante id biographo a num.* 53, *ac recensente rei gestæ adjuncta, quæ apud ipsum videri possunt.*

3 *Laudatur*

AUCTORE J. P.

A

Præcones nactus est S. Gregorium Turonensem, et Venantium Pictaviensem epp.

3 *Laudatur passim Sanctus noster a S. Gregorio Turonensi, uti observat Theodericus Ruinartius in notis ad libri ejus* 8 *historiæ Francorum caput* 37, *quam una cum aliis ipsius Operibus edidit Lutetiæ Parisiorum anno* 1699 *Quæ laudes tanto pluris sunt æstimandæ, quanto pretii longe majoris sunt, quæ a synchrono et familiari et a sancto præsule in rem nostram commemorantur; quorum ratio habebitur inferius suo loco. Alterum item egregium ac synchronum* S. Magnericus *nactus est virtutum suarum præconem, videlicet, Venantium Fortunatum, episcopum Pictaviensem, qui carmen panxit de laudibus ejus; a biographo nostro relatum num.* 50, *et a nostro Christophoro Browero insertum Annalibus suis Trevirensibus lib.* 6, *num.* 91, *nec non editioni Fortunati a se illustratæ, lib.* 3 *carmine* 13.

quorum ultimus carmen panxit in ejus honorem; id quod ipsi

4 *Sic porro ad rem nostram loquitur in notis pag.* 87 *:* Vetus hoc poema, sed ἀνέκδοτον huc usque et novum damus, ex ipsius D. Magnerici Vita, ab Eberwino abbate conscripta, de-

B

promptum. Reperiebatur a me in bibliotheca monasterii S. Martini, quod apud Treviros proxime Mosellam ex nobilissimi senatoris Tetradii domo surrexisse, constans majorum traditio est. *Hanc Vitam si vidisset sapientissimus Annalium ecclesiasticorum conditor Baronius, non scripsisset in notationibus ad Martyrologium Romanum, hoc die sequentia :* De hoc *(S. Magnerico)* extare carmen Fortunati, tradit Molanus. Verum in libris Fortunati, nuper editis Calari, non de Magnerico Trevirensi, sed de Agerico Virdunensi carmen extat lib. 3. *Observandum, quod laudatus Browerus, dum ineditum huc usque et novum hoc poema se dare affirmat, nec nihil, nec omnia dicat : nam Molanus in annotationibus ad hunc diem ista prædicat :* Magnerici *(Vita)* excusa est saltem ex parte Lovanii anno MCDLXXXV in Historia Sanctorum, CUM POEMATE FORTUNATI IN EODEM EPISCOPO. *Historiam illam præ oculis habeo, cui sic adscripsit noster Rosweydus :* Hunc librum Molanus ad Usuardum XXV Julii, in Magnerico vocat Legendæ partem secundam, accipiens, opinor, Lombardicam historiam pro I parte Legendæ.

C

tamquam auctori a nobis asseritur.

5 *Utut est, parum id nostra refert. Unicum illud huc spectat, quod ad calcem Vitæ* S. Magnerici *fol.* 199 *verso, ibidem notetur,* de hoc Sancto Fortunatus episcopus in poemate suo ita dicere : Culmen honorificum *etc. Fragmentum vero, quod ibi datur, quinque distichis absolvitur. Atque hæc ad poema illud Fortunato vindicandum sufficiant, uti et nostro Sancto elogium in eodem contentum. Varia recentiorum elogia huc congerere, nihil attinet ; cum non plus illis inesse possit ponderis, quam quatenus in antiquioribus documentis, unde accepta fuerint, fundantur, puta S. Gregorio Turonensi, et biographo nostro. Sunt illa apud Cratepolium de Electoribus et episcopis Germaniæ pag.* 255, *Saussayum ac Bucelinum hoc die, et Sammarthanos in Gallia Christiana inter archiepiscopos Trevirenses, quæ ibidem videri possunt. Nonnulla minus recte in eisdem posita castigari poterunt infra suis locis. Nunc de Officio ecclesiastico ipsi sacro ac proprio, occurrunt sequentia.*

Profertur quoddam fragmentum Officii proprii, non satis nobis cogniti :

6 *Post ecgraphum Vitæ, quod habemus, ex Ms. monasterii S. Martini Treviris, ac diploma in ejusdem monasterii favorem a Benedicto PP. VII latum, aliasque notitias circa laudatum monasterium in eodem ecgrapho adjectas, quod idcirca postea sub nomine notitiarum Trevirensium citabimus, subduntur ista, quæ an et quam late in illa diœcesi usurpata fuerint, an vero a solis monachis prædicti monasterii, et quo et quanto tempore, nos omnino latet. Die obitus ejus illa recitari consuevisse, in decursu indicatur. Sic itaque sonant :* In festivitate S. Magnerici archiepiscopi. ANTIPHONA. Gloriose Christi pontifex Magnerice, hac, qua meruisti luce cælos penetrare, nos tui flagitamus servuli, ut, te implorante, post decursum hujus vitæ mereamur gaudia percipere. Ad CANTICA ANTIPH. In sapientia Domini semper moratus est præsul Magnericus ; ideo memoria ejus in benedictione erit, et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia Sanctorum. RESP. Venerande Dei antistes, Magnerice, qui decedente eximio Nicetio meruisti pontificale decus subire, tua nos assidua rogamus succurrere prece, ut mereamur ad pastorem animarum, te ducente, pervenire. Tua nos.

E

Sancti laudes complexi;

7 RESP. Hic sanctus Dei Præsul studuit se omnibus talem præbere, ut in ejus laude debeat plebs fidelis personare. ℣. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. Ut in ejus. RESP. Miraculorum indicia non sunt in hoc sancto Præsule specialiter consideranda : in quo omnium virtutum tam claruerunt insignia. ℣. Nam ut pastor pro commisso grege vigilanter instabat, et assidue Deo commendare satagebat. In quo. RESP. Deo dilectus athleta Magnericus, meritis clarus, virtutibus plenus, omnibus gratus et charus, qui tandem valetudine correptus, hujus peregrinæ vitæ clauserat tempus. ℣. Cujus sacrum corpusculum in loco destinato commendatum poscentibus præbet optatum beneficium. Qui tandem. IN MATUTIN. [ac] LAUDIBUS. Culmen honorificum, *et sequuntur versus duodecim ex carmine Fortunati deprompti. Subditur deinde* IN EUANGELIO ANTIPH. Sanctissimus præsul Magnericus filios in Christo generatos euangelicis dictis studebat reddere cautos, sæpius taliter exhortando eos : Videte, vigilate, et orate, ne, cum venerit Dominus repente, inveniat vos dormientes.

F

qui habet nonam lectionem in Officio Trevirensi anni 1645.

8 ALIA ANTIPH. Exaudi pastor æterne voces ad te clamantium per gratum tibi antistitem Magnericum, et cujus nos voluisti patrociniis gubernari in terris, ipsius meritis redemptas oves inseras paradisiacis pascuis. *In Lectionario de Sanctis quibusdam ecclesiæ Trevirensis, anno* 1645 *typis edito, habet* S. Magnericus *lectionem nonam propriam; in qua potissimum agitur de templis ab illo constructis, et vigilantia episcopali; at perperam in ea asseritur,* ad episcopale munus gerendum, gradum post Rusticum fecisse. *Atque hæc quidem sunt, quæ circa Officium sacrum Sancto proprium dicenda putavimus.*

Observanda quædam proponuntur circa natales, educationem, vitæ professionem.

9 *De natalibus nihil prodidit biographus noster; nihil, quod sciamus, S. Gregorius Turonensis, nihil Fortunatus : nec alio recurrendum scimus ad antiquos, ut certi aliquid circa illos doceamur. Saussayus ac Sammarthani Sanctum* ex nobilissimi senatoris Tetradii *genere editum esse volunt; adduntque Sammarthani, id* tradere veteres fastos ecclesiæ. *Si vel fastos istos produxissent, vel inpromptu nobis esset eosdem inspicere, ac videre, cujus temporis ac notæ indicia præferant; fidem fortasse qualemqualem suo asserto conciliarent : cui nos tunc habebimus fidem,*

quando

AUCTORE J. P.

quando illud ex idonea auctoritate stabilitum viderimus. Reliqua item, quæ sive parentes, sive incuntem Sancti ætatem, sive primam ejus educationem spectant, incomperta habemus; nisi quod S. Nicetius, teste biographo num. I, ecclesiastica instruendum eruditione sibi *eum* delegerat. *Bucelinus inter omnes, quos ego quidem viderim, menologos Benedictinos exotice singularis est, dum Sanctus apud ipsum in elogio dicitur* monachum in cœnobio Lemovicensi professus. *De ætate autem, qua floruit, certiora suppetunt documenta.*

et ætatem, qua vivere destiit.

10 *Floruisse Sanctum medio seculo sexto, et illo exeunte obiisse, extra controversiam est. Audiatur Browerus ad annum* 596, *num.* 91. Ad hoc etiam, *inquit,* vixisse temporis Magnericum episcopum, apud antiquum scriptorem Epternacensem *(Theodoricus indicatur ad marginem lib.* 2*)* reperio. Et sane eodem hoc anno vel summum insequenti decessisse, postulat annalium series. *Cratepolius citatus assignat annum circiter* 594; *sed* B *puto ibi eum signare voluisse tempus S. Gaugerici, de quo ibi agit, male posito nomine* Magnerici *pro* Gaugerico, *qui apud ipsum minus recte scribitur* Gangericus. *Nec repugnat Cointius dum ad istum annum* 597 *affirmat,* pervenisse ad hæc tempora Magnericum. *Bucelinus jam memoratus aliquantulum anticipans tempus mortis,* mortuum esse sub annum Christi DXC *statuit. Florarium vero nostrum Ms. plus æquo illud differt, dum affirmat,* quievisse in Domino anno salutis DCXVIII.

ac vivere cœpit.

11 *Jam vero quoniam ex fide nostri biographi num.* 53 cum jam provectæ esset ætatis, vitæ suæ terminum... sortitur; *videntur satis convenienter vitæ ipsius primordia revocari posse ad annum circiter* 520, *universæque vitæ summa extendi ad annos* 76 *aut* 77 *ætatis. Proinde ex dictis mendosum omnino censemus, quod in notationibus ad Martyrologium Romanum dicitur;* vixisse *utpote* circa annum Domini DV. *Eodem errore lapsus est Ferrarius in nova Topographia ad vocem* Treviri, *dum sancto Archiepiscopo accommodat eumdem annum* 505. *Atque hæc quidem circa Sancti ætatem dicta, quasi semina sunt, et quorum jactu exsurgere poterit et ordinari paulo inferius vitæ chronotaxis; ubi nonnulla antea præmiserimus, quibus alia rerum ab ipso gestarum adjuncta* C *elucidabuntur.*

§ II. Viri dignitate et vitæ integritate spectabiles, Sancto synchroni.

Dilucidantur ea, quæ biographus habet de imperatoribus Sancto synchronis.

Viros illustres non tantum Sancti ætati, sed ipsius etiam episcopatui synchronos, enumerat scriptor Vitæ num. 9. *Hanc* ecclesiam, *inquit,* strenuissime rexit, temporibus scilicet Justini, Tiberii, Mauricii imperatorum. *Justinus junior imperasse signatur ab anno* 566 *usque ad* 578, *juxta Labbeum in Compendio chronologico; cujus proinde imperii exordia cum episcopatu S. Rustici, juxta dicenda inferius, finis autem cum* S. Magnerici *regimine episcopali concurrunt. Justinum excepit Tiberius Constantinus ab anno* 578 *usque ad* 582; *hunc vero Mauritius ab anno* 582 *usque ad* 601; *atque adeo cum sanctus noster Præsul sedere cœperit anno Christi* 573 *juxta nostram chronotaxin; et ipsius* D *sedis et istorum imperii tempora, a biographo conjuncta, recte inter se cohærent. Videamus porro, an idem affirmari queat de aliis personis, quas mox nobis enumerare pergit.*

Pontificibus Romanis, regibusque Francorum,

13 *Et* Vigilii *quidem,* Pelagii, Gregorii Pontificum Romanorum *tempora prædicto episcopatui innectit. Vigilio anno* 555 *successit Pelagius I, mortuus* 559, *ac proinde horum et istius tempora combinari neutiquam possunt. Aliud statue de Pelagio II, qui sedit ab anno* 577 *usque ad* 590, *ejusque successore S. Gregorio ab anno* 590 *usque ad* 604, *quæ in nostro casu recte cohærent. Transit deinde idem auctor ad nomina* regum Hilperici, Guntramni, Childeberti, sceptra regentium Francorum. *Notissima est regni Francorum post obitum Clotharii I inter quatuor ejus filios monarchiæ totius partitio, quam ex parte hic tangit biographus, et in qua Chariberto natu majori Parisiense; Guntramno Aurelianense seu Burgundicum; Chilperico Suessionense;* E *Sigeberto autem natu omnium minimo Mediomatricense seu Austrasiense regnum obtigit; devoluto postmodum ad Childebertum, hujus postremi filium, Austrasiensi una regno ac Burgundico.*

quos recenset.

14 *Ac Charibertum quidem recte prætermisit auctor: nam sive is obierit anno* 570 *juxta Labbeum mox laudatum; sive potius et verius anno* 567 *juxta Cointium (quem annum contra Sigebertum probat esse tenendum) suffragante etiam Pagio; annus neuter cum sede* Magnerici *concurrit. Sigebertus rex itidem hic præteritus, eidem congruit, mortuus anno* 575. *In Chilperico ac Guntramno res clara est; illo quidem ad annum* 584; *hoc autem ad annum* 593 *e vitâ ereptis. Nec ulla de Childeberto subesse potest controversia, anno* 596 *vita functo, relictis regni sui heredibus filiis, Theodeberto quidem Austrasiæ, Theoderico autem Burgundiæ regibus; quorum primum* S. Magnericus *sacro de fonte suscepit, ac nomen Theodeberti ei indidit, uti narrat biographus num.* II; *et diu ante ipsum S. Gregorius Turonensis; sicut inferius ex ipso dicetur. At præter hos viros sacra et profana dignitate illustres, alios itidem nobis commemorat idem Vitæ scriptor, loco ac tempore sancto nostro Antistiti conjunctos. Demus ipsius verba:* F

Quibus addis SS. Wolfilaicum,

15 In hujus quoque Sacerdotis temporibus quemdam ex Italia virum Dei, *(Wolfilaicum)* summæ sanctitatis gratia præditum, in ejus diœcesi novimus conversatum; aliosque quam plurimos servos Dei, Paulum, Ingobertum, Disibodum, Wandalinum, Vosago in ejus episcopio comperimus militasse..... Tunc etiam quidam vir Dei Carileffus vitam illic eremiticam duxit. Tunc quoque famosus ille ex Hibernia Columbanus cum suo Gallo: *ubi paucis facta ipsius nonnulla commemorat; ita prosequens in rem nostram:* Sed et in confiniis ejusdem Vosagi, quæ Trevericæ adjacent civitati, aliqui ex ipsa urbe vasta,.. eremi.. expetentes secretum, illic et arduam vitam ducebant. Ex quibus venerabilis quidam ex eadem urbe presbyter Bantus.... necnon alter, ejusdem germanus, nihilominus presbyter.. Beatus... sanctitate clarus; *de quorum in dicta urbe reliquiis ac signis, nec non de beneficio sibimetipsi collata etiam meminit.* Wolfilaicus *supra dictus inscribitur fastis Benedictinis apud Wion, Dorganium, Menardum die* XXI *Octobris, sub nomine* S. Wulfi conversi; *sed diaconum vocat S. Gregorius Turonensis*

AUCTORE J. P.

A *ronensis historiæ Francorum lib.* 8, *cap.* 15 : *ubi mirabilia ejus gesta ex ore ipsius narrat ; quæ haud dubie præluxerunt biographo nostro a num.* 35

Paulum, Ingobertum, Carilefum,

16 *De eo etiam agit Mabillonius in Annal. Benedict., ad annum Christi* 572 ; *sed Vitam ejus inter Acta Benedictina tunc non reperimus. Interim quidquid ad illum spectat, expendi poterit ad proximo tomo* VII *Julii, pag.* 478 *et* 864, S. Paulus *ille a biographo nominatus , est episcopus Virdunensis, qui habetur in Martyrologio Romano ad diem* VIII *Februarii, quo Acta ipsius a nobis illustrata sunt. Et vero ex apposita ibi nota temporis* circ. annum DCXLIX, *nihil obstat, quo minus Vosagum incoluerit sub episcopatu* S. Magnerici, *ponamus anno circiter* 590, *ætatis forte* 20. Ingobertus *et* Carilefus *laudantur a Browero ad annum Christi* 587 *his verbis :* Sub idem quoque tempus Carilephus et Ingobertus. . . vastam Vogesi montis eremum insederunt. Ceterum abducunt longius, qui Aninsulam monstrant, Carileffi sedem in Treviris, cum diversus *sit* hic ab illo Ce-

B nomannorum ditionis . . . Carilepho, cujus memoria Julii Kalendas occupat; *quemque tum ex rescripto Nicolai PP., tum ex Actis a priore isto synonymo distinguit; cujus Acta illustravimus ad dictas Kalendas Julii.*

Disibodum.

17 Disibodum *dedimus die* VIII *Julii ; is si idem est cum eo, quem auctor nostræ Vitæ superius nobis recenset (et vero alium non novimus) illius epocha, annus utique* 648, *a nobis ipsa assignata, cum tempore episcopatus* S. Magnerici *non consentit ; non magis quam chronotaxis Vitæ, in Commentario prævio num.* 23 *ibidem ordinata. Variæ interim circa Sancti istius ætatem sententiæ illic proferuntur a num.* 17. *Neque etiam consentit locus :* Disibodus *enim ille ad diœcesim Moguntinam spectat, seu comitatum Spanheimensem, uti pluribus e Trithemio ibidem diximus pag.* 581. *Itaque, cum ætas verosimilius, et ipsa etiam loca certo differant,* Disibodum , *a biographo supra designatum cum episcopatu* S. Magnerici *et Vasago ne conjungas ; vel alium quemdam synonymum, qui utrobique conjungi possit, nobis reperi ; cui et dictus Sancti nostri episcopatus, et locus, de quo hic quæritur, congrue accommodari possint : sin minus ; ob duas hasce causas* Disibodum *alio spectare contendimus, cum adjunctis non suis huc ab auctore Vitæ perperam*

C *intrusum.*

Wandalinum

18 Wandalinus , Wandelenus , *seu* Vandelinus *ad solum Trevirense spectat. Huic, inquit Browerus ad annum* 637 , ex longinquo se intulerat magno pietatis ardore , sed fama mirandis editis operibus illustriore , S. Wandalinus, origine Scotus , et regia , quod famæ datur , stirpe procreatus. Hunc et patriæ cælestis amore, et soli natalis fastidio, ut quod Christi desiderio postponeret, in illam ferunt Trevirorum regionem delatum , quam Westerreichum seu Occidentale regnum appellamus ; ibi viro nobili, præclaro studio vincendi sui, operam locasse pascendis fuibus, oblitumque generis ac natalium , haud gravate personam induisse subulci ; *variisque virtutibus insignem, Theologiensis monasterii disciplinam amplexum esse.* Quapropter divinæ placuisse bonitati, nomen famamque Viri maxima ad posteritatis memoriam claritate splendescere, oppidumque super sepulchrum ejus atque ædem, exstructum, Divi nomine venerandum, ad hoc usque tempus conservare : nam S. Wendelini oppidum posteritas nuncupavit , paretque Trevirorum pontifici , cujus etiamnum ditioni subjacet. *Paucisque interjectis de factis ibidem loci quondam miraculis, et religioso ad illum populi concursu, addit,* decessisse S. Wandalinum mensis Octobris die XXI ; elevatum humo corpus ejus V Julii, *anno incerto.*

etiam commemorans, alibi quoque notum;

19 *Eodem die* XXI *Octobris eum Usuardo suo addidit Molanus. Wion , Dorganius , Menardus notant ipsum die* XX *istius mensis cum titulo abbatis ; quo et illum Mabillonius inferuit Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, qui Actorum Benedictinorum seculo* 2 *præmittitur. Wion perperam asserit, eum haberi apud Molanum die* XX *Octobris , uti liquet ex annotationibus ejus ad istum diem. Verum hæc et alia , quæ ad hunc Sanctum spectant, alias tractari poterunt. Obiter hic interea observasse sit satis, quod, Mabillonio teste in laudatis Annalibus ad annum* 623, *cui primordia monasterii Theologiensis innectit, existimetur a nonnullis S. Wandalinus dicti monasterii primus fuisse abbas. Sed nos ad reliquos, quos auctor noster recenset, viros pro-* E *grediamur.*

item Columbanum cum discipulo suo Gallo : Bantum denique ac Beatum :

20 S. Columbani , *quem subjungit, Vitam edidit Mabillonius Act. Benedict. sec.* 2, *a pag.* 5, *Floruit exeunte seculo sexto et ineunte septimo. In Vita S. Galli, discipuli sui, statim laudanda, sic dicitur in rem nostram de S. Columbano :* Eremum, quæ Vosagus dicitur, cum suis intravit. *Plura de ipso dicentur apud nos ad diem* XXI *Novembris. Sequitur apud biographum* S. Gallus ; *cujus Vita habetur apud Mabillonium Act. Bened. seculo* 2, *a pag.* 230. *Colitur* XVI *Octobris.* Banti *seu* Bantonis *nomen signatur in additionibus ad Usuardum die* XXXI *Julii ;* Beati *autem, die* XXVI *ejusdem mensis, uti videre est in auctariis una cum textu istius Martyrologi a nobis editis. Quæ de utroque inveniri poterunt, eo remittimus. Sed hæc omnia, quæ de viris dignitate et sanctitate Sancto nostro synchronis diffuse congessit biographus, tametsi tam cum ipso, quam cum rerum gestarum serie, parum affinitatis habeant, hoc modo elucidanda putavimus ; eumdem per longas ambages exspatiantem secuti ; qui longe melius fecisset, si missis hisce circuitionibus ac parer-* F *gis, viam rectam præ obliqua tenuisset, legendo presse vestigia, quæ noster Sanctus observanda reliquerat ; non autem quæ Sancti alii, alio spectantes. Magis nostra interest, dispicere quisnam* S. Magnerico *in cathedra Trevirensi decessor ac successor statui debeat ; quod paragrapho proximo discutiemus.*

§ III. S. Magnerici in archiepiscopatu decessor ac successor ; loca sacra ab ipso condita vel restaurata.

Sancti in episcopatu decessor passim cum biographo traditur fuisse S. Nicetius:

Decedente, *inquit noster scriptor Vitæ num.* I, apud urbem Trevericam viro sanctissimo Nicetio , ejusdem urbis episcopo , successit in episcopatum Magnericus. *Successionem hanc non invenio apud Gregorium Turonensem : nam lib.* 8, *cap.* 37 *historiæ Francorum ; item lib.* 9 , *cap.* 10 *et* 12 *de Trevirensi nostro antistite* Magnerico *quidem meminit ; at cui successerit, non dicit.*

AUCTORE J. P.

dicit. Et vero in laudata historia lib. 10, *cap.* 29; *libro de gloria Confessorum cap.* 94, *nec non in Vitis Patrum cap.* 17, *agit quidem de S. Nicetio, sed quem in sede Trevirensi successorem reliquerit, nullus meminit. Ei successisse* S. Magnericum, *sentiunt recentiores, nimirum Cratepolius, Saussayus, Sammarthani et Cointius, ut Grevenum non memorem; cujus verba habes supra; rectene an perperam id statuant, hoc a nobis loco discutiendum est. Habent enimvero hujus communis sententiæ patroni suffragantem sibi clarissimis terminis Venantium Fortunatum, omni certe exceptione majorem, utpote qui tum vixit, in supra citato carmine illud affirmantem.*

quem Browerus, multum hic fidei meritus,

22 *Unus unicus, quantum scimus, isti sententiæ refragatur Browerus, diligens certe antiquitatum Trevirensium scrutator et illustrator; quas* magno labore et studio peragrata provincia Trevirensi, excussisque omnibus archivis collegit, *sicut refertur in Bibliotheca scriptorum e Societate nostra: ut eo titulo magni faciendus videatur præ aliis, quod rerum, personarum ac*
B *temporum antecessiones, progressiones ac consecutiones combinare potuit ac debuit tum ex instituto, quod sibi præfixit, tum ex antiquis documentis, quæ ad manum habuit. Potuit item ac debuit suis singula calculis aptare chronologicis, acutiuscule hic videns, ac fidei plusculum meritus, quam desultorii encomiastæ nonnulli, qui non raro vel aliena describunt, vel textus delibant ac mutilant, vel antecedentia cum consequentibus non satis connectunt; ita ut eorum Catalogis non plus sit fidei dandum, quam quatenus antiquiorum scriptorum idonea auctoritate nituntur. Facere itaque non possumus quin Browerum, seu Broweri potius rationes et ex propriis quidem ipsiusmet verbis proponamus. Ad annum ergo* 564 *sic ratiocinatur:* Ei *(S. Nicetio)* licet vulgo successorem suggerant Magnericum; nos tamen, *inquit*, constanti hac freti rataque serie temporum, nudis sine ratione pontificum indicibus assentiri non possumus: quare et Magnerico Rusticum anteferre in præsentia placuit.

tenet exstitisse S. Rusticum,

C 23 Quippe Nicetium ab Theodorico primo Austrasiorum rege, ad Sigebertum usque ecclesiam hanc rexisse, clarissimum est. Inde vero peræque testatum, Rustici totum pontificatum annos percurrere Sigeberti regis. Quare nec ab ejus regni ætate divelli potest; cum præsertim Magnericus sederit diutius, quam ut Rusticum inter et Nicetium possit interjici: et tamen cum Sigeberto rege jungi Rusticus debeat, ni turbatam prorsus et ipsius velimus, et universam B. Goaris presbyteri memoriam. Habemus forte, quo fidem morentur historiæ, qui Venantium Fortunatum meminerint, facere Magnericum Nicetii magistri successorem; cui quidem, fateor, subscribit etiam Eberwinus abbas, Nicetio Magnericum in istius vitæ memoria subrogans. Quam vellem de Magnerici episcopatus ortu progressuque scripsisset uberius vir ille; quippe temporibus iis, quibus nos, propinquior. Sed cum ipse nihil admodum memorabile promat, quod non ad Gregorium Turonicum, et alios ipso vetustiores revocari queat, legem ab eo nobis imponi haud patimur.

solutis iis, quæ ex Fortunato objici possunt,

24 Quod itaque Fortunatus Magnericum Nicetio jungit, id ita capias licet, ut usurpato sermonis genere, etiam intervallo secutum idcirco non negaverit: nam discipulum, atque ex ipsius Nicetii scola profectum, serius etiam ad summum id pervenisse fastigium, quid vetat? Jam, si verum est, quod provinciales tradunt historiæ, Rusticum, abdicato sacerdotio, septem ipsos annos inclusum, contractam pœnitentia eluisse maculam; negari iterum non potest, ejus episcopatum, sive ab ipso statim Magnerico, seu quo alio episcopo provinciali administratum, et ob eam ipsam labem admissi dedecoris, in obscuro fuisse; atque ita recte etiam Nicetio Magnericum, Rustico præterito, publice dari successorem. Quamquam vivo Rustico, quemquam Treviris (nam post 7 annos Goar iterum postulatus *est, uti notat hic Browerus ad marginem)* episcopum electum, diserte negat Wandelbertus. Et vero Gregorius, qui Magnerico et amicitia fuit, et omni humanitatis officio conjunctus, demum post Sigeberti tempora, sub filiis ejus, Magnerici celebratissimi tum in Austrasia, res gestas orditur. D

Broweri sententiæ

25 *Hanc itaque successionis rationem, a laudato Browero recte stabilitam, et cum contrario, quantum prima fronte apparet, Fortunato satis probabili et verisimili expositione conciliatam omnino amplectendam putamus, ut quæ* E *videatur cum serie personarum, temporis ac rerum gestarum congruentius cohærere, enumerando videlicet hos Archiepiscopos Trevirenses eodem successionis ordine, quo collocantur in laudati auctoris Indice chronologico, qui post tomum* 2 *Annalium Trevirensium exhibetur. Notantur autem sic:* DXXXII S. Nicetius. DLXIV S. Rusticus. DLXXIII S. Magnericus. *Hunc sequitur non notato anno* Gundericus. DC Severinus. DCXVIII Sebaudus *vel* Sabaudus *etc. Quandoquidem vero tota præsentis controversiæ difficultas unice versatur in successione S. Rustici, atque hic in S. Goaris Vita, producta apud nos die* VI *Julii, a pag.* 333, *partem bene magnam agit; consulenda omnino sunt, quæ ibidem diximus in Commentario isti Vitæ prævio a pag.* 327, *de ejusdem sancti Goaris ætate.*

et nos subscribimus.

26 *Et deinde pag.* 328 *puncta quædam illi et S. Rustico communia suis calculis chronologicis innectuntur; ibique denuo Broweri chronotaxis potior præ aliis visa nobis fuit. De S. Goare,* F *instantissimis Sigeberti regis conatibus, sed frustra, ad cathedram Trevirensem loco Rustici arcessito, quod supra obiter tangebatur, agitur in Vita cap.* 2. *Verum de S. Rustici historia, factisque cum ea connexis agi poterit pluribus die ipsi sacro* XIV *Octobris, et dispici a successoribus nostris, an melior quædam successionis temporisque ratio inveniri queat, quam illa, quæ tum loco citato alias, tum hic a nobis profertur. Interea temporis affatim sufficiunt ea, quæ hic occasione successionis* S. Magnerici *digessimus; ex quibus concludimus, eum non S. Nicetio, sed S. Rustico immediate substitutum esse. At quid de* S. Magnerici *in sede archiepiscopali successore? Quamquam juxta dicta ex Browero jam nunc intelligi possit, quod is non fuerit S. Gaugericus; paulo tamen pluribus punctum hoc dilucidandum suscipimus.*

S. Magnerico non successit S. Gaugericus, Cameracensis ep.

27 *Gesta Treverarum, postmodum citanda, sic habent:* Successit *Magnerico* Gangericus, discipulus ejus, qui in castro Trebirorum Evosio fuerat educatus. *Historia Trevirensis, de qua infra, iisdem pene verbis Gaugericum ei substituit.* S. Gangericus *(Gaugericus)* cum esset Cameracensis ordinatus episcopus, *inquit Cratepolius*, mortuo suo magistro, ad Trevericam

A cam quoque ecclesiam admovetur, et dignus, qui utrique præesset, habitus est. *Sammarthani in Archiep. Trev. eumdem* S. Magnerico *substituunt; at in tenebris palpant, tam quando subdunt*, quem episcopatum Cameracensem aliqui administrasse scribunt; *quam quando agentes de Præsulibus istius sedis, dato ipsi, prout debebant, inter illos loco, subnectunt ista:* Obiit anno DXCIV, episcopatu functus annis undequadraginta. *At enim ex Vita* S. Magnerici *num.* 13, *quando is jam erat episcopus, ac proinde non ante annum circiter* 573, *S. Gaugericus tunc erat* puerulus, *seu adolescentulus. Quomodo ergo substat annus mortis* 594 *cum annis* 39 *episcopatus? Quomodo iterum annus iste mortis cum successione in locum* S. Magnerici, *quasi tunc vita et officio functus fuisset; quo anno juxta dicta nondum* S. Magnericus *scitur e vita discessisse. Cointius ad annum* 597, hallucinantur, *inquit*, qui S. Magnerico Gundericum seu Gaugericum sufficiunt ex episcopo Cameracensi. Quis enim B veterum scripsit, S. Gaugericum relicta sede Cameracensi ad Trevirensem migrasse? *Plura Browerus ad annum* 596, *a num.* 92; *ubi satis solide variis argumentis sæpe dictam successionem evertit, et Gundericum, de quo supra, a Gaugerico distinguendum probat. At materiem hanc, nunc etiamnum nimis præcocem, paucis delibasse sufficiat, ex instituto discutiendam die* XI *Augusti, quo sacris tabulis inscribitur S. Gaugericus. Ejus interim ordinationem ad an* 580; *mortem vero ad an. circiter* 619 *nova Galliæ Christianæ editio tom.* 3, *pag.* 5 *extendit; at juxta dicta, an sic satis?*

Loca sacra referente biographo a Sancto condita vel restaurata

28 *Nunc juverit explanasse loca sacra a Sancto nostro condita vel instaurata.* Hic, *teste biographo num.* 52, quoniam maxime erga patrocinium S. Martini semper devotus exstitit, nonnullas in episcopio suo ecclesias in ejus honore construxit atque sacravit... Ex quibus illam esse præcipuam constat, in qua ipse corpore requiescit. Alteram in monte, in pago Vabrensi, quam B. Martini reliquiis illustravit. Tertiam in villa, quæ Casta domus dicitur, quam suæ ditionis et proprietatis esse, majorum, *inquit*, relatu didicimus. *Ecclesiam primo loco breviter ab isto scriptore recensitam elucidat ad annum* 587, *num.* 74 *Browerus, sic scribens:* Ac primum quidem propter amnem Mosellam, qua respicit Occidentem civitas, ædem sanctæ Crucis, quondam a Tetradio senatore, Martino adhuc tum superstite, locatam; C jam vero seu communis urbis excidio seu vetustate collapsam, liberali sumptu restauravit; ibique monasterium, B. Martini honori, loco prorsus amœno condidit, adductis e disciplina S. Benedicti, viris religione præstantibus: quibus et opulenta subsidia ad tolerandam vitam benigne præbuit, et Isingerum, vel, ut alii malunt, Ingerum abbatem præposuit. *Sed de isto loco uberius infra.*

elucidantur

29 Mox etiam aliud, *ut pergit Browerus*, in monte Martio, qui Orientem versus, campum Martium olim inclusit, templum B. Martino construxit; quod temporum injuria tamen jam prorsus excidit. Novissimum Caradoni, perveteri Romanorum castello, eidem Divo templum consecravit. Ceterum, quod in Vabrensi pago, hoc munificentiæ genus eidem veteres tribuunt, id luce clarioris explicationis indiget. Etenim Ursio et Berthefredus conjurati, cum a Childeberti exercitu ad pœnam quærerentur, ipsi in Trevirorum fines seu pagum Vabrensem elapsi fuga, se, uxores, liberos, familiam et fortunas in basilicam S. Martini incluserunt. Erat autem illa basilica recens exstructa apud villam Vabrensem in ardui montis fastigio; ubi antiquitus castrum stetisse; quod non cura, sed natura munitum fuisse, suo tempore meminit Gregorius Turonicus; ut et basilicam illam, a Childeberto rege conditam, innuere videtur. Equidem Wulfilaicum diaconum mansionibus additis exposuisse, Magnericum fundis additis dedicasse, tradiderim. Nam montem hunc octo millibus passuum abfuisse Ivodio seu Eposio castro, Gregorius scribit; atque in hoc monte a Wulfilaico ædificatum monasterium seu habitaculum clericorum, quibuscum vixit.

AUCTORE J. P.

ex Browero.

30 Basilicæ vero dotes fuisse prodit, ut Franci eam religiose frequentantes sanitatem D. Martini patrocinio recuperarent, perjuri non multi jusjurandum ibi violarent.... Ceterum hunc pagum *Vabrensem* districtus olim fuisse Treverici, multa veterum monumenta perspicue contestantur. Ipse quippe Gregorius S. Wulfilaicum repetit territorium urbis Trevericæ expetiisse; et in monte, qui prope aberat Ivodio, domicilium sibi apud basilicum S. Martini collocasse. E Ivodium autem.... in potestate olim fuit Trevirensis ecclesiæ, a qua comites Chiniacenses loci dominium adepti, in multos inde annos retinuerunt... Excurrisse *pagum Vabrensem* ab Evodio Chiniacum in vallem usque Alisontiam seu Marischanam liquido constat; cum veteres tabulæ donationum, quando apud Lutzeburgum Marischium sive Merchium exprimunt, id in pago Vabrense situm confirmant. Ad hæc loca, quæ velut triangulo Marvillæ, Montmedio et Virtono circumjacent, non dubitem contribui Vabrensi territorio. Nam Juveniacum, ubi hodieque Trevericæ Christianitatis sedes est, præclarum habet nobilium virginum Ordinis S. Benedicti monasterium; id quod jam inde a Caroli Calvi ætate in pago Vabrense conditum traditur, quando isthuc Richildis augustæ ope studioque, S. Scholasticæ, sororis D. Benedicti corpus ex Cenomannis importatum est. *De isto corpore jam pridem egimus die* X *Februarii a pag.* 397; *at nihil tunc decisum: die autem* XXI *Martii datur translatio ad Cenomanos: hanc inde ad Vabrenses qui asserit, illius est eam probare: de qua nos nihil plane scimus.* F

§ IV. Ulterior locorum istorum elucidatio; monasterii S. Martini Trevirensis vicissitudines.

Monasterii Martiniani situs ex Bruschio; qui uti et Cratepolim,

Bruschius *in Monasteriis Germaniæ fol.* 121 *verso laudatum S. Martini cœnobium describens, locique situm distinctissime determinans*, extra et intra, hoc est, ad ipsos muros urbis *Trevirensis* infra saxeum pontem vetustissimum, in dextra Mosellæ fluminis *illud collocat. Qua vero occasione e privata Tetradii domo in ædem sacram, anno, ut vult, circiter* 406 *ab ipso S. Martino Turonensium episcopo commutata sit, exponit his verbis*: Cum enim, *ait*, Treverim is venisset, et Tetradii consulis servum ibi malo spiritu correptum, a dæmonio liberasset, consul, ut pro præstito sibi beneficio gratus, S. Martino domum suam dono dedit, hac lege, ut Vir Dei ex ipsa oratorium et domum precationum sanctæ Cruci dicatam faceret... Postea vero hanc ipsam precationum et disciplinæ domum

AUCTORE J. P.

domum barbarorum crebris in Galliam Belgicam et Germaniam irruptionibus desolatam et plane collapsam auxit circa annum Christi DXXVI... Trevirorum episcopus Magnericus.

circa ejusdem exordia corrigitur.

32 *Sed ille ex dictis, jam a viginti facile annis tunc erat mortuus, ac proinde corrigi debet Bruschius, uti et Cratepolius, qui ex eo haud dubie eamdem hanc historiam transcripsit, et inseruit elogio* S. Magnerici *citato : certe eam, quam ex Browero mox retulimus, restaurationem, sine parachronismo .ipse alligat anno Christi* 587. *Erunt insuper, qui in conjuncto supra cum vita S. Martini anno circiter* 406, *aliquid in Bruschio majoris accurationis requirent : nam Sanctus ille juxta cardinalem Baronium in Annalibus, et Cardinalem Bona Rerum liturgicarum lib.* I, *cap.* II, *vitam clausit anno* 402 : *juxta Labbeum vero in Bibliotheca chronologica anno* 400 : *quem item ex S. Gregorii Turonensis libro* I *de Miraculis S. Martini cap.* 32, *colligit Ruinartius in* B *novissima sua operum S. Gregorii editione, in notatis ad istum locum. Cointius de dicta morte operose inquirit ad annum* 498 ; *quam decidere controversiam non est hujus loci ; erit porro die* XI *Novembris.*

Disseritur de ecclesiis a Sancto constructis aut instauratis;

33 *Sed nos ad ecclosias a* S. Magnerico *conditas vel restauratas revertamur. Historia Trevirensis, quæ est in Spicilegio Dacheriano, tomo* 2, *editionis anni* 1723. *col.* 212 *tres dumtaxat memorat cum laudato nostro biographo. Gesta autem Treverorum, inter Accessiones historicas anno* 1698 *a Leibnitio Lipsiæ edita ex auctore, uti dicitur in præfatione ad lectorem, qui vixit seculo duodecimo, quatuor, quot nobis supra assignabat Browerus, ecclesias commemorant cap.* 37. *Prima, secunda et quarta satis intelliguntur non differre ab iis, quas biographus nominabat.* Tertiam, *quam ponit* in monte Jurano, qui ex nomine S. Martini dicitur, *si diversa sit ab ea, quam Browerus collocabat* in monte Martio, *nec alibi sub isto nomine eam reperio ; nec an et ubi in monte Jurano sita fuerit, determinare promptum habeo. Notissimus porro est mons Jura, Sequanos ab Helvetis discludens ; verum* C *circa assertam ibidem ecclesiam auctor seculi demum duodecimi valeat, quantum valere potest.*

ac datur notitia major monasterii Martiniani,

34 *Sed quandoquidem inter ecclesias a* S. Magnerico *conditas vel restauratas,* illam esse præcipuam constat, *sicut recte dicit auctor Vitæ numero citato* 52, in qua ipse corpore quiescit, *Trevirensem videlicet S. Martino sacram cum adjuncto ipsius opera Benedictinorum monasterio ; dabit nobis hanc veniam lector, ut, quæ dicenda supersunt circa ulteriorem ejusdem loci notitiam, non prætermittamus, sed subjiciamus ea, quæ tum ex Mss. tum ex impressis documentis congerere potuimus.* Locus ille, *inquit biographus num.* 55, semper sub abbatibus erat ; quia ibi, ut in aliis præcipuis urbis ecclesiis, statio, sedes et domus erat Pontificis. *Qua id causa contigerit, non inepte conjectat Browerus lib.* 7 *Annalium Trev., num.* 10 *in fine, his verbis usus :* Si in historia opinari licet, palatium, quod hodie Pontificem in urbe domicilium est, opere structuraque Romana antiquissimum, Dagobertum inhabitasse crediderim, episcopis tum ad D. Martini juxta Mosellæ ripam vel prope Basilicam S. Helenæ in curia sedentibus. *At pergamus denuo ad biographum numero eodem* 55 *sic loquentem :*

35 Ecclesia autem illa longo ante tempore cum D senio esset lapsa, et vastatione Normannica cum ipsa civitate succensa, a Radbodo Trevirensi episcopo, Reginoni abbati.... est commissa, et ab eo in pristinum statum reparata. *Rem gestam illigat Browerus anno Christi* 898 ; *unde breviter num.* 42 *ita illustrari illa potest :* Post hæc Radbodus monasteria Treviris, igni aliaque clade vastata, restituere intentiore cura perrexit ; atque in his D. Martini ædem instauravit, opera ad id usus Reginonis abbatis, quem ipse monasterio ob spectatam vitæ probitatem post Normannorum incursionem, primum rectorem dederat ; locumque, quod jam inde a D. Magnerici tempore usu venerat, non a profanis hominibus, sed a religiosis in posterum administrari voluit. *De hac vastatione Normannica agit Browerus ad annum* 883 ; *apud quem notatur laudatus Ratbodus ab anno Christi* 884 *cœpisse : anno autem* 918 *sedere desiisse : sub quorum intercapedine dantur ejus gesta et elogia. At quis ille* E Regino abbas*? Illi certe cum biographus vagum et indeterminatum idiotismum addat,* ecclesiam *sancti Martini sæpe dictam* religioso cuidam et ecclesiastico viro esse commissam, et ab eo præstinum statum reparatam ; *alibi quærendus est iste vir.*

et restaurati cum ejusdem ecclesia abbatis.

36 *Bruchius antea citatus catalogum exhibet istius loci abbatum, etsi, ut fatetur, aliquibus locis mancum ; in quo sic loquitur :* Regino . . . abbas præfuit circa annos Domini DCCCLXXXVIII constitutus post Nordmannicam vastationem a Rathbodone, Archiepiscopo Trevirensi, tertio fundatore. Sed nec de isto quidquam amplius litteris mandatum reperitur. *Quæ ille perquam jejune aliunde supplenda. Abbas synonymus et synchronus, qui Faraberto abbati Prumiensi sublectus, gratam sui apud posteros memoriam reliquit, tum etiam Ratbodi jussu, duos de disciplina ecclesiastica libros ex diversis toto Christiano orbe conciliis concinnavit ; quos Stephanus Baluzius anno* 1671 *typis edidit, ac notis elucidavit ; abbas, inquam, iste legitur apud Browerum ad annum* 893, *num.* 28, *ubi etiam laudatur cum ab excelso ad res asperas et difficiles toleranter et humane ferendas animo ; tum quod, sicut in* E *ejus maxime scriptis elucere, ibidem dicitur, insigni prudentiæ et moderationis laude præstans fuerit ; idemne, an diversus ab abbate Martiniano Trevirensi.*

Indagatur

37 *Mabillonius eumdem esse asserit, et recte : adjuncta enim adeo multa, nomen videlicet, tempus, dignitas, eruditio, Ratbodi archiepiscopi familiaritas, non videntur cadere posse nisi in unam eamdemque personam. Adde ex biographo epitheton* ecclesiasticus, *quo haud dubie alludit ad duos de disciplina* ecclesiastica *libros ab eo editos. De illo itaque agit Mabillonius Annalium Benedict. tomo* 3 ; *ubi anno* 895, *ex Trithemio dicitur interfuisse concilio Triburiensi ; anno* 892, *electus Prumiensis abbas ; anno* 899. *abbatiam cessisse Richario, fratri Gerardi et Matfridi comitum ; creatusque fuisse abbas S. Martini Treviris, ex Browero, quem citat Mabillonius ; dicitque sepultum non in isto monasterio, sed in S. Maximini, ubi supremos forte vitæ dies exegerit. Anno* 905 *adhuc vixisse, colligitur ex ejus Chronico ; quod absolvisse anno Christi* 908, *expressis ipsiusmet verbis apud Mabillonium indicatur ad dictum annum. Quamdiu supervixerit, Mabillonio incertum ; at consulesis paulo post dicenda.*

quisnam ille fuerit.

A *cenda. Interim nos, quæ de laudato Martiniano monasterio illustranda supersunt, prosequamur.*

Variæ deinde 38 *De eo subsequentes notitias suggerit biographus* : Ex traditione B. Magnerici, abbates illius loci pontificalibus infulis utebantur, et vices pontificis ad divinum Officium tantum illo absente exsequebantur; *de qua re Browerus ad annum* 898, *num.* 42; sed, *inquit*, Comitibus prava jam tum ejus seculi licentia sacra polluentibus, et dum sibi opes pararent, posthabita cura, quid religio quidve fas posceret, statum eum non diutius monasterium retinuit; quam abbas Regino vita functus est : quo tempore bona rursus ad externos delapsa, Comitibus beneficii loco permissa sunt. *De obitu Regionis mox dicemus. Per Comites illos intelligimus Stephanum, Odoacrum, et, quos paulo ante nominavimus, Gerardum et Matfridum, regni Lotharingiæ præfectos, apud Browerum ad annum* 898, *quos Zuendeboldus, rex Lotharingiæ, ob tyrannidem sibi adversos expertus,* B *honoribus ac dignitate spoliavit, eorumdem provinciis atque comitatibus ad arbitrium in suos distributis, ac duobus monasteriis, Horreo nimirum Dagoberti Treviris, et S. Petri Metis, quæ in potestate Comitum hactenus fuerant, opulentissimis regio luxui destinatis. Qui tamen, hortante ac faciente Arnulpho, gratiæ et honoribus restituti sunt, prout ibidem exponitur.*

locum hunc 39 *Et sic quidem Browerus loci sæpe memorati vicissitudines recensere instituit, nixus sine dubio idoneis ad propositum præsens documentis, quæ alicunde ex antiquis archivis eruerit. Sed notandum est, hunc inter et scriptorem Vitæ non satis, quantum saltem prima fronte apparet, convenire in modo, quidquid sit de substantia, quo monasterii bona ad manus externorum ac secularium delapsa sint. Quæ scriptor Vitæ aliter narrat. Audi ipsum num.* 56 : Defuncto, *inquit*, Regione abbate, laicis est in beneficium data, et primum Bertoaldo, fratri Rotgeri episcopi, deinde aliis atque aliis abbatiola illa divisa. *Sed videntur illa cum superioribus satis commode conciliari, si dicas, divisionem illam mediantibus seu dantibus supra dictis Comitibus, quibus abbatiæ bona beneficii loco per-* C *missa erant, isti* primum *Bertoaldo tamquam eorum vasallo obtigisse; vel si hæc conjectura minus arridet; en tibi aliam, quam eligas, si hæc quidem præ ista magis placet. Dici etenim posset, aliquam bonorum divisionem ad Bertoaldum pervenisse, alia longe pinguiori Comitibus illis beneficii loco permissa. Atque hæc quidem explicatio satis apte cohæret cum dictis Broweri ad annum* 921, *ubi ista narrat :*

vicissitudines afflixerunt : 40 Per id etiam tempus Regione D. Martini abbate vita functo, monasterium id rursus nobilium hominum cupiditatibus patefactum, intercisa velut abbatum linea, horum in manus recidit; primusque Bertoaldus, Ruotgeri archiepiscopi frater, clientelari jure ejus loci prædia occupavit. *Porro Ruotgerus, Ratbodi successor, sedit ab anno* 918 *ad* 930, *teste Browero. Varias denique ac lugubres Martiniani monasterii scenas, nec non ecclesiæ profanationem narrare pergit biographus a numero* 57; *quæ tempora vicissitudinum nubila loco isti miserrime incubuerint per annos circiter* 60, *donec suborta versus annum* 975 *felicioris fortunæ lux affulsit, quæ diuturnas illas et loco isti perniciosas ac fatales tenebras dissipavit, prout planum fiet ex paragrapho proxime sequenti. At quinam, obsecro,* Albertus *vel* Conradus, *quorum* tempore *juxta citatum numerum* 56 *apud biographum,* cum sæpe maxima esset regnorum turbatio atque seditio, ab invasoribus sanctæ ecclesiæ episcopum omne ita prædatum est *etc? Browerus ad an.* 905, Conradus, *inquit*, Luduici regis *(Germaniæ)* frater, qui circa Fritzlariam gravissimum bellum cum Adelberto æmulo comite susceperat, filium Conradum postea Lothariensium Germaniæque regem, cum non temnenda militum manu in Treviros misit, *contra Comites D. Maximini; ubi et exponitur, quomodo eorum prædia villasque vastarit, etc.* AUCTORE J. P.

quæ distinctius aliunde 41 *At quæ scriptor Vitæ confuse de ista desolatione contexit, distinctis enarrant notitiæ Trevirensis Mss., supra citatæ, dum ita memorant* : Abbate Albrico *, ipsius loci admodum industrio viro naturæ cedenti, monachis depulsis Heinricus, qui tunc pontificabat, cuique sibi manum melius implenti quædam ex istis concessit allodiis *(quæ ibidem præmittuntur)* sicque aliquos villanos clericos inibi divinis deliberavit servitiis Quod sæpius dum esset factum, id est modo exeuntibus monachis, modo intrantibus canonicis, in hujusmodi intervallis prænotata distributa sunt bona, ut diximus, ab episcopis, quibusque avide petentibus eam Dei inimicis. Taliter enim, ut præfati sumus, iste locuples locus est annihilatus, et omnibus transeuntibus in sibilum factus. Sed cum omnipotens Deus commemoratam mutationem tam indiscretam vellet solita pietate stabiliri, nec diutius canonicos immorari, contigit tale signum quarto Nonas Julii, quod est in ipsa translatione S. Martini. E

* al. Alberico

hic narrantur. 42 Nam aurora surgente, cum quisque de latibulo suo ecclesiam intrasset, hymnosque matutinales vix somnolenter canere cœpisset, subito inter eos apparuit vir veneranda canicie, mediocris staturæ, atque episcopali baculo, quemque potenter increpans, cogebat exire. Ajebat enim ingeminans, percutiendo tardius exeuntes : Exite ignavi, Martinus monachus fuit, non canonicus. Illis ita recedentibus, alterum longa infirmitas corripuit, alterum subita mors invasit; sicque locus deinceps arbitrio monachorum subjacuit. *Hæc inde delibavimus, aliis ejusdem loci vicissitudinibus, non tamen debito temporis ordine, intermixta; quæ hic apto tempori restituimus cum Browero ac Mabillonio; quam hic ex illo historiam refert ad annum* 975, *eamdem in substantia; non tamen invenio ibi probrosa verba,* cuique sibi manum melius implenti. *Henricus vero ille sedisse notatur ab anno* 956 *usque ad* 964 *apud Browerum in citato indice chronologico; qui subdit ad eumdem annum* 975 : Inde locus ad provincialium prædam nobilium expositus, neglecto sacrorum cultu, rursus concidere, templumque, nudato tecto, pervium etiam pecoribus esse cœpit; *quæ apprime consonant cum biographo num.* 57. F

§ V.

AUCTORE J. P.

§ V. Idem monasterium ad meliorem fortunam redactum; diploma Benedicti PP. VII in ejus favorem concessum; nova adversus monachus Martinianos tempestas.

Theodoricus Trevir. ep. egregie restaurat

Tandem, *inquit noster scriptor,* miseratione summa ductus venerabilis Theodoricus episcopus *Trevirensis,* cum jam suo tempore locum auctoritate recuperasset, cuidam religioso abbati Angilberto. . . ad regendum tradidit, concessis ei nonnullis, quæ ad eumdem locum pertinent, possessionibus, scilicet ut. . . monachorum deinceps esset commoratio; nec jam in beneficium concederetur... sed Deo Sanctisque ejus serviens, episcopi non tyrannorum dominio subderetur. Qui videlicet abbas. . . modicam quidem sed honestam Deo servientium monachorum illic adunavit congregationem; B ejusque industriæ. . . episcopus congaudens, cum Romam pergeret, testamentum inde Apostolicum detulit, per quod locus ille nuper restauratus. . . sua deinceps firmitate maneret. . . ipsique monachi. . . electionem quoque haberent. *Factum istud post Browerum Mabillonius innectit prælibato anno* 975; *ac proinde contigerit sub finem vitæ laudati Theodorici, qui apud Browerum signatur præfuisse au anno* 965 *usque ad* 977 ; *quo insigni ibidem honoratur elogio.*

cœnobium S. Martini,

44 *Age vero, quantum nominato pluries monasterio et ad fortunarum securitatem præsidii, et ad religionis nitorem ornamenti contulerit dignissimus ille Trevirensium Præsul, cumulatissime liquet ex diplomate Benedicti PP. VII in gratiam ejusdem loci lato : cujus exemplar quia nec apud Laërtium Cherubinum in Bullario, nec apud Labbeum inter concilia, nec apud Browerum, nec apud Mabillonium in Annalibus suis reperio; visum est illud, tamquam venerandum antiquitatis monumentum, hic palæophilorum oculis integrum exhibere ex notitiis nostris Trevirensibus Martinianis Mss., in quibus habetur proxime post* S. Magnerici *Vitam. Sic autem illud sonat :*

C *obtento a Benedicto PP. 7*

45 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Benedictus episcopus, servus servorum Dei charissimis nobis in Christo fratribus universis episcopis, ac totius dignitatis et ordinis Catholicis viris præsentibus scilicet et futuris perpetuam salutem. Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente, beati Petri, Apostolorum principis, sacratissimam sedem pastoraleque in curam Dominici gregis ministerium suscepimus, necessarium nobis salubreque prospicimus, omnium ecclesiarum diligentissimam solicitudinem instanter habere, quatenus, nostra procurante diligentia, in sanctæ religionis augmentum, pacem, quietem et defensionem adversus omnium machinationes nostra auctoritate fine tenus possideant.

in ejus favorem

46 Unde omnium tam præsentium quam futurorum nosse volumus sanctitatem et industriam, quod Theodorico dilectissimo fratre nostro, sanctæ Treverensis ecclesiæ archiepiscopo, veniente Romam causa orationis ad beatorum Apostolorum limina, eodem narrante comperimus, D quoddam monasterium, ubi sanctus Magnericus corpore requiescit, suæ sedis sicut religione, ita quibusdam possessionibus usque in sua tempora ab inimicis Dei fuisse destitutum.

47 Quod possessionibus prioribus necessariisque omnibus renovans, ac renovatum sua suorumque comprovincialium episcoporum excommunicatione confirmans, quo sanctæ religionis status major firmiorque fieret, in eodem monachos, ut prius, Deo famulantes collocavit, præficiens eidem loco abbatem Engelburtum; cujus diligentia non solum locus possit in melius reparari, verum religio indies felicius perfectiusque augmentaretur. *diplomate,*

48 Unde quia in eodem loco laudabilis probatur monachica conversatio, ne id quod venerabilis frater noster coëpiscopus Theodoricus causa sanctæ religionis suæque salutis restauravit, per aliquam ibi succedentium archiepiscoporum seu per alicujus terreni potestatem dominii possit destrui; per hujus Apostolici nostri privilegii E atque sanctæ Romanæ synodi validissimam constitutionem placuit statuere decretum, quatinus idem abbas cunctique ejus successores in monachica conversatione inibi Deo militaturi, privilegium infularum ad vicem episcopi, quod ex traditione beati Magnerici, ut in ipsius Vita legitur, abbatibus constat institutum, perpetuo obtineant, et eumdem locum cum omnibus illic pertinentibus, videlicet ecclesiis, villis, cunctisque appendiciis absque ullius contradictione seu inquietudine cum omni pace possideant. *quod hic integrum*

49 Eo vero ex hac decedente vita, quatenus monasterio ex eadem congregatione abbas juxta regularia sancti Benedicti monita constituatur, placuit nostræ Apostolicæ sanctionis ponere decretum : quod, si ex eadem congregatione, quod absit, persona conveniens monachicis institutis minime reperitur, cum consensu archiepiscopi ex eadem diœcesi abbas monasterio præficiatur. *ex Mss.*

50 Contra hanc ergo Apostolicam constitutionem, quam abbati monasterioque statuimus, si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, et quod juste et canonice a nobis in plena synodo decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei omnipotentis et prædicti beatissimi Apostolorum Principis omniumque F Sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnatum et anathematizatum, atque divinæ iræ jaculo perpetualiter confossum, cum omnibus impiis æterno supplicio deputatum. *Trevirensibus*

51 Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam et misericordiæ plenitudinem in cælestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manus Stephani notarii et regionarii et scriniarius * sanctæ Sedis Apostolicæ, in mense Jan., Indict. III. Bene valete. Data XV Kalend. Februarii per manus Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ, anno I, Deo propitio, pontificatus Domini Benedicti sanctissimi Papæ, imperante Domino piissimo PP. * Aug. Ottone a Deo coronato magno imperatore [anno VIII] Indict. tertia. *producitur*

* scriniaris

* principe

52 *Duo alia diplomata, seu unum potius integrum, et alterius item fragmentum ab eodem Pontifice, eodem ipsius anno, eadem Indictione,* *cum nostris observationibus.*

eodemque

A *eodemque mense ac die data, eademque ad verba fere singula in sine clausula notata proferuntur a Browero ad annum* 975 ; *indidemque huc supra translatus annus octavus Ottonis (qui fuit hujus nominis II, coronatus anno* 967) *et uncinis inclusus, quem suspicor in primigenio exemplari adjectum fuisse huic diplomati, sicut adjectus notatur in binis hisce aliis ; quamquam parum referat, sive adsit sive absit character ille, cum alii, quibus diploma, nostrum insignitur, affatim sufficiant, breviter tamen nunc explanandi. Notatur hic dies* XVIII *Januarii anni* 975, *quocum concurrit Indictio* 3. *Benedictus VII sedere cœpii anno* 975 ; *juxta Labbeum in Compendio chronologico die* XI *Maii electus. Apud Alfonsum Ciaconium in Viris Pontificum dicitur creatus Kalendis Junii ; at Pagius in Criticis Baronianis ad annum* 975, *num.* 3 *ex alterius ab eodem Pontifice concessi diplomatis subscriptione probat, eum sedere cœpisse isto anno, et quidem ante diem* XXV *mensis Martii ; qui sedis exordium non* B *distulisset post* XVIII *Januarii, si tria superiora diplomata vidisset, adeo concinne, apte et constanter in characteristicis temporis notis convenientia, ut caliginosis istius seculi adeo obscuri tenebris minime creperam aut dubiam, sed claram et certam in hoc facto lucem præbeant, remque, de qua disserimus, prorsus evincant. At nunc monasterium repetamus.*

Cœnobium S. Martini

53 *Verum tam prosperos hujus monasterii successus nova rursum tempestas obnubilavit. Rem compendio expedio ex notitiis Mss. pluries citatis:* Illis temporibus cum Henricus, qui et Claudius *(claudus)* sceptra regni teneret, atque Leudulfus episcopalem cathedram Trevirensis ecclesiæ gubernaret, quidam præpositus S. Paulini fuerat Adelbero nomine... Hic ecclesiam S. Symphoriani, quam tunc monachi S. Martini possidebant, sibi *voluit* vindicare.. Consuetudo namque fuit in festo S. Symphoriani, partem aliquam eorumdem monachorum cum suo apparatu illuc C convenire, et tempore competenti divinas inibi laudes celebraturos commanere. Tali ergo solennitate, Completorio finito, cum monachi jam tertiam partem noctis quievissent, subito validus clamor oritur rusticorum... Illi itaque fratres.. apertis janius foras se proripiunt.. Cum subito subintrat episcopus, Sanctorum patrocinia quæsiturus. Adest supradictus præpositus; orationes suadet abbreviari... Consilio inito cruces, pallia, libros, et omnia inde auferunt ... et ad S. Paulinum dirigunt ... Mane autem facto quasi horum ignarus advenit episcopus et inter Missarum solennia, fratribus rem gestam excommunicando investigare suggerentibus, ille multum eos inculpans induciis dilatabat, quasi id certius inquisiturus.

novo calamitatis genere conflictatum,

54 Interea sæpe dictus præpositus ecclesiam pecunia cum suis appendiciis sibi vindicavit, eamque cum consensu episcopi S. Paulino, quamdiu ibi præfuit, injuste obtinuit. Deprædatis itaque circumquaque sæpius proclamantibus, usque ad extrema vitæ deductus est episcopus; qui licet sero, tamen pœnituit ... multum conquestus, se errore viri esse deceptum, et quod illi inepte concesserat, dum quantocius convalesceret, devotus spondet Sancto se redditurum; sed morte præventus, quod promiserat, non est assecutus. *Rem narrat Browerus annum* 1004. *Henricus, qui supra nominabatur, est imperator gestis et sanctitate notissimus, cujus Acta illustrata sunt die* XIV *Julii ; ac de* Claudi *cognomento dissertum ibidem in Commentario prævio* § I, *num.* 8 *et* 9 ; *de ætate vero actum* § 2.

auctore J. P. reique adjuncta explanata.

55 *Ludolfus, teste Browero, sedit anno* 994 *ad* 1008. *Adalbero autem, frater* S. Cunegundis, *intacta in matrimonio cum S. Henrico virginitate celebratissimæ (quam pudicitiæ dotem contra obtrectatores vindicavimus in eodem Commentario* § 8 *et* 9) *pluries in scenam producitur apud laudatum Browerum; de pœnitentia autem ejus, dum gravi morbo langueret, agitur ad annum* 1014 ; *et anno* 1038, *dum adhuc inter vivos degeret, contractas præsertim rapinis et ambitione sordes eluere conatus, dato diplomate, quod legere est apud Browerum, tamquam animi vere pœnitentis et pectoris vere generosi monumento. Bruschius supra allegatus scribit,* sub Eberuuino abbate Adalberonem.. de Lutzenburg ... annum Christi circiter MVI S. Symphoriani monialium cœnobium S. Martino vicinum funditus evertisse. *Sed præplacet senten-* E *tia Broweri, videturque narrationi proxime præcedenti magis consentanea. Hic itaque ad annum* 1004 *scribit,* S. Symphoriani parthenonem Francorum ætate, et Nortmannicis irruptionibus adhuc florentem, tunc incultum et virginum sodalitio fuisse destitutum, *superstite tamen tunc ecclesia, de qua supra. De situ, ac monialibus Benedictinis ibidem vitæ sanctimonia claris, uti et de ecclesia postea omnino diruta præter unam columnam, qua olim sustentabatur, consuli potest ibidem Browerus.*

§ VI. Dies, quo S. Magnericus obiit; sepulcrum, translatio, chronotaxis; Vitæ auctor.

Obiit Sanctus 25 Julii, in ecclesia S. Martini Treviris tumulatus.

Venerabiiis et Deo dignus Pontifex .. vitæ suæ terminum octavo Kalendas Augusti sortitur, *auctore biographo num.* 53. *Clara adeo hæc est diei mortis expressio, ut nemini dubium superesse queat, quin tam ab antiquis temporibus* F *quam nunc eadem exstiterit et natalis ad meliorem vitam et cultus sacri hæc dies* XXV *Julii; in qua signanda recte omnino conspirant Martyrologia recentiora cum Romano, uti supra vidimus. Ad sepulcrum quod attinet;* corpus ejus in ecclesia *(S. Martini Treviris)* quam diximus, est tumulatum, *inquit ibidem biographus : quin et in eadem ecclesia ad ipsius usque tempora honorifice asservatum quievisse, ex eodem colligimus; addit enim,* ubi et condigno nunc honore veneratur. *Non eodem tamen semper in dicta ecclesia loco quievisse, sed ex illo, in quo antea non satis commode hæserant, in meliorem sacras exuvias fuisse translatas, erui posse videtur ex scriptore Vitæ ibidem ; quamquam expressius dicat, corpus honoratum, quam translatum fuisse. At rem ex ejus verbis æstimemus. Sic itaque loquitur de isto corpore :*

Causa, locus, tempus etc. translationis.

57 Quod cum aliquibus ab altari pedibus esset humatum, nostris temporibus cuidam honesto viro, nomine Berengario, ejusdem ecclesiæ monacho, per visionem sanctus Sacerdos apparuit, et ut sepulcro altarium aptaret, præcepit: *id quod Ruotbertus Trevirensi præsul, iterato pluries ejusdem Berengarii viso commonitus, præstitit suis impensis, imposito desuper fastigio ; prout ibidem narratur num.* 54. *Factum illigat Browerus anno* 941, *addens* ex loco *priore jam*

AUCTORE J. P.

jam dicto in eum, quo nunc, *inquit*, apud D. Martini cernitur *a Ruotberto Sancti corpus translatum fuisse; quo discimus, illud a seculo decimo fere medio ad usque decimum septimum eodem loco quievisse. Locum vero determinat ad annum* 596, *quando dicit, quod* posterius eum in locum, ubi nunc crypta subterranea sub odeo asservatur, translatum *fuerit corpus; ibidemque loci asservari perrexisse Sancti tumulum, asserit Cointius tomo* 2 *suorum Annalium, editio anno* 1666; *dum ad annum* 597 *tradit ista:* In monasterio *(S. Martini Treviris)* hodie ostenditur S. Magnerici tumulus in subteranea templi crypta. *De statu corporis hodierno nihil suppetit, unde certi aliquid suggeramus.*

Datur chronotaxis

58 *Superest nunc, ut iis, quæ ad illustranda* S. Magnerici *Acta corradi a nobis potuere, subtexatur promissa superius Vitæ chronotaxis, quam ad sequentes annorum notas apte et congrue reduci posse existimamus. Eam interim accipe eo modo, quo datur, nimirum tamquam hypothesim chronologicam, juxta quam plurima sanctissimi nostri* B *Antistitis gesta suis quæque temporibus illigari nihil vetet. Vivere itaque is cœperit secundum dicta anno circiter Christi* 520; *anno Christi* 546, *ætatis* 26 *ad S. Nicetium discipulus accesserit; anno* 556, *ætatis* 36 *diaconus ordinatus sit, qualis diserte a biographo vocatur: non tamen a Gregorio Turonensi juxta nostra annotata ad cap.* I, *lit.* e. *S. Nicetio, jussu Clotharii in exsilium pulso, et ab omnibus derelicto solus unicus fidelis adhæserit diaconus* Magnericus *anno* 561, *ætatis* 41. *(Factum exponitur in Vita a num.* 4) *Nicetio e vivis sublato anno* 562 *aut* 564, *in cathedra Trevirensi successerit S. Rusticus; et huic anno* 573, *ætatis* 53 S. Magnericus. *Anno* 584 *vel* 585 *Confluentiæ a submersione servatus sit: (quod est in Vita num.* 26*) Theodorum episcopum Massiliensem ab exilio et captivitate sedi suæ restituerit anno circiter prædicto* 585, *ætatis* 65, *episcopatus* 12. *Historia refertur a biographo nostro a num.* 16.

in qua S. Magnerici gesta suis annis illigantur,

59 *Ad annum* 587 *reduc Theodebertum a* S. Magnerico *de sacro fonte susceptum; de quo Vita nostra num.* 11. *Evidentissimum mortis periculum in catastrophe Guntramni Bosonis etc. contigerint* C *anno* 587 *vel* 588, *ætatis* 67 *vel* 68, *episcopatus* 14 *vel* 15 *(rem gestam pandit Vita a num.* 27. *) Quibus etiam annis aptari posse arbitramur ædificatas a Sancto ecclesias, ibid. num.* 52; *visitationes diœceseos; notitiam cum S. Gaugerico, collatumque eidem clericatum, ac uno vel item altero anno postea diaconatum (vide rei historiam a num.* 12.*) Quid obstat, quo minus ad idem circiter tempus fereratur mirabilis vitæ asperitas, a S. Wolfilaico, Symeonis Stylitæ adinstar vivente, exercita; sed, teste biographo a num.* 41, *repressa a* S. Magnerico; *qui denique vivere desierit anno circiter Christi* 596, *ætatis* 76, *episcopatus* 23?

a biographo neglectis,

60 *Atque hac quidem chronotaxi seu hypothetico saltem temporum systemate obviam itur scriptoris Vitæ confusioni, qui res suas non satis distincte et chronologice digessit; debiti videlicet ordinis ve parum solicitus, vel non satis gnarus. Ne vero systema illud, quod modo proposuimus, mere pro placito et arbitrio nostro ita adumbratum esse quispiam existimet; consulat Broweri Annales, ubi varia Sancti nostri gesta suis quæque annis innexa reperiet, quæ ratio temporis nobis hic præluxit, ingenue fatentibus, nos eum ducem lubenter sequi, qui, quod propositum habuit res Trevirenses suis quasque locis, personis ac temporibus aptare, idque non infeliciter secutus est, minus deviationis periculum creat.* D *Reliquum est, ut illustratis documentis, quæ ad sanctum Præsulem proprie spectant, ipsum quoque Vitæ auctorem non negligamus, repræsentantes eum cum propriis suis idiotismis characteristicis, et, quoad ejus fieri poterit, quodammodo redivivum,*

Ejus nomen, ætas,

61 *Omnis, quæ hic quærenda se offert, viri notitia ad quinque potissimum capita revocari potest; videlicet si exponatur* I. *ejus nomen ac patria ;* 2. *ætas ;* 3. *vitæ institutum ;* 4 *ingenii dotes et scripta;* 5. *Sancti Vitæ, quam scripsit, valor seu meritum. Incipiamus ab ejus nomine. Est illud* Eberwinus *seu* Euerbinus, Everbero, Ebroinus, Eurinus, Ebrewinus : *ita varie nomen exprimi, monuimus jam pridem tomo* I *Junii, pag.* 87 ; *quibus addi potest* Evervinus. *Nomen quidem ille suum non exprimit in Vita num.* 60 ; *at sufficientem sui suggerit notitiam ex adjunctis; uti mox videbitur. Guilielmus Eysengrein in suo Ecclesiæ Doctorum Catalogo, Dilingæ excuso anno* 1565 , *uti et noster Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom.* I, Germanum *fuisse scribunt. Vixisse eum exeunte seculo* E *decimo et ineunte undecimo, satis liquet. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, anno* 1601 *Francofurti edito, ad annum* 1020, *illis* claruisse temporibus, *eum tradit. Mabillonius in Annal. Benedict. inter sui Ordinis abbates concilio Salegunstadiensi anno* 1022 *adfuisse ponit ex Trithemio* Eberwinum Theolegiensem ; *an talis dici possit, mox discutietur.*

qua vixit,

62 *Ulterius autem supervixit biographus* Eberwinus : *nam e numero septingentorum Richardi abbatis Virdunensis sociorum in itinere Hierosolymitano, unus fuisse* Evervinus Trevirensi abbas *notatur apud Mabillonium citatum, ad annum* 1027. *Et vero ex Richardi Wasseburgici Annalibus Galliæ Belgicæ, et episcoporum Virdunensium, Gallico idiomate excusis, fol. verso* CCXX *habemus,* S. Richardum abiturum Hierosolymam, primo venisse Trevirim, ibique assumpsisse comitem itineris hominem sanctum, nomine Eurinum, dicti loci abbatem. *Cujus ætas longius etiamnum extendenda est ; uti conficitur ex eo, quod S. Symeonis, in porta Tre-* F *virensi reclusi (qui obiit anno* 1035 *) idque proximis a morte Sancti annis, Vitam conscripserit : de qua re adi nostra Acta a pagina* 87 *paulo ante memorata. An vero et quamdiu postea ille supervixerit, ex antiquis testimoniis nobis non constat ; quidquid Jacobus le Long, Oratorii presbyter, in historia ecclesiastica Franciæ, Parisiis idiomate Gallico edita anno* 1719, *lib.* 2, *pag.* 270, *eum floruisse scribat* anno MXL.

et quamdiu,

63 *Porro ex diplomate Benedicti PP. VII, superius producto, ubi num.* 48 *dicitur,* privilegium, *de quo ibidem ,* ex traditione B. Magnerici , UT IN IPSIUS VITA LEGITUR *etc., concludimus, non videri aliam his postremis verbis Vitam indicari quam Eberwinianam (aliam certe umquam exstitisse non scimus) ac proinde eam nom fuisse scriptam post annum Christi* 975, *quo illud diploma datum signatur. Grandævam itaque prorsus senectutem attigerit oportet noster biographus : nam fac eum scripsisse juvenem admodum ; ut qui viginti ut minus numeraverit annos tum temporis ; quibus si addas annos saltem sexaginta, donec utique pervenias ad annum* 1035, *quo eum vixisse ostendimus, jam excrescet tota Vitæ ejus summa ad annos omnino* 80. *Possevinus eum* anno DCCCCXCV scripsisse Vitam S. Magnerici

A S. Magnerici ep., *tradit; quæ assertio evanescit, quia nec probatur, nec cum jam dictis consentit.*

Fuit monachus Benedictinus, et abbas S. Martini Treviris;

64 *Porro Eberwinum Ordinis Benedicti monachum fuisse, adeo apud omnes in confesso est, ut probatione tam illud non indigeat, quam quod monasterio S. Martini Treviris abbas præsederit; præsertim cum id constet ex ipsiusmet verbis sub finem Vitæ num.* 60. Sicque locum, *inquit*, Apostolica præceptione munitum cum per aliquod tempus prædictus vir *(Angilbertus)* gubernasset, ab hac luce feliciter discessit: post quem eamdem cellam, annuente episcopo, cum fratrum electione nos, qui hæc scribimus, licet indigni regendam suscepimus, et usque nunc prout possumus, in vinea Domini .... laboramus. *Ex vocibus istis* annuente episcopo, *deducimus, eum non monasterii Martiniani Trevirensis, sed alterius cujusdam intra diœcesim Trevirensem cœnobii (forte Theologiensis propter* B *dicenda paulo post) alumnum antea fuisse. Etenim si monachus fuisset Martinianus Trevirensis, non fuisset opus episcopi annutu; id quod liquido conficitur ex verbis diplomatis superius producti, in quo num.* 49 *circa abbatem dicti monasterii sic decernitur:* Abbate ex hac decedente vita, quatenus monasterio ex eadem congregatione abbas... constituatur, placuit nostræ Apostolicæ sanctionis ponere decretum: quod, si ex eadem congregatione .. persona conveniens monachicis institutis minime reperitur, CUM CONSENSU ARCHIEPISCOPI EX EADEM DIOECESI ABBAS PRÆFICIATUR. *Ceterum, quod spectat ad tempus, quo Eberwinus isti monasterio præfectus sit; Bruschius supra citatus,* Angilbertus sive Egilbertus præfuisse, *inquit,* scribitur ante et post annum Domini DCCCCLXI. Eberwinus successit Egilberto: præfuit anno Domini DCCCCXCV. *Verum hæc, quatenus spectant obitum Angilberti, et annum, quo Eberwinus ei successit, nimium indeterminata sunt, quam ut individuum inde tempus extundas*

idque probatur.

65 *Ex laudato supra diplomate, quod sub Angilberto datum fuit, liquet etiamnum ipsum* C *præfuisse anno* 975; *quodque* per aliquod tempus *ultra* gubernarit, *ex proximus Eberwini verbis habemus. Ex cujus itidem verbis* nos, qui hæc scribimus, *clare patere diceres, ipsum exarasse Vitam post ejus obitum. Quæ ut cum superioribus concilies, in quibus ostendimus, jam tum anno* 975 *exstitisse Vitam* S. Magnerici; *existimanus sic faciendum, ut Eberwinus ante istum quidem annum, quo datum fuit diploma, Vitam illam conscripserit; sed postmodum clausulam illam num.* 60 *adjecerit; qua tum majorem sui notitiam dedit, tum rebus potissimum monasterii sui a se narratis non exiguum fidei pondus adjunxit. Abbatem Treviris in monasterio S. Martini exstitisse, adeo invicte ostenditur ex ipsiusmet verbis paullo ante allatis, ut, quamquam alia omnia deessent, unus unicus ille locus ad hoc sufficeret. Consuli interea etiam possunt ea, quæ jam diu de illa re a nobis allata sunt tomo* 1 *Junii pag.* 87; *ubi iste titulus ex antiquissimis codicibus Mss. ipsi vindicatur.*

contra Trithemium: cui refragatus

66 *Merito hic, uti et pluribus aliis locis, hallucinationem Joannis Trithemii observare convenit, apud quem ad annum superius citatum scribitur* Euerbinus abbas monasterii Doleiensis, quod in diœcesi Trevirensi sub honore S. Mauricii, et sociorum ejus constructum, a Spanhemensi cœnobio, *inquit,* meo novem ferme Teuthonicis milliaribus distat, in finibus Lotharingiæ. *Idem ejusdem scriptoris error notatur apud nos loco jamjam designato, pag.* 88. *Nec dici potest utrique successive præsedisse abbatiæ, dum non affertur idoneum pro hac re antiquitatis testimonium, et contrarium videtur satis deduci ex dictis. Errorem hunc subtimide correxit Mabillonius, in Annalibus Benedictinis ad annum* 1027, *his verbis:* Evervinum... S. Martini in *Trevirensi* urbe abbatem fuisse, veri similius est, quam Theologiensem, ut Trithemio videtur. *Ceterum Mabillonius non sibi constitit semper: nam non vacillavit dumtaxat in priore sua opinione, sed, illa pene aperte mutata, in contrariam sese aliquo modo propendisse declarat ad annum* 1035, *quando ista scribit, nihil tamen absolute determinans circa quæstionis decisionem:*

deinde suffragatus utcumque videtur, seu potius suspendisse sententiam Mabillonius.

67 Cujus loci, *inquit*, hic *(Evervinus)* abbas fuerit, S. Martini in urbe, an Theologiensis, vix definiri potest: nam auctores in diversa trahunt. Illud Theologio favet, quod Symeonis Græcum psalterium illic asservatum se vidisse, asserit Trithemius, quod Vitæ ejus scriptor Evervinus a Poppone archiepiscopo pro E memoriali acceperat, ejusque quatuor folia, reliquiarum loco, a Gerardo abbate se obtinuisse dicit. *Quæ, contraria sententia tam probe nunc stabilita, protulisse, refutasse est; adeo ut necesse non sit, diutius hisce immorando, refutationes eorum retexere. Jam vero nonnulla alia de laudato biographo elucidanda supersunt, quæ expedientur paragrapho proxime sequente; ubi textum Possivini in* Everbino, *in pluribus secundum dicta corrigendum protulerimus. Sic habet:* Everbinus Germanus monachus, et abbas monasterii S. Mauritii Doleiensis sive Toleiensis... anno circiter MXL. Scripsit Vitam S. Simeonis Syracusani.. Attribuitur hæc a nonnullis S. Eberuuino abbati S. Martini Treverensis; sed diversitas cœnobiorum, temporumque ratio reclamant: obiit enim S. Simeon anno MXXXV; quo tempore prædictus Eberuuinus in vivis jam esse desierat. Affinitas nominum Eberuuini et Euerbini errorem pepererunt. *Utinam feliciorem erroris correctorem se præbuisset!* F

§ VII. Reliquæ circa biographum notitiæ; Vita Ms., quæ hic datur; res nonnullæ in eadem occurentes confirmantur aliunde et illustrantur.

Ex Trithemio et Eisengreinio datur biographi elogium;

F*uit, si Trithemio citato credimus*, Euerwinus... vir tam in divinis Scripturis, quam in secularibus litteris eruditissimus; qui scripsit Vitam S. Simeonis monachi Trevirensis ... ad Popponem ejusdem civitatis archiepiscopum. Scripsit etiam gesta ejusdem Popponis. De jejunio, eleemosyna et pœnitentia quoque nonnulla synthemata. Scholam in theologia monachorum publicam tenuit, et alia multa nobis incognita scripsit. *Ita ille ad annum citatum* 1020. *Inter* alia multa *Trithemio* incognita, *quæ* scripsit, *sine dubio fuerit Vita* S. Magnerici; *cum hanc non exprimat. Eisengreinius supra allegatus isto ipsum elogio exornat:* Vir *(Eberwinus)*

AUCTORE J. P.

nus) doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus; orator eloquens, nec ulli theologorum secundus. *Ita quidem illi de eruditionis ejus dotibus ac scriptis, quorum fides sit penes ipsos, qui hæc asserunt.*

qui plura non satis apposite quamquam fideliter in Vitam S. Magnerici congessit,

69 *Addit Eisengreinius:* Vitas S. Magnerici archipræsulis, et Simeonis monachi Trevirensis . . . copiosa ac optima fide doctis commentariis exposuit. *Nos unum, quod huc spectat, videlicet quisnam sit Vitæ* S. Magnerici *valor ac meritum, dispiciamus. Universe illud ad rem nostram pronuntiare liceat; ipsius auctorem rem melioris frugi præstiturum et limatioris historici munere perfuncturum fuisse, si ab inductionibus, exemplis, et aliorum elogiis Sanctorum plusculum abstinuisset; quæ proprie non erant ejus instituti, et bene magnam Vitæ partem implent.* Quam vellem, *inquit merito Browerus, superius num.* 23 *allegatus,* de Magnerici episcopatus ortu progressuque scripsisset uberius; *reliquia dedimus ibidem. Verum hunc defectum ipse supplere fortasse voluit,* Commentariis *quodammodo in Vitam* B *loco plus uno indulgere visus, et dum medullam non posset, corticem porrigere. Porro fidem ejus commendant duo illi, quos secutus est, auctores Sancto synchroni, Venantius Fortunatus, et S. Gregorius Turonensis, et hic quidem eidem Sancto familiaris. De Venantio Fortunato jam diximus; de S. Gregorio idem constat.*

in aliquibus contemporaneus. An aliarum notitiarum Trevirensium fuerit auctor, incertum.

70 *Audiatur ipsemet Eberwinus num.* 47, *ubi ista habet:* Ipse etiam Gregorio Turonensi episcopo . . contemporalis et familiaris fuit, ita ut ea, quæ de hoc Pontifice idem Gregorius in libris suis commemorat, ipso referente cognoverit: ex quibus etiam ista decerpsimus. *Sed non in omnibus horum ductorum vestigiis inhæsit; quod in causa fuerit, cur alicubi etiam errores commiserit, corrigendos in annotatis nostris. Nonnulla etiam commemorat, quæ, uti ex adjunctis liquet, suo tempore sint gesta, in quibus plenam fidem meretur. Exemplo sit ecclesia S. Wolfilaici combusta, et Sancti istius ossa ab incendio intacta num.* 44 *et* 45; *et alia in decursu Vitæ. Quæri autem a quopiam possit, utrum idem auctor sit aliarum notitiarum Trevirensium, uti eas supra vocavimus, ubi et brevem illarum dedimus ideam; at respondemus* C *candide, non esse nobis satis promptum, decidere hanc quæstionem; quam proinde in medio relinquimus. At nunc de Vitæ auctore satis dictum: deinceps de Vitæ exemplaribus instituatur sermo.*

Vita ex quo instrumento detur; qua in historia Sanctorum Lovanii excusa

71 *Illud, ex quo Vita typis hic committitur, unde acceptum sit, et cum quonam collatum, dicetur sub finem hujus Commentarii. Divisio autem capitum et numerorum nostra est; nihil quippe horum in apographo nostro reperiamus notatum. Titulus,* Vita S. Magnerici, Trevirorum archiepiscopi, *nihil habet singulare. Habemus librum, qui historias plurimorum Sanctorum continet, impressusque ad calcem notatur* Lovanii in domo Johannis de Westsalia anno Domini MCCCCLXXXV. *Impressus antea fuerat iste liber Coloniæ anno* 1483, *prout notavit Rosweydus ante indicem ejus textui præfixum; id quod colligere se dicit ex Colvenerio ad Flodoardum pag.* 12; *estque, adscribente illud notationi Rosweydianæ Henschenio, Corsendonci. Hunc librum Molanus ad Usuardum suum editionis primæ seu anni* 1568, *in* Magnerico *recte vocat simpliciter* historiam Sanctorum; *sed in editionibus annorum* 1573 *et* 1583 *nominat* Legendæ tomum secundum, *accipiens, uti putamus, Lombardicam historiam pro prima parte Legendæ.* D

ex parte refertur; sed integram suspicantur nondum editam esse.

72 *Quidquid id est, parum refert; invenimus, quod huc spectat, in laudato libro a fol.* XCVIII *Vitam* S. Magnerici *excusam*, saltem, *sicut recte Molanus,* ex parte: *etenim non est nisi longioris Vitæ Eberwinianæ compendium, in pauca, rescissis pluribus parergis, contractum; præter quod, aliam quampiam productioris argumenti Vitam exstare alicubi, quæ typis vulgata sit, non novimus. Atque id causæ est, cur suspicemur, Eberwinianam nos nunc primos prælo publici juris facere. Possevinus Apparatus sacri tom.* 1 *in nomine* Eberwinus *recte quidem dicit, eum scripsisse Vitam* S. Magnerici; *sed perperam addit,* Vid. tom. 2 Surii cum poëmate Fortunati de eodem episcopo: *nam neutra in editione illa invenimus: quamquam probe noverimus, aliqua de* S. Magnerico *apud istum auctorem interspersa esse in Vita S. Gaugerici ad diem* XI *Augusti; adeo ut haud dubie confuderit Possevinus dictam paulo ante Legendam cum Opere Surii. Nostram vero Vitam, præcipuis ac majoris moliminis elucidationibus in decursu* E *hujus Commentarii prævii præmissis, tunc legendam exhibebimus, quando prius res quasdam gestas, in ejusdem decursu occurrentes, ex verbis S. Gregorii Turonensis potissimum confirmaverimus et elucidaverimus; ita ut satius videatur, illas hic continuata serie sub uno conspectu ponere, quam sparsim in annotatis; præsertim cum textus quidam sint longiores, quam ut æque commode ibi locum habere queant. Et vero tum puriores sunt aquæ, quæ ex ipso hauriuntur fonte, tum hoc maxime titulo propinatæ præ rivulis inde derivatis allubescere et placere solent ac debent.*

Locus biographi nostri exponitur

73 *Imprimis itaque id quod habet biographus sub initium capitis* 2, Inde est, quod Childebertus rex, qui post mortem Chilperici totum pene tunc tempore tenebat regnum Francorum *etc. sic explanari potest ex Hadriano Valesio Rerum Francicarum lib.* 16, *ubi ita scribit:* Constat autem Suessionas post Chilperici mortem (quacumque id ratione contigerit) sub Childeberti imperio fuisse; ubi Rauchingus percussores a Fredegunde Childeberto subornatos comprehendit anno post Chilperici mortem, mandavitque F custodiæ; et Childebertus XIV regni anno, hoc est ante triennium quam Guntchramnus decederet, eo Theodebertum filium suum natu majorem misit. Quare si Suessionas recepit Chlotharius, tenuitque anta prælium Truccieuse *(de quo ibidem egerat paulo ante)* utique non post Guntchramni patrui sui obitum eas pagumque Suessionicum recepit: cum Gregorius, qui ad tricesimum ac penultimum Guntchramni regni annum historiam suam deduxit, post Chilperici mortem Suessionas Childeberto paruisse sæpe indicet; a Fredegunde receptas esse, aut Chlotario minori ejus filio paruisse nusquam indicet.

ex Hadriano Valesio;

74 Igitur unius feminæ dolo duo viri sunt victi, et duo cum suis ducibus fusi, fugatique Austrasiorum ac Burgundionum exercitus. Nec multo post tamen Childebertus, iterum missis copiis, Chlotarii regnum aggressus est, atque ut erat multo validior, Luteciam Parisiorum, sedem regni, aliasque urbes ad eum pertinentes armis occupavit. Quare veteres nostri historici scribunt, Fredegundium cum Chlotario filio suo, exercituque post Childeberti mortem statim regnum Theodeberti ac Theodorici filiorum

A rum ejus invasisse, atque Parisios et reliquas urbes finitimas occupavisse : quas urbes nimirum Chlotarius prius amiserat haud dubie, non ab alio, quam a Childeberto, nec nisi post Guntchramni obitum, et post Trucciense prælium captas. *Unde sequitur, ut aliquando Childebertus post mortem Chilperici totum fere Francorum regnum tenuerit, proprium videlicet Austrasiæ, patrui Burgundiæ, patruelis denique Suessionense. At nunc nos iterum ad biographum redeamus.*

uti et alii

75 *Quod ibidem narrat de Theodeberto, Childeberti filio, quem* S. Magnericus *de sacro fonte susceptum illo nomine vocaverit, sic refert S. Gregorius Turonensis historiæ Francorum lib.*8, *cap.* 37 : Post hæc Childeberto regi filius natus est, qui a Magnerico Treverorum episcopo de sacro fonte susceptus, Theodebertus est vocitatus : de quo tantum gaudium Guntchramnus rex habuit, ut statim legatos dirigens, multa ei munera transmitteret, dicens : Per hunc enim Deus erigere B Francorum regnum propria majestatis suæ pietate dignabitur; si huic pater, aut ipse vixerit patri. *Ita S. Gregorius; cujus verba si simpliciter transcripsisset biographus, procul remotus fuisset ab errore, quem in ipso corrigimus in annotatis ad cap.* 2 *lit* f.

ex S. Gregorio Turonensi;

76 *Theodorum, Massiliensem episcopum, multa passum dicit idem Vitæ scriptor num.* 16; *quo spectant ea, quæ S. Gregorius exponit lib.*8, *cap.* 12 *historiæ memoratæ :* Denique cum rex *(Guntchramus)* maxima intentione Theodorum episcopum iterum persequi conaretur, et Massilia jam in Childeberti regis dominationem revocata fuisset ,etad discutiendas causas Ratharius illuc quasi dux a parte regis Childeberti dirigitur. Sed postposita actione, quæ ei a rege injuncta fuerat, episcopum vallat, fidejussores requirit, et ad præsentiam regis Guntchramni direxit, ut scilicet ad synodum, quæ Matiscone futura erat, quasi ab episcopis damnandus adesset. Nec defuit ultio divina, quæ servos suos ab ore canum rabidorum defensare consuevit. Nam egrediente episcopo a civitate, statim res ecclesiæ diripit; C et alia quidem sibi vindicat, alia sub sigillorum munitione concludit. Cumque hoc fecisset, protinus famulos ejus sævissimus invadit morbus, exhaustosque fame peremit; filius ejus ab hoc incommodo defecit, quem in suburbano Massiliæ ipsius cum gravi gemitu sepelivit : fuitque talis domui ejus plaga, ut cum ab urbe illa est digressus, vix ad patriam suam regredi putaretur. Theodorus vero episcopus a Guntchramno rege detentus est. Sed nihil ei rex nocuit : est enim vir egregiæ sanctitatis, et in oratione assiduus ; de quo mihi Magnericus Trevirensis episcopus hæc retulit : Ante hos annos cum ad præsentiam Childeberti regis ita sub ardua custodia, *etc.*; *reliqua refert biographus a num.* 17, *usque ad* declamabat, apparuit *num.* 20, *ei fere Gregorii verbis; etsi quædam inferserit de suo.*

ex quo alius item illustratur.

77 *Dicitur eodem num.* 16 *laudatus Theodorus* multas a civibus maxime a præfecto quodam Dinamio esse perpessus injurias. *Rem sic exponit S. Gregorius Turonensis hist. Franc. lib.* 6, *cap.* 11 : Apud Massiliensem vero urbem Dynamius rector provinciæ graviter insidiari Theodoro episcopo cœpit. At ille ad regem properare disponens, comprehensus ab eo in medio civitatis tenetur, et graviter injuriatus, tandem laxatus est. Clerici autem Massilienses dolum cum Dynamio moliebantur, ut ab episcopatu ejiceretur. Sed dum ad regem Childebertum ambularet, cum Jovino expræfecto a Guntchramno rege detineri jubetur. Quod audientes Massilienses clerici, gaudio magno repleti, quod jam teneretur, jam deputaretur exsilio; quod jam in hoc res perstitisset, ut numquam Massiliam reverteretur, domos ecclesiæ adprehendunt, ministeria * describunt, regestoria referant., promptuaria expoliant, omnesque res ecclesiæ, tamquam si jam mortuus esset episcopus, pervadunt, diversa crimina de pontifice proloquentes, quæ falsa, Christo auspice, deprehenduntur. *Sed nunc quædam alia supersunt, in quibus etiam subsequi S. Gregorium operæ pretium videtur : sic enim pluribus exponentur puncta quædam historica, quæ scriptor noster perquam obiter attigit.*

AUCTORE J. P.

* *id est vasa sacra*

§ VIII. Alia quædam puncta, a biographo relata, aliunde explanantur. E

Explanantur verbis S. Gregorii Turonensis ea,

Postea [vero] cum apud Guntramnum regem majestatis reus accusaretur *Theodorus Massiliensis episcopus,* quasi qui inimicum regis Gundualdum quemdam accipiens, regno ut hostem et invasorem introduxerit, cum Epiphanio Papiæ episcopo, custodiæ traditus; cum producti et ad regiam discussionem utrique episcopi inculpabiles essent inventi, nihilominus post discussionem custodia iterum recipiuntur, in qua beatus vir Epiphanius vita discessit : Theodorus autem exilio deputatus, *etc. Ita biographus noster num.* 17; *quæ ut melius intelligantur, audire rursum juvat S. Gregorium Turonensem, qui lib.* 6, *hist. Franc. cap.* 24 *ita rem recenset :* Nova iterum contra Theodorum episcopum bella consurgunt : nam Gundovaldus, qui se filium Chlothacharii regis esse dicebat, de Constantinopoli veniens, Massiliam est advectus : de cujus origine quædam strictim libuit memorare. Hic cum natus esset in Galliis, et diligenti cura nutritus..... ac litteris eruditus, Childeberto regi a matre repræsentatur, dicente ea : Ecce, inquit, nepotem tuum, Chlothacharii regis filium : et quia invisus habetur patri, suscipe eum; quia caro tua F est.

quæ biographus noster narrat de Gundoaldo,

79 Quem ille, eo quod ei filii non essent, accipiens, retinebat secum. Nuntiantur hæc regi Chlothachario, misitque fratri nuntios dicens : Dimitte puerum, ut veniat ad me. Nec moratus ille juvenem fratri direxit. Quo viso Chlothacharius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens : Hunc ego non generavi. Igitur post Chlothacharii regis obitum a Chariberto rege susceptus est. Quem Sigibertus arcessitum, iterum amputavit comam capitis ejus, et misit eum in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Ille quoque ab eo loco delapsus, dimissis iterum capillis, ad Narsetem abiit, qui tunc Italiæ præerat : ibique uxore accepta filios procreavit, et ad Constantinopolim accessit. Inde, ut ferunt, post multa tempora a quodam invitatus, ut veniret in Gallias-Massiliam adpulsus, a Theodoro episcopo susceptus est. Et ab eodem etiam acceptis equitibus, Mummolo duci conjunctus est. *Atque hæc quidem Gundoaldum spectant : quibus adde sequentia*

AUCTORE J. P.

sequentia circa Theodorum et Epiphanium, loco mox citato subjuncta :

Theodoro et Epiphanio epp.

80 Guntchramnus vero dux adprehensum Theodorum episcopum, in custodiam pro hac causa detrusit, reputans cur hominem extraneum intromisisset in Gallias, voluissetque Francorum regnum imperialibus per hæc subdere ditionibus. *(Et tamen is ipse Gundoaldum accersiverat, teste Gregorio Turon. cap.* 26; *sed, uti notat Ruinartius, homo erat nullius fidei)* At ille epistolam, ut ajunt, manu majorum Childeberti regis subscriptam protulit, dicens: Nihil per me feci, nisi quæ mihi a dominis nostris et senioribus imperata sunt. Custodiebatur igitur sacerdos in cellula, nec permittebatur ecclesiæ propinquare..... Post hæc autem ductus est ad Guntchramnum regem cum Epiphanio episcopo, qui tunc Longobardos fugiens Massiliæ morabatur, scilicet quod et ipse conscius hujus causæ fuisset. Discussi igitur a rege, in nullo inventi sunt crimine. Rex autem eos jussit sub custodia B degere, in qua post multa supplicia, Epiphanius episcopus obiit. *At quisnam est ille Epiphanius, quem Gregorius hic confuse, scriptor autem noster* Papiæ episcopum *nominat; auctores autem recentiores non satis in illo consentiunt, in diversa abeuntes?*

et vero quis Epiphanius ille fuerit, aliunde haud satis constat.

81 Probabilis admodum conjectura est, *inquit Cointius ad annum* 582, *num.* 12, hunc Epiphanium episcopum fuisse Forojuliensem post Exspectatum, cujus nomine subscripserat concilio Aurelianensi quinto; *quod anno Christi* 549 *notatur apud Labbeum tom.* 5 *Conciliorum col.* 390. *Epiphanium vero Gradensem patriarcham, a Paulo Diacono lib.* 4, *cap.* 34 *de Gestis Langobardorum memoratum, interpretatur Alteserra apud Ruinartium in notis ad libri* 6, *cap.* 24 *hist. Franc. Gregorii Turon.; sed, uti recte observat, repugnat temporis ratio. Notatur quippe idem ille Epiphanius apud Ughellum tom.* 5 *Italiæ sacræ col.* 1172 *ordinatus patriarcha anno salutis* 615. *Quisnam ergo ille, quo de hic quærimus, Epiphanius, et* Papiensis *quidem seu Ticinensis* episcopus? *S. Epiphanium, episcopum Ticinensem, dedimus* XXI *Januarii, pag.* 364; *sed nec illius ætas quadrat; et vero, cujus ætas quadret, nullum inter episcopos Papienses* C *apud Ughellum reperimus Epiphanium. Viderit itaque biographus, ubi istum suum Epiphanium invenerit: qui dum supra ducem suum Gregorium hic velle sapere videtur, facile hallucinari potuit: imo vero, si recte suspicamur, legens apud Turonensem quod* Epiphanius episcopus Longobardos fugiens, *etc., intellexerit forte synonymum episcopum Papiensem, mox memoratum, et sanctum quidem; qualis suæ, uti putarit, narrationi satis conveniebat, cum beati titulum ipsi tribuat, non advertens fortasse, tempus repugnare.*

Alia quædam apud biographum dilucidatione indigent:

82 *Nunc se nobis offerunt aliqua, quæ dilucidatione indigent, aliunde petenda quam ex S. Gregorio Turonensi: et vero quia non paucis verbis constant, visum est hisce exponendis hoc potius loco operam dare quam in annotatis, ne illa nimium excrescant. Vitæ scriptor itaque num.* 22 *sic loquitur:* Signa namque sunt etiam reprobis communia. *Id quod crudius etiamnum repetit num.* 48 *:* Quid enim, *inquit,* miracula in illo necesse est requirere; quæ PLERUMQUE et reprobis sunt communia? *Ultima hæc propositio apertissime falsa est, si ita intelligatur, ut vel potestas faciendi miracula, æque Sanctis ac reprobis sit communis: vel sic, ut a reprobis sæpius, passim, et ordinarie miracula patrentur.* D *Res hæc probatione non indiget, adeo statim primo aspectu sanum intellectum ferit. Sin vero vox ista* plerumque *accipiatur pro* nonnumquam *(sic autem accipi etiam posse, tametsi rarissime, invenies in Thesauro linguæ Latinæ, et in Lexico judicio, editionis anni* 1610, *col.* 1532 *et* 1533) *tunc tam secunda ista quam prima propositio vera erunt, sicque intelligenter, ut reprobis etiam communicetur a Deo facultas faciendi miracula non fere semper, sæpius, et quasi stata lege, sed rarius, interdum et in certis quibusdam adjunctis, uti jam illud explicatum imus; et quo etiam vel simili sensu intellexerit haud dubie suam propositionem noster biographus.*

83 *Neque enim dixerimus, quod repugnet divinæ bonitati, per pravos homines* interdum *facere vera miracula: nam operatio miraculorum pertinet ad gratias gratis datas, quæ et bonis et malis communicantur. Unde et illud* E *Pauli* I *Corinth.* 13 *:* Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *At duobus modis potest fieri miraculum.* I. *sine ullo respectu ad veritatem aliquam, per illud confirmandam; sed solum propter illius utilitatem, ut ad conferendam sanitatem, vel quid simile.* 2. *fit miraculum in confirmationem alicujus doctrinæ, ut veram esse comprobet. Et priori quidem modo verum est, Deum posse facere miracula per prævos homines; quamvis fortassis rarissime hoc contingat: et quando hoc accidit, magis est ex fide recipientis, quam ex virtute operantis. Posteriori autem modo fieri non potest, ut miraculum patretur in confirmationem falsitatis; quia alias Deus cooperaretur mendacio, et esset testis ejus, uti recte noster Franciscus Suarez de Fide disputatione* 4, *sect.* 3, *num.* 10. *Consuli etiam potest paragraphus* 2 *Commentarii nostri prævii ad historiam conversionis S. Josephi Comitis die* XXII *hujus, num.* 18; *ubi invenies, isti Sancto etiam tunc temporis, quando in Judaica pertinacia obstinatissime obdurescebat, communicatam a Deo fuisse potestatem faciendi miraculum, ut hoc tandem* F *modo ad Christi fidem se converteret, et revera furiosum hominem a dæmonio liberasse. Ex dictis collige, quo sensu exponendus sit S. Eulogius martyr, quando lib.* 1 *Memorialis Sanctorum, tom.* 4 *Hispaniæ illustratæ, ac Francofurti anno* 1608 *editæ, pag.* 244 *dicit:* Signa vero atque prodigia et Sancti et reprobi faciunt.

quod hic fit,

Catastrophe Guntramni Bosonis,

84 *At nunc S. Gregorius Turonensis nos revocat, ex quo historia Guntramni Bosonis ad mortem damnati, apud biographum num.* 27 *paucis perstricta, sic melius intelligetur.* Dum hæc agerentur, *inquit Gregorius hist. Franc. lib.* 9, *cap.* 10, iterum misit Guntechramnus rex ad nepotem suum Childebertum, dicens: Moræ omnes abscedant, et veni ut te videam. Est enim certæ necessitatis causa tam pro vitæ nostræ commodo, quam pro utilitatibus publicis, ut videamur a nobis. Hæc ille audiens, adsumpta matre cum sorore et conjuge, ad occursum patrui destinat. Adfuit autem et Magnericus episcopus Trevericæ urbis, Venit etiam Guntchramnus Boso, quem Agericus Viridunensis

A dunensis episcopus sua in fide susceperat: sed pontifex ille, qui pro eo fidem fecerat, non adfuit, quia convenerat, ut absque ullius defensione regi præsentaretur, scilicet, ut si ipse decerneret, eum mori debere, non excusaretur a sacerdote; sin autem ille vitam concederet, liber abiret. Sed conjunctis regibus, pro diversis facilitatibus * culpabilis judicatus, jussum est ut interficeretur.

* al. falsitatibus

a biographo paucis perstricta,

85 *Ea vero quæ spectant modum, quo minispariter ac blanditiis Guntramnus Boso obnixissime conatus fuit extorquere patrocinio* S. Magnerici *liberationem suam, ita conformiter a Gregorio et a biographo nostro recensentur, ut hic ex illo elucidari non debeat, usque ad ista verba* hæc, quæ loquor, exponant. *Verum reliqua, quæ prosequitur biographus, de Bosonis catastrophe* Cum ergo ad intercedendum progredi non posset Episcopus (*Magnericus*) nec regi hæc, quæ mandaverat, ita nuntiata essent, repente ab hoB stibus vallatur domus *etc.*; *clarius intelliges ex Gregorio Turon, loco proxime allato*: Verumtamen, *inquit*, non hæc regi, ut erant, nuntiata sunt; sed dixerunt, quod hic ab Episcopo defensaretur; unde factum est, ut commotus rex diceret: Si Episcopus exinde egredi noluerit, pariter cum illo auctore perfidiæ pereat. Hæc audiens Episcopus, direxit nuntios ad regem: qui cum ista narrassent, ait rex Guntchramnus: Injicite ignem in domum, et si exire nequiverit Episcopus, pariter concrementur. Hæc audientes clerici effracto vi ostio Sacerdotem ejiciunt foras. Tunc miserrimus cum videret se flammis validis ab utraque parte vallari, accinctus gladio accedit ad ostium.

producitur ex S. Gregorio Turon.

86 Verum ubi primum limen domus egrediens gressum foris fixit, statim unus e populo ejecta lancea frontem ejus inlisit. At ille hoc ictu turbatus, quasi amens, gladium ejicere tentans, ab adstantibus ita lancearum multitudine fauciatur, ut defixis in lateribus ejus spiculis, et sustentantibus hastilibus ad terram ruere non posset. Interfecti sunt et pauci, qui cum eo erant, expositique in campo simul. Pro quibus vix obtentum fuit cum principibus, ut terræ reconderentur. *Prosopographiam vero Guntramni Bosonis, a nostro biographo num.* 30 C *valde paucis etc. generalibus fere terminis indicatam, ita singillatim describit Gregorius Turonensis eodem loco pluries allegato*: Fuit, *inquit*, hic in actu levis, avaritiæ inhians, rerum alienarum ultra modum cupidus, omnibus jurans, et nulli promissa adimplens. Uxor autem ejus cum filiis exsilio data est, resque illius fisco conlatæ sunt. Multitudo autem auri argentique ac diversarum specierum in ejus regestis reperta est. Sed et quæ sub terra absconderat, stimulante conscientia iniquitatis suæ, non latuerunt. Ariolis ac sortibus sæpius utebatur; ex quibus futura cognoscere cupiens, remansit inlusus.

ut et nonnulla de S. Wolfilaico.

87 *Longus est biographus in enarrandis gestis S. Wolfilaici; quibus ad majorem fidem adjungi apte possunt ista ex Gregorio Turon. hist. Franc. lib.* 8, *cap.* 15, *ubi narrat ea, quæ ipsemet ex ore ejus excepit, in hæc verba*: Petere ab eo cœpimus, ut nobis aliqua de conversationis suæ bono narraret, vel qualiter ad clericatus officium advenisset: quia erat genere Longobardus. Sed nequibat exponere, vanam tota intentione cupiens gloriam evitare. Quem ego, *inquit*, terribilibus sacramentis conjurans, pollicitus primo, ut nulli, quæ referebat, expenderem; rogare cœpi, ut nihil mihi de his, quæ interrogabam, occuleret. Cumque diutissime reluctatus fuisset, victus tandem tam precibus, quam obsecrationibus meis, hæc effatus est: Dum essem, inquit, puer parvulus *etc. Subdimus nunc Sancti nostri Vitam; de qua præter illa, quæ superius præmissa fuere, notamus sequentia, et ad impressionem ejus spectant.*

AUCTORE J. P.

Præmonitio de Vita, quæ a nobis datur.

88 *Datur illa* ex Ms. vetustissimo monasterii S. Martini Treviris, *sicut nostro, quod prælo committimus, apographo, sua manu adscripsit noster Rosweydus; quod item collatum fuit, cum Ms. S. Maximini ejusdem urbis, prout alia manu adnotatum invenimus in eodem nostro exemplari. Variantes nonnullas in Maximiniano lectiones habes ad marginem Vitæ, quam edimus; particula* al. *quando apponitur, indicat lectiones ex S. Gregorio Turonensi, editionis Ruinartianæ;* Brow. *vero significat, aliter legi in Fortunato Broweri. Paucula uncinis* [ ] *inclusa, ex dicto Ms. Sanmaximiniano desumpta fuerunt.*

VITA

E

Ex Ms. vetustissimo monasterii S. Martini Treviris,

Auctore Eberwino, ejusdem monasterii abbate; cum Ms. S. Maximini Trevirensis collata.

CAPUT I.

S. Magnericus fidus S. Nicetti discipulus, ac dignus ejusdem in cathedra Trevirensi successor.

S. Magnericus fuit discipulus S. Nicetii ep. Trevir.,

Decedente apud urbem Trevericam viro sanctissimo Nicetio *a*, ejusdem urbis episcopo, successit *b* in episcopatum Magnericus, vir vitæ laudabilis, cunctisque venerabilis, et tanti viri operum meritorumque consimilis; utpote qui ab ipso nutritus, ejus per omnia conversationis sanctæque eruditionis ac virtutum ejus F imitator effectus, atque ad summos ecclesiastici ordinis honores provectus. Erat namque hic venerandus pater Nicetius eximiæ sanctitatis, non solum in prædicatione admirabilis facundiæ, verum etiam in bonis operibus ac mirabilibus ubique famosus et celeberrimus; qui prius Lemovicinæ urbis monachorum abbas, postea Trevericæ urbis pontifex, inter multos, quos suo discipulatui aggregaverat, specialiter hos Aredium *c* atque Magnericum ecclesiastica instruendos eruditione sibi delegerat.

cujus elogium datur,

2 Cum quibus ut vir Deo intentus sacræ meditationi et assiduæ orationi specialius vacabat: qui bonarum virtutum magistri conscii, ejus quoque æmulari cupiebant sanctitatem, ut, procedente tempore, digni filii, digni patris essent successores, non tam dignitatis, quam meritorum ipsius et virtutem heredes. Nam alter supradictæ urbis monachorum abbas; alter nostræ,

ex mss. stræ, id est Trevericæ urbis extitit sacerdos.

ut et S. Aredii, ejus item discipuli.

3 Et quia de tanti patris discipulatu loquimur, superest, ut de Aredio prius, dein de Magnerico dicamus, ut bonos bonæ arboris, ex quo profecerint stipite, fructus cognoscamus. Hic itaque Aredius tantam curationum gratiam divinitus promeruit, ut solo tactu et signo crucis more Apostolorum morbos infirmitatesque sedaret, dæmonia fugaret, aquam de arrida terra produceret, tempestatem oratione cohiberet, ita aliquando ab imbrium nube protectus, ut, imbutis sociis, super eum nec pluviæ stilla decideret.

S. Nicetio ob excommunicatum Clotharium regem in exsilium pulso d

**Sanmax. verendus*

4 At vero sanctus Nicetius dum sæpe Lotharium regem pro iniquis operibus increparet, nec non excommunicaret *d*; vir utique, qui regiam potestatem nequaquam veritus timuerit, immo ipsis regibus terrendus *; qui justitiam non conticere, magis autem pro justitia mori non dubitaverit, dicens: Libenter pro justitia moriar; dum quadam vice ad exilium pro hujusmodi zelo cogeretur, dumque omnium solatio destitutus, solus relinqueretur, iste unus, B id est venerabilis vir Magnericus, tunc tempore diaconus *e*, solus in fide persistendo, magistro specialiter adhæsit.

fidelis semper adhæret solus Magnericus, instantem ex ipso reditum intelligere meritus;

** Sanmax. intra*

** Sanmax. cum magno pudore*

5 Cujus fidei pius pater explorare volens constantiam, ait: Quid tu nunc agis? Quare non sequeris fratres tuos, ut eas, quo volueris, sicut illi fecerunt? Qui ait: Vivit Dominus Deus meus: quia usque quo spiritus in * hos artus contentus fuerit, numquam te derelinquam, Et ille: Quia, inquit, hæc dixisti, dicam tibi, quæ Domino revelante cognovi. Cras enim in hac hora et honorem meum recipiam, et ecclesiæ meæ restituar. Hi autem, qui me dereliquerunt, ad me confugient. Præstolabatur enim venerabilis Diaconus rem promissam attonitus, quam postea * est expertus: nam illucescente die crastina subito advenit legatus Sigeberti *f* regis cum litteris, nuntians regem Clotarium esse defunctum, seque regnum C debitum cum episcopi caritate debere suscipere.

** Sanmax. subito*

rei veritatem eventu comprobante, et biographo S. Magnericum ob suam erga magistrum fidem g h i

6 Hæc ille audiens, ad ecclesiam regressus, potestati restituitur *g*, confusisque omnibus, a quibus fuerat derelictus, omnes in caritate recepit *h*. Quem ergo hic sacer Diaconus est imitatus, nisi illum, qui, instante passionis tempore, pio magistro, pio est ore professus, dicens: Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire: ceterisque fuga evasis, pio magistrum est solus vestigio ad crucem usque sequutus *i*? Merito itaque sicut Petrus a Domino et post Dominum Ecclesiam suscepit gubernandam, sic et hic Petri imitator, quia magistro fidem servaverat, ejus quoque acsi hereditarie ecclesiam est sortitus regendam.

k comparante cum magnis viris, l m

Sanmax. probitus

7 Sic Josue *k*, minister Moysi, dum ei semper adhærendo fideliter obsequitur, dux Israëlitici populi efficitur, et de ejus spiritu donari meretur. Sic Elisæus *l*, quia aquam super manus Eliæ *m* fundebat, dum fidem Domino servat, dum prophetæ ministrat, dum eum ad Jordanem sequi prohibuit *, respondit, dicens: Vivit Dominus; quia non te derelinquam; velut filius hereditarium prohetiæ donum a bono patre consequitur, et duplici spiritus ejus pignore muneratur. Sic et iste Vir egregius, tanti patris discipulus, dum ejus doctrinam, mores, institutionemque sectatur, in loco ipsius ut filius ejus subrogatur, et rediviva in eo patris opera reparantur.

D

et elogium ejus proferente ex Fortunato. n o p

8 De quo et Fortunatus episcopus *n* egregius et ecclesiasticus *o* auctor in poëmate *p* suo ita commemorat:

Clare sacro merito, tanto informante magistro,
Quem reparas, operam fructificante loco
Discipule egregii, bone Magnerice, Niceti,
Nominis auspicium Magne canendo tui
Cujus opime sequax, sancta et vestigia servans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Auctorisque pii successor dignus haberis,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.

Fit post Nicetium archiepiscopus Trevirensis; diuque q r s

9 Talis igitur Vir post memorati tanti pontificis transitum, consensu, ut diximus, omnium plebis vel principum, ad summi pontificatus fastigium eligitur, caput ecclesiæ constituitur, et Trevericæ urbis a Deo electus præsul assignatur, et cathedræ pontificali inthronizatur *q*, in qua feliciter residens usque ad reverendos honestæ vitæ canos, laudabilemque senectam, ecclesiam non pauco *r* tempore strenuissime rexit, temporibus scilicet Justini *s*, Tiberii, Mauricii imperatorum, nec non Vigilii, Pelagii, Gregorii, Pontificum Romanorum præcel- E lentissimorum, etiam regum Hilperici, Guntramni, Childeberti, sceptra regentium Francorum.

et summa cum laude huic ecclesiæ præest et prodest.

10 Sub horum itaque temporibus floruit in prædicta urbe venerabilis Pontifex, Deo amabilis et vitæ honestate ac probitate laudabilis, ut merito, quod in magni sacerdotis laude canimus, ei convenienter adscribatur: Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus; et cetera: quæ quamvis ad nonnullos Sanctorum, ad idipsum quoque non mediocriter pertinere videantur: qui magnus sacerdotii dignitate et auctoritate, magnus pietate, magnus predicatione, magnus religiosæ vitæ exstitit conversatione. Sicut et magnum sanctum] Paulum in Ecclesia vociferamus, non tam ex apostolatus gratia, quam ex assidua, qua plus ceteris laboravit, prædicatione.

ANNOTATA. F

a *Vitam ejus habet S. Gregorius Turonensis inter Vitas Patrum cap.* 17, *etc. ex eo Mabillonius Act. Benedict. sec* I, *a pag.* 191: *miracula vero paucis perstringit laudatus episcopus Turonensis de Gloria Confessorum cap.* 94. *At de his aliisque agendum erit die* 5 *Decembris cum Martyrologio Romano.*

b *Imo vero S. Rusticus secundum nostrum Commentarium prævium a num.* 21.

c *S. Aredii Vitam edidit Mabillonius Act. Benedict. sec.* I, *a pag.* 349; *de quo ad diem* 25 *Augusti; quando à Molano, Galesinio, Ferrario ac fastis Benedictinis refertur.*

d *Quod S. Gregorius Turonensis citato mox cap.* 17 *habet,* Chlotarium regem (*hujus nominis I*) pro injustus operibus sæpius excommunicavit, *mitius exponendum putans Theodericus Ruinartius, novissimus operum S. Gregorii editor, in notis hic,* id est, *inquit,* non permisit ad communionem accedere; aut ei eulogias denegavit, ut conjicio: nec enim majori excommunicatione a fidelium societate segregatum fuisse a Nicetio Chlotarium existimo. *Cui conjecturæ videtur utcumque favere* τὸ sæpius. *Factum porro refert Browerus anno Christi* 559.

e *In Vita S. Nicetii superius assignata hoc factum tribuitur* uni diacono; *sed ipsius nomen neutiquam exprimitur; nec videtur id exprimere ausus*

ausus fuisse Browerus, dum Gregorium secutus, innominatum ponit diaconum. Viderit itaque biographus noster de hoc nomine, quod hic diserte expressit.

f *Sigeberto, Clotarii filio, facta post patris mortem regni inter quatuor fratres divisione, obtigerunt Mediomatrices sive Austrasii; cujus divisione annus primus concurrit cum anno Christi* 562. *Vide Browerum, Cointium, Labbeumque in Compendio chronologico.*

g *Anno videlicet* 562 *secundum jamjam dicta.*

h *Historiam restituti sedi suæ Nicetii narrat Gregorius Turonensis; ex eoque haud dubie hic noster biographus.*

i *Auxesis auctoris oratoria est, non satis presse cohærens cum lapsu S. Petri. Eodem fere modo in secundo nocturno diei octavæ sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ex sermone S. Joannis Chrysostomi apud Metaphrasten, sicut ibi citatur,* omnium Apostolorum fidelissimus *dicitur; sed non est fidelis ista versio: nam juxta textum Græcum laudati sermonis (qui est in principes Apostolorum Petrum et Paulum panegyricus, atque inter Opera S. Chrysostomi a nostro Frontone Ducæo anno* 1624 *Lutetiæ Parisiorum edito, habetur tomo* 6, *a pag.* 314*) legitur* πιστικὸς τοῦ δεσπότου τῶν ὅλων ἀπόστολος; *id est, prout ibi recte vertitur,* tu omnium Domini fidus apostolus.

k *Colitur die* 1 *Septembris, qui elucidari poterunt hæc et alia ejus gesta.*

l *De S. Elisæi cultu ac reliquiis actum die* 14 *Junii, a pag.* 783; *plura autem ipsius facta illustrata sunt occasione S. Eliæ.*

m *Illum dedimus* 21 *hujus mensis.*

n *Opera ejus illustravit Browerus anno* 1617 *Moguntiæ edita; quibus Vitæ Syllogen præmittit. Vixit autem Fortunatus cum nostro Sancto, et circa idem fere tempus obiit, Pictavis utpote episcopus, teste Labbeo in Bibliotheca chronologica, ad annum prope* 600; *quo obiisse ibidem scribitur.*

o *Variorum de eo judicia et elogia colligit laudatus Browerus ante opera ipsius a se edita, a pag.* 24. *At cur hic vocatur* ecclesiasticus auctore? *An quia varios Ecclesiæ Sanctos carmine cecinit? An potius quia, teste Paulo diacono de gestis Langobardorum lib.* 2, *cap.* 13 hymnos singularum festivitatum... composuit? *Plura Browerus pag.* 19.

p *Fragmentum est ex libro* 3, *carmine* 13, *sed mutato ordine, excerptum; et infra totum producitur.*

q *Anno Christi* 573 *secundum nostram chronotaxim.*

r *Præfuit utique annis circiter* 23, *circa annum* 596 *mortuus.*

s *De viris illustribus, quos agglomerat hic auctor Vitæ, Sancto synchronis, agitur toto paragrapho* 2 *Commentarii prævii.*

EX MS.

CAPUT II.

Sanctus apud reges gratiosus; levat de sacro fonte Theodebertum; S. Gaugericum instruit et diaconum ordinat; miserias Theodori, Massiliensium episcopi, sublevare conatur.

Sanctus apud reges gratia et auctoritate valet; Theodebertum de sacro fonte suscipit;

Et quia invenit gratiam coram oculis Domini, magnificavit eum Dominus in conspectu regum; ut plurimam etiam apud illos gratiam inveniret, in tantum, ut suis hanc nonnumquam consiliis ascirent, seu patrem diligerent ac summum ei honorem, ut apostolico Viro, deferrent. Inde est, quod Childebertus *a* rex, qui post mortem Chilperici *b* totum *c* pene tunc tempore *d* tenebat regnum Francorum, præclari Viri meritum cognoscens, compatrem hunc sibi delegit: nam filium ejus Theodebertum hic venerabilis pontifex Magnericus a sacro fonte suscepit *e*: de quo tantum gaudium parentibus exstitit, ut proavus *f* pueri Guntramnus rex, nepoti congaudens, et munera mitteret, et ista mandaret, dicens: Per hunc enim Deus erigere Francorum regnum propria majestatis suæ pietate dignabitur.

dumque ecclesias suas visitat.

12 Non parvam autem beatus iste Magnericus epicopus suarum solicitudinem gerebat ecclesiarum, sed eas pastorali cura sanam omnibus doctrinam impendendo, in bono opere et fide Christi confirmabat. Unde cum hujusce rei gratia parochias suas juxta canonum *g* statuta ex more circuiret, contigit ut ad castrum Ivosium *h* nomine veniret, ea quidem, quæ ad divinum cultum vel ecclesiasticum pertinent ritum, scilicet ut ordinaret *. Tunc sacerdotem convocans, cui ecclesiæ ipsius curam commiserat, interrogat, quos haberet clericos divino officio mancipatos.

* *Sanmax.* ordinaturus

illa occasione pueri Gaugerici laudes intelligit: accersitumque

13 At ille respondens, ait: Habemus, domine Pontifex, officiales et scholasticos: inter quos etiam quidam puerulus, nomine Gaugericus *i*, ad scholam magistro traditus, sacris adhuc litteris et eruditionibus libentissime studet, signum ecclesiæ audiens prece ceteris maturius primus accurrit; cibum, quem cum reliquis sodalibus solet accipere, pauperibus assidue erogat. Et cum hæc Pontifex audisset, suo conspectui puerum jussit præsentari. Cumque in ejus præsentiam venisset, paterna illum pius Sacerdos voce alloquitur.

clericum ordinat, spiritu magni aliquid de illo præsentiens,

14 Et cum in eo divinum nescio quid intuendo, Spiritu sancto demonstrante, cognovisset, continuo illum ad clericatus officium atque ad serviendum Domino designans, manibus suis tonsuravit. Interrogatus ab eo quam in psalterio lectionem haberet, ita respondit: Domine, sanctissime pater, hoc officium clericatus, quod mihi imponere dignatus es, valde gavisus suscepi, principium tamen lectionis meæ illud est in psalmo secundo: Postula a me, et dabo tibi.

15 Audiens

15 Audiens ergo Episcopus quia tonsuram illam devote suscepisset, et bonum in puero videns studium et devotionem, præcepit, ut cum alia vice [cum] ad illud castrum veniret, psalterium ex integro [ei] redderet : quam jussionem Pontificis libentissime suscipiens, cum alio item tempore ad illam venisset episcopus ecclesiam, psalterium ei memoriter recitavit. Exinde eum secum retinens, et divinis eruditionibus instruens, ad diaconatus ordinem promovit; in quo bene et digne conversatus, dum quadam vice orationibus vacaret, obvium quemdam habuit leprosum, quem cum sine baptismo esse cognovisset, ad sacerdotem perduxit : a quo statim baptizatus, et a sancto diacono de fonte susceptus, lepra carnis et animæ deinceps caruit. Hæc ac demonstrandam in lucrandis filiis boni Viro industriam diximus.

ex MSS. ac deinde eum promovet ac diaconatum: qui levatum a se de fonte leprosum sanat.

16 Ceterum cujus etiam fuerit caritatis et benignitatis, quantæque compassionis sicut sæpe alias, ita et in venerabili *k* viro Theodoro *l*, Massiliensi episcopo, digno memoriæ facto, laudabiliter ostendit. Hic etenim vir secundum quod Apostolus dicit : Omnes, qui pie volunt in Christo vivere, persecutionem patientur; cum esset sanctitatis eximiæ et orationibus deditus, præcipue * multas a civibus, maxime a præfecto quodam Dinamio *m*, est perpessus injurias.

S. Theodoro Massiliensi episcopo, qui post persecutiones *k* *l* B

* *Sanmax.* assidue *m*

17 Postea [vero] cum apud Guntramnum regem majestatis reus accusaretur, nacta videlicet occasione, quasi qui inimicum regis Gundoaldum *n* quemdam excipiens, regno ut hostem et invasorem introduxerit; cum Epiphanio, Papiæ episcopo *o*, custodiæ traditus *; cum producti et ad regiam discussionem utrique episcopi inculpabiles essent inventi, nihilominus post discussionem, custodia iterum recipiuntur, in qua beatus vir Epiphanius episcopus vita decessit; Theodorus autem exilio deputatus, prius autem ad Childebertum regem audiendus, ita *p* sub ardua custodia duci jubetur, ut cum ad aliquam quandoque urbem venisset, non episcopum, non civium quemquam alloqui vel videre permitteretur, faciente hoc invidorum malitia hominum et etiam dæmonum, ut in exteras scilicet barbarasque mitteretur regiones; qui, sicut de justo scriptum est, gravis erat eis etiam ad videndum.

fuit captus, et in exilium amandandus. *n* *o* * *Sanmax.* traditur *p*

C

18 Adveniens itaque Treveros, nuntiatum est Magnerico episcopo, hunc jam in navi positum clam abduci : surrexitque Sacerdos tristis; ac velociter prosecutus, reperit eum ad littus; causatusque cum custodibus, cur tanta esset impietas, ut non liceret fratri fratrem aspicere, tandem ipsum est osculatus. Agnitisque miseriarum illius et calamitatum causis, flevit et paucis eum, quantum tunc morarum licuit, verbis est consolatus, vestimentorumque ei aliquid largitus, impellentibus jam navim custodibus, mœrens discessit.

cum jam Treviros venisset, et clam esset adducendus: magno commiserationis affectu

19 Veniensque venerabilis Senex ad basilicam sancti Maximini, ante sanctum sepulchrum prosternitur, illud mente Jacobi Apostoli retinens : Orate pro invicem, ut salvemini; fusaque diutissime cum lacrymis oratione, ut fratri * Dominus dignaretur adjuvare, ita ut erat perfusus lacrymis, est foras egressus. Et ecce mulier, quam spiritus erroris agitare *, et sacerdotem convitiare, ac dicere cœpit : O sceleste et inveterare dierum! qui pro inimico nostro Theodoro orationem fundis ad Dominum. Ecce nos quotidie quærimus, qualiter ab his Gallus * extradatur; qui nos quotidianis incendiis constat : et tu pro ea rogare non desinis? Satius enim tibi erat, res ecclesiæ tuæ diligenter inquirere, ne pauperibus aliquid deperiret, quam pro hoc tam intente deposcere.

compatitur, et pro eo orat impense, ægre id ferente diabolo. * *al.* fratrem * *al.* uti et *Sanmax.* agitabat

D * *al.* Galliis

20 Et aiebat : Væ nobis! qui eum non possumus expugnare. Et licet dæmoniis credi non debat, tamen qualis esset sacerdos, de quo hæc dæmon conquirens * declamabat, apparuit. Ex qua re utrorumque * evidenter ostenditur meritum, unius videlicet sanctitas, et alterius, de qua hostis invidebat, intelligitur caritas, et erga pauperes devota, quam semper exhibebat humanitas.

* *lege* conquerens *al.* condotens * *Sanmax.* utrumque

ANNOTATA.

a *Childebertus II, Sigeberti regis Austrasiorum ex Brunichilde filius, rex Austrasiæ anno* 575; *Guntchramno patruo in regno Aurelianensi seu Burgundico successit anno* 593; *obiit* 596; *ut videsis Cointium. Porro factum hoc, quod narrare biographus instituit, ex Gregorio Turonensi dedimus in Commentario prævio num.* 75.

b *Obiit Chilpericus, rex Suessionensis, Sigeberti Austrasiorum regis frater, Childeberti II patruus, anno* 584 *post Septembrem, prout videre est apud Pagium.* E

c *Assertum hoc biographi elucidavimus in Commentario prævio a num.* 74 *ex Hadriano Valesio.*

d *Non utique statim post mortem Chilperici, quæ, ut diximus, contigit anno* 584; *nec eo ipso anno, quo natus est Theodebertus; de quo mox; nam tunc nondum possidebat regnum Guntramni Burgundiæ; quod mortuo ipso, anno* 593 *accepit; ac proinde ante illud tempus non tenebat totum pene regnum Francorum, cujus bene magna ac nobili adeo parte tunc carebat.*

e *Anno videlicet* 587, *quo in chronico Fredegarii natalis annus ejus, superius a S. Gregorio Turonensi, uti vidimus, non nominatus, exprimitur in hæc verba :* Anno XXVII ejusdem *(Guntchramni)*... filius Childeberti regis Theodobertus natus fuisse nuntiatur.

f *Clotarius, Clodovei filius, proavus Theodeberti fuit; nom is genuit Sigebertum; ex quo Childeberti pater. Guntramnus vero Sigeberti, Theodeberti avi, frater, ac proin Theodeberti patruus magnus exstitit.* F

g *Ludovicus Thomassinus in Veteri ac nova Ecclesiæ disciplima tomo* 2, *lib.* 3, *cap.* 77 *agit de visitanda diœcesi ac provincia ab episcopo metropolitano, ac primate per* 5 *priora Ecclesiæ secula.*

h Ivodium oppidum ditionis Lutzelburgicæ, Treviris in meridiem distat millia passuum circiter LVI. Epoisum ei nomen ex Antonini itinerario; ex Gregorio Eposium dedimus. Assidet collis imminentis radicibus, purioris soli subjecta planitie, quam Chares seu Cherreus annis alluit*; qui multa riparum amœnitate lætus, denique supra Sedanum in Mosam evadit, *inquit Browerus ad annum* 587, *num.* 77.

i *De S. Gaugerico aliqua dedimus in Commentario prævio, plura daturi ad diem* XI *Augusti, quo inscribitur Martyrologio Romano.*

k *Tamquam Sanctus refertur a Saussayo die* 2 *Januarii; sed vide quæ nos inter addenda ad Prætermissos die* 2 *Januarii diximus, tomo* 1 *istius mensis pag.* 1084. *Apud Gregorium Turonemsem*

A *Turonensem histor. Franc. lib. 8, cap. 12 vocatur* vir egregiæ sanctitatis, et in oratione assiduus; *sed de ejus cultu nihil Massiliæ exstare, accepisse inde nos diximus loco mox allegato; si quid interea occurrat novæ notitiæ, poterit ejus ratio haberi in nova recusione istius mensis, postquam totum opus fuerit absolutum.*

l *Quidnam in favorem istius præsulis* S. Magnericus *præstiterit, narrat ex ipsiusmet ore S. Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 8, cap. 12; atque ex eo noster biographus; vide Commentarium nostrum prævium num. 76 in fine: ubi paulo ante ex Gregorio referuntur ea, que Theodorus pertulit sub rege Guntramno.*

m *Pluribus hoc narratum ex Gregorio Turon. dedimus in Commentario prævio, num. 77.*

n *Historiam illam ex eodem Gregorio Turonensi narravimus ibidem a num. 78.*

o *Quæsivimus istum Epiphanium in Commentario prævio num. 81.*

p *Quam hic historiam prosequitur auctor* B *noster usque ad num. 21, memorat S. Gregorius Turonensis lib. 8, cap. 12 ex ore* S. Magnerici.

CAPUT III.

Restitutus suæ cathedræ Theodorus; navis ab interitu servata; Guntramnus Bozo cur non liberatus.

Theodorus ille Magnerico propter Deum

Sed quia Theodori mentio facta est; aliud ejus sanctitatis ut ostendamus indicium, non dæmonum sed veridicorum utamur testimonio scriptorum, ut, qualis vir fuerit, quem Magnericus non frustra tam solicite requisierit, et visitare curaverit, proinde attendamus; qui non Theodorum, sed illum veneratus est in Theodoro, qui in judicio suo dicturus est: In carcere eram, et venistis ad me. Hic etenim vir cum, ut supra diximus, esset in custodia, et in quadam [die] reclusus cellula, nec omnino ad ecclesiam permitteretur accedere, quadam nocte dum attentius oraret ad Dominum, refulsit nimio splendore cellula, ita ut comes quidam, qui erat custos ejus, ingenti pavore C teneretur.

et propter sua merita dilectus fuit: quæ dilectio a

22 Visusque est super eum lucis immensus globus per duarum horarum spatium. Mane autem facto narrabat hæc comes ille ceteris, qui cum eo erant, quæ viderat *a*. Sed quia sunt nonnulli, qui more Judaico signa expetentes, de quorumdam sanctitate dubitant, nisi signa videant, de hujus præclari viri, id est Treverici Sacerdotis, quis rogo de tantis velit dubitare meritis? Qui potiora signis [facta] ostendit. Signa namque sunt etiam reprobis communia *b*. Et recte Stephanus, qui signa et prodigia magna faciebat in populo, numquam illustrius est operatus miraculum, quam cum pro lapidantibus caritate fulcitus oravit. b

magnis laudibus extollitur, tamquam virtutum excellentissima,

23 Sed et Paulum, quem prius signa Stephani convertere non poterant, sola hunc Stephani caritas orando postea conversum reddidit. Quis ergo omnibus miraculis virtutem caritatis dubitet esse præferendam, cum secundum Apostolum omnem fidem, omnem virtutem, linguas angelorum, prophetiæ et mysteriorum scientiam et incendiorum sufferentiam caritas sola præcellat? *Ex Mss.*

et egregie hic a Sancto nostro exercita:

24 Hac itaque virtute fretus, hac veste trabeatus, speciosum Magnericus est operatus miraculum, quando fratri et coepiscopo in necessitate posito, regium parvi pendens edictum, materna plenus caritate occurrit, dolenti condoluit, patienti compassus est, indigenti largitus est, verba consolationis dedit, opem sanctæ intercessionis impendit; implens illud Apostolicum: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Cujus intentissima * ad Deum prece * fusa oratio, quem effectum habuerit, illico patuit. * *Sanmax.* utilissima * *Sanmax.* pro eo

nam una cum S. Gregorio Turonensi pro Theodoro intercedit, et suæ eum sedi restituit:

25 Nam cum Gregorio clarissimo et ecclesiastico *c* viro, Turonensi episcopo, regem apud Confluentiam *d* adiit; castrum ilud, quo Rhenus et Mosella, duo simul flumina, confluunt: ubi Childebertus rex aliquo tempore morabatur: quem ambo clari et summi Pontifices adeuntes, pro Theodoro interpellant, et ut ecclesiæ suæ restituatur, intercedunt: quorum suggestioni et petitioni rex continuo annuens, legatum, Felicem nomine, ad patruum in hæc verba dirigit: Te precor Dominum et patrem *e* meum, ut Theodoro episcopo nihil injuriæ inferas. Quod si feceris, confestim inter nos scandalum germinabit, erimusque discordia impediente disjuncti, qui debemus, amorem tuendo, esse pacifici. Acceptoque de hoc et de aliis causis responso, legatus discessit *f*. c d E e f

quorum meritis navis, quæ eos vehebat, ab interitu conservatur,

26 Morantibus autem apud prædictum castrum pontificibus, ad regium sunt invitati epulum; ubi cum tardiori jam hora demoratum esset, a mensa surgentes ad littus, amnem transituri, procedunt. Introëuntibus autem navim, ita, repentina cum eis irruente multitudine hominum, navis eadem onerata est, ut usque ad labium pene aqua pervenerit *g*: sed virtus Domini affuit *h*: quæ Sanctos ab hac necessitate liberavit, et navis meritis ipsorum *i* non sine admiratione multorum ad ulteriora portavit. g h i

Guntramnus Bozo ob læsam regiam majestatem capite damnatur:

27 Post hæc condicto inter se reges loco pro publicis regni utilitatibus simul utrique conveniunt. Affuit etiam cum eis et Magnericus, Treverorum episcopus. Tunc inito placito quidam ex primatibus Francorum, Guntramnus, cognomento Bozo *k*, pro diversis criminibus accusatus, majestatis reus, capitalis est sententiæ judicatus. Sed quia judicio præsens non erat, cum post datam sententiam hoc comperisset, ad mansionem Episcopi convolavit, et clausis mox ostiis, segregatus ab eo, clericis vel famulis, ait: Scio te, beatissime Sacerdos, magnum cum * regibus honorem habere. k F * *Sanmax.* coram

at minis ac blanditiis apud S. Magnericum conatur extorquere liberationem suam:

28 Et nunc ad te confugio, ut evadam. Ecce percussores ad ostium: unde manifeste scias, quod si a te non eruor, interfecto te, egrediar foris * et moriar. Manifestissime enim noveris, quia aut mors una nos occupat, aut par vita defensat. O sancte Sacerdos, scio namque te patrem communem cum rege esse filioque ejus, et novi quoniam quæcumque petieris ab eo, obtinebis, nec negare omnino poterit sanctitati tuæ quæcumque poposceris. Ideoque aut impartire * veniam, aut moriamur simul. Hæc autem evaginato ad Episcopum gladio dicebat. * *al.* foras * *al. et Sanmax.* impetra

sed frustra;

29 Turbatus tali auditu Episcopus ait: Et quid faciam, si hic a te teneor? Dimitte me, ut

EX MSS. * *al.* misericordiam regis l

ut eam, et deprecer pro te regem *; fortasse miserebitur tui. Et ille : Nequaquam, inquit; sed transmitte abbates et creditos *l* tuos, ut hæc, quæ loquor, exponant. Cum ergo ad intercedendum progredi non posset Episcopus, nec regi hæc, quæ mandaverat, ita nuntiata essent, repente ab hostibus vallatur domus, paratis ut ignem injicerent. Quod videntes clerici currunt, et effracto vi ostio, sacerdotem foras extrahunt, et sic miser ille ab irruentium * insana armatorum turba perimitur.

* *Sanmax.* irruente jam

reo ob sua scelera pœnam merito.

30 Credo non illius hunc fuisse meriti, pro quo Sacerdos intercederet. Qui si audire vellet Episcopum, imminens tum periculum evaderet *. Sed ad ostendendam tanti Viri caritatem, hæc diximus : qui non immemor Scripturæ sententiæ, quæ dicit : Erue eos, qui ducuntur ad mortem; paratus quidem exstitit, sed illius hunc, qui dignus non erat, malitia impedivit : nam quia perjurus et B homicida erat *m*; inde et consequenter, quod scriptum est de eo, impletum est : Virum injustum mala capient in interitum. Verum nos ista relinquentes, ad alia transeamus.

* *Sanmax.* evasisset

m

ANNOTATA.

a *Prodigiosam hanc lucem fere verbum de verbo refert Gregorius Turon. lib. 6, cap.* 24.

b *Pluribus de hac re disputavimus in Commentario prævio a num.* 82.

c *Ita hic ipsum agnominari puto, quia scripsit historiam ecclesiasticam Franciæ. Vide quæ superius notavimus de Fortunato.*

d *Notissimum etiam nunc et munitissimum sub diœcesi et ditione archiepiscopi Trevirensis castrum, vulgo* Coblentz *dictum.*

e *S. Gregorius Turonensis lib.* 8, *cap.* 13 *consonat, dicens :* Deprecor Dominum et patrem meum. *Ms. vero Sanmax.* patruum *habet. Sed nostram lectionem genuinam esse liquet, conformem utique S. Gregorio; qui ibidem addit :* Nullum enim latet, quod Childebertus rex alium patrem, nisi patruum non habet.

f *Rem contrahit biographus, pluribus et aliter apud Gregorium Turon. legendam loco mox allato.*

C g *S. Gregorius Turon.* impletaque est navis tam hominibus quam aquis.

h *Addit S. Gregorius Turonensis* non sine grandi miraculo : *et fortius, quam noster scriptor, sic rem exponit,* ut cum usque labium impleta fuisset *(navis)* mergi non posset.

i *S. Gregorius id attribuit S. Martino et aliis Sanctis :* Habebamus enim, *inquit*, nobiscum B. Martini reliquias cum aliorum Sanctorum, quorum virtute credimus nos liberatos. *Sed nota est in hujuscemodi occasionibus Sanctorum modestia.*

k *Tragicam Guntramni Bosonis catastrophen ex S. Gregorio Turonensi produximus in Commentario prævio a num.* 34.

l *Id est, fidos clericos, seu alios familiares, quibus fideret, Gallis* accredites. *Consule Glossarium Cangii.*

m *Vitia ejus ex S. Gregorio Turon. pluribus descripsimus in Commentario prævio num.* 86.

D

CAPUT IV.

Viri sanctitate insignes Sancto synchroni; S. Wolfilaici virtutes ac vita supra columnam.

Nominat auctor plures viros Sanctos, qui S. Magnerici tempore a b

Erant præterea in hujus præclari Pontificis tempore plurimi monasticæ institutionis et religionis vira *a* in suburbio seu territorio Trevericæ urbis commorantes per opportuna quædam loca, et præcipue Vosagi *b* vasta, Deo militantes; alii prope, alii longe singularem sive communem vitam ducentes. Sicut enim in Rustici pontificis tempore servum Dei Goarum, sic et in hujus quoque Sacerdotis temporibus quemdam ex Italia virum Dei, summæ sanctitatis gratia præditum, in ejus diœcesi novimus conversatum, aliosque quamplurimos servos Dei; Paulum, Ingobertum, Disibodum, Wandalinum, Vosago in ejus episcopio comperimus militasse. E

vixerunt in monte Vosago; ac S. Columbani c

32 Siquidem ipse saltus ab Alpibus et Jurano *c* monte incipiens, ad Trevericæ urbis proximos pene usque fines pertingit, sed per extenta montium juga septemtrionetenus per decursum Rheni late protenditur. In hoc igitur, ut diximus, saltu multi tunc servorum Dei monasteria, quæ usque hodie permanent, construentes, cœnobialiter conversabantur. Tunc etiam quidam vir Dei Carilessus vitam illic eremiticam duxit. Tunc quoque famosus ille ex Hibernia Columbanus cum suo Gallo adveniens, prædicta Vosagi densa expetiit, et monasterium Luxovio statuit.

gesta quædam perstringit, uti et S. Banti, d e f g h

33 Sed tempore Theodeberti regis *d*, quem Magnericus a lavacro sancto suscepit, infectatione Theoderici germani ejus, qui Burgundiam tenebat *e*, nec non et aviæ illius Brunechildis *f*, velut alter Elias Jesabelis persecutionem fugiens *g*, Italiam petiit et monasterium Bobio *h* condidit. Sed et in confiniis ejusdem Vosagi, quæ Trevericæ adjacent civitati, aliqui ex ipsa urbe vasta F eremi, quæ tunc silvosa et inculta, nunc autem sarta videntur, expetentes, secretam illic et arduam vitam ducebant. Ex quibus venerabilis quidam ex eadem urbe presbyter Bantus remota ab hominibus Deo conversatione serviebat.

nec non S. Beati, fratris ejus.

34 Alter vero ejusdem germanus, nihilominus presbyter, merito et nomine Beatus, beatam et ipse vitam et ducens, conversatione eximia celebris, et sanctitate clarus extitit : quorum in eadem nunc urbe reliquiæ venerantur, et ad sepulchra eorum signa nonnumquam sanitatesque efficiuntur. Nam plerosque incommoditate febrium laborantes celeriter illic vidimus remedia consecutos, sed et nos hoc ipsum in nobis Dei beneficium experti et fideliter adepti sumus.

De S. Wolfilaico i

35 De memorato autem superius ex Italia viro, cujus et ipse Magnerici temporibus vitæ conversationisque fuerit, libet ut dicamus. Hic etenim vir, genere Longobardus, nomine Vulsilaicus *i*, cum adhuc puer esset, audita fama bonarum virtutum sancti Martini, cum primum se pro amore Dei in illis Galliarum partibus contulisset, beato Aredio abbati, cujus superius mentionem

A mentionem fecimus, discipulo sancti Nicetii conjunctis, in ejus monasterio conversatus est, a quo et ecclesiastice instructus, sanctarum Scripturarum notitiam meruit; ita ut eas assidue meditando et legeret et scriberet.

plura commemorat, 36 Cujus etiam opimæ conversationis et sanctitatis imitator effectus, jejuniis et vigiliis et orationibus indesinenter vacabat, et eleemosynas faciebat. Jam vero proficiente ætate cum quadam vice cum eodem abbate Turonis venisset, et ad sepulchrum sancti Martini orasset, parum pulveris de ejus sepulchro sibi pro benedictione collegit, et ad collum suspendit, quod monasterio *k* revertens cum detulisset, ita pulvis in capsella crescere cœpit, ut foras scaturiret.

ac præsertim mirabilem ejus vitam supra columnam, 37 Quo viso miraculo, amplior ei erga patrocinium sancti Martini amor excrevit. Deinde ad Magnericum episcopum veniens, locum in territorio Trevericæ urbis expetiit in monte, qui non longe ab Evosino castro VIII milibus distat; in cujus cacumine oratorium *l* nec non B habitaculum proprio labore construxit, sed et columnam sibi statuit, secundum quod Simeonem *m* sanctum illum Antiochenum legimus fecisse; in qua cum grandi cruciatu sine ullo pedum perstabat tegmine. Itaque cum hiemus tempus advenisset, ita glaciali rigore urebatur, ut ungues pedum ejus vis algoris excuteret, et in barba ejus aqua congelata dependeret. Cibus ejus et potus erat parumper panis et oleris, ac modicum aquæ.

eversionem simulacri 38 Reperit tamen ibi Dianæ simulachrum, quod ex fece adhuc gentilitatis superaret, quodque a stulto rusticorum populo colebatur. Verum ubi ad eum ex proximis villulis multitudo confluere cœpit, prædicabat jugiter, nihil esse Dianam, nihil esse simulacra, vana prorsus esse et diabolica omnia, quæ colebantur. Flexit Domini misericordia mentem rusticam, ut scilicet relictis idolis Dominum sequerentur.

Dianæ, 39 Et quadam die convocatis his, qui secum erant, fratribus, cum simulacrum illud immensum tentaret evertere, facta difficultate (nam super ipsum antiquus hostis sedebat) orationi incubuit, rogans, ut virtus illud divina destrueret. Et surgens ab oratione, immisso fune simulacrum illud ad terram diruit: quod malleis comminuendo, in pulverem redegit. Illico autem malitia diaboli apparuit: nam statim antequam cibum vir Dei caperet, ita totum corpus ejus C repletum est pustulis, ut nullus in eo locus inveniretur vacuus, quem vel unus tegere posset digitus.

et miraculosam oleo S. Martini sanationem. 40 Ingressus itaque solus ecclesiam, ad orationis virtutem confugit, et coram sancto altario nudum se exposuit: acceptaque ampulla, quam de basilica sancti Martini secum detulit, omnes artus sui corporis oleo sancto perunxit; moxque sopori se contulit. Circa medium vero noctis cum ad cursum *n* solito reddendum surrexisset, ita sanum se reperit, ut nullius in corpore ulceris vestigia invenire potuisset. Ex quo apparet ulcera illa immissione diabolica viro Dei inflicta, sed curatione angelica divinitus fuisse sanata.

ANNOTATA.

a *Sanctorum virorum paulo post hic insertum catalogum elucidabit* § 2 *Commentarii prævii.*

b *Mons* Vosagus *seu* Vogesus *(quæ et silva, ab altera silva synonyma in pago ac diœcesi Laudunensi distinguenda) apud Hadrianum Valesium in notitia Galliarum ex Georgii Furnarii Orbis notitia, dicitur* in Lingonibus oriri, et per XXV Leugas versus ortum excurrere ad Basiliam, qua Burgundiam a Lotharingia dividit: inde ad Septemtrionem versus continuis jugis et perpetuis Lotharingiam ab Alsatia seperantem per L Leugas ad Moguntiacum et Augustam Trevirorum expandi. Ex eo monte Mosam, Mosellam, Ararim seu *Sauconnam, Helellum vel potius Ellum* (Ill) *aliosque non obscuros fluvios* dimitti; *alios in Oceanum, alios in mare Gallicum partim suo, partim alieno ore perventuros; prout ibidem invenies. Videri etiam possunt, quæ de hoc monte jam pridem dicta sunt ad diem* 8 *Februarii, pag.* 170. Ex Mss.

c Mons Juranus, *Sequanos ab Helvetiis discludens, extenditur a Rheno fluvio versus Basileam in Septemtrionem, usque ad Rhodanum fluvium et Beugesiam provinciam in Meridiem, varia pro diversitate locorum sortitus nomina. Plura Geographi.* E

d *De eo plus semel jam egimus; mortuo ad annum* 612, *ut videsis apud Pagium.*

e *Meminit de illo noster Commentarius num.*14; *qui obiit anno* 613.

f Brunechildis, *uxor Sigeberti, Childeberti II mater, Theodeberti ac Theodorici, de quibus superius, avia fuit: de qua plura invenies die* 22 *hujus in annotatis ad cap.* 5 *Vitæ S.Menelei abbatis lit.* d.

g *Adi librum* 3 *Regum cap.* 19.

h Locum *hunc* veterum traditio Bobium nuncupabat ob rivum in eo loco, hoc nomine fluentem, *uti dicitur in Vita S. Columbani abbatis apud Mabillonium Act. Benedict. sec.* 2, *pag.*28; *ubi et de ejusdem primordiis. Est vero hoc monasterium situm in Liguria ad amnem Trebiam, sub ducatu Mediolanensi, uti ex Ferrario diximus ad diem* 2 *Januarii pag.* 94.

i *Quædam huc spectantia præmisimus in Commentario prævio num.* 15 *et* 87.

k Monasterium Lemovicino in termino *vocatur ibidem apud S. Gregorium Turonensem; Athanense videlicet, uti notat hic Ruinartius, quod hodie, sicut addit, conditoris sui Aredii nomine insignitur.*

l Magnam basilicam *vocat Gregorius Turon. loco proxime citato.* F

m *S. Danielem Stylitam dedimus* 5 *Februarii; de quo Gregor. Turon. de Gloria Confessorum cap.* 26.

n *Id est,* ad recitandum divinum Officium.

CAPUT V.

Sancti suasu columnam relinquit S. Wolfilaicus; ejusdem mors, translatio et miracula.

S. Wolfilaicus columnam relinquit Ecclesiam ante, quam, ut diximus, ædificavit, Episcopo sacrante, beati Martini aliorumque sanctorum reliquiis illustravit; secumque nonnullos illuc fratrum aggregavit. Ipse deinde in magna contritione carnisque maceratione Deo serviens, in prædicta columnæ suæ statione permansit. Ad quem cum ex more visitationis gratia venisset Episcopus *a*, videns eum tanto labore cruciari, et pene corpore debilitari,

EX MSS.

tari, compassus ejus doloribus, ad viam illum discretionis revocat, atque hac statione desistere utiliter suadet.

suasu S. Magnerici;

42 Non enim, inquiens, æqua est via, quam sequeris, nec Simeoni illi Antiocheno, qui in columna stetit, comparari poteris, sed, [nec] cruciatum hunc te ferre loci facit * positio: quia videlicet maximam regio illa persæpe dicitur hiemem sustinere. Descendebat * itaque; et cum fratribus, quos secum aggregaverat, commanere jubet; magis hoc, id est communiter vivere, aliosque instruendo et ædificando lucrari, utilius esse approbans. Quam jussionem licet moleste suscipiens, quia tamen incongruum valde visum est, præceptis non obedire pontificum, descendit, et cum fratribus, quos aggregaverat, ambulabat, cibumque capiebat.

* *Sanmax.* permittit

* *Sanmax.* descendere

b

et ne amplius is ad illam rediret, ipsam destrui jussit.

* *Sanmax.* dirigens

43 Præcavens autem Episcopus *b*, ne iterum ad stationem illam rediret, iterum laboriosa et humanis inexperta viribus præsumeret, quadam die eum ad alium locum destinans *, operarios interim venire fecit, qui prædictam columnam incidentes, ad terram miserunt, finemque stationi illi simul et præsumptioni fecerunt. In crastinum homo Dei reversus, et columnam destructam reperiens, satis ægre tulit, sed meliore... via usus cum fratribus deinceps se contulit, multosque post hæc secum ædificando, et ad meliora exemplis incitando, in sancta conversatione ad extremum usque permansit.

B

S. Wolfilaici, obitus,

44 Qui bonorum quotidie operum incrementis proficiens multisque clarus virtutibus, in pace quievit; sepultusque est in eodem loco in ecclesia, quam ipse ædificavit: in qua multa apud ejus memoriam referuntur fieri crebro miracula. Nostris namque temporibus [cum] locus idem ex antiquitate esset neglectus, contigit ob incuriam, ut quadam die incendium pateretur; cumque ecclesiam et omnia in circuitu ignis absumeret, mœsti cives turbari de beati viri reliquiis cœperunt; quia eos velut fracto loculo detectas antiquitas reliquerat.

ossa ab incendio intacta; translatio:

45 Et ecce sedato igne diligenter intuentes, ossa sancti viri ab hac ustione intacta reperiunt, et ita illæsa, ac si nullum locus ille incendium esset perpessus. Impletum est quod de Sanctis Psalmista dicit: Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex eis non conteretur. Ob hanc ergo causam et maxime quia solitarius erat locus, et, ut diximus, ex antiquitate neglectus, visum est domno venerabili Egberto *c*, Treverorum pontifici, ut ossa sancti viri ad alium transferentur locum, in memoratum videlicet superius castrum, quatenus ibi majori cum reverentia et custodia reliquiæ [sanctæ] haberentur.

C

cujus tempore mansit feretrum a pluvia non madefactum.

46 Inito itaque consilio, cum ex eodem loco, præsente episcopo, et clericis vel monachis, aliaque populi frequentia deportarentur, euntibus illis, cum jam ad fluvium processissent, larga super eos repente pluvia descendit; sed ut tanti viri meritum Dominus ostenderet, per omne, quod a prædicto loco ad castrum tendebatur spatium, cum nequaquam imber cessaret, super sancti viri feretrum nec una pluviæ gutta cecidit, ita ab illa inundatione protectus, sicut a supra dicta fuerat ignis læsione defensus.

47 Et hæc de tanto viro dicta sufficiant: quæ idcirco in hac, quam scribimus, historia, posuimus, ut quales hujus apostolici Viri temporibus, in ejus episcopio fervidi * fuerint, quantumque se erga ipsos devotum et industrium reddiderit, cognoscamus. Ipse etiam Gregorio Turonensi episcopo, egregio et ecclesiastico * viro, et tunc temporis clarissimo, contemporalis et familiaris fuit, ita ut ea, quæ de hoc Pontifice idem Gregorius in libris suis commemorat, ipso referente cognoverit: ex quibus etiam ista decerpsimus.

D

Sancti tam Sancto nostro, sunt gloriosi quam S. Gregorius Turon. ejus familiaris;

* *Sanmax.* servi Dei

* *Sanmax.* scholastico

48 Nam ea quæ de Theodoro et fusa pro eo ad tumbam sancti Maximini oratione superius diximus, ab ejus se percepisse ore asserit. Sed quia sancti viri jactantiam fugiendo virtutes suas omnino docebant, ab erroneo spiritu se convitiatum retulit, curationis vero suæ gratiam omnino reticuit, quam videlicet in illa obsessa femina, orante sancto Sacerdote, nullo modo credimus prætermissam. Quid enim miracula in illo necesse est requirere; quæ plerumque *d* et reprobis sunt communia? Præsertim cum Dominus dicat: Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Cum potius alia et meliora in eo elucerent virtutum insignia.

cujus testimonio usus est biographus noster.

d

E

49 Nam alere esurientes, vestire nudos, suscipere hospites et peregrinos, intelligere super egenum et pauperem, misericordia * inopiis subvenire, nec non reliqua eleemosynarum ac pietatis opera, ista in eo fuerunt specialia. Ad hoc, orationi assidue deditus, in lucrandis animabus solicitus, in doctrina præcipuus, ut pastor bonus pro commisso grege vigilabat, et ut duplicata Domino talenta referret, Præsul optimus satagebat.

qui præ miraculis S. Magnerici virtutes extollit.

* *Sanmax.* miserorum

ANNOTATA.

a *Apud S. Gregorium Turon. sic dicitur:* Advenientibus episcopis, qui me magis ad hoc cohortari debuerant, ut cœptum opus sagaciter explicare deberem, dixerunt mihi: Non est æqua hæc via, quam sequeris, *etc.*

b S. Magnericus *videlicet, in cujus diœcesi ista gerebantur.*

c *Archiepiscopus ille Trevirensis occurrit pluries in Annalibus Broweri, mortuus anno* 993; *cujus* memoria passim in ritualibus et antiquis Fastorum libris ad nonum diem Decembris annotata, *teste eodem auctore.*

F

d *Expressionem hanc mitigavimus in Commentario præv. a num.* 82.

CAPUT VI.

Sancti elogium ex Fortunato; constructæ in honorem S. Martini ecclesiæ: mors, sepultura; altare post ejus apparitiones erectum; monasterii Trevirensis vicissitudines; ejusdem reditus ad monachos; hujus Vitæ scriptor.

Nec nostro ista necesse est de eo approbare testimonio; cum veridicus [ille] de tali

Profert auctor Sancti elogium

A tali sacerdote auctor Fortunatus metrice ita scribit:

Culmen honorificum, patrum pater, archisacerdos,
Pontificale decus, proficiente gradu.
Quem fidei titulo * meritis erexit in altum,
Ecclesiæ * caput distribuente Deo.
Discipule egregii, bone Magnerice, Niceti,
Nominis auspicium *, magne, canendo * tui:
Clare sacro merito, tanto informante * magistro,
Quem reparas operum fructificante loco:
Cujus opime * sequax *, Sancto et vestigia servans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
51 Auctorisque pii successor dignus haberis,
Heredisque sui, frugiparensque manet.
Crevit post obitum pater, et te crescere fecit:
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.
Grex alitur per te * vice præcessoris alumni *,
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandus, jucundus honore ministris
B Carius et populis, pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum,
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis, venerande Sacerdos,
Ut commissa tibi dupla talenta feras.
Pro Fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma pater.

* Brow. titulus
* Brow. Ecclesiæque
* Brow. auspicio
* Brow. canende.
* informate
* forte opima
* Sanmax. sagax ex Fortunato;
* Brow. pro te
* Brow. alumne

et constructas in honorem S. Martini ecclesias.

52 Hic quoniam maxime erga patrocinium sancti Martini semper devotus exstitit, nonnullas in episcopio suo ecclesias *a* in ejus honore construxit atque sacravit, et in hoc quoque imitatus magistrum. De quo idem Fortunatus dixit:

Templa antiqua Dei in priscum renovavit honorem

Ex quibus illam esse præcipuam constat, in qua ipse corpore requiescit. Alteram in monte in pago Vabrensi *b*, quam beati Martini reliquiis illustravit. Tertiam in villa, quæ Vasta domus *c* dicitur, quam suæ ditionis et proprietatis esse, majorum relatu didicimus.

Obitus, sepultura, apparitio de aptando eidem altari;

53 Sicque venerabilis et Deo dignus Pontifex meritis clarus, virtutibus plenus, omnibus gratus, omnibus carus, cum jam provectæ esset ætatis, tandem febre corripitur, et vitæ suæ terminum octavo Kalendas Augusti sortitur. Corpus ejus in ecclesia, quam diximus, est tumulatum *d*: ubi et condigno nunc honore C veneratur. Quod cum aliquibus ab altari pedibus esset humatum, nostris temporibus cuidam honesto viro, nomine Berengario, ejusdem ecclesiæ monacho, per visionem sanctus Sacerdos apparuit, et ut sepulchro altarium aptaret, præcepit.

quod post alias Sancti apparitiones executioni mandatum fuit.

54 Quod ille velut somnii deliramenta parvi pendens, neglexit; sed iterum secunda est vice admonitus; tertia a sacerdote increpatus, reverendissimo Domino Roberto * episcopo cuncta quæ viderat retulit. Tunc episcopus ad ecclesiam veniens, et videns, quo modo se res haberet, secundum jussionem sancti Sacerdotis sepulchro altarium sanctum jussit aptari, et desuper, ut moris est, fastigium componi *e*.

* Sanmax. Rothberto

Recensentur ecclesiæ S. Martini

55 Ecclesia autem illa longo ante tempore cum senio esset lapsa, et vastatione Normannica cum ipsa civitate succensa, a Radbodo *, Trevirensi episcopo, Reginoni abbati religioso cuidam et ecclesiastico viro est commissa, et ab eo in pristinum statum reparata *f*: et sicut in antiquissimis ecclesiæ cujusdam privilegiis reperimus, locus ille semper sub abbatibus erat, quia ibi, ut in aliis præcipuis urbis ecclesiis, statio, sedes et domus erat pontificis, et ex traditione beati Magnerici abbates illius loci pontificalibus infulis utebantur, et vices pontificis ad divinum Officium tantum illo absente exsequebantur.

* Sanmax. Rothbodone

EX MSS.

nec non abbatiæ,

56 Defuncto autem Regione abbate, laicis est in beneficium data, et primum Bertoaldo, fratri Rotgeri episcopi, deinde aliis atque aliis abbatiola illa divisa *g*. Sicque post hæc, tempore Alberti ducis sive Conradi, cum sæpe maxima esset regnorum turbatio atque seditio, ab invasoribus sanctæ Ecclesiæ episcopium omne ita prædatum est, ut nihil infra et extra civitatem esset, quod non sibi maligni invasores vendicarent sive deriperent.

vicissitudines;

57 Nullus tunc in sacerdotem Dei erat respectus, nulla Ecclesiæ reverentia, ubique rapinæ, E ubique incendia: mœnia destruebantur, ecclesiæ violabantur. Tunc quoque et ipse locus ab inimicis Dei velut a rabidis canibus et lupis invasus, ita destructus est, ut præter parietes ecclesiæ, non dicam ædificia, sed nec ipsa remanerent fundamentorum indicia. Ecclesia quoque eadem detecta atque deserta bestiis nonnumquam erat pervia.

quem locum postea monachis recuperavit Theodoricus ep.,

58 Unde tandem miseratione summa ductus, venerabilis Theodoricus episcopus cum jam suo tempore locum regia auctoritate recuperasset, cuidam religioso abbati Angilberto, servo Dei, ad regendum tradidit, concessis ei nonnullis, quæ ad eumdem locum pertinent, possessionibus, scilicet ut regularem ibi vitam instituende, monachorum deinceps esset commoratio: nec jam in beneficium concederetur, ut hac quasi occasione locus periclitaretur, sed Deo sanctisque ejus serviens, episcopi, non tyrannorum dominio subderetur.

et auctoritate Apostolica roboravit:

59 Qui videlicet abbas monasterialem ibi habitationem faciens, modicam quidem sed honestam Deo servientium monachorum illic adunavit congregationem, ejusque industriæ bonisque studiis episcopus congaudens, cum Romam pergeret, testamentum inde Apostolicum detulit, per quod locus ille nuper restauratus privilegio præfatæ traditionis subnixus, sua deinceps firmitate maneret, monachisque concessus, episcopi non alterius potestati pareret, ipsique F monachi regulariter vivendo secundum constitutionem sancti Benedicti, electionem quoque haberent.

cui postmodum præfuit auctor hujus Vitæ.

60 Sicque locum Apostolica præceptione munitum cum per aliquod tempus prædictus vir gubernasset, ab hac luce feliciter discessit; post quem eamdem cellam, annuente episcopo *h*, cum fratrum electione nos, qui hæc scribimus *i*, licet indigni, regendam suscepimus, et usque nunc, prout possumus, in vinea Domini, servi quamvis inutiles, laboramus: juxta quod discipulis suis Dominus dicit: Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis: adjuvante nos eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Habet Commentarius prævius* § 6 *quæ hanc translationem spectant.*

b *Circa hunc locum, num.* 28 *Commentarii prævii dictis adjungi possunt ista:* Castrum Vabrense,

EX MSS.

brense, quod villæ Ursionis propinquum erat, *ait S. Gregorius Turon. lib.* 9, *cap.* 9. *Vocari autem etiam nunc* le pais de Vaivre, *in notis ad hunc Gregorii locum testatur Ruinartius; cavendum monens, ne confundatur iste locus simul cum Vabrensi castro, vulgo* Vabres en Rouergue: *ubi monasterium sede episcopali auxit Joannes XXII, distractis ex Rutenensi diœcesi aliquot parochiis, ut ibidem addit.*

c *Browerus ad an.* 587, *num.* 74 *scribit in suo textu* Caradonum; *et ad ejus marginem* Caradunum.

d *Sepultura cum suis characterismis prævie explanata est num.* 56.

e *Causam, locum, tempus etc. translationis ibidem reperies num.* 57. D

f *Res ista exponitur ibid. num.* 35.

g *Alternantis circa monasterium Martinianum fortunæ, nunc secundæ nunc adversæ, vices dabit idem Commentarius a num.* 38; *unde plurima hic sequentia elucidari possunt.*

h *Hinc deduximus in Commentario prævio num.* 64, *nostrum biographum non monasterii Martiniani Trevirensis, sed alterius cujusdam monasterii antea cænobitam fuisse.*

i *Biographi hujus idiotismi delineantur in Commentario a num.* 61.

DE S. EBRULFO ABBATE

BELLOVACI IN GALLIA

B

G C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti cultus, ætas, abbatia, et Acta

E

CIRCA FINEM SEC. VI. S. Ebrulfum, qui hac die in variis Martyrologiis refertur,

Bellovacensis *ecclesia (est autem Belloacum seu Bellovacum nunc vulgo* Beauvais *antiqua Galliæ Belgicæ civitas) inter suos patronos veneratur* S. Ebrulfum XXVI *Julii, quamvis Martyrologia festum ejus hoc die memorent, et ipsa Acta illum* octavo Kalendas Augusti *obiisse testentur. Nescimus, quæ sit hujus transpositionis causa; sed eum collocamus hac die, secuti Acta et Martyrologia, inter quæ Usuardus auctus Reginæ Sueciæ hodie sic habet:* Belloacus, sancti Ebrulfi confessoris. *Saussayus more suo ex Actis prolixius contexuit elogium, quod tomo* I *Martyrologii Gallicani pagg.* 462 *et* 463 *videri potest. Castellanus in Martyrologio Universali eumdem Sanctum* XXV *Julii annuntiat. Ceterum in Bellovacensi Breviario anni* 1554 *sit de eo Officium* triplex *ut in tabula præfixa legitur, et ad Matutinum recitantur sequentia:* Adest dies veneranda Ebrulphi annua, in qua spreta gleba carnis triumphat cum angelis, percipiens immortalem Vir beatus gloriam, cujus nos illustras festo, tuearis merito; adjuva nos omnes Deus Ebrulphi precibus. *Oratio est de communi abbatum* intercessio *etc. Dein sequuntur Lectiones propriæ, quæ ex Actis desumptæ sunt.* C

seculo VIII vixisse contendit Cointius,

2 *De tempore, quo Sanctus noster vixit, non exigua est controversia: Mabillonius enim in Annalibus Benedictinis tomo* I, *pag.* 250, *et in Actis Sanctorum ejusdem Ordinis sec.* I, *pag.* 366 *mortem ejus circa annum* 600 *consignat; Cointius vero in Annalibus ecclesiasticis Francorum tomo* 4, *pagg.* 62, 63, 330, 331, 332, 333, 580, 581, 582 *et* 626 *variis ratiunculis persuadere nititur,* S. Ebrulfum *integro seculo juniorem esse. Cum autem hic ad differendam tamdiu Sancti ætatem inter alia argumenta producat diploma quoddam Chilperici regis Francorum, illud præmittendum duxi, ut quæstionis status clarius intelligatur. Antonius Loiselius in Monumentis Bellovacencibus pag.* 71 *testatur, sese istud diploma litteris Gothicis in cortice exaratum vidisse, et pag.* 362 *illud ita exhibet:* Chilpericus rex Francorum vir illuster. Cum et in hac vita brevi tempore maneamus, et ad mortem ineffugabiliter properemus, oportet, ut voluntatem Domini faciamus, et ecclesias vel Sanctorum venerabilium loca devote construamus, ut in perpetuum cum ipsis gaudere valeamus: hæc enim facientes Deo vero sine dubio poterimus placere, et cum Sanctis in perpetuum regnare.

asserens quoddam diploma Chilperici regis Francorum,

3 Igitur notum sit præsentibus et futuris, omnibus videlicet Agentibus nostri regni, quod olim paganis irruentibus in Francorum terras, ecclesiæ destructæ, monasteria quamplurima depopulata atque vastata sunt: ad quæ reædificanda cum noster animus, si facultas adsit, promptus omnino fuerint, domnus Dodo Bellovacensium venerabilis episcopus, atque charissimus noster Ebrulphus abbas cum aliis quamplurimis fidelibus nostri regni adierunt serenitatem nostram obsecrantes, ut quamdam ecclesiam, quæ ab antiquis in honore beati Petri Apostolorum principis et S. Luciani martyris prope muros Belloacæ urbis fuerat constructa, sed postea quidem paganorum irruptione vastata atque destructa est, pro salute nostra et totius nostri regni conservatione, nostra munificentia et largitate reædificare juberemus, et eam nostra ditione nos et nostri successores in perpetuum tueremur. Et ideo maxime quoniam hanc eamdem ecclesiam genitores nostri datis quarumdam suarum possessionum redditibus ad meliorem statum quondam reducere voluerunt, et ejusmodi negotii providentiam jam supra nominatæ urbis episcopis committentes crediderunt; sed illi alia cupientes commissum hoc neglectum reliquerunt. F

hic transcriptum,

4 Nos itaque ad id peragendum invitat permaxime, quod his diebus nostris sanctus Lucianus martyr Domini gloriosus jam superius dicto Ebrulpho abbati per visionem apparuit, et ut sanctum Maxianum, qui adhuc in monte Milio latebat, et illius consortio pro Christo cæsum, de abdito sublevaret, et secum in eadem ecclesia conderet, rogavit; ubi ex ea die, qua

qua jussio ista peracta est, multa et præclara miracula per sanctos illos Martyres in illo loco demonstrantur. Igitur quia petitio justa et utilis existit, nos nostram auctoritatem præstantes, per hanc decreti nostri paginam decernimus atque roboramus, ut ecclesia in honore beati Petri Apostolorum principis, et sancti Luciani martyris, ubi ipse sanctus in corpore quiescit, quæ est prope muros Belloacæ urbis, nostræ liberalitatis munificentia reædificetur, et ut famulatibus omnipotentis Domini aptetur, atque cœnobitæ Deo famulantes ibi congregentur: ita tamen ut in perpetuum sub nostra nostrorumque successorum, regum videlicet Francorum, ipse locus et ecclesia consistat, nec eam aliquis alicui aliqua potestate seculari prædito credat vel subdat. Si quis autem, quod minime credimus, contra hoc nostræ sanctionis decretum aliter, quam a nobis dictatum est, agere voluerit, et hoc præceptum nostrum temerare tentaverit, iram summi Judicis, pro cujus nomine et amore nos ista roboravimus, incurrat, et quantamcumque possessionem habere videtur, legibus amittat, et insuper exul et profugus a potestate totius regni fugiens recedat. Quod quidem nostræ serenitatis decretum, ut pleniorem vigorem obtineat, anuli nostri impressione astipulari fecimus, atque manu propria subsignantes roboravimus.

Signum Chilperici gloriosi regis.

Ego Eltritus palatinus scriptor recognovi.

Datum anno Dominicæ incarnationis DCVI, Indictione nona,

Anno regni Chilperici regis XXII.

Actum Rotomagi in generali conventu III Nonas Maii mensis.

quod, si genuinum est,

5 *Annus Dominicæ incarnationis, præterquam quod hic vitiose scriptus sit, in regiis istius temporis diplomatibus notari non solebat, ut Cointius aliique ultro fatentur. An etiam is annus Gothicis litteris in cortice expressus fuit? Si ita est, totum donationis instrumentum suspectum redditur, et saltem constat, illud non esse autographum. Præterea Cointius ad annum Christi* 716 *num.* 4 *profert diploma aliud Chilperici, quod est* stylo exaratum valde barbaro, *ut ipsius verbis utar: at ego in diplomate jam supra exhibito, quod etiam Cointius ad annum Christi* 716 *num.* 5 *refert, et eidem Chilperico attribuit, tantom styli barbariem non invenio. An stilus diplomatum uno eodemque anno mutatus est? Sunt et alia, quæ me de istius diplomatis veritate dubitare cogunt, de quibus videri potest Germonus noster in Disceptatione de veteribus regum Francorum diplomatibus. Cointius autem loco proxime citato tale de hoc instrumento fert judicium:* Chartam pro monasterio sancti Luciani prope muros civitatis Bellovacensis a Chilperico rege, priusquam ad bellum procederet, hoc anno (*nempe* 716) Compendii datam putamus tertio Nonas Maii. Nihil in hac charta legitur, quod historicæ veritati repugnet, modo Chilperici regis nomine Chilpericum tertium intelligas. *At ego contendo, diploma istud (an verum an falsum sit, nunc non disputo) Chilperico primo adscribendum esse, et Cointium hic toto seculo a vera chronologia aberrare, ut jam quibusdam argumentis evincere conabor.*

contra ipsius conjecturas Chilperico I attribuendum est.

6 *Imprimis hæc Cointii opinio funditus evertit Acta nostra, in quibus num.* 5 *dicitur Sanctus noster ad abbatialem dignitatem evectus* suasu Fredegundis reginæ, *quæ ante finem seculi* VI *e vivis excessit. Memorantur etiam aliæ personæ, quarum ætas cum systemate Cointiano componi non potest, ut in annotatis observabimus. Acta autem illa, jam ab aliquot seculis exarata, tamdiu merito defenduntur, quamdiu non probantur manifeste falsa. Præterea ipse Cointius ad annum Christi* 634 *num.* 8 *ex Vita S. Eligii, ab Audoeno coævo scripta, refert sequens fragmentum:* Inter cetera bonorum operum insignia, multa Sanctorum auro argentoque et gemmis fabricavit sepulcra id est Germani, Severini, Piatonis, Quintini, Luciani, Genovefæ, Columbæ, Maximiani, et Loliani ac Juliani, adhuc autem et aliorum multorum *Constat autem ex Martyrologio Usuardi ad diem* VIII *Januarii, Maximianum vel Maxianum et Julianum fuisse Luciani socios, ut in Actis nostris ad eam diem fusius explicatum est. Jam vero sic argumentor ad hominem: si S. Eligius, qui seculo* VII *obiit, sepulcrum S. Maximiani auro argentoque ornaverit, quomodo Chilpericus tertius seculo* VIII *in suo diplomate dicere potuit sequentia:* Nos itaque ad id peragendum invitat permaxime, quod his diebus nostris sanctus Lucianus martyr Domini gloriosus jam superius dicto Ebrulpho abbati per visionem apparuit, et ut sanctum Maxianum, qui adhuc in monte Milio latebat, et illius consortio pro Christo cæsum de abdito sublevaret, et secum in eadem ecclesia conderet, rogavit. *Quomodo, inquam, hæc Chilpericus tertius, tot annis S. Eligio posterior, dicere potuit, si* nihil in hac charta legitur, *teste Cointio,* quod historicæ veritati repugnet. *Hæc tamen facile conciliantur, si ad Chilperici primi tempora cum Louveto, Loiselio, Mabillonio aliisque referantur.*

Contra eumdem Cointium ostenditur,

7 *Neque certiores sunt Cointii conjecturæ ob quas contra expressam Actorum nostrorum assertionem contendit,* S. Ebrulfum *non fuisse S. Fusciani, sed S. Luciani abbatem.* Valde autem probabile est, *inquit Cointius in Annalibus ad annum Christi* 696 *num.* 24, beatum Lucianum apparuisse abbati ecclesiæ, in qua quiescebat, et ad quam e monte Milio socium martyrii transferendum monebat, ut qui passione juncti fuerant, sepultura quoque jungerentur. Deinde Ebrulphus abbas Chilpericum regem pro instauranda sancti Luciani martyris ecclesia convenit, nec illud negotium, nisi præfuisset eidem ecclesiæ, tam diligenter promovisset. *At hisce ratiunculis oppono diploma Chilperici, in quo juxta ipsum* nihil legitur, quod historicæ veritati repugnet. *In illo autem Chilpericus præter alia in honorem S. Luciani decernit, ut* cœnobitæ Deo famulantes ibi congregentur. *Unde sequitur, necdum tunc temporis illic constitutum fuisse cœnobium. Quomodo igitur* S. Ebrulfus *in eodem diplomate vocatur abbas? Quomodo a Cointio dici potest abbas S. Luciani, ubi nulla adhuc erat monachorum congregatio? Verosimillimum itaque est,* S. Ebrulfum *fuisse abbatem S. Fusciani, ut Acta nostra testantur.*

quod S. Ebrulfus non fuerit abbas S. Luciani,

8 *Porro falsum esse arbitror, quod Cointius ad annum Christi* 683 *num.* 10 *cum Sammarthanis tam confidenter asserit de monasterio S. Fusciani; nempe prima illius fundamenta initio seculi* XII *jacta esse ab Inguerrano comite Ambianensi: nam Cointius ad annum Christi* 555 *num.* 20 *inventionem S. Fusciani referens describit inventionis istius historiam ex codice Ms. Francisci Duchesnii, in cujus fine hæc leguntur:* Tunc Childebertus rex, piissimus princeps, præfatorum

AUCTORE G. C.

AUCTORE G. C.

* an. non corpora?

præfatorum carpenta * in eodem loco cum digno præcepit sepeliri honore, atque insuper aulam templi fideli jussit devotione construere, per quos sanctos Fuscianum et Victoricum atque Gentianum martyres Christus dominus plura inibi dignatus est monstrare miracula. *Equidem fateor, hic non exprimi monasterium, quod cum illa ecclesia in honorem Martyrum constructum sit: attamen quid miri, si aliquot monachi ad eam ecclesiam administrandam adhibiti fuerint, et ita locus paulatim in monasterium excreverit, quod a primo martyre nomen sancti Fusciani traxerit, et cui* S. Ebrulfus *præfuerit? Quid etiam vetat, ecclesiæ illic ædificatæ paulo post additum fuisse cœnobium, præsertim cum id diserte affirment Acta nostra, quibus tamdiu adhærebo, donec ea quis manifestæ falsitatis convicerit.*

sed S. Fusciani,

9 *Potius itaque assentior Mabillonio, qui in Annalibus Benedictinis tomo* 1, *pag.* 138 *de istius cœnobii origine ita loquitur:* Ad hunc annum (*videlicet* 555) Carolus Cointius revocat inventionem corporum sanctorum martyrum Fusciani, B Victorici, et Gentiani, qui tempore Diocletiani in pago Ambianensi martyrium passi sunt, via publica, eo scilicet in loco, ubi sancti Fusciani monasterium hactenus cernitur; sepulti non longe ab hoc loco in vico Sanctis postmodum appellato, ubi etiam nunc eorum cenotaphia visuntur. Honoratus Ambianensis episcopus, præmonito cælitus Lupicino presbytero, ejus elevationis auctor. Childebertus rei fama permotus sacra inde corpora amovere cum non potuisset, in eorum martyrii loco basilicam construi jussit, in qua reponerentur. Hinc initia monasterii sancti Fusciani in Nemore, ex quo sancti hujus martyris, uti et sanctorum Victorici ac Gentiani reliquiæ Ambianos delatæ sunt, atque in majori ecclesia collocatæ: inde postea translatæ, Gentiani quidem in monasterium Corbeiense, Victorici vero Augustam-Viromanduorum; tametsi Ambianenses id pernegent. Sancti Fusciani monasterio, quod quinto ab ea urbe milliari, in veteri Parisiensi via situm est, præfectus fuit paulo post Ebrulfus abbas Bellovacensis suasu Fredegundis reginæ, quæ illum maxime venerabatur..... Processu temporis eversum fuit sancti C Fusciani monasterium, quod Ingelramnus comes seculo decimo exeunte instauravit. *Mabillonius haud dubie pro* seculo decimo exeunte *hic dicere voluit* duodecimo ineunte, *ut patet ex tomo* 5 *Annalium pag.* 479, *ubi ad annum* 1105 *num.* 104 *ita scribit:* Jacuerat ad id tempus ruinis consepultum sancti Fusciani monasterium apud Ambianos, de quo in primo volumine egimus: sed tandem ab Ingelramno Bovensi comite restauratum est. *Hæc Mabillonii sententia optime concordat cum Actis, de quibus jam pauca præmonebo.*

et quædam de ipsius Actis prænotantur.

10 *Vitam* S. Ebrulfi, *ex Ms. Bellovacensi desumptam, inter collectanea nostra inveni. Scripsit eam stylo brevi et sincero auctor anonymus, quem Mabillonius post seculum* IX *vixisse colligit. Alii divinant, eum seculo* XII *floruisse. Ego nihil certi de illius ætate comperire potui, nisi quod scripserit post Sancti translationem, quæ circa medium seculi* IX *Bellovacum facta est, ut Mabillonius observavit in notis ad* S. Ebrulfi *Vitam, quam inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* 1 *a pag.* 366 *typis vulgavit. Ceterum circa hæc Acta inutili indagatione me occupavit Jacobus Longus, qui nuper Bibliothecam* D *historicam Galliæ edidit: cum enim in ea pag.* 246 *ad num.* 5310 *legerem* Vita sancti Ebrulfi abbatis auctore coæquali, *et Longus ibidem assereret, eam a Surio ad diem* XXVI *Julii inter Vitas Sanctorum referri, cœpi Surium volvere ac revolvere; sed illic toto mense Julio nullam* S. Ebrulfi *mentionem reperi. Cum autem in eadem Bibliotheca ad numerum sequentem Longus affirmaret, Vitam ejusdem ab anonymo scriptam esse, eamque a Mabillonio Actis Sanctorum sui Ordinis tomo* 1, *pag.* 336 *insertam esse, inspexi locum citatum; at neque hic quidquam de* S. Ebrulfo *inveni. Consulens itaque indicem istius tomi detexi Acta duplicis* Ebrulfi: *et priora quidem* S. Ebrulfi *abbatis Uticensis pag.* 354; *alia vero nostri* Ebrulfi *pag.* 366. *Hinc suspicatus sum, utrumque hunc sanctum Abbatem ob nominis similitudinem a Longo confusum esse, ac tandem apud Surium die* XXXIX *Decembris inveni Vitam* S. Ebrulfi *abbatis Uticensis, quæ* a quodam ejus discipulo, aut amico familiari conscripta *est, ut habet titulus, et a qua verosimiliter hæc apud Longum confusio orta est. Quidquid sit,* E *nos Vitam* S. Ebrulfi *nostri, cum editione Mabilloniana collatam, ex Ms. Bellovacensis ecclesiæ hic excudemus, cui ex Ms. itidem Bellovacensi subjungemus aliquot recentiora miracula, quæ apud Mabillonium desiderantur.*

VITA

AUCTORE ANONYMO

Ex Ms. Bellovacensi cathedralis ecclesiæ cum editione Mabilloniana collato.

S. Ebrulfus ex sterili matre.

Religiosorum virorum memoria quanto est meritis excelsior, tanto studiis nostris fieri debet clarior: hinc ad exemplum bonæ operationis vitam beati Ebrulphi pro modulo nostro breviter describendam suscepimus. Qui vir Sanctus genere F Francorum exortus civis Belloacæ urbis exstitisse memoratur. Hujus genitrix dum sterilis esset et loca Sanctorum frequentaret, jejuniis et orationibus implorans, ne infœcunda permaneret, ab angela responsum audivit, quod filium esset paritura, qui tali nomine diceretur; cujus vita multis claresceret virtutibus.

natus

2 Natus autem secundum quod promissum fuerat divinitus, ætate et moribus proficiens meditabatur jam in ipso puerili ævo, quod postea devotus implevit. Erat enim, quamvis parvulus, ad obediendum promptus, ad vitia calcanda maturus, ita ut in ipso juvenili tirocinio senectutis esset exemplum; non oculum voluptati, non aurem ludibrio, non animum commendans levitati, semper se regebat anchora gravitatis, qui inter ipsa novellæ juventutis exordia, tanto fidei fervore flagravit, ut parentes, ad quorum desiderium solet infantia festinanter recurrere, pro charitate Christi voluntarie relinqueret et velut hostes animæ carnales affectus evitaret, credens sibi sufficere, si omnem dilectionem in solo cælesti desiderio collocaret.

3 Nec

et ob virtutes

3 Nec multo post tempore cuidam servo Dei se tradidit erudiendum, et quidquid ab eo vel ab aliis prudentibus aure capiebat, optimo corde retinebat: erat namque affabilis omnibus, aspectu decorus, sermone præclarus, corpore elegans, nullo momento sectans otia; sed aut legens aut meditans aut manibus operans, quæ utilia sunt animæ. Divinis autem Scripturis semper intentus jejunio corpus affligebat, et semel in die ad vesperam sumebat cibum. Post aliquantum tempus monasticæ conversationis habitum suscepit; constructoque sibi oratorio, in eo loco, qui postmodum a posteris Oratorii *a* appellatione designatus est, eo quod plures orationis domos haberet, sine intermissione ibi Domino famulabatur.

ac mirracula ad sacros Ordines promotus.

4 Cumque ejus sanctitatis fama crebresceret a Belvacensi episcopo accersitus, ad diaconii gradum provehitur, valde resistens et indignum se proclamans. Fiebat denique ad eum religiosorum concursus et ægritudine laborantium, quibus, invocato Christi nomine, salutis remedium congerebat. Longum est ire per singula, quanta sancti Viri miracula claruerint. Sed tamen e plurimis pauca referemus, ut ex his cetera intelligantur. Cum ei quadam die mulier privata lumine * fuisset oblata, protinus eam signo crucis edito illuminavit. Alios quoque cæcos, leprosos, a dæmone obsessos et diversis infirmitatibus detentos curabat. Evocatur denuo a præsule, licet invitus, ad presbyteratum sublimatur, et ad offerendum frequens ac devotus studiose injunctum exsequebatur officium. Erat quidam nobilis homo captus a dæmonibus, qui famulorum ac parentum comitatu usque ad eum perducitur: quem cum Vir sanctus intuitus fuisset, objecto crucis signaculo dæmonia per hominis posteriora turpiter exire compulit et hominem liberavit. His operibus cum longe lateque divulgaretur, etiam regi et ceteris principibus valde complacuit, quia nonnulli ex palatinis salutem per eum fuerant consecuti.

* Mabil. addit oculorum

fit abbas monasterii:

5 Quadam vero nocte dum in stratu suo quiesceret, ecce apparuit ei quasi grex ovium desolatus, et qui * pastorem non haberet, huc illucque dispersus; dictumque est ad eum: Homo Dei, cur gregem istum errare pateris? Continuo expergefactus paulo post didicit, quid visio ista prætenderet *. Nam suasu Fredegundis *b* reginæ, quæ illum maxime venerabatur, palatii proceres hunc Dei famulum monachis, patre suo destitutis, abbatem præficere decreverunt in suburbanis Ambianensium *c*, ubi Fuscianus et Victoricus glorioso certaverunt martyrio *d*. Missis itaque, qui eum exhiberent, violente potius quam sua sponte ad id loci deductus, pastoralem suscepit curam maximo confectus tædio, quod locum fuisset coactus deserere, ubi quietus vixerat multo tempore. Ordinatis igitur in cœnobio, quæ fratrum vitæ et usibus competebant, adeo se in humilitate prostravit, ut omnium se minorem gereret, et ministeria infimis et vilioribus personis deputata, læto vultu et animo ipse subiret, dominicum memorans præceptum: Quicumque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.

* Mabil. quoniam

* Mab. portenderet

et post alia virtutum

6 Aliquando cum fratribus deambulans, pro consuetudine sua quædam de Scripturis tractabat; cum ecce vir nomine Clarius *, quem et cæcitas et serpens antiquus oppresserat, repentino impetu se ingerit et audito Domini Sacerdote, cœpit dentibus frendere et immanem rugitum emittere. Tunc Vir Dei misericordia motus, hanc protulit orationem: Domine Jesu Christe, lumen æternum, cui omne genu flectitur, qui per crucis patibulum humani generis inimicum superasti, hujus miseri tenebras dissipa, et, qui in eo latet, prædonem tuæ virtutis imperio miseratus effuga. His dictis, cæcus visum recepit et malignus spiritus evanuit.

* Mabil. Datius

Neque illud reticendum putamus, quod ei beatus martyr revelaverit Lucianus *e*, ut Maxianum * collegam suum adhuc, ubi martyrizatus fuerat, jacentem squalidum inquireret, et inventum cum eo sepeliret: qui, oratione facta, cum fratribus venit ad locum, effossa terra, apertoque sepulchro, divinum sensit odorem et, sicut ei jussum fuerat, sepelivit beatum Martyrem; ubi et plerique fuerunt infirmi, quos Dominus a variis sanavit languoribus.

* Mabil. Maximianum

et miraculorum insignia

7 Præterea quidam latrocinia exercens putavit, in ejus cella plurimam haberi pecuniam; et nocte silenter ingressus, tulit omnia, quæ reperit. Orto mane cum hoc fratres cognovissent, Dei Famulo mœsti nuntiaverunt. Quod ille audiens, noluit contristari, sed consolabatur eos, dominicam objiciens sententiam, qua præcepit orandum pro inimicis. Post aliqua momenta invasus fur a dæmonio retulit, quod absportaverat. Sed Vir Domini injuriæ immemor, Deo gratias egit et orando dæmonium expulit.

Rursus dum orationis gratia, ut plerumque solebat, ad beati Marini limina Turonem * proficisceretur, in itinere alius ei producitur energumenus, quem, more solito, orationis medicamento curavit.

* Mabil. Turonis

pie moritur, ac honorifice sepelitur;

8 Post hæc venerabilis Pater, cum jam plenus dierum præsentis vitæ finem imminere sibi sentiret, advocatis fratribus denuntiat, se in proximo ad aliam vitam migraturum. Omnes pariter repentinus dolor invasit, et pro tanti pastoris discessu, immoderato mœrore afficiuntur. Igitur cum per aliquot dies vocationem suam solicitus exspectasset, ultima die, discipulis assistentibus, confortatus est * gaudens in Domino inter verba orationis carne solutus est. Cujus obitum tam mirificus odor insecutus est, ut ex ejus corpore aromatum fragrantia sentiretur exhalare *. Decessit autem octavo Kalend. Augusti *f*, et, ut tantum Patrem decebat, honorabiliter sepulturæ mandatus est in territorio Belvacensium in oratorio, in quo prius habitaverat, quod ab ipso postea denominatum est.

* Mabil. et

* lege exhalari

cujus corpus magnifico tumulo ac templo honoratum.

9 Inde transactis aliquot annis, matrona quædam, nomine Theclana, nobilis et religiosa, eminentiore structura et pretioso cultu sepulchrum ejus adornavit. Vir quoque illustris et sapiens, nomine Theodebertus, Parisiorum episcopus *g*, quoniam ipsi loco maximam impendebat reverentiam, ibi Domino templum ædificavit, ubi et alia diversis Sanctorum dicata nominibus ædificia constructa sunt. Unde locus idem, ut supra diximus, Oratorii nomen sortitus est. Beata denique Angadrisima *h* virgo et abbatissa ibidem cum sanctis virginibus et viduis religiosis sancta conversatione vixit et vitæ suæ felix propositum consummavit. Cujus tempore accidit, ut templum beatæ Mariæ semper Virginis incendio cremaretur, et dum ad cetera comburendum monasteria ignis vehementissimus evolveretur, sancta virgo necessitante compulsa, corpus beati Confessoris, aperto sepulchro, contra

EX MS.

tra ignem extulit; et sic flamma incendii in se ipsa reflexa ulterius transire nequivit. Quo peracto, sancta membra linteaminibus mundis et vestibus sericis involuta cum aromatibus iterum clausa fuerunt *.

* *Mabil* diligentissime clauserunt *postea ad urbem Bellovacensem translatum est.*

10 Sed cum, peccatis exigentibus inhabitantium, gentilium incursione locus ille vastaretur, cum honore debito ossa ejus Belloacum translata sunt *i*, et in basilica beati Petri *k* venerabiliter collocata. Ad cujus tumbam si quis petenda postulans fideliter oraverit, indubitanter desiderata consequetur per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hic locus nunc vulgo vocatur* Oroër; *de quo plura vidi apud Louvetum lib.* 3 *Historiæ Bellovacensis cap.* 3.

B b *Hæc fuit uxor Chilperici I, in historia Franciæ famosa, ex cujus ætate opinio nostra, in Commentario prævio num.* 6 *proposita, confirmatur.*

c *Hoc monasterium S. Fusciani de Nemore jam vulgo appellatur* saint Fuscien au bois, *et annexum est congregationi S. Mauri, ut indicat Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo* 5 *pag.* 480; *ubi plura de eo videri possunt, uti et in Commentario prævio num.* 8 *et* 9.

d *De his Martyribus, Deo favente, agetur cum Martyrologio Romano ad diem* XI *Decembris.*

e *De istis Martyribus egerunt Majores nostri die* 8 *Januarii.*

f *Ob hanc claram Actorum expressionem Sanctum cum plerisque Martyrologiis hac die retulimus, quamvis ecclesia Bellovacensis illum sequenti colat, ut monuimus in Commentario prævio num* I.

g *Hic episcopus Parisiensis memoratur in Vita S. Bathildis reginæ, ab auctore coætaneo scripta, quam die* 26 *Januarii in Actis nostris primo loco exhibuimus. Unde non parum confirmatur chronologia nostra contra Cointium, de qua in Commentario prævio.*

h *Hæc Sancta colitur die* 14 *Octobris, ut asserit Mabillonius sec.* 2 *Benedictino pag.* 1063, *ubi fragmentum Actorum ejus refert. Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 678 *num.* 11 *dicit,* C *eam fuisse abbatissam in agro Bellovacensi. Hinc etiam non leve formari potest argumentum ad evertendum ipsius systema de ætate* S. Ebrulfi, *nisi ostendantur Acta nostra fictitia esse.*

i Hæc translatio, *inquit Mabillonius in notis ad Vitam Sancti nostri*, contigit circa annum DCCCL, Normannis Galliam infestantibus.

k *Hæc est ecclesia cathedralis, quam Loiselius in Monumentis Bellovacensibus pag.* 58 *et sammarthani in Gallia Christiana dicunt, anno* 991 *ædificari cœpisse; at de restauratione aut ampliori ædificatione intelligendi sunt, cum hæc translatio diu ante ad istam ecclesiam facta fuerit.*

MIRACULA

AUCTORE ANONYMO RECENTIORE,

Ex Ms. Bellovacensis ecclesiæ.

Verum ne culpabiliter aut merito damnandi censeamur si tam sancta Dei et sancti Confessoris opera, quæ pro sua dignitate satis [referri] atque exaltari nequeunt, subticeamus ex immensa et superexuberanti atque copiosissima miraculorum ipsorum multitudine vel perpauca dicamus. Eo enim tempore dum ab incarnatione Domini post millenarium revolvebantur quadringenti et quinquaginta septem anni *a*, in famosa atque antedicta Belvacensium urbe Nicolaus quidam, Pamphon cognomine, egregius civis atque famosus fidelis revera, bonisque ac sanctis artibus præditus, sub casto conjugali vinculo una cum ejus proba fideli atque honestissima [uxore] decem duxerat et quatuor annos, absque tamen prolis beneficio: quod conjuges ipsi ægre ferentes, non ad magos, non ad hariolos, sed ad Deum et sanctissimum Confessorem devotissime recurrentes, die noctuque preces fundebant assiduas cum lacrymis, gemitibus, suspiriis ex intimis viscerum præcordiis in abstinentia et jejuniis orantes, ut eorum humilitatem humilemque devotionem misericorditer respicere dignaretur, sublatoque sterilitatis opproprio, prolem tandem aliquando conferre, quæ eisdem obsequio esse mereretur. E

D

S. Ebrulfus anno 1457 civi cuidam Bellovacensi ex uxore sterili

a

2 Quid plura? Una nocte præfato Nicolao almus Dei Confessor, qui sperantes in se non despexit, in somnis apparuit dicens, quod apud omnipotentis summam clementiam ei impetraverat filium ex uxore. Mane gaudens surrexit, dictæque revelationi fidem dans indubiam, ecclesiam adiit Belvacensem, ubi sanctissimum almi Confessoris corpus requiescebat et nunc ornatius et honorificentius requiescit, ingentesque Deo et almo Confessori habens gratias de eorum superna visitatione, ut quod polliciti erant in suis famulis dignarentur adimplere, humiliter exoravit. Et revera infra annum divino munere prolem obtinuit, quam tam chari pendebat, quam tam piis votis tam crebis assiduisque precibus, tot lacrymis, tot suspiriis, tot denique devotis gemitibus a divina postulaverat atque obtinuerat pietate. Inde in superbias non ivit, inde non elatus, sed memor beneficiorum Dei, totiusque ingratitudinis nescius, ad ecclesiam profectus est, et miraculosam totius rei gestæ seriem ecclesiæ ministris pandere humillime atque studiosissime curavit, gratias inde habens non minimas Deo omnipotenti et sanctisssimo Confessori, atque non parcens rei suæ familiari et bonis, quæ illi satis abunde erant, contulit ecclesiæ ad honorem Dei et sancti Confessoris et præsertim capsæ tam pretiosum reliquiarum thesaurum continenti, quæ per id temporis honesta minus erat et indigna tam excellenti dono, decus, ornatum, atque splendorem. F

promittit filium, qui pro beneficio gratus obtulit munera,

3 Quo factum est, ut decanus ceterique ecclesiæ domini, quis longis ante temporibus divinitus inspirati circa id operis conabantur, studebant, et summopere moliebantur, magis inde ac magis incitati, quatenus divini nominis reverentia in fidelium cordibus per amplius invalescere, fructusque uberrimos atque suavissimos salutis æternæ plebs fidelis assequi mereretur: statuerunt totis viribus omni studio atque opera eniti, ut thecam seu capsam prædictam, quæ tam pretiosas sanctissimi Confessoris reliquias continebat, vetustate quidem consumptam, vilem, deformem, indecoram, minus sacris reliquiis dignam, longeque longius ab illarum remotam sanctitate, restaurarent auroque argento atque gemmis etiam pretiosissimis insignirent, in ea re Deo et Confessori almifico opus

quibus sancti lipsanotheca exornata est,

A opus acceptum gratumque admodum facere arbitrantes.

qua etiam per diœcesim circumfertur; 4 Nec tamen ad id tam pii et salubris operis satis sibi esse rei familiaris, compertum habebant. Quid proinde acturi forent nescii ac vehementer anxii, ad Dei tandem et sanctissimi Confessoris opem precibus et pietatem recurrentes, proborum nihilominus et piorum hominum consilium in hac re minime neglexerunt. Et tandem divino, ut arbitrantur, instinctu, sanoque ac sacto consilio ipsis visum est, ad pia charitatis Christi fidelium opera fore recurrendum. Pro quorum votis piis et saluberrimis institutis effectui mancipandis de licentia et beneplacito diœcesanorum, ut in ea re fieri decet, non sine indulgentiarum et divinorum munerum amplissima largitione, iis qui ad tam pium opus manus porrexissent adjutrices, præfati domini seu eorum procuratores ac nuntii pro antedictis requirendis charitatis subsidiis cum sanctuariis et sacris Confessoris reliquiis dictam Belvacensium diœcesin circumagentes, ad
B quemdam ipsius diœcesis locum, qui vulgo Quinquempoix *b* nuncupatur, diverterunt. Ubi prædicatis et manifestatis sanctissimi Confessoris, cujus res agebatur, magnis et egregiis meritis, quæ ex miraculis pene inexplicabilibus ad ejus preces divina potentia jam olim et nostris diebus factis neminem latere posse credimus: qui Christianæ religioni studens sanctorum prædicatorum coluerunt doctrinam.

et ea occasione mulier cæca 5 Quædam vidua paupercula pannis annisque obsita, Radulpha nomine, ætatis nonaginta duorum annorum vel eo circa, a longis et diuturnis temporibus uno lumine, altero vero a tribus annis omnino privata, ægerrima corpore multisque et pene innumeris, quæ senes circumvenire solent, incommodis atque infirmitatibus impedita, ita ut de grabato, cui langens incumbebat, sese erigere aut utcumque movere absque alterius ope nequiret; pia tamen et fidelis atque erga Deum et Sanctos ejus admodum devota, auditis dicti sancti Confessoris virtuosis operibus, et ipsis, quæ in ore omni populo erant, immensis et supermirabilibus miraculorum generibus, devotionis fervore in ejus subito sanctitate exarsit et firmissimæ fidei
C robore solidata sanctissimas atque colendissimas reliquias, quas ei pro voto non datum erat adire, pio animo atque humili prece ad se deferendas poposcit.

visum recuperat, 6 Quibus coram allatis, zelo illa fidei etiam atque etiam, ultra quam credibile sit, ac magis accensa, una cum minima, quæ illic erat, sacerdotum atque clericorum frequentia humillimas cum lacrymis preces fundens ea, qua divinitus prædita erat, erga Deum et sanctum Confessorem summa atque alta devotione omnipotentem Deum, cui nulla languoris, nulla morbi cujusque cura impossibilis esse potest, ejusque almum Confessorem, cujus meritis Creatoris omnipotentiam ad misericordiam flecti vidua ipsa certa sperabat, pro valetudine obtinenda, quam tanti cupiebat, exoravit. O mira res! Non satis exaltanda atque laudibus attollenda omnipotentis dignatio! Sacerdotibus et clericis cum dictis sanctuariis ad propria reversis memorata vidua in eadem fide atque devotione constans, et firma continuo a Deo almi ejus Confessoris meritis lumen integrum in utrique oculo recepit, et præoptatæ prorsus restituta est saluti.

7 Sacerdos quidam quinquagenarius juxta Pontizaræ *c* oppidum calculosus fuit et tam atrociter calculi morbo annis quatuor continuis vexatus, ut indies cuncti, duorum aspectibus expositus erat, magis illius mortem sperarent quam vitam. Non minimam pro ipsius curationis beneficio pecuniarum summam in medicos exposuit et ea gratia medicorum hinc inde magna ad eum cucurrit frequentia. Sed quanto majori studio pro illius valetudine conabantur, tanto graviori torquebatur dolore. Quid accidit? Fama per patriæ illius fines volante de gloriosissimi Confessoris sanctitate et de innumeris, quæ ubique et quotidie Dominus per eum operabatur miraculis, ea, qua majore nequibat, devotione tanta Dei firmitate almi Confessoris sanctitatem atque misericordiam amplexus est, ut per eum sanitatem certo certius assequi, et nisi per eum non utcumque assequi posse speraret. *EX MS. sacerdos calculo laborans*

prodigiose sanatur, 8 Quid plura? Pro Sancti reliquiis, quæ per id temporis Dei nutu illic aderant, humiliter supplicavit. O mira res! Oratione ejus cum intimi cordis suspiriis finita, coram reliquiis eas E
humillime atque devotissime deosculando confestim calculus immanissimus, quem cum tanto dierum ac noctium tactu atque cum tanto tamque acerbissimo dolore intra viscerum tenerrimas partes repostum gesserat, in quatuor partitus portiones, visu etiam atque tactu perhorrendas, coram omnibus extra decidit in terram. Et protinus, qui patiebatur, sanus factus est nec umquam postea vel minimam passus est doloris scintillam, duabus quoque horis abinde ad ecclesiam profectus est, mirum in modum gratias immortales habens Deo et sanctissimo ejus Confessori, unde et omnis plebs laudem dedit Deo.

et puella energumena liberatur, 9 Denique dum præfatæ ecclesiæ nuntii Normannorum fines cum prædictis Confessoris reliquiis peragrarent, in villam quamdam, quæ Caudebec *d* nuncupabatur, appulerunt. Illic tum forte juvencula aderat, quæ a dæmonio vexata hinc inde passim debacchabatur, horridis ore tabefacta spumis, dentibus terribiliter stridens, sui prorsus ignara et totius cognitionis expers. Imo vero dira vesaniæ furia præ omnibus perhorrenda monstris, ab amicis tandem et parentibus, ut nemini nocua foret, et manicis, sicut tales solent, alligata ferreis ad sanctarum præsentiam reliquiarum deducta est. O mirabilis et supermirabilis Deus! o inæstimabilis Dei F
misericordia! o misericordiarum abyssus! Protinus ut dicta juvencula coram reliquiis oblata est, non quidem ad ipsius juvenculæ preces, quarum prorsus nescia erat, non ad illius, quæ nulla erat, fidem; sed ut manifestarentur opera Dei in illa, atque propter parentum et necessariorum, qui illa offerebant, devotionem, pristina prorsus potita est sanitate atque sensuum omnium integritate, in qua postea ab illo tempore usque permansit.

aliique multi Sancti intercessione juvantur. 10 Quid de utriusque fortunæ atque sexus innumeris illic per colonias *e* et castella atque urbes conjugibus? quid præsertim de mulieribus illis in finibus, quæ steriles et infœcundæ prolificare nequibant, et tamen propter fidei et devotionis zelum erga Deum et ejus almum Confessorem infra annum ex Deo prolem recipere meruerunt ad almi Confessoris intercessionem, quem mater diuturnis ante temporibus infœcunda tandem precibus et jejuniis enixa est?

Omnipotenti

EX MS.

Omnipotenti siquidem Deo a nobis et cuncto populo Dei bene visum est immortales habere gratias, et hac tempestate de reliquis subticendum fore, donec aptio ad id rei sese præbeat narrandi locus in Dei omnipotentis laudem et honorem, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hinc satis patet, collectorem horum miraculorum recentiorem esse.*

b *Hic pagus in mappis geographicis notatur* D *inter Bellovacum et Montem Desiderii vulgo* Mondidier, *quod est oppidum Pircardiæ in colle situm.*

c Pontisara *vel pons Ossii*, *vulgo* Pontoise, *est oppidum Insulæ Franciæ, quod sex circiter leucis Gallicis Lutetia Parisiorum distat.*

d *Est oppidum Galliæ in Normannia, quod Latine vocatur* Calidum Beccum, *et situm est septem leucis infra Rothomagum versus Portum gratiæ; de cujus etymologia et antiquitate vide Valesium in Notitia Galliæ pag.* 118.

e Colonia *idem est quod villa, de qua voce plura habet Cangius in Glossario.*

DE S. GLODESINDE VIRGINE

METIS IN BELGICA PRIMA

P. B

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B E

§ I. Sanctæ cultus et reliquiæ.

Circa annum DCVIII Natalis S. Glodesindis hoc die

I*terum recurrunt Metæ, urbs in moderna Lotharingia tum antiquitate sua, tum regum olim Austrasiorum, et, quod caput est, plurimorum Sanctorum sede commendata jam sæpius in hoc opere nostro, ac porro commendanda. Atque hoc quidem die haud mediocriter est nobilitata; quippe quo sanctam* Chlodesindem *seu* Glodesindem *suam transmisisse ad Superos creditur; id quod asserunt non antiqui modo Metensium Fasti, ut notat Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam ejus; sed ipsum etiam Adonis Martyrologium, saltem ut a Mosandro primum ex quatuor pervetustis Mss., ut ait, codicibus editum est, ac subinde ad alios codices Mss., Mosandrianis vetustiores, in editione Rosweydina castigatum; utrobique enim* VIII Kalendas Augusti *tamquam genuina proponitur hæc Adonis annuntiatio:* Metis, natalis S. Glodesindis virginis: *et consonant exemplaria Mss. alia, cum quibus Adonem Rosweydi subinde contulimus, ut Lobiense, ac S. Laurentii apud Leodium.*

signatus in Martyrologiis variis,

2 *Dixi:* Adonis Martyrologium, saltem *etc.; quia locum hunc pro Adoniano non agnoscit Mabillonius, cum ait in observationibus præviis,* S. C Glodesindis memoriam in antiquis Martyrologiis (si Metenses Fastos excipias) desiderari; *et idem expressius tuetur in nota ad Vitæ numerum 7; in quo sectatorem habet Bailletum, legendistam Gallum. Et sane est, unde suspiceris, Adonis hæc verba non esse; tum quod omissa sint in codice quodam Ms. reginæ Sueciæ, et alio Morinorum, quos consuluit, qui hæc notata reliquit, Henschenius noster; tum etiam quod non exstent in sincero Usuardini Martyrologii textu; ut ibi ad hunc diem observatum videbis. Ut ut est, si Adonis non sunt, antiqua sunt saltem, ut ipsi codices, quibus inscripta sunt; arguuntque adeo, neque nuperam admodum esse, neque Metensibus tantummodo Fastis notam pridem ac celebratam sanctæ Virginis nostræ ad* VIII *Kal. Augusti memoriam.*

3 *Idem evincunt codices plurimi, qui Martyrologium Usuardi additamentis hic illic auctum continent; quorum aliqui perantiqui sunt, nec ad ecclesiam Metensem pertinent; ut ille imprimis quem Rosweydinum vocavimus, scriptumque ostendimus esse anno circiter Christi* 1138. *Consulesis Usuardum nostrum in auctariis ad hunc diem; ubi passim hæc legere est;* Metis, natale sanctæ Glodesindæ virginis. *Iisdem verbis ad eumdem diem notatur in Florario nostro Sanctorum Ms. Joannes quoque Trithemius de Viris illustribus Ord S. Benedicti lib. 3, cap.* 291 *de Sancta nostra sic meminit:* Glodesindis virgo sanctimonialis Metensis, sanctæ vitæ et magni meriti apud Deum; quod multa documenta virtutum ejus probaverunt, quorum in ejus historia ex parte fit mentio. Festum ejus agitur VIII Kalendas Augusti. Anno DCXL. *Sed de anno mortis ejus agetur inferius. Eumdem etiam diem servant martyrologi recentiores, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus, Arturus in Gynæceo, Ferrarius in Catalogo generali, et plures alii; non tamen Martyrologium Romanum, in quo nota nondum est* S. Glodesindis.

saltem inde a seculo duodecimo.

ut Metis celebratus, in abbatia a se fundata;

4 *Cum autem positionem ejus ac celebritatem Metis assignari audis, id potissimum intellige de abbatia seu cœnobio virginum, quod ab ipsa Metis olim fundatum, adhuc floret sub regula S.* F *Benedicti, et regimine abbatissarum, quarum plerasque ex illustrissimis familiis prodiisse testatur Meurissius pag.* 102. *Illas recensent Sammarthani, ubi de abbatia* S. Glodesindis *(vulgo* sainte Glossine de Mets; *) sed hiat series ab ipso statim principio usque ad medium fere seculi decimi; supplenda fortassis aliquatenus in nova Galliæ Christianæ editione, a Dionysio Sammarthano non sine ingenti rerum accessione tomis aliquot adornari jam cœpta; in qua et alia speramus multa, quæ ad hujus parthenonis absolutam notitiam pertinent. Spem hanc faciunt ejusdem cum Sammarthano congregationis Benedictini duo, qui in Itinere suo litterario, nuper edito, parte* 2 *pag.* 114 *sic notant:* Domina abbatissa Sanctæ Glodesindis quidquid erat in archivis suis, id omne nobiscum communicavit; amat enim domum suam, eamque, quid semper fuerit, sciri gaudet. *Itaque de hoc ego monasterio hic plura non*

A *non dicam, quam quæ ad rem, quam ago, ad cultum, inquam* S. Glodesindis *edocendum, necessaria sunt.*

in cujus templo primario publice coli cœpit an. 830:

5 *Nam in hujus abbatiæ templo primario et primum coli publice cœpit Sancta, cum ad illud translata sunt sacra ejus lipsana; et colitur etiam nunc, nondum ablatis inde reliquiis. Primarium autem abbatiæ templum illud appello, quod ipsa* Glodesindis *una cum cœnobio erexerat, nomine atque honore S. Sulpicii Biturici episcopi postea nuncupatum, imo et sanctæ Dei Genitricis ac beati Petri apostoli; uti expositum est in Vita secunda num.* 34 *et* 35. *Præter hanc autem basilicam, quæ monasterii septis includebatur, binæ fuerunt secundariæ, altera Deiparæ Virginis, quæ non modo extra monasterii, sed urbis etiam muros ædificata est annis quinque et viginti post obitum sanctæ Fundatricis, ita tamen ut liberum ad illam aditum sibi reservassent moniales, ut in Actis prioribus habes infra num.* 14 *et* 15, *in posterioribus vero a num* 21; *altera sanctæ Crucis, quæ intra cœnobii ambitum sita fuit, juxta Vitam primam num.* 41, *et secundam num.* 64. *Ad* B *primariam, inquam, cœnobii basilicam translatum fuit ac simul ad publicam venerationem elevatum corpus* S. Glodesindis *anno Christi* 830, *ut narratur in priori Vita num.* 19 *et* 20, *in posteriori a num.* 31 *usque ad* 36; *idque per Drogonem episcopum Metensem, in cujus proinde epitaphio, quod Sammarthani, ubi Drogonem inter episcopos Metenses recensent, integrum recitant, istius rei memoriam consignatam his versibus legere est:*

Iste Glodesindis solemniter ossa levavit,
Condigneque loco condidit eximio.

Idem de Drogone apud Meurissium pag. 205 *Chronicum Ms. episcoporum Metensium sic asserit:* Hic levavit ab humo corpus sanctæ Glodesindis virginis.

nam licet diu ante, et a prima translatione privatim invocaretur:

6 *Sed quoniam translati corporis mentionem fecimus, operæ pretium videtur observare, unde et quoties translatum alio fuerit. Primum sepultæ fuerunt sacræ Virginis hujus exuviæ in cœmeterio basilicæ suburbanæ, tum quidem SS. Apostolorum, at postea S. Arnulfi dictæ, ut habes in prima Vita num.* 13 *et* 14, *et in secunda* C *num.* 14 *et* 15. *Id quando sit factum, infra examinabitur. Quievere ibi porro per annos non amplius quinque et viginti; ut ibidem affirmatur. Tum inde translatæ sunt ad novam basilicam Deiparæ Virginis, quam numero præcedenti diximus extra urbis ac monasterii septa fuisse positam, sic tamen ut utrisque quodammodo adhæreret; atque a dextris altaris sunt reconditæ, ut narratur in priori Vita num.* 15, *in altera num.* 24. *Hæc prima earum translatio est; quam non recte Mabillonius in observationibus præviis ad Historiam translationis tom.* 4, *part.* I, *pag.* 435 *refert sd* seculum VIII; *nisi forte est error typographicus; cum obitum ejus, quem ipse collocat anno Christi circiter* 610, *annis tantum* 25 *secuta sit; quod cum Actis fatetur idem auctor in Annalibus suis tom.* 2, *pag.* 533. *Mansit autem hoc loco sacrum illud depositum usque ad annum Christi* 830, *ut Acta referunt, magno infirmorum affluente numero, crebrisque celebre miraculis, humatum tamen et sub terra depressum, nec publice eatenus venerationi expositum; ut colliges ex Vita priori num.* 18 *ac* 19, *et posteriori num.* 32.

AUCTORE P. B.

non ante tamen facta est altera translatio et corporis elevatio.

7 *Altera translatio contigit, ut modo dicebam, anno Christi* 830 *per Drogonem, te quidem* Pridie Idus Martii, *quod addit antiquior Vita num.* 18; *quando sacer hic thesaurus ex æde Deiparæ ad primariam intra cœnobium deportatus est, atque in sepulcro post majorem aram erecto collocatus. In sepulcro, inquam, erecto sive elevata: nam id cum ex dictis supra num.* 5, *tum ex aliis Actorum locis manifeste eruitur; adi etiam Acta posteriora num.* 42, *et* 63, *ubi sepulchrum hoc facile intelliges fuisse, non pavimento suffossum, sed impositum, eoque altius. Quod et frequentes ad illud supplicationes, vota et excubiæ passim in miraculis occurentia demonstrant; ut de proprie dicta elevatione, publicoque cultu tunc instituto, dubitari non possit. Quin imo jam tum dies ejus natalis solenni ritu celebrabatur quotannis, ut colliges ex Vita secunda num.* 69: *quamquam id, quod ibi narratur, ad tempora posteriora pertineat; nihil tamen est, unde arguas in cultu* S. Glodesindis *ad illa usque tempora quidquam fuisse statutum præterquam a Drogone, idque cum primum ejus reliquias transtulit evexitque. Hæc proinde translatio, priori multo so-* E *lennior, digna Metensibus visa est, quam anniversaria memoria recolerent; quod nos olim docuit Laherius noster his verbis:* Ex Martyrologiis ecclesiæ cathedralis S. Stephani, et S. Petri ad moniales, translatio S. Glodesindis celebratur XIV Martii; *qui nimirum dies est, quo eam olim contigisse notavimus. Errat hic ergo Begendista Gallus, dum nullam translationis memoriam ait servatam videri.*

Erigitur ei nova et amplior ecclesia sub Adalberone ep. an. 951.

8 *Asserit Meurissius pag.* 205, *Drogonem hasce reliquias imposuisse thecæ ex argento pretiosæ, in qua etiamnum quiescant. Sed id unde habeat, nescio. Certe si lipsanotheca tum pretiosa atque adeo argentea fuit, cur aliam post centum et viginti annos substituisset Adalbero in ea, quam vocant translationem tertiam* S. Glodesindis? *Nam in Vita secunda a num.* 78 *narratur, cum ad instaurandam ampliandamque basilicæ monasterii primariæ fabricam, necesse esset tantisper inde in proximam abbatiæ domunculam efferri sacrosanctos artus, eos tum ab Adalberone episcopo ex arca, cui inclusi erant,* loculo, tunc E pro tempore præparato, exceptos in proximam quamdam domum, interim conservandos, fuisse transpositos. *Quem loculum idem Meurissius in Adalberone pag.* 312 sumptuosam *ait fuisse* ac magni pretii lipsanothecam; *argenteam tamen fuisse, non dicit. Quid hac, obsecro, fuit opus, si illa supererat? Quid si priori præstabat posterior; cur in hac relictæ non fuissent reliquiæ; cur in priorem seu Droganianam denuo relatæ; in qua, teste Meurissio, etiamnum quiescunt? Ceterum quæ hoc loco gesta ab Adalberone narrantur, veri nominis translatio dici non merentur, ut legenti patebit; quamquam ad* S. Glodesindis *gloriam promovendam mirifice contulerunt: multo minus elevatio nuncupari debent; quod tamen volunt Sammarthani, ubi de abbatia* S. Glodesindis; *cum toto amplius seculo ante facta sit.*

Cetera ad reliquias ejus spectantia.

9 *Cranium subinde sanctæ Virginis a ceteris ejus ossibus fuisse separatum, ibidem Sammarthani docent, cum ad annum Christi* 1427 *de Isabelle de Randac abbatissa sic scribunt:* Gazophylacium argenteum, in quo caput B. Glodesindis asservatur, liberaliter adornavit. *In Vita brevissima, quam habemus ex manuscripto quodam*

AUCTORE P. B

dam Metensi, ut infra monebimus, ubi de sacro velamine, quod angeli ad Virginem in ecclesia S. Stephani detulerint, sermo est, subditur : Quod etiamnum pie asservatur in ecclesia S. Glodesindis. *Meminit eadem Vita cæremoniæ cujusdam, de qua nil alibi legi : cum enim compendio narrasset fugam Sanctæ in ecclesiam S. Stephani, apparitionemque angelorum, a quibus ibi velum sacrum suscepit, ita prosequitur :* Porro hic ignavo silentio oblitterandum non est, quod etiamnum in hujus miraculi gratiam sanctarum ejus reliquiarum sarcophagus, ex monasterio suo in summum templum delatus, in solemnioribus supplicationibus super aram majorem juxta reliquias gloriosi Protomartyris statuitur : atque ita is ipse, quem in castitatis discrimine, dum viveret, asylum habuit, triumphalis ei post mortem, castitate illibate servata, locus existit. *Hæc de cultu et reliquiis : nunc ad Acta progrediamur : nam de Miraculis nihil est quod addam iis, quæ in Actis, maxime secundis, narrantur; nisi quod refert Menologium Cisterciense in omissis ad diem* XVIII *Maii de matre Ascelinæ virginis, ac S. Bernardi abbatis Claravallensis* B *consanguinea, cui prægnanti apparuerit* S. Glodesindis, *ac de Ascelina, quam gestabat in utero, dixerit :* Filia tua mihi procul dubio comparata æquabitur in meritis.

§ II. Ejusdem Acta genuina ; tempora nativitatis et beati obitus.

Cur Acta duplicia hic dentur.

A*cta* S. Glodesindis *bina proferimus, quorum posteriora typis jam vulgata sunt sæpius ; at priora, nisi fallor, anecdota. Atque hæc quidem hic omittere primum statueram ; quod et barbare essent composita, et nihil afferrent, quod non idem elegantius haberent altera ; tum etiam quod eorum auctor ad ætatem Sanctæ, cujus Vitam describit, haud multo admodum accederet proprius, quam qui post illum eadem prosecutus est politiori stylo Joannes. Mutavi tamen postea sententiam, ne penitus interirent Acta hæc qualiacumque, certe posterioribus aliquanto antiquiora, atque* C *adeo prima ; neque enim ante ea scriptum aliquid fuisse de* S. Glodesinde, *ex ipsis colliges num.* 4 *et passim alibi, ubi rerum narratarum testis identidem citatur, non scriptum aliquod vetustius, sed fama dumtaxat ; eaque propemodum obsoleta. Accedit, quod hæc ipsa illa sunt Acta, quæ præ oculis habuit Joannes abbas, quæque antiqua ipse vocat ac presse sequi se profitetur, et vero sequitur, nisi quod parerga quædam sua, pauca tamen, interserit. Gratum igitur putavi fore, si prototypon imitationi fontemque rivo præmitterem.*

Priorum auctor anonymus scripsit paulo post annum Christi 882.

11 *Auctorem habent Acta, quæ priori loco dantur, anonymum, ne ipsi quidem Joanni abbati notum, ut patet ex Actis secundis num.* 17, *ubi de priorum scriptore dicitur :* Nec scriptura illa, quamvis SILENTI feratur AUCTORE, viribus rerum aliquid detrahit *etc. Monachum tamen fuisse, inde conjicimus, quod in prologo num.* 3 Fratres *alloquitur ; Metensem vero se fuisse, satis ipse indicat num.* 39 ; *de illa enim urbe, tamquam de sua scribens,* Namque HUJUS, *inquit*, ecclesiam URBIS Walone regente episcopo *etc. Scripsit autem hæc Acta non diu post obitum Walonis, episcopi Metensis, qui cecidit in conflictu Normannico anno Christi* 882 ; *quod de se ipse iterum* D *haud obscure testatur num.* 39, *cum, descripto fluentis ex tumulo olei prodigio, subdit :* Quod multi NUPERRIME ante præfati episcopi obitum videre. *Tria Actorum illorum habemus apographa; unum ex Ms. cœnobii S. Maximini apud Treviros, cui et alia debemus quamplurima ; alterum est ex abbatia S. Huberti, Ord. S. Benedicti, ad Leodiensis ditionis ac ducatus Bulloniensis confinia ; tertium per Gamansium nostrum accepimus* ex prægrandi, *ut adscribitur*, pergameno Blaburensis *(aliis Blawbeurensis)* Ord. S. Benedicti cœnobii prope Ulmam Passionali Sanctorum decimo, circa annum 1480 elegantissime per F. Bartholomæum Krafft manuscripto ; parte 2 . . . fol. LXXXI ; et curiose cum alio quodam Ms. collatum *dicitur in margine. Hæc ubi inter se discrepant, annotatum invenies, saltem cum variatio utcumque notabilis est. Ceterum hisce Actis, quæ terminantur per numerum* 39, *nonnulla subinde sunt addita; ut patet ex apographo Blaburensi. Imo* E *hoc etiam auctius fuit, adeoque recentius, exemplar, quo usus est auctor Vitæ posterioris, ut ex ea ipsa intelliges num.* 75.

Posteriora, jam excusa sæpius.

12 *Sequuntur Acta posteriora, excusa jam pridem apud Surium hoc die ; desideratur ibi tamen Historia utriusque translationis, et stylus auctoris genuinus, more Suriano mutatus. Opus integrum deinde, ita ut invenerat, edidit Labbeus noster in Bibliotheca manuscriptorum librorum tomo* I, *pag.* 724, *ex variis Mss. Vitam eamdem ex Labbeo dedere Acherius et Mabillonius in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti, seculo* 2, *pag.* 1087 ; *Historiam vero translationis ex eodem Labbeo et antiquo codice Ms. exhibent seculo* 4, *parte* I, *pag.* 435. *Eadem nos hic producemus ex duplici Ms. veteri ; altero Spinalensi, quod sua nobis manu extaravit hagiophilus insignis Petrus Franciscus Chiffletius noster ; altero, quod patri studio in rem nostram per se Gamansius itidem noster transcripsit* ex Bodecensis, *ut notat*, cœnobii Ord. Regular. S. Augustini, diœcesis Paderbonensis Passionali pergameno Ms. insigni, mensis Julii fol. CXCII, pag. B ; *contulitque cum alio, ut asserit, manuscripto. Eadem sunt, quæ nobis olim submisit Franciscus Laherius etiam noster*, ex Officio, F *ut adiddit*, ecclesiastico, quod in ejus *(S. Glodesindis)* ecclesia Metis canitur; *verum hæc loco non uno contracta sunt ac detruncata, ut Officio ecclesiastica commodius subserviant. Sed et alia ab eodem accepimus* ex manuscripto ecclesiæ Metensis, *longe brevissima, nescio cujus ætatis aut pretii. Hæc omittenda censui ; quia nihil novi continent, præter id, quod supra ex iis notavi num.* 9 ; *et quod Wintronem Sanctæ patrem* ducem appellot Austrasianorum (antea comitem Campanum Partensem ;) *Godilam vero matrem* (cujusdam Austrasiæ ducis filiam.) *Quia tamen hæc parenthesibus inclusa scribuntur, subdubito, an ipsius Laherii non sint.*

omnem et solam fidem habent ex prioribus;

13 *Porro Acta hæc nostra secunda nec majorem fidem merentur, nec aliam exigunt, quam quæ ex Actis prioribus derivetur ; ut ex ipso illorum auctore percipies num.* 2, 17, 18, 75. *At auctor, inquis, ille quis est?* Quidam codices, *teste Surio*, habent quemdam Bernardum abbatem, alii Arbertum monachum. *Verum alium præferunt auctorem vetustissimi probatissimique codices, quos secutus est Labbeus,* Domnum *scilicet*

AUCTORE P. B.

A *scilicet* Joannem abbatem, *quem etiam ecgrapho nostro Spinalensi inscriptum legimus : nam in Bodecensi omittitur. Verum de ipso Joanne abbate quæri potest, quis fuerit. Nos ad diem* XXVII *Februarii in Commentario prævio ad Acta B. Joannis abbatis Gorziensis* § 3, *num.* 23, Joannem *fuisse S. Arnulfi apud Metas* abbatem, *ab Arberto et restituta ibidem disciplina monastica* tertium, *Anstei successorem, indicavimus, producto quodam elogio, in quo id affirmatur, quodque cum aliis excusum nunc etiam habes apud Martenium Thesauri novi anecdotorum tom.* 3, *col.* 1203 ; *quamquam Joannes noster ibi* quartus abbas *dicitur S. Arnulfi, de quo vide Commentarium nostrum mox citatum; sic autem pronuntiat elogium istud :* Hic denique piæ memoriæ Joannes inter perplura, quæ intra Gymnasium sophiæ peregit, exercitia, Responsoria B. virginis et martyris Luciæ authentica modulatione composuit, nec non et beatæ Glodesindis Vitam cum Officio nocturnali *etc.*

ex iis enim scripta sunt inclinato seculo 10 a Joanne abb. S. Arnulfi,

14 *Aliter senserat Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis sec.* 2, *pag.* 1087, *ubi hujus Vitæ scriptorem putaverat fuisse ipsum B. Joannem abbatem Gorziensem; quam sententiam nondum omnino deposuerat sec.* 4, *parte* I, *pag.* B 435 ; *sed cum tandem observasset, S. Joannem Gorziensem abbatem litteris parum fuisse excultum (quod ejus Acta testantur num.* 10 *et* 125 *) mutavit opinionem suam sec.* 5, *pag.* 365, *et* re, *inquit*, maturius expensa, Joanni sancti Arnulfi abbati hoc opus potius adscribendum videtur. *Sane Joanni nostro omnia conveniunt, quæ auctorem arguere debeant, nomen, dignitas, locus, tempus, litteræ, styli exercitatio, cujus etiam specimen dedit in Actis B. Joannis abbatis Gorziensis, quæ supra assignavimus. Nam si Ansteo, ut nobis quidem verisimillimum videtur, successit; abbatem S. Arnulfi creatum fuisse necesse est anno Christi circiter* 960, *quo Ansteus obiit juxta assignatum paulo ante instrumentum Martenianum, et Acta B. Joannis abbatis Gorziensis num.* 68. *Dignitatem vero illam satis diu videtur obtinuisse : nam et B. Joanni Gorziensi animam agenti adstitit anno Christi* 972 *vel sequenti; ac Vitam ejus deinde composuit; cui operi immortuus esse dicitur apud Martenium citatum. Versus illa etiam tempora elaborata sunt Acta nostra secunda : scripta enim* C *esse post annum* 951, *manifestum est ex num.* 78 *et* 81 ; *seculo autem decimo posteriora non esse, suadet numerus* 66, *ubi auctor nonnullos eorum adhuc superstites appellat, qui tempore Rotberti, episcopi Metensis, opem* S. Glodesindis *experti fuerant. Rotbertus autem obiit anno Christi* 916.

qui ea laudat, sed ambiguam eorum chronographiam queritur :

15 *Quanti autem Joannes hic Acta nostra priora fecerit, locis supra citatis indicat : num.* 2 *nuncupat illa,* Scripta, quæ ad nostram ætatem qualibuscumque litteris annotata, perdurant. *Num.* 17 *de iisdem sic loquitur :* Nec Scriptura illa, quamvis silenti feratur auctore, viribus rerum aliquid detrahit : cum, semine utique acsi * raro respersa, non sterilem usibus nostris in immensum extendendam messem produxerit. *Num.* 75, Hæc, *inquit*, ut valuimus, ex prioribus, quas invenimus, transfudimus litteris ; non quod eamdem scripturam nullam æstimaremus, quæ utique plena fidei et ad rerum gestarum ordinem vires maximas subministrat; sed quia *etc. Fatetur tamen num.* 19 *et* 20, *in prioribus Actis obscuram esse et incertam temporis notitiam usque ad translationem anni* 830 : *solum enim notari Childericum regem Francorum, sub quo nata sit* S. Glodesindis ; *et hunc quidem non pro certo, sed sub opinione apponi. De quo Childerico dubitat ipse, quid statuat, et suspicatur quidem, intelligi posse Childericum tertium, et Merovingicæ stirpis regem ultimum ; sed cum assequi non possit, quo pacto hujus Childerici tempore aut etiam posterius dici possit S. Arnulfus episcopus Metensis nondum fuisse sepultus ad SS. Apostolos (quod Acta tamen priora affirmant num.* 14 ; *) hæret Joannes, et rem hanc* quibusque pro arbitratu in medium relinquit, non multum utique sententiarum pondus hac adimente ambage ; *deditque eam interea fide bona, ut in prioribus Actis legerat, nihil quidquam immutans.*

* *an. etsi ?*

ut cum sub Childerico natam dicunt Glodesindem ;

16 *Exercuit* Childericus *ille non parum auctores recentiores; dum alii alium significari putarunt : Browerus enim noster hoc loco designari credidit Childericum secundum, Chlodovei secundi filium, in Annalibus Trevirensibus ad annum Christi* 641, *num.* 41. *Fuit is quidem Austrasiorum rex ; sed non ante annum Christi* 660, *hoc est, diu posterius, quam translatus esset S. Arnulfus ep. Metensis ad SS. Apostolos prope Metas ; atque adeo multo posterius, quam ibidem sepulta fuisset* S. Glodesindis; *quod repugnat omnibus priorum Actorum nostrorum exemplaribus, imo et illi, quo usus est Joannes, auctor Vitæ nostræ secundæ. Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 749, *num.* 12 *Childericum tertium intelligendum existimat, qui regnavit ab anno Christi* 742 *usque ad* 752 : *sed huic opinioni Acta Sanctæ antiquiora multo fortius opponuntur, quam Browerianæ. De Childerico autem primo disputari non potest; quando ille religionem inter Francos catholicam antecessit. Mabillonius ergo legendum hic putat pro* Childerico Chilpericum, *quo nomine primum intelligit, Clodovei primi ex Clothario nepotem : sed perperam, meo quidem judicio : nam Chilpericus ille in sola regnavit Neustria, quando Austrasii regem habebant proprium, primo quidem Sigebertum, ac deinde filium ejus Childebertum II, qui Chilperico, Neustriæ regi, supervixit. An vero credibile est, auctorem Metensem in historia, quæ Metis, hoc est in regni Austrasii urbe primaria, acciderit, regem exterum adhibuisse ad significanda rerum suarum tempora, relictis regibus propriis, quos nominare et poterat et vero etiam debebat, maxime cum ipse tum Metis positus, Metensibus hæc Acta scriberet, ut ex dictis de auctore vetustioris Vitæ supra palam est ?*

quem nos pro Childeberto II,

17 *Cum igitur nec Chilpericus, nec Childericus ullus cum Actis nostris componi possit, pro Childerico Childebertum II; Sigeberti filium, Theodeberti ac Theodorici patrem, reponendum putamus cum Surio et aliis : is enim in Austria, sive Austrasia simul et Burgundia regnavit ab anno Christi* 575 *usque* 596, *intra quod tempus notam statuimus* S. Glodesindem. *Quam vero sunt inter se affinia Childerici et Childeberti nomina, tam facile alterum pro altero accipere potuit vel auctor ipse Vitæ prioris, vel post eum amanuenses, vel ipsa fama, quam auctor ille secutum se esse significat, tribus circiter seculis post tempora Childeberti. Cur ita sentiamus, facit primo, quod ex Actis prioribus constet, sanctam* Glodesindem *obiisse antequam S Arnulfus*

AUCTORE P. B.

fus ep. Metensis sepulcro conditus esset ad SS. Apostolos : sic enim habent num. 14 *:* In ipso quoque loco *(basilica SS. Apostolorum, Metis vicina)* non habebatur tunc temporis *(cum ibi sepeliretur Sancta nostra)* corpus beati Arnulfi eximii confessoris. *S. Arnulfus ep. Metensis vivere desiit anno Christi* 640 *; anno sequenti ad basilicam jam dictam translatum est ejus corpus, ubi permansit usque ad annum Christi* 1552, *uti dictum est ad diem* XVIII *hujus mensis pag.* 424 *et sequenti. Obiit ergo et sepulta est Sancta ante annum Christi* 641 *: nata non est igitur sub Childerico secundo, nedum sub tertio ; sed sub alio quodam antiquiore Austrasiæ rege, cujus nomen ob affinitatem aliquam facile confundi potuerit cum nomine* Childerici : *cum itaque inter superiorum regum Austrasiorum nomina nullum ad illud accedat propius, quam* Childeberti, *hoc male cum illo in Actis nostris confusum censemus.*

perperam huc irrepsisse putamus :

18 *Eodem facit auctoritas Sigeberti, in Chronico ad annum Christi* 615 *ita scribentis :* Glodesindis Metensis claret, quæ sponsum fugiens, velamine capitis misso sibi a Deo per angelum, B se et sua Deo delegavit. *Hæc sive de tempore, quo e vivis excessit Sancta, sive de eo, quo post acceptum de cælo velum inclarescere jam abbatissa cœperat, intelligat Sigebertus, fieri neutro modo potest, quin sub Childeberto natam esse putaverit : vixit enim annos tantum triginta ; cœnobio præfuit ab anno ætatis circiter vigesimo quarto : utrumvis autem annorum illorum numerum ab anno Christi* 615 *detraxeris, in regnum Childeberti II incidas necesse est. Accedit insuper, quod Acta nostra patrem* S. Glodesindis *non obscurum aliquem de plebe hominem faciant, sed regni Austrasii ducem, et in ipsa urbe Metensi adeo pollentem opibus, ut Filiæ istic dederit, unde in fundo monasterium conderet, aleretque in eo virgines omnino centum ; addunt et nomen ejus :* qui dux Wintro vocabatur. *Unum nobis exhibent historiæ Wintronem, seu potius Wintrionem, celeberrimum sub Childeberto II rege Austrasiæ ducem, et sub Theodeberto, Childeberti filio, instigante Brunichilde, anno Christi* 598 *interfectum; de quo videri possunt S. Gre-* C *gorii Turonensis Historia et Chronicon Fredegarii : præter unum hunc, inquam, Wintrionem, nullus uspiam seu Wintro, seu Wintrio notus est. Quidni ergo hunc* S. Glodesindis *parentem fuisse credamus? Ita certe plerique sentiunt eruditi cum Hadriano Valesio Rerum Francicarum tom.* 2, *pag.* 493, *ubi sic habet :* Wintrio igitur dux Campanensis S. Glodesindem virginem ex Gudila tulit. Qua de re nemini dubitandum ; cum et nomen, et dignitas, et tempus, ac loca ipsa conveniant. *Quidni ergo etiam sub Childeberto sit nata ?*

quidquid aliter Cointio visum sit,

19 *Sane levia sunt, quæ huic sententiæ opponit Cointus, argumenta duo. Et primum quidem, quod Acta* S. Glodesindem *non sub Childeberto exortam affirment, sed sub Childerico ; in eo non diffitemur et erratum esse et errari facile post secula tria potuisse. Quamquam id non absolute affirment, uti etiam testatur auctor Vitæ secundæ num.* 19, sed sub opinione *dumtaxat. Neque hoc telo Cointius adversarios urgeri potissimum censuit : alterum enim est, quod intorquet identidem, putatque validissimum : nempe, juxta Acta nostra secunda num.* 33, *cum Drogo episcopus Metensis de elevando solenniter Sanctæ corpore cogitaret anno Christi* 830, *eos* D *de vita gestisque Virginis hujus interrogavit,* qui vivam ipsam in corpore videre potuerant, quorum pars multa adhuc supererat. *Quod ne videri possit incredibile, id probat Joannes ibidem ex temporibus Childerici usque ad Drogonis annum octavum, Christi* 830*;* quæ utique non multum, *inquit,* super octogesimum reperiuntur annum. *Concludit hinc Cointius,* Glodesindis *natales ad Childebertum II nequaquam posse referri. sed sub Childerico III, sesquiseculo serius esse collocandos. Hæc argutatio si ex antiquioribus Actis deprompta esset, auctorem illorum apertissimæ contradictionis argueret; quippe qui sepultam fuisse affirmaret* S. Glodesindem, *antequam vivere cœpisset. hoc est ante annum* 641*; ut supra, diximus.*

qui Acta antiquiora non vidit :

20 *Sed procul abest ab antilogia tam crassa scriptor ille, ut tempore Drogonis superstitem quemquam faciat, qui vivam olim* Glodesindem *vidisset. Adi Vitam antiquiorem num.* 19 *et* 20. *Ibi erectionem sepulcri prodigiosam narrat jussu Drogonis per chorepiscopum et alios examinatam, tum subdit capite et numero se-* E *quenti :* Quod cum inventum esset, atque ei relatum, sive vita ejusdem Virginis religiosissimæ, dum viveret, nuntiata ; nutu mox divino ... de eodem loco in alium deferendam mox aggreditur. *Quid hic, obsecro, aliud asseritur, nisi quod relata Drogoni fuerint non solum ea, quæ post obitum patraverat, miracula* Glodesindis, *sed illa etiam quæ olim gessisset in vita? An hic id fecisse dicuntur, qui olim cum illa vixerant ? Minime. An id facere nemo poterat anno* 830, *nisi qui viventem novisset? Cedo igitur, Vitæ prioris auctor unde accepit, quæ de Vita* S. Glodesindis *narrat sub finem seculi noni? An et ille viventem novisse poterat, etiam sub Childerico III? Imo an testes ille superstites vidisse vel audivisse se memorat ? Tantum abest ; ut num.* 4 *solam famam, eamque perantiquam ac fugientem, narrationis suæ testem appellet. Solius ergo Joannis abbatis episodia sunt, quibus argumentum Cointianum innititur; Joannis, inquam, qui in Actis secundis profitetur, nihil se in Actis prioribus præter stylum immutasse, quique proinde cum ab illis discrepat, fidem nullam aut exigit,* F *aut meretur; nisi cum ad res ætate sua gestas accedit. Tum hæc Joannis amplificatio, quam parum ipsimet videri debuit solida? Pendet enim ab illa sententia, quæ* Glodesindem *sub Childerico III exortam decernit; de qua idem Joannes num.* 19 *ac* 20 *nihil audet certi statuere. Non est hic igitur, quo ab antiqua receptaque opinione dimoveri quis possit.*

nata est enim Sancta circa an. 578*; mortua circiter* 608.

21 *Nata est itaque* S. Glodesindis *sub Childeberto II, qui Austrasiam obtinuit ab anno Christi, ut ante monebam,* 575 *usque ad* 596*; at quo regni ejus anno in hanc lucem prodierit, incertum. Ad initia tamen Childeberti natalem Virginis pertinere, ex eo colligimus, quod, superstite parente suo Wintrione, jam secundas nuptias recusaverit; jam ab angelo posterius velata fuerit, jam ad moliendum cœnobium incubuerit ; quæ omnia vix fingi possunt facta ante annum ætatis ejus vigesimum; quem adeo ante obitum aut necem potius Wintrionis attigerit. Interfectus autem juxta Fredegarium est Wintrio anno Christi* 598 *: nasci ergo vix potuit* Glodesindis *post annum* 578*; nec vero etiam multo citius ; quandoquidem sub Childeberto nata est. Hinc facile conficies etiam, quo fere tempore ex hac vita discesserit : nam si annis tantum triginta vixit, ut*

A *ut Acta ferunt, defunctam oportet statuere neque ante annum Christi* 605, *neque post annnm* 608 ; *quidquid Sigeberto aliter visum sit, cum eam claruisse ait anno Christi* 615. *Indidem de prima ejus translatione conjicere quisque poterit, quando acciderit ; quippe quæ obitum ejus post annos quinque et viginti consecuta sit secundum Acta, quæ subjicio.*

VITA ANTIQUIOR

Auctore monacho quodam anonymo. ex quatuor codicibus Mss. inter se collatis.

PROLOGUS AUCTORIS.

B

Auctor Dei opem

Deus, qui tuæ virtutis potestate de nihilo cuncta creasti, et adjutorium mulieris inseparabile viro fecisti; ut principium virilis dares carnis corpori femineo : qui etiam tam excellenti mysterio copulam consecrasti conjugalem, utChristi Ecclesiæ sacramentum in fœdere præsignares nuptiarum, quique huic sanctæ virgini Glodesindæ talem contulisti gloriam ; ut calcato ac despecto mundo, unigenito filio tuo se sociaret viro; aperi labia, quæso, et ora nostra; ut tuam annuentiemus laudem, et perfecte te ac digne laudare mereamur, atque hujus sanctæ virginis Glodesindæ vitam actusque enarrare valeamus; in qua sanctæ reliquæ virgines exemplum accipiant castitatis : quatenus ad te tendant et currant, atque precibus ejusdem sanctæ virginis Glodesindæ pervenire mereantur.

implorat,

2 Inscribimus quoque in hujus opusculi serie decem versus; in quo numero, id est, denario, mystice decem continentur virgines, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sic quoque in his decem versibus, quinque sunt hexametri, et quinque pentametri : quoniam nulli dubium est, in senario numero perfectionem operis designari *a*.

C

Suscipe, sancte Pater, poscente preces Glodesinde,
Quæso, pius nostras, virgine perpetua :
Oratu Glodesindæ, cunctipotens, miserere
Omnibus, ast nobis nocte dieque, precor :
Ac præsta nobis Glodesindæ prospera semper,
Omnipotens, precibus virginis almificæ.
Gloria, laus, et honor maneat per secula cuncta
Virgineo in solio cunctipotenti Deo.
Sanctæ per meritum Glodesindæ crimina dele,
Postulo, nostra Deus, ac requiem tribue.

ad scribendam B. Glodesindis Vitam;

3 Oportet, fratres *b*, totis viribus laudare Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Christum filium ejus, et sanctum Spiritum, qui est tertius in trinitate perfecta; qui etiam remissio est peccatorum, spes miserorum, refugium pauperum, refocillatio infirmorum. Amen. Oportet etiam pro ædificatione sanctæ matris Ecclesiæ, Christi sanguine redemptæ, quam sibi sponsam exhibuit gloriosam, non habentem maculam vel rugam, vitam scribere Sanctorum, qui quasi mundi fulsere luminaria, et, ignorantiæ tenebris atque errorum expulsis, clarum illustrarunt lumen in credentium cordibus; quorum cordibus credimus inserendam vitam actusque sanctæ virginis Glodesindæ, quam non credimus minoris esse debiti * ; quia, ut fertur, non ab humano homine, sed ab angelo incorruptibili, contra dicente patre ac ceteris nobilibus parentibus *c* suis, velamen capitis suscepit. Quæ nisi Deo esset digna amabilisque, nequaquam ita, ut nunc retulimus, divinitus velum, Domini jussione, angelicis susciperet manibus.

ex Ms.

* *al.* meriti

imo et Beatam ipsam invocat.

4 Eja, sancta virgo Glodesinda, adjuva, succurre, tribue vires, et ora Dominum, ut illuminetur oculus cordis nostri lumine sapientiæ et intelligentiæ atque scientiæ; ut clare videre et enarrare miracula mereamur Dei et Domini nostri Jesu Christi, quæ nostris temporibus intercessionibus tuis operari dignatus est. Scriptis namque mandanda credimus, ut quibus nos præsentes lætamur, sequentes etiam ob memoriam scripti ædificentur. Nam beata eadem E Virgo, cujus vitæ meritum exquiritur, adhuc in hoc seculo degens, plenissime jam tunc suis revelabatur miraculis. Nam negligentia adeo tacitum fuerat, ut vix aliquid jam ad nostræ ætatis tempora pervenire secundum ejus magnificentiam vitæ valuerit.

ANNOTATA.

a *Alludit, opinor, ad opus creationis, quod sex diebus perfectum fuit. Alias octonario numero perfectionis gradus ultimus designari solet.*

b *Hinc in Commentario prævio collegimus, monachum fuisse hujus Vitæ scriptorem.*

c Parentes *jam olim dici consueverunt consanguinei. Adi Cangium in Glossario.*

CAPUT I.

S. Glodesindis natales; nuptiæ; virginitas angelico ministerio asserta; fundatio parthenonis; beatus obitus.

F

Natales Beatæ nobiles, et primæ nuptiæ :

Dicitur tamen hæc sancta virgo Glodesinda fuisse temporibus Childerici *a* regis, et cujusdam illustris ducis filia, qui dux Wintro *b* vocabatur. Matris quoque ejus nomen Godila *c* erat; atque satis prædicta proles nobili generis stemmate procreata. Quæ cum in tantum jam fuisset adulta, ut sibi conjugii copula provideri deberet; in ea efficientia secundum filiorum generositatem ipse pater laborare inde jam cœperat; resque usque ad desponsionem pervenit. Paracto vero sponsionis tempore, accipiens eam pater ejus materque, sive parentes nobiles, prædictam Christi virginem ac sponsam Domini nostri Jesu Christi Glodesindam, tradiderunt eam cuidam viro nobili, Oboleno nomine; qui accipiens eam, duxit ad regendam domum suam : introductamque prædictam virginem ac sponsam Domini nostri Jesu Christi Glodesindam intra septa domus suæ, volens copulari ei, attamen Domini providentia actu non cognovit eam. Sed hæc omnia molimina incassum fiebant; quia sancta Virgo cælesti

EX MSS.

lesti jam sponso corpus suum et animam consecraverat.

sponsi supplicium, B. Virginis integritas.

6 Idem vero prædictus sponsus eodem die a prædicto Childerico rege divina providentia vocatus [est,] ut non pollueret jam dictam sacratissimam Virginem, quæ pro nihilo carnale ducebat conjugium, atque pompæ seculi hujus totis renuntiabat viribus. Obolenus quoque statim ac velociter inter suum ad palatium dirigens, illucque perveniens *d*, mox ud audivit prædictus Childericus rex, eum in palatium fuisse perventum *e*, jussit eum pro suo nefando scelere atque pro sua ingenti nequitia in custodiam ponere, ibique retrusum anno integro firmis munitionibus custodiri : unde post expletum annum eductus, præcipiente prædicto rege, capite peremptus est.

Dum aliæ parantur nuptiæ,

7 Denique pater prædictæ sacræ Virginis voluit eam alteri sociare viro in conjugium. Illa hoc totis nisibus respuens; atque appropinquante interea die nuptiarum, in qua tradenda erat beata B Virgo sponso corruptibili, sponso integritatis inimico, qui [post] paululum putredo, vermis, et pulvis erat futurus; hostia jam Domino facta, talem sponsum contemnens, pro Christo patrem parentesque relinquens et sponsum, soli Deo famulari desiderabat. Pater, quoque jam dictæ sacræ Virginis volens * eam ad Treverensium secum ducere civitatem ad sororem suam, nomine Rotlindam *f*, quæ ibidem illo tempore in sancta conversatione manebat, ut vel cum ea inibi blandis ac dulcibus sermonibus ejus mollificaretur animus, quatinus vel sic alteri eam potuisset dare viro in conjugium.

* *lege* voluit

Beata ad ecclesiam Metensem profugit,

8 Illa hoc refutans ac detestans, noluit illuc ire juxta condictum patris, sed ad urbem Mettensium in ecclesiam sancti protomartyris Stephani *g* profugit, et confessionem *h*, ubi ejusdem Martyris *i* ac ceterorum innumerabilium Sanctorum reliquiæ conditæ erant, collocavit pro fuga *k*, non pro commisso scelere, sed ne scelus committeret : nec verita parentum ferocitatem, manebat; quia paratior erat mori, C quam florem virginitatis et decus castitatis et præmium amittere gloriosæ integritatis; dans exemplum sequentibus cunctis virginibus, sequens ipsum decorem omnium virginum Christum, quem Virgo conceperat, Virgo pepererat, atque in ævum Virgo permanserat. Ne vera gaudia putent virgines in maritalibus maculosis consistere vinculis, in largis possessionibus, multis casibus amittendis, et maxime in detrimento pudoris, quorum omnium post mortem nulla erit mulcedo.

unde a parentibus avelli non potuit;

9 Sed ut ad ordinem propositæ redeam dictionis; vertuntur in furorem parentes, magisque sponsalium præparatores, et veluti se delusos dolentes, persequi statuunt Ancillam Christi, atque eam quoquo modo a proposita intentione reflectere. Sed beata virgo Glodesindis, veluti se ad portum venisse quietis gaudens, nec eorum quatitur terroribus, nec blandis seducitur sermonibus. Fitque inibi tunc diligens custodia ad ostium basilicæ, ut quacumque Virgo vi raperetur, aut etiam, ut offensatrix, puniretur.

imo, angelo eam velante,

10 Sed Christi misericordia furorem tam immanem et odium ingens pro virtute vertit in clementiam, et vecordiam parentum in Filiæ mutavit benevolentiam : nam, ut aiunt, coram ipsis et compluribus populis in eadem protomartyris Stephani ecclesia per sex dies mansit, non manducans neque bibens; sed forte angelico pasta pane satiata est : quo in loco intentissime et pura devotione sacris vacabat orationibus. Instante itaque jam septima die, quæ prima feria, atque Dominicus appellatur dies, vir quidam ignotus angelico vultu advenit, quem sequebantur duo pueri, qui sanctæ Virgini, ob violentiæ metum juxta altare positæ, velum sanctæ religionis detulit, atque mox velatam coram cunctis reliquit. Hoc autem peracto, ab oculis eorum recesserunt *l*. D

territi illi veniam petunt;

11 Nemo tamen dixit, quid quærerent, quidve egissent; sed omnes magno detinebantur terrore, et nesciebant, quid, imminente terrore, facere potuissent. Quod cuncti cernentes atque scientes manibus factum angelicis, non jam persequendam, ut impiam, sed venerandam, ut Sanctam, decernunt. Et prostrati omnes veniam postulant; ut eis sacra virgo et Deo dilecta Glodesindis indulgentiam tribueret : ac sic ei reconciliati sunt, atque veniam impetrarunt. Audiant hoc virgines, quæ sui corporis quantulacumque titillantur ærumna, quid hæc sancta promeruit Virgo, quæ viri abhorruit thorum; quæ primo E angelica manu, loco pignoris, promeruit velum, et Christum inæstimabilem sponsum, et postea cæleste atque perpetuum regnum; nec etiam in præsenti seculo contumeliosa relinquitur.

ac Filiæ locum cedunt erigendo monasterio.

12 Demum vero prædicta Virgo sponte pergens Treviris, atque ad prædictam amitam suam Rotlindam perveniens, ibique una cum ea religiosissime degens, sacram didicit Regulam; ut et seipsam instrueret, ac ceteris sanctimonialibus normam daret. His vero omnibus jure peractis, Mettis rediit; atque in supradicta civitate Mettensi datur ei a parentibus suis locus quidam, quem ipsa elegerat; et ditatum possessionibus sanctæ Virgini relinquunt. At illa inibi mox monasterium construxit, quod Subterius *m* vocatur Monasterium, et, numero centenario sanctimonialium illic agmine collecto, diebus vitæ suæ præfuit atque profuit. F

Ubi post annos sex obiit.

13 Ferunt quidam, quod post collocatum monasterium ac collectam congregationem atque regulariter instructam, per sex annos peregerit vitam, et regulariter atque irreprehensibiliter vixerit, et ceteris se sequentibus imitabilem ostenderit : quod modo sacratissimis ejus virtutibus declaratum est. Post sex vero annos incorrupta migravit ad Dominum suum, inviolabilem sponsum; cui se voverat, et multis temporibus juncta esse cupiebat. Dicunt quidam, quod in totum vitæ suæ cursum triginta annorum impleverit. Postea quoque præcepit se ferri ad locum, quem in illo tempore ad Sanctos vocabant Apostolos *n*, ibique se jussit sepeliri.

ANNOTATA.

a *Imo* Childeberti, *ut in Commentario dictum num.* 17.

b *De hoc etiam in Commentario diximus num.* 18.

c Godila *dicitur in breviori Vita Ms. ecclesiæ Mentensis fuisse* ducis cujusdam Austrasii filia.

d *Casus nominativus absolutus pro ablativo non est infrequens in auctoribus horum temporum; ut in Actis nostris passim videre est.*

e *Solœcismus est quidem; sed aperta satis sententia : ut operæ pretium non sit hæc et ejusmodi*

A *di alia non pauca in barbara scriptione notare.*

f Rotlinda, *sive* Rotlindis *hæc juxta Browerum Annalium Trevirensium lib.* 7, *num.* 41, erat Treviris spectata morum integritate virgo Deo sacrata, ac contubernii quoque virginei antistita : *id quod etiam facile colliges ex Actis hisce nostris infra num.* 12.

g Ecclesia S. Stephani *apud Metas præcipua est, augusta, et cathedralis.*

h Confessio *apud scriptores ecclesiasticos significat locum ecclesiæ, in quo reposita sunt corpora seu reliquiæ SS. Martyrum, ut fusius docet Macer in Hierolexico.*

i *Ibi enim, ut ex Actis S. Trudonis apud Mabillonium hic in Notis et Meurissium in Historia episcoporum Metensium pag.* 135 *de S. Stephano dicitur,* pretiosissimus sanguis illius custoditur; *imo et silex, quo lapidatus fuit, ut idem Meurissius notat.*

k *Id est, pro refugio seu asylo illum sibi locum delegit.*

B l *Hoc miraculum dissimulat ac propemodum negat in Vita* S. Glodesindis *nuperus quidem Legendista Gallus; crisi dicam, an fide pessima? Certe locum hunc nullibi sic scriptum reperit, ut eum ipse tradit. Vide Acta S. Joannis Gualberti ad diem* 12 *Julii pag.* 314, *ubi gravius ejus delictum in hoc genere castigavimus.*

m Subterius *constanter appellatur monasterium* S. Glodesindis *in codice S. Huberti; at Trevirensis modo* Superius, *modo* Subterius *habet; Blaburensis autem ubique servat* Superius : *retinendum tamen videtur* Subterius; *nam in Actis posterioribus infra num.* 21 *dicitur major ecclesia, atque adeo ipsum monasterium* S. Glodesindis, *fuisse* loco subteriori. *Præterea sic recte distinguitur a monasterio Metensi S. Arnulfi, quod olim* Superius *vocabatur. ut patet ex Actis abbatum quatuor apud Martenium in Thesauro anecdotorum tom.* 3 *col.* 1201.

n *Hæc erat Metensium ecclesia suburbana, uti dictum est in Commentario prævio ad Acta S. Arnulfi Metensis episcopi ad diem* XVIII *hujus mensis.*

C

CAPUT II.

Sanctæ sepultura; prima translatio; incorruptio; miracula quædam.

Condita primum est ad SS. Apostolos per annos 25; a

In ipso quoque loco non habebatur tunc temporis corpus beati Arnulfi eximii confessoris *a* : demum vero mutato nomine, modo illum ad Sanctum vocitant Arnulfum, sive ad Sanctos Apostolos. Propterea autem illuc se præcepit ferri, quia non habebatur in suo monasterio, quod Subterius vocant, cymeterium, ubi ejus sacratissimæ Virginis sepeliretur corpus. Quo in loco viginti quinque annos *b* in pace quievit. Demum vero venit divinitus cuidam religiosæ sanctimoniali in prædicto Subteriori monasterio divina annuntiatio, ut ædificaretur extra murum ipsius monasterii ecclesia in honorem sanctæ Genitricis Dei Mariæ; videbaturque illi sanctimoniali quasi sancti virgo Glodesindis ei loqueretur, et staret supra murum civitatis, et jaceret lapidem in loco quodam; et præcepit, ut in ipso loco, in quo lapis caderet, facerent altare in honore sanctæ Mariæ Virginis : ostenditque alterum ei locum, in quo fieret ostium transmurum civitatis, per quod sanctimoniales de prædicto monasterio in ecclesiam sanctæ Mariæ haberent introitum. *ex ms.*

inde tum ad S. Mariæ translata adhuc incorrupta,

15 Quod nequaquam habitatores ipsius monasterii ausi sunt facere, nisi per licentiam atque jussionem regis. Et miserunt legatos ad regem; qui concessit eis quod petebant. Præcepit etiam, ut in ipsa sanctæ Dei Genitricis Mariæ ecclesia fierent cymeteria, ubi ipsius sanctæ virginis Glodesindis tumularetur corpus, ac ceterarum sanctimonialium corpora sepelirentur, propter itineris longitudinem ad Sanctos Apostolos, quod modo ad Sanctum Arnulfum vocant; sive propter labores hominum, qui deportabant cadavera sanctimonialium ad supradictam sanctorum Apostolorum, sivi sancti Arnulfi, ecclesiam, vel ad ceteras circa urbem ecclesias. Peracta quoque præfixa ecclesia, desepelierunt eam de loco ubi antea jacebat, ac detulerunt cum psalmis et hymnis ac canticis spiritualibus ad Subterius monasterium, in prædictam sanctæ Mariæ ecclesiam, et ibi sepelierunt eam in dextera parte altaris. E
Quæ ita, ut ferunt, integra erat, quasi ipsa die migraret.

non sine præsenti miraculo.

16 Quando vero desepelierunt eam de cymeterio sancti Arnulfi, in balneum sanctam posuerunt Virginem, ut caro ejus pulchritudinem pristini decoris reciperet : ubi mira virtus Christi apparuit. Quædam sanctimonialis religiosa, ita infirma, ut vix viveret, tetigit jam dictam sanctam virginem Glodesindem digito suo in faciem; ex qua, ut fertur, sanguis statim exiit. Ipsa vero sanctimonialis, quæ eam in faciem suo tetigit digito, quando sanguis ex ea exiens multis apparuit, accepit inde terminum vitæ suæ auctum anno dimidio. Sepulta autem est in ecclesia sanctæ Virginis Mariæ, in qua usque ad translationem sui corporis infra monasterium honorabiliter quievit.

Mus arrodens pedem ejus per visionem detegitur.

17 Cuidam autem sanctimoniali, religiose viventi, divinitus annuntiatum est, quod mus, ipsius sanctæ virginis Glodesindis corpus contaminaret. Et visum est ei, quasi aperiretur ejus sepulchrum, et ejiceret murem, qui devorabat digitum pollicem pedis dextri jam dictæ Virginis. F
Illucescente die retulit hæc omnia suæ abbatissæ ac ceteris sanctimonialibus. Quibus visum est, ut acciperent religiosos Christi sacerdotes, et probarent eventum rei cum Letania ac ceteris sacris orationibus : feceruntque ita. Peracta vero Letania ac sacris orationibus, devotissime ac religiosissime cum magno timore aperuerunt sacratissimæ virginis Glodesindis sepulchrum, et invenerunt ita, ut sanctimonialis retulit; atque invenerunt pollicem sacræ Virginis dextri pedis sanguinolentum; ejeceruntque murem; et foramen, per quod ingrediebatur, firmaverunt; ut demum per illud non haberet aditum.

In ecclesia S. Mariæ diu quievit corpus.

18 Revoluto autem tumulo supra sepulchrum, ac reserato, ut prius fuerat, quievit in pace in prædicto loco; ubi multi et innumerabiles ejus meritis ex diversis infirmitatibus sunt eruti. Jacuit usque ad sui translationem corporis, quæ est pridie Idus Martii *c*, in prædicta sanctæ et intemeratæ Virginis Mariæ ecclesia, juxta monasterium, cui præfuit, atque nunc usque præest, quamvis ibi humata quiescat *d*. Hæc pauca de ejus gestis ea fide, qua ad nos venerunt, notavimus. c d

19 Ceterum

EX MSS. *Sepulcrum sponte subrigitur anno Christi 830;* 19 Ceterum nunc ad miracula veniemus. Præsertim anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo trigesimo, præsidente solio Apostolico Gregorio Papa *e*, et Ludovico *f* imperialia sceptra regente, et Drogone Mettensium archiepiscopo *g*, sicut divinitati placuit, res tam pretiosa diutius latere non potuit. Porro sepulchrum, in quo beata virgo Glodesindis tumulata jacebat, emergere de terra cœpit, et miro valde in modo; ita ut nec in terra eadem, viciniora tumuli loca apparerent, nec in murali constructione desuper composita. Quod cum pervenisset ad venerandum supradictum pontificem, rem hujuscemodi dignitatis nequaquam ultra passus est dissimulandam, sed missis mox in crastinum suo corepiscopo *h*, ceterisque religiosis sacerdotibus, rem si vera esset, explorare præcipiens.

ANNOTATA.

a *S. Arnulfus ep. Metensis eo delatus est anno Christi* 641, *ut in citato mox Commentario probatum est.*

b *Ita codex S. Huberti et Trevirensis; at Blaburensis* viginti duobus, *quod et recentiores quidam secuti sunt; sed perperam, ut patet ex Vita secunda tum excusa tum manuscripta, in omnibus, quæ viderim, exemplaribus.*

c *Hæc illa est translatio* S. Glodesindis *ex æde Deiparæ ad templum monasterii primarium, cujus eodem die anniversaria memoria hodieque celebratur, ut in Commentario monui num.* 7.

d *Ita codices Trevirensis ac Blaburensis: male vero legitur in apographo S. Huberti* : Quamvis ibi humata non quiescat: *omnino enim ibi, hoc est, intra monasterium suum quievit, cum hic auctor hæc scriberet; ut in ipso etiam hoc apographo num.* 20 *dicitur.*

e *Sedit Gregorius Papa IV ab anno Christi* 827 *ad* 844.

f *Intellige* Ludovicum *cognomento* Pium; *qui imperium, in cujus societatem adscitus paulo ante fuerat a patre, solus moderari cœpit anno Christi* 814, *obiit vero anno* 840.

g *Ita codices S. Huberti et Blaburensis; Trevirensis autem tantum scribit* Metensium episcopo; *sed minus recte: quamquam enim cathedra Metensis per sese episcopalis esset tantummodo; præsules tamen aliquot habuit archiepiscoporum titulo et jure decoratos, quos inter hic Drogo quartus numeratur apud Meurissium; quod etiam affirmatur in Vita secunda infra num.* 31. *Sedit vero archiepiscopus ille juxta eumdem auctorem per annos circiter* 32, *exorsus ab anno Christi* 825; *vel juxta Vitam secundam loco citato, ubi annus Drogonis octavus illigatur anno Christi* 830 *per mensem Martium, quo hæc translatio contigit, episcopatum adiit anno fere* 823: *quem annum huic etiam rei assignant Eginhardi Annales de gestis Ludovici Pii imperatoris apud Chesnium tom.* 2 *pag.* 266.

h *Id est,* archidiacono majore, *ut explicatur in Vita altera num.* 32.

CAPUT III.

Altera translatio, et varia illam consecuta miracula.

Quod cum inventum esset, atque ei relatum, sive vita ejusdem Virginis religiosissimæ, dum viveret, nuntiata; nutu mox divino, et multorum precibus præmonitus, de eodem loco in alium deferendam mox aggreditur. Quod dum factum esset, et sanctum illud corpus de terra ablatum, provisa est ei sepultura in eodem monasterio in ecclesia seniori post altare, quod constructum est atque sacratum in laude et honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ac beati Petri principis Apostolorum, necnon et sancti Sulpicii egregii confessoris *a*. Inibi autem mox mirabilia Christi effulgere cœperunt, ita ut cæcis visus, debilibus gressus, sanitas infirmantibus copiosissime redderetur. *Unde transfertur corpus in ecclesiam primariam monasterii.*

21 Primum autem, antequam corpus ejus sepulturæ traderetur, cæcus quidam, qui longo jam tempore cæcus fuerat, nec spem habens videndi, merito prædictæ sanctæ Glodesindis lumen recepit oculorum. Postea vero mulier quædam, nomine Andrea, quæ multo jam tempore cæca fuerat, illuminata est. Rimberga etiam quædam mulier vocata, quæ longo jam tempore cæca fuerat, mox ut signa jam divulgata per totam civitatem audivit, ad ecclesiam, in qua corpus virginis Glodesindæ tumulatum est, festinato ire cœpit; atque ubi illuc pervenit, Dominus meritis ejus magnum signum ostendit. Facta enim oratione, non multo illic tempore in excubiis manens, visum recepit. *quando cæcus unus, et cæcæ duæ visum receperunt.*

22 Martina quoque et Waldrada atque Odeigardis, totæ tres magnis tenebantur febribus, et multo jam tempore graviter febricitabant, ita ut pene mortuæ jacerent. Quæ videlicet in multis medicis suam substantiam propter sanitatem erogabant, et a nullo medico terreno sanitatem, nec etiam refocillationem recipere quibant: mox ut ad limina ejusdem ecclesiæ venerunt, oratione facta, sacræ Virginis meritis, sine tributione pecuniæ, ac sine humana carnalibus manibus facta medicina, pristinam receperunt sanitatem. *Ibidem sanantur mulieres tres febricitantes;*

23 Quædam autem mulier, Imma nomine, gravissimo tenebatur languore, et multo tempore languebat; quæ vix etiam spiritum ad se trahebat, et a nullo homine sanitatem vel suavitatem habere potuit, sed sine spe restitutionis jam erat. Quam tamen Dominus in ea desperatione relinquere noluit; quia, ut credimus, aliquem boni operis igniculum in se habebat, quem extingui non passus est. Nutu igitur Dei, ad prædictum monasterium iter agens, atque in septa monasterii perveniens, immensas omnipotenti Deo gratias egit, quia illuc viva pervenire meruit, quod nullo modo, antequam factum esset, fieri posse credidit. *Imma gravissime languens,*

24 Sed mox ut portas monasterii ingressa est, languorum a se paulatim recedere sensit, et quanto plus appropinquabat ecclesiæ, in qua corpus Virginis humatum jacebat, tantum infirmitas paulatim, ut prædiximus, recedebat, et illa magis magisque remissius habebat. Quæ ut ecclesiam *ibidem sanitati restituitur.*

A ecclesiam lustrare cœpit, ac Deo immensas referre gratias, et pro suis delictis exorare, atque circa altare et sacræ Virginis sepulchrum totis viribus exorare, non multo post tempore, in prædicta ecclesia juxta Virginis sepulchrum intentissime orans ac supplicans, precibus beatæ Glodesindæ in sanitati reddita est, ut pristino tempore fuerat, ac integram recepit sanitatem.

Ipsa Beata cæcam ad sepulcrum suum ducens,

25 Quadam autem die, dum sanctimoniales devotissimæ in prædicta ecclesia earum peragerent officium, quædam mulier incognita, non tamen longe a Mettensi civitate orta, cujus nomen Angelindis, limina prædictæ penetrans ecclesiæ, ad gradus, qui sunt ante altare, pervenit; quæ cum esset multo tempore jam cæca, per se ire non poterat, nisi haberet ductorem. Sed mox ut transcendit gradus, qui erant ante altare, et ad ipsum altare pervenit, videbatur illi, quasi ipsa sancta virgo Glodesindis eam duceret. Ipsa tamen prædicta mulier, quæ cæca erat, non agnovit eam; quia jam incipiebant ejus aperiri oculi; et parvo visu cognovit, quod aliam ductricem habebat, quam solita esset. B Quæ respiciens huc atque illuc et vociferans, proprio nomine suam cœpit ductricem vocare; non tamen eam reperire poterat, quoniam, Domino tribuente, pulchriorem atque meliorem habebat ductricem.

ei visum reddit:

26 Ut autem perducta a sancta Glodesinde ad caput sui sepulchri fuit, sua ibi peracta oratione, videbatur illi de sepulchro Virginis, quasi nubes essent; et admodum mirabatur, quod nubes tam prope terram non solito more peragrassent. Denique paulatim oculi ejus aperiri cœperunt, ita ut sepulchrum prædictæ Virginis videre mereretur. Illa vero non se ibi recognoscens, mirabitur adeo, quomodo illuc divertisset, ad respiciens undique, incognitam ductricem, quæ eam illuc adduxerat, nec videre nec reperire poterat. Cui tristanti divinitus revelatum fuit, quod sancta Glodesindis illuc eam adduxerit. Sicque, Domino largiente, inibi coram multis astantibus clarum recepit visum; ita ut postea ductore non egeret, sed per se in quamcumque vellet partem iter dirigeret.

alteri cæcæ ibidem oculos aperit.

27 Post istam vero quædam ad prædictam ecclesiam mulier venit, nomine Plictrudis, quæ, multis C jam peractis diebus, lumen videre non quivit. Sed mox ut ad sepulchrum Virginis pervenit, atque juxta illud resedit cum ceteris innumerabilibus infirmis, ibi tota nocte in excubiis atque orationibus permansit. Matutinali vero synaxi *b*, peracta, videbatur illi, quasi ipsa sacra Virgo digitis propriis vi aperiret oculos ejus, atque sic meritis ipsius clare videre meruit.

ANNOTATA.

a *De hac ecclesia adi infra Vitam alteram num.* 34 *et* 35.

b Matutinali synaxi, *id est*, Officio matutinali, *quod moniales concinebant in choro, ut explicat Vita secunda num.* 44.

CAPUT IV.

Prosecutio miraculorum.

Decimum quoque miraculum, quod Dominus in eodem loco meritis sanctæ Virginis ostendit, silendum non est. Erat quidam vir, nomine Baldricus, cujus nares longo tempore ita putebant, ut vix illi quis appropinquare vellet propter fœtorem atque putredinem narium. Qui a plurimis medicis de supradicta infirmitate medicinam acceperat; sed nihil ei profuit. Ut ergo audivit, quod Dominus omnipotens in Mettensi urbe per Glodesindem, virginem Deo dilectam, plurimas faceret virtutes, ad jam dictam urbem ire festinavit. Ut autem ad Subterius pervenit monasterium, in quo corpus sacræ virginis Glodesindæ tumulatum jacebat; atque in ecclesiam intrans *a*, omnes fugere cœperunt propter fœtorem, quem in naribus portabat. Ille non propterea de Dei misericordia dissidens recessit; sed ibidem, licet cum verecundia, cum reliquis infirmis, manum infirmitati suæ opponens *b* sedebat, orabatque, ut Deus cælestis illi redderet sanitatem. Cujus Deus preces exaudiens, per meritum Glodesindis ita sanavit, atque a supradicto morbo liberavit, sicut in juvenili sanus fuerat ætate.

ex mss. Sanat nares fœtentes ac putridas.

Mulieres aliquot cæcitate liberantur:

29 Undecimum vero signum non silebo. Femina quædam, nomine Benedicta, ad prædictum monasterium venit, quæ jam decem an- E nos cæca fuerat, ita ut nec lumen videret, nec unquam videre putaret. Sed Deus pius et misericors illius respiciens inopiam, per quædam arcana annuit ei, ut prædictum pergeret monasterium. Ut autem illo pervenit, mox ad sepulchrum Virginis tendere festinavit. Quæ ut audivit tumultum infirmorum juxta sepulchrum sedentium, magnis vocibus ululare, ac totis viribus pro suis sceleribus deprecari cœpit. Quæ inibi a Deo exaudita est, ut meritis sanctæ Virginis, præclarum reciperet lumen. Ansegardis autem et Lamberga, seu *c* Bercardis atque Stangardis necnon et Madelsinda, quæ omnes multo jam tempore lumen perdiderant oculorum, ante sepulchrum sanctissimæ Virginis illuminatæ sunt.

item alia manus ac pedum contractione;

30 Magnum siquidem signum post præterita miracula, ibidem declaratum est, quod fuit septimum decimum. Mulier quædam, nomine Bova, in prædicto loco sanata est, quæ tribus jam præteritis annis debiles atque contractos habebat pedes et unam manum. Quæ ut audivit, quod omnipotens F Dominus in Mettensi urbe per meritum sacratissimæ virginis Glodesindis tot signa atque virtutes operatus esset, statim se illuc portari præcepit; quoniam non habebat virtutem, ut per se ire posset. Quæ ut allata est intra ecclesiam, in qua honorifice tumulatum jacebat corpus sanctæ virginis Glodesindis, jussit se super pavimentum poni. Quæ prostrata in terra cœpit flere ac rogare Dominum, ut aliquod adjumentum sanitatis illi redderet, recognoscens, se pro suis sceleribus talem habere infirmitatem. Quam Deus misericors, justus ac pius exaudivit, et ante conspectum omnium circumstantium, prædictæ feminæ pristinam reddidit sanitatem.

et alii iterum plures cæcitate.

31 Post ista quidem signa prædicta, sunt ibi alia multa ostensa, et nonnulli cæci viri, seu cæcæ mulieres lumen receperunt, id est, Madelbertus, Abgenia, Baldrada, Adelbertus, Adalsinda, Ratbertus, Agidia : hi omnes in prædicto monasterio, et ante sepulchrum beatæ Glodesindæ virginis, meritis et precibus ejus, clarum meruerunt videre diem. Nec mirum itaque, si in prædicto loco, et in eodem monasterio, de quo jam supra multa retulimus, tot fiunt

fiunt signa, cum etiam in exterioribus monasterii locis, plurima ejus merito declarata sint.

Navim impetrat clericus Sanctam invocans.

32 Est autem quidam clericus in ipso monasterio, nomine Fulchobertus, qui quadam die volebat pergere ultra fluvium Saliæ *d*. Dum autem ad ripam prædicti fluminis pervenisset, volens transire illud, non inveniens navim in qua transiret, cœpit sedere et exspectare aliquem hominem, qui ei adduceret navim. Tædio vero jam adeo fessus, et multo tempore exspectans, cœpit dormitare in ipso loco. Expergefactus autem, non invenit adminiculum aliquod, quomodo transiret flumen. Tunc in semetipsum reversus, cœpit flagitare, ut sancta virgo Glodesindis rogaret Deum, ut suo servulo veniret navis, in qua transire posset. Deus autem, qui ubique præsens adest, ejus exaudiens clamorem, precibus prædictæ Virginis dedit illi adjutorium ad transeundum flumen. Ipsa enim navis, per se, nullo movente, ad prædictum usque clericum pervenit. Quam ille ad portum et ad ripam, in qua stabat, reperiens, atque Deo gratias ingentes referens, quod per
B meritum suæ dominæ Glodesindis ei dederit navim, intrans in eam, transivit jam dictum flumen.

Pauper piscator, invocata S. Glodesinde,

33 Nec silendum etiam puto, quod multo longius a prædicta civitate et a jam dicto monasterio signum factum meritis Glodesindis, multis apparuit. Volebat enim quidam homo pauper ire ad prædictum monasterium, in quo humatum jacet corpus sanctæ Virginis, sed nolebat ire vacuus ad prædictum locum, divinitus admonitus præcepto, quod in lege scriptum est, Non appareas vacuus in conspectu Domini Dei tui *e*. Habebat autem ipse homo pauper artem piscandi; et ivit ad aquam cum suis utensilibus, arte piscatoria, ut vel ibi caperet aliquem piscem, quem jam deferret ad jam dictum monasterium custodibus prædictæ Virginis, ut haberet meliorem locum orandi, atque cum eis dulciorem receptionem.

piscem, elapsum retibus, mox recipit.

34 Qui dum cœpit rete suum trahere per aquam, cepit ingentem piscem. Qui mox ut sensit rete, extorsit se a reti, rediens iterum in aquam. Ipse autem piscator magnis cœpit ejulare vocibus, et deprecari Deum, et sanctam Glodesindem, ut redderet ei aliquod munusculum,
C seu piscem, quem deferre posset ad jam dictum locum. Deus vero misericors et pius, qui non despicit clamorem pauperis, exaudivit preces ejus, et reddidit ipsum piscem, quem antea sua arte captum habuerat, sed tunc non jam suo artificio, sed divinitus redditum; quoniam ipse piscis de aqua sponte saliens, et et ipse se retulit, et in rete cecidit, quasi alius ejus adjutor ex aqua illum manu in rete projiceret. Sicque recepit illum, et ad prædictum locum deportavit, et tradidit, sicuti noverat, custodibus sanctæ Virginis.

Infessus a dæmone

35 Mira quoque virtus in eodem loco, præstante Domino, oratu sanctæ Virginis in ipso temporis articulo declarata est. Fuit quidam vir, Odilulfus nomine, faber imperatoris, de villa, cujus vocabulum est Judich *f*, qui per undecim curricula annorum a dæmonio vexabatur graviter, et ad multa Sanctorum loca ierat, ut sanitatem recipere posset, expulso dæmonio. Fuit enim ad sanctum Sebastianum, et ad sanctum Dionysium, et ad sanctum Quintinum *g*, necnon et ad Sanctorum corpora innumerabilium; ubi nec etiam adjumentum de præ- D
dicta re sentire quivit. Erogaverat etiam per multos carnales medicos substantiam suam, ut vel sic sanaretur; quod nihil ei profuit.

ibidem liberatur.

36 Tandem quoque audiens virtutes, quas Deus misericors et pius, qui neminem vult perire, sed omnes salvare, faciebat per merita beatæ Glodesindis in Mettensi urbe, festinavit ire ad monasterium, ubi humanum prædictæ Virginis corpus jacet, ut vel ibi reciperet sanitatem. Cujus Deus humilitatem atque flagellum seu vexationem, quam se profitebatur meritis suis habere, respiciens; precibus sanctæ Virginis priorem ei reddidit sanitatem, atque dæmonium ab eo fuis ejecit viribus.

ANNOTATA.

a *Iterum nominativus absolutus; sensus est,* illo intrante, *omnes fugisse. Vel lege* intravit.

b *Sic quidem ecgraphum S. Huberti; verum Trevirense ac Bablurense pro his habent:* Sua in manu lumen tenens; *et melius; cum ita legerit etiam auctor Vitæ secundæ infra num.* 45. E

c *Particulæ disjunctivæ hic fere pro copulativis seu conjungentibus usurpantur; ut constat ex Vita secunda, in qua prætermissis nominibus personarum, solus earum numerus exprimitur. Itaque hic non quatuor, sed quinque feminæ numerantur num.* 48, *quod et alibi observabis.*

d Salia, *vulgo la* Seille, *fluvius est in Lotharingia ortus ex lacu Lindrensi, unde Metas affluit, ubi cum Mosella confunditur.*

e *Ita fere legitur Eccli.* 35, ℣. 6 *et alibi.*

f *Ita codex S. Huberti; sed Trevirensis habet* Vidihe; *Blaburensis* Judith. *Vitæ secundæ exemplaria omnia locum hunc Latine appellant* Judicium. *Est autem* Judicium, *vulgo* Judz, *pagus vicinus Theodonis-villæ juxta Mosellam quatuor circiter leucis Metis distans versus Septemtrionem. Fit ejus mentio in Capitulario Caroli Calvi per Sirmondum nostrum edito, titulo* 2; *et apud Meurissium pag.* 196 *et seq.*

g *In Vita altera num.* 52 *adduntur loca, in quibus horum Sanctorum reliquias veneratus est.*

CAPUT V.

Cetera miracula.

F

Muti duo, dæmoniaca, et claudus sibi restituuntur

Mirabile etiam sacramentum in eodem monasterio, ipsius Virginis precibus declaratum est. Vir quidam, nomine Guntelinus, ad prædictum locum instinctu Dei festinans, venit, qui ab ortu nativitatis suæ mutus erat, ita ut nec mutire quidem posset, sed ibi ante sepulchrum Virginis aperte loqui meruit. Quadam vero Dominica die, quædam mulier, quæ ab ortu suæ nativitatis muta erat, in ipso loco ante sepulchrum precibus Virginis loqui meruit *a*. Erat autem quædam mulier, Teudrada nomine, quæ ut audivit, quod Dominus meritis Glodesindis in prædicto loco multa ejiceret dæmonia, festinanter ite cœpit, illucque perveniens, expulso dæmonio, oratione ejus sanata est *b*. Nortpaldus quoque de Lauriaco *c* villa ortus, qui claudus multo tempore erat, in prædicto loco ante ejusdem Virginis sepulchrum sanatus est, et debiles antea pedes, sanos et incolumes ibidem recepit.

38 Aletrudis

A

Cæcæ tres luminis usum impetrant, etc. d

38 Aletrudis quædam mulier de Villa Arguntiaco *d*, auditis atque cognitis signis, festinans ad sacrum prædictæ Virginis ire cœpit sepulchrum: cæca enim multo jam tempore erat, ita ut nec solis lumen videret. Ut autem ad locum venit, et ante sepulchrum prostrata jacens orare cœpit, inibi non multo tempore cum ceteris infirmis permanens, lumen pristinum sanctæ Virginis meritis recepit.

Anstrada quoque similiter cæca fuit, quæ ibi præstante Domino, lumen clarum recepit.

** Blabur.* Climma

Glumna * autem quædam mulier, quæ cæca erat, in ipso loco ante sepulchrum Virginis, clarum, tenebris expulsis, recepit lumen. Multa quidem et innumerabilia, per beatæ Glodesindis virginis merita a Deo provisore patrata sunt miracula, quibus et divinæ potestatis ostensa majestas, et humani generis claruit patefacta securitas.

Oleum fluit ex Sanctæ sepulcro:

39 Namque hujus ecclesiam urbis Walone *e* regente episcopo, eodem in loco perspicuum visum est signum, quod omnibus urbis Mettensis habitatoribus claruit miraculum; quoniam ad B ejusdem beatæ Glodesindis pedes oleum dicitur emanasse. Quod multi nuperrime *f* ante præfati episcopi obitum videre, quoniam olei liquor a pedibus præfatæ Virginis fluens, et ad caput usque procedens, ejusdem sacræ Virginis lacrymas pro ruina civitatis imminente dicunt apud Deum misericordiam implorasse; quod etiam multis divina revelatione viris et feminis habetur compertum, tantum apud Deum lacrymis suis obtinuisse locum, quo urbs ipsa ruinæ nullum eodem in tempore pateretur dispendium *g*. Attamen per Dei omnipotentis clementiam, qui sacræ Virginis sibi consecravit aulam *h*, inenarrabilia usque in præsentem diem illic coruscant miracula; quoniam qui sibi eam ascivit in cælis, memoriale suum fecit in terris Jesus Christus summi patris filius, qui etiam sancto Spiritui coæqualis vivit et gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen *i*.

et collectum servatur,

40 Igitur Walo episcopus cum per spatia sex annorum Mettensem rexisset ecclesiam, a paganis est interemptus. Post ejus quoque discessum revoluto unius anni curriculo, dominus Rutpertus *k* in eadem sancta sede ordinatus est episcopus. Sub hujus C itaque præsulatus tempore in ecclesia sacrata virginis Glodesindæ plurima, Domino operante, ostensa sunt miracula. Nam de latere sepulchri ipsius sæpe rivus olei visus est effluere; ita ut ab ipso loco per pavimentum longe decurreret. Quem custodes ipsius altaris reverenter cum spongia colligentes, et vasculum quoddam vitreum ex eo implentes, posuerunt illud super præfatæ Virginis lectum *l*.

ablaturis aliquamdiu disparens.

41 Quodam itaque tempore cum quædam sanctimonialis loci ipsius, nomine Leudewidis, deprecata esset custodem quamdam altaris ipsius, Dodam, ut idem vasculum cum collecto liquore ei præstitisset, volens illud ad basilicam sanctæ Crucis, quæ est intra septa ejusdem monasterii, quamque illa tum in sua habebat provincia *m*, deferre, et ibidem religionis gratia retinere, ipsa Doda mittens manum suam supra lectum in loco, ubi paululum antea id posuerat, minime invenire potuit. Propter quod tremefacta et stupens, convocatis aliis suis paribus, lucerna accensa cœpit lustrare sepulchrum ad ipsum diligenter quærendum. Et cum præ oculis ipsum semper vasculum haberent, diu quærentes, vix tandem aliquando manibus attingere potuerunt.

EX MSS.

Auferens illud amentia punitur, donec retulit.

42 Quod cum lætantes suscepissent, memorata Doda de eodem liquore partem quamdam separans, transmisit fratri suo, Angelario siquidem presbytero ad ecclesiam, quæ est dicata Mettis in honore Salvatoris *n*, ut ibidem religionis causa pro reliquiis servaretur. Vasculum autem majore parte prædicti liquoris suprascripta Leudewidis accipiens reverenter, ad basilicam sanctæ Crucis detulit. Quod cum factum esset, memorata Doda quasi amens pro tali ausu effecta est; ita ut nullam penitus mentis aut corporis se habere virtutum sentire potuit, quousque ad prædictas ecclesias mittens, omnem illum porrectum liquorum acquisivit, et cum vasculo, in quo prius conditus fuerat, super sepulchrum famulæ Christi Glodesindæ reposuit. Quo facto, nondum horarum spatio duarum finito, sæpedicta Doda integrum mentis et corporis se recepisse vigorem lætata est.

Cæca recuperat usum oculorum,

43 Multi autem postea capitis, seu oculorum, aliorumque membrorum dolorem habentes, in eadem ecclesia a tactu unctionis liquoris ipsius, intercessionibus Virginis Christi adjuti, sanitatem E recipere meruerunt. Quædam autem mulier nomine Hildegardis, cum per annos octo luminis expers fuisset, audiens, firmam virtutum beatæ Glodesindæ fidem habens in Domino, sibi orationibus ejusdem lumen posse reddi, limina suæ ecclesiæ reverenter adiit. Et dum una tantum nocte coram sepulchro ipsius divinum sibi postularet dari auxilium, fugatis tenebris, in ipsa nocte lumen recepit.

uti et cæcus adolescens; item clauda

44 Adolescens vero quidam, civis Mettensis, diu cæcus, nec viæ iter carpere valens, dum intra mœnia prædicti monasterii Domini misericordiam aliquamdiu postularet, precibus sacræ virginis Glodesindæ cæcitate expulsa, clarum videre meruit lumen. Quædam femina, nomine Osa, per annos quinque claudicans, et nullam virtutem eundi habens, ad aulam beatæ virginis Glodesindæ se ferri precata est. Et cum post spatium anni dimidii divinam exspectans clementiam, illic debilis jacuisset, sanitate recepta, quæ manibus illuc alienis fuerat delata, pedibus propriis inde recedere potuit valida.

et claudus eriguntur.

45 Claudus autem quidam tempore quodam vespertina jam hora ad fores ejusdem monasterii in grabato allatus est, et precans petiit, ut saltem F illa nocte coram altari beatæ Virginis jacere ei concederetur; quod nequaquam a custodibus altaris illi permissum est. Is autem nequaquam inde secessit: sed præ foribus ante portam monasterii per totam noctem in suo jacens grabato quievit. Mane autem facto de lectulo sanus exsiliens, viribus adeptis, relicto præ foribus grabato, pedibus propriis ad lectum pervenit sacræ Virginis: ibique pro tanto sibi munere præstito, Domino gratias agens, aperto ore profitetur, se precibus Glodesindæ virginis sospitatis donum consecutum fuisse.

Infirmus valetudini subito restituitur.
* *imo* alii cuidam *etc.*

46 Alius vero quidam * infirmus, et omni corporis virtute destitutus, cum aliquamdiu in eodem sancto loco divinam sibi offerri postularet clementiam, quodam die sopore somni gravatus, visum est per somnium, beatam Glodesindam sibi altare, seque cum imperio jubere, ut cito de loco eodem surgeret, et operarios, qui tunc pavimentum in ipsa ecclesia faciebant, hoc ipsum agere adjuvaret. Qui statim a sopore evigilans, et nihil se mali habere sentiens, velociter de loco, in quo diu jacuerat,

EX MSS. cuerat, surrexit, et sicut ei injunctum fuerat, cum aliis operariis sanus effectus, pavimentum facere prospero necessu adjuvit, sciens, veraciter precibus præfatæ Virginis Christi munus incolumitatis sibi a Deo præstitum fuisse. His et aliis similia multa et stupenda miracula scribere omittimus, ne tædium lectori faceremus. Unde magnalia Christi et sacræ Virginis semper collaudemus, et, ut nostri misereantur, continuis precibus exoremus.

ANNOTATA.

a *Hoc miraculum non est in apographo Trevirensi; at legitur tam in Blaburensi, quam in alio S. Huberti.*

b *Desunt etiam in Trevirensi quæ sequuntur hoc et sequenti numero usque* ad Multa quidem et innumerabilia *: habentur tamen in utroque ecgrapho, S. Huberti et Blaburensi.*

c *Indicatur, opinor, pagus Metis haud procul* B *dissitus in Occidentem, vulgo* Lorris.

d *Locum hunc non reperio, nisi forte est* Aurain-ville, *quod Metis sex circiter leucis Germanicis distans Occidentem inter et meridiem notatur.*

e *Rexit* Walo *sedem Metensem, et quidem archiepiscopi titulo, juxta Meurissium et Sammarthanos ab anno Christi* 876 *usque ad* 882, *quo cecidit in conflictu cum Normannis, ut narratur in Vita secunda num.* 60.

f *Sic habet codex S. Huberti et Blaburensis; at Trevirensis* Nuper. *Unde in Commentario collegimus, Vitam hanc esse scriptam non diu post Walonis interitum, adeoque sub finem seculi noni.*

g *Idem asseritur in Vita secunda num.* 62, *et Chronico Reginonis ad annum dominicæ Incarnat.* 882 *in editione Pistorii; quidquid aliter sentiat Meurissius lib.* 3, *ubi agit de Roberto, Walonis successore.*

h *Ita Blaburense ac S. Huberti exemplar; Trevirense habet* animam.

i *Hic desinunt exemplaria S. Huberti ac Trevirense. Quæ sequuntur, addita reperi in Blaburensi tantum.*

k *Aliis* Ruotpertus, Robertus, *etc. de quo fusius agit citatus Meurissius, apud quem est Metensium* C *episcopus quadragesimus tertius, et inter eos, qui archiepiscopali honore donati sunt, sextus; seditque ab anno Christi* 883 *usque ad* 916; *quod etiam asserunt Sammarthani.*

l *Id est,* super sepulcrum, *ut exponit Vita altera num.* 63.

m *Id est, quæ ejus curæ commissa erat. Porro quæ hic* basilica *dicitur, in altera Vita nuncupatur* oratorium, *seu sacellum.*

n *Ecclesia S. Salvatoris una est ex collegiatis Metensibus, de qua videri potest Meurissius locis variis.*

D

VITA ALTERA

AUCTORE JOANNE ABBATE S. ARNULFI METIS.

Ex Mss. codicibus veteribus Spinalensi et Bodecensi inter se et cum editione Labbeana collatis.

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctor rogatus a monialibus,

Multa jam diu prece sanctitatis vestræ, sorores in Christo carissimæ *a*, paulo immoderatius me perurgente, ne quid vestro denegarem amori, id demum effecit; quia quod petebatis non modo honestum, verum omnino constabat religiosum; idque me recusare cum indignum, tum etiam sentiebam periculosum: etsi enim vires aliquantulum reputabam præponderare negotium, rursus animum subibat, quod caritas, quæ non sua, sed quæ proximorum sunt, cogit curare, quo difficilioribus ejus causa instatur, eo *b* faciliorum successuum novit aditus ministrare. Neque in causa Dei verendum, eum, cui res agitur, pro se operanti deesse; tantum fide non infirmari contingat. E

scribit hanc Vitam ex antiquioribus scriptis.

2 Impellitis itaque, ut sacratissimæ virginis Christi Glodesindis, cui devotis continue adhæretis excubiis, quæ conversationis initia, qui medii actus in finem usque feliciter consummatum exstiterint, quantum ex scriptis, quæ ad nostram ætatem qualibuscumque litteris annotata perdurant, queam advertere, stylo, quoquo possibile sit, audeam pertentare. Quod tanto tempore, tantaque instantia flagitatum, quia indecens videtur obniti, ope ejusdem præstantissimæ Virginis, Deo spiritu mundo viventis virtutibus, tum vestris pariter fretus orationum subsidiis, etsi non sine quodam rubore, uti qui parcitatem proprii perpendam ingenii, non diu per longa moratus exordia, ocius narrationi accedam.

F

ANNOTATA.

a *Sanctimoniales alloquitur cœnobii* S. Glodesindis, *apud quas servabatur corpus Fundatricis suæ,* cui *proinde* devotis continue adhærebant excubiis, *ut numero sequenti dicitur.*

b *Labbeus legit* eorum *contra utrumque apographum nostrum.*

TEXTUS NARRATIONIS.

Sanctæ patria, parentes, desponsatio:

Temporibus Childerici, apud Historicos celebratissimi regis Francorum in Gallia Belgica, quæ ex gente postea Franciæ nomen mutavit, Virgo Domini Glodesindis eximia satis, nobili generis stemmate procreata, patre illustrissimo, eodemque duce clarissimo, qui vocabulum Wintro; matre Godila luce generositatis non dispari, ab ineuntis ætatis ingressu multa virtutum dote insignis, multisque exemplo in via castitatis

A castitatis futura, vita et moribus clara enituit. Hæc cum in domo parentum, quoad puellares annos excederet, integre et sub omni esset educata diligentia, ubi jam tempus, quo se dignis natalibus desponderi deberet, accessit, juveni cuidam, nomine Oboleno, a parentibus ex more sponsa decernitur. Christo vero se ubique protegente, non minus corpore, quam mente servatur intacta.

sponsi supplicium ante matrimonium consummatum

4 Et (quam semper mira in electis suis Dei miserentis custodia!) cum, tempore desponsionis exacto, juvenis Virginem, ut fit, a parentibus suscepisset, domum cum grandi frequentia nuptias paraturus deducit. Sed, quia sancta Virgo cælesti Sponso jam corpus et animam suam consecraverat, eodem forte prædicto sponso, consilio utique divinitatis, jussu regio evocato, palatium juvenis sine mora contendit. Quo cum pervenisset, multis et nefariis ei ingestis sceleB ribus, graviter in eum regalis est incensa severitas. Ita arcta retrusus custodia, annoque integro ibi digno squallore confectus, eo exacto eductus, judiciali damnatus sententia, capite detruncatur. Sic virginitas sancta, dum toto nisu carnali oblectationi repugnat, cunctamque gloriæ temporalis pompam nihili reputat, Domino Christo, quem omnibus labentium rerum præferebat deliciis, pro se decertante, ei uni, quod semper optaverat, corde *a* inhærens et corpore, læta et victrix de totius jam damno corruptionis triumphat.

S. Virgini adornantur alteræ nuptiæ;

5 Nec sic quoque adversæ potestatis defecere doli. Pater, nece sponsi prioris audita, Puellam venerabilem rursus cogit ad thalamum. Illa, quæ jam sponsum Christum cordis medullis imbiberat, totis nisibus resultare, nec in eam labem virtuti semel fixum animum inductione qualibet inclinare. Die interea nuptiarum ex condicto parentum instante, beata Virgo præ ejus specie, quem oculis mentis incorruptibilem, immarcescibilem, immortalem conceperat, hunc post paululum putrediuem et filium hominis vermem attendens, patre pie contempto, Dei ac sanctæ matris Ecclesiæ confugium petiit. Erat patri soror memorandæ sanctitatis, Rotlindis nomine, fama religionis Treveris opinatissima. Ad hanc eam secum abducere tentabat, ut saltem ejus suasu animus C Puellæ emollitus, paternis non recusaret obtemperare consiliis.

quas illa fugiendo eludit,

6 Sed quid contra lumen æternitatis cæca molitur instantia? Sancta virgo, patris jussis animo virili obluctatis, urbem populis, potentia, ipsaque sui antiquitate terra marique memorabilem Mettim, seu Mediomatricum, maluit expetendam. Est in eadem urbe basilica beatissimi protomartyris Stephani, quam multis sæpe operatio divina miraculis illustravit. Hanc Ancilla Christi, cum jam sibi res prope ad vim spectaret, ingressa, ibi intra altare et confessionem, ubi cum ejusdem Martyris sanguine plurimorum continentur Sanctorum reliquiæ, se profugam collocavit. O seculis omnibus castitatis studium merito efferendum! Quo enim fluxa mortalitas, natura ipsa, quamvis pœnaliter vitiata, trahente, descendit captiva; hoc Puella, spiritus vigore se fortiter retinente, quasi immanis præcipitii voraginem exhorrescens, quia alias evadendi aditus sibi occluditur, fugæ solius capit præsidium.

7 Nec sane infimi, egentes, aut quicumque de turba erant, qui cogerent *b*; dux certe præpotens pater erat, qui et ipsis terrori locupletibus esset, eumque circumstipantium cohors minax instabat atque terribilis. Sed illa mori paratior, quam florem virginitatis et splendorem gloriosæ amittere integritatis, nec minis concussa, nec blanditiis mota, tamquam tutissimo portu manebat interrita. Discant virgines præsenti exemplo, non pulchrum sibi esse maritalibus subjici vinculis, non in possessionum amplitudine, non in servorum ancillarumque gregibus, non in ornamentorum diversi generis apparatu, non in quorumcumque obsequentium cuneis delectari; cum hæc omnia variis sibi casibus non sine multo utique dolore noverint amittenda, nec quidquam horum se, morte omnia prorumpente, vel comitari posse, vel sequi; quin potius, quæ majus omnibus est, species beati pudoris, Deo angelicisque unice cara agminibus, super omnia hæc infima et mundi caduca oblectamenta, sui solius voluptate, sanctoque et E immaculato alliciat desiderio.

ex mss

contempto periculo quocumque.

Parentes profugam in templo obsident pertinacissime:

8 Sed ut cœpta sequamur, parentes Puellam fugientem e vestigio insecuti, facto stupentes, iraque incensi, maxime cum sponsalium administri, se conquesti delusos, acriori instimularentur dolore, Ancillam Christi ex sacro confugii loco, si qua arte valerent, conabantur abstrahere: fit jugis ante ostium ædis sanctæ pernoctatio, intentaque die noctuque observatio; ut, qualibet forte sibi facultate oblata, vi abducere properarent. Puella venerabilis spiritu robustiori animoque se obstinato immobilem tenens, ut sacrosancto adhærebat altari, nulla inde ratione, vel puncto temporis, aliquatenus quivit avelli; et (mirum dictu!) sex continuis diebus manens in ecclesia, non modo non egressa, sed et omni prorsus cibo abstinet et potu: verum qui dat escam omni carni, et replet omne animal benedictione, Famulam suam humanis frustratam, divinis recreat alimentis, eamque precibus assiduis cælo intentam angelica dumtaxat probatur pavisse refectio. Fide interea tam constanti perseverantiæ suæ remunerationem exigente consolationis divinæ, quæ tam diu contractam nubem mœroris abstergeret, lux repente grata resplenduit.

at cælesti apparitione territi cedunt.

9 Instante namque jam septima die, quæ Dominica erat, ecce, vir quidam vultu angelico, sequentibus pueris duobus pulcherrimis, F sub omnium conspectu advenit, partemque altaris, quæ Virgo sacratissima pudorem tuendo celabatur, recta ingressus, velamine, sanctæ specimen religionis cernentibus cunctis, beatæ Virginis caput obnubit. Nec mora, oculis intuentium, cum his, [cum] quibus apparuit, sublatus, magnitudine facti stupore et miraculo perculit universos, cum terror ipse eos, acsi stolidos et mentis vacuæ, sic reddidisset, ut neque proloqui, neque unde, aut qui essent, qui venerant, possent ediscere. Cum vero post discessum tantæ visionis ad se reversi, sanctam Virginem eo habitu astantem perspicerent, facile animadvertentes, angelicam apparuisse præsentiam, totumque id divinitus factum esse, quod viderant, nihil, quo ultro * resisterent, erat. Tantum solo strati, vestigiisque beatæ Virginis submissi, jam omni feritatis tumore supplicem in gestum converso, veniam solam pro illatis exorant injuriis. Non erat apud cor, cui spiritus pietatis et Rex præsidebat mansuetudinis, hic labor difficilis indulgendi, ac repente, tamquam

* *forte* ultra

EX MS.

quam nullis læsa, omnibus, quæque ea exstiterant, posthabitis, in integram cum parentibus et ceteris rediit gratiam.

Parænesis auctoris ad virgines.

10 Attendant hic virgines, et castitatis thesauro nihil Deo gratius vel angelis discant familiarius. Virginitati Christus inter omnia adest discrimina; spiritus cælestes, uti sponsæ Imperatoris sui famuli devotissimi, obsequuntur. Hæc sola immaculata Agnum sequitur ubique immaculatum. Quantoque ei adhæret vicinius, tanto ad quælibet postulata auditur velocius. Ecce, quam præsto huic Ancillæ suæ gratia illa inæstimabilis affuit. Vere prope Dominus omnibus, qui obtriverunt cor, et prope timentes eum salutare ipsius. Quo vero putas ore eam tunc in laudem sui erupisset creatoris, aut cujus genere vocis hymnum inæstimabili fudisse cum jubilo, cum oculos lucis illius invisibilis tam placide in se dejectos, et aures illas secretissimas voci suæ tam propere cognovit admotas, tamque facili via preces datas effectui, ut angelum sanctum sub ipsis B mortalium oculis ad se lætificandum et consolandum præpotenti majestate advenisse gauderet? Prophetica nimirum exultatione, jam sponsa cælestis effecta, uti poterat ac dicere: Induit me Dominus vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me: itemque voce universalis Ecclesiæ ex utroque sexu collectæ uni capiti suo gratulabunda proclamare: Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento.

Sancta Treviris disciplinam religiosam educta,
* *imo* Rotlindem

11 Beata itaque Virgo cum, ut præmissum est, visceribus affluens pietatis, cunctos sibi pridem infensos veniæ clementer admisisset, et parentibus deinceps in nullo impatiens, placidam se subdidisset, ad prædictam amitam suam Rothildam * magnæ probitatis fama celebrem, quam in secundo actu de nuptiis, pudori metuens, non contumaci mente, refugerat, jam in gratia percepta non minimum gerens fiduciæ, Treviros sponte contendit. Ibi, pro modo conversationis, tempore non multo exacto, cunctis jam bonorum studiis morum actuumque statu ad normam cælestis disciplinæ, quidquid divinitus et humanitus æquo competit et honesto, plenissime informata, urbem sibi patrociniis divinis amicam Mettim repetiit.

Metis parthenonem instruit et regit

C 12 Vitæ illico arctioris ingressum, cui jam dudum sanctus ejus spiritus toto desiderio aspirabat, ancillarum Christi se cum grege collecto summa vi atque ope nitens arripuit. Est locus infra mœnia urbis, ipsius jure hereditario tunc parentum possessio, religiosiori instituto admodum opportunus. Hunc sancta Virgo divinis usibus dono dari sibi expostulans, nec mora, paratissima eorum liberalitate adeptum, monasterium puellarum Dei hodie usque insigne pulchro materialiter decore construxit, pulchriori nihilominus virtutum robore nobiliter gubernavit. In quo usque ad centenum numerum collegium Christo famulantium adunavit, eique omni vigilanter sedulitate institit gloriosa. Quæ ejus ibi deinceps sancti certaminis conversatio fuerit, qui in omni genere spiritalis incrementi ei profectus quotidiano usu accesserit, sub quo disciplinæ rigore et se ipsa compresserit, et ceteris, superni dux facta itineris, in se, quod sequerentur, præstiterit, itaque eis potius, quam sibi vixerit, fide atque arbitratu sanæ intelligentiæ, quam scriptis, æstimo commendandum. Consideranti enim attentius liquido claret, quod beato Virgo visitationem illam in se tam a superipernis jocunde effusam præ oculis cordis continue D versans, exterioris operis executionem interiori non disparem servabat fervori.

per annos sex; ibique obiit anno æt. 30,

13 Postquam idem monasterium ad numerum sex illorum dierum, quibus præparationis sanctæ integritatis mirabili illo in ecclesia duraverat jejunio, sex item annos feliciter rexerat, Deo hominibusque grata, vita quoque et signis magnifica, in sanctitatis proposito cursu fideliter consummato, coronam Justitiæ perceptura a Domino sponsoque diu cupito, cælesti jam socianda in thalamo, immaculata migravit a seculo. Totum præterea hujus spatium mortalitatis triginta annorum cursu eam emensam esse, confirmant. Nec sane de ætatis quid plenitudine perquirendum; cum quidquid fructuum annosæ senectuti esset accessurum, [de] hoc brevi consummata nihil juventus detraxerit. Sunt enim, juxta Sapientiam, cani sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata: quin potius magno Dei dono justi æterna quiete recepti, mundo provide subtrahuntur, ne videntes mala, quæ fiunt sub sole, aut internis paululum E remorentur deliciis, aut vitiis ipsius mortalitatis, quorum ipse quoque obnoxius est visus, contactu assiduo corrumpantur: attestante hoc eadem Sapientia: Raptus, inquit, est, ne malitia mutaret sensum ejus, aut fictio deciperet animam illius.

et sepelitur ad SS. Apostolos;

14 Funus interea ex consequenti debito honore curatur, et, de more a se in eodem monasterio jam inde ab initio instituto, corpus ad basilicam sanctorum Apostolorum haud longe a mœnibus urbis ad portam Meridiem versus effertur, atque ibi in crypta, longe inferius demersa, ad latus sinistrum deponitur: nam hoc idem ipsa vivens, ut fieret, jusserat; eo quod cœmeterium sanctarum puellarum ejusdem loci in prædicta Apostolorum ecclesia tunc temporis haberetur; necdumque corpus gloriosissimi confessoris Christi Amulfi, quam post multa exinde tempora magnis vitæ et virtutum ibi constat enituisse insignibus, eadem ecclesia in tumulo, ut nunc videtur, augusto susceperat. Unde et ex re loco postea nomen inditum, nec præterquam beati ipsius antistitis nomine ullius alterius Sancti apud vulgum ibi notatur memoria. F

ubi quievit annis 25.

15 Mansit venerabile pignus per annos circiter viginti et quinque in eodem loco in pace sepultum, spiritu inter præmia æternitatis, omni jam temporis mutabilitate subacta, ipsi, qui vere habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, adhærente, vitaque eo vere immortaliter, quo immutabiliter cum ipso perfruente, cui immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ita utrumque ecgraphum nostrum contra exemplar Labbei, quod habet* cor ejus inhærens. *Atque, ut semel id monuisse sufficiat, quoties ab editione Labbeana diversum aliquid occurret, id me optima fide sciat lector ex Mss. nostris exhibere; quod melius judicaverim; deinde plura me annotanda negligere, quia jam notavi in Vita priori.*

b *Hic locus corruptus erat in exemplari Labbei; monuit id quidem Mabillonius hic; sed non habuit, quo mendum emendaret; quod nos ex utroque Ms. nostro præstamus.*

HISTORIA

A

HISTORIA TRANSLATIONUM

S. GLODESINDIS

Eodem auctore ex iisdem Mss. atque impressis instrumentis.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Cur hæc scribat; cum scripta sint ante,

Patribus primis gestorum sacræ Virginis, ut dicendi siccitas patiebatur, ex veterum illarum litterarum situ in nova quadam facie, Deo miserante, reductis, priusquam reliquis expediendis succedam, lectorem, si quis forte hæc in manus post illa sumere non fastidiet, bona veniat paucis oratum volo, ne me, quasi temerarium et omnibus forsitan seriis vacuum, mentis quamdam mobilitate ad hæc denotet prorupisse, causasque æquo animo non aspernetur addiscere. In primis quam exordio professus sum, quæque ceteris præponderat, flagitatio sanctarum nimium importuna, eademque diutiB na, subegit sororum, quibus quippiam denegare offensæ * pene videbatur in Deum. Deinde materia tam perspicabilis, quam merito sui præstantissimis quibusque (libere pronuntiaverim) coæquando, in sui commendationem per seipsa sufficiens, animum in se tota cupidate convertit.

** Bodet* offensa

et quidem satis fideliter,

* *an* etsi?

17 Nec scriptura illa, quamvis silenti foretur auctore, viribus rerum aliquid detrahit, cum, semine utique acsi * raro aspersa, non sterilem usibus nostris in immensum extendendam messem produxerit. Neque enim refert, quovis indicio ex quacumque cavernula gemma pulcherrima extrahatur, dummodo avaritiam mortalium usu expleat et decore. Et quoniam tanti pretii margaritam, pluribus pretiosis merito præferendam, inter vitæ hujus ærumnas multiplices infirmitati vestræ solatium tam efficax divina præstitit pietas, indignum omnimodis judicabam, si ad tantam gratiam linguæ improba et ingrata torperent silentia, ut, si non, quanto dignum esset, eloquii nitore oratio posset vestiri, nudus saltem sermo præstaret, ne salus, quæ erat in commune, videretur mortalibus intercludi.

C

sed minus eleganter, quam ut eruditis arrideant.

18 Non autem certius nos aliquid allaturos hac scripti novitate fatemur; neque enim intactam ordimur rem, cum alienis tantum vestigiis innitamur: sed quoniam historia illa beatæ Virginis simplici, ut forte antiquitas derepente mandavit memoriæ, stylo compacta, vulgo solum erat accommoda; considerantes jam, Christo propitio, plures disciplinarum studiis eminentes, lectionem insulsioris scripturæ non sine quadam nausea fastidire, esrum deliciis nostram operam non incongruum æstimavimus deservire. Fidem ergo gestorum et in priori parte, ut scripta præfata monstrabant, interpretatione fida, ut puto, usque ad obitum beatæ Virginis transposuimus, et nunc sequentibus deinceps pari nihilominus puritate, Christo Domino nostro prævio, meritisque ipsius Sponsæ divinæ faventibus, narrandi ordine eadem vestigia persequemur.

ex ms.

Incerta Vitæ chronologia; translationum certior,

19 Gratum præterea admodum habemus, quod hæc posteriora certiori jam aliquantulum ducunt itinere, temporis maxime notitia, quæ superiores partes non nihil infuscat, lucidius insignita. Nam excepto prima fronte nomine Childerici regis, et hoc sub opinione apposito, per totam exinde narrationem, quid, sub quo rege vel principe gestum sit, ita siletur, ut etiam ipse Childericus, qui in nece sponsi beatæ Virginis sententiam ferens repetitur, non satis certos temporis reddat. Hunc siquidem Childericum, si tamen ipse est, fama tantum fert, Caroli senioris non multum superius tempora contigisse, eique adhuc superstiti genitorem ipsius Caroli Pipinum, prius ducem et majorem domus, ut tunc dicebatur, in regio culmine superductum, nimia illo socordia et inerti demerso ignavia, rebus regendis non solum minus idoneo, sed per omnia prorsus inutili reddito *a*. Hoc utrum sic se habeat nec ne, non equidem in magno ponam discrimine. Ceterum annales seu historici, quos inspicere potui, præter solam Caroli vitam, Raganfredum quemdam continent, de cujus manu Carolus principatum sustulit; Childericum unus tantum ille annalis quam brevissime annotat et famam supradictam sequitur, eo deposito de regno et tonsurato, Pepinum ei E superductum *b*.

quas describere aggreditur,

20 Si tamen is, de quo fama jactat, ea ætate fuisse credendus est, quomodo id, quod in præsenti libello reperitur, quod locus cœmeterii sanctimonialium ad sanctos Apostolos necdum temporis corpore beati Arnulfi haberetur insignis, possit probari, non satis elucet; cum constet, et beatum Arnulfum longius multo, antequam is Childericus fuisse dicatur, e mundo receptum, et ut sacra gestorum ejus scripta declarant, vixdum anno dormitionis suæ exacto, a loco sepulturæ Mettis relatum. Ea, utcumque sint, quibusque pro arbitratu in medium relinquentes, non multum utique sententiarum pondus hac adimente ambage, quæ restant omnino, Domino conatum juvante, jam persequi contendamus, et translationibus geminis beatæ Virginis, quæ successerint virtutum miracula, quæque ad sacratissimam tumuli ejus reverentiam diversorum languorum sint ostensa remedia, officio non minus devoto quam debito, explicemus.

ANNOTATA.

a Childericum *ergo tertium intellige, hoc est ultimum stirpis Merovingicæ in Francia regem, pro quo, utpote inerti ineptoque, suffectus est anno* 752 *Pipinus, cognomento Brevis, cui anno* 768 *successit cum fratre Carolus Magnus, qui hic per* Carolum seniorem, *ut vera censeatur fama, significari debuit; quamquam aliter accipere hæc videatur auctor noster: ut mox dicetur. Vide interim de Childerico Commentarium prævium.* F

b *Si satis assequor scriptoris hujus mentem, dubitare videtur, an id, quod in præcedenti annotatione dictum est, cum historica veritate consistat, et sic argutari: Si Pipinus, Caroli pater, sustulisset principatum a Childerico, reliquisset illum filio suo Carolo; atqui id factum non est: nam Carolus principatum vi auferre debuit a Raganfredo, ut annales testantur: fabulosus ergo videtur Childerici istius, imo et Pipini, principatus seu regnum. Ita, meo quidem judicio, auctor noster, sed errans ob confusionem duplicis Pipini*

p atris,

EX MSS.

patris, et duplicis Caroli filii : confundit enim Pipinum Brevem, Caroli Magni patrem, cum Pipino Heristallo, patre Caroli Martelli, et utrumque hunc simul Carolum. Quæ autem dicta sunt nota superiori, cadunt in Pipinum Brevem, Caroli Magni patrem, ad quem non pertinet Raganfredus : quæ vero de Raganfredo hic affert Joannes, ea spectant unice ad Carolum Martellum : et utraque vera sunt, et nunc quidem post elucidatam tam diligenter Francorum historiam satis nota.

CAPUT I.

Translatio prima sacri corporis ejus ad ecclesiam Deiparæ Virginis.

B *Apparens Sancta, locum assignat ecclesiæ condendæ;*

Ut superior narrationis series comprehendit, postquam sacratissimæ Virginis corpus intemeratum in basilica sanctorum Apostolorum extra muros urbis per annos XXV quieverat, quædam forte religiosarum supra memorati sanctimonialium cœnobii revelatione divina se testata est fuisse commonitam, uti majori ecclesiæ, quæ erat loco subteriori, alia adjacens extrinsecus in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ construeretur basilica; modumque ipsius revelationis hoc ordine referebat; Videbatur, inquiens, mihi quiescenti beata virgo Domini Glodesindis super murum civitatis stans, lapidem eminus, veluti designando loco, manu dejicere, meque verbis insuper compellare. Ibi, inquit, ecclesia fabricetur, et quem in locum lapis casu devenit, in eo beatissimæ semper Virginis Mariæ erigatur altare. Monstrato denique aliam quamdam in partem latere seorsum; Illic, ait, ostium fiat, quo ex ecclesia majori, hoc est monasterio, in eamdem pervius novam sororibus aperiatur ingressus.

quod ope regis factum est, addito virginum cœmeterio.

22 Hoc sommo discusso, cum ceteris retulisset, ancipiti diu hæsere consilio, eo quod tunc temporis regiæ tutelæ locus subesset, C nec, nisi ad eum rogatione perlata, tale quid aggrediendi eis suggerebatur fiducia. Itaque re celerrime principi insinuata, eoque auctore in negotio exsequendo, ut visio docuerat, summa facilitate adducto, opus strenue curatur atque perficitur. Edictum insuper regiæ liberalitatis eisdem sanctimonialibus est adjectum, ut eadem nova, quæ condenda esset, basilica, cœmeterium sororum denuo solemniter haberet, ac mox in eamdem basilicam corpus sacræ Virginis ex loco prioris tumuli venerabiliter referretur humandum. Sic et longitudini itineris, quod funeribus ancillarum Dei urbe *a* exportandis laboriosum cernebatur, temperatum, et patrocinium multitudinis fidelium est copiosissime divinitus provisum. Nex ex eo tempore jam, ut prius moris erat, vel ad memoratam Apostolorum, nunc beati Arnulfi nomine celebrem, vel ceteras circa urbem basilicas cujuslibet earum est funus elatum; sed veluti Matri filias *b*, ut viventes devotis obsequiis, ita seculo functas sub tempus glorificationis sua debita corporis videas adhærere quiete.

23 Fabrica igitur novæ ecclesiæ ad summam manum perducta, ad locum sepulchri, plebe tota certatim undique accurrente, mira alacritate contenditur; effossaque humo circumjecta, ac lapide monumento subducto, reperiunt Sanctam toto adhuc corpore integram, nulla illius tam diutini sepulchralis situs signa in carne monstrantem; sed, acsi die eodem deposita, gratiam totius corporis referebat. Quæ ibi lætitia, quæ intimi calore gaudii lacrymæ prorumpentes beatam illam de tanta visione tenuerint frequentiam, melius verbis subcumbere, quam parum digne dicere; quod utique dicendo minus reddiderim. Nam etsi quid forte sermo possit explicare, id multo uberius ea fidelis populi tunc evicerunt obsequia. Tandem incomparabilem thesaurum pia aviditate exceptum cum solemni cælestis pompa triumphi, laudes Deo sacris ordinibus concentu religiose in cælum tollentibus, ad præparatum sibi novæ basilicæ deferunt habitaculum.

D *Eo delatum est Sanctæ corpus, post annos 25 incorruptum,*

24 Ibi sanctimoniales, inæstimabili in eam devotione ferventes, corpus beatissimum, tamquam tunc primo vita excessisset; de more ecclesiastico lavant atque exornant. Inter lavandum quædam sanctimonialium diutino languore obsessa, vitamque ipsam in ancipiti trahens, spe salutis non frustra præsumpta, ad locum lavacri fiducialiter venit, et faciem Sanctæ digito levi tactu compressit. Ilico digitum redeuntem sanguis ex facie virginea prodigio mirabili est subsequutus. Omnibus ibi pariter consistentibus, et in exemplum Dominici lateris miraculo stupentibus, cruor isdem palam apparuit. Cumque eadem vix, ut dixi, religiosa femina supremum halitum retineret, repente vires, jam morbo exhaustas, paulatim sibi redire persensit, et mensibus sex tantæ rei testis postmodum supervixit. Expleto omni pii amori circa sanctam Virginem ministerio, deposuerunt eam item in sarcophago novo ad dexteram partem altaris sanctæ Dei Genitricis, humoque desuper aggesta, diligenter componunt.

et sanguinem emittens, tangenti salutarem. E

Revelat Sancta suas exuvias arrodi.

25 Aliquantum postea fluxerat tempus; et, ecce, nocte quadam cuidam vitæ continentioris feminæ in visu a quodam dicebatur, quod corpus ipsius beatæ Virginis mus infra sepulcrum corrumperet; atque in ipso sopore monumentum sibi videbatur aperiri, et murem, qui jam pollicis pedis dextri partem corroserat, ipsa, quæ hæc videbat, expelleret. Expergefacta diluculo, rem matri congregationis, ceterisque sororibus narrat. Ad id explorandum ministros sacrorum acciri continuo placuit. Qui, de more Christianæ religionis Litaniis et orationibus pro re prosperanda peractis, tumulum reverenter aperiunt, et ad certa indicia visionis pollice pedis dextro cruentato reperto, soricem depellentes, et via in reliquum penetrandi obstructa, sepulchrum, ut prius, obcludunt et muniunt. F

Quievit corpus ibidem usque ad tempora Ludovici Pii,

26 Quievit in eodem loco corpus sacratissimum usque ad tempora imperatoris piissimi Ludovici, Carolo famossimo ac maximo imperatore progeniti : ubi pluribus se frequenter Virgo beata publicavit virtutibus, multaque infirmantium curatio sanctitatis ejus et meriti apud Dominum præstantissimi testimonio fuit. Ea quamvis incuria antiquitatis scripto minus sint tradita, memoria tamen ex narratione præcedentium subinde in succedentes transfusa, quæ res omnes vetustate et senio fugientes durabili reparat novitate, semper eam ostensione signorum floruisse

A floruisse non tacet. Quæ autem posteriori ætate, otio jam segniori submoto, litteræ signaverunt, facile insinuant, quanta fides præteritis possit haberi, nec minus claris in illo tanti temporis spatio miraculis eam celebrem exstitisse.

non sine multis miraculis et integrum;

27 Frustra autem hæc in commendationem ejus requiri videntur; cum certe id unum, tanta præsentia deitatis concessum, corpus scilicet per tot annos sine corruptione servatum, cuncta exsuperet admiranda, quæ quocumque casu extra potuerant provenire. Ubi simul datur intelligi, in quanta gloria beatæ immortalitatis ejus spiritus illic, ubi vere est, totius mutabilitatis expers triumphat; cum hic et illud, quod corruptibile fuerat datum, ingentis meriti viribus ipsa conditioni mortalium jura imposita tam potenti gratia superaverit. Quod utique Dominus, ad commendandam gloriam purissimæ castitatis ejus, oculis humanis ostendere voluit, ut palam claresceret, quo præmio apud eum soleat compensari, carne præ ejus amore contempta, solis ipsius hærere complexibus; quodque virginitas, quæ supra quam jussum est facit, plus quam promissum est, meretur. B

id quod videri non debet incredibile,

28 Posse sane ex divino dumtaxat munere ante illam generalem corporum resurrectionem, carnem hominis cujusquam integram per tempora durare aliquanta, licet plurioribus *c* idoneis scriptoribus multa lectio testis defendat; unum tamen in hanc partem sanctum * Bedam presbyterum adduxisse sufficiat, qui in Historia gentis suæ, quæ jam ecclesiasticis auctoritatibus merito rectæ fidei et sanæ doctrinæ admiscetur, de beato pontifice Gutperto refert, quod postquam duodecim *d* esset annis sepultus, integro corpore sit repertus. Idque plenius in libro de Vita ipsius exsequiiur. Simile etiam de quadam miræ sanctitatis regina Edeltrude commemorat *e*. Sanctum quoque patrem Hilarionem Hieronymus non solum carne, sed etiam vestibus intaminatis post aliquantum temporis sepulturæ, a discipulo ejus scribit inventum et sublatum.

* al. secundum

aut gloriæ Christi quidquam derogans.

29 Ceterum non hæc in obfuscationem illius supereminentis et Domini gloriæ singularis de præconio Sanctorum attollimus: Christus siquidem, C naturæ nostræ particeps factus, non culpæ, sicut præ filiis hominum gratia ampliori plenus, vere et naturaliter Dei filius exstitit Deus; ita caro ejus juxta Prophetam paululum in sepulchro requievit in spem resurrectionis quantocius secuturæ, et anima, quæ inferno nullatenus potuit detineri, citius corpus repetente, Sanctus ipse Sanctorum, nec in ipsa carne, quam mortalem assumpserat, ullam est corruptionem expertus. Est maxima utique Domini ac servorum distantia: ille, ut qui animam, quando vellet, ponendi, et, cum vellet, iterum sumendi solus habuit potestatem, morte sibi sponte admissa, infra breve tempus claustris sepulchri contentus, virtute mox propriæ majestatis, mortis legibus fractis, victor per se ipse surrexit: Sancti vero corpore hoc mortali, natura ipsi toti mortales, egressi; spiritu ad eum, qui illum miserat, revoltante, caro lege primi hominis ad terram reducitur.

sed eam potius illustrans.

30 Sed quia mirabili commercio natura utraque carnis ac spiritus concreta, dum in præsenti ad divina se exercet, mutua inter se expendunt operandi officia, ut spiritus per carnem, caro per spiritum bona quælibet operentur, et hæc simul dum vivunt, Christi templum, et quasi quædam arca testamenti divinam servans scientiam habentur; mox ut spiritus ab auctore reposcitur, corpus, in quo tot sacra tam diu servabantur, vice templi Dei, et arcæ illius sacramentis plenissimæ, digne a fidelibus reverendum excipitur et servatur, donec in fine temporalium æterna utraque reddita substantia in unam, ut prius, compaginem, gloria tamen præstantiori, amicis postea nulloque inter se dissidentibus nexibus reparentur. Si ergo bonitas potentiæ Dei, quæ suam sanctam ex Virgine carnem nulli corruptioni subdi permisit, Sanctorum quorumdam per aliquot tempora gratuito munere servari voluit corpora incorrupta, hæc laus inferiorum nihil illam summe singularem Dei Christi omnium superioris comminuit: quin potius hæc, quæ per se obscurarentur, luce illius immensitatis ornantur.

ex mss.

Jam de secunda transpositione seu translatione sacratissimæ Virginis ordinem prosequamur, et quantis signorum splendoribus ad consolationem mortalium, sponsam suam Rex illustravit angelorum, meritis ipsius juvandi, cœpti operis termino E intendamur *.

* *Mab.* intendamus

ANNOTATA.

a *Cœmeteria olim extra urbes locata erant, etiam sanctimonialium extra cœnobia, ut multis exemplis probari potest, inquit hic Mabillonius.*

b *Ita codex Spinalensis; ut et ille, quem secuti sunt, qui Acta Sanctorum Ordinis Benedictini edidere; pro quo Labbeus legit in suo,* matris familias. *Ecgraphum Bodecense habet* matri familias.

c Plurioribus *habent hic exemplaria omnia, si Labbeanum excipias. Est vero vox illa mediæ Latinitatis scriptoribus frequenter usitata pro* pluribus, *et quidem per omnes casus, ut observat Cangius.*

d *Sic habent omnia Mss. et excusa; cum tamen Ven. Beda, tam in Historia sua lib. 4, cap. 30, quam in Vita S. Cuthberti, quam dedimus 20 Martii, cap. 12, tantum numeret annos* undecim. F

e *Vide Acta Sanctorum ad diem 23 Junii pag. 474.*

f *Acta S. Hilarionis ex S. Hieronymo dabuntur 21 Octobris.*

CAPUT II.

Narratio de secunda Translatione ejusdem B. Virginis Glodesindis.

Anno Christi 830

Ludovicus imperator, de quo præmisimus, filius Caroli Magni, cognomento Pius, post patris gloriosissime exactum imperium, in nullo inferiori fastigio rerum potiebatur, anno ab obitu patris decimo-septimo *a*, cum Incarnationis dominicæ octingentesimus tricesimus ageretur annus, et Sedem Apostolicam Romæ Gregorius quidam occuparet, qui duobus Eugenio et Valentino, festina tunc recens sese morte consequentibus, quorum prior tantum triennium, sequens vix mensem superfuit, successerat, tuncque tertium Apostolatus sui annum agebat. Hanc autem sanctam sedem Mettensem Drogo, ejusdem

EX MSS. b c ejusdem imperatoris Ludovici frater *b*, jam per annum tuebatur octavum *c*, qui etiam vices Apostolicas in cunctis Galliarum partibus, privilegio ab ipsa Sede Romana cum pallii auctoritate et nomine summi archiepiscopatus accepto, ut amplissimæ dignitatis vir sustinebat *d*. d

Sancta sepulcrum sponte subrigitur :

32 Cum igitur ad id usque temporis, corpus beatæ Virginis in dexteriore, quam diximus, parte altaris basilicæ novæ sanctæ Dei Genitricis, humo mansisset reconditum; dispositio illa superna, cui cum omnium, quæ condidit, tum maxime suorum cura exstat præcipua, in ipso quoque corpore ad oculos hominum, merita ipsius sacræ Virginis, quanti apud se semper exsisterent, patenter voluit demonstrare. Cœpit enim tunc temporis sepulchrum ipsum de terra se sponte subrigere, et mirum in modum, ita ut, nec in terra eadem viciniora tumuli loca apparerent, nec in murali constructione desuper composita. Hujus rei novitas, dum ad notitiam supra memorati pontificis pervenisset, morarum impatiens, mox in crastinum fidos ad hoc B inspiciendum sacrorum ministros cum archidiacono majore *e*, quem corepiscopum *f* dicunt, direxit. e f Qui venientes et cuncta viris, ut relatio pertulerat, approbantes, ad rem continuo certam renuntiant.

qua re examinata,

33 Episcopus ad hanc relationem de eadem sacratissima Virgine, quæ fuerit, quæque ei conversatio vel vita viventi fuerit, quæ utique nondum satis vulgata claruerant, solicitius disquirit. Ubi cuncta ex ordine ab ipsis, qui vivam ipsam in corpore videre potuerant, quorum pars multa adhuc supererat *g*, didicit, gaudio mixto admirationi non minimum percitus, ac divino, nescio quo, nutu impulsus ad hoc, hortatu addito plurimorum, de ea sublevanda ocyus capit consilium. Ne cui autem incredibile videatur, ejus temporis aliquos tunc esse potuisse superstites, chronica a tempore Childerici regis ex Pipino per Carolum in Ludovicum deducta, facile id probat indicio. Quæ utique non multum super octogesimum reperitur annum. Idque tempus ætatem unius hominis non difficile durare convincitur. g

Drogo, ep. Metensis, corpus elevat, ac transfert in ecclesiam primariam monasterii

C 34 Antistes igitur reverendissimus cum sacra clericorum ac populorum frequentia, ad locum per semetipsum accedens, religiosis votorum supplicationibus ritu solemni præmissis, patefacto sepulchro, ipse propriis ulnis miro, et supra quam credi possit, religioso in eam fervens officio, sancta virginalia membra, quæ utique tota adhuc compage integre tenebantur, e tumulo sublevat: et feretro impositam laudes Deo, gloriam Christo, totis certatim turbarum et populorum agminibus personantibus, ad majorem ingenti triumpho basilicam perferunt. Est ipsa basilica major, quæ adhuc cernitur, paulo a muro civitatis disjuncta, in cujus fronte orientali foris murum urbis, illa nova, de qua supra exposuimus, sanctæ Dei Genitricis exstiterat, ad cœmeterium puellarum exstructa.

ab ipsa olim Sancta erectam :

35 Ipsa autem major basilica antiquo ab initio nomine et honore sancti Sulpicii Biturici episcopi et confessoris sacrata habebatur *h*. Ipsa est, quam beata Virgo, dum viveret, a parentibus suis ad usus divinos prædio concesso, jactis fundamentis monasterium instituerat. Edicta quoque publica de possessionibus ejusdem monasterii in cunctis scriptis vel polipticis *i* vetusto stylo calamo editis, nomen ipsius beati Sulpicii continent, et tota ratio juris hereditarii ipsius loci rerumque supputatio, quam abbatiam dicunt, ejus nomine appellatur. Dicitur tamen et nomine sanctæ Dei Genitricis, addito etiam beati Petri Apostoli, aram ipsam majorem simul cum ipso confessore esse dicatam: in hac ergo basilica, sarcofago novo post sacrum altare venerabiliter præparato, sanctum et pretiosissimum pignus honore et cultu, quo ampliori valuerunt, diligentissime collocarunt. h i D

ubi cœpit continuo miraculis clarescere

36 Mirabilia mox per virtutem Christi tam jucunda et salutaria illic cœperunt clarescere, ut quanti virginei meriti gloria apud Deum constare crederetur, ad hæc ipsa nostra, id est humana judicia, certioribus ipse Dominus comprobare dignaretur præconiis. In quibus corporaliter quoque non desinit adimplere, quod per virum Dei, in libro Regum loquentem ad Heli protestatur, Quicumque, inquiens, honorificaverit me, honorabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quia enim hæc sancta et sæpe dicenda sancta Puella, Dominum E in suo corpore juxta Apostolum glorificavit et reverenter amore virginitatis portavit; ideo gratia copiosior (ut jam de illa immensi ponderis cælesti taceamus mercede) etiam in hac mortalitate eam et manentem in corpore est comitata, et extincta nunc ipsa illius membra ingenti honore prosequitur. Contemptoribus autem Dei et conculcantibus ea, quæ sancta sunt, et qui, juxta Sapientiam, videntes justos, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia, illa, quæ in eodem libro contexuntur jure conveniunt: Condemnat autem justus mortuus vivos impios: et paulo post: Posthæc erunt decidentes sine honore et in contumelia inter mortuos in perpetuum.

nam ante peractam translationem cæci duo sanati.

37 Verum de ipsis signorum virtutibus jam plenius disseramus. Feretro, ut superiora retulerunt, ex sepulchro priore imposita, priusquam altero reconderetur sepulchro, quidam ex multo jam tempore cæcus, nec ultra in reliquum videndi sperans subsidia, ad feretrum subito spe meliori animatus accessit. Nec mora, ope sacratissimæ Virginis desperatum diu lumen perfecte F recepit.

Item mulier quædam *k* multorum similiter annorum cæcitate tabescens, sub ipsa fere hora ibidem per gratiam Christi illuminata est. k

ANNOTATA.

a *Ita Labbeus et Acta SS. Ordinis Benedictini; et recte: male vero utrumque Ms. nostrum tantum habet* decimo.

b *Fuit enim Drogo filius Caroli Magni, quamquam non ex legitima conjuge, ut Ludovicus, sed ex concubina, nomine Regina, genitus, ut ex Eginardo docuimus ad diem* 28 *Januarii in Vita S. Caroli Magni, cap.* 6.

c *Consule dicta ad Vitam antiquiorem supra cap.* 2, *num.* 19.

d *Vide hæc probata apud Meurissium lib.* 3, *a pag.* 189.

e Archidiaconi *in ecclesiis cathedralibus plures interdum instituti sunt, iisque districtus attributi, in quibus visitationes suas quotannis exercerent; atque hi a districtuum eorumdem appellationibus* majores, *vel* minore archidiaconi *nuncupati sunt olim, ut docet Cangius in Glossario. Duos autem fuisse sub Adalberone episcopo in ecclesia*

A *clesia Metensi archidiaconos, patet ex subscriptionibus illorum apud Meurissium pag.* 307 *et* 309.

f Corepiscopus *corrupte dicitur pro* Chorepiscopo *: habet enim nomen a Græco* τοῦ Χώρου ἐπίσκοπος, *id est* ruris episcopus. *In ecclesia vero Metensi iidem illi erant qui archidiaconi, qui vices episcoporum agebant in ruralibus ecclesiis ; ut ex Meurissio docet idem Cangius.*

g *Hæc Joannes de suo addidit : nam in Vita antiquiori, quam secutus est, non habentur ; ut vide in ea num.* 20. *Verum de hac re jam actum satis est in Commentario prævio num.* 19 *et* 20.

h *Duo fuere* Sulpicii *episcopi Bituricenses ; alter cognomento* Severus, *alter* Pius, *uterque sanctus, uterque pridem operi nostro insertus : Severus quidem ad diem* 29, *Pius vero ad* 17 *Januarii. Prior obiit anno Christi* 591, *posterior versus medium seculi septimi, sive circa annum* 647, *ut Majoribus nostris visum, aut* 644, *vel* 642,
B *ut existimant alii. Uter hic significetur, incertum est : utrumvis autem statueris,* an S. Sulpicii nomine primitus insignita sit ea basilica, non immerito dubitari potest, *inquit hic Mabillonius, et subdit :* Certe potius S. Petri nomen ab initio tulisse videtur ista ecclesia, cui postea patronus accessit S. Sulpicius Bituricensis episcopus, primus an secundus. *Ita ille, nec male juxta chronologiam suam, et nostram.*

i *Sic legitur in utroque codice, cujus habemus ecgrapha, quamquam barbare* polipticum *scribitur, cum* polyptychum *scribi debeat. Sunt vero* polyptycha *libri commentarii privati, in quos vel ecclesiarum vel privatorum bona regerebantur, in quibus chartæ ipsæ donationum, emptionum et similes discribebantur, ut docet Cangius in Glossario. Labbei exemplar sciolus quidam amanuensis corrupit, cum pro* scriptis vel polipticis *reposuit* scriptis ecclesiasticis vel politicis.

k *Nomine* Andrea, *ut in priori Vita dicitur num.* 21.

C

CAPUT III.

Miracula translationem secundam consecuta sub Drogone et Adventio episcopis Metensibus.

Peracta translatione, cæca visum recuperat. a

Postquam vero tumulo sacra sunt membra recondita, quædam *a* simili modo longa luminis amissione mulctata, ut signa, quæ Dominus per merita beatæ Virginis operabatur, quæque fama veloci jam totam commoverant urbem, audivit, quanta potuit celeritate, ad sanctum sepulchrum contendit. Ubi divinum per Famulam ipsius homo porrecta implorans auxilium, dum aliquot ibidem excubat noctes, quæsitum tandem integre lumen adepta est.

b *Ibidem feminæ tres liberantur febribus;*

39 Sub idem tempus feminæ tres *b* febribus nimiis ex diutissime tracto languore omnibus pene membris exhaustæ, quæ in vana medicorum cura, multoties sibi frustra adhibita, censu pauperum perdito, et onus geminaverant paupertatis, et remedii nihil omnino attulerant, audita relatione ingentium mirabilium, ad Virginis sanctæ sepulchrum se fide non cassa propere contulerunt. Hæ mox ut limina ædis sanctæ contigerunt, Virgine in sui auxilium precibus credulis invocata, integerrimam membris omnibus recuperaverunt salutem. Et in quo avaritia, semper curationum carnalium comes, illa suæ, qua in miserorum corpora vel opes desævit, artis expensa potentia, tota defecerat ; fides sola, quæ gratis cuncta ferre consuevit, quod suum est, solita velocitate restituit. EX MSS.

item alia c

40 Alia item femina *c* morbo adeo gravissimo longissimæ ægritudinis lecto decubans tenebatur, ut solo spiritu tantum superesset : cui quidquid humana adhibuerat manus, frustra totum id fuerat : quin etiam ipsa spe, salutem sibi ultra posse restitui, jam penitus deserebatur. Hæc, quo nescitur instinctu, nisi forte, ut post satis claruit, Deo, cui suorum omnium cura est, inspirante, qui eam ex hujusmodi fovea desperationis gratuita bonitate sua eximere voluit, et fomentum boni operis, quamvis tenuiter in ea accensum, non prorsus patiebatur exstingui, ad limina sacri monasterii inter manus se ferri fecit : quæ ubi E jam septum seu atrium, quo monasterium ambiebatur, ingressa est, gratias omnipotenti Deo voce, qua valuit, agere cœpit ; quia quod numquam sperare potuerat ; sed nec aliquando fieri posse credebat, illuc se divina misericordia venire concesserit.

diuturno languore.

41 Cum vero portas sanctæ basilicæ primis attingere cœpisset vestigiis, paulatim, languore mitigato, se convalescere, quantoque propior sacrosancto corpori accedebat, tanto longius ægritudinem a se removeri, et melius subinde sibi vires et sospitatem sentiebat succrescere ; deinde cum ipsa sui ipsius quodam miraculo stupens, huc illucque quasi spatiabunda basilicam obambulare cœpisset, et gratias vocibus apertis non modicas resonaret, post modicum ad sacri tumuli pavimenta supplicatura prosternitur. Ibi enixius oratione profusa, et aliquamdiu inter altare et sepulchrum pernoctans, paucis post diebus integre sanitati est restituta, ut illius diutini et desperati languoris nulla in se indicia senserit resedisse.

Sancta cæcam manu ducens ad sepulcrum suum, d

42 Die quadam sanctimonialibus rem divinam in ecclesia agentibus, mulier ignota *d*, oculis capta, alia quadam sibi manu ductum præbente, in conspectu earumdem puellarum F Dei psallentium, ad gradus usque, quibus ad altare conscenditur, pervenit. Quos ibi prætergressa, propius altare sola tunc ipsa concessit, palpebris, quæ longo et tenaci situ diu hærebant obclusæ, in aliquantulum lumen percipiendum repente divisis, ignotam quamdam se ducere mirata conspexit, subitoque clamore emisso, suam, quæ solito sibi dabat manum, cœpit inquirere. Qua, divinitus forte subducta, nusquam accurrente, ab ipsa ignota, quam sub dubia adhuc luce vix cernere poterat, usque ad sepulchrum Virginis, parte, quæ caput respicit, est perducta. Ibi orationi prostrata, ubi surgens tremebunda et stupida e regione tumuli constitit, pro sepulchro ipso nubem quamdam sibi apparere putabat : et mirabatur, quod nubes, quæ altius in aere ferri consueverunt, tam viciniæ tunc terram tangere videbantur. Sensim deinde ei lux clarius magis ac magis cœpit infundi ; donec, caligine tota oculis summota, certo et vero intuitu, quia sepulchrum esset, quod præ oculis situm habebat, plane cognosceret.

oculorum usu donat.

43 Tunc ubi esset, vel qualiter illuc advenisset, attonita, nihilque circa se, quod recognosceret,

EX MSS.

cognosceret, videns, anxia hærebat et stupens: et quod adhuc pavorem augeret, jam nec ipsam ignotam personam, quam se paulo ante præcedere, et illuc adduxisse mirabatur, ultra videre prævaluit. Dum ergo in hoc mœrore diu contabesceret, tandem ad se reversa, beatam Glodesindim sibi apparuisse, et se illuc perduxisse, ac suis meritis lumen sibi recuperasse, certissime cognovit; atque in gratiarum actionem prorumpens, jamque clare omnia cernens, Dominum et sanctam Virginem publicis vocibus collaudabat, nec jam ulterius duce indigens, viam libere quaquaversum exultans ingreditur.

Alteri cæcæ oculos digitis aperit.

44 Non multis hinc exactis diebus, rursus alia *e* multi item temporis cæca ad tumbam sanctam deducitur, ibique cum ceteris languentium turbis illic excubantium per totam noctem divinum cum precibus præstolans subsidium, matutinali Officio de more ab ancillis Dei peracto, vidit sibi beatam Virginem propius accessisse, et digitis propriis oculorum palpebras, puasi violenter ab invicem separare. Nec mora, puro lumine reddito meritis Virginis sacræ,
B plurimis postea annis testis superfuit.

Virum liberat fœtore narium gravissimo,

45 Quidam *f* præterea mirabili narium horrore graviter spirans, ita ut ne eminus quidem ei a quoquam facilis esset accessio, in quo cura, a diversis mederi cupientibus ei sæpe adhibita, vane per omnia cesserat, ut rumorem longe lateque currentium gaudiorum, quæ in Mettensi civitate ad memoratum monasterium per gloriosi meriti virginem Glodesindem fiebant, audivit, illuc festinus accurrere studuit. Quo postquam pervenit, et ecclesiam ingredi visus est, omnes nimio ex naribus prodeunte offensi fœtore, fugere ab eo in diversa cœpere. Ille, quem anxii doloris causa præsens monebat, et pœnam suam secum circumferens, se fugere ipse non poterat, pudorem hominum necessitate devincens, et de eo, qui leprosorum et cruore fluentium contactum non sprevit, et morbos atque infirmitates miserorum curare descendit, nullatenus diffisus, ad sepulchrum omnibus sa-
C lutare cum ceteris infirmis processit. Ibique lucernam, votum Sanctorum, manu protendens, et pro salutis suæ recuperatione enixius supplicans, misericordiæ cælestis exspectabat adventum. Nec prius a fidei suæ instantia destitit, quam ope ingentis meriti Virginis, illa omni obscœni odoris fœditate careret, et communi deinceps hominum frequentia et solitis salutationum et confabulationum occursibus sine cujusquam molestia frucretur.

Curatur mulier cæca.

46 Item mulier *g* jam decennio cæca, nec spem in reliquum visus retinens potiendi, divinitus, ut æstimatur, commonita, monasterium petiit; quæ ecclesiam ingressa, ut tumultum infirmantium, qui plurimi sedentes sepulchrum circumsepserant, audivit, vocibus altius emissis, in auxilium sui Glodesindem item itemque nomine ingeminans invocabat, Deumque sibi peccatrici propitium fieri precabatur. Mox virtutis supernæ largitate luce recepta, læta discessit.

ANNOTATA.

a *Mulier nempe* Rimberga, *de qua Vita antiquior num.* 21.

b *Scilicet* Martina, Waldrada *et* Odelgardis, *ut ibidem habes num.* 22.

c Imma nomine, *ibid. num.* 23.

d Cujus nomen Angelindis, *ibid. num.* 25. D

e Nomine Plictrudis, *ibid. num.* 27.

f Nomine Baldricus, *ibid. num.* 28.

g Nomine Benedicta, *ibid. n.* 29.

CAPUT IV.

Continuatio miraculorum usque ad tempora Walonis episcopi Metensis.

Auctor breviter, sed ordine tamen antiquo, cetera congerit.

Et ne singulis quibusque personis diutius immorati, tædiosi, et ob hoc merito refugiendi scriptoris culpam incurrisse videamur; si quid memorabilius dumtaxat exstiterit, quam succincte notato, turbam curatorum in numerum quemdam redegisse suffecerit. Ordinem sane, ut sibi subinde operatio virtutum successit, quoquam cavemus invertere, sed sicut scriptura ipsa veterior retulit, quæ utique unamquamcumque E
narrationem juxta ordinem temporis ita antecedenti subtexuit, ut quod prius factum sit, prius scriberet, et quod deinde mox est subsecutum, e vestigio redderet: sicque usque ad certum temnus series totius catalogi texeretur, licet fidi interpretis viti denotandi, per omnia sequimur.

Cæci 12 sanati, uti et mulier pedibus ac manu debilis.

48 Quinque ibi feminæ *a* diutina olim cæcitate multatæ, Christo Domino illuminante, ad gloriam et commendationem sacratissimæ Virginis diu desiderati luminis gratiam receperunt. Exinde mulier quædam *b* per tres eatenus annos pedem utrumque et manum unam gerens distortam, auditis tot mirabilibus, illo ocyus se ferri rogavit. Allata, et pavimento sepulchri prostrata, fletuque multo et precibus se ob peccata propria hac pertulisse testata, tandem in commendationem piæ et recte actæ virginitatis, in conspectu multorum circumstantium directa in integrum perfectæ sanitatis officium, discessit incolumis.

Septem post hanc; mares tres, feminæ quatuor *c*, tenebris oculorum jamdudum damnati, ad laudem clarissimæ Virginis et semper lumi- F
ne æternitatis splendentis, luci videndæ sunt restituti.

Absentibus etiam præsto fuit Sancta:

49 Parum est circa præsentiam ejus sacratissimi corporis crebras factas esse virtutes, absentes quoque, nomine ejus invocato, per gratiam Christi, qui in omni parte mundi cum Sanctis suis et manet et operatur, plurima sibi affuisse sensere subsidia; quod vel ex his, quæ licet exigua subjicimus, colliquebit.

Clericus monasterii ipsius, vicem officii ecclesiastici in ordine proprio administrans, cui nomen Fulguberto erat, fluvium civitati a parte orientali contiguum, qui Sallia dicitur, causa aliqua perurgente trajicere gestiebat. Qui ubi ripæ accurrens, navigium nusquam videt adesse, diu, si quis forte quacumque ex parte fluminis adveniret, operiebatur. Hac exspectatione, ut fit, tandem defatigatus, humoque paululum reclinatus, somno corripitur; experrectus, nec quid etiam tum ad trajiciendum spectans consilii, dum jam semetipsum morarum, quas sibi * tamdiu frustra insumpsisset, accusans, deliberaret recedere, repente ori subrepsit sanctam Virginem nomine inclamare.

* *al.* ibi

50 Postquam

ut cum clerico naviculum obtulit. ** forte post quam*

50 Postquam * vocem aliquot intra se momenta sustinuit, et, ecce, respiciens, navim sibi in loco littoris, quo stabat, ex improviso videt adsistere. Quæ quo ordine absque humano ministerio adducta sit, cum omnino non posset conjicere, divinum tantummodo opus, cui omnia famulantur, et merita sacræ Virginis, quam invocasset, sibi id certum tenuit præstitisse. Stupensque hoc tanto miraculo, et gratias, ut par erat, immensas omnipotenti Deo sanctæque Virgini reddens, fluvium, ut desideraverat, transiit. Hujusque tam ingentis facti ipse post fidelis relator sancte juratus asseruit, nihil se confinxisse, sed, ut sibi vere contigerat, fideliter enarrare.

et pio pauperi piscem elapsum.

51 Pauper quidam longe ab urbe commanens, qui vitam arte tantum piscatoria tuebatur, die quadam, ut monasterium prædictæ Virginis adiret, mente concepit. Qui simplicitate rustica, non tamen improbanda, vacuus illuc procedere nolens, quia aliud forte sibi non suberat, flumen petere, piscemque, si quis forsitan occurreret, ferre disponit. Mox navicula conscensa, jacto rete, piscem præter spem involvit non modicum, dumque litius tenere deproperat, ocyus piscis ex rete violenter eluctatus in flumen relabitur. Hic rusticus vehementer animo consternatus, voce lacrymabili; Sancta, inquit, Glodesindis, redde quod tibi ferre disposui. Hoc dicto, rursus rete flumini merso, idem qui prius piscis, præda fugitiva, concluditur, votumque, ut mente decreverat, monasterio delatum et redditum.

Infessus a Dæmone quæsitam alibi frustra opem

52 In curatione vexatorum non minori gratia Sancta hanc meritis potentibus prævalere, plurima prodidere frequentius documenta, quibus hæc fidem facere vel sola sufficiant.

Rustico, de quo prædiximus, piscem votum ferente, et abeunte, sub ipso fere articulo temporis in loco eodem faber quidam imperatorius *d* de villa Judicio advenit. Hic jam per annos undecim graviter dæmone agitatus, multa sanctorum Martyrum loca, etiam longinquiora Franciæ, ad sanctum Sebastianum Suessionis, cujus non multo ante idem temporis reliquiæ ab urbe Roma illuc dicebantur delatæ, et apud sanctum Medardum reconditæ, seu ad sanctum Quintinum Viromandis, adque sanctum Dionysium Parisius *e*, multorumque præterera Sanctorum memorias spe recuperandæ salutis circuierat; sed ejus curatio divino quodam arcano, non per impotentiam Sanctorum differebatur, sed huic sanctæ Virgini, cum qua manus Domini tam efficaciter operabatur, certissime est reservata.

ibidem invenit:

53 Huic quoque carnalis medicinæ industria, si qua posset arte succurrere, multa vane remedia adhibere conata est, nihilque opis prorsus attulerat. Tandem Dominus volens apertius demonstrare, frustra eum tot in longinqua toties expertisse subsidia, cum de proximo velocior ei salus posset occurrere, ut de miraculorum tanta, quæ ad sepulchrum reverentissimæ virginis Glodesindis fiebant, audivit frequentia, Mertis, quam celerrime potuit, pervenit, atque basilicam beatæ Virginis ingressus, penes tumbam ipsius se collocavit. Ubi cum aliquamdiu jacuisset, impurus ille ac teterrimus spiritus præsentiam tantæ sanctitatis non ferens, nihil deinde juris in homine possidens, violenter pulsus abscessit.

Ex MSS. uti et muti 2, dæmoniaca una, claudus unus, cæcæ 3.

54 Post hunc mutus quidam *f* ab infantia illuc accedens, repente ante corpus sacratissimum absolutissiman oris libertatem est consecutus.

Eodem modo et mulier, itidem ex quo nata est, muta, virtute Virginis loquelam ibidem recepit.

Item femina quædam *g* dæmone diu atrociter captivata, illuc deveniens, adversario depulso, sui compos atque integra mente regressa est.

Claudus quidam *h* ex villa Lauriaco in loco eodem potenti virtute Virginis pedes, quos valida tabes distorserat, in usum libere gradiendi directos recepit.

Mulier *i* ab annis plurimis cæca, de villa Arcuntiaco, aliquo tempore ad sanctum sepulchrum cum infirmis ceteris excubans, non post multum temporis luce donata est.

Similiter et aliæ duæ *k* cæcitate damnatæ, gratiam diu amissi luminis per beatam Virginem receperunt.

Prætermittuntur hic alia miracula fere innumera.

55 Multa præter hæc et pene innumerabilia apud ejus perpetua virginitate beatissimum corpus ex tempore memorati Drogonis archiepiscopi per annos circiter LX *l* sub præsulatu Adventii, eidem succedentis episcopi, imperantibus Lothario seniore *m*, et post eum Lothario juniore *n*, sunt ostensa miracula, usque ad tempora Walonis, qui præfato Adventio successit, quæ ex incuria scripto non sunt commendata. Quæ vero sub ipso Walone, vel successore ipsius Rotberto *o*, sunt gesta, ordo subsequens declarabit.

ANNOTATA.

a *Nempe* Ansegardis, Lamberga, Bercardis, Stangardis, *et* Madelsinda; *ut in Vita antiquiore num* 29.

b nomine Bova, *ibid. num* 30.

c *Horum nomina recenset Vita prior num* 31.

d Odilulfus nomine, *ibid. num.* 35.

e Parisius *indeclinabile fuit apud mediæ ætatis scriptores, nec ea voce urbs tantum Parisiensis, sed ejus etiam ager designabatur, uti etiam hoc loco; nam Fanum et abbatia S. Dionysii duabus circiter leucis Parisiis distat.*

f nomine Guntelinus, *ut habent Acta antiqua num.* 37.

g Teudrada nomine, *ibidem.*

h Nortpaldus *scilicet, ibidem.*

i *Nempe* Aletrudis, *ibid. num.* 38.

k Anstrada *nimirum et* Glumna *seu* Climma, *ibid.*

l *Atqui nequidem si totum ab initio Drogonis episcopatum jungas cum episcopatu Adventii successoris ejus, tot anni exsistunt, juxta Meurissium et Sammarthanos: suspicor ergo, vel errasse Joannem in hac re, quam de sua penu addidit; vel transpositas esse in exemplaribus ecgraphis litteras numerales; atque adeo scribendum fuisse non* IX; *sed* LX; *quot anni facile reperiuntur ab anno octavo Drogonis usque ad Adventii finem: sedit enim Drogo ab anno Christi* 823 *usque ad* 855; *Adventius autem ab anno* 853 *usque ad* 875, *Juxta Sammarthanos; minus etiam universim uterque juxta Meurissium.*

m *Ludovici Pii filio natu maximo, quem pater in consortium accepit imperii anno Christi* 817, *mortuo autem patre anno* 840, *imperavit usque ad annum Christi* 855.

n *Lotharii imperatoris jam dicti filio, qui in* *ea*

EX MSS.

ea Gallia parte, quæ ab illo, ut nunc passim omnes existimant ; vel ab ejus patre, ut infra vult auctor noster ; vel ab utroque, ut placet Iperio in Chronico S. Bertini cap. 13, *Lotharingia dicta est, regnavit usque ad annum* 869, *quo dignam sacrilegio pœnam recepit.*

o Walonis *et* Rotberti *tempora notavi ad Acta priora num.* 39 *et* 40.

CAPUT V.

Miraculum fluentis olei ex sepulcro Sanctæ sub Walone ep. Metensi.

Digressio auctoris ad res gestas sub Drogone et Adventio epp. Metensibus.

Antequam ad reliqua progrediamur, quando res ita monet, et se occasio præbuit de memoratis primis duobus se subinde consequentibus episcopis, sed et de statu temporum aliqua breviter adnotanda putavimus, ea præcipue causa, quod alterius eorum, B id est Adventii, temporibus monasterio hujus sanctæ Virginis plurima regali munificentia sunt collata beneficia, regisque Lotharii junioris edicta testamentalia penes ipsas ancillas Dei usque hodie manent, quæ suasu conjugis suæ Teurbergæ reginæ, interveniente eodem Adventio episcopo, eis et de noviter datis, et de antiquioribus restitutis, sive etiam de immunitatibus ejusdem monasterii regia authoritate constant liberalissime attributa *a* : nam et ipsa Teutberga regia loci ipsius regimen tunc *b* tenebat, quæ etiam ibi quiescit : sed et quis iste Lotharius fuerit, et ex occasione ejus aliqua supra repetere, non ingratum esse lectori arbitramur, ut ex notitia temporum validiores narrationi vires accrescant.

De Lothario imperatore,

57 Hic est Lotharius junior, filius illius Lotharii senioris ex Ludovico Pio geniti, qui post mortem ipsius piæ memoriæ partis sui, diutina dissensione cum fratribus suis Lodovico Germanorum rege et Carolo *c* , qui post imperator factus est, cupiditate imperii habita, tandem gravibus et intestinis odiis, funesto ritu inter se longe prius protractis, in pago Autissiodorensi, loco, qui dicitur Fontanetum, prælio atrocissimo et absque exemplo cruentissimo, cæde miserabili conflixerunt, adjuncto eis Pipino Aquitanorum rege. Pace tamen post inter eos facta, divisoque regno, hæc pars Franciæ, quæ Rheno et C Mosella limitatur, additis pro consensu et firmitate pacis quibusdam civitatibus et regalibus abbatiis ultra citraque, eidem cessit Lothario, ejusque exinde in id usque temporis nomine regnum Lotharii appellatur *d*. Ipse non multo post, cunctis seculi rebus sponte abjectis, monachum in Prumia monasterio professus, ibidem quievit ; ubi et sepulchrum ejus celebre huc usque habetur.

ejusque filio cognomine, et assentantibus illi in adulterio episcopis,

58 Successit eidem filius et æquivocus hic junior Lotharius , de quo fama satis dolenda vulgatur, odio Teutbergæ ejus, quam diximus, reginæ, et illicita superductione Waldradæ. Quæ miserabilis species facti cum faciem rerum luctuoso fœdasset exemplo, totum pene orbem in sui commovit invidiam. Nam, quod et multo amplius est pavescendum, primarum sedium antistites Tietgaudus Treverensis et Gonterus Coloniensis, hujus exsecrandi connubii assentatores, D cum viderentur sapientes esse ingeno, et litteris divine humaneque eruditi, insipientiæ deterrimi sunt facti fautores. Unde a Papa Nicolao Romam evocati, et ante sacratissimum corpus beati Petri synodo, tam Italiæ pene totius, quam et pluribus Galliarum episcopis congregata auditi , et culpam prætextu conjugii ornare diu conati, tandem fraude captiosa, qua capere se alios arbitrabantur, ipsi capti, Papa * Nicolao cunctis assentientibus, damnati et gradibus sunt ecclesiasticis multati. Rex quoque cum Waldrada et cunctis ejus scandalis participantibus pariter anathematizati. Et ut multa alia præteream, qualiter ipse Gonterus factum suum tuens, in Papam ipsum multis publice invectus, injusto se judicio alligatum testatus sit, et ut parvi pendens Apostolicam censuram, domum, nec venia petita nec impetrata reversus, Missas, et in die sacrosanctæ Cœnæ absolutionem et chrismatis actionem victus peregerit ;

* an Papæ?

eorumque punitione,

59 Hoc tantum in terrorem eorum , si qui forte talium umquam erunt paaticipes, dixisse sufficiat, quod socius ejus Tietgaudus Treverensis peregre Romæ excommunicatus interiit. E Lotharius rex , licet correctionem promiserit , et reginam Teutbergam in honore suo , ut videbatur , receperit ; post tamen Romam veniens a Papa super fide conjugis requisitus , et metu culpam inficiatus, ea conditione, si vera fateretur, Missas a Domino Papa in sancto Anastasio audivit, et corpus Dominicum de manu ejus infelix præsumpsit. Inde patriam repetens, repente miserrima clade suorum, pene in ipsis Romæ portis exorta, nec mora, nec requies morientium erat, donec tandem dum ocyus festinat, jam fere omnibus suis assumptis *, Placentiam usque cum paucis pervenit, ubi circa horam nonam cum incolumis resideret, repente percussus obmutuit , et mane morte miserabili defunctus, ibi in quadam operis vilissimi basilica est obrutus.

* an absumptis?

ac successione Caroli Calvi in Lotharii regnum.

60 Ejus morte Adventius episcopus *e* cognita , nuntium ocyus Carolo, regi Franciæ occidentalis, dirigit, eumque Mettim deductum, associato sibi Hincmaro Rhemorum archiepiscopo , corona secunda, præter eam, quam habuerat, in ecclesia sancti Stephani, quæ dicitur Domus episcopii, capiti iterato imposita, F regem super duo regna constituit *f*. Hæc, ut episcopi, cujus mentio facta fuerat, tempus magis claresceret , paucis inserta sunt. Huic Adventio successit, ut diximus, Walo episcopus , quo tempore Bertulphus Treveris præerat archiepiscopus , ipso adhuc Carolo superstite , et Joanne quodam universale nomen Papæ tenente , a quo et ipse Walo pallium promeruit *g* : qui Walo , dum vix septem annis ecclesiam rexisset , excursione Nortmannorum , postquam plures Galliarum partes pervagata fuerat, usque Treveros accedente, dum eis incaute manuqne impari congredi parat, usque ad locum, qui dicitur Remicha, in littore Mosellæ obviam venit Nortmannis impetum minaciter facientibus. Dum his nullæ ad resistendum suppetunt vires , non prælium jam illud, sed strages miserorum fuit ; ibi episcopus cum ceteris obtruncatur. Corpus post cladem Mettim relatum, et in basilica sancti Salvatoris , quam ipse in sepulchrum sibi pridem a fundamentis exstruxerat, sepultum *h*.

61 Hujus

A *Oleum fluit ex sepulcro Sanctæ multis utile;* 61 Hujus igitur temporibus, jam jamque obitu ipsius imminente *i*, luctiferum quid monstro ipso præsagante *k*, a parte sepulchri sacræ Virginis, quæ pedes respicit, oleum non phantasticum, sed verum, (dictu mirabile!) visum est emanasse. Hoc non modo ipsis sanctimonialibus vel æditiuis, qui noctu atque interdiu sacri sepulchri adhærebant excubiis, verum toti urbi perclaruit. Viderit quisque, in quam partem hoc interpretari velit. Illud certe multorum et visus probavit et tactus; diuque ita emanans ille liquor effluxit, ut specie et usu oleum palpabile repræsentaret, et a parte pedum ad capitis usque confinia sepulchrum madefaceret, et (quod magis stupeas) vase exceptum, diutius postea est servatum, multique pro diversis incommodis eo tacti et uncti vera retulerunt remedia.

quod misericordiæ Dei præsagium fuit. 62 Opinio vulgi erat, et quibusdam revelationibus sibi plures ostensum esse dicebant, lachrymas eas sanctæ Virginis esse; quibus, imminente urbis interitu, iram Domini avertere B laborabat. Non usquequaque error damnandus, qui licet et ex simplici mente descendens, non nihil tamen intelligentiæ perspicitur continere. Siquidem oleum figuram misericordiæ, lachrymæ motum exprimunt indulgentiæ. Etsi enim in illa summæ lætitiæ civitate nullus dolor, nullæ omnino sint lachrymæ, ubi absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum; non incongrue tamen Dominus oculis humanis hujusmodi speciem ostendere voluit, per quam prudens quisque colligeret, qua suavitate, quove lumine in conspectu claritatis Dei anima illa sancta gauderet, cujus hic extinctus cinis tam jucundo cordibus et pulcherrimo oculis mysterio resplenderet. Exitus tamen rerum edocuit, quod beata Virgo in occulto pro civitate obtinuerit, cum eam ita periculo proximam a barbarorum infestatione, et si non lachrymis, certe precibus Virginis inenarrabilibus Christus inenarrabiliter flexus, immunem reddiderit *l*.

ANNOTATA.

C

a *Quamvis odisse Teutbergam cœperit Lotharius junior, antequam Adventius ad episcopatum evectus esset (abjecit enim illam anno Christi* 857, *ut Annales Bertiniani tradunt;) potuit tamen idem rex postea Teutbergæ precibus facile exorari, ut monasterio illi benefaceret, non tantum anno Christi* 865, *quando juxta eosdem Annales opera legati Apostolici tantisper inter se reconciliati fuerunt; sed etiam antea; cum illam impurus conjux vel maxime aversabatur: nihil enim optabat ardentius, quam ut illa, rescisso matrimonio, monasterium expeteret; quam quidem in rem omnem lapidem movit, usque dum eo miseram perpulit; ut vide apud Hincmarum Rhemensem de divortio Lotharii et Teutbergæ. Quid ni ergo etiam eodem sine multa contulerit monialibus, ad quas propensam nosset invisam conjugem, spe illam hoc pacto citius a se ac facilius amoliendi?*

b *Ex hoc loco colligunt recentiores, Teutbergam in monasterio* S. Glodesendis *abbatissam fuisse; non tunc quidem, cum Lotharius superesset, ac munificentiam suam cœnobio illi exhiberet (numquam enim illo superstite dissolvi matrimonium passi sunt Romani Pontifices:) verum illo circiter tempore, hoc est, post annum* 869, *quo periit Lotharius. Ceterum hæc abbatissa Sammarthanis ignota fuit; neque ego alium hactenus novi auctorem veterem, qui de hac re meminerit.* ex MSS.

c Carolum *intellige cognomento* Calvum. *Imo de his et sequentibus nil opus est annotare; quandoquidem pleraque eorum notissima sunt, et passim apud historicos cum ecclesiasticos tum profanos decantata.*

d *Imo multo latius ac longius extendit sese pars, quæ Lothario in hac divisione obtigit, ut vide apud annalistam Bertinianum ad annum* 843.

e *Qui et ipse adversus Teutbergam pro Lothario et Waldrada stetit aliquamdiu; sed supplex deinde veniam a summo Pontifice et instantissime petiit, et obtinuit; ut legi fusius apud Meurissium potest.*

f *Longium hujus rei narrationem habes in Annalibus Bertinianis ad annum* 869.

g *Creatum episcopum fuisse Walonem anno* 876 *supra diximus: is antem annus fuit, juxta Broweri Annales*, Bertulphi *archiepiscopi Trevirensis septimus;* Caroli *Calvi ab obtento imperio secundus; et Joannis Papæ octavi quintus.* E

h *Consule de his omnibus paulo latius agentem Meurissium lib.* 3. *a pag.* 274.

i *Obiisse supra Walonem diximus anno Christi* 882. *Sunt et qui annum sequentem assignent.*

k *Id est*, portendente, *ut sensus indicat: vox tamen omnino barbara est a* præsagio *ducta.*

l *Vide annotata ad antiquioris Vitæ numerum* 39, *littera* g.

CAPUT VI.

Miracula facta tempore Ruotperti ep. Metensis.

Sub eo etiam, qui huic post annum subrogatus est, episcopo Ruotperto, gentis Allamannorum viro clarissimo, olei similiter emanatio ex ipso sacro sepulchro frequentius visa est profluxisse, ut a latere monumenti longius in rivum per pavimentum decurreret. Hoc ab ancillis Dei spongia collectum, et vase vitreo, dum impleretur, destrictum, super sanctum sepulchrum est reverenter appensum; de quo, ut prædictum est, plures sibi remedia præsumpserunt, et ut non vani quid simile hoc æstimari daretur, illud palam cunctis et tunc temporis factum est, et per multorum ora, qui viderant, exinde ad nos usque cucurrit, quod ibi ex oleo ipso contigit. *Sub Ruotperto ep. oleum emanat copiosius,* F

64 Erat sanctæ ædis custos, nomine Doda, quam una sororum *a*, cujus curæ erat oratorium quoddam sanctæ Crucis infra septa ipsius monasterii, importune rogavit, ut vas vitreum, quod oleum illud divinum continebat, sibi ad idem curæ suæ oratorium, quasi majori reverentia a se ibi servandum, tribueret: quæ dum levitate admodum temeraria manum super sepulchrum, quo vas appensum meminerat, porrexisset, ut poscenti daret, nusquam invenit. Mirata et tremens, dum item itemque palpando solicitius exploraret, nec sentire ullo modo posset; cum tamen ibidem vas idem, ut positum fuerat, dependeret, ridiculo satis diludebatur errore; cum ceteras advocasset, ipsæque similiter cum ea diutius errabundæ præ oculis semper *quod auferre volentibus tantisper disparuit;*

EX MSS.

semper haberent, nec viderent, lucerna adhibita, circa sepulchrum huc illucque vana indagine perquirebant : tandem postquam satis jam ludibrio hujuscemodi sunt fatigatæ, vix aliquando contingere potuerunt depositum.

auferentem vero mente dimovit, donec restitutum fuit.

65 Partem ipsius liquaris eadem custos sibi præsumens, fratri suo, viro religioso presbytero Angelerio, ad ecclesiam sancti Salvatoris in eadem urbe pro reliquiis munere misit, vas ipsum cum reliqua parte petenti sociæ tribuit, et oratorio supradicto ab ipsa est deportatum. Mox ipsa custos temeraria pro tam improbo ausu amentia, se satis digna pœna, corripitur. Nec prius medelam consequi potuit, quam ex utrisque, quibus largitio illa inepta fuerat facta, quod illicite datum erat, reciperetur, et loco suo super sepulchrum, ut prius, integre reponeretur. Nam mox ut id factum est, vix spatio duarum horarum intercedente, sanæ mentis et plenissimi sensus effecta est. Ex eodem postea, ut dictum est, oleo plures caput, oculos, vel cetera loca corporis dolentes dum contingerent, meritis sanctæ Virginis sæpissime se recreatos et
B perfecte senserunt curatos.

Miraculo auctori propinquiora :

66 Multa præterea temporibus ejusdem Rotberti episcopi, nec minora superioribus ad idem sacrosanctum sepulchrum Dominus Jesus Christus est operari dignatus miraculo, ex quibus subsequens stylus expedire aliqua tentabit eo securius, quo multos, qui his interfuerunt, nostra ætate superfuisse certo comperimus, quos in idoneum testimonium advocatos nemo est qui possit refellere. Ex ipsa quoque curatorum turba nonnulli hæc ipsa nostra tempora attigerunt.

cæci duo, clauda una sanantur.

67 Mulier, cui Hildigardi nomen erat, annis octo oculorum luce privata, spe non cassa salutiferum sepulchrum expetiit. Ibi nocte in excubiis permanens antequam dilucesceret, miseratione divina, Virgine intercedente, nihil noctis obstantibus tenebris, lumine pura donata est.

Item adolescens cæcus dum aliquamdiu infra basilicam visitationem supernam exspectaret, meritis Virginis visum perfecte recepit.

Femina, nomine Osa, quinquennio clauda, illuc se rogans deferri, mensibus sex ibidem languida
C jacens, divinum indeficientibus animis præstolabatur auxilium, nec prius a fidei suæ instantia destitit, quam mercedem fidelis perseverantiæ, soliditatem omnium membrorum perciperet, pedibusque propriis gaudens rediret, quæ manibus alienis illuc allata fuerat.

uti et claudus,

68 Quidam similiter claudus vespertino aliquanto tempore grabato deportatus, et pro foribus basilicæ positus; dum copiam sibi ea nocte intra ædem sanctam quiescendi deprecaretur, nec obtinere valuisset, ibi ante januam fide non vacua usque in lucem pernoctat. Ecce autem, mane subito viribus validioribus accedentibus, miro celerique quodam saltu lecto excussus, relicto in loco eodem grabato, gradu directo ad tumulum sanctum processit, clare et palam virginem sanctam Glodesindem divino auxilio authorem suæ sospitatis proclamans, et gratias, quanto prævalebat, referens ampliores, vocibus magnis Dei sanctæque Virginis glorificabat clementiam.

et infirmus, et mulier fluxu sanguinis laborans,

69 Alius item infirmus et omni virtute corporis destitutus, cum aliquamdiu in ipso sancto loco opem sui præstolaretur, [et] quædam die sopore correptus obdormisset videt sibi in somnis beatam Virginem assistentem, et cum quodam imperio jubere, ut surgeret, et his, qui tunc D
forte pavimento instabant, operator ipse conjungeretur, opusque ipsum perfici adjuvaret. Statim experrectus, et nihil pristinæ debilitatis in se recognoscens, lætus exsiliit, et, ut jussus fuerat, mirantibus universis, ad opus accessit, nulloque segnior in operando apparuit, sciens profecto, beatissimam Virginem desideratam sibi præstitisse salutem *b*.

Adelburga mulier dicebatur, ore et naribus plurimo sanguine diutius fluens, jam in ipso vitæ agens discrimine, cum nihil undecumque ei remedii posset occurrere, forte dies natalitius sanctissimæ Virginis in crastinum imminebat, spem illico salutis ex divino præsumens solatio, candelam, quæ nocte vigiliarum ipsius solemnitatis ante aram sanctam lumen præberet, voto propriæ sanitatis direxit. Mox, ea perlata, optatam, Christo per sanctam Virginem operante, salutem promeruit.

et contracti ac debiles.

70 Simili modo vir quidam ex villa Fadiliaco *c*, nomine Heileicus, habens filium debilem et membris omnibus inutilem, votum Sanctæ, candelas altari ipsius intulit, ac pro eo ibi E
precem profundens, domum reversus, invenit filium sanum.

Quid femina illa, quæ diu contracta, dum voto illo candelam misisset, priusquam ecclesiæ candela ipsa intromitteretur, perfectam emeruit sospitatem? Hæc ex villa Columbaria *d* fuit, et per totum æstivum tempus ita languida membris omnibus pene emarcuerat, ut nec gressum figere, nec, nisi alienis manibus, valeret efferri.

Alia non dispari modo diu debilis et clauda decumbens, ad ecclesiam perducta, integre ibi est sanata.

Pœna violati voti, et restitutio.

71 Audiant aliud divinæ animadversionis documentum hi, qui ea quæ semel Domino voverant, illicita præsumptione non timent effringere; et vel pœnæ manifestationibus discant, quanti sit periculi promissa non reddere, quæ Scripturæ testimoniis noluerunt agnoscere. Vir Mettis inter suos non obscurus, cui Adelmanno nomen erat, filiam in ipsis primis annis Dei et hujus sanctæ Glodesindis famulatui in habitu sanctitatis voto delegavit. Hæc ubi adulta est, patre, ut dicunt, ignaro et invito, quemdam extra urbem clandestino consecuta est matrimonio. Cum- F
que in tali conjugio tempus aliquod effluxisset, forte aliquando fuit, ut parentes et propinquos in urbe vellet revisere. Ubi dum dies aliquot moraretur, ita repentina membrorum omnium dissolutione contracta est, ut nec lecto exsurgere, nec, nisi alieno ministerio, loco posset moveri. Tum pater voti reminiscens, ad monasterium eam fecit deferri. Quæ ibi dimissa, postquam multum temporis in languore tabida jacuerat, ab ancillis Dei ei suasum est, ut sacrum velamen sibi imponens, se Deo servituram promitteret: Factum est; et die tertio sana et incolumis reddita est, ut pristini doloris ne vestigium quidem aliquod in se persentiret, et de reliquo in eodem monasterio sub habitu religionis permansit.

Mulier debilitate pedum, alii dæmone liberantur.

72 Item femina quædam duodecim jam annorum pedes languidos trahens, nomine Alda, ad monasterium adducta, per sex annos ibidem debilis mansit : cumque crebris coram altare supplicationibus divinum sibi adesse sæpius precareter auxilium, die quadam inopinato ita perfecte sanata est, ut libero gressu ubique gaudens

A dens incederet.

e Dæmoniacus quidam ex villa Marlei *e*, Wolferus dictus, ita atrocissimo et vesano spiritu fuerat pervasus, ut omnium se notitiam habere linguarum, et situs cunctarum jactaret nosse terrarum. Hic ad sacrum perductus monasterium, ac per dies octo ibi detentus, gratia Christi ac meritis Virginis hoste fugato, mentis libertati integre restitutus abscessit.

Item adolescens quidam ex villa Lauriaco, et feminæ quatuor fœdis spiritibus obsessæ, ibi similiter ope sacratissimæ Virginis curari meruerunt.

Vinum sine imminutione effusum;

73 His illa non incongrue inserenda censentur, in quibus fidei, cui omnia Salvator perhibet possibilia, ingens ostenditur documentum; ut quod natura negare convincitur, sancta et innocens virginitas merito sui efficere posse probetur.

f Ex his, quæ habitu inter laicas religioso oblationes altario deferre consueverunt *f*, quædam fuit, nomine Ragmaidis *, quæ ad basilicam Virginis veniens, vasculum, quo vinum ad sacra secum hu- B jusmodi circumferre solent, plenum detulerat. Ex quo dum ipsa obtulisset, et ceteris, quæ plures oblaturæ convenerant, dum quod superfuit totum divisisset, repente vasculum ipsum, quod jam omnino exhaustum putabat, attentans, vino, ut prius, repletum maximo cum stupore invenit.

* *al.* Raginaidis

alias in vase vacuo repertum et quidem salutare Cæca videt.

74 Custos quædam ejusdem sacræ ædis, dum die quadam Missis celebrandis vinum quæsitum nequaquam in promptu posset inveniri, ad arcam illam, qua nescio de causa, accessit, ubi jam retro a mensibus fere tribus vasculum, quod in modum flasconis *g* parvuli (butticulam appellant) vacuum et siccum dependebat. Arca aperta, vasculum ipsum vino ad summum usque impletum vidit. Ex quo et sacrificiis tunc ministratum est; et quædam ipsius loci femina dudum graviter languida, dum ex eodem vino parum quid sibi absorbendum poposcisset, mox gustato, salutem integram recuperavit.

Paschali quadam solemnitate puella cæca, cujusdam Joannis civis Mettensis filia, ad sanctum sepulchrum perducta, dum per tres dies ibi- C dem mansisset, ipsa quarta sacræ hebdomadis feria per gratiam cælestem visum pleniter est consecuta.

ANNOTATA.

a Nomine Leudewidis, *ut habet Vita prior num.* 41.

b *Huc usque tantum pertingunt Acta priora cum auctario Blaburensi.*

c *An is hic pagus est, quem modo vocitant* Flainville, *duabus circiter leucis versus Orientem Metis dissitum?*

d *Oppidum, opinor, significatur in finibus Sequanorum ac moderna Alsatia, quod modo* Colmaria *dicitur. Hoc enim Villam Columbariam passim vocat Richerius, teste Valesio in Notitia Galliarum.*

e *Seu* Marley, *id est,* Marilegium; *quæ villa regio regnum Austrasiorum in Alsatia olim fuit; de qua plura legi possunt apud eumdem Valesium.*

f *Solebat enim etiam a laicis olim tam viris quam feminis inter Missarum solennia offerri sacerdotibus panis et vinum ad sacrificium et communionem Eucharisticam: et mos ille diu admodum in ecclesia tenuit; ut erudite ostendit Edmundus Martenius de Antiquis Ecclesiæ ritibus lib.* I, *parte* I, *cap.* 4, *art.* 6. *Hujusmodi consuetudinis exemplum nuper dedimus ad diem 22 hujus mensis in Miraculis S. Wandregisili sub finem capitis quinti. Videtur tamen hoc loco significari, restrictam fuisse illam consuetudinem, quasi ad eas tantum virgines pertinuerit, quæ* habitum inter laicas religiosum *gestarent. Certe frigescenti paulatim in hac re populi Christiani pietati varia in ecclesiis variis ratione consuli debuit; donec tandem id genus oblationes in omnibus passim ecclesiis antiquatæ sunt. Quid tamen etiamnum ex his servetur in Parsiensi, Rotomagensi, ac Viennensi, vide apud citatum Martenium.* EX MSS.

g Flasco parvulus, *seu* butticula, *lagenulam significat; sicut Gallice* flacon, bouteille *lagenam.*

CAPUT VII.

Instauratio monasterii S. Glodesindis, et brevis interea translatio reliquiarum ejus ad vicinam domum, ibique tum patrata miracula. E

Modestia auctoris; et ratio, cur antiqua huc usque retractarit.

Hæc, ut valuimus, ex prioribus, quas invenimus, transfudimus litteris, non quod eamdem scripturam nullam æstimaremus, quæ utique plena fidei et ad rerum gestarum ordinem vires maximas subministrat; sed quia, uti præfatus sum, litteratiorum, quibus jam Domino miserante tempora florent, hoc expetere voluptas videbatur. Quamquam ne ad hanc quidem partem mihi aliquam scientiæ prærogaverim facultatem, qui, ut vere fateor, frequentius tamen dictis quam scriptis nimio rubore suffundor; et nisi aliquorum, qui forte in me amore labuntur improvido, stimuli incitarent, penitus conticerem; ob hoc vel maxime, quia etsi scientia *, qualiter præsentes et qui ex ipsa inter nos consuetudine quidquid ore exciderit probant, accipiant; secuturos certe aute omnino ingratos, aut non multum hæc curaturos, F satis perspicio. Quibus tamen illud, quod acerrimo dente in æmulos Hieronymus prooemio Hebraicarum quæstionum fixit, objiciendum: « Peregrina merces tantum volentibus navi defer- « tur *: balsamum, piper, et poma palmarum « rustici non emant: » ita et illi si despexerint, ne quidem legant, moneo, et oro; dum tandem voti mei apud Deum et sanctam ejus Virginem, cujus me amor traxit immodicus, spem fideliter præsumptam mihi non penitus invideant, vel intercludant.

* *legendum videtur* sciam

* *ita codd. quidam S. Hieron. Mss.*

Successio quorumdam episcoporum Metensium:

76 Jam quia ad nostram ætatem res perducta est, liberioribus spatiis decurrentes, breviter, quæ Dominus nobis videre concessit, annotamus. Post Rotpertum, qui XI *a* præfuit annis, Wigirico *b*, X annis pontificio exacto, vita decedente, dum Benno quidam in eremitica conversatione dudum famosus, bona intentione Heinrici *c* tunc regis, patris gloriosi postea cæsaris domini Ottonis, eidem esset subrogatus, vixque biennium in sacro ordine exegisset, infanda et nimis lachrymabili servulorum quorumdam factione excæcatus, et inutilis redditus, quo fungi non poterat officio, sese ipse abdicavit *d*: inde a principe electione petita

EX MSS petita et impetrata, virum magni post futurum præconii, dominum Adelberonem, hæc sancta sedes adepta est.

e quibus Adalbero institutum monasticum reducit in cœnobium S. Glodesindis.

e 77 Hic monasteria, quæcumque per amplitudinem suæ erant providentiæ, retro a multis jam annis interius et exterius spiritalibus et corporalibus opibus nimium lapsa, studio præter cetera egregie animum recuperare induxit *e*. Et primum quidem ejus operum spiritualium Gorzia monasterium fuit *f*, ubi magnarum virtutum viro Domino Eginoldo promoto, et brevi copiosa religiosorum turba eo confluente, et in beatitudinem pauperum spiritu sub regula beati Benedicti conspirante, ad ejus exemplar reliqua extra vel infra virorum ac feminarum, si qua etiam sub nomine canonicorum erant, composuit monasteria. Unde et hoc idem beatæ Virginis collegium, præfecta ibi Domna Himmiltrude *g*, sanguine, et quod majus est, spiritu sibi propinqua, ad monasticam institutionem coëgit. De cujus sancti pontificis dignis Deo operibus proprium est merito quod desideretur opus *h*, nec hujus articuli brevitate tantam concludi fas fuerit majestatem. Quod ad præsens attinere videtur, brevi subjicimus.

B

Juvatque ad fabricam ejus instaurandam augendamque,

78 Anno pontificatus sui XXIII, eum nongentesimus quinquagesimus primus dominicæ Incarnationis ageretur, matrem prædictam loci ipsius reparandi, quia vetustas et brevitas monere videbatur, cupido cepit immodica. Id per se, quoniam non nisi sacro corpore interim submoto fieri poterat, non præsumens, quid animo conceperat, episcopo intimat. Ille de fabrica, ut fieret, gratum omnino habens, suamque benigne pollicitus operam, de sublevatione sacri corporis diu cunctabundus, tandem Domini super hoc voluntatem ut exquirerent, imperavit: communicato deinde negotio patribus tunc venerandis Einoldo, de quo præmisimus, et Ansteo æque viro religioso, e proximo sancti Arnulphi collegio, ipsisque animos eidem sancto pontifici vel abbatissæ magis addentibus, in communi decretum est, ut fieret.

solenniter translatis alio tantisper ejus reliquiis,

79 Instabat tunc dies Ascensionis dominicæ, in quem populus universus Missarum solemniis condicto jussus adesse, præsul reverendissimus

C post verbum sacræ diei populo redditum, de hac ipsa re palam aperiens, Domini misericordiam cunctos monuit exorare, ut prosperum conatibus fidelium suorum largiri dignaretur effectum. Quod cum in crastinum sextæ feriæ multa cum devotione, sacris ædibus circumquaque lustratis, alacriter peregissent, in sequenti mox Dominica omnes ad sacrum confluunt locum. Ibi ab ipso sancto pontifice Missis dictis, itemque plurima exhortatione plebe in Deum animata, cunctis acclamantibus, et ministris sacrorum solitis supplicationibus preces in cælum tollentibus, ad arcam Virginis aperiendam pontifex venerandus, cumque eo patres monasteriorum *i* simul et ceteri ex clero religiosi, digne Deo sanctæque Virgini submissi, reverenter accedunt. Moxque sacrosanctos artus, loculo tunc pro tempore præparato exceptos, in proximam quamdam domum interim conservandos transponunt.

ubi varia continuo contingunt miracula;

80 Eadem die a parentibus quidam illuc dæmoniacus adductus, cum penes loculum in domo eadem, populo abscedente, esset relictus, post modicum intervallum Domino et meritis Virginis suffragantibus a vesano spiritu est liberatus.

Sub ipsa fere hora sanctimonialibus a loco, in quo D
sacrum corpus extulerant, ad corpora curanda residentibus, puerulum naturali membrorum compage damnatum, penitusque ab ipsa nativitate contractum, bajulus, ut brachio ferebat, ecclesiæ intulit. Inde a quadam ex sanctimonialibus intra domunculam, qua corpus sanctissimæ Virginis servabatur, sub ipso loculo solus relictus, parva mora intercedente, nimio repente clamore puer emisso, ad vocem ceteris accurrentibus, membris omnibus officio naturæ directis, sanus divino auxilio est inventus. Hunc multo postmodum tempore eadem incolumitate gaudentem prospero ubique gradu conspeximus ingredi.

Alter item puerulus oculis captus, sed et quorumdam membrorum inæqualitate confectus, alio ferente, illo deportatus, et ante loculum projectus, visu et ceterorum membrorum integritate virtute Christi et obtentu sacratissimæ Virginis repente, cunctis stupentibus et gratias Deo clamantibus, est muneratus.

quæ deinde continuata pene quotidie.

81 Plura deinde et usque in præsens tempus pene quotidie cum fide petentium ibidem, Domino Christo operante, exhibentur solatia, tum corporum, E
tum, quod præstantissimum est, animarum. Ubi conscientia uniuscujusque supplicantis satis persentit, quantam inde efficaciam precum suarum reportet, et nisi diffidentia sola retundat, vere Christi fide certus fatebor, nullius illic suspiria, nullius gemitus, vel lachrymas pleno corde profusas, quæcumque illa fuerit necessitas, vel angustia, inde aliquando vacuo fructu reversas.

ANNOTATA.

a *Sic habent omnia exemplaria: cum tamen in Indice episcoporum Metensium, quem edidit Dominicius inter varia antiquitatis monumenta, Ansberti familiæ redivivæ subnexa, quique desinit in Adalberone, primo istius nominis episcopo Metensi, sub quo etiam vixit auctor hic noster; cum, inquam, tam in illo Indice, quam apud Meurissium et Sammarthanos tantummodo numerentur* anni *Rotperti* triginta tres, menses septem, dies duodecim. *Errat hic ergo Joannes noster; quod vel ex ipsomet colliges: jungit enim, infra num.* 78, *annum Adalberonis vigesimum tertium anno dominicæ Incarn.* 951; *primum ergo Adalberonis annum statuere debet anno Christi* 929; *ex quo numero si detrahas annos* 2 *Bennonis, et annos* 10 *Wigerici, eris ad annum* F
Christi 917: *hinc porro retrocedendo usque ad obitum Walonis, quem ante annum Christi* 882 *non cecidisse demonstrat Meurissius, nequaquam anni* 40, *ut patet, residui esse possunt Rotperto, Walonis successori.*

b *De quo agit Meurissius a pag.* 295, *in annis consentiens.*

c *Cognomento* Aucupis.

d *Narrat hæc fusius Meurissius a pag.* 297.

e *De his idem consuli potest Meurisse a pag.* 301.

f *Hæc pluribus explicata reperies in Actis B. Joannis abbatis Gorziensis, quæ dedimus ad diem* 27 *Februarii.*

g *Quo anno collegium hoc Himmiltrudi commissum fuerit, non liquet. Sammarthani eam recenseri aiunt in quibusdam monumentis anni* 945.

h *Multa de hoc Adalberone habes in citata Vita B. Joannis abbatis Gorziensis; nec pauca de illo congessit*

A *congessit Meurissius a pag.* 301 *usque ad* 316. *Fallitur tamen Mabillonius hic in notis suis, dum ait, exstare in tomo* I *Bibliothecæ Labbeanæ libellum de Vita hujus Adalberonis : libellus enim ille non agit de hujus Adalberonis primi; sed de Adalberonis secundi, qui hujus fratruelis fuit, Vita; ut inspicienti palam est.* EX MSS.

i *Id est abbates ante memorati, nempe Einoldus abbas Gorziensis, et Ansteus abbas S. Arnulfi.*

DE S. JOANNE AGNO TRAJECT. EPISCOPO CONFESSORE

HOYI IN BELGIO

SYLLOGE HISTORICA

J. B. S.

De cultu, ætate et gestis.

AN. DCXLVI

De agnita Joannis sanctitate

Sanctum hic nomino Joannem, *cognomento* Agnum, XXV *Trajectensem episcopum, ea serie, ordine et titulo, quibus et decessores omnes* B *successoresque usque ad S. Floribertum* XXXI *ejus ecclesiæ antistitem ab omni ævo appellatos invenio; quemadmodum et Majores nostri olim locuti sunt, Henschenius præsertim, tum in Exegesi historica de istius urbis episcopis, tum in operosissimo Commentario ad Acta S. Amandi* VI *Februarii, ex quo* S. Joannis *ætas mox erit definienda. Harigerus apud Chapeavillium a cap.* 37 Joannem *numquam non* sancti *aut* beati *titulo exornat; Ægidius vero Aureæ vallis in additione ad Harigeri cap.* 39 *diserte ait,* festivitatem *ejus* agi a quibusdam VIII Kal. Augusti, *quamvis eam modo peculiari solennitate non celebrari observet Chapeavillius, quod* Trajectenses omnium epicoporum suorum memoriam faciant die VI Februarii. *Pergit idem* : asservatur Legenda hujus Joannis Agni, Gallico sermone conscripta in arce Hoyensi, cujus copiam habes extractam per D. Joannem Stassoul, ipsius arcis tunc capellanum, sub data anni MDLXXXV, die XXIII Augusti, quæ in omnibus cum his Harigeri et Ægidii scriptis concordat; *ut proinde de ea nobis nihil hic magnopere curandum sit.*

C 2 *Porro de legitimo cultu testimonium dicit omni exceptione majus laudatus Ægidius in jam dicta additione pag.* 72, *dum ita scribit;* Hujus vero Joannis reliquias, nostris temporibus *(nimirum seculo* XIII) levavit de terra D. Joannes, nominis hujus secundus, Leodiensis episcopus, et eas honorifice recondidit in altari sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum in castro Hoyensi. *Annum indicant quæ sequuntur;* Hoc itaque altare iterum consecratum fuit a prædicto Joanne episcopo in honore prædictorum Martyrum anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo. Vetus quoque altare, quod ab antiquis illic fuerat constructum, distabat a muro aulæ rotundæ fere duobus cubitis, et et ibi fuit inter murum aulæ rotundæ et altare sepultus B. Joannes Agnus, tenens caput sub altari prædicto, pedes vero usque ad murum aulæ sæpe dictæ. *Ultima additio sive ab Ægidio scripta, sive dictata ita diserte enuntiat* : Hujus vero tumbam vidimus nostris temporibus, quando Joannes prædictus eum levavit de terra, collocavitque altare juxta murum aulæ rotundæ prædictæ.

dubitare non sinunt monumenta Leodiensia

3 *Ægidio consentiunt Martyrologi Belgæ, duce Florario Sanctorum Ms., cujus auctor ita incipiens;* Apud castrum Hoyense, depositio S. Joannis, cognomento Agni, episcopi et confessoris; *sequenti* E *elogio suo complectitur quidquid ferme ab Harigero, seculi* X *scriptore, de* S. Joanne Agno *narratum accepimus. Eumdem hoc die annuntiant Molanus, Miræus, Fisenus, Willotus, Sacrarium Leodiense, et quotquot Belgii, saltem istius urbis, Sanctos ex professo recensuere; eosque secutus est Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum qui in Romano Martyrologio non sunt, his verbis :* Hoyi in Belgio, B. Joannis Agni episcopi Leodiensis. *Solito scrupulosior in suo Gallicano Saussayus, inter* pios *dumtaxat ipsum collocare ausus est; Castellanus inter* venerabiles, *forte quod observaverint, in Officiis propriis Leodiensibus nullam de* S. Joanne *peculiarem solennitatem designari : verum id prorsus nil hic evincit, cum plures ejusdem ecclesiæ episcopi, licet Sanctorum honoribus certo donati, non nisi communi illa cum S. Amando festivitate* VI *die Februarii celebrentur.*

et varia Martyrologia

cum Molano.

4 *Audiri meretur Molanus sic paucis de eo memorans ad hunc diem :* Huy, obitus B. Jo- F annis Trajectensis ecclesiæ episcopi. Is re et cognomine Agnus, B. Amandi prædecessor, hereditatem suam reliquit oratorio sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, quod est in castro Hoyensi : quo in loco etiam reliquias ejus levavit Joannes, secundus ejus nominis Leodiensis episcopus, anno millesimo ducentesimo trigesimo, easque recondidit in prædictorum martyrum altari. Natalem quarumdam ecclesiarum Martyrologia ponunt VIII Kalendas Augusti, qui tamen in Hoyensi castro non celebratur. Trajectenses autem omnium episcoporum suorum memoriam faciunt die sexta Februarii. Notat etiam Libertus Houthem, poma quæ vulgo sancti Joannis dicuntur, ab hoc Episcopo nomen habere : quod se accepisse ex antiquissimo quodam manuscripto codice, mihi per litteras significavit, *Chapeavillius ad Sancti scipionem de quo infra agitur, idem notat ex pervetusto codice arcis Hoyensis,* lignum *nempe quod* viruit, floruit *et* fructum protulit, protulisse poma suavissimi odoris, quæ ab eo tempore poma S. Joannis, ab hoc videlicet Joanne appellata fuerunt. *Atque hæc de cultu hactenus.*

5 *In figenda* S. Joannis *ætate, atque episcopatus duratione scriptores Leodienses omnes Harigerus,*

AUCTORE J. B. S.

Ejus ætatem contra quam sentiant Leodienses

rigerus, Ægidius, Fisenus et ex ipsis alii plures omnino aberrasse videntur, quos Henschenius, harum rerum scrutator diligentissimus, in hunc modum restituisse videtur § XI, *num.* 83 : Quo eodem anno *(nempe* DCXLVI) vita functus est S. Joannes Agnus episcopus Trajectensis, XXV Julii, qui dies sacro ejus cultui dicatus. De ejus electione hæc scribit Harigerus cap. 39 : Regnum Austrasiensis Franciæ Dagobertus adolescens administrabat : Lotharius pater ejus quatuor regnorum monarchiam solus regebat. Regia vero præcepta edicuntur, B. Joannem Trajectensem fore episcopum a cunctis acclamatur; consentiunt omnes, universi lætantur, rapitur, inthronizatur. Quod factum ante annum Chlotarii XLII, Christi IↃCXXV, quo Dagobertus adolescens, necdum ducta uxore, Austrasiam tantum septemtrionalem, in qua Trajectum, regebat. Annos Joannem minimum viginti eam ecclesiam administrasse, persuadet moriens senectus, ab Harigero indicata : B Joannes, inquit, cursum vitæ præsentis explens, in bona senectute vita decessit. *Quæ omnia ex ipso continuato Harigeri textu inferius clare intelligentur.*

recte definivisse videtur Henschenius.

B 6 *Pergit Henschenius :* Hujus S. Joannis Agni tempora innuit Sigebertus Gemblacensis in Vita S. Theodardi, de quo infra agemus, ubi tunc, antequam S. Amandus illum episcopatum suscepit, ait, ecclesiam Trajectensem magna possessionum suarum quantitate fuisse mutilatam; in eo scilicet Episcopi senio. In vulgata chronologia Bucherii, Fiseni aliorumque S. Joannes Agnus dicitur sex tantum annos episcopus fuisse, idque ab anno IↃCXXXI usque ad annum IↃCXXXVII, sed nulla addita ratione. At nostram epocham sequentia firmabunt. Mortuo ergo die XXV Julii anni IↃCXLVI Joanne Agno, S. Amandus a rege et sacerdoribus coactus ad regendam Tracjectensem ecclesiam, pontificalem suscepit cathedram et per triennium vicos et castra circumiens *etc. Triennium vero illud quo Trajectensem ecclesiam rexit S. Amandus, terminat Henschenius annis Christi* 647 *et duobus sequentibus, ut istic pluribus contra receptam* C *Leodiensium opinionem demonstratum invenies. Quid? quod Cointius anno* 649 *ad alterum totum triennium* S. Joannis *obitum, atque adeo S. Amandi initia differat ; sed ea hoc lrco pluribus discutere operæ pretium non censeo : Sancti obitus annum cum Henschenio ad dictum annum* 646 *tantisper removimus. Habe modo quæ de ejus gestis tradidit Harigerus, a cap.* 37, de sancto Joanne.

Agriculturam exercens

7 His igitur per successionem ad superna translatis, Joannes vigesimus quintus succedit, vir totius sanctitatis, cujus vitam et gesta narrare tentabimus. Nec debet æstimari difficile Deo, quod mirabiliter vult operari, qui mirabilis in operibus suis, Sanctos quoque suos inenarrabiliter mirificat. Ipse etenim qui miris et ineffabilibus signis omnibus populis innotescit, ipse beatum Joannem, propter incredulorum temporis ejus conversionem, præstantissime mirificavit, ut qui soli omnia scienti, propter sanctitatis meritum erat notissimus, mirabiliter innotesceret etiam sui temporis hominibus. Hic igitur beatus Joannes, cui tunc temporis nomen erat Agnus, tanto vocabulo simplicitatis, merito et castis respondebat operibus : insistebat enim agriculturæ, quæ sola fere artium exerceri valet absque criminis labe. Quod opus non egestatis necessitate coactus sectabatur; erat quippe vir nobilis et magnarum possessionum D abundans reditibus) sed ne torpens otio, indignus haberetur victu et vestitu quotidiano. Ipsum quippe locupletissimum fuisse, testantur prædia nostræ ecclesiæ ab ipso collata, hactenus a nostris antecessoribus et a nobis possessa, quorum decimationem sancti Cosmæ retinet ecclesia in castro Hoyensi, pro ejusdem sancti Viri sepultura.

cœlitus monetur de promotione ad episcopatum;

8 Dum igitur talibus insisteret laboribus, quidam de transmarinis partibus supervenit peregrinus, qui visione angelica fuerat admonitus, ut mare transiret, et civitatem Benefactam ab Anthonino Augusto constructam, deveniret, et virum Dei ex nomine designatum super magnalia Dei institueret. Is itaque multas circumquaque terras lustrando, Benefactam civitatem quæsierat : tandem Hoyum devenit, civitatem ex nomine demonstrato invenit. Ampiius progressus ad Orientem, beatum se reperisse Joannem lætatus est, juxta condictum angelicum, rurali operi in prædio suo, Tutantia vocato, incumbentem. Et, ne quis ejus animo scrupulus remaneret, tentavit an ex nomine reliquum judicium conveniret. E Salve, inquit, optime vir Agne. Cui annueret, et salutatus resalutaret, certior jam factus vir ille transmarimus, bono, inquit, operi insistis, bonus et ipse a Deo agnosceris. Bonus ad te nuntius missus sum, nisi forte, quod absit, verbis meis exstiteris incredulus. Opera tua, et eleemosynæ placuerunt Altissimo, cælos quoque tua frequens penetravit oratio, et cui nota sunt omnia, complacita est quæ in abditis tua manet intentio. Et quia magnifice Domino famularis, magnifice ab eo honoraberis. Mirum servitutis tuæ spectaculum exhibuisti angelicis spiritibus, mirabile de te exemplum præbebitur hominibus. Oppidum Trajectense suo viduatum est pastore, statuit Dominus eo officii te sublimari honore.

cui rei cum fidem abnueret,

9 Ad hæc sanctus Vir primo obstupuit, arrectæque comæ, vox faucibus hæsit, attonitusque rei novitate : Mira sunt, inquit, vir bone, quæ loqueris, non ex toto sum incredulus in verbis tuis : oppidum quidem Trajectense non est ignotum mihi carere pontifice, sed me substitui, videtur F esse incredibile : me enim uxorio innexum vinculo, liberorum gravatum solicitudine, necesse est quæ mundi sunt cogitare, non talem sancti canones vel in sortem clericatus admittunt, et, ut alia prætermittam, irreprehensibilem me esse, sicut monet Apostolus, non autumo; multis me vitiis irretitum considero. Non astiti laborantibus, non sum compassus mœrentibus, cum Martha pauperibus spiritu non ministravi, cum Maria, verbo divino non intendi. Ideo ab activa multum me dissentire fateo vita, contemplativæ vero, numquam saltem delibasse principia : litteras non didici, numquam studui, scholis non interfui. Et quomodo ad pontificatum tam insperato debet ascendere, cui non contingit singulos gradus singulariter administrasse? Quomodo tandem poterit præesse, qui numquam scivit subesse?

novo miraculo florescentis baculi

10 Ad hæc senior : Qui cuncta sicut vult potest, ei quoque id perficere impossibile non est : et qui de nihilo cuncta creavit cujus potentiæ nemo resistit, qui quondam aperuit ad loquendum os mutum asinæ, ipse scientia potest os tuum replere. Tu tantum ejus Majestati difficile nil æstimes, sed credulus linguam fidelem

A fidelem in Creatoris aperias laudes. Ne, quæso, dubites, sed antiquorum historias diligenter retracta, fortassis enim aliquas earum auditu saltem percepisti. Quid in eis aliud antiqua sonant miracula, nisi quod ab Omnipotente jussa, innatum sibi statum mirabiliter mutavit natura. Ad hæc beatus Joannes respondit: Horum quidem mihi nihil est dubium, sed comparatione eorum per quos hæc gesta sunt insignia, inferior nimis ego sum. Quo verbo finito, baculum quem manu tenebat, infigens humo; Sicut, inquit, est impossibile, lignum hoc aridum terræ radicitus inhærere, florere pariter et fructificare, sic impossibile scias, verba quæ dicis, in me impleri posse. Mox, mirum dictu, lignum superficiem mutavit, terræ inhæsit, corticem induit, viruit, floruit, fructum protulit.

credere compellitur,

11 O mira potentia Conditoris! O ineffabilis gratia Creatoris! Felices qui hæc meruerunt videre. Felices et nos, si non dissimulemus credere. Felix clerus tali Pontifice, et felices populi sub tanto pastore. Vulgatum est hoc celebre in omnium aures, prolatum est ad plurimos regni totius proceres. Non latuit Regem fama hæc, in Trajecto congregatam occupavit plebem. Confestim properatur, legatio Hoyum dirigitur. Beatus Joannes cum transmarino illo invenitur, Trajectum, non sine admiratione omnium, ambo perducuntur. Regnum Austrasiensis Franciæ Dagobertus adolescens administrabat. Lotharius pater ejus, quatuor regnorum monarchiam solus regebat: Legia vero præcepta edicuntur; beatam Joannem Trajectensem fore episcopum, a cunctis acclamatur.

AUCTORE J. B. S.

usque ad sedem Trajectensem vere evehitur.

12 Consentiunt omnes, universi lætantur, rapitur, inthronizatur. Sanctus vir, licet adhuc vellet reniti, quia tamen a cunctis videbat se favorabiliter excipi, lætabatur se vinci a dispositione Dei tam mira et evidenti. Qui qualem quantumque post inthronizationem in Sanctis operibus se exhibuerit, præmissa declarant, cum constet, eum omni morum honestate præditum, quamplures perfectos habuisse discipulos: e quibus unum accepimus, beatum scilicet Mononem, responsis sub eo ecclesiasticis insistentem, perfectum exhibuisse martyrem. Ipse vero beatus Joannes, cursum vitæ præsentis explens, in bona senectute vita decessit, bravium coronæ perennis accepit, E sepultus in ecclesia S. Cosmæ, Hoyi in monte sita.

DE S. THEODEMIRO MONACHO M.

CORDUBÆ IN HISPANIA

Ex Memoriali S. Eulogii.

J. B. S.

AN. DCCCLI. *S. Eulogii encomio*

Eulogium solum hic adduco, quod cetera omnia quæ de hoc sancto Martyre ab Hispanis scripta reperi, piæ cogitationes potius dici possint quam vera historica descriptio, quandoquidem post S. Eulogium totis sexcentis et amplius annis vix scriptor sit qui dictis ipsius quidquam addiderit, ut Tamayi venam facile advertas in C *hoc elogio:* Cordubæ in Bætica Hispaniæ, S. Theodomiri abbatis, ex urbe Carmone orti, qui cum in juvenili ætate mundi illecebras despexisset, et monasticam sibi, ut Deo viveret, institutionem parasset, superato virtutum in religione vertice, abbatiatus onere cumulatus, tandem pro Christi prædicatione carceratus, a perfidis Sarracenis occisus, martyrio coronam immarcescibilem adinvenit. *En modo ipsissima S. Eulogii verba in Memoriali Sanctorum lib. 2, cap. 6, ubi primo loco de Paulo diacono agitur, quem die* XX *hujus mensis retulimus; tum vero de nostro martyre* S. Theodemiro, *utpote qui cum altero ad S. Zoili sepultus fuerit. Sic itaque habet:* Cujus *(S. Pauli)* cadaver inhumatum, et ante fores palatii derelictum, post nonnullos dies, quorumdam fidelium curiositate clam sublatum, cum beati Theodemiri Carmonensis monachi corpore, apud sanctuarium prædicti martyris Zoili conditum est. Qui et ipse juvenis post sexta die, qua sanctus decidit Paulus, id est VIII Kal. Augusti feria VII, æra qua supra occubuit, regnante Domino Jesu Christo qui Sanctos suos adjuvit et coronavit in pace, in secula seculorum. Amen.

nec abbatis nec episcopi titulus adjungendus.

2 *Liquida hæc omnia sunt et S. Eulogii fide stabilita. Conveniunt omnino adjecti temporis characteres* VIII *Kalendas seu* XXV *Julii cum notata feria septima, nempe die sabbati anno æræ Hispanicæ* 889, *Christi vero* 851 *currente littera Dominicali* D. *Addunt plerique Hispani cum Tamayo, non solum* monachum *fuisse* S. Theodemirum, *sed ignoti ipsis æque ac mihi cœnobii* abbatem. *Quin et alii ejusdem gentis scriptores, quos tamen Martyrologus iste non sequitur, inter Calagurritanos episcopos Sanctum commemorant, eo plane fundamento quo varia alia comminiscuntur, usque adeo ut plura in ejus gratiam conquisierit prodideritque laudatus Ta-* F *mayus, de oppido Carmone, acsi certo constaret, sanctum Martyrem Carmonensem ortu seu origine fuisse, quod tamen non satis manifeste eruitur ex hisce S. Eulogii* Carmonensis monachi, *ea enim æque, imo potius ad monasterium Carmonense, quam ad locum natalem referenda videntur: certe nec* abbatem *fuisse, quidquid in eo nomine ludat Tamayus, ex eo aperte colligitur, quod* et ipse *tamquam* juvenis, *quemadmodum et S. Paulus diaconus describatur; ut hic quærendi omnino non sint abbatis aut episcopi tituli, ubi martyrii laurea sanctum* Juvenem *abundantissime coronat.*

Memoria ejus in Romano et Monasticis.

3 *Aptiori elogio decoratus est a Petro Galesinio, qui ipsum primus in Fastos ecclesiasticos hoc die ita retulit:* Cordubæ in Hispania item, sancti Theodomiri *(sic ipse et Tamayus scribunt)* monachi et martyris, qui juvenis, prælaraque pietate monachus in Arabica persecutione, datis fidei testimoniis neceque nobilitatus coronatur. *Atque hic a Tamayo citandus fuit, non Constantius Felicius*

AUCTORE J. B. S.

licius qui de S. Theodemiro *nusquam meminit. Brevis est, recta et nitida Romani Martyrologii annuntiatio :* Cordubæ, S. Theodemiri monachi et martyris, *de quo plura non habuit quæ adjiceret Baronius neque in notationibus neque in Annalibus ; in eo lapsus quod pro æra* 889, *signaverit* 899 *in quo Arnoldum Wionem imitatorem habuit, qui* S. Theodemirum, *utpote* monachum *non prætermisit, Galesinii verba in elogio suo describens. Secuti sunt Dorganius et Menardus, nec non Bucelinus longiori oratione usus. Ast hæc aut similia hic producere, operæ pretium prorsus non est, jam ex S. Eulogio recitavimus quidquid fide dignum de glorioso Martyre reperiri potuit. Si cui lubuerit scriptores Hispanos consulere, eorum seriem apud Tamayum deductam inveniet.* D

VIGESIMA SEXTA DIES

SANCTI QUI VII KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Anna beatissimæ Deiparæ mater, in Palæstina.
S. Erastus S. Pauli Apostoli discipulus, in Græcia.
B **S. Pastor presbyter, Romæ.**
S. Symphronius, S. Olympius, S. Exsuperia, S. Theodulus, Martyres Romæ.
S. Hyacinthus martyr, Romæ in Portu.
S. Jovianus, S. Julianus, S. Emilius, S. Felix, S. Martianus, S. Maxima, S. Saturnina, S. Gloriosa et alius S. Emilius, Martyres Laodiceæ in Phrygia.
C **S. Mutiana, S. Laudasia, Martyres.**
S. Oræozela martyr, Cpoli.
S. Ignatius Steironita, apud Græcos.
S. Pastor abbas in Sceti.
S Valens, seu Valentius episcopus Veronensis. E
S. Simeon Stylita tertius, apud Græcos.
S. Christiana Teneræmondæ in Flandria.
S. Benignus, S. Charus, eremitæ prope Veronam.
B. Gliscentus confessor, in territorio Brixiano.
S. Simeon monachus et eremita, in monasterio S. Benedicti de Padolirona, prope Mantuam in Italia.
S. Gothalmus confessor, in Mellicensi Austriæ monasterio.
S. Jorius episcopus, Bethuniæ in Artesia Belgii. F
B. Euangelista, B. Peregrinus, conff., Augustiniani Veronæ in Italia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

SS. Mauricium, Photinum, Theodorum, Philippum et LXVII alios *hoc die referens Castellanus, solito scrupulo laborat, dum ad proprios dies, quibus SS. Martyres passi sunt, eos conatur reducere. Legerat autem in Henschenii Commentario ad ipsorum Acta* XXI *Februarii pag.* 238, *num.* 3, quod hi gloriosum suum certamen inter majores æstatis calores peregerint : *at nusquam certo indicatum invenit (nam ex Menæis id non educitur) quod hoc potius quam alio quolibet hujus mensis die agonem compleverint, ut proinde, annuntiationi isti hic inserendæ supersedere omnino potuerit. Satis erat, eam signatam fuisse a Galesinio* XVIII *hujus, quo in Prætermissis de ipsis egimus, ubi typothetæ sorore* Martinus *positus est pro* Mauricius. *Remittimus denuo ad diem quo Sanctorum istorum Acta illustrata sunt* XXI Februarii.

S. Ovinum, *potius* Owinum *nescio cur ad hunc diem retraxerit Castellanus, cum ignorare non potuerit, de eo jam pridem a nobis actum : Wilsonus in priori editione Martyrologii Anglicani eum signaverat* XXIX *hujus ; melius in posteriori, die quo colitur* IV Martii.

SS. Arnaldi abbatis, Urii monachi, et Felicitatis

A tatis virginis translatio *ex Wione et tabulis S. Justinæ Patavii, signatur hoc die a Ferrario in Catalogo generali, nulla Sanctorum istorum addita notitia, utpote quam nec in fonte suo hoc die invenerat : cum quærenda esset in laudato Wione, ad* XIV *Martii, ubi cum aliorum Sanctorum ejusdem ecclesiæ translatione commiscetur : neque vero apud Menardum aut monasticos alios specialis ulla explicatio. Tu vide quæ de* B. Arnaldo *dicta sunt in Actis die* X *Februarii ; de* translatione *vero tum ipsius, tum* Urii *et* Felicitatis, *alias* Jacobæ *perperam dictæ, aliorumque paulo clariora invenies ad prædictam diem* XIV Martii.

SS. Victoriani, Frumentii et alterius Frumentii et duorum germanorum, qui sub persecutione Wandalica coronati sunt, *est annuntiatio Usuardi Bruxellensis huc perperam adducta ; spectant ii Martyres ad diem quo de ipsis pridem actum est* XXIII Martii.

S. P. N. Joannis presbyteri Palæolauritæ memoria
B *notatur in Synaxario Sirmondi, cum elogio ; cujus sancti item meminere Menæa bibliothecæ Ambrosianæ cum Menæis excusis ; sed sine titulo* presbyteri, *et adjuncto ipsi* Mauritio. *Joannem Palæolauritam absque titulo isto dedimus ex Fastis variis, ac Menæis excusis, die* XX *Aprilis ; et elogium, quod ea isti tribuunt, fere ubique ad verbum consonat cum illo, quod Joanni hodierno dat Synaxarium Sirmondi. Quare si hic ab isto est diversus, plura de eo dicere non habemus, quia ipsum aliunde non satis novimus ; si vero idem est, spectat ad dictum diem* XX Aprilis

S. Conradi episcopi et martyris translatio ad Theogiense monasterium *legitur inter additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quæ an huc proprie spectet, pluribus non disquiro : de sancto isto* Conrado *seu* Cunone *jam actum est ad diem* I Junii.

Certamen sanctorum martyrum Sancti, Maturi, Attali, et Blandinæ, et reliquorum Viennæ et Lugduni Galliæ martyrio perfunctorum, *habetur hoc die in apographis nostris inter ea, quæ excerpta notantur ex Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ, cum elogio. Basilianum Sy-*
C *naxarium solum* Sanctum *nominatim exprimit, non socios, quos ei adjungit. Pro* οὗτοι ὑπῆρχαν.. ἐκ Ῥαβέννης τῆς πόλεως, χώρας Γαλλίας, *quod ibi in elogio ponitur, lege* ἐκ Βιαίνης, ex VIENNA civitate, provinciæ Galliæ : *ita enim civitas ista effertur in dicto apographo Ambrosiano ; nisi malis dicere* Οὐϊέννης *potius et rectius juxta Strabonem lib.* 4 *inter ea quæ habet de Gallia Narbonensi. Eusebio Ecclesiasticæ historiæ lib.* 5, *cap.* I *scribitur* Βίεννο. *Videri interim possunt, quæ de Martyribus Lugdunensibus dicta sunt hesterno die, occasione S. Blandinæ ; sed tum isto, tum hoc iterum die illos prætermittimus ; quia eos dedimus cum Martyrologio Romano* II Junii.

S. Eobani episcopi martyris *iis ipsis verbis meminit Grevenus, atque ex eo Molanus et Canisius, ut inde quid velint, non facile intelligas. Satis certum tamen est, indicari istic* S. Eobanum, *S. Bonifacii in martyrio socium, Erfordiæ potissimum celebrem, unde notitiam acceperit Grevenus, utpote qui hoc ipso die festivitatem suam habeat in istius ecclesiæ Breviario ; ex quo etiam ad* XX *Aprilis inter Prætermissos adductus est S. Adelarius, et ipse* D *S. Bonifacii socius, qui tamen remissus est ad* V *Junii. Neque nobis plura suggerit prædictum Breviarium de* S. Eobano, *solam orationem referens. De ipso igitur actum est cum S. Bonifacio, neque de ejus gestis seorsim quidquam traditum novimus. Tu vide Analecta Bonifaciana cap.* 4, *pag.* 494 *die* V Junii

S. Colmolcus confessor et episcopus in Scotia *ponitur hoc die a Camerario in Menologio Scotico : Dempsterus* Colmocum ; *recte, opinor : ast ipsum refert* IV *Maii, nos jam pridem de eo egimus ad diem* IV Junii.

S. Maxentium abbatem Pictaviensem *male hoc die signavit Florarium nostrum Ms., spectat ad diem quo de ipso actum est* XXVI Junii.

Sanctæ ac semper virginis Cyriacæ, et parentum ejus Dorothei et Eusebiæ certamen *inscribitur Supplemento nostro Ms. ad Menæa excusa ex Synaxario Sirmondi ac Ms. Chiffletii, et dictis Menæis. Vide quæ de hac Sancta, sub nomine* S. Dominicæ, *ac parentibus ejus, dicta sunt ad diem, quo ipsius Acta Græca et Latina dedimus* VI Julii. E

SS. episcoporum Monulphi et Gondulphi *ultima est Ferrarii annuntiatio, quam multo aptius posuit eo die quo eorum Acta illustrata sunt, quosque ibi collocare debuit Castellanus* XVI Julii.

S. Reticii, Riticii *seu* Rheticii episcopi Augustodunensis *meminit hoc die codex Usuardinus D. Le Mare signatus A : nos jam de eo egimus ex tabulis Æduensibus* XIX Julii.

SS. Ravennus et Rasiphus fratres martyres *in aliqua Vita dicuntur huc pertinere, ostendimus nos suo loco, colendos esse* XXIII Julii.

S. Ursum *episcopum Trecensem in territorio Meldensi singulari historia hoc die exornat Tamays, de qua quid sentiendum sit verbo diximus dum de Sancto egimus die præcedenti* XXV Julii.

S. Christophorum martyrem *in Kalendario aliquo notatum invenit Bollandus : notissima est ejus festivitas die præcedenti* XXV Julii.

S. Glodeswindis virgo, *pro* Glodesindis *annuntiatur hoc die* Metis *in Usuardo Hagenoyensi ; melius ab aliis die præcedenti quo de ipsa egimus* XXV Julii.

Appionis et Hierusalem *meninerunt hoc die apographum nostrum Græcum ex Menæis bibliothecæ Ambrosianæ, et Menæa magna typis edita* F *Vide* XXV Julii

S. Saturninus *a Notkero hoc die et alibi notatus, corruptum nomen est ex* Santurnina *quæ hoc die in classe Martyrum Laodicensium suo loco refertur.*

SS. Viviani et Felicis natale in Laodicia *signatur in Usuardo Bruxellensi : Grevenus scribit ;* Item sanctorum Viviani, Felicis, Juliani *absque positione ; alii non magis feliciter. Utraque annuntiatio luxata est ; tu vide infra totum et integrum laterculum ex Hieronymianis.*

Fredebertum *aliquem, ut* Aginnensem episcopum *inter Sanctos Franciæ hoc die signat Castellanus, qui neque apud Saussayum, neque etiam in novissima Gallia Christiana notus est ; doceat nos aliquis, quis is* Fredebertus *fuerit, quid egerit, quo tempore vixerit, ubi cultus etc.*

Turpionem Lemovicensem episcopum *solo* venerabilis *titulo ornat idem Castellanus, quem a Bernardo Guidonis Sanctum appellari asserit : nos aliam auctoritatem desideramus, ut in hoc opere locum habeat.*

SS. Rusticus

SS. Rusticus et Florentius *hoc die adjuncti sunt textui Usuardino in codice perantiquo Ultrajectensi, quem Rosweydinum appellamus, nescio unde accepti. Eadem combinatio recurrit die præcedenti ex Greveno, ut in Prætermissis diximus, ubi ad sanctos martyres Forconienses reducendos censuimus : si hic alii indicentur, majori luce opus est priusquam seorsim ab aliis synonymis ut Sancti admittantur.*

Pastorum *aliquem, præter synonymos duos hoc die relatos,* S. Erasmi episcopi dicipulum *inter Sanctos primus Catalogo suo Sanctorum Italiæ inseruit Ferrarius, ut qui* via Salaria sub Diocletiano, teste Baronio in Annot. hoc die, passus sit, et ad Clivum cucumeris sepultus. *Consulo Baronii dictam annotationem in qua lego* panegyrim *eum vidisse, cujus exordium sit* Sanctorum vestigia *etc. ubi* etiam ea die de alio Pastore agatur discipulo S. Erasmi *etc. Panegyrim jam dictam descriptam habemus ex codice illo Vallicellensi quem diserte citat Baronius : verum in tota ea oratione semel atque iterum lecta et relecta, nec verbum occurrit quod ad* Pastorem *istum S. Erasmi discipulum vel eminus referri possit ; ut scriptum aliud, nescio quod, indicare debuerit Baronius : at qualecumque istud fuerit, cum nusquam, nec in ullis sacris Fastis, Ferrario antiquioribus, notus sit* Pastor *iste, neque eum Sanctis accenserit Baronius ipse, non video, id nobis licere, donec certior ejus notitia accedat, quam certe ex S. Erasmi Formiensis Actis, ad diem* II *Junii illustratis, nemo facile eruerit.*

S. Veneranda sanctimonialium Eliadum institutum professa in Gallia, deinde in Italia ignibus aliisque pro Christo toleratis, tandem sub Asclepio decollata cælum subiit, applaudente S. Telesphoro Papa anno CXLIV. De illa agunt plures, præsertim P. Simon de S. Spiritu, Carmel. Neapol. *Sic legitur in Acie bene ordinata Philippi Visitantini, toties a nobis citata, in qua et altera annuntiatio hoc die est, quæ hic sequitur :*

B. Thomas Scopus Anglus, primo Benedictinum Ordinem professus, deinde Carmelitanum in cœnobio Norwicensi ; doctrina et mirabili pietate excelluit. Ex Carmelita igitur factus Dromorenses episcopus in Hibernia ab Eugenio IV, aliquamdiu præfuit et profuit. Tandem Sancto fine quievit in oppido Leistasto centenarius anno MCCCCXLVI. Beatus vocatur ab immemorabili tempore et in Kalend. Carmel. *A Lezana tom.* 4 *pag.* 976 *dicitur* Scropus, *laudaturque etiam a doctrina ; verum de ejus cultu altum silet.*

S. P. N. Symeon archimandrita τοῦ ἐν τῇ Μάνδρᾳ *signatur in apographis nostris Sirmondo-Chifletianis ; sed quia de erroribus accusatur, neque satis nobis liquet, an et quo pacto eos expurgarit, ita quidem, ut publicum ac receptum passim cultum habuerit ; ideo ipsum hic prætermittimus, donec de eo sufficienter constiterit.*

Beatissimi P. N. multa passi Moysis hegumeni ex S. Monasterio Petschiurico, quod est Chioviæ *memoria hoc die ponitur in Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, cum sequente elogio :* Is captus est in terra Polonica a Boleslavo principe, passusque in catenis V annos propter puritatem et castitatem suam a quadam vidua : rursusque intravit monasterium, vixitque ibi an. X, mortuus tandem diebus S. Antonii. *Quisnam iste Antonius sit, quis Boleslavus iste princeps, uti et reliqua hujus elogii adjuncta ; examinari prius non merentur, quam de publico ac legitimo istius* Moysis *cultu aliunde nobis sufficienter constiterit ; quem sufficiat, hic vel memorasse.*

Encænia archangeli Gabriëlis πέραν ἐν χάλδαις, *hoc die occurrit in Menæis magnis Græcorum excusis, et inter ea, quæ in apographis nostris Græcis notantur desumpta e codice Taurinensi. Locus iste apud Cangium CPolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 135 *ponitur inter monasteria ejusdem urbis suburbana.*

Valerium *aliquem* confessorem Albanæ filium, quem beatus Eucharius, primus Trevirorum episcopus, a morte suscitaverit, *diserte hoc die nobis signat Usuardina editio Lubeco-Coloniensis, quam presse secutus est Grevenus et hunc Canisius. Quæro* Valerium *istum in Officiis Trevirensibus ; ast altum ubique de eo silentium. Consulo Vitam S. Valerii episcopi* XXIX *Januarii, in qua cap.* 3 *narratur S. Eucharii miraculum ; at nec ibi de* Valerii *nomine vel minimum vestigium. Observat Bollandus, fuisse qui S. Symetrium istic agnoscerent, de quo actum est* XXVI *Maii, quod ut figmentum pridem refellit Browerus. Neque sane major auctoritas est ut resuscitatus ille Albanæ matronæ filius* Valerius *appelletur ; minima vero ut inter Sanctos locum inveniat.*

Warmudi depositio, *qui fuerit* Jerosolymorum patriarcha *est inter auctaria Usuardini codicis Bruxellensis, unde procul dubio transiit in additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Jam dixi,* sub talis nominis inflexione eum hactenus nobis notum non esse.

Claudiam reginam Franciæ, vitæ innocentia et puritate mentis illustrissimam *Sanctis in Gynæceo suo accensuit Arturus, multos citans qui eam merito ab innocentia vitæ laudaverint, nullum qui religioso cultu eam umquam donatam asseruerit, ut hic etiam limites suos excesserit, dum* Beatam *dixit Arturus.*

Malimbæum eremitam et martyrem in Scotia *nescio unde eduxerit Dempsterus, qui apud Camerarium plane ignotus est. Citat ipse Kalendarium Adami Regii et Jacobi Cheymei, verum scriptores isti majoris auctoritatis non sunt quam Dempsterus ipse, statis alibi a nobis descriptus.*

Joannis Aviculæ in Bohemia *hoc die scriptum invenio in nostro Florario Sanctorum Ms., nullo addito indicio, ex quo quis sit, colligi possit : ut prorsus non intelligam, quid Greveno prælucere potuerit, ut hoc ipso die scriberet ;* In Bohemia, bonæ et sanctæ memoriæ Joannis Oviculæ confessoris, ordinis Prædicatorum ; *quem ego apud Pium, Leandrum, Marchesium aliosque viros illustres istius Ordinis recensentes frustra quæsivi.* Joannem *aliquem* Agnum *memorat Choquetius inter sanctos seu beatos Belgas Ordinis sui cap.* 8, *non assignato obitus die : ut nec id scire possim unde Annus sacer Belgicus et Viridarium Germanicum* Agno *isti assignaverint* XI *Decembris, Raissius vero* XXIV *Junii. Sitne is quem per* Oviculam in Bohemia *indicatum voluit Grevenus, haud equidem satis perspicio : id mihi satis certum videtur ; quisquis demum fuerit, cultum hactenus non obtinuisse.*

Anna Bosmans *conversa Ordinis Cisterciensis in cœnobium*

A cœnobio Nazareth prope Liram in Brabantia mortua anno MDC multis laudatur in Menologio Henriquez, ubi citatur Raissius in Auctario Sanctorum Belgii; qui de ipsa non hoc die agit sed XXIX hujus, occasione Beatricis, eo die memorandæ: de Anna etiam inter pios meminit Saussayus.

Garzias de Vera in monasterio Hortensi apud Hispanos insigni etiam elogio ornatus est, ut vir venerabilis, sed absque titulo Beati.

Ulpho tamen Nericiæ princeps beatus appellatur, qui in juventute S. Birgittæ nupsit, et ex Hispania cum sancta conjuge reversus, habitum Cisterciensium in Alvastra induit, ibidemque felici agone consummato, evolavit ad cælos. Ferrarius de ipso egit in Catalogo generali ad XII Februarii, quo die etiam a Majoribus prætermissus est, cum de ejus cultu non constet. Plura de referuntur in ipsa Vita S. Birgittæ.

Christianus monachus in Eleemosyna memoratur
B hoc die in Kalendario Cisterciensi, de quo solo agit Chalemotus, Henriquez vero die sequenti. Ab utroque mire extollitur, citanturque ab Henriquez scriptores varii, etiam Joannes abbas in Catalogo Sanctorum Ordinis, atque item Missale vetus istius instituti: tum Catalogi recentiores. De vero ejus ecllesiastico cultu doceri cupimus, antequam inter Sanctos eum recenseamus.

Libertus Bernerus venerabilis titulum apud Raissium promeritus est, multis egregiis virtutibus et mirabilibus commendatus, quæ ex Vita a Thoma Kempensi conscripta se accepisse testatur.

Camillam Gentili, nec in Ferrario nec in ullis sacris Fastis cognitam, ferme ut martyrem, nempe ab impio marito trucidatam, multis laudant beatamque prædicant Septempedani seu Sanseverinates in Piceno, de eaque bina manuscripta huc transmitti curarunt cum ipsa delineata imagine, quibus probare conantur cultum immemorabilem adeoque casum exceptum ab Urbani VIII decretis, quæ omnia melius sacræ Rituum Congregationi Romæ exhiberentur, cujus decisionem prævenire nostrum non est. Neque vero satis liquida sunt omnia
C in scriptis istis producta, in quibus, ut jam taceam de vita et gestis vix quidquam certi superesse, id desideramus imprimis, ut ostendatur dies ipsius obitus, atque adeo qualiscumque cultus. Adscribitur quidem Relationi De vita et cultu, quod festum celebretur hac XXVI Julii, at neque in isto neque in alio scripto vel verbum occurrit unde id demonstrari possit; usque adeo ut vel ætas ipsa in obscuro sit, quandoquidem nata dicatur inter seculum XIV et XV, tantum abest ut vel dies, vel mensis vel annus obitus alicunde erui queat. Hæc paucis hic notanda fuerunt, ne ægre ferant Sanseverinates quod de Camilla sua in opere nostro agendum non censuerimus, donec casus exceptus rite approbatus sit, et de vero festivitatis die certiores reddamur.

Delitia di Gioanni Ordinis S. Dominici, in monasterio S. Salvatoris del Cassaro Panormi, memoratur in Diario Marchesii, cum longiori Vitæ serie, quæ ibi videri potest.

Michaël de Benavides Manilanus archiepiscopus II, non sine insigni elogio ibidem refertur ab eodem Marchesio.

Angela sive Angelina Tolomei, ut B. Joannis Baptistæ ejusdem nominis soror, et ipsa Ord. S. Dominici, aditur in Viridario Germanico, D et in Anno sancto Belgico.

Item Anna de Vargas, et in solo Viridario Catharina de Herrera.

Franciscus Mayronis, Placentiæ in Italia
Baldus Eugubinus, in Umbria
Gundisalvus Marinus, Mirtyli in Lusitania
Julianus a Fabriano, in Piceno
Joannes a S. Cruce, Pinciis in Castella
Archangelus Calatafimus, Alcami in Sicilia
Ludovicus a Lerma, Gatacici in Canaria
Petrus a Valentia, Veladæ in territorio Abulensi
Petrus Nietus, Serabis in territ. Valent. Hisp.
Camilla Pica, Carpi in Insubria

(Cum titulo beati memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano: et ultima etiam in Gynæceo.)

Matthæus, seu Petrus Picquetus, Joannes Benedictus et Petrus de Seez, Talesiæ in territorio Sagiensi, diverso mortis genere ab hæreticis circa an. 1516 sublati. E
Baptista de Cugnano, apud Theatem Marroccinorum mortis spiculo tactus
Franciscus de Terra nova Romæ in Aracœlitano conventu anno 1597
Magdalena Badaglia in Sicilia

(Adduntur a Fortunato Huebero in Menologio S. Francisci, sed absque ullo titulo.)

Sancti hieromartyris Hermolai et sociorum memoria hoc die inscribitur Menæis magnis Græcorum excusis, in pluribus quoque aliis Græcorum hagiologorum Fastis notissima. Sed de hoc sancto Martyre agemus die, quo signatur in Martyrologio Romano XXVII Julii.

S. Berchtoldus seu Bertholdus, abbas in Austria, huic diei male innexus est a Menardo, ut fatetur Bucelinus, qui cum aliis, ut ait, eum potius die sequenti collocandum censet, nosque de eo agemus XXVII Julii.

Mart. Armulei meminit Kalendarium Syriacum seu Hebraicum; quo indicari suspicamur martyrem Hermolaum; quem in hisce mox Prætermissis rejecimus in sequentem diem XXVII Julii. F

S. Desideratum signat hoc die Ferrarius in Catalogo generali, ex Bizuntinæ ecclesiæ tabulis etc. sed is ad diem sequentem pertinet, quo ipsum denuo repetit XXVII Julii.

S. Celsum a Camerario perperam signatum diximus inter Prætermissos XXIV hujus, notavimusque a Dempstero referri hoc die; ubi notanda annuntiatio; Lensii, Celsi presbyteri, ut oppidum Artesiæ certo indicet, cui apprime quadrat adductus a Camerario versiculus; Vulganii et Celsi, quos Belgis Scotia misit. Quærimus quis hic Celsus sit, ut de Chimacensi, nescio quo, quærit Molanus. Nos ea hactenus putamus remittenda ad celeberrimum Celsum qui cum Nazario colitur XXVIII Julii.

S. Venera virgo et martyr Aletina cum S. Herine passa sub Licinio, notatur apud Ferrarium in utroque Catalogo Vitam S. Herinæ edidit illustrissimus Paulus Regius, episcopus Æquensium, inter Vitas Sanctorum parte I, a pag. 854; ubi et de S. Venera agitur; quæ et occurrit in Recognitione sanctuarii Capuani, collectore Michaële Monacho edita, pag. 80. Si S. Veneram hanc diversam velis a Sancta synonyma,

A *synonyma, una an pluribus, quæ et* Veneranda *et* Parasceve *dicitur, consule, quæ obitur de illa* Venera *diximus occasione S. Irenes martyris, ad diem* v *Maii, pag.* 5. *Sin vero ad illam aut illas spectet ; vide, quæ hoc die* xxvi *inter Prætermissos de S. Parasceve ; nec non de S. Venera Locrensi ibidem dicuntur* xxviii Julii

Sanctæ hosiomartyris Parasceves *memoria hoc die notatur in Menæis magnis Græcorum excusis cum elogio ; in quo* Antonio * imperante ex vico quodam haud procul vetere Roma, Agathone et Politia Christianis parentibus, iisque piis et præcepta Domini impigre sequentibus nata refertur ; *reliquæ autem historiæ summa, ibidem exposita, eo redit : A sterilibus parentibus impetrata a Deo fuit, ac nata feria sexta, in baptismo* Parasceve *appellata. Mortuis parentibus in sacram virginem attonsa, monasticam vitam amplectitur ; fidemque Christi deinde prædicans, multos paganos ad Dei cognitionem convertit : unde a quibusdam Judæis* B *apud Antoninum imperatorem accusata fuerit, ac pluribus tormentis excarnificata. Tum imperator liquore vasis, pice et oleo pleni, in quod Sancta immissa fuerat, ab ipsa aspersus, excæcatur, sed iterum illuminatur : quo prodigio ingens tum ipsius tum aliorum subsecuta traditur conversio.* Parasceve *autem alia peragrat loca. Deinde ad Asclepium deducta, condemnatur ut pabulum sit formidabili cuidam draconi ; qui, facto ab ipsa signo crucis, medius crepuerit. Quo viso ille se cum suis ad fidem Christi receperit. Sancta denique in alia urbe ad Tarasium perducta, post plurima tormenta, abscisso capite martyrium consummat. Atque hæc est historiæ, seu, ut verius dicam, pii dramatis summa. Cur autem Sanctam, tum ibi, tum in aliis Græcorum Fastis hoc die notissimam, atque in hunc item diem a die* xxiv *hujus mensis rejectam, alio iterum remittamus, et quo, docebit Venera, Veneranda, seu Parasceve, quæ ponitur inter Prætermissos* xxviii Julii.

* Antonino

Beatus presbyter confessor, in territorio Trevirensi circa Confluentiam *signatus est hoc die in Usuardis Coloniensibus, Molano et aliis, ut* sancti Banti *(alias* Bantonis *seu* Panthonis*) frater* C *et coëremita in Vosago, cum ipso Treviris sepultus ; de quibus, paucis quidem sed nitide loquitur Browerus in Annalibus Trevirensibus tomo* I, *pag.* 347, *num.* 32, *ex aliis ibi citatis ; quorum* Beatum *celebrari ait hoc die, alterum* xxxi *hujus. Nos, cum utriusque res gestæ et breves, et inter se sic connexa sint, ut commode separari nequeant, modernum Trevirensium proprium sequemur, in quo amborum una est eademque festivitas, atque de utroque simul agemus* xxxi Julii.

S. Theodota *inter ea, quæ apographis nostris, ex Menæis Ambrosianis excerptis, aliunde adjecta sunt, notatur esse hac die in Taurinensi* α *; sed de illa agemus cum Martyrologio Romano* ii Augusti. D

Transfiguratio Domini, facta in monte Thabor, a tribus discipulis, qui intererant, post ascensionem Domini, suis coapostolis publicatur. *Ita legitur in Usuardo Bruxellensi, quæ unde accepta sint, non est promptum divinare : hoc satis certum est, ipsam* Transfigurationis *memoriam ab Ecclesia recoli* vi Augusti.

SS. Donatus et Hilarius *alicubi hoc die perperam relati sunt, spectant ad* vii Augusti.

S. Adrianus *a Wandelberto hoc die laudatus, quis verosimiliter dici possit, habes infra in classe Martyrum Laodicensium : quam vero* S. Adriani elevationem *insinuet is qui additiones Mss. ad Grevenum collegit, quasque Cartusiæ Bruxellensis vocamus, necdum intelligo : quæcumque ea elevatio fuerit, de ea agetur ad S. Martyris natalem* viii Septembris.

S. Tharsicium martyrem Romæ *hoc die collocat Ferrarius* ex libro stationum Urbis *absque ulteriori notitia : nos alium istius nominis Promanum martyrem hactenus non novimus præ-* E *ter eum quem in Catalogo Sanctorum Italiæ melius retulit* xv Augusti.

S. Euphemiam virg. mart. *tribuit hoc die Ferrarius in Catalogo generali* Auriæ in Hispania, *in annotatione distinctius* in Gallæcia, *cujus corpus translatum fuerit an.* 253, *teste Marietta ad* vii *Augusti. De ea Sancta pluribus hoc die agit ; eamque Obobrigæ vindicat Tamayus, alio nomine* Eumeliam *quoque appellans, quæ fuerit e numero novem filiarum C. Attilii Severi, uno partu a Calsia ejus uxore editarum, de quibus sæpe alibi et abunde dictum putamus.* Euphemiam, *ex tali fonte erutam, necdum ut sanctam agnoscimus ; quod si recte omnia discutiantur, quæ Tamayus et alii frustra contorquent, non alia erit* Euphemia, *etiam in Officio Mozarabico, quam celeberrima illa Chalcedonensis quæ recte et vere colitur* xvi Septembris.

S. Chemnicum *ut* S. Columbæ carissimum, *pluribus hoc die laudat Camerarius in Menologio Scotico, forte pro arbitrio ; nisi Ms. Catalogum, qui penes nos est, secutus, aut is ex ipso potius descriptus fuerit : Majoribus nostris remissus est ad diem* xi Octobris.

S. Marcelli *Parisiensis episcopi* translatio *in Mu-* F *nerato aliisque Usuardinis codicibus hoc die annuntiatur, ut habes inter auctaria in nostra editione : verum natalis ejus in Romano est, quo die de ipso agemus* i Novembris.

S. Venera, virgo martyr, apud Castrum regale in Sicilia, *a die* xxvi *Junii ad hunc remissa, mirum, si ab synonymis pluribus distingueretur, de quibus tum inter Prætermissos hic sub eodem isto nomine, ac sub nomine Parasceves, et Venerandæ ; tum inter Prætermissos ad diem* xxviii *hujus : ubi intricatissimam hanc unius an plurium synonymiam remittimus ad diem, quo S. Veneranda inscribitur Martyrologio Romano* xiv Novembris.

DE

A

AUCTORE G. C.

DE S. ANNA MATRE DEIPARÆ

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Antiquiora Sanctæ Acta, eorumque scriptores.

XXVI JUL. *Acta S. Annæ*

Ex Epiphanio et Gregorio Nysseno colligo, primis Ecclesiæ seculis aliquam historiam de parentibus Deiparæ exstitisse; sed nescio, an ea incorrupta ad nos pervenerit. Pura certe non est illa, quæ Proteuangelium S. Jacobi minoris *perperam inscribitur, et inter monumenta sanctorum Patrum orthodoxographa tomo* I *a pag.* 71 *Græco-Latine edita est : nam illic historia Deiparæ contaminatur ineptis fabulis, inter quas absurdissima illa refertur, quod Josephus et Maria ob suspicionem sacrilegii et stupri a sacerdotibus fuerint coacti ad bibendum poculum maledictionis, quo Moyses explorari jussit innocentiam feminæ de adulterio accusatæ. Porro scriptor iste in fine Proteuangelii se Jacobum nominat, et Hierosolymis sese in desertum fugisse asserit, orto tumultu, quem Herodes excitarat. An huic clausulæ fides adhibenda sit, et quis fuerit iste Jacobus, aut quo tempore vixerit, non facile dixero. Aliqui infra laudandi existimant, eum tempore Apostolorum scripsisse.*

B

auctor commentarii in Hexahemeron

2 *Quidquid sit de illius antiquitate, saltem hoc Jacobi Proteuangelium vidisse dicendus est auctor commentarii in Hexahemeron, quem Leo Allatius anno* 1629 *sub nomine S. Eustathii archiepiscopi Antiocheni Græco-Latine vulgavit, quando in jam citata editione pag.* 70 *primam istius historiæ partem in compendium redegit, atque ita mitigavit :* Digna certe est, quæ percurratur historia, quam Jacobus quidam recenset de beata Virgine hisce verbis enarrans; ait namque, in tribubus Israel virum fuisse opulentum, nomine Joachim, qui diebus festis munera Deo duplo majora aliis offerebat, ut sic populo omni sibique divinum numen placando propitium redderet. Jam celeberrimo die festo appropinquante, omnibusque, ut moris erat, [Deum] munerum magnificentia donantibus, primus hic, ut primus deferret, accurrit; sed Rubin quidam eum remoratus est, non licere ipsi primum offerre affirmans, qui in Israel adhuc sine prole degebat. Hinc mœrore obrutus deserta petit, ibique tabernaculo exstructo, supplicibus votis Deum orabat, ut et sibi, quemadmodum Abrahæ, legitimæ prolis concederet fœcunditatem : solum hoc se dono in Israel carere cognoscebat, et sic in quadraginta dierum jejunio Deum deprecabatur.

C

videtur excerpsisse

3 Similiter et ejus uxor, vestitu inculto et horrido tecta, prolem a Deo precibus poscebat. Sed cum magna dies Domini venisset, veste se pretiosa ornavit : nefas enim erat, illo die luctuoso habitu vestiri. Circa igitur horam diei nonam sub arbore in viridario suo sedens his verbis Deum obsecrabat : Deus patrum nostrorum, benedic mihi et exaudi orationem meam, sicut benedixisti vulvæ Saræ, et dedisti filium illi Isaac. Hæc cum diceret, in propinquam arborem aspectum referendo aspexit passerem pullis suis incubantem; hinc amare repetito suspirio ejulansque dixit : Heu Domine, quando nec hisce volucribus fœcundis assimilor ! Et talia dicenti angelus Domini apparens liberorum * prænuntiat susceptionem. Quibus auditis, gignendum illico Deo offerendum promisit. Hæc eadem in monte Joachim angelus manifestavit. Quare rediens e monte decem agnas præbet ad sacrificium, et sacerdotibus duodecim vitulos, et senatoribus et populo universo centum hircos. His sacrificiis in templo Domini factis, domum suam revertitur, et, re cum uxore habita, suscepit ex ea filiam, vocatque Mariam, quam jam trimulam in templo Deo consecrarunt. *Hæc mitigata historiæ synopsis ex Proteuangelio Jacobi excerpta est, ut utrumque librum conferenti patebit.*

* *Græce* παιδοποΐαν *id est* prolis procreationem

E

ex Proteuangelium cujusdam Jacobi;

4 *Leo Allatius in notis ad memoratum commentarium in Hexahemeron pag.* 286 *de scriptore Proteuangelii post alia sic disserit :* Verissimum est, scriptum hoc esse antiquum, et circumcirca Apostolorum tempora conscriptum. Nec dubium, in hoc, sicut et in multis aliis accidit, ab hæreticis multa fuisse inserta adstruendæ proprie hæreseos causa, veritatisque catholicæ destruendæ..... Bene itaque actum cum hoc auctore, cum Eustathius *(varii eruditi hoc opusculum Eustathio abjudicant)* omissis et detruncatis iis, quæ fucum facere possent, utilia tantum decerpsit devoto lectori, Virginisque studioso non incommoda. Quin tanti patris auctoritas pondus illi et auctoritatem addit, præcipue cum nihil sit ex iis, quæ hic referuntur, quod vel Ecclesiæ vel ejus auctoritati contrarium sit, imo testimoniis dictisque aliorum patrum et historicorum omnia sint consentanea : eoque libentius in hanc ducor sententiam, cum videam non laudari a nostro Eustathio, tamquam opus Jacobi apostoli, sed alterius cujusdam, quod clarissime significatur additione illa τις; Ἰακωβός τις JACOBUS QUIDAM. Quod si existimasset, esse Apostoli, numquam siluisset. *Epiphanius monachus et presbyter apud Allatium Græce citatus, qui seculo* X *vel ineunte* XI *floruit, hunc Jacobum dicit fuisse se Judæum, et iisdem cum beata Virgine temporibus vixisse. Imo Allatius putat, hunc esse librum Jacobi, de quo Origenes in caput* 13 *Matthæi meminit.*

F

sed non debuit S. Gregorius Nyssenus

5 *Hanc postremam Allatii opinionem præfero isti assertioni, qua ibidem confidenter affirmat, Gregorium Nyssenum ex illo Jacobi opusculo multa mutuatum esse, tacito auctoris nomine. Unde, obsecro, Allatius id colligit? Unde novit, hanc Jacobi historiam Gregorio Nysseno præluxisse? Siquidem Gregorius in Græco-Latina editione Parisiensi anni* 1615 *tomo* 2 *pag.* 778 *tantummodo ita loquitur :* Sed prius auscultemus, quid de ipsa *(nempe beatissima Virgine Maria)* memoriæ proditum sit. Audivi ergo quamdam historiam apocrypham, tales de ea prodentem narrationes :

AUCTORE G C

rationes : Virginis pater fuit insignis quidam civis, observantia legis et vitæ probitate imprimis nobilis, qui sine filiis ad senectutem pervenerat, cum minus idoneam ad gignendum uxorem haberet. Habebatur autem matribus a lege quidam honor, quo carebant feminæ, quæ liberos nullos susceperant. Quapropter et hæc imitata id, quod de matre Samuelis scriptum est, et sanctum sanctorum accedit, et supplicat Deo, ne legum benedictione privetur, quæ nihil in legem peccasset. Quod si mater evaserit, se, quodcumque pepererit, ei dedicaturam. Quamobrem cum voti compos effecta filiam suscepisset, eam vocavit Mariam, ut ipso etiam nomine testaretur acceptum munus a Deo. Illam igitur, cum jam grandiuscula esset, nec ubere matris amplius indigeret, ducens ad templum Deo reddidit, et studiose promissum exsolvit. *Historiam, quam interpres hic vocat* apocrypham *(Græce legitur* ἤκουσα τοίνυν ἀποκρύφου τινὸς ἱστορίας *) alii vertunt* arcanam, *et in editione nostri Frontonis Ducæi tomo* I *col.* 687 historia incerti auctoris *appellatur. Post etiam hæc vox interdum historiam* non canonicam *sive inter*
B *canonicos sacræ Scripturæ libros non relatam significare.*

idem Proteuangelium præoculis habuisse,

6 *Quocumque modo Gregorius eam vocem acceperit, mihi hic non placet, quod Mater Deiparæ dicatur orasse in sancto sanctorum, cum ex sacris Litteris constet, solum pontificem illud semel quotannis ingredi consuevisse. Neque Gregorius ita explicari potest, quasi tantummodo voluerit, eam versus hunc templi locum accessisse : Græce enim dicitur* ἐντὸς τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων γενομένη ἱκέτις γίνεται τοῦ Θεοῦ; *id est ad litteram* in sancto sanctorum existens, supplex fit Deo, *sive* in sanctum sanctorum ingreditur, et supplex Deum orat, *ut interpretatur Petrus Franciscus Zinus apud Combefisium in Bibliotheca Patrum concionatoria tomo* I *pag.* 144, *ubi Combefisius ad ea verba sic notat in margine :* Sunt hæc sumpta ex apocrypho Jacobi ἀδελφοθέου, excepto, quod ibi Anna in horto orasse legitur, non intra sanctum sanctorum, quod hic ait Nyssenus, sive lapsus memoria, sive ita irrepsit errore librarii. *Nicephorus Callistus lib.* I *Hist. eccles. cap.* 7, *ubi hanc Gre-*
C *gorii orationem haud dubie præ oculis habuit, ac etiam phrasim illius imitatus est, probabilius illam Gregorii expressionem mutavit, ac mitius dicit,* Annam *orationis causa* in templo *versatam esse. Antiochus vero monachus Palæstinus, qui ineunte seculo* VII *floruit, homilia* 107 *asserit, eam* in horto suo *cum lacrymis orasse. At ab hac digressione in viam redeamus.*

cum ante ipsum et S. Epiphanium plures ejusmodi historiæ exstiterint,

7 *Quærimus, quo argumento Allatius et Combefisius probent, Gregorium Nyssenum sua ex Proteuangelio Jacobi accepisse, quandoquidem antiquitus plures hujusmodi historiæ exstiterunt, quas potuit vidisse. Certe Epiphanius, Gregorio Nysseno coævus, aliam ejusdem rei historiam præ manibus habuisse videtur, quam in Græco-Latina Petavii editione lib.* 3 *adversus hæreses, hæresi* 59 *alias* 79 *num.* 5 *citat his verbis :* Quamvis autem ex Mariæ historia ac traditione illud habeatur, Joacimo ejus patri divinitus hoc in deserto nuntiatum fuisse : UXOR TUA CONCEPIT ; non ita tamen accipiendum est, quasi hoc citra nuptialem consociationem ac virilem satum acciderit. Verum, quod futurum erat, missus a Deo significavit angelus, ne qua dubitatio foret propter illud, quod revera in lucem editum, et a Deo constitutum, ac justa viro na-
D tum fuerat. *Si sanctus Epiphanius Proteuangelium Jacobi secutus fuisset, non indiguisset hac explicatione, cum in illo clare legatur :* Ἰδοὺ γὰρ Ἄννα ἡ γυνή σου ἐν γαστρὶ λήψεται, *id est :* Ecce Anna uxor tua in utero CONCIPIET ; *non autem* CONCEPIT, *ut Epiphanius in historia Mariæ haberi testatur. Adde, quod Epiphanius nomina parentum Deiparæ, quæ Nyssenus loco supra citato tacuit, adversus Antidicomarianistas hæresi* 58 *alias* 78 *num.* 17 *expresserit, dum ibi diserte affirmat, beatissimam virginem Mariam* ab Anna matre et Joacimo patre genitam *fuisse. Ex his concludo, plures ante Epiphanium et Gregorium Nyssenum exstitisse Mariæ historias, cum neuter videatur sua ex Proteuangelio Jacobi accepisse.*

ex quibus aliquæ fuerunt antiquitus corruptæ,

8 *Quod sit sermo sit de Mariæ historiis, fraude hæreticorum corruptis aut confictis, haud dubie plures istiusmodi ea ætate circumferebantur: nam Epiphanius hæresi* 6 *alias* 26 *num.* 12 *de Gnosticis hæc narrat :* Infinita porro penes illos sunt supposititia atque imprudenter conficta monumenta : cujusmodi est, qui de progenie Mariæ liber inscribitur, in quo horribilia quædam ac detestanda illorum dicta continentur. *Tra-* E *dit etiam auctor antiquus, qui sub Hieronymi nomine diu delituit, Acta Deiparæ a Seleuco quodam, Manichæi discipulo, corrupta fuisse. Forte ex his commentis Faustus Manichæus negabat, Christum ex stirpe Davidica ortum esse, cui S. Augustinus lib.* 23 *contra Faustum cap.* 9 *ita respondet :* Hoc ostendat, non ex quibuscumque, sed ecclesiasticis, canonicis, catholicis : aliæ quippe apud nos non habent ad has res ullum pondus auctoritatis..... Ac per hoc, illud, quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi sacerdotem quemdam, nomine Joachim, quia canonicum non est, non me constringit. Sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Joachim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, et aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum vel ejus aliquem progeneratorem, vel certe in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David consanguinitatem aliquam duceret..... Hoc ergo poti- F us, vel tale aliquid crederem, si illius apocryphæ scripturæ, ubi Joachim pater Mariæ legitur, auctoritate detinerer. *Vides ergo, ante ætatem Augustini apocryphas hæreticorum historias exstitisse, quas sanctus doctor merito rejiciendas censuit. Idem abunde confirmatur ex decreto Gelasii I Papæ, quod apud Labbeum tomo* 4 *conciliorum col.* 1264 *refertur, ubi plura hujusmodi figmenta damnantur.*

et una S. Hieronymo perperam adscripta,

9 *At saltem, inquies, historiam suam ex puriori fonte hausit antiquus auctor ille, qui sub Hieronymi nomine de nativitate sanctæ Mariæ conscripsit opusculum, cui in novissima editione Parisiensi tomo* 5 *operum S. Hieronymi col.* 445 *præfigitur prologus, in quo scriptor ille asserit, sese de hac re Hebraicum S. Matthæi apostoli et evangelistæ libellum Latine transtulisse. Post alia autem sic præfatur :* Petitis a me, ut vobis rescribam, quid mihi de quodam libello videatur, qui de nativitate sanctæ Mariæ a nonnullis habetur. Et ideo scire vos volo, multa in eo falsa inveniri. Quidam namque Seleucus, qui passiones apostolorum conscripsit, hunc libellum composuit. Sed sicut de virtutibus eorum, et miraculis per eos factis vera dixit, de doctrina vero eorum plura mentitus est, ita et hic

A hic multa non vera de corde suo confinxit. Proinde, ut in Hebræo habetur, verbum ex verbo transferre curabo : siquidem sanctum euangelistam Matthæum eumdem libellum liquet composuisse, et in capite Euangelii sui Hebraicis litteris obsignatum composuisse : quod an verum sit, auctori præfationis et fidei scriptoris committo : ipse enim, ut hæc dubia esse pronuntio, ita liquido falsa esse non affirmo. *Cum vero auctor jam spoponderit, sese* verbum ex verbo *translaturum, in fine prooemii concludit, se non alia dicturum,* quam quæ aut scripta sunt ibi, aut consequenter scribi potuerunt. *Sunt et alia in hoc prologo, quæ non magis cohærent, quam ægri somnia, ut facile intelliget, qui hanc præfationem levi oculo percurrere voluerit.*

juxta Fulbertum Carnotensem

10 *Ceterum Fulbertus Carnotensis episcopus, qui seculo* x *vixit, in sermone de ortu almæ virginis Mariæ, quem Carolus Villierius Parisiis anno* 1608 *inter opera ejus ex Ms. bibliothecæ Victorinæ edidit, de hoc pseudo-Hieronymo ejusque lucubratione sic fol.* 142 *caute judicat :* Exstat vero quædam non usitata relatio, B quæ clarissimi interpretis Hieronymi prænotatur nomine, referens, beatum Matthæum post editum Euangelium ortum præfatæ Virginis, atque initiamenta puerilia Jesu Christi ita obscuris manu propria obsignasse litteris Hebraicis, ut nullis infidelium illud vellet patere superfluis et mordacibus rictibus, quæ tunc a prælibato interprete feruntur transportata, quibusdam obnixe petentibus, ad Latinæ linguæ notitiam. Et quia hæc relatio inter sacræ Scripturæ canones non habetur inserta, ideo unanimis ecclesiæ conventus in recitando aperte nec omnino eligit, nec in non recipiendo rejicit : cum nonnulla reperiantur dicta vel facta, quæ in præfata serie impossibilia videantur, quæ tamen volentibus et amantibus legere, non denegat fidelium industria. Nobis autem et omnibus Ecclesiæ filiis satis superque sit fides et devota credulitas, qua vere eam confitemur Virginem et in omni sua operatione. *Vides, hanc historiam a Fulberto non magni æstimari, et subtimide Hieronymo adscribi.*

et eminentissimum Baronium

11 *Eminentissimus Baronius in Apparatu ad Annales ecclesiasticos num.* 44 *de eodem auctore clarius rotundiusque profert judicium :* Nec innitimur scriptioni illi, quæ hactenus Hieronymi nomine ad Cromatium et Heliodorum scripta vulgata est : nam licet in ea C complura, veritate constantia, conscripta reperiantur, quæ a dictis auctoribus sibi vendicent auctoritatem et fidem ; tamen non tantum eam Hieronymi non esse dixerimus, sed auctoris plane ut ignoti, sic prorsus imperiti, qui in ea condenda et conscribenda non novit aperta vitare mendacia, dum ait, illis temporibus, quibus ea acciderunt, fuisse Isachar summum pontificem. *Deinde ex Flavio Josepho enumerata pontificum serie, ita concludit :* Usque ad cladem Hierosolymorum, per Titum illatam, nullus ejus nominis reperitur institutus pontifex. *Scio, quosdam apud Jacobum Polium in Historia SS. Joachim et Annæ part.* 2, *quæst.* 12 *hic effugium quærere dicendo, auctorem illum non addidisse epitheton* summus, *adeoque per pontificem intelligi posse sacerdotem. Sed cum in Euangeliis sola vox* pontifex *passim summum Judæorum pontificem designet, erudito eminentissimi Cardinalis judicio acquiescimus. Accedit, quod ille, qui Joachimum repulit, in Proteuangelio Jacobi* Reuben *vocetur. Imo Georgius Metropolita Nicomediensis apud Combefisium tomo* 6 *Bibliothecæ concionatoriæ pag.* 83 *dicit, Joachimum per invidos, generis affinitate conjunctos, ab oblatione munerum fuisse prohibitum, nulla pontificis mentione facta.*

auctores G. C.

ita ut vero a falsis non facile se cerni possint.

12 *Ex hactenus dictis liquet, ipsos hujus historiæ fontes antiquitus ita fuisse corruptos, ut hoc tempore vera a falsis, certa a dubiis non possimus secernere. Unde Fulbertus Carnotensis in editione proxime citata fol.* 141 *verso ita loquitur :* Nam et hoc, quod levi et subtili ratione aut forsitan conscriptione de Matris Domini nativitate et infantia ejusdem Domini perceperunt *(nempe hæretici aut infideles, de quibus hic agit)* ita versuta et argumentosa fallacia deturparunt, ut nec vera deinceps a quibusdam ecclesiasticis doctoribus recitentur, quamvis minime repudiantur. *Eruditus præsul vult indicare, ni fallor, multa dubiæ esse fidei, quæ quidam Patres de ortu Virginis ex his monumentis infectis retulerunt, quamvis ea omnia rejicienda non sint, cum manifestæ falsitatis convinci non possint. Quæ cum ita sint, ut etiam Majores nostri ad diem* xx *Martii in Actis S. Joachimi* § I *notarunt, non est* E *opus hic longos sanctorum Patrum sermones de hac re transcribere, qui passim in operibus eorum occurrunt, vel apud Combefisium in Bibliotheca concionatoria facile inveniri possint. Atque hæc sunt, quæ ex quibuscumque antiquitatis monumentis colligere potui. Nunc diversas recentiorum traditiones, paulatim auctas ac mutatas, curioso lectori proponemus.*

§ II. Recentiorum opiniones de parentibus, patria, et Actis S. Annæ.

Quamvis Joannes Eckius

Forte quispiam mirabitur, nos recentiora S. Annæ *Acta hic exhibere, cum ex ipsis antiquis vix quidquam certi eruere potuerimus, ut paragrapho præcedenti vidimus. Nihilominus ad id faciendum nos cogit zelus quorumdam adeo indiscretus, ut ferme ex albo Catholicorum expungendos censeant eos, qui has novas opiniones suas non amplectuntur. Inter alios Joannes Eckius, acerrimus Lutheri oppugnator, et hæreticorum in Germania malleus, in sermone de* S. Annæ *dicit, se* communem fidelium referre sententiam, quam a senioribus accepimus, *inquit,* ita ut et ipsa F Hierosolymitana tenet ecclesia. *Porro audiamus, qualia contineat ista traditio, pro qua aliqui tam acriter sibi decertandum putarunt.*

quamdam traditionem refert

14 *Laudatus Eckius in Homiliis, quæ anno* 1579 *Parisiis recusæ sunt, tomo* 3 *fol.* 284 *verso eam sic proponit :* Anna, Stolonis *(alii Stollanum appellant)* et Emerentianæ filia, ex Bethleem, desponsata est Joachim a Nazareth, qui et vixerunt in conjugio secundum voluntatem et beneplacitum Dei, dividentes bona sua ex annuis possessionibus trifariam, partem templo, et ministris ejus, aliam pauperibus peregrinis, sibi et familiæ impendebant tertiam. Vixerunt annis circiter viginti sine sobole, quamvis inde voverunt, si det eis Deus sobolem, eam se in cultu divino educaturos. Cumque in dedicatione templi Joachim solitam oblationem faceret, respuit eam Isachar pontifex, eo quod sterilis esset. Unde pudore affectus Joachim ad pastores suos in pascua concessit, et post aliquot

AUCTORE G. C.

quot dies apparuit ei angelus Domini, consolatus illum, quoniam orationem ejus et eleemosynam accepisset Deus: inde uxorem suam sibi parituram virginem, quam vocare dederet Mariam, illam prædixit ab infantia debitam fore Deo, et ab utero matris plenam Spiritu sancto. In ejus rei signum, inquit angelus, uxorem tuam habebis mox ingressurus obviam Hierosolymis juxta portam auream. Idem denuntiaverat angelus Annæ, unde et ambo Hierosolymam venerunt, mutuoque contulerunt, quæ utrique angelus locutus esset.

de Actis S. Annæ,

15 Ingressi templum laudarunt Dominum, et reversi sunt domum exspectantes consummationem promissionis divinæ. Imprægnata igitur Anna peperit Mariam, quo tempore doctores putant, Joachim virum fuisse annorum forte quadraginta quinque; Annam vero mulierem annorum triginta sex. Non multo post mortuo Joachim, alteri marito nupsit Anna, non utique ex lascivia carnis, sed Spiritus sancti instinctu, cui B nomen Cleophas. Anna ergo ex isto etiam concepit filiam, quam simili nomine cum priori Mariam vocavit. Ea jam adulta nupsit Alphæo. Quando autem placuit Deo, ut moreretur etiam Cleophas, adhuc tertium maritum accepit Salomam, ex quo filiam conceptam itidem prioris amore vocavit Mariam, quæ desponsata tandem est Zebedæo. Hinc sancta processit soboles: nati enim inde sunt apostoli Joannes et Jacobus major; ex illa vero Jacobus minor, Simon et Judas Thaddæus. Ceterum soror Annæ Ismeria peperit Elisabeth matrem Joannis Baptistæ. O stirpem nobilem! o gentem sanctam! o arborem bonam, quæ tot bonos fructus protulit! *Atque hæc est traditio illa, pro qua aliqui, tamquam pro aris et focis, nimis imprudenter decertabant.*

eamque acriter defendat

16 *Eckius in editione homiliarum proxime citata tom.* 3, *fol.* 285 *verso viros etiam catholicos, huic traditioni adversantes, carpit his verbis:* Adversus generalem hanc Ecclesiæ observationem quidam (quamvis statim sint consopiti) erexerunt se, rati parum honestum fuisse Annæ, ut ea ætate duos adhuc viros sibi sociarit, eo maxime, quod sine dubio filiæ suæ Mariæ sanctitatem cognovit, contenta inde existens ea unica, nec ullam aliam sobolem C concupiscens. Et cum nihil aperti habeat hoc Euangelium, temerario ausu præsumebant contra universalem Ecclesiam affirmare, Annam unum tantum habuisse maritum, et filiam unicam; Joannem et Jacobum non fuisse consobrinos Christi, et hujusmodi alia multa, quæ parum tutum est palam facere puris Christianorum mentibus: quoniam repugnat hic error Ecclesiæ, ipsique Scripturæ, et Patribus sanctis, qui uno omnes consensu per universum Christianismum semper tenuerunt hoc ita, ut diximus, jam inde ab ipsa Christi ascensione usque in hæc tempora. Atque iis non obstantibus, tres contradixerunt proterve, e quibus unus eam gratiam habuit, ut revocarit, regressus ad Ecclesiam Catholicam. *Deinde post allata opinionis suæ argumenta, quibus postea satisfacere conabimur, concionem suam fol.* 287 *sic concludit:* Cum itaque Ecclesia hæc ita commemorat, et decimo quinto die Maii festum recolat duarum Mariæ sororum, et filiarum Annæ, nullus Christianus hinc recidat *, novisque et inconstantibus doctrinis fidem præbeat adversus Ecclesiam. *At nos temerariam privati* D *hominis censuram parum curantes, ad licitum hujus traditionis examen progredimur.*

** forte recedat*

tamen opinio ejus de nominibus

17 *Imprimis quod ad* S. Annæ *parentes attinet, nomina eorum incerta esse arbitror: nam quos hæc traditio Stolonem et Emerentianam vocat, Hippolytus, apud Nicephorum Callistum lib.* 2, *hist. eccles. cap.* 3 *citatus, Mathan et Mariam appellat. In Breviaro Romano anni* 1536 *aliisque ante S. Pium Veditis legitur* Anna virginis Dei genitricis mater, Gaziri filia. *Apud Jacobum Philippum Bergomensem in Supplemento Chronicorum ad annum mundi* 5180 *pater* S. Annæ *vocatur Isachar, pro quo Isachare et Nasaphat conjugibus codicem Ms. bibliothecæ Lobkovitiæ allegat Silvester Steierus in Historia genealogica Christi, ut Jacobus Polius in Historia SS. Joachim et Annæ part.* 2, *quæst.* 2 *testatur. Franciscus Lucas Burgensis in cap.* 3 *Lucæ* ℣ 23 *suam in hac re sententiam ita exponit:* Ego malim intelligere, hunc Eli avum fuisse beatæ Mariæ, patrem Annæ. *Noster vero Cornelius a Lapide in commentariis ad cap.* 36 *Numerorum ita loquitur:* Mathat enim fuit pater, non Heli sive Joachim, E sed Annæ uxoris Joachim. *Alii denique patrem* S. Annæ *Isaacum nominant. Quis igitur in tanta opinionum varietate statim huic traditioni acquiescat?*

parentum,

18 *Hinc Lezana post relatam ex recentioribus quamdam revelationem, quæ perperam a sancto Cyrillo conscripta dicitur, in Annalibus Carmelitarum ad annum Mundi* 3976 *num.* 10 *ita fatetur:* Difficile etiam in ea revelatione videtur, quod de parentibus sanctæ Annæ, Stollano et Emerentiana dicitur, utpote aliis historicis contrarium, in quibus aliter appellantur. Sed neque hoc magni ponderis argumentum est: cum enim neque sacro Euangelio aut alia canonica Scriptura, Ecclesiæ definitione, traditione, Patrumve consensu aliquid de sanctæ Annæ parentibus habeatur, procul dubio nihil certi de illis eorumque nomine affirmari potest. Hinc in varias auctores distrahuntur sententias: quidam enim ex sancto Hippolyto martyre apud Nicephorum in ecclesiastica Historia lib. 2, cap. 3 volunt, sanctæ Annæ parentes vocatos Mathan et Mariam. Alii, matris nomine suppresso, Garizim *(fortasse* Gazirim *dicere voluit)* patrem ipsius vocant ex quadam historia, quam apocrypham asserit Torniellus sub anno 4037 num. 4. Alii vero ejusdem Annæ patrem Isaac appellant, F matris nomen non referentes: enim habebatur olim in antiquo Carmelitano Breviaro, anno 1495 Venetiis impresso, et ab Ordine rejecto. *Mirum sane est, hanc revelationem, ejusque primum narratorem Cyrillum tam sero Carmelitis innotuisse, ut tamdiu in Breviario suo aliud nomen legerint. At mihi non lubet in his tenebris frustra palpare, præsertim cum videri possint ea, quæ dicta sunt de hac re in Responsionibus ad art.* 15 § 8.

et de patria S. Annæ incerta esse ostenditur,

19 *Neque omnino certa sunt, quæ de Deiparæ parentum patria traduntur: Eckius enim affirmat, beatissimam virginem Mariam ex matre Bethleemitana et patre Nazarethano ortam esse. Contra noster Salmeron tomo* 1 *prolegomeno* 41 *dicit, Joachimum melius ab aliis credi Bethleemitanum. Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib.* 31, *cap.* 62 *ita scribit:* Porro ad decem leucas a Tyberiade sita est Nazareth Galilææ, et inde ad duas in via, quæ ducit ad Acon, sita est Sapharia *(alii rectius Sephonon appellant)* civitas Annæ matris beatæ virginis Mariæ.

AUCTORE G. C.

A Mariæ. *Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ eamdem urbem in tribu Zabulon loco* 88 *utrique sanctissimæ Virginis parenti patriam assignat his verbis :* Sephoris. . . . . urbs est opulenta et totius Galilææ maxima . . . . . natalis, ut putatur, locus beatorum Joachim atque Annæ, Deiparæ virginis parentum. *Huic opinioni consonat Bernardus a Breidenbach, decanus Moguntinus, in suo Hodœporico anni* 1486. *Nos hic traditionem Eckii, tamquam verosimiliorem, amplectimur, cum Fulbertus Carnotensis sermone* 2 *de nativitate beatæ Mariæ virginis in editione supra citata fol.* 137 *verso diserte sic asserat :* Nata est autem juxta relationem et scripturas sanctorum patrum in civitate Nazareth, patre, nomine Joachim, ex eadem urbe oriundo; matre vero, Anna nomine, oriunda ex civitate Bethleem. *Reliquam traditionis partem, quæ in asserenda* S. Annæ *trigamia potissimum versatur, in sequentes paragraphos rejecimus, quia nimis magni moliminis est hic eam simul discutere.*

et fanatica quædam aliorum sententia

B 20 *Sed antequam huic paragrapho finem imponamus, explodenda est heteroclita quorumdam opinio, qui putarunt,* S. Annam *sine viri conjunctione concepisse. Hoc paradoxum jam seculo* IV *refutarat S. Epiphanius, cujus verba superius num* 7 *dedimus. Auctor Menologii Græcorum, quod seculo* X *conscriptum, et tomo* 6 *Italiæ sacræ a col.* 1050 *Latine impressum est, quinto Idus Decembris col.* 1153 *idem commentum sic refellit :* Concepit igitur Anna Mariam et peperit, non ut quidam dicunt, septimestrem, aut sine viri opera; sed angelica quidem prædictione, exactis tamen novem mensibus, atque adeo ex viri conjunctione : solus enim Dominus noster et Deus Jesus Christus sine ulla commixtione aut femine modo quodam, illi soli noto, nobis autem ineffabili et inexplicabili, Virgine sancta natus est.

ex variis testimoniis refertur atque exploditur.

21 *Colligo, hoc veterum deliramentum tempore S. Bernardi ignotum aut omnimoda oblivione sepultum fuisse, cum mellifluus doctor epist.* 174 *ad canonicos Lugdunenses de conceptione sanctæ Mariæ post alia sic scribat :* Nisi forte quis dicat, de Spiritu sancto eam, et non de viro, conceptam fuisse. Sed id hactenus C inauditum. Lego denique, Spiritum sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente angelo : SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE. Et si licet loqui quod Ecclesia sentit (et verum ipsa sentit) dico, gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse. Dico, peperisse virginem, non autem et partam a virgine. Alioquin ubi erit prærogativa Matris Domini, qua singulariter creditur exultare et munere prolis et integritate carnis, si tantumdem dederis et Matri ipsius? *Pelbartus de Themeswar Minorita in Stellario coronæ gloriosissimæ Virginis lib.* 4, *part.* I, *art.* I *satis innuit, seculo* XV, *quo ipse vixit, ab idiotis quibusdam resuscitatum aut creditum fuisse antiquum istum errorem, quem ibidem rotunde rejicit his verbis :* Ipsa concepta est in utero sanctæ Annæ matris de viro, id est sancto Joachim, concubitu matrimoniali : et hoc non est verum, quod simplices putant, scilicet Annam concepisse per solum osculum Joachim. *Quamvis id majori istius ævi simplicitati, aut privatæ quorumdam idiotarum ignorantiæ adscribi possit, tamen satis mirari nequeo, post medium seculi* XVII, *quo critica eruditio maxime floruit, inventum fuisse hominem Italum, qui crassum hujusmodi figmentum renovaret. At cum is Romæ meritas temeritatis suæ pœnas dederit, non est operæ pretium fanaticam illius opinionem pluribus refellere. Eodem seculo etiam varii libelli, qui indiscretum* S. Annæ *cultum docebant, a sacra Indicis congregatione proscripti sunt, ut in indice librorum prohibitorum videri potest.*

§ III. Utrum S. Anna fuerit monogama, et Deipara illius unigenita.

Monogamia S. Annæ, de qua seculo XVI acriter disceptatum est,

Ante medium seculi XVI *inter Natalem Bedam et Jacobum Fabrum Stapulensem aliosque viros doctos maxime fervebat disputatio, utrum* S. Anna *unicum an triplex matrimonium contraxisset. Tanta autem vehementia disceptatum est, ut Joannes Bertaudus, aliique trigamiæ* E *defensores, contrariam sententiam, velut erroneam et communi Ecclesiæ traditioni ac sacræ Scripturæ adversantem notarent acribus censuris, quarum specimen supra ex Eckio dedimus. Invalescentibus interim variis hæresibus, hæc quæstio intermissa est, et theologi catholici arma sua in veros Ecclesiæ hostes utilius converterunt. Postea tamen scriptores aliqui eamdem controversiam renovarunt, eaque accuratius discussa, plerique unicum* S. Annæ *conjugium propugnarunt : hanc enim opinionem amplectuntur Aloysius Lipomanus episcopus Veronensis, Cornelius Jansenius Gandensis, Cæsar Baronius et Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinales; Alphonsus Salmeron, Petrus Canisius, Franciscus Suarezius Societatis nostræ theologi, aliique illustres auctores, quorum hic catalogum texere nil attinet : nolo etenim de scriptorum numero contendere; sed cum Salmerone nostro libenter fateor, sententiam de triplici* S. Annæ *conjugio vulgarem fuisse, et multorum auctorum suffragiis confirmari posse. Imo scio, Eugesippum quemdam seculo* XI *in tractatu de distantiis locorum Terræ sanctæ triplex hoc matrimonium asserere, ut videri potest apud Leonem Allatium in Symmictis pag.* 110. *Nihilominus Sanctæ nostræ mo-* F *nogamiam magis rationi ac veritati consentaneam existimo, ut jam quibusdam argumentis probare conabor.*

probatur ex ratione congrua,

23 *Primo non est verosimile, sanctissimam Matronam, quæ post diuturnam sterilitatem divino munere excellentissimam Virginem pepererat, tali filia talique viro Joachimo non fuisse contentam, sed post illius obitum duobus aliis nupsisse; præsertim cum sciret, Juditham in sacris Litteris laudari, quod mortuo marito ad secundas nuptias non transiisset. Cum igitur (utor ratiocinio Benedicti Pererii nostri in Prolegomenis ad Euangelium S. Joannis disput.* 3, *num.* 9) *apud Hebræos non solum esset licitum, sed etiam laudabile, defuncto primo marito, secundis nuptiis abstinere, non obscurum sane fuisset intemperantis animi argumentum, si Anna post primum matrimonium, ex quo præsertim talem tantamque prolem susceperat, affecta jam ætate, secundum conjugium atque etiam tertium expetivisset. Unde Fulbertus Carnotensis de ortu almæ virginis Mariæ in editione Parisiensi jam aliquoties laudata fol.* 141 *ita ad rem nostram loquitur :* Felix etiam, qui non plures, sed unam promeruit suscipere natam, quæ unicum conciperet

et

AUCTORE G. C.

et proferret Dei Filium. Nec enim decebat, ut hujus singularis Virginis sanctissimi progenitores fœdarentur plurimorum propagatione filiorum, qui erant futuri unicæ Matris Domini provisores et educatores egregii.

et nomine Salomes

24 *Deinde quis credat tribus* S. Annæ *filiabus idem nomen impositum fuisse, quod tradunt trigamiæ assertores, ut patet ex his vulgaribus versiculis, qui apud Gersonem cancellarium Parisiensem in sermone de nativitate Virginis ita referuntur :*

Anna tribus nupsit, Joachim, Cleophæ, Salomæque ;
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias,
Quas duxere Joseph, Alphæus, Zebedæusque.
Prima Jesum, Jacobum Joseph cum Simone Judam
Altera dat, Jacobum dat tertia datque Joannem.

Quis, inquam, credat, tres istas Annæ *filias eodem Mariæ nomine fuisse appellatas, cum potius parentes soleant nominum diversitate proles a se progenitas distinguere ac internoscere ? His ad-*
B *de, falsum esse, quod una ex istis filiabus a patre suo traxerit cognomen Salomæ : nam Marci* 15 ℣ 40 *ita legitur :* ἦσαν δὲ καὶ γυναῖκες ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι· ἐν αἷς ἦν Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, καὶ Σαλώμη. *Id est juxta Vulgatæ interpretationem :* Erant autem et mulieres de longe aspicientes : inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salome. *Eodem modo Marci* 16 ℣ I *nomen Salome exprimitur. Vides, hanc mulierem non cognominari Salomæ sive* ἡ τοῦ Σαλώμου, *sed simpliciter in nominativo vocari* Σαλώμη, *quod est nomen feminæ, ut noster Salmeron tomo* 4 *commentariorum part.* 2, *tract.* II *variis exemplis ostendit.*

et Joachimi ac Annæ senectute,

25 *Præterea sic argumentor ad hominem, ut vulgo dici consuevit. Docet traditio, quam Eckius tantopere extollit,* S. Annam *circiter viginti annis in matrimonio sterilem vixisse, post quos Deiparam peperit ;* quo tempore doctores putant, *inquit Eckius,* Joachim virum fuisse annorum forte quadraginta quinque, Annam vero mulierem annorum triginta sex. *At quinam doctores id putant ? Recentiores an antiqui ? Certe id putare non potuit S. Gregorius Nyssenus, cu-*
C *jus verba num.* 5 *attuli : is enim diserte affirmat, patrem Deiparæ sine prole* ad senectutem *pervenisse. An vir quadraginta quinque annorum solet senex appellari ? Cum igitur ex Gregorio Nysseno constet, recentiorem traditionem a vera Joachimi ætate aberrasse, cur in figendis* S. Annæ *annis ei credemus ? Ex hac Joachimi senectute potius conjicimus, ætatem* S. Annæ *aliquo modo ad illius annos proportionatam fuisse. Ut itaque cum Eckio agamus liberaliter, gratis demus, Joachimum nondum sexagesimum ætatis annum attigisse, quando Deiparam genuit. Ad hæc concedamus,* S. Annam *tantummodo quadragenariam fuisse, quando post viginti sterilitatis annos hanc beatissimam Virginem enixa est. His positis, peto ab Eckio, unde noverit, Joachimum tam cito obiisse, dum interim varii Patres supponunt, illum oblationi seu præsentationi filiæ suæ triennis interfuisse. Unde scit,* S. Annam *post ejus obitum statim alteri viro nupsisse, et ex eo filiam concepisse ? Unde denique novit, secundum istum maritum tam brevi tempore vixisse, ut Anna ad tertias nuptias transiens proli suscipiendæ apta fuerit ? Nonne hæc omnia sine* testibus, *sine tabulis excogitata sunt ad trigamiam* S. Annæ *defendendam ?* D

quam Ildephonsus Toletanus

26 *Quid si dixero,* S. Annam *etiam provectioris ætatis fuisse, quando beatissimam Dei Genitricem peperit ? Sane id innuit S. Ildephonsus, archiepiscopus Toletanus, dum in sermone de nativitate sanctissimæ Virginis Mariæ apud Combefisium tomo* 8 *Bibliothecæ concionatoriæ pag.* 46 *ita loquitur :* De Anna sterili et patre jam sene extra consuetudinem mulierum post refrigrescentem calorem, et omnem amorum libidinis discessum, mundo corde et corpore ab omni pollutione racnali orta est. *Cur, obsecro,* extra consuetudinem mulierum est post refrigescentem calorem, *si Anna quadragenaria pepererit ? Adeone mirum est, mulierem quadragenariam (præcipue si divinitus ablata sit sterilitas) ex viro sexagenario prolem suscipere? Quare existimo, S. Ildephonsum voluisse significare senectutem amborum conjugum, de quibus Nicephorus Callistus lib.* I *Hist. eccles. cap.* 7 *sic rotunde pronuntiat :* E
Vitam autem ad senectutem sine prole edita produxerant. *Fateor, Nicephorum hic non esse magni ponderis, cum de rebus ab ætate sua tam remotis testatur. At saltem testimonium S. Ildephonsi, qui medio seculo* VII *claruit, populari traditioni præferendum est.*

et Photius Constantinopolitanus indicant.

27 *Clarius id ipsum indicat Photius patriarcha Constantinopolitanus, qui seculo* IX *multa veterum scripta evolverat, dum in oratione, quæ apud Combefisium in novo auctario Græcorum Patrum tomo* I *a col.* 1583 *Græco Latine legi potest, miram sanctissimæ Virginis Mariæ nativitatem ita prædicat :* Procedit Virgo abs sterilibus lumbis, tum, cum, iis etiam fœcundis, partus mirabilis ac insolitus foret. O rem mirabilem ! cum defecisset sementis tempus, tunc editionis fructus opportunitas advenit. Ubi cupiditatis ignis exstinctus esset, tunc fœcunditatis fax accensa est. Juventus non protulit florem, germenque senectus edit. Vegeti uteri tumor ignotus fuit, effœtique ventris Virgo perpetua infans nascitur partus. *Deinde rhetorica more has increduli cujuspiam objectiones sibi fieri fingit :* Quomodo arentia ubera in lactis fontes acuuntur ? Siquidem enim senectus sanguinis thesauros nescit recondere, quomodo quod mammæ non acceperunt, in lactis dealbant speciem ? Qui vero etiam vulva emortua maturam vivamque prolem edit, eamque ipsa continet et alit ? *Hisce autem ora-* F
tor per interrogationes ita respondet : At quomodo aut ubi tibi excidit Sara ? Nonne enim illa senectutis ac sterilitatis dispendiis editam prolem Isaac vidit ? Siquidem Anna animum tibi confundit ac turbat, potiori jure Sara, quando etiam prior. *Neque hic Photio obesse debet schisma, quod excitavit : nam de hac re inter Latinos et Græcos nulla erat controversia.*

Sententia nostra ex chronologia

28 *Nunc demum juvat videre, utrum ista recentiorum traditio non repugnet chronologiæ, cujus in materia historica potissimum ratio habenda est. Asserit autem Eckius ex hac vulgari traditione, quam paragrapho præcedenti retulimus, Jacobum Minorem Hierosolymitanum episcopum, qui communiter frater Domini nominatur, ex secunda* Annæ *filia natum esse. In hac igitur hypothesi oportet, ipsum Christo juniorem fuisse, cum Deipara juxta communem sententiam decimo quinto ætatis suæ anno Christum pepererit, quo tempore soror illius, aliquot annis junior,*

A *junior, nondum apta fuisset ad prolem concipiendam. At minor illa Jacobi ætas aperte contradicit S. Epiphanio, qui hæresi* 58 *alias* 78 *in Græco-Latina Petavii editione num.* 14 *affirmat, Jacobum istum e superiori templi Hierosolymitani loco præcipitatum fuisse,* annis post ascensionem Domini plus minus viginti quatuor exactis, cum ipse sextum et nonagesimum ætatis agerit. *Epiphanius hic quidem ait, Jacobum fuisse filium Josephi ; sed ea opinio adversariis non favet, et ab interpretibus sacræ Scripturæ jam passim rejicitur. Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis cap.* 2 *putat, Jacobum fratrem Domini fuisse filium Mariæ sororis Deiparæ (quo sensu hæc soror vocetur, postea explicabimus) et episcopatus ejus tempus ac mortis annum accuratius determinat his verbis :* Triginta itaque annos Hierosolymis rexit ecclesiam, id est usque ad septimum Neronis annum, *qui respondet anno æræ Christianæ sexagesimo. Ex his ergo facile colligimus, Jacobum Christo seniorem fuisse. Idem*
B *argumentum formari potest de ceteris, qui fratres Domini appellantur.*

confirmatur :

29 *Alphonsus Salmeron tomo* 4 *Commentariorum part.* 2 *tract.* II *contra trigamiæ defensores de his Christi fratribus ita disserit :* Quarto evincitur, hanc historiam veritati non esse consonam. Eo posito, quod tertio nupserit Anna, certe ante Mariam Cleophæ et Salomen Maria Virgo et nata et nupta fuisset ; et ante peperisset Maria, quia primis diebus suæ desponsationis concepit filium Dei in ætate constituta quatuordecim annorum, ut communiter traditur, et vox ipsa ALMA significat. Sequitur, filios Mariæ Cleophæ et Mariæ Zebedæi longe fuisse Christo ætate juniores, cum eorum matres secundo et tertio matrimonio genitæ fuerint ab Anna, quæ si viduitatis lectum verecundius servavit, ut decet sanctas et honestas feminas, quæ saltem per annum plus minus a novo conjugio abstinere solent, et Joachim triennio post editam Virginem et in templo præsentatam adhuc vivebat, profecto recte rationem ducendo eliciet, apostolos, fratres Christi dictos, ac filios Zebedæi, juvenculos fuisse, et vix vigesimum quintum annum attigisse. Ab-
C surdum autem videtur, divinam sapientiam apostolatus gradum pene pueris communicasse. *Vides ergo ex dictis, hæc non satis apte temporibus suis divisa esse, et cum probabili chronologia componi non posse.*

et ex Fulberto Carnotensi, aliisque rationibus,

30 *Aliqui, his argumentis convicti, negant quidem triplex* S. Annæ *conjugium, sed ei plures ex Joachimo filias concedendas arbitrantur. Verum neque illa nobis placet opinio, quia contradicit Fulberto Carnotensi, supra citato, aliisque, qui Deiparam unigenitam parentum suorum filiam fuisse affirmant. Deinde non est mos parentum, ut duas filias vel duos filios eodem penitus nomine appellent, sicut etiam supra meminimus. Si igitur quædam Maria, in Euangeliis memorata, fuisset Deiparæ soror uterina, sane non Maria, sed alio nomine insignita fuisset, ut a Maria Dei Genitrice distingueretur. Præterea in dubiis hujusmodi quæstionibus id tenendum est, quod ad Deiparæ gloriam maxime pertinet. Cum ergo nulla antiqua historia expresse tradat, Joachimum duas aut plures ex Anna genuisse filias, id tuemur, quod beatissimæ virginis Mariæ dignitati magis videtur convenire. Quæ autem ex Euangelio contra opinionem nostram afferuntur, commode explicari possunt, ut ex paragrapho sequenti apparebit.*

AUCTORE G. C.

ac Isidoro Thessalonicensi Deiparæ unigenitam fuisse ostenditur.

31 *Quapropter concludo hunc paragraphum verbis Isidori archiepiscopi Thessalonicensis, quæ apud Hippolytum Marraccium in Mariali istius præsulis pag.* 18 *ex Græco Latine reddita sic sonant :* Edita porro hac lucidissima divinaque imagine, desiit quoque Anna liberos parere. Non enim opus habebat hæc mater, ut alia proles adderetur, tamquam suppletura, quod promogenito deesset : nam ea, quæ nata fuit, cunctis pollebat virtutibus. Similem vero purissimæ non poterat parere. Quod si et secundam peperisset, dubitari de ea potuisset, utrius puellæ esset mater : fieri quippe non poterat, alium fœtum prope accedere ad Virginis virtutes : nam ex eo magnum pateretur damnum gloriæ, quam modo habet ex unigena. Sed nec homines, nec angeli, nec alia creatura optabat, ut secunda proles e tam pulcripara matre nasceretur. Satis E enim fuit magnipotens et natura sublimior puella unica ad decorem universæ creaturæ. In ipsa enim sunt, ut loquar juxta eximium Paulum, omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Idcirco Anna prudenter de edendo alio fœtu deinceps nihil curavit. *Jam positis sententiæ nostræ fundamentis, argumenta adversariorum expendamus, eaque solvere nitamur.*

§ IV. Respondetur difficultatibus, quæ contra monogamiam S. Annæ proponuntur.

Verba Euangelii, opinioni nostræ objecta, ex Theophylacto.

Adversarii præcipuum argumentum desumunt ex Euangelio S. Joannis, ubi cap. 19 ℣ 25 *hæc leguntur :* Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ. *Eckius in præfata homilia post allegata hæc Euangelistæ verba sic defensoribus monogamiæ insultat :* Ecce, quod Maria sororem habuit : quid est ergo quod somniant isti, Annam unicam tantum habuisse filiam ? *At bona verba, quæso. Audi, quomodo celebres sacræ Scripturæ interpretes hunc S. Joannis textum explicent. Inter alios Theophylactus, qui seculo* XI *fuit Acridæ in Bulgaria* F *archiepiscopus, in hunc locum ita scribit :* Quomodo autem soror matris ejus dicitur Maria Cleophæ, cum Joachim non habuerit aliam prolem ? Cleophas frater fuit Joseph, et cum absque libris mortuus esset Cleophas (ut quidam dicunt) Joseph ejus uxorem duxit, et proles fratri peperit, quarum una et nunc commemoratur Maria, quæ soror dicitur Deiparæ, hoc est cognata : solet enim Scriptura cognatos dicere fratres, sicut et Isaac de Rebecca dicebat ; soror mea est, quamvis uxor esset. Ita et hoc loco soror Deiparæ dicitur, quæ Cleophæ filia habita est propter cognationem. *Hæc explicatio opinioni nostræ quidem favet ; sed displicet, in quantum lædit S. Josephi virginitatem, quam die* XIX *Martii in Actis ejus defendimus.*

Euthymio.

33 *Audi igitur Euthymium, qui circa initium seculi duodecimi, intacta S. Josephi virginitate, eumdem Euangelistæ textum ita interpretatur :* Atqui unigenita erat Dei mater : verum Joseph et Cleophas fratres erant. Moris autem erat apud Hebræos, fratrum quoque

que uxores appellare sorores propter virorum fraternitatem. Itaque eam, quæ pariter cum ea uxor erat, sororem nominavit. Sed Joseph quidem et Cleophas viri earum natura fratres erant; ipsæ autem eorum uxores affinitate sorores. *Hæc Josephi et Cleophæ fraternitas non gratis ab Euthymio asseritur : nam apud Eusebium lib.* 3 *Hist. eccles. cap.* II Cleopam fratrem fuisse Josephi testatur Hegesippus, *qui juxta Hieronymum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis cap.* 22 *vixit* vicinus apostolicorum temporum. *Porro nomen sororis non semper stricte accipiendum esse, patet ex capite* 6 *Marci, ubi etiam Christi sorores nominantur, pro quibus necessario cognatæ aut affines sunt intelligendæ.*

Augustino

34 *Idem dictum velim de iis, qui Christi fratres appellantur; de qua promiscua appellatione S. Augustinus in libro de quæstionibus in Matthæum quæst.* 17 *ita testatur :* Fratres apud Judæos dici solere cognatos, usque adeo probatur, ut non solum ex propinquo generationis gradu, sicut sunt filii fratrum et sororum, qui etiam apud nos usitatissime fratres dicun-
B tur; sed etiam avunculus et sororis filius, sicut sibi erant Jacob et Laban, fratres appellati inveniantur. Non ergo mirum est, dictos esse fratres Domini ex materno genere quoscumque cognatos, cum etiam ex cognatione Joseph dici potuerint fratres ejus ab eis, qui illum patrem Domini esse arbitrabantur. *Non esse necesse hic operose inquirere, quo cognationis aut affinitatis gradu dicti fratres aut sorores Christum attigerint, aut attingere existimati fuerint, cum de ea re fuse egerint Salmeron tom.* 5, *part.* 2, *tract.* II, *Suarez tomo* 2 *in tertiam partem divi Thomæ disput.* 5, *sect.* 4 *aliique theologi et interpretes, qui monogamiam* S. Annæ *strenue propugnant : quocumque enim modo illa cognatio aut affinitas explicetur, nobis sufficit, eam sine duplici aut triplici* S. Annæ *matrimonio posse consistere.*

et Bellarmino commode explicantur,

35 *Juvat hic audire eminentissimum Bellarminum, qui in opusculo de septem verbis a Christo in cruce prolatis lib.* I, *cap.* 8 *sententiam nostram solide confirmat, et simul objectum Euangelii textum ita erudite explicat :* Ex tribus mulieribus, quæ cruci Domini adsta-
C bant, duæ notissimæ sunt, Maria mater Domini et Maria Magdalene. De Maria Cleophæ nonnulla quæstio est : vulgo enim fertur, Mariam Cleophæ fuisse germanam sororem beatæ Virginis Deiparæ, ex Anna matre procreatam, quibus addunt et tertiam sororem, Mariam Salome. Sed hæc opinio penitus explodenda est : nam neque credibile est, tres sorores eodem nomine appellatas fuisse, et satis constans eruditorum et piorum sententia est, beatam Annam solius virginis Mariæ matrem fuisse. Neque ulla est Maria Salome in Euangeliis : ubi enim scribit sanctus Marcus, MARIA MAGDALENE ET MARIA JACOBI et SALOME EMERUNT AROMATA; vox SALOME non est casus secundi, quasi significet Mariam Salomæ, ut paulo ante dixit Mariam Jacobi; sed est casus primi, et est generis femini, ut manifestum est ex Græco textu Σαλώμη. Denique Salome uxor erat Zebedæi et mater Jacobi et Joannis apostolorum, ut intelligi potest ex S. Matthæo cap. 27 et Marco cap. 15, sicut Maria Jacobi sive Cleophæ erat uxor Cleophæ et mater Jacobi minoris et Judæ Thaddæi. Vero igitur sententia est, Mariam Cleophæ appellatam fuisse sororem virginis Deiparæ, quia Cleophas frater erat sancti Josephi D
sponsi virginis Mariæ : conjuges enim duorum fratrum recte dici possunt inter se sorores. Qua ratione etiam Jacobus minor dictus est frater Domini, consobrinus videlicet, quia erat filius Cleophæ, fratris, ut diximus, Josephi. Hanc historiam scribit Eusebius Cæsariensis in Historia ecclesiastica, et adducit fidelem auctorem Egesippum, qui tempora Apostolorum attigit. *Hoc modo opinio nostra cum sacra Scriptura facile conciliatur.*

et adversariis relinquitur Glossa, quæ tamen S. Ambrosium pro trigamia perperam citat.

36 *Deinde nobis opponitur Glossa ordinaria, quæ in verba Apostoli cap.* I *ad Galatas* ℣ 19 *hæc habet :* Sciendum est, quod Maria mater Domini Joachim et Annæ filia fuit, quæ nupsit Joseph, et ita Joseph fuit putativus pater Christi. Mortuo autem Joachim, Cleophas frater Joseph eamdem Annam accepit uxorem, et genuit ex ea filiam, quam vocavit Mariam, quæ nupsit Alphæo qui genuit ex ea filios, scilicet Jacobum, Joseph, Simonem et Judam. Mortuo autem Cleopha, quidam Salome eamdem Annam duxit, et generavit ex ea filiam, nomine Mariam, quæ nupsit Zebedæo, et habuit ex ea filios, scilicet Jacobum, qui dictus major, et Joannem Euangelistam. Tres ergo viros Anna habuit, E
et tres filias. *Glossa initio citat Ambrosium, tamquam hujus opinionis assertorem; sed Barradius noster tomo* 1 *Commentariorum in concordiam et historiam euangelicam lib.* 6, *cap.* 15, *pag.* 332 *rotunde sic pronuntiat :* a Glossa ordinaria, quam citavimus, videtur hæc opinio nata. Ambrosii nomen præfert; at apud Ambrosium nusquam reperitur : Ambrosius enim in alia est opinione : ad Galatas primo aperte asserit, Jacobum et ceteros, fratres Domini dici, quod fuerint filii Joseph. *Verum cum Cardinalis Bellarminus in libro de scriptoribus ecclesiasticis ostendat, Commentarios in epistolas Pauli a multis non sine causa Ambrosio abjudicari, aliunde hæc ejus sententia eruenda est. Videtur autem sanctus doctor in libro de institutione virginis cap.* 6 *illam indicare his verbis :* Potuerunt autem et fratres esse ex Joseph, non ex Maria. *Imo Lorinus noster in Commentario ad caput* I *Actuum Apostolorum citat Ambrosium, quasi in libro de viduis asserat,* Annam, *Christi aviam monogamam fuisse. Sed suspicor, virum polygraphum similitudine nominis deceptum fuisse : lecto enim toto isto libro, invenire tantummodo potui, id de Anna, Phanuelis filia, aliisque viduis affirmari, et nusquam de* S. Anna *nostra mentionem fieri deprehendi.* F

Textus S. Hieronymi exponitur

37 *Præterea nobis objicitur auctoritas S. Hieronymi, qui variis locis Mariam Cleophæ vocat materteram Domini, ejusque filios appellat Christi consobrinos : nam in Commentariis ad caput* 12 *Matthæi sic scribit :* Quidam fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et quamdam Melcham vel Escham mulierculam confingentes. Nos autem sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi minoris et Joseph et Judæ, quos in alio Euangelii loco fratres Domini legimus appellatos : fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat. *At quomodo adversarii probabunt, hinc nomina materteræ et consobrinorum stricte intelligenda esse? Nonne Hieronymus loqui potuit juxta vulgarem usum, quo affines uxorem patrui sui materteram*

aut

A *aut amitam improprie vocant, sicut etiam duorum fratrum uxores gratiori sororis nomine invicem compellant? Nonne cognati in remotiori consanguinitatis gradu sese consobrinos nominant? Certe id indicavit S. Augustinus, dum per fratres Domini, quos adversarii stricte Christi consobrinos dici volunt, quoslibet Deiparæ cognatos intelligit : nam tractatu* 10 *in Joannem de Christi consanguineis disserens ita interrogat :* Unde ergo fratres? *Sic vero respondet :* Cognati Mariæ fratres Domini, de quolibet gradu cognati. *Quid si Hieronymus imitari voluerit phrasin sacræ Scripturæ, quæ Christi cognationem, tunc vulgo existimatam, sæpe exprimit? Sic ipsa Deipara cap.* 2 *Lucæ* ℣ 48 *filio suo dicit :* Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. *Sic etiam Paulus ad Galatas cap.* I ℣ 19 *Jacobum appellat* fratrem Domini, *quamvis sciret, hanc vocem in stricta significatione accipi non posse. Unde S. Chrysostomus in hunc Apostoli locum ita scribit :* Neque enim appellavit eum Jacobum Cleopæ, ut B dicebam, sed quomodo? Fratrem Domini. Atqui nec frater erat Domini juxta carnem, sed esse putabatur. Attamen ne id quidem avertit Paulum, quo minus adderet viro dignitatis titulum. *Non ergo mirum est, si Hieronymus juxta communem loquendi modum Mariam Cleophæ vocaverit Deiparæ sororem, et consequenter Christi materteram, quia nupta erat Cleophæ, quem Hegesippus Josephi fratrem fuisse testatur. Consequenter etiam filios istius Mariæ improprio consobrinorum nomine appellavit.*

juxta mentem Suarezii et Barradii,

38 *Respondeo itaque cum Suarezio nostro in Commentariis et disputationibus ad tertiam partem sancti Thomæ tomo* 2, *disp.* 5, *sect.* 4 *hoc modo :* Nec divus Hieronymus, nec ullus ex antiquis Patribus historiam hanc de triplici Maria, tribusque filiabus Annæ docuit : nam Hieronymus cum aliis antiquis supra citatis solum Mariam Cleophæ dicunt esse sororem Virginis, quod etiam dicit Euangelium; alterius autem sororis non meminerunt, sicut neque Euangelium. Quo modo autem illa fuerit soror, non explicant. Non est autem necesse, fuisse sororem naturalem in primo gradu : nam sicut supra dicebamus, consobrinos vel consanguineos vocari fratres in Scriptura, ita feminæ vo- C cantur sorores propter aliquem consanguinitatis gradum. *Supra autem dixerat, hos fratres Domini solum ita appellatos fuisse propter aliquam consanguinitatem veram vel existimatam, quam cum Christo Domino secundum carnem habuerunt. Consentit Berradius tomo proxime citato pag.* 334, *ubi ita disserit :* Dicimus, fratres Domini appellari, non filios sororum Deiparæ, sed cognatos, quos multos habebat, tam veros ex Virgine matre, quam existimatos ex Josepho : quemadmodum enim Josephus pater Christi esse existimabatur, ita cognati Josephi, Christi quoque cognati esse credebantur. *Hæc sufficiant ad exponenda verba S. Hieronymi, a quo cum reverentia recederemus, si nullo modo posset explicari.*

et respondetur supposititiæ S. Ignatii martyris epistolæ

39 *Denique Eckius opinioni nostræ opponit sanctum episcopum et martyrem Ignatium, qui in epistola quadam ad S. Joannem Euangelistam inter alia sic scribere dicitur :* Sed et Salome, quam diligis, filia Annæ, Hierosolymis quinque mensibus apud eam commorans, et quidam alii noti referunt, eam *(nempe Deiparam)* omnium gratiarum abundam *etc. Omnino debile est istud adversariorum argumentum, quamvis Eckius post illud, tamquam parta victoria, ita triumphet :* En hic testimonium tibi certum, unde constat, Salomen fuisse filiam Annæ. *At sequentibus responsionibus ostendam, hoc testimonium non esse tam certum, quam Eckius putaverit. Imprimis Eusebius et Hieronymus, qui epistolas Ignatii enumerant, hujus epistolæ non meminerunt. Præterea Baronius, Bellarminus, aliique viri eruditi passim illam epistolam S. Ignatio abjudicant, tum quod in codicibus Græcis non exstet, tum quod grave ejus eloquium non redoleat. Hisce ego addo, non esse verosimile, quod ab Ignatio in litteris ad Joannem, Salome appellata fuisset* filia Annæ, *cum illa Salome juxta ipsos adversarios fuerit mater Joannis Euangelistæ. Quid hic igitur ad rem* filia Annæ? *Scripsisset illi plane, ut loqui solemus :* Mater tua Hierosolymis quinque *etc. Ut quid hac circuitione opus erat? An putabat, Joannem nomen aviæ suæ ignorare? Denique videntur adversarii nomen Salome, quod antea viro adscripserant, jam hic mulieri tribuere. Quod si forte dicant, eam a patre Saloma* E *sic nominari, oppono illis Euangelium supra citatum, in quo nomen Salome Græce* Σαλώμη *non in genitivo, ut grammatici loquuntur, sed in nominativo legitur. Oppono illis etiam Origenem, qui tractatu* 35 *in Matthæum nomen matris Joannis et Jacobi Majoris ex collatis duorum Euangeliorum textibus recte eruit, et a quo mater illorum simpliciter* Salome, *id est* pacifica *appellatur, ut ad diem* XXV *Julii in Commentario historico de S. Jacobo part.* I § 2, *num.* 12 *diximus.*

quæ nihil contra nos evinceret, etsi esset genuina.

40 *Licet gratis daremus, hanc epistolam S. Ignatio adscribendam esse, necdum tam certum esset hoc testimonium, quam Eckius jactet : nam periodus illa, quam adversarii numero præcedenti nobis objecerunt, in quibusdam codicibus ita legitur :* Sed et Salome, quam diligis, filia anno Hierosolymis et quinque mensibus apud eam commorans, et quidam alii noti referunt *etc. Salmeron noster tomo* 4 *Commentariorum part.* 2, *tract.* II *asserit, hanc lectionem esse sinceriorem. De variantibus hujus loci lectionibus videri potest editio Coteleriana Sanctorum Patrum, qui tem-* F *poribus apostolicis floruerunt, prout Antverpiæ anno* 1698 *cum notis aliorum impressa dicitur, tomo* 2, *pag.* 126. *Quinimo etiamsi lectio esset genuina, quam adversarii citant, nihil adhuc certi evinceret, cum nomen* Annæ *et Salomes pluribus mulieribus fuerit commune, ut ex ipsis sacris Litteris et Flavio Josepho colligitur. Unde Laurentius Cuperus, Carmelitarum per Germaniam inferiorem provincialis, in Genealogia et Vita beatæ* Annæ *cap.* 12 *eumdem nodum solvit hoc modo :* Hoc argumentum facile dilui potest, si respondeatur, multas fuisse mulieres, quæ Annæ nomen habebant, et multas filias, quæ Salomæ vocabantur : neque ex horum verborum antecedentibus aut consequentibus aliisque circumstantiis ostendi potest, Ignatium hic loqui de beata Anna, Dei Genitricis matre, præsertim cum illa Salome uxor Zebedæi, non dumtaxat quinque mensibus, ut peregrina, sed multis annis, ut familiaris et civis Hierosolymitana, Mariam virginem et matrem ejus Annam viderit, utpote de sepultura Domini solicita. *Non est operæ pretium discutere alias cavillationes, quæ ex levibus ratiunculis aut supposititiis sanctorum Patrum operibus proferuntur.*

41 *Non*

AUCTORE G. C.

Revelatio in Actis B. Coletæ relata.

41 *Non possum tamen, quin in gratiam adversariorum hic commemorem argumentum, quod Eckius videtur ignorasse, et quod ex Vita B. Coletæ, quam in Actis nostris ad diem* VI *Martii illustravimus, formari potest: ibi enim tomo* I *Martii pag.* 556 *de hac beata moniale narrantur sequentia*: Recurrebat in arduis sibi occurrentibus negotiis in suis orationibus devotis ad Sanctos Dei, singulariter qui virginitatem observaverant: propter quod minus recurrebat vel nihil pro subsidio postulando ad beatam Annam, sanctæ Mariæ genitricem. Propter quod in oratione ferventi coram Deo semel apparuit ei Anna sanctissima prædicta cum ornatu glorioso secum ducens honorifice suam totam progeniem nobilem et gloriosam, videlicet tres dignissimas filias, cum filiis suis valde generosis; quarum prima fuit excellentissima sacratissimaque Mater Christi virgo Maria.... Secunda subsequens filia sancta Maria Jacobi tenens manibus B quatuor filios gloriosos, videlicet Jacobum minorem, Simonem et Judam, et Joseph justum. Tertia vero fuit Maria Salome, manu tenens similiter suos genitos gloriosos, scilicet S. Jacobum Majorem et Joannem Euangelistam. Et in hac apparitione dicta gloriosa, videlicet Anna sanctissima, manifestavit ei, quod quamvis pluries exstiterit matrimonio copulata, nihilominus tamen universalis Ecclesia militans et triumphans per suam insignem progeniem adornata fuit et celebriter honorata. *Laurentius Portellus, Minorita Lusitanus, in Responsionibus Moralibus casu* 63 *tomo* 2, *pag.* 536 *sese hac difficultate expedire nititur his verbis*: Hanc, inquam, historiam seu revelationem ego populo non prædicarem, tum quia illa in libris nostræ Religionis non contineatur, cum in Chronicis Ordinis tertia parte ejus Collectæ *(voluit dicere Coletæ)* vita exactissime referatur; tum quia si verum est, quod supra diximus ex tot doctoribus et claris conjecturis, hæc historia de triplici matrimonio beatæ Annæ falsa est, ut vidimus.

quam etiam Waddingus Annalibus Minorum inseruit,

42 *At hæc responsio non satisfacit: quamvis enim in Chronico aliisve libris Ordinis, quos Portellus vidit, hæc historia non contineatur, tamen in Actis ab ipso B. Coletæ confessario* C *conscriptis, leguntur ea, quæ numero præcedenti protulimus. Imo Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1046 *num.* 23 *eamdem revelationem clare ita narrat*: In reformationis supradictæ exordio sæpe invocabat Sanctos, cum ardua negotia inciderent; eos autem præcipue implorabat, qui virgines fuissent. Ad sanctissimam matrem Annam eo nomine vix umquam confugiebat, quod tres subinde habuisse maritos legatur. Sed ea sanctissima matrona ei quandoque ferventer oranti apparuit, insigni ornatu prædita, ducens secum honorifice totam sobolem suam, puta tres eximias filias suas, et earum filios cum primis generosos: e quibus prima fuit beatissima Christi Parens, regina cælorum et domina angelorum, creaturarumque omnium, manu tenens dulcissimum filium suum, mundi redemptorem, Christum Jesum; altera fuit Maria Jacobi, secum ducens quatuor illos filios, Jacobum Minorem, Simonem, Judam, et Joseph justum; tertia Maria Salome habens apud se duos clarissimos filios, Jacobum Majorem et Joannem Euangelistam. Ait autem ad Coletam beatissima Anna: ETSI EGO TRIBUS NUPSI VIRIS, ATTAMEN ET TRIUMPHANS ET MILITANS ECCLESIA EX MEA PROGENIE MAXIMIS EST AUCTA ORNAMENTIS. D *Ex his patet, totam argumenti vim a Portello non satis infringi, cum prima responsionis ejus pars falso supposito nitatur.*

sententiam nostram de monogamia S. Annæ

43 *Quomodo igitur, inquies, hæc revelatio cum monogamia* S. Annæ *componi potest? Dicam, quod sentio. Propter confessarii istius auctoritatem admitto,* S. Annam *beatæ Coletæ apparuisse; sed omnibus illius apparitionis adjunctis fidem adhibendam esse non censeo. Forte B. Coleta confessario suo dixerit, præcipue a se invocari consuevisse Sanctos, qui virginitatem servassent, ac idcirco* S. Annam *neglectam fuisse, quæ postea cum gloriosa sua progenie apparens cultum suum commendaverit. Id omnino verum est, etsi* S. Anna *dumtaxat apparuerit cum beatissima Virgine Maria et Christo, quæ erat utique gloriosa illius progenies. At fortasse confessarius id juxta vulgarem istius temporis opinionem intellexerit, atque ita in conscribendis B. Coletæ Actis plures filias* S. Annæ *tribuerit.* E

non evertit.

44 *Si hæc explicatio non placeat, et plane contendas, istam apparitionis narrationem cum omnibus circumstantiis admittendam esse, non magnopere refragabor; sed tunc sequar sententiam Papebrochii nostri, qui in Responsionibus ad articulum* XX *num.* 8 *de hac ipsa materia sic disserit*: Quinimo in Vita S. Coletæ VI Martii num. 68 observasse memini, Deum humanæ curiositatis inutilia scrutinia declinantem, quandoque natos ex eis errores tollere, nisi quatenus forte incommodant potiori, quod a sic errantibus requirit, bono: cum enim illa, eorum qui virginitatem coluerant Sanctorum amantior, sanctam Annam Deiparæ matrem vix aut numquam invocaret, quod pluribus successive viris nupsisse crederet, talem opinionem non modo non exemit Deus, sed permittendo ut illi appareret S. Anna in glorioso comitatu earum, quas ex priori marito filias fuisse multi præsertim ex Franciscanis docebant, satis habuit eam ad ipsius, quam coli volebat, venerationem incitare ejusmodi visione; etsi id Coleta aliter posset accipere, sicut de facto accepit, dedocta quidem errorem suum, quatenus F devotioni oberat, in eodem tamen, quatenus ad bonum animæ erat indifferens, potius confirmata. *Imo de similibus etiam sanctarum mulierem visionibus, nonnumquam sibi repugnantibus, cum Papebrochio ibidem num.* I *concludam*, in talibus nihil esse præsidii ad quæstiones pure historicas, seu sacræ illæ seu profanæ sint, prudenter dirimendas; proinde nihil ipsis Sanctis detrahi, cum talium veritas, citra ullum ad illas respectum, vocatur in controversiam, aliunde probanda vel infirmanda. *Jam adversariorum objectionibus abunde satisfactum arbitror.*

§ V. Sanctæ cultus in Oriente.

Antiquus S. Annæ cultus in Oriente

Haud dubie Christiani Orientis primis Ecclesiæ seculis sanctam Deiparæ Matrem venerati sunt, cum Hierosolymis in illius honorem ab immemorabili tempore constructa sint templa et sacella, quæ peregrinis Terram sanctam visitantibus ostendi solent, uti Joannes Cotovicus pag. 261, *et princeps Radzivilus pag.* 60, *aliique in suis Itinerariis passim referunt. Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ lib.* 4 *peregrinat.*

AUCTORE G. C.

A *regrinat.* 3 *cap.* 12 *de his sacris monumentis ita scribit:* Ecclesia, sub titulo S. Annæ matris sanctissimæ Deiparæ dicata, pulcra et spatiosa est: subtus eam sacellum est, ubi cubiculum fuisse dicitur, in quo concepta et in lucem edita creditur B. Virgo Maria, et hoc intuitu magna cum pietate et devotione a fidelibus invisitur. *Deinde in eodem libro peregrinat.* 7, *cap.* 2 *hæc habet:* Circa sepulcrum gloriosæ virginis matris Mariæ est ædificata ecclesia .... Est in ecclesia scala XLVIII et etiam L graduum albi dolati marmoris, per quam ex ostio descendimus ad S. Virginis sepulcrum. A dextra parte ingredientibus, id est orientali plaga, et fere in medio scalæ est sacellum, in quo sunt duo mausolæa in formam altaris constructa; in quorum altero, quod respicit aquilonem, aliquando corpus S. Annæ, matris S. Dei Genitricis Mariæ tumulatum fuit. *Sed cum ignoremus certum tempus, quo hæc ædificia in ecclesias conversa sunt, ad sacros orientalium Fastos progredimur.*

ex Menologiis Græcorum,

B 46 *Græci ter quotannis memoriam* S. Annæ *celebrant, ut apparet ex Typico S. Sabæ, ubi ad diem* IX *Septembris, una cum marito suo sic refertur:* Τῶν ἁγίων καὶ δικαρὶν θεοπατόωων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης. Sanctorum ac justorum Dei progenitorum Joachimi et Annæ. *Deinde die* IX *Decembris in eodem Typico memoratur* ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, μητρὸς τῆς Θεοτόκου. Conceptio sanctæ Annæ, matris Deiparæ. *Denique* XXV *Julii ibidem commemoratur* ἡ κοίμησις τῆς ἁγίας Ἄννης μητρὸς τῆς Θεοτόκου. Dormitio sanctæ Annæ, matris Deiparæ. *Idem S. Sabas, teste Simone Wangnereckio nostro in Pietate Mariana Græcorum cent.* 5, *num.* 435, *sanctos Deiparæ parentes ita orat:* O Joachime, afflatu divino decore! Tu quoque Anna divinitus clara! Vos gemini estis lychni, a quibus orta est lampas, circa quam nullum umbræ vestigium cernimus. Vos quoque abundanter implevit ipsamet Dei gratia, id est Genitrix Dei; cum qua enixe ambo orate, ut animabus nostris perfruendam Deus concedat magnitudinem misericordiæ suæ. *Omitto hic Ephemerides Græco-Moscas, Martyrologium Arabico-Ægyptium, aliaque tum excusa tum manuscripta Orientalium Menologia, cum de antiquo hujus Sanctæ cultu satis constet ex historicis instrumentis, quæ jam proferimus.*

et templis,

C 47 *Procopius Cæsariensis, qui ante medium seculi* VI *floruit, lib.* I *de ædificiis Justiniani I imperatoris cap.* 3 *ita testatur:* In eo urbis loco, quem Deuteron sive Secundum vocant, templum nobilissimum ac plane mirabile dedicavit S. Annæ, quam aliqui Deiparæ matrem, Christique aviam fuisse credunt. *Georgius Codinus in opere de originibus Constantinopolitanis, quod anno* 1655 *Parisiis Græco-Latine editum est, pag.* 49 *de origine nominis* Deuteron *sic scribit:* Justinianus Rhinotmetus *(is est Justinianus junior, qui anno* 711 *interiit)* a Leontio patricio rerum potiente exul in Chersonem relegatus fuit, ubi cum decem mansisset annos, profugit tandem ad Terbelim, Bulgarorum principem, qui filiam suam Theodoram ipsi in uxorem dedit, et insuper exercitum quindecim militum millia subministravit. Hunc ille contra Constantinopolim duxit ad repetendum Imperium suum. Cum vero cives eum recipere nollent, simulata fuga, apud portam urbis, quam vocant antiquam, clanculum per aquæ ductum in urbem introrupit eo loco, ubi nunc columna superest, quod ibi aquæductus spiraculum esset. Ita secundum adeptus imperium, statuam suam illic erexit, et locum vocavit Deuteron sive secundum. *Anselmus Bandurus tomo* 2 *Imperii Orientalis pag.* 656 *hanc confictam appellationis occasionem ita explodit:* At quam nugaces sint Græculi isti, cum nominum etymologiam exhibere conantur, sæpe alias demonstravimus: Deuteri siquidem seu ædis sanctæ Annæ in Deuteri tractu, a Justiniano Magno exstructæ, meminit ipse Procopius, rerum a Justiniano gestarum accuratissimus scriptor ac testis. *Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pagg.* 143 *et* 144 *eamdem ineptam recentiorum Græcorum etymologiam refellit.*

in ejus honorem exstructis,

48 *Porro Codinus ibidem de* S. Annæ *ecclesia, tamquam a Justiniano Rhinotmeto seu Juniore constructa, sic loquitur:* Ibidem quoque templum S. Annæ ædificavit, quod uxorem ejus gravidam per visum monuit, ut in eo loco templum sibi conderet: quo postea etiam sanctum corpus una cum E ejus humerali translatum fuit. *Quod hic dicitur de Sanctæ nostræ reliquiis, postea examinabitur. Interim Bandurus tomo Imperii Orientalis proxime citato pag.* 657 *ad rem præsentem recte hæc notat:* Fortassis hæc ædes sanctæ Annæ in Deutero, quam, teste Procopio, condiderat Justinianus Magnus, postmodum a Justiniano Rhinotmeto instaurata est, quod nemo ex historicis Byzantinis, quod sciam, præter Originum scriptores ac Joelem tradit. Eamdem vero postmodum renovavit Basilius Macedo, ut scribit Porphyrogenitus in avi Vita cap. LIV, et ex eo Scylitzes in eodem Basilio. *De aliis locis in honorem* S. Annæ *postea Constantinopoli exstructis vide Cangium libro supra citato pag.* 144.

demonstratur.

49 *Colligo ex Vita S. Stephani Junioris, qui seculo* VIII *in insula Proconeso exulavit, non tantum Constantinopoli, sed etiam in aliis Græciæ partibus talia antiquæ venerationis monumenta exstitisse: nam in ea Vita, ab auctore suppare scripta, et Parisiis anno* 1688 *Græco-Latine edita, pagg.* 484 *et* 485 *hæc leguntur:* Hoc pacto inde discedens *(nempe S. Stephanus)* ad mare perrexit, conscensaque nave, ad insulam supra memoratam, quo exul mittebatur, devenit. His ejectus cum desertiores partes peragraret, in quemdam præcipitem et formidandum locum secus mare F occurrit, ibique oræ maritimæ præcipitiis eminentibus, solitudinis amore, perlustratis, tamquam a Deo ductus jucundam admodum et egregiam habitationem in speluncæ formam reperit in australi insulæ præcipitio, Cissuda dictam, in qua Annæ Dei aviæ augustum templum editum erat. *Eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 763 *Acta S. Stephani refert, et ibidem num.* 28 *de hac* S. Annæ *ecclesia meminit. Nunc circa ejusdem cultum in Occidente quædam notanda sunt.*

§ VI.

AUCTORE G. C.

§ VI. Cultus Sanctæ in Occidente, et prodigiosa templi ædificatio in Hispania ad illius honorem.

Cultus S. Annæ in Hispania

Non facile affirmari potest, quo tempore cultus S. Annæ *in Occidentem transierit: nam in Usuardo aliisque veteribus Martyrologis nomen ejus non invenitur. Nihil hic morari nos debet Tamayus, qui in suo Martyrologio Hispanico ad hanc diem asserit, festum* S. Annæ *a tempore Gothorum in Hispania celebratum fuisse. Imo his non contentus profert ex thesauro suo neo-veteri hymnos ac versus, quibus persuadere nititur, hanc festivitatem jam a tempore S. Jacobi ibidem actam fuisse. Figmenta istius Martyrologi jam toties detecta sunt, ut ea hic iterum operose convellere non lubeat, quamvis præ manibus habeamus dissertatiunculam, ex Mss. posthumis Nicolai Antonii excerptam, qua hanc ipsam fabulam erudite refellit. Fatemur quidem, memoriam ejus in Officio Mozarabico coli; sed nescimus, quo tempore illi inserta fuerit, cum varia recentiorum Sanctorum Officia ad hoc Breviarium et Missale accesserint. Interim non negamus: cultum* S. Annæ *in Hispania posterioribus seculis celeberrimum fuisse, ut ex mox dicendis facile apparebit.*

B

a venerabili moniali plurimum auctus,

51 *Joannes Thomas a sancto Cyrillo, Carmelita discalceatus, anno* 1657 *Coloniæ Agrippinæ edidit librum (titulus est* Mater Honorificata) *de laudibus, excellentiis, ac prærogativis* S. Annæ, *in quo cap.* 35 § 10 *narrat, quomodo venerabilis Anna a sancto Augustino, sanctæ Teresiæ dilecta discipula, variis beneficiis per sanctam Christi Aviam cumulata fuerit, et cultum Benefactricis suæ in Hispania promoverit. Hæc autem omnia exponit verbis ipsiusmet venerabilis* Annæ, *quæ superiorum jussu vitæ suæ ac divinarum revelationum seriem pertexuit, ac calamo consignavit sequentia*: Speciali et omnino cordiali in gloriosissimam Dei Genitricis matrem Annam (cujus et nomen indigna gero et usurpo) affectu et devotione ferebar. Et cum super hæc eremitorium illud, quod in fundationis exordio Villanovæ ecclesiæ loco nobis dono cesserat, ejusdem gloriosæ Divæ titulo et protectione gauderet, nec tamen, unde ipsa debuisset dignosci et coli loci patrona, statuam aut aliam imaginem exponendam haberet, inde supra modum affligi et hujus adeo dilectæ, talis ac tantæ Amicæ absentiam peramare sentire cœpi.

C

cui post præviam revelationem

52 Cum vero aliquando inter orandum solito teneriori desuper dolore moverer, ecce tibi speciosissima et affabre polita Divæ hujus statua, ad nos deportanda, per visum mihi objiciebatur, prout visionis veritatem, ea nobis paucis post diebus eleemosynæ loco Toleto per bajulum quemdam submissa, adeo exspectatus rei eventus ad votum probavit, nobis interim præ lætitia et admiratione suspensis, unde vel qua fortuna tam nobile et pretiosum donativum nobis accidisset. Eo ipso vero tempore, quo mittebatur, forte fortuna portariæ seu vulgo rotariæ vices obibam; et revera eam ipsam statuam, quam inter orandum videram, omnino esse deprehendens, tenerrimo interioris consolationis sensu permulcebar. Die vero, quo sacrum hoc pignus nobis transmitti contigit, nos religiosæ omnes in recreatione vespertina de hujus ipsius statuæ adventu dulciter et amanter conferentes simul agebamus: etsi enim de ipsius transmissione certæ foremus, de temporis tamen circumstantia, quo mittenda, nobis liquido non expressa nonnihil hærebamus. D

imago Sanctæ mittitur,

53 Nobis igitur ita, ut dixi, præ illius desiderio et exspectatione anxiis et suspensis, mirum! ecce mirifici candoris columbam locum, in quo agebamus, subeuntem, iterum iterumque circum circa volitantem, et tandem cum alacri alarum applausu, ceu quodam satisfactionis suæ, quam inde recepisset, quasi nutu interprete, denuo avolantem vidisse videbar, visione tamen hac a nulla ceterarum observata. Verum columba inde digressa, forte retro conversa, augustissimam cæli Dominam valde amica et serenissima fronte, arridenti similem, me hisce verbis suaviter dignantem audivi: „ Vade „ festinans, et Matri meæ ad fores præstolanti „ portam aperi. „ Nil cunctata ego quantocius cum duabus aliis sororibus ad portam properans statuam gloriosissimæ matris Annæ in vestibulo capsæ decentissime inclusam ibi cum homine ejusdem bajulo positam recte offendimus; qui a quo mitteretur rogatus, aliud, quam ibi capsam quamdam pro hoc conventu destinatam esse, respondere noluit vel forte nescivit. Interim nos eam cum intimo devotionis sensu et ubertim præ lætitia fluentibus lacrymis quam honorificentissime recepimus. E

ac post alios favores

54 Ceterum hac gloriosissima Domina, non aliter quam ut matre et patrona vere gratiosa, continuo sum usa, ejusque pietatem et curam specialem, tam circa corporalia quam spiritualia, liberalissime multoties sum experta, prout historiæ contextus particularius docebit. Nec non hæc domus nostra ab eadem (religiosis scilicet a quibusvis tum corporis tum animæ eventibus periculosis ejus beneficentia salvis præstitis et servatis) pene innumera beneficia et specialissimas gratias recepit. Passim etiam mihi eadem et quasi pro consuetudine recepta ceu cuidam Marthæ solicitæ similis totam domum obire et lustrare visa est: cujus cura atque solicitudo specialis circa ecclesiæ (quæ præterquam quod parce et tenuiter esset dotata et provisa, propter ætatem et senium sensim jam ruinam minabatur) totalem e ruderibus reparationem cumprimis enituit.

F

cælitus mandatur, ut in ejus honorem templum exstruat.

55 Temporis itaque progressu cum ibidem indigna Priorissam agerem, mihi vel propter nummorum parcitatem de ecclesiæ restauratione ne quidem obiter aut incidenter cogitare ausæ, aliquando ex improviso hæc expressa verba ANNA, UBI EST DOMUS MEA, nescio unde, cælitus tamen, aures meas petiisse visa sunt: quam quidem benedictæ matris meæ Annæ, ecclesiam sub nominis sui titulo et patrocinio exstrui deposcentis, gratiosam vocem certo fuisse interiori confirmabar instinctu; attamen absque eo, quod ad aliquid certi circa ecclesiæ fabricam statuendum tunc moverer. Paucis vero retro diebus iterato præmissa verba ANNA, UBI EST DOMUS MEA repetebantur; et licet idem omnino quod ante de istæc proferentis intentione et mente subiret judicium, nihilominus, uti memini, solum vel propter rei nummariæ angustias absolute quid circa fabricam statuere etiamnum negligebam. Tertio tandem et ipso sanctissimi patris mei Augustini pervigilio, hac eadem

A eadem voce repetita, nil amplius cunctandum rata, sed fiducia et spe mea plenissime in eam fixa, fore scilicet, ut quæ jussisset, ut facerem, facillime etiam provideret, unde perficerem, postliminio ad opus fabricæ generose me resolvi, ac primo die post, ipso scilicet Patri meo lectissimo sacro, dejiciendis in loco pro ecclesiæ structura designato quibusdam ibi sitis ætate jam pene fractis domunculis, operi manus strenue admovere cœpi, neglecta interim et posthabita etiam extremæ egestatis nostræ cura, ita ut ne teruncius quidem in domo colligendus superesset.

Pecunia ad fabricam mirabiliter subministrata,

56 Interim ego cogitatum et curam meam omnem in eam, cujus auspiciis hoc opus aggrediebar, confidenter jactans; imo de ipsius suavissima providentia vel quasi jam certa et secura agebam, prout revera non multo post spei meæ conceptæ desideratus eventus mirabiliter respondit: nam ubi aliquando cum reliquis Officio divino cantando interessem, ecce ex improviso a rotaria ad personam quamdam, B mihi præsenti moneta ducentos reales eleemosynæ loco deferentem, evocor; quibus cum grati animi signis et affectibus et verbis gratanter receptis, Deo cumprimis ac gloriosissimæ Genitricis ejus matri S. Annæ cum intimo devotionis sensu gratias agere festinavi. Et licet ad utcumque longum temporis excursum ad prosequendam fabricam hoc subsidio juvarer, attamen, eo sensim deficiente, ego quoque, unde residuos sumptus colligerem, non mediocriter angi et cruciari cœpi. Ea propter quadam nocte tota tristis et desolata in choro ante ipsam gloriosissimæ matris meæ Annæ amicam et venerandam statuam procidens, cum filiali quadam simplicitate satis lamentabiliter ei conqueri cœpi; videlicet, me præcise ad ipsius arbitrium hoc opus aggressam; quod si modo perfectum desideret, ipsa quoque, quantum velit, de residuis curandis expensis laboret et provideat.

ædificium inchoatur,

57 His vel fere similibus cum tenerrimo filialis fiduciæ sensu protestata verbis (hem tibi prodigium!) video statuam sensim e loco suo omnino prodigiose mihi propius et propius admoveri, C insueto sed gratissimo splendore circumfundi, suaviter arridenti et quasi sibi perquam satis factum esse annuenti similem, quod monitis suis fidem moremque adhibens, hoc fabricæ opus generose sim aggressa. At ego nonnihil turbata et anxia, ne qua forte stygiæ umbræ illusio subesset, timens, crucem e rosario meo pendulam festina arripiens, prævia humillima hujus præsumptionis deprecatione, hanc ei tamquam receptam et usitatam a dulcissimo quondam Nepote suo pro salute humana gloriose triumphatæ mortis figuram in visionis probitatem decenter adorandam exhibui. Vix dictum, factum: ecce crucem continuo e manibus meis apprehensam positis devote genibus cum tenerrimi affectus indicio exosculata quam reverentissime adoravit. Inde ego uberrima perfusa consolatione et ipsius pedibus venerabunda accidens cum manifesto specialis suæ ob inchoatæ fabricæ opus complacentiæ signo, ad continuationem suaviter et amanter ab ea hisce expressis PROSEQUERE, FILIA, OPUS INCEPTUM, NEC DE RELIQUIS EXPENSIS DIFFIDAS VEL ANGARIS animari merui: atque his dictis, simul disparuit, relicta in loco, ubi videbatur, non mediocri pecuniæ portione, quam non minus grato animo ac expedita manu sublatam ad trecentorum ducatorum summam excurrentem reperi, et successive in fabricæ usum quam parcissime expendi. AUCTORE G. C.

cujus prosecutionem dæmones

58 Dum autem, me ita urgente, strenue ferveret opus et fabrica indies indiesque altius proveherentur, pios hos et felices conatus male et ægerrime invidus ferebat orcus. Quid igitur? Styx tota furere et infremere, horrens contra insurgere avernus, orcicolæ armari spiritus, e stygiis suis latibulis glomeratim erumpere festinant, et in furias acti, ut machinam adeo feliciter surgentem funditus evertant, omnem denuo lapidem non movere solum, sed vel penitus emovere certant et laborant: modo enim mihi, nisi a cœpto opere abstinerem, omnia mala, infesta, et hostilia, omnes cruces atque diras intentabant; modo ipsam fabricam funditus se eversuros terribili fremitu minabantur. Unde ego perterrefacta et pene exanimis ad præpotentem Patronam meam festina confugiens, ejus contra horum malignorum spirituum insultus et intentatas minas potens patrocinium et tutelam, qua potui maxima anxietate imploravi. E

frustra impedire conantur

59 Contigit igitur jam intempesta nocte, consueto Officio matutino persoluto, et sororibus intra cellas denuo quiete receptis, horrendum strepitum et ceu tumultuantis cujusdam plebis fremitum et concursum in fabricæ loco excitari: ego minarum non immemor tota trepida et anxia ad fenestellam, quid circa fabricam ageretur prospectura continuo properavi; et ecce tibi diaboli præstigias! Tam vehemens prima facie in ea objectum est incendium, ut etiam ipsi lapides et marmora ignem concepisse et in flammas abiisse visa, donec non nisi dæmonis rabiem ac furorem suum effundere prurientis, et vel sic nisi altiori teneretur potentia, quid circa opus ausurus esset, demonstrare satagentis vanam illusionem fuisse compertum est: ingens enim et conglomeratum in flammis illis fictitiis dæmonum hinc illinc volitantium et frementium examen conspexi, quorum non alius nisus nec conatus, quam novella surgentis fabricæ exordia funditus evertere, et eam denuo ex integro coæquando solo ne vel vestigium ejus relinquere: eo usque enim tartareorum spirituum F furor ac rabies per id temporis invaluerat, ut, etsi immanissima et vel sanguineis lacrymis digna tot ecclesiarum et templorum insignium, ea ipsa ætate per vastissima Angliæ et Scotiæ regna tumultuantis hæresis insolentia sine ullo discrimine et commiseratione facta strage et excidio, non prius tamen satianda videretur, nisi etiam hoc exile et humile sacellum, ex mea simplicitate præpotenti Deo in aliqualem saltem tot alibi ecclesiarum stragis compensationem destinatum, eorum etiam contumaci et improbo furori cessisset. Ubi vero contra hos malignorum spirituum insultus et conatus benedictæ matris Annæ potens præsidium anxie imploravi; ecce eo ipso loco et temporis puncto, quo perfidi hi spiritus phantasticum hoc incendium et teterrimas suas larvas objiciebant, et ipsa mihi clementer adesse visa, et hisce me suaviter consolari est dignata: " Ne timeas, filia, " nec terrearis fictitia hac flamma: sed me se" qui festina ". Quam ego e vestigio ad locum usque fabricæ præeuntem reverenter sequens, ibique cum illa subsistens, innumerabilem dæmonum colluviem conspexi, quam illa vel solo benedictæ

AUCTORE G. C.

benedictæ crucis expresso signo potenter et derepente fugavit; ac de cetero locum cum fabrica ab omni infestatione diabolica salvum et immunem præstitit.

cum Sancta variis modis inchoatum opus protegeret.

60 Interea vero fabricæ structura de die in diem altius exsurgente, et sensim ad perfectionis apicem properante, sæpissime stato quasi de more gloriosa hæc mea Mater fabricam solicite obire, ac operariis, alium desidem et languentem excitando, alterum timidum et ad pericula trepidum animando, hunc lassum et defessum recreando, illum incautum et forte impingentem, ne præceps ageretur, sustentando, ita omnibus et singulis pro cujusvis necessitate expostulante continuo et quam fidissime assistere, vires corporis animique vigorem conferre visa est, ut laborantes, quasi non laborarent, puta improbi laboris onera et fastidia ita acriter non sentirent, sed opus strenue et alacriter operantes illud absolvere festinarent, et tandem quam felicissime ultimam manum imponerent. Mea vero quod intererat;
B si quando, unde mercenariis solverem, non haberem, aut quidvis aliud ad fabricæ usum et progressum necessarium veniret, hæc piissima Patrona mea omnino prædivitis et instructissimi ærarii loco ad votum meum serviebat; ad quam proinde, quantocius ab ea, quidquid mihi necessarium occurreret, certo certius receptura, festinabam.

Exhausto iterum ærario,

61 Prolapsu vero temporis me necessariis nummis aliquandiu destitui contigit, et interim etiam præter morem benedicta matre mea Anna, quo suavior forte et gratior hæc ipsius dilata providentia accideret, hos ipsos providere differente, ab amico quodem nostro ad tempus mille reales mutuos petere cogebar. Ecce tibi vere hujus divæ Matris pietatem et vere piam providentiam! Vix eos ad manus mutuo accepi, et confestim alios mille reales, ut mutuo datos redderem, mihi tribuit, adjecta insuper alia pro expensis in futurum necessariis notabili quantitate. Eodem vero non ita diu post recurrente necessitate, nec non hac Nummularia mea ditissima post diuturnam etiam precum mearum importunitatem protrahente, tandem quis huic
C meæ necessitati, mutuata, interim certa pecuniæ quantitate, consuleret, nonnihil angi et solicitari cœpi.

nobilis quidam miro modo novam pecuniam suppeditat,

62 At ecce dum hisce curis anxia distrahor, ex improviso vocem cujusdam me ad fores monasterii evocantis perceptibiliter mihi audire videor, cui e vestigio morem gerens ad rotam, quis ibi præstolaretur, rogatura festino. Rogatus ergo, quis foris, continuo se nobilem quemdam advenam habere, quod solus et sine arbitris cum matre Anna a sancto Augustino loqui percuperet, ac proinde protinus communis loquutorii clavem porrigat, rogare respondit: qua porrecta, recta, quid tandem nobilis ille vir vellet, exploratura ad loquutorium perrexi; quem statim ut audivi, gravissime et vix consolabiliter afflictum reperi, utpote qui se e primariis regiis ministris, idcirco ex aula, quod aliquorum perfidorum conspiratione et malitia de gravissimo delicto, falso tamen, insimularetur, fuga consulto se subtraxisse fatebatur, simul prolixa rei gestæ facta relatione. Quem quidem quamprimum, ut, si insimulati delicti revera reus esset, pro Dei gloria sub secreti fide mihi ingenue fateretur, serio adstrinxi. Is vero, se ne quidem cogitatione, multo minus D
opere, tam enorme quid ausum, sub juramento protestatus est; quocirca se, ut interim regis iræ cedens suæ saluti consulat, recta regnum Valentinianum versus cogitare; ceterum hac in fuga sibi neque ut huc deflecteret, neque de me, utpote plane hactenus ignota, ullam subiisse cogitationem; verum quodam die sibi solito gravius afflicto, hisce se monitum, unde vero et qualiter nesciret, cælitus tamen crederet: „Ito Villanovam ad monasterium, quod „ibi est Carmelitissarum discalceatarum, et ma„tri Annæ a sancto Augustino ibidem reli„giosæ afflictionem tuam aperi, ibi, quam „adeo suspiras, consolationis futurus compos: „tu vero liberali eleemosyna ipsi subvenias, et „laborantis monasterii subleva paupertatem„. Atque ita se Dei nutu huc delatum, omnino persuasum habens, afflictionem suam divinæ miserationi per preces et orationes nostras unice commendari petiit, simul ac pro monasterii neces- E
sitatibus, præsenti ære mille ducatis, ad meæ vero dispositionis arbitrium insigni catena aurea cum prægrandi ex eo pendulo nummo aureo promptissime oblatis: desideratis vero pro tunc pro mea necessitate nonnisi illis mille nummis aureis, catenam ultro etiam restitui, measque et reliquarum sororum preces de more in debitæ gratitudinis vicem promptissimas reciproce spopondi: qui a me degressus iter suum destinatum expedite cœpit prosequi.

et brevi eleemosynæ suæ mercedem recipit.

63 At ego chorum ingressa et coram augustissimo Sacramento et veneranda gloriosæ Matris statua reverenter procidens, actis pro insperata hac eleemosyna humiliter gratiis, huic meæ dulcissimæ Matri boni istius viri afflictionem, hac ipsum ut quantocius pro consueta sua clementia potenter eripere dignetur, qua potui instantia et animi contentione commendare cœpi: quæ etiam mihi continuo per visum objecta his verbis, CONFIDE, FILIA, IN DOMINO, liberationis ejus brevi futuræ certitudine efficaciter impressa, me omnino alacri et bono animo esse fecit. Accidit vero, me post aliquot dierum interstitium, visionis præcedentis memoria (Deo F
forte sic disponente) omnino sepulta, super memorati nobilis calamitate denuo moveri et animitus commisereri: idcirco persolutis laudibus matutinis, eum divinæ misericordiæ ac gloriosissimæ matri Annæ iterato, quam potui efflictissime, commendare institi. Ad quæ illa continuo etiam præsens hæc peramanter subjecit. „Noli, filia, cruciari: quod enim fieri instan„ter rogas, id ipsum jam factum noveris; et „vir ille, probata innocentia ejus, brevi ad te „revertetur„. Prout revera horum veritatem subsecutus docuit eventus: intra paucos enim dies Villanovam ad me reversus pro impensa precum nostrarum opera non modo humanissime egit, sed præsenti ære mille aliis in eleemosynam oblatis aureis, gratias quam liberalissime retulit, et pro precum nostrarum ulteriori instantia peramanter institit.

Tandem ædificio perfecto,

64 Absoluta et perfecta jam ecclesiæ fabrica, de augustissimo Sacramento e veteri ad novam ecclesiam transferendo, et de congruo pro hac solennitate ornamentorum apparatu solicite deliberabam; at inter cetera politioris cælaturæ desiderabatur calix, qui quidem ex quinque selectior ad votum meum allatus fuit faberrimus; unum solum deerat, quod mere argenteus tinctura

AUCTORE G. C.

A ctura careret aurea : ne igitur vel hic decor deficeret, non mediocriter angebar. Ad consuetam igitur benefactricem meam, gloriosissimam matrem Annam, properans hunc quoque defectum his vel similibus eidem fiducialiter commendabam verbis : « Ah dulcissima et votorum » meorum Mater unica, quis obsecro provideat, » unde hic calix pro solennitatis tuæ majore » splendore totus auro tinctus fulgeat purissi» mo » ? Hæc mihi ex imo cordis suspiranti illa protinus insolita apparens cum majestate, nummos quosdam aureos, quos manibus absconditos servabat, pro more suo liberalissime porrexit. Ceterum omnibus ad fabricæ substantiam attinentibus jam ex integro perfectis et consummatis, R. P. noster Provincialis, tum P. F. Franciscus ab Ascensione, una cum nonnullis aliis religiosis in ipso translationis destinatæ pervigilio monasterium nostrum, omnia ut ex ordine pro sequentis diei solemnitate necessaria ad nutum essent disposita, mature provisurus accessit.

ipsa Sancta post familiares apparitiones

B 65 Interim vero dum hæc disponerentur, ego sub noctem nonnihil ad orandum recollecta, gloriosissimam matrem et patronam meam Annam omnes defectus, si qui circa fabricam incuria et culpa mea accidissent, unice deprecabar. Et ecce ipsa maximo gloriæ splendore circumfulgens apparet, et quam serenissima fronte ac voce placidissima propter erectam suoque nomini consecratam ecclesiam gratias retulit, atque animum meum satis longa (ut postea comperi) temporis mora gratissimo suo alloquio suspensum retinens, tanta cum cælestis illius domus deliciarum ubertate permulsit, ut totus quasi flagrantissimis divini amoris flammis succensus vel ad mille mortes et supplicia, imo qualecumque immanissimum martyrii genus subeundum quam promptissimus subsiliret et gestiret, promissa insuper ad cujusvis necessitatis eventum opis ac favoris sui promptitudine. Et ut tandem pro hujus augustissimæ Matris augustiori gloria candide et sincere fatear, non fuit revera ullius necessitatis aut angustiæ aut cujusvis afflictionis occasio, in qua ipsius patrocinii (etiam quandoque non rogati nec requisiti) potentiam ac felicitatem evidenter non sim experta, adeo quidem, ut propter tantam cum ea ipsa familiaritatem et objectæ ipsius visionis frequentiam, C ipsius dæmonis, utpote sæpius angeli lucis et Sanctorum simiæ vaferrimæ, illusionem tandem timere cœperim. Eapropter eam ipsam, nequaquam ferre velit, ut illa orci largiva teterrima sub gloriosa ipsius umbra mihi illudere tentet et præsumat, cum intimo compunctionis sensu rogare cœpi. Ad quæ illa protinus : « Confide, » filia ; nequaquam feram, ut decipiaris ; et hæc » tibi sit veræ meæ præsentiæ nota et secura » symbola : quoties enim memet tibi exhibere » contigerit, hac te JESUS SIT TECUM consueta » salutis formula amanter præveniam ». Ab eo igitur tempore, quoties mihi visenda objicitur, hic ejus me salutandi familiaris est stylus. Quod si quandoque consuetam salutis formulam solito diutius differre contingit, ego anxia et solicita hac ipsa salutari tessera JESUS SIT MECUM, me præmunire festino : ad quæ illa cum tenero consolationis internæ sentimento, AMEN, SIT JESUS TECUM, O FILIA, continuo subjungit.

in templo adtente visa est,

66 Die igitur altero post, ipsi translationis festivitati destinato, solennissima fuit ordinata processio, in qua præter ter augustissimum Sacramentum, gloriosæ Matris hujus augustali cum pompa deferebatur imago. Hanc ipsam vero novæ ecclesiæ portas subeuntem (hem tibi prodigium admirandum !) videre videbar vivis per faciem distingui lineamentis, genas sensim vivido purpuræ tingi colore, venas etiam vitali distendi sanguine et vigore, ac viventi per omnia reddi simillimam, hilari et suaviter arridenti ore, vultu tandem toto ad jucunditatem compositissimo; verbo, vivam non putasses solum, sed jurasses; angelis agminatim circumcirca applaudentibus, et quod plausibilius, utrimque hinc sanctissima ejus Filia et inde dulcissimo ejus nepote puero Jesu tam reverenter quam comiter eam conducentibus stipari, usque dum in destinato sibi super altari loco statueretur. Tum iterum pro nativa sua comitate de impenso a me sibi hoc mediocri servitio gratias impensissimas agere dignari visa est. At ego occasionis hujus oblatæ non negligens, in reciprocam aliqualis visæ operæ meæ præstitæ vicem et compensam, quatenus populo, ad solennitatem hanc ipsius honoris et devotionis gratia collecto, pientissimam E impertiens benedictionem omnibus et singulis præsentis vitæ gratiam et futuræ gloriam a Jesulo nepote suo impetraret sempiternam, qua potui contentione institi et rogavi : et illa hujus petitionis meæ, ut sibi perquam gratæ et acceptæ, speciali vultus sui comitate et capitis affabili nutu, ceu quodam dato signo, ac levata dextera sua sanctissima universæ benedicens multitudini, tenerrimum mihi spiritualis consolationis reliquit experimentum.

et venerabilem hujus operis adjutricem, in morbum lapsam, sanavit.

67 Contigit vero interea, ut aliquando acutissimis corporis totius doloribus corriperer et torquerer, adeo quidem, ut jam res de anima agi videretur. Igitur humana medicorum (qui acciti morbi vires augere potius quam minuere sentiebantur) opera desperata, ad cælestem manum medicam, gloriosissimam scilicet Annam matrem meam, quatenus in hac humanitus immedicabili infirmitate opem et salutem medicam conferret, supplex ac deprecabunda me converti. Ipsa continuo blandissima facie se objiciens ea corporis parte, qua vehementior urgebat dolor, benedicta manu sua applicata, derepente morbi vim fregit, ac omnem doloris sensum ademit : unde ex integro corpore sana F et incolumis, intus vero in mente suavissimo consolationis sensu peruncta remansi. *Hæc circa mirabilem ecclesiæ constructionem et singulares Benefactricis suæ favores piissima* S. Annæ *cliens superiorum imperio litteris mandavit, quæ omnia nos ex laudato Joanne Thoma a sancto Cyrillo fideliter transcripsimus. Interim non dubito, quin in aliis Hispaniæ provinciis cultus ejusdem Sanctæ vigeat, cum ipse in variis istius regni templis plurimas* S. Annæ *imagines et exstructas aras viderim.*

§ VII. Cultus Sanctæ in variis Europæ regionibus.

Publicus S. Annæ cultus in Anglia anno 1378

Non dubito, quin catholicus S. Annæ *cultus ab immemorabili tempore in Europa floruerit; sed primo certam solennioris festivitatis memoriam reperi sub Urbano VI Pontifice, qui apud Labbeum nostrum tomo* XI *Conciliorum part.* 2, *col.* 2050 *archiepiscopis et episcopis Angliæ inter*

AUCTORE G. C.

inter alia sic scribit : Cum itaque nuper pro parte nonnullorum Christi fidelium, in regno Angliæ degentium fuerit expositum coram nobis, quod populus prædicti regni ad beatam Annam, genitricem gloriosæ virginis Mariæ Matris Dei, etiam ob reverentiam ejusdem beatæ Mariæ virginis, singularem gerunt devotionis affectum; et pro parte ipsorum Christi fidelium nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsius beatæ Annæ festivitatem in dicto regno solenniter et devote celebrari a prælatis et aliis Christi fidelibus, in ipso regno commorantibus, mandaremus : nos hujusmodi piam voluntatem et devotionis affectum prædictorum populorum plurimum in Domino commendantes, et cupientes, ipsos Christi fideles Domino reddere acceptabiles et bonorum operum sectatores : hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ præsentium tenore districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictam festivitatem beatæ Annæ annis singulis, perpetuis futuris temporibus, devote et solenniter celebretis, et in vestris civitatibus et diœcesibus mandetis et faciatis per subditos celebrari. B Dat. Romæ apud sanctum Petrum XI Kalend. Julii, pontificatus nostri anno quarto.

et Dania olim floruit,

69 *Seculo sequenti festivitas ejusdem Sanctæ in Dania solenniter celebrata est, ut patet ex concilio provinciali, quod anno* 1425 *Hafniæ habitum est, et quod apud Harduinum nostrum tomo* 8 *Conciliorum col.* 1036 *ita decernit :* Item statuimus, quod festum sanctæ Annæ, matris Genitricis Dei beatæ Mariæ, quolibet anno in crastino Conceptionis ejusdem beatæ Mariæ virginis per totam nostram provinciam pro festo terræ et populi in posterum celebre habeatur. *Haud dubie eadem veneratio erga sanctissimam Christi Aviam illo tempore in aliis septemtrionalibus provinciis et insulis viguit, ac publice perseveravit, donec infensa Sanctorum cultui hæresis avitam religionem eliminaret.*

qui in Germania,

70 *Germani etiamnum pluribus locis* S. Annam *venerantur, ut videri potest cap.* 29, *pag.* 361 *apud R. D. Paulum Theodorici Clisorium, qui Coloniæ anno* 1648 *Germanice hujus Sanctæ ejusque mariti Vitam et laudes edidit. Joannes Thomas a sancto Cyrillo in Matre Honorificata* C *cap.* 35, § 2 *de hac Germanorum pietate sic habet :* Mons est Austriæ ab Annæ nomine et omine; utpote ubi Anna non solum sonat, sed et præstat gratiam, puta infirmis sanitatem, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, et inter mille alia miseriarum humanarum levamina multis reddidit loquelam, prout testis est a pietate non minus quam eruditione venerabilis pater Malachias Rosenthal, Ordinis Cisterciensis, vernacula lingua edito sui erga hanc Divam affectus et devotionis indice opusculo. Hinc dictus mons ab ejusdem Divæ cultu, devotione et concursu populi frequens et famosus. *Tunc subdit miraculum, ibidem anno* 1633 *patratum, de quo nos postea. Dein proxime citatus auctor* § XI *ejusdem capitis fuse narrat, quomodo pietate et munificentia serenissimorum Austriacorum anno* 1644 *sub titulo et patrocinio sanctissimæ matris Annæ erectum fuerit desertum seu monasterium, quatuor milliaribus Vienna dissitum, quod RR. PP. Carmelitæ discalceati incolunt.*

Bohemia vicinisque regionibus,

71 *Georgius Crugerius noster in Pulveribus Bohemiæ, Moraviæ, et Silesiæ ad diem* XXVI *Julii varias* S. Annæ *ecclesias in his regionibus assignat. In Polonia etiam celebris est hujus Sanctæ veneratio, ut inter alia colligo ex iis, quæ in* D *Commentario prævio ad Vitam B. Simonis de Lipnica num.* 25 *dixi, ubi tomo* IV *Julii pag.* 516 *ex Ms. Cracoviensi citavi hæc verba :* Pater Nicolaus Sokolniki, prædicator ferventissimus, populo ultra modum acceptissimus, sanctæ Annæ devotus famulus, ad eamque honorandam in quolibet sermone populum incitabat; sicque ipsius monitis sacris capella turmis hominum decorabatur feriis tertiis : quapropter etiam feria tertia, veluti ipsius devotus, obdormivit in Domino MDXXII. *In Hungaria quoque cultum ipsius viguisse, eruo ex litteris nostri Francisci Scabolth, qui anno* 1707 *ad Janningum nostrum sic scribit :* Accensus desiderio aviti in Mariano hoc regno Hungariæ S. Annæ cultus promovendi, vel, ut melius dicam, per plura secula, tum bellorum inquietudine, tum hæreticæ pravitatis, quæ etiamnum vehementer grassatur, insolentia sepulti, resuscitandi, opusculum piis cultoribus manuale meditor in lucem edere. *Tum proponit quædam dubia circa Sanctæ parentes aliaque ejus Acta, quæ nos jam supra attigimus.* E

ac Belgio catholico

72 *In variis etiam Belgii nostri locis celebris est* S. Annæ *memoria : at præsertim in pagi Bottelaer, qui duabus leucis Gandavo distat. Cornelius van Gestel in Historia sacra et profana archiepiscopatus Mechliniensis, anno* 1725 *edita, tomo* 2, *pag.* 270 *de eo sic scribit :* Bottelaer, altero lapide a Gandavo, præfecturæ Rodensis, ad cujus marchionem spectat hujus loci dominium, ecclesia tutelarem habet S. Martinum Turonensem episcopum; sed cum circa annum MDCXLIII hic cœpit vigere cultus S. Annæ, ea exinde ut patrona et tutelaris agnoscitur et colitur, præcipue vero feria tertia post Pentecosten, et in ipso Divæ festo cum novena. Nostra ætate illic ex peregrinorum et priorum eleemosynis ac oblationibus ampla et illustris exstructa est basilica divæ Annæ sacra, in qua magnus populi concursus et peregrinatio perseverat, ita ut hic locus prodigiorum et benefactorum celebris evaserit.

etiamnum viget.

73 *Cum fama ad nos pertulisset, in eo pago intercessione* S. Annæ *sæpius quædam patrari miracula, parochum loci rogari curavimus, an peculiaria quædam beneficia litteris consignata essent.* F *Verum is mense Maio anno* 1727 *generatim ita respondit :* Imagine S. matris Annæ miracula obsessis liberationem, infirmis sanitatem, prægnantibus præsidium, sterilibus fœcunditatem, periclitantibus auxilium, delirantibus mentis restitutionem et cetera per invocationem S. Annæ in Bottelaer tribui, centenæ picturæ, imagines, populi oblationes, pastorum, sacerdotum et medicorum scripta *(utinam ea sacerdotum et medicorum scripta protulisset!)* præter quotidianam experientiam testantur. Hoc notatu dignum, imaginem illam, non obstante antiquitate, ab omni putredine conservari, nec pulvere, populi multitudine vel purgatione ecclesiæ excitato in aere, umquam maculari, linteo nitido experiri est. Excitant quam plurimum populi devotionem reliquiæ S. Annæ *(de iis nos postea sermonem instituemus)* quarum veneratione in quacumque afflictione de cælo multi auxilium senserunt..... Multitudo populi quandoque tanta fuit, ut uno die quatuor millia communicaverint. *Deinde meminit de confraternitate Jesu, Mariæ, et Annæ, cui præterito seculo plures personæ tum ecclesiastica tum*

seculari

A *seculari dignitate illustres sua nomina dederunt, et in fine epistolæ asserit, cura quorumdam parochorum annotata fuisse miracula, quæ aliorum negligentia perierunt.*

In Gallia,

74 *In Gallia magnum eidem Sanctæ honorem deferri, liquet ex Martyrologio Saussayi, qui ad diem* XXVI *Julii hæc habet :* Dormitio S. Annæ, matris beatissimæ Deiparæ virginis nec non aviæ Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi. Corpus ejus Aptæ Juliæ Vulgiensium sub metropoli Aquensi jam pridem conditum, magnopere illic a fidelibus colitur in summo templo, quod jam ejus gloriosa nuncupatione claret insigne. Illius caput vero Carnuti in augustissima totoque orbe percelebri basilica sanctissimæ Dei Genitricis ex dono Ludovici Blesensium comitis repositum, summo etiam quo decet honore observatur. *Deinde in supplemento ejusdem Martyrologii Gallicani pag.* 1151 *sic loquitur :* Divione solennitas S. Annæ, B Christi aviæ, quæ ex voto communi civium, instar festi dominicæ Resurrectionis, quotannis hac die *(videlicet* XXVI *Julii)* cum susceptione Eucharistiæ celebratur, ob sedatam anno millesimo quingentesimo trigesimo primo per ejus invocationem exitiosæ pestilentiæ luem... Rotomagi translatio ejus reliquiarum. Parisiis in summo templo Deiparæ colitus magna religione memoria sanctæ Annæ in propria ejus capella, quam devotione sua celeberrimam reddidit Anna regina, Ludovici XIII Christianissimi regis conjux piissima. *Postea fusius discutientur ea, quæ hic de Aptensibus* S. Annæ *reliquiis memorantur, et per decursum occasione reliquiarum et miraculorum agetur de Sicilia, aliisque regionibus, in quibus* S. Anna *honoratur.*

ac præsertim in Britannia Armorica celebris est ejusdem Sanctæ veneratio.

75 *Elapso seculo in Britannia Minori, Galliæ provincia, cultus* S. Annæ *mirabiliter renovatus est, ut illustrissimus Spondanus in continuatione Annalium ecclesiasticorum tomo* 3 *ad annum Christi* 1625 *num.* 3 *narrat his verbis :* Non fuit huic decreto *(est istud decretum Urbani VIII circa cultum Sanctorum, de quo paulo ante meminerat)* obnoxia sanctæ Annæ, Matris Dei Genitricis, veneratio, quippe ob omni Christiano ævo in Ecclesia et Urbe C receptissima ac probatissima; quæ et hoc ipso anno novo miraculo manifestata legitur in Britannia Armorica in vico Ker-Anna diœcesis Venetensis : ubi divinitus revelata cuidam pio aratori, nomine Ivoni Nicolasico, mense Martio, vetus quædam sacra imago prædictæ beatæ Annæ, terræ profunde infossa, confestim cœpit innumeris et clarissimis juxta ac stupendis splendere miraculis, quæ locum frequentatissimum populorum concursu reddiderunt; collocata imagine in ecclesia, ex piis eleemosynis magnifice exstructa, prope oppidum Auræum auctoritate Sebastiani Rosinadeci episcopi Venetensis loci ordinarii, qui miracula probatissima, ad eam continue fieri consueta, decreto publico confirmavit et promulgari permisit per Fr. Hugonem a Sancto Francisco Carmelitam reformatum provinciæ Armoricæ : cui Ordini episcopus curam et administrationem prædictæ ecclesiæ contulit, obtentis etiam ab Urbano Pontifice indulgentiis in eorum gratiam, qui eam visitarent. *At juverit mirabilem illam historiam, fusius distinctiusque descriptam, paragrapho sequenti audire.*

D

§ VIII. Antiquus S. Annæ cultus in Britannia Armorica miro modo restauratus.

S. Anna pio cuidam rustico

Laudatus Joannes Thomas a sancto Cyrillo in *opere supra citato cap.* 35 § 12 *miram instaurati cultus historiam ita plenius exponit :* Ivo Nicolasic obscuræ conditionis ac tenuis fortunæ agricola, sed cui illustris titulus, vir bonus et rectus; census prædives et certus, pietas et virtus; cumprimis vero erga Deiparam virginem ejusque sanctissimam matrem Annam specialis cultus et devotio : quarum alteram, matrem scilicet Annam, a teneris quidem, ut aiunt, unguiculis, studiis piisque obsequiis adeo sibi devincire studuit, ut pluribus ejus et insignibus visionibus ac revelationibus factus fuerit dignus, et tandem famosus ejusdem devotionis promovendæ minister adhiberi meruit. Per novemdecim facile mensium decursum, quo valde E rara et speciali versus hanc gloriosam Matrem devotionis teneritudine se rapi ac affici sentiebat, fere singulis quindecim intercalatis diebus eadem ceu venerabilis ac insignem quamdam majestatem præferens matrona sibi objici videbatur : statura ipsius elegans, vestis erat candida et splendidissima, perquam similis illi, qualem Salvatoris nostri in monte Thabor, facta transfiguratione, fuisse passim describunt Euangelistæ. Facem ardentem manu præferebat, et pro scabello pedum, aut verius vehiculo dixerim, ei pellucida serviebat nubes. Verum cum hæ apparitiones tam essent mora breves, quam numero frequentes, simplicis hujus animum, hanc forte vel matris, non ita pridem defunctæ atque pro animæ suæ refrigerio suffragia solicitantis, umbram esse, persuasio subiit; ut idcirco consuetas ac destinatas pro ea preces duplicare, loca vicina concursu et devotione fidelium celebria obire ac devote frequentare cœperit.

post obscuras brevesque apparitiones

77 Prima vero, qua hunc famulum sibi devotum sanctissima mater Anna est dignata, visio ipso et Jacobi festivo die ad annum Domini MDCXXIV contigit : ubi ab urbe Alreiensi sub crepusculum vespertinum domum properantem F et prope quamdam Crucifixi statuam pro pio sibi more rosario suo recitando intentum fax ardens et prælucida præcedere et quasi viæ ducem præstare visa est, usque dum jamjam domui suæ vicinum deseruit, et continuo ex oculis ejus evanuit, ipso interim in tantum stupore defixo, ut etiam reficiendi corporis negligens totam illam noctem exegerit insomnem. Et ecce tibi intempesta jam nocte, cum altum silerent omnia, subitus ceu catervatim undequaque confluentis hominum multitudinis strepitus exoritur. Ipse vero rei novitate perculsus e domo, quid agatur, exploraturus festinus exit; sed, quod mirum, neminem mortalium reperit, nec advertit. Majore itaque, quam ante, stupore percitus, ad rosarium suum confugit, illudque recitando, et ostio domus post se denuo recluso, rei interim anxie et solicite præstolatur eventum.

sese manifestat, eique sacelli sui restaurationem mandat,

78 Vix ille preces suas prosecutus, horreum suum ingenti et insolito splendore circumfundi et illustrari, in ejusque medio venerabilem quamdam, sole meridiano clarius relucentem, matronam

AUCTORE G. C.

nam subito conspexit, a qua valde suavi ac amicabili voce, lingua Britannis familiari et vernacula, verba sequentia accepit : « Ivo Nicolasic, ne timeas : ego sum Anna Mariæ parens. Dic pastori tuo, quod in medio fundi istius, Becenno vulgo dicti, quondam nobile fuerit sacellum, quod omnium primum avita Britannorum pietas meo honori erexerat; sed ab annis jam nongentis viginti quatuor et sex mensibus dirutum et collapsum, desidero illud reædificari, quoniam Dei voluntas est, ut ibidem meo nomini fiat devotio. » Quibus ac dictis, continuo disparuit. Anxius interim rusticus quantum stupore suspensus, tantum etiam consolatione plenus, et de felicissimo hujus ad specialem divæ Matris gloriam devotiones futuro successu fiducia animatus remansit; nec tamen ita firmiter et stabiliter, quin, ne hæc relatio sua pro illusione aliqua vel delirio anili exploderetur, aut alias infirmam apud plerosque inveniret fidem, timor quidam panicus subrepserit. Ita inter spem et metum, inter respectum humanum et secretum

B divinum impulsum hærens medius, ad sex facile septimanas tacet et dissimulat : quibus exactis, nova visione recreatus iterumque monitus, et ne forte Sanctæ hujus disgratiam atque indignationem incurreret, metu actus, tandem pastori suo rei gestæ seriem et ordinem sincere fideliterque aperit et exponit.

atque ad hoc opus auxilium spondet.

79 Interea vero gloriosissima mater Anna hunc famulum suum alia et alia visione dignari cœpit; modo ipsi hanc fiduciæ suæ parcitatem acriter exprobrando, modo eumdem contra mundi eorumque, qui se huic pio proposito oppositur ejusque risuri essent simplicitatem, sinistra judicia, dicteria ac ludibria strenue animando. Verum his visionibus tam frequentibus quam familiaribus vir simplex eo usque piæ præsumptionis ac liberatis versus hanc prædilectam matrem S. Annam est progressus, ut ob suam ceu vilis et abjecti hominis facile suspectam fidem atque relationem, rem illustri ac plausibili quodam miraculo patescere ac firmari faciat, au-

C dacter petere inst
titerit. Cui Diva continuo : « Vade et vive securus, fore ut nequaquam conditionis tuæ humilitas propositi mei exsecutionem immutet ac moretur : faciam enim brevi, ut, qui hactenus maxime contrarii et increduli, te mihi in propositi mei exsequendi aptissimum organum specialiter electum quantocius et efficaciter intelligant et convincantur. Fabricæ expensas quod attinet, non est, quod rerum tuarum angustias, satis ante mihi perspectas, pluribus oggeras et exaggeres : cum enim.... cuncti thesauri paradisi sint in manibus meis, de expensarum necessitate sufficientissime providebo.

Rusticus, indicata visione, ut fanaticus a parocho suo exploditur;

80 Similes gratias et ejusmodi uti perquam frequentes ita et familiares cum sancta hac Matre discursus pauper hic rusticus habere meruit. Nonnumquam supra fundum, qui modo sacelli fabricam sustinet, ingens et augustum lumen diffundi, quod et aliis compluribus testibus oculatis notatum, quandoque stellas in tanto numero ceu conglomerati nimbi vel densissimæ pluviæ instar depluentes sibi videre visus, modo ceu faces ardentes descendere observabat. Non raro se ex ædibus suis ad dictum locum (cujus vero opera aut ministerio se ignorare fassus) raptum, ibique suavissima angelici concentus concertatio-

D ne suspensum, plurimum temporis ejusmodi cælestium gustuum dulcedini immorando exegisse, cum stupore postea deprehendit : cumprimis veto prima Martii et ipso Lunæ die anni MDCXXV, quinque ante miraculosam inventam imaginem diebus, ubi ad præmemoratum locum raptus et juxta domesticorum observationem integerrimo trium horarum spatio detentus, etsi ipse præ influxuum illorum cælestium teneritudine mediam vix horam abfuisse sibi sit visus. Interim cum hisce novis et omnino raris favoribus bono servo Dei accrescebat etiam animus et fiducia, ita ut, etsi bis jam monito pastore suo, toties ab eodem cum ignominia et ludibrio fuisset dimissus, nihilominus altero post eum, quo ipsi specialis hic favor contigerat, die, uno ex vicinis suis adscito comite, eumdem pastorem, ne de erigendo sacello ultra tergiversaretur, ex nomine et imperio S. Annæ denuo moniturus accesserit. Verum, ut ante, acerbe et probrose rejectus, cum pudore et maxima confusione totus desolatus et afflictus recessit.

sed nobilis viri consolatione et consilio animatus,

81 Taliter itaque affectus cum domum pergeret, haud dubie specialiter sic disponente Deo, virum quemdam illustrem et prænobilem obvium habuit, cui desolationis suæ (quam forte etiam facietenus pauperculus præferebat) causam et occasionem roganti totius rei gestæ seriem et ordinem ad longum recensuit : a quo ipse, quantum possibile, bene animatus, et ut hos favores et illustrationes divinas cum notæ eruditionis ac probatæ vitæ viris, cumprimis vero religiosis, in discernendis spiritibus practicis ac bene versatis, sincere conferret et communicaret; præterea ut orationis et jejuniorum frequentatione sese hujusmodi influxibus ac favoribus cælestibus recipiendis magis idoneum, sicque divina voluntate securius et citra illusionis periculum exploranda se digniorem reddere satageret, amicabiliter est monitus : ante omnia vero ejusmodi visionibus, quoad fieri posset, testes fide dignos adhiberet. Atque ita instructus miser et afflictus revelationum suarum desideratum successum experiri meruit. E

post inventam miro modo Sanctæ imaginem,

82 Præsente igitur vel potius dilabente jam die, qua gloriosissima mater Anna factæ spei et promissionis suæ eventum præstare decreverat, Ivo Nicolasic domi suæ ad quietem com- F
positus circa crepusculum vespertinum, ad horam circiter noctis decimam vel undecimam, lumen consuetum et ordinarium, quod ipsum iterato recessu et accessu quodammodo ad sequendum sese invitare videbatur, e strato suo subito notavit : quo viso, continuo surgit, secumque alios quinque probæ fidei viros accersit, quos ad se strenue sequendum his vel similibus animavit verbis : « Heus, boni viri, eamus, quo Deus et sancta mater Anna nos deduxerint. » Lumen igitur consuetum, quod quasi viæ ducem præstare velle videbatur, sequentes in medio ipsius ceu raræ magnitudinis et miri splendoris facem observarunt, quæ ad locum sacelli usque pertingens et ibidem ternis elevationibus, tamquam signis aut nutibus quibusdam, factis, continuo disparuit. Ivo interim et socii stupore pleni, simul ac rei novitatis explorandæ curiositate pellecti, aggrediuntur opus, terram in loco prodigiose monstrato alacriter fodientes; et ecce vix unum aut alterum pedem progressi, imaginem gloriosæ Matris adeo vetustate attritam offenderunt, ut non nisi

A nisi quibusdam colorum umbris et rudioribus lineamentis veluti indicibus commode tamen dignosceretur. Ceterum hac in occasione speciale et memorabile quid accidit; duos videlicet ex accitis testibus, qui luminis illius prodigiose se præcedentis visione et beneficio indigni fuerant, tactos intrinsecus et corde compunctos culpam, ob quam divino hoc favore justissime privari meruerint, eo quod in statu gratiæ esse et præterlapso proxime paschali tempore communionem ab Ecclesia præceptam improbe neglexerint, sua sponte agnovisse et publice confessos esse.

et receptam cælitus pecuniam

83 Verum Ivo interim pertinacem duritiam et obstinatum pastoris sui animum in negando exstruendi sacelli consensu acerbe dolens, tandem modicum id, quod ex Dei benedictione possidebat, potius vendere voluit, quam, quin gloriosæ matris Annæ piæ voluntati continuo morem gerat, ultra differre. Enimvero magna hæc Sancta se benefactricem potius, quam quæ beneficium exspectet, sentiri malens, pauperculi hujus prona voluntate satius, quam largissima stipe contenta, hanc ipsam suam benefaciendi pronitatem octava Martii, postridie quam imago dicta est inventa, re ipsa quam liberalissime demonstravit: uxor enim Ivonis mane e strato surgens duodecim quasi recenter cusæ monetæ Gallicæ libras (unde vero aut qualiter, aut de cujus liberalitate, penitus inscia et ignara) in mensa positas invenit. Hac prodigiosa beneficentia, tamquam evidenti insignis omnino matris Annæ fidelitatis argumento, sæpe fatus pauperculus ad opus sibi adeo solicite et toties injunctum strenue prosequendum, mirum in modum animatus et confirmatus fuit. Hæc pecunia postmodum operariis pro fabricæ labore distributa fuit præter unam libram, quæ pro facti memoria inter ecclesiæ thesauros asservatur.

tandem, superatis variis difficultatibus mandatum exsequitur.

84 His ex ordine gestis, inter varias et acerrimas licet contradictiones et oppositiones a superioribus examinatus, et modo huc, modo illuc traductus, votum tamen et intentionem suam nequaquam assequi potuit, donec a reverendissimo episcopo Venetensi patribus Capucinis examinandus, et ab iis præter exactam singulorum disquisitionem assidue etiam quindecim continuis diebus, implorato divino lumine, in omnibus, quæ retulit, sibi semper idem constans ac fidelis est inventus: unde et aliis pluribus rationibus (inter quas minime dissimulanda venit illa, quod horreum ipsius ex sacelli ruderibus constans cælitus concepta flamma, salvis interim et illæsis duobus prægrandibus proxime ex utraque parte compositis frumentorum cumulis, funditus conflagrarit) præfatus tandem episcopus, ut in commodi alicujus sacelli exstructionem, adjuncta congrua nobilibus patriæ dotatione, consentiret, est adductus. Cura vero illius loci primum patribus Capucinis, deinde patribus Carmelitis, tribus circiter ab imaginis inventione annis, ad peregrinorum undequaque catervatim concurrentium devotionem et solatium demandata fuit: ubi demum exstructo iisdem patribus Carmelitis solenni cœnobio, locus summæ venerationis, et frequentibus prodigiis atque peregrinationibus clarrissimus ac celeberrimus evasit: prodigia siquidem et miraculosi successus atque beneficia ad præpotens augustæ matris Annæ patrocinium omnibus et singulis fiducialiter illuc ad eam confugientibus facta atque præstita, quibus cumprimis temporis progressu hæc devotio crescere et propagari cœpit, et numero et celebritate et varietate omnem superant humanam æstimationem; adeoque hic locus devotione, concursu, et peregrinantium uniformi ac æmulo fervore cum reliquis totius Europæ visitatione fidelium celebribus locis certare videtur. Decoravit hunc ipsum etiam non mediocriter piissimi et Christianissimi regis Ludovici XIII regia liberalitas ac munificentia, destinata inter cetera e sacro suo reliquiarum gazophylacio de gloriosæ hujus Matris sacratissimis reliquiis notabili parte.

Variis argumentis

85 *Hactenus Joannes Thomas a sancto Cyrillo, qui ejusdem capitis 35 § 13 ad confirmandam prodigiosæ hujus historiæ veritatem congerit sequentia credibilitatis motiva.* I. Locus ab immemorabili tempore civitas vel oppidum S. Annæ dictus. II. Lumen a pluribus et diversis supra locum, qui modo ecclesiæ fabricam sustentat, frequenter notatum. III. Hominis simplicis omnibus vicinis et incolis passim nota vitæ innocentia et integritas. IV. Concentus suavissimus ibidem iterum iterumque auditus, et arrha pecuniæ rustico, ad ipsum ad fabricæ opus animandum, prodigiose oblatata. V. Incolarum, fuisse quondam ibi sub sanctæ matris Annæ titulo sacellum, constans et immemorabilis traditio. VI. Evidens quoddam et quasi continuum prodigium, quod ibidem arantibus aratrum vel vomer numquam glebam illæsus transierit, adeo ut incolis CAVEANT A LOCO SACELLI in tritum abierit proverbium VII. Horreum, ex sacelli quondam ruderibus exstructum, flamma cælitus concepta depastum et consumptum VIII. Post concurrentes tot remoras et obstacula, puta hominum contradictiones et oppositiones, felix tamen et expeditus devotionis hujus successus: præterquam quod monasterium recens exstructum magnificentia sua ad rariores totius patriæ fabricas accedat. IX. Rudera et antiqui ædificii vestigia, cum præsentis ecclesiæ poneretur fundamentum, scilicet vitra, lapides et ejusmodi inter fodiendum eruta.

veritas hujus historiæ probatur.

86 *Deinde idem scriptor sic pergit:* Præter hæc quam maxime notandum venit, quod ejusdem parochiæ pastor in tam obstinatæ oppositionis pœnam post trium septimanarum exactum spatium solus domi suæ agens, adeo crudeliter et enormiter vapularit, ut sibi latronum manus incidisse sit visus, etsi, vicinis ad clamorem et ejulatum ejus expergefactis et accurrentibus, nemo mortalium sit notatus nec deprehensus: ipse interim adeo fractis remansit viribus, ut octo integris diebus corporis et membrorum suorum usu ac officio fuerit impeditus. Monitus tandem a nonnemine e suis clericis, ut ab ea, quæ forte vulnus fecerat, medelam flagitaret, aliquot continuis diebus speciali affectu certisque quibusdam obsequiis vere piæ matri Annæ devotus ita membris suis restuitur, ut post exactos quindecim dies sacris iterum feliciter operari potuerit, et primum in loco miraculoso ad Annæ matris gloriosam memoriam facere pie voverit; insuper deprecatus Ivonem ob sinistrum, quod tulerat de ipsius probitate, judicium, se ultro in signum benevolentiæ specialis, levandæ ex fonte baptismatis prolis (cujus uxor a tempore contracti conjugii quindecim annorum spatio sterilis, post inventam

AUCTORE G. C.

ventam miraculosam imaginem facta gravida) patrinum offerre non est dedignatus. *Denique in genere recenset illustria miracula, hoc loco intercessione* S. Annæ *patrata, de quibus nos alia occasione agemus, et quorum nonnulla post hunc Commentarium singillatim ex idiomate Gallico Latina reddemus. Similia de hac mirabili cultus instauratione, additis etiam minutioribus circumstantiis et expressis propriis personarum locorumque nominibus, tradiderunt Hugo a sancto Francisco, Mathias a sancto Bernardo, aliique, qui eamdem historiam Gallice conscripserunt. Ceterum nobis tam gravia videntur eorum argumenta, ut a quolibet non penitus pertinaci humanum recentioris hujus historiæ fidem extorquere debenat. Utinam cum æquali antiquitatis proportione Aptenses talia monumenta proferre possent pro sua traditione, quæ jam examinanda est.*

§ IX. Inventio corporis S. Annæ in ecclesia Aptensi, et aliquæ contra eam difficultates.

B

In Aptensi Breviario narratur, quomodo corpus S. Annæ

Ecclesia Aptensis in Gallia quotannis a secundis Vesperis Dominicæ in Albis sub ritu duplici cum Octava solenniter celebrare incipit inventionem corporis S. Annæ, *cujus inventionis mira historia in Lectionibus Officii proprii, anno* 1664 *impressis, nonnihil ab aliis diversa legitur, ut postea observabimus Chiffletius noster ex antiquiori Breviario Aptensi eam historiam ita descripsit :* Quanta veneratione dignæ sint reliquiæ beatissimæ Annæ, matris Deiparæ virginis, Jesu Christi aviæ, licet ex historiæ præsentis serie, et miraculorum immensitate per ipsas ostensorum perpendere : sed ut debito ordine tam gaudiosæ tamque miraculosæ et stupendæ inventionis texere valeamus historiam, solennitatis hodiernæ principio, earumdem sanctæ Annæ reliquiarum narranda est divinitus inspirata reconditio. Anno siquidem a Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei, centesimo sexagesimo secundo crudelis et universalis contra Christi fideles, regnante membro sathanæ, orthodoxæ fidei inimico sævissimo, Marco Aurelio, imperatore, desæviit persecutio. Anno itaque regni sui septi-
C mo Allobrogum regnum, olim Arelate nuncupatum, nunc autem Provincialium, ubi potissimum nomen Jesu Christi celebratur, invadere cogitavit, ut fidem ipsam simul et credentes deleret et perderet. Cogitavit, et (divino judicio permittente, qui sic inter adversa Ecclesiam suam triumphare facit) adimplevit : sed non latuit tam sæva profanitas virum sanctum episcopum Aptensem Auspicium, qui cogitamina scelerata præveniens, divino directus lumine, Auspicius ipse ab auspicando, prophetico spiritu clarus et afflatus, corpus divæ Annæ ingeniose plurimum occultavit : verebatur enim vir sanctus, ne vir tam profanus vi et sacrilego furore, rapto corpore sacro divæ Annæ, ipsum flammis incinerandum traderet. Eo etiam tempore sanctæ illæ reliquiæ divæ Annæ in sacello quodam instar speluncæ subterraneæ devotissime adoratæ jacebant, et a Christi fidelibus colebantur. Spelunca ergo illa, quæ usque in præsentem diem cunctis peregrinis patulum et devotum præbet ingressum, adveniente rabie persecutoris fidei, per supradictum Auspicium episcopum clausa fuit et murata. D

ob imminentem Marci Aurelii persecutionem Apta absconditum fuerit,

88 Sed nec sub silentio prætereundum est, quomodo sanctus Dei pastor lampadem suspendi ante sanctas reliquias jussit, et incendi, repletis insuper gradibus speluncæ terra usque ad summum sacelli, murata porta ejusdem sacelli, super cujus verticem majoris altaris nunc insignis pendet sanctura *. Et ne inimico fidei Marco Aurelio pateret janua sacelli, novum ascensum novosque gradus et latissimos, viam ad majus altare desuper speluncam situm præbentes, erexit, ut nec quidem signum aut vestigium præfatæ speluncæ remaneret ullum. Singulis ergo sic signatis et firmatis, occultum pandit suis familiaribus clericis introitum speluncæ, ut, sæviente persecutione tyranni, Christi fideles ad fontes baptismatis inibi clausos, occulte fidem profiterentur. Nec diu distulit sævus hostis; civitatem Aptensem ingreditur. Heu nefas! idola jam dudum prostrata in templo superiori, conculcata Jesu Christi cruce, erexit. Raptus ante tribunal tyranni pius pastor Auspicius adorare idola compellitur; sed constans E martyr fidem Christi prædicat, idola pede conculcat; pes a tyranno amputatur : tandem uti pastor bonus animam suam ponens pro ovibus suis, martyrio consecratur. Consummato martyrio sancti antistitis, tanta rabies in Christi fideles deferbuit, ut nec unus quidem eorum, qui noverant occulta loca sacri corporis divæ Annæ, remanserit, quin martyrio coronaretur. Ceteri et admodum pauci fideles in amaritudine vitæ viventes, dicam tamen et gloriose morientes, sub dura servitute manebant. Unde nulli viventium per sexcentos et triginta annos prædictum gloriosissimæ Annæ corpus in spelunca repositum innotuit.

* *forte* structura

ac demum seculo octavo

89 Defluxis igitur septingentis nonaginta duobus annis ab Incarnatione Filii Dei, videns vidit Dominus afflictionem Ecclesiæ, et Provinciam situ amœnissimam, fide delicatissimam, spe constantissimam, caritate perspicuam, odore omnium virtutum redolentem, et inter inimicos fide floridam. Irruit etiam Spiritus Domini in corde insignis et victoriosissimi imperatoris Caroli Magni, uti in Sampsone, ad debellandos expugnandosque Philistinos, populi Israëlitici inimicos; aut veluti in alterum Saülem ad ex- F terminationem exercitus Naas Amonitidis obsidentis Jabes Galaad, Provinciam inter provincias fide illustrissimam, et assumens utrumque bovem, iratus est furor ejus nimis, et concidit in frusta, assumpto videlicet utroque exercitu, et duplici gladio, spirituali et temporali, geminata fortitudine tyrannum, clypeo fidei munitus, intrepidus aggreditur, et divina ei suffragante virtute, a finibus Aptensium fidei inimicos potenti expulit ense. Post laudabiles triumphos, ipsos Jesu Christi inimicos usque Arelate persequitur, et tandem resumptis viribus, expugnatisque atque propulsis universis infidelibus a finibus Allobrogum, aut eosdem animosus princeps mare transfretare coëgit, aut in ore gladii contrivit.

in præsentia Caroli Magni,

90 Adepta igitur ecclesiæ Provinciæ pace, Carolus imperator (apte quidem) in Apta civitate gratias immortali Deo, in quo est robur exercitus, et non in fortitudine virorum et equitantium, agendi et quiescendi causa sese recepit, et apud inclytum militem et baronem Casæ

A Casæ novæ, antiquissimam quippe et insignem domum (pote * quia regnante propheta Jesu in fama esset percelebri) hospitium sibi conduxit : unde in mysterio, illustrissimo imperatori omnia contigisse divina quadam depositione visa sunt. Casam novam elegit sibi hospitium, qui ecclesiam inveteratam et penitus conculcatam renovavit. Erat prædicto inclyto baroni Casæ novæ filius, juvenis ætatis circiter quatuor et decem annorum, a nativitate cæcus, surdus, et mutus, Joannes nomine. Restituta igitur pace ecclesiæ Provinciæ, jussu Christianissimi imperatoris universa confracta sunt idola, et delubra deorum commolita. Consecratur iterum per reverendum archiepiscopum Rhemensem Turpinum ecclesia Aptensis : ad Missarum solennia summa cum devotione et lachrymarum effusione, ac reverentia condigna per prædictum archiepiscopum Turpinum (assistente pio et devoto imperatore, etiam toto clero et exercitu regio ac populo, ac potissime præsente sæpe dicto barone nobili de Casa nova, ac ejus filio Joanne, cæco, muto, et surdo) proceditur : gratiæ omnipotenti Deo ab omnibus referun-
B tur.

* forte utpote

indicante puero cæco, surdo, et muto.

91 Res admiratione digna, res stupenda, et negotium nulla oblivione delendum demonstratur. Quamdiu perseverat et protenditur divinum Officium, Joannes de Casa nova, licet mutus, surdus, et cæcus, divino motus instinctu, qui linguas infantium facit disertas, et asinam Balaam impulit humanas formare voces, nutibus, signis, et gestibus, quibus poterat, et ut impellebatur a Spiritu, stans super gradus erectos ab Auspicio episcopo ex opposito januæ et ingressus basilicæ seu speluncæ muratæ, docebat, monebatque gradus illos frangi et aperiri. Nullus assistentium advertebat, utpote cum omnes tanta rapiebantur devotione, ut ab exterioribus curis omnino abstracti viderentur. Quid plura? Tamdiu perseverat Joannes, tantoque tempore gestus et signa multiplicat, ut tandem prudens imperator signa perpenderit, et aliquid divinum magnumque non immerito auspicetur : gradus imperator sanctus frangi jubet; quibus ruptis, januam sacelli seu basilicæ muratam conspiciunt. Janua iterum ad imperatoris jussum aperitur : ipsa aperta, jubet imperator Joannem de Casanova primum intro-
C mitti. Ingresso igitur Joanne de Casa nova, signo monet adstantes, ut profundius fodiant, et prope murum, quod occultatum fuerat, thesaurum invenirent; quæ omnia, jubente Carolo imperatore, sunt impleta.

qui tunc visus, auditus, et loquelæ usum obtinuit

92 Tandem dum paulo profundius foderent, alios gradus ad ingressum minoris basilicæ sive speluncæ singulis ingredientibus, alium murum ante parvam speluncam erectum invenerunt. Joannes de Casa nova primus ingreditur. O stupendum et admirandum divinumque miraculum! Invenit lampadem per sexcentos et triginta annos inexstinguibiliter ardentem ante pretiosas divæ Annæ reliquias. Quid amplius auditis fratres? An forsan surdescunt aures? Conspicite, precor, universi populi, et conspiciendo admiramini, et admirando veneremur divinam potentiam, quæ in inventione reliquiarum sanctissimæ Annæ ad consolationem sui populi est manifestata. Mutus loquitur, surdo auditus redditur, et cæcus videt Dei magnalia; cæcus videntes instruit, mutus loquentibus prædicat, surdus auscultat : et quid prædicat, audi. Alta voce clamat : In hac, inquit, fenestra est corpus sanctæ Annæ, matris virginis Mariæ. O Joannes, quis te instruxit? Certe, inquit, qui lumen oculorum mihi creavit, locum istum mihi aperuit. O Joannes, a quo audivisti? O, inquit, qui mihi aurem plantavit, et auditum tradidit, ille mihi prædicavit. O Joannes, quis tibi tam repente verba formare fecit? O, inquit, qui facit linguas infantium disertas, linguam meam conduxit. O Joannes, unde tibi tanta scientia fuit, cum litteras non didiceris? O, inquit Joannes, in quo est gratia : gratia quippe Dei scientiam in me infudit, et gratia ejus in me vacua non fuit.

AUCTORE G. C.

inventum fuerit.

93 Viso itaque divino et patenti miraculo, Christianissimus imperator pia et stupenda rapitur admiratione; jubet fenestram aperiri per archiepiscopum : in ea siquidem capsam cypressinam inveniunt. Aperitur arca : tunc prioribus miraculis additur et novum, nam tantus exivit odor ex ea, ut omnium pigmentorum fragrantiam superaret. Quid ultra? Hic odor longe lateque diffusus totam replevit ecclesiam. Non corporis mortui, sed aromatarii officina patuisse videbatur. Et quia indignum erat tam pre- E tiosum thesaurum a vermibus consumi, ideo, divina disponente gratia, integrum conservatum hucusque perstitit, serico involutum sudario. Erat insuper tabula super sanctissimum corpus posita, in qua scriptum erat : Hic est corpus B. Annæ, matris virginis Mariæ. Reduplicantur et multiplicantur Deo laudes, Te Deum laudamus ab archiepiscopo Turpino inchoatur, et a choro prosequitur; et ne ingratitudo beneficiorum divinorum novum fontem exsiccaret misericordiæ, et oblivio beneficia sepeliret divina, devotissimus princeps jubet fieri processum : singula per ordinem manu publicorum scribarum rediguntur, et omnia summo Pontifici fideliter referuntur : omnia per sanctissimum dominum nostrum Papam approbantur.

cujus inventionis annua memoria recolitur.

94 Et quia Dominica post festum Paschæ translatum fuit pretiosissimum corpus, hoc divino spiramine inventum, ideo hodie potius inventio nuncupanda est tanta solennitas, quam translatio; sed quo amplius causæ geminantur lætitiæ, et sibi invicem obviant festa Annæ, F tanto avidius præparemus animos nostros ad tantæ celebritatis jucunditatem, ut participes suorum meritorum, socii efficiamur et gaudiorum : nam prodest nihil festis interesse hominum, nisi sociemur festis angelorum. Si inventio sancti Stephani, Luciano dormienti facta, celebris in tota Ecclesia habetur, cur inventio facta Joanni de Casa nova vigilanti, muto, surdo et cæco, et tandem sanato, celebrior non reputabitur? Congaudeamus igitur, fratres, in inventione sanctæ Annæ; Matri et Filiæ, licet non quantas debemus, quales tamen possumus, offeramus gratias, orantes, ut meritis utriusque nos diu vitiis sepultos resuscitet ad gratiam Jesus Christus filius Mariæ. Amen. *Jam contra hanc narrationem aliquas difficultates proponemus.*

Ea Aptensium traditio non satis sibi constat.

95 *Imprimis ea traditio Provincialium non satis sibi constat : nam præter varias rescissiones ac alias minoris momenti discrepantias, persecutio, quæ hic* Marco Aurelio *tribuitur, in Lectionibus anni* 1664, Trajano imperante, *sæviisse dicitur. In iisdem nulla sit mentio de Turpino, archiepiscopo Rhemensi, qui tamen nominatim huic prodigiosæ inventioni interfuisse hic traditur.*

AUCTORE G. C.

traditur. Utrobique non placet, quod Carolus Magnus post Saracenorum irruptionem jusserit in Provincia confringi idola, et delubra deorum *everti. Neque etiam satis inter recentiores istius traditionis assertores convenit, quomodo et a quibus illæ reliquiæ primum ad Aptensem civitatem delatæ fuerint : relata enim superius historia de prima illarum translatione tacet. Lectiones jam laudatæ tradunt, eas* a primis Christianis *in Galliam allatas fuisse. Alia Aptensium traditio, quam in schedis nostris notatam invenimus, post jam memoratæ inventionis compendium ita habet :* Reliquiæ S. Annæ primum a divo Petro ex valle Josaphat Romam translatæ fuerunt ; deinde a Sancto Clemente datæ sunt S. Auspicio, quem ille episcopum Aptensibus destinavit. *Honoratus Bouche in Gallica Provinciæ historia tomo* I, *lib. 2, sect. 2, cap. 12, pag.* 495 *confidenter asserit, has sacras exuvias a sancta Maria Magdalena ac ejus sociis in Provinciam advectas fuisse. Trithemius et quædam instrumenta monasterii Benedictini, de quibus paragrapho* B *sequenti agemus, volunt, corpus* S. Annæ *a sancto Longino milite in insulam Barbaram prope Lugdunum Gallorum seculo primo portatum fuisse. At huic Aptensium traditioni et variis aliorum opinionibus contradicit Breviarium Romanum, anno* 1528 *Parisiis impressum, ubi in festo S. Joachimi, quod Julius II Pontifex die* XX *Martii celebrandum instituit, lectione octava leguntur sequentia :* Tempore vero Constantini, Helena, mater ejus Hierosolymam deveniens post Dominicæ crucis inventionem, corpus Annæ etiam Constantinopolim secum tulisse scribitur ; corpus autem conjugis Hierosolymis liquisse, ubi mira veneratione colitur. *Joannes de Montevilla aliique auctores eam translationem verosimiliorem existimant.*

et a Guesnæo nostro

96 *Guesnæus noster in Annalibus Massiliensibus. pag.* 248 *hanc traditionem refert hoc modo :* Anno DCCCI, Caroli imperatoris XXXIV (alii ajunt XXIII) peregrinatus [in] Provinciam Carolus, et certior factus de inventione S. Annæ, matris Dei Genitricis Mariæ, nunc primum factæ Aptæ Juliæ Vulgiensis die Paschatis festo octavo, illuc pietatis causa religiosissimus princeps ex itinere divertit. C Fama erat, reliquias Annæ sanctissimæ ab exulibus e Palæstina primis Christianis ad oras Provinciæ asportatas, tantisque pignoribus ditatam illustratamque fuisse Aptensem ecclesiam studio forte ac vigilantia S. Auspicii, primi urbis illius episcopi, quem furente Marco Aurelio imperatore adversus Christianæ religionis cultores ac potissimum contra pastores, intrepide tamen fidei mysterium provexisse, illicque cum circumquaque aperta esset tam cruenta carnificina, caulam dominicam collegisse, ac pastoris strenui pervigilisque munia subiisse omnia et explevisse, testantur annales ecclesiastici anno CLXI. *Si Guesnæus hic indicare velit suos Annales ecclesiasticos (in Annalibus Baronii nihil de hac re ad hunc annum invenio) error est in numero : nam de S. Auspicio agit pag.* 124 *operis citati ad annum Christi* 164.

aliter narratur,

97 *Porro in jam dicta traditione referenda sic pergit :* Cum autem postmodum Vandali cum plurimis aliis barbaris in Galliam ac præsertim anno CCCCVII in hanc Provinciam grassarentur, Aptenses Christiani in tam aperto religionis et rerum sacrarum profanationis discrimine S. Annæ venerandas reliquias in hypogæi, quod construxerant, ignotam specum abditas terra cumulaverunt : ubi retrusæ atque reconditæ in tenebris, D cum trecentorum aut quadringentorum annorum spatio sequentibus incognitæ posteris latuissent, optimis tandem auspiciis ac indiciis cælestibus inventum corpus, et in hypogæi reconditi tumulo commonstratum, Carolus imperator præsens omni apparatu ornatuque visendo in altum locari, et in theca cypressina ab episcopo includi voluit. Primus omnium, qui viam aperuit ad effodiendas thesauri hujus pretiosissimi gazas reconditas sibi divinitus indicatas, puer quidam nobilis ac filius baronis a Casanova, omnis vocis ac linguæ usu orbatus ab incunabilis, non tamen omni in Annam sanctissimam devotionis sensu. Hic aperto pariete, quem digito demonstrarat, in hypogæum ingressus, ut Patronam suam deprecaretur, statim felicem et optatum preces ejus ceterorumque, qui se illi comites adjunxerant, eventum habuere : vocis enim a linguæ usus ei per miraculum concessus : HIC JACET, inquit, CORPUS B. ANNÆ, MATRIS VIRGINIS MARIÆ. *Hæc attente confer cum narratione præcedenti, et videbis magnum traditionis discrimen.* E

contra quam aliquæ difficultates proponuntur.

98 *Præterea si jussu Caroli Magni* singula per ordinem manu publicorum scribarum rediguntur, et omnia summo Pontifici fideliter referuntur, omnia per sanctissimum dominum nostrum Papam approbantur, *ut Breviarium Aptense asserit ; mirum sane est, nulla antiqua hujus prodigiosæ rei monumenta proferri, præsertim cum tot scriptores veteres pia et gloriosa Caroli Magni gesta litteris consignaverint. Denique notari velim, ecclesiam Aptensem beatissimæ virgini Mariæ dedicatam fuisse, et in diplomatibus Aptensibus nullam fieri mentionem de inventione* S. Annæ *ante annum* 1407, *quo Joannes, episcopus Aptensis, concedit quadraginta dierum indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui opem contulerint ad honorifice collocandas* S. Annæ *reliquias, de quibus iterum paragrapho sequenti erit agendum. Id etiam observavit Dionysius Sammarthanus in novissima Galliæ Christianæ editione tomo* I *col.* 349, *ubi sic loquitur :* Templum *(nempe cathedrale civitatis Aptensis, de quo agit)* patronam habet Deiparam virginem. In dono castri de Sagnone, in bulla Paschalis II, et aliis chartis, beatæ Mariæ adjungitur sanctus Castor. Nunc in F hac ecclesia invaluit S. Annæ cultus, quæ pro tutelari a nonnullis censetur. *Non mihi lubet examinare diversa alia locorum, personarum, et temporum adjuncta, quæ fidem istius historiæ imminuerent.*

quamvis verosimile sit, Aptæ quosdam S. Annæ reliquias existere.

99 *Etsi omnes hæ difficultates contra prædictam narrationem mihi occurrant, tamen credere non possum, totam rei substantiam a scriptore longioris narrationis confictam fuisse : sed non dubito, quin eam variis episodiis exornaverit. Potuit itaque sacrum* S. Annæ *corpus (more in designandis reliquiis satis usitato partem pro toto intellige) ab immemorabili tempore Aptam deferri, ac deinde ob hostium incursiones aliasve causas abscondi, ita ut paucis iis, qui illud clanculum abdiderant, mortuis aut dispersis, occultus iste locus alios Christianos postea latuerit. Neque inficior, sacras hasce exuvias divino indicio aut miraculo repertas esse, quas Carolus Magnus, prodigiose earum inventione intellecta, postmodum devotionis causa visitaverit. Hæc fortasse, quæ numquam litteris mandata fuerant, aut perierant, post aliquot secula auctori anonymo fundamentum præbuerunt,* ut

A *ut historiam illam adornaret ex populari traditione, quæ tempore non parum crescit ac mutatur, ut quotidiana experientia discimus. Hinc verosimiliter ea traditio inserta est Breviario Aptensi, atque etiam transiit ad recentiores rerum Provincialium scriptores, ut videre est apud Cæsarem Nostradamum in Gallica Provinciæ historia pag.* 305, *Joannem Columbam nostrum in opusculis variis historicis pag.* 577, *aliosque auctores jam citatos. Quidquid sit, maneant Aptenses in immemorabili thesauri sui sacri possessione, ex qua sine evidentissimis argumentis non sunt deturbandi, et sanctam Deiparæ Matrem consueta pietate venerentur. De corpore* S. Annæ, *quod non procul Lugduno in insulam Barbaram portatum fuisse dicitur, jam pauca dicemus.*

§ X. Caput S. Annæ variis locis honoratum.

B

Caput S. Annæ in insula Barbara prope Lugdunum,

Trithemius in opusculo de laudibus S. Annæ *volens antiquum ejus cultum contra obtrectatores quosdam ostendere, cap.* 4 *inter alia sic habet :* Prope Lugdunum monasterium nostri Ordinis in insula Barbara est, ubi in capella quadam vetustissima corpus beatissimæ matris Annæ cum multa reverentia populi quiescit, quam sanctus Longinus miles Christi primum fundasse dicitur, et pretiosissimas illas reliquias a Hierosolyma secum deferens in eodem collocasse. Hujus rei in dicto cœnobio antiquissima monumenta reperiuntur. *At Claudius Laboureurius in libro, quem de Ruderibus insulæ Barbaræ Lugduni anno* 1665 *Gallice edidit, cap.*2 *rotunde edicit, manuscripta istius cœnobii monumenta parachronismis ac ineptiis scatere, et ab aliquo conficta fuisse. Quidcumque sit de illo S. Longini in insulam Barbaram adventu, quem sine sincerioribus instrumentis non facile credemus, haud dubie Trithemius per* corpus, *more aliis usitato, partem corporis intellexit, nisi omnes alias ecclesias sacris* Annæ *lipsanis privare voluisset. Forte intellexerit caput* S. Annæ, *quod Laboureurius in opere citato pag.* 301 *quotannis in processione cum aliis Sanctorum reliquiis in ea insula circumferri testatur. Sed neque hic integrum* S. Annæ *caput designari posse, ex sequentibus patebit.*

C

et in variis Galliæ ecclesiis

101 *Aptensis ecclesia, de qua paragrapho præcedente egimus, præter alias* S. Annæ *reliquias, sacrum ejusdem Sanctæ caput sibi vindicat: nam Honoratus Bouche tomo* I *supra citato pag.* 223 *in Chronographia Provinciæ lib.* 4 *cap.* 2 § 2 *affirmat, illud argenteæ lipsanothecæ inclusum, et pretiosis lapidibus ornatum religioso cultu honorari. At hic etiam totum pro parte accipi, evincit ipsa Aptensium traditio, de qua Guesnæus noster in annalibus Massiliensibus pag.* 248 *ita scribit :* Ejus sacri capitis inferiorem mandibulam secum imperatorem *(videlicet Carolum Magnum)* detulisse Aquisgranum, ferunt, nescio quæ, a majoribus verbo habitæ traditiones. *Præterea Dacherius in notis et observationibus ad opera venerabilis Guiberti de Novigento texens catalogum abbatum Majoris-monasterii prope Turones, occasione quinquagesimi primi abbatis pag.* 595 *de capite* S. Annæ *ita loquitur :* Matthæus Galteris (Gualtier) MDXI Majoris monasterii cœnobita, et doctor theologus societatis domus Sorbonicæ, impense in B. Annam, Dei Genitricis matrem, erat affectus : quare ab abbate S. Florentii Salmur. portionem capitis illius (quod asservari ferunt in prioratu de Gaya diœcesis Trecensis ab hoc ipso cœnobio pendente) obtinuit. *Adde, quod Marlotus in Metropoli Rhemensi tomo* 2 *pag.* 474 *dicat, partem ejusdem capitis in gazophylacio majoris ecclesiæ Rhemensis conservari.*

AUCTORE G. C.

esse dicitur.

102 *Ecclesia Deiparæ Carnutensis in Gallia etiam gloriatur capite* S. Annæ, *quod accepit a Ludovico comite Blesensi, qui circa finem seculi* XII *in Orientem profectus est, atque anno* 1205 *ibidem in prælio contra hostes generose occubuit. Necrologium Carnutense apud Mabillonium in novissima Analectorum editione pag.* 384 *de hoc dono ita meminit :* XVII Kal. Maii obiit Ludovicus illustris comes Blesensis, qui ad partes transmarinas in servitium Dei iter aggrediens septem libras et dimidiam nobis dedit . . . . . . qui etiam caput sanctæ Annæ, matris beatæ Virginis genitricis Dei apud Constantinopolim acquisivit, et huic sanctæ ecclesiæ cum pallio pretioso transmisit. Unde ex tanti præsentatione thesauri et susceptione materni capitis in domo Filiæ, facta lætitia magna in populo, Clerus hujus ecclesiæ et comitissa Katerina, quæ ex parte prædicti comitis, viri sui, caput præsentavit, in id concorditer convenerunt pio intuitu statuendo, ut singulis annis de oblationibus, factis prædicto sancto capiti, centum solidi in augmentum et ampliorem venerationem anniversarii ejusdem comitis adderentur. *Idem in Necrologio illo brevius repetitur, dum obitus Catharinæ comitissæ Blesensis, memoratur : suspicor, has reliquias forte desumptas esse ex iis, quas Codinus, supra num.* 48 *citatus, Constantinopolim delatas fuisse affirmat. Ut ut est, candidati canonicatuum Carnutensium coram his reliquiis jurare solent, sese legitimis parentibus natos esse, ut legi potest apud Sebastianum Roulliardum in Parthenia sive historia ecclesiæ Carnutensis cap.* 8 *num.* 4. *Nolo hic enumerare singulas Galliæ ecclesias, quæ partem ejusdem capitis sibi vindicant, sed ad alias regiones transeo.* E

Idem sacrum caput Bononienses in Italia.

103 *Primo occurrit Bononia Italiæ, quæ anno* 1435 *caput seu potius cranium* S. Annæ *accepit a B. Nicolao Albergato, ut in ejus Vita, quam die* IX *Maii illustravimus, tomo* 2 *ejusdem mensis pag.* 487 *ex Carolo Sigonio relatum est his verbis :* Nicolaus egregie ab omnibus collaudatus, in Italiam se recepit, ac cranium S. Annæ, matris beatæ Virginis ab Henrico rege *(iste est Henricus* VI *istius nominis rex Angliæ)* dono acceptum, pridie Kal. Decembris Bononiam attulit, atque ingenti ab universis honore acceptus, monachis suis Carthusiensibus dono dedit : qui ei oratorium S. Annæ in via S. Isaiæ condiderunt, ubi nunc etiam asservatur. *Frustra hactenus quæsivi, unde, aut qua occasione rex Angliæ sacrum hoc pignus acceperit. Si tamen conjecturæ locus detur, suspicor, hunc thesaurum seculo* XIV *ex Oriente in Angliam allatum fuisse, cum R. P. Laurentius Cuperus, Carmelitarum Provincialis, in Genealogia et Vita* S. Annæ *cap.* 13 *de ejusdem cranio narret sequentia :* Quo vero delatum postea sit idem S. Annæ cranium, accipite. Est igitur in Asia regio, quam Maryandinum vocant, Bithyniæ contermina, in qua nobilissima stetit urbs Acone, veneno aconito dira, quæ tempore longo Christiana, tandem per Othomannum Turcarum tyrannum sub annum Domini millesimum trecentesimum destruitur, et Machumetum agnoscere cogitur, F

AUCTORE G. C.


gitur, ubi et fratrum Carmelitarum, ad quatuor milliaria huic oppido vicinum concrematum est monasterium, fratribus adhuc ibidem inventis pro fide Christi crudeliter trucidatis: aufugerant attamen prius aliquot, qui ossa sacra permulta, et inter alia cranium B. Annæ, matris Deiferæ virginis in Europam asportaverunt: nam (ut Usuardus in Martyrologio scribit) in civitate Aconensi dormitio seu mortis dies B. Annæ septimo Calendas Augusti a multis seculis religiose et celebriter colebatur. *Per Usuardum hic intellige auctaria Usuardina, a Molano edita. Ceterum fides hujus narationis sit penes auctorem.*

Castelbonenses


104 *Nunc trajicio in Siciliam, ubi in Martyrologio Cajetani nostri ad diem* XXVI *Julii ita lego :* In Castellobono translatio capitis S. Annæ. *Sed idem Cajetanus in Animadversionibus ad Vitas sanctorum Siculorum post tomum* 2 *pag.* 82 *sic clarius sese explicat :* Castelli-boni oppidanorum patroni duo sunt: alter B. Guilielmus,
B altera D. Anna, mater SS. Virginis Mariæ, Dei genitricis. Ejusdem D. Annæ caput absque inferiore mandibula in eo oppido asservatur, summisque honoribus colitur. Vetus constansque traditio est, Joannem Hieracii comitem, hujus nominis primum (qui cum annos XCIII vixisset, obiit sub annum Christi MCCCCLXXII) caput S. Annæ cum pagis quibusdam in Lotharingia, Galliæ provincia, permutasse, atque in Siciliam deportasse. *Dominicus a Burgio Minorita in opere Italico, quod de* S. Anna *anno* 1690 *Panormi edidit, primam sacri istius capitis in Siciliam translationem multo antiquiorem facit: nam asserit, hunc pretiosum thesaurum anno* 1242 *Hieracium a comite Guilielmo allatum fuisse, ac postea a Joanne, quem Cajetanus noster memorat, circa annum* 1465 *Hieracio Castellum-bonum translatum esse. Sed ad hæc omnia probanda vix aliquid præter populi traditionem invenias.*

in Sicilia

105 *Idem P. Dominicus, tamquam testis oculatus, cap.* 22 *operis citati ornatum et formam istius capitis exacte descripsit, ac etiam æri incidi curavit, quam tabellam nos imitati sumus, ut*
C *hic vides.*



D *Infra argenteum hermam includitur sacrum caput, cujus fronti affixa est lamella argentea, in qua leguntur characteres Græci, quos P. Dominicus vitiose et minoribus litteris ita expressit :* ἡ κάζα τῆς ἁγίας Α΄΄ ννης τῆς μητζός τῆς Θεοτόκου. *Vera inscriptio (saltem Majores nostri eam pro genuina ex Sicilia acceperunt) sic se habet :*



Equidem fateor, ignorantia primi cælatoris hic voces nonnullas confusas, et forte litteras quasdam non recte expressas fuisse; sed cælatorem nostrum eam confusionem ac eamdem characterum formam imitari jussimus, ut istam inscriptionem fideliter repræsentaremus. Ceterum sic voces distingui, ac characteres legi debent: Η ΚΑΡΑ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΑΝΝΗΣ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΣ ΤΗΣ ΘΕΟΤΟΚΟΥ. E
Id est : CAPUT SANCTÆ MATRIS DEIPARÆ. *Denique P. Dominicus cap.* 23 *fuse narrat, quomodo anno* 1603 *idem caput furto sublatum, post duodecim annos miro modo repertum, et non sine miraculis agnitum, ac pristino loco restitutum fuerit. Nunc aliud ejusdem Sanctæ caput examinandum superest.*

et Marcodurani in Germania sibi vindicans.

106 *Marcodurum, nunc vulgo Dura et vernacule* Duren, *est urbs Germaniæ in ducatu Juliacensi ad Ruram fluvium sita, quæ jam a duobus seculis insignes* S. Annæ *reliquias, Moguntia clam sublatas, singulari pietate veneratur. Jacobus Polius Minorita in Exegetico historico* S. Annæ *cap.* 24 *et sequentibus singillatim exponit, quomodo hic sacer thesaurus Marcodurum pervenerit, quantæ propterea lites inter Marcoduranos et Moguntinos exortæ sint, et qua ratione Julius II Pontifex iis finem imposuerit. Serarius noster lib.* I *Rerum Moguntiacarum cap.* 17 *rem complectitur his paucis verbis :* In S. Stephani F
templo fuit olim S. Annæ caput; sed anno Domini MD circa B. Virginis conceptionis festum, a lapicida furto Marcoduram sublatum, ubi et hodie magna religione, circumfrementibus hæreticis, colitur: nam ibidem illud asservari decrevit post longas lites Julius II anno MDVII. *Unde autem Moguntini sacrum istud caput antea acceperint, explicatur tomo* 2 *Rerum Moguntiacarum, quas Georgius Christianus Johannis nuper collegit, ubi pag.* 572 *hæc leguntur :* Sacras inter reliquias, quarum quamplurimas ecclesia hæc D. Stephani memoriæ dicata a multis adservavit temporibus, singularique in pretio habuit, fuit sacratissimum caput D. Annæ, matris gloriosissimæ virginis Mariæ. Id, Frederico II imperante, Theobaldus, ad D. Stephanum scholasticus, vir doctus et pius, sacræque crucis in Terra sancta prædicator, anno MCCXII Bethlehemi, juxta cum aliis sacris lipsanis, a Patre cœnobii, quem Priorem vocant, accepit ac Moguntiam allatum in hac collegiata tamquam pretiosissimum thesaurum deposuit. *Deinde ibidem commissum furtum, Moguntinorum querelæ, ortæ turbæ, ac litis decisio referuntur.*

qui omnes de partibus capitis intelligendi videntur.

107 *Haud dubie jam aliquis quæret, quid de his omnibus reliquiis censendum sit. Quænam ecclesia, inquiet, inter tot competitrices verum* S. Annæ *caput possidet? Supra laudatus Dominicus a Burgio cap.* 21 *citati operis Italici respondet, maximam sacri capitis partem Siciliæ adscribendam*

AUCTORE C. C.

A *adscribendam esse, prout eam in superiori tabella exhibuit, atque apud Marcoduranos et Carnutenses minorem dumtaxat ejusdem capitis partem exstare, ut quodam testimonio de reliquis Carnutensibus probare nititur. Procul dubio idem dixisset de aliis, si scivisset, plures ecclesias, jam supra enumeratas, eumdem thesaurum sibi tribuere. Ut verum fatear, non displicet hæc explicatio : experientia enim didici, usitatissima phrasi in recensendis reliquiis sæpe totum pro parte poni. At quid si istæ ecclesiæ integrum* S. Annæ *caput, aut majorem illius partem ostendant? Tunc dicam, aliquas ex iis ecclesiis* S. Annam, *Deiparæ matrem, innoxio errore accepisse pro alia Sancta homonyma, quales multæ tum in Oriente tum in Occidente coluntur, ut ex primo Actorum nostrorum semestri, et ex aliis Martyrologiis satis apparet. Si neutra explicatio partibus litigantibus arrideat, ipsæ litem prosequantur, et antiquissima possessionis suæ documenta producant, dum interim ad recensendas alias* S.
B Annæ *reliquias progredior.*

§ XI. Aliæ reliquiæ, et paradoxum de corporali ejusdem Sanctæ resurrectione.

Varia S. Annæ brachia, aliaque recensentur, lipsana

In Analectis de S. Maximino, episcopo Trevirensi, tomo VII *nostri Maii pag.* 34 *inter reliquias Trevirenses refertur* brachium S. Annæ matris Mariæ. *Erhardus Winheim Cartusianus in Sacrario Agrippinæ pag.* 208 *asserit, Coloniæ in templo S. Barbaræ apud PP. Cartusianos servari* brachium S. Annæ. *Vasconcellus noster in descriptione regni Lusitani pag.* 549 *inter sacra Lusitaniæ delubra ad propositum nostrum hæc habet :* Quin et fanum Misericordiæ dicatum, diva Anna, cæli Reginæ mater, brachio illustrat. *In chronico Mindensi apud Meibomium tomo* I *Rerum Germanicarum pag.* 563 *inter alias Sanctorum exuvias ponitur* brachium S. Annæ devote adornatum. *Onuphrius Panvinius, agens de septem Urbis ecclesiis pag.* 81 *testatur, Romæ in sacrario S. Pauli apostoli in via Ostiensi exstare* brachium cum pollice S. Annæ, matris B. Vir-
C ginis Mariæ, inclusum brachio argenteo. *Hinc iterum patet, sæpe partem pro toto accipiendam esse; cum hic rotunde quinque brachia, et forte alibi plura, numerentur. Teste Pirro in Sicilia sacra tomo* 2, *pag.* 620, manus Annæ, matris Deiparæ, *in insula Melita honoratur. Bernardus Guido ex Ordine S. Dominici in tractatu de Sanctis, qui ornant Lemovicensem diœcesim, apud Labbeum nostrum tomo* I *Bibliothecæ Mss. librorum pag.* 636 *sacrum ejusdem Sanctæ lipsanon proponit his verbis :* Sanctæ Annæ mamilla, qua Dei genitricem Mariam virginem aluit et lactavit, habetur, veneratur, et manifeste ostenditur infra crystallum in ecclesia S. Annæ in loco, sic ab ipsa Anna denominato. *Denique Albertus Stadensis in suo Chronico ad annum* 1199 *de indeterminatis ejusdem Sanctæ exuviis ita meminit :* Anno Domini MCXCIX Hartwicus archiepiscopus de Terra promissionis Venetiam navigans, in Bremam perrexit, deferens ibi reliquias sanctæ Annæ, et gladium Petri, quo Malcho auriculam amputavit.

et profertur testimonium

109 *In Belgio nostro inter alias* S. Annæ *exuvias, de quibus videri potest Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, celebrantur supra memoratæ reliquiæ in Bottelaer, quarum antiquitatem et traditionem utcumque cognosces ex sequenti instrumento, quod P. Antonius Herreyns, Societatis nostræ sacerdos ac in agro Alostano missionarius, anno* 1727 *nobis exscribi curavit, et cum suo originali concordare testatur. Tenor autem instrumenti hic est :* Nos Alardus Kuyckius, vicarius ecclesiæ sancti Salvatoris in civitate Ultrajectensi sacerdos, sacellanus, nec non confessarius monialium Regularissarum Conventus Ordinis S. Francisci, in honorem beati Nicolai episcopi anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo, a Frederico Blancenhemio tertio hujus nominis (felicis recordationis) quinquagesimo autem primo ecclesiæ Ultrajectensis episcopo laudabiliter exstructi atque dotati, harum litterarum argumento bona fide declaramus, atque Deo conscio testatum facimus, ab initio prorsus conditi prædicti monasterii a dicto Blancenhemio episcopo impetratas, monasterio donatas, ac in summo altari repositas, summaque veneratione exceptas, cultasque fuisse has ex E
corporibus Sanctorum reliquias, S. Joannis Baptistæ, sanctæ Annæ Genitricis Dei matris, S. Barbaræ, nec non S. Apolloniæ, ac Blasii episcopi martyris.

pro ejusdem Sanctæ reliquiis in Bottelaer

110 Verum cum priorissa prædicti monasterii S. Nicolai, ætate ingravescente, adhuc majora Catholicæ religionis deinceps pertimeret detrimenta, monasterium quoque indies personarum majori laborare inopia consideraret, prædictas reliquias ex capsa desumptas, jussu priorissæ, viro Catholico et peramico Everardo Bottero in manus tradimus, ut ab hostium injuriis liberatæ in securiorem Catholicorum piorumque fidelium transirent venerationem : quam donationem sponte factam, ut posteri integram ratamque habeant, manu propria et venerabilis priorissæ, in præsentia sacerdotum infrascriptorum, subscriptas monasterii nostri sigillo communivimus. Datum Ultrajecti in loco nostro refugii anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, XXVI Augusti veteri stylo. Inferius erat subsignatum Alardus Kuyckius : et ab alia parte Margarita Henrici van Wynterswyck Priorissa : et paulo inferius ab utraque parte Joannes Maillaert, et Joannes van Waereghem, uterque Societatis Jesu sacerdos. Sigillum appendebat cum cauda rubri serici. Concordat hæc cum sua authentica, excepto quod ibi plures F
recensentur reliquiæ. Quod attestor ego frater Nicolaus Georgius sacri Prædicatorum Ordinis sacerdos, qui post prænominatos patres sacerdotes etiam expresse vocatus sui a prænominato domino Everardo Bottero ad deponendum, ac fidele testimonium reddendum.

Frater Nicolaus Georgius, qui supra.

Ego infrascriptus ac etiam supranominatus Everardus Botterus coram Deo declaro ac ejus testor Ecclesiæ militantis præsentia, me supranominatas Sanctorum reliquias eximio magistro nostro Provinciali P. F. Petro Woestimio in manus consignasse ac tradidisse eadem fide, qua accepi, ob ejus erga Sanctorum prædictorum pignora venerationem, cui quoque, eodem Deo teste, dedi partem capitis Martyrum sanctorum Gorcomiensium.

Everardus Botterus, qui supra.

quas episcopus Gandensis publicæ venerationi exponi permisit.

111 Jacobus Boonen, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Gandavensis fidem facimus, nos solicite supra nominatas reliquias SS. Joannis Baptistæ, Annæ, Barbaræ, Apolloniæ et Blasii episcopi ac martyris recensuisse, atque informatione

AUCTORE G. C.

informatione etiam prævia super nonnullis articulis, ad rei veritatem certius explorandam pertinentibus, de virorum gravium, prudentum et piorum consilio permisisse, prout hisce litteris permittimus, dictas reliquias ad majorem Dei gloriam et Sanctorum ejus honorem populique fidelis utilitatem et consolationem publicæ venerationi in ecclesias exponi, in quorum fidem hisce manu nostra subscripsimus, et sigillum nostrum imprimi curavimus. Gandavi die septima Martii, anno a Christo nato millesimo sexcentesimo et decimo nono. Jacobus episcopus Gandavensis. Sigillum ejus erat appositum in rubra cera. Ego infrascriptus frater Vincentius Clerici fidem facio et attestor, me reliquias S. Annæ, matris sanctissimæ virginis Mariæ cum licentia et in præsentia Prioris mei ex manu nostri fratris Jacobi van den Heede excerpsisse de capsula nostra supra summum altare nostrum posita, et in duas B partes divisisse, et unam partem minorem tradidisse ipsi patri Priori juxta me stanti ante summum altare, qui eodem instanti eamdem partem dedit in manus R. D. Joannis van Lekeburne pastoris in Botelaere, diœcesis Mechliniensis, hac XVII Martii MDCXXXVIII. Ita est frater Vincentius Clerici Ordinis Prædicatorum, sacrista Gandensis. Concordat hæc copia cum sua authentica, quod nos infrascripti fratres attestamur hac XXVJ Martii MDCXXXVIII. Joannes van Lekeburne, pastor S. Annæ in Botelaere. Judocus van Lekeburne, pastor in Lemberghe.

Neapoli et Duaci pedes S. Annæ ostenduntur,

112 *In Ms. quodam Gallico, quod perillustris D. Dominicus de Georgio Neapolitanus anno* 1714 *ad nos misit, narratur, qua occasione pes* S. Annæ *a principe Achaiæ ex Græcia in Italiam delatus fuerit, et quomodo jam in sacello palatii de Montemileto prope Neapolim honorifice conservetur; ubi quotannis festo Sanctæ a Neapolitanis pie invisitur. Duaci in Belgio ecclesia S. Amati præter alias Sanctorum reliquias publicæ venerationi exponit (verba sunt Rayssii in Hierogazophylacio Belgico pag.* 36*)* pedem dextrum, adhuc carne et ossibus amictum, sanctissimæ Annæ, matris genitricis [Dei] beatissi- C mæ Virginis Mariæ, et Christi Domini nostri aviæ. ..... Visitur prædictus pes in pede argenteo inaurato, illique justæ magnitudinis correspondente crystallo, a duobus angelis sustentato; subtus vero imagine sanctæ Annæ ejusdem materiæ conspicuo, qui nec tantum intuentes ad pietatem, sed etiam ad sacrum quemdam horrorem et venerationem permovet. De quo licet non inveniantur testimoniales litteræ vel diplomata, tantum thesaurum confirmantia, exstant tamen cujusdam antistitis Atrebatensis litteræ, quibus ob reverentiam (ut ego quidem pie existimo) tantarum reliquiarum Officium et festum sanctæ Annæ (licet observatum non sit) ab omni Duaceno populo observari quotannis jubet, quas videre nobis huc usque non contigit.

et Antverpiæ in Domo professa Societatis Jesu

113 *Antverpiæ in Domo Professa Societatis nostræ etiam possidemus notabiles* S. Annæ *reliquias, quæ quando et quomodo ad nos pervenerint, ex sequentibus intelliges. Accipe primo instrumentum legitimum, quod in Ms. lipsanologio nostro pag.* 113 *ita sonat* : Conradus Haegt decanus, ceterique capitulares ecclesiæ collegiatæ sancti Gangulfi Hinsbergæ, omnibus has visuris salutem in Domino sempiternam. Rogati, ut, sicut alii novam basilicam Domus Professæ Societatis Jesu Antverpiæ temporalibus thesauris condecorant, ita nos spiritualibus vel sacris potius exornare dignaremur; volentes honorem Patronæ nostræ D. Annæ promovere, Societatique toti nostrum affectum demonstrare, de exiguo, quod habemus, frustum costæ, humerum cum reliquo corpore ligantis, donavimus B. Annæ matris beatæ Mariæ virginis, quod ex reliquiario capituli nostri accepimus, ubi ab immemorabili memoria os hoc argento inaurato exornatum sub imagine B. Annæ asservatum fuit, factumque quotannis celeberrimum Officium, iisdem reliquiis populo ad honorandum in summo altari nostro expositis ipso S. Annæ sacro die. Rogati sæpius a magnatibus sumus, ut sese participes particulæ alicujus harum reliquiarum faceremus; sed negavimus hactenus omnibus, volentes integrum posteris tradere, quod a majoribus accepimus. Sperantes tamen hoc nostro (exiguæ quidem notæ, sed æstimatione nostra magnæ) dono Patronæ nostræ honorem augere et populi devotionem promovere in novo pretiosissimo templo emporii Belgarum primi, tenore harum R. admodum P. Carolo Scribani, Societatis Jesu provinciali, transmittentes partem costæ B. Annæ, damus donamusque, honorem ei beatæ Patronæ nostræ unice commendantes. In horum fidem his sigillum majus capituli nostri appendimus, manuque notarii publici signari fecimus. Hinsbergæ XV Octobris anni MDCXVIII.

varia ejusdem Sanctæ ossa conservantur,

114 *Deinde in eodem lipsanologio pag.* 190 *R, P. Jacobus Tirinus, præpositus Domus Professæ, testatur, quod* ex capite R. Annæ pars fere palmaris *data fuerit a P. Joanne Viringo, Societatis nostræ sacerdote, qui has aliasque sacras reliquias ex variis et antiquis Hollandiæ monasteriis acceperat. Præterea habemus pulverem ex ossibus* S. Annæ, *quem Atilius Amalthæus archiepiscopus Athenarum ad R. P. Carolum Scribanium misit, ut in citato lipsanologio pag.* 121 *authentico instrumento probatur. Omnia hæc* S. Annæ *ossa simul in pretiosa lipsanotheca conservantur, et sæpius cum argentea ejusdem Sanctæ statua publicæ venerationi exponuntur.*

qualia etiam alibi enumerantur.

115 *Tædium lectori afferam, si percurrere voluero singulas Christiani orbis ecclesias, in quibus veneranda* S. Annæ *lipsana inveniuntur : nam Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro ad hunc diem in sola urbe Romana plures assignat reliquias, quæ publicæ venerationi exponuntur. Præterea ibidem narrat, quomodo corvus sponsalem ejusdem Sanctæ annulum, qui in expilatione urbis Romanæ ablatus fuerat, prodigiose retulerit ad cœnobium monialium, ubi hactenus religiose conservatur. De hoc annulo actum est in Vita B. Sanctucciæ tomo* III *Martii nostri pag.* 363, *num.* 4. *Bucelinus in Sacrario Benedictino, quod Menologio suo subjunxit, sequentes* S. Annæ *reliquias enumerat, quæ in monasteriis sui Ordinis custodiuntur* : Hujus sacratissimum brachium cum pollice asservatur in nostro S. Pauli Romano cœnobio. Brachium S. Annæ in S. Pauli Romæ cum carne et cute. Crepida ejusdem in monasterio Gerardimontano ostenditur; de costa ejusdem in Maricolensi monasterio. *Videtur hic duo brachia distinguere, ex quo confirmantur ea, quæ superius monui.*

quarum omnium reliquiarum veritas cum opinione venerabilis Mariæ de Agreda

116 *At oportet falsa esse omnia, quæ de sacris* S. Annæ *ossibus huc usque protuli, si vera est revelatio, quam venerabilis Maria de Jesu, abbatissa Agredensis, in opere Hispanico, cui titulus* Mystica civitas Dei, *habuisse dicitur : illic*

A *illic enim parte* 2, *lib.* 6, *cap.* 26, *num.* 1468 *in editione Ulyssiponensi pag.* 573 *inter corpora Sanctorum, quæ Matthæi* 27 ✝ 52 *resurrexisse leguntur, præter Joachimum et Josephum, diserte nominatur* S. Anna, *quæ cum corpore et anima ad immortalem vitam resuscitata fuisse traditur. Unde sequitur, nulla istius Sanctæ ossa in terris superesse. Non existimo, ecclesias supra memoratas, quæ sacris* S. Annæ *reliquiis gloriantur, hoc consectarium facile admissuras esse. Saltem Josephus Geldolphus a Ryckel, abbas S. Gertrudis Lovanii, in Phylacterio tract.* 7 § 4 *de hac heteroclita sententia sic judicat:* Inconsiderata (ne dicam temeraria) assertio est quorumdam, qui inter Sanctos illos, quorum corpora surrexerunt et apparuerunt multis in triduo passionis, etiam recensent S. Annam, S. Joseph, et Joachimum. Quidquid sit de triduana illa corporum sanctorum apparitione, fueritne temporalis tantum, an secus, non definio. Hoc autem liquere puto,
B S. Annam, matrem Christiparæ, nequaquam inter eos annumerandam, si (prout præfert præfata opinio) resumpserunt corpora numquam amplius obnoxia corruptioni : nam ejus corporis reliquiæ inveniuntur in terris.

componi non potest.

117 *Præterea rogatos velim eos, qui omnia abbatissæ Agredensis scripta tam acriter defendunt, ut illam opinionem componant cum revelatione S. Birgittæ, quæ lib.* 6 *Revelat. cap.* 104 *ita habet:* Sacrista monasterii sancti Pauli extra muros Romæ dedit sponsæ Christi reliquias de S. Anna, matre Dominæ nostræ Virginis Mariæ. Cum igitur domina cogitaret, quomodo eas reponeret et honoraret, apparuit ei sancta Anna dicens : Ego sum Anna domina omnium conjugatarum, quæ fuerunt ante legem. Ego etiam sum mater omnium conjugatarum fidelium, quæ sunt post legem, quia Deus voluit de generatione mea nasci ; ideo tu, filia, honora Deum isto modo : « Benedictus sis tu Jesu fili » Virginis, qui de conjugio Annæ et Joachim » matrem tibi elegisti ; ideo propter preces Annæ miserere omnibus, qui in conjugio sunt,
C » ut fructificent Deo. Dirige etiam omnes, » qui ad conjugium tendunt, ut in eis honoretur » Deus ». Reliquiæ vero meæ, quas habes, erunt diligentibus in solatium, donec Deo placuerit eas altius honorare in resurrectione novissima. *Quomodo, obsecro, ista inter se conciliabunt?*

§ XII. Miracula S. Annæ, ac de iis judicium.

Etsi S. Anna multa clientibus suis contulerit beneficia,

N*ullum est dubium, quin innumerabilia per intercessionem* S. Annæ *patrata sint miracula, ita ut cum abbate Trithemio in tractatu de laudibus* S. Annæ *cap.* 14 *jure merito dici possit:* Si crebra miraculorum exhibitio reverentiam Sanctorum meretur, beata Anna maximo honore dignissima est, quæ devotis suis cultoribus tot ac tanta beneficia quotidie impendit, ut nemo sit, qui omnia possit enarrare. *Attamen non omnibus, quæ vulgo circumferuntur, æqualis fides adhibenda est: aliqua enim ex iis non modo certum rei gestæ tempus, locum, vel personas designare negligunt, sed etiam parum verosimilia, ne dicam incredibilia, continent, ita ut potius parabolæ quam vera exempla videantur. Equidem novi, non esse abbreviatam manum Domini, nec ideo rejicienda esse miracula, quia stupenda sunt; at quo magis prodigiosa sunt, eo majora pro iis testimonia exigo. Hinc miracula, huic Commentario historico subjungenda, in varias classes discrevi; de quibus singulis pauca in genere præmonebo, interim de particularibus factis liberum lectori judicium relicturus.*

AUCTORE G. C.

tamen aliqua non sunt satis probata,

119 *Petrus Dorlandus Cartusianus, qui in Zelemensi S. Joannis cœnobio apud Diestemium Brabantiæ oppidum anno* 1507 *obiit, varia collegit* S. Annæ *miracula, quæ in codice Ms. Cartusiæ Coloniensis conservantur. Ea quidem jam a Jacobo Polio aliisque citari, imo et referri videram; sed cum de textus sinceritate dubitarem, ac genuinum Dorlandi opusculum videre cuperem, scripsi ad P. Gabrielem Dülman, Societatis nostræ in Rheno inferiori procuratorem, cujus studio et diligentia ecgraphum desiderati opusculi non ita pridem accepi. Nec vana fuit mea de textus sinceritate dubitatio, cum Polius et alii quædam addiderint, quæ in Dorlando non leguntur, ut mox apparebit. Ceterum ut circa miracula,* E
a Dorlando collecta, mentem meam candide aperiam, nonnulla ex iis nimis vaga et indeterminata, alia, maxime portentosa, sufficientibus testimoniis destituta mihi videntur. Nolo tamen Petrum Dorlandum, qui in Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ vir singulari vitæ integritate, innocentia, pietate, et eruditione conspicuus *dicitur, fallaciæ accusare, quasi lectoribus suis imponere voluerit: nam opinor, illum bona fide posteris tradidisse prodigia, sicut ea simpliciter acceperat. Denique illam Dorlandi collectionem respectu aliorum in titulo appellavi* miracula antiquiora, *inter quæ experimenti gratia primum, quod post hunc paragraphum cap.* I *refertur, nunc juverit examinare et cum aliis auctoribus conferre.*

ut ex diversa ejusdem miraculi

120 *Dorlandus memoratum miraculum ita narrare incipit:* Anno Domini millesimo sexagesimo secundo fuit in regione Ungariæ juvenis quidam ditissimus vicesimum annum agens: hujus parentes, fratres ac sorores ex pestilentia F
grassante jam dudum obierant, et sic tota paterna hereditas, quæ amplissima erat, ad ipsum devoluta est . . . . Cum omnem paternam pecuniam more juvenum in tabernis et ludicris dilapidaverat, ad summam pervenit inopiam, ita ut non inveniret, quod manducaret. *Audi nunc Jacobum Polium, ultra centum annos Dorlando juniorem, qui idem miraculum quibusdam temporis ac loci adjunctis sic exornat:* Sub Gregorio V Pontifice ac Stephano Hungariæ duce, postea rege, in urbe Macaria sive Nuceria populosa et opulenta Emericus consulis potentis filius, parentibus per epidemiæ luem sublatis, ex asse heres, adolescentium more inexpertorum, anno ætatis vicesimo per vitam licentiorem totus prodigus, velut nix in sole, sal in aqua, glacies in igne, stuppa in flamma vorace diffluxit et egere cœpit. *Jam in utrumque hunc textum, inter se collatum, aliqua notanda sunt.*

narratione ostenditur,

121 *Imprimis si juxta Dorlandum id* anno Domini millesimo sexagesimo secundo *contigerit, quomodo Polius asserit, istud factum esse sub Gregorio V Papa et Stephano Hungariæ duce vel rege, qui ambo jam diu ante illum annum obierant? Deinde ubinam in Hungariæ regno sita est* Macaria *vel* Nuceria, *urbs populosa et opulenta? Invenio equidem Macariam in insula Cypro, et*

AUCTORE G. C.

triplicem Nuceriam in Italia; sed nec unius nec alterius nominis civitatem hactenus in Hungaria usquam reperi. Præterea unde Polius novit nomen istius adolescentis, quem Dorlandus tot annis ante anonymum relinquere coactus est? Denique unde Polius omnes has circumstantias eruit, quas Dorlandus ignoravit? Satis, inquies, id indicat, quando narrationem suam ita concludit: Omnem prædictæ rei gestæ seriem toti mundo testatam reliquit et scripto firmavit Reginaldus juris utriusque doctor ac Stephano regi a secretis. *Sane miror, hunc scriptorem Dorlando ignotum fuisse, aut si notus fuerit, ab ipso citatum non esse, ut prodigia tanta teste synchrono probaret. Saltem ego post non levem inquisitionem hactenus nullam istius Reginaldi memoriam invenire potui. Superest etiam alius scrupulus; nempe non capio, quomodo Reginaldus iste, regis secretarius, affirmet, a Stephano Hierosolymitanum iter institu-* B *tum fuisse, cum in Actis S. Stephani et historiis Hungaricis altum de hac peregrinatione sit silentium. Discere itaque cupimus, ubi exstet istud Reginaldi scriptum, ut de ejus sinceritate judicium ferre possimus. Atque hæc de primo miraculo dicta sufficiant: circa reliqua in Annotatis nonnulla observabo.*

et similia etiam R. P. Laurentio Cupero, Carmelitarum provinciali, suspecta fuerunt.

122 *Hæc et similia Dorlandi prodigia in libellis Flandricis passim legenda proponuntur, de quibus R. P. Laurentius Cuperus, Carmelitarum per Germaniam inferiorem provincialis, in Genealogia et Vita* S. Annæ *apud nos pag.* 152 *tale olim tulit judicium:* Equidem, *inquit,* inferioris Belgii nostri sermone vernaculo libellos typis excusos vidi duos, quorum prior sine consule, quod aiunt, hoc est die vel anno vel auctore vel typographo fuit: alter Antverpiæ e regione Manus aureæ in Lombardorum mœnibus apud Nicolaum Vivatium evulgatus erat anno Domini MDLXIV decima septima Decembris. Uterque libellus miracula complura mortalibus per preces B. Annæ in remedium data continebat; sed quæ mihi, quamvis non impossibilia, minus tamen probabilia videbantur. Quia nec curionum, adeoque nec episcoporum, neque reipublicæ magistratus testimonio confirmata legebam. C Quapropter omissis hujusmodi non approbatis libellis, certiora sequamur. De miraculis, quæ sunt precibus beatæ Annæ hominibus exhibita, Joannes Trithemius abbas Spanheimensis scripsit librum, qui Moguntiæ impressus est anno MCDXCIV. Et quoniam quæ procul et olim facta sunt, apud omnes passim non inveniunt fidem, nos unicum dumtaxat supra naturam dono cælesti precibus sanctæ matris Annæ concessum miraculum in initio hujus libelli præfiximus, quod in acutissima sua febri ac deplorata corporis valetudine Rodolphus Agricola Frisius, vir doctissimus, impetravit. *Hoc beneficium, Rodolpho Agricolæ præstitum, inter* miracula antiquiora *num.* 75 *refertur, de quo et ejus eucharistico carmine pauca illic annotabo. Nunc ad alteram miraculorum classem progrediar.*

Authentica sunt miracula,

123 *Secundo loco exhibebo miracula recentiora, quæ post mirabiliter inventam* S. Annæ *imaginem, ut supra* § 8 *retuli, in Britannia Armorica contigerunt, et de quibus jam sæpe laudatus Joannes Thomas a sancto Cyrillo cap.* 25 § 13 *ita in genere loquitur:* Perplura alia illustria miracula ex libris evulgatis vel registris ecclesiæ, quibus, quæ principalioris ordinis et classis sunt, exacte et fideliter consignata continentur, vel etiam publicis passim desuper confectis instrumentis haberi possunt: inter quæ numerantur D duodecim mortui, qui gloriosissimæ hujus Matris merito vitæ restituti: sexaginta periculose infirmi præsentissimo mortis periculo feliciter erepti: duodecim cæci, qui visus; novem muti, qui linguæ; et decem surdi, qui auditus usui; ac tredecinm captivi, qui libertati miraculose restituti: et innocentes a falsis accusationibus vindicati: triginta sex paralytici, quibus integer membrorum usus; et tredecim alii, quibus [in] humanitus incurabilibus morbis sanitatis integritas restituta. Triginta tres, qui in vasto mari, naufragio; triginta quinque, qui alias in aquis præsenti submersionis periculo erepti: tredecim ex servitute Turcica salvi et liberi evaserunt. Octo feminis sterilitate, et quindecim periculosa pariendi difficultate laborantibus, his facilioris partus, illis vero fœcunditatis desideratissimum beneficium obtigit. Pluribus quam centenis a diversis infirmitatibus salus restituta est. Quinquaginta duo a diversis accidentibus, E quorum malignitate mors certa secutura fuisset, feliciter liberati.

quæ in Britannia Minori contigerunt,

124 Tandem plurimi manifestas et gravissimas sinistri sui circa hanc devotionem judicii pœnas dederunt. Potiora et illustriora ab anno MDCXLVII, quo hæc consignatio facta fuit, contigerunt. Sed quo pretiosior animæ quam corporis salus, hoc etiam nobiliora et magis notabilia circa animam facta veniunt miraculosa beneficia: puta, omnino prodigiosæ hominum in peccatis obstinatorum conversiones; peccatorum a quinquaginta annis neglectorum factæ confessiones, et mirabilis animarum metamorphosis. Hujusmodi vero beneficiorum facile non est numerus, nec nisi sacrosanctis pœnitentiæ tribunalibus cognitus: quæ proinde ob sacri et inviolabilis sigilli confessionis reverentiam justissime tacentur et celantur. *Inter innumerabilia hæc miracula seligam aliqua ex libello Gallico, quem anonymus Societatis nostræ sacerdos anno* 1664 *Venetiæ in Britannia Minori edidit. Porro hæc omnia beneficia tot tantisque testimoniis confirmata sunt, ut homines etiam hypercriticos de veritate convincere debeant, maxime cum RR. PP. Carmelitæ incredulis* F *longiores informationes et authenticos processus possint illic ostendere.*

quibus addimus alia, ex variis scriptoribus collecta.

125 *Cum aliquando legissem, ad Marcoduranas* S. Annæ *reliquias varia patrata fuisse miracula, incessit me cupido ea obtinendi, ut huic operi insererentur. Scripsi itaque ad supra laudatum et officiosissimum Gabrielem Dülman, ut Marcoduri dignaretur inquirere, an illic superesset scripta similium beneficiorum memoria. Fecit is diligenter, quod rogaveram; sed post iteratam inquisitionem nihil inveniri aut obtineri potuit. Interim incidit in manus meas libellus Hispanicus, per Joannem de Robles, canonicum regularem, Burgis anno* 1567 *editus, in quo Marcodurana miracula recensentur. Imo ea olim Latine conscripta fuisse intelligo ex ipso auctore Hispano, qui ante illa sic præfatur:* Hæc est copia miraculorum Latine impressorum, quæ recenter ex Romana urbe ad me pervenerunt. Transtuli autem ea in linguam Hispanicam, nihil mutata rei substantia; sed verbum de verbo expressi. *Cum igitur Latinum eorumdem exemplar nusquam reperire potuerim, tetrico labore coactus fui ea iterum ex Hspanico idiomate Latina reddere. Etiamsi autem Joannes de Robles ea fideliter ex Latina lingua transtulerit, tamen propria locorum nomina ita interdum luxavit,*

A *vit, ut ea vix divinando cognoscas, sicut in Annotatis observabo. Ceterum illa tertiæ miraculorum classi inserui, in quam varia miracula ex diversis auctoribus sparsim collegi, ut per decursum videbitur. Hæc autem copiosa miraculorum collectio a me facta est in gratiam concionatorum, ut ex iis certiora eligant, et ita auditores suos ad solidam* S. Annæ *venerationem ac reverentiam exhortentur, cum de Actis illius parum certa possint populo proponere. Nunc singula eo, quo dixi, ordine accipe.*

MIRACULA ANTIQUIORA

Collecta a Petro Dorlando Cartusiano.

Ex Ms. Cartusiæ Coloniensis.

B

PROLOGUS.

Adhortatio ad cultum S. Annæ.

Quisquis ille es, qui aut criminum molibus prægravaris, aut scelerum immanitate terreris, aut crebris tentationum procellis impugnaris, aut curis exundantibus anhelus efficeris, aut adversis fortunæ casibus agitaris, aut redolentis olim famæ damna perpeteris, aut turpissimi amoris facibus inflammaris, aut sinistra de te suspicione confunderis, aut carcerali maceratione afficeris: huc, quæso, huc ad clarissimos miraculorum Annæ radios cito oculos converte, unde tibi et veniam et gratiam, quietem et sanitatem, refrigerium et gaudium sperare poteris et impetrare. Perpende, obsecro, ex his Annæ prodigiis maximis, quæ coruscarunt in ceteris, quid debeas ambire in calamitatibus tuis, quia revera non est abbreviata promptissima manus ejus, si ei vel devote serviveris, vel obnixe deprecatus fueris. Annam invoca; ipsa numquam ab ore, numquam a corde recedat *a*, ut celerem in cunctis tum corporis tum animæ doloribus C eam accipias adjutricem. Hinc quoque te admonitum velim, lector candide, ne miracula hæc, quæ scribimus quasi aut conficta aut minus vera contempseris; habe de mea conscientia, obsecro, bonam opinionem *b*, non enim adeo dementis sum animi, ut velim mentiendo salutis discrimen incurrere, cum tacendo possim tutissimus permanere; scriptum quippe est: Os quod mentitur, occidit animam. Agnosce igitur eum abysso jam mortis absorptum, qui sic inanibus fabellis hominum gloriam aucupatur, ut malit mentiendo perire, quam subticendo proficere.

ANNOTATA.

a *Hæc auctor composuit ad imitationem S. Bernardi de nomine Mariæ, ut videri potest in Officio, quod Dominica infra octavam beatissimæ Virginis quotannis recitamus.*

b *Habeo de conscientia Petri Dorlandi bonam opinionem, ut in Commentario historico num.* 117 *dixi. Non tamen hinc certiora redduntur hæc omnia miracula, quia potuit Dorlandus pia simplicitate et sine mendacio colligere prodigia, quæ tunc vulgo circumferebantur.*

EX MS.

CAPUT I.

Adolescens Hungarus a sancta Anna variis periculis ereptus et multis favoribus cumulatus.

Adolescenti Hungaro ad paupertatem redacto, *a*

Anno Domini millesimo sexagesimo secundo *a* fuit in regione Ungariæ juvenis quidam ditissimus vicesimum annum agens, hujus parentes fratres ac sorores ex pestilentia grassante jam dudum obierant; et sic tota paterna hereditas, quæ amplissima erat, ad ipsum devoluta est. Sed quia flagellat Deus omnem filium, quem diligit, omnia in illum repente elementa consurgunt, et orbis terrarum suam in ipsum exsequitur vindictam; ventus namque vehementer irruens a fundamentis domorum, quas possidebat, latera concutiens, tecta E cum parietibus ad terram dejecit. Ignis vorax omnem domus suæ substantiam absorbuit, fulmina crebris ictibus omnia ejus blada *b* et cuncta, quæ *b* ad illum in arboribus fructibus et vineis pertinebant, absumunt; et cum omnem paternam pecuniam, more juvenum, in tabernis et ludicris dilapidaverat, ad summam pervenit inopiam, ita ut non inveniret quid manducaret.

et ob debita patriam deserenti *c*

3 Erat etiam ipse debitor multorum, et non habente *c* eo, unde posset se quotidie monentibus satisfacere, cum indignatione magna et impatientia in hæc verba prorupit: Væ mihi, Deus mutatus est mihi in crudelem, et in duritia manus suæ adversatur mihi: elementa quoque omnia conspirant adversum me. Quid agam? Quo me vertam? En afflictionem magnam, et neminem consolatorem. Nam et propinqui mei despiciunt me, et qui me paulo ante diligebant, quasi alienum habent me. Cœpit itaque cogitare, ut, patria relicta, quasi peregrinus in longinquam pergeret regionem; cumque jam unum milliare extra civitatem confecisset, positis in terram genibus, protendens cum manibus faciem in cælos, ab imo pectoris alta ducens suspiria, ita ad Deum locutus est: O clementissime Deus, si est aliquis apud te Sanctorum in cælis, qui soleat miseros afflictosque consolari, is mihi nunc in auxilium, quæso, festinus occurrat; et hæc dicens F amaris lachrymis respersus totusque in lamenta resolutus est.

S. Jacobus apparet, eique suadet cultum S. Annæ,

4 Ipso itaque sic plorante, descendit ad eum de cælis sanctus Jacobus apostolus, Hispanorum patronus, in habitu peregrini, quem hic juvenis sæpius multa devotione coluerat; cui Sanctus ait: Quid habes, fili? Cur tam amarissime ploras? Cumque ad hanc vocem omnem cordis sui amaritudinem sancto Jacobo, quem tamen non cognoscebat, explicuisset, ait ad illum beatus Jacobus: Si cupis consilium, solatium atque auxilium in tuis miseriis invenire, Annam beatissimam totamque progeniem ejus studeas honorare. Hæc est enim alma Dei Genitricis Mater, aviaque Christi Domini: hæc est veteris terminus testamenti et inchoatio novi; hæc est omnium afflictorum se invocantium optima consolatrix. Ad hæc juvenis, Quo ritu, ait, et qua devotione debeo Annam sanctissimam venerari? Cui Apostolus: In qualibet hebdomada feria tertia dices Pater noster ter, et ter Ave

Ex ms. Ave Maria, ad honorem ejus, dicesque in fine cujuslibet Ave Mariæ hoc modo : Et benedicta viscera Annæ matris, quæ portaverunt æterni Patris Filii sanctissimam Genitricem. Lumen quoque candelæ succendes coram ea, vel in loco, ubi coli sit solita. Ad quæ juvenis : Oro te, ait, dic mihi, cur potius feriis tertiis quam aliis, Annam feceris venerari? Respondit Sanctus : Quia hoc die ipsa genita est, hoc die Christi Genitricem enixa est, atque hoc die luce perfuncta migravit ad Dominum. Cui ille, Et tu, ait, qui id nosti? Apostolus respondit : Noli mirari, si ego id novi, quia de ejus filia ipse sum genitus, et ipsa est avia mea *d*, quo dicto sanctus Jacobus disparuit et ultra eum intuitus non est.

cujus opem in tempestate maris experitur.

5 Stupens igitur et vehementer admirans surrexit, et proximam civitatem, quæ Dochem *e* dicebatur, ingressus, a quodam devoto et docto sacerdote cœpit diligenter inquirere; quænam Anna, quæ vero ejus familia diceretur. Cumque eum sacerdos de singulis sufficienter instrueret, intellexit devotus adolescens, quod is, qui secum in via fuerat locutus, sanctus Jacobus esset, de Maria Salome Annæ filia generatus. Docuit insuper eum memoratus sacerdos, quomodo sanctam Annam ejusque progeniem devotus excoleret. Abiit itaque hic juvenis, et ut victum sibi quotidianum provideret, datis aliquantis nummis, picturæ artem a magistro didicit : cumque multum sedulus niteretur, numquam tamen nisi sanctam Annam, aut qui ad ejus progeniem pertinent, depingere novit. Aliquanto post tempore contigit, ut Rex Ungariæ sanctam civitatem Hierusalem *f* pergeret invisere, sacerdotem illum, qui dictum juvenem instruxerat, secum pro capellano accipiens : et quia hic juvenis in ministerio præfati sacerdotis morabatur, factum est, ut una cum suo domino et cum memorato rege navigaret. Illis itaque alta maria transmeantibus, subito horrida nimis tempestas exsurgit, et universis ingenti metu formidantibus, singuli cum multa instantia suos patronos ad pericula mitiganda invocabant. Sed heu, nullus e cælo misericors vota respexit! Inde cunctis gravior amaritudo surrexit, et, procellis augmenta capientibus, vicina mors omnium animos vehementer afflixit. Tunc surrexit præfatus juvenis, et positis genibus, protendens manus et faciem in cælum, auxilium Patronæ suæ clara voce deprecatur dicens : Anna mater, una cum Filia tua et Nato ejus succurre, obsecro. Hoc modo in cunctis necessitatibus suis solitus est Annæ præsidium invocare; vix dum verba compleverat, et subito omnis illa ventorum undarumque tempestas mitigata est. Stupidus factus rex Ungariæ, de novitate miraculi lætus, ait ad juvenem : Dic mihi, fili, quem Sanctorum pro hac serenitate deprecatus es? Cui ille : Habeo, inquit, in omnibus adjutricem Annam beatissimæ Dei Genitricis matrem; hæc modo per me invocata, hanc tranquillitatem præstitit, quam tenetis. Ad quem rex ait : Video, quia sanctam Annam multo et ferventi diligis amore, et ideo ob reverentiam et gratiam ejus apud me expensas habebis omnibus diebus vitæ tuæ, et nulla re umquam apud me egebis. Suscipit ille libens, quæ offeruntur a rege, et hoc beneficium Annæ matris providentiæ deputans, illi gratias decantabat.

Deinde arte pictoria se exercens

6 Uno itaque anno exacto, cœpit ipse curialium mores exosos habere, tædereque de mensa regis, ad quam non nisi semper verecundus accederet. Alloquitur itaque cum tristitia sanctam Annam in orationibus suis : Quam felix est, ait, et securus, o beatissima Mater, qui de sua propria facultate sibi potest necessaria providere, ut non cum rubore ad alienas mensas accedat! Oro itaque te, dulcis Mater, ut mihi proprium aliquid largiri digneris, quo non egeam ultra alienis sumptibus sustentari. Cumque has preces crebro coram sanctæ Annæ imagine cum multa instantia replicaret, puer Jesus, quem ipsa inter brachia continebat, orantem hominem sic allocutus est : Ego, ait, Mariæ sum Virginis Filius, et Anna, quam tu ob honorem dignissimæ Matris meæ solitus es venerari, ipsa est avia mea : et quia tu eam honoras : ego quoque te hic super terram et etiam super cælos perpetue honorabo. Hæc vir Dei cum audisset, exhilaratus est in spiritu, et cum ingenti lætitia gratias agens Domino, ecclesiam egressus est, et ecce sacerdos ille, qui quondam eum hospitio receperat, factus est illi obviam, qui et dixit ei : Video te lachrymis perfusum. Quid habes mali? Cui ille inquit; Nihil; sed effudi orationem coram Anna beatissima, et infantulus de sinu ejus hæc et hæc verba mihi locutus est. Cui sacerdos : Quia, inquit, te semper mater Anna honorat, honora et tu ipsam modo quo potes; et quia picturæ artem optime nosti, consulo tibi, ut totam a me [edoctus] progeniem, ad hujus ecclesiæ turrim spectabili decore depingere festines : hoc enim modo omnem populum in amorem sanctæ Annæ poteris concitare. Placuit illi consilium sacerdotis, factaque ex asseribus trabibusque structura altissima, eam usque ad turris culmina in sublime jussit attolli. Hæc enim machina ad hoc constructa est, ut in ea ipse stans posset commodius sine ruinæ periculo ea ad turrim altissimam pingere, quæ volebat.

invocatione ejusdem Sanctæ manifesto mortis periculo eripitur,

7 Cumque in multa artis suæ industria et in multo pietatis affectu omnem sanctæ Annæ progeniem ad sublime turris ædificium variis colorum ornamentis depinxisset, diabolus ejus invidens devotioni ventum validum concitavit ab Aquilone, qui omnem illam machinam, in qua pictor ipse stabat, vehementer concutiens, in fragmenta comminuit; cumque nil aliud restaret, nisi ut et ipse deorsum repente corruens terribili lapsu rumperetur, memor Annæ sanctissimæ, ejus præsidia requisivit : Anna mater, ait, una cum Filia tua et Nato ejus succurre, obsecro. Ad hanc vocem imago Annæ, quam ipse illic depinxerat, subito illi chlamydem suam porrigens, qua erat amicta, jussit, ut in ea ipse se retineret, ne caderet. Mirabile dictu! Capit ille in manibus suis vestem in pariete formatam, et ita in ea se a ruina præservat, acsi ad solidum aliquod corpus dependeret. Videbant ergo omnes incolæ civitatis hominem in sublimi aere de vecte imaginaria pendentem, nullo fultum corporali præsidio; et nimio stupore permoti clamores dabant ad cælos. Currit fama ad regem, qui cum omnibus aulæ suæ nobilibus ad stupendum miraculum festinanter accurrit. Cumque multum anxius rex esset cum omni populo, quonam modo ipsum pendentem sine læsione deponeret (erat enim turris altissima nimis, nec facile illuc sine gravissimo labore et periculo pertingere quis poterat) continuo

A tinuo vident omnes, qui aderant, ipsum paulatim et cum moderamine deorsum demitti, et sic per aerem sensim descendere, acsi alicujus instrumenti præsidio uteretur. In ipso itaque descensu, cum cœpit ab imagine demitti, Annæ suffragium solita oratione requirit, et sine omni læsione cunctis in stuporem maximum conversis, ad basilicæ fores sese deposuit. Videns itaque rex tam stupendum miraculum, et Annæ matris pietatem erga suum cultorem considerans, multas ei divitias in auro et argento largitus est, et in magno illum honore et reverentia apud se habuit.

et a rege Hungariæ divitiis cumulatur,

8 Acceptis ergo a rege muneribus, intelligens, satis se jam habere, ut jam de bonis propriis vivere posset, statuit aulam deserere, et ad natale solum remeare; prius tamen ecclesiam ingrediens, sanctissimæ Annæ devotas gratias retulit, cujus ope tantas a rege divitias esset adeptus. Ingressus itaque civitatem cœpit primum omnibus, quibus debitor fuerat, facere solutionem, domum quoque paternam ob honorem sanctæ Annæ in ecclesiam dedicavit et hospitale
B in susceptionem peregrinorum illic constituit; vixit quoque post hoc annis septuaginta *g* factusque civium magister, et præfati regis secretarius *h*, sese quotidie Annæ ministerio devotissime mancipabat. Ob cujus amorem et reverentiam in perpetua virginitate perdurans numquam feminam in vita sua attingere voluit. Egit quoque apud regem, ut per totam Ungariam Annæ festivitas coleretur, et sua per omnes ecclesias imago pingeretur.

et tandem in fine vitæ a Deipara,

9 Cumque hic sanctus vir ad terminum vitæ proximaret, cœpit lecto decumbens gravi corporis molestia fatigari. Ad quem sanctissima Dei Virgo Maria de cælis adveniens, cœpit eum dulcissime consolari, dicens : Charissime frater, quomodo te habes? Cui ille nesciens, quia Maria est, ait : Tu fratrem me nominas, sed ego sororem non habeo. Ad quem religiosa Virgo respondit : Si sancta Anna est mater tua, tunc ego soror tua sum, et tu quoque meus frater et Filii mei avunculus es. Tunc ille lætus cœpit inquirere dicens : Itane tu Maria es, mater
C misericordiæ, et Jesus Christus ipse Filius tuus? Cui illa : Ego sum Maria, dulcissima soror tua : et ostendens ei puerum pulcherrimum, quem tenebat in brachiis, ait : Et Anna tua, et mea mater, hujus infantis avia est. Hæc audiens vir sanctus, superque, quam credi potest, exhilaratus spiritu, dixit ad Mariam : Te laudo, te benedico, o clementissima Maria, una cum Anna matre et sanctissimo Filio tuo, et ex toto corde gratias ago super humilitate et mansuetudine vestra, quæ mihi in mea miseria et afflictione semper sedulo adstitistis, et insuper me peccatorem suprema morte laborantem benigne visitare et consolari dignati estis. Conversusque mentem et oculos ad Christum Jesum, quem Virgo gestabat, cum multa devotione deprecatus est, dicens : Succurre nunc, benignissime Jesu, et mihi in extremis dignanter assiste : et ad Virginem ait : O sanctissima Maria, auxiliare nunc mihi, clementissima soror, tu Anna, mitissima mater, ora pro me, et a gehennæ incendiis libera me.

ac S. Anna invisitur.

10 Cumque sanctam Annam cum magna instantia invocaret, venit ad eum de cælo cum magna gloria, et residens juxta eum, clementissimis verbis consolabatur eum, in hunc modum : Noli, charissime fili, anxius esse; neque paveas quidquam : tu enim ob honorem Filiæ meæ ac unigeniti Jesu Christi semper me honorasti, et in multa devotione coluisti, et idcirco te nunc protegemus et honoratum ad cælestia transportabimus. Præterea quicumque me aut eleemosynis aut jejuniis aut cereis ardentibus aut precum laudibus honoraverit, huic ego dabo in præsenti tempore castam et religiosam vitam, et in hora mortis benignam consolationem, in omni quoque periculo promptam ereptionem : et hæc dicens, protendit digitum ad Jesum, quem Maria tenebat in brachiis, aitque rursum illi; Ecce, hic est charissimus Natæ meæ Filius, qui cælos aperit, et inferna concludit : huic animam tuam recommendo : et hæc Anna cum diceret, statim vir ille beatus inter brachia Domini salvatoris animam corpore exuit, et cum eo cælorum regna conscendit. Ecce, dilectissimi, quomodo Deus omnipotens honorat eos, qui Annam, Dei Genitricis matrem, venerantur : nam quotiescumque hic sanctus homo Annam beatissimam invocaret dicens : Anna mater, una cum Filia tua et Nato ejus succurre, obsecro; toties in omni tribulatione aut corporis aut animæ celerrimum capiebat auxilium. In omni periculo, in omni consilio, in omni necessitate, et maxime in omni carnis tentatione Annæ præsidia illi succurrebant ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est Deus benedictus in secula. Amen. E

EX MS

ANNOTATA.

a *Si id* anno Domini millesimo sexagesimo secundo *contigerit, quomodo id fieri potuit* sub Gregorio V Pontifice, et Stephano Hungariæ duce, postea rege, *ut Polius aliique scribunt? Uterque enim jam diu ante illum annum obierat, ut in Commentario historico num.* 121 *observavi.*

b Bladum *plerumque accipitur pro tritico, etsi interdum quævis legumina, segetes, frugesque significet, ut videri potest apud Cangium in Glossario.*

c *Est solœcismus; at sensus satis clarus est.*

d *Hanc opinionem in Commentario historico fuse refutavimus.* F

e *Polius vocat eam civitatem* Docheni; *sed neque* Dochem *neque* Docheni *usquam terrarum invenio.*

f *Non legi in historicis Hungaris, S. Stephanum aut ipsum proxime secutos Hungariæ reges iter Hierosolymam instituisse; adeoque etiam ex hoc capite suspecta mihi est ea narratio.*

g *Debuit ergo vir ille ferme fuisse centenarius : nam initio dicitur habuisse viginti ætatis annos, quando paterna hereditas ipsi obtigit. Deinde didicit artem pictoriam et peregit peregrinationem Hierosolymitanam. Denique aliquanto tempore in aula commoratus est, et* post hæc annis septuaginta *vixisse fertur.*

h *Si aulam deseruerit, ut paulo supra narratur, quomodo factus est* præfati regis secretarius, *cum plerumque regum secretarii in aula soleant degere?*

CAPUT

EX MS.

CAPUT II.

Alter juvenis Hungarus a sancta Anna plurimis beneficiis affectus.

Procopius juvenis Hungarus in eremo vivens *a*

Fuit præterea in regno Ungariæ alius quidam juvenis, Procopius *a* nomine, militis cujusdam potentis ac divitis filius, pulcher, morigerus et omnium oculis generosus : hunc pater suus in civitate Pragensi ad scholas misit, sperans progeniem suam per eum debere sublimari; ubi sic profecit, ut anno vicesimo secundo ætatis suæ magister artium et doctor legum famosissimus fieret; ita ut tota illa universitas *b* parem non haberet. Cumque omnibus et præcipue principibus et consulibus haberetur amabilis, in tantum, ut ejus consortio ægre carerent, quidam castellanus animum induxit, ut filiam suam Procopio desponsaret : quod cum fecisset, parentes et magistri et amici ejus graviter indignati sunt : sed pius Dominus, cui cura est electorum suorum, præservavit, ne gemma tam pretiosa porcorum pedibus conculcaretur : per mensem enim ante nuptias ægrotare cœpit uxor sua, et mortua est : castellanus autem, qui cor suum jam in Procopium fixerat, ne tantus ac talis gener a se alienaretur, aliam sibi instituit filiam desponsare, quam cum desponsasset, morbo caduco sponsa vexari cœpit. Quod ubi pater agnovit, iratus valde fidem desponsationis Procopio irritam fecit. Offensis igitur omnibus, et ob hoc ab omnibus derelictus magister Procopius, assumpto uno secum famulo cum magna cordis tristitia nemus intrans cellam eremiticam construxit, in qua septem annis vitam duxit in paupertate et patientia magna. Quadam autem vice venit ad eum eremita quidam petens hospitium propter Deum : cui Procopius, Libenter, inquit, te suscipiam, et spirituales cibos divini verbi tibi, si placuerit, impendam. Sed corporales cibos non habeo; respondente autem eremita, se cibo illo spirituali optime contentandum, Procopius os suum aperiens tam electas Dei doctrinas illi proposuit, quales in vita sua numquam audierat.

docetur colere S. Annam,

12 Tunc inter cetera colloquia cœpit eum eremita ille exhortari consulereque, ut beatissimam Annam honoraret. Promittens, quod si hoc devote et constanter faceret, ab ipsa in corpore et anima fideliter juvaretur. Acquievit Procopius suadenti, cœpitque ex tunc famulum suum docere vitam et progeniem beatissimæ Annæ, et quomodo merito ab omnibus esset honoranda. Ratio vero, quare Anna dignissima illum eremitam ad Procopium destinavit, et quare suadenti tam facile acquievit, creditur fuisse ista : cum enim Procopius adhuc in Praga habitaret, et ipse de Christo et sua Matre vice quadam parabolice disputaret, omniumque aures intentæ essent ad sermonem ejus, quia magnus inter eos habebatur, inter cetera hoc quoque dixit; quomodo non solum laudandus est ramus, qui fructum vitæ nobis protulit, sed etiam arbori inclinandum est, de qua ramus ille processit, et sub cujus ramis protegimur a pluvia et ab æstu : per arborem scilicet parabolice Annam designans, per ramum Mariam, per rami fructum Dominum nostrum Jesum Christum, et per alios hujus arboris ramos Annæ progeniem, scilicet Mariam Jacobi et Mariam Salome cum filiis earum *c*. Quam sententiam cum omnes libenter acceptassent, factum est, ut multo amplius deinceps Anna sanctissima honoraretur a populo, quia tanti viri verba pro magno reputabant, et valde ponderabant.

quæ antea obscure ipsi apparuerat.

13 Sed tamen hujusmodi de Anna testimonium Procopius diu oblitus fuerat, sed non Anna beatissima : ipsa siquidem in signum gratitudinis ante hujus eremitæ adventum visionem valde consolatoriam Procopio dormienti demonstravit; videbat namque arborem quamdam miræ pulchritudinis, quæ eum defensura videbatur ab æstu et a pluvia, et suo illum fructu cibatura, sed quia interpretationem visionis hujus ignorabat, eam rejecit ut frivolam : non enim recordabatur, beatissimam Annam esse velut terebinthum expandentem ramos suos, neque se dignum arbitrabatur, ab ea se taliter consolari; et quia visionem hanc minime advertebat, adjecit Anna per sanctum eremitam inducere Procopium ad sibi serviendum, quærens tali medio occasionem sibi majora imposterum conferendi. Audito igitur eremitæ consilio, Procopius, Anna procurante, statim memor prædictæ visionis mox suadenti acquievit.

Famulus istius Hungari effodit torquem pretiosam,

14 Cum itaque post eremitæ recessum Procopius cum famulo beatissimæ Annæ devote post tempus aliquod deservissent, eamque digne venerari essent, contigit uno dierum, famulum Procopii puteum quemdam fodere, quia aquam aliter habere non poterant : et ecce inter fodiendum, cum profundius terram penetraret, invenit illic defossum quemdam nobilissimum hominem, qui ad collum torquem habebat auream, gemmis et margaritis lucide radiantem : pleræque enim gentilium nationes, et præsertim Tartari, hunc habent morem, ut illustrissimos quosque viros et præsertim terrarum principes et reges defunctos optimis vestibus adornatos, et multo auro ac lapidibus pretiosis circumseptos, in amplissimo campo defossos sepeliant, hac tali pompa suos principes honorantes. Hunc ergo hominem tali modo, ut creditur, defossum cum famulus attigisset, statim in cinerem resolutus evanuit; torquem vero præripiens, Procopio magistro consignavit.

ex qua cusus nummus reginam in partu juvat.

15 Tandem fama vulgante cum Ungarorum rex audisset, apud Procopium multam auri et lapidum gloriam detineri, avidus nosse, ad eremum magistrum salutaturus advenit; at ubi inventam torquem rex aspexisset, captus gemmarum pulchritudine, maximum auri pondus Procopio obtulit, ut eam mereretur accipere. Cui Procopius, Aurum, ait, quod mihi exhibes, domine mi rex, tuum sit : non enim tuis muneribus opus habeo; torquem vero ea lege tibi contribuo, ut lapides ejus in tuos usus convertas, aurum vero ad nummos redigas : volo enim ex hoc auro numismata fabricari, quæ santissimæ Annæ matris imaginem contineant, ut hoc pacto possit a populis et linguis cognita venerari; quod cum fecisset rex, accipiens regina unum ex nummis illis ob reverentiam sanctæ Annæ, suspendit illum in collo suo; cumque una die pergeret cum rege venatum, essetque imprægnata, et omnes principes et servientes regem sequerentur, canibus apros et cervos

A cervos insectantes, contigit reginam solam *d* manere atque ibidem languore subito detineri; ipsa vero territa ac tremens, imaginem sanctæ Annæ, quam in collo suspenderat, devote respicere cœpit et osculari, patrociniumque Annæ benignissimæ lacrymosis precibus advocare. Mira res! continuo regina puerum pulcherrimum enixa est, cum tamen juxta naturæ cursum quatuor adhuc menses distarent a partu: et ut magis mireris, Annæ adjutorio puer vivus et incolumis permansit.

et Procopius, a rege ad dignitates evehitur.

16 At rex videns tot miracula, supra modum gavisus est, Deumque et Annam clementissimam toto corde laudare et benedicere cœpit, qui statim ad sylvam properans, Procopium inde abstractum secum duxit, et suum consiliarium fecit, ac tandem ad archiepiscopatus *e* dignitatem promovit. Obediens itaque Procopius, licet invitus, utrumque onus assumpsit: quod cum parentes ejus ac veteres socii, et hi omnes, qui adversitatis tempore [eum] despexerant, percepissent, illico properant ad videndum Procopium ad sublimia jam promotum, et sibi reverenter inclinantes, veniam ab eo petierunt, ac acceperunt. B Procopius igitur in signum gratitudinis ecclesias et capellas in honorem Annæ sanctissimæ ædificari fecit, et in tantum meritis Annæ in via justitiæ prosperatus est, ut et sanctus et miraculis clarus illic habeatur *f*. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula. Amen.

ANNOTATA.

a *Non facile dictu est, quis fuerit iste Procopius, quamvis hic auctor asserat, eum ad archiepiscopalem dignitatem evectum fuisse, et tamquam sanctum ac miraculis clarum haberi. Fuit quidem celebris in Bohemia Procopius, cujus Acta ad diem* IV *Julii illustrata sunt; at is fuit natione Bohemus et dignitate abbas; hic vero dicitur Hungarus et archiepiscopus.*

b *Universitas seu academia Pragensis a Carolo IV imperatore juxta Lupacium Hlawaczowæum in Kalendario historico Bohemiæ ad diem* XI *Maii primum anno* 1348 *erecta est. Oportet igitur* C *hæc omnia post hunc annum contigisse, si tota narratio suis apte divisa sit temporibus.*

c *Hic recurrit eadem opinio, quam in Commentario historico refutatam diximus.*

d *Regina quinque mensibus gravida, ad laboriosam ac periculosam venerationem exiens, et sola a suis relicta. Non cohærent, nec satis verosimilia videntur.*

e *Ad quem archiepiscopatum evectus est? Polius in Exegetico historiæ* S. Annæ *pag.* 165 *ait:* Ad infulam Pragensis metropolis. *At inter præsules Pragenses nullus occurrit Procopius. Præterea quomodo rex Hungariæ eum provexit ad cathedram metropolitanam in Bohemia? Denique nec inter archiepiscopos Hungariæ ullum hujus nominis præsulem invenio.*

f *In libello, qui de omnibus Hungariæ Sanctis anno* 1692 *Tyrnaviæ editus est, nullus occurrit Procopius. Si itaque vera sunt, quæ hic referuntur, discere cupimus a Bohemis vel Hungaris, quis sit iste Procopius adeo celebris,* ut et sanctus et miraculis clarus illic habeatur.

EX MS.

CAPUT III.

Cultus S. Annæ commendatus, ejus injuria punita, et invocatio compensata.

Vir instruitur de S. Annæ cultu,

Vir admodum Virgini Christiferæ devotus roseam illi coronam sæpissime intexebat, cui una dierum Dei Genitrix apparens, ita allocuta, [est] virum: Grata semper apud me habeo tuarum laudum præconia, o mi charissime, quibus me quotidie reverenter honoras: unum tamen deest his ipsis laudibus meis, et omnino oportet, ut hoc tu studeas adimplere: cum enim texendo compleveris angelicam coronam, tunc in laudem Annæ piæ Matris meæ unum junges Pater noster cum salutatione consueta. Hoc nempe laudum genere ipsa delector, gratissimus mihi is semper habebitur, qui clarissimam mihi Parentem ob gratiam mei voluerit honorare. Si igitur, quod nunc te monui, perfeceris, in mortis tuæ angustiis fidissima tibi protextrix assistam, et ab insidiis spiritalium nequitiarum potenter ereptum in mea regna traducam; et hæc dicens E disparuit. Is autem, qui tam felici meruit exhortatione doceri, cum jussa Virginis Annam matrem assidue colendo complesset, in extremis constitutus Annam et suam Filiam habuit assistrices, quæ ejus animam a nequitiis dæmonum præmunitam in angelica regna transtulerunt: quod nobis pia Filia Virgo Matris suæ meritis tribuere dignetur. Amen *a*.

et virgo ob trigamiam negligens eam colere

18 Legimus, olim quamdam fuisse virginem Deo devotam et religiosam. Hæc universos Dei Sanctos, ut dignum est, maximo venerabatur amore; Annæ tamen sanctissimæ Dei Genitricis parenti, eo quod triplici fuisset copulata conjugio, *b* nec ei vir unus, cum esset annosa et sterilis, suffecerit, debitum timebat obsequium exhibere: errore enim decepta arbitrabantur, Annam pudicissimam non prolium gratia, sed causa libidinis tres maritos appetivisse, eamque, F quæ fontem peperit castitatis, ut impudicam et lubricam arguebat *c*: pressa tamen reverentia Virginis Matris, non audebat palam inferre convitia, sed tacito murmure hanc in Annam displicentiam occultabat. Nolebat ergo Annam ut ceteros colere, nesciens misera neque respiciens, quam ingentia bona ex Annæ nobis matrimoniis provenerunt. Una itaque noctium, cum isset his cogitationibus occupata dormitum, rapta in spiritu, vidit maximum quemdam cæli exercitum, quorum omnium facies et habitus instar solis lucidissimi refulgebant. Hi, facta processione, cum singuli hanc virginem præterirent, versis in eam vultibus, quasi pro exhibito sibi cultu, honorabant.

cœlesti visione docetur,

19 His tandem in cælum receptis, vidit alium præterea exercitum mirabili vultus et habitus claritate micantem, qui priori exercitu, sicut erat numero copiosior, ita erat et gloria et decore præstantior. In hujus medio præcelsa quædam et admirabilis matrona præfulgebat, cujus lucidissimum jubar septies solis radios superabat. Hi ergo omnes cum huic virgini propinquassent, eamque fuissent intuiti, quasi gravi indignatione

EX MS. indignatione permoti in ejus faciem terga dederunt, suis aspectibus eam indignam indicantes. At illa acriter erubescens, et tanti contemptus causam ignorans, uni eorum, qui sibi proximus adstabat, ita locuta est: Quid misera commerui, ut a vobis, o dilectissimi, ita contemnerer? Cui ille respondit: Nonne legisti in Esaia, Væ qui spernis, quia et ipse sperneris. Hanc dominam nobilissimam Christiferæ Virginis Genitricem semper improbe contempsisti: nunc quoque ab universa ejus, quam hic cernis, progenie dignissime aspernaris *d*.

d

illam nihilominus ob id honorandam esse.

20 Et ecce Anna mitissima propitiatrix virgini appropinquans, quasi austeriori vultu cœpit eam arguere dicens: Tu cum virgo sis, mea semper conjugia arguisti, sed dicito mihi, omnis hic hominum numerus gloriosus, quem vides, ubi, quæso, mansisset, si ego nubere contempsissem? Numquid mea conjugia aliquid mihi gloriæ rapuerunt? Imo vero tanto ego sum præ ceteris a Deo venerata, quanto ante alios nobilissimis prolibus fœcundata præfulgeo. Et serenans clementissimam faciem, Tu igitur, ait,
B o filia, si vis meam et hujus originis gratiam emereri, noli deinceps id in me despicere, quod magnopere te condecet venerari: nam, si nescis, regina misericordiæ Maria et ipse sanctissimus Salvator mundi, quos tu diligis, de
e meis visceribus pullularunt *e*. His dictis, omnis illa gloria disparuit, et virginem ad se reversam apprime consolatam dereliquit; quæ tanto in Annæ servitio est facta devotior, quanto eam verissime agnoverat omni esse veneratione dignissimam. Annam itaque et omnem ejus progeniem usque in finem devotissime colens, cum esset plena virtutibus et operibus bonis, sub Annæ præsentia quievit in pace, superna cælorum, Anna ductrice, conscendens. Hanc nobis gratiam, Anna clementissima, facias emereri, ut tecum regna cælorum scandere valeamus. Amen.

Episcopus in Anglia

21 Anglia, quæ olim major Britannia vocabatur, a multis retro temporibus venerabilis Annæ cultrix noscitur exstitisse. In hujus quadam diœcesi surrexit episcopus quidam circa hæc nostra tempora, homo protervus, impius, et insa-
C nus, qui in sua diœcesi Annæ sanctissimæ cultum nitebatur exstinguere: videbat siquidem, et invidebat homo amentissimus, populum suum undique ad Annæ piæ matris festa concurrere, cereos multos accendere, munera præbere, votis et precibus ejus suffragia ambire: qui zelo malitiæ stimulatus, ambonem conscendens, ita est populum allocutus: Sufficiant nobis surdi et muti, quos hic Sanctos habemus, in quorum cultibus nostra munera dissipamus; nec opus est præter hos alia deinceps numina venerari. Hoc est totum sapientiæ tuæ acumen, o præsul, ut sacras templi imagines surda idola nuncupares!

cultum S. Annæ prohibens

22 Alia quadam vice, cum videret devotissimum populum nihil verba sua curare, invidia agitatus cœpit infelix multa in Annam sanctissimam convitia proferre, et spurco ore ejus castam pudicitiam, ut setiger hircus, lacerare. Annam, ait, quam colitis, Sanctam numquam fuisse cognoscite, quæ libidine victa tres in senectute maritos appetiit. Quid casta munera pollutis altaribus subinfertis? Hoc ergo vobis plebibus meis in communi principio ab hac sacrilega devotione in reliquum quiescite, aut acerbiori censura in vos, ut præsulem decet, desæviam. Hæc in populo clamabat homo dementissimus, ignarus, quæ illum esset a Domino consecutura vindicta. Populus vero nihil his verbis territus, amplioribus cereis et muneribus Annæ altaria cumulabat, non quod licitum sit semper niti in vetitum, sed quod impia sint prælatorum jussa aspernanter habenda, oportereque magis obedire Deo, quam hominibus injusta jubentibus. D

morte punitur.

23 Cum videret impius antistes, populum suum jussa contemnere, furore succensus, ultimo consilio decrevit omnem suæ diœcesis populum gravi anathemate et excommunicatione percutere, qui Annam colere niteretur; et in furore animi equum conscendens, ut ad cathedralem ecclesiam pergeret, ibique impia edicta pronuntiaret, cælestis illum ultio prosecuta est: nam in itinere constitutus sonipes, cui insidebat, ornatus, casu collisus, sessorem suum in terram dejecit, qui, fractis continuo cervicibus, exspiravit. Et ita contigit huic miserrimo, ut qui Annam, dum viveret, noluit habere propitiam, post mortem sentire mereretur inimicam; nec potuit a Domino veniam impetrare, qui a Mediatrice veniæ studuit populum prohibere. Cum autem antistitis mors reproba, esset undique in populo divulgata, omnes in communi ultorem Dominum benedicebant, et lavantes manus suas in sanguine peccatoris, tanto deinceps facti sunt in cultu Annæ matris devotiores, quanto id percusso Ægyptio [magis] gratum esse Domino perspexerunt. E

Quidam in horrida maris tempestate, g

24 Slusa *g* oppidum Flandriæ opinatissimum est: habet enim portum nobilissimum, qui in omnes se Occidentis provincias facile partiatur. Ab hoc portu cum uno dierum multi navigio Angliam expeterent, sequens contigit miraculum, quod exordior. Hi enim cum jam multa maris spatia permeassent, subito circa vesperam tam densa nebula omne illud mare cooperuit, ut quorsum navim gubernator dirigeret, ignoraret. Tam lentus quoque erat ventorum afflatus, ut laxa vela navim vix promoverent. Tunc ait ad suos ipse nauclerus: Jubeo vos, fratres, sub timore esse: nam et cæcam noctem cum his nebulis habemus sub oculis, et portum nos posse attingere penitus diffido; ignoro enim ubinam gentium navis ipsa propulsa sit. Hæc F
cum dixisset, confestim navis arborem conscendit, terram aliquam, si posset, a longe speculari, quo puppim fluctivagam subinferret: et ecce repente ab Aquilone maximo impetu ventus aggrediens, faciem maris in procellas sævissimas suscitavit, adeo ut horrida tempestas cælum moveret et undas. At hi, qui erant in navi, triplici calamitate vallati, et noctis et nebulæ et tempestatis, infinitos clamores efferebant in cælum. Cumque omnes poplite flexo et protensis in cælum manibus unus Dei Matrem, alius virginem Catharinam, tertius vero et quartus Jacobum aut Petrum in sua bona vocarent, tumque surdi essent cælicolæ, ut Annæ præsidia grata haberentur, non auscultabant.

implorata S. Annæ ope.

25 Aderat tum forte unus in navi, qui jam antea fuerat Annæ matris expertus clementiam, qui ita ceteros adhortatur: Quid, ait, vanis clamoribus invitos cælicolas fatigatis? An ignoratis, quod in hoc periculo Annæ sunt nobis dulcissimæ matris suffragia ambiendo? Vos igitur hortor, dilectissimi, omnes unanimes Annam mitissimam invocemus, munera promittamus; et subitum in his nostris cladibus capiemus auxilium,

A lium; tunc illi omnes uno corde, uno ore Annam invocabant, una et Filiam ejus et suum unigenitum Salvatorem, ut a mortis periculo eriperentur illæsi. Vix verba finierant, et ecce mirabile dictu, cum jam pene nox inhorresceret, et totam maris faciem caligo tenebrosa involveret, subito jussu Annæ tenebræ ipsæ diffugiunt, pruina disparuit, et, cælo facto serenissimo, sol in nocte fere media lucidissimus emicuit. Huc ergo, lector, oculos diligenter adverte: Jesus Nave, sol postquam occideret, jussit eum solem in suo gradu persistere *h*. Esaias sua prece jussit solem decem gradibus retrocedere *i*: anachoreta Mutius, donec domus limina attigisset, vetuit solem occumbere *k*. Stupenda sunt hæc et admiratione plenissima, multo tamen mirabilius, quod media fere nocte Anna suis famulis solem lucere præceperit, et luminare illud maximum, quod in potestatem diei almus Conditor destinavit, in mediis tenebris Anna fecerit refulgere *l*.

naufragii periculum evadunt.

26 Hac ergo gratia nautæ potiti, infinitis laudibus, ut dignum erat, Annam attollentes, in prospectum a longe portum navem recto itinere dirigebant. B Cum vero navis inciperet portui proxima fieri, ne navigantes putarent, non Dei præsidium nec adminiculum affuisse, repente solis jubar abscessit, cælum inhorruit, pruina pristina incubuit, et nox tetra caligine remeavit. At illi puppim per portum in tuto ducentes, maris sæva pericula evaserunt: qui ad propria reversi, vota, quæ Annæ promiserant, fideliter implentes, cunctis Annæ sibi facta subsidia prædicabant. Verum ne putes, lector, me fuisse mentitum: aræ, quæ in honorem beatissimæ Annæ in Slusa constructæ sunt, hujus maximi miraculi inscriptione decorantur, ut noveris esse verissimum, quod multorum testimonio virorum legitur annotatum *m*.

ANNOTATA.

a *Hujus miraculi locum, tempus, aliasque peristases requiro, quæ etiam in aliis quibusdam desiderantur, ut in Commentario historico num.* 118 *monui.*

b *Simile quid de B. Coleta legitur, ut in Commentario historico num.* 41 *et* 42 *retuli.* C

c *Hæc nimis crassa sunt, ut B. Coletæ aut alteri piæ virgini tribuantur.*

d *Videtur hæc tota historia composita, ne dicam conficta, ut trigamia* S. Annæ *stabiliatur.*

e *Haud dubie virgo illa pia et religiosa sciebat,* S. Annam *fuisse Deiparæ matrem et Christi aviam. Sed tantummodo cultum ejus neglexerat, quod eam trigamam fuisse arbitraretur. Quare hæc ultima* S. Annæ, *seu potius scriptoris, argumentatio ad trigamiam probandam nihil confert.*

f *Iterum in tota hac historia nec præsulis aut diœcesis nomen nec rei gestæ tempus prodit auctor, quamvis punitionem maxime publicam fuisse affirmet.*

g *Fuit olim potens ac celebre hoc oppidum, ut videri potest apud Grammayum, quod post varias vicissitudines nunc Hollandorum ditioni subest.*

h *Istud prodigium legitur in libro Josue cap.* 10.

i *Illud videri potest lib.*4 *Regum cap.* 20.

k *Hoc miraculum narratur in Vitis Patrum a Russino Aquileiensi apud Rosweydum nostrum in secunda editione pag.* 467.

l *Quanto mirabilius est istud miraculum, tanto majora ad illius confirmationem exigo testimonia. Facilius credidero, aliquod lumen divinitus nautis illis apparuisse, sicque non erit necessarium tam stupendum prodigium, ut sol de nocte in hemisphærio nostro splenduisse dicatur.* Ex MSS.

m *Si altare hac inscriptione decoratum Slusæ exstiterit, jam haud dubie destructum est, cum post varias fulminis et belli calamitates nunc in eo oppido Calviniana hæresis dominetur.*

CAPUT IV.

Benevolentia S. Annæ erga suos clientes duabus Sanctis ostensa, veneratio illius a Deipara et angelo commendata, et quædam beneficia eam invocantibus præstita. E

B. Coleta ex visione,

Est civitas nobilissima Flandriæ, nomine Gandavum: in hac civitate sancta Coleta devotissima olim virgo sepulta quiescit. Hæc est illa mirabilis et seraphica Coleta, quæ beatissimi Francisci collapsum Ordinem ad pristinum pene vigorem restituit. Sacris virtutibus et maximis meritis adornata; diligebat enim Coleta Annam Christiferæ Virginis parentem ferventissimo amore, eamque miro venerabatur affectu *a*. Cum enim una dierum hæc virgo Annam sanctissimam precaretur, ut virtutum sibi gratiam cumularet, rapta in spiritu vidit Annam, craterem aureum manu continentem, et ab universis cælorum civibus, circuitum faciens, spiritalem aliquam eleemosynam postulantem; cumque omnes illa ad pietatis officia suscitaret, singuli aureum numisma in disco illo aureo projecerunt. Tunc illa, tantis acceptis divitiis quasi exhilarata, processit, et discum illum nummosum quasi pro munere Domino obtulit majestatis, volens hoc facto exprimere, quod sicut ipsa tunc pro Coleta, ita et quolibet servorum suorum parata sit pia Mater F et gratiam promereri et pro acceptis muneribus laudes dicere Salvatori. Hæc Coleta beneficiis Annæ omnium virtutum apicem apprehendit, in charitate fundata et radicata, cujus semper hic animus fuit, omnes in amore Dei et Annæ Genitricis inflammare; hæc in animabus lucrandis adeo magnum fructum fecit, ut decem et septem religiosa cœnobia instituerit; hanc Anna sanctissima fecit quoque miraculis esse gloriosam, ita ut Coleta quinque mortuos ad pristinam vitam suscitaret: quæ tandem optimo fine quiescens cum Amatrice sua regna cælestia possidere promeruit.

et S. Birgitta ex apparitione discunt benevolentiam S. Annæ,

28 Birgitta, de regali orta prosapia, cum sanctissimam vitam in matrimonio duxisset, et proles devotissimas Domino genuisset, inter quas sancta Catharina *b* omni virtute conspicua promicabat, tandem defuncto viro, in viduitate sanctissima usque in finem perduravit: hæc enim mulier cum esset pietate plenissima, post Deum et Mariam, parentem Annam ardentissimo venerabatur amore; cui die quadam in oratione positæ Anna beatissima apparuit, eamque his verbis dulciter alloquitur, dicens: Respice ad me,

EX MSS.

o filia dulcissima Birgitta, ego sum illa Anna, quam tu diligis, misericordia et gratia plenissima, et eorum qui me diligunt pia propitiatrix; ego eos qui casta et tranquilla conjugia servant, custodio, diligo, et promoveo, dummodo suis precibus mea suffragia postularint. Tu ergo, mea filia, disce atque alios doce ob gratiam mei Dominum Jesum Nepotem meum benedicere hujuscemodi sermone: „ Benedico te, mitissime Domine Jesu Christe, qui sacratissimam Virginem Mariam parentem tuam, de casto Joachim atque Annæ conjugio procreare sine macula decrevisti, de qua tu omnium Salvator, ut nos redimeres, carnem sumere voluisti: deprecor itaque dulcedinem tuam per sanctissima Joachim atque Annæ parentum tuorum merita miseremini mei et eorum qui Annæ memores honesta matrimonia servant, da eis Domine cum tua gratia tranquillam pacem, mentis corporisque salutem, prolium fructum salutarem, postque hoc miserabile
B exilium, gloriam perennem ad laudem et honorem tuum, o clementissime et suavissime Salvator. Amen. „ Hæc cum mitissima Anna parens Birgittam docuisset, eam apprime consolatam derelinquens cæleste palatium, ipsa cernente, repetiit. Hæc, ni fallor, in revelationibus sanctæ Birgittæ, lector, scripta reperies, ut noveris, me non conjectorem esse, sed fidissimum instructorem *c*. (*c*)

Cujus cultum Deipara

29 Anachoreta quidam admodum intemeratæ Virgini Matri deditus, cum una dierum angustiis vallatus, eam in sua patrocinia invocaret, illa (ut est omnium benignissima) nihil morata, suam illi dulcissimam præsentiam exhibuit. Mirabili itaque gloria et decore refulgens, multis comitata Sanctorum agminibus, ut reginam condecet seculorum, mitissimo sermone afflictum hominem alloquitur, dicens: Ecce adsum, fili charissime, tuas angustias solutura: dignum enim te mea præsentia judicavi, cujus erga me cultum semper ego gratissimum duxi. Habes nempe crebro memoriam mei, me salutas, me laudas, me magnificas: ego semper in tuo ore, in tuo corde conversor. Tunc ille lætissimus, in eam oculis respectans, ita respondit: Gratissima mihi nunc advenisti, o mitissima re-
C gina misericordiæ genitrix Dei, intemerata Virgo Maria. Quid tantum te humilias, o mitissima, ut ad me miserum descendere peccatorem digneris? Verum quia sic placitum est ante te, placet et mihi dignatio tua. Tu igitur dulcissima Virgo meos, obsecro, compesce dolores, et animæ meæ clades clementer absterge; redde mihi Unigenitum tuum paratissimum, ut, accepta peccatorum meorum venia, gratiam illius et gloriam merear obtinere.

alicui eremitæ suadet;

30 Cui pia Virgo respondit: Ego tibi, o fili, impetrabo omne bonum propter devotissimum quem mihi hactenus cultum exhibuisti; at vero ego nunc te hortor, ut Annam mihi charissimam matrem et Joachim parentem et totam deinceps meam progeniem colere et laudare memineris, magna a me munera recepturus: ego enim his cultibus plurimum delector, qui ob parentum meorum gratiam exhibentur. Noveris præterea, filium meum Jesum Christum hoc cunctis Annæ matris meæ cultoribus spopondisse, ab omnibus, quibus fatigantur adversis, verissime liberandos, et in gloriam salvandos sempiternam. Tu igitur, o fili, hæc serva, hæc loquere et exhortare. Et hæc dicens in cæli sublimia cum suis comitibus se recepit. D
Mansit autem illic tanta suavissimi odoris fragrantia, ut dubium non fuerit, Matrem illic suavitatis affuisse. Porro eremita, ut in mandatis acceperat, ita devotissime complevit, et parentes Virginis debito venerabatur affectu, nam post quamlibet salutationem angelicam, quam Mariæ Virgini depromebat, has quoque Annæ parenti laudes jungebat: Et benedicta sit Anna mater tua dulcissima, de qua processit sacra caro tua virginea. Huic sanctæ benedictioni, ut noveris lector, Papa Sixtus IV centum contulit indulgentiarum dies, quoties quis eam post angelicum Ave dicere voluerit *d*. Anachoreta autem post multa Mariæ atque Annæ servitia impensa beatissimo fine quievit, harum nunc in cælo potitus consortio, quarum in terris nomina diligebat.

uti et angelus sub forma peregrini (*e*)

31 Circa hæc nostra tempora contigit miraculum, quod subjungo *e*. Angelus Domini in specie peregrini, sole in occasum declinante, ad quoddam pulsans cœnobium dominarum, illic se recipi hospitio postulabat; cui portaria E
respondit: Ego te, mi frater, libens reciperem; sed adeo nunc pauperes sumus, adeo tenues, ut tibi, victui necessaria subinferre nequeamus. Perge igitur, obsecro, ad propinquum hospitium; si forte illic recipi merearis. Cui angelus: Ego, ait, huc missus sum, et omnino oportet hac nocte hic me habere diversorium. Ad quem ostiaria: Tu, inquit, videris, quis huc te miserit: nam ego te nullatenus intromitto. Tunc sacer angelus conversus ad preces, Oro te, ait, charissima soror, ut ob gratiam sanctæ Annæ piissimæ matris hæc una tantum nocte me hic pausare concedas; habet enim Anna unde tibi et domui tuæ multo majora restituat. At ostiaria cum Annam diligeret, confestim angelum recepit hospitio, cunctaque illi, quæ ad manum habere poterat, ministravit.

quibusdam monialibus,

32 Cumque ille paululum cibi degustasset, ait ad eam: Vade ocyus et convoca in unum omnes cœnobii hujus sorores, ut indicem eis sermonem Domini. Igitur cum in medio earum angelus resedisset, aperiens os suum dixit: Miseretur Dominus, sorores charissimæ, super calamitate vestra et penuriam vestram clementius intuetur: dolet quidem super magnitudine mali, quod hactenus pertulistis, et ideo, ut vos ab hac paupertate levarem, huc me vobis ipse F
transmisit; agite ergo, et Annam sanctissimæ Dei Matris parentem, quam hactenus neglexistis, deinceps excolite, et non solum terrenarum rerum copiam, sed etiam virtutum omnium incrementa possidebitis: hæc est enim illa mitissima afflictorum et pauperum miseratrix, cujus ope nemo, qui expetit, defraudabitur: hæc est illa Anna totius calamitatis dulce confugium, quæ et desperatis, et mœstis et naufragosis manum semper porrigit adjutricem. Hæc et multo plura cum in laudem piæ Matris facundissimo ore prompsisset, et in ejus amorem omnium animos inflammasset, protulit de sinu suo depictam mira arte Annæ imaginem, et dixit eis: Hanc de manu mea Annæ imaginem arripite, hanc intuentes, illam colite, honorate, diligite, et nedum in temporalibus bonis, verum etiam in spiritualibus divitiis vos assero promovendas: et his dictis, is, qui homo videbatur, angelus disparuit. At sorores, Dei erga se mirabilem gratiam cum ingenti stupore mirantes, et laudes maximas depromentes, tanto

factæ

A factæ sunt ad Annam matrem devotiores, quanto mirabiliori revelatione, ut id facerent, agnovissent; et ita sub brevi tempore monasterium ipsum duplici divitiarum gloria factum inclytum atque famosum.

Ope S. Annæ cœnobium ad bonos mores reductum,

33 Est monasterium quoddam dominarum non longe a nostris finibus constitutum, cujus vita olim admodum reproba fuit, sordida et impudica: nulla illic justitia, nulla disciplina vigebat. Cum post mortem abbatissæ altera surrexisset femina strenua, justa et religiosa, non poterat sine gravissimo cordis tormento tantam sororum suarum videre lacrymabilem ruinam. Agebat quotidie precibus, minis, adhortationibus et exemplis, ut eas ad semitas sanctæ institutionis revocaret; sed incassum sancta mulier laborabat: nam scelerum suorum nolebant nequitias dediscere, nec viam diversissimam, per quam consuetæ fuerant ambulare. At abbatissa, cum esset Annæ matris devotissima cultrix, toto corde et maximo annisu multis infusa lacrymis, ejus cœpit præsidia invocare: Tu, inquit, Anna sanctissima, si vis, potes juvare me miseram, ut oviculæ mihi a magno pastore creditæ abrupta deserant vitiorum, et in viam se deflectant justitiæ. Cumque hisce atque aliis precibus Annæ pias aures crebro pulsaret, immisso desuper Spiritu sancto, rebelles omnium sororum animi in unam et sanctam repente coeunt voluntatem, et usque adeo ad omnem ordinis disciplinam se promptissimas obtulerunt, ut nulli potuerit esse dubium, Annæ sacræ matris auxilia affuisse; cum enim scriptum sit, quia perversi difficile corrigantur; satis liquet, tunc solum perversas mentes corrigi posse, si superni alicujus numinis beneficio adjuventur. Porro abbatissa tantam videns repente mutationem dexteræ Excelsi, se ipsam et omnes sorores cultrices Annæ matris instituit, cujus munere et Dei gratiam et vitæ sanctimoniam meruissent. Æstiment ceteri de hoc miraculo, ut volent; ego ipsum ceteris, quæ hic scripta sunt, longissime præfero: nam etsi Deo omnia æque facilia sint, multi tamen est gloriosius, multos nequissimos animos in unam subito et justam voluntatem colligere, quam vel mortuos suscitare vel quodlibet medicaminum genus impendere. Longe etiam præstantius est a morte animæ unumquemque resurgere, quam in moritura iterum carne de sepulcro prodire.

et viro religioso solatium impertitum.

34 His nostris temporibus religiosus quidam Ordinis sancti Dominici, in religione devotus, in virtute conspicuus, in ambone facundus, in zelo animarum fervidus, in amore sanctissimæ Annæ matris ardentissimus fuit: hic quodam tempore in gravissimam quamdam tentationis et anxietatis miseriam cecidit, adeo ut tæderet eum etiam vivere. Ecce, quomodo judicium incipit a domo Dei, ut ait Petrus, si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non obediunt Euangelio? Super terram populi mei, ait Dominus, ascendunt vepres et spinæ, quanto magis super omnem domum gaudii civitatis exultantis? At vero hic frater tantis vallatus angustiis Annam mitissimam matrem totis animi visceribus invocabat, orans, ut in tantis malis pium sibi præstet auxilium: et quia impossibile est, misericordiæ fontem non misereri, tam grandem uno die illo Anna dulcissima consolationem immisit, ut ab omni tentatione liberatus in magna deinceps animi tranquillitate, quasi numquam triste aliquid protulisset, remaneret. At ille tantis beneficiis non ingratus Annam super sidera laudibus attollebat, eam mitissimam, eamque mœstorum ac miserorum consolatricem præcipuam in cunctis fere sermonibus appellabat, et imagines, quas multos in honorem Annæ imprimi fecerat, in populo disseminans, omnes in ejus cultum et amorem provocabat.

ex ms.

Per reliquias S. Annæ virgo sanitati restituta,

35 Paucis elapsis annis, delatus est Coloniam *f* ad Prædicatores sub verissimis litteris et notariorum imperialium instrumentis unus ex sanctissimis Annæ digitis. Eodem tempore fuit in ipsa civitate virgo honesta, Gertrudis nomine, quæ circa collum immanissimum patiebatur tumorem, adeo deformem, ut ipsa quoque inde horrori omnibus haberetur. Adibat medicos, et chirurgicos varios consulebat, sed nihil inde capiebat auxilii; tum introrsum divino Spiritu animata ad sacras Annæ reliquias E consulendas totam se contulit, et, præmissis devotissimis precibus, rogat obnixe Dominicos fratres, ut digito Annæ colli sui monstruosum tuberem tangere dignarentur. Ecce res omnium stupendissima! Repente enim ut hebetem reliquiæ collum virginis attigerunt, omnis illa turpissima tumoris et vulneris læsura disparuit, et cervix ita est sana et integra reddita, acsi nihil antea mali pertulisset. Circa idem tempus fuit etiam Coloniæ inclusa quædam, Annæ matri devota, quæ gravissimo dentium dolore sæpissime laborabat et capitis. Hæc continuo, ut Annæ reliquiis se contingere fecit, ita est ab omni dolore sanata, ut neque in reliquum mali aliquid experta jam sit. Et quid mirum, si hic unus digitus est tantæ virtutis, cum de illa sanctissima manu noscitur provenisse, quæ almam Dei Genitricem et Christum parvulum salvatorem contingere meruit et repausare.

et per ejus invocationem vir a desperatione erutus,

36 Civis quidam Coloniensis incidit in quamdam gravissimam tribulationem, quæ usque adeo animum ejus frangebat, ut pene in desperationis barathrum laberetur: credebat enim impossibile fore, ut a tam molestissima clade posset quisquam liberari. Hic accepto a quodam pio patre consilio, ut Annam, promptissimam F miserorum adjutricem, votis omnibus interpellaret, cœpit cum multo fervore, precibus a lachrymis Annæ suffragia præsolari: et ecce post sævissimam tempestatem serenior illi aura confestim resplenduit, tantamque animi tranquillitatem adeptus est, ut, omni jam desperatione rejecta, nullatenus illi dubium fuerit, suas preces Annam mitissimam exaudisse. Ego semper hujusce animi medelas corporum curationibus, quas et medici præstare possunt, longissime præfero: dicit enim Flaccus Horatius, quæ nocent oculis, festinas demere, si quid est animi, differs curandi tempus in annum. Ubi acriter carpit eos, qui velox in corporis dolore remedium quærunt, neglectis languoribus animarum, qui revera tanto debuerant citius removeri, quanto funestius serpunt, et crudelius perimunt. Quoniam ergo Sanctorum patrociniis cordium nostrorum vulnera curantur, multo id charius recipere debemus, quam si centum nobis vel oculorum lumina vel aurium officia redderentur. Vir itaque iste non ingratus suæ Curatrici, imaginem Annæ de cera instituit tam magnam, sicuti est ea imago, quæ ad fratres Prædicatores ponitur Coloniæ juxta aram sacri Rosarii divæ Virginis Mariæ. Ceram igitur hanc pro munere ipse vir obtulit. Annæ sacratissimæ, quæ cera

EX MS

cera ob recordationem tanti miraculi multis illic est visa temporibus, unde et complures ad cultum piæ matris Annæ inflammati sunt.

ac alter a naufragio liberatus.

37 Miraculum, quod hic subjicito, ille ipse vir, cui contigit, adhuc, ut puto, vita superstes, fratri retulit Dominico de Gelria, viro religioso, et propter suam doctrinam et in ambone facundiam multis, nedum hominibus, sed etiam civitatibus apprime notissimo. Hujus ergo rescripto dedici, quod nunc scribo. Hic homo præfato patri narravit, quomodo uno dierum, cum esset in mari, tam formidabilis tempestas exorta sit, ut omnia navis armamenta, ac etiam navis ipsa penitus quassata fuerit, atque disrupta : cumque jam nullum salutis adesset remedium, videretque mortem ipsam ante oculos versari, vir iste, qui hæc retulit, Annæ sanctissimæ memor, memor quoque illius Ungari adolescentis, qui Annam invocando a maris furore liberatus fuerat, cœpit Annam altis vocibus advocare et dicere : Anna mitissima mater, cum Filia tua et sancto nato Jesu Christo, his nostris citius
B occurre periculis. Cumque ceteri omnes hujus exemplo etiam Annam inclamarent, continuo omnis illa fluctuum et ventorum rabies conquievit. At illi partem unam fractæ navis colligantes, omnes incolumes et multo alacres gaudio ad desideratum portum applicuerunt, cunctis, qui id vivere atque audire poterant, stupentibus, et magnæ matris Annæ magnalia in sydera attollentibus. Porro vir iste, cum esset in periculis, vovit, si eriperetur, festum Annæ matris diem quotannis celebrem agere. Memor ergo accepti beneficii capellam in ejus honorem instituit, in cujus altari singulis tertiis feriis cum cantu et organo perpetuam Missam celebrari facit. In ipsa autem sacra Annæ matris solennitate sermonem ad populum in ejus laudem sacerdos aliquis, hoc viro instituente, persequitur, et multa etiam munera pauperibus largitur.

ANNOTATA.

a *Oportet, ut hæc visio B. Coletæ oblata fuerit post apparitionem* S. Annæ, *de qua in Commen-*
C *tario historico num.* 41 *et* 45 *egimus, cum B. Coleta ante illud tempus cultum* S. Annæ *negligeret.*

b *De hac S. Catharina actum est ad diem* 24 *Martii tomo* III *istius mensis a pag.* 503.

c *Non hæc, sed similia inveniuntur lib.* 6 *Revelationum S. Birgittæ cap.* 104, *ut manifestum fiet volenti cum his conferre verba, quæ in Commentario historico num.* 117 *exhibui.*

d *An indulgentiæ illæ hactenus subsistant, ignoro : nam sequentes Pontifices Romani varias indulgentias ejusmodi revocarunt aut irritas declararunt; inter quas quædam de* S. Anna *occurrunt, ut videri potest apud Claudium la Croix in Theologia morali lib.* 6 *part.* 2 *a num.* 1367.

e *Cum auctor dicat, hoc miraculum circa sua tempora contigisse, cur non indicat locum cœnobii vel nomen ostiariæ aliarumve monialium, quæ hoc manifestum prodigium viderunt?*

f *Digitus iste Perusio Coloniam delatus est, ut Polius aliique testantur.*

D

CAPUT V.

Infidelis miraculo S. Annæ ad fidem conversus, mulieri sterili fæcunditas impetrata, vidua manibus raptorum erepta, et alia femina ab injusta mortis sententia prodigiose liberata.

Turca quidam viso S. Annæ miraculo, a

Finitimæ maris regiones *a* Christianorum, gravissimos scimus paganorum assultus crebro perferre, sicut est Ungaria, Hispania, Polonia et pleraque regna alia. Tempore igitur quodam cum fureret in Christianos (ut sæpissime facit) Teucrorum * rex, misit in fines Ungariæ ducem unum, qui accepta fortissima armatorum classe civitates et sedes innocentium properaret evertere. E Obsedit itaque dux cruentus civitatem unam, quam cum mari terraque vexaret *b*, post gravissimos impetus eam violentus irrupit, et populum omnem aut occidit gladio, aut in vincula conjecit. Post hæc omnem jussit civitatem cum suis templis igne conflagrari. Erat autem in civitate templum solenne Annæ divæ matri dedicatum, siquidem Ungariam semper novimus Annæ fuisse cultricem, quod nullis potuit adhibitis incendiis devastari. Furebant illi et ingentem pyram ædi sacræ admoventes, cum non possent eam, Anna renitente, flammis minacibus abolere, se ipsos mentis insania comburentes, infinitas dabant clamores ad cælum. At dux ipse stupidus præ furore cum magno impetu templum ingressus, cœpit circumquaque respicere, quodnam illic numen haberetur, cujus præsidio templum istud ignes adhibitos contempsisset. Et, ecce, vidit in summo altari imaginem miræ pulchritudinis et decoris, cujus aspectu dux motus intrinsecus, eam cœpit corde diligere et venerari. Ac demum ita locutus est : O quam te memorem potentissima Mater? Vere tu sola mihi inter deos deasque *c* cultu dignissima demonstraris, F quæ tantam ultra cetera cælorum numina exeris virtutem, ut sola ædes tuas, ceteris conflagratis, incolumes custodires. Deum olympi maximum obtestor, quia tibi me posthac humilem devoveo cultorem, sciens, quod, quæ hanc structuram a ruina servaveris, possis tuos amatores ab omni periculo illæsos custodire. Qui statim advocans unum ex gente nostra sacerdotem, ait illi : Dic mihi, obsecro, cujus numinis est hoc simulachrum? Respondit sacerdos : Hæc est, inquit, imago Annæ sanctissimæ parentis, quæ filiam genuit Virginem purissimam, de cujus intacto utero Christus prodiit salvator mundi, quem nos Christiani Deum verum colimus et adoramus; tu vero, si huic credideris et baptizatus fueris, et ejus parentem Virginem et hanc dominam Annam colueris, quæcumque petieris, impetrabis, et hic securus et felix vives, et æterna cum Christo gaudia possidebis.

* *forte* Turcorum

baptismum suscipit, et eamdem Sanctam invocans

39 Hæc verba princeps libenter excipiens, catechumenus factus, se baptizari fecit, et devotum se Dei famulum consignavit : dehinc Annæ

A næ imaginem, cujus fuerat favore salvatus, complexans brachiis, eam foras omni suo exercitui exhibuit dicens: Quid hactenus, o miseri, surda et muta atque imbecillia numina colitis, quæ nec sibi nec suis possunt cultoribus aliquid præsidii subinferre? Quotus quisque inter deos deasque repertus est, qui possit nedum validum ignem, ut hæc Dea fecit, sed vel minimam scintillam exstinguere? Cum hæc et reliqua plura in suo populo dux ipse clamaret, alii ipsum irridebant; alii tacite murmurabant; alii mente compuncti ultro auscultabant. Postera die classem componens dux, Annam secum accipiens viarum comitem, domum repetens longa maria permeabat. Cumque jam maximum iter confecissent, Anna mater volens suam illis virtutem ostendere, maris faciem intumescere fecit, et ventis procellisque undique surgentibus horrida tempestas cælum turbabat et undas. Omnes itaque multa formidine perculsi, cæperunt singuli inanium deorum auxilia inclamare. Quos omnes dux sanctus acriter increpans, quod a mortuis præstolarentur auxilium, eos, B ut Annæ magnæ matris invocarent subsidia, hortabatur. Ipse vero lachrymis infusus his vocibus Annam interpellabat: Quid sibi vult hoc silentium tuum, o piissima Mater? Numquid tu minoris es virtutis in undis, quam quæ nuper in ignibus fuisti? Numquid quæ templum tuum a flammarum incendiis liberasti, hanc classem et me famulum tuum a vorticibus non poteris præservare? Ocyus itaque nunc, o piissima, succurre periculis nostris, quæ tuis ædibus potentissime subvenisti.

naufragii periculo eripitur.

40 Vixdum pius dux verba compleverat, et ecce dicto citius omnis illa minarum tempestas evanuit, et tam placida atque præclara est aeris serenitas subsecuta, ut nulli fuerit dubium, Annam invocatam sua illis auxilia præstitisse. Inde etiam multi ad pietatem fidemque conversi, Christum in Anna parente collaudabant. Cum tandem dux post longa maria incolumis domum advenisset, invenit conjugem suam in partu acerbissime laborantem, quæ jam quindecim fere diebus parturiens morti cœpit proxima fieri; quam ille consolatus, ita allocutus est: Noli timere, charissima conjux, sed hanc piissimam Deam, quam ego mihi nuper propitiam habui, C dum maris me pericula continerent, plena fide nihil hæsitans invoca, et celerrimum, mihi crede, doloris remedium fortieris. Illa credula mariti sponsionibus, cum Annam in suo partu clementissimam inclamasset, continuo dulcem est enixa puellulam, quam fonte baptismatis innovatam Annam vocitarunt, ut hoc nomine Salvatricis suæ præ se ferret auspicium. Deinde mater infantis, dehinc tota familia, ac tum postea innumerabiles ducatus illius populi baptismi gratiam, credentes Domino, receperunt, ejectisque idolis, omnia templa deorum Christo et Annæ parenti consecrarunt. Ex his lector diligenter adverte, quam prompta Anna futura sit auxiliatrix his, qui eam pie et humiliter colunt, si etiam cruentissimis paganis eamque infectantibus tam se præbuit propitiam atque benignam.

d Sancta mulierem sterilitate liberat,

41 Lauretia *d* civitas est Lotharingiæ opinatissima: in ea olim duo fuerunt matrimonio juncti, nobiles quidem et divites secundum seculum, sed in spiritualibus bonis multo ditiores: erant enim ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini, sine querela; fœcundi quidem in operibus bonis, sed in sobolis propagatione hactenus steriles: orabant enim quotidie Deum, ut in suum cultum prolem aliquam illis largiretur; sed pius Dominus dissimulavit audire, ut Annæ matris clementia panderetur. Una igitur dierum, cum hæc infœcunda mulier uni pauperculæ sibi vicinæ loqueretur, cœpit ejus fœcunditatem stupere et dicere: Miror, inquit, o dilectissima, cur Dominus Deus ita te voluerit inopem feminam fœcundam reddere, ut singulis annis marito tuo novos prolium fœtus exuas; me vero, cum sim opulentissima, Deumque sæpe rogaverim, numquam tamen sobole aliqua jucundari fecerit. Cui illa: Ego, inquit, ab Anna sanctissima matre, quam quotidie colo, hoc fœcunditatis munus accepi; tu vero, si eam precibus et jejuniis honoraveris, haud dubium, quin breviter fructum conferat salutarem. His auditis, cœpit mulier Annam orare, jejunare, et illi pauperculæ ceterisque eleemosynas multas elargiri: cujus devotionem pia mater Anna respiciens, pulsa sterilitate, fœcundam reddidit. Quæ Dei munere videns se concepisse, retulit marito fœ- E cunditatis suæ causam, eumque in Annæ parentis obsequia inflammavit. Statim ille, concepto calore fidei, aras, imagines, cereos, munera thuraque Annæ constituit, et multis eam precibus ac laudibus prosecutus est. At mulier insipiens, ubi sensit fœtum in utero vivere, putans Annam non ultra sibi necessariam esse, consuetas preces et eleemosynas ingrata dereliquit, ignorans misera, accepta beneficia hominem retinere non posse, nisi ea ille servaverit, qui concessit: quod et ista experta congemuit: nam dum veniret tempus sui partus, quæ putaverat non nisi vivam sobolem se fundere debere, in suum dedecus abortum faciens, fœtum protulit rigidum et exstinctum. Digna profecto, ut quæ Annam in suo corde mori permiserat, partum quoque mortuum procrearet.

ex ms.

et ejus prolem a morte suscitat.

42 Porro maritus cum audisset, quod contigerat, mœrore animi consternatus, cæpit amaro animo Dei judicia reprehendere, et Annam verbis procacibus increpare *e*: Tu nosti, ait, o mater, quod ego totis viribus devote servivi tibi, et ecce pro vivis justitiæ operibus mortuam mihi sobolem reddidisti: non est hæc justa bonarum virtutum compensatio. Quæ verba murmuris cum uxor ægra advertisset, Injuste, inquit, dulcissime conjunx, Annam mitissimam incusasti, cum ego sim hujus rea criminis. Si F ego Annam, ut cœperam, continue coluissem, hanc nunc mortuam prolem non effudissem: ego mea incuria et ingratitudine homicida hujus sum abortivi, et hoc de manibus Annæ accepi, quod merui. At nunc, quia est supra modum benignissima, omnes in communi Annam matrem invocemus; forte reddet propitia, quod abstulit irata. Ad hæc verba omnes, quæ illic congregatæ fuerant mulieres, genibus provolutæ, et infusæ lachrymis Annam potentissimam precabantur, ut mortuam sobolem suscitaret, et mœstissimos parentes lætos redderet. His fletibus Anna ad clementiam commota in viscera puellulæ spiritum reinfudit et ecce, mirantibus cunctis, qui aderant, infantula cœpit vagire et crebris fletibus ubera poscere, quam sacro fonte intinctam, Annam, hoc est gratiam, nuncuparunt, genere vocabulum sortiretur, quam tantis gratiarum muneribus Anna mitissima prævenisset. Vixit autem post baptismum annis pluribus,

EX MS.

ribus, multos in Annæ favorem inclinans, cum viderent, eam sub luce vivere, quæ de matris utero in lucem mortua processisset.

Vidua juvenis ope S. Annæ evadit raptores,

43 Legi nuper apud quemdam Teutonicum, virum meo judicio gravem, dignum fide, et religiosum, præsens miraculum, quod subjungo. Legi itaque, fuisse olim juvenculum viduam annorum fere quatuor et viginti; hæc sub paucissimis annis tres jam maritos defunctos amiserat, et quia Annam piissimam matrem diligebat, cogitabat jam tripliciter viduata Annam viduam imitari, nec post tertium maritum ejus ultra velle ullatenus quartum admittere. Hoc ergo proposito roborata cælibem valde et religiosam in Annæ obsequio transigebat vitam quod omnium bonarum artium inimicus videns et invidens, in hujus amorem juvenem quemdam inflammavit. Hic multa instantia cœpit aures viduæ appellare per se ipsum, per notos, per amicos; sed instar adamantis illa immobilis perseverans, nullum juveni conferebat assensum. Cum igitur videret, nihil se precibus agere, ad ar-
B gumenta nequitiæ se convertit; accipiens enim una dierum quatuor secum juvenes fortiores se, in itinere, ubi hæc mulier summo mane erat ad ecclesiam veniens transitura, insidias collocavit. Hæc itaque ignara periculi cum ad præparatas insidias devenisset, illi repente de latibulis surgunt, ei injectis manibus feminam rapiunt innocentem; illa vero funestis improbisque hominibus se vallatam aspiciens, Annæ cœpit mitissimæ matris auxilium altis vocibus inclamare: Omnium, ait, afflictorum promptissima sublevatrix, auxiliare nunc mihi Anna potentissima, et de prædonum istorum manibus me miseram festina eripere. Vix verba compleverat, et ecce subito Anna sole rutilantior, magnum post se exercitum trahens, raptoribus illis minax apparuit, et gravissima formidine dissolutos in fugam convertit: putabant enim, nisi fugerent, terra dehiscente se citius absorberi. Cumque præcipitanter per plateas oppidi quasi amentes ruerent, obvios arripiunt præfecti satellites, qui mittentes in eos manus, ligatos funibus in carceres retrudunt. Et ita constituit Deus, ut qui innocentem fe-
C minam rapere venerant, ipsi nocentes ad vincula raperentur. Mirabatur interea nimis hæc vidua, quid causæ exstiterit, quod viri illi ita cœpissent, quasi gladiis insecuti, profugere, cum ipsa neminem illic adesse vidisset.

qui a judice capti

44 Sequenti nocte cum se sopori dedisset, Anna illi apparens et excitans, ita allocuta est: Numquid, o filia, me nosti? Non, inquit, o pretiosissima Mater, multum tamen mihi admirabilis et gloriosa refulges, et nunc, quæ dignata es me miseram invisere, digneris, quæso, et nomen tuum revelare: Ego sum, ait, Anna fautrix et amatrix tua, quæ hesterno mane de raptorum manibus te eripui, et eos in vincula conjeci; hi enim capitali supplicio digni sub mortis nunc periculo congemiscunt. Facto itaque die, futurum est, ut mittat huc ad te assessores suos præfectus quærens, quam tu querimoniam in ipsos voles raptores deponere: tu ergo, mea filia, noli malum pro malo reddere, sed da operam de manu eos judicis liberare. Quare si te audire contempserit, mandabis illi ex me, ne servos meos contingere præsumat, quos ego fidos mihi amicos futuros agnosco, et perpetuos laudatores. Caveat ergo humanum judicium illos velle suppliciis addicere, quos censura divina meditatur eripere; D
et his dictis, Anna disparuit.

et de crimine convicti

45 Interea qui carcere tenebantur, ad præsidis tribunalia statuuntur. Quibus præses: Quæ furta, quæ latrocinia commisistis, quod sic per plateas properanter ruebatis? Omnino necesse est, gravissimo vos scelere reos esse, quos talis cursus conscios prodidit, quos etiam nunc timida conscientia et exsanguis facies amentes efficit et elingues. Vobis itaque nunc in salutatem consulite, aut sponte hic malum prodite, quod egistis, aut certe id paratis suppliciis a vobis extorquebo. Tunc is, qui ad raptum viduæ ceteros accersierat, ita respondit: Ego solus sum, o mitissime præses, hujus sceleris reus; hi quatuor nihil sua auctoritate fecerunt: nam cum perdite talem juvenculam viduam ob ejus pulchritudinem et divitias amarem, et ipsa nollet votis meis assensum tribuere, statui eam per vim rapere, et longe abductam mihi etiam repugnantem in matrimonium copulare. Cumque manus violentas cum his sociis in eam
E injecissem, subito cum illa Annam Mariæ Virginis parentem inclamaret, terribilis quædam nobis revelatio cælestis apparuit, cujus fuimus virtute et mentis et corporis viribus destituti: vidimus nempe his oculis admirabilem quamdam et serenissimam Dominam solis radios longe superantem, quam candidissimus cæli sequebatur exercitus multa luce et gloria circumseptus. Hæc igitur Domina cum torvos ardentesque oculos in nos conjecisset, omnem audaciam nostram continuo tabefecit, et in turpem nos fugam exagitans amentes et miseros in hæc mortis pericula destinavit. Tu igitur, o mitissime præses, desine necis nobis discrimen intentare, quos vides divina animadversione prostratos esse.

per istius viduæ intercessionem liberantur.

46 Tunc judex miseratione commotus, licet capitalem sententiam meruissent, mittit duos de suis assessoribus ad mulierem viduam sciscitans ab ea, quam in raptores suos vellet deponere querimoniam! Quibus illa respondit: Non est æquum, o viri, humanam malitiam criminari eum, quem divina auxilia comitantur; non igitur læsam me ab his possum querulari, qui etsi F
nocendi habuerunt voluntatem, superioris tamen Numinis virtute cohibiti, facultatem minime repererunt. Nolo ergo, ut mei causa homines moriantur, quos ego læsores non habui, sed melioris gratiæ promotores. Quare si ad hæc præsulis censura auscultare noluerit, dicetis, Annam Dei Genitricis parentem hoc illi per me præcipere, ne quoquomodo viris illis judicium mortis intentet, nec ullatenus hos damnare præsumat, quos divina miseratio statuit liberare; his enim viris Anna cupit esse propitia, quos sibi cultores futuros novit et fidissimos servitores. Hæc cum ad judicem, cunctis audientibus, relata fuissent, ille, ut erat sensatus, dans honorem dignissimæ Matri, viro a tribunalibus absolvit, et illæsos abire præcepit; illi vero, ut tantam clementissimæ matris Annæ indulgentiam cogitassent, dispositis rebus suis, ad monasteria se convertunt et vitam acri pœnitentia peragentes, tandem completo cursu cum Anna meruerunt regna cælestia possidere, cujus hic digni habiti sunt benignam gratiam experiri.

Mulier S. Annæ devota

47 Non longe contigit ab Hierusalem quod narro. Quamdam in civitate vicina, noveris lector, virginem pulchram corpore, sed pulchriorem

A rem mente habitasse, magnis vallatam divitiis, quam parentes Annam voluerant nuncupari. Hæc virgo, exstinctis parentibus, facta est in obsequiis gloriosissimæ Annæ devotissima, cui et sese et suam familiam suasque divitias assidue commendabat. Dehinc suis sumptibus jussit ecclesiam in hujus honorem fabricari miro tabulato lapideo, quæ integra egregieque ornata, et divæ matris Annæ imaginibus illustrata, tres singulis hebdomadibus Missas illic solenni officio celebrari instituit in Christi Jesu, Virginis Mariæ, et inclytæ matris honorem Annæ : singulis quoque feriis tertiis solita erat magnas eleemosynas facere, quibus se Annæ sanctissimæ commendabilem faciebat.

de cæde mariti sui

48 Hanc virginem quidam de primoribus civitatis, Amboges nomine, cœpit adamare, et magnis eam æstibus deperire : verbis, literis, nuntiis hanc procabatur; verum, cum civitas hostes haberet, emissus ipse est juncta sibi manu militari, ut hostium vires superaret. Interea dum longo abest tempore, Anna virgo alteri C nupsit ditissimo juveni, de quo vicissim concepit ac peperit tres filias. Porro Amboges, ut superatis hostibus domum rediit, agnoscens, sibi Annam, quam ardentissime amabat, præreptam esse, vehementer indoluit, et cum non posset ignem, qui male ardebat, exstinguere, cœpit de nece juvenis cogitare. Igitur uno dierum cum vidisset Annam, facto prandio cum sua familia, ut sermonem audiret, in ecclesiam festinare, ille, arrepto pugione, clam per notos sibi aditus domum Annæ subintrat, et juveni, qui tunc forte in cubiculo dormiebat, guttura transfigens, crudeli morte peremit, peremptum vero sub lecto occultavit, et abscessit.

falso accusata

49 Anna rediens, maritum usque in seram noctem anxia præstolatur, et noctem insomnem ducens, ubi aurora clarescere incepit, jubet ocyus virum inquirere, qui nusquam inventus, mulieris animum immensis replevit angustiis; at vehementiores clades illi succedunt. Post aliquantos dies cœpit cadaver, quod sub lecto jacebat, putere adeo ut domus tota tetro nimis inficeretur odore : porro Anna, cui jam cerebrum obstupuerat præ dolore, hunc fœtorem, quem omnes execrabantur, sola non sentiebat, C atque cubiculum, [in] quo cadaver latitabat, non abhorruit; illa semel ad ecclesiam egressa, familia omnis cubiculum irrupit, et, abducto scabello, quod ante lectum stabat, cadaver, quod putebat, inveniunt, et maritum Annæ agnoscentes, stupore nimio contabescunt. Fiunt hæc nota vicinis, et paulo post fama totam pervolitat civitatem : sit murmur in populo, quasi Anna suum maritum jugularit : parentes et occisi juvenis amici creduli famæ volitanti movent judici querimoniam, orantes, ut feminam nefariam puniri jubeat et occidi. Quæso te, lector, noli his, quæ hic auditurus es, perhorrescere, quia post nubila sol clarius candescit.

50 Anna capitur, discutitur, coercetur : sed illa, ut erat innocens, negat, tam grande se facinus commisisse; non creditur vera dicenti, et plurimum lachrymantem feminam male suasus judex mandat gravibus tormentis inquiri, in catasta suspenditur, et membra ejus omnia laniantur : inclamat illa Annæ piissimæ matris suffragia : sed illa majori pietate se audire dissimulat, ut post gloriosiore fine clarescat. Dehinc tibiæ mulieris excoriantur, et bullienti oleo perfunduntur. Cumque his atque aliis intolerabilibus pœnis mactaretur, malens illa mori quam sic affici, victa doloribus, fateri cœpit, suum se maritum jugulasse. Hac ab ea confessione recepta, jubet proconsul causam litteris inscriptam fronti miseræ mulieris clavis affigi, ut omnes ejus latrocinium agnoscerent, et inde per totam civitatem jubet cum multa eam ignominia circumferri. Ubi nunc dormis, Anna mitissima? Cur devotam tibi et innocentem famulam non liberas; non adjuvas; non consolaris? Circumactam recludunt in carcerem optimam, sed desperatam jam feminam.

ex ms.

et jam capitali supplicio afficienda

51 Sequenti die, sedente proconsule pro tribunali cum senatoribus urbis, jussa est miseranda mulier introduci vinculis et catenis implicita, mortis sententiam, quam non meruit, exceptura. Illa ad tribunalia stante, ingrediuntur subito prætorium duæ miræ habitudinis mulieres, quarum incomparabilis pulchritudo animos omnium movit in stuporem : harum una, quam ætas maturior honorabat, terribili sic est voce locuta : E
Vobis dicitur, o senatores; non prius contra hanc feminam mortis sententiam mulctari volumus, quam ad nostra interrogata responderitis. Ad hanc vocem territus est judex et judicis assessores universi; dehinc annuunt trepidi ejus petitioni. Statim introgressus miri decoris ac pulchritudinis adolescens omnium in se oculos animosque convertit. Tunc dicunt ad senatum illæ pulchræ, quæ advenerant, matronæ : Petimus hunc juvenem nobis advocatum. Admissus adolescens, his cœpit sermonibus perorare : Respondete mihi, o judices, si regum quisque potentissimus suæ genitrici, atque aviæ suæ, spopondisset, omnibus de sua familia et ancillis in cunctis suis periculis, cladibus ac casibus subvenire, atque auxilia impertiri, contingeretque interea, aliquem de harum familia servum vel famulam crudeli et injusta pœna torqueri, et ad mortem urgeri turpissimam, si tunc rex per matrem perque suam aviam factæ sponsionis admonitus fuerit, inquiritur tunc a vobis, an rex ille tenetur, quæ pollicitus est, implere, an non? Hac mota quæstione, obmutuere omnes. Postea a F
juvene sæpius requisiti responderunt, non se in hac quæstione judices velle videri. Quibus adolescens : Adjuro vos per jusjurandum, quod ipsi dedistis, ut ocyus dixeritis mihi, quæ tormenta, quæ supplicia illi meruerunt, qui matris atque aviæ regis servitricem amarissimis injuste pœnis affecerunt, atque insuper sæva morte perimere contenderunt.

liberatur;

52 Ad hæc verba omnes concussi surgunt e sedibus, et quid respondeant juveni consultant. Tunc dixit ad eum proconsul : Nos, inquit, in commune decrevimus, regem suis debere stare promissis, et quæ matri et aviæ est pollicitus, adimplere. Porro illi, qui harum servitricem injuste punierunt, si id scienter actum est, mala debent morte perire; si vero id ignoranter est gestum, misericordiam regis debent experiri. Tunc ille inquit : Nisi injustitiam factam ignoranter dixissetis debere regis clementiam leniter experiri, omnes vos modo terra dehiscens repentinam absorbuisset in mortem, et opertos humo descendere vos jussissem in tartara. Enimvero hæc mulier innocens, quam injustissime afflixistis, meæ est aviæ, Annæ sanctissimæ, devota et familiaris ancilla, cui ad

damnationis

EX MS damnationis titulum viri sui mortem impingere voluistis. Hæc ut dixit, sua manu senioris Matronæ chlamydem levans, jubet ocyus juvenem egredi vivum, qui fuerat mortuus. Adest, inquit, hujus mulieris maritus, quem vobis et vivum exhibeo, et orbatæ mulieri restituo. Obstupuere omnes et ultra quam credi potest admirabantur. Tandem pavidi cœperunt inquirere, quinam ipsi essent, et unde venissent, qui tam grandia possent prodigia operari; Nos, inquit juvenis, nos sumus Jesus, Maria, et Anna. Hoc ut dixit, relicto illic miræ suavitatis odore, quo mulieris Annæ lacerata membra sunt sanitati reddita, dulcis illa societas revolavit ad astra.

vero exdis auctore detecto. 53 Porro Amboges horum scelerum machinator, qui et præsens aderat, utpote unus ex senatoribus urbis, hæc omnia ut vidit, cœpit tremere, pallescere, angustiari; et ecce adest diabolus, teter, terribilis, qui ingressus prætorium repente Ambogem corripuit per capillos, et extractum de cœtu sedentium, ait illi: Confi- B tere nunc, o Amboges, confitere nequitiam et scelera tua. Tunc miser vallatus angustiis, et ejulans fatetur, se clam Annæ maritum occidisse, ac se omnium malorum causam exstitisse. Hæc ubi dixit, sustilit eum dæmon in aera, cujus caput cum fregisset a corpore, caput secum transvexit ad tartara; reliqua vero corporis rejecit in terram, quod cives auferentes in sterquilinio condiderunt. Universi autem, qui hæc prodigia aut oculis cernere, aut a narrantibus potuerunt audire, immenso tremore perculsi, laudes cum reverentia maximas dabant Annæ, suavissimæ matri, quæ tam potenti virtute sibi subvenire dignata sit servientibus, et, destructo hoste, ab omni periculo et incommodo liberare. Surgit inde immensus ad Annam sanctissimam favor atque dilectio, et omnes suæ se subjiciunt virtuti. At vero Anna et vir suus resuscitatus majorem in modum succensi ad suæ Liberatricis servitia, cunctis eam diebus, maximis semper obsequiis honorarunt *f*.

f

ANNOTATA.

a *Non video, quomodo Hungariam et Poloniam vocet regna maritima, quæ per classes Turcarum infestentur.*

C

b *Utinam auctor indicasset hanc Hungariæ civitatem, quæ a Turcis terra marique fuit obsessa!*

c *Parum hæc verosimilia sunt, cum Turcæ nec deos nec deas agnoscant. Alias hujusmodi ineptas expressiones eruditus lector facile in hac historia observabit.*

d *Nulla hujus nominis civitas in Lotharingia invenitur.*

e *Non conveniunt hæ blasphemiæ viro pio, qualis supra describitur.*

f *Hujus tam publicæ tamque stupendæ historiæ majorem confirmationem postulo.*

D

CAPUT VI.

Miri favores duobus conjugibus a sancta Anna exhibiti, et eremita patrocinio ejus ad vitam revocatus.

Nostræ salutis anno quadragesimo septimo supra millesimum ducentesimum in Cyllana *a* civitate fuisse legitur duas personas uno conjunctas conjugio, quos tanta semper paupertas ac rerum penuria comitabatur, licet ad victum lucrandum intenti essent, ut pene ambos, sed virum magis, desperatio mergeret in abyssum. Annis itaque multis hac pressi calamitate, cum alieno etiam ære et magnis debitis gravarentur, una dierum maritus plus solito desperatione raptus, subito, uxore nescia, e domo prosiliit, et clam vespertino tempore urbis C portas egrediens, ad flumen, quod illic decurrebat, sese immersurus adiit: cumque transiret in ripa transeuntis amnis, et se mergere cogitaret, vidit contra se venire super aquas magnum virum, magna luce conspicuum, alba chlamyde coopertum. Hic erat sanctus Joannes euangelista, cui hic homo fuerat semper serviendo devotus. Hunc igitur ut vidit, obstupuit, et se a mergendo continuit; ad quem Sanctus ait: Resipisce, o miser, resipisce, et sceleris tui vel sero pœniteat. Opportunus nunc tibi auxiliator advenio, memor amoris et obsequii in me tui: nisi enim apud Dominum tibi patronus affuissem, tu nunc sathanæ redditus, cujus suasu te mergere maturabas, gehennalis supplicii pœnas exsolveres. *S. Joannes virum de sperantem submersione prohibet,* a

55 His verbis homo compunctus, inquirit illius et nomen et personam: Ego sum, ait, in quem semper habuisti et fidem et amorem, apostolus et euangelista Joannes: at nunc, fili, age pœnitentiam super hac tua desperatione, et noli in reliquum pro temporalibus bonis sic esse solicitus. Ecce regnat in supernis una potentissima dominarum, cujus miserationis et pietatis industria totus post Deum gaudet et reflorescit orbis terrarum. Hæc post virginem Dei Genitricem omnium est miserorum ac tristium fotrix, consolatrix, adjutrix; hæc inopes novit facere locupletes, et mœrentes omnes erigit sospitate: hanc optimam patronam si tu colere, si amare volueris, ipsa te hic divitem faciet, et post in regnis cælestibus ditiorem. Homo ille tunc humi prostratus, erroris sui veniam ab Apostolo petiit, et hujus tam potentis ac misericordis dominæ sibi postulat nomen edici, cui sanctus Joannes euangelista: Anna, inquit, ipsa vocatur, mater intemeratæ virginis Mariæ et avia dulcissima Jesu Christi, hujus dominæ venerationi et obsequiis insiste, præsertim singulis feriis tertiis, hac nempe die ipsa in lucem hanc nascendo prodiit, et in æternam lucem moriendo migravit, et omnium votorum tuorum felicem consequeris effectum. His dictis, evanuit. *eique cultum S. Annæ suadet.* F

56 Reversus domum nuntiavit uxori, quæ gesta fuerant, et ingenti fervore mutuo se in Annæ gloriosissimæ matris obsequia adhortantur: *qui consilio obediens præter alia beneficia*

A tur: singulis diebus, præsertim tertiis feriis, ad Annæ sanctissimæ Matris laudem lumen accendunt, missas audiunt, preces offerunt, eleemosynas elargiuntur. Videns clementissima Mater animos horum sibi deditissimos esse, se honorantes disponit honorare. Igitur terrenis rebus divæ Annæ matris beneficio illis affluentibus, divitiis alios præcedunt. At homines isti tantis beneficiis grati, miri pretii ac decoris ecclesiam ad sanctissimæ Annæ gloriam construere student, in qua post uberes assignatos redditus sacra instituunt sacrificia. Hi duo cum jam annis fere ter denis conjugia sine prolibus secum transegissent, statuunt rogare Annam beatissimam cum ejus sanctissima Filia, ut alicujus prolis beneficio consolentur. Annuit mater dulcissima Anna precantium votis, et uno partu mulier tres in lucem fudit non sine utriusque parentis exultatione.

uxori mortuæ ac sepultæ 57 Anno tertio post horum partum mulier, Domino sic disponente pro aviæ suæ sanctissimæ Annæ gloria, ampliori pœna cœpit urgeri in mortem. Maritus hunc acerbissimum casum ducens, intentissime Annam beatissimam pro vita sibi cha-B rissimæ conjugis precabatur? Illa, ut post clementior appareret, irasci se simulat orantium votis, et infirmam feminam sinit a morte absorberi; at vir videns eam exspirasse, amarissimos gemitus dabat in cælum: quippe qui et suum jam ac filiorum solatium amisisset. Post sepulturam, quam in Annæ nobilissimæ matris basilica, ab ipsis constructa, mulier accepit, ubi vir domum rediit, tam gravi cœpit mœroris pondere fatigari, ut vix sese caperet præ dolore. Ad cumulum calamitatis hujus accurrunt parvuli lacrymantes, et quid de sua matre actum sit, aut quo illa abierit, patrem requirunt. Ille animadvertens, hos dulces parvulos tam pia matre privatos, ita vehementer indoluit, ut pene illi præcordia rumperentur et in impetu surgens, filiosque in ulnis arripiens; Eamus, inquit; ego vestram vobis Matrem ostendam. Post solis igitur occasum ecclesiam ingressus, cujus ipse claviger erat, sobolem suam in sinu Annæ clementissimæ matris imponens, quam in altari sculptam præclara imagine collocari fecerat, ita eam lachrymis adoritur: Cum te rogarem anxius, o Anna C mater mitissima, ut dilectam mihi conjugem servares ad vitam, et horum, quos donasti nobis, infantum solatium non præriperes, non me audire voluisti; at nunc necesse est; et me primum, et hos quoque celeri vita defungi, quod nobis communem lætitiam et omne solatium rapuisti. Hinc emigrante ob doloris angustiam anima mea, tu, quæso, his infantulis nutrix et parens esse digneris, pro matre, quam tam severa rapuisti morte.

patrocinio S. Annæ 58 Tunc multo lachrymarum imbre perfusus, tres filios, Annæ nobilissimæ matris gremio immissos, alloquens: Ecce, inquit, o mei filii, ecce mater vestra: hæc vos nutriet, proteget, auxiliabitur, et multo erit vobis hæc utilior, quam ea mater fuerat, quam perdidistis. At parvuli imaginem complexantes ridere cœperunt, et, quasi suam parentem invenissent, apprime consolati sunt. At pater post salutatam Patronam suam, relictis in gaudio filiis, mœrens et lachrymans solus ad domum repedavit: et cubiculum ingressus, cum amaritudinem cladis suæ secum volveret, somno correptus vidit in spiritu sanctissimæ Annæ matris imaginem, quæ in templo stabat, ab altari descendere et parvulos secum ducentem ad mulieris tumulum accedere. Dicto citius illum aperiens, inclamato mulieris nomine, jubet eam repente a morte resurgere. Illa e sepulchro confestim prodiit, et linteum, quo circumsepta erat, sibi præripiens, stat nuda auscultans, quid clementissima mater Anna amplius fieri jubeat: ad quam mater gloriosa Anna: Accipe hos, inquit, et nutri tres filios tuos, et domum perge invisere consolarique virum tuum, cujus ego te precibus mortuam resuscitavi. Vade, filia, reduc marito te ipsam, et filios tuos, et ut cœpistis hactenus, ita et in omne tempus cultores nominis mei perdurate. *ex ms.*

vitam impetrat. 59 Paruit illa, et supplex adorans, reducta sobole, venit et pulsat ostium suæ domus. Ad sonum pulsantis rediit ad se maritus a somno, et territus ex iis, quæ viderat, putans phantasma esse, januam noluit reserare. Tunc illa iterum atque iterum ostium verberans, prece et lachrymis sibi postulat aperiri; Noli, inquit, vereri, mi vir, ecce adsum rediviva tua conjunx, quam unice semper dilexisti. Ille obrigescens præ timore, æstimans zabuli *b* factionem esse, indignum judicat se movere a loco; E at parvuli matri astantes lachrymis orant, precantur, ut se cum sua matre in domum intromittat. Ille agnoscens vocem filiorum, repente fenestram aperuit, et, visa uxore, admiratione correptus et gaudio, e domo prosiliit, et complexans eam dixit: Teneone te, uxor mea? An somnia vana me ludunt? Quis te vivam, quis te sanam huc, quæso, reduxit? Cui illa: Habe gratias, mi vir, sacratissimæ matri Annæ, quæ lachrymis miserata tuis, me tibi, ut cernis, incolumem redonavit, multo posthac tecum victuram tempore. Introduc nos, et vestem porrige, mensam instrue, ac me esurientem patere epulari. Instaurat ergo convivium, advocat vicinos et notos, tota civitas læto rumore completur; accurrunt universi et videntes mulierem vitæ redditam, quam hesterna die tumulaverant, immensa admiratione et exultatione replentur; Annæ nobilissimæ matris præconia efferuntur, et per corda omnium piissimæ Matris amor incalescit. Sed revera male est cordi illi, quod ad hæc non incalescit ad amorem tantæ Matris, vel F quod hæc non credit, vel dubitat: sincero amore Virginem Mariam non diligit, qui his diffidit, vel ejus Matrem seu Apostolum sanctum Joannem non rite honorat. Hinc factum est, ut dum una mulier suscitatur in corpore, innumeri homines reviviscant in corde ad laudem Dei, et Aviæ ejus benedictæ, sanctique Joannis euangelistæ *c*.

Eremita S. Annæ devotus 60 Singularis genere eremitam in Francorum regno veridica narratione agnovi, qui multos annos anachoreticam ducens vitam, unico ac peculiari affectu in Annæ beatissimæ matris ardebat amore. Hanc sæpe votis, hanc precibus, hanc lachrymis invocabat. Verum, ut solet aurum in igne probari, sic Dei hominem istum passa est Anna sanctissima camino tribulationis inuri, ut grandiora illi merita cumularet. Uno nempe dierum, cum post solis occasum a civitate proxima, ubi stipem petierat, remearet, priusquam cellæ suæ locum attingeret, latro cruentus ocyus occurrit, credens, illum non eremitam esse, sed mercatorem, atque ideo se tali humili veste occultare voluisse, ut securius suas sic posset pecunias efferre. Latro itaque virum

ex mss.

virum Dei per guttura corripiens, jubet, ut nummos prodat; Satis, ait, diu hac sacra veste te Dei servum simulasti, cum certum habeam, institorem te esse; ocyus igitur nummos educito. Ego, inquit vir sanctus, numquam mercator exstiti, numquam ego nummos possedi; pauper sum, et Dei omnipotentis servus : paratus sum, si velis, hanc, quam hodie eleemosynam nactus sum ostiatim, tecum in communi partiri. At latro incredulus verborum cœpit majori violentia uti; Noli, ait eremita, fili, noli mihi violentiam inferre : nihil enim apud me nummorum reperies; sed Annæ divæ matris cultor et amator cum sim, non tibi impune cedet, si me aut contristaveris, aut vim ingesseris; sine me precor illæsum abire, ego pro te Annam sanctissimam deprecabor, et ut tuis propitietur iniquitatibus, efficiam.

et a latrone occisus

61 Verum sathanæ minister, cum nonnisi aurum sitiret; Et si tu, inquit, tam idoneus precator es, Annam tuam nunc rogita pro te ipso, ut te de B manibus meis, si valeat, eripiat : nam certissima tibi nunc mors impendet, nisi aurum, quod sitio, velocius exponas. Et hæc dicens manum mittit ad capulum, et ensem cœpit educere. At ille videns se mori oportere, positis in terram genibus, supplices palmas tendit ad sidera, et, sublato clamore, Annæ beatissimæ opem magnis vocibus inclamabat. Tunc latrocinator clamores non sustinens (timuit enim se deprehendi) gladium in guttur ejus immersit, et, secto capite, interfectum, et undique sub veste scrutatum, cum nihil nummorum reperisset, in flumen, quod non longe a loco decurrebat, cadaver sancti abjecit, et abiit. Ille itaque ad interiora eremi festinans, conversus retrorsum, vidit post se adventare mirabilis gloriæ mulierem, cujus oculi summa luce conspicui, cujus facies solis radios superabat. Hæc irim miri decoris et luminis gestabat in capite, cui lucidissimis litteris hæc tria vocabula inscripta nitebant : Jesus, Maria, Anna.

ad vitam revocatur,

62 Vidit quoque hanc Dominam caput occisi ferentem in manibus, et sibi celerius propinquantem. Statim latro, immenso timore correptus, gradum figens, non se valuit loco movere, et ecce intuetur cadaver viri sancti e flumine extractum ad pedes jacere Matronæ, quæ mox, ut caput corpori sociavit, C in unam compaginen rediere. Matrona deinde mortuum alloquitur dicens : Surge qui dormis, serve meus et exsurge a mortuis, et da gloriam Deo, qui meo interventu te martyrem fecit in pœnis, et vitæ restituit, et post cumulata majora merita deliciis te inferet sempiternis. Mox ille lætus alacerque surrexit, non secus acsi se dulci somno discuteret. Porro Diva parens statim in superna conscendens, et servum suum mira gratulatione jucundum, et latronem vehementer timentem, dereliquit.

et latro convertitur.

63 Tum ille ad se reversus, mentem formavit ad lachrymas, et noxam fusi sanguinis multis gemitibus deploravit, et currens procidit supplex ad genua eremitæ, orans atque obtestans per eam Dominam, quæ eum a mortuis revocarat, ut malitiam in se commissam remittere, et illum in sua consortia admittere dignaretur. Hunc cum lachrymis deprecantem, suis vir Dei excepit amplexibus, et, fusa pro eo oratione, ad sanctissimam matrem Annam, hominem jam integre mutatum secum ad suum habitaculum duxit. Dehinc viam Domini postquam D plenissime latro didicit, se solum in alia cella reclusit, ubi annis xxv in magnis sese pœnitentiæ operibus Deo atque divæ Annæ commendabilem effecit, ac post honorifico fine obdormivit in Domino *d*.

d

ANNOTATA.

a *In libellis nostris Belgicis, in quibus* S. Annæ *miracula referuntur, civitas illa vocatur* Tiliana *vel* Ciliana; *sed parum refert, quomodocumque appelletur, quandoquidem nihil ulterius indicatur de ejus situ, quem divinare non lubet.*

b Zabuli *id est dæmonis, ut sæpe in Actis nostris diximus.*

c *Hic iterum nimis stupenda et publica sine testibus et tabulis indeterminate proferuntur.*

d *Hæc etiam nimis mira, ut sine ulteriori testimonio statim admittantur.*

CAPUT VII.

E

Vidua per intercessionem S. Annæ vinculis sæpe soluta, alter extremo supplicio mirabiliter ereptus, ac alii prædonum manibus et gravi morbo liberati.

Vidua injuste carceri inclusa,

Viduam in quadam civitate, Annæ sanctissimæ devotam, urbis præses (quia corpore formosa erat) concupiscens, suæ libidini subdere laborabat : agebat litteris, precibus, largitionibus, sed casta mulier intuitu serenissimæ parentis Annæ non se passa est aut precibus vinci, aut muneribus emolliri; ille se contemni cernens, minas adhibuit; sed ut blandum, ita et sævientem, illa despexit. Dehinc falsum crimen mulieri impingens, jussit eam vinculis innodatam tetro carceri recludi. Illa omni humano solatio destituta, dulcissimæ Annæ cœpit præsidia petere. Media nocte in imo carceris cum immenso lumine Anna beatissima descendens, dirupit vincula, et devotam sibi famulam deducens, in suam basilicam introduxit. Constans, insuper ait, esto, filia : hic præses tecum pugnare F molitur, quod quidem tibi erit ad gloriam, illi vero ad ruinam perpetuam. Hoc dicto, in astra se recepit.

per intercessionem S. Annæ

65 Hac ipsa nocte omnia animantia, quæ præsidis erant, oves et boves, equi omnes et muli, repentina sunt morte percussi : qui mane consurgens, ut vidit animalium suorum mortem, vehementer expavit, admirans super tam repentino interitu bestiarum. Dehinc ecclesiam ingressus, cum illic cerneret mulierem, quam hesterna die incarcerari jusserat, amenti furore correptus; Maga, inquit, malefica est mulier ista, quæ, opitulante diabolo, et sese vinculis eripuit, et animalia mea crudeliter occidit; et raptus amentia comprehensam jubet flagris toto corpore laniari et lacerari, et per cuncta membra acri animadversione torqueri : dehinc cum illi brachia et crura fregisset, catenis implicitam in altissimam turrim projici jubet ac derelinqui. Credo, inquit, apodixin * magiæ tuæ ultra in me meaque exercere non poteris. Ego, ait illa, malefica non sum, sed Annæ sanctissimæ

* *id est, demonstrationem*

A sanctissimæ præsidio fulta carcerem evasi, per quam confido, me tuis e manibus liberandam, et ab his, quibus nunc afficior, sanandam suppliciis. Hæc ut dixit, projicitur in uni carceris sterquilinio, immenso catenarum pondere prægravata. Tunc tyrannus ad suos milites conversus; Hæc malefica, inquit, in Annæ potentia confidit, sed ego illam ita confregi, ita eam vinculis ac ferro complicui, ut non solum ipsa, sed nec Christi valeat eam virtus eripere *a*. Cras summo mane in hac eam tetra turri faciam concremari; tunc apparebit, quid vana spes sibi profuerit, qua est inflata.

sæpe vinculis

66 Adest rursum benignissima miseratrix Anna, et dulcibus ulnis suam famulam complexans, vincula discussit, vulnera sanavit, fracturas restituit, et exultantem in Domino viduam in suum templum revexit. Hac ipsa etiam nocte uxor præsidis et duo filii ejus tristissimam sorbentur in mortem : quod mox ut ille agnovit, in furiam versus, ait ad suos : Has mihi plagas ingerit maledicta illa ac nequissima mulier, B quam affectam pœnis, vinculis astrinxi. Ite velociter, ligna et stramenta afferte et in ipsa turri, qua residet, ut digna est, vivam incendite. Si diutius hæc vixerit, et me ipsum et omnem hanc civitatem funditus faciet interire. Porto ministri jussa capessunt et venientes cernunt carceris ostia reserata, et ipsam videntes ereptam, admirantur : intrantes cum lumine aspiciunt catenas in frusta discerptas, et miri odoris fragantiam naribus capientes, quam de sua præsentia suavitatis mater Anna illic reliquerat, compuncti sunt corde, et percutientes pectora sua, veniam suæ tyrannidis deprecantur. Vere, inquiunt, tu es illa potentissima Liberatrix, quæ et ancillam tuam eripere et Dominum nostrum tam crudeli potuisti animadversione ferire. Conversi igitur ad clementissimam Annam, totis cordibus sese illi spondent deinceps famulaturos, et ultra ad Dominum suum non redituros.

et suppliciis eripitur, *b*

67 Tyrannus itaque putans, feminam jam combustione perisse, assumpto secum residuo famulatu, pergit versus ecclesiam oraturus *b* : in itinere autem audit a narrantibus, viduam a se punitam ac vinctam, liberatam esse ac sanatam vulneribus, in templo incolumem residere. Ubi C hæc audivit, totus jam in diabolum versus cum ingenti strepitu ac furore festinat ad templum : quem sancta mulier ut vidit ingredi ore spumantem et spirantem minas, territa altare sacrum, cui hærebat, festina ascendit, et fimbrias imaginis divæ matris Annæ corripiens, orat anxia et lachrymosa, subsidium alta voce inclamans : Succurrite, inquit, succurrite, Jesus, Maria, Anna, et ab homine impio et crudeli me precor, eripite. O res omni seculo admiranda et totis stupenda sensibus! Accurrit ille furore ebrius, et dum molitur sæva manu feminam ab altari ad se retrahere, Anna gloriosissima chlamydem oppandens, tutum anxiæ mulieri latibulum præbuit. Omnes, qui huic spectaculo astabant, mirabantur; solus hic impius cor obfirmat ad confusionem ampliorem. Jam totus sathanæ traditus, manus sacrilegas non pertimuit in Annæ beatissimæ matris effigiem mittere, eam summo annisu gestiens ab altari dejicere. Ecce, quo pergit cæcæ mentis execranda præsumptio! Sed mox ubi manum applicuit in vestem, imago Mariæ perpetuæ Virginis, quam Anna nobilissima mater gremio continebat, gravi verbere manum dementis tetigit, quæ mox a suo brachio revulsa in terram decidit. *ex ms.*

et iniquus illius judex morte punitur.

68 Porro Jesus Christus, quem Virgo tenebat in ulnis, audiente omni plebe, terribili sic est voce locutus : Audi, tyranne superbe atque impie ac miser, ausculta. Quid furis? Quid insanis contra nos? Quid meam atque Aviæ meæ famulam vexatam toties mortificare moliris? At ut noveris, ultorem me esse horum, qui Annæ sanctissimæ ac meæ Genitrici serviunt, hodie cum toto tuo palatio terribili igne te absumam, et hanc viduam innocuam, quam de terra abradere voluisti, rerum tuarum omnium ac dominii tui heredem dominamque constituam. Vix verba finierat Jesus Christus, et ecce palatium omne ardet sulphureo igne lapso de cælo. Mox dæmon templum ingressus, sceleratum hominem per guttura arripiens clamantem misere et turpiter ululantem comburentibus flammis injecit, E et extortam animam ignibus immersit arsuram perpetuis. Universi autem, qui his interfuere prodigiis, summa admiratione pavidi, in beatissimæ Annæ præconia atque obsequia incalescunt, et sacra illi sacrificia devotis insistunt cordibus. Viduam vero illam, juxta Domini Jesu promissum, suam super se dominam erigunt, et sibi postulant principari; cui et quæ erant præsidis bona omnia et possessiones attribuunt. Hinc dives et inclyta facta fuit rectrix populi sui in pace et prudentia annis plus quam triginta quinque, et in casta viduitate perdurans, felici morte consummata, temporalem gloriam in regnum commutavit æternum, præstante Domino Jesu ad honorem suæ Aviæ dilectissimæ, cui est honor, potestas et imperium in secula. Amen *c*. *c*

Vir peregrinus

69 Ad laudem omnipotentis Dei beatissimæque semper Virginis Mariæ miraculum quoddam scripturus sum, satis superque notum mihi, ut quod ex illius perceperim ore, cui id evenit. Anno Domini millesimo, quadringentesimo septimo decimo vir quidam fuit non infimo natus loco, insigni ac eleganti corpore, et juris apprime peritus; multis item sanctis exercitiis deditus et intentus. Nomen erat viro Joannes, idemque e Saxonia comitatu Hoyensi *d* originem duxerat *d*; fuerat autem aliquamdiu regis F Daniæ ac Norvegiæ cancellarius; sed quia prudens admodum erat, facile animadvertit, eo in statu devotum erga Deum animum aut vix aut omnino non posse se gerere, ob pericula multa, quæ hujuscemodi hominibus continenter occurrere solent. Quamobrem abdicans illa se dignitate et officio, totum se pietatis actibus, puta jejuniis, observationibus, peregrinationibus in longinquas regiones tradidit, idque non ex curiositate aliqua, sed magna devotione et summo cum labore maximoque sæpe vitæ discrimine, in mari atque solitudinibus per quæ iter agebat, ita ut raro ultra duos aut tres dies uno aliquo in loco moraretur.

ob homicidium involuntarie commissum

70 Accidit autem anno Domini supradicto, ut cum aliis quibusdam terram Sanctam invisere pergeret; cumque illic ageret et impii Saraceni rerum inibi potirentur, profanus quidam sive gentilis gravi eum injuria absque illius demerito affecit : quod ille nimium moleste ferens, basculo suo, cujusmodi utuntur peregrini, improbum illum cecidit atque occidit; tametsi non ea illius voluntas esset, ut

ex Ms ut hominem interficeret : at vero ubi mortuum illum conspexit, tenuit ipse, timuere et socii ipsius, ignari, quem res exitum habitura esset. Itaque Joannes iste capitur, ligatur a paganis, et ad judicis tribunal rapitur, moxque morti adjudicatur. Interim vehementer socii illius apud amicos ejus, qui peremptus erat, itemque apud judicem ipsum prece ac pretio instabant, multam etiam pecuniam offerentes, ut Joannes dimitteretur, maxime cum præter animi sententiam hominem occidisset. At nihil illic profecere : una omnium mens et voluntas erat, ut Joannes periret. Quando igitur frustra se niti videbant, summo cum dolore valefacientes Joanni discedebant, et miser ille extra aliam portam jugulandus educebatur; ille vero, tametsi esset gravi correptus angore, magnam tamen fiduciam et spem animo gerebat, fore ut liberaretur Sanctorum illorum suffragiis, quo quotidie non paucos venerari solitus erat, præcipue autem in beatissimæ matris Annæ misericordia
B plurimum confidebat, quam etiam suo in corde hisce verbis devotissime precabatur dicens : Benignissima mater, miserere obsecro mei in hac extrema necessitate mea; quod si indignus sum, præsentem evadere mortem, age tamen apud Deum, ut in æternam non incidam mortem et pœnas inferorum.

extremo supplicio afficiendus mirabiliter liberatur, 71 Hæc illo in corde per viam, qua ducebatur, orante, jamque locum illum, ubi enecandus erat, attingente, videbatur illi grandis fieri terræmotus et turbo, eoque se tolli in aera, rursumque in terram demitti eo in loco, ubi socii illius erant, prorsus liberum, et a vinculis omnibus absolutum. Videns autem socios suos ante se proficisci, inclamabat magnis vocibus, ut gradum sisterent; quod cum illi audirent, nec tamen quemquam cernerent; simul autem et Joannis sui vocem audire se putarent, territi sunt maxime, quod illum jam decollatum arbitrarentur, nec scire possent, unum vox, quam audiebant, vivi illius aut defuncti spiritus esset. Ille tamen clamare non destitit, ut subsisterent, dum ad eos veniret. Substiterunt ergo : mox igitur, ubi eatenus ad eos accessit, ut jam ab eis agnosci posset, sciscitabantur ex eo, utrumne Joannes socius suus ipse foret?
C Ille, modis omnibus esse se respondit, et ne quidquam terrerentur, admonuit. Percontantibus illis, quinam liberatus esset? Manibus ille ad cælum levatis, palam omnibus edixit, oravitque, ut una secum Annæ beatissimæ gratias agerent, cujus beneficiò mortis præsentissimum periculum evasisset. Nec mora, cunctis in genua provolutis, fit una omnium tanta pro beneficentia gratiarum actio ad Deum matremque piissimam Annam, quod hominem tantis e miseriis tam misericorditer extraxisset. Ex hoc igitur aliisque innumeris miraculis colligere quisque facile potest, quantæ sit apud Deum efficaciæ sanctissima Anna, ut merito eam omnes honorare debeant, in suisque eam tentationibus et necessitatibus implorare, quoniam potentissima apud Deum est, nec umquam repulsam patitur, honorante eam tota beatissima Trinitate ceu Christi aviam dignissimam.

et alius S. Annæ devotus e 73 Post necem impiam Domini Ludovici de Borbon *e* præsulis Leodiensis, Leodium gravissimis cladibus novimus compressum. Eo tempore in terra Lossensi homo fidelis et dives, Annæ gloriosissimæ devotus cultor, ter omnibus bonis spoliatus, ter quoque in vincula est con- D
jectus, qui præter famem, sitim, verbera, ludibria et jurgia, probra perferens, amarissimos in carcere transigebat dies. Hic itaque cum jam tertiæ captivitatis pondere premeretur, Annam dulcissimam continue advocans, de latronum manibus eripi postulat. Mox piissima Anna, cruentissima prædonum corda emolliens, eos ad miserandum captivo permovet; nam statim paucis nummis acceptis, hominem a vinculis excutiunt, et libere abire permittunt. Hic jam absolutus, cum jam omnia perdidisset temporalia, cuidam dominarum cœnobio applicuit, cui prosperitatis tempore amicus fuerat, qui illic libentissime susceptus est.

73 Una deinde noctium, cum sopor omnes oppresserat, repente Areborgenses in monasterium irruunt, et officinas omnes cum domibus confringentes, cuncta, quæ invenire poterant, in manubiis, in pecuniis, in pecoribus rapiunt et abducunt. Cumque huic operi intenderent, E *e prædonum manibus*
et viros, qui tunc forte aderant, seculares vinculis adstrinxissent, hic homo somno excitatus, cum tumultum sævientium discurrentiumque audisset, devoto corde Annam clementissimam rogans, eidemque se committens, ostium clam aperuit et fugit; quod quemdam de inimicis non latuit, et virum insectantur. At ille itineris compendia captans, ad fluvium, qui prædicto cœnobio allabitur, ocyus accurrit. Stans itaque in ripa fluminis trepidus, cum submergendi discrimen perhorresceret, Annæ potentissimæ matris cœpit præsidia inclamare, orans, ne rursum barbarorum manibus se pateretur abduci.

74 Hæc eo orante, mirabile dictu! navicula parva ejus oculis apparuit, quamquam nemo illic umquam navem viderit : quam vir ingressus, statim in oppositum littus virum deposuit, et de prædonum manibus eripuit; insectatores vero concito cursu ad flumen properantes hominem rapturi, navem reperiunt nullam. Anna enim sacratissima cymbam, quam suo famulo præstitit, impiis subtraxit, et sicut ante illa tempora navim illic nemo vidit, sic nec postea umquam visa est. Animadvertite hoc prodigium, fratres charissimi, et vos in mari procelloso tentationum, periculis pleno, esse agnoscite, et sicut prædictum virum audistis ter- F *miro modo eripitur,*
renis spoliatum bonis, sic inimici nostri, caro, sanguis, mundus et dæmon nostris nos bonis operibus et eorum fructibus privare moliuntur, quæ ubi abstulerint, in æternæ nos damnationis voraginem demergere nituntur; sed hoc exemplo docti quæramus navim, id est ter felicissimæ matris Annæ opem, quæ neminem spernit, neminem deferit, devoto et credulo corde ipsam invocantem; ut sic pericula hujus mundi evadere, ac tandem, ipso duce et remige, ad portum æternæ felicitatis absque ulla pœna post hanc miseram vitam duci mereamur. Amen.

75 Rudolphus Agricola *f*, vir eruditissimus, erga Annam matrem, omni laude dignissimam, miro afficiebatur amore, id quod testantur carmina, quæ in illius edidit laudem *g*. Hunc, ut ipse meminit, quodam tempore tam gravis invasit morbus atque dolor, ut, viribus corporis omnino destitutus, se lecto prosterneret; adeoque cœpit ipse morbus invalescere, ut armata jam manu in ejus præcordia irrumperet : nunc *sicut Rudolfus Agricola gravem morbum evasit, f g*
frigore,

A frigore, nunc ardentissimo æstu, dira illum febris excoquebat, hæc illi vires venasque omnes resolvebat : ardebat quidem corpore, sed mentis incendia longe illum magis exurebant. Amiserat pene mentem, mores, et verba præ furore ; jam mortem ipsam, si data fuisset, libens fuisset amplexus, remedium omne et ipsam peritiam medicorum suus languor evicerat. Quid faceret; quo se verteret ; quem pro salute precaretur? Ad Annam dulcissimam sese contulit, quæ sicut illi unica spes fuit, ita fuit et causa salutis. Cumque his vocibus Annam clementissimam in sua vota vocaret, dicens : Succurre, obsecro, tantis cladibus, piissima Mater, adesto meis miseriis, dulce solamen, tu mea certa salus, in te vita mea recumbit, tu ductrix, tu portus, tu requies mihi sola. Illa confestim adveniens firmum medicamen attulit; ita ut infirmis artubus animoque languenti vigor et vita remeaverit. Hanc unam pietatem in piissima Anna expertus, tantam de Annæ speciosissimæ ope fiduciam concepit, ut crediderit,
B in quovis morbo atque in extremo mortis periculo mellifluæ matris Annæ adjutoria mox affutura.

ANNOTATA.

a *Nullo modo est verisimile, hæc blasphema contra Christum verba publice ad milites prolata fuisse a præfecto urbis, si ille fuerit Christianus, qualem fuisse ex sequentibus collige.*

b *Si tyrannus ille iverit oraturus ad eamdem ecclesiam, in qua innocens hæc mulier imaginem* S. Annæ *venerabatur, videtur fuisse Christianus et Catholicus, adeoque inepte ipsi tribuitur publica contra Christum blasphemia, de quo superius.*

c *In tota hac narratione rursus accumulata sunt tot stupenda prodigia, ut de iis certiora testimonia desiderem.*

d *Est tractus Germaniæ in Westfalia, quæ olim Saxonia vocabatur.*

e *De cæde hujus præsulis, et tumultibus eam secutus, videri potest Chapeaville in Gestis pontificum Leodiensium tom.* 3 *pag.* 201.

f *Rudolphus ille, doctrina et virtute clarus, obiit anno* 1485, *ut habet Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.* C

g *Laurentius Cuperus hoc carmen eucharisticon Rudolphi Agricolæ libello suo de Genealogia* S. Annæ *præfixit. Auriemma noster, aliique idem operibus suis passim inseruerunt.*

EPILOGUS.

Ecce, fratres, non modo prodigia et signa in transactis seculis Annam salutiferam egisse credamus, sed nostris etiam temporibus roriferam pietatem suam declarare non desinit. Nec mirum : totus namque cælestis exercitus Annam sanctissimam veneratur, colit, ut par est, ac diligit : nam omnes Sancti pretiosissimo Christi Jesu sanguine redemptos se agnoscunt, ac illum sanguinem, qui eos redemit, et quo in terra per Ecclesiam Apostolicam vegetati sunt, ex Anna nobilissima sumptum non ignorant. Etenim Christi Jesu sanguis et caro, quæ ad salutem boni, ad perniciem impii sumunt, caro et sanguis est Annæ *a* sanctissimæ matris, ex qua Virgo Maria carnem et sanguinem absque ullo peccato suscepit. O sanctissimus venter, in quo benedicta Trinitas Unigenito filio Matrem ædificavit ! o numquam sine reverentia nominandus uterus, in quo tam mira, ab initio et ante secula numquam audita, sunt facta! Enimvero cuncti post Adæ inobedientiam filii iræ nascimur ; sed non hoc modo Anna beatissimam Virginem Mariam concepit, quæ prius sancta fuit, quam nata : siquidem in utero matris Annæ spiritu sancto plena nullam umquam sensit maculam *b*. Itaque nihil ambigamus, sed pie nobis persuadeamus, Annam beatissimam, sicuti in terris post Virginem Matrem Christo proxima fuit, itidem nunc in cælis conjunctissimam illi et proximam esse, honorante suam Aviam eodem ipso Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

a — *Ex ms.* — *b*

ANNOTATA.

E a *Nimis cruda aut saltem ambigua est illa expressio : nam accedit ad opinionem quorumdam, qui volunt, in Eucharistia lac et sanguinem* S. Annæ *exsistere, ut videri potest apud Geldolphum a Ryckel in Phylacterio tract.* 7 § 17 *et seqq. Nos eam opinionem plane rejicimus, quia præter alia simile ratiocinium de Christi abavis, atavis, tritavis, aliisque progenitoribus institui posset.*

b *Hic auctor satis aperte immaculatum beatissimæ virginis Mariæ conceptionem indicat.*

MIRACULA AUTHENTICA,

QUÆ IN BRITANNIA MINORI CONTIGERUNT.

Excerpta sunt ex libello Gallico, quem anonymus Societatis Jesu sacerdos anno MDCLXIV edidit, et a nobis jam Latine reddita.

F

CAPUT I.

Claudi et muti sanati.

Puella clauda et muta primo gressum

Exordiamur a celeberrimo beneficio, quod anno MDCXLVI Sebastianæ du Bot collatum est. Hæc oriunda ex parochia sanctæ Crucis in suburbio Josselinensi *a*, circa nonum ætatis annum morbo quodam laboravit, ex quo usum pedum ac linguæ perdidit. Pater ejus Oliverius du Bot, interna inspiratione monitus, illam patrocinio S. Annæ commendavit, atque ad prodigiosum ejusdem Sanctæ sacellum, quod non procul Auraico *b* dissitum est, equo vehi jussit, postquam puella per anni spatium in hoc misero statu perseveraverat. Eo advecta statim tam perfectam gradiendi facultatem recepit, ut coram multis adstantibus illic fulcra subalaria reliquerit. Sed necdum tunc voluit Deus ipsi loquelam reddere, secundam hanc gratiam ad aliud tempus differens, ita ut misera puella plus quam octodecim annis muta permanserit. Interea

a — *b*

EX LIBELLO GALLICO.

rea tamen sæpe per gestus peccata confitebatur, et Christianam ac piam vitam agebat. Post mortem parentum facta orphana, audivit narrari crebra miracula, quæ per intercessionem S. Annæ fiebant, et ea narratione sic excitata est, ut ad idem Sanctæ sacellum rursus peregrinationem instituere voluerit, sperans, fore ut jam alterum beneficium obtineret, quod prima vice impetrare non potuerat.

et diu postea loquelam recuperat.

2 Igitur fratre suo Guilielmo du Bot et plurimis popularibus eam comitantibus, ipso Pentecostes festo circa horam quartam pomeridianam ad sacellum S. Annæ advenit inter ingentem concursum peregrinorum, qui sacris istis diebus undique eo confluere solent. Muta puella sacro loco appropinquans, cum ore non posset, corde precabatur, ac peculiari interioris pietatis significatione sacellum ingrediens in conferta hominum turba devote genua flectebat. Spiritus sanctus, qui eo die linguas Apostolorum reddiderat disertas, ut loquerentur magnalia Dei, etiam tunc linguam Sebastianæ dissolvit, ut ingens
B S. Annæ potentia manifestaretur : nam statim a fratre suo petiit, ubinam esset altare et prodigiosa S. Annæ imago. Ad hæc prima sororis suæ verba frater ita commotus est, ut præ lætitia lacrymaretur. Deinde eam duxit ad clathros, quibus sanctæ imago circumsepta est, ubi Sebastiana articulatis verbis Benefactrici suæ gratias agere perrexit. Postea respondit pluribus circumstantibus, qui eam certatim interrogabant, ut authenticum hujus prodigii testimonium haberent, quod propter peregrinorum multitudinem ubique divulgatum est. Non multo post
c jussu episcopi Venetensis *c* examen hujus miraculi per varios coram notario et testibus legitime institutum est. Duodecim testes affirmarunt, eam ultra octodecim annos mutam fuisse; imo ipsa idem asserit, addens, sese in sacello S. Annæ sensisse singularem fiduciam obtinendi, quod desiderabat. Etiamnum ipsa vivit ac habitat Josselini, ubi perfecta loquendi ac incedendi facultate fruitur. Illic etiam adhuc supersunt plurimi incolæ, qui eam multo tempore mutam noverunt.

Altera, peractis tribus peregrinationibus ad S. Annam,

C 3 Sequens miraculum, priori non multum absimile, anno MDCLXIII, die XXI Junii accidit, ac etiam peregrinos docet de cælesti auxilio non desperare, etsi aliquando non statim desideratam sanitatem impetrent iis locis sacris, ad quæ peregrinantur. Joanna Baumin, oriunda ex loco de Kerbranguen, qui spectat ad parochiam de
d Kerien in diœcesi Corisopitensi *d*, circa ætatem sedecim annorum morbo quodam afflicta, usum linguæ ac crurum amisit, ita ut quatuor annis muta et clauda remanserit. Post adhibita incassum varia remedia pater ejus Joannes Baumin eam patrocinio S. Annæ commisit, et ad memoratum Sanctæ sacellum tertiam peregrinationem vovit. Hoc patris votum magna lætitia affecit filiam, quæ firmiter sperabat, fore ut hac vice auxilium S. Annæ experiretur. Pater igitur cum filia anno MDCLXIII, die XIX Junii iter arripuit, comitante eos Guilielmo Helou, cujus opera in itinere indigebat : nam puellam ex equo deponere, et ad sacellum deferre oportebat, cum pedibus suis niti non posset.

prius pedum,

4 Quando die XX Junii circa horam octavam vespertinam eo advenerunt, prima patris cura fuit, ut sese cum filia coram imagine S. Annæ sisteret, ac ibidem preces funderent. Sed advertе, quomodo Deus patientiam ejus probare voluerit D
Postero die puella, ad sacellum relata, post factam per signa exhomologesin, corpori Domini communicat, ferventer orat, gemit, ac præsidium S. Annæ implorat. At omnia videbantur inutilia : nullum quippe mali levamen sensit. Dum mœstus pater jam discessum parat, filia novam fiduciam concipiens, se ad fontem S. Annæ deferendam indicat, atque oculis in cælum elevatis identidem Sanctam corde invocat. Dein crura ibi lavans, sensit iis insolitum robur addi, et cum omnium adstantium admiratione sese in pedes erigens, sine ullius ope ad sacellum reversa est, et S. Annæ pro hoc primo beneficio gratias egit, confidens, se alterum intercessione illius alio tempore obtenturam. Ad pagum suum firmis pedibus rediens, summo popularium suorum stupore et applausu excepta est. Illustrissimus præsul Corisopitensis hoc miraculum examinari jussit, et publico decreto probavit *e*. e

ac deinde post præviam S. Annæ apparitionem

5 Hisce scriptis, intelligo, jam eidem Joannæ loquelam redditam esse; quod prodigium juxta acta, ab episcopo Corisopitensi discussa, sic factum est, ut hic narrabo. Quamvis Joanna E
patrocinio S. Annæ firmum gressum recuperasset, ut supra retuli, tamen muta remanserat. Unde primo beneficio animata, paulo post iterum ad S. Annam confugit, et peregrinationem ad ejus sacellum promisit. Votivo itinere bis peracto, nihil obtinuit præter majorem fiduciam, qua certo sperabat, se serius ocius exaudiendam. Tandem ipsa sancta Anna mense Augusto anni præteriti eam de imminenti loquelæ restitutione certiorem reddere dignata est, ut ipsamet in examine asseruit : cum enim circa fontem pagi du Cuz vaccas custodiret, vidit venerabilem matronam, alba veste indutam, quæ ipsam primo intuitu nonnihil terruit. Verum Sancta eam securo animo esse jubens interrogat, an intercessioni S. Annæ multum consideret. Cui illa distincte ITA respondit. Tum S. Anna dixit : Ego ipsa sum, confide : nam opportuno tempore et loco tui memor ero. Atque his dictis disparuit, ac Joannam reliquit plenam consolatione et admiratione, quod vocem ITA pronuntiasset, etsi jam adhuc nullum aliud verbum posset proferre. F

linguæ usum adepta est,

6 Hæc apparitio fiduciam ejus ita auxit, ut cum patre suo novam peregrinationem ad sacellum S. Annæ susceperit, ac die XI Junii præsentis anni MDCLXIV *f* circa horam octavam f
vespertinam eo advenerit. Postero die, quo festum Corporis Christi celebrabatur, puella signis peccata sua exposuit, et post susceptam Eucharistiam ante clathros, quibus imago S. Annæ cingitur, se prostravit. Interea pater pro filia curavit offerri sacrificium Missæ, sub cujus finem magno cordis ac pectoris dolore oppressa est, ac totum corpus tremore quodam concuti sensit. In hoc symptomate vinculum linguæ ejus solutum est : nam rosarium volvens, orationem Dominicam distincte recitabat : quod ipsa observans, ad patrem conversa dixit : Pater mi, jam loquor. Bonus vir stupore plenus cœpit præ gaudio clamare ac flere ad hæc verba filiæ, quæ deinceps perrexit articulate loqui (sic etiamnum facit) et respondere multis in sacello præsentibus, qui ad hunc patris clamorem accurrebant. Statim PP. Carmelitæ, qui sacelli hujus curam gerunt, in gratiarum actionem pro miracula TE DEUM cantarunt, uti etiam factum

A factum est a sacerdotibus parochiæ suæ, quando domum reversa est.

Puer mutus, g 7 Oliva Merel, uxor Joannis Colleaux Tessier, ex parochia de Chavaigny in diœcesi Redonensi *g*, partui proxima, ad tantas angustias redacta erat, ut fœtus et mater in maximo vitæ periculo versarentur. Intelligens id maritus vovit peregrinationem ad sacellum S. Annæ, si uxor periculum evaderet et proles sacrum baptisma susciperet. Utrumque beneficium ipsi concessum est : nam uxor feliciter peperit, et infans baptizatus bene se habuit. Sed negligentia patris in exsolvendo voto accidit, ut infans usque ad quintum ætatis annum mutus maneret, quamvis nec auditu nec ingenio careret, et aliæ ejus proles a duodecimo vel decimo tertio ætatis mense loqui consuevissent. Pater hoc infortunio culpam agnovit, et votum renovavit. Vix iter ad S. Annam ingressus fuerat, cum hactenus muta proles matri dixit : Mater, da mihi panem, ut comedam ; atque ita articulate perrexit loqui. Unde pater domum redux magna lætitia perfusus est, ac miraculum istud anno MDCXLV, die XIX Junii examinari, et visa auditaque in acta referri B jussit.

et vir eodem incommodo aliisque malis affectus, h i 8 Pro sequenti miraculo testem appellare possum totam parochiam de Milisac, quæ in diœcesi Leonensi *h* duabus leucis Brestia *i* distat. In ea Bernardus Lunven anno MDCLIV ex magno capitis dolore in melancholiam ac deinde in amentiam incidit. Præterea feria quarta cinerum loquelam perdidit (hanc dumtaxat post duos annos et aliquot menses in sacello S. Annæ recuperavit, ut postmodum videbimus) atque ita deliberavit, ut non nisi vi coactus cibum aut potum caperet. Etiam adeo constanter lecto decumbebat, ut numquam vellet surgere, et ex eo violenter extrahendus esset, quando lectus sterni debebat. Maria Bizian, uxor ejus, tentatis frustra humanis remediis, ex consilio Joannis Bizian, patris sui, eum S. Annæ devovit, et peregrinationem ad ejus sacellum promisit. Dum ipsa die, ad hoc iter destinata, diceretur ipsi surgendum esse, ut iret ad Lugullat (est pium sacellum in via de Carhais, quod duabus leucis a Landerneau distat) C cum magna adstantium admiratione statim ultro surrexit, quod tamen spatio trium annorum non nisi coactus fecerat. Imo alacrior apparuit, quando jam vestibus indutus intellexit, peregrinationem ad sacellum S. Annæ etiam suscipiendam esse. Etsi autem omnes timerent, in longo morbo exhaustus equo solus vehi posset, tamen æger post hoc votum tantas vires accepit, ut equo insidens, sine ullius auxilio totum iter confecerit. Itaque in transitu visitavit sacellum Lugullat, et anno MDCLVII, die XIX Julii ad S. Annam pervenit.

loquelam ac sanitatem obtinent. 9 Uxor cum ipso sacellum S. Annæ ingressa, misit Franciscum Bizian fratrem suum cum altero, ut PP. Carmelitis incommodum mariti sui indicarent, et peterent confessarium, qui muti confessionem exciperet. Interim ipsa cum marito audiebat Missam, quæ in summo altari celebrabatur. Finito sacro, Bernardus uxorem orationi intentam relinquens, se contulit ad prodigiosam S. Annæ imaginem, et illic fusis aliquamdiu precibus, sacellum solus circuivit. Interea venit P. Theodosius, cui Bernardi incommodum indicatum fuerat, et eum seorsim ad oratorium ducens, cœpit ipsum, tamquam mutum, instruere his verbis : Si peccatum commiseris, de quo interrogabo, manum claude ; sin minus, eam aperi. Tunc vinculum linguæ ejus prorsus solutum est, et P. Theodosio ita respondit : Non est opus signis, mi pater ; facile enim Britannice aut Gallice confitebor. Peracta confessione, ad uxorem et alios duos viæ comites redit, eosque cum summo stupore alloquitur. Demum sumpta Eucharistia, et auditis aliquot sacris, in conventu PP. Carmelitarum prandit, et pedes domum rediit. Jam corpore et mente sanus familiam suam recte gubernat, et sine ulla difficultate hactenus loquitur : quæ omnia beneficia refert accepta S. Annæ, erga quam ejus devotio non parum crevit. Hoc miraculum firma auctoritate comprobatum est, et juridice examinatum per viros tum ecclesiasticos tum seculares, coram quibus decem testes veritatem facti confirmarunt. *EX LIBELLO GALLICO,*

ANNOTATA.

a Josselinum *vel* Jocelinum *oppidum Galliæ in Britannia minori, quod ad Oustam fluvium situm est, quod sedecim leucis a Redonibus in occasum, totidemque a fano sancti Brioci in meridiem distat.* E

b *Oppidum Britanniæ minoris, quod tribus leucis distat ab urbe Venetensi in occasum, Blabiam versus.*

c *Hæc urbs ejusdem Britanniæ varia habet nomina, ut videri potest apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag.* 591. *Porro nunc sæpe vocatur Venetia singulari numero ad distinctionem Venetiarum in Italia, et vernacule* Vannes, *jacetque inter Nannetes ad ortum, Corisopitum ad occasum, Redones ad septemtrionem, et Oceanum Aquitanicum ad meridiem.*

d *Corisopitum, olim Curiosolitæ, vulgo dicitur* Quimper, *vel ab aliis* Quimper-Corentin *ob sanctum Corentinum, illius episcopum, vocatur. Hæc urbs Britanniæ minoris sitâ est ad Oderam amnem in tractu Cornubiæ, unde ipsa interdum vernacule* Cornouaille *appellatur.*

e *In hoc decreto, quod illustrissimus dominus Renatus du Lovet, episcopus Corisopitensis, anno* 1663, *die* 20 *Augusti edidit, idem miraculum refertur, et testium aliorumque nomina longo ordine recensentur, quæ hic exscribenda non duxi, ne tædium lectori afferrem. Porro ipsum decretum in memorato libello, ex quo hæc miracula excerpsi, a pagina* 216 *Gallice legi potest.* F

f *Auctor vocat annum* 1664 *præsentem, quia eodem anno Venetiæ libellum suum typis vulgavit.*

g *Redones vel Rhedones, vernacule* Rennes, *Britanniæ minoris civitas, jacet ad Vidanam vel Vicenoniam fluvium, ut videri potest in mappis geographicis.*

h *Leona, vulgo* Leon, *vel* saint Paul de Leon, *seu etiam* Leondoul *incolis dicta, jacet in parte septemtrionali Britanniæ minoris. Hæc urbs episcopalis sub archiepiscopo Turonensi satis munita est et portum habet tutum in ora maris Britannici cum arce, ubi etiam aliquando ducum sedes fuit.*

i *Hoc oppidum, quod aliquando Brivas et vernacule* Brest *vocatur, est celebre Galliæ emporium, et in ora occidua Britanniæ Armoricæ gaudet portu capacissimo.*

CAPUT

EX LIBELLO GALLICO.

CAPUT II.

Mortui ad vitam revocati.

Puella sub aquis invento, a

Quid evidentius miraculo, quod anno MDCXXIX postridie festi S. Annæ in parochia diœcesis Macloviensis *a*, dicta Gomenè, contigit Joannæ Samson, trium aut quatuor annorum puellulæ? Dum pater ejus Ivo Samson in moletrina sua cum aliis sermonem institueret de miraculis S. Annæ, mulier quædam nuntiat, filiolam ipsius in stagnum cecidisse. Audito hoc infortunio, omnes ad stagnum accurrunt, Pater animo consternatus, in aquam descendit, ut quærat filiam, quæ jam fundum petierat. Quando diu illam frustra quæsiverat cum altero viro, qui etiam paulo post aquam intrarat, imploravit auxilium S. Annæ, quam uxor ejus quoque invocabat, eo ipso loco genua flectens, et ad sacellum Sanctæ peregrinationem promittens, si filiola sua inveniretur. Non vanæ fuerunt eorum preces : nam pater filiolam, quam unius B horæ spatio quæsierat, in luto hærentem reperit eo loco, per quem ante fusas preces sæpius transierat. Igitur illam extrahit; sed cum summo mœrore eam totam rigidam et nulla vitæ signa dantem conspicit.

et diu submersa:

11 Nihilominus parentes, qui jam intercessionem S. Annæ experiri cœperant, sperabant, fore ut eadem Sancta vitam filiolæ suæ redderet. Hac spe freti vota et preces multiplicant. Sub initio noctis aliquam consolationem perceperunt, quando tenue suspirium audire ac deinde quemdam oculorum motum videre sibi videbantur. Verum cum puellula permaneret cetera immobilis nec ullum vitæ signum præberet, incipiebant dubitare, an hos motus vero observassent. At sequenti die omnis dubitatio sublata est, dum puellula sub auroram matri dixit : Cupio dormire. Ad hanc vocem parentes lætitia exultarunt, et pater sine ulla mora arri- C puit baculum viatorium ac se contulit ad sacellum S. Annæ, ut Benefactrici suæ gratias ageret ac votum solveret. Quid opponi potest huic miraculo, cujus juridicum examen jussu vicarii generalis capituli Macloviensis, sede episcopali vacante, per rectorem de Gomenè institutum est? Hujus rei veritatem octo testes asseruerunt, et alii decem ei subscripserunt. An dubitari potest de morte hujus puellulæ, quæ plus quam per horam sub aqua delituit, et sine ullo vitæ indicio extracta est, uti testes illi affirmant?

altera infortunio quodam ad parietem allisa

12 Franciscus Cairan, incola pagi d'Antrain, qui in diœcesi Redonensi non procul a monte S. Michaelis situs est, ex uxore sua Francisca l'Ecuyer varios liberos susceperat; sed omnes in tenera ætate obierant, præter unicam filiam, cui ex voto nomen Annæ imposuerat, et quam in honorem sanctæ Christi Aviæ albis vestibus induerat. Sancta ostendit, sibi hanc devotionem gratam fuisse, quando puellæ subvenit in quodam infortunio, quod eam duodecennem e vita eripuerat et quod ita accidit. Parentes filiam suam cum alio puero reliquerant in moletrina, ubi succus e pomis exprimitur, dum operarii pranderent. Incauta puella nimium pilæ appropinquante, instrumentum, quo mola circumagitur, vestibus ejus implicatum est, et equus interim procedens, eam ita contra parie- D tem pressit, ut corpusculum illius omnino confractum, vix quatuor digitorum spatium latitudine occuparet. Alter puer igni assidens, viso hoc infortunio, cœpit magna voce clamare : quo clamore excita quædam mulier, invenit puellam ita corpore contritam ac misere affectam, ut nullum vitæ signum ederet.

et mortua,

13 Interea unus ex operariis moletrinam ingressus, detulit puellam ad parentes, qui hoc tristi spectaculo maxime afflicti, eam lecto imposuerunt, in quo per tres horas jacuit, omnibus spectatoribus eam mortuam judicantibus. Cum igitur hic nihil profutura viderentur humana remedia, miseri parentes interna inspiratione incitati censuerunt, sibi divinum auxilium implorandum esse. Statim itaque ad intercessionem S. Annæ confugerunt, voventes, sese sacellum ipsius cum filia visitaturos, ac albas vestes, quibus in honorem Sanctæ induta fuerat, ad perpetuam beneficii memoriam oblaturos, si E filia ad vitam revocaretur. O prodigium! Vix emisso voto, cœpit puella se movere ac dare certa vitæ signa, quæ plus quam centum adstantes in magnam admirationem rapuerunt. Postea parentes cum gaudio votum expleturi, anno MDCXXX, in ipsa festivitate S. Annæ, ad sacellum ejus venerunt, quos R. P. Hugo, tunc Carmelitarum Discalceatorum Prior, cum magno testium numero excepit.

ac tertia sub rotam molæ lapsa

14 Francisca octennis, filia Joannis Marquer, mense Novembri anni MDCXXIX circa moletrinam, vulgo dictam Vauferrier, infeliciter cecidit in cataractam, et statim violento aquarum impetu sub rotam molæ delata est; ubi ut minimum per horæ quadrantem sine ullo auxilio permansit. Tandem adveniens curator molendarius advertit, solitam molæ agitationem impediri, et causam impedimenti investigaturus egreditur. Viso hoc tristi infortunio, mox admonet puellæ matrem, quæ statim advolans, conspicit filiam suam sub rota devolutam. Confestim post occlusam cataractam auxilio aliorum, qui accurrerant, puella extrahitur, et ad moletrinam portata linteo involvitur. Cum illic clausis arcte dentibus et sine ulla respiratione per mediam horam jacuisset, afflicta mater, tam horribile F spectaculum diutius ferre non valens, discessum parabat, quando adstantes ei persuaserunt, ut filiam suam commendaret S. Annæ, et ad ejus sacellum peregrinationem promitteret, si Sancta ipsi vitam redderet.

patrocinio S. Annæ ad vitam revocantur,

15 O miraculum! Matre votum coram omnibus circumstantibus emittente, cœpit filiola respirare et alia vitæ signa edere. Interea superveniens pater votum uxoris suæ ratum habuit, illudque repetiit. Quid multa? Puella mox melius habere cœpit, et postero die perfectam sanitatem obtinuit, remanentibus dumtaxat hinc inde aliquot levibus cicatricibus, quæ indicabant, quanta vulnera vi rotæ molendariæ accepisset. Plurimi testes oculati in examine juridico hoc prodigiosum factum confirmarunt. Joannes Marquer, et Benedicta Pinel memoratam filiam suam secum ducentes, mense Junio anni sequentis voto suo satisfacerunt.

quæ tria miracula R. P. Hugo refert. b

16 Proxime præcedentia tria miracula R. P. Hugo *b* inter alia anno MDCXXXIII typis vulgavit non solum consensu, verum etiam jussu illustrissimi episcopi Venetensis, ut constat ex ipsius decreto, quod idem P. Hugo refert, et in quo illustrissimus præsul declarat, hæc miracula

A racula legitime examinata fuisse per viros peritos et ad hoc munus electos, tum a se, tum ab aliis episcopis, in quorum diœcesibus prodigia illa contigerant. Neque hoc decretum edidit, priusquam in domo sua campestri de Kerangoff inquisitiones iterum severe per diem integrum coram se discussæ fuissent, quibusdam viris ecclesiasticis dubia sua circa hanc materiam proponentibus, et R. P. Hugone iisdem respondente.

Tres pueri, quorum unus

17 His tribus addamus quartum ejusdem speciei miraculum, quod anno MDCXXXIX circa festum S. Magdalenæ in parochia, quæ vulgo dicitur Plouha, diœcesis Briocensis *c* factum est hoc modo : Dum Fiacria Guillemot prandium deferret marito suo Rolando Pherlicot, qui cum aliis avenam demetebat, Catharinæ filiæ suæ duodecenni fraterculum Joannem, qui sedecim menses ætatis habebat, custodiendum reliquit. Sed imprudens puella infantem posuit supra altiorem B arcam, ex qua capite deorsum decidens gravissime læsus est. Catharina hoc infortunium celans et timens, ne castigaretur, fraterculum supra lectum posuit, ubi mater domum reversa illum jam fere mortuum invenit. Hoc funesto spectaculo commota, filiolum in ulnas accepit, ut lactaret. Sed frustra : nam post vomitionem inter brachia ejus exspiravit.

ex alta arca deciderat,

18 Tunc mater majori dolore affecta, eum in cunis ponit ac maritum suum de tam misero infortunio moneri curat : qui statim cum aliis quibusdam accurrens infantem, arteriæ pulsu ac omni alio motu carentem, et prorsus frigidum pallidumque reperit. Postquam pater per horam et mediam nequidquam signa vitæ explorasset, inutilia judicans omnia humanæ industriæ remedia, et ad opem cælestem confugiens, cum septem aut octo præsentibus circa cunas in genua procubuit, et his ipsis verbis, ut in examine juridico testatur, patrocinium S. Annæ imploravit : Oro Deum et dominam sanctam Annam, ut filiolum meum adhuc vivum videam. Deinde vovit peregrinationem ad prodigiosum S. Annæ sacellum. Post hoc votum secuta est magna mutatio, quæ omnes præsentes magno stupore defixit : nam eo ipso tempore pallida et cadaverosa infantis facies in vividum ac rubeum colorem mutata est. Tunc etiam puellus patrem C amabili oculo aspexit, eumque ita attonitum ac lætum reddidit, ut in terram corruerit, et spatio mediæ horæ a sensibus alienus manserit. Patre ad se redeunte, filiolus ita lætus ac sanus apparuit, acsi nihil mali ipsi umquam accidisset ; imo tam perfecta fuit hæc sanatio, ut puer nullum postea ex hoc lapsu senserit incommodum. Pater anno MDCXL votum complevit in sæpe dicto S. Annæ sacello, et ibidem die x Julii ejusdem anni de hoc stupendo miraculo reddidit testimonium, quod post aliquot annos (nempe die prima Maii anno MDCXLV) coram judicibus loci legitime examinatum, et a multis testibus confirmatum fuit.

alteri corruens gravis janua

19 Dum anno MDCLVII, die XI Januarii in domo nobili, dicta Maleville, circa Ploermel, Vincentius Rigon triennis, filiolus villici de Maleville, cum altero puero ludebat, una ex valvis portæ majoris e cardinibus soluta, Vincentium oppressit. Jacobus Mahon scandularius, qui in tecto horrei laborabat, strepitum corruentis januæ audiens, respexit, et non nisi unum puerum ex duobus videns, suspicatus est, alterum pondere januæ obrutum fuisse. Quare monet eos, qui in horreo erant, ut prompte eo accurrant. Henricus Rigon et Petronilla Thomas parentes pueri, hoc murmure audito, cum tribus aliis, quos ad prandium invitaverant, etiam ad portam advolant, et collapsam valvarum partem, ferreis laminis clavisque gravem, ope aliorum elevantes, sub ea deprehendunt filiolum suum, qui in capite gravissime vulneratus et toto corpore contritus sanguinem per aures emittebat. Parentes puerum in hoc misero statu, nempe sine ullo motu aut signo vitæ, et omnium judicio mortuum, ad culinam detulerunt. Illic præ dolore vix sui compotes, sed interna inspiratione moniti, filiolum S. Annæ commendarunt, et promiserunt, eum ad sacellum Sanctæ deducere, si ad vitam reverteretur.

ex libello Gallico.

ossa contriverat,

20 Statim cum omnium stupore secutum est miraculum : nam eo ipso tempore puer cœpit respirare ac loqui. Imo ossa capitis, quæ maxime attrita fuerant, visibiliter ad naturalem situm redierunt, excepto uno loco sub auricula E sinistra, ubi tanta mansit cavitas, ut facile extrema pars pollicis in ea latere posset. Chirurgus ad eam cavitatem examinandam accersitus judicavit, puero calvariam terebra perforandam esse. Sed pater id fieri vetuit, sperans, fore ut S. Anna filiolo suo perfectam sanitatem redderet, sicuti etiam factum est. Postea parentes cum filio votum compleverunt in frequenti concursu populi, qui cum magna consolatione ex ipsorum ore audivit miraculum, quod in tabula depictum ibidem ad perpetuam stupendi beneficii memoriam reliquerunt. Examen hujus prodigii die XXI Novembris eodem anno institutum est coram parocho loci et ministris regiis ad id designatis, in quo sex testes veritatem facta juridice confirmarunt.

tertius in puteo submersus fuerat,

21 Eodem anno MDCLVII circa medium mensis Maii, in parochia diœcesis Macloviensis, vulgo dicta Iffendic, puer, nomine Petrus, cecidit in puteum, cujus aqua erat viginti aut viginti quinque pedibus alta, ac in eo submersus est. Frater ejus, percepto hoc infortunio, magnum edidit clamorem, ad quem confestim accurrunt Antonius Auagot, pueri pater, et Pe- F trus Vigoland, maternus ejusdem pueri avus, cum tribus aliis, qui non procul inde agrum colebant. Cum frater ejulans illis accurrentibus dixisse, Petrum in puteum cecidisse, mox Petrus Vigoland in puteum descendit, et suum ex filia nepotem non sine magna difficultate ex aqua extrahens, afflicto patri in manus dedit ; sed is videns, filiolum suum omnis motus ac sensus expertem, tam triste spectaculum diutius non ferens, eumdem alteri adstanti tradidit, qui illum per mediam fere horam pedibus sursum et capite deorsum tenuit, ut aquam evomeret. At nihil hoc profuit, Deo permittente, humana remedia incassum adhiberi, ut puerum vere mortuum fuisse ostenderet, et miraculum evidentius ac illustrius redderet. Cum vero puer dentes arcte clausos haberet, clavis vi ori ejus inserta est. Sed neque illud profuit, nisi ut lingua (talis etiam erat facies) omnino turgida cerneretur.

per intercessionem S. Annæ vitæ restituuntur.

22 Adstantes igitur puerum sine respiratione ac ullo motu aspicientes judicarunt, eum jam mortuum esse. Quare unus ex circumstantibus de omni auxilio humano desperans, dixit alta voce, eum S. Annæ devovendum esse, et sta-

EX LIBELLO GALLICO.

tim proferens quoddam anathema, puerum cruce signavit, ac promisit, se istud donum in sacello S. Annæ oblaturum. Tunc Sancta monstravit, quam utilis sit peregrinatio ad hunc sacrum locum : nam vix hoc votum emissum erat, cum puer cœpit clamare, et quamvis collocatus in situ ad id minime apto (supinus enim supra arcam jacebat) copiosam aquam concreto sanguine mixtam evomuit. Quod autem plane mirum est, eo ipso tempore tam perfectam sanitatem recuperavit, ut cibum petierit, ac oblatum statim comederit. Imo pristinis viribus ita restitutus est, ut quinque illos testes, qui ad agrum colendum paulo post redibant, comitatus fuerit. Quatuor ex istis agricolis mense Julio ejusdem anni, ipso S. Annæ festo, anathema promissum obtulerunt, et de totius facti veritate reddiderunt testimonium, quod deinde dominus de la Chasse, consiliarius supremi senatus, coram rectore parochiæ et ministris regiis juridice examinari jussit ac probavit.

B

ANNOTATA.

a *Maclovium seu Macloviopolis, vulgo* saint Malo, *est emporium celeberrimum cum portu capaci, quod ex ruinis Alethæ crevit. Sita est hæc urbs in insula parva S. Aaronis, vix a continente Britanniæ minoris ad Septemtrionem separata, cui ponte jungitur.*

b *Is est Hugo a sancto Francisco, Carmelita excalceatus, qui jussu Sebastiani Rosmadeci, Venetensis episcopi, quædam* S. Annæ *miracula edidit, ut ex Spondano in Commentario historico num.* 75 *diximus.*

c *Hæc urbs a nomine S. Brioci sic dicta est vulgo* saint Brieu, *jacetque in ora Boreali Britanniæ minoris, ac distat sedecim leucis Macloviopoli in occasum, uti viginti Redone Trecorium versus.*

CAPUT III.

C

Paralysi, cæcitate, et morbo caduco liberati.

Faber lignarius membrorum usu destitutus,

Faber lignarius, nomine Adrianus Judeaux, ex parochia de Messac in diœcesi Redonensi, circa festum S. Michaelis anno MDCXXVIII incidit in gravem morbum, qui eum in femore et cruribus ita afflixit, ut paralyticus factus fuerit. Nervis igitur contractis, ita ut se sine alterius auxilio movere non posset, spatio sex mensium intolerabiles cruciatus patiebatur. His doloribus oppressus, confugit ad intercessionem S. Annæ, et vovit peregrinationem ad jam sæpe memoratum Sanctæ sacellum, si aliquantisper sanitatem et gressum recuperaret. Voto facto, sensit aliquod levamen, et genibus nixus ac fulcris sustentatus cœpit prorepere; sed non sine frequenti ac gravi cruciatu ægre corpus trahens ultra jactum lapidis procedere non poterat, nisi tunc aliquantulum quiesceret.

et ad sacellum S. Annæ devectus

24 Nihilominus hoc modo paulatim pervenit usque ad portum de Messac, ubi illum de ulteriori peregrinatione desperantem misericors quidam mercator in navem suam recepit, eumque Rothonum *a* devexit; unde sperabat, se ab alio mercatore ulterius dirigendum. Sed dolores iterum ita invaluerunt, ut vix ex uno loco ad alterum posset prorepere, et per sex hebdomadas Rothoni subsistere cogeretur, ubi varii incolæ miseriis ejus succurrebant; id autem majori propensione faciebant, quod illum devotionis causa eo venisse intelligerent, et quod miser ille assiduo diceret, sibi haud dubie sanitatem reddendam, si usque ad prodigiosum S. Annæ sacellum posset pertingere. Post sex hebdomadarum moram mercator quidam eum navi sua deduxit usque ad Rupem Bernardi *b*, et inde mula vectus fuit Guerandam *c*, et eodem modo Gueranda Crociliacum *d*, in quibus locis ad commiserationem movebat omnes, qui miserias ejus observabant, Deo hæc ita disponente, ut miraculum postea pluribus innotesceret. Aliquo tempore Crociliaci mansit, donec devoti istius urbis cives ad sacellum S. Annæ publicam per mare peregrinationem susciperent : tunc enim in quamdam eorum navim receptus est, ac devectus Auraïcum, ubi pius vir illum equo suo imposuit, et ad sacellum S. Annæ deduxit.

E

subito sanatur.

25 Quando itaque anno MDCXXIX, die VIII Augusti ad sacrum sacellum venerat, prima ipsius cura fuit, ut peccata confiteretur et sanctissimam Eucharistiam reciperet. Deinde instituit continuam novem dierum devotionem, intra quam quotidie sacellum circuibat, fulcris suis prorepens tanta cum difficultate, ut identidem quiescere cogeretur. Novemdiali devotione completa, infirmum corpus traxit usque ad fontem S. Annæ, in quo pedes et crura lavit. At ecce statim sensit, hæc membra ita roborari, ut sine ullius auxilio surrexerit, et Benefactrici suæ gratias acturus ad sacellum redierit. Gratiarum actione peracta, reversus Rothonum, ubi tamdiu substiterat, ac dein ad portum de Messac, in admirationem rapuit omnes, qui eum antea noverant, jamque sine fulcris firmo gressu incedentem videbant. Ipse anno sequenti ad sacellum S. Annæ sanus ac hilaris rediit, et ubique divulgavit Benefactricis suæ miraculum, quod anno MDCXXXI, die XVI Junii jussu episcopi Redonensis juridice examinatum atque ab octo testibus confirmatum est, eique quatuor notarii subscripserunt. F

Pauper pecudum custos simili infirmitate laborans e

26 Tota civitas Hannebontana *e* testari potest veritatem sequentis miraculi, quod Francisco Talhoët, pecudum custodi, contigit. Quando hic puer novem annorum cum aliis in pago Coucdic, qui spectat ad parochiam d'Insinzac, pascentem gregem observabat, oppressus est ignoto malo, quod a malleolis pedum incipiens et paulatim a genibus ad femur et renes ascendens, illum ita lecto affixit, ut per tres annos sine alterius ope se movere non posset. Cum post triennium mater ejus etiam ægrotans, ipsum juvare et alere non posset, consilio vicinorum ad nosocomium Hannebontanum delatus est, ubi chirurgus sedulam ipsius curam suscepit; sed cum videret, se variis remediis nihil proficere, illum tamquam insanabilem deseruit, ut ipsemet chirurgus in juridico examine fatetur.

sanitatem recuperat per miraculum,

27 Pauper itaque omni spe obtinendæ sanitatis destitutus, sex annis non-nisi sedens et fulcris manualibus se per plateas et ad templa civitatis Hannebontanæ propellens, eleemosynam petebat. Tandem venit ipsi in mentem, ut sacellum S. Annæ, tot miraculis illustre, adiret. In hunc finem

A finem octo diebus ante festum S. Annæ dedit se in viam, more solito fulcris illis prorepens, dum interim mater ac soror ejus, quæ illum comitabantur, per obvios et vicinos pagos victui necessaria mendicabant. Exactis in eo itinere quinque diebus, sabbato ad sacellum S. Annæ pervenit. Cum ibi per aliquot dies sanctam Christi Aviam ferventer invocasset et sacramentum Eucharistiæ recepisset, post varios casus ac dolores ita saltem illic membrorum usum recuperavit, ut erectus et unico baculo innixus incederet, et spatio duorum dierum facile Hannebontum rediret. Postmodum in eadem urbe mansit, et sine baculo ac ulla difficultate ambulans, in admirationem rapuit plurimos cives, qui eum diù paralyticum noverant.

quod juridice ac manifeste probatum est,

28 Anno MDCXLIV, die XVIII Novembris jussu episcopi Venetensis juridica hujus miraculi inquisitio facta est per dominum de Randrecar, senescallum Hannebontanum, in qua coram viris, B in ecclesiastica et civili dignitate constitutis, præter ipsum Franciscum Talhoët ejusque matrem ac supra memoratum chirurgum interrogati fuerunt duo custodes nosocomii Hannebontani, qui etiam de morbi veritate testimonium dederunt. Præterea die XVII Decembris ejusdem anni per eumdem judicem altera inquisitionis pars addita est, in qua parochus Hannebontanus, aliusque sacerdos illic habitans, et sex honoratiores urbis cives, coram quibus omnibus præfatus Franciscus Talhoët jam sanus et recte incedens comparuit, identitatem personæ agnoverunt, ac affirmarunt, illum ipsum esse, quem tamdiu in civitate sua paralyticum viderant.

uti et puella, quæ gradiendi facultatem amiserat.

29 Aliud hujusmodi beneficium mense Aprili anni MDCLV in parochia de Guiler, quæ uno milliari circiter Brestia distat, diœcesis Leonensis, Franciscæ Nicol obtigit. Puella hæc, nescio quo casu, usum unius pedis et sinistri cruris amiserat, quæ membra sine ullo sensu aut motu tamquam mortua videbantur. Joannes Nicol pater ejus per tres menses illam variis medicis curandam tradidit; sed cum videret, malum humanis medicaminibus potius crescere quam minui, ad cæleste remedium recurrere decrevit. Quare filiam suam patrocinio S. Annæ commendans, promisit, se sacellum Sanctæ C visitaturum atque curaturum, ut illic duo Sacra celebrarentur, si illa pristinæ sanitati restitueretur. Postridie cum uxore sua Margarita de Borgne obstupuit, quando filiam suam sine ullius auxilio e lecto surrexisse audivit, eamque recte incedentem vidit. Postea venit ad sacellum S. Annæ, ut votum expleret, ac Sanctæ gratias ageret, et anno MDCLVI, die XXIII Octobris parocho suo de hoc beneficio reddidit testimonium, quod deinde a septem testibus est confirmatum, ac probatum in juridica miraculi discussione, quæ anno MDCLVIII, die XV Aprilis per viros, ad id officium legitime designatos, facta est.

Cæcus

30 Cum Franciscus Gedouin, notus in parochia vulgo dicta Bedesq vel Bedée, diœcesis Macloviensis, diu strumosus fuisset, ad hunc morbum accessit cæcitas, quæ duobus annis ipsum afflixit. Parentibus eum intercessioni S. Annæ commendantibus et peregrinationem ad illius sacellum promittentibus, statim perfectam videndi facultatem recepit, ejusdem usum constanter retinuit. Interim parentibus ante expletum votum mortuis, avunculus ejus de III Julii anno MDCXLII eorum promissa persolvit. Postea jussu illustrissimi præsulis Macloviensis per R. D. Franciscum Boterel, præfatæ parochiæ rectorem, coram notario juridicum hujus miraculi examen institutum est.

Ex libello Gallico.

et cæca illuminantur; f

31 Maria le Felon, quadriennis filia Joannis le Felon et Mariæ le Brozec, qui Morlæi f diœcesis Leonensis in parochia S. Martini habitabant, tribus annis cæca fuit. In hoc misero statu illam viderunt ac noverunt plurimi istius civitatis incolæ, qui etiam hujus rei veritatem scripto testati sunt. Mater ejus excitata miraculis, quæ intercessione S. Annæ fieri audiebat, vovit, se cum filia sacellum Sanctæ visitaturam, ut mense Julio anni MDCXXXV fecit. Nec profecto irrita fuit hæc peregrinatio: nam mater, post fusas ferventer preces coram prodigiosa S. Annæ imagine, filiam duxit ad jam sæpe dictum Sanctæ fontem, atque hac salutari aqua lavit ejus oculos, e quibus glaucomata deciderunt, et talis videndi facultas cæcæ puellæ E reddita est, ut saltem colores posset distinguere. Intra paucos dies visus, qui initio debilis fuerat, ita roboratus est, ut deinceps perfecte et acute viderit.

et dux feminæ

32 Petronilla Aubrée ex parochia de Chavaigny diœcesis Redonensis, morbo caduco sic fuit afflicta, ut quotidie tribus vicibus in terram corrueret, ac mentis impos se ipsam rabide discerperet ac vulneraret. Pater ejus Joannes Aubrée et mater Roberto Fourel, diu frustra adhibitis medicorum, pharmacopæorum, ac chirurgorum remediis, tandem ad patrocinium S. Annæ confugerunt, et ad sacellum ipsius peregrinantes, miseram filiam eidem Sanctæ commendarunt. Prima die Maii, quando anno MDCXXX parentes ad sacrum locum venerunt, puella domi morbo suo vehementius oppressa est, quam umquam antea. Postridie Missam celebrari curarunt ea hora, qua filia malo suo obrui consueverat. At illa hora nihil incommodi sensit, et ab eo tempore ita sanata est, ut malum istud numquam deinceps redierit. Cum parentes domum reversi id intellexissent, Deum et sanctam Annam magnis laudibus extulerunt. Hoc F miraculum anno MDCXXXI, die XX Maii juridice discussum et approbatum est a viro ecclesiastico, qui ex ore septem testium veritatem hujus facti exceperat.

morbo comitiali liberantur.

33 Francisca d'Artois, uxor Joannis Baron in parochia de Chanè diœcesis Redonensis, circa decimum octavum aut vigesimum ætatis annum eodem comitiali morbo ita affecta fuit, ut uno die vigesies et subinde trigesies in terram prosterneretur, et cum horribili clamore ac dentium stridore spumam ex ore emitteret. Cumque nullum inveterato malo remedium inveniretur, persuasum illi fuit, ut opem cælestem imploraret, sacra ad eam intentionem celebrari curaret, ac loca quædam pia inviseret. Hoc consilium secuta, sensit notabile morbi lenimen, ita ut non nisi semel aut bis quotidie in easdem convulsiones prolaberetur. Cum tamen plerumque tempore Missæ morbus iste eam corriperet, atque ita divinum Sacrificium turbaret, ingressus templi tunc ei prohibendus fuit. Nempe integra miseræ istius sanatio perficienda erat per sanctam Christi Aviam, ut eventus docuit: nam simulatque ex aliorum consilio vovit iter ad S. Annam mendicando peragere, prorsus

EX LIBELLO GALLICO.

prorsus morbo suo liberata est. Quare quamprimum votum persolvit, et post factam peccatorum confessionem ac sumptam Eucharistiam curavit celebrari Missam ex eleemosynis, quas in via collegerat. Deinde nullum sensit ejusdem morbi vestigium non sine magna admiratione eorum, qui eam prius noverant, et ex quibus facile triginta testes, legitime per virum ecclesiasticum interrogati, affirmarunt veritatem rei, quam nos jam retulimus.

ANNOTATA.

a *Rothonum, vulgo* Redon, *est castrum et abbatia Britanniæ minoris in Venetensi diœcesi ad confluentes Dutuli in Vidanam, seu Vicenoniam, ut habet Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 481.

b *Hunc locum appellavi Rupem Bernardi, quia in mappis geographicis vocatus Gallice* Roche-Bernard, *notaturque fere medius inter Rothonum et Guerrandam.*

c *Urbs est Britanniæ minoris in comitatu*
B *Nannetensi sita versus oram littoralem Oceani Aquitanici inter ostia Ligeris et Vidanæ fluviorum.*

d *Crociliacum, vernacule* Croisil, *oppidum maritimum Britanniæ minoris cum portu capaci et tuto prope Guerrandam urbem et ostia Ligeris fluvii, distatque sex leucis Venetia in meridiem.*

e *Hoc oppidum minoris Britanniæ situm est ad Blaviam amnem, et quatuor leucis abest ab ora Oceani Aquitanici, ac tribus a Blabia oppido in Septemtrionem.*

f *Morlæum etiam sæpe vocatur Mons Relaxus et vernacule* Morlaix, *situmque est in ora septemtrionali Britanniæ minoris ad amnem cognominem, et vix duabus leucis a mari Britannico distat.*

CAPUT IV.

In aliis morbis et infortuniis adjuti.

C

Nobilis mulier

Domina Anna Franchet, vice-comitissa de Torquedec, diu laboravit duplici febri quartana, cujus accessus erant adeo diuturni, ut fere continua videretur. Quamvis autem hanc febrim angina et epiphora *a* comitarentur, nihilominus cum marito suo et quatuor nobilibus puellis iter ad sacellum S. Annæ rheda suscepit, sperans, fore ut illic omnibus his malis remedium inveniret. Nec eam spes fefellit: cum enim ibi post fusas preces ad pœnitentiæ tribunal et sacram synaxim pie accessisset, in reditu recordata est fontis S. Annæ, ex quo aquam bibere desiderabat. Remisit igitur famulum ad hauriendam ex eo fonte aquam, et interim in rheda recubans reditum ipsius exspectavit in pago de Meriadec, qui in via Venetensi situs, tribus horæ quadrantibus a sacello S. Annæ distat.

a febri, angina et epiphora,

35 Famulus reversus, attulit ei desideratam aquam, quam in ipsa febri coram omnibus bibit, postquam cum magna fiducia sese S. Annæ commendasset. Mox cælestem hujus aquæ virtutem experta est: nam eo ipso momento se perfecte sanatam sensit. Ad hanc subitam mutatio- D
nem omnes præsentes obstupuere ac præsertim maritus ejus, qui, cum esset vir magnæ eruditionis ac peritiæ, hunc effectum prorsus supernaturalem judicabat, quia juxta communem naturæ cursum non potest fieri, quemadmodum ipse in scriptis rei gestæ actis loquitur, ut sola aqua sine aliis medicamentis gravem febrim et simul anginam ac epiphoram statim pellat. Cum vero dominus vice-comes non a multo tempore coram episcopo Dolensi *b* hæresim Calvinianam ejurasset, hoc miraculum illum in dogmate, quod Ecclesia Catholica de veneratione ac invocatione Sanctorum tradit, non parum confirmavit. Id autem contigit anno MDCXXX, die XVIII Augusti, et hæc omnia ipse dominus vice-comes juridice examinari, ac scripto consignari jussit.

ac bibliopola quidam a pluribus morbis c

36 Bibliopola quidam, nomine Joannes Jacquelin, natus Morlæi in Britannia inferiori, sed matrimonio junctus et habitans Vitræi, *c* circa annum ætatis quadragesimum sextum ex quartana quatuordecim mensium febri, quam E
obstructio jecoris et splenis comitabatur, factus est hydropicus, ac deinde post totius corporis tumorem etiam ictericus. Hi morbi omnes, ad quos calculus et hæmorrhoïdes accesserant, bono viro amplam patientiæ exercendæ materiam suppeditabant. Præterea crura ejus ita erant inflata, ut undique disrumperentur, et ex iis humores crassi per ulcera defluerent. Hæc omnia ipsum ita debilitaverant, ut pedibus consistere non posset, sed in sede portandus esset, si ad templum aut alio se conferre vellet. Quicumque ipsum in hoc misero statu viderant, ac inter alios pharmacopœus, qui tempore morbi curam de ipso gesserat, prudenter juxta consuetas naturæ leges judicabant, eum non posse diu vitam protrahere. Sed supremus naturæ Dominus hac occasione voluit manifestare gloriam ac potentiam S. Annæ, cui æger se sæpius commendaverat. Cum infirmus intellexisset, D. Joannem Guerin, quæstorem ecclesiæ collegialis de la Guerche, iter parare ad sacellum S. Annæ, ut ibi votum quoddam compleret, oravit illum, ut coram prodigiosa ejusdem Sanctæ imagine memoriam sui haberet, et nomine suo F
anathema a se promissum offerret. Dominus Guerin gratiose respondit, se id libenter facturum; imo ultro in se suscepit promissam olim ab ægroto novem dierum devotionem explere, cui etiam Missam celebrandam addi curaret. Omnibus fideliter exsecutioni mandatis, hæc devotio talem produxit effectum, ut admiratione compleret omnes, qui multiplicem bibliopolæ miseriam noverant.

per intercessionem S. Annæ subito liberantur.

37 Ipso festo Pentecostes, omnibus morbis ejus ingravescentibus, acerbissimos dolores passus est usque ad sequentem diem, quo circa horam decimam subito se omnibus malis liberatum sensit eo præcise tempore, quo Missa ad S. Annam pro ipso celebratur: nam tunc febris eum reliquit, obstructio jecoris et splenis sublata est, corpus detumuit, crura pristinum robur recuperarunt, ulcera obducta sunt, color ictericus disparuit, calculus et hæmorrhoïdes eum non amplius cruciarunt. Quod autem maxime mirandum, omnes hi morbi eodem momento ita depulsi sunt, ut deinceps nullus ex his redierit, sicuti ipsemet post duos annos in juridico examine testatus est. Quid multa? Pristinæ

A stinæ sanitati ita restitutus fuit, ut post meridiem ejusdem diei in urbem exiverit, et sequenti die, quæ erat feria tertia Pentecostes, pro tam stupendo beneficio gratias acturus se contulerit ad quoddam sacellum S. Annæ, quod in suburbio Vitriacensi constructum est. Post duos annos, nempe XXIII Februarii, anno MDCLXII hoc prodigium rigide examinatum est jussu episcopi Redonensis, qui deinde illud ap-
d probavit, ut monstrat decretum ab ipso editum *d*: ex quo colligi potest, quam exactum et severum examen instituant illustrissimi præsules, antequam miracula hujusmodi vulgari permittant.

Puella in ferream furcam incidens,

38 Non minus prodigiosum est beneficium, quod sancta Christi Avia anno MDCXLVII, die XII Junii, contulit in Mariam le Logeou, filiam Ivonis le Logeou et Franciscæ Floch, qui pagum Pris-jac in diœcesi Venetensi incolebant. Hæc puella cum fratre suo et ancilla in agrum exiens, ascendit plaustrum, quod substramine onerandum erat, ut stramenta in-
B jecta disponeret. Postea autem ex plaustro onerato descendere volens, infeliciter incidit in dentes furcæ ferreæ, ex quibus unus caput ejus ita transfixit, ut ad dextram oris partem intrans et cerebrum calvariamque transiens, ad altitudinem medii pedis supra cranium acumine suo emineret. Frater et ancilla ad hoc horribile spectaculum magnos clamores edebant, et furcam frustra e capite evellere conabantur.

atque in capite

39 Omni igitur consilio destituti, currunt ad proximum pagum, qui uno horæ quadrante distabat, et parochum cum alio sacerdote et quatuor viris advocant. Hi advenientes reperiunt puellam humi stratam capite transfixo, ut supra diximus. Statim omnes sex in præsentia multorum, qui simul accurrerant, dentem furcæ extrahere tentarunt. Sed videntes, se nihil proficere, attoniti et consilii inopes ad intercessionem S. Annæ confugerunt, et in genua provoluti promiserunt peregrinationem ad ejus sacellum. Extemplo Sancta ostendit, quam sibi gratum esset hoc votum: nam post votum surgentes furcam facile vellerent.

horribiliter vulnerata,

40 Mox accersitus est chirurgus, nomine Dionysius Polerin, ut vulnera obligaret. Verum hic omnia
C attente considerans, et advertens, medullam cerebri ad magnitudinem parvæ nucis per cranium effluere, rotunde edixit (sic etiam in examine anni MDCXLVII, die X Augusti testatur) eam sine miraculo non posse instantem mortem evadere. Quapropter monuit, ut cito peccata confiteretur, cum et gravi febri laboraret et jam delirare inciperet, habens caput ex parte dextra omnino inflatum ac inflammatum. Attamen rogatus chirurgus sauciato capiti fomenta adhibuit, non quod ea profutura crederet, sed ut parentibus satisfaceret. Nihilominus contra omnem spem integre sanata est, postquam chirurgus sex septimanis eam curasset, non virtute medicaminum, ut ipsemet fatetur, sed singulari Dei ope et intercessione S. Annæ, cui devota fuerat. Paulo post puella venit ad complendum votum, et coram prodigiosa S. Annæ, imagine obtulit furcam cereo capiti infixam, ubi etiamnum ad perpetuam miraculi memoriam cernitur. Die IV Septembris anno MDCXLIX coram variis testibus juridica hujus stupendæ rei inquisitio habita est, et testimonium chirurgi in acta relatum fuit.

41. Anno MDCXLV in pago de Plumelec diœcesis Venetensis puella trimestris, nomine Ægidia Conan, sedens in sinu æviæ suæ, deglutivit spicam, avio non prius advertente, quam cum puellula alias spicas arripiens ori admoveret. Hinc per quatuordecim dies crebri ac violenti vomitus oriebantur, ita ut infans lac et omne aliud nutrimentum rejiciens ad extremum vitæ periculum deduceretur. Vincentia le Picart, mater infantis, nullum inveniens huic malo remedium, vovit peregrinationem ad sacellum S. Annæ, ac præter Missam illic celebrandam promisit, se genibus flexis sacellum circuituram. Post hoc votum puellula vehementius affligi videbatur, et mater interim assiduo auxilium S. Annæ implorans, audiebat ventum e latere filiolæ suæ prodeuntem. Quare infantem fasciis evolvit, et in latere dextro inter costas et vertebram lumborum reperit aperturam rubicundam et inflammatam, quæ cum proportione ad respirationem aut ejulationem puellulæ dilatabatur. Ventus autem ille spicam paulatim propellebat, quam mater E
tandem extraxit, postquam maritum suum ad hoc mirum spectaculum advocasset. Spatio trium dierum apertura illa sine ullo medicamento sponte clausa est, et nihil remansit nisi exiguus rubor ad indicandum vulneris locum, puellula interim perfectæ sanitati restituta. Jussu episcopi Venetensis anno MDCXLVII, die XI Julii, institutum est hujus miraculi examen, in quo decem testes veritatem facti asseruerunt.

EX LIBELLO GALLICO. sicut et altera morti proxima curantur invocatione S. Annæ;

42 His addamus miraculum, quod intercessione S. Annæ contigit Guidoni Routoux, qui in loco diœcesis Nannetensis *e*, cui nomen sancti Nazarii inditum est, mercaturam exercebat. Hic construxerat navim, ut filium suum apud Turcas captivum rediemeret. At in itinere infeliciter captus est ab infidelibus, qui per quatuor menses variis modis eum frustra vexarunt, ut fidem Christianam desereret. Tandem cum sex aliis captivis commendavit se Reginæ cæli et S. Annæ matri ejus (hanc memoratus Guido peculiari affectu invocabat, vovens peregrinationem ad famosum S. Annæ sacellum in Britannia minori, si salvus et incolumis in Galliam perveniret) et omnes communi consilio cœperunt ex cannis istius regionis et tela cerata construere naviculam, ut crudelem barbarorum servitutem evaderent. Conquisitis aliquot F
instrumentis ad eam gubernandam, et cibariis quibusdam ei impositis, magna cum fiducia omnes septem vitam suam fragili navigio commiserunt.

qua etiam septem viri servitutem Turcarum e

43 O rem mirabilem! Per quinque dies ac noctes ventis et fluctibus in incertum jactati non perierunt inter vehementes maris procellas, quæ multas firmas naves demerserant. Præterea alimentis deficientibus tres dies sine cibo et potu transegerunt, post quos ad portum Palmensem *f* insulæ Majoricæ *g* appulerunt non sine admiratione omnium illic præsentium, qui etiam magis obstupuerunt, quando viderunt, arundineam illam naviculam ultro submergi, simulatque septem illi viri in terram descenderant. Patres Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, qui Palmæ habitant, naviculum ex aqua extrahi jusserunt, et ad perpetuam miraculi memoriam in templo suo exposuerunt. Istud anno MDCLVI factum est; anno autem sequenti Guido Routoux initio mensis Aprilis venit ad sacellum S. Annæ, et præter voti solutionem reliquit illic vestes, quibus tempore captivitatis suæ indutus fuerat.

prodigioso modo evadunt. f g

ANNOTATA.

EX VARIIS.

ANNOTATA.

a *Epiphora est impetus omnis humoris in quamcumque corporis partem influentis. Sæpe tamen significat fluxionem in oculos irruentem, ut videri potest apud Gorræum in Definitionibus medicis pag.* 153. *Videtur hic significare rheumatismum, cum Gallice* rheume *vocetur.*

b *Dola, quæ veteribus Neodunum dicta est, et nunc vulgo ab incolis* Dol *vocatur, urbs Britanniæ minoris in paludoso loco vix duobus leucis distat ab ora maris Britannici, et quatuor Macloviopoli in ortum.*

c *Vitræum, vel Vitriacum, oppidum Britanniæ minoris, situm est ad Vicenoniam fluvium in limite Cenomanensis provinciæ, novem leucis supra Redones in ortum æstivum.*

d *Hoc decretum, quod illustrissimus dominus Carolus Franciscus de la Vieu-ville, episcopus* B *Redonensis, anno* 1662, *die* 16 *Aprilis edidit, et in quo idem miraculum cum nominibus testium refertur, in præfato libello Gallico, pag.* 210 *legi potest.*

e *Est notissimum Britanniæ minoris emporium, jacetque ad Ligerim fluvium, a cujus ostio duodecim leucis in ortum distat.*

f *Est præcipua urbs insulæ et ipiscopalis sub archiepiscopo Tarraconensi, habetque portum in ora occidentali insulæ.*

g *Est insula major ex Balearibus, atque ideo interdum* Balearis major *dicta, jacetque in mari mediterraneo inter Ebusum ad occasum et Minoricam ad ortum.*

ALIA MIRACULA

EX VARIIS AUCTORIBUS COLLECTA.

CAPUT I.

C *Miracula, quæ apud Marcoduranas S. Annæ reliquias contigerunt, ex idiomate Hispanico Latine reddita.*

Per invocationem S. Annæ, cujus reliquiæ Marcoduri honorantur,

Joannes de Robles, *de quo supra in Commentario historico num.* 125 *aliqua præmonui, Hispanice conscripsit sequentia miracula, quæ hic simplici stylo, sicut auctor ea dedidit, Latina facio.* Sciendum est, *inquit,* quod Deus nostris temporibus per infinitam suam bonitatem et merita S. Annæ, matris Deiparæ, voluerit clientibus ejus gratissimum donum concedere, dum nempe detexit *a* et manifestavit caput S. Annæ, quod primum anno MDI apparuit in civitate Durien *b*, quæ est [in] provincia Germaniæ *c*. Postmodum Dominus noster in illis partibus per intercessionem S. Annæ et sacras ejus reliquias multa et magna patravit miracula, quæ plurimis innotuerunt, et quorum major pars coram testibus et notariis legitime probata est. Ex iis jam aliqua breviter narrabuntur.

infans suffocatus,

45 Die x Februarii contigit in loco istius provinciæ, qui dicitur Pateren *d*, ut infans ceciderit inter duos lectos, ac ita suffocatus fuerit: cum vero mater infantem mortuum invenisset, summo cum dolore eum brachiis excepit et cum magna devotione S. Annæ commendavit. Mox puer cœpit paululum respirare ac reviviscere; quod ut mater vidit, maximo cum gaudio et sine ulla mora ivit ad civitatem Duranam, in qua S. Annæ reliquiæ honorantur. Deo autem placuit talem infanti infundere gratiam et cognitionem, ut nec bibere nec comedere voluerit, donec mater peregrinationem peregisset: qua peracta, statim comedit et bibit, sicut viderunt multæ personæ, quæ aderant in præfato loco Pateren circa Fossam bufonum *e*. D

vir paralyticus,

46 Ejusdem mensis die XIX ex civitate Tereni *f* venit Duram vir, qui per novem annos claudus et omni membrorum usu destitutus fuerat, ita ut sine fulcris progredi non posset. Tanta autem aliquando debilitate affectus fuerat, ut jam moriturus videretur, et extremæ unctionis sacramento præmunitus esset. Cum in tam præsenti mortis periculo esset, accessit ad januam domus ejus quidam peregrinus rogans, ut in honorem S. Annæ sibi quædam eleemosyna daretur. Æger id in lecto suo jacens audivit, et ancillæ præcepit, ut mendicum revocaret, eique cibum ac potum præberet. Ancilla mandatum heri sui exsecutura prodiit in plateam et pauperem quæsivit; sed illum non inveniens, statim redit et hoc indicat hero suo, qui plurimum dolebat, quod pauperi pro amore S. Annæ eleemosynam largiri non potuisset. Tunc cœpit Deum orare, ut sibi dignaretur dumtaxat tantas corporis vires reddere, quæ ad visitandas S. Annæ reliquias sufficerent. Exaudivit Deus orationem ejus; attamen tanta in illo remansit debilitas, ut vix quatuor mensium spatio ex loco suo ad civitatem Duranam pertingere potuerit. Verum cum illuc ad reliquias S. Annæ venisset, subito perfectam sanitatem adeptus est, ut testantur multi, qui istud miraculum viderunt et noverunt. E

mulier energumena

47 Die VI Maii mulier a quatuor dæmonibus obsessa ducebatur ad ecclesiam, quæ vulgo Paradisus *g* dicitur, in qua caput S. Guilielmi *h* ostenditur, et ubi multi energumeni solent liberari. Hic maligni spiritus, exorcismis coacti, responderunt, sese non nisi coram reliquiis S. Annæ exituros. Energumena igitur eo deducta est, et mox tres dæmones ex ipsa expulsi sunt: quartus autem noluit exire, nisi illa ad S. Eupertum *i* duceretur, ubi ante sepulcrum istius Sancti eam deseruit; et sic mulier ab omnibus liberata remansit. F

et alia mortua

48 Die XII Junii in loco, qui appellatur Geyen, mortua est sedecim annorum puella, ob cujus mortem valde doluerunt illi quibus ipsa serviebat. Post tres a morte horas commendarunt eam S. Annæ, et promiserunt, sese eam adducturos ad reliquias S. Annæ si resuscitaretur. Facto hoc voto, cœpit puella paululum respirare, et deinde majora vitæ signa dare, ac omnino vivere. Omnes, qui aderant, læti ac stupefacti Deo gratias egerunt, et miraculum coram notariis publicis legitime probatum est.

præter varios claudos

49 Die XVIII ejusdem mensis mulier clauda venit visitatum reliquias S. Annæ, et mox recta ac sana domum rediit.

Eodem die et mense venit vir claudus ad easdem sacras reliquias, et recto gressu reversus est.

Die

A Die XX Junii mulier, quæ per sex annos fuerat clauda, commendavit se S. Annæ, et subito fuit sanata, ut manifestum est pluribus, qui eam viderunt.

Die XI mensis Julii vir, qui ex equo deciderat, tantam ex eo lapsu contraxit infirmitatem, ut spatio medii anni nec se erigere nec incedere potuerit. Is patrocinium S. Annæ implorans, sanitatem consecutus est.

Die XV ejusdem mensis mulier clauda, quæ duobus fulcris sustentabatur, invocans S. Annam sanitati restituta est.

vitæ vel sanitati restituuntur.

50 Die XVI Augusti adolescens, nomine Paulus, qui erat oriundus ex loco dicto Opponen, cecidit in aquam et submersus est. Postquam per unius horæ spatium sub aqua jacuisset, octo illius socii illum extraxerunt, qui omnes mœsti de consodalis sui morte, ipsum devote commendarunt S. Annæ, et promiserunt, sese reliquias ejusdem Sanctæ cum socio visitaturos. Eo ipso momento cœpit mortuus respirare ac vivere, et surgens votum implevit cum sociis, qui ceream imaginem obtulerunt.

B Die XXVII ejusdem mensis Joannes Vised, qui per quatuor annos fuerat cæcus, commendavit se S. Annæ, et bibens vinum, cui in honorem istius Sanctæ fuerat benedictum, a cæcitate liberatus est.

Mense Septembri quidam in profundum puteum decidit, et plus quam per horam sub aqua delituit. Herus ejus, infortunio audito, jussit eum extrahi, et S. Annæ commendavit. Extemplo submersus ad vitam rediit, et ceream imaginem S. Annæ obtulit.

Moribundus Sacramentorum usum patrocinio S. Annæ obtinet,

51 Prædicto anno MDI Deus in eadem regione per intercessionem S. Annæ multa alia operatus est miracula, inter quæ recensentur sequentia. Circa præfatam civitatem Duranam est pagus, qui appellatur Merzenich, in quo vir quidam ita ex equo lapsus est, ut diu sine loquela humi jaceret. Omnes autem eum mortuum aut morti proximum judicabant. Uxor ejus id audiens, maximo dolore afflicta est, præsertim C quia maritum nec confessione nec sacramentis Ecclesiæ præmunitum intellexerat. Implorat itaque opem S. Annæ et promittit donum quoddam orans, ne saltem maritum sine Sacramentorum perceptione mori patiatur. Dum ita orat et vovet, illico maritus cœpit respirare et loqui, petiitque ut advocarent sacerdotem, a quo peccatorum absolutionem et Sacramenta reciperet. Hisce rite peractis, ut desideraverat, sicut bonus Catholicus ex hac vita migravit.

Homo quidam oriundus ex loco, qui dicitur Rodinguen, per tredecim annos cæcitate percussus, confugit ad opem S. Annæ, et perejus merita illico visum recuperavit, ut multis manifestum est.

et mulier prodigioso morbo laborans, k

52 In loco, qui dicitur Millen, mulier quædam obruebatur morbo ex sanguineis crucibus *k* orto, qui tunc in illa regione communiter serpebat. Morbus vero ille erat adeo mirus, ut vix nisi testibus oculatis credibilis videretur. Oriebatur autem hoc modo: Quando mulieres sive domi sive in platea aut alibi erant, imminente illa infirmitate, sanguineæ cruces in earum peplo apparebant, quæ nec aqua calida nec smegmate, nec alio liquore elui poterant. Tunc vero sæpius in terram prosternebantur, et ea infirmitas in istis Germaniæ partibus plerumque per duos vel tres annos durabat. Imo hodiedum adhuc servantur aliqua pepla, in quibus sanguineæ ille cruces cernuntur. Sed ut ad propositum redeamus, præfata mulier ex Millen in tegumento capitis sui deprehendit sanguineas cruces. Unde in magnam tristitiam incidit, et a sex dæmonibus possessa fuit. Quapropter deducta est coram capite S. Guilielmi, ubi energumeni conjurari ac libera solent, et duo dæmones ab ea expulsi sunt. Quatuor reliqui dixerunt, se non exituros nisi coram reliquiis S. Annæ. Clericus exorcista eos interrogavit, quare non nisi coram reliquiis S. Annæ vellent exire. Responderunt, sese id facere coactos, ut honor et gloria S. Annæ per totum mundum divulgarentur. EX VARIIS.

ac multi excitate

53 Vir quidam, qui erat lictor loci dicti Cruzenach, habebat filium, qui septem horis sub aqua submersus remanserat. Patre eum S. Annæ commendante et ceream imaginem vovente, filius ad vitam reversus est.

Licentiatus Coloniensis per anni spatium febri quartana afflictus contulit se in clientelam S. Annæ, et mox sanatus est, postquam vinum in Sanctæ E nomine benedictum biberat. Multæ aliæ personæ illud vinum bibentes, ad pristinam sanitatem redierunt.

Anno Domini MDII juvenis oriundus ex Remich circa Enerez-klusea, a nativitate fuerat cæcus, qui se commendans S. Annæ per merita ipsius visum obtinuit, sicut manifestum est multis, qui eum noverunt.

Abbatissa monasterii de Gerresehen habebat ancillam cæcam et claudam, quæ recurrens ad patrocinium S. Annæ promisit reliquias illius visitare: quo facto, perfecte sanata est, ut ostendi potest ex testimoniis, quæ a notariis excepta sunt, et munita sigillo abbatissæ et capituli in civitate Gerresehen.

Minister justitiæ in dicta civitate habuit filium, qui a nativitate fuerat membris iners. Is autem commendatus S. Annæ, usum membrorum adeptus est, ut ex legitimis notariorum testimoniis constat.

aliisque morbis afflicti sanantur.

54 Pellio quidam prædictæ civitatis Gerresehen filium a nativitate claudum patrocinio S. Annæ commisit, ac ipsi rectum gressum impetravit, ut ex juridicis testimoniis demonstrari F potest.

Circa civitatem Duranam non procul a Fossa bufonum, vir quidam ex equo cadens ita læsus fuit, ut nec stare nec sedere posset, sed semper lecto decumbere cogeretur. Devovit se S. Annæ, ad cujus reliquias delatus, omnimodam sanitatem recepit, ut ex legitimo notarii instrumento potest probari.

Ultimo die mensis Maii nobilis, nomine Joannes Grael-torno, in Belleren circa Stenir non procul Landan, duodecim annis usu unius oculi caruerat, et septem annis utroque orbatus, plane cæcus fuerat. Is se S. Annæ commendans subito perfectum visum recuperavit, ut ex legitimis notariorum testimoniis ostendi potest.

Ex supra relatis miraculis et multis aliis, quæ Deus per merita S. Annæ patravit, et continuo in variis regionibus patrat (nimis longum esset hic enarrare, quomodo eadem Sancta indigno hujus opusculi auctori succurrerit, dum in magna versabatur necessitate) ex his, inquam, utcumque colligi potest, quanta sit illius

EX VARIIS. lius potestas, sanctitas, excellentia et gloria, ad quam gloriam nos perducat Deus trinus et unus. Amen.

ANNOTATA.

a *Non fuit tunc caput* S. Annæ *primo detectum, ut hic auctor Hispanus perperam asserit, sed ex Moguntina civitate sublatum, ac Duræ collocatum, ut diximus in Commentario historico num.* 106.

b *Duram corrupte appellat* Durien *et alibi* Duyren; *sed utinam Germanica aliorum locorum nomina non magis luxasset!*

c *Præpositionem* [in] *uncis inclusam addidi, quia sic verosimiliter intelligendus est scriptor Hispanus quamvis civitatem Duranam male vocet provinciam Germaniæ, quam voluit dicere in provincia quadam Germaniæ sitam.*

d *Hunc locum in mappis geographicis non* B *invenio; sed colligo, illum circa Duram situm esse, cum auctor postea dicat, Fossam bufonum, de qua hic etiam meminit, non procul Dura distare.*

e *Scriptor Hispanice hunc locum vocat* la fossada de los Bufones, *quod proprie significat* fossam histrionum: *histriones enim Hispanice vocantur* bufones. *Suspicor, quod primus auctor scripserit* Fossam bufonum *et quod interpres Hispanus vocem Latinam* bufo *vel non satis intellexerit, vel tamquam proprium loci nomen ad suam linguam detorserit: nam venenatum istud animal Hispanice et Lusitanice* sapo *dicitur. Vox autem Lusitana* bufo *significat bubonem, quæ nocturna avis ab Hispanis vernacule* buho *appellatur. Ut ut est, hactenus vocem Hispanicam* bufo *pro* bufone *nusquam reperi.*

f *Opinor, ipsum voluisse indicare* Trevirem, *notissimam Germaniæ civitatem. Nec mirum, quod hic tantopere a vera expressione deflectat, cum alibi in suo opusculo episcopatum Ratisbonensem, vulgo* Regensburg, *vix intelligibili mutatione appellet* Reneste Bortha. *Quare imposterum luxatas hajusmodi locorum appellationes, quas* C *fideliter ex Hispano auctore expressi, indigenis Germanis divinandas relinquam, ne forte conjecturæ meæ a vero locorum situ aberrent.*

g *Est cœnobium PP. Guilielmitarum in urbe Durana, de quo agit Jacobus Polius in Exegetico* S. Annæ *cap.* 38.

h *Eo tempore caput S. Guilielmi illic honorabatur; sed postea Antverpiam delatum est, ubi hactenus in Domo Professa Societatis nostræ honorifice conservatur, ut ad diem* x *Februarii de reliquiis S. Guilielmi* § 2 *et sequentibus fuse explicatum est.*

i *Dicere cupimus a Marcoduranis, quis sit ille S. Eupertus, nobis hactenus, ignotus, siquidem nomen ejus recte scriptum est.*

k *Paulius Langius, qui eo tempore vixit, de his crucibus in chronico Citizensi ad annum* 1501 *ita scribit:* Cruces quoque rubeæ in diversis oppidis et villis Coloniensis diœcesis in vestimentis hominum, præsertim in peplis mulierum etiam cistis inclusis, hoc apparuerunt anno, quod timorem magnum multis incussit.

D

CAPUT II.

Beneficia, quæ venerabilis Innocentius a Clusa invocatione S. Annæ impretravit.

Innocentius a Clusa ex seraphico Minorum Ordine, qui anno 1601 *Romæ cum magna sanctitatis opinione obiit, summo amore prosecutus est* S. Annam, *atque illius intercessione stupenda obtinuit beneficia, quæ jam sæpe laudatus Joannes Thomas a sancto Cyrillo in Matre Honorificata cap.* 35, § 9 *ex longioribus Actis ejus excerpsit hoc ordine:* I. Cum Gregorius XV Pontifex maximus adeo periculose decumberet, ut medicorum judicio de valetudine recuperanda desperatus, tunc moriturus censeretur; Innocentius e vestigio accitus, jussit eum bono animo esse et scire, quod pro hac vice S. Anna vitam E illi impetraverit, adeoque eum debere in gratiarum actionem, annuam ejus memoriam solenni festo a fidelibus celebrari præcipere. Annuit Pontifex, ac sanitati restitutus fecit, ut S. Annæ festus dies a Christianis per orbem inter festa præcepta haberetur *a*. II. Urbani VIII ad summi Pontificatus culmen electionem prædixit, et eidem jam electo ac etiam aliis pluribus affirmavit, ipsum debere S. Annæ suum pontificatum. III. Adeo familiaris S. Annæ exstitit, ut nonnumquam in cellula sua ejusdem sanctissimæ Matris familiari ac suavissimo colloquio frui meruerit. *Venerabilis Minorita præter prophetiæ donum, a*

56 IV. Vice quadam a Fratribus et secularibus visus in horto ad arborum altitudinem e terra sublatus in exstasim raptus, id dolenter ferens, recurrit ad beatam Virginem Mariam et S. Annam, obtinuitque, numquam ut deinceps in ecstasi palam deprehenderetur, quod ipse postea pia simplicitate amicioribus significare solitus erat. V. Mulier quædam nobilis Lombarda quotquot con- F cipiebat proles, pariebat exanimes. At quadam vice cum esset gravida, ad fratrem Innocentium confugit, ejus preces et intercessionem ad S. Annam humiliter flagitans: promisit ille, parituram filiam vivam, cui nomen Annæ imponi jussit; peperit vero mortuam. Verum obstetricibus id puerperæ indicantibus, credere se nullatenus posse respondit, quod frater Innocentius fidem fallat, utpote qui animatam sibi prolem spopondisset. Quibus sic altercantibus, infantula revixit, et communi omnium ploratu vitam testata, in regenerationis lavacro Annæ nomen sortita est. *et alia beneficia*

57 VI. Princeps quidam Siculus *b* ejusque conjux diu steriles fratrem Innocentium interpellarunt, ut eis prolem imperare velit: qui voto S. Annæ facto, non unam dumtaxat, sed trinam eis prolem spondet, si ejusdem sanctæ Matris sacellum restaurare velint. Annuunt illi Innocentii postulatis, ac nedum sacelli instaurationem, sed et novi templi nec non etiam cœnobii erectionem appromittendo stipulati sunt. Fusis itaque Innocentius ac Deum et sanctam Annam precibus, ac impetratis tribus egregiis masculis successive prognatis, principem voti sui persolvendi admonuit: at is centum tantummodo *nobilibus conjugibus proles b*

A do scuta loco sacelli offert; cui servus Dei replicavit, S. Annam non velle centum scuta, sed sacellum reparatum, uti voto promissum fuit; quod si adimplere nollet, omnes tres filios sciret certo morituros : et interim gravissima infirmitate ægrotare cœpit primogenitus. Sed accito Innocentio, et promissa voti adimpletione, convaluit. Verum missis denuo a parentibus centum scutis, iisque ab Innocentio recusatis, utpote qui non pecuniam illam, sed sacelli reparationem sollicitabat, primogenitus identidem morbo correptus cessit e vita, quem et alii duo paucis post diebus secuti sunt. Principe autem per nuntios et litteras servum Dei deprecante, rogando primum ut pro his oraret, deinde ut novos ipsi filios impetraret, magnalia interim promittendo; at replicante Innocentio, frustra eum petere novos favores, qui antiqua vota non solvisset, demum princeps ob filiorum mortem et alias
B adversitates graviter afflictus, solatium quæsivit ludendo cum duce Ossunæ, Siciliæ prorege; sed elusus est, perditis sexies mille aureis, omnique solatio destitutus.

et proregi Siciliæ gressum a S. Anna impetrat.

58 vii. Idem prorex non multo post gravi crurum dolore vexatus, nulla medicorum industria curari potuit. Reversus ad se, quod fratrem Innocentium, nuper ob quosdam excessus libere se increpantem, domo expulisset, eum perquam humaniter acciri jussit. Venit ille, ac, præsentibus medicis, cataplasmata removit, factaque oratione, in Dei omnipotentis ac S. Annæ nomine principis crura benedixit, dolores fugavit, et ducem in conspectu omnium in crura levatum ambulare jussit : qui protinus ambulare et currere cœpit, ipsis medicis conclamantibus miraculum! Quod prorex agnoscens, illico sanctæ Annæ sacellum, a præmemorato principe neglectum, sumptuose et magnifice grato et liberali animo restaurari curavit.

c Præter alias prædictiones.

59 viii. Celebris est in Sicilia tunnorum *c* piscatus; at dum piscatores quidam diu multumque laborantes nihil cepissent, rogant fratrem Innocentium, ut veniens benedicat operi. Venit ille, ac benedicens, totum hoc, quod capturi essent, sanctæ Annæ meritis referendum, ejusque in signum et testimonium singulos pisces
C sanctæ Annæ nomine insigniendos prædixit. Ita factum, ut multorum dierum jacturam unico piscationis actu copiosissime compensarint, neque ullus inter omnes pisces (quos concluserant) repertus est, qui venerando S. Annæ nomine non fuisset insignitus.

ix. Sub idem tempus accessit ad eum mulier quædam, mariti sui (qui in agone constitutus cum morte luctabatur) afflictionem deplorans, simul orans, quatenus pro illius salute Deum precari dignaretur. Oravit paulisper, ac feminam consolatus adjecit, maritum quidem suum supervicturum, at vicinum quemdam (tametsi alias sibi ignotum) omnino esse moriturum : adeoque mulierem admonuit, ut S. Annæ (quæ marito spatium vitæ a Domino impetravit) in grati animi tesseram et memoriam pium anathema in ecclesia appenderet. Et omnia juxta sermonem viri Dei evenerunt.

x. Circuibat interdum Innocentius villas et pagos, lanam ostiatim emendicans, et a quodam agresti colono repulsus replicavit, satius esse pro amore Dei et S. Annæ sibi erogari vellus, quam ut id simul cum ove lupus abripiat. Indignatus villicus abire jubet Innocentium; nec citius abiit, quam aderat lupus, qui pressum a faucibus vervecem in conspectu omnium, nemine opitulante, asportavit. EX VARIIS.

plurimis feminis fœcunditatem obtinet

60 xi. Leopoldus archidux Austriæ, germanus imperatoris, audita fama fratris Innocentii, eum per litteras obsecrabat, ut sibi filium impetraret. Rescripsit Innocentius, suam seniculam S. Annam facturam omnino, ut prolem habeat. Atque ita post paululum ducissa gravida felici partu filium enixa est. Dux sanctæ Annæ non ingratus conventum Fratribus reformatis sub ejusdem titulo et patrocinio erexit, simulque fratri Innocentio gratias quam humanissimas egit.

xii. Complures ipsius hortatu S. Annam (quam ille affectu dulcissimo suam seniculam, phrasi Itala vecchiarellam, vocitabat) in singularem patronam et advocatam susceperunt, magnis ab ea favoribus cumulati. Persæpe cum ipso quam familiarissime egit, multaque ei solatia et consolationes cælestes communicans, varia secreta E
et occulta revelabat. Aliquando eidem apparens post suavissima invicem colloquia dixit, tanta se lætitiæ voluptate perfundi in festo Conceptionis filiæ suæ virginis Deiparæ, tamquam si propria suiipsius solennitas foret. Referebat interdum, maxima miracula sibi a Deo concessa esse per intercessionem S. Annæ, inter quæ erat, quod quingentas mulieres steriles miraculose fœcundas reddiderit.

idem venerabilis Dei servus,

61 xiii. Habebat Innocentius Romæ amicum quemdam, Dominicum nomine, syndicum Fratrum, cui dum sæpe suaderet, ut S. Annam sibi deligeret advocatam, replicavit Dominicus : Quid mihi hæc tua Vetula faceret, vel quid tibi ipsi præstat? Sed Innocentius eum inducit cellulæ, et clauso ostio, inter varia S. Annæ beneficia eidem retulit, qualiter semel vocatus fuerit ad quamdam mulierem, quæ triduo mortuum infantem gestabat in utero, ita ut necesse fuerit os ejus ferreo instrumento jugiter apertum tenere, ne fœtor cadaveris caput læderet; ipse vero miseratione permotus, non solum impetravit a sancta Anna, ut mulier fœtum ejiceret, sed etiam ut mortuum ac putridum cadaver infantis jacens in terra ad vitam rediret. F

et nautis sitientibus

62 xiv. Dum Morsala Drepanum navigaret, accidit, ut nautæ obliti fuerint aquam secum deferre; qui dum siti æstuarent, vas vacuum pedibus hinc inde protrudebant blasphemantes, seque mutuo contumeliosis verbis proscindentes : et vix defuit, quin ad manus venirent, dum alter alteri neglectæ aquæ culpam objiceret. Rogat interim Innocentius, ut missa faciant talia, et fiderent misericordiæ Dei. At ubi ipsi reponunt, se sitis ardore insanos fieri, Innocentius eorum compassus miseriæ, ad suam S. Annam confugit, quæ continuo dolium implevit aqua frigidissima, quam nautæ jussu Innocentii ad satietatem haurientes, ad portum Drepanensem incolumes appulsi, miraculum promulgarunt.

xv. Pari modo dum Panormo Neapolim navigaret, nautæ vinum obliti fuerunt accipere, et, sicut prius dictum, in detractiones et injurias mutuas prorumpebant. Innocentius, fusa ad S. Annam oratione, jussit promere quidquid e vase proflueret; profluxit autem vinum optimum, cum prius esset aqua purissima.

xvi. Similiter dum ex Sicilia Romam navigat vectus eadem triremi, qua eminentissimus

EX VARIIS. Cardinalis Torres *d* et D. episcopus Cephaludensis *e*, aqua omnibus, sed maxime remigantibus, defecit; nec ob tempestatem erat possibilitas terram ullibi attingendi. Recurrunt ad preces fratris Innocentii, quibus illi ad sanctam Annam fusis, jubet hauriri aquam maris, eamque facto signo crucis reddidit dulcem atque potabilem : quod miraculum eminentissimus D. Cardinalis et D. episcopus Romæ postea divulgarunt.

aliisque ægris per invocationem S. Annæ 63 XVII. Principalis quædam matrona Romana tantam in mamilla passa est corrosionem cancri immedicabilis, ut medici omnino decreverint totalem mamillæ abscissionem. Sed mulier ad Innocentii preces accurrit. Ille vero postquam S. Annam oravit, amotis emplastris, unxit mamillam oleo lampadis S. Annæ, aspersit aqua benedicta et panniculo obtexit. Dormivit bene mulier sequenti nocte, et cum pro more redirent mane medici, mamillam integre persanatam invenerunt, stupefacti miraculo.

B XVIII. Quadam vice in Siciliam navigabat, et, exorta maxima tempestate, periclitantes nautæ ad preces ipsius recurrunt. Jubet ille sanctam Annam invocari, si salvi esse velint, et, fusis precibus, crucis signum contra tempestatem formavit, quæ illico in densissimam pluviam conversa est : nec tamen naviculam fratris Innocentii vel gutta contigit, cum aliæ duæ simul pergentes gravi pluvia onerarentur.

XIX. Verum, oborta iterum nova ac validiori tempestate, coacti sunt naviculas ad terram attrahere in eo loco, in quo nullo humano auxilio ipsis succurri posset. Deficiente annona, rogant Innocentium, ut victui necessaria provideat, ne simul fame pereant. Jubet ille, ut S. Annam innovent, et, facta oratione, monet, ut videant, qui sua Senicula ipsis sub prora apposuerit. Visum eunt, et inveniunt tot albos panes, quot erant necessarii usque dum periculum evasissent.

sæpius subvenit. 64 XX. Joannes Marcus Joannellus Gandinensis anno MDCXXV Romam veniens, gravi apostemate C in capite affectus, mortis periculo subjacuit: curat se ad fratrem Innocentium deportari. Jubet Innocentius, ut se S. Annæ recommendet; deinde signum crucis infirmi fronte efformat, et, mox rupto apostemate, revaluit. Hæc et alia prodigia quamplurima Annæus hic thaumaturgus meritis et intercessione gloriosissimæ matris Annæ (Deo annuente) patravit : quorum testes oculatos etiamnum superstites, magnalia viri Dei ac præcipue pietatem in divam Annam singularem enarrantes, non raro cum intimo animi mei sensu auscultavi; quæ itidem fideli calamo exaravit R. P. Antonius Randacius Minor observans in Vita ejusdem *f*.

ANNOTATA.

a *Gregorius XV anno* 1622 *jussit festum* S. Annæ *per totam Ecclesiam celebrari, ut constat ex Bullario Cherubini pag.* 125.

b *Hujus principis nomen haud dubie in Sicilia satis notum erat, cum Petrus Tognolettus Siculus in Vita Italica venerabilis Innocentii cap.* 31 *dicat, id Panormi accidisse, et locum cognominis punctis impleat, ne forte nobilem istius principis familiam offenderet, et exteris indicaret.*

c *Puto scribendum* thynnorum *vol* thunnorum, *de quo pisce fuse disserit Ulysses Aldrovandus in Opere suo de piscibus lib.* 3, *cap.* 18.

d *Is est Ludovicus de Torres archiepiscopus Monteregalensis in Sicilia, qui deinde in purpuratorum Patrum numerum adscriptus, Romæ anno* 1609 *obiit, ut tradit Rocchus Pirrus in Notitia Siciliensium ecclesiarum tom.* 1, *pag.* 435 *et sequenti.* D

e *Cephalædis, vulgo* Cefalu, *est urbs episcopalis Siciliæ sub archiepiscopo Messanensi, de qua vide laudatum Pirrum in opere citato tom.* 2, *pag.* 425 *et sequentibus.*

f *Hic Joannes Thomas a sancto Cyrillo ad marginem nota sequentia :* Vita F. Innocentii a Clusa Ms. asservatur in archivio collegii ad sanctum Isidorum Romæ Fratrum Minorum Hibernorum strictæ observantiæ. *An id dicatur de Vita ab Antonio Randacio scripta, an de alia, nescio. Saltem Petrus Tognolettus, Minorita Siculus, anno* 1677 *ampliorem ejusdem venerabilis viri Vitam Italice edidit, in qua plura referuntur prodigiosa beneficia, quæ venerabilis Dei servus intercessione* S. Annæ *obtinuit.*

E

CAPUT III.

Recentiora quædam miracula, quæ per invocationem S. Annæ in Sicilia contigerunt, ex libro Italico in Latinum compendium redacta.

Inter alia miracula, quæ in Sicilia contigerunt, *Venerabilis Innocentius a Clusa tantopere venerationem* S. Annæ *in Sicilia promovit, ut plurimi istius regni incolæ eam sibi peculiarem patronam elegerint, et prodigiosa per illius intercessionem impetraverint beneficia, quæ R. P. Dominicus del Burgio, Minorita Siculus, Italice collegit et anno* 1690 *Panormi edidit. Ut autem miraculis illis debitam auctoritatem conciliet, ante ea cap.* 2, *pagg.* 24 *et* 25 *sic præfatur :* Drepani in Sicilia pietas erga S. Annam ita civium cordibus impressa est, ut sæpius dulcissimum istius Sanctæ nomen invocare audiantur; illa vero devotio potissimum orta et aucta est indefesso studio venerabilis Innocentii a Clusa, qui tenerrime erga eam afficiebatur, et quem propterea populus vulgo Innocentium a sancta Anna appellabat. Inde etiam Conventui, qui felici illo tempore nostris Minoritis ædificabatur, nomen S. Annæ inditum est, et ad illum præfatus Innocentius ex urbe Romana sacras ejusdem Sanctæ reliquias misit, ut alibi dictum est. Porro miracula, quæ illic sancta Christi Avia patravit, sunt innumerabilia; ex quibus hic aliqua referam, quæ P. Hieronymus de Saleme, timoratæ conscientiæ et optimæ vitæ religiosus, mihi narravit. Imo ego ipse mense Junio anni MDCLXVI contuli me Drepanum, ubi stupenda S. Annæ beneficia, quæ pius Pater Hieronymus mihi antea narraverat, tum a Patribus nostris, tum a secularibus fide dignissimis coram me confirmata fuerunt. *Nos ex R. P. Dominico del Burgio hic aliqua prodigia seligemus, et e lingua Italica Latine contrahemus.* F

duo mercatores 66 Gabriel Aydone dives mercator Drepanensis ex familiari conversatione cum venerabili Innocentio a Clusa magnam conceperat opinionem de meritis S. Annæ, quam propterea tenerrimo

A nerrimo affectu diligebat. Cum ei aliquando ob urgentia negotia ex Sicilia in Sardiniam navigandum esset, prius se Patronæ suæ ferventer commendavit, et novam se firmissimamque navim conscendit. Vix insulam Hieram *a* prætervectus erat, cum oculos in cælum elevans, videt tres nubes, quæ imminentem tempestatem minabantur. Nihilominus, cum ventus esset secundus, nauclerum hortabatur, ut inceptum iter prosequeretur. Sed necdum ad medium maris Sardoi *b* pervenerat, quando ortus est ventus contrarius, tamque vehemens, ut vela scinderentur et antenna disrumperetur. Tunc ille nautas monuit, ut S. Annam invocarent; at ii efferati et desperantes, responderunt, jam non esse tempus orandi, sed circumspiciendi, an natatu possent instantem mortem fugere. Interea ipse se S. Annæ commendabat, quando navis a fluctibus absorpta est, ita ut nullus nautarum ex naufragio evaserit. Superat solus Gabriel, qui majori fide ac voce in hoc B extremo dis crimine auxilium S. Annæ implorabat. Dum cum fluctibus luctatur, videt S. Annam supra maris undas ad se venientem, sibique dicentem audit : Gabriel, noli timere, confide; ego hic sum, ut te hoc periculo liberem. His dictis, Sancta arripuit sinistrum ipsius brachium, eumque supra aquas ducens ac leniter in terra collocans, disparuit. Gabriel postea Drepanum *c* reversus magna cum animi teneritudine et non sine lacrymarum copia hoc prodigium narrare consueverat, et exemplo suo Drepanenses ad cultum S. Annæ vehementer excitavit.

naufragio

67 Ex eadem civitate Drepanensi Paulus Marciante mense Februario anni MDCLXVI ob negotia Neapolim profecturus, navim Hieronymi Confalone ascendit. Quamvis autem ventus sub initium navigationis faveret, tamen in medio itineris mutatus est, atque ita invaluit, ut nautæ merces in mare projicere cogerentur. Deinde fracta antenna et scissis velis, etiam gubernaculum ventorum vehementia ablatum est. Unde omnes de vitæ servanda desperantes salutem animæ curarunt. Erant in eadem navi tres religiosi tertii Ordinis S. Francisci, qui eos ad implorandam Dei misericordiam, et faciendam C peccatorum confessionem hortabantur. Dum se ita pie ad mortem præparant, navis impegit in scopulum et in duas partes disrupta est. Tunc quisque primo obvium lignum arripit; at nullus potuit mortem evadere, præter Paulum ejusque filium, qui quindecim ætatis annos numerabat. Hic invocans dulcissimum Jesu nomen, invisibili manu in arena collocatus est. Paulus vero, arrepta tabula, hinc inde fluctibus jactabatur, et tandem in grande quoddam lignum impegit, ita ut graviter vulneratus et e tabula sua depulsus fuerit. Denique miser naufragus viva fide opem S. Annæ implorans sensit, se in altum attolli, et ignoto sibi modo ad terram deferri. Jam in littore constitutus nudum corpus texit arena, ut saltem aliquo modo nivis ac borealis venti asperitatem mitigaret. Interea continuas ad S. Annam fundebat preces, atque undique oculos vertens tandem eminus quamdam lucem vidit. Illuc recta procedens reperit in tugurio benignum senem, qui eum, quantum poterat, refocillavit, et cui cum multis lacrymis portentosam S. Annæ protectionem exposuit.

EX VARIIS. et puer præsenti submersionis periculo eripiuntur.

68 In tractu quodam Siciliæ, qui a sancta Margarita nomen gerit, ac in diœcesi Agrigentina situs est, Catharina di Leo, devotissima S. Annæ, habebat filiolum, nomine Didacum, qui sextum ætatis annum inchoaverat. Is in horto domui vicino ludens, nemine præsente, infeliciter in aquam lapsus est. Cum mater filiolum aliquamdiu non vidisset, jussit eum quæri ab ancillis, qui illum in aqua invenerunt, capite supra frustum baculi reclinato. Ancillæ videntes hunc mirum pueri situm, magno clamore matrem advocarunt, quæ mox advolavit, et materno amore stimulata, in aquam descendit, ancillis unum dominæ brachium tenentibus. Interim mater assiduo invocans S. Annam, extraxit filiolum vivum ac lætum, a quo etiam petiit, quomodo factum esset, ut tanto temporis spatio non submergeretur. Innocens puer non simpliciter respondit : Anus quædam albo vestimento induta, et similis imagini S. Annæ, quæ in Sambucensi Fratrum Minorum templo cernitur, E me supra aquam tenuit, ne submergerer. Hoc miraculum sæpius populo in concione propositum et ab ipsa pueri matre jurejurando confirmatum est.

Annosa vidua

69 Anno MDCLXXIV Panormi erat vidua sexaginta quinque annorum, nomine Maria la Russa, cui filia moriens reliquerat nepotulum ante sex menses natum. Cum vero vidua illa ob paupertatem non posset habere nutricem, quæ infantem aleret, modo uni, modo alteri ex vicinis feminis illum lactandum dabat. Sed cum vicinæ id postmodum nollent facere, mulier maxime afflicta confugit ad patrocinium S. Annæ, eique in templo Franciscanorum, quod a Misericordia nomen habet, extremam suam necessitatem tenerrimis lacrymis et precibus exponit. Dum orat, videt venerabilem religiosum (is a paucis annis cum magna sanctitatis fama obierat) ad se venientem ac dicentem : Ne dubita, Maria; spem fige in S. Anna, et omnimodam consolationem recipies. Illa existimans, hunc esse quemdam religiosum ex illa Franciscana familia, qui sibi ex commiserationis affectu istud dixerat, cum magna fiducia domum redit. Sed media nocte puerulus cœpit plorare, F e lacrymis sitim aut famen indicare. Tunc mulier maximo commiserationis affectu mota, iterum opem L. Annæ ferventissimis precibus imploravit.

nepotulum suum mirabiliter lactat,

70 O rem mirabilem! dum pia anus preces fundit, sensit sibi ubera lacte distendi, et vix ipsa id credens, nepotulum illis admovet, et prorsus stupefacta simul ac læta abundanter illum lactat. Postero die gratias S. Annæ actura se confert ad templum Misericordiæ, et PP. Franciscanis narrat, quid sibi acciderit, addens, sese a quodam patre ex eorum familia pridie monitam fuisse, ut spem in S. Anna figeret. Superior omnes religiosos istius cœnobii coram vetula comparere jussit, ut sciret, quis ipsi tam salutare consilium dedisset. At illa asseruit. eum, quem pridie viderat, in hoc numero non esse. Post paucos dies vidua illa vocata ad nobilem ægrotantem, cui etiam aderant quidam PP. Franciscani, vidit in cubiculo ægri imaginem venerabilis Vincentii Ferrerii ex illo Ordine, qui ante aliquot annos pie mortuus fuerat, et mox digito illum monstrans, inquit : Hic est, qui me ad collocandam in S. Annæ fiduciam hortatus est. Hoc ipsum postea in palatio archiepiscopi

EX VARIIS. chiepiscopi Panormitani juramento testata est. Illa autem lactis copia per quinque annos in uberibus vetulæ perseveravit, ut toti urbi Panormitanæ notum est. Reverendus admodum pater Josephus Maria Panormitanus, superior cœnobii Misericordiæ, et ipsa vetula memoratum miraculum mihi retulerunt.

et mulier tempore famis

71 Anno MDCLXXI Deus regnum Siciliæ tanta fame afflixit, ut multi incolæ præ inopia perierint. Inter alios in oppido, quod vulgo Aydone appellatur, Josepha di Carnozzo, quæ sibi ac quinque filiis suendo victum comparare consueverat, ad extremam necessitatem redacta est. Die quodam famelici pueri cum lacrymis et singultibus panem petebant, quem mater suppeditare non poterat. Unde commiseratione tacta, ad S. Annam, cui semper devota fuerat, flebiliter recurrit, eique egestatem suam lacrymosis verbis exposuit. Peracta oratione, præ mœrore faciem manu tegit, et cubito innixa in somnum incidit. Sed brevi expergefacta odorem recentis panis percepit. Mox oculos undique B circumfert, et tandem in canistro, in quo linteamina et suendi instrumenta jacebant, reperit magnum panem adeoque recentem, acsi primum ex clibano eductus esset. Quare gratiis S. Annæ actis, panem sibi ac filiis copiose distribuit, et prodigiosam sanctæ Benefactricis suæ benignitatem ubique promulgavit, ita ut quidam ejus vicini micas istius panis in honorem S. Annæ conservare voluerint. Reverendus pater Gabriel di Piazza istud miraculum per epistolam mihi indicavit.

puellula in cæcitate

72 In patria mea, quæ vernacule terra del Burgio vocatur, mense Junio anni MDCLXIX, Lucia quinquennis, filia Josephi Ferrantelli notarii, ita papulis obsita fuit, ut cum summo parentum dolore visum amiserit. Cum medicorum industria nihil prodesset, mater ad templum conventus nostri venit, et ante altare S. Annæ genua flectens, ardentissime Sanctam oravit, ut filiolæ visum restitueret. Aderat forte juxta altare religiosus quidam noster, qui mœstam matrem consolari cupiens, arripit fasciculum florum, qui ante imaginem S. Annæ positus fuerat, eumque dedit plangenti mulieri dicens : Fer hos flores filiolæ tuæ; spero, fore ut S. Anna ei C misericordiam suam exhibeat. Mater, iis cum summa fiducia acceptis, domum rediit, et omnes liberos suos alta voce interrogavit : Quis cupit flores S. Annæ? Reliquis silentibus, filiola cæca respondit : Mater, ego eos habere desidero. Deinde eos cum gaudio acceptos osculata est, atque oculis suis applicuit. At ecce primo florum contactu cum parentum et omnium adstantium stupore puellula visum recuperavit. Pater pro beneficio gratus proximo die Martis cum magna solennitate cereum et argenteos oculos, qui illic etiam hodiedum appensi cernuntur, S. Annæ obtulit, et ceræ oblatione, quoad vixit, annuam hujus miraculi memoriam celebravit.

ipse auctor in oculi læsione,

73 Cum anno MDCLXXI in proxime memorato patriæ meæ conventu degerem, et arborem quamdam mundarem, accidit, ut ramusculus mihi graviter læderet oculum sinistrum, ad quem tot humores confluxerunt, ut eo nihil aut parum viderem. Variis remediis frustra adhibitis, recurri ad S. Annam, et sæpius oculum sacris ipsius reliquiis signavi. At Sancta me consolari distulit. Tandem confugi ad beatissimam Virginem Mariam, eamque rogavi, ut tamquam D Deipara et cæli regina Matri suæ me commendaret, ac perfectam videndi facultatem mihi reddi juberet. Finito Sacro, plenus fiducia ac lampadem ardentem in sacello S. Annæ, et læsum oculum oleo unxi. Tunc magnum pruritum sensi in oculo, et statim, consumptis etiam malignis humoribus, alba macula, quæ in pupilla fuerat, disparuit. Me e sacello discedentem invisit medicus, cui dixi, me paulo antea oculum oleo lampadis S. Annæ unxisse. At ille respondit, me male fecisse, eo quod oleum istud oculis noxium esset. Mox curiosus inspexit oculum, eumque perfecte sanatum videns, me ad laudes S. Annæ celebrandas hortatus est, firmiter sibi persuadens, id non sine miraculo factum esse.

et medicus morti proximus

74 Drepani circa finem anni MDCLXV Andreas Mursia medicus tam gravi et periculoso morbo oppressus est, ut alii medici eum sacro Viatico et extrema unctione præmuniri jusserint, ac de vita illius omnino desperarent. Æger vero E recordatus beneficiorum S. Annæ, cui semper devotus exstiterat, petiit, ut e conventu nostro sacræ ejus reliquiæ ad se deferrentur. Guardianus, qui tunc erat R. P. Josephus Maria di Termine, misit cum socio P. Hieronymum de Saleme, ut desideratas reliquias portaret. Infirmus magna cum reverentia et tenero affectu sacras exuvias osculatus, sese patrocinio S. Annæ commendavit. Deinde duo illi Minoritæ, ab ipso ægro ac adstantibus rogati, reliquias capsulæ inclusas illic reliquerunt, ac ad conventum reversi sunt. Postea R. P. Guardianus eumdem invisens lipsanothecam aperuit, ex qua infirmus magnum splendorem prodeuntem vidit, ac dulcem ex ea visione consolationem percepit. Morbo post paucas horas ingravescente, infirmus ad extremum vitæ terminum deductus videbatur, ita ut domestici de sepultura et exsequiis jam soliciti esse cœperint.

opem S. Annæ experiuntur.

75 At ecce media nocte, quando jamjam moriturus putabatur, apparuit illi S. Anna : quam videns, coram omnibus religiosis, qui ipsum ad mortem pie obeundam comparabant, matrem suam illic plorantem interrogavit : Quænam est ista vetula? Matre autem respondente, nullam illic F vetulam esse, dixit ægrotus : Ecce illam apud me! Adstantes, hoc audito, putarunt, ipsum delirare, aut diabolica tentatione vexari, ut sæpe in ultimo vitæ articulo contingit. Tunc S. Anna se totam splendidam manifestavit, et, data ei benedictione, disparuit, relinquens ægro perfectam sanitatem et cælestem consolationem. Medici, hoc prodigio intellecto, cum multis nobilibus ad eum venerunt, ut miraculum ex ore ipsius audirent, et una cum illo ob recuperatam valetudinem S. Annæ gratias agerent. Cum ego postmodum Drepani essem, ipse Andreas Mursia mihi hoc stupendum beneficium sibi collatum cum tenerrimis lacrymis narravit, et nullum vitæ suæ diem prætermisit, quin S. Annam in templo nostro visitaret. *Hæc pauca miracula e multis elegi. Qui Italicam linguam intelligit, plura hujusmodi apud laudatum Dominicum inveniet.*

ANNOTATA.

a *Hæc insula, quæ etiam Therasia ac Maritima, vulgo* Maretamo, *appellatur, Siciliæ adjacet versus*

A *versus ejus promontorium Occidentale, ut videri potest in mappis geographicis.*

b *Per* mare Sardoum *intelligo partem maris Mediterranei versus plagam occidentalem Sardiniæ, quamvis alii id latius extendant.*

c *Drepanum, ab incolis vernacule dictum* Trapano, *est celebre Siciliæ emporium, de quo aliisque ejusdem insulæ locis, quæ in hic miraculis occurrent, vide mappas geographicas vel topographos passim obvios.*

CAPUT IV.

Spicilegium miraculorum ex diversis libris Latinis.

Sancta Anna *Josephus Geldolphus a Ryckel, abbas S, Gertrudis Lovanii, in suo Phylacterio, tract.* 7, § 30 *inter alia* S. Annæ *decora sequens memorat miraculum:* Est Brugis Flandrorum Cartusia. S. Annæ B sanctimonialium, in qua sanctæ Annæ cultus viget viguitque ab immemorabili tempore ob ingentia beneficia, quæ percipiunt virgines sacræ ex ejus patrocinio et intercessione : inter quæ non postremum est illud, quod in tabula pensili legitur exaratum in ipso primo aditu anterioris partis templi : Maria Ouseils religiosa, diuturno languore detenta non poterat vel gressus baculo regere vel de strato surgere tantillo tempore, quo rem divinam audire solita erat : verum alienis pedibus, alienis manibus, ante funus funerata, in sindone ferebatur ad ea omnia munia, quæ vel necessitas vel pietas exegisset. Clinica, impotens corpore, sed non animo, vigente in eà adhuc fervoris et optimæ in sanctam Annam fiduciæ igniculo, jussit in eisdem suis involucris ante aram majorem templi, quæ sanctæ Annæ dicata est, se deponi : ubi cum in spiritu vehementi profusius orasset, in momento sensit sibi vires refundi, audivitque ab ipsa imagine Sanctæ Annæ velut vocem quamdam dicentem sibi : Surge, tolle grabatum tuum, et esto sana.

moniali paralyticæ, 77 Nec mora; surrexit de loco, stupentibus omnibus, quibus occurrit sana et sospes ferens C feretrum suum, in quo prius portabatur. Nec procul arcessendus fuit conventus ad spectaculum : rediens enim ex trichoro communi reperit eam obviam exilientem et gaudentem in Domino de tam inusitato, quod vix ipsa capiebat, divino beneficio. Gratiæ in commune referuntur pro refectione primum, mox et pro tanta divinæ pietatis dignatione. In acta res tota relata fideliter est, et per manus et memoriam perennaturam tradita : celebratur adhuc hodieque in eadem domo hoc beneficium, quo et spes in posterum et fiducia semper alitur in Deum et Divam, non sine fructu animarum et exuberantia ingenti meritorum.

conjugio sterili, viro claudo, 78 *Noster Joannes Nadasi in Annalibus Marianis Societatis Jesu num.* 373 *refert beneficium, quod anno* 1601, *ut in margine notat, patrocinio* S. Annæ *videtur impetratum.* Sanctæ Annæ, matris beatissimæ Virginis, cultus, *inquit,* est nobile auctarium cultus ipsius Deiparæ, adeoque aliis etiam enixe suadendus. Pater Alphonsus Cordeses Hispali senatori mœsto ob sterile unici filii matrimonium persuasit, ut S. Annam, matrem Matris Dei, studiose coleret : sic enim futurum, ut anni fere intra spatium nepotem e filio videret lætus; et simul eam colendi modum edocuit. Paruit consilio senator, et, necdum elapso annuo intervallo, nepotem e matrimonio hactenus mæsto et infœcundo vidit, atque gavisus est. *Deinde num.* 689 *meminit de devotione, qua venerabilis noster Ludovicus de Ponte* S. Annam *prosequebatur. Denique num.* 729 *aliud beneficium ita commemorat :* Pater Joseph Scammacca rogatus, ut oraret pro quodam, qui pedem habebat a medicis jam depositum, dixit, necessarium esse sanctæ Annæ auxilium. Adfuit illis ipsis diebus ægro matrona gravis, pedemque inspectum cruce signavit, nescio quid medicinæ suggessit, et abiit. Mirum id medicinæ genus visum aliis; æger tamen, ut omnia tentaret, non omisit, et statim valuit. EX VARIIS.

79 *Jam Sæpe laudatus Joannes Thomas a sancto Cyrillo in Matre Honorificata cap.* 35, § 2 *occasione montis Austriæ, qui* S. Annæ *nomen gerit, ut in Commentario historico supra num.* 70 *diximus, narrat sequens miraculum :* Accidit E autem circa annum salutis MDCXXXIII, quod mulier civis Viennensis, Maria Rottenstetterin nomine, toto integro septennio loquelam amiserit, ut penitus muta redderetur; tandem pro salute desiderata ad communem patriæ, imo totius orbis universalem sospitam, Virginem conversa, ad ejusdem miraculosam ædem, intra Styriæ prærupta montium sitam, vulgo MARIÆ ZELL dictam, facti voti gratia supplex et festina excurreret. Venit, votum solvit; et quia, ut muta, precibus prolixis non poterat, altis suspiriis validisque ex imo fundo cordis surgentibus gemitibus fortius ad Matrem misericordiæ clamat et vota multiplicat : sed Mater gratiarum has mutæ et elinguis preces et vota audire et exaudire dissimulat, quia ut pia Filia piæ et vere gratiosæ matri Annæ grandem hanc gloriam reservabat. In reditu igitur ad S. Annam confugit, ejusque montem a Matre supplendæ gratiæ spe (quam negarat Filia) subit, templum ingreditur, ante summam, Gloriosæ hujus miraculosam statuam exhibentem, aram supplex prosternitur, gemit, suspirat, et vota multiplicat. Et ecce tibi rem prodigiosam! juxta spem et votum suum loquelæ gratiam, quam Filia in F Matrem piissima pie negaverat, a ter pia et benedicta Matre pie tandem impetrat. mulieri mutæ

80 *Idem scriptor in opere proxime citato cap.* 35, § 8 *varia* S. Annæ *subsidia exponit his verbis :* Cosfeldia in Weltphalia post Monasterium, metropolim ejusdem diœcesis, civitas primaria duas germanas sorores virginesque nobiles prognatas ab arce Stammeren, per milliare Westphalicum inde recedente, anno MCDLXX admisit, ut vitam religiosam sub tertia regula sancti patris Francisci, indidem junctis similis propositi virginibus, inchorent. Equestres viri ab Horst duabus primiceriis neptibus applaudentes pro claustrali domo excitanda via donationis iisdem contulerunt curiam suam Cosfeldiæ sitam. Ecclesiuncula forti opere procreavit anno MCDXC, per Henricum de Swartzenburg archiepiscopum Bremensem, Monasteriensem administratorem, ad gloriosissimæ matris Annæ honorem consecrata. Mille imperiales in hujusmodi sacelli suique domicilii fabricam effuderant via mutui acceptos. Cum autem moniales ad solutionem urgerentur, nec affulgerent media, et monialibus in necessitate

EX VARIIS.

dia, constanti fiducia atque ignitis precibus ad præsidium almæ matris Annæ confugerunt: nec protelata fuit benedictio, quin cumulatim accrescerent largæ eleemosynæ, ut se citius ab ære alieno expediverint. Quo facto, ministra domus, beneficium solutionis S. Annæ referens acceptum, basi inonis S. Annæ instrumentum obligationis redemptum pia gratitudine appendit, tribus cereis ante eamdem accensis.

mirum præstat auxilium.

81 Deinde cum claustralis officinarum atque supellectilis opportunæ instauratio desideraretur, viator in qualitate peregrini fores pulsat, portariæ fasciculum argento turgidum et consignatum porrigit, magistræ domus tradendum, ac continuo disparet. Præterea exeunte seculo sexto decimo primum, deinde anno sequentis seculi tertio decimo domus civica conventui contigua ignibus secundum consumitur; sed ex parte incolatus sororum singulis vicibus opposita locatur imago S. Annæ longitudinis trium pedum, atque mox flamma vorax elanguit, ne longius serperet. Ex altera parte claustri anno MDCXL, Hasso præsidio civitatem gravante, per malitiam ignis clam immissus, nullo advertente, pecua-
B rium conflagrat; facto autem recursu ad eamdem S. Annæ imaginem, desiit hinc inde oppositis fabricis claustralibus nocere. Summatim in variis angustiis, jactura bonorum fortunæ, atque periculis animæ, S. Annæ maternæ benignitatis subsidia atque solatia præsentanea loci incolis ipsam pie invocantibus frequentissime præsto fuere.

Eadem Sancta quibusdam in navigatione Americana

82 *Tunc idem auctor ibidem citat Ramusium volumine tertio navigationum ad novum orbem in historia Indica lib. 20, cap. II, ex quo refert sequens prodigium hoc modo :* Cum D. Alfonsus Zuazo licentiatus, quondam gubernator in insula Chuba, versus Hispaniam novam cum multis navigaret, post longum per vastissimi Oceani furibundos fluctus emensum iter, variis procellis ac tempestatibus jactatus, atque Dei miserentis ope sæpius e naufragio prodigiose ereptus, tandem omnibus victualibus exhaustis, in summas rerum angustias redactus est, ut etiam quamplurimi suorum fame et siti defecerint: et qui residui erant, adeo arida siti exhausti ac defecti sunt, vix ut exilem vocem edere possent. Tum vero ad insulam quamdam ap-
C pulerunt, ubi crudis marinorum animalium carnibus vesci ac fœdo horridoque testudinum cruore ardentem sitim restinguere compulsi sunt. Inter hæc prædictus licentiatus, ut erat singularis probitatis ac prudentiæ vir, verbo et exemplo singulos cohortari non destitit, ut calidis lacrymis, profundissimis suspiriis, humilibus votis ac precibus benignissimum Deum exorare atque ad misericordiam flectere satagerent. Erant inter eos, qui vota religionis ederent; alii perpetuæ castitatis votum nuncuparent; alii aliis supplicibus votis cælestem opem implorarent.

sui fere ad mortem adactis

83 Flexus tandem Deus ter optimus, piissimus, humilibus eorum supplicationibus, eis per gloriosissimam matrem Annam gratissimo solatio et auxilio succurrere dignatus est in hunc modum. Erat in hoc comitatu virgo quædam humilis et devota, Agnes nomine, quæ cum ad extrema deveniret, jamjam satis concessura, cœpit repente hilari voce adstantes compellare ac dicere: Venit ad me matrona quædam summæ ac reverendæ majestatis, incomparabili decore ac splendore solis instar refulgens, pretiosissimo candidi viridisque coloris amictu circumornata, quæ me blan- D
dissimis ac jucunditate plenis hisce dignata est verbis : « Ego sum Anna, mater Mariæ Genitricis Filii Dei. Tu ergo, filia, dic illi licentiato, ut relicta hac insula, quam ocyssime ad alteram proximiorem transmigret, et ego ei ceterisque suis aquam vivam, limpidam, et ad potandum suavem ibidem tribuam ». Quod et factum est : nam ubi ad dictam insulam juxta S. Annæ oris verba profecti fuissent, avide ac festinanter vel ipsis unguibus terram eruere cœperunt.

dulcem aquam ostendit,

84 Vixdum ad altitudinem cubiti unius terram suffoderant, illico aquam dulcem ac limpidam exilire ubertimque manare incredibili cum animi gaudio conspiciunt. Erat sane istud singulare miraculum; siquidem amplius quam in bis mille locis quaquaversum terram suffoderant, nusquam tamen quam hoc loco aquæ dulces scaturiunt : atque hujus prodigiosæ aquæ potu suavissime refecti ac recreati toto centum triginta quinque dierum spatio, quo illic morati sunt, commode vitam sustentarunt. Verum E
priusquam ex ea ipsi vel modicum quid delibarent, memoratus dominus licentiatus, arrepta marina concha, eam aqua replevit aiens : « Nullus bibat, antequam ex ea grati animi symbolum et sacrificium Deo ac gloriosæ Annæ libemus et immolemus, sicut fecit rex David, qui aquam de cisterna Bethlehem bibere noluit, sed eam Domino libavit ». Et his dictis, concham elevans, aquam per aërem in forma crucis dispersit, libando et offerendo eam Domino. Tandem vero faventibus Superis, post superata sexcenta vitæ discrimina ad portum optatum cum suis feliciter pervenit. Porro ut magnitudo hujus miraculi ac beneficentiæ Dei evidentis patesceret, factum est, dum licentiatus profectionem ex insula adornaret, ut illa, quæ usum eorum cælitus concessa aqua pura dulcisque scaturiverat, ad suam primævam originem reverteretur, totaque salsa, utpote marina, reddita sit : voluit nimirum benignissimus Deus demonstrare, soli necessitati eorum misericorditer fuisse provisam, quæ cum ultra haud urgeret, hanc in suam naturam reverti conce- F
deret.

et ab urbe Divionensi pestem depellit.

85 *Epimetri loco hic addo votum, quod cives Divionenses ob amotam meritis* S. Annæ *ab urbe sua pestem ediderunt, et quod Claudius Robertus in Gallia Christiana agens de episcopis Lingonensibus pag.* 393 *ex tabulario civitatis ita exscripsit :* Anno incarnati Verbi MDXXXI, die VII mensis Septembris, cives Divionenses in unum congregati in suo publico conventu una cum venerabilibus dominis ecclesiasticis, votum voverunt Deo ob pestem ingruentem in sua civitate, et quæ jam eos per multos annos vexaverat et adhuc vexabat, de consensu et auctoritate venerandi domini magistri Nicolai Gaultier S. capellæ cantoris vicariique generalis, R. in Christo P. et DD. Claudii de Long-vic, episcopi ducis Lingonensis ac paris Franciæ, de celebrando singulis annis festo divæ Annæ, matris virginis Mariæ, solenniter eo cultu et honore, quo solennitas Dominicæ resurrectionis celebrari solet a Christi fidelibus cum susceptione sacræ Eucharistiæ : quod ut debite fieret, ac in perpetuum observaretur, statutum fuit per prædictos dominos processionem fieri solennem

quotannis

A quotannis die Dominica, aut festo immediate præcedente festum S. Annæ, prout videretur dominis ecclesiasticis, quo concionator præfatæ processionis in sua concione admoneret unumquemque civium de complendo eorum voto, prout ipsi illud emiserunt, ut scilicet unusquisque debitum faciat confitendi peccata sua, quo digne valeat sacram Eucharistiam suscipere in die solennitatis divæ Annæ, ne Dominus ob vota non reddita, prout promissa sunt, irritatur, ac ne Deus patiatur præfatos cives in simile relabi pestis periculum, in quo erant, quando dictum votum emiserunt: a quo periculo liberati fuerunt, emisso voto, meritis et intercessionibus divæ Annæ; quod avertat Deus optimus maximus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

EX VARIIS.

DE SANCTO ERASTO

DISCIPULO PAULI APOSTOLI

SYLLOGE HISTORICA

G. C.

Ex sacra Scriptura, aliisque antiquis monumentis.

SEC. I. *S. Erastus, œconomus civitatis,*

Paulus apostolus indicat, hunc Erastum *fuisse virum honoratum, dum in epistola ad Romanos cap.* 16 ꝟ 23 *de illo sic scribit:* Salu-
B tat vos Erastus, arcarius civitatis; *Græce* ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, *qui Latine dicitur quæstor urbanus, et quem nunc vulgo thesaurarium urbis appellamus. Antiquus quidam scriptor, qui dudum sub nomine S. Ambrosii latuit, et quem propterea jam eruditi communiter Ambrosiastrum vocant, in commentario ad hunc Apostoli textum, inter opera S. Ambrosii perperam edito, nonnihil diversam hujus muneris ideam suggerit his verbis:* Dispensator civitatis est quasi curator, qui, dictante justitia, gubernabat civitatem, maxime in pretiis moderandis. *Juxta hanc explicationem* Erastus *ille fuisset curator urbis et annonæ (hac phrasi Cicero hoc officium exprimit) quem nunc Galli vernacule* lieutenant de la police *appellant. Theophylactus in eumdem Apostoli locum ita commentatur:* Hoc est prospector et gubernator urbis Corinthi; ut advertas, neque spes, neque dignitatem quempiam arcere a fide, vel a recta vita. *Alii interpretes ipsum passim quæstorem ærarium nominant. Quidquid sit, saltem ex his liquet, eum in dignitate civili fuisse constitutum.*

de quo quædam improbabilia

C 2 *Satis mirari nequeo, quomodo Græci in Menologio Basiliano ad diem* x *Novembris, quo* S. Erastum *cum aliis SS. Petri et Pauli discipulis colunt, apud Ughellum tomo* 6 *Italiæ sacræ col.* 1130, *sic de eo scripserint:* Ceterum Erastus, cujus in eadem epistola idem meminit Apostolus, primum Hierosolymitanæ ecclesiæ œconomus, deinde Paneadis episcopus fato concessit, *seu potius, ut Græce legitur,* in pace vitam finivit. *Quod hic de episcopatu Paneadis dicitur, postea examinabo. Nunc quæro, quo fundamento Græci asserant,* S. Erastum *fuisse* ecclesiæ *œconomum, cum doctissimus Theodoretus hæc S. Pauli verba diserte interpretetur hoc modo:* Non appellat eum ecclesiæ œcononomum, sed civitatis, ut cui curatio quædam prorsus credita fuerat. *Deinde quæro, qua verisimilitudinis specie dicant, eum ecclesiæ* Hierosolymitanæ *æconomum fuisse, cum probabilissimum sit, illum suo munere functum esse in ea civitate, ex qua S. Paulus epistolam ad Romanos scribebat. Porro Theodoretus, aliique illustres sacræ Scripturæ interpretes affirmant, hanc epistolamCorinthi scriptam esse. Audi Origenem, ceteris antiquitate præstantem, qui in præfatione ad memoratam Apostoli epistolam de hoc argumento ita disserit:* Etiam illud haud absurde admonebimus, quod videtur hanc epi- E
stolam de Corintho scribere, et aliis quidem pluribus indiciis, evidentius tamen ex eo, quod dicit: Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, ministram ecclesiæ, quæ est Cenchris. Cenchris enim dicitur locus Corintho vicinus, imo portus ipsius Corinthi. Et ex hoc ergo apparet de Corintho scripta, et ex eo quod dicit: Salutat vos Caius hospes meus. De quo Caio scribens Corinthiis commemorat dicens: Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium. Simile et deinde datur indicium, ubi dicit: Salutat vos Erastus ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως arcarius civitatis. De quo Erasto ad Timotheum secundam scribens dixit: Erastus remansit Corinthi. Ex quibus omnibus colligi certissima videntur indicia, quod de Corintho scripta sit. *Arbitror, his argumentis heteroclitam Græcorum opinionem satis convelli.*

tradunt Græci.

3 *Ex dictis etiam corruit fabella Pseudo-Dorothei, qui Sanctum illum inter septuaginta duos* F
Christi discipulos recenset, et in Coloniensi sanctorum Patrum Bibliotheca seculo seu tomo 3, *pag.* 149 *de ipso sic loquitur:* Mentionem etiam istius in ea, quæ ad Romanos est, *epistola* Paulus facit. Hierosolymitanæ ecclesiæ œconomus fuit: postea Paneadis episcopatum sortitus est. *Unde quidam Græci et Latini recentiores, hunc pseudographum incaute secuti,* S. Erastum *numero septuaginta duorum discipulorum adscripserunt. Inter alios Maximus Cytherorum episcopus in Vitis Sanctorum, vulgari lingua Græca editis, ad diem* x *Novembris de illo cum tribus sociis ita meminit:* Τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, Ῥοδίωνος, Σωσιπάτρου, Ἐράστου, και Κουάρτου. Sanctorum apostolorum ex septuaginta, Rhodionis, Sosipatri, Erasti et Quarti. *At quam veri speciem præ se fert hæc assertio? An a Christo electus in Judæa, quando erat œconomus civitatis in Achaia? An forte post Evangelii prædicationem cœpit profanum civitatis munus administrare? Videtur itaque discipulatus ille Græca affirmari fide. Vide, si placet, quæ ad diem* xv *Julii tomo* iv *istius mensis pag.* 17 *de septuaginta duobus Christi discipulis, ac Pseudo-Dorotheo duxi.*

4 *Posset*

AUCTORE G. C.

videtur deseruisse officium profanum,

4 *Posset hic institui quæstio, utrum* Erastus *post suam conversionem munus arcarii civilis administrare perrexerit. Videtur S. Chrysostomus innuere, quod istud officium retinuerit, dum homilia 32 in epistolam ad Romanos ita loquitur :* Non simpliciter *(Græce est* οὐχ ἁπλῶς, *quod hic commode* Non frustra *verti poterat)* adjecit QUÆSTOR ÆRARIUS CIVITATIS ; sed quemadmodum Philippensibus scripsit : Salutant vos, qui sunt ex Cæsaris familia, ut ostendat, Euangelii prædicationem magnos etiam tetigisse : ita et hic dignitatis hujus meminit, idem quod illic agens, et ostendens, neque divitias ei, qui attenderit, neque principatus curas, neque aliud horum quidquam impedimento esse. *Huic expositioni præter supra citatum Theophylactum favet Œcumenius in eadem Apostoli verba sic scribens :* Ejus posuit dignitatem, ut noveris, quod non divitiæ, non dignitas alicui sint impedimento ad recte vivendum aut credendum. *Nihilominus alii volunt, ipsum a Paulo vocari arcarium, eo* B *quod antea arcarius fuisset, sicut nos vulgo honoris causa consulum appellare consuevimus, qui aliquando consulatum gessit. Scriptor antiquus, quem Estius Pelagium fuisse putat, cujus commentarius in epistolam ad Romanos diu sub nomine S. Hieronymi delituit, et jam in editione Parisiensi anni* 1706 *inter spuria ejus opera rejectus est, tomo* 5, *col.* 974, *jam sæpe memorata Apostoli verba sic interpretatur :* Hic arcarium ex arcario dicit, sicut gentes, credentes ex gentibus, sæpe vocavit, secundum consuetudinem legis, quæ Abigail, uxorem Nabal adhuc appellat, cum jam illo mortuo, in David matrimonium transisset. *Quare Estius in hunc S. Pauli textum scribens ita concludit :* Neque enim Erastus, si quæstor adhuc erat Corinthi, quæ est Achaiæ civitas, versari poterat in Asia, et vacare Pauli negotiis, et ab eo mitti, quo ille vellet. *Mihi certe probabilius videtur, quod* Erastus *hoc officium deseruerit, vel alium suo loco substituerit ; quia non satis capio, quomodo administratio istius muneris consistere potuerit cum apostolicis illius viri excursionibus, de quibus jam pauca memorabo.*

quando a Paulo ad sacrum ministerium assumptus est,

5 *Cum* Erastus *probabilissime fuerit œconomus Corinthi, ut supra ostendi, videtur Christianam fidem amplexus esse, quando S. Paulus in ea ur-* C *be mansit, teste Luca in Actibus Apostolorum cap.* 18 ℣ II, annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei *: Tunc enim familia archisynagogi, ut ibidem* ℣ 8 *dicitur,* et multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur. *Tantopere autem fervens ille Neophytus in religione profecit, ut non diu post Apostolus eum in peregrinationis socium et sacri ministerii adjutorem adsciverit. Hoc postremum colligo ex iisdem Actibus, ubi cap.* 19 ℣ 22 *de Paulo narrantur sequentia :* Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. *Jam igitur* Erastus *Ephesi ministrabat Paulo, priusquam ab eo in Macedoniam mitteretur, et forte etiam antea eum comitatus fuerat in excursionibus apostolicis, quas Paulus, post moram unius anni et sex mensium Corintho discedens, instituerat. Hinc saltem probabiliter conjicere potui,* Erastum *non diu post conversionem suam ab Apostolo in laboris partem admissum fuisse, cum inter discessum Corintho et Ephesinam illam Pauli commorationem dumtaxat unius alteriusve anni spa-* D *tium intercesserit. Deinde* Erastus *rediit Corinthum, ubi certe erat, quando Paulus ibi epistolam ad Romanos scripsit, quos* Erasti *nomine salutat, ut supra ostensum est. Denique* Erastus *erat etiam Corinthi, quando Paulus non diu ante suum martyrium secundam epistolam ad Timotheum dedit, in qua cap.* 4 ℣ 20 *hæc habet :* Erastus remansit Corinthi. *Vix dubito, quin Sanctus ille Pauli adjutor interea plures susceperit expeditiones apostolicas, quamvis in sacris Litteris diserte non exprimantur. Atque hæc sunt, quæ de sancti hujus Viri gestis ex sacra Scriptura aut probabiliter elicere aut certo memorare potui. Reliqua, quæ de ipso traduntur, admodum incerta sunt, ut ex sequentibus apparebit.*

et a Latinis colitur ut præsul Philippensis ac Martyr ;

6 *Ado in libello de festivitatibus SS. Apostolorum Sanctum nostrum* VII Kal Augusti *ita refert :* Natalis Erasti, qui Philippis a beato Paulo episcopus relictus, ibi martyrio coronatus quievit. *Eadem habet Usuardus, nisi quod nomini ipsius titulum* sancti *præfigat, et eum per adspirationem* Herastum *appellet. Martyrologium Romanum modernum, mutato nonnihil Adonis* E *et Usuardi textu, illum sic annuntiat :* Philippis in Macedonia natalis sancti Erasti, qui illic a beato Paulo apostolo relictus episcopus, ibidem martyrio coronatus est. *Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum canonicorum hac die quibusdam fabulis Græcis, quas supra refutavi, annuntiationem sum ita contaminavit :* Philippis in Macedonia natalis S. Erasti, qui Hierosolymitanæ ecclesiæ œconomus, et sancti apostoli Pauli cum sancto Timotheo minister, verbi Dei prædicator, Corinthum adiit, et in Macedoniam remissus, Philippensis episcopus ibidem relictus, martyrio coronatus est ; et traditur ex septuaginta duobus Christi discipulus * fuisse. *At cur Ghinius non æque credidit Dorotheo, quem in margine citat, dum pseudo-scriptor ille cum aliis Græcis asserit,* S. Erastum *Paneadis episcopum fuisse, ut mox videbitur ?*

* *forte* discipulis.

sed a Græcis, ut episcopus Paneadis et confessor.

7 *Græci in ecclesiasticis suis Fastis die* x *Novembris annuam Sancti nostri memoriam celebrant. Imprimis Typicum S. Sabæ isto die illum cum aliis sic breviter refert :* Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Ὀλυμπᾶ, Ῥωδίωνος, Σοσιπάτρου, Τερττίου, Ἐράστου, καὶ Κουάρτου. Sanctorum apostolorum Olympæ, Rhodionis, Sosipatri, Tertii, Erasti et Quarti. F *Menologium, quod jussu Basilii imperatoris circa finem seculi* x *collectum est, habet eamdem annuntiationem ; sed deinde inter aliorum elogia de Sancto nostro hæc narrat :* Ὁ δὲ Ἔραστος, οὗ καὶ αὐτου ἐν τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ μέμνετω ὁ ἅγιος Παῦλος, οἰκονόμος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας γεγονὼς καὶ μετὰ ταῦτα ἐπίσκοπος Πανέαδος, ἐν εἰρήνῃ ἐτελειώθη. *Id est :* Erastus autem, cujus etiam in eadem epistola meminit sanctus Paulus, cum fuisset œconomus Hierosolymitanæ ecclesiæ, et postea episcopus Paneadis, in pace vitam finivit. *Eadem tradunt Anthologium, Romæ anno* 1598 *Græce impressum, Maximus Cytherorum episcopus in Græco-barbaris Sanctorum Vitis, aliaque Græcorum Menologia, quibus hic singillatim enumerandis supersedeo. Vides igitur, a Græcis coli* S. Erastum, *ut Paneadis episcopum et confessorem, quem Latini tamquam præsulem Philippensem ac Martyrem celebrant. Si sciremus, e quibus monumentis Basilius imperator Menologium Græcum colligi jusserit, aut si Ado indicasset (frustra in Beda, Floro, Romano parvo, et antiquioribus Martyrologiis memoria istius Sancti*

A *cti quæritur) ex quo fonte suam annuntiationem hauserit, facilius hæc lis inter Latinos et Græcos dirimi posset. Nunc vero judicium nostrum suspendimus, donec antiquiora instrumenta, forte alicunde eruenda, pro alterutra parte proferantur.*

AUCTORE G. C.

DE S. PASTORE PRESBYTERO

ROMÆ

P. B.

Sec. II CIRCA MEDIUM. *Cultus hodiernus ex Martyrologiis*

S*anctum hunc exhibet hodie nobis Martyrologium Romanum his verbis :* Item Romæ, sancti Pastoris presbyteri, cujus nomine titulis estat in Viminali apud sanctam Pudentianam. *De hoc* titulo *satis diximus in Commentario prævio ad Acta SS. Pudentianæ et Praxedis die* XIX *Maii. Baronius in annotationibus ad textum Martyrologii citatum hæc subdit inter alia :* Non tantum in veteri Romano Martyrologio, sed et in antiquis manuscriptis de ego agitur hac die. *At quodnam hic appellat vetus Romanum Martyrologium ? An Belinianum anni* 1498 *? Hoc certum, non agi hoc loco de Romano parvo seu veteri, quod Rosweydus edidit : istud enim nec visum a Baronio fuit, neque de* S. Pastore *meminit uspiam. Imo nec admodum vetus esse Romanum illud, quod in observatione Baroniana citatur, inde licet conjicere, quod annuntiatio* S. Pastoris *hodierna, ibi, ut asseritur, expressa, veterum Martyrologorum nulli innotuerit. Altum verte ad hunc diem in exemplaribus Hieronymianis, etiam sæpius auctis, de* Pastore *silentium ; tacent ad eumdem Beda, Florus, Wandelbertus, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus : ut adeo non videatur hac die ante seculum* X S. Pastoris *nomen ecclesiasticis cœpisse Fastis adscribi ; si tamen etiam tum cœperit : neque enim satis perspecta nobis est ætas sive codicis Vaticani, quem in auctariis Bedæ ac Flori citavimus hodie ante tomum secundum Martii, sive appendicum Usuardi a nobis editi, in quibus hoc die* S. Pastoris presbyteri et confessoris *memoria celebratur ; Florarium vero Sanctorum Ms., quod eum hodie sic annuntiat,* Romæ, Pastoris presbyteri et confessoris, *medio* C *circiter seculo* XV *exaratum est.*

et lectionibus Mss., a Baronio citatis :

2 *Sed neque* antiqua *illa* manuscripta *novimus, in quibus de* S. Pastore *agi hac die dicitur ; nisi vel auctaria jam laudata intelligantur ; vel unum illud manuscriptum, de quo in iisdem annotationibus Baronius asserit :* Habemus in nostra bibliotheca res gestas sancti Pastoris, seu potius panegyrim, in die natali ejus alicubi in ecclesia legi solitam. Est ejus exordium : Sanctorum vestigia *etc. Hoc enim nobis Romæ e bibliotheca Vallicellensi describi rogavimus, quod a tanto viro laudatum esset : sed adeo misere descriptum accepimus, ut mutando nonnumquam aliqua aut addendo compleri per conjecturam sententiæ debeant. Tum vero stylus, fallor, si longam sapit antiquitatem. Ipsa vero hujus panegyricæ orationis materia historiam Sancti modice ac raro attingit ; neque vel sic tamen satis eliciter. Dispescitur ad usum ecclesiasticum in lectiones novem ; quarum duæ priores prologum continent, omni, ut dici solet, et nulli convenientem : tertia hortatur ad imitanda* B. Pastoris *exempla, docetque, hunc fuisse nobili Romæ prosapia oriundum ; deinde Apostoli Pauli discipulum ; una cum Timotheo ; tum ab eodem Apostolo consecratum presbyterum ; multa passum sub Antonino imp., eruditum, animarum pastorem sedulum : quod postremum amplificatur enumeratione virtutum ad veri pastoris officium pertinentium, quæ simul omnes* Pastori *nostro tribuuntur, ne unius quidem facti singularis aut historici facta mentione, usque ad lectionem nonam : de quibus proinde hæc monuisse sufficiat : cum ad Acta illustranda nihil conferant. Nona autem lectio sic habet :*

quarum ultima tantum hic recitatur.

3 Igitur decet tanti Confessoris ac Sacerdotis Altissimi præclarum festum cum summa reverentia celebrare, fratres carissimi ; per quem E Deus multa fecit miracula, ut pro nobis exsistat intercessor pius : quem pia devotio Paulo Apostolo adeo carum et unicum conjunxit, quod in vico, qui dicitur Latericus, ecclesiam sui nominis consecravit. Hic Vir beatissimus multa corpora Sanctorum clanculo rapuit et sepelivit, fretus consilio et adjutorio SS. virginum Pudentianæ pariter et Praxedis : quarum corpora virginum honorificæ tradidit sepulturæ, et earum Vitam decenter conscripsit. Totum ergo tempus dum in hoc seculo vixit beatus Pastor, Deo se dicavit, et incessanter in illius obsequio perseverans, cunctis Romæ Christianis speculum se præbuit, illud adimplens, quod Dominus ait : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Igitur egregius Christi Pastor migravit ad gaudia polorum septimo Kalendas Augusti, Sanctorum omnium remuneratione illum ita vocante : Euge : Serve bone et fidelis ; quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui. Cujus corpus conditum est in supradicto titulo cum aromatibus : ubi usque in hodiernum diem Deus imperitur multa pro suis F meritis ac precibus beneficia : regnante Domino nostro Jesu Christo, cui laus, et honor, et virtus, et potestas cum Patre sanctoque Flamine per infinita secula seculorum. Amen.

Antiquiora agnitæ sanctitatis ejus monumenta.

4 *Quod hic dicitur S. Paulus Apostolus titulum* Pastoris *consecrasse, id, ipsomet* Pastore *teste, falsum est ; hoc enim S. Pio Papæ, non Paulo Apostolo, adscribitur in Actis SS. Pudentianæ et Praxedis. Conditum vero fuisse* S. Pastorem *in ecclesia tituli sui, ex hac forsitan historia, affirmat etiam Aringhus in Roma subterranea tom 2, lib. 4, cap. 43, num. 1 ; uti et Piazza in Sanctuario Romano ad hunc diem* XXVI *Julii. Videtur ergo aliud esse sancti cujusdam Pastoris, et quidem martyris, corpus, quod cum aliis recens inventum cum inscriptione nominis, Roma Bononiam ad nos translatum fuit anno* 1614, *die* XX *Aprilis. Nostri autem* Pastoris *nescio quid reliquiarum esse in monasterio, seu ecclesia, S. Silvestri de Capite Romæ, asserit Giacchettus in Historia Italica ecclesiæ ac monasterii ejusdem cap.* 13 *ad diem* XXVI *Julii.*

AUCTORE P. B.

Porro ad publicam S. Pastoris *nostri venerationem, non item ad hodiernam ejus celebritatem, asserendam facit etiam sigillum illud expressum in Commentario ad Acta SS. Pudentianæ et Praxedis, cum subjectis hisce versiculis :*

Sancte, precor, Pastor, pro nobis esto rogator.
Hic cunctis vitæ Pastor dat dogmata sacræ.

Ea Papebrochius noster ibidem referenda censuit ad seculum XII. *Eodem facit* inscriptio vetustissima, *quam exhibet Aringhus loco citato, num.* 3, *in qua fit mentio sacelli* sancti *hujus nostri* Pastoris. *Quid, quod et Ado illum hoc nomine Beatum agnovit? Sane de nostro agit in elogio SS. Praxedis et sororis ejus die* XXI *Julii, sic notans :* In titulo vero, quem pater earum Pudens nomine BEATI PASTORIS dedicavit *etc. Natalem illius tamen sub eo nomine neque hoc loco, neque* XXVI *ejusdem mensis, ut jam diximus, neque alio ullo die commemorat.*

Confusio SS. Pastoris et Hermæ,

5 *Id vero mirum nemini videri debet; cum eorum opinioni adhæserit Ado, qui* S. Pastorem *cum S. Herma illo confuderint, cujus apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit, quique auctor esse creditur libri, qui Pastor inscribitur.* B *Confusionem hanc aperte prodit in Libello de festivitatibus Apostolorum, quem Martyrologio ejus præfixum habes, pag.* 36; *ubi ad diem* IX *Maii, quem S. Hermæ natalem statuit,* Titulis, *inquit,* nomine ipsius, juxta quod baptisterium ex facultatibus sanctæ Praxedis est exstructum, et beato Pio, discipulo Apostolorum, operante studio consecratum, venerabiliter ei statutus est. *Eadem hæc est ecclesia sive titulus, quem paulo ante* beati Pastoris *nuncupabat : beatum ergo* Pastorem *cum S. Herma eumdem facit, eumdemque adeo diem utriusque natalem; quamquam in natali solum nomen Hermæ diserte exprimat, non* Pastoris. *Adonis exemplo eosdem Sanctos in Annalibus ad annum Christi* 159 *confudit Baronius; non item diem utriusque natalem in Martyrologio aut notis ad illud : cum tamen alterum ex altero consequi debeat; ut idem sit dies obitus, si Sanctus est idem; aut Sancti diversi, si diversi natales.*

pugnat cum diverso utriusque natali, et ætate,

6 *Nimirum* S. Pastoris *nomen nusquam vir maximus consignatum legerat die* IX *Maii; sed constanter Hermæ; sicuti nec die* XXVI *Julii uspiam* C *apud Martyrologos occurrerat nomen Hermæ, sed* Pastoris *tantummodo; non ausus est ergo in moderno Martyrologio concinnando apriorum exemplarium consensu ac fide, per usum ipsum Ecclesiæ Romanæ haud dubie antiquum firmata, recedere : atque ita S. Hermæ natalem a natali* S. Pastoris *discrevit non in ipso Martyrologio solum, sed etiam in annotatonibus ad utrumque natalem adjectis; in quibus neque de* Pastore *meminit die* IX *Maii, neque* XXVI *Julii de Herma. Cur igitur eodem argumento non est usus in Annalibus? Maxime cum ad illud etiam aliud accederet, haudquaquam profecto levius, quod a* S. Pastoris *ætate desumitur, qui saltem juxta Eminentissimum Annalium conditorem, annum Christi* 164 *vivendo prætergressus est. Quis vero sine evidenti demonstratione credat, S. Hermam, qui jam utique maturæ vir ætatis fuisse consendus est, cum eum Apostolus per Epistolam ad Romanos juberet salutari, solido post Pauli obitum seculo superfuisse? Hæc certe una de causis est, ob quas Hermen, S. Pii Papæ I, ut est in Catalogo Pontificum Bucheriano, fratrem ac* S. Pastoris *æqualem, distinguendum putavit Card. Bellarminus, eumque secuti deinceps eruditi, a S. Herma Apostoli discipulo, et libelli, qui Pastor appellatur, auctore.* D *Denique non videtur ipsi Hermæ nomen* Pastoris *fuisse proprium, sed libro ejus, ut modo dicemus : fac tamen, ex libro cognomentum Pastoris adhæsisse scriptori; an credi tandem poterit idem deinde auctor tantopere Pastoris cognomento delectatus fuisse, ut proprium Hermæ, quod esset ab Apostolo consecratum, abjiceret? Valere hæc ratio debet, apud Baronium quidem, qui epistolam probat, exhibetque ad annum* 162, *solo* Pastoris *nomine inscriptam.*

imo etiam nomine.

7 *Alium ergo* S. Pastorem, *alium S. Hermam fuisse censemus, et hunc illo seniorem; tollendamque proinde utriusque confusionem, ab Adone profectam; quam is forsitan ex ambiguis Eusebii verbis arripuerit, qui de S. Herma loquens Hist. eccles. lib.* 3, *cap.* 3, Οὔ φασιν ὑπάρχειν, *inquit,* τὸ τοῦ ποιμένος βιβλίον, cujus aiunt esse librum Pastoris; *unde pronum est colligere,* Pastoris *non libri nomen, sed auctoris esse : sic Ado facile Hermam et* Pastorem *pro eodem accceperit. At enim amphiboliam hanc tollere debuerat tum ipsius libri adhuc extantis inscriptio, tum S. Hieronymi, eodem prorsus modo illum inscribentis, testimonium lib. de Scriptoribus eccles.* E *cap.* 10 : Herman .... asserunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor; *quæ proinde genuina censeri potest Eusebiani textus interpretatio, quam recte secutus est Valesius, cum adducta Eusebii verba sic vertit :* Cujus esse fertur is liber, qui Pastor inscriptus est. *Pastor igitur appellatur non Hermas, sed Hermæ liber, quod angeli sub habitu pastoritio apparentis revelationes contineat. Quid igitur* S. Pastori *cum S. Herma commune? Ne nomen quidem : quamquam et hoc pluribus idem esse possit; qui hac sola ratione minime confundi possunt : ut nemini hactenus in mentem venit* B. Pastorem *nostrum presbyterum, eumden cum illo statuere, de quo fit mentio in Actis SS. Marii, Marthæ et filiorum ad diem* XIX *Januarii pag.* 216; *tametsi et Romæ is fuerit, et* beatus Pastor presbyter *nuncupetur, centum tamen circiter annis nostro junior.*

Unde sit nata confusio S. Pastoris cum Hermete.

8 *Propendit eo insuper idem doctissimus auctor Annalium ad annum Christi* 159, *ut eumdem quoque cum Sancto Herma et* Pastore *Hermetem esse crederet, S. Pii Pontificis Romani fratrem :* F *tametsi de illo se fateatur ambigere. Opinionis hujus fundamentum duplex putavit esse; alterum, quod voces Hermas et Hermes parum adeo differre viderentur, ut nonnumquam eidem viro legerentur attributæ; alterum vero, quod apud Anastasium Bibliothecarium sub S Pio Papa I de Hermete referatur :* Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu pastoris, et præcepit ei, ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur. *Similitudo nomine, et apparitio angeli, sub habitu pastoritio librum dictantis, eumdem Baronio visa sunt scriptorem arguere Hermam et Hermetem, atque adeo et* Pastorem, *quem cum Herma confundit. Tantum in eo hæsit, quod in Hermæ Pastore non agatur de Pascha die Dominica celebrando; tum, quod scriptus is fuerit dudum ante tempora Pii Papæ. Itaque eo tandem delabitur;* ut dicere necesse sit (si velimus unum eumdemque esse auctorem) diversos hos inter se fuisse commentarios, diversis temporibus scriptos. *Sed quoniam* S. Pastor *noster eatenus tantum cum Hermete confunditur, quatenus ipse Hermes cum S. Herma : nihil opus est diremptam jam diu controversiam*

AUCTORE P. B.

A troversiam hic denuo suscitare. Eumdem non esse S. Hermam et hunc Hermetem, ostendit, ut monui, Bellarminus aliique post illum, quos inter consuli possunt Tillemontius tom. 2 Monum. eccles. pag. 521, Nicolaus le Nourry in Apparatu ad bibliothecam maximam veterum Patrum, dissert. 4, art. 2, Ambrosius Gardebosc in historiæ ecclesiasticæ Synopsi tom. 1 part. 5, lib. 3, dissert. 1, quæst. 1.

Præcipua, quæ de S. Pastore sciuntur, scripsit ipsemet in Actis SS. Pudentianæ et Praxedis;

9 Quod ad Acta pertinet S. Pastoris, nihil admodum certi superest. Continentur ea præcipue in Actis SS. Pudentianæ et Praxedis, quæ dedimus ad diem XIX Maii, quo lectorem remitto. Scripta sunt ipsius Pastoris nomine (Pastoris, inquam; non Hermæ Pastoris, ut habet Baronius an. 159, num. 8;) neque sane recentia sunt; quando et in codicibus Mss. perantiquis, iisque bene multis, leguntur; imo jam lecta sunt olim seculo nono ab Adone; ut in ejus Martyrologio videre est die XIX Maii, XX Junii, XXI Julii in elogiis S. Pudentianæ, S. Novati, et S. Praxedis. Ceterum sincera prorsus ea non esse, sed hic illic interpolata, ultro nos ipsi haud obscure in Commentario prævio, et annotatis confessi sumus; at omni omnino fide indigna reputari debere, nondum nobis persuasit Tillemontius tom. 2, nota 5 in S. Pium Papam: ut enim minutias prætercam, quam ibi congerit, ut voces Actorum aliquas et phrases carpat, tamquam seculo secundo non usitatas, vel tempori, quo scripta feruntur Acta, nequaquam accommodatas (nam quid illæ, tametsi adulterinas omnes esse demonstraret Tillemontius, quod non facit, Actorum substantiæ usque adeo incommodarent?) ut illas, inquam, omittam, argumenta ejus præcipua, et in totam Actorum illorum fabricam fidemque directa, id nequaquam, quod jactat, evincunt. Quot ut perspicias, Acta ipsa consule: invenies, ea fere contineri duabus epistolis, quarum prior est Pastoris ad Timotheum, altera Timothei ad Pastorem. Utramque suppositam auctoribus inscriptis, imo vero ineptam esse, contendit adversarius.

B

quæ Tillemontius probare quidem potuit,

10 Priorem hoc imprimis telo subverti putat, quod a scopo propositoque Pastoris toto cœlo abludat: Christianus enim, inquit, quidam obierat, Novatus nomine, qui facultates suas paulo ante commiserat Pastori nostro, et virgini Praxedi, se mortuo dispensandas. Scribit id Timotheo, Novati defuncti germano, Pastor; eumque consulit, quid bonis relictis faciendum censeat. Esto sane. Quid tum postea? Hoc autem, inquit, verbo tantum uno postulat Pastor, idque in duobus extremis epistolæ satis longæ versiculis; reliqua vero omnia non eo solum tendunt, ut morbum ac mortem explicent Novati (id quod ratione consonum videri poterat;) sed etiam eo, ut in medium proferant quidquid post obitum SS. Pudentianæ et Pudentis Praxedes a biennio gesserat. Quid hæc ad Timotheum; quid ad litteras attinebant, quibus frater de fratris obitu docendus erat? Ita ille. Respondeo, aptissima mihi videri ad rem præsentem quæcumque de S. Praxede Timotheo narrat Pastor; ineptam vero, quæ iis objicitur, Tillemontii crisim. Quid enim? Heredes Novatus Pastorem scripserat et Praxedem, externos, ut ponimus, homines, inconsulto ac præterito fratre Timotheo. Res esse poterat obnoxia difficultatibus, nisi cum bona fratris gratia cerneretur hereditas: hujus igitur assensu heredibus opus erat. Cedo ergo, quo pacto is ex Timotheo, qui presbyter erat et vir sanctissimus, extundi fortius poterat, quam si tales ei natalibus, vita, virtutibus, rebusque gestis depengerentur heredes, ut prorsus intelligeret, quidquid iis relictum esset, id ita collocatum videri oportere, quasi in ipsius Dei, ut ita loquar, vel ecclesiæ manus consignatum esset? Hoc ergo agit Pastor, cum S. Praxedis gesta S. Timotheo explicat, tantoque id agit ad rem suam opportunius, quanto copiosius. De se enim dicere nihil debuit, qui Timotheo dudum esset notissimus: quamquam neque de se, quoad ferebat modestia, tacuit.

C

esse hic illic interpolata;

11 Leviora sunt, quæ subjicit Tillemontius et in eamdem intorquet epistolam: Neque hoc, inquit, video, cur Pastor Timotheo narrat res ante annum præteritas non solum de S. Pudente et utraque ejus filia (de qua re jam satis, opinor, diximus;) sed etiam de fratre ejus Novato: nam si vel in extremis imperii finibus egisset Timotheus, an per annum totum nihil de familia rescivisset? Respondeo, id rarum non esse, ut fratres, etiam parum inter se habitatione distantes, a frequenti litterarum commercio alieni sint. Concedamus hic tamen aliquid Tillemontio: sciverit vel ex Novati vel ex aliorum litteris Timotheus pleraque omnia, quæ frater egisset. An non sæpe eadem nuntiari possunt a diversis? An non hic justissima Pastori causa erat eorum saltem refricandi memoriam, quæ Novatum inter et Praxedem intercesserant, unde disceret Timotheus, munificum fratris in illam animum non aliunde exstitisse, quam ex sanctissimis officiis divinisque rationibus? Quod addit adversarius, mirum videri, nullam huic epistolæ præmitti urbani ac liberalis officii significationem, nullum prologum, sed ab ipsis statim rebus ordiri sermonem; id vero ne refutatione quidem dignum apparet. Nimirum ea queritur abesse, quæ parerga prorsus fuissent; ea vero abundare contendit, quæ ad rem, quam agebat Pastor, unice faciunt. Urbana est hæc et sufficiens in epistola gravi præfatio: Pastor presbyter Timotheo presbytero salutem. Atque hæc sunt, quibus Pastoris epistolam universim impetit acutus hic censor.

E

at non omni prorsus fide indigna.

12 Alteram epistolam, quæ Timothei est, his tantum verbis aggreditur: Litteræ, quibus Pastori respondit Timotheus, nihil etiam eorum habent, quæ quis illi diceret, a quo sibi de fratris obitu renunciatum esset. Requirit hic, opinor, lamenta fratris, aut aliquid certe ejusmodi. Sed quæro, unde constet, hæc a Timotheo in eadem epistola non fuisse scripta, tametsi prætermissa hic sint a Pastore, ac studio potius rescissa, quod ad historiam SS. Pudentianæ et Praxedis nihil quidquam conferrent? Id quod etiam in priori epistola fieri ex industria potuit. Suadet id mihi vel maxime, quod neutra hæc epistola seorsim scripta reperitur, sed conjuncta tantummodo cum Actis sanctarum, quas dixi, Virginum; ita ut eorum partem longe maximam faciant, et paucula iis ab ipso Pastore, ad complendam Actorum narrationem adjiciantur. Historici enimvero scriptoris est, non integra ubivis instrumenta proferre, sed resectis parergis, eos tantum ex illis textus, qui in rem suam sint, fideliter exhibere. At enim, inquis, si epistola mutilata est, ut quid ei præfigitur totius epistolæ inscriptio, Timotheus presbyter etc.? Respondeo; ut lectori, constet, ex quo monumento narratio deprompta sit. Et ita in variis codicibus nostris membraneis, in quibus Acta S. Praxedis, non item Pudentianæ, traduntur, posterior tantum et minor pars affertur epistolæ Pastoris cum ceteris

F

AUCTORE P. B.

ceteris, quæ sequuntur in Actis a nobis editis a numero 5 *: cum tamen isti laciniæ totius epistolæ præmittatur inscriptio; id quod etiam observare licet apud Emin. Baronium ad annum Christi* 162 *; quamquam, ut ipse eam dedit, videri possit epistola absoluta et integra ; cum in omnibus codicibus nostris Mss. appareat, partem tantum esse a præcedenti textu avulsam, et ad illum referendam : alii sic ordiuntur :* Virgo Christi Praxedes habitavit in EODEM titulo, vehementer affligens se *etc. alii sic :* Virgo venerabilis Praxedes habitavit in titulo SUPRADICTO afflicta propter transitum germanæ suæ etc. *Sed quid ego hic plura? Patet hinc satis, ut arbitror, quam debiles Tillemontii sint insultus, ut Acta jam dicta non modo interpolata ostendat esse, quod ultro admiseramus, sed* omni etiam omnino fide indigna.

ac fuerit S. Pii PP. frater; tum quando obierit.

13 *Nescio, an puriores sint fontes, unde cetera, quæ de* S. Pastore *pauca dici possunt, hauriuntur. Fratrem fuisse S. Pii Papæ, docet Anastasius Bibliothecarius, Actis jam citatis, ex quibus contrarium potius videtur posse colligi, recentior : sequuntur hic illum interea Martyrologii* D *codices unus et alter, inter Usuardi nostri auctaria relati. Vereor, ne sit hallucinatio Anastasii, inde nata, quod* Pastorem *confuderit cum Herme- te, qui in vetustissimo Pontificum catalogo Pii frater appellatur. De ætate Sancti nostri nihil invenimus. In epistola secunda Pii Papæ I ad Justum episcopum Viennensem legitur :* Presbyter Pastor titulum condidit, et digne in Domino obiit. *Dicendus ergo esset obiisse sub S. Pii Pontificatu, adeoque versus medium seculi secundi ; si stari posset hujus epistolæ auctoritate ; quod addo, quia quantumvis Baronius sinceram illam esse judicet in Annalibus ad annum* 166, *id tamen alii quidam non probant, teste Labbeo nostro tom.* 1 *Conciliorum col.* 576*; Tillemontius supposititiam esse multis rationibus conatur ostendere Monum. eccl. tom.* 2,*nota* 4 *in S. Pium ; et ut alios plures omittam, inter adulterinas Pontificum Romanorum epistolas eam retulit nuper Petrus Coustant in appendice ad tomum* 1. *Epistolarum Romanorum Pontificum col.* 18 *et sequenti.*

E

B

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

SYMPHRONIO, OLIMPIO, EXSUPERIA ET THEODOLO

Ex Actis S. Stephani Papæ martyris.

J. B. S.

CIRCA AN. CCLVI

Pro Actorum diversitate

N*on soli sunt hi sancti Martyres quos suggesserunt laudata S. Stephani Papæ Acta, Baronio magis probata quam secutis subinde criticis, varios in iis nævos animadvertentibus, de quibus jam pridem paucula in ordine ad verum martyrii diem præmonuimus in observationibus ad Usuardum hoc die, quo cur referantur, non alia apparet ratio quam quod is qui eos primus annuntiavit, auctor Romani parvi vitiata Acta secutus sit, qualia leguntur apud Mombritium tomo* 2, *fol.* 274, *ubi relato sanctorum Nemesii et filiæ Lucillæ martyrio* VIII Kalendas Septembris, *immediate subsequentem nostrorum hic pugilum triumphum, male, ni fallor, toto citius mense, signat his verbis :* Eadem namque nocte adveniens Stephanus episcopus cum clericis ac religiosis, post dictos ex more hymnos, eorum corpo- C ra abstulerunt, et sepelierunt, juxta viam Latinam, milliario primo, septimo Kalendas Augustas : *ubi legendum putamus* VII Kalendas Septembres, *tametsi eos Martyrologus iste celebret* II *Nonas, seu* IV *Decembris, hoc modo :* Romæ, Symphronii et Olympii, Exsuperiæ et Theodoli, die VII Kalendarum Augusti passorum : a beato Xysto via Latina II Non. Decembris translatorum, quando eorum festus dies celebrior agitur.

variis diebus notati,

2 *Atque hinc orta tota ea, qua de ad Usuardum egimus, confusio, dum Ado Romanum parvum secutus, Sanctos istos* IV *Decembris retulit ; scrupulosior Usuardus ipso natali die, quamquam perperam ibi notato, consignandos putavit : unde in totam ejus progeniem ipsumque Romanum hodiernum Sanctorum istorum natalis propagatus est, contra quam scripserit Baronius ad annum* 259, *ubi a num* 26 *nostrorum Martyrum Acta referens, quæ ex ipso desumpsit Surius. sic disertissime scribit :* Quorum corpora, a clericis noctu sublata, cum hymnis ex more, a Stephano Episcopo sepulta sunt pridie Kalendas Novembres : *unde et ad* XXXI *Octobris agens de S. Nemesio hæc Martyrologio Romano expressis verbis inseruit :* Quorum corpora a beato Stephano Papa sepulta, deinde a beato Sixto via Appia hac die honestius tumulata, Gregorius V in diaconiam S. Mariæ Novæ transtulit, una cum sanctis Symphronio, Olympio tribuno, Exuperia ejus uxore et Theodulo filio, qui omnes Symphronii opera conversi, et ab eodem S. Stephano baptizati, martyrio coronati fuerant. Quæ Sanctorum corpora, Gregorio XIII summo Pontifice ibidem inventa, sub altari ejusdem ecclesiæ, honorificentius collocata sunt sexto Idus Decembris.

hoc die ab Usuardo signati sunt.

3 *Si verba illa,* hac die honestius tumulata, *etiam ad* S. Symphronii *et sociorum corpora referantur, censendum haud dubie clausulam illam* F pridie Kalendas Novembris, *Passioni quam profert Baronius, fuisse superadditam Neque sic tamen res componitur, nisi fateamur,* S. Symphronium *et socios, æque ac S. Nemesium cum filia uno tempore passos fuisse, ut satis clare innuunt Acta, adeoque circa finem Augusti* VIII *et* VII *Kalendas Septembres : occasione vero factarum translationum, hos ad* XXXI *Octobris, illos ad* IV *Decembris consignatos fuisse, ab Usuardo ex Adonianis Actis ad hanc* XXVI *Julii perperam retractos. Acta illa alia quæ ex Lipomano sub Metaphrastis nomine Baronianis subjunxit Surius, neque istis, neque Mombritianis aut aliis plane concordant, neque diei notam apponunt, ut in his certe consonantiam merito sint desideraturi, qui prædicta Acta paulo severius excutient : de ipso anno martyrii, ut is apud Baronium indicatus est, non minores difficultates objecturi, ut alia taceam quæ ad secundam diem Augusti, dum de S. Stephano Papa agendum erit, observari, neque satis obvie solvi poterunt.*

4 *Parum interesse censemus, unde Sanctorum nostrorum*

A *Corpora Romæ ad S. Mariæ Novæ.* *nostrorum gesta et Passio accipiantur. Apud Mombritium non nihil luxata et involuta sunt; in Annalibus ecclesiasticis paulo puriora, uti et in editione Surii, cum qua Mss alia conferre, operæ pretium non censuimus, munere nostro nos functos existimantes, dum quæ ad gloriosos Martyres pertinent, ex vetustiori Legenda, quæ Adoni præluxit, decerpimus, ubi omnia satis accurate describuntur, quibus ipsorum illustre certamen abunde elucescat. De sacrarum reliquiarum depositione, translationibus et elevationibus, ipsarumque constanti hodiedum religioso cultu, jam ex Martyrologio Romano satis dictum est; eadem ferme recitant Pancirolius, Floravantes Martinellus et Piazza, ubi de S. Mariæ Novæ ecclesia meminerunt. Si plura cubis, adisis Aringhi Romam subterraneam, tomo* 2 *pag.* 8 *a num.* 3, *et recentius Boldetti opus de Romanis sanctorum Martyrum cœmeteriis pag.* 97. *En modo Adonis elogium.*

B *Symphronii in fide constantia* 5 Romæ, natale sanctorum martyrum Symphronii et Olympii, temporibus Valeriani et Gallieni Imperatorum. Horum unum Symphronium creditarium beati Nemesii, sibi præsentatum Valerianus jussit tradi Olympio tribuno, ut ab eo facultates Nemesii requireret, sub pœnarum examinatione. Præsentatus ergo Olympio, et ab eo interrogatus, respondit: Si facultates quæris Nemesii domini mei, jam eas Christo tradidi, quoniam ipsius fuerant, et erunt. Si autem sacrificium offerre me compellis, sacrifico, sed Christo Jesu Domino meo sacrificium laudis et confessionis, cui se obtulit et dominus meus Nemesius. Tunc ira repletus Olympius, fecit eum extendi in catasta, atque fustibus mactari, deinde simulacrum Martis aurem una cum tripoda ferri. Quod statim ad verba Symphronii resolutum est.

Olympium cum uxore et filio convertit, 6 Videns autem Olympius, cœpit admirari, et veniens ad uxorem suam Exuperiam, indicavit ei, quomodo in nomine Dei sui Symphronius simulacrum Martis liquefecisset. Eadem vero nocte venientes cum filio unico nomine Theodulo, prostraverunt se ad pedes Symphroni, agentes pœnitentiam; et baptismum salutis exposcentes. Evocatus itaque beatus Stephanus pontifex, venit noctu ad domum Olympii, et catechizatum baptizavit; uxoremque ejus Exuperiam ac filium Theodulum, et quotquot crediderunt in domo Olympii. Quod ut audierunt Valerianus et Gallienus, nimio furore accensi, jusserunt Symphronium sibi præsentari, missisque militibus, adduxerunt eum vinculis ferreis oneratum, nudumque ac capistratum, simul et Olympium cum uxore sua, et filio Theodulo. Gallienus itaque dixit Olympio: Adhuc quidem differo pœnarum tibi inferre supplicia, quia de tua conscientia dubius non sum, quod nequaquam deseras deos semper adorasti, et alios compellebas adorare: nam et tormentis multis persequebaris usque ad effusionem sanguinis, qui non præberens consensum sacrificare diis nostris Olympius respondit: Ego quidem feci non quasi Olympius, sed quasi impius et crudelis. Pro quibus commissis pœniteo, et effundo lacrymas amaritudinis in conspectu ejus, cui credo, Deo vivo E et vero, Patri, et Filio, Spiritui sancto; ut dignetur mihi remittere iniquitatem, quam exercui in sanguine Sanctorum ejus, quem feci effundi.

qui omnes martyrium subeunt. 7 Tunc data est sententia, ut igne consumerentur. Ducti sunt itaque ante statuam solis juxta amphitheatrum, fixisque stipitibus, et ligatis manibus devincti sunt, et in sarmentorum spinarumque congerie ignis suppositus. Statimque in ipso ignis initio; gratias Christo Domino decantantes, emiserunt spiritum. Relictis autem corporibus eorum, milites abierunt. Adveniens autem sanctus Stephanus episcopus cum clericis ac religiosis, et hymnis ex more redditis, abstulerunt corpora martyrum Symphronii, Olympii, Exuperiæ ac Theoduli, et sepelierunt juxta viam Latinam milliario primo, sub die septimo Kalendarum Augusti. Translata vero a beato Sixto Pontifice, celebrem diem fecerunt secundo Nonas Decembris.

C

DE S. HYACINTHO MARTYRE

F

ROMÆ IN PORTU

J. B. S.

XXVI JULII. *In Romano parvo signatus est, ab Adone elogio ornatus* *Ita Sanctum annuntiat, qui de ipso primus egit, austro Romani parvi, quemadmolum hoc die ad Usuardum observavimus, ubi inter cetera quæ in Actis dantur, notanda venit positio;* Romæ in Portu. *Aliquam ejus passionis historiam seculo saltem* IX *exstitisse oportet, ex qua Ado elogium suum desumpserit hoc modo conceptum:* Romæ in Portu, S. Hyacinthi sub consulari Leontio, Luxurio pirmo civitatis Tarracinæ tradente. Qui missus in ignem, nullo modo lædi potuit: inde præcipitatus in validissimum torrentem, incolumis ejectus est ad littus. Nuntiatur hoc consulari Leontio, et misit spiculatorem cum militibus, ut eum comprehensum gladio ferirent. Tunc quædam matrona religiosa, nomine Julia, veniens nocte cum servis suis, collegit corpus ejus, et cum honore sepelivit in prædio suo juxta urbem Romam, VII Kal. Augusti. *Hæc totidem verbis ex Viennensi descripsit Notkerus, in compendium ab Usuardo contracta, ut suo loco notavimus, sic ibi legitur:* Romæ in Portu, sancti Jacincti martyris, qui primo in ignem missus, inde in validissimum torrentem præcipitatus, illæsus evasit: post hæc a consulari Leontio gladio percussus, vitam finivit.

ex Actis non satis sinceris 2 *Atque illud, quidem Adonis elogium tale agnoscimus, ut vel tum non satis sincera fuisse Acta, fateri necesse sit. Quid enim Luxurio,* primo civitatis Tarracinæ, *cum* Portu Romano? *An quod Tarracina eo Martyrem adduxerit? At in Acta non insinuant. Quomodo* Julia matrona *Romæ Martyrem sepelit, qui in Portu Romano capite plexus supponitur? Rectius forte suggerit Equilinus,* juxta ipsam civitatem Tarracinam in suo prædio sepelivisse: *utpote cujus Martyris reliquiæ nullæ Romæ sciantur inventæ: verum et ibi Portus Romanus cum Terracina non satis recte conjungitur. Aliam difficultatem præbet addita in Martyrologio Romano nota temporis non minus controversa, dum ibi sic formatur annuntiatio,*

AUCTORE J. B. S.

annuntiatio, ut sub Traiano imperatore *gladio percussus asseratur* S. Hyacinthus *: quæ nota neque in Actis neque in antiquoribus istis elogiis usquam expressa legitur, adjecta a Baronio ex ea opinione, quam in Annalibus etiam tuetur ad annum* 100 *num.* 12, *ubi plures eodem tempore Martyres passi inferuntur, de quorum vera ætate satis certo hactenus non constat.*

quorum tamen vera est substantia.

3 *Alia insuper memorant Acta ipsa apud Surium, quæ ornatus gratia ab interpolatore inserta fuisse, fallor, si primo intuitu non observet, qui in similibus examinandis vel modice versatus est. Habemus ipsa Mss. ex codice Ultrajectino S. Salvatoris collata cum Audomaropolitano et Valcellensi, quæ in pluribus aliis codicibus exstant, eadem prope phrasi, in qua tantillum corrigenda non magnopere peccavit Surius, cum a qualicumque ea mutatione nullo modo pendeat tot adjunctorum veritas, quam frustra in iis Actis requiras. Jam de loco diximus, quem determinare equidem non ausim : item de imperatoris Traiani tempore, cui nequaquam quadrat, quod* domini
B nostri imperatores jusserint. *Tuto dixeris, acceptum id fuisse ex Actis aliquibus, ad posteriora tempora, dum bini simul imperarent, spectantibus.* Luxurii *nomen et feralis historia etiam aliunde accersita sunt, ut jam cetera scrupulosius non discutiamus. Salva sit nobis et sufficiat martyrii ipsius substantia ex tot sacris Fastis abunde comprobata : nequid tamen hic a nobis exaggeratum existimes, tute Acta ipsa maturo judicio expende. Quæ de S. Hyacinthο hoc die scripsit Tamayus, referri non merentur.*

ACTA

Ex Surio.

Post insignem fidei professionem damnatur

Sanctum Hyacinthum Luxurius tradidit Leontio consularii. Eum ergo intromissium sub præconis voce interrogavit Leontius : Ecquis vocaris ? Respondit ille : Hyacinthus dicor. Leontius consularis ait : Servus es, an ingenuus ? Hyacinthus dicit : Servus sum. Consularis Leontius ait : Cujusnam ? Hyacinthus respondit : Domini mei Jesu Christi. Leontius dixit : Domini nostri imperatores jusserunt, ut qui nolint
C sacrificare diis, eos diversis pœnis et suppliciis afficiamus. S. Hyacinthus ait : Pœnæ vestræ diversæ esse possunt, æternæ esse non possunt. Ita- D
que cum non tam diversa ego supplicia timeam, quam æterna, nec te audio jubentem, nec tuum principem comminantem. Hodie enim ira vestra et exardescit et evanescit : et cum eritis vita functi, deinceps nihil eritis. Tum Luxurius exclamans, dixit ad Leontium ; Audis Hyacinthum cum principum injuria verba jactantem, et adhuc cessas eum pœnis subdere ? Leontius consularis respondit : Ecquænam in eum ferenda sententia est ? Luxurius ait ; ut comburatur igni, et deinde corpus ejus in torrentem præcipitetur. Beatus Hyacinthus dixit : Me quidem igne concremasti *, at aqua, quæ me regeneravit, quasi filium suum ex se renatum suscipiet : ipsaque mox martyrem me efficiet, quæ prius fecit Christianum. Te autem, Luxuri, hodie comedet coluber, ut cognoscat omnis hæc regio, quod vindicet Deus sanguinem servi sui, quem tu jussisti ignibus concremari, et pro tua libidine in aqua jactari.

* *lege* concremabis

et Luxurio, a colubro interfecto, capite plectitur.

2 Cum ergo in ignem missus esset beatus Hyacinthus, illo quidem die nec ignis, nec aqua illi potuit prævalere : sed confestim extinctus est ignis : aqua vero, in quam conjectus fuit, E
ad littus incolumem ejecit, in quo Luxurius jacebat, totus inflatus ab ictu serpentis. Equo enim sedens, solus properabat ad sumendum prandium in villa. Cumque arborem præterveheretur, inter collum et capitium tunicæ ejus coluber illapsus, ventrem ejus suis morsibus laceravit, ad cor ejus pertingens. Jacens vero ita tumefactus, priusquam spiritum redderet, vidit oculis suis juxta aquas deambulantem Martyrem Christi, et ita psallentem : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Nunciantur hæc consulari Leontio, et ille mittit spiculatorem cum permultis, militibus ut eum comprehendant, capitalem in eum sententiam subito pronuntians. Duxerunt ergo eum milites non longe ab urbe, illicque eum gladio percusserunt. Perro matrona quædam religiosa; Julia nomine, veniens ad urbem Romam, nocte cum servis suis collegit corpus ejus, et imprimis honorifice sepelivit in prædio suo, quod erat in eodem loco : ubi etiam cubiculum sibi construxit juxta sepulcrum beati Martyris : ubi consequuntur beneficia omnes credentes in Christum : qui regnat in secula seculorum, Amen. F

DE SANCTIS MARTYRIBUS LAODICENIS

JOVIANO, JULIANO, EMILIO, FELICE, MARCIANO, MAXIMA

SATURNINA, GLORIOSA ET ALTERO EMILIO

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XXVI JUL.

Observat hoc die Florentinus, Laodiciam Phrygiæ Pacatianæ metropolim, multorum Martyrum feracem fuisse ; id quod ex Actis nostris satis manifestum est. In hac urbe, *inquit,* sacrorum pugilum decumanum chorum indicant codices nostri, Corbeiense vero Martyrologium non nisi novem producit, præterito nimirum Pantaleone. *Recte, opinor, cum* Pantaleo *iste in aliis codicibus hoc die plane ignotus sit, neque sane huc pertineat. Textus noster ex Corbeiensi ferme descriptus est, cum hac sola differentia, quod* Martiniani *scribat, pro quo alii constanter* Martiani *habent, vel* Marciani ; *in vetustissimo autem Epternacensi omissa sit* Saturnina, *quam vel*

in

A *in contractis codicibus signari certum est, ut in aliquo etiam observavit Holstenius. Notkerus codicem secutus est in quo* Saturnini *legerit, atque item unum solum* Emilium, *cui melius, ni fallor, codices nostri alterum adjungunt quemadmodum in titulo expressimus.*

Inter contractos codices Richenoviensis nomina omnia retulit, sed mutato in multis sexu, additoque nescio quo Mociano, *de quo nihil alibi hoc die invenias. At nullus corruptior textus videtur eo, quem efformavit codex Augustanus his verbis :* Joviani, Juliani, Emelii, Marciani, Adriani, Mittianæ, Laodiciæ et aliorum XXIV. *Mutilos alios non enumero, qualem jam olim secutus est Rabanus, nisi pro suo arbitrio nomina solum aliqua decerpserit : at quid sibi velit Wandelbertus, dum ex ea classe binos dumtaxat sumit Adrianum ipsis præfigens, prorsus non intelligo.* Adrianus *reperitur in uno alterove codice contracto, at quin nomen istic corruptum sit, vix dubitari potest : sed talem certo invenit metricus Martyrologus, cujus versiculos hic adscribo, siquis forte aliunde lucis tantillum possit affundere.* AUCTORE J. B. S.

Septimam Adrianus tenet Æmiliusque beati,
Martianus cum quis simili virtute triumphat.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

MUTIANI ET LAUDASIA

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

B XXVI JUL. Ita equidem nomina annuntianda existimo, in codicibus nostris quasi studiose mutata et vitiata. Codex Epternacensis nobis præluxit potissimum; nam Lucensis laterculus notat* Mutiane et Laudaci, *Corbeiensis* Mutiani et Laudatiæ : *in Blumiano autem magis involuta res est sub nomine* Laudagæ *vel* Laudaci, *forte pro ipsa civitate* Laodicia. *In plerisque contractis de his duabus non agitur : Labbeanum* Mutianam *et* Laudaiam *cum Laodicenis commiscet. Solum Corbeiense brevius rem clare destinxit, si genus recte servasset :* Et natalis sanctorum Mutianæ, Laudaiæ. E *Id certum est, aliis classicis Martyrologiis ignotas fuisse Sanctas istas, neque in Hieronymianis usquam notari positionem seu locum, in quo martyrii palmam consecutæ sint; ut plura de ipsis dicenda non supersint.*

DE S. ORÆOZELA MARTYRE

CONSTANTINOPOLI

SYLLOGE CRITICA

J. P.

Cultus, elogium, et ejusdem auctor.

DIE XXVI JULII. Signatur in Fastis Græcis. C *Quam sancta hæc Martyr omnibus Græcorum Fastis, quos consulere nobis quidem licuit, incognita prorsus est, si exemplaria pauca excipias, in quibus nomen ejus inscribitur ; tam vel ex iis solis circa antiquissimum ipsius cultum sufficienter edoceri nos censemus, ut suum quoque hic ei locum concedamus. In Synaxario itaque Ms. Chiffletii, hoc die sic refertur :* Μνήμη τῆς ὁσίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Ὀραιοζήλης. Memoria sanctæ et egregiæ victricis martyris Oræozelæ. *Subsequitur longum elogium; ad cujus finem Papebrochius adscripsit :* Vide huc spectantia ex Sirm. post XXVII ; *at sive ea studio prætermissa fuerint transcribi, quia parum aut nihil notitiæ suppeditarint novæ; sive ex oblivione id factum sit ; invenire certe nusquam in apographis nostris Sirmondianis potui, quæ huc spectantia ex eisdem post* XXVII, *utique hujus mensis Julii, consulenda designantur.*

Sanctæ memoria, cum elogio; 2 *Certi tamen reddimur ex testimonio Papebrochii, quod Sancta nostra ibi inscripta fuerit, et quidem cum elogio. Menæis quoque Mazarinianis præteritam non fuisse, indicavit Henschenius, quando nostro Ms. Latino indici in Menæa excusa, partim signatos in illis Sanctos, partim ex aliis tabulis Græcis adscitos etiam continenti adscripsit initiales dicti exemplaris litteras* Maz.; *ubi etiam adscripsit* Sirm. ; *quo confirmantur, quæ ex fide Papebrochii jamjam dicebam. Menæum Chiffletii, si hoc ab ejus Synaxario distingui debeat, et non sit illius extractum, die* XXVI F *hujus habet :* Ὀραιοζήλης μ. *Cultus autem quanta cum celebritate frequentatus fuerit CPoli jam inde a seculo* VIII, *constat ex qualisqualis elogii in laudato Synaxario Chriffletiano clausula, quam cum aliqua correctione huc Græce transcriptam produco :* Καὶ αὕτη μὲν τυχοῦσα τοῦ ποθουμένου, χαίρει αἰωνίως συμβασιλεύουσα τῷ ποθεινοτάτῳ νυμφίῳ Χριστῷ.

3 Συγχαίρει δὲ ταύτῃ.. Ἰωσὴφ, γλυκερίας μὲν πόνημα καὶ τελεσφόρημα, τῆς βασιλικῆς καὶ παντοκρατορικῆς ταυτησὶ μονῆς καθηγέτης καὶ ἀρχηγὸς, ᾠδαῖς ἀσμάτων καὶ κανόσι ταυτην τιμήσας, καὶ ἐν τῷ παρόντι συγγράμματι. Ἐν δὲ τῷ μαρτυρίῳ αὐτῆς τῷ πλησίον ἀρχ.., ὅπου κείμενον τῆς ἁγίας μεγάλης Μάρτυρος [λείψανον] ἀνα [παύεται] ἐν ᾧ καὶ σύναξις αὐτῆς τελεῖται, ἰάσεις τε παντοῖαι, καὶ νοσημάτων λύσεις γίνονται, καὶ μαρτυρεῖ ὁ προσελθὼν παραλυτικὸς καὶ συσφιγχθεὶς, αἱ στειρεύουσαι τε γυναῖκες εἰς τεκνογονίαν μεταβαλλόμεναι, καὶ αἱ τοῦ γάλακτος τὰς πηγὰς καταξηραμένας, καὶ λιθώδεις σχεδὸν φέρουσαι, ὑποστρέφουσαι δὲ οἴκαδε πλήρεις ταύτας δεικνύουσαι, quod d itur

καὶ

AUCTORE J. P.

καὶ τοῖς νηπίοις τῇ θαυματουργίᾳ εἰς κόρον τὸ γάλα βλύζουσαι. Οὕτως Θεὸς οἶδε δοξάζειν τοὺς αὐτὸν δοξάζοντας, καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ προθύμως τὸ αἷμα ἐκχέοντας. Αὐτῷ ἡ δόξα πρὸς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

a Græco versum,

4 *Quæ latine sic reddo :* Et ipsa quidem *(Sancta nostra)* consecuta id, quod desideravit, gaudet in perpetuum, regnans cum Christo, desideratissimo suo sponso. Simul autem cum illa gaudet... Josephus, dulcedinis monumentum, et frugifera virtutum perfectio, hujus imperatorii et augusti monasterii moderator ac fundator; qui cantionum odis et canonibus ipsam honoravit, atque in præsenti scripto. In æde autem ipsi *(Martyri)* sacra, quæ est prope [archangelorum]; ubi deposita sanctæ magnæ Martyris [lipsana] requiescunt, et in qua etiam solennitas ipsius celebratur, omnigenæ sanationes, et curationes fiunt morborum. Quod testatur paralyticus, qui accedit, et constrictus; nec non mulieres steriles, quæ fœcunditate donantur. Illæ vero, quæ exsiccatos lactis fontes, ac lapidis pene instar duros ferunt, domum reduces, comprobant illos esse repletos, et infantibus non sine insigni miraculo lac effundunt B usque ad satietatem. Ita Deus glorificantes se, suumque pro ipso alacriter effundentes sanguinem, glorificare novit. Ipsi gloria in secula. Amen. *Atque hæc quidem elogii clausula est.*

deductis ex ejusdem textu

5 *Per Josephum, in eodem laudatum, et nonnullis characterismis distinctum, intelligo S. Josephum Hymnographum; cujus Vita apud nos illustrata die* III *Aprilis; ubi pag.* 268 *asseritur ipsi titulus* possessoris sancti monasterii, quod divi Nicolai τῶν Κασούλων dicitur. *Certe ex S. Josephi Vita ibid.* 2 *pag.* 273 *habemus, quod relicta priore habitatione, petierit templum S. Joannis Chrysostomi : ubi* tam ingentes fiebant hominum concursus, ut illius oratione, quæ melle dulcior ex ore fluebat, aures animumque pascerent, plane ut a loci angustiis excluderentur. Itaque licet locus undique vastus, desertusque esset, ibidem tamen monasterium excitatum est, magna discipulorum frequentia celeberrimum; *quod subinde fortasse postmodum ita inclaruerit, ut* imperatorii et augusti monasterii *titulo nuncupatum fuerit, si vera prædicat superioris elogii* C *compilator. Dolendum vero est, istas* odas et canones, *quibus S. Josephus nostram Sanctam* honorasse *fertur, vel prosus intercidisse, vel ad nostram saltem notitiam non pervenisse. Quatenus autem Sanctæ historiam fortasse memoraverint, nullus dubito, quin ejusdem cum elogio furfuris fuerint, cujus compilator non obscure, per* τὸ et in præsenti scripto, *indicat, sibi Josephi calamum præluxisse.*

nonnullis observationibus,

6 *Aliud est, si sermo sit de æde Sanctæ sacra, reliquiis ac miraculis, ipsius patrocinio perpetratis : etenim ea omnia quoniam CPoli attribuuntur, ubi tam laudatus Hymnographus, quam anonymus superioris elogii compilator vitam monasticam professi sint, uterque enimvero, meliores ac certiores notitias habere potuerit super isto argumento, quam super ipsa Martyris historia, de qua plurimæ narrantur ineptiæ, sicut paullo post dicetur, neque aliquid scitur, quod vel umbratili similitudine ad verum accedere possit. Quod spectat ad* μαρτύριον, *id est, ædem Martyri nostræ sacram, seu oratorium; danda imprimis lectori ratio est, quidnam circa illud a me sit factum. Scribitur in apographo nostro, fuisse* πλησίον ἀνχούπου. *At quid sibi vult illud* ἀνχούπου? *Locum sane, qui sic vocatus fuerit, CPoli invenire haud potui; neque dubium mihi est, quin* D *mendum huc irrepserit; quod emendandum censui, adhibita utrimque modica separatione, qualem manifeste requirit sensus orationis. Posui itaque pro* ανχ *cum modico discrimine* αγγ. *vel* αρχ., *ut oratorium illud intelligatur exstitisse* πλησίον τῶν ἀγγέλων *vel* τοῦ ἀρχαγγέλου *vel* ἀρχαγγέλων, *prope templum* angelorum, *vel* archangeli, *seu* archangelorum; *vel* ἀρχιστρατηγοῦ, cælestis militiæ principis, ὅπου, ubi deposita, *etc. Et sic stat sensus orationis, et antecedentia et consequentia cohærent.*

7 *Porro de variis ædibus sacris, quæ S. Michaëli, angelis et archangelis CPoli dicatæ fuerint, agit Cangius CPolis Christianæ lib.* 4, *a pag.* 97. *Alius autem modus prædictum locum utcumque restituendi adhiberi queat, si per* τὸ ανχου, *per abbreviationem ita expressum, intelligendum si* Ἀντιόχου, Antiochi, *ut ædes* S. Oræozelæ *sita fuerit prope palatium Antiochi seu ædes, unde tractus* τά Ἀντιόχου, *nomen habuerit; de quo loco laudatus Cangius ibid. lib.* 2, *pag.* 168. *Ac nostræ quidem hæ sunt conjecturæ, quas æqui bonique consulere lector ne gravetur, donec vel ex inspecto bonæ notæ exemplari, vel aliunde melius aliquid eruditus quispiam suggesserit. At* E *nunc ad discutiendum Sanctæ elogium progrediamur : quod a nobis integrum non proferetur, ut verbum verbo Latine respondeat : quia nihil tale meretur.*

quibus ille sibi utcumque possit restitui.

8 *Elogiographus ergo pauca præfatus, quod* habeat inter alia regina hæc civitatum *(Constantinopolis)* illorum virorum ac mulierum vitas, quæ ipsam exornent ac cohonestent, *etc., illorum numero Sanctorum, qui ex solis miraculis cognoscuntur, accenset* incontaminatam columbam, martyrem Oræozelam : etenim qua regione fuerit oriunda, aut quibus parentibus, scripto proditum non reperiri. *Cum autem isti elogiographo nihil esset in promptu, unde aliquid in laudem Martyris suæ satis vere ac commode depromeret, nec tamen tacere prorsus de ea vellet, ita pessime rem suam egit, ut ineptias quasdam nugatorias temere effutierit, crassam in rebus historicis ignorantiam palpandam obtrudens, atque adeo ne vel hilum quidem historiam Sanctæ, densissimis oblivionis tenebris sepultam illustrans. Nam postquam illam, e parentibus gentilibus natam, temporibus Apostolorum ex idolorum insaniæ abysso extractam, et a S. Andrea Apostolo baptizatam in sacra quadam æde, in nomine Michaelis cœlestis militiæ principis ab ipso erecta, asseruisset; id sedulo ipsam egisse addit, ut Christi præconium propagaret, adjunctis sibi duabus aliis virginibus quas ad ejus cognitionem deduxerat, variarium virtutum exercitio pia inter se æmulatione de palma certantes :* F

Discutitur

9 Et hæc quidem, *inquit,* usque ad dies impii imperatoris Decii; *quem mox in scenam producit, quasi vero* beatam Oræozelam, a reliquis abstractam *duabus* mulieribus, suo sisti jusserit tribunali. *Sed advertere debebat fabulosus ille nugator elogiographus, quam absurde in rationem chronologicam impingeret, quando* Oræozelam *et Apostolorum et Decii imperatoris temporibus accommodans, combinat illa, quæ duorum circiter seculorum intercapedine sejunguntur. Deinde post adornatum Decii cum Sancta dialogismum; ipsa quidem cæditur virgis etc.; ille autem amisso visu fit cæcus : dicente ei Sancta, pristinum lumen ipsi non restitutum iri, nisi ex amputati sui capitis sanguine oculos liniverit. Qui mox*

Sanctæ elogium

A *mox illam capite truncari jusserit, et oblitis ejus sanguine oculis, statim cœli lumen viderit. Atque subjecta hisce nova gentilium multorum ad Christi fidem conversorum catastrophe, narrationem suam absolvit elogii compilator ista clausula, quam nunc dedimus e Græco versam. Jam de ejus auctore nonnulla notabimus.*

et agitur de ejusdem auctore.

10 *Quantumvis undequaque prorsus ille ita nos lateat, ut vix quidquam de se notandum nobis reliquum fecerit, pauculos tamen characterismos elogio suo inseruit, quorum adminiculo hæc observamus.* I. *Monasticam vitam professum fuisse, et quidem CPoli, argumento est illud, quod dicit supra num. 4 de Josepho ac monasterio, cujus is moderator ac fundator exstiterit; juxta ea, quæ de hac re supra notavimus.* 2. *Unde sequitur, ut non scripserit suum elogium ante istum S. Josephum, qui vixit ac floruit versus finem seculi* VIII. 3. *Scripta Josephi de nostra Sancta præ oculis habuit, uti liquet ex dictis num.* 5; *sed an illa dumtaxat, quæ de cultu, æde sacra ac miraculis agunt, ex illo acceperit; an historiam præterea silentio digniorem, quam litteris, inde etiam transcripserit, quis dicet?*

AUCTORE J. P.

DE S. IGNATIO STEIRONITIA

J. P.

Cultus e Fastis Græcis

Die XXVI Julii.

Cultus Sancti apud Græcos,

B Ignatius *iste a die* XXI *Julii in hunc rejectus fuit diem, quo de ipso agunt Menæa magna Græcorum excusa; in quibus tamen præter simplicem annuntiationem* τοῦ ὁσίου Ἰγνατίου τοῦ Τζηρονήτου, *nihil in rem nostram memoriæ proditum invenimus. Apographa nostra Græca Sirmondo-Chiffletiana plusculum addunt, dum sic dicunt dicto die* XXI: Ὁ ἅγιος Ἰγνάτιος ὁ Στειριωνίτης ἐν εἰρήνῃ τελ. S. Ignatius Steririonites in pace consummatur. *In Synaxario Sirmondiano memoratur Sanctus die* XXVI; *juxta id, quod notatum reliquit post hanc annuntiationem Papebrochius; cui subduntur isti versiculi:*

Πρὶν γῆς ἀπελθεῖν, ἀρετῶν καρποὺς φύσας,
Τὸ στεῖρον ἐκπέφευγεν ὁ Στειρωνίτης.
Terra prius quam excederet, fructus tulit
Virtute Steironita, se haud sterilem probans.

cum nonnullis nostris observationibus

2 *Patet poetæ allusio in voce* στεῖρον, sterile, *vi articuli præpositivi hic* sterilitatem *significante; et nomine proprio* Στειρωνίτης. *Vult enim dicere,* sterilitatem, *quam nomen illud præ se fert, alienam fuisse a nostro Sancto, virtutum germine florentissimo. Nomen illud aliter efformatur in dictis Menæis; sed mendose, uti opinor, hic; quia mendis pluribus alibi non carent. Quin etiam idem paullo aliter scribitur in apographis mox citatis, quam in disticho, indidem excerpto; cujus forte in textu littera jota ante ω exempta fuerit, metri causa; ne alioquin pes ei redundasset. Quidquid sit, haud apparet, male sic scribi: et hanc quoque nos scribendi rationem secuti sumus in titulo superiore.* E

circa ea, quæ huc spectant.

3 *Ceterum ex hac annuntiationis clausula* ἐν εἰρήνῃ τελ. *colligimus,* S. Ignatium *fuisse confessorem, non martyrem: quod et non obscure conficitur ex versiculis, solam virtutum, pœnarum vero aut martyrii mentionem nullam facientibus. Jam vero quæ ad ætatem, vitæ institutum, locum venerationis, annum mortis, et reliqua, ad majorem Sancti notitiam conducentia, spectant, omnino nobis incomperta sunt. Nec vero præter simplicem hanc annuntiationem* τοῦ ὁσίου Ἰγνατίου τοῦ Στειρονίτου, *aliquid nobis suppeditat ecgraphum, quod habemus, e codice Taurinensi; ubi Sanctus etiam refertur eodem, quo supra, die* XXVI *hujus; et cognomento quidem, ut vides, nonnihil aliter expresso, quam illud exhibuimus. Liceat nobis tantisper suspicari, illud ei nomen esse impositum* ἀπὸ τῆς Στειρίας, *a* Steiria, *loco Græciæ in Attica; de quo videri potest Cellarius Geographiæ antiquæ lib.* 2, *cap.* 13, *pag.* 746; *ubi forte Sanctus vel sit natus, vel habitaverit.*

DE S. PASTORE ABBATE

F

IN SCETI

C

Ex Catalogo Petri de Natalibus

J. B. S.

XXVI Jul. In Florario Ms. et alibi relatus

Hunc S. Pastorem, *die præcedenti a Ferrario ex Equilini episcopi Catalogo signatum huc remisimus, non satis certi, quis in Auctariis Usuardinis isto nomine appellaretur, ob varias annuntiationes satis dubias, quo referendæ sint. Celebre quidem in memoratis Auctariis* S. Pastoris *nomen, at quo de agant, non omnino constat, videturque verisimilius, indicari ubique Pastorem illum titulo suo Romano notissimum, de quo etiam hoc die agitur, quamvis id singuli codices non exprimant. In plerisque simpliciter legitur;* Item natale S. Pastoris confessoris, *vel,* Item S. Pastoris confessoris. *Paulo clarius loquuntur alii, et certo innuunt* S. Pastorem, S. Pii fratrem, presbyterum, *imo* Cardinalem, *ut est inter jam dicta Auctaria in codice Florentino: ut ex iis nihil magnopere hauriri possit pro hujus nostri* S. Pastoris abbatis *antiquo cultu, nisi Equilinus præluceret, accederetque Florarium nostrum Ms. sic diserte annuntians:* Item natale beati Pastoris abbatis et confessoris. Hic multis annis in abstinentia magna se affligens, in eremo multa religione pollebat. Vide ejus gesta alibi. *Id ego potissimum quæro, unde Equilinus aut alii eduxerint, Sanctum istum* VII *Kal. Augusti mortalitatem exuisse, nisi forte ob synonymum istum alterum, eo die collocandum censuerint.*

AUCTORE J. B. S. multis laudatur in Vitis patrum.

2 *Huc etiam facit additio Ms. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, eodem hoc ipso die posita:* Item beati Pastoris abbatis et præsulis, secundum Catalogum *(opinor Equilini jam a nobis citatum)* de quo plura dicta et facta narrantur in Vitis patrum. *Utique et variis locis libri* 5 *apud Rosweydum, auctore incerto, interprete Pelagio a pag.* 563. *Ex quo libro anonymus aliquis ignotus elogium istud collegit quod laudatus Equilinus episcopus lib.* 6, *cap.* 141 *retulit, a nobis hic describendum, potius, quam ex Ms. Ultrajectino, a Rosweydo ad prælum parato, utpote multo imperfectiori. Neque certe satis integrum dici potest Equilinianum, cum plurima omiserit, non tam gesta quam dicta, quæ hic addenda censuissem, nisi tomus ipse de Vitis patrum in omnium manibus versaretur, ut satis sit loca assignasse in quibus cetera* S. Pastoris *apophthegmata reperiri*
B *commode queant. Videatur itaque citata pag.* 563 *a num.* 12 *ad* 15; *tum. pag.* 570 *a num.* 29 *ad* 33; *item pag.* 593, *num.* 13 *et* 14. *Demum pagg.* 600, 601 *et* 602 *a num.* 37 *ad* 64. *Sufficiat hic Equilini elogium proponere, de Sancti ætate nihil determinando, cum incertum plane videatur, seculo* IV *an* V *vixerit.*

ELOGIUM

EX VITIS PATRUM

Apud Equilinum lib. 6, *cap.* 141.

Renuit matri se videndum præbere:

Pastor presbyter in eremo de Scythi claruit tempore Sanctorum Patrum anachoretarum, qui abstinentia magna se affligens, multa sanctitate et religione pollebat. Cum autem mater ipsum abbatem et monachos suos videre curaret; et ad ecclesiam euntes observasset: Pastor cum fratribus cellam intrantes, ostium in faciem ejus clauserunt. Cum autem illa flens ad ostium clamaret, et filium videre obnixius postularet: ipse matri se videri prohibuit; hortans illam ut æquanimiter ferret: quia si non in præsenti seculo, saltem ipsum in futuro videret: quæ confor-
C tata discessit, et ipsum amplius aspicere non curavit.

et pro sororis filio apud judicem intercedere.

2 Judex provinciæ, cum abbatem Pastorem videre cuperet, sed nequiret: filium sororis ejus, tamquam malefactorem carceravit: dicens quod si Pastor pro eo intercessurus veniret, ipsum dimitteret. Mater ergo juvenis et soror abbatis ad ostium ivit: et lacrymis ut pro eo judicem adiret, instanter rogavit. Cui ille mandavit dicens: quod Pastor filios non generavit. D Qua cum dolore discedente, judex ait, ut saltem verbo juberet; et illum dimitteret. Ille autem remandavit; ut causam secundum legem examinaret: et si dignus esset morte, illum occideret: sin autem, quo modo vellet, faceret.

Docet animæ custodiam.

3 Docebat autem fratres dicens, quod animam suam a peccato custodire et seipsum considerare et discretionem habere, sunt animæ perfectiones. Tribulatio et discretio sunt operationes solitariæ vitæ.

Solitarium pulsum restituit.

4 Cum quidam frater de quadam congregatione offendisset; abbas de consilio cujusdam solitarii, expulit eum: quem flentem abbas Pastor ad se accersivit, et pro illo solitario misit. Et cum venisset abbas, ei dixit: quod duo homines erant; qui ambo suos mortuos habebant, quorum unus mortuum suum reliquit, et ivit plorare mortuum alterius. Quod solitarius de se dictum intelligens, compunctus est.

Qui se novit, non facile scandalizatur.

5 Frater quidam abbati Pastori dixit, se perturbatum esse, et locum velle deferere: quia verba quædam de fratre audierat, quæ eum maxime scandalizabant. E Dixit Pastor, ne hæc verba crederet, quia vera non essent. Ille vero verba esse vera affirmabat, quia frater fidelis ipsi dixerat. Et ille respondit; Quod si fidelis esset, non ipsi dixisset. Affirmanti autem omnino vera esse: proposuit ei parabolam Euangelii de trabe et festuca: admonens, ut in corde suo poneret; quod peccata sua trabes essent, et aliena, festuca.

Erga pœnitentem mitis est.

6 Frater quidam, qui grande peccatum commisit, pœnitentiam facere volens, interrogavit Pastorem, si triennis pœnitentia satis esset? Qui dixit, quod multum est. Interrogatus, si annus sufficeret? respondit quod multum est Interrogatus 40 diebus: respondit quod multum est. Addens quod si hoc ex toto corde pœniteat, et pœnitentiam triduanam agat, suspiciet Deus.

Quando quis irasci possit.

7 Interrogatus de illo verbo: Qui irascitur fratri suo sine causa etc.: Quid esset sine causa irasci: respondit: Ex omni re qua homo a fratre suo gravatur; irasci sine causa; donec oculum ipsi abstrahat. Si autem quis a Deo separare vellet, pro hoc irasci debet.

De pellendis malis cogitationibus.

8 Conquestus est ei frater quidam, quod multas cogitationes habens, in ipsis periclitatur: qui eum sub divo eduxit, jubens ut sinum expanderet, et ventum teneret: qui re- F spondit se non posse. Sic, inquit ille, quia cogitationes repelli non possunt, ne introëant: hominis autem est, eis resistere. Quievit autem Vir sanctus in Domino septimo Kalendas Augusti, sanctitate et vita conspicuus, et miraculis clarus.

DE S. VALENTE, SEU VALENTIO

EPISCOPO VERONENSI

In Italia.

P. B.

ANNO DXXXI.

Sanctus hoc die notatur in Martyrologio Romano; non item in antiquis;

Utinam Verona quam est hoc die fœcunda Sanctorum parens, tam esset Actorum! Quinque etenim die uno, non uno tamen seculo, Confessores trnsmisit in cœlum, quos eodem ad aras veneratur; Valentem *scilicet episcopum suum; Benignum, et Charum; Euangelistam, et Peregrinum; quorum omnium Acta, saltem qualia merentur, desiderata sunt hactenus. De* Valente *dicendum hoc loco; de ceteris, ordine suo. Hujus igitur Episcopi sancti nomen præcipuorum inter veteres Martyrologorum catalogis prorsus ignotum est, sive* Valentem *episcopum Veronensem requiras, sive* Valentium;

A lentium; *nam utrumque hoc illi nomen adscriptum legitur apud Augustinum Valerium (qui Veronensis et ipse episcopus fuit, et S. R. E. Cardinalis) in SS. episcoporum Veronensium antiquis Monumentis fol.* 12 *et aliis. Primus illum extra ecclesiam Veronensem assumpsisse videtur Galesinius, idque ex tabulis, ut in annotatis ad Martyrologium suum observat hoc die, Veronensibus; indidemque paulo post ad reformatum, quo nunc utitur Ecclesia Romana, Martyrologium transiit, his verbis ad eumdem diem annuntiatus:* Veronæ sancti Valentis episcopi et confessoris. *Itaque de sancto* Valente *non videtur intelligendum, quod ante Galesinium universim asseruit Aloysius Lipomanus ep. Veronensis in præfatione ad tomum* 4 *de Vitis Sanctorum:* Sanctos meæ ecclesiæ non solum hæc civitas, sed pene totus mundus veneratur.

quamquam antiquus est ejus cultus apud Veronenses:

2 *Multo tamen antiquiorem esse venerationem ejus in ecclesia Veronensi, nemo dubitat; quando id multis pridem argumentis evicit Augustinus Valerius in opusculo memorato: nam quæ* B *in hanc rem de Sanctis triginta sex episcopis Veronensibus generatim fol.* 1 *et* 2 *testimonia congeruntur, ea quoque ad priscum* Valenti, *qui inter eos censetur, vindicandum in ecclesia sua cultum faciunt omnia; ut Martyrologium antiquum ex membranis ecclesiæ cathedralis Veronæ, in quo nomina* 36 *episcoporum Veronensium suis locis descripta habentur; liber* De antiquitatibus Veronæ ac de SS. reliquiis, quæ in ea reperiuntur, *anno* 1477 *a Francisco Corna conscriptus, aliaque quæ istic citata fusius legi possunt tum ex impressis libris, tum ex Mss. Veronensibus monumenta; ex quibus non solum Sancti nostri cultus qualiscumque, sed etiam singularis ac solennior probatur: nam ab anno saltem* 1503 *per Constitutionem synodalem, fol.* 1 *verso exhibitam; ita cavetur:* Prælibatos Sanctissimos triginta sex episcopos, infra nuncupatim descriptos, et eorum quemlibet suis infrascriptis diebus, sub duplici venerabili Officio ecclesiastico per universas hujus civitatis et diœcesis Veronensis ecclesias, et ecclesiasticas utriusque sexus personas, cujuscumque gradus, status, ordinis, dignitatis et conditionis existant, perpetuis futuris temporibus, annis singulis devote, solenniter et inviolabiliter celebrari volumus, statuimus, ordinamus, et in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo manda- C mus.

apud quos servantur ejus reliquiæ.

3 *De Sancti reliquiis ibidem agitur fol.* 12, *ubi hæc leguntur:* S. Valentis, alias Valentii, corpus requiescit in ecclesia S. Petri in arce; ut ex lapide marmoreo ad latus majoris altaris ad Septemtrionem [colligitur ;] in quo inter alias litteras hæ sunt incisæ (nam ceteræ ita sunt corrosæ, ut sensus ex eis elici non possit :) S. VALENS EPISCOPUS, QUI VIXIT ANN. PLURIM. ET SEDIT ANNOS VII, MENSES VII, ET DIES XVIII. Prope hunc lapidem in arca parva lapidea rubei coloris, cum operculo et base albi coloris, et fenestella ferro munita, hæ litteræ sunt incisæ: IN PACE CORPUS SANCTI VALENTIS EPISCOPI. Sed ex tabula lapidea, et ex tabula vetusta ex membranis, de quibus supra *(fol.* 3*)* ubi de S. Agabio, ex tabula Sanctorum *(de qua fol.* 2*)* die XXVI Julii, corpus S. Valentis requiescit in ecclesia S. Proculi. Et in altari ad introitum criptæ, sive confessionis ejusdem ecclesiæ S. Proculi, est imago depicta in habitu pontificali cum his litteris: S. VALENTIUS. Quomodo autem hæc, quæ contraria videntur, concilientur et intelligantur, vide infra post monumenta Sanctorum: *nempe fol.* 35; *ubi docet auctor,* quod per piam extensionem dici solet, alicubi alicujus Sancti corpus haberi, quia ejus bona pars ibi habetur. *Est sane hic loquendi modus in subjecta materia tam usitatus, ut mirer, a Ferrario, in annotatis ad hunc diem et Sanctum, non fuisse observatum. Earumdem reliquiarum aliquid est in ecclesia SS. Apostolorum, ut in opusculo eodem notatur fol.* 77 *verso.*

AUCTORE P. B.

De Sancti Actis.

4 *De Actis non est, ut ante dicebam, quod quisquam quærat; nam, ut ait scrutator utique diligens Onuphrius Panvinius Antiquit. Veronens. lib.* 4, *cap.* 7, *ubi de Sanctis* 36 *episcopis sermo est*, Singulorum *(adeoque et* Valentis) gesta obscurissima sunt et incerta. *Imo Lipomanus de Sanctis iisdem episcopis loquens, verbis num.* 1 *citatis hæc subdit:* Sed ego eorum Vitas, quales habentur, si in medium proferrem, non modo contra institutum meum agerem; verum omnibus ridendum me exponerem. *Ne quid hic tamen omittam, habe, quæ de illis collegit Augustinus* E *Valerius fol.* 43: Valens, Veronæ episcopus, episcopalis muneris difficultatem et periculum optime considerans, nulli umquam labori visus est pepercisse, ut populi Veronensis saluti consuleret. Ei magna cum animi solicitudine semper præfuit. Se ipse maxime observavit. Vel minima etiam delicta vitavit; ita ut numquam non esset pavidus. Discessit ex hac vita septimo Kalendas Augusti. Ejus corpus magna cum pompa elatum, et conditum in basilica sancti Petri intra arcem: tametsi sunt, qui asserant, sepultum in Basilica sancti Proculi. *Breviter hæc Brautius in Martyrologio Poëtico ad hunc diem:*

Omne Valens offendiculum vitare monebat
Pastor, et expavit crimen ad omne leve.

et antiquo epitaphio.

5 *Haud paulo vetustiora sunt, quæ tradit Panvinius Antiq. Veron. lib.* 4, *cap.* 20: Verecundo in episcopatu Veronensi omnium votis VI Idus Decembris ejusdem anni (523) suffectus est S. Valens. Qui cum iisdem artibus et studiis, quibus sancti prædecessores sui Veronenses pontifices, vixisset, populumque in vera religione annos VII, menses VII, et dies XVIII rexisset, VIII (*imo* VII, *ut habet sequens epitaphium*) Kal. Augusti, post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc (*id est, virorum clarissimorum*) anno Christi DXXXI, Justiniano magno imperatore, et Athalarico Italiæ rege, migravit ad Dominum. Corpusculum F cum solenni funeris pompa in æde S. Petri in arce prope prædecessorem suum collocatum est, quum annos plus minus XLV vixisset. Quæ omnia ex ejus inscriptione ita liquent exarata:

HIC. REQUIESCIT. IN PAE. SANCTUS
VALENS. EPISCOPUS. QUI. VIXIT. ANNOS
PL. M. XXXXV. ET SEDIT
EPISCOPATUM. ANNOS
VII. MENSES VII. ET DIES
XVIII. ET. RECESSIT. SVBP.
VII. KAL. AUGUSTAS.
P. C. LAMPADI. ET.
ORESTIS. VV. CC. IND. VII.

quod exhibet integrum Panvinius.

6 *Eadem ex Panvinio dedit Ughellus Italiæ sacræ tom.* 5, *col.* 587. *Quod si quis miretur, Epitaphium hoc legi a Panvinio potuisse; cum idem illud sit, cujus supra num.* 3 *fragmentum vidimus, et quidem mendose expressum, et cujus ceteræ litteræ ita corrosæ dicebantur esse, ut sensus ex eis elici non posset: is cogitet, Onuphrium*

AUCTORE P. P.

phrium inter omnes sui temporis eruditos in re antiquaria longe exercitatissimum fuisse ; ut ei liquida videri multa potuerint ; quæ ceteris , minus in eo studio versatis, ænigmatum instar apparerent. Ceterum nescio , unde acceperit, quod in Catalogo Sanctorum Italiæ scribit ad hunc diem , Ferrarius ; Valens, qui et Valentius , episcopus Veronæ trigesimus primus , S. Vindemiali in episcopatu successit . . . . . Cum D itaque . . . fere octo annos præfuisset, confectus senio, cessit e vita hac mortali. *Non legit hæc certe apud Augustinum Valerium , quem solum ibi appellat. Aliter episcoporum illorum seriem ordinavit Ughellus, ad quem lectorem remittimus ; cetera ex dictis colliges , quam fidem mereantur.*

J. B. S.

DE S. SIMEONE STYLITA TERTIO

Sec. VI. Tertius iste Stylites Simeon a Græcis cultus

Præter binos celeberrimos Simeones , cognomento Stylitas , seniorem nempe illum de quo v *Januarii , et juniorem alterum de quo* XXIV *Maii actum est , consignant hoc die* XXVI *Julii Menæa Græcorum impressa* memoriam S. patris nostri Simeonis Stylitæ presbyteri et archimandritæ, *his verbis :* Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις B πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τοῦ Στυλίτου πρεσβυτέρου καὶ ἀρχιμανδρίτου γενομένου, *isque simili prorsus modo refertur in Ms. Taurinensi, ut plura idcirco investiganda non sint. Eumdem, sed die sequenti, annuntiant etiam utrumque Kalendarium Coptitarum, quod Ægyptiis Christianis in usu fuit, quorum alterum saltem ante annos quadringentos conscriptum censet Seldenus lib.* 3 *de Synedriis veterum Hebræorum, et Syriacum seu Chaldaicum Romæ anno* MDCXXIV *excusum : atque item Ms. Divionense nostri Petri Francisci Chiffletii collocat* memoriam S. patris nostri Simeonis archimandritæ, *cui ridicule et citra ullius assensum, additur* in Mandra, *de qua videndus Commentarius prævius ad Acta junioris Stylitæ Simeonis* XXIV *Maii* § 1.

incertum an distinguatur a Fulminato.

2 *Quam certo constat ex iis quæ ibi disputata sunt, tertium hunc Stylitam* Simeonem *diversum censeri oportere a prædictis illis duobus illustrioribus, tam incertum est, utrum idem nec ne sit cum illo, quem nonnulli quartum Simeonem Stylitam faciunt, quemque Joannes Moschus in notissimo suo Prato spirituali, fulmine percussum interiisse memorat. Ut ut est, cum nulla amplior notitia istius tertii Simeonis uspiam reperiatur, non ingratum fore autumo, paulo expressiorem Stylitarum Simeonum notitiam nancisci cupientibus, si quæ de* Fulminato *isto leguntur hic subjiciamus. Ac ne voce* Fulminati *absterritus, indignum forte sacris Fastis temere judices, patere* C *me hic ea describere quæ noster Matthæus Raderus Viridarii sui parte* 3, *cap.* 4, § 7, *occasione hujus Stylitæ, qui æque ac junior simul archimandrita fuerit, rectissime observat.*

de quo pauca ex Radero

3 Justus, *inquit,* quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Non est hæc nota impietatis aut sceleris, cum viri Sancti inexspectato mortis genere e medio tolluntur ; sive apoplexia percellantur, seu fulmine sternantur, sive ruinis elidantur, seu pestilitate, fame, siti, ferro, igni, aqua exstinguantur. Hoc caput est, ut ne te mors imparatum deprehendat. Non ignoro, paganis ominosum fuisse fulmen, et in ultricis pœnæ locum fuisse existimatum, ut est apud principem poëtarum 6 Æneid.

Hoc genus antiquum terræ Titania proles
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Sic Æsopus , Salmoneus , Aiax Oïlei , Phaëton , Æsculapius et alii de cælo tacti leguntur. Sed non idcirco derivanda culpa ab uno aut altero punito in omnes. Ultum it cælestis vindicta mortales immissa pestilentia, nec tamen omnes qui illa lue corripiuntur, impii : quod ipsum affirmare maxime esset impium . . . . . Itaque reprime judicium quando hic, ille, et quicumque alius atroci genere mortis sublatus dicitur. Nullum mors facit impium ; sed impia via deprehensos, inusita via ad letum ducit ; nec id semper : sæpe scelerati pacate obeunt, innocentes cum ingenti tormento. *Hæc ille.* E

et Joanne Moscho proponuntur,

4 *Accipe nunc, quæ supra, ubi puncta. . . . notavimus , a Radero nonnihil truncata et mutata, a nobis prætermissa sunt ; ex ipso Prato spirituali Joannis Moschi cap.* 57 *ad verbum hic exhibenda. Ita ibi loquitur :* Quadraginta fere milliaribus ab Ægis civitate Ciliciæ Stylites erat , nomine Simeon. Hic fulgure percussus interiit. Abbas ergo Julianus Stylites presbyter , præter consuetudinem suam , insolito tempore dixit discipulis suis : Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei : Dic nobis causam Pater ; orabantque ut diceret eis. Senex autem dixit : Quia modo frater meus Simeon a fulgure dejectus interiit , et ecce transit anima ejus cum tripudio et exultatione. Distabant autem ab invicem milliaribus fere viginti quatuor. *Hæc laudatus Moschus : neque plura uspiam de* Fulminari *istius Stylitæ gestis, virtutibus aut ætate inventa sunt. Tu de usu thymiamatis videsis Rosweydi ad hunc locum Observationem ejusque onomasticon.*

viam sternentia ad explorandum

5 *Porro Ægis, aliis Ægas et Ægæa, a qua commorationis* Stylitæ *istius distantia a Moscho hic insinuatur, urbs est episcopalis Ciliciæ ad sinum Issicum sub metropolita Anazarbensi, unde saltem de regione certo edocemur, in qua* Fulminatus *ille* Simeon *vixerit ; qui an cum alio, classicis Latinis Martyrologiis solo ferme nomine,* F *saltem simplici titulo* monachi *noto, satis apte confundi possit, mox investigare conabimur. De ipso etiam nonnulla observavit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, occasione Simeonis Stylitæ senioris, eumque, ex genere mortis, et ab eo seniore, atque etiam a juniore plane distinguendum recte admonuit, quod et a Legendistis aliis animadversum invenies. Quis autem* Julianus *iste, itidem Stylita, sit, et utrum Sanctis annumerari possit, hactenus nos latet, nullam ipsius memoriam reperientes quam apud dictum Moschum hoc et sequenti capite ; ut debitis ad aliquid determinandum monumentis omnino destituti simus. Jam de nostro* Fulminato *paucula liceat conjectare.*

an Simeon monachus 27 Julii

6 *Quæri debet potissimum, an* Simeon *ille* monachus confessor in Sicilia, *qui ab auctore Romani parvi , Adone , Usuardo , Notkero , et quidem in plerisque omnibus Hieronymianis signatus est, idem cum prædicto* Stylita *et* Fulminato *censeri*

A censeri non possit, tametsi in prædictis Martyrologiis notetur die sequenti seu XXVII Julii, quemadmodum et in nonnullis jam dictis Fastis Græcis aliisque illum quoque positum vidimus. In Observatione ad Usuardum candide fassi sumus, nos necdum assequi posse, cur a Romani Martyrologii revisoribus omnino prætermissus sit, tam expresse et a Bellino signatus præfatus Simeon, quod neque modo satis intelligimus, nisi forte post diligentem inquisitionem deprehenderint, nullum omnino in tabulis Siculis Simeonem monachum reperiri, qui ea die apud Siculos recolatur. Neque vero noster Cajetanus ipsum aut ullam ejus Vitam aut memoriam in Sicilia potuit invenire: dumque in suo Martyrologio ipsum recenset, non alios adducit auctores præter Bedam, Usuardum, Adonem et Notkerum, ut facile perspicias, Sanctum istum Siculorum respectu plane accessorium esse; dic audacter, ipsis omnino incognitum.

in classicis Latinis Martiis signatus

7 Huic nodo ut cuneum adaptes, quem frustra quæsivit Florentinius, rimam aliquam aperire videtur codex Hieron. vetustissimus Epternacensis, qui non in Sicilia sed in Syria expressissime legit, uti etiam et contractiora, Richenoviense et B S. Cyriaci; quin et in codice Usuardino Vaticano, sic legitur: In Syria, Simeonis monachi, qui in columna stetit. In auctariis Bedæ notatur etiam Syria. An satis recte; ex his certo concludi non posse, equidem fateor: at ne dubius Sanctus maneat, imo cum Romano plane præteritus; quid si inter duas istas positiones paulo accommodatior eligatur, supponaturque, errorem facile admissibilem irrepsisse in pleraque Martyrologia, scribendumque adeo sit Cilicia pro Sicilia vel Syria; sic Simeon ille Stylita sive Fulminatus inter Sanctos etiam Latinos promeritum locum inveniet, neque excludetur qui in Romani parvi tota progenie tam diserte consignatus est, verosimillime unus ipse et idem monachus et Stylita. Certe Simeon iste, in tot sacris Fastis disertissime expressus, hic prætermitti nec debuit nec potuit, quidquid de cetero inter varios synonymos eum certo distinguere, non usque adeo obvium sit. Sive igitur dicatur Simeon Fulminatus, sive alius, debito suo loco repositus est.

AUCTORE J. B. S.

idem cum ipso non sit.

8 De die quo colendus sit, hoc an crastino, molestiam, opinor, movebit nemo; Græcos secutus sum, alterutrum paratus eligere, modo ne quis rei substantiam in dubium revocet, aut clariorem ejus notitiam exigat, de qua ad stabiliendum cultum frustra disceptaveris. Neque de Sancti ipsius ætate multo certiora licet adducere. Seculo VI in Ægypto floruisse Joannem Moschum, et sec. VII mortuum, atque ad S. Theodosii monasterium corpus ejus delatum, id scimus; certum tempus definire quo aut Julianus aut Simeon noster vixerint, hoc opus, hic labor: utrumque Moscho non multo seniorem fuisse, id omnino E suadere videtur, quod non nisi visa a se, aut proxime audita, et paulo ante tempora imperatoris Heraclii gesta commemorare videatur, ut seculum VI tuto me apposuisse existimem, sub ea cautione qua bibliographi Bellarminus, Labbeus et alii Joannem Moschum legendum proponunt, ut qui nonnumquam inserat ea quæ parum tutam fidem habent, quin et vel relata a non fide dignis, atque interdum aspersa mendaciis. Verum hæc ab hodierno Simeone abesse, tuto censere liceat.

DE SANCTA CHRISTIANA VIRGINE

TENERÆMONDÆ IN FLANDRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Sanctæ relquiæ, earumque translatio, et cultus; item Acta minus antiqua.

Circa sec. VIII.

Reliquiæ SS. Hilduardi et Christianæ Dickelvenna Teneræmondam allatæ sunt sec. 9:

C Teneræmonda oppidum est situ et arte munitum in Flandria, ab ostio Teneræ fluminis, quod istic in Scaldim labitur, nuncupatum, medio fere Antverpiam inter et Gandavum itinere. Ornat illud præ aliis ecclesia, canonicorum insignis collegio, ac Deiparæ Virgini sacra; ecclesiam vero ipsam sacellum sanctorum Hilduardi episcopi et Christianæ virginis; quorum ut nominibus Deo dicatum est, sic ditatum corporibus, istuc olim Dickelvenna translatis. Est autem Dickelvenna (quam vetustis nominibus alii Ticlivinum seu Ticlivinnum, alii Tichlinium, ac Declivium, Steinburnam alii vocitarunt) pagus antiquus, in comitatu Alostano ad Scaldim Gandavum inter et Aldenardam situs, celebrisque aliquando Benedictinorum S. Petri cœnobio, quod anno 1081 migravit inde Gerardimontium; ubi S. Adriani nomen accepit. De hoc plura Waesbergius in Gerardimontio lib. 2, cap. 2 et 3. Translationis vero hujus occasio ac tempus ab auctoribus Belgicis fuisse creditur Normannorum frequentissima seculo nono in Gallias Belgiumque grassatio; quando nihil erat usitatius, quam ut eruta tumulis suis Sanctorum pignora ad tutiora quæque loca comportarentur. Contigisse ergo F hanc censet Lindanus de Teneræmonda lib. 2, cap. 2, circa annum DCCCXLVI, quo barbaræ gentis metu etiam DD. Bavonis et Pharaildis reliquias alio in tutum delatas, Meyerus tradit. Lindano adstipulantur Annales Mss. non admodum veteres monasterii Dickelvennensis, nunc Gerardimontani; Emmanuel Suero in Annalibus Belgii Hispanicis; Miræus in Chronico Belgico ad annum 750; Sanderus in Hagiologio Flandriæ pag. 179; Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 328; Georgius Salomons in Vita Flandrica SS. Hilduardi et Christianæ pag. 138 et 147, aliique.

non autem sec 11:

2 Nescio, quid Alfordum nostrum impulerit, ut in Annalibus ecclesiæ Anglo Saxonicæ ad annum 660, num. 44 hæc scriberet: Nec piura de Christiana virgine reperio, nisi quod sacræ ejus exuviæ sub annum Christi millesimum nonagesimum secundum translatæ dicuntur Teneramundam. Equidem, qui hoc ante ipsum dixerit, vidi neminem, præter unum Wilsonum in Martyrologio

AUCTORE P. B.

Martyrologio suo Anglico die XXVI *Julii : at hujus per se levis est auctoritas : ut qui in prima Martyrologii editione defunctam esse* S. Christianam *anno illo statuit, quo scribit in secunda translatam ; eumdem utrobique pro se citans Molanum, qui neutrum astruit. Fallor, si Martyrologus Anglus eam satis ab alia Christina seu Christiana discreverit, quæ seculo demum undecimo floruit, Eduardi, cognomento Exlegis, filia, de qua in secunda sua editione meminit die* XXIV *Novembris. Hinc differendam, opinor,* Christianæ *nostræ translationem putaverit. Potuit huic etiam opinioni occasionem dedisse Saussayus in Martyrologio* XXVI *Julii, subobscure innuens, translationem factam esse sub Ringoto, Teneræmondæ dynasta, qui juxta Lindanum lib.* 1, *cap.* 6 *obiit anno* 1106. *Sed nec sententia Saussayi clara est ; nec, quantumvis esset clara, probabilis ; cum nullum pro se testem habeat. Porro quod ad Dickelvennam attinet, ea Tutelarium suorum reliquias amittere potuit quidem, at non memoriam et venerationem : itaque ad hunc us-* B *que diem ejus* ecclesia, *teste Cornelio Gestelio Historiæ archiepiscopatus Mechliniensis tom.* 2 *pag.* 244, patronum veneratur S. Hilduardum episcopum, cui dicata est ; item S. Christianam virginem, Migranimi Anglorum regis filiam.

die 7 Septembris : qua translatio annua memoria celebratur :

3 *Eodem vero anno, mense, ac die, septimo scilicet Idus Septembres, utriusque simul Sancti ossa Teneræmondam allata fuisse, Lindanus et alii docent ; quæ quidem solennitas tantam in urbe lætitiam excitavit ; ut eam quotannis imposterum ecclesia Teneræmondensis innovandam eo die decreverit : testis Molanus, qui ad* VII *Idus Septembris Usuardo suo hæc adjicit inter alia, ex Fastis ejusdem ecclesiæ propriis :* Item eodem die apud Tenremondam, adventus corporis beatæ Christianæ virginis. *Florarium quoque nostrum Ms. eodem die sic habet :* Apud Denremundam in Flandria, translatio S. Christinæ * virginis. *Idem affirmant Acta num.* 7 ; *idem in Martyrologio Gallicano Saussayus in hæc verba :* Teneræmondæ in episcopatu Gandavensi, susceptio S. Christianæ virginis, quæ Migramni Anglorum regis filia cum Diclivennæ in Christi virginum sponsi puro persuavique famulatu stadium virtutis absolvisset ; ibidem cum magna æstimatione sanctitatis sepulta fuit. Postmodum signis innumeris clarificata, quo et uberiori cultu polleret, essetque incolis speciali præsidio, Tene- C ræmundam translata, in æde collegiata sanctissimæ Dei Genitricis, cum sancti Hilduuardi, oppidi ejusdem apostoli ac tutelaris, pretiosis artubus recondita, communi cum eo opitulationis jure a civibus accolisque totius hujus tractus honoratur. *Accepimus interea, quod et Salomonsius observat pag.* 153, *nunc alio die translationis hujus memoriam ibidem celebrari aliquamdiu cœpisse, nempe Dominica proxima post octavam dedicationis ejusdem basilicæ ; quæ dedicatio incidit in Dominicam præcedentem festum decollationis S. Joannis Baptistæ sub finem mensis Augusti.*

* lege Christianæ, ut infra.

et olim quidem Officio proprio non secus ac dies amborum natales :

4 *Translatis reliquiis tanta mox ab iis, qui eas consecuti fuerant, exhibita est veneratio ; ut exinde sacellum sanctæ Crucis, in quod erant repositæ, antiquato priori nomine, appellari cœperit sacellum S. Hilduardi ; ut ait Salomons in opusculo citato pag.* 144. *Composita quoque fuerunt Officia SS. Hilduardi et* Christianæ; *sed quam antiqua, non reperi. Ea subinde inserta sunt Breviario,* ad usum insignis ecclesiæ collegiatæ divæ Virginis Mariæ Teneramundensis, *excuso Antverpiæ anno* 1527. *Hujus Breviarii partem tantum hiemalem videre mihi licuit ; et ex ea describere, quæ de S. Hilduardo propria legebantur die ejus natali* XXIX *Decembris, tum in ejusdem octava, seu die* V *Januarii : quæ suo tempore proferri poterunt. Integrum Breviarium præ manibus habuisse videtur laudatus Salomonsius pag.* 149, *cum dicit, ter quotannis ex eo in ecclesia jam dicta recitari consuevisse Officia de S. Hilduardo et* S. Christiana, usque ad annum MDLXXXVI ; *quo nimirum Teneræmondenses Breviario illo proprio uti desierint : hoc est, ut ego quidem interpretor, die* XXVI *Julii de sola* S. Christiana, *cujus tum depositio celebratur ; die* VII *Septembris de utriusque translatione ; ac demum die* XXIX *Decembris de solo S. Hilduardo, ut modo indicatum est.* D

qui S. Christianæ assignatur 26 Julii.

5 *Celebratur, inquam, hoc die depositio seu natalis* S. Christianæ ; *quod præter Acta nostra num.* 7, *testatur Florarium circa medium seculi decimi quinti exaratum, quod ad* VII *Kal. Augusti sic habet :* Apud Flandriam in castello Tenremonda, depositio Christianæ virginis. Hæc E regis Anglorum unica exstitit filia : cui Deus angelum suum in pauperis specie divinitus misit ; ut dulcem sibi sponsam gurgite vivo baptizaret. Tanta vitæ austeritas in dicta Virgine floruit et probitas, ut eam cælitus pascere * omnes affirmarent. Et sic Virgo paterna spernens regna, bono fine completo, cælestem meruit possidere gloriam. *Adde Molanum, tam in Natalibus Sanctorum Belgii, de quo agetur inferius, quam in additionibus ad Usuardum, ubi ex Proprio Teneræmondano hæc scribit :* In civitate Teneremundæ, beatæ Christianæ virginis : quæ regis Anglorum Migranimi filia unica, erga deos suos et idola, secundum patrum suorum traditionem, exstitit devotissima. Hanc omnipotens Deus aspiciens, de cælo illi angelum sub specie pauperis transmisit, qui eam catechizaret, atque in Christi nomine baptizari præcepit : cujus etiam ductu Diclivenne pervenit. *Molanum sequuntur Canisius in Martyrologio Germanico ; Lindanus supra citatus ; Miræus in Fastis Belgicis ; Sanderus in Hagiologio Flandriæ ; Ferrarius in Catalogo generali ; Saussayus in Martyrologio Gallicano ; Arturus in Gynæceo, aliique recentiores ; ecclesia denique ipsa* F *Teneræmondensis traditam hanc a majoribus celebritatem in hunc usque diem constanter observans.*

* an pasci ?

Teneræmondensium pietas erga hos Tutelares suos.

6 *Non stetit hic Teneræmondensium pietas erga urbis suæ ac dominii patronos ac tutelares SS. Hilduardum et* Christianam : *nam præter festa, quæ jam diximus, anniversaria, diem insuper quot hebdomadis unam eorumdem cultui consecrarunt, qua ad aram amborum et mane Sacrum et a meridie laudes solenniter decantarent. Instituta quoque utriusque nomine ac præsidio confraternitas, plurimis cum ab episcopo Gandensi, tum præsertim ab Alexandro VII et Clemente X probata confirmataque indulgentiis : tantum sub idem tempus pecuniæ conquisitum undequaque, quantum suffecit ad elegantem ex argento thecam elaborandam, in quam ex viliori reposita amborum ossa honorificentius asservantur : addita et minor argentea, duas tantum utriusque sacri corporis particulas continens, quæ cum exosculandæ tertia cujusque mensis Dominica populo offeruntur, frequentissimus affluit. Atque hæc quidem, ut et alia plura, fusius explicat*

A *plicat Salomonsius a pag.* 149 *usque ad* 155; *addens, præcipuas in iis omnibus accurandis partes fuisse reverendi domini Petri de Solre, ex musico simul et sacellano Leopoldi archiducis primario tum tandem canonici Teneræmondensis; cujus quidem viri ad res ejusmodi sacras promovendas ardentissimum studium ita depingit, ut eum tam religiosi principis non aulam adeo quam pietatem sectatum agnoscas.*

Acta Sanctæ antiqua interciderunt;

7 *Jam de Actis* S. Christianæ *quid dicam? Nihil jam pridem operosius egimus, quam ut de tam vicina nobis Sancta monumenti vetustioris unde erueremus aliquid; ne loculo quidem ejus (quando alibi inveniri nihil satis ea dignum potuerat) intacto relicto: sed neque in hoc præter ossa sacra reperit quidquam illustrissimus ac reverendissimus dominus Philippus Erardus, episcopus Gandavensis, dum ad id interpellatus, anno* 1728 *Teneræmondum, nulla grandævæ senectutis habita ratione, excurrit, ibique conditum per se ipse thesaurum lustravit. Post tot igitur cum proprios, tum vel maxime amicorum conatus, ad priorum ac domesticam pauperiem inviti*
B *dolentesque redigimur; ad vulgatos, inquam, scriptores Belgii; quos, si in Natalibus Sanctorum Belgii Molanum unam legeris, omnes legeris; unicum enim illum omnes appellant. At ille quem? Officium proprium ecclesiæ Teneræmondanæ. Quam antiquum vero illud? Nescimus, ut jam monui; nisi anno demum* 1527 *excusum, publicam primum in lucem prodiisse Antverpiæ in Breviario, cujus nobis pars æstiva reperiri non potuit, in qua Officium illud Sanctæ liceret expendere.*

Molanus dat illorum compendium ex Breviario proprio:

8 *Molanus vero in opusculo jam dicto, die* XXVI *Julii, rem sine dubio longiorem digitis vix summis attingens, contrahit in hac verba:* Lectionum autem Teneræmondensis ecclesiæ hæc est summa: Ad Christi agnitionem compuncta est [Christiana,] cum quemdam audivisset in Christi nomine eleemosynam petere; voluitque etiam sufficienter catechizata, a Christo CHRISTIANA dici. Cumque virginitatem profiteretur, Aurelium ducem, procum suum, ad Christi fidem attraxit; et in ecclesia Dickelvennæ constituta, cum sanctimonialium secum congregata catervula sanctam vitam exegit. Hanc vero Famulam suam mirabilibus signis mirificavit, qui in Evangelio ait: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet. *Hæc ibi; sed nimis a locis, temporibus, ceterisque adjunctis per Mola-*
C *num avulsa, quam ut rectum de iis judicium ferri tuto possit. An hæc sola ex omnibus Lectionibus excerpsit ille, quia cetera minus probaverit? Certe plura fuisse, nemo dubitabit; quandoquidem hæc vix uni ex pluribus Lectioni sufficiunt. Molani interim tam jejuno compendio ne ipse quidem Lindanus ausus est esse copiosior, nedum scriptores alii; si unum forte exceperis Salomonsium, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Teneræmondanum.*

ex quo plura profert Salomonsius,

9 *Is anno* 1670 *occasione jubilæi, anno illo, tamquam a nativitate S. Hilduardi millesimo, Teneræmondensibus a Clemente Papa X concessi, libellum composuit ediditque sermone vernaculo. In eo Vitam quoque exhibet* S. Christianæ *a pag.* 112, *ipso initio pro se citans Breviarium antiquum ecclesiæ Teneræmondanæ, et auctores quidem alios, sed qui nihil supra Molanum sapere voluerunt; unde conjecturam non inepte facias, si quid ultra Salomonsius afferat, id ex assignato Breviario, quod habuerit ipse, depromptum esse. Quod si est ita; mirari desinant eruditi affectatam in epitome Molaniana brevitatem. Quidquid enim infra ex Ms. Rubeæ Vallis narrabitur a numero* I *usque ad* 7, *id totum etiam narrat Salomonsius: addit vero præterea pag.* 116, *cum ad* Christianæ *baptismum deesset aqua, proruppisse subito e terra fontem, qui per annos deinde multos Londini spectatus fuerit, donec sub anabaptistarum aliorumque hæreticorum adventum vel exsiccata sponte vena, vel obturata, disparuit. Pag.* 117 *et seqq. sancta* Christiana *socias virgines septem ab ethnica superstitione ad Christi cultum adducit; eidem expurgatum Veneris fanum consecrat; in eoque vitam ipsa cum sociabus aliquamdiu instituit monasticæ similem: sic ad nubilem pervenit ætatem; quando ab incauto patre jusjurandum extorquet, ne se invitam cogat ad nuptias.*

sed quæ admirationem excitant potius,

10 *Proci interea principes ambiunt; sed frustra. Hoc inter Aurelius quidam, sive Constantini II Scotiæ regis filius, sive alius ille, qui a Romanis ducebat originem, cognomento Ambrosius, cum nec repelli se, nec superstitiones moresque suos coargui libere a* Christiana *pateretur, gladio manum admovet, Puellam obtruncaturus.* E *At, ecce, dilapsum a latere ferrum, furentis dexteram ultro refugit: percellitur ille; veniam supplex efflagitat; ad Christum convertitur; et suscitato rursum ad* Christianæ *preces de terra fonte abluitur. Dum sic et alios plures cum in Anglia, tum in Scotia Christo parit Virgo apostolica, utriusque in se regni paganorum hæreticorumve incendit odia; quæ ut declinet, in Belgium trajicit cum sociabus, ac Dickelvennæ cum iis monasticam vitæ rationem colit. Id factum vel temporibus florentis istic S. Hilduardi (quem ibi Salomonsius prædicasse statuit ab anno circiter* 745 *usque ad* 750) *vel paulo posterius. Porro in ipso ad hunc locum adventu bina contigere prodigia; primo enim* Christiana *signo crucis dæmonem abegit, qui seniculum mentitus anachoretam, suadebat ei, ne Dickelvennam accederet. Tum in eodem itinere cum eam sociasque per nemora sitis urgeret, precibus ex petra fontem elicuit, scaturientem etiam nunc et haurientibus salutarem. Denique vitam ibi aliquamdiu sanctissime ductam beato fine conclusit. Sunt, qui martyrium illam fecisse velint; verum de hac re nihil certi reperio, inquit Salomonsius. Utinam certi aliquid de ceteris omnibus, quæ* F *summatim hic ex ipso retulimus, siquidem reperit, produxisset?*

quam fidem:

11 *Quis enim credat, seculo demum octavo jam adulto regis in Anglia superfuisse paganos; et quidem Londini, quæ sedes episcoporum regni totius antiquissima censetur, quorum series, saltem ab anno Christi* 658 *numquam deinceps apud Alfordum interrumpitur? Item de Scotia et Aurelio nemo facile admiserit, qui regni istius historias vel obiter inspexerit. Aurelium vero hunc statui vel Constantini II filium, vel Aurelium Ambrosium, quis non mirabitur? Certe Constantini II Scotiæ regis filium Aurelium ignoravimus hactenus. Finge tamen fuisse; an ethnicum finges Christiani patris filium; an medio seculo nono priorem? Et procum hunc faciet* S. Christianæ, *qui eam tempore S. Hilduardi, vel paulo post jam stiterat Dickelvennæ? De Aurelio Ambrosio, qui seculi quinto floruit, res adeo est absurda, ut ne refelli quidem debeat. Feriet, credo, etiam cordatum lectorem, quod de Sanctæ parentibus narratur: nam si erant hideorum adeo*

AUCTORE P. B.

adeo professi cultores; cedo, qui porro amare poterant Puellam, a qua dejectas eorum statuas arasque, ac fanum Christiano ritu consecratum nec ignorare poterant, nec vero etiam tolerare? An et hos ad Christum Christiana *convertit? Cur igitur ad religionem asserendam colendamque profugere in Belgium debuit? Quid cetera prosequar tot plena prodigiis, ut omnium, si vera sunt, litteris commendanda merito fuerint? Horum interim neque Scoti quidquam, neque Angli meminere: ut frustra ex horum bibliothecis aliquid ad hanc historiam præsidii Salomonsius pag.* 121 *sibi relictum putaverit.*

cum nihil horum apud Anglos Scotosve sit scriptum.

12 *Tantum enim abest, ut ne ipsam quidem Sanctam Scotorum Fasti umquam noverint; quod ex Dempstero, et Camerario liquet. Ex Anglis primus eam agnovisse videtur Wilsonus; sed ex Molano tantum, et quidem perobscure, ut supra num.* 2 *probavimus. Agnovit et Alfordus noster in Annalibus ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ad annum* B *Christi* 660 *num.* 43; *at non ex patriæ monumentis, in quibus tamen versatissimus erat, verum ex Miræo, Saussayo, Wilsono dumtaxat: negat enim, se de* S. Christiana, *præterquam apud auctores hosce, quidquam reperisse. Itaque cum de ejus ætate nihil apud illos legisset,* Quo tempore, *inquit*, Christiana vixerit, non invenio: sed quia constanter asseritur, e regia Anglorum stirpe descendere, et a parentibus docta deos et idola aliquando coluisse, ad hoc potius, quam ad sequens seculum videtur referenda. *Sic ille, et quidem satis caute juxta historiam Anglicanam.*

Ætas Sanctæ.

13 *Nostrates tamen, quicumque tempus aliquod assignant, Dickelvennam eam venisse volunt, superstite S. Hilduardo, hoc ducti argumento; Venit huc* S. Christiana, *ut religionem catholicam tranquille posset exercere: non potuisset autem ante S. Hilduardum, qui fidem huc primus Christianam invexit, eaque Magriptium tandem dynastam imbuit, hostem antea in hoc tractu Christiani nominis infensissimum: non igitur advenit ante hæc tempora. Sed neque serius multo venisse dicenda est, quandoquidem parentes habuit reges ethnicos, quales in Anglia superfuisse diutius, vix credibile est. Cum ergo obierit S. Hil-* C *duardus anno* 750 *(ut uni omnes Meyero credunt) vel paulo ante, vel paulo posterius huc appulisse* Christianam *statuunt. Vacillabit hæc argutatio, si vel cum Lindano neges, religionem catholicam ab Hilduardo istic duxisse primordia; vel Hilduardum ipsum antiquiorem feceris: sunt enim intricatissima ejus Acta. Verum hæc loco suo discutienda remittimus, receptam interim chronologiam secuti.*

et Vita, quam subjicimus.

14 *Superest modo, ut* S. Christianæ *Vitam qualem qualem subjiciam; non quia antiqua est, aut magni pretii; sed quia minus recens, quam cetera, quæ huc usque de Actis hujus Virginis produximus, omnia: est enim desumpta ex secunda parte Hagiologii Brabantinorum, quod Ms. servatur apud canonicos regulares S. Augustini in Rubra valle juxta Bruxellam, collectum olim a Joanne Gilemanno, ibidem canonico et suppriore; qui post collectiones ejusmodi plures, quibus ætatem insumpsisse videtur,* obiit *(teste Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica)* anno Domini CIↃCCCCLXXXVII; *hoc est, annis omnino quadraginta ante excusum Breviarium proprium ecclesiæ Teneræmondensis, quod unicum in hac re Molani recentiorumque scriptorum promptuarium fuit. Est igitur hæc Vita ejusdem propemodum* D *ætatis, cum elogio quod num.* 5 *ex Florario Sanctorum Ms. recitavimus, tamquam antiquissimum, quod quidem reperire scriptum potuerimus, publici in Ecclesia cultus,* S. Christianæ *olim exhibiti, monumentum: ad eumdem proinde confirmandum, etsi alia nulla esset causa, ut valerere plurimum possunt, sic omitti minime hæc Acta debuerunt; saltem ea parte, quæ ad* Christianam *pertinet: nam quæ sub finem de S. Hilduardo junguntur, hic amputabimus; ut suo tempori reserventur. En igitur ipsa eum Prologo, qui ad Hilduardi historiam multo breviorem non minus refertur ab auctore, quam ad longiorem* S. Christianæ.

VITA

Auctore Joanne Gilemanno ex Ms. cœnobii Rubeæ vallis. E

PROLOGUS.

Cur Acta Sanctorum perquirenda sint et scribenda.

Magnum summopere studium in perquirendis Sanctorum gestis est nobis adhibendum; quia pretiosa est in conspectu Domini mors eorum; quemadmodum nimirum exstitit et vita laudabilis: non enim parum obest, si a nobis nesciantur; sed pro maximo damno reputabitur nobis, si fideliter et utiliter a nobis non perquirantur. Scimus quidem, eos pro Domino temporalia contempsisse, ac cælestia toto corde quæsisse, sicque expleto sui agonis cursu, divina suffragante clementia, ad æternam gloriam transmigrasse; quia, secundum Scripturæ sacræ testimonium, fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Sic igitur Sancti a nobis sedule sunt venerandi, ut interventionibus eorum gloriæ, quam perceperunt, mereamur consortes inveniri. Hinc est, quod Vitas Sanctorum, quorum corpora post mortem ad partes nostras translata sunt *a*, sub compen- a F dio hic recensemus: quorum virtuosa gesta dum a fidelibus leguntur, incitamentum fidei præstant; et, ne a via Dei decidamus, exemplis animos nostros tangunt, atque admonent, ne a Dei amore pigrescant.

ANNOTATA.

a Post mortem ad partes nostras translata *dicuntur corpora SS. Hilduardi et* Christianæ, *quia in partibus nostris post mortem requiescunt: in partibus enim nostris, hoc est Dickelvennæ, ambo vixerunt, ibidemque mortui sunt, atque inde ad vicinam postea urbem Teneræmondam translati: quod de S. Hilduardo fatetur Gilemannus; de* S. Christiana *vero Officium et traditio Teneræmondensium. Imo extractum, quod accepimus, ex Annalibus Mss. cœnobii S. Petri in Dickelvenna, quod nunc est, S. Adriani Gerardimontibus, sic habet:* Eo quoque tempore *(quo S. Hilduardus Dickelvennam advenit, anno, ut ibi notatur,* 733) S Christiana, regis Anglorum Migranimi filia, per angelum sub specie pauperis eleemosynam petentis Dickelvennam deducta, ibidem baptizata, et cum sanctimonialium

A nialium secum congregata catervula, sanctam exegit vitam. *Verum de baptismo Dickelvennæ suscepto non consentit ecclesia Teneræmondana, cujus traditioni plus tribuendum videtur, quam hisce Annalibus, qui nisi interpolati dicantur, antiqui esse non possunt; cum in iis citetur Meyeri Chronicum.*

HISTORIA.

a Parentes gentiles dum prolem ab idolis expetunt,

In diebus illis exstitit quidam Migranimus nomine, Anglorum rex *a*, præpotens quidem genere, divitiis, potentatu et gloria; sed gentilitatis errore devians, deosque surdos, cæcos et mutos religionis ritu colens ac venerans. Hic sibi conjugem, ingenuis progenitoribus laudabilem accepit, quæ Marona dicebatur, et apud Albam *b* oriunda ferebatur. Hæc quoque cum gentilis esset, erga idolorum cultum non mediocri devotione fervebat, dans illis honorem, B et impendens solicito corde libamina. Itaque ad hoc vacabat uterque, ut deos sedulo placaret obsequio, quos se credebant offendisse in aliquo: multo enim tempore insimul conversati, nullius sobolis generandæ poterant habere facultatem; ideoque continuis precibus instantes, supplicabant idolis, quatenus mererentur habere prolem, quæ suarum rerum heres exsisteret, ac in regni gubernacula juxta eorum vota succederet.

unicam a vero Deo filiam obtinent;

2 O insensati, lapidibus comparandi! Quid a surdis petitis exaudiri? Non enim sunt dii, quibus exsolvitis vota; sed opus manuum hominum, imo dæmonia. Sed Deus omnipotens, totius creaturæ factor, omniumque, antequam fiant, cognitor, sine quo nihil concipitur, nil generatur, noluit eos fraudari desiderio, noluit eos privari optabili voto: nam præstitit eis generare unicam Filiam, quam petierant: quæ * nata non est narrandum quanta exultatio, quantum fit parentibus gaudium; gaudent cognati, gaudent vicini, gaudent etiam ditioni regiæ obnoxii.

** forte qua*

quæ et ipsa idolis devota prorsus fuit,

C 3 Hæc cum ablactaretur, et robur majoris ætatis proficisceretur *, se amabilem cunctis exhibebat, se cultui idolorum exquisita religione præparabat: cujus rei gratia pater in honorem Veneris templum ædificans, septem in eo cum necessariis victibus instituit puellas, quæ in virginitate permanentes, inibi jugiter deservirent, quatenus earum supplicationibus Filia sua bono participaretur conjugio, ac salutis et vitæ longioris frueretur dono. Illa, paternæ traditionis religiosius ceteris observatrix et imitatrix, cum sacrificantibus simul aderat; illa humiliter Veneri supplicans, vix a templi liminibus discedebat: credebat namque, divinitatis sibi inesse virtutem; credebat, ipsam ad se clamantium [vota] exaudiendi habere potestatem: nec mirum; quippe cujus cultus ritum pater eam docuerat, venerabatur et tenebat; quodque natio sua colebat *c*, ipsa quoque uniformiter frequentabat et exercebat.

** an. proficeret ?*

donec, audito Christi nomine,

4 Verum mundi Salvator, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem sui nominis pervenire, non diu passus est ipsam in illius erroris periculo permanere; et qui Paulum visitavit ecclesiam persequentem, visitavit illam idola colentem. Nam quadam die contigit, quod quidam pauper sub peregrini habitu ab ea eleemosynam peteret, illam obtestans sub Christi nomine, ut sibi misericordiæ viscera in dando aperiret. Audiens igitur hujus nominis invocationem, cœpit admirari, quis ille fuerit; existimans, aliquem fuisse magnum, pro cujus nomine, quod poscebatur, negare non deberet. Unde ipsa fecit illum Christi repetere nomen: cujus essentiæ subtilius cœpit inquirere qualitatem. Jam ejus mentem ignis divinus accenderat, jam cor ejus supernæ inspirationis illustratione flagrabat.

EX MS.

ab angelo; pauperis formam induto, ad presbyterum adducta est.

5 Itaque de Christo diligentius inquirenti, pauper prælibatus respondit, ipsum esse omnis creaturæ Dominum, et omnium, qui in eum confidunt et credunt, a peccatis Redemptorem. Est, ait, in hac urbe quidam presbyter, qui scit ad Christi agnitionem perducere credentes; sed promittas mihi, illum te patienter audire in omnibus, et mihi pigrum non erit, cum tibi sit necessarium, tuis ipsum exhibere conspectibus. Illa autem hæc audiens, gavisa est, promittens, E se in cunctis assentire, quæ sibi crederet annuntiari ad suæ salutem animæ pertinentia. His dictis, festinabat uterque, altera presbyterum videre, alter ipsam adducere. It ergo reditque peregrinus: moxque sacerdos præsentatur. Unde nemo ambigat fidelium, ipsum peregrinum, Dei fuisse angelum.

qui instructam baptizans, Christianam appellavit.

6 Igitur in locum semotum secessit sacerdos cum illa: cui denuntiavit ipse, quomodo, primo parente peccante, omnis ejus posteritas in infernum descendens, diabolicæ potestati cessit, et quomodo Dei Filius homo factus est et crucifixus; sed die tertia resurgens, ut Deus, portas inferni disrupit, suosque a potestate diaboli liberavit: et adjecit, neminem tamen cælestis gloriæ participem fieri posse, nisi renatus fuerit baptismatis fonte. Quare si vis, ait, ab æterna morte liberari, et perpetua vita frui, opus habes hujus lavacro regenerationis ablui. Cumque illa respondisset, velle se facere quod hortabatur, mox cum aqua præparatur ibi vasculum *d*, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatur: quæ postulans, ut a Christo nomen acciperet, Christiana vocata est.

miraculum in baptismo; perpetua virginitas; vita et mors sancta; translatio.

F 7 Quid autem miraculi ibi Dominus ostenderit, non est silentii nube tegendum: ex quo enim in fontem descendit, splendor nive candidior veniens e cælo, utrumque circumfulsit, non inde recedens, donec completo baptismatis mysterio, egressa est e lavacro *e*. Quam in spe vitæ futuræ roboratam, in fide Trinitatis confirmatam, et vinculo caritatis alligatam, sacerdos ille monuit, ut Deo in timore serviret, et virginitatis suæ florem inviolatum conservaret; quod per totam vitam suam cum omni diligentia facere studuit. Unde constat, quod per virtutum copiam, quas in hac vita, dum advixit, bene et sancte ac laudabiliter vivendo congregavit, meruit æternam gloriam, qua ipsam Christus in cælestibus beavit.

Celebratur autem festivitas ejus septimo Kalend. Augusti; translatio vero ipsius una cum translatione sancti Hildewardi episcopi et confessoris *f* in civitatem quondan Brabantiæ *g*, nunc Flandriæ, Teneramundam *h*, VII Idus Septembris.

ANNOTATA.

EX MS.

ANNOTATA.

a *Ferrarius in notis ad Catalogum generalem Sanctorum hoc die ait*, Migranimum, *seu, ut ipse scribit,* Migramnum *hunc Merciorum in Anglia regem fuisse. Unde id novit? Non ex Canisio utique aut Molano, quos hic solos citat; imo nec ex ullo, quem sciamus, alio. Certe nec in Merciorum, nec in aliorum quorumvis Angliæ regum serie ulla ullus uspiam invenitur* Mignanimus. *Regem tamen hunc Angli non rejiciunt, sed inter ignotos cum aliis non paucis reponunt; ut imprimis videre est apud illustrissimum Richardum Smitheum in Floribus historiæ ecclesiasticæ Anglorum lib.* 2, *cap.* 8, *sect.* 2, *num.* 1.

b *Salomonsius pag.* 113 *pro* Alba *melius legendum putat* Albion, quæ urbs est, *inquit*, Scotiæ: *imo non urbs aliqua, sed insula est, totam cum Britannia Scotiam complectens. Legendum ergo* B *hic potius* apud Albaniam, *quo nomine appellatam fuisse solam Scotiam, docet Camdenus in sua Britannia pag.* 707.

c *Non est ergo verisimile, eam fuisse natam educatamque Londini, ut innuit miraculum suscitati istic, cum esset baptizanda, fontis, apud Salomonsium in Commentario supra num.* 9: *siquidem seculo octavo id accidisse quis velit: nam e toto regno Anglo-Saxonum orientalium, sub quo et Londinum censebatur, jam dudum sublatæ fuerant omnes ethnicæ superstitionis reliquiæ, omnia deorum fana aræque destructa, accurante Wulfero Merciorum rege, et Sebbo, qui cum Sighero Anglo-Saxonibus orientalibus imperabat, rem vero exsequente Jarumanno episcopo, idque anno* 665, *ut Alfordo placet. Qua de re vide Bedam Hist. eccles. gentis Anglor. lib.* 3, *cap.* 30.

d *Vides, ignorasse Gilemannum, quæ de prodigioso fonte Londini elicito duobus fere posterius seculis tradit Salomonsius supra in Commentario num.* 9.

c *Hoc est, e loco, ubi baptismum susceperat:* D *neque enim lavacrum ingressa fuerat; cum id numero superiori* vasculum *tantummodo fuisse dicatur.*

f *De* S. Hilduardo *agendum erit* 29 *Decembris.*

g *Fueritne umquam Brabantici juris Teneræmonda, copiose discutit Lindanus lib.* 1, *cap.* 5.

h *De tempore translationis hujus dictum est in Commentario a num.* 1: *de modo autem varie scribunt auctores: nam Gilemannus hic noster agens de S. Hilduardo, cujus ossa simul cum ossibus* S. Christianæ *translata dicuntur, sic habet;* Quo de loco *(puta Dickelvenna)* viri Teneræmundenses veneranda ejus ossa rapuerunt, atque cum summo exultationis jubilo Teneræmundam transtulerunt. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii die* 29 *Decembris omittit vocem duriusculam* rapuerunt, *solamque adhibet* translerunt. *Salomonsius pag.* 147 *raptum diffiteri non videtur; sed benigne, si modo vere, eumdem explicat: ait enim, ob infestationes Normannorum assiduas Teneræmondam profugisse vicinos undequaque rusticos, et eos inter etiam Dickelvennenses; sed ab his, rem potius domesticam ac privatam, quam publicam sacramque in illa trepidatione cogitantibus, relictas fuisse Dickelvennæ Sanctorum suorum reliquias; quod ubi intellexerint Teneræmondani, tanto mox ardore divinitus correptos fuisse, ut eo statim clerus cum armata civium turma contenderit, fugatisque barbarorum prædonibus, Sanctorum corpora, præsenti erepta periculo, in urbem secum non sine ingenti gaudio asportaverit. Aliter Annales Mss. Dickelvennensis monasterii*, Anno, *inquiunt*, DCCCXLVI, VII Septembris, supradictus abbas *(Andulphus, eidem cœnobio præfectus ab anno* 838, *ut ante ibidem dictum erat)* et religiosi monachi metu Normannorum ex Dickelvenna reliquias S. Hilduardi una cum reliquiis S. Christianæ Teneramundam transtulerunt; ibique aliqui religiosi cum suo abbate permanserunt, dispersis aliis etc. E

C DE SS. BENIGNO ET CHARO EREMITIS F

P.B.

MALSESINI PROPE VERONAM IN ITALIA

Sec. IX sub initia. Coluntur hoc die

Malsesini pago Veronensi SS. Berigni et Chari eremitarum. *Ita hoc die Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum; qui de* Malsesino *ibidem subdit in annotatis, esse pagum apud Benaci lacus oram situm, ab urbe Verona* 15 *millibus passuum distantem: annuntiationem autem ipsam hodiernæ ipsorum celebritatis hausisse se ait* ex tabulis ecclesiæ Veronensis. *Citat præterea in hanc rem Augustinum Valerium episcopum Veronensem ac deinde S. R. E. Cardinalem, qui in Monumentis antiquis atque historiis episcoporum Veronensium et aliorum Sanctorum, quorum corpora vel ecclesiæ sunt apud Veronam, ab eo simul et Raphaele Bagata ac Baptista Peretto compositis, editisque anno* 1576, *fol.* 19 *sic habet:* Ad famam miraculorum, quibus sancti Benignus et Charus claruerunt, et devotionis et religionis causa quamplurimi ex finitimis populis, præsertim Brixianis, ad sancta illorum corpora visenda, quotannis Malsesinum se conferunt nostris etiam temporibus die XXVI Julii, quo eorum festum solenniter celebratur. *Idem Ferrarius eadem affirmat eodem die in Catalogo Sanctorum Italiæ; ubi longiori Sanctos hosce exornat elogio. Eodem die Brautius in Martyrologio poëtico sic illis accinit:*

Tangere sunt habiti digni veneranda Benignus
Et Charus, soli præsulis ossa sacri.

Quid velit poeta, ex sequentibus intelliges. Castellanus eosdem etiam hoc die refert. Silent tamen Martyrologi antiquiores.

Malsesini, in ecclesia S. Stephani; ubi honorifice

2 *Itaque* SS. Benigni et Chavi *(verba sunt Augustini Valerii fol.* 18*)* eremitarum corpora requiescunt Malsesini, diœcesis Veronensis, in ecclesia S. Stephani, ut ex literis in pariete post altare majus ipsius ecclesiæ [legitur,] ut infra: „ Anno Domi„ ni MCCCXIV, Indictione XII, de mense Maii, „ tempore fratris Gregorii, archipresbyteri ipsius plebis.

A „ plebis, inceptum fuit opus istius Truinæ, et „ eodem anno perfectum. Et de mense Novem- „ bris ven. pater, dominus frater Thebaldus, „ Dei gratia episcopus Veron. diligenter repo- „ suit reliquias, seu corpora SS. eremitarum „ BENIGNI et CHARI, involuta quodam pallio, „ in quadam arca pulcherrima de petra excisa „ sub isto altari tempore consecrationis ejusdem. „ Actum fuit hoc præsentibus multis prælatis, „ presbyteris, et clericis, atque omni populo astante, „ præsenti nobili milite ac viro probissimo, domi- „ no Cane de la Scala, in Verona et in Vicentia „ sacri imperii vicario.

„ BENIGNUS et CHARUS, uterque merito cla- „ rus,
„ Sub hoc altari meruerunt digne locari.
„ Sancti Zenonis, urbis Veronæ patroni,
„ Hi duo transferre reliquias commeruere.
„ Pontifex Thebaldus hos colit, atque Rotal- „ dus :
„ Rotaldus in vita ; Thebaldus tumulat ita.

an. 1314 locata eorum corpora, erectumque sacellum :

B 3 *Est* ecclesia S. Stephani *una, opinor, ex triginta sex archipresbyteralibus diœceseos Veronensis, quas enumerat Ughellus tom.* 7, *col.* 1430 *et sequenti, ubi appellatur* S. Stephani de Malcisione. *Sed quid sibi velit* Truina *in textu descripto, assequi non potuimus ; eodem tamen modo exprimitur apud Ughellum in episcopis Veronensibus tom.* 5, *col* 849. *Franciscus Pona in Vita* SS. Benigni *et* Chari, *sicut et Cornelius Curtius, qui eam ex Italica Latinam fecit*, sacellum *intelligent* magnificum, *quod a Theobaldo in ecclesia S. Stephani Sanctis hisce post altare majus erectum sit. De* Theobaldo *videri multa possunt apud Ughellum ibidem a col.* 839. *Sedit Veronæ per annos* 34, *mortuus nonagenario major anno* 1331. Rotaldus *vero eamdem ecclesiam administravit ab anno Christi* 802 *usque ad annum saltem* 824, *ut idem auctor docet ibidem a col.* 599. *Hic non tantum viventes* Benignum *et* Chartum *in pretio habuit, ut patebit ex narratione mox danda ; sed etiam defunctos; siquidem eos, ut auctor est Hieronymus dalla Corte Hist. Veron. lib.* 4, *pag.* 189 sepeliri curavit in ecclesia S. Zenonis [*in Malsesino,*] *ubi, inquit*, ad hodiernum usque diem reperiuntur, C *hoc est usque ad annum* 1594, *quo Historiam ille suam edidit. Consequens est, ut eadem sit ecclesia Malsesini S. Stephani et S. Zenonis ; si tamen hic vera prædicat. Addunt citati Curtius et Pona, celebrem eis diem ab eodem Rotaldo assignatum fuisse* XXVI *Julii ; sed unde tantam hujus festi antiquitatem eruerint, nec ipsi dicunt, nec ego comperi.*

quamquam et alibi reperiantur aliquæ reliquiæ.

4 *Ceterum quamquam Malsesinenses præcipuam reliquiarum partem, atque adeo amborum corpora conservent; non nullæ tamen earum ad alias Veronensium ecclesias devenerunt; puta ad S. Thomæ Cantuariensis per Theobaldum episcopum anno* 1316, *quod tradit Ughellus tom.* 7, *col.* 1452 ; *aliasque, quas in laudatis Monumentis SS. episcoporum Veronensium assignat Augustinus Valerius; ut ad S. Firmi minoris. fol.* 79; *ad S. Mariæ Magdalenæ, fol.* 84 *verso ; ad SS. Tuteriæ ac Tuscæ, fol* 87 *verso ad S. Zenonis in Oratorio, fol.* 38. *Nunc ex eodem auctore ea subjicimus, quæ de* SS. Benigni *et* Chari *gestis propemodum sola in antiquioribus monumentis supersunt. Hæc fol.* 18, *e vetusto ecclesiæ cathedralis Veronensis Lectionario desumpta, sic habent* :

AUCTORE P. B.

Vocantur e solitudine ad translationem S. Zenonis.

5 Cum Rotaldus Veronæ episcopus, et Pipinus, Caroli Magni filius, una cum universo clero et populo Veronensi, S. Zenonis corpus ex sua ecclesia in Oratorio in majorem ejus ecclesiam transferre tentarent, et nemo sancti viri ossa attingere auderet, quod divinum quoddam ex loco, ubi jacebant, timorem incutiens omnes propemodum exanimaret, SS. BENIGNUS, et CHARUS ejus discipulus, qui in vertice præcisi montis in ora Benaci prope Malsesinum loco solitario vitam eremiticam degebant, fama sanctitatis illorum audito, Veronam ab episcopo et rege (Deo inspirante) ad illud sacrum opus accersiti, soli suis meritis digni habiti sunt, qui illud sanctum corpus contingerent atque transferrent.

Benigni miraculum, et severitas in semet ipsum.

6 Beati illi Viri quantum miseris omnibus compaterentur, quamque duriter vel levissimum quodque peccatum in se ipsis castigare consuescerent, hinc facile dignosci potest : nam cum diabolus eis prohibere conaretur illud opus transferendi sancti viri corporis ; et ob eam rem suo maligno impulsu illis, Veronam contendentibus, merulam immisisset, quæ perstrepentibus alis, voce clocitante, per angustum et præruptum callem E transvolitando, tamquam sinistrum omen portendens, eos ab incepto revocaret, sanctus BENIGNUS avim abjuravit *, ne ab eo loco dimoveretur, quousque Veronam redirent. Verum cum rediens, eo in loco merulam jacentem vidisset, ratus eam quiescere et suum adventum præstolari, accessit, ut illam excitaret et dimitteret. Sed mortuam illam conspicatus, quadraginta dierum arctissimum jejunium sibi indixit, dicens, venia, non morte, dignam fuisse ; quippe quæ irrationabilis esset, et instinctu dæmonis deliquisset. In cujus rei memoriam merula ex ære conflata eo in loco pependit. *Hactenus Lectionarium in opere citato, ubi mox subditur :* Prædicta merula ex ære nostris etiam temporibus (*anno* 1576) super altari majori S. Zenonis in monte Malsesini asservatur.

* an. adjuravit

Hæc translatio facta circa an. 809.

7 *Eamdem historiam paulo succintius narratam dedimus ex Petro Calo ad diem, quo de S. Zenone est actum, duodecimum Aprilis pag.* 75, *num.* 2 *et* 3 ; *ubi id imprimis notandum est, quod* Benigni *discipulus non* CHARUS, *sed* LAZARUS *appelletur ; sive utrumque hoc illi nomen fuerit, sive alterum error adscripserit :* F *primum certe passim occurrit ; non item secundum. Porro ex utroque instrumento tum citato tum recitato pronum est colligere, quo tempore res hæc acciderit, floruerintque adeo Sancti nostri : nam ex Lectionario quidem constat, id factum nec ante annum* 802, *quo Rotaldus sedem primum Veronensem adeptus est ; nec post annum* 810, *diemque* VIII *Julii, qui Pippino, Caroli Magni filio, supremus fuit : ex Calo autem, id contigisse statues haud sane diu ante obitum Pippini; quandoquidem juxta illum contracta primum fuerit et frequenti firmata consuetudine Pippinum inter et Rotaldum jam episcopum familiaritas ; tum ex ea natum de illustrando S. Zenonis sepulcro commune consilium ; atque ædificata tandem* ecclesia de politis marmoribus et tumulus fabricatus, *opere utique regio, cui annos aliquot insumi necesse fuerit, antequam absolveretur, sanctique Zenonis transferri eo possent reliquiæ. Hæc, nisi fallor, Hieronymum dalla Corte moverunt Hist. Veron. lib.* 4, *pag.* 187, *ut hanc translationem usque ad annum Christi* 807 *differret ; longius eam forte protracturus,*

AUCTORE P. B.

cturus, si biennio serius, quam ipse statuat, vixisse Pippinum novisset. Hunc interim sequuntur aliqui recentiores.

Quæ præterea de ipsis narrantur a recentioribus,

8 *Atque hæc sunt, quæ de* SS. Benigno *et* Charo *vetustiora produnt instrumenta. Neque vero siquid præterea solida fultum auctoritate apud Veronenses superfuisset, id Bagatæ Peretti, ac Valerii accuratam in istiusmodi rebus conquirendis effugisset facile diligentiam. Viderunt illi alia suis temporibus recentia; sed minime probaverunt; uti ex his eorum verbis fol.* 18 *verso liquet :* Hinc patet, libellum illum Antonii Bressanini de sanctis viris Benigno et Charo, vulgari lingua conscriptum, veridicam narrationem seu historiam non continere. *Itaque operæ pretium non duxi, si in illam Vitam inquirerem. Multo minus adduci potui, ut Vitam hic ederem, quam sive Italice dedit Franciscus Pona anno* 1636, *sive anno sequenti Latine Cornelius Curtius. Quamquam enim eadem utrobique continet, quæ modo dedimus; tamen neque hæc ipsa, neque quæ his adjiciuntur, ullo vetustiori teste tabulave productis in medium asseruntur : neque proinde majorem fidem merentur, quam talium scri-* B *ptorum ætas exigit; nisi aliunde confirmentur.*

9 *Porro quæ isti rebus huc usque relatis addunt,* D *paucula sunt; et primum quidem,* Benignum *et* Charum *Veronæ natos volunt; deinde eremitas fuisse Augustinianos; præterea sculptores, ut qui imaginem illam Deiparæ effinxerint, quæ nomine* Matris Pietatis *seu* misericordiæ *in æde Augustinianorum Veronensium ad S. Euphemiam percelebris est; denique vita defunctos esse paucis annis ab instituta S. Zenonis translatione, et quidem eodem ambos die* XX *Julii; ut etiam diserte affirmat dalla Corte lib.* 4, *pag.* 189. *Tintus tamen de Nobilitate Veron. lib.* 5, *cap.* 12 *assignat natalem eis diem* XXVI *Julii; credo, quod ille Beatorum cultui sacer erat. Quorum omnium solida desiderantur merito fundamenta; quantumvis eorum aliqua scriptores quidam Augustiniani ex Curtio adoptaverint; ut Nævius in Eremo Augustiniana pag.* 209, *et Elssius in Encomiastico Augustiniano pag.* 122. *At Pamphilus in Chronico, Simplicianus Sammartinus, Ludovicus Torellus (qui tamen Bononiæ in Italia scripsit anno* 1647*) in Vitis Sanctorum Ordinis Eremitarum S. Augustini,* E *Thomas de Herrera in Alphabeto Augustiniano, horum Sanctorum ne mentionem quidem uspiam, quod viderim, faciunt; nedum illos inter suos recensent.*

indigent probatione.

DE S. GLISENTE SEU GLISENTO

CONFESSORE

IN TERRITORIO BRIXIANO

J. B. S.

SYLLOGE

De aliquali cultu et mirabili Vita

Forte sec. IX. Fastis omnibus incognitus

Sanctum hunc qualemcumque, sacris omnibus Fastis, et quidem Ferrario diligentissimo cetera Sanctorum Italorum, et maxime sibi vicinorum collectori, plane incognitum, refodisse alicunde videtur Obitius Capuccinus, de Nobilitate* C *te Brixiæ, apud Bernardinum Faynum in Martyrologio Brixiano hoc die, ubi refertur, in Domino obdormivisse die* VI *Augusti; nisi antiquior sit M. R. P. Eleutherius de Palazolo prædicatur Capuccinus qui historiam vitæ scripsit, infra repudiandam, apud quem nec dies nec annus notari potuit, quibus Sanctus obierit, utpote de quo non nisi obscurissima memoria apud Brixianos olim superfuisse videtur. Id certum asserit Faynus, circumvicinis populis devotionis ergo visitari ejus* oratorium ad speluncam, *in quo corpus ejus creditur depositum, nempe* in territorio Bertii Vallis Camunicæ erecto, *ubi olim Sanctus vitam exigerit. Porro idem ipsum oratorium* ab episcopis Brixiæ per longa secula recognitum *hodiedum superest, præcipuum, quod quidem noverim, cultus* S. Glisentis *monumentum.*

ex iis quæ Faynus adducit

2 *Fatetur laudatus Faynus,* in visitatione apostolica S. Caroli Borromæi, quia pollutum et profanatum fuerat, interdictum, *quod sanctissimum Cardinalem facturum non præsumitur, si tanta fuisset loci istius et constans antiqua veneratio.* Sed postea, *inquit idem scriptor*, anno MDCXIII, sedente Brixiæ episcopo Joanne Francisco Cardinale Mauroceno, ab Antonio Francisco Botio, primicerio collegiatæ SS. Nazarii et Celsi, et protonotario apostolico, in hac parte ejus commissario, ab interdicto restitutum; ut liquet instrumento rogato per Simonen Hieronymum Beccagustum notarium Eseni VI Augusti, apud Communitatem Bertii servato. A populis hac ipsa die (XXVI Julii) devotionis ergo invisitur, forte quia ab illis, de terra Collii furatum, ut fer- F tur, aliquando ejus corpus, sub hac die restitutum fuit. Mons etiam, ubi is Sanctus latitabat supra terram Bertii, sancti Glisentis nomen sortitus est.

in Martio Brixiano

3 *His, opinor, innixus Faynus* sanctum Glisentem *istum jam dicto Martyrologio suo Brixiano hoc die inseruit, sumpto brevi elogio ex citata jam a me Eleutheriana historia, vel ex æque miranda inscriptione brevi recitanda, in hunc modum;* Brixiæ *(voluit dicere in Brixiana ditione)* sancti Glisentis confessoris; qui miles Caroli magni contra paganos cum decertasset, divino perculsus lumine, vitam cælestem apud vallem Camunicam, in summa asperitate aggressus est; animalibus illi quotidiana præbentibus alimenta. Cælum deinde petiit, dignus ut in ejus speluncæ loco, designante columba, ecclesia erigeretur. *Paucis istic multa complectitur, populari haud dubie traditione narrari istic solita, quæ qua firmentur auctoritate, equidem explorare nequivi hactenus; Sanctum hic non admissurus, nisi Fayni dictis fidem habuissem, quo usque de cultu*

A *cultu aliquo testimonium dicit non omnino rejiciendum. Addit etiam,* in ecclesia parochiali illius loci exstare pictam effigiem hujus, amictu eremitico indutam; perantiquam quidem, et quæ prius erat in dicto oratorio, sub qua sequens ejus vitæ legitur antiquum monumentum.

cultu aliquo gaudere videtur:

4 Hic est sanctus Glisentus Gallicus, qui tempore Caroli regis fuit miles strenuus et virilis; et una cum rege tempore paganorum luctabatur pro fide Christiana in valle Camunica. Tandem illuminatus divino spiritu, ascendit super hunc montem, et hic duxit vitam eremiticam; cui, Deo favente, apparebat quotidie quædam ursatula portans ei poma et alia silvestria pro suo alimento. Concurrebat etiam ovis cum suo lacte, quam sæpe mulgebat. Hoc modo in hac spelunca vitam suam secreto finivit. Multi pie quæritantes ejus corpus, viderunt columbam portantem ligna et folia super hanc speluncam pro ecclesiæ ædificatione, et ipsi appropinquaverunt; ubi multis miraculis illustrati, in ejus honorem hanc ecclesiam ædificaverunt. *Hactenus inscriptio* B *quæ vel ex Eleutheriana oratione contracta fuerit, vel forte ipsa materiam condendæ historiæ præbuerit. Quam ætatem sapiat, non divino; recentiorem esse, quam ut fidem faciat, evidenter probat tot prægressorum seculorum de Sancto æque ac ipsius gestis silentium.*

5 *Ceterum ecclesia ista seu oratorium, et perseverans populi veneratio ab Ordinariis saltem permissa, unicum est argumentum quod me ad admittendum Sanctum impulerit, nam si ad historiam Eleutherianam recurratur, ea merum drama est, seu pie meditata comœdia, ex qua sola si probanda esset Viri sanctitas, me quidem judice, tota corrueret. Est ea Ms. Italicum in* 4, *paginarum circiter novem, minuto charactere, quarum sex et dimidia excidium Gothorum et Longobardorum satis mire decurrunt; deinde Carolum magnum cum S. Papa Leone III et septem aliis episcopis per agrum Brixianum mirifice circumducunt, castra plurima comitum Judæorum et ethnicorum, ibidem dominantium, quorum nomina Brixiam derivari potuerint, gloriose expugnantem, ad fidem Christianam omnes convertentem atque ecclesias ubique exstruentem, quas innumeris indulgentiis et Papa et episcopi certatim ditaverint. Porro* Gliscus *iste,* Glisentes *vel* Glisentus, *Gallus seu Francus militiæ pertæsus, bona Caroli venia solitudinem subiit, atque in montem se recepit, ubi ab ursa et ove sustentatus, tandem sancte mortuus sit, aliis fictionibus exornatus. Quæ omnia ut impossibilia non esse, ultro et libenter* E *fateor; alia certe quam scriptoris novissimi auctoritate fulcienda esse, prudens quilibet rerum æstimator facillime intelligit, ut hujusmodi centoni Latine vertendo edendove supersedendum omnino censuerim.*

AUCTORE J. B. S. at rejicienda est vita historia.

DE S. SIMEONE MONACHO

ET EREMITA

IN MONASTERIO S. BENEDICTI DE PADO. LIRONA PROPE MANTVAM IN ITALIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

P. B.

§ I. Sancti canonizatio, cultus, reliquiæ

Anno MXVI. Celebratur hoc die S. Simeon juxta Martyrologia

Sanctus hic Simeon *ab alio synonymo, recluso Trevirensi, de quo egimus ad Kalendas Junias, plane diversus est; tametsi eodem propemodum tempore uterque vixerit: quod obiter* C *monuisse satis est: res enim tam est perspicua, ut probari non debeat. Obiit noster hoc die, ut ex Actis patebit cap.* 6, *num.* 58*: eodemque celebratur apud Martyrologos; ut in codice Usuardi Strozziano, quod in auctariis annotavimus; ubi annuntiatur his verbis:* Monasterio sancti Benedicti, in agro Mantuano, sancti Simeonis, monachi et eremitæ, qui multis miraculis clarus, in senectute bona quievit. *Secuti sunt Maurolycus, Galesinius, Felicius, Ferrarius; Benedictini, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus; aliique passim post Martyrologium Romanum, quod iisdem verbis utitur, quæ nunc dedimus ex codice Strozziano.*

in cœnobio Padolironensi;

2 *Colitur ergo* S. Simeon in monasterio S. Benedicti in agro Mantuano, *de quo ita Arnoldus Wion, Duacenus quidem et in Belgio natus, sed ejusdem tamen deinde monasterii filius:* Fundatum est atque constructum hoc amplissimum sancti Benedicti cœnobium a Tedaldo duce, avo illustrissimæ ducissæ Mathildis, non longe a civitate Mantua inter Padum et Larionem fluvios, unde postea Padolironis nomen accepit, anno Domini DCCCCLXXXIV: auctumque est deinde tum privilegiis, tum etiam opibus a Bonifacio duce, marchione et comite, ipsius Tedaldi filio, ac præfata Mathilda, ejus filia; quæ ibidem, moriens, sepulta est anno Domini MCXVI. *Qui plura volet, adeat illum in Martyrologio Benedictino ad hunc diem; aut potius Benedictum Bacchinium, qui longam cœnobii hujus historiam Italice libris omnino quinque complexus est, quibus adjecit copiosam monumentorum, ex archivo ejusdem erutorum, suppellectilem. Docet ille tamen lib.* I *a pag.* 15 *usque ad* 25, *nesciri determinatum annum fundationis, licet assignari soleat annus Christi* 1007 *ex præcipua comitis Tedaldi charta; cum satis certo constet, eam ante annum illum fuisse peractam. Ex hoc auctore derivavit præcipue Mabillonius, quæ de hac abbatia retulit in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 1007. F

ubi festum agitur cum Octava et Officio proprio;

3 *In hoc, inquam, cœnobio, cujus aliquamdiu pars aliqua censeri potuit, in quo extremam vitæ periodum absolvit, apud quod corporis depositum recondi moriens voluit, obtinuitque,*

AUCTORE P. B.

que, celebratur imprimis S. Simeonis *hodie anniversario solennique cultu memoria. Testantur id Officia a Padolironensibus jam olim recitari solita, tum antiquum illud, de quo meminit citatus Wion, tum aliud recentius, quod* ad regulas Breviarii noviter recogniti *concinnavit, ediditque Symeon Bascheria, ejusdem cœnobii monachus, Mantuæ anno* 1617 *: utrumque per Octavam expanditur. In postremo (nam aliud non vidimus) antiphonæ, hymni, responsoria omnia propria sunt, ex Actis Sancti composita, nec quidquam aliud asserentia; quæ proinde hic adscribere visum non est. Lectiones ipso die in primo nocturno quatuor assignantur ex libro Sapientiæ:* Justus si morte præoccupatus fuerit *etc. in secundo quatuor sunt propriæ, Sancti Vitam integram compendio referentes, nec sine interpolatione, ut suis locis notabimus; in tertio denique tres sunt Lectiones ex homilia S. Gregorii in Evangelium Lucæ,* Sint lumbi vestri præcincti; *pro quarta vero Lectione idem Evangelium totum recitatur. Infra Octavam, diebus alio festo non impeditis, præscribuntur psalmi feriales, cum* B *tribus Lectionibus, quarum priores duæ ex Vitæ nostræ initio, tertia ex Patribus Hieronymo et Augustino assumuntur. Die octava fit Officium, ut in ipso festo, nisi quod in primo nocturno Lectiones ex libro Ecclesiastici depromantur:* Beatus vir *etc.; in secundo ex Actis nostris; in tertio autem ex homilia S. Hieronymi in Evangelium Matthæi,* Ecce nos reliquimus omnia.

quamquam et alibi propria fuisse videntur apud Benedictinos:

4 *Peculiaria quoque Officia in aliis quibusdam Benedictinæ familiæ monasteriis olim de Sancto nostro præscripta fuisse non ambigimus; quamvis ea nobis videre non contigerit. Argumento esse possunt hymni ad Vesperas, Matutinum et Laudes in festo* S. Simeonis, *quos legere est hoc die in Ligno vitæ lib.* 3, *pag.* 235 *et* 236 *apud Wionem, erutos, ut asserit, ex* Breviario pervetusto ecclesiæ monachorum S. Mariæ de Maguzano; *quod cœnobium est Ordinis S. Benedicti in diœcesi Veronensi. Quid ni et alibi mos idem invaluerit? Erat certe cur eum singulari præ reliquis affectu prosequerentur Benedictini, non eo solum, quod apud eos habitasset, sepultusque clareret miraculis; verum etiam, et præcipue, quod eorum sese Ordini quodammodo ad-* C *dixisset; dum in omnibus ab ore nutuque abbatis Padolironensis pendere ad extremum usque spiritum voluit; ut habetur ex Actis cap.* 5, *num.* 45.

qui causam canonizationis ejus promoverunt, obtinueruntque

5 *Promoverunt ipsi certe non segniter apud Romanum Pontificem publicæ venerationis ejus causam; siquidem ad eam agendam allegatos a Bonifacio marchione Mantuano in Urbem Benedictinos, et inter illos quidem auctorem Actorum nostrorum, fuisse, ex historia miraculorum cap.* 2, *num.* 16 *colligitur: neque vero rem hanc minus feliciter quam prompte confecerunt, non eodem quidem anno* 1016, *quo in cœlum evolavit, quod asseruerat Florentinius in Historia Mathildis magnæ comitissæ lib.* I, *pag.* 16, *quem in eo carpit laudatus Bacchinius lib.* I, *pag.* 32; *neque etiam anno* 1017, *quem assignat Donesmondus in Hist. eccles. Mantuana lib.* 3, *pag.* 187, *cum ex historia miraculorum id serius factum videatur; sed tamen sub eodem Pontifice summo, sub quo vivere Sanctus desierat, Benedicto VIII, qui Petri Cathedram non ultra annum Christi* 1024 *tenuit: hunc enim solennes S. Simeoni honores decrevisse Wion, Mabillonius, Bacchinius, aliique consentiunt, etiam ipsa Vita prior* D *in Officio Padolironensi, licet ibi per errorem pro* Benedicto VIII *expressus legatur* Bonifacius VIII; *quod mirum est, non observasse Papebrochium nostrum in Historia chronologica patriarcharum Hierosolymitanorum num.* 191; *cum Bonifacius Papa ab ejus rationibus chronologicis ibi duobus cum dimidio seculis ampliusque distaret: et Benedictum, non Bonifacium, ipsa exhibet epistola, quam vulgavit pridem Wion, ac post illum Mabillonius hoc loco post miracula, ubi et in Ms. nostro legitur in hæc verba:*

apud Benedictum Papam VIII ante annum 1024,

6 Epistola Benedicti Papæ de canonizatione et constructione ecclesiæ sancti Simeonis monachi. Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, Bonifacio, gratia Dei marchioni inclyto, salutem carissimam cum benedictione Apostolica. Requisitis * judicium nostrum, sicut dignum fuerat, utrum in honore Simeonis, nuper sanctificati, quod opera probant et innu- E mera ac diversa miracula testificantur, liceret vobis ecclesiam construere, et ejus venerabile corpus honorifice collocare ibidem. De quo respondemus: si ita coruscat miraculis, ut vester homo nobis asseruit, ædificate ecclesiam; collocate in ea eumdem: juxta quem altare consecrari rogate; in quo reliquiæ Sanctorum antiquiorum recondantur cum sacratissimo Corpore Domini nostri Jesu Christi: et sic demum divina Mysteria celebrentur. Tractate eum ut Sanctum. * Sanctus Sanctorum reddet * vobis mercedem Sancti; sicut ipse dixit: Qui recepit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Ipse inspector est renum et cordium; et ipse illi dignam compensationem remuneret; et vobis pro tanto desiderio suam indulgeat gratiam. Amen.

* *Mabillon,* requisistis

* *Mab.* ut

* *al.* reddat

qui permisit Sancto ecclesiam et altare erigi;

7 *Observa hic obiter ritum canonizationis seculo undecimo usitatum. Deinde, ecclesiam, de qua ædificanda hic agitur, ipsam illam fuisse, quæ eodem seculo appellata reperitur in testamento Borelli* ecclesia S. Benedicti et S. Simeonis, *teste Bacchinio lib.* I, *pag.* 34; *neque adeo diversam fuisse a basilica monasterii Padolironensis, quæ occasione canonizationis hujus erecta de novo fuerit ingenti opere atque impendio; quippe cujus fabricæ insumpti sint anni ut minimum viceni; quod ex epistola S. Leonis PP. IX recte arguit* F *ibidem Bacchinius: creatus enim summus Pontifex creditur Leo anno Christi* 1049; *litteris vero suis* novam ecclesiam *consecrari jubet una cum altari in honorem* S. Simeonis, *cujus corpus simul imperat elevari. Edidit epistolam illam Bacchinius ibidem pag.* 35 *post Wionem ac Mabillonium; est et in Ms. nostro post eam, quam supra dedimus; et sic habet:*

quæ S. Leo PP. IX consecrari jussit, unaque corpus elevari

8 Epistola Leonis Papæ de veneratione sancti Simeonis monachi. Leo Episcopus, servus servorum Dei VV. Mutinensi episcopo salutem et Apostolicam benedictionem. Mirabilis Deus in Sanctis suis, gloriosus et mitis, magnæque misericordiæ, et super malitiam præstabilis, multorum fidelium ut vera comperimus relatione, centupla remuneratione donavit sancti sui confessoris meritum et laborem * Simeonis reverendissimo abbati sancto Benedicto; cui exhibeatur honor, adjuncto sibi socio Simeone monacho et eremita ac diacono. Mantuanus episcopus novam ibi consecrabit ecclesiam; cui volumus ut exhibeas honorificentiam: scilicet interesse te volumus huic consecrationi, et hujus

* *al.* gloriant

AUCTORE P. B.

A jus corporis elevationi: et altare in ejus honore consecretur, quem Deus summa virtutum clarificavit dignitate. Amen.

per episcopos Wibertum et Martianum.

9 *Notandum vero, nullum hic quidem annum assignari, quo data sit epistola; cum tamen S. Leonis esse ab omnibus statuatur, sequitur, illam nec anno* 1049 *priorem; nec posteriorem anno* 1054 *posse censeri; imo hoc ipso anno scriptam fuisse existimamus ex conjectura paulo inferius proponenda. Hinc Mabillonius duplex illud* VV, *quod initio epistolæ occurrit in Ms. codice, quem secutus est, aliter interpretatur, quam vel Wion vel Bacchinius, qui pro litteris illis exprimunt vocem* Venerabili, *quod etiam sensit, qui Ms. exemplar nostrum exaravit, dum gemino* VV *superne adjecit syllabam* li; *at rectius exponere videtur Mabillonius, dum notat,* VV. *significare* Wibertum: *nam is erat receptus tum temporis scribendi modus, ut pro ipso nomine prima tantum ejus littera exprimeretur. Erat vero, sedente Romæ S. Leone, Mutinensis episcopus Wibertus,* B *qui et Vibertus dicitur, creatus, juxta Ughellum tom.* 2, *col.* 144, *anno* 1038; *defunctus eodem, quo sanctus Pontifex, anno* 1054; *qui et Martiano sive Martiali, quem hic designatum putamus, episcopo Mantuano, fatalis fuisse videtur, apud eumdem Ughellum tom.* I, *col.* 931. *Papebrochius loco paulo ante citato iisdem litteris, nisi fallor, designari credidit* Varinum, *episcopum Mutinensem; verum hic ante Pontificatum S. Leonis e vita dudum excesserat.*

Erat autem hæc ecclesia cœnobii primaria.

10 *Patet etiam ex hac epistola, novam illam ecclesiam, de cujus consecratione agitur, S. Benedicto ac* S. Simeoni *communem fuisse; neque adeo oratorium illud parvum intelligi, quod Bacchinius pag.* 34 *positum fuisse narrat intra septa monasterii, quadraginta circiter passibus ab ipso monasterio dissitum in loco tugurii, quod Sanctus incoluerat; sed primariam, ut modo dictum est, cœnobii basilicam: hæc enim proprie* ecclesia *vocitari poterat, non illud: et in hac Sancti corpus conditum fuit, non item in illo; uti etiam ex Wione discimus, cum de suo tempore affirmat:* Et nunc sepultus jacet [S. Simeon] in altari, suo nomini dicato, ad sinistram ecclesiæ nostræ, statim in ingressu; ubi usque hodie mi- C raculis coruscus claret: *quo loco diu ante quieverat, ut liquet ex appendice Bacchinii ad historiam sæpe memoratam pag.* 24. *Nunc vero eadem ecclesia elapso seculo ad aliam formam reducta est, ut idem auctor testatur, opus dirigente Julio Romano, pictore et architecto per Italiam celebri.*

Rem dilatam denuo imperat Alexander PP. II.

11 *Dicebam modo, epistolam S. Leonis scriptam videri anno Christi* 1054; *opinionem hanc injecit epistola Alexandri Papæ II ad Helisæum episcopum Mantuanum, quam ex codice Padolironensi Ms. item ut præcedentes, protulit Mabillonius, ut sequitur:* A. Episcopus, servus servorum Dei, H. Mantuano pontifici salutem et Apostolicam benedictionem. Visis litteris, quas antecessor noster, beatæ memoriæ Papa Leo, conscribi fecerat de corpore Symeonis monachi et eremitæ; sanctitate confisi, quidquid ipse laudavit, nos laudamus. Ad hoc autem perficiendum Ferrariensem seu Veronensem episcopos associamus. *Nondum ergo epistola jam producta S. Leonis fuerat exsecutioni mandata. Quam vero ob causam; nisi quia tum data sit, quando imperata facere vel Mantuanus episcopus Martianus, vel Mutinensis Wibertus, vel uterque non potuere, sive jam morbo, sive ipsa morte, quæ ambos anno* 1054 *sustulit, occupati? Ceterum postrema hæc epistola confirmat egregie, quod prioribus de cultu ac publica* S. Simeonis *veneratione decretum jam fuerat.*

Alia Sancti reliquiæ sunt apud Padoliranenses,

12 *Porro non solum Sancti corpus ex eo tempore apud Padolironenses summo in pretio est; sed et alia, quæ ad ipsum aliquando pertinuere; ut cilicium; Psalterium, ac novum Testamentum, litteris Armenicis exarata; et alia non nulla, quæ ipsius Sancti fuisse cognoscuntur, ut auctor est Wion loco jam sæpe assignato; ubi ait, ea istic pro reliquiis asservari, atque in capsula quadam cerni reposita, una cum epistola Arsenii patriarchæ Hierosolymitani, Armenicis item scripta characteribus; quam ipse ibidem Latine versam producit: dedit eamdem et Hippolytus Donesmondus Hist. eccles. Mantuan. lib.* 3, *pag.* 187, *et Mabillonius ad calcem miraculorum; imo et Papebrochius noster tom.* III *Maii in Hist. Patriarch. Hierosol. pag.* XLIV *et seq. ex scheda, nescio unde accepta, peregrini tamen atque exotici characteris, quæ sic habet:* E

quas inter epistola Arsenii patriarchæ Hierosolymitani,

13 Arsenius patriarcha Hierosolymitanus pro commendatione S. Simeonis monachi et eremitæ. In nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, atque sanctissimi ejus sepulchri, a me indigno famulo suo custoditi. Ego Arsenius, non meis meritis patriarcha Hierosolymitanus, firmo signo sancti Sepulchri omni Ecclesiæ catholicæ salutem et pacem. Precor autem, ad quorum partes Simeon iste monachus et sanctissimus Christianus atque eremita iverit, ut ei benefaciat *, quia bonus atque electus est. [Ad sepulchrum enim Domini ivit; inde venit ad ecclesiam B. Petri apostoli; post hinc ad limina B. Jacobi Galliciam perrexit: atque sic in modum * Apostolorum Deo ac Domino nostro Jesu Christo servientium, circuit totum orbem: et non habuit comitem *, nisi Jesum Christum. Ut magis stupeas; panem non manducavit, nec carnem, nec adipem, neque caseum, nec ova.] Quicumque imperator, sive rex vel regina, sive episcopus, sive abbas, seu marchio, seu comes, vel quicumque Christianus, amore Christi sibi benefecerit, vel eum defenderit, et viam ei ostenderit, quia non scit linguam, sit benedictus a F Patre et Filio sanctoque Spiritu: conservet eum Dominus in omni opere bono: benedicat et sanctificet; in die judicii ad dexteram Christus collocet cum electis; quatenus possit audire: Venite, benedicti Patris mei: confirmet Spiritus et verbum Dei corde perceptum firmiter atque incommutabiliter teneat, ut ab iniquissimo diabolo non possit avelli. Qui vero sibi malefecerit, vel eum injuriaverit, cum damnatis pereat in æternum. Amen. *Additur apud Wionem et Donesmondum eodem charactere:* Symeon iste monachus est, et eremita, atque Armenus.

* Wion legit benefaciant

* Papebr. legit morem

* alii comparem

de qua nonnulla dubia proponuntur.

14 *Hanc epistolam, quam perperam credidit Græcam fuisse, interpolatam ab interprete Latino censuit Papebrochius, quatenus ea continet tamquam præterita, quæ discedente Hierosolymis in Europam* Simeone, *adhuc erant futura et Arsenio proinde ignota. Hinc illa ejus exemplo uncis inclusimus. Mabillonius dubitat, rectene ex Armenico in Latinum versa sit; quod si ita est, diversam putat censendam esse ab ea, de qua in Actis fit mentio, quod infra examinabitur. Antonius de Yepes in Chronico generali S. Benedicti*

Hispanice

AUCTORE P. B.

Hispanice scripto, ad annum Christi 1016, Hæsi, *inquit*, ad hanc epistolam. Et primo quidem, qua ratione patriarcha Hierosolymitanus inde fidem facit, Simeonem eremitam adiisse Gallæciam? Secundo autem, pudore suffundendus fuisse videtur mihi Sanctus, si litteras commendatitias circumferret, quibus eum patriarcha viventem canonizaret, tamquam optimum et sanctissimum, narrando pœnitentiam et austeram, quam tenebat, vitæ rationem. *Tum ea subdit, unde quivis intelligat, dubiæ prorsus fidei visum illi esse hoc monumentum. Nos id etiam demiramur, cur hujus epistolæ autographum (pro autographa enim asservari illam Padolirone credimus) sit scriptum Armenice ab Arsenio, Sanctum Italis et Hispanis, ad quos ibat, commendante; cum sciret illam in hisce partibus ignotam esse: nam si* Simeon, *qui Armenus erat, intelligi in Occidente non poterat, ideoque etiam commendandus erat*, quia non sciebat linguam, *ibi utique notam; quid eum juvare* B *illic poterat scriptum Armenicum, multo, quam loquela, perceptu difficilius? Tum cur de hac epistola nusquam meminit auctor Vitæ? Cur tum saltem producta non fuit, cum Romæ tam male habitus* Simeon *episcopum nactus esset Armenum cap.* 2, *num.* 18*? Hæc eo tantum dicta sunto, ut lucem huc aliquam afferant, quorum interest; quam ipsi jam pridem Benedictini Hispani Gallique exoptarunt. Vide etiam huc spectantia paragrapho sequenti, num.* 25 *et* 26.

§ II. Acta ejusdem; epistolæ duæ Arsenii patriarchæ Hierosolymitani; tempus, quo Sanctus ex Oriente Romam advenit.

Scriptores; et Acta Sancti,

De *Sancto nostro jam a seculis duobus scripsere quamplurimi, quorum aliquos paragrapho superiori citavimus, alios assignant Wion in Martyrologio suo ad hunc diem, et Symeon Bascheria in annotatione, quam Officio Sancti a se reformato, excusoque Mantuæ anno* 1617 *præfixit. Hos inter præcipuam sane laudem prome-* C *ritus est ipse Bascheria, quando antiquissima tandem* S. Simeonis *Acta una cum Officio protulit in lucem, quod nemo eorum, quos mihi quidem videre licuerit, fecerat ante ipsum; tametsi plures haberent in manibus. Vidit enim illa Hilarion, monachus Mediolanensis; quandoquidem presse sequitur in Legendario suo abbreviato, quod tamquam Legendæ Jacobi de Voragine supplementum edidit Mediolani anno* 1494; *maluit tamen ex opere alieno suum facere compendium fol.* 61 *verso et seqq., quam illud, ut erat, intactum vulgare. Vidit eadem Baronius manuscripta in bibliotheca Vaticana, ut hoc die notavit in Martyrologio; atque in Annalibus ad annum* 1016 *ex iis paucula delibavit. Vidit Wionus, ut ostendit lib.* 3 *ad hunc diem, in membranis exarata in monasterio, suo accurate enumerans Vitæ capita* 27, *Miraculorum vero capita* 13; *sed nihil eorum dedit. Vidit Folengius a Wione laudatus, sed inde in Officium Sancti brevem epitomen derivare satis habuit; quæ quidem ad manus nostras non venit; si tamen est illa, quæ nunc in ejus Officio, per Bascheriam ad novam Breviarii formam exacto, ad primam Octavæ diem, seu* XXVI *Julii, legitur, non ad-modum profecto fidelis est, ut infra videbitur. Viderunt ea denique etiam alii; siquidem et in codice Mantuano, Mabillonio teste, delitescunt; et in eo, quem nos ipsi feliciter nacti sumus.* D

hactenus edita nec integra sunt nec satis sincera:

16 *Solus interim illa publici juris, ut monebam, fecit Bascheria, atque utinam satis integre, satisque fideliter; quantumvis enim nihil eis deesse, nihil abundare putaverit Mabillonius; ideoque ea, ut in Officio Bascheriano impressa receperat, in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* 6, *part.* 1 *a pag.* 151 *fide bona recuderit; est tamen in utroque peccatum aliquid a primo editore: exile illud quidem; ejusmodi tamen, ut si deprehendisset Mabillonius, alia potius exemplaria quæsiturum fuisse non dubitemus. Peccant, inquam, defectu: nam præter prologum auctoris, qui totus est omissus, capitis primi pars nec minima nec parvi momenti rescissa est, ut num.* 6 *notabimus: nusquam in iis etiam apparet nomen* Arsenii. *Excessu vero peccant; cum in ipso statim principio* Simeonis *patrem* Hectorem, E *matrem* Felicem, *sponsam* Stellam *nuncupatos fuisse asserunt: ac in parentum quidem nominibus mirum est suppositionis nihil suboluisse sagaci alias Mabillonio: intrusa enim hæc esse, auctor ipse tertio posterius versiculo indicabat his verbis:* Hujus denique parentes non novimus *etc. Huc etiam refer, quod cap.* 5, *num.* 49, *in annotatis littera* i *observabimus plane aliter apud Bascheriam ac Mabillonium narrari, quam vel in exemplari nostro, vel in compendio Hilarionis, qui Acta genuina omnium primus, ut arbitramur, contraxit, multoque sincerius, quam Folengius, seu quisquis est auctor epitomes, quæ in Officio Bascheriano ad secundum hujus diei nocturnum legitur, quæque præcipuarum, quæ apud auctores recentiores occurrunt, interpolationum officina fuisse videtur.*

qualia nos ex Mss. proferimus,

17 *Nos hic Vitam demum integram puramque proferimus ex codiculo non admodam quidem antiquo, ut apparet; sed eleganter conscripto compactoque; qui præter hæc Acta, et binas Benedicti ac Leonis PP. Romanorum ad calcem epistolas nihil continebat. Servatur in iis ordo codicis Padolironensis, quemadmodum a Wione describitur: Vita namque præter prologum capita complectitur omnino* 27; *Miraculorum autem historia* 13. *Illa nos ad sex; hæc ad bina capita more nostro redegimus; primigenia tamen* F *partitione ad marginem annotata. Attulit vero hoc nobis cimelium vir inter eruditos clarissimus Claudius Menetrier Societatis Jesu, cum anno* 1670, IV *Octobris Roma rediens, per Belgium reverteretur in Galliam:* acceperat *vero (ut in fronte notatum invenimus)* a quodam e nostris ingolstadii; *is porro unde habuerit, nescimus. De fide hujus codicis ambigere certe non possumus: nam prologum et caput primum Vitæ usque ad numerum nonum, itemque miracula post mortem omnia, quæ eatenus tantum describi curarunt Majores nostri ex codice bibliothecæ Vaticanæ num.* 1222, *cum hoc apographo Romano optime consonant; cetera vero vel non differunt ab editione Bascheriana, vel ubi dissonant, conveniunt rectius cum antiquissima Legenda Hilarionis, quæ ceteris epitomis et multo est fusior, et longe defecatior.*

composita ab auctore coævo Sancti

18 *Diximus, hanc Vitam esse omnium primam ac vetustissimam; idque colligimus cum ex auctoris ætate, tum ex ipso ejus testimonio: fatetur enim, non alia sibi Acta præluxisse, cum ait cap.* 6. *num.* 57: Hæc de beati viri Simeonis virtutibus,

A tibus, quas vivens in seculo gessit, quas etiam in credulis scriptas invenimus, seu quas a veridicis testibus referri audivimus, huc usque digessisse sufficiat. *Non reperit eas ergo digestas, cum ipse digresserit ex variorum testimoniis, partim scripto et schedulis, partim ore prolatis. Inter schedas autem illas haud dubie præcipua reputari debet epistola Arsenii, de qua mox: ut quæ sola docuerit, quidquid Sancti adventum in Italiam antecesserat. Ætatem suam prodit etiam ipse loco non uno : nam in Miraculis (quæ ejusdem scriptoris sunt, ut asseritur cap.* 6, *num.* 57*) cap.* 2, *num.* 16, *indicat, unum se fuisse ex iis, qui* pro canonizando ejusdem sancti Simeonis glorioso corpore sanctam Apostolicam Sedem accesserunt; *quod sub Benedicto VIII factu diximus ante annos octo post obitum Simeonis; itaque cum ipso vixit, ut censent ex hoc loco Baronius ad annum* 1016, *et Bacchinius pag.* 31.

vel saltem suppari, et monacho Padolironensi;

B 19 *Mabillonius Sancto* coæqualem *fuisse asserit,* aut saltem supparem; *quod addere videtur, quia propter idem negotium canonizationis potuerint monachi sæpius Romam adivisse; licet enim sub Benedicto ea fuisset impetrata; non tamen, ut vidimus, mandata tum fuerat exsecutioni; imo ne sub S. Leone PP. IX quidem, a quo denuo novum exsecutionis decretum obtineri debuit; sed suo iterum effectu, ut apparet, frustratum. Ut ut est, supparem fuisse inficiari poterit nemo: quandoquidem cap.* 6, *num.* 55 *duorum prodigiorum a* Simeone *superstite patratorum testes appellat plures, qui ea et coram vidissent et sibi narraverint. Dubium igitur videri non potest, quin hic* Simeonis *Acta primus collegerit; ignotus quidem et anonymus; sed monachus tamen Benedictinus; ut liquet ex Miraculis cap.* I, *num.* 6, *ubi* S. Benedictum *appellat* almificum patrem nostrum; *et quidem Padolironensis; cum ad* Simeonis *nostri causam apud Pontificem Romanum agendam destinatus fuerit; quod negotium Padolironensium utique proprium erat.*

quorum partem tantum scripserat Arsenius patriarcha Hierosol.

20 *Scimus esse, qui affirmarint, Sancti hujus Acta conscripsisse Arsenium patriarcham Hierosolymitanum; id enim ait Ughellus in Italia sacra veteris editionis tom.* I, *col.* 930, *ubi de Joan-* C *ne secundo, episcopo Mantuano; et ante hunc Donesmondus in Historia ecclesiastica Mantuana lib.* 3, *pag.* 387, *ubi illa dicuntur inveniri in bibliotheca Vaticana; sed intelligendi sunt de illa tantum Actorum parte, quæ discessum Sancti ex Oriente præcedit : nam quæ postea contigerunt, nec scripsisse scitur, nec scribere potuisse Arsenium. Sed neque priorem illam Vitæ partem ab Arsenio compositam asservari in Bibliotheca Vaticana crediderim; certe qui eam istic viderit, testem hactenus nullum offendimus. Fuisse quidem illam aliquando apud Padolironenses, constat ex auctore nostro, qui eam redegit in compendium, ut profitetur cap.* I, *num* 7, *quo, item ut num.* I, *epistola nuncupatur Arsenii patriarchæ; sed nec ibi nunc illam superesse putem; alioquin enumeranda fuisset inter vetera Sancti elogia apud Wionem multo magis, quam hymni illa recentiores, quos profert; imo etiam magis, quam alia illa ejusdem, ut fertur, Arsenii epistola, quam ibi supra ostendimus cum reliquiis conservari : nam si altera hoc dignior videri potest, quod illam circumtulisse Sanctus putatur; altera tamen hoc ex capite majoris erat pretii, quod gravissimo auctoris nostri testimonio sciretur esse Arsenii; cum de superiori illa dubitantem viderimus etiam auctorem Benedictinum, Historia sui Ordinis, quam Hispanice composuit, ubique celeberrimum.*

in epistola, quæ jam periisse videtur.

21 *Mirabitur forsan aliquis, quod hic epistolam Arsenii, quam initio secutus sit auctor noster, ab edita diversam statuamus; sed mirari desinet, qui rem attentius introspexerit : vulgata namque brevior est; aliam necesse est fuisse longiorem; utpote cujus tantummodo compendium referatur in Actis a num.* 4 *usque ad num.* 8, *quod ipsum compendium multo est, quam epistala excusa, diffusius. Vulgata inscribitur (ut publica solent testimonia, quibus ituri peregre commendantur)* Omni Ecclesiæ catholicæ; cuicumque imperatori, sive regi vel reginæ, sive episcopo, sive abbati *etc. Aliam autem inscriptam fuisse monachis Padolironensibus, testatur anonymus noster num.* 3 *et* 7. *Præterea multa sunt ibidem, quæ ex epistola Arsenii affirmat idem scriptor, quorum in vulgata nihil quidquam legitur; ut quod num.* 3 *habetur de* Simeonis *ætate puerili, rebusque in ea gestis; de adolescentia ejus ac* E *nuptiis : quod num.* 4 *et* 5 *de relicta sponsa, parentibus, ac patria ad amplectendam vitam monasticam : quod num.* 6 *de arepta S. Basilii regula (nulla enim in epistola vulgata Basiliani Ordinis mentio fit;) quod ibidem narratur de abstinentia etiam a piscibus, et potu modico solius aquæ; de oleo in solennitatibus adibito, de cilicio ceterisque vestibus etc. Certissimum ergo videri debet, aliam esse epistolam, quæ nomine Arsenii etiamnum et servatur, et ex Armenico idiomate in Latinum translata legitur; aliam, quæ Actorum nostrorum exordio materiam subministrarit.*

Recentiora compendia interpolata sunt,

22 *Jam cum hæc epistola nusquam hactenus comparuerit, in qua forte aliqua paulo distinctius de patria* Simeonis, *de loco monasterii, atque solitudinis notata fuerant; eum illam præter auctorem nostrum nemo a se visam indicet, nemo citet; nullo negotio statuere apud se quisque poterit, quantum accessionibus quibusdam, quæ, nisi ex illa epistola, affirmari non poterant, sit fidei tribuendum; maxime cum seculo demum sexto decimo primum comparuerint. Certe ne ipse quidem auctor noster, quantumvis vel ex ipso forsitan Sancto, vel ex iis, qui cum illo familiariter in* F *cœnobio Padolironensi egerant, discere multa potuerit eorum, quæ ante discessum ex Oriente gesserat, quidquam de iis tamen ausus est asserere, præter id quod in epistola jam dicta legerat; si solam excipias* Simeonis *patriam Armeniam, gradum diaconatus num* 3, *et miraculum in eremo num.* 8 *et seqq.; quamquam etiam hoc credi non potest de se narrasse humillimus* Simeonis; *atque adeo ex eadem epistola innotuisse auctori nostro putandum est. Unde ergo habuit Folengus, seu qui epitomen illam Vitæ composuit, quæ in ejus Officio hoc die recitatur, cum ait, locum ejus natalem* civitatem Arsamotam *fuisse; nomen sponsæ* Stellam; cœnobium Basiliani Ordinis, *quod si ingressus*, juxta fluvium Eufratem constitutum; desertum *vero, quod incoluerit, ad* ripas Araxi fluminis? *Fallor, nisi ea ex eodem fonte hauserit, unde supra nomina parentum, quæ auctor noster ignota sibi fuisse ingenue fatetur, quod ea non prodidisset Arsenius. Hæc interea secuti sunt Donesmondus et plures alii.*

23 *Verum si conjecturis locus est in re non tradita,*

AUCTORE P. B. *aucta rebus non probatis.*

tradita, Baronio potius adhærendum videtur, qui locum solitudinis ejus (quid ni et vitæ monasticæ?) Palæstinam fuisse credidit, non Armeniam: id enim ex anonymo nostro utcumque colligitur, qui, cum dixisset num. 3 Simeonem in patribus natum Armeniæ, *subdit num.* 5: Patriam *(utique* partes Armeniæ) parentesque deseruit... et ... Domino gubernante, monasterium petiit. *Sic facilius quoque intelligitur, qua ratione Arsenius ei* notus et familiarissimus *esse potuerit, quod num. affirmatur; si nempe intra patriarchatus Hierosolymitani fines, a quibus procul aberat Armenia, institutum monasticum ac solitarium servaverit: neque enim tanta familiaritas contracta videtur in ipsa urbe Hierosolymitana, cum ad eam ante discessum in Europam Sanctus accessisset: quandoquidem* non multo tempore *tum ibi fuit, juxta numerum* 16. *Sed neque verisimile apparet, Arsenium, sive patriarcha jam esset ante discessum* Simeonis, *sive post ejus discessum creatus, ex Armenia potius, patriarchatui Antiocheno subjecta, quam ex quovis loco patriarchatus Hierosolymitani assumptum ad sedem Hierosolymitanam fuisse: hic ergo, non ibi familiaritati locus fuit et opportunitas. Sed enim his immorari diutius non vacat, quæ cum auctor Vitæ præterierit, divinari magis, quam asseri videbuntur. Quin id potius discutiamus, quod in Actis quidem eodem numero narratur; neque eodem tamen ab omnibus modo accipitur.*

B

Sanctus Romam advenit an. 983;

24 *Quæritur ergo, quo tempore Sanctus ex Oriente Romam advenerit. Sic habent Acta numero citato:* Solitudinis antra deseruit, et orationis studio Romam peregrinus expetiit. Cumque Sanctorum multa corpora circumeundo visitaret... tandem ad oratorium S. Joannis Baptistæ Lateranensis ecclesiæ applicuit, ubi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificem, Benedictum nomine, cum multis religiosis episcopis, orthodoxis viris, in congregata synodo residere invenit. *Locus hic, ut ut planus videatur, perdifficilis est. Alii enim Benedictum PP. VII., alii octavum significari volunt; utrique vero oppositas sententiæ suæ tricas dissimulant, saltem eas, quæ nos vexant maxime. Pro Benedicto VII stat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem; quia Sancti Vita videatur longiorem ejus habitationem in Italia exigere, quam sit ab anno Christi* 1012, *quo Benedictus VIII ad Pontificatum evectus est, usque ad annum* 1016, *quo* Simeon *ad cælum evolavit. Validum sane argumentum Acta perpendenti; præsertim cum ex illo quadriennio non minima pars decerpenda sit, quæ itineribus per Italiam, Hispaniam, Britanniam, Galliam insumpta fuit, antequam in Italia firmum tandem fixumque domicilium elegerit. Validius tamen est, quod ad eamdem sententiam comprobandum producit Mabillonius: nimirum jam habitabat* Simeon *in monasterio Padolironensi, cum Parmam invisens, a Sigefredo illius urbis episcopo honorifice susceptus est, ut habet Vita nostra cap.* 6, *num.* 51: *atqui Sigfredus obiit ante Pontificatum Benedicti VIII; nam juxta Ughellum tom.* 2, *col.* 203 *Sergius Papa, Benedicti VIII decessor, in quodam privilegio, abbatiæ Nonantulanæ indulto, Elburgum appellat, Sigefredi in sede Parmensi successorem: diu ergo ante Benedictum VIII advenerat Sanctus; ergo sub Benedicto VII: ergo anno* 983, *quo solo Benedictus VII Romæ scitur celebrasse synodum, de qua videri possunt Labbeus vel Harduinus.*

C

25 *Enimvero momenta hæc gravia sunt, quibus ego quidam in eorum opinionem manibus ac pedibus ferri me sinerem; nisi dissimulatum hic aliquid esset, quod in hac sententia videtur inextricabile: nam si anno* 983 *Romam advenit* Simeon, *suppositam esse oportet epistolam, quam et nos supra et ipse Mabillonius, aliique Arsenii patriarchæ Hierosolymitani nomine jactatam dedimus, quæque cum reliquiis asservatur in cœnobio Padolironæ. Cedo enim; quo tempore dari potuit* Simeoni *ab Arsenio? Ante discessum in Italiam (quod epistola ipsa plane exigit,) an post illum? Utrumvis dixeris, falsa est. Etenim si ante discessum aut in ipso discessu Hierosolymitano datam finxeris, hoc est, anno* 983; *falsum est epistolæ principium:* Ego Arsenius, non meis meritis patriarcha Hierosolymitanus *etc. non enim nisi annis circiter triginta posterius sedem Hierosolymitanam Arsenius regendam accipere potuit, ut suo loco demonstratum est. Si post discessum* Simeonis, *imo post annum* 1010, *ante quem Arsenius patriarcha esse non potuit, datam seu missam potius esse velis in Italiam, in qua jam dudum Sanctus habitaverat; ipsius epistolæ scopus, tenor et forma tota repugnabunt, illudque imprimis falsum erit:* Quia non scit linguam.

D *licet cum illo tempore epistola Arsenii excusa*

E

non videatur commodo posse consistere.

26 *Hæc me, fateor, constrictum tenent; nec dubitarem Bacchinii aliorumque amplecti sententiam, quæ usque ad Benedictum VIII* Simeonis *adventum in Italiam differt, quando jam patriarchatum obtinerat Arsenius Hierosolymis; si eam utcumque probatam, et ab adversariorum argumentis chronologicis, quæ vel ab eis lecta non sunt, vel neglecta, vindicatam viderem. Quid ergo? Epistolam laudatam prorsus adjudicem? Non ausim. Mabillonii argumentum refellam? Nihil suppetit, quo id solide possim. Sequor hunc ergo vel invitus. De epistola, per me licet, quod poterunt, ejus patroni statuant. Porro cetera, quæ in Actis obscura sunt, illustrare conabimur in annotatis ad Acta, quæ subdimus.*

VITA

Auctore monacho Padolironensi anonymo et coævo ex codice Ms. Ingolstadiensi, collato cum alio Ms. et editis exemplaribus.

F

PROLOGUS AUCTORIS.

Cur Sanctorum Acta scribenda sint.

Quoties, dilectissimi fratres, mira Sanctorum opera frequenter in hoc mundo coruscare videmus, quæ ad utilitatem et incrementum sanctæ Ecclesiæ liquido enitescere fideliter credimus, si hæc talia dum fiunt, dominante nobis inertia, silentio tegimus, negligentiæ corporisque * ignaviæ procul dubio damnari videmur. Unde Redemptoris nostri sententia cohortando nos pleniter instruit, dicens: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Ideoque, fratres charissimi, præclara Sanctorum miracula, quæ in hac præsenti vita coruscant, merito elucidari debent

* *forte* torporisque etc.

A debent in seculo; quatenus quos propria non excitant merita, saltem visis tot virtutem signis aliquantulum pertimescant, atque a laqueis diaboli, [a] quo captivi tenentur, quandoque resipiscant: videant quoque illorum pia opera, per quæ itur in cælum; eorumque glorifica imitentur exempla, et glorificent Déum Patrem omnipotentem in cælis, qui est per omnia benedictus in secula.

Fides hujus auctoris, et verum delectus. 2 Nunc igitur omissis pluribus Sanctorum gestis, quæ animo occurrunt, ad ea, quæ de beato Simeone, glorioso Christi confessore, proposuimus, fideliter accedamus; ac primitus de virtutum ejus miraculis, quæ per eum Deus omnipotens per intervalla temporum operari dignatus est, quæ vel in vita gessit, vel quæ inibi, ubi gloriosum corpus ejus humatum est, sub nostro tempore visa sunt, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, prout facultas suppeditat, disseramus. Sed quia virtutum ejus signa mira et innumera sunt, quæ in transmarinis, atque Galliarum, nec non Hispaniæ finibus, Deo cooperante, gessit; quæ etiam præ multitudine laboriosum enarrare ducimus; ea tantum,
B quæ vera fore credimus, et quæ fidei subnixa, fidelium virorum nobis testimonio prolata sunt, huic opusculo includamus; ac deinde, divina nobis favente clementia, ejusque suffragantibus meritis, ea quæ de sancto Viro cœpimus, exequamur.

CAPUT I.

S. Simeonis patria; natales nobiles; educatio; nuptiarum fuga; vita monastica et eremitica.

I. *S. Simeon, nobilis, Armenus,* Hic itaque vir beatissimus, Simeon dictus nomine, in partibus natus Armeniæ, monasticæ religionis ab ineunte ætate *a* propositum regulariter tenuit. Diaconatus officio provectus, postmodum virtutum gressibus viriliter ad altiora conscendens, diebus plurimis eremi cultor fuit. Hujus denique parentes non novimus; sed, sicut reverendissimus Arsenius *b* Hierosolymorum patriarcha,
C sibi notus et familiarissimus, nobis per epistolam retulit, ex clara nobilium stirpe prodiens, magistri militum filius fuit. Hic siquidem intra pueriles annos mira et magnifica cœpit agere, voluptatis libitum moderationis freno restringere, corpus jejuniis edomare, spiritu prophetiæ aliquando pollere, orationis assidue laboribus insudare. Cumque jam adolescentiæ tempus sub hujusmodi conversationis studio transegisset, et jam illud immineret, quo juvenilis ætas carnali solet implicari connubio, pater suus, licet invitum, secundum seculi dignitatem, uxoris eum copulavit conjugio.

a patre jussus uxorem ducere, sponsam et parentes deserit, 4 Quid dicam? Quid referam? Dolori et mœstitiæ Servi Dei compati et consulere volo. Sed anxietatem et mœrorem cordis ejus retexere penitus ignoro. Quid ageret Servus Dei? Quid ageret? Anxius, trepidus excogitare diu cœpit in animo, qualiter se dissolveret ab uxoris conjugio. Si illam teneret, corporis integritatem violare timebat: si eam dimitteret, infamis in patria turpiter vivere perhorrebat. Tanta igitur ac tali anxietudine die noctuque æstuans, exterius corpus attenuans, interius mentem excrucians, tandem divino animatus oraculo, illud evangelicum sæpe revolvebat in animo: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit: et iterum: Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Ex cod. ms.*

et fit monachus Basilianus; 5 Talibus itaque Redemptoris evangelicis dictis Vir Domini roboratus, patriam parentesque deseruit, cunctis hujus seculi pompis abrenuntians, et uxorem propriam, servata integritate, dereliquit, atque naufragium hujus ærumnosi seculi, ceu procellosi maris tempestate quassatus, nudus evasit; catholicæ fidei clypeo munitus, freno castitatis præcinctus, gladio spiritus, quod est verbum Dei, ferventer ignitus, Domino gubernante, monasterium petiit: in quo cœnotabilis vitæ tramitem prudenter amplectens, jejuniis, vigiliis, et orationibus, die noctuque Christo infatigabiliter serviens, in sanctitatis operatione sinceriter vixit.

deinde in eremo aspere vivit. 6 Pluribus inde diebus monastico cultu sancti patris Basilii regula approbatus, probis moribus apprime exornatus, ad eremi campum præliaturus exivit: ubi frequenter ab antiqui hostis insidiis lacessitus, crebro cum eo conflictum E iniens, adversus tandem ejus impetus triumphalem victoriæ palmam obtinere promeruit *c*. In *c* qua etiam eremi solitudine, virtute abstinentiæ carnis maceratione corpus edomans, panem non comedebat; vinum nec alicujus liquoris potum præter solam aquam, et ipsam cum parcitate, bibebat; solis herbarum radicibus vel arborum fructibus contentus, cælibem agebat vitam. Non carnis, nec casei, nec ovorum, nec alicujus pinguedinis utebatur edulio; solius leguminis victum, quo in præcipuis Sanctorum solennitatibus vescebatur, modico ungebat oleo. Sacris artubus asperum cilicium præbebat, nullamque sui corporis partem lineis vestibus tegebat.

Hæc ex epistola Arsenii patriarchæ Hierosolymitani. 7 Tali igitur sanctæ conversationis studio vir Domini gloriosus Simeon divinitus informatus, pluribus per eum ab hujus mundi illecebris abstractis, anachoriticæ religionis exemplum præbebat; F sicque per semitas justitiæ recte gradiens, omnibus, salutis æternæ fontem sitientibus, iter vitæ cælestis ostendebat. Hucusque de beati viri Simeonis digna conversatione, qualiter imprimis hujus seculi pompam deseruit, vel qualiter monasterium petiit, referente nobis per epistolam venerabilis vitæ Arsenio, Hierosolymitano patriarcha, compendiose digessimus. Nunc ad ea signa, quæ [in] eremitica conversatione, vel quæ per diversa Italiæ loca, Domino cooperante, peregit, stylum vertamus.

II. *Nivibus ac fame cum suis in eremo periclitans,* 8 Quodam hiemali tempore, dum Vir Dei in eremi solitudine cum duobus fratribus angelicam vitam ageret, tanta desuper nivium moles erupit, quæ omnem cellulæ, in qua manebant, ita aditum circumclusit, quod nemo illorum per septem dies, aliqua cogente necessitate, foras egredi potuit. Videntes autem Dei servi, sese nivium muro exterius circumdari, interius fame cruciati; cum humano nequeunt se juvare solatio, divinum festinanter cœperunt implorare præsidium. Hac ergo tanta ac tam mira nivis magnitudine undique circumsepti, cælestia arma confidenter arripiunt: elevatis in cælum oculis, extensas sursum manus

EX COD. MS.

nus cum clamoribus ad sidera tollunt; flexis genibus, pugnis pectora percutiunt; fusis lacrymis, omnipotentis Dei misericordiam voce flebili expetunt. Quo fletu servus Christi Simeon vehementer commotus, hujusmodi orationem ad Deum lacrymabiliter fudisse perhibetur.

Deum exorat;

9 Omnipotens, æterne, et altissime Deus sabaoth, qui cuncta ex nihilo creasti; qui hominem, cum non esset, ad imaginis tuæ similitudinem mirabiliter condidisti, atque ad obtinenda æternæ beatitudinis gaudia conditum mirabilius reformasti; qui Israëliticum populum de Ægyptiaca servitute liberatum, rubrum mare sicco vestigio transvexisti, et eumdem, in deserti regione fame laborantem, cælesti pane, ex supernis imbribus porrecto, affluenter satiasti; quique etiam ipsum, sitis ariditate fatigatum, aqua ex petra producta clementer potasti; succurre nobis miseris, in hac solitudinis angustia constitutis, nivis et glaciei rigore constrictis, nimia famis tribulatione afflictatis. Releva nos, Clementissime, tuæ solitæ pietatis auxilio; et ne sinas nos hic exstingui sub acerbæ famis periculo.

qui cervum ad ejus cellam direxit,

** al. demonstrans,*

10 Hac igitur oratione completa, illico cervus miræ magnitudinis et formositatis ante ostium cellulæ nivium molibus inhærens, apparuit; qui cervice deflexa, humiliter nisu, quo poterat, fratribus se famulari desiderans * sese illis in cibum sponte divino nutu præbuit. Qui videntes bestiam, illuc accedere insolitam, mirifica Dei virtute se visitari crediderunt; ac magnificam ejus clementiam diu percunctando simul mirari cœperunt. Tunc gloriosus vir Dei Simeon, diu mente pertractans, a fundo cordis cœpit diligenter exquirere, quidnam hæc insueta bestiæ visitatio taliter indicaret. Cujus quidem animus inter dubia devolutus, fluctuando cœpit hinc inde discutere, utrum divina clementia, ad refocillanda corpora, an antiqui hostis fraudulenta calliditas, ad subvertendas animas, illam cervi speciem ante oculos eorum adduceret. Plurima ac diversa Dei Famulus inde discutiens, tandem sagaci mente deliberat, quod superna pietas, ad expellendum famis periculum, prædictum sibi cervum ex sua largitate transmiserat; ne pius Dominus ultra permitteret servos suos diuturnæ famis interire exitio, qui Danielem servum suum in lacu leonum quondam pavit per angelum.

occidendum et famelicis apponendum:

11 Is denique cervus, multotiens est expulsus ab ostio, ne pro acerbitate famis fieret illis in comedendo prævaricationis occasio. Qui quanto durius expellebatur, tanto frequentius revertebatur. Sed Christi servus Simeon, verus Israëlita, in quo dolus non fuit, quem nulla ventris ingluvies tetigit, quem nulla gastrimargia polluit, quem solus ferarum agrestium pastus usualiter aluit, cibum sibi divinitus ostensum, sicut ei cælitus fuerat imperatum, humiliter suscepit, atque susceptum fratribus comedere persuasit. Nec mora, tunc viri anachoritæ, Dei voluntate jam cognita, venationem nullo modo ex industria petitam, nullo labore quæsitam, sed a Deo sibi collatam, occiderunt; et famelica corpora, jam diutina esurie sauciata, sobrietate retenta, carnis pabulo refecerunt. Unde refecti, prostrati in faciem, divinam protinus majestatem adoraverunt, ejus clementiam collaudantes, et pro tantis suis beneficiis debitas sibi gratias retulerunt.

ANNOTATA.

a Ab ineunte *quidem* ætate *vixit instar monachi, voluptates respuendo, corpus affligendo, orando, etc., ut mox dicetur; non tamen jam tum institutum monasticum proprie professus erat; ut patebit ex num.* 3.

b *Nomen* Arsenii *omittitur in Lectionibus editis a Bascheria; sed cum hic, tum infra num.* 7 *consonat cum Ms. nostro apographum, quod habemus, desumptum ex bibliotheca Vaticana, codice, ut in margine notatum est, signato numero* 1222; *uti et codex ille, quem ex eadem bibliotheca numero alio insignitum in Annalibus citavit Baronius ad annum Christi* 1016, *num* 4. *De* Arsenio *in Commentario diximus.*

c *Quæ sequuntur, omissa sunt omnia usque ad numerum* 8 *in Lectionibus Bascheriæ, atque adeo etiam a Mabillonio. Leguntur tamen verbis totidem in apographo nostro Vaticano: imo etiam, sed per compendium, in Vita, quam edidit Hilarion monachus; qui haud dubie primigeniam Vitam præ oculis habuit; quin et in priori Vita Bascheriana non prætermittuntur, licet expediantur brevissime.*

CAPUT II.

Mors repentina fratris, ejusque ad vitam revocati narratio; iter Sancti Hierosolymitanum ac Romanorum; miracula in utroque patrata; calumniarum tolerantia et compensatio.

III.

Fratrum unus, Sancto obstrepens, perit subito;

Unus autem ex fratribus, Stephanus nomine, sancti viri Simeonis verbis restitit, dicens, hoc esse grave scelus: ejus consilio, in quo valuit, derogavit. Miser, quoniam beati Viri salubri consilio credere renuit, ejusque jussui obedire contempsit, repentinæ mortis pœnam citius pro vindicta sustinuit. Mira res; quum frater sub eodem momento, quo Viri Dei verbis fidem præbere noluit, occulto Dei judicio percussus interiit. De cujus repentino interitu mox Jesu Christi servus Simeon admodum tristis effectus, gravi mœrore collapsus, terrætenus totum se prostravit in genitum; ubi se tantis in lamentis constrinxit, eo usque divinæ pietatis aures precibus pulsavit, quousque superna clementia ejus mota clamoribus, animam Stephani a mortis fancibus ereptam, corpori miserando restituit.

sed ejus prece redditus vitæ,

13 Qui vitæ redditus, quo ivit, vel qualiter tam subito ab hac luce migravit interrogatus, fertur tale fratribus dedisse responsum: Cum me, inquit, omnipotentis Dei jussu (ut vidistis) repentino incursu ab hac vita migrare contigisset, confestim mihi angelus nivei candoris apparuit; qui me suo ducatu ad Beatorum sedes altas sustollens, ad tribunal Judicis præsentavit; ubi pluribus offensis ab antiquo hoste ad medium prolatis, sola me inobedientiæ ac derogationis colpa damnavit. Tunc districtus Judex, æquo libramine judicium pensans, quia præceptis patris mei Simeonis obedire

A dire contempsi, tenebris infernorum me pœnas luere merito destinavit.

[*narrat, quid sibi acciderit.*] 14 Cumque hinc inde plures dæmonum spiritus rapaciter inhiarent, ut ad inferni, claustra me raperent; ecce, unus ex cælesti militia nuntius, nimio fulgore rutilans, in medium micuit; qui clara voce, Beatorum spiritibus circumstantibus, dixit : Reddite animam Stephani lacrymis Simeonis; quia divinæ majestatis aures indesinenter compellit *, luctuosæ gemitu plorationis. [* an compellat?] Qua voce prolata, illico pristinæ vitæ sum redditus, ex quanta sit obedientiæ seu charitatis virtus, per cuncta eremi loca, enumerare firmiter a Deo sum monitus. Et sancto Simeoni inquit : Tuis nempe, beate Pater, precibus suscitatus, amissam recepi animam; et mandata Dei, quæ mihi pandere jussa sunt, ac visa inferni supplicia, quæ audita non credidi, viventibus superis terribiliter pandam. Hæc Stephanus retulit, et pluribus, quamdiu vixit in mundo, sicut sibi contigit, B reseravit.

IV. [*Hierosolymam veniens liberat 7 energumenos.*] 15 Cumque, longo jam exacto tempore, supernæ pietati placuisset : ut beatissimus Christi confessor Simeon vastam solitudinem desereret, atque diversas mundi partes per lucis exempla miraculis illustraret, eremum deseruit : Christo sibi ducatum præbente, Hierosolymam petiit. Et bene Hierosolymam, quæ interpretatur Visio pacis; quia Vir pacis amator plures inter se a Christo discordes ad unitatem fidei *a*, et ad pacis gratiam *b* revocavit. Quam quum Vir beatus humili cultu ingrederetur, quamdam domum horroris plenam introivit, ubi septem humana corpora septem nequissimis mancipata spiritibus reperit; quæ ab ipsis adeo vesaniæ torquebantur furore, quod si quilibet ea niterentur contingere, confestim eos lacerosis morsibus molirentur discerpere. Quibus Vir Dei, divina fretus virtute, constanter imperans, protinus ab obessis corporibus illos nequam spiritus increpando fugavit.

V [*Romæ pro heretico traducitur a clerico quodam seditioso,*] 16 Non multo post tempore Dei servus Simeon, exacto jam eremiticæ conversationis prælioso tirocinio, quia sibi divinitus revelatum est, solitudinis antra deseruit, et orationis studio Romam peregrinus expetiit. Cúmque Sanctorum C multa corpora circumeundo visitaret, quem nullus in orando labor vix aliquando superaret, tandem ad oratorium S. Joannis Baptistæ Lateranensis ecclesiæ applicuit; ubi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificem, Benedictum nomine, cum multis religiosis episcopis, orthodoxis viris, in congregata synodo residere invenit *c*. In quo cum devotæ orationis moram (ut ei semper consuetudo fuerat) diu in longum protraheret, unus ex clero, nequitiæ ac superbiæ furore plenus, Simeonem, virum sanctum et catholicum, omnibus in synodo residentibus ore polluto infamavit hæreticum *d*; et ut eum morti traderet, atque ad necandum eum populum concitaret, talia adversus Virum Dei verba polluto ore delatrabat, dicens : Nonne, inquit, omnes videtis, in visu, in incessu, et totius corporis gestu hominem hunc pravum, et impostorem hæretice agere *e*? Insurgamus ergo in eum, et, ut ceteri contremiscant, aut lapidibus obruamus, aut vivum igne comburamus. Hæc flagitiose * aiebat, [* al. flagitiosus] et ejus flagitio plures adjuncti sunt unanimiter conspirantes, qui instigante diabolo, Virum sanctum, justum, et pium toto conanime occidere moliebantur.

17 Qua de re Romanus Pontifex cum universo episcoporum collegio turbabatur, et quibus indiciis hoc vere cognosci potuisset, diligenter sciscitabatur. [*Ex cod. ms. sed seditione per Pontificem composita,*] Aderat tum ibi quidam religiosus et reverendus episcopus, qui ab Armeniæ finibus peregre Romam petens, consilio et sapientia præditus, reverentia sanctitatis habebatur egregius; qui Dominum Papam humiliter adiens, his dulcedinis verbis illum exhortabatur, dicens : Tua, beate Pater, jubente auctoritate, furor populi conquiescat; et quis Vir ille sit, vel cujus professionis, seu qualiter catholicam fidem excolit, me percontante, tua Paternitas recognoscat. Cujus sapienti consilio reverendus Papa credidit; eoque jubente, populi seditio conquievit.

18 Tum vero supra memoratus episcopus, virum Dei Simeonem aggreditur, et lingua, qua utebatur, ita eum alloquitur : [*orthodoxus declaratur :*] Quis es? Unde es? Cujas * es? [* al. cuju] Dic ergo, Frater monache : et si catholicæ fidei cultum tenes, per me iis omnibus innotesce. Ad hanc vocem servus Dei E Simeon, qui erat Dao plenus, nusquam vero a sapientia vacuus, denuo quoque interroganti prudenter respondens, catholicæ et apostolicæ fidei perfectionem ita confitendo perdocuit, qualiter per universum orbem Apostolorum symbolum, in Nicæna synodo peroratum, clara voce personuit. Quod cum peregrinus episcopus audisset, famulum videlicet Dei Simeonem plenum fide et sanctitate veraciter cognovisset; magno repletus gaudio, pro reverentia sanctitatis, ejus pedibus se prostravit humilitatis obsequio. Postquam igitur inter se Armenica lingua contulissent ad invicem, ad extremum peregrino episcopo totum de Servo Dei, quod quærebat, innotuit. Quod protinus Papæ ac omnibus qui aderant, virum Dei scilicet Simeonem veræ fidei professorem, justum, et sanctum æternæ Trinitatis, cultorem, omnipotentis Dei adoratorem, palam omnibus declaravit.

19 Sed quia Deus omnipotens ultionum dominus est, qui nihil quod injuste culpatur, inultum abire permittit, et impiorum nequitiam ulciscendo consumit; [*clericus vero occupatur a dæmone.*] clericum, qui ad necandum Servum Dei populum concitaverat, eadem hora spiritus malignus arripuit, ac pro illata Servo Dei contumelia diutissime volutando vexavit. Videntes autem Romanus Pontifex, ac totus clerus, F universusque populus tanta Dei magnalia et mirifica opera, elevatis in cælum manibus simul cum clamoribus omnipotenti Deo laudes et gratias referebant, qui non permisit Servum suum innocentem perimi sub iniquorum præjudicio, nec interfectorem ejus abire sine vindictæ præmio.

20 Tunc Christi servus Simeon cernens, perversum * clericum ab ultore spiritu crudeliter dementari *, [*quo per Simeonem liberatus veniam petit.* * Baron. legit pervasum * Baron. tormentari] memor evangelici dicti, quo dicitur : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; et alibi : Orate pro persequentibus et calumniantibus vos; compatitur miserrimo clerico. Elevata itaque super eum manus signum crucis increpando edidit; moxque malignus spiritus, per os vexati turpiter exclamans, ululando evanuit. Eadem vero hora liberatus ab hoste clericus, pedibus viri Dei Simeonis provolutus corruit; ac ingenti gemitu diutissime plorans, se reum, se culpabilem multum accusans, de perpetrato scelere veniam postulavit. Quem Jesu Christi famulus Simeon (ut

EX COD. MS. (ut erat semper pietate et misericordia plenus) corde prostratum, corpore ac mente sanavit; deinde pœnitentia ducto relaxatum sibi scelus clementer indulsit.

Sanctus post hoc et alia miracula clam Roma discedit in Tusciam.

21 At vero præfatus Pontifex, totus clerus, ac universus populus, sanctum Simeonem, gloriosum confessorem, læto corde suscipiunt; intra ecclesiastica mœnia honorabili in loco aptum sibi habitaculum tribuunt. Ad quem plures ægri, diversisque languoribus oppressi certatim properant, qui sanitate per impositionem manus sancti Viri recepta, incolumes cum gaudio ad propria redeunt, plurima ei dona ac diversa munera offerentes; quæ Dei Servus peregrinis indigentibus, viduis, orphanis, pauperibusque dispertiens, per illorum manus in cælestem gazam recondendo transmisit. Valde nimirum metuens, ne favorabilis aura, aut populi rumor, ejus facta longe lateque extollendo protenderet, nocte Romam deserens, ad Tusciæ fines, per devia quæque progressus, secreto secessit.

B

ANNOTATA.

a *Vide infro cap. 3, num. 26 et seqq.*

b *Consule capitis* 5, *num.* 45.

c *Adi de his Commentarium prævium.*

d *Observat in hunc locum Baronius ad an.* 1016, *num.* 5 *et seqq., viguisse super omnes in clero Romano odium in hæreticos; tales autem istic per ea tempora reputari fere consuevisse Armenos, ob grassantes in Armenia Manichæorum aliorumque sectas.*

e *Sic de Manichæis ex habitu atque externa corporis specie judicatum olim fuisse, notat idem Baronius ex Hieronymo dicente epist. 22 ad Eustochium :* Quam viderint pallentem atque tristem, miseram, monacham, et Manichæam vocant.

CAPUT III.

C

Ejusdem benignitus erga male meritos; varia per Italiam itinera, et crebra in illis miracula; conversio Judæorum.

VI. *Male mulctatur a monachis inhospitalibus,*

His denique ita peractis, pluribusque virtutum signis per ejus merita inibi declaratis, beatus Simeon Roma discedens, maritima loca pertransiens, ad quoddam monasterium casu venit; ubi fortuna, servata suæ naturæ vice, prospera in adversa mutavit : nam fratres scilicet, qui Fratrem debuerant ut Christum suscipere, cœperunt crudeliter verberibus persequendo percutere. Quod scelus dum episcopo civitatis manifeste innotuisset, monachos, qui famulum Domini Simeonem percusserant, comprehendi, et in obscurum carcerem retrudi jussit. Sed verus Christi Discipulus, illius magistri vestigia sequens, qui a Judæis comprehendi, flagellari, conspui, lancea perforari, postremo crucifigi pro mundi salute non horruit, pravorum opprobria non respuit, quæcumque flagella iniqui fratres sibi intulerunt, patienter sustinuit. Ecce nunc, pietate quanta redundat Dei cultor Simeon : intempestæ noctis silentio surgens, inblusos monachos tacite adiit; claustra fusis ad Deum precibus aperuit; ac confidenter exire admonens, et impunitos abire permittens, liberos foras exclusit. D

sed eos beneficio prodigioso convertit.

23 Egressi quidem, ad pedes Viri Dei velociter currunt, ubi reatum suum diutius flentes, se deliquisse, nequiter errasse accusantes, peccata, quæ in Sancto Dei commiserant, lacrymis puniunt. Quos Christi Famulus benigno (ut semper erat) animo arguendo, obsecrando, increpando monuit Deum et proximum diligere, charitatem habere, hospitem, tamquam Christum, suscipere, per omnia et in omnibus sanctæ regulæ *a* præceptis firmiter obedire. Qua salubriter exhortatione admoniti, a pristinis vitiis curati, ac per ejus dulcia verba in melius reformati, quod quidem usu pravitatis didicerant, postmodum ad honestæ moralitatis usum permutare studuerunt. Audiens autem supramemoratus episcopus tantam Viri Dei humilitatis constantiam tantamque patientiam, ad se quantocius illum exhiberi jussit, eumque secum, quod * viveret, pro suæ sanctitatis reverentia obnixis precibus manere rogavit. Qui omnino renuens, ad destinatum iter, sicut ei divinitus fuerat imperatum, animum dirigens, sc ibi manere non posse omnino denegans, accepta ab eo benedictione, discessit. E

* *al.* quoad

VII. *Pisas adiens diabolum fugat;*

24 Tum beatus Simeon inde progrediens, ad civitatem, quæ Pisa nominatur, recto tramite gressum flectens, diabolum, quasi leonem rugientem, obvium habuit : qui ei dixit : Quo tendis, monache? Cui Sanctus inquit : Quo me Christus ducere voluerit. Quod cum diabolus audisset, ab oculis ejus, velut fumus, evanuit : Dei vero Servus absque pavore iter, quod cœperat, intrepidus tenuit. Ingrediens autem prædictam urbem, cujusdam pauperis domunculam hospitio habuit : fatigatum lassitudine corpus, ut ei semper consuetudo fuerat, pomis et aqua refecit.

inde jumento mire oblato ad urbem Lucanam deducitur;

25 Mane autem facto inde exiens, non longe a civitate quemdam hominem cum asino, ad insedendum præparato, in itinere reperit; qui ei ita dixit : Ascende, Domine peregrine, meum ascende asinum, ut ad perficiendum cœptum iter aliquod tibi valeat esse suffragium. Quod cum dixisset, illico Jesu Christi Famulum supra imposuit; ipse quoque asinum capistro ducens, ad Lucanam civitatem advenit : ibique in cujusdam Judæi domo, divina providentia procurante, hospitatus quievit. Hominem siquidem, sicut dictum est, cum asello præparato ad se subvehendum Christi Famulus invenit; sed a quo sibi missus fuerat, penitus scire nequivit *b*. F

b

VIII. *ubi unius Judæi pertinaciæ pœna*

26 Edentibus autem illis, cœpit servus Dei Simeon salutis verbum prædicando affluenter diffundere, atque de Incarnatione unigeniti Filii Dei cum Judæis conflictum habere. Ad quem plures Judæorum tunc convenerunt, qui Christum Dei Filium de intemeratæ Virginis utero humanam carnem sumpsisse negantes, eumdem Dominum nostrum Jesum Christum hujusmodi blasphemiæ ultorem in propatulo persenserunt. Horum namque unus, dum Redemptorem nostrum ex Marie Virgine natum execrando negaret, coram cunctis, qui aderant, spiritum ululando emisit. Tunc Judæi ibi circumstantes, et hoc Dei Judicium terribile contuentes, illum infelicem, et repentina morte necatum tulerunt, et in eadem domo sub ipsa nocte, sicut consuetudo illorum exigit, occulte sepelierunt.

27 Mane

A *alios multos Ecclesiæ peperit,*

27 Mane autem facto, ex tota civitate illa quicumque Hebræi, pavore concussi, in unum conveniunt, et exhortante illos Christi viro Simeone, in Christum Dei Filium crediderunt, atque catholicæ fidei symbolo se velle doceri, unanimiter spoponderunt. Nulla igitur interveviente mora, Jesu Christi servus Simeon, una cum Judæorum populo ad Christum converso, ejusdem civitatis episcopum *c*, qui tunc temporis Lucensis ecclesiæ regimen gubernabat, festinanter adiit; quatenus quos, relicto errore, Christo credere, et sub assertione veræ fidei profiteri fideliter noverat, sacri baptismatis unda perfunderet. Audiens hæc reverendus pontifex, ingenti repletus gaudio, utrasque manus erexit ad sidera, ac Salvatoris Jesu Christi cœpit incessanter laudare magnalia.

tota urbe plaudente, baptizatos.

28 Tum vero per omnes civitatis ecclesias pulsatis signis, confestim tam admirandæ novitatis rumor insonuit. Ubi collecta innumera utriusque sexus ac diversarum ætatum populi multitudine, cœpit idem episcopus omnipotenti Deo pro Judaïca turba, ad B Christum meritis et intercessione S. Simeonis conversa, laudes et gratias agere, ipsumque Christi Confessorem, ut fidelem cooperatorem, pro tanta Dei gloria, summa reverentia honorare. Deinde reverendus antistes [errore] infidelitatis erutos, catechumenos faciens, sacra baptismatis ablutione perfundens, ad æternitatis gloriam innovavit, atque per adoptionis gratiam sanctæ Ecclesiæ gremio copulavit. His itaque peractis, episcopus cum toto Lucano populo, sanctum Dei Simeonem, ut secum ibi maneret, magnis precibus rogare cœperunt: sed ipse eorum vocibus non acquiescens, summo diluculo inde discessit.

IX. *Inde ad Lunenses profectus, multa edit miracula,*

29 Sub eodem quoque tempore beatus Simeon transiens per Lucensium civitatis fines, in quemdam vicum hospitandi gratia venit, in quo multos languidos ac febricitantes, aquam illis solummodo benedictam impertiens, curavit. Inde egrediens, in Lunensem civitatem *d* applicuit; ibique prope eamdem urbem hospitium extra habuit, in quo infirmum quemdam, multo jam tempore corporea infirmitate detentum, languere invenit. Cui cum Jesu Christi Servus portiunculam C unius pomi cum benedictione tribuisset, pristina sanitate recepta, eorum cunctis astantibus de stratu suo statim sanus exsiliit. Inde quoque progressus, simul cum conviatore suo per Bardonem montem *e* iter faciens, tandem ad Basilicam sancti Moderaminis *f* itinerando divertens, orandi simul et hospitandi gratia studiose ibi excubare curavit.

ducemque cum asino agnitum dimittit.

30 Mane autem oratione cum matutinalibus hymnis peracta, Dei Servus ecclesiam exiit, et prædictum socium una cum asino ad subvehendum sibi præparato, foris se præstolari invenit. Qui dixit ei: Nunc tibi, venerabilis Pater, secretum nostri itineris pandam; quod nunc usque, ne tibi molestum videretur, aperire pertimui. Quadam, inquit, nocte, dum in civitate Pisana in lectulo meo sopitus quiescerem, voce mihi de supernis prolapsa divinitus a Domino jussum est, quatenus te hoc meo asino hucusque subveherem, et laborem tui itineris tecum pariter supportarem. Da igitur mihi nunc, Pater, benedictionem tuam, qua tutus ad domum meam cum gaudio redire valeam. Qui elevans ad cælum oculos cum manibus, fusis lacrymis glorificavit Dominum, et mente devota benedixit socium. Qui auctus benedictione, roboratus lætitia, per iter, quo venerat, prospero * reditu fideliter remeavit ad propria; passim reserando mira, et magnifica Christi prodigia, quæ per suum Servum secum gradientem fieri viderat.

EX COD. MS.

* al. propero

ANNOTATA.

a Hic Regulam S. P. Benedicti laudare videtur, quæ adeo hospitum susceptionem commendat cap. 53, *inquit hic Mabillonius, ignarus de qua urbe vel cœnobio Tusciæ intelligenda sint, quæ hoc loco narrantur.*

b *Quid hunc hominem ad hoc obsequium* S. Simeoni *exhibendum impulerit, ipsemet indicabit infra num.* 30.

c *Theudigrimum, opinor; quem Ughellus inter episcopos Lucenses quadragesimum locat, aitque istic sedisse ab anno Christi* 982 *usque ad* 987.

d Luna *urbs Etruriæ fuit olim celeberrima ad Macræ fluminis ostia in confinio Liguriæ; cujus* E *ingentes superstant ruinæ cum aliquot piscatorum casis, uti Ughellus docet in Italia sacra tom.* I *col.* 893, *ubi de episcopis Lunensibus et Sarzanensibus.*

e *Qui pars est Appennini, ubi Luitprandus Longobardorum rex Berceti monasterium, teste Paulo Warnefridi lib.* 6, *cap.* 58, *ædificavit, in Parmensi diœcesi.*

f *Imo* Moderamni, *episcopi primum Redonensis, ac dein abbatis Bercetensis, de quo, uti et cœnobio Bercetensi, agendum erit* 22 *Octobris; videri interim potest elogium historicum ejus in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* 3, *parte* 1, *pag.* 517.

CAPUT IV.

Prosecutio itinerum ejus et prodigiorum per Italiam.

X *Placentiæ noctu ante SS. Limina excubanti*

Paucis ibidem moratus diebus, pluribusque virtutum miraculis declaratis, beatus Simeon a finibus illis egressus, viribus corporis, quibus poterat, paulatim eundo Placentiam accessit ad urbem; ubi mira, quæ Deo cooperante peregit, subinferam; F et quia digna relatu videntur, fidelium auribus intimare non pigeat. Quam cum fuisset ingressus, et assiduis orationibus vacans, Sanctorum corporum limina orandi gratia circuiret, antequam mediæ noctis terminus incumberet, ad beati Sixti Papæ et martyris, Christo ducente, properavit ecclesiam *a*. Cujus foribus dum devotus exsisteret * et modulatis vocibus odas dulcisonas decantaret, custodes ecclesiæ, qui audierant *, illico surrexerunt ad audiendas mellifluas melodias, et excubare cœperunt.

* forte assisteret

* al. aderant

ultro fores panduntur: unde sanctitatem ejus venerata monialis

32 Quibus laudibus una ex ancillis Dei, Maria nomine, sacrista ejusdem ecclesiæ, vehementer exterrita, ad basilicæ januas cucurrit; et quas vectibus et seris obfirmaverat, quia apertas invenit, mirata obstupuit. Sed Christi ancilla in actu et operatione beati Simeonis claro perpendit, quod verus Christi esset discipulus et fidelis servus; et quod nemo ei ecclesiæ valvas, nisi mira Dei potentia, reserasset.

EX COD. MS.

set. Mox, quia febrium vexatione ipsa nimium torqueretur, citius ejus pedes appetiit; et, ut pro ea Dominum exoraret, fusis lacrymis eum prostrata rogavit. Proinde hæc ita subintulit: Signa me, inquit, beate Pater, tua dextra, et ab ardore febrium tuis me sanctis orationibus adjuva.

liberatur febribus.

33 Qui statim erecta manu signum sanctæ crucis super eam imposuit, et febricitantem Dei famulam a febrium valetudine liberavit. Ut vero clara dies est reddita terris, Dei ancilla a febribus erepta, totius congregationis spiritualem matrem cunctasque sorores, præ gaudio lacrymando ascivit, et qualiter a Viro Dei in nocte sanata fuerat, omnibus patefecit. Sed quia juxta Redemptoris veridicam sententiam non potest abscondi civitas supra montem posita, per cuncta urbis mœnia sancti Viri percrebuit fama. Unde ad videndum eum innumera populi multitudo confluxit. Sed Christi Servus, qui
B mundanæ felicitatis pompam contempsit in seculo, ut dives fieret in cælo, præclara virtutum signa omnino contegi malens, honorari ab hominibus omnimodo respuit, et populi rumorem fugiens, crepusculo clam urbem deseruit, clamque discessit.

XI. Transmisso mirabiliter Pado, hospitium deligit viduæ,

34 Plures inde sibi peregrinos associans, Padum flumen petiit; ubi navigium, quo fluvium transmearet, nullum invenit; sed mira Dei clementia solito sibi mirabiliter affuit, quæ illi navim, extra flumen positam, sine ullo hominis juvamine, absque ullo remigio, ad transfretandum celeri cursu direxit: quam Vir Dei cum peregrinis secum comitantibus confidenter intravit, et decurrentem fluvium solo cum baculo transnavigavit. Transiens inde per vicum, qui Caniolus * dicitur, ad monasterium S. Christinæ virginis *b* venit; ubi apud quamdam pauperculam viduam, cujus filius paralyticus languebat, hospitium accepit. Cognita denique ibi Christi Famuli sanctitatis virtute, precibus assiduis supplicabat, [ac] medelam filio cum lacrymis deposcebat.

* *al.* Cuniolus

cujus filium paralyticum sanat.

35 Tunc Vir sanctus, qui semper misericordiæ visceribus inundabat, postquam pietate
C motus, sacra manu paralytica membra tetigit, diuturna paralysi maceratus eadem hora sanus de lecto surrexit. Res mira! Qui usque id præ dolore nimio non valebat nec se in latus aliud vertere, nec manum ad os ducere, propriis restitutus gressibus, cœpit eundo huc illucque gratulabundus discurrere, et Dei magnalia apertis vocibus laudabiliter proclamare. Prædicta namque vidua, de salute filii admodum læta, quæcumque sibi obsequia potuit, exhibere studuit: juxta suæ facultatis modulum mensulam apposuit, cibum sibi sedula ministravit.

Papiæ plures ægros restituit valetudini.

36 O mira Christi pietas! O mira clementia! Quibus laudibus ejus sunt extollenda præconia, dum virtutum curationes, quas per semetipsum corporaliter exhibuit, per servos suos longe lateque clarere disposuit? Duobus ibidem tantum peractis diebus, Dei cultor Simeon Papiam urbem expetiit, ubi plures ægrotos, sola manus impositione, invocato Jesu Christi nomine, per divinam virtutem pristinæ sanitati restituit.

XII. Ibidem latens, a dæmone proditur,

37 Dum quadam die (ut solitus erat) Sanctorum ecclesias atque venerabilia monasteria visitando, circumquaque orationis gratia circuiret, ac fatigatum præ lassitudine corpus in cujusdam religiosi viri domo cum peregrinis secum D
comitantibus discumberet, mulier quædam, dæmonio plena, per civitatis plateas multorum manibus trahebatur, ad sancti Syri ecclesiam *c*. Cum autem appropinquaret domui, in qua Christi discipulus Simeon, hominibus incognitus, manebat; cœpit idem dæmon gressum figere, ac turpibus vocibus per os seminæ clamare, dicens: Hic unus ex discipulis vestri Christi occultus latitat, qui me catenis igneis ligat, et ne ulterius hoc pervasum corpus dilacerem, ejus me timor excruciat. Quod illi, qui dæmoniacam ducebant, audientes, sub conjurationis violentia cœperunt diligenter inquirere, quo vocaretur nomine, seu in cujus hospitaretur domate. Qui conjuratione constrictus, et nomen Sancti pandit, et domum, in qua hospitaretur, ostendit.

quo mulierem insessam liberat.

38 Quo audito, Dei Servus S. Syri basilicam petiit, ibique intra cryptam juxta sanctum corpus procumbens, tacitus latuit. Tunc viri omnes, sicut audierant, cœperunt Dei Famulum E
diligenter quærere; sed quia jam inde abierat, nusquam poterant invenire. Pergentes igitur ad beati Syri ecclesiam, et Virum Dei e vestigio sequentes, cum eadem dæmoniosa, quam secum duxerant, introierunt, et beatum Simeonem, intra cryptam latitantem et orantem, sicut idem malignus spiritus prodiderat *, invenerunt. Cumque totis annisi viribus illam vexatam ad beati Syri corpus conarentur trahere, cœpit idem nequam spiritus rabida et incondita * voce sanctum Virum ita depromere: Vestri Christi Discipulus, qui me nunc ligavit, hic absconditus latitat: cujus me timor vehementer excruciat; cui quoque concessum est, ut me ex hoc subjecto corpore violenter ejiciat. Audiens itaque Christi Confessor, hoc prolato nomine, se nullo modo posse contegi, nulla absconsione celari, divino numine fretus, dæmonio viriliter imperat, et diu obsessum corpus ab immundo spiritu liberat.

* *al.* prodiderat

* *al.* condita

XIII. Ticino in Galliam transiens, senis jumentum sanat, *d*

39 His denique rite peractis, quia vir Dei Simeon in Galliarum partes ad Sanctorum corpora visitanda recto calle cœptum iter direxerat, paucis ibi moratus diebus, Papia discedens cum ascitis sibi sociis, Vercellim *d* properavit ad urbem. Ea vero die, qua ab urbe F
egrediebatur, dum per Ticini pontem transitum haberet, invenit ibi quemdam senem flentem, ac præ mœrore nimio jacentem; cujus equus in ponte dilapsus, ita cecidit, quod ejus coxam, duum lignorum strictura fractam, contrivit. Qui videns senem nimis dolentem, ac perditi equi damnum plorantem, ejus dolori compassus, ita percontatus est, dicens: Quo modo tendis, vel cur ploras, miserande senex? Cui ille: Romam, inquit, beate Pater, adire cupio; sed heu me! quia equus meus in hoc ponte collisus jacet, ulterius incedere nequeo. Cujus equi coxam mox ut Vir Dei manu tetigit (mirabile dictu!) sanatum equum flenti seni reddidit, supra quem impositum cum gaudio abire dimisit.

et homines plures,

40 Quod viri et feminæ, qui illic ægroti jacebant, seu qui ab eo sanitatis donum acceperant, viderunt; et sospites redditi, sicut cognoverant, per tota urbis mœnia laude glorifica retulerunt. Inde Vercellas attigit, ubi dum plures virtutum curationes, quas dinumerare longum est, infirmis corporibus infunderet, duos pueros invenit; quorum unum ab ardore febrium, alterum vero a squallore vulnerum sanavit.

A sanavit. Quos qui vidit, retulit: et qualiter a beato Viro curati sunt, posteris declaravit.

e
xiv. Abhinc quoque per Palæstinum burgum *e* beatus Simeon iter faciens, quemdam leprosum reperit, cujus tugurium intrans, solo manus tactu a lepræ fœditate mundavit.

f
xv. Exinde Torniensium *f* fines appetens, in ponte Duræ *g* fluminis cæcum obvium habuit, cui crucis signaculo oculorum lumen restituit.

g
xvi. toto itinere. 41 A Torniensi urbe cum adjunctis sibi sociis diluculo exiens, per Sigusaniam vallem *h* descendens, ad S. Petri cœnobium, quod Lucis novæ *i* dicitur, nimium fatigatus venit; ubi Christi Famulus diu corporea infirmitate detentus, debilis jacuit. Cumque, tribus in infirmitate decursis mensibus, a Deo bene curatus, destinatum iter, quod cœperat, carpere niteretur, ad quemdam decurrentis aquæ fluvium venit, solo sibi adminiculante baculo, nullo secum comitante socio: quem juxta, cæcum quemdam cum puero, scilicet sui ductore, sedere reperit; quem intuitus, sic eum B alloquitur dicens: Nunc, frater mi charissime, lavemus manus et facies; et sic ad audiendam Missam citius properemus; quatenus nostrum iter, Deo ducente, expeditius pergamus *. (* al. peragamus) Cui cæcus obediens, ad abluendas sibi manus cum Viro Dei rivulo acclivus procubuit. In cujus vultum Sanctus lympham manibus spargens, claram oculis lucem protinus reddidit. Qui serenos oculos ad cælum cum manibus elevans, celebres Deo laudes retulit, atque mox Illuminatori suo comes effectus, eum per vitæ spatium non deseruit.

ANNOTATA.

a *Patet hinc, monasterium S. Sixti Placentinum ad moniales olim pertinuisse; at paulo post hæc tempora monachis Benedictinis cessit, qui illud etiam nunc obtinent sub congregatione Casinensi, ut tradit Mabillonius tum hic in annotatis, tum in Museo suo Italico tom.* 1, *pag.* 209.

b Monasterium S. Christinæ *erat in diœcesi Mediolanensi, Placentia Ticinum adeuntibus ad lævam positum. Fuit Benedictinorum; at nunc collegio Romæ Germanico attributum per Gregorium PP. XIII, teste Lubino et aliis.*

C c S. Syri *primi Ticinensium episcopi, de quo dicendum erit die* 9 *Decembris, sacrum corpus asservatur apud eos in ecclesia cathedrali.*

d *Numero sequenti non* Vercellim, *sed* Vercellas *rectius scribitur. Est urbs Italiæ in Pedemontio late sumpto episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi ad Sessitem fluvium, dominii Vercellensis caput.*

e *Alii scribunt* Palestricum Burgum; *sed neutro nomine mihi notum est, nisi quod Vercellas inter et Taurinum fuisse, ex hujus itineris descriptione colligatur.*

f *Mabillonius hic putat, pro* Torniensium *legendum esse* Taurinensium; *et recte, mea quidem sententia. Quid enim sibi velint hoc loco Tornienses, quis divinet? Facile etiam fuit auctori Italo pro Taurinensium scribere* Turinensium *vel* Torinensium; *ex hac autem voce nihil facilius imperito amanuensi, quam fingere* Torniensium; *cum in antiquis quibusdam codicibus solo sensu distinguantur* in *et* ni, *imo et* m. *Certe Taurinum hic intelligi, patet ex adjunctis: lege ergo etiam numero sequenti* Taurinensi.

g *Duplex in hoc itinere occurrit* Dura, *seu potius* Duria *flumen: alterum medio fere spatio inter Vercellas et Taurinum, alterum vix dimidio milliari infra Taurinum in Padum se exonerans. Hoc postremum videtur hic intelligi; utpote Taurino propius.* EX COD. MS.

h *Imo* Segusianam vallem, *quæ trajicienda est Taurino recta per Cenisium montem penetrare volentibus in Galliam.*

i *Vulgo* Sancti Petri de Novalisio, *quod Ordinis S. Benedicti cœnobium ad radices montis Cenisii non longe a flumine Cenisio situm pluribus describit Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Pedemontanæ regionis chronologica historia cap.* 16.

CAPUT V.

Peregrinatio ejus in Gallæciam, Britanniam, Galliam; reditus in Italiam; vita austera apud monasterium Padolironense; misericordia in pauperes et quædam miracula. E

His peragratis finibus, intravit Aquitaniam; dehinc petit Guasconiam; penetravit Hispaniam; pervenit in Galliciam: ecclesiam S. Jacobi apostoli petiit orationis gratia. Quibus in partibus summus et æternus opifex Deus, per fidelem Famulum suum multa et præclara peregit signa virtutum; quæ quia innumera sunt, et sub descriptionis compendio determinare nequimus, competentius omittere censemus, quam per diffusa narrationis spatia longius evagemur. Ut autem Viri Dei opinio per diversa Galliciæ loca inclaruit, atque sanctitatis fama regi *a* illius provinciæ innotuit, summa eum veneratione Christi Servum excoluit. Ipse vero Sanctus filiam *b* ipsius regis, ab immundo spiritu arreptam, suis precibus liberavit. Pro cujus liberatione rex sibi plurima auri et argenti dona obtulit. Ex quibus omnibus nihil sibi, nisi servulum unum, Joannem nomine, accepit. Quem non ut servum, sed ut fratrem diligens, ut beatus Martinus agebat, ita iste suo versa vice humiliter ministrabat. F

(xvii. *Ex Gallæci regis filia diabolum expellit.* — a — b)

43 Post hæc quidem beatus Christi confessor Simeon, visitatis Sanctorum corporibus, exinde rediens, per Britanniam transitum habuit *c*. Ingreditur Franciam; Thuronim * adiit; ibi beati Martini, magni et incomparabilis viri, oratorium petiit: ubi jam non multis transactis diebus, Italiam venit; quam circumquaque perlustrans, Mantuarum * tandem fines attigit. Ubi juxta flumen Padum monasterium * in honore almi patris Benedicti, a Theudaldo marchione, Ottonis *d* filio, constructum, ac probis fratrum moribus digniter exornatum reperit, in quo sanctitatis conversatione, Christo duce, sui corporis quietem elegit. Quem reverendus abbas, Venerandus *e* nomine, totaque fratrum religiosa congregatio, summa cum charitate susceperunt; sibique humile habitaculum juxta sui competentiam in loco, quem ipse elegerat, construxerunt *f*.

(xviii. *Lustrata Britannia et Gallia, prope Mantuam sedem figit.* — * al. Turonu — c — * al. Mantuanæ provinciæ — d — e — f)

44 Ubi cælibem agens vitam, atque sanctis orationibus assidue vacans, Christo Domino placabiliter serviebat, atque per totius moralitatis studia omnibus complacebat. Erat enim verus Dei cultor, pacis et charitatis amator, oris ad silentium custos, eleemosynarum largus distributor,

(*apud monachos Benedictinos, tam sancte vivens;*)

EX COD. MS.

distributor, in vinea Christi idoneus cooperator, in incessu humilis, in eloquio dulcis, in fide constans, in oratione perseverans, in jejunio assiduus, in vigiliis sedulus.

ut principibus etiam venerationi fuerit. Ejus obedientia et misericordia:

45 Qui nimirum domino duci Bonifacio, ejusque gloriosæ conjugi, cunctisque suis militibus, nec non universis Italiæ principibus pro tanta morum honestate ita charus erat, ut quæcumque ab eis promerenda peteret, facillime impetraret. Quorum omnium dilectione et benevolentia amabiliter est dilectus, ac intra palatinas ædes, si quando causa exigebat, honorifice est susceptus. Si pro statuenda pace aliquando foras egredi Dei Famulo placuisset, prius a monasterii patre et a fratribus benedictionis licentiam petebat; ac sic ad perficiendum pacis opus fideliter incedebat. Dona vel enxenia *g* pravorum hominum, veluti stercora, aspernando exhorrebat; quæ vero a bonis et honestis viris aliquando coactus accipiebat, pauperum necessitatibus impendebat.

B

rigor in Quadragesima, et eleemosynæ.

46 Quis valet lingua exprimere, qua carnis mortificatione in diebus sanctæ Quadragesimæ macerabat corpus? Quantos per licentiam spiritualis patris inopes alebat; quantos nudos vestibus tegebat; in quibus sæpe non nisi ter, et, ut ita dicam, bis in hebdomada aridum corpus tantum vespertino tempore vili edulio recreabat. In ultima quoque ejusdem Quadragesimæ hebdomada, nullum omnino cibum vel potum sumebat, neque cum hominibus colloquium habebat, præter cœnam Domini, quam cum fratribus in refectorio juxta suæ præparationis modulum decentissime exornabat, tribuens unicuique cum omni veneratione et charitate Christi cocta legumina, quæ sacris * manibus diligentissime præparans, olei unguedine condiebat. In ipsa vero feria Parasceve, sub exemplo Redemptoris nostri, acetum acerrimum post solis occasum lacrymando bibebat. Dehinc totam noctem cum sequenti sabbato in mœrore et afflictione pervigilans, usque ad sanctæ Resurrectionis diem, nullam suo corpori quietem aut oculis somnum accommodabat.

* al. suis

XIX.
Pauperi nudipedi caligas dat sibi detractas,

47 Hoc, quod subsequor, satis nobis videtur laudabile, quantum perpenditur, et venerabile. Dum quadam die Vir sanctus ejusdem præfati monasterii, in quo degebat, exigente
C
causa, de cella exiret, et ad gloriosum ducem Bonifacium properans, per cujusdam silvæ solitudinem iter haberet, atque horrida nivis et glaciei asperitas tanta ingrueretur *, ut vix aliquis de sub tecto exire præsumeret, cuidam pauperculo fere nudo, et nudis cruribus incedenti obviavit *h* [cui miserando compatiens, caligas, quas in cruribus habebat, confestim abstraxit et nudo pauperculo miserans tribuit; eique, ne alicui eas venderet, adjuratione prohibuit.] Quas pauper alacriter suscepit, et beatus Simeon iter quod cœperat gaudenter peregit, felix felicem imitatus Martinum, qui parte suæ vestis in porta Ambianensium nudum vestivit, et in nocte Jesum Christum eadem parte vestitum, qua pauperem texerat, videre promeruit. Sic quoque iste verus Christi Discipulus nihil in se deformitatis metuens, egit, et unde sua gaudenter exuit, inde pauperis crura misericorditer contexit.

* imo ingrueret

aliasque a principe oblatas recusat.

48 Cum autem ante jam dictum ducem Bonifacium ita nudis cruribus advenisset, intuens eum dux, dixit: Cur sic inepte sine caligis et calciamentis incedis, domine Pater? Cui ille: Caligas, inquit, quas habebam, Jesu Christo dedi, qui dixit; Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quod dominus [dux] audiens, præ admiratione obstupuit; et confestim duas hircorum pelles afferri, inde sibi alias consui jussit. Quas ille accipere renuit, quia a remuneratore omnium bonorum Deo se accepturum asseruit. D

XX.
Mantuæ sanat ægros, et leonem mansuefacit.

49 Peracta autem causa, pro qua ierat, ad monasterium, unde venerat, rediit. Ubi, sicut prius, quotidie ad altiora conscendens, in contemplatione supernæ vitæ sinceriter vixit. Non multo post exacto tempore, a domina jam dicta, Richelda nomine, domini Bonifacii conjuge, beatus Simeon rogatus, Mantuam venit. Ad quem videndum plurima populorum turba concurrit. Qui siquidem ecclesiam ingrediens, ibique prolixas orationis moras diutius protrahens, atque pluribus sanitatis beneficia præbens, tandem soras exivit *i*, et astante magna hominum multitudine, in foro palatii leonem ligatum conspexit. Cui Vir sanctus appropians, caput et omnia ejus membra palpando tractavit; deinde in os illius, Christi fretus virtute, sanctam dexteram sine metu impressit. Tum leo, suæ feritatis oblitus, sancti Viri manum, quasi matris papillam, lingendo fugebat, atque mansuetissimum agnum sese præbebat. Quod Christi Servus, non ut vanæ gloriæ operam daret, verum ut divina virtus, quæ semper in servis suis est mirabilis, lucida, coruscaret, peregit. Unde se Daniëli in lacu leonum posito per simile opus coæquavit. Hoc mirabile plures conspexerunt, et beatum Simeonem verum Christi famulum unanimiter clamare cœperunt.

i

E

XXI.
Diu languidum restituit; dona in pauperes effundit.

k

50 Neque hoc silentio supprimo, quod fidelium relatione probatum recolo. Quodam namque tempore, dum vir Dei Simeon ad Burgum sancti Domnini *k* iter ageret, contigit quemdam languidum, qui decennio et amplius corporea infirmitate detinebatur, ad eum deduci: qui tres ficorum fructus sibi cum benedictione tribuit; quos acceptos ut comedit, mox viribus receptis, sanus de lecto surrexit, atque ad exhibendas Deo laudes celeriter festinavit. Quod loci illius incolæ cernentes, magna cum veneratione ad eum convenerunt; plurima ei ac diversa munera fideliter obtulerunt: quæ licet invitus acciperet, omnipotenti Deo, non suis meritis, gratias retulit: cuncta tamen pauperibus et indigentibus erogavit. Ab illo ergo die a cunctis ejusdem loci habitatoribus in magna admiratione est habitus, ac virtutum ejus signis per vicina loca jam cognitis, a pluribus est dilectus.

F

ANNOTATA.

a *Regem illum opinor fuisse Veremundum II, quem anno Christi* 985 *Radimiro III in Legionensis regni solium, postquam* aliquot ante annos *Gallæciense occupasset, successisse probat Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ lib.* 17, *cap.* I. *Neque enim dubitari potest, quin vel eodem anno, quo Romam advenerat* S. Simeon, *hoc est* 983, *vel sequenti, Gallæciam attigerit; cum in Actis et Romæ et in reliqua per Italiam peregrinatione brevissimas traxisse moras legatur, præterquam in abbatia S. Petri de Novalisio, ubi mensibus tribus æger decubuit.*

b *Hæc filia quæ fuerit, nusquam reperimus: videtur tamen fuisse illegitima; quandoquidem, ex prima conjuge Velasquita, quæ anno* 985 *adhuc in*

A *in vivis erat, liberos Veremundus nullos suscepisse legitur. Adisis Moralesium lib.* 17 *capp.* 1 *et* 23.

c *Videtur Sanctus e Gallæciæ portu quodam navigasse in Britanniam; cum tantum hinc rediens, dicatur Franciam ingressus esse: porro Britannia hæc major, an minor sive Armorica, an utraque fuerit, incertum ex Vita.*

d *Imo* Attonis: *alii tamen legunt* Alberti; *sed nimirum utrumque Theudaldi hujus parenti nomen fuit;* Attonis *scilicet et* Adelberti *sive* Alberti, *ut ostendit Bacchinius lib.* 1 *Historiæ monasterii Padolironensis, de quo hic sermo est.*

e Venerandus *a fundato monasterio secundus abbas fuit juxta antiquum catalogum, quem in Ligno Vitæ lib.* 3 *ad hunc diem exhibet Wion. Successerat Rozoni, de quo præter nomen nihil scitur, teste Bacchinio citato.*

f *Eodem loco postmodum erectum fuisse oratoriolum diximus in Commentario prævio.*

g *Sic etiam habet Hilarion; alii tamen melius* B *scribunt* exenia; *quæ vox medio latinitatis ævo frequentur usurpata est pro* donis *sive* muneribus; *ut probat Cangius in Glossario.*

h *Quæ sequuntur, uncinis inclusimus; quia omissa erant in Ms. nostro, ita ut nullus esset sensus; itaque supplevimus ex textu Bascheriano, quæ deerant.*

i *Quæ sequuntur usque ad finem hujus numeri, aliter narrantur in utraque Vita Officii Padolironensis, et apud Mabillonium hic: subjiciuntur enim textui nostro hactenus dato, hæc* :. Et palatium petiit. Cumque ex aula principis, quæ quadratæ cuidam et peramplæ imminebat curiæ, egrederetur, et ad monasterium redire vellet; leonem ex illis unum, quos princeps magnificentissimo alebat sumptu ac pompa, obviam habuit. Is enim, fracta catenarum torque, qua invictus detinebatur, adeo effere cursuque concitato ac furibundo per forum illud divagabatur: ut omnes, qui tunc præsentes aderant, exanimati, præcipitanter in fugam verterentur; clausisque tabernis, opifices suæ saluti consulerent in C tectis. Tum Symeon tam ingenti periculo civium commotus, fretusque solito Dei favore, contra feram horrendam, anhelantem, rugientemque progreditur; manumque illius faucibus, multa commista rabie spuma terrificis, admovens, ita horribilem actutum sedavit illius immanitatem; ut agnum dixisses. Sicque a sancto Viro effera bellua brevi cicurata, ad consueta stabula, ingenti omnium stupore ac plausu, mansuete reducta est. Symeon autem, actis publice gratiis Deo, ad suum reversus est lararium. *Hæc ibi: sed textum nostrum esse genuinum auctoris, patet ex Hilarionis compendio, quod ei consonat,*

k *Vulgo* Borgo S. Donino, *quod Lombardiæ oppidum est non ignobile, Parmam inter et Placentiam in ipsa Via Æmilia situm.*

CAPUT VI.

Alia prodigia; spiritus propheticus; felicissima mors.

XXII. *Parmæ interest translationi S. Feliculæ Virg.*

Per idem quoque tempus inde digrediens, dum civitatem Parmam attingeret, [et] ejusdem urbis episcopus, Sigefredus nomine, beatæ Feliculæ [virginis] *a* corpus a loco, in quo quiescebat, gloriosa celebritate transferens, in ecclesia sancti Pauli apostoli decentissime conderet; Dei nutu contigit, beatum Simeonem eidem translationi interesse. Qua in celebritate Christi Servus a præfato reverendo episcopo honorifice susceptus, dum intra Missarum solennia juxta altare ejusdem beati Pauli apostoli orationi incumberet, ad hujusmodi festum quædam mulier, nobilibus orta natalibus, de Pago, qui Monticulus *b* dicitur, quam paralysis totam læserat, propinquorum ulnis sublata, atque ibi juxta altare, ubi Vir Dei orabat, posita fuerat. Quæ lacrymis profusa, sanctæ virginis Feliculæ implorabat auxilium. Dehinc beati Viri provoluta pedibus colliso corpori deposcebat remedia.

EX COD. MS.

ibique paralyticæ pristinum reddit vigorem.

52 Intuitus autem illam Vir Dei, dixit: Surge, filia; signa te sanctæ crucis signaculo. Cui illa respondit: Signare me, domine Pater, penitus nequeo; quia, peccatis meis exigentibus, totis corporis viribus careo. Nec mora, illico E Christi Servus appropinquans, accepta ejus manu dextera, erexit eam, et dixit: Surge, filia; et esto incolumis; confirma te signaculo crucis; quia Christus Dominus per sanctæ virginis Feliculæ merita te sanavit. Quæ continuo sana surrexit, ac si nullam prius in corpore læsionem tulisset. Currere autem viri et feminæ undique cœperunt, manus ejus ac pedes certatim osculantes, magnis etiam precibus, ut apud illos aliquamdiu maneret, deprecantes. Alii in domos suas rapere, plurimi dona vel quæque juxta facultatem munuscula sibi offerre conabantur. Quæ omnia Christi Miles, ubi acceperat, pauperibus et indigentibus tribuebat, nihilque sibi ad suæ utilitatis usum in proprium reservabat.

XXIII. *Tempestatem sedat rediens Parma domum,*

53 Posthæc quidem præfatæ * urbis præsule, percepta benedictione, multoque secum comitante populo, ad caput Lurini *c* venit. Ubi navim ingressus, per Parmæ fluvium in Padum descendit; ac sic per Padi alveum ad monasterium, in quo manere delegerat, cursum direxit. Unde cum navigarent, confestim flantibus ventis, tanta eos in flumine procellosi turbinis tempestas involvit, quod tota navis, in qua F erat, exurgente fluctu, inter undarum cumulos pene videretur demergi. Nautæ vero timore perterriti, elevatis vocibus clamaverunt, dicentes: Serve Dei, ora pro nobis; in supremo positi, periclitari incipimus; jam enim nobis intentant omnia mortem. Quibus ipse, Confidite, inquit, fratres, confidite, et nolite timere; vosque ipsi mecum Christi misericordiam implorate. Qui statim erecta dextra contra ventorum impetum signum crucis faciens, dixit: Residete *, venti contrarii, recedite: Jesus Christus vobis imperat; abite. Quibus verbis citius dictis, omnis ventorum fragor conquievit, totaque contrarietas; factaque illis magna tranquillitate, illico rediit clara serenitas.

* al. a præfato

* al. Recedite

et puellam anginæ laborantem sanat.

55 Inde navigantes, recto cursu venerunt Gonciachiam *d*; ubi Vir sanctus unum quod egit miraculum, refero: et quia est memoria dignum, non est prætereundum silentio. In eodem loco erat quædam puella, habens guttur adeo inflatione conclusum, quod neque loqui, neque quidquam cibi deglutire ullo modo poterat. Quæ sancti Simeonis audito adventu, accessit ad eum, deprecans ut sua pietate ei misereretur; ita scilicet, ut sua sacra manu tumidum guttur tangere dignaretur. Quod cum Vir sanctus agere differret, et miserendi moram diu

EX COD. MS. diu in longum protraheret, miserabilis puella acri dolore fatigata, voce, qua poterat, ita dicendo a precibus non cessabat: Domine piissime, adjuva me. Qui pietate commotus, super inflatum guttur signum crucis edidit, tertio ita dicendo: Sanet te Jesus Christus. Quæ mox dolore fugato, mirabiliter est sanata, atque inflatione subducta, in pristinum decorem reformata.

XXIV. *Oleum diu conservat in vase dissoluto.*

55 Horum quoque duorum miraculorum, quæ subsequor, non unum testem subinfero, quia in his tot testes denuntio, quot eidem rei interfuisse, mihique illud retulisse recolo. Quadam namque die, dum fratres ejusdem monasterii cum viro Dei Simeone post dulcia cælestis vitæ colloquia in cella consisterent, et ligneum vasculum, in quo erat oleum, quo Christi Servus in suis eduliis utebatur, præ nimia vetustate consumptum, fractis quoque circulis, dissolutum cernerent, sic Sancto inquiunt: Cur, pater Simeon, oleum, quo vesceris, perditum ire contemnis? B Nonne vasculum, in quo habetur, dissolutis compagibus, elisum cernis? Et cur oleum extra diffluere non metuis? Jam, Pater, impera, ut vasculum istud circulis constringatur, aut oleum, quod intus habetur, in aliud transfundatur. Quibus Sanctus taliter respondisse fertur: Sinite, inquit, fratres, illud, sinite: Christus Jesus, qui omnibus in se credentibus victum tribuit, ipse suo ligamine hoc vasculum stringit. Quod ita dimissum tota hieme et futura æstate, sola divina virtute, sine circulis mansit; et numquam inde vel una olei gutta ulterius exiit.

XXV. *Spina piscis præfocandum jamjam monachum liberat.*

56 Alio quoque tempore, dum quidam frater ejusdem monasterii, Andreas nomine, cum alio quodam fratre, nomine Prospero (sicut debilibus mos est) ad mensam manducans sederet, casu accidente, os piscis in ejus gutture ita versatum est, ut nec illud deglutire nec foras ejicere valeret. Qui nimia præfocatus angustia, totum se videntibus moribundum præbebat, ac velut moriens, revolutis oculis, extremum spiritum se exhalare credebat. Quid dicam? Per totum monasterium rumor insonuit: ad morientem monachum tota fratrum congregatio, de Andreæ morte [mœsta,] cucurrit. Qui videntes fratrem fere jam mortuum, ad Virum Dei, qui in cella C degebat, sub celeritate miserunt. Qui cum veniret, et fratrem Andream jam præmortuum videret, erectis in cælum oculis, Christi misericordiam flebiliter implorans, elevata manu signum crucis supra laceratum guttur imposuit; et confestim redivivus monachus parciolam *e*, quæ faucibus ejus inhæserat, cum sanguine mixtam evomuit. Qui sanus factus, omnipotenti Deo gratias retulit, et quo ipse advixit, per Sancti Simeonis virtutem se sanatum patenter asseruit.

XXVI. *Procul dissita divinitus cognoscit.*

57 Quia igitur Vir sanctus spiritu prophetiæ claruit, si de præteritis prophetasse dicendum sit, in his, quæ subsequimur, expedire non piguit. Quodam denique tempore domina Richelda, quam supra memoravimus, dum Christi servum Simeonem, quem pro suis sanctis actibus sæpe sibi adesse gaudebat, orationis studio secum Romam duceret, una dierum in nocte, quæ præcesserat, sibi matrem suam migrasse attestatus est. Quod sicut per spiritum, quo pollebat, cognovit; ita memoratæ dominæ pluribusque aliis plorans innotuit. Altera quoque die ejusdem comitissæ filiam sibi matri mortuam nuntiavit; multaque alia, quæ sicut ab ipso D prophetico spiritu sunt prolata; ita sunt in veritate comperta: qui cum præfixum diem uni presbytero, Dominico nomine, retulisset, certumque diem et horam computando notavit; ac ita puellam sub ejusdem diei articulo defunctam reperit, quo Vir Dei, longe positus, sibi et matri mortuam nuntiavit. Hæc de beati viri Simeonis virtutibus, quas vivens in seculo gessit, quas etiam in cedulis scriptas invenimus, seu quas a veridicis testibus referri audivimus, hucusque digessisse sufficiat. Nunc vero nos ad expedienda * ea, quæ in loco, ubi sanctum corpus quiescit, ejus sanctitatis amor, seu charitatis ardor accendat. * *al.* experienda

XXVII. *Obiit an. 1016 die 26 Julii.*

58 Postquam igitur hic vere Christi Discipulus per multa annorum circula * sancte et juste vivendo plurimas virtutum operationes declaravit in seculo, jam decurso præsentis vitæ spatio, devictoque carnalium vitiorum certamine, sub septimo Kalendarum Augusti diem clausit extremum. Cujus beata anima, quia, postposito hu- E jus seculi desiderio, Christum Dominum, vitæ auctorem, semper amavit, relicto carnis pondere, ad cæli palatium feliciter properavit, anno dominicæ Incarnationis millesimo sextodecimo, Indictione decima quarta, Romani imperii monarchiam obtinente Henrico primo *f* augusto, ducatus quoque principatum triumphante Bonifacio, glorioso duce ac principe, remunerante ei laboris sui mercedes Domino nostro Jesu Christo, qui cum coæterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. * *al.* curricula

ANNOTATA.

a *De hac* S. Felicula *ejusque translatione egimus die* 13 *Junii, quo a Parmensibus celebratur. Constat vero ex hoc loco, falsum esse, quod istic ex Ranuccio Pico dictum est; translatum scilicet esse corpus S. Feliculæ in ecclesiam S Pauli anno primum* 1427: *cum enim huic translationi interfuerit* S. Simeon, *qui obiit anno* 1016, *necesse est solidis quatuor seculis et amplius eam retroagere. De* Sigefredo *vide supra Commentarium*

b *Vulgo* Monticelli, *sex circiter milliaribus ad ortum et Lenciam fluvium Parma dissitus, ut mappæ geographicæ docent.* F

c *Vernacule* Colomo. *Oppidum est ad Parmam fluvium inter urbem cognominem et Padum flumen. Dicitur autem* Lurini, *seu potius* Lurni caput, a torrente Lurno, qui hic in Parmam exit, *inquit Leander in Lombardia cis-Padana.*

d *Sic habent Bascheria et Mabillonius:* Inde navigantes, cum jam Mantuanis appropinquarent paludibus illis, quibus iter erat ad monasterium, relicta ad ripam navi, Conzagam, oppidum non tam celeberrimum, quam ob frequentes venationes principum deliciosum et amœnum profectus est; ubi Vir sanctus *etc. Sane oppidum* Conzaga *a Pado, ubi Crustulum torrentem excipit, quinque circiter milliaribus versus orientem distat; itaque facta ad Padum exscensione, pergendum erat itinere terrestri, opinor, Gonzagam.*

e Parciola *vox est diminutiva* partis, *quam latine* particulam *diceres.*

f S. Henricum *imperatorem intellige, de quo actum est* 14 *hujus mensis, coronatum anno* 1014, *mortuum* 1024. Primum *hunc appellat auctor Italus, licet præcesserit Henricus Auceps; quia hic*

A *hic non fuit coronatus, ac proinde pro rege tantum Germaniæ habitus in Italia. Ceterum de anno hic beatissimæ* Simeonis *morti assignato nemo, quod sciam, aliter sentit, præter unum Calzolarium; qui in Historia sua monastica Diario 5, fol.* 531, *sua solius auctoritate atque arbitrio, adscribit hunc obitum anno* 1054.

DE MIRACULIS

POST EJUS OBITUM.

Præfatiuncula ejusdem auctoris.

Per diversa quoque intervalla temporum in eodem loco, ubi ejusdem sancti Viri pretiosa membra quiescunt, plurima miracula, ut novimus, claruerunt, quæ Deus omnipotens ad incrementum fidei ostendere dignatus est fidelibus suis; quatenus sanctitatis ejus meritum tanto certius illis
B innotesceret, quanto virtutum signa crebrius apparerent.

CAPUT I.

Miracula ad S. Simeonis tumulum patrata.

I. *Ad Sancti sepulcrum ex energumena facessit dæmon*

Quadam namque die mulier, immundo arrepta spiritu, ad sepulcrum ejus a parentibus deducta est; quam nequissimus spiritus adeo miserabiliter agitabat, ut nisi eam aliquando nexibus stringerent, quoscumque attingere poterat, cruentis morsibus laniaret. Hæc autem dormire nequiebat *; quia eamdem crudelissimus hostis die noctuque collidere non cessabat. Ad cujus tumulum cum ducta fuisset, cœpit eam dæmon acriter infligere, mirum in modum sinuosis revolutationibus crudeliter distorquere, ac ita per os illius luctuosis vocibus turpiter exclamare: Simeon me ejicit; Simeon me expellit. Atque crebro ac repetita voce de obsesso corpore violenter expulsus, exivit. Tunc propinqui, et omnes qui aderant, hoc viso miraculo, manus in Deum cum clamoribus extulerunt; dehinc cum filia, dæmone liberata ac sanitati reddita, alacres cum gaudio et lætitia ad propria
C redierunt.

* al. nequibat

II *Ibidem convalescit paralytica.*

3 Huic miraculo aliud subinferimus; et quia a veris testibus prolatum cognovimus, dignum fore memoria existimamus. Mulier quædam de loco, qui Mulus *a* nuncupatur, quia proprio privata gressu, per se incedere nullo modo valebat, aliorum manibus ad sancti Viri corpus subvecta est; quamque autem pestifera paralysis ita dissolverat, quod in toto suo corpore nullum sui membrum proprium officium explere valebat. Ubi dum ducta esset, et terrætenus toto corpore prostrata jacens, nihil aliud agere, nisi tantum labia movere, quiret; non longa interveniente mora, sancti Simeonis sibi sensit adesse suffragia. Propriis tum erecta gressibus, nullius sublata juvamine, cuncta ecclesiæ altaria cum laudibus et luminaribus alacriter cœpit expetere. Quod cuncti, qui aderant, intuentes, omnipotenti Deo laudes gaudenter referunt, atque cum ea saluti restituta, ad loca, unde venerant, alacriter remearunt. Quæ postea pluribus vixit annis, et de facultatibus suis sancti Simeonis corpus visitare sæpe curavit. EX COD MS.

III. *Sancti cilicio lepra detergitur.*

4 Aliud quoque de sancto Viro: miraculum his prælibatis subjungimus. In eadem villa, quæ monasterio subjacet, quædam mulier degebat, quam lurida lepræ suffusio ita obduxerat, quod nullus locus corpori inesse videbatur, quem non obtegeret maculosa lepræ varietas. Cumque pluribus sibi adhibitis medicaminibus, et in nullo eorum sibi prodesse conspiceret; hoc unum consilium menti occurrit, quod sibi fore remedium credidit; si videlicet cilicium sancti Simeonis aqua ablueret, et ex eadem corpus suum perperfunderet, confestim tabida cutis pristinum decorem reciperet. Illa vero quod mente tractavit, opere implere non distulit. Mox autem ut cilicii particulam lavit, et exinde corpus perunxit, morbida caro pristinæ saluti est reddita, et cutis, prius deformis, proprio decori est restituta. Quæ mulier sicut accidit sibi, et scriptum est, retulit, ac suæ curationis testimonium attestando E
perhibuit.

IV. *Binis ad sepulcrum cæcis restituitur visus.*

5 Per idem tempus quædam cæca ad sancti Viri corpus deducta est, quam populi multitudo ob audita plurima sancti Viri signa e vestigio secuta est. Cumque prope sancti Viri tumulum posita, lacrymis et orationibus incessanter insisteret, a Deo est citius exaudita, qui pauperum preces non despicit; et a sancto Simeone clementer adjuta, lumen, quo diutius caruit, celeriter adipisci promeruit. Alia deinde cæca de Pago, quæ Burgasium *b* dicitur, sancti b
Simeonis fama excitata, ad eum properare studuit: quæ, annuente Deo, jam per septennium oculorum lumen amiserat: sed cum jam nimio mœrore confecta, illuminationis auxilium ab eo expeteret, sicut sibi senserat expedire, non minima secum ex eadem pago turba comitante, ad beati viri corpus festinanter cucurrit; ubi triduo cum his, qui secum venerant, vigiliis et orationibus lacrymabiliter excubavit. Unde Christi Servus pietatis visceribus motus, lumen diu sibi negatum reddidit *c*. Quo mulier gaudenter recepto, ad loca, unde venerat, cum toto populi comitatu, omnipotenti Deo, et sancto Simeoni gratias agens, feliciter rediit. Et quæ prius ad Sanctum aliorum ducatu incesserat, nunc reddito sibi visu, sine ductore redibat. F

V. *Contracto ibidem apparet*

6 Quod nunc subjungimus, ad fidelium notitiam proferri operæ pretium duximus; quodque tanto verius constat quosque fideles credere, quanto certius eosdem testes, qui se hoc vidisse fatentur, adhuc novimus, superesse. Quidam ex ejusdem ecclesiæ *d* familia, Martinus nomine, eo tempore fuerat, quem diutius languor jam per novennium ita contraxerat, quod nullo modo incedere, nisi duobus subnixus baculis, valebat. Quadam namque nocte almifici patris nostri Benedicti sanctæ festivitatis, dum monachorum cœtus matutinale Officium solenniter celebrarent, prænominatus languidus viribus, quibus se sustentare poterat, ecclesiam laborioso conamine appetebat. Ad tumbam servi Christi Simeonis irrepens, ibi toto extento corpore gemendo procubuit, atque multas inibi orando fundens lacrymas, tandem sopore depressus, obdormivit.

cum SS. Columbano et Benedicto

7 Cui dormienti beatus Christi confessor Columbanus cum sancto Simeone in visu apparuit, inter quos gloriosus vir Domini Benedictus, speciosi habitus charitate decorus, medius astitit.

EX COD. MS. tit. Beatus itaque Columbanus ad sanctum Simeonem vertens intuitum, sic eum reverenter alloquitur : Cur, inquit, frater Simeon, huic ægroto salutem conferre denegas, quam sibi præberi tibi contulit divina clementia? Ad hæc Vir sanctus, ut semper erat, aspectu angelicus, taliter beato Columbano respondit, dicens : Quia in domo sancti patris Benedicti tumulatus jaceo, sanitatis donum sine illius jussu sibi impendere non præsumo. Cui vir Domini Benedictus beato Simeoni ita subjunxit dicens : Curationis beneficium, quod a Deo tibi collatum esse, Frater, non dubitas, huic languido ulterius largiri ne differas, quia jam ex longo tempore per te Christi misericordiam interpellat.

quorum rogatu miserum sanat. 8 His dictis protinus ambo ad ægrum accedunt, manibus injectis fovendo contingunt, ossibus et nervis consolidatis, membra diutino rigore constricta, pristinæ sanitati restituunt. Qui sospitati redditus, in propriis gestibus reformatus, totam deambulando circuivit ecclesiam, atque hymni-
B dicas laudes Deo referens, voce qua poterat et qua noverat, sancti Simeonis glorifica deprompsit magnalia. Tunc in eadem ecclesia ad serviendum Deo devota mente se tradidit, ac exinde per diversas discurrens provincias, cuncta munuscula, que circumquaque acquirere prævalet, ad utensilia ecclesiæ construenda congregare non desinit. Qui adhuc superest, et gaudenter annuntiat, quanta circa eum sanctus Simeon peregit beneficia.

ANNOTATA.

a *Villa hæc erat monasterio Padolironano subjecta, ut dicitur num. seq.*

b *Bascheria scribit* Barbasium; *forte in autographo legendum* Bargatium, *quod oppidum est ad Clesii fluminis fontem, teste Blondo in Italia illustrata, ubi de Lombardia, folio mihi* 101 *verso. Observa hic et paulo inferius hoc eodem numero vocem* pagus *accipi feminine.*

c *Versum integrum hic omisit Bascheria, non sine sensus aliqua læsione; ego Ms. nostrum et apographum Vaticanum secutus sum.*

C d *Nempe Padolironensis ecclesiæ.*

CAPUT II.

Continuatio eorumdem miraculorum.

VI. *Paralyticus ibidem erigitur,* Alius quidam vir, Heribertus nomine, adhuc superest, et in eadem villa, quæ monasterio adjacet, vivit et habitat; quam paralyticus languor sub nostro tempore graviter deprimebat. Qui cum longa corporis agritudine maceratus, nullum suæ curationis remedium inveniret, tandem divino animatur consilio, ut sancti Simeonis sepulchrum expeteret, quatenus ab eo corporis medelam perciperet. Et quia per se ingredi nequibat, aliorum manibus ad sanctum corpus in propatulo se supportari jusserat. Tunc pura mentis devotione lacrymis insistens ac precibus, Omnipotenti Deo et sancto Simeoni dona spopondit; quatenus, si illum a corporali molestia erigeret, votum, quod voverat, proculdubio annualiter redderet. Qua voce prolata, mox æger (mirabile dictu!) de stratu suo lætus surrexit; dehinc peractis dignis Deo laudibus, ac reparatis sibi gressibus, domum, unde venerat, incolumis rediit. D

10 In eodem vico, qui Viculus nominatur, quædam mulier fuerat, quam corporalis ægritudo omnino demerserat, Quæ, auditis sancti Simeonis virtutibus, [in] navigio est posita, [et] ad sanctum corpus celeriter est adducta. Ubi non multis diebus ante sanctas reliquias decubans, cum orationibus indesinenter persisteret, quod puro expetiit desiderio, celeri est consecuta effectu. Quæ dum inter preces aliquantas morulas faceret, et sancti Simeonis imploraret suffragia, suis ibidem obsequiis decenter exhibitis, continuo saluti est reddita, [et] ad locum, unde venerat, sanitate recepta, cum gaudio est reversa. VII. *et ægra sanatur;*

11 Non multo post tempore ex prædicto loco puella tunc venerat, cujus, Dei nutu, manus aruerat. Quæ, ut ad sancti Simeonis corpus accessit, et manus, quam oblatura erat *a*, mentis puritate flebiliter obtulit; quod fideliter petiit, E efficaciter impetrare promeruit. Mox autem ut ad Missæ celebrationem cum matre et parentibus devote insisteret, ac juxta morem candelam presbytero offerret, manum aridam, quam cum lumine presbytero porrexit, ariditate repente exstincta, sanam recepit. VIII. *ac vegeta sit, quæ aruerat, manus.* *a*

12 His itaque peractis, aliud memorandum de sancto Viro supponimus, quod cuidam monacho quondam contigisse, audivimus. Frater quidam in eodem monasterio, Wido nomine, quodam tempore habebatur, cujus vita et conversatio satis idonea esse probatur. Qui dum una dierum ad mensam cum fratribus communiter ederet, os piscis ita gutturi ejus infigitur, quod ex eadem infixione spiritum emittere penitus credebatur : qui nimia præfocatus angustia, tanto acrius cruciabatur dolore, quanto vicinius senserat mortis periculum imminere. Quid ageret, ut mortem evaderet? A mensa protinus concitatus surrexit, et ad sancti Simeonis loculum magnis cum clamoribus moribundus cucurrit. Jamjamque ita eum repentina mors nexibus strinxerat, quod revolutis oculis, omnes F illum vitam exhalare credebant. Ubi aliquamdiu provolutus, tandem sancti Simeonis pietas ita fratri subvenit, quod piscis spinaculum, quod tenaciter gutturi inhæserat, cum sanguine violenter ejecit. IX. *Spina piscis infixa faucibus dissolvitur ibidem;*

13 Dæmoniaca quædam de loco, qui Ariole dicitur, sub eodem tempore fuerat; quam nequam spiritus ita distorserat, quod tota ejus membra discerpendo contriverat. Hanc aliquando incomptis rictibus ac multimodis deformitatibus in modum follis inflando sic deformaverat, quod humanitatis formam, instar alicujus informis monstri, turpem reddebat. Ad corpus igitur sancti Simeonis ducta, ibique diebus ac noctibus, jejuniis et orationibus vigilanter pernoctata, continuo horridus dæmon, sancti Viri terrore concussus, de obsesso corpore territus exiit, atque in vacuas auras expulsus evanuit. X. *et ab obsessa dæmon ejicitur*

14 Cum inter innumera sancti Viri miracula plurimos ex diversis partibus virtutum ejus fama ad obtinenda salutis remedia excitaret, et Paduanus populus eumdem Sanctum Dei summa cum devotione ex more expeteret, atque prope monasterium, in quo ejus gloriosa membra quiescunt, jam se adesse gauderent, invenerunt quemdam fluvium, Roverinam nomine, adeo inundare, quod illum nullo quoque ingenio poterant transmeare. Hac igitur difficultate XI. *Adeuntes Sancti tumulum, naviculam obtinent insigni miraculo.*

A tate comperta, in ulteriore ripa affixam navim eminus conspexerunt; quam licet necessario optarent, illam tamen ad transfretandum, nullo ducente, habere non potuerunt. Cumque diutius huc illucque circumspicerent, et neminem, qui sibi navim porrigeret, usquam adesse viderent, humano distituti solatio, sancti Simeonis unanimiter implorare cœperunt auxilium. Res mira! Navis, quæ extra fluvium affixa tenebatur, se eadem hora dissolvit, atque prædictos homines ita veloci cursu sine remige petiit, ac si eamdem aliquis gubernaculo remigando dirigeret. Transito inde flumine, ad sanctum corpus venerunt, ubi omnipotenti Deo, et sancto Simeoni pro impetratis beneficiis gratias cum laudibus referentes, per viam, qua venerant, alacres redierunt.

XII. *Ibidem sublatu excitas.* 15 In Parmensi diœcesi, in villa, quæ sanctæ Eulaliæ nuncupatur, quidam vir, nomine Briccius, nostro tempore fuerat; qui ingruente B capitis molestia, per triennium oculorum lumen amiserat. Qui, adempto lumine, assidue in luctu et mœrore sedebat, et crebris precibus, ut lumen recipere mereretur, Christi clementiam implorabat. Sed auditis sancti Simeonis virtutibus, ad sanctum corpus ejus, solo puerulo sui ductore contentus, properare studuit; quatenus suæ cæcitatis solamen aliquod, sicut ex multis audierat, impetraret. Ubi triduo vigiliis et orationibus excubans, cum post Missæ celebrationem monachorum cœtus (ut mos est) Deo gratias agerent; ipse, sursum erectis oculis, quæcumque sibi opposita clare videre asseruit, atque illico, recepto visu, in laudem Dei se totis nisibus extulit. Aliquantis ibi peractis diebus, ad patriam rediit; et qui prius alterius ductu venit, postmodum lumen adeptus, ductorem suum lætus præcessit.

XIII. *Ex paralysi.* 16 Tempore, quo pro canonizando ejusdem sancti Simeonis glorioso corpore sanctam Apostolicam Sedem accessimus *b*, quoddam de eodem sancto Viro miraculum claruit, quod ad fidelium notitiam huic opusculo digne submittere placuit. Puer quidam ex Cremonensium finibus gravi languore correptus, sed ejusdem sancti Viri fama excitatus, quia pedibus * incedere nequiverat, ad sanctum corpus navigio est adductus: quo cum navis, quæ eum adduxerat, applicuisset; unus eorum, qui eum adduxerant, pietate commotus, illum flentem a navi propriis scapulis sustulit, atque ante sancti Simeonis tumulum miserando deposuit. Cumque inibi, manibus terræ solo hærentibus, superior pars corporis acclivis tota procumberet, posterior vero, nervorum contractione collisa, huc illuc debilia post se crura traheret, vix ibi per trium horarum spatia querulosis vocibus jacuit; tandem per altaris gradus paulatim rependo progrediens, loculo, in quo sancta membra quiescunt, ejulando inhæsit. Ubi votis ac precibus, qui Deum rogare noverat, eatenus fideliter implorare non desiit, quousque per sancti Simeonis meritum, medelam sibi divinitus fuisse collatam celeriter sensit. Mox autem parva interveniente mora, nervorum, quos paralytica pestis contraxerat, crepitus patenter auditur; et debilis puer, diu obstrictis salutis gressibus, protinus restituitur. Ad E quod videndum populorum turmæ catervatim confluunt, atque pro tanto miraculo omnipotenti Deo et sancto Simeoni gratias referunt cum jubilo: et ibi pura cum devotione aliquamdiu immoratus, postmodum vero sanitati redditus, ad sua cum gaudio est reversus *c*.

EX COD MS
* alii pede

ANNOTATA.

a *Bascheria legit:* et manus quod oblatura Deo erat; *Mabillonius:* et munus quod oblatura erat: *apographum Vaticanum:* et munus quod oblatum Deo erat. *Corrigendus certe textus noster videtur; nec displicet utervis modus ex duobus prioribus.*

b *De hoc tempore vide dicta in Commentario prævio supra.*

c *Sequuntur in Ms. nostro epistolæ duæ, Benedicti scilicet PP. VIII et Leonis IX, quas dedi in Commentario.*

DE B. GOTHALMO CONFESSORE

C F

IN MELLICENSI AUSTRIÆ INFERIORIS MONASTERIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Cultus, ætas, miraculum, scriptor Actorum, et varia eorum exemplaria.

ANTE ANNUM MXX. *Proposita quadam difficultate,*

Hac die istum Beatum suggerunt monumenta Mellicensia, in quibus dicitur natione Scotus; qui tamen popularibus suis videtur hactenus fuisse ignotus, cum in nullis Hibernorum aut Scotorum Fastis memoriam illius invenire potuerim. Nescio, unde ipsum eruerit Castellanus, in cujus Martyrologio universali hodie sic legitur: In Hibernia, sanctus Gotalmus confessor. *Qua ratione, obsecro, annuntiatur* in Hibernia, *dum omnia instrumenta, quæ hactenus videre licuit, illum in Austria obiisse testantur? An ob causam natalium* in Hibernia *erat collocandus? At ipse Castellanus aliique Martyrologi passim Sanctos extra patriam suam annuntiant eo loco, quo felicem vitæ cursum consummarunt, aut ubi sacra eorum corpora honorantur. Noster autem* Gothalmus *in Austria obiit, et veneranda ejus ossa in Mellicensi Austriæ inferioris cœnobio quiescunt. An eodem die duo sancti* Gothalmi *occurrunt? Nodum hunc Castellano solvendum, et ulterius hujus rei examen Hibernis instituendum relinquo, dum ad probandum nostri Beati cultum progredior.*

2 *Anselmus*

AUCTORE G. C. probatur cultus Gothalmi ex honorifica sepultura,

2 *Anselmus Schramb, Benedictinus Mellicensis, qui anno* 1702 *Chronicon Mellicense edidit ac munifice ad nos transmisit, pag.* 34 *de immemorabili illius cultu ita testatur :* Veneranda, et voce populi beati Gothalmi ossa asservantur in crypta nostræ ecclesiæ prope altare B. Virginis, divinum Puerum in stabulo Bethlemitico adorantis, cujus anniversarium religiosus cœtus in festo S. Annæ celebrat. *Postquam deinde pag.* 251 *narravit, quomodo anno* 1362 *sepulcrum* B. Gothalmi *coram Rudolfo IV Austriæ duce reverenter apertum fuerit, subnectit sequentia :* Ab hoc tempore nullus relinquitur dubitandi locus, quin hoc sarcophago requiescat B. Gothalmus, ad quem religiosi nostri in festo S. Annæ semper descendunt, anniversarium persoluturi. Nec ab hoc tempore usque in præsens reserata vel effracta hæc tumba legitur. *Hieronymus Pezius tomo* 1 *Scriptorum Austriacorum pag.*109 *in observationibus præviis ad Vitam* B. Gothalmi *num.* 1 *de iisdem reliquiis*
B *novissime sic loquitur :* Ejus corpus Mellicium inde *(nempe ex vico Murensi, in quo mortuus est)* allatum, honorifice postmodum conditum hic fuit . . . . . . Gothalmi istius ossa, tumulo marmoreo inclusa, cum annis superioribus vetus nostra basilica diruta fuisset, pristina sua sede mota, atque in capitulo (ut dicere mos est) collocata tantisper fuerunt, dum in nova honorificentior iisdem locus appararetur. *Ex his saltem liquet, sacras illius exuvias semper in pretio et honore habitas fuisse.*

et antiquo Beati titulo;

3 *Laudatus Pezius loco proxime citato num.* 2 *eidem titulum* Beati *ita vindicat :* Beatum passim appellat Gothalmum Bernardus Dapifer noster, et Kalendarium domesticum ab annis verisimiliter sexcentis manu exaratum his verbis : VII KAL. AUGUSTI. MEMORIA BEATI GOTHALMI PEREGRINI. Quibus alia manus recentior hæc attexuit : SOCIUS SANCTI CHOLOMANNI. Sed in tribus seculi XV manuscriptis exemplaribus Mellicensibus, unde procul dubio Cæsareum Vindobonense transcriptum fuit, nomine BEATI constanter honoratur. Publicam quidem venerationem cultumque Gothalmo olim impensum fuisse, non ex Vita solum, sed etiam ex titulo,
C qui in Cæsareo nostrisque codicibus manuscriptis eidem præmittitur, manifestum efficitur, licet jam memoratum titulum codex autographus non habeat. Nostra vero ætate publicus iste Gothalmi cultus et religio penitus exolevit. Quæ ejus rei causa, mihi latet. Id tantum scio, quotannis in ejus pervigilio, quod in VIII Kal. Augusti incidit, vesperas defunctorum, et insequente die Missam de Requiem ad ejus tumulum a nobis peragi solere. *Frustra requires alia antiquæ venerationis testimonia extra cœnobium Mellicense, in quo fere solo Beatus ille notus fuit, et quod immemorabili illius cultu optime testari potest. Quapropter hæc nobis sufficere videntur, ut eum operi nostro inseramus.*

Incertum est tempus sepulturæ B. Gothalmi,

4 *Determinatus annus, quo Beatus ille ex hac vita migravit, non facile sciri potest, cum scriptor Actorum num.* 3 *ita fateatur :* Tunc Medlicam perducitur (nescitur tamen quoto Domini anno) et sepelitur. *Attamen tempus illud præterpropter colligi potest ex martyrio S. Colomanni, de quo ad diem* XIII *Octobris ex professo, ut aiunt, agendum erit. Interim antiquum chronicon Mellicense, quod Pezius tomo supra citato pag.* 95 *laudat, de tempore istius martyrii hæc habet :* Anno MXII beatus Cholomannus martyrizatus est, et suspensus apud Stocchærowe. *Porro translatio*
D *reliquiarum sancti istius Martyris ad monasterium Mellicense anno* 1014 *vel* 1015 *facta est. Unde Pezius in observationibus præcedenti numero memoratis, de tempore, quo* B. Gothalmus *in eodem monasterio honorifice sepultus est, hanc facit conjecturam :* Quo præcise anno, *inquit*, factum id fuerit, non prodit antiquitas : crediderim, non multo post annum MXIV accidisse. *Sed quia peregrinatio* B. Gothalmi *aliquam latitudinem patitur, et uno alterove anno post sepulturam S. Colomanni in Austriam advenire potuit, idcirco supra in margine mortem* B. Gothalmi *numero rotundo ante annum* 1020 *collocavi.*

et cujusdam miraculi, ad ejus tumulum patrati.

5 *Neque magis constat de tempore, quo quidam rex Bohemiæ, tumulum* B. Gothalmi *aperire volens, subita cæcitate percussus est, ut in Actis num.* 4 *refertur. Tamen laudatus Anselmus Schrambius in Chronico Mellicensi pagg.* 36 *et* 37 *de hac re suam conjecturam proponit his verbis :* Quis vero fuerit ille rex Bohemorum effractor sepulcri, si fas est divinare, dicimus Wen-
E ceslaum fuisse, quem alii Primislaum nominant, patrem Ottokari, itidem regis Bohemiæ et ducis Austriæ, insignis Mellicensium patroni : quem invasorem Austriæ et depopulatorem ex floribus chronicorum nostrorum *(Flores Mellicenses hanc Austriæ vastationem anno* 1231, *alia chronica anno* 1229 *consignant)* in absentia Friderici ducis Austriæ, cæsarem in expeditione Italica comitantis, comperimus . . . . Qua occasione Mellicio, seu minis seu armis subacto, Primislaum regem Bohemiæ violatorem sepulcri Gothalmiani congrue asserimus, non nescii, quod labem hanc aliqui ejusdem filio Ottokaro affingant; sed immerito, cum in re adeo incerta et illiquida facinus hoc dignum pœna legis Flaviæ de plagiariis, ob servum dolo abstractum a domino, vel legis Juliæ latæ in eos, qui rem sacram temerarunt, potius hosti Primislao, quam munificentissimo nostro mecœnati Ottokaro, ut videbimus, appropriare conveniat. *Equidem fateor, istud facinus potius hosti quam benefactori convenire, si malevolo animo peractum sit ad violandum Beati tumulum ; sed potuit Ottokarus id ex inconsulta curiositate facere, atque idcirco etiam statim visum recuperare, ob quam celerem inconsiderantiæ suæ veniam, postea se Mellicensi cœnobio gratum exhibuerit. Nihil tamen in hac re definio.* F

Acta Beati scripsit anno 1362 cœnobita Mellicensis,

6 *Certiora proferre potero de scriptore vitæ, qui statim in limine nomen suum, vitæ professionem, et tempus scriptionis accurate indicat. Is fuit* Bernhardus *seu* Wernhardus, *cognomento* Dapifer, *cœnobita Millicensis, qui anno* 1362 *ex seniorum traditione hanc historiam conscripsit, et postea anno* 1378 *in itenere Romano extinctus est, ut Pezius in observationibus præviis notavit. Bernardus autem ille ingenue fatetur, se determinatum rerum quarumdam gestarum tempus ignorasse, atque ex hoc ipso capite majorem fidem meretur, quam biographi illi, qui defectu hujus notitiæ, sæpe annos imperite confingunt, et chronologiæ ordinem perturbant, ita ut vix scias, quid in ipsorum historia tuto credendum sit, cum in chronotaxi adeo mendaces deprehendantur. Unde Schrambius in opere citato pag.* 36 *de fide huic auctori adhibenda sic disserit :* Quod ad narratorum veritatem spectat, non improbo, si pro hac stabilienda ampliora motiva credibilitatis et firmiora desiderentur testimonia, cum deficiat historiæ chronologia, taceatur nomen regis, sepulcri violatoris, nec annus nec tempus adDatur

A datur, magnum alias conciliandæ fidei testimonium. *Deinde aliqua immiscet de traditionibus apostolicis, quæ in hac materia nihil probant, cum inter has et illas ingens sit discrimen.*

cujus fides et auctoritas expenditur. 7 *Tunc melius ita concludit:* Cum ergo Mellicensis relator a senioribus fide dignissimus ea, quæ de Gothalmo in lucem dabat,se hausisse profiteatur, satis innuit, traditionis fulcro se inniti,et testimonii confirmationisque locum supplere constantem majorum nostrorum de eodem eventu narrationem..... Accedit, quod spectatæ fidei testi sit tuto credendum; per hoc vero, quod scriptor noster fateatur ingemiscens, propter monasterii et bibliothecæ exustionem,historiæ suæ deficere integritatem chronologicam, satis aperte ostendit, salva substantia, etiam illam haberi potuisse ex hoc certitudinis promptuario, si repentinus incendii casus rerumque interitus non posuisset impedimentum. *Verum huic ratiocinio opponi posset, quod etiamnum supersint chronica Mellicensia, et varia vicinorum* B *monasteriorum monumenta, ante istud incendium conscripta, quæ de his Vitæ Gothalmianæ adjunctis non meminerunt. Nihilominus existimo, Bernardum sincere ea posteris reliquisse, quæ a majoribus suis circa hanc rem acceperat: et ob memoratum scribendi candorem narrationi ipsius tantum defero, ut non dubitem, quin ejus ætate hæc fuerit communis seniorum traditio, cui prudenter assentior, quamdiu intra verisimilitudinis limites sese continet, et monumentis historicis aperte non contradicit. Nihil autem hujusmodi in hac traditione mihi hactenus occurrit.*

ac varia Actorum exemplaria recensentur. 8 *Petrus Lambecius lib.*2 *Bibliothecæ Cæsareæ cap.* 8 *pag.* 619 *primus, ni fallor, typis vulgavit Acta* B. Gothalmi, *quibus in ejus codice Ms. præfigebatur hic titulus:* Sequitur de beato Gothalmo peregrino, cujus ossa a dextero latere altaris beatæ Mariæ virginis in crypta in sarcofago marmoreo quiescunt albo, et dietim, ab universis pene, qui monasterium istud et ipsum locum devotius visitant, venerantur: qui licet haud dubium miraculis claruerit, tamen alia nobis sanctitatis ejus testimonia ad præsens non constant, præter ea, quæ subsequens breve Memoriale, ex quodam antiquo codice hic rescriptum, continet in hunc modum. *Tunc* C *subnectitur ipsa Bernardi Dapiferi lucubratio, cui hoc procemium posterior calamus præmisit, ut ex memorata textu satis apparet. Teste Hieronymo Pezio, idem fere titulus, minio scriptus, legitur in tribus Mss. Mellicensibus, quamvis in codice autographo non habeatur. Jam sæpe laudatus Schrambius idem Bernardi opusculum chronico suo Mellicensi pagg.* 35 *et* 251 *inseruit. Denique Hieronymus Pezius eamdem* B. Gothalmi *Vitam ex codice autographo Lipsiæ anno* 1721 *iterum edidit,et tomo* I *Scriptorum Austriacorum a pag.*109 *observationibus prævиis illustravit. Nos illam Pezii editionem ab ipso cum tribus Mss. Mellicensibus collatam,hic recudimus,in margine vel annotatisondituri, si variæ lectiones majoris momenti occurrerint.*

ex ms.

ACTA

AUCTORE BERNARDO DAPIFERO, COENOBITA MELLICENSI.

Ex Ms. autographo, quod Hieronymus Pezius tomo I *Scriptorum Austriacorum edidit, et cum tribus aliis apographis contulit.*

Ego frater Bernhardus, professus Medlicensis cœnobii monachus, dictus Dapifer, existimavi fore * utile, in rei memoriam perpetuo apud homines producere, ad notitiam omnium Christi fidelium præsentium et futurorum, nationem et adventum in Austriam et ad cœnobium nostrum, scilicet Medlicense *a*, et inibi mansionem beati Gothalmi peregrini, in crypta Medlicensis monasterii quiescentis, et hoc ut relatu seniorum *b*, et aliorum multorum hominum *c*, meis in temporibus viventium, melius percipere potui, et ut ipsi ab eorum senioribus et contemporaneis perceperunt. Igitur ego Wernhardus * supra nominatus anno Domini MCCCLXII scribendo in vigilia beati Barnabæ Apostoli initiavi et hoc in una sexta feria post synaxim vespertinam non multo post chartis commissum, quod et sic contigit *d*. *Auctor nomen suum ac scriptionis tempus indicat,* * *al.* esse E *a* *b* *c* * *al.* Bernhardus *d*

2 Cum beatissimus Christi martyr Cholomannus patriam, scilicet Scotiam, dominiumque terrenum sive regnum prædictum pro amore et regno Christi relinquere disposuisset, et hoc non alteri nisi huic beato viro Gothalmo revelasset (qui videlicet beatus Gothalmus sui patris cellerarius dicitur fuisse) non tamen quando id esset facturus sibi indicando, beato Cholomanno postea clam perdito Jerosolimamque tendente, præ amore, quem erga eum habuit, ipsum sequeretur, eumque undique quæreret Austriamque veniret, et passum, mortuum, et jussu Heinrici tunc temporis nostræ terræ, scilicet Austriæ; marchionis, in Medlica sepultum audiret; tunc et ipse ad suum dilectum domicellum et dominum tali modo advenit. *et narrat,quomodo B. Gothalmus, dominum suum quærens,* F

3 Cum una dierum suæ peregrinationis ad villam, dictam Maur, a prædicta civitate Medlica miliario distantem, quæ sabbato dies esset, inibi pernoctando venisset, et quidam rusticus nocturnum *e* ei dedisset, ad horreumque dormitum ivisset, et cum in crastino, scilicet die Dominico, surgendi tempus adesset, et non surgeret; pluries excitatur, et tandem percunctatur, ut quomodo sibi foret, *f* obdormisse in Domino. Et super feretrum collocacatus, inveniuntur *g* accensæ candelæ cum eo. Tunc Medlicam perducitur (nescitur tamen, quoto Domini anno) et sepelitur, nobis tamen modo locum primæ sepulturæ ignorantibus, modo tamen, ubi ejus sacra ossa continentur, bene scitur; scilicet in cavato et marmoreo, et hoc albo, lapide, juxta altare Dei Genitricis virginis Mariæ in crypta Medlicensis cœnobii, in parvis calumpniolis * locato, ejusque memorialis dies est in die S. Annæ matris almæ Virginis Mariæ. *in Austria obierit ac sepultus fuerit.* *e* *f* *g* * *lege* columellis

EX MS. *ubi postea miraculum contigit ad ejus tumulum* *h* *i*

4 Signum etiam quoddam, quod Dominus per eum fecit, et ejus sanctitatem in hoc ostendit, ut etiam relatu *h* didici, his scriptis, omnibus legentibus et audientibus manifesto. Cum enim quidam rex Bohemorum *i*, proprio nomine nobis tamen ignotus, Medlicam venisset, et sarcofagum marmoreum et album, in quo ejus ossa continentur, vidisset, et dubitasset, quod inibi reliquiæ essent; foramen quadrangulum fecit in capite ipsius sarcofagi fieri. Quod ut cœpit facere, protinus visum amisit. Tunc omnes perterriti genua flectentes ante altare Matris misericordiæ Virginis Mariæ ibi juxta situm cum devotione supplicantes primo domino Deo et Virgini Mariæ, ac postea beato Gothalmo, ut cum cæco rege misericordiam facerent, rexque talia numquam amodo se vovit acturum. Tunc oratione finita vitum recepit, meritis et intercessione, ut credere tenemur, beati Gothalmi, et quadrato lapide et albo fracturam clausit, uti hodie manifeste videtur signum hujus foraminis, et cum gaudio recessit. [Ista omnia scriptis per *k* me prædictum Bernhardum commendata,] *k* quo B tempore acta fuerint, nobis non patet, et hoc vel propter tunc viventium desidiam et negligentiam, vel propter nostri cœnobii et librorum MCCXCVII et hoc in vigilia Assumptionis, exustionem contigit.

qui jussu ducis Austriæ anno 1362 aperitur.

5 Anno Domini MCCCLXII in die sancti Paulini episcopi et confessoris, qui est in vigilia beati Ægidii abbatis, Rudolfus, inclytus dux Austriæ, et ceterorum suorum titulorum princeps et dominus, hujus nominis quartus, hic in Medlicensi cœnobio existens, volens experiri, siquod scriptum, aut aliud evidens signum esset cum beato Gothalmo peregrino in marmoreo lapide, scilicet in suo sarcofago, in crypta Medlicensi, in parvis calumpniolis * sito. Sicque prædicto die devotus *l* cum aliquibus secrete accedens ac astans, accensisque candelis, et psalmis * submissa voce fratribus aliquibus de conventu dicentibus, ipsius sarcofagi superiorem lapidem removens, sicque inibi existentia ossa videns nilque aliud reperiens * quam ipsa ossa, et in medio fronte capitis ibidem reperta est crux parva et alba affixa, quasi esset facta de pura similaginea pasta *m*. Quam crucem quidam suorum cappellanorum presbyter secu- D laris, dictus Leimbweriger, abrupit incaute manibus attrectando, nobis præsentibus, et pro hujusmodi abruptione dolentibus, primoque super hanc admirantibus, et sic postea beatis ossibus sacrario commendatis, usque ad reparationem ejusdem sarcofagi. Tunc quoque ipsa ossa sunt in eodem loco reinclusa, præsente Gotschalco tunc temporis custode; me vero Wernhardo *, dicto Dapifero, proh dolor! absente *n*.

* lege columellis

l

* lege psalmos

* Lamb. clarius reperit

* al. Bernhardo

n

ANNOTATA.

a *In editione Lambeciana et tribus apographis Mellicensibus deest* nostrum, scilicet.

b *In eadem editione hæc adduntur:* veraci relatu seniorum fide dignissimorum.

c *Ibidem post hanc vocem additur* : ex utroque sexu.

d *Apographa et editio Lambeciana hunc sensum sic clarius exprimunt:* Igitur ego Bernhardus supra nominatus anno Domini MCCCLXII in vigilia S. Barnabæ apostoli, quæ fuit in una sexta feria, post synaxim vespertinam chartis commisi sic, et sic contigit.

e *Lambeciana editio sic melius habet:* nocturnam ei dedisset quietem. E

f *Ad perficiendum sensum recte in apographis et editione Lambecii hic inseritur :* inveniturque.

g *Apographa et editio Lambeciana hic addunt:* sine humana administratione.

h *Hic iterum utrobique additur :* seniorum fide dignissimorum.

i *De hoc rege Bohemorum dedimus conjecturam Schrambii in Comment. prævio num.* 5.

k *Quæ his uncis inclusi, desunt in apographis Mellicensibus et editione Lambecii.*

l *Editio Lambeciana et apographa post hanc vocem interserunt sequentia :* dux una cum domino abbate.

m Pasta *est massa farinacea crudi panis, de qua voce vide Cangium in Glossario.*

n *Schrambius in Chronico Mellicensi pag.* 251 *vocat Bernardum totius hujus rei testem oculatum; sed hoc de secunda reliquiarum inclusione intelligi non potest, cum ipse Bernardus asserat, se huic reclusioni non interfuisse.*

F

DE B. JORIO EPISCOPO

P. B.

BETHUNIÆ IN BELGIO.

ANNO MXXXIII. *Bethuniæ celebratur hoc dic.*

Bethunia oppidum est egregie munitum in Artesia, quæ una de Belgii provinciis est, Flandriam inter et Picardiam sita. Duaco sex circiter leucis in occasum distat, Atrebato quatuor, versus Orientem. Ornat illud præter alias ecclesia collegiata, erecta a Roberto I, Bethuniæ domino, sub finem seculi decimi aut initium undecimi, ut ostendit Chesnius Hist. familiæ Bethun. lib. 2, *cap.* I, *ac S. Bartholomæi apostoli, cujus ibi brachium pelle exutum servari creditur, nomine dedicata. Administratio ejus ad præpositum et canonicos viginti quatuor pertinet; ut idem docet ibidem lib.* I, *cap.* 2 : *horum beneficiorum saltem viginti et unius fundationes per quos et quando sint factæ, disces in eodem opere ex probationibus, seu monumentis ad librum secundum pertinentibus cap.* I. *Atque hæc est ecclesia in qua cultum pridem obtinuit* B. Jorius *noster, teste Joanne Molano, aut, sit mavis, Petro Louwio, qui ex Molani jam vita defuncti schedis Natales Sanctorum Belgii collegit, quique* die vigesima sexta Julii de S. Jorio episcopo, ex iis, quæ contulit Jacobus Franchus, Bethuniensis, sacræ Theologiæ baccalaureus, *hæc habet :*

in ecclesia S. Bartholomæi ap., B. Jorius ep.

2 Bethuniæ, natalis beati Jorii peregrini, qui montis Sina episcopatum tenuit. Cujus festum in hoc canonicorum sancti Bartholomæi est magnum duplex. In lectionibus tamen nihil proprium est; sed in hymnis et Rhytmis de eo canitur :

Dignus est, ut collaudetur
Dominus, et honoretur
In suo sancto Jorio,

Quem

A Quem decoravit gaudio.
Jorius hic, episcopus
De monte Sinaï, opus
Dei lætus exercuit,
Fideliter et docuit
Gaude, castrum Bethuniæ,
Quod tu per Regem gloriæ
Thesauros habes gratiæ,
Quibus resplendes hodie.
Hic germanus fuit Macarii,
Viri sancti, coronæ conscii;
Qui sic certarunt contra vitia,
Quod ambo sint in Dei gloria.
Prece reddit claudis gressum,
Sanans omni clade pressum.
Cujus prece nobis detur vita
Per secula seculorum infinita.

In parvo lapide albo, qui cum sacris ossibus reconditus fuit, insculptum est, beatum Episcopum venisse ex Armenia majore; parentes habuisse Stephanum et Helenam : fratres septem, inter quos Macarius fuit : obiisse anno millesimo tri-B gesimo tertio.

quem aliqui putarunt fratrem S. Macarii ep. Antiocheni;

3 *Dubitatum aliquando fuit, quis esset* sanctus *iste* Macarius, *beati* Jorii, *ut ex hymno jam dicto, et inscriptione lapidis, qualis modo recitata est, colligitur, frater* germanus : *cum enim alius per hæc tempora non sciatur vixisse Sanctus Macarius, nisi episcopus Antiochenus ille, qui magna celebritate Gandavi in Belgio colitur die* x *Aprilis, quo ejus Acta illustravimus, quique et ipse Armenus fuisse scribitur, invaluit dudum apud vulgus, imo et eruditos quosdam, opinio, quæ sanctum hunc Macarium Beati nostri germanum assereret. Secutus eam est etiam Malbrancqus noster de Morinis lib.* 8, *cap.* 30, *et ante eum Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, pag.* 83. *Alii tamen aliter sibi merito statuendum putarunt; primo quidem, quia in neutra S. Macarii episcopi Antiocheni Vita ulla fiat mentio sive* B. Jorii, *sive alterius cujuspiam fratris ejus; deinde vero, ac maxime, quia parentes Macarii, juxta Vitam ejus secundam anno circiter* 1067 *compositam cap.* I, *nuncupentur* Michaël et Maria; *cum ex dictis* B. Jorius *parentes habuerit* Stephanum et Helenam. *Consulti ergo super re hac canonici Bethunienses, sequenti, quod habemus, instrumento responderunt.*

id colligentes ex antiqua inscriptione,

C 4 Non aliunde constat DD. canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi in oppido Bethuniensi, beatum Jorium esse fratrem germanum S. Macarii, quam ex ejus Officio, in festo ejus cani solito, et ex verbis sequentibus, sculptis litteris antiquis in parvo lapide quadrato, exsistente et recondito in dicti B. Jorii feretro juxta ejus ossa. Hæc sunt : « Obiit beatus Jorius VII KL. « Augusti. Venit de Armenia majore. Et fuit « episcopus de monte Sinaï. Pater ejus Stepha- « nus, et mater ejus Helena, VII fratres fuerunt « Macarius. Ab Incarnatione mill. trigesimus « III. » Ipsissima in perantiquo codice rubro sub finem reperi : in quo continentur bona et statuta dictæ ecclesiæ collegiatæ; Officium ipsius sic habet in 4 et 5 Responsorio : « 4. Hic ger- « manus fuit Macarii, viri sancti, coronæ con- « scii, qui certarunt sic contra vitia, quod am- « bo sunt in Dei gloria. 5. O felices fratres ute- « rini, qui cælesti vita fruimini, impetrare, « Sancti, dignemini sociari nos cæli lumini. » Ejus festum sine Lectionibus propriis est. Martyrologium dictæ ecclesiæ collegiatæ solum habet : « Eodem die Natale B. Jorii peregrini, « qui montis Sinaï episcopatum tenuit. » Magis authentica apud dictos canonicos non reperiuntur. Quapropter, quia allegata in Officio et in dicto lapide cum gratia vidi, illaque accurate legi, ideo hæc lubens subscripsi, et subsignavi rogatus. Factum Bethuniæ XXII Novemb. 1617. M. de Senermont, sacræ Theolog. bacc. form., dictæ ecclesiæ Colleg. S. Bartholomæi canonicus, nec non notarius Apostolicus.

AUCTORE P. B.

non satis fideliter proposita apud Molanum

5 *Collige hinc* I, *interpolatam esse apud Molanum inscriptionem lapidis; et pro genuinis hisce vocibus,* VII fratres fuerunt Macarius, *suggestas a Francho non satis fideliter esse has*, Fratres septem, inter quos Macarius fuit; *credo, ut sic antiquo monumento clare stabilitam esse persuaderet illorum opinionem, qui* SS. Jorium *ac Macarium tamquam fratres habendos esse etiam in Officio ejus ecclesiastico, nescio, quando composito aut instituto, cecinerunt. Mihi certe non probatur inscriptio illa sic explicata, ut eam offert Molanus, ita ut* Macarius *referatur ad* fratres septem, *tamquam unus ex illis : qui enim* E *hunc sensum extundat ex his verbis,* septem fratres fuerunt Macarius? *Imo, nisi aliquid accedat, voces illæ sic conjunctæ nullum omnino vel sensum vel syntaxim exhibent. Existimo igitur (quandoquidem nefas est interpolare quidquam) legenda esse separatim hæc verba ad hunc modum :* Obiit beatus Jorius *etc.* Pater ejus Stephanus, et mater ejus Helena : VII fratres fuerunt. Macarius, ab Incarnatione *etc. Ita ut* Macarius, *quisquis demum ille fuerit, non censeatur ad inscriptionem pertinere, sed ad inscriptionis subscriptionem : quasi dicat :* Ego Macarius testor, hanc inscriptionem esse veram; *vel :* Ego Macarius Beatum sepeliri curavi, ejusque sepulcro hunc lapidem ad æternam ejus memoriam exsculptum imponi. *Hic sensus planus est et plenus, atque in ejusmodi inscriptionibus usitatissimus; nec aliam exigit mutationem, quam solius interpunctionis, quæ passim in vetustis inscriptionibus vel omnino non adhibetur, vel solis punctis, quibus voces singulæ inter se distinguantur, exprimi solet : ut quæ superius notata est, eam putem exscriptoris arbitrio fuisse insertam; aut certe punctum illud, quod inter vocem* Macarius *et eas, quæ hanc præcedunt, sensus exigit, vel in ipso lapide detritum esse, vel ab exscribente non observatum.* F

quem hic passim omnes sequuntur:

6 *Collige* 2, *nullo sensu statui posse, S. Macarium Antiochenum ad* B. Jorium *spectare; neque ut germanum, cum habeant parentes utrosque diversos, ut ante diximus; neque ut subscribentem epitaphio memorato; quandoquidem S. Macarius ille ante* B. Jorium *annis viginti et amplius ex hac vita migravit. Collige* 3, *annuntiationem, a Molano supra propositam, desumptam esse ex ipso Martyrologio ecclesiæ, in qua Beati memoria jam olim solenniter celebratur. Eumdem mensem, diem, ac locum ejus cultui assignant Gazetus in catalogo Sanctorum Belgii diœceseos Atrebatensis, Miræus in Fastis Belgicis, Constantinus Ghinius in Natalibus SS. canonicor. Regularium, Willot in Compendio Martyrologii Belgici, Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, Castellanus in Martyrologio Universali. Collige* 4, *errorem irrepsisse in eosdem Miræi Fastos, cum dicitur Beatus noster anno* MXXX *exspirasse; cum exspiraverit annis tribus posterius : uti ex Molano statuunt Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad annum* 1033, *et citatus supra Malbrancquus, aliique scriptores Belgæ;*

AUCTORE P. B.

Belgæ; nam omnes, quos quidem noverim, in iis, quæ de B. Jorio *notaverunt, non alium assignant fontem, quam laudatos modo Molani Natales Sanctorum Belgii, ex quibus proinde et nos, quæ de* Jorio *dicenda supersunt, ejusdem auctoris verbis prosequimur, quæ ibidem sic habent :*

et ex quo recitamus et nos, quæ de B. Jorio traduntur.

7 Ceterum Bethuniensium traditio habet, eum voti et religionis causa invisisse Boloniæ memoriam Deiparæ Virginis; inde propter viciniam loci divertisse Bethuniam, ad quemdam, qui ei aliquando famulatus fuerat. Apud quem, nemine conscio, nocturno tempore ad lucem æternam migravit. Famulus, morte deprehensa, et sibi ex ea metuens a judice molestiam, corpus sanctum intra domesticos parietes sepelivit. Sed res per crebras apparitiones detecta fuit. Unde Viro sancto dignior data est sepultura, quæ adhuc cernitur intra ecclesiam divi Barptolomæi, in sacello, quod postea in honorem ipsius Jorii Deo dicatum est. Cum autem eo etiam in loco memoria ejus miraculis crebresceret, caput, decenter ornatum, repositum est in sacrario : reliqua sacra pignora in summum altare. In hujus autem rei memoriam, utriusque sepulturæ locus religiose colitur. Nam et privatæ illæ ædes annue exornantur in die natali; caput sacrum eo defertur; et ad sepulcrum pie concurritur : circa quod multam lucem divinitus apparentem sese conspexisse, testantur multi superstites. Conservantur ibidem inter ecclesiæ sacra vasa duæ ejus cistulæ, et duo fulcra pedum equestria. *Hæc Molanus; quibus, quod addamus, nihil est.*

DE BB. EUANGELISTA ET PEREGRINO AUGUSTINIANIS

VERONÆ IN ITALIA

P. B.

COMMENTARIUS PRŒVIUS

§ I. Beati utriusque cultus modernus et antiquus; ac distinctio beati Euangelistæ a B. Alberto seu Albertino Veronensi.

SECULO XIII CIRC. *Cultus hodiernus Beatorum.*

De moderno ac publico horum Beatorum cultu dubium esse nullum potest; hunc enim non modo testati sunt auctores, qui Vitam eorum præterito seculo vulgaverunt; sed coram etiam inspexere Majores nostri Godefridus Henschenius ac Daniel Papebrochius; quorum ille Verona (ubi tum erant ambo) ad Bollandum anno 1660, XXV *Octobris inter alia hæc scribebat :* Apud Augustinianos est cultus B. Euangelistæ et B. Peregrini XXVI Julii : *hic vero in itineris sui descriptione de Verona sic notavit :* Ad eorum *(PP. Augustinianorum Veronæ, de quibus istic agit)* nos contulimus monasterium.... Excepere nos perhumaniter plures eorum.... deduxeruntque nos ad suum templum, ubi in sinistro latere eorumdem beatorum *(de* Euangelista *et* Peregrino *paulo ante meminerat)* nitidi, sed simplicis operis sacellum est, cum cupula luminosa, sub qua altare eorum; ac supra illud in lignea tumba satis eleganti eorumdem corpora. Festum eorum XXVI Maii *(imo Julii, ut idem alibi, et supra Henschenius annotarunt)* agunt; sed sine Officio proprio; nisi quod in quotidiano Officio commemorationem de ipsis faciant. Miracula eorum in tabellis depicta, una cum anathematis multis circumcirca pendebant; et quoddam Vitæ breviarium in forma expansa. Templum.... est S. Euphemiæ sacrum. *Hæc Papebrochius.*

et antiquus, saltem B. Peregrini;

2 *Sed et pro Beatis habitos illos fuisse ab immemorabili tempore ante Decretum Urbani PP. VIII, colligitur ex Raphaele Bagata in SS. episcoporum Veronensium Antiquis monumentis, quæ Venetiis excusa sunt anno* 1576; *folio namque* 17 *sic habet :* BB. Alberti et Peregrini corpora requiescunt in ecclesia S. Euphemiæ; qui, ut asserit Franciscus Corna, contemnentes mundum et ejus pompas, sub S. Augustini regula Christo servientes, numquam defessi, tandem in sua civitate vita functi, in ecclesia S. Euphemiæ, ut habetur etiam ex Tabula Sanctorum, de qua supra, sepulti fuerunt. *Scripsit autem Franciscus Corna, teste eodem Bagata fol.* I, de antiquitatibus Veronæ ac de SS. reliquiis, quæ in ea reperiuntur, *scripsit, inquam,* anno salutis MCDLXXVII : Tabula *vero* Sanctorum, *quæ hic assignatur, ea est, quæ, juxta eumdem scriptorem fol.* 2, *concinnata fuit secundum consuetudinem ecclesiæ Cathedralis Veronæ, anno* 1518, *quæque prima in illa diœcesi edita fuit; distribuitque Sanctos ac Beatos, quos exhibebat, per anni circulum in sua quosque festa; ut colligi potest ex Sanctis episcopis Veronensibus triginta sex, qui, teste ibidem Bagata, in ea notabantur* sub Officio duplici celebrandi, et quorum nomina in ipsa Tabula suis locis (*hoc est, diebus, opinor, quibus celebrandi erant*) habebantur.

imo et Euangelistæ sub nomine Alberti, seu Albertini :

3 *Et hæc quidem testimonia validissima sunt, ut legitima cultus antiquitas* B. Peregrino *vindicetur : sunt enim utraque Urbani VIII celeberrimo decreto annis centum et amplius anteriora : sed an eadem etiam faciunt pro* B. Euangelista ; *quandoquidem Peregrino non* Euangelistam, *sed* Albertum *adjungunt? Affirmat Bagata, et qui ei in eodem opusculo tam fideliter accurateque colligendo operam commodarunt : pro eodem enim Beato habendum putant* Albertum, Albertinum, *et* Euangelistam : *ut tria quidem sint nomina, sed unius ejusdemque Beati. Colligere id licet ex verbis, textui jam citato proxime subjectis : sic enim habent :* Eo in loco, ubi eorum *(Alberti et Peregrini)* corpora, a prioribus locis remota, reposita fuerunt in eadem ecclesia, hæ litteræ depictæ sunt : ALTARE MATRI REGINÆ CŒLORUM DICATUM, IN QUO CORPORA BEATORUM CONFESSORUM EUANGELISTÆ ET PEREGRINI

REGRINI DE VERONA REQUIESCUNT. Quo in loco vocatur B. Euangelista, non Albertus. Sed in palla etiam S. Nicolæ *(hoc est in tabula seu pictura altaris S. Nicolai Tolentinatis)* in eadem ecclesia est imago B. Albertini cum his litteris, BEATUS ALBERTINUS DE VERONA. *Patet, hic* Albertum *cum* Euangelista *aperte confundi; imo etiam cum* Albertino, *quamquam obscuriuscule. Ideoque nec* Albertini *seorsim loco et ordine suo (Sanctos enim et Beatos Veronenses recenset auctor ordine alphabetico) nec* Euangelistæ *meminit , sicut loco iterum suo meminit* Peregrini. *Deinde ubi ecclesias Veronenses cum asservatis apud eas reliquis enumerat, fol.* 79 *ita scribit :* In ecclesia S. Euphemiæ, seu monasterio, condita sunt corpora BB. Alberti seu Albertini et Peregrini confessorum Veronensium. *Vides hic, opinor, non minus diserte confundi* Albertum *cum* Albertino, *quam eumdem superius* Albertum *cum* Euangelista : *et quidem argumento satis probabili, ut infra videbitur.*

alii tamen Albertum seu Albertinum ab eo distinguunt;

4 *Ab hac tamen Bagatæ sententia recedit Josephus Pamphilus, Veronensis et ipse, et quidem Augustinianus Eremita primum, ac deinde Signinus episcopus : nam in Catalogo Sanctorum ac Beatorum Ordinis sui, quem una cum Chronico anno* 1581 *Romæ edidit, fol.* 133 B. Albertum *Veronensem non agnoscit; agnoscit tamen* B. Albertinum de Verona, *ac* B. Euangelistam Veronensem; *sed hunc ab illo distinctum; tametsi distinctionis suæ nec ibi, nec alibi fundamentum assignet. Pamphilum exinde secuti sunt, quotquot operis aliquid in hoc genere condiderunt scriptores Augustiniani, quos mihi videre contigerit; si unum excipias Thomam de Herrera, qui Pamphilum quidem non deserit ; sed nec admodum alienus a Bagata videtur; cum in Alphabeto Augustiniano, parte* 2, *pag.* 239, *citato ejus textu, quem numero præcedenti descripsimus, ad hæc ejusdem verba,* Quo in loco vocatur B. Euangelista non Albertus, *hæc ipse de suo subjiciat :* Forte quia diversi fuerunt; vel quia idem vocabatur Euangelista, Albertus, sive Albertinus : *tum quasi per meram conjecturam addat:* Crediderim tamen potius, esse diversos : *at nullam hujus opinionis suæ rationem adjungit.*

quæ distinctio cum non satis fundata videretur,

5 *Sed neque nos momentum huic sententiæ propugnandæ satis idoneum aliunde potuimus assequi, etsi haud otiose quæsiverimus. Scimus quidem, aliam* B. Albertini, *aliam* B. Euangelistæ *Vitam esse conscriptam : sed utraque recentior est, quam ut ejus quantacumque diversitas valere multum hic possit. Scimus, in ecclesia S. Euphemiæ duas esse effigies depictas, alteram in altari,* in quo corpora BB. Euangelistæ et Peregrini requiescunt, *ut ipsa altaris, quæ et picturæ respondet, habet inscriptio; alteram in ara S. Nicolai Tolentinatis, cui aliud nomen præfigitur, nempe* B. Albertini de Verona, *ut paulo ante monuimus; et hanc quidem anno* 1406 *pictam fuisse , nescio qua auctoritate, testatur Pona, indeque colligit,* B. Albertinum *ab anno illo inter Beatos relatum fuisse; illam vero* valde antiquam *appellabat idem anno* 1635. *Sed quidni possint ejusdem Beati in eadem ecclesia plures, etiam cum diverso gestu, depingi imagines, et varia iis imponi nomina, si varia Beato quadraverint ; idque vel maxime si non uno tempore pingantur ; sed alio atque alio, quando aliud vel aliud ejusdem nomen vulgo est usitatius? Scimus denique, aut potius asserenti Ponæ credimus, repertam fuisse antiquam inscriptionem, cum antiquus ejusdem ecclesiæ chorus dirutus fuit, quæ indicaret ,* B. Albertini *corpus requiescere a dextris extra chorum. Sed potest illa inscriptio esse tam vetusta, ut locum indicet, in quo* B. Euangelistæ *corpus ante elevationem erat conditum. Saltem hactenus* B. Albertini *corpus, siquidem ipsi* Euangelista *non sit, inveniri non potuit. Hæc tamen præcipua sunt capita, unde argui possit,* B. Albertinum *a* B. Euangelista *differre.*

AUCTORIS P B.

de illa Veronenses ipsos consuluimus;

6 *Cum igitur nostra plurimum interesset, nihil hac in controversia temere definire, atque ita vel Beatum adstruere, qui numquam exstitisset, vel qui exstitisset, expungere; itemque (quamquam hoc necessarium adeo non est)* beati Euangelistæ, *quo de agimus, cultum ab immemorabili tempore per immemorabilis temporis testimonia posse aut non posse fulcire; cum, inquam, hoc nostra interesset plurimum, consulendos duximus ipsos RR. Patres Augustinianos conventus Veronensis, quibus, per iteratas etiam litteras, præter alia, de quibus agam inferius, illustranda proposuimus tria hæc capita.* I. *Quo, et quam antiquo monumento possit ostendi,* B. Albertum *seu* Albertinum *non esse unum eumdemque cum* B. Euangelista, *sicut ex Bagata et citatis ab eo antiquioribus monumentis videtur eruendum.* 2. *Si differat* B. Albertus *seu* Albertinus *a* B. Euangelista, *an, et quo mense, quo die, quo cultu* B. Albertus *seu* Albertinus *Veronæ celebretur, et quando sic celebrari cœperit.* 3. *Si differat* B. Albertus *sive* Albertinus *a* B. Euangelista, *quo legitimo instrumento probari possit beati* Euangelistæ *cultus ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII: an saltem ad illum asserendum non sufficiat inscriptio altaris apud Bagatam exhibita; atque adeo quam vetusta sit illa.*

qui pro ea appellant famam constantem apud Veronenses;

7 *Rescripsit tandem, Veronensium loco, Rev. adm. P. Hieronymus Augustinus Zazzeri, Augustinianorum per Italiam Assistens Generalis, vir, ut ex litteris ejus Bononia datis die* XVI *Decembris* 1727 *perspeximus, humanitate plenus et officio. Post excusatas vero scribendi moras, quod ad proposita dubia explananda* necesse fuisset scrinia tum domestica tum publica, nedum Veronensia, sed etiam Romana atque Papiensia scrutari, *reponit ad* I., constantem esse apud Veronenses famam, quod beatus iste Albertinus unus fuerit ex iis religiosis viris, qui pedibus intectis sacrum ferculum beatorum Euangelistæ et Peregrini in prima solemni translatione succollabant. *Proinde* ad Raphaelem, *inquit,* Bagatam quod attinet, quamquam fuerit diligens et accuratus Sanctorum Veronensium scrutator, crederem, aliquantulum dormitasse, dum beatum Albertum seu Albertinum cum beato Euangelista confudit : nec enim aliud suæ assertionis fundamentum exhibet, nisi quod in altari, ubi colitur imago divi Nicolai, reperiatur quoque depicta beati Albertini . . . Ceterum cum in altari, ad quod translata fuerunt nostrorum Beatorum corpora, hæc reperiatur epigraphe : Altare Matri Reginæ cælorum *etc. ut supra* , pluris videtur facienda hæc inscriptio ad dignoscenda propria istorum Beatorum nomina , quam assertio vel Raphaelis Bagatæ vel Francisci Cornà ; qui utut accurati dicantur, et sint, cum tamen non fuerint nostris Beatis coævi , minus callere credendi sunt propria ipsorum nomina, quam viri ejusdem cum Beatis instituti, qui eadem vel a monumentis, quæ tunc habebant, vel a constanti fama poterant didicisse.

8 *Ad*

AUCTORE P. B. *fatentur tamen. de B. Albertini cultu nihil sciri.*

8 *Ad 2 hæc tantum habet :* Quo autem ad diem, et mensem, quove cultu colatur B. Albertus seu Albertinus, vel quando coli cœperit, huc usque non licuit deprehendere; cum nihil aliud rescire datum fuerit, nisi quæ in superioribus indigitavi, *(imaginem scilicet ejus esse in altari S. Nicolai cum hac epigraphe :* Beatus Albertinus de Verona. *)* Si tamen aliquid præterea expiscari contigerit, ad P. V. notitiam deducere non gravabor. *Ad Tertium vero caput ita respondit :* Ad titulum vero Beati quod attinet, quo Euangelista et Peregrinus decorantur; satis, ut puto, nomenclaturæ antiquitas elucescit ex eo, quod abusque Hieronymi Cardinalis Seripandi tempore hoc præconio insigniti leguntur : etenim celebris ille vir, dum instituti nostri Generalem moderatorem ageret, Constitutionibus Ordinis, quas pro singulari, qua pollebat, prudentia et sapientia in meliorem formam digessit, catalogum Beatorum nostri Ordinis eisdem adjecit; quos inter sæpius memorati Euangelista et Peregrinus
B recensentur. Quo quidem illustri testimonio palam fit, eos ante centum circiter annos, quam Urbanus VIII suum decretum conderet, Beatorum encomio exornatos fuisse. Hoc idem probare videntur instrumenta translationis peractæ anno MDCXXXV cum interventu episcopi Veronensis; quo approbante, præfatorum Beatorum corpora in decentiorem locum fuere translata, et fidelium venerationi exposita : cum autem id acciderit post decem tantum annos ab Urbani decreto, colligi profecto potest, ipsos Beatos dudum ante illud cultum et venerationem fuisse sortitos. *Hæc ille.*

§ II. Num admittenda sit jam dicta distinctio: an obsit demonstrationi legitimi cultus B. Euangelistæ: quid de Beatorum Vita sentiendum.

C *Jam dicta distinctio, donec solidius probetur,*

Vereor, ut responsis Veronensibus, quæ modo recitavimus, satis acquiescant lectores nostri: nam ad primum quidem, quod creditur dormitasse Bagata cum operis sui socio, id non facile persuadebitur iis, qui præfationem ejus opusque pervolverint, nisi documentis ejus antiquis opponantur alia vel magis vel æque saltem vetusta, qualia huc usque desideravimus : sic processisse Bagata dicendus est : Censebat, plura Sanctorum Veronensium monumenta incendiis, vastationibus, direptionibus periisse; timebat, ne sic tandem perirent omnia: voluit ergo quidquid supererat, ab interitu vindicare : hoc ut efficeret, per annos aliquot, *ut habet libri ejus præfatio,* non absque magno labore ac studio *ex diversis locis corrasit quotquot antiquitatis reliquias assequi Veronæ potuit, unde aliqua Sanctorum suorum notitia posset erui. Ita incidit in librum antiquum Francisci Cornæ, de quo supra num. 2, in eoque Beatos duos simul junctos reperit,* Peregrinum *scilicet cum Socio, in ecclesia S. Euphemiæ sepultum. Quærit exinde, num publice pro Beatis eos aliquando venerata sit ecclesia Veronensis, et quando id cœperit; orditurque examen ab antiqua et prima ecclesiæ suæ tabula seu directorio, de quo ibidem diximus : ibi ejusdem* Peregrini *ejusdemque Socii memoriam proprio festo celebrandam notari comperit. Hinc se confert ad S. Euphemiæ, rem coram inspecturus; atque intelligit,* S. Peregrini *ejusque Socii reliquias in eadem ara esse conditas, et eodem quotannis die amborum simul celebrari memoriam. Sed miratur,* B. Peregrini *Socio aliud ibi esse nomen, et* Euangelistam *inscribi, cum in monumentis suis legeretur* Albertus. D

nobis omnino admittenda non videtur;

10 *Quid hic statuere debebat vir prudens? Aliumne ab anno* 1518 B. Peregrino *Socium fuisse datum, nempe* Euangelistam; *et huic tumulum cessisse, quo alter, puta* Albertus, *ejectus esset, et publicam venerationem, quo privatus esset alter, ut corpus ejus imposterum tenebris et oblivioni perpetuæ memoria mandaretur non fidelium modo quorumvis sed suorum etiam in eodem Ordine conventuque posterorum? At qua id auctoritate factum crederet? Publica episcopi? Reperisset ergo hujus rei tabulas, imo oculis eam ipse suis vidisset, aut alii certe, qui superesse multi debebant, in urbe senes. An privata Augustinianorum? Hoc vero vel suspicari absurdum erat. Restabat igitur, ut eumdem omnino judicaret esse, qui in monumentis* Albertus, *et in altari appellabatur* Euangelista. *Cum vero* Alberti Veronensis *nulla esset apud Augustinianos notitia, esset autem* Albertini, *ut num.* 5 *vidimus, hunc esse credidit, qui in scriptis Veronensibus antiquis legebatur* Albertus : *nec temere : nam primo idem utrumque nomen censeri potest, maxime apud Italos, apud quos et vox* Albertino *diminutiva est vocis* Alberto, *et nomina diminutiva pro diminutis usitatissima sunt. Deinde* B. Albertinum *in eadem ecclesia cultum aliquando fuisse, testabatur antiqua ejus imago exposita publice in altari cum adscripto Beati titulo : tunc autem intelligebat Bagata, nullam ejus in Officio servari memoriam, sicuti neque jam servatur. Quid ergo? Antiquatam ejus venerationem crederet? At nullam excogitare poterat antiquationis causam. Perseverasse ergo existimavit, sed sub alio nomine,* Euangelistæ *videlicet. Ita mihi quidem non imprudenter collegisse videtur,* Euangelistam, Albertum, Albertinum *varia quidem esse nomina, sed rem eamdem.* E

tametsi defendi etiam sine illa possit B. Euangelistæ cultus antiquus.

11 *Nec obstat constans apud Veronenses fama, qua dicatur* B. Albertinus *succollasse sacrum ferculum* BB. Euangelistæ *et* Peregrini, *adeoque ab his utrisque diversus : nam ea ut constans esse nunc quidem possit, antiqua tamen credi non potest, donec probetur; quandoquidem de hac re ne* F *apud recentiores quidem Ponam, Curtium, aliosque, nec in Vita* BB. Euangelistæ *et* Peregrini, *ubi de translatione eorum agitur, nec in Vita* B. Albertini, *quem illi diversum putarunt, ulla fit mentio. Cum igitur pro diversitate aliud nihil afferatur, fateor equidem ingenue, me in Bagatæ sententiam nunc magis, quam antea, propendere; idque hoc libentius, quod per eam ostendi possint argumenta, quibus cultus* B. Euangelistæ *immemorabilis a priori, ut aiunt, comprobetur; qui sine illa sic demonstrari non poterit, donec ætas ignorabitur inscriptionis altaris, quæ forte recentior est, quam catalogus Hieronymi Cardinalis Seripandi; qui quidem catalogus rem quoque omnino non conficit, si tum scriptus est primum, cum reformatæ sunt Ordinis Augustiniani Constitutiones: cum de hac reformationes agi demum cœperit anno* 1543, *juxta Pamphilum in Chronico fol.* 116. *Non diffiteor tamen, eumdem cultum Beati* Euangelistæ, *tametsi diversum hunc esse quis velit a* B. Alberto *seu* Albertino, *demonstrari satis a posteriori per solennem translationem factam anno* 1635, *teste Zazzerio, qui ejus*

AUCTORE P. B.

A *ejus documenta nobis, si luberet inspicienda benigne obtulit, quod nobis ad fidem suffecit. Quis enim credat, eam in Italia celebratam fuisse anno decimo post Urbani decretum, imo anno primo post ejusdem decreti confirmationem simul et explanationem, vivente adhuc latisque decretis invigilante, qui tulerat; nisi de requisita per decretum cultus, tam* Euangelistæ *quam* Peregrini, *antiquitate, constaret?*

Vita Beatorum scripta anno 1636, non stabilitur antiquitate,

12 *Nunc ad Vitam Beatorum nostrorum progrediamur, quæ multo, quam cultus, obscurior est ac debiliori nixa fundamento; de qua proinde PP. Augustinianos Veronenses consulens, scripsi in hanc fere sententiam :* Celebratur apud RR. PP. die XXVI Julii par illustre Beatorum, EUANGELISTÆ et PEREGRINI. Habeo eorum Vitam Italice editam Veronæ a Francisco Pona anno MDCXXXVI; nec aliam ullam antiquiorem reperi. Anno sequenti eam ex Italica Latinam fecit Fr. Cornelius Curtius Belga, obtulitque R. adm. P. Zilio
B Mauroceno, cœnobii Veronensis tum Priori : sed miratus sum, cum illum deprehendi ab exemplari Italico non raro recedere : nam quæ in illo dicuntur de pacto, quo pii Juvenes in paternis ædibus diem simul in exercitia pietatis stata distribuerint; item de ordine, quod, exacto tirocinio, uterque susceperit, sacerdotali; item de assidua amborum oratione coram imagine Deiparæ, quæ translata nunc sit in ecclesiam proximam ædi S. Michaelis, vulgo di Campagna; hæc prorsus omisit Curtius. Et quare, obsecro? An quia monitus Verona fuerat, ea vera non esse, aut certe probari non posse? Atqui hæc in Vita Italica eadem ratione asseruntur, qua pleraque alia; ut si de illis dubitare Curtio licuerit, pari jure dubitare nobis liceat de tota propemodum hujus Vitæ historia.

sed antiquitati repugnat potius

13 Hanc nobis mentem multo etiam magis injicit. 1. Quod Franciscus Pona rerum, quas de Beatis hisce narrat, testem nullum citet antiquiorem, non tabulam, non annales. Unde ergo scire potuit ille anno MDCXXXVI, quæ contigisse ait seculo duodecimo vel decimo tertio? 2. Quod RR. Josephus Pamphilus in Chronico verbum de iis nullum faciat; in catalogo vero Beatorum nuda tantum illorum nomina describ-
C bat. 3. Quod Raphaël Bagata cum adjutore Baptista Peretto de iisdem nihil invenerit, præter elogium brevissimum *(quod supra dedimus num. 2.)* et in hoc quidem dissideat a Francisco Pona, qui vult, Beatos vixisse et mortuos esse extra urbem, antequam anno MCCLXII Patres Augustiniani ad S. Euphemiæ intra muros Veronenses cœnobium vocati transmigrassent. 4. Quod Joannes Franciscus Tiutus in Nobilitate Veronensi, Veronæ excusa anno MDXCII, lib. 5, cap 12, ubi Sanctos Veronenses recenset, ita scribat : „ Beati „ Albertus et Peregrinus, Fratres Augustiniani, „ mortui Veronæ, et sepulti in ecclesia S. Euphe„ miæ. Neque de illis amplis aliquid potui inveni„ re. „ Mitto Thomam de Herrera, qui in Alphabeto Augustiniano part. 1, pag. 208 sic pronuntiat : „ Quo autem tempore Euangelista ful„ serit, quod munus obierit, qua virtute ex„ celluerit, quo anno decesserit, prorsus ob„ scurum. „ Eodem redit quod habet part. 2, „ pag. 239 de B. Peregrino. Legerat ille quidem „ utriusque Vitam apud Simplicianum San-Mar„ tinum; „ Sed rei, *inquit*, antiquæ auctorem non prodit. Quæro igitur et ego, unde sua hauserit Franciscus Pona, et qua auctoritate fulciri possit Vita, quam scripsit. *Hæc ego : ad quæ R. adm. P. Zazzeri ita rescribit :*

Primus ejus auctor Franc. Pona unde sua deprompserit.

14 Illud autem primo observandum censeo, quod laudatus Franciscus Pona, qui Vitam præfatorum Beatorum publici juris fecit anno MDCXXXVI, non erat nostri, nec alicujus religiosi instituti professor; sed vir erat e seculo, patria Bononiensis, in facultate medica doctor, eoque in munere conventui Augustinianorum Veronensi inserviebat. Quo autem ex fonte hauserit Pona, quæ in Vitam nostrorum Beatorum congessit, divinare non ausim : quamquam pronum sit credere, ipsum vel ex authenticis documentis, quæ fortasse ad manus habebat, vel ex constanti apud viros cordatos traditione desumpsisse. Quod vero Curtius Vitam a Pona exaratam Latinitate donans, a prototypo deviet, nonnulla pro libito omittens, pleraque immutans, etsi aliquam potuerit habere causam, ego non aliam agnosco E
atque suspicor, nisi quod forte inciderit in aliquos scriptores, qui res nostrorum Beatorum secus de Pona referrent; quemadmodum plerumque contingere solet; quibus proinde magis deferendum esse Judicavit. *Tum paulo inferius :* Dico, quod, cum ille *(Franciscus Pona)* fuerit vir eruditus, conventus nostri Veronensis domesticus, par est credere, quod ex authenticis monumentis illa deprompserit, quæ forte reperiri poterunt apud ejusdem heredes; qui tamen cum huc usque certo sciri nequiverint, nec etiam potuerunt super hujusmodi documentis interrogari.

et quam fidem mereatur.

15 *Erit fortassis, cui hæc minime satisfaciant, atque ita secum arguat : Si auctor ille authentica documenta præ manibus habuit, cur ea numquam citavit? Cur uni sibi credi voluit? Tum si ille habuit, cur caruit Pamphilus; aut si non caruit, cur dissimulavit; cur patriæ, cur Ordinis, cur beatorum Civium verbo saltem uno gesta non attigit; atque ita posteritas apud de Herrera part.* 2, *pag.* 239 *indignationem maluit incurrere? Si erant olim ista Veronæ, cur Tinto, cur Bagatæ, cur hujus adjutoribus Peretto, ipsique Augustino Valerio episcopo Veronensi, tam solicite, tam pie quærentibus denegari potuerunt? Sane istiusmodi suspiciones scriptoris hujus auctoritatem valide labefactant. Hoc interim funda-* F
mento nituntur, quotquot Beatorum nostrorum Acta vel elogia concinnarunt : ut Cornelius Curtius anno 1637, *Joannes Nævius in Eremo Augustiana anno* 1638, *Simplicianus San-Martinus in Historia Gallica de viris Ordinis Eremitarum S. Augustini illustribus anno* 1641, *Ludovicus Torellus in Legenda Sanctorum ejusdem Ordinis Italica anno* 1647, *Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano anno* 1654. *Nos hic ex omnibus lucubrationem Curtii recudendam elegimus, ut quæ ad Italicum fontem accedit propius : neque enim tanti nobis est auctoritas Francisci Ponæ, ut opus ejus verbosum ac phaleratum novam interpretationem aut exigere aut mereri videatur. Quod ne quis ex negligentia factum existimet, Vitam Italicam cum Curtiana conferemus, et sicubi in facto historico discrepant, id observabimus in Annotatis.*

VITA

EX IMPRESSIS.

VITA

Auctore Francisco Pona, medico; interprete Cornelio Curtio, ex Ordine Eremitarum S. Augustini.

CAPUT I.

BB. Euangelistæ et Peregrini ætas, patria, indoles, studia, vocatio ad religionem, exercitia pietatis, favores cælestes, omnia communia et conjuncta.

B Quo tempore Ezelinus, omnium qui fuerunt tyrannorum crudelissimus, suorum civium sanguine ebrius, sed nondum satur, per marchiam Veronensem, infamem juxta atque immanem stragem edebat *a*, nati, immo a cælo dati sunt Euangelista et Peregrinus; qui nobilum patriæ suæ statum eximio virtutum splendore illustrarent. Dixisses cum genethliacis, astra non modo in corpora, sed vim quoque in animos habere; quos eodem temporis puncto intentia, iisdem quoque bonis imbuerent: ita utriusque animus ad eadem proclivis ferebatur. Vix in verba dimidiata blæsam linguam formare, firmare gradum vix poterant; cum magnam optimæ indolis spem specimemque darent. Ad preces jam tum sese componere; præeuntis verba pio cum gestu etiam sequi; cum ætate pietatis amorem crescere; a puerili petulantia ad seria se studia convertere; prætextatis verbis non linguam commodare, non aurem dare; denique morum quadam gravitate ceteris annis præludere. Hæc erant Parvulorum etiamnum inter se ignotorum sub diversis tectis eadem exercitia.

Nascuntur sec. 13 eadem ambo indole Euangelista et Peregrinus: a

2 Contigit deinde eos, divino, credo, instinctu, sub aspectum mutuum venire. Superi!

C O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!

Ætatem convixisse crederes, ita repente casto amoris nexu invicem amplexati, in societatis perpetuæ sancta vincula coivere; parentibus, quos e primaria nobilitate habebant, non dissentientibus. Igitur Euangelistæ Jonathas, Peregrinus; huic ille, David erat: par amicorum fidelius, quam quos sanguis jungit. Unum idemque velle et nolle ambobus erat. Velle unum, virtuti se et Deo totos dedicare; nolle unum, mundo aut carni auscultare. Idem velle, parentes observare, viris religiosis assurgere; templa frequentare; rei divinæ interesse assiduo, precibus die nocte incumbere, bonas horas non male collocare, a peccato ceu a colubro fugere, proximum, et præ illo Deum amare: idem nolle, modestiæ aut sobrietatis limites transilire, a veritatis recta linea exerrare, pueris leviculis adhærescere, sequiorem sexum oculo dignari, delicias sectari, sese amare *b*.

amicitiam a teneris ineunt, foventque studio pietatis.

3 Porro hæc tam clara et præclara magnarum virtutum initia, litterarum deinde splendor illustravit. Traditi in disciplinam pædagogo, Musas virgines castissimi Juvenes tam propitias habuere, ut qui morum integritate prius, jam bonarum quoque artium laude excellerent *c*. Ab his vero ad sapientiæ sanctioris adyta penetrare, illis multo ardentissimus animus erat: sed quæ via certo et sine ambagibus eo duceret, nondum satis liquebat.

D *tum humaniorum etiam litterarum.* c

4 Erat extra urbis Veronæ muros sanctitatis fama celebre Augustinianum Eremitarum cœnobium in tutela magnæ Matris. Huc quotidie itare Adolescentes, monachorum alloquium ambire, frui familiaritate, denique vivendi sancta sibi exempla ab illis petere. Ecquem, putas, fructum tandem aliquando ferent nobiles hæ stirpes, tam fœcundo rore irrigatæ? Expullulabant pietatis fragrantissimis stolonibus, protudebant virtutum splendidas gemmas, et sanctitatis ramos toto cælo spargebant. Vidisses, eos in templis jam habitare, ipsas ædes paternas in oratoria convertere, esuriales sibi ferias frequentes indicere, totas in precibus noctes pervigilare, humi aut scamno somnum excipere, cilicio carnem affligere, dignos, uno verbo, quibus cælum, quod quærebant, ad sanctiorem vitam compendium commonstraret.

ac frequenti cum Eremitis Augustiniani consuetudine.

E

5 Nocte concubia, cum Adolescentes, domi utrumque suæ, cælesti meditatione defunctos, sopor blandus occupasset, dormientibus visum cælum aperire se, diffusis quaquaversum insolitis radiorum ignibus; conspicua in eo sedere alto ex solio Deipara, et Deum Filium virgineo gremio claudere, a læva *d* adstare grandæva Anna, et puello blanditias facere *e*: hæc *f* deinde lætis in terram oculis despicere, et e laxata, quam gemmarum lucidi ordines distinguebant, palla, zonam loream educere, eamque Euangelistæ et Peregrino ostendere, ac omnino projicere: innuere etiam, atque hortari, hac sibi lumbos præcingerent: Maria denique et Jesulus vultu blando annuere, et votum Annæ commendare.

Deipara cum Filio et matre noctu utrique apparens, zonam offert. d e f

6 Vigiles ambo tam non ingrato ostento nimium quantum exhilarati, gestire id alter alteri quamprimum denarrare. Prior accurrere Euangelista; et, Nescis, ait, o amice, quo me hodie somnio Divi recrearint: et ordine, quo viderat, rem totam explicat. Attonitus Peregrinus: Istud met ipsum mihi per quietem Superi objecerunt. Satis intelligimus, quid cælum velit. Nihil opus ariolum consulere. Quid ergo nos vetat jam nunc e vestigio ad castra S. Augustini confugere, ilique sacramentum dicere, et baltheo (zona) quod nobis cælum commonstravit, obarmatos, sacram militiam inter Eremitas profiteri? Ἄμμ' ἔπος, ἄμμ' ἔργον *g*.

Hinc sibi Ordinem Eremitarum S. Aug. expetendum statuunt; F g

7 Nulla properantibus mora intermissa: abeunt eodem pede ad notum asceterium; et primo angeli verbis salutata in templo Dei Matre, vitæ sanctioris initia sua commendant: inde ad cœnobiarchæ pedes provoluti, flagitant infimis precibus in sodalitium religiosum admitti, et Eremitarum numero accenseri. Non fuit huic diu deliberandum apud suos, quibus egregia Adolescentum indoles multo ante satis innotuerat. Enimvero parentes hic rumor varie afficere: dolere, quod a se inconsultis abirent; gaudere, quod ad Deum adirent: tandem uterque sibi in Filiis gratulari, qui sacram amicitiæ tesseram usque ad aras, imo in aris ipsis, inviolatam servassent.

in quem mox admittuntur:

8 Mundo

strenueque continuo cum humani generis hostibus decertant :

A 8 Mundo igitur res suas habere jusso, spiritualis militiæ rudimenta Tirones nostri posuere. Periculosæ aleæ plenum bellum erat. Hostes abunde multi, vigiles, indefessi, acres, fidentes viribus; plerumque tamen dolo et proditione vincentes. Antesignanus cacodæmon prior in arenam descendere, et rugitu plusquam leonino totum circum implere; aciem explicare, verbera, flagra, minas, pugnæ signum dare; et aperto marte fortissimos Juvenes non languide invadere : at vero illis fidei, spei et charitatis triplex circa pectus æs erat, nullis inferni telis penetrabile. Mundus succedere gradu pavonino, et armorum aureo fulgore velle Militum nostrorum oculos præstinguere : sed terga illi prudentes vertere, directis in cælum oculis. Denique vulpino astu plus omnibus metuenda caro cuniculos agere : nostri contra rimas omnes caute obstruere, hostemque omnimodis excludere atque eludere. B Neque tantum vim repulerunt intulerunt quoque. Arma illorum, preces, jejunia, cilicia flagella, crux erant, non inania certe terriculamenta. Pugnatum acriter utrimque; sæpe repetitum prælium : sed numquam non victi adversarii, et dati in ruborem aut turpem etiam fugam. Porro omnem hanc victoriam Pugiles nostri soli Deo adscribebant. Cujus amore incensi, ita aliquando exarsere, ut eorum inter orandum vultus flammarum insolitis radiis coruscare non nemo viderit.

soliti orare sub dio, et cælesti apparitione recreari.

9 In more positum habebant sub dio, humi genibus, oculis cælo flexis, preces funditare. Quod eo fieri credebant omnes, ut ex præclaræ illo naturæ opere, et bene ordinata cælorum machina, quam videbant, ad ejus auctorem, quem non videbant, sese attollerent, hocque religioso contemplatu a terrenarum sordium contagione purum animum ad æternitatis amorem erigerent. Sed majus aliud aliquid latere plerique non temere observarunt : nam visi tum quoque extra se rapi, divinitus illustrari, et perfundi quodam veluti tenui radio gloriæ cælestis. Placuit ergo cœnobiarchæ quærere, eccur sub aperto cælo Numini supplicare assuescerent? Unde iste tantus eorum ardor, qui ardentis solis ignes vinceret, et brumæ glaciales ventos non C formidaret? Inexspectata ea quæstione attoniti, tremere uterque præ verecundia; et quia pro imperio rogantem præsidem celare aliquid religio erat, frangere inviti modestiæ repagula, atque aperire tandem, quod occultum maluissent. Ajunt ergo, ita liquido orantes videre se aureo solio innixam cæli terræque Dominam cum Deo suoque Filio, pone Annam sanctissimam, circum sine numero ludentes beatissimos alites; spectaculum assimile illi, quo ad religiosam eremum pridem vocati essent : porro his se deliciis inundatos a sensibus abire, et nihil rerum humanarum animadvertere.

plurimaque edere miracula; ipsi sibi interea abjectissimi.

10 Et vero quo plus de gloria beatorum gustabant, eo minus illis sapiebat mundi gloriola. Vidisses eos, qui paullo ante beato cælitum consortio interfuerant, mox infra mediastinos se abjicere, ultimum domus ministerium ambire, foco struendo ligna cædere, comportare; exportare monasterii sordes, gratuitum denique omnibus servitium exhibere *h*. Verum quo se demiserunt profundius, hoc altiori præconio nomen eorum sanctior fama celebravit. Confluebant miseri ex vicinis dissitisque locis, et salutem apud eos quærebant. Nec fefellit ea pietas. Linguam, oculos, aures, pedes; muti, cæci, surdi, claudi illic repererunt : sani redierunt, quiqui ad eos ægri venerunt. *ex [illegible].*

ANNOTATA.

a *Hoc idem habet Pona in Vita Italica; indeque colligit natos esse Beatos* seculo duodecimo; *quod prudenter omittit interpres; quandoquidem Ezelini tyrannis tantum pertinet ad seculum* XIII : *periit enim anno* 1259, *cum per annos* 33 *regnasset, juxta chronicum Veronense Parisii de Cereta, Scriptorum Italiæ tom.* 8, *col.* 638.

b *Quæ hoc numero dicta sunt, ab Italico exemplari plurimum differunt: nam in illo describitur pactum, quo pii Adolescentuli sic diem sibi partiti sint, ut auroram psalmis Davidicis, orationi dominicæ, angelicæ salutationi, contemplationique tribuerent : tum alter alteri Sanctorum Acta prælegeret, donec vicina campana signum daretur ad Missæ sacrificium, cui mox assisterent attentione mirabili; quod reliquum erat matutini temporis, precibus ad aras sacris indulgentiis ditatas fundendis insumerent; succederet prandium* E *permodicum et cælestium deliciarum meditatione conditum; inde se ad alia porro vel scriptionis vel domestici operis exercitia conferrent, otiosi numquam, cælo semper intenti. Atque hæc omnia mirum quanto verborum circuitu diffundit auctor, seu potius orator Italicus.*

c *Addit Pona, hoc illis etiam solenne fuisse; ut a ludo litterario absoluti, continuo ad ædem sacram non modo itarent ipsi; sed alios quoque de melioribus sodales allicerent.*

d *In imagine tamen, Vitæ Italicæ præfixa, et ad antiquam, de qua inferius agitur num.* 16, *picturam, ni fallor, exacta, S. Anna dextram obtinet : quod in sua mutavit Curtius, et recte juxta ipsam quidem Vitam Italicam pag.* 15.

e *Imo cum amore tenerrimo tenellum aspicere, et blandis vicissim oculis ab eo aspici; ut habet exemplar Italicum.*

f *Nempe S. Anna; ut etiam diserte affirmat Pona : errantque adeo Nævius in Eremo August. pag.* 297, *et qui hunc secutus est, Simplicianus San Martinus in Historia virorum illustrium sui Ordinis pag.* 734; *cum hæc Virgini Deiparæ tribuunt, quæ Virginis matri sunt adscribenda.* F

g *Seu potius* ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, *ut habet Suidas in Lexico; quod idem Latine brevius exprimunt :* Dictum, factum.

h. *Inter hæc et quæ sequuntur, duo sunt apud Ponam interjecta; et, nescio quam ob causam, a Curtio ceterisque prælerita : primum ad ordinem presbyterii spectat, quem suscepisse ambos asserit; alterum ad iconem quamdam Deiparæ, pertinet, ad cœnobii olim parietem depictam, celebremque prodigiis, ubi assiduam Beati nostri ad orandum stationem elegerint.*

CAPUT II.

Felicissimus utriusque obitus; commune sepulcrum, translatio, honores, miracula.

B. Euangelista instantis sibi mortis conscius, rem aperit Peregrino;

Dum virtutum hanc viam parili gradu sanctum illud Par amicorum ambulat, percupidi aliquando simul eamdem absolvere, ecce, angelus *a* de improviso obnuntiat : et Euangelistam jubet sarcinas colligere, et, rupta dulcis amicitiæ

EX IMPRESSIS.

amicitiæ copula, ad cælestem patriam properare. Quo animo censes, hoc nuntium Euangelistam accepisse? Revera dubio, et inter gaudium doloremque medio. Gaudebat impense carnis vincula exuere; sed amoris non posse irrupta servare, non leviter dolebat. Adit ergo ad Peregrinum suum, et, Heu, inquit, amice, nomen meum perdidi : non sum Euangelista amplius : neque enim bonum tibi nuntium affero. Amoris nostri Gordium nodum solvet imminens dies, mihi fatalis. Ita cælo decretum est. Quid ad hæc Peregrinus? Frustra responsum ab eo exspectas nam linguam ista ei vox ligavit. Immo ipse animus jam fugerat, nisi blando alloquio revocasset Euangelista, et fortiter agere jussisset Peregrinum, paulo post secuturum.

quem et prædictio et ejus eventus mire affecit,

12 Die ergo, quem cælum præsignarat, sanus vegetusque Euangelista inter psallentes in choro fratres demittit se in genua, placideque transit ad chorum Dei laudes perpetuo canentium angelorum. Cum animæ suæ dimidium in B cælo haberet Peregrinus, quid faceret in terra alterum ejus dimidium? Certe multo illi potius mori, quam morari in vita. Vidisses passerem sedere in tecto solitarium, gementem anhelantemque ad suave Euangelistæ sui et omnium Beatorum contubernium. Audisses eum suspirare suspiriis vocalibus, et rogare Amicum suum amicum apud cæli Imperatorem patrocinium, impetraret liberalem sibi missionem, quo liceret jam defatigato stationem deserere, et cum rude donari privilegio æternæ vacationis.

donec reversus eum Amicus ad Superos invitavit.

13 His votis dum cæli fores assiduo pulsat, fatigatus tandem Deus, statuit Peregrino quoque peregrinationis terminum dare. Jussus ergo Euangelista, quiescenti se illi objicit, multa luce circumfusus : qui subito ad notam Amici faciem exhilaratus, dum hianti ore verba expedire conatur, audit gratum ejus nuntium : Eia amice, verus tibi Euangelista nunc, ecce, adsum; quod diu ambivisti, quammox adipisceris. Peregrinus esse desines hodie, et patriæ desiderato portu potieris, mecum deinceps futurus. Simul dixit, evanuit. Peregrino tantis gaudiis delibuto momenta singula C totidem dies videbantur, usque dum paucis post horis Pyladen suum Orestes sidus secutus est, dignus Sanctorum omnium amicitia.

Sepulti simul ambo, simulque translati sunt 16 Septemb.

14 Unus amborum tumulus fuit, quemadmodum animus fuerat : sed et communia utriusque miracula, quæ non vulgaria miseri illic supplices acceperunt *b*. Denique cum Mars impius collisa armis suis Italia late dominaretur, sacra profanis omnia miscerentur; in contemptum religio, supellex ecclesiæ in prædam passim veniret; monasteria cum templis polluerentur; monachi quoque, priusquam turpi omnibus ludibrio fierent, sibi consulerent, atque in urbes ex agris silvisque migrare cœpissent : Augustiniani eremitæ et ipsi intra Veronæ muros recepti, angustias cujusdam parthenonis, cui S. Euphemia nomen dabat, occuparunt, sanctimonialibus huc illuc per alia in urbe cœnobia dispersis. Transmigrationis dies ipsi D. Euphemiæ sacer fuit mensis Septembris sextusdecimus *c* : quo Veronensis præsul *d* solenni cum pompa fratres Eremitas in urbem et locum prænominatum induxit. Simul allata est beatissimæ Virginis, cui pietatis agnomen dare solent, illa imago, quæ ædem ingredientibus ad lævam prima in ara locum habet; sanctorum Benigni et Cari Augustinianorum pium opus *e*. Adducta quoque Euangelistæ et Peregrini, aliorumque D sacra lipsana *f*.

et Veronæ in nova S. Euphemiæ ecclesia

15 Haud multo post *g* ædificando templo manum diligentem religiosi, liberalem cives admoverunt. Sed perducendæ ad coronidem fabricæ obstaculum non modicum erat platea ampla et regia, quæ intercedebat, amœnæ nobilium et vulgi in æstate a S. Firmo ad flumen Athesin prodeambulantium deliciæ; quod in unum simul oculum illic urbs, fluvius, prata incurrerent. Istam autem voluptatem eversum ire id temporis, quo licere sibi quidvis quivis putabat, factu durum opus erat. Fidem fecit experientia. Quantum enim interdiu moliebantur operæ, tantum noctu flagitiosorum quorumdam protervia demoliebatur. Severum in maleficos edictum promulgari debuit, quo omnes capitis periculo juberentur abstinere manus a quavis in ædem injuria. Neque sic tamen cautum fuit fabricæ; donec lege agere lictor jussus, aliquammultos in crucem sustulit. Ita vix repressa improborum audacia, operi suo ultimam, sero licet, manum fabri E imposuerunt.

in ara propria collocati inspecti anno 1609; et novæ arcæ inclusi

16 Porro liberalitatis egregiam laudem hic Lombarda familia promeruit, cujus ære structa est ara, quæ Beatorum horum, e genibus Jesu, Mariæ, et Annæ supplicantium, annosam iconem habet, servatque eorum et aliorum lipsana inclusa in arcam, memoria vetusta *h* signatam, cujus meminere plures historiæ *i*. Multis post annis, nempe millesimo sexcentesimo et nono, eadem revisit antistes Albertus Valerius, reclusitque in novam arcam, et inventionis, translationis, atque repositionis tempora distinctim adscripsit *k*.

quæ iterum posterius reserata, mirificos exhalavit odores;

17 Ita restauratum Beatorum corporum conditorium, sed incelebre et sine publico cultu *l* fuit, usque dum aura quædam divina eximii patris magistri Zilii Mauroceni *m*, viri non solum a principe familia, in qua apud Venetos natus est, sed a doctrina etiam et vitæ integritate clarissimi, pia viscera tetigit, ut sacrum hunc thesaurum suis ipse oculis examinaret. Itaque ejus jussu loculi iterum reserati palam, patribus omnibus inspectantibus, dicuntur supra omnes Arabiæ odores suavem quamdam fragrantiam exhalasse : F ut plerisque suspicio incideret, aut pigmenta olim adhibita fuisse, aut tum Sabæi thuris fumum excitatum, qui a vitio omni aërem purum servaret. Quæstio instituta est; sed nullum externi odoris vestigium inventum. Virtutis odor is erat, sanctitatis luculentum testimonium.

statimque miracula consecuta alia.

18 Verum quod moriente jam die cœpta esset hæc visitatio, adeoque magna cæli lampas desiceret, neque satis paterent oculis, quæ sub examen veniebant, sacrarii præfectus moneri debuit, ut lychno accenso lucem restitueret. At ille in quæstione, aut certe in mora erat. Unus aliquis ex religioso cœtu Pater venerandus manum in lipsanothecam protendit, educitque candelam, quam mirari oculi præsentes; sed cereane an sebacea esset, numquam agnoscere potuerunt : levitas pulveream esse potius dicebat. Cujusmodicumque ea fuerit, accensa, tantum lumen dedit, quantum non fax aut tæda solet. Erat quidem cœnobiarchæ animus pro dignitate Beatorum solennem hunc actum reddere; sed omnes omnium vires dira et diuturna lues *n* exhauserat; quæ non monasterii tantum, sed rem quoque publicam graviter afflixit, familiis integris devoratis,

A tis, nulla non tacta *o*. Vicem ergo sumptuum, qui pro præsenti temporis calamitate fieri non poterant, religiosa Patrum pietas supplevit, quæ omni ære campano vehementius totam statim urbem excivit: ut turmatim populus venerabundus ad sacras reliquias conflueret; præsertim quando fluere indidem virtutem divinam quotidiano experimento didicit. Testes sunt votivæ tabulæ, quibus ara paulo post et ornata et onerata est. Eas accepit Veronensis antistes, ut cum censura deinde ab ejus in omnium manus transeant *p*.

ANNOTATA.

a *Italica Vita nullam facit hic mentionem de angelo; sed asserit* Euangelistam *spiritu prophetico cognovisse, ac prædixisse constanter* Peregrino *determinatum obitus sui diem; idque aliquot antea septimanis, cum optima valetudine frueretur. Quæ autem hic sequuntur usque ad numeri finem, episodia sunt interpretis Curtii, quorum nihil est in exemplari Italico, nisi quod* Euange-B lista Peregrinum *suum hortatus sit, ad separationem forti animo ferendam.*

b *Addit auctor Italus:* Unde post scrupulosissima diligentissimaque examina relati sunt in Beatorum catalogum, ac Sanctis magni patris Augustini discipulis adscripti. *Beatis adscriptos esse certum est; an vero id factum sit ante translationem, quam anno* 1262 *adstruit non probat assertor; uti neque, per quem aut quando instituta sint, quæ memorat, examina.*

c *Anno scilicet Christi* 1262, *juxta Panvinium Antiq. Veron lib.* 7, *pag.* 200, *ubi sic habet:* Hoc anno, die Dominico, XVI Septembris Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini sub P. Norandino Priore venerunt de loco S. Augustini extra portem Episcopi, ad habitandum monasterium S. Euphemiæ Veronæ. *Annum eumdem servat Pamphilus in Chronico fol.* 30 *verso; annum, mensem, diem eumdem, et quidem Dominicum, habet inscriptio ad parietem ejusdem ecclesiæ posita quam exhibet Ughellus tom.* 5, *col.* 814. *(Prior tamen Augustinianorum Veronensium hic appellatur non P. Norandinus, sed* F. Funius de Buris.*) Et confirmatur ibidem idem annus Christi per annum Urbani PP. IV secundum. Necesse est tamen, hic aliquid vitii latere: nam anno* C *illo dies* XVI *Septembris Dominica non fuit, sed Sabbatum. Vide-sis etiam de hac transmigratione Hieronymum dalla Corte Hist. Veron. lib.* 9, *pag.* 500.

d *Is fuit Manfredus secundus, juxta Ughellum loco mox assignato.*

e *Vide, quæ ad eumdem hunc diem paulo ante dicta sunt de* SS. Benigno et Charo.

f *Utinam hæc aliquo saltem utcumque idoneo instrumento probarentur: neminem enim reperimus, ne Augustinianum quidem aut Veronensem, qui eadem ante Franciscum Ponam affirmaverit.*

g *Anno scilicet Christi* 1275; *ad quem Panvinius Antiq. Veron, lib.* 7 *pag.* 201 *ex antiquo codice basilicæ S. Euphemiæ Veronæ hæc recitat:* Anno Domini MCCLXXV, die Dominico, VII Augusti, fuit positus primus lapis ecclesiæ novæ per magistrum Bonincontrum, ecclesiæ majoris archipresbyterum, de licentia et mandato domini Guilielmi Ferrariensis episcopi, tunc Apostolicæ Sedis legati; et erat illo tempore Frater Timideus electus episcopus Veronensis et nondum confirmatus. *Eadem habet Ughellus tom.* 5, *col.* 816 *Pamphilus fol.* 31 *verso consonat in anno, mense, ac die; sed non dicit illum fuisse Dominicum;* E *et sane septua dies Augusti anno illo non in Dominicam, sed in feriam quartam incidebat.*

h *Ea. opinor, memoria, quam ex Bagata dedimus in Commentario prævio.*

i *Italica Vita sic habet:* Neque defuerunt historici. qui de magnis his Dei Famulis testimonia valde digna descripserint. *Nos quidquid eorum potuimus assequi, in Commentario præfixo exhibuimus.*

k *Utinam hoc saltem scriptum hic protulissent auctores nostri! Sedit porro Veronæ* Albertus Valerius, *teste Ughello tom.* 5. *col* 1063, *ab anno Christi* 1606, *usque ad* 1630.

l *Hoc est, sine externorum tanto affluxu, quantus deinde ad eorum sacras reliquias spectari cœpit: nam cultum eorum publicum, antiquiorem fuisse ostendimus in Commentario supra.*

m *Hic ille est sacræ Theologiæ doctor, cui hanc Vitam cum adjunctis aliis, anno* 1637 *Curtius obtulit; tum quidem* ex præside Provinciali, et Generalis vicario, Priori S. Euphemiæ Veronensi.

n *Quæ anno* 1630 *Veronæ, totaque Italia grassabatur, ut Ughellus testatur tom.* 5, *col.* 1064.

o *Solennitas, quam temporis injuria tunc prohibebat, instituta est anno* 1635, *ut ex Commentario colliges num.* 11. F

p *De his miraculis scripsi etiam Veronam: sed in responsione caput hoc omnino præteritum est; credo, quia nihil eorum sit editum, sive quod id rigidior episcopi censura non siverit, sive quod eorum, qui opus hoc susceperant, fervor elanguerit. Vide tamen dicta in Commentario prævio, num.* I.

VIGESIMA SEPTIMA DIES

SANCTI QUI VI KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR

S. Maurus episcopus
S. Pantaleemon
S. Sergius
— **Martyres Vigiliis in Apulia.**

S. Maximianus
S. Malchus
S. Martinianus
S. Dionysius
S. Joannes
S. Serapion
S. Constantinus
— **Vulgo sancti septem Dormientes Martyres Ephesi in Asia.**

S. Pantaleon martyr, Nicomediæ.

S. Cæcus S. Pantaleonis
S. Hermolaus presb.
S. Hermippus
S. Hermocrates
— **Martyres.**

S. Juliana
S. Sempronia.
— **Virgg. Mart. in territorio Barcinonen.**

S. Phronimus episcopus Metensis.

A **S. Felix Nolanus Martyr**
S. Julia, S. Jucunda, S. Januaria — **Martyres Nicomedienses.**
S. Desideratus ep. Bizuntinus, Ledone Salnerio in Sequanis.
S. Galactorius ep. Lascurrensis, in Benearnia Galliæ.
S. Laurentius archiepiscopus confessor, Mediolani in Inbria.
S. Ecclesius episc. conf., Ravennæ in Italia.
S. Ætherius ep. conf., Autissiodori in Gallia. D
S. Anthusa virgo CPoli.
S. Georgius diac., S. Aurelius, S. Felix, S. Natalia, alias Sabigotho, S. Liliosa — **Martyres Cordubæ in Hispania.**
B. Bertholdus abbas Garstensis, in Austria superiore.
S. Hugo puer martyr, a Judæis excarnificatus, Lincolniæ in Anglia
S. Nevolonus conf., Faventiæ in Æmilia Italiæ.

B

E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

B. Caroli Magni translatio *in nonnullis codicibus Usuardinis hoc die facta memoratur, uti et a . Saussayo. Tu vide quæ de ea dicta sunt in Vita Sancti pag.* 898 xxviii Januarii.

S. Petrus Igneus *in parvo Catalogo Ms. Sanctorum Vallumbrasanorum, ut* ex comitibus Aldobrandeschis, nepos ex fratre Gregorii VII et Cardinalis anno 1089, *hoc die refertur, cum vere spectet ad* viii *Januarii vel Februarii, quo postremo die inter Prætermissos collocatus est, defectu probati sufficienter cultus : cujus cum modo argumenta suppetant, de ipso agetur suo tempore dum mensis iste augebitur* viii Februarii.

C SS. Justus et Rufinus, *sub Maximiano in Hispania passi, a Galesinio ad hunc diem, nescio qua causa, transferuntur, ubi de iis et S. Macario Hispali passis, in hoc opere actum est eorum natali die* xii Februarii

S. Josephum ab Arimathia *alicubi hoc die notatum invenit Bollandus. Signatus est in Martyrologio Romano, eo die quo de ipso egimus* xvii Martii.

S. Joachimum *in Kalendariis hoc die signatum etiam reperit. De eo jam actum* xx Martii.

S. Simeon monachus, *qui Treveris colitur, male huc retractus est a Ferrario, forte ob Simeonum confusionem ; vide quæ de eo dicta sunt* i Junii.

S. Lutgardis virgo *male refertur in Matricula Cartus. Ultraj.; spectat ad* xvi Junii.

S. Arialdus Alciatus Mediolanensis, monachus et martyr primus Vallumbrosanus 1066 ; xxvii Julii : *verba sunt Catalogi Ms. de Sanctis Vallumbrosanis, cui cur insertus sit* S. Arialdus *non satis perspicio : agi de S. Levita diacono et martyre celeberrimo, de quo dictum est* xxvii *Junii, ex signato anno certissimum est, ut proinde in die erratum sit, non minus quam in statu. Discipulum habuit Vitæ scriptorem Andream Vallumbrosanum, ast ipsum ibi monachum non fuisse, satis intelliges ex dictis eo die* xxvii Junii.

S. Gualterius, *seu* Walterius *confessor Laude Pompeia, hic a Ferrario iterum signatur, quod ob festa intercurrentia ad hunc diem differatur ejus festivitas, cum tamen vere natalis dies is sit quo de ipso egimus* xxiv Julii.

S. Cunegundem *seu* Kingam *hoc die coli in Ordine Seraphico ob festa alia impedientia suo loco explicuimus, ceterum die ejus natali a nobis illustrata sunt Acta* xxiv Julii.

S. Christophorus *huc forte in Kalendariis propriis relatus est, quod nec* xxv *nec* xxvi *coli posset, ob intercurrentia solenniora festa. Nos de eo egimus* xxv Julii.

S. Valens *episcopus Veronensis hoc die perperam signatur a Ferrario, spectat ad* xxvi Julii.

S. Anna *Deiparæ mater, non hoc die colitur, ut est in Kalendario aliquo, sed* xxvi Julii. F

S. Simeon Stylita *proponitur in utroque Kalendario Coptitarum, prolato in* 3 *parte Seldeni de Synedriis Hebræorum, uti etiam in Syriaco et aliis. Quin et apud Classicos Martyrologos Latinos Romanum parvum, Adonem, Usuardum et Notkerum ; adde et codices Hieronymianos. Hoc ipso die refertur* Simeon *aliquis* monachus, *qui facile idem cum altero censeri possit, ut vide in iis quæ* Stylitæ *istius* Simeonis tertii *occasione investigavimus, ubi ex Menæis Græcis eum consignavimus die præcedenti* xxvi Julii.

S. Rufum *alicubi in Kalendario notatum, inter tot synonymos non est facile distinguere.*

Hilarionem *aliquem ex Martyrologio Senenonsi mihi suggessit Vir. Cl. et de opere nostro sæpius bene meritus, R D. Le Bœuf. canonicus succentor ecclesiæ Antissiodorensis, quem et in Kalendariis omnibus ejusdem ecclesiæ ante ultimam Breviarii reformationem expressum fuisse testatur,* Linguonis, S. Hilarionis episcopi, *vel* Hilarionis episcopi memoria, *quæ hodie plane expuncta est, cum nec in serie episcoporum Lingonensium, nec in ullis totius diœceseos monumentis vel vestigium talis Sancti usquam occurreret. Stant pro cultu citata Martyrologia et Kalendaria*

A *Kalendaria localia, quorum antiqua possessio non tam facile evertenda erat, cum aliunde in eam provinciam aut advenire ipse olim, aut eo advehi mortuus potuerit. Potuit fortasse et nomen transformari, potuere aliæ causæ subesse, quas dum inquirimus, satis hic erit tantisper ejus meminisse, quod hoc ipso die in jam dictis tabulis notatus fuerit.*

Sancti CLIII Martyres ex Thracia, in mari consummati, *notantur in Supplemento nostro ad Menæa excusa, ex apographis Sirmondo-Chiffletianis, inter illos Sanctos, qui ibidem memorantur ad diem* XXVII *Julii; addito eisdem duplici versiculo, quibus alluditur ad capturam piscium* 153 *in mari Tiberiadis, de qua Joannis* 21, ℣. 11. *Sed quandoquidem Martyres isti ita confuse hic proferuntur, ut plura circa illos dicere, non sit promptum; satis fuerit, eorum hic meminisse.*

S. Manuel in pace consummatus *signatur in eodem Supplemento, et in exceptis, quæ habemus ex Menæo Mazariniano, cum duobus versiculis, facta allusione in secundo, ad nomen, uti apparet, Manuelis imperatoris: nam dicitur Sanctus,*
B passus priusquam mortuus, fuisse αὐτοκράτωρ, *id est*, imperator, augustus, *vel* sui dominus.

Sophia regina *ex Fastis Æthiopicis Ludolfi a Castellano signata est. Aliis monumentis opus, ut id genus Sancti admittantur.*

Pumitia *hoc die in Scotia collocatur a Castellano, haud dubie accepta ex Menologio Scotico Camerarii, qui* Pumiciam *ipsam vocat, aitque Dempsterum de ea agere, aliosque plerosque e suis. Qua fide hæc nitantur, haud equidem intelligo: Dempsterus certe nec verbo* Pumitiæ *meminit in toto suo Menologio.*

Simeonem *nobis profert Florarium nostrum Ms. his verbis:* Apud Methim civitatem, sanctorum episcoporum et confessorum Symeonis et Fromii. *Hunc sub nomine* Phronimi *hoc die coli novimus, at* Simeonem *iisdem honoribus donatum, necdum invenimus.*

Censius *seu* Concius et Heremeti *non possunt esse nisi corrupta aliunde aut truncata nomina in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum.*

C S. Aurelius *apud Vicum in Catalaunia, ut martyr Romæ passus, atque eo ex cryptis delatus, in hoc opere locum non habet, quidquid a Tamayo referatur: ut jam alibi etiam diximus.*

Echberechti monachi Ratisvelgiensis monasterii *signant ambo Kalendaria Benedictina Mss. Antverpiensia, tacentibus aliis ordinis istius sacris tabulis; ut aliis notitiis monumentisque opus sit, priusquam inter Sanctos* Echberechto *isti locus concedi possit.*

Guilielmum Leon *e Societate Jesu Venerabilis titulo, atque insigni prætera elogio ornat Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, ut qui* strenuus imprimis *fuerit* Missionis Hollandicæ operarius, *quique* in excolenda illa vinea, laboris ac periculi plena, annos duos et viginti consumpserit. *Addit porro, constare inter Catholicos Ultrajectinos, maximos undequaque factos hominum concursus, quorum precibus annuit Deus, et miraculosis curationibus indies Guilielmi memoriam simul et famam longe lateque dispersam. Obiit hoc die anno* 1612.

Arnaldum episcopum Lugdunensem et martyrem *nescio ex quibus tabulis episcoporum Lugdunensium nobis ac die eruerit Ferrarius, expresse notans* martyrem effectum an. MCXXVIII. *Nec nomen, nec res, nec tempora conveniunt: mortuus est eo ipso anno* Humbaldus, *successitque* Raynaldus de Semur. *Quis iste* Arnaldus *sit, aut quis ei locus inter episcopos Lugdunenses tribui possit, doceri cupio.* D

Guigonis *memoriam hoc die agit Grevenus titulo convenienti:* Eodem die, sanctæ memoriæ Guigonis confessoris, vita et eruditione præclari; *subjiciens, quod* hic post sanctum Brunonem quinto loco majoris Cartusiæ prioratum tenuerit; Cartusiensis præpositi constitutiones scripto digesserit, et exemplo monstraverit. *Uberiora paulo sunt Saussayi de Guigone præconia in Supplemento pag.* 1152; *at nulla uspiam occurrunt ecclesiastici cultus ei exhibiti vestigia quidquid eum Ferrarius* Beati *nomine insigniverit.*

Hugo I episcopus Vesontinus *Beatus appellatur, teste Chiffletio, tametsi ejus anniversarium quotannis agatur, nec ulla ei exhibeantur venerationis signa. In indice Prætermissorum ad* XI *Aprilis notatur* Hugo de Vienna *eo die mortuus* 1355, *ut qui in Fastis Belgicis et Burgundicis cum titulo* Beati *referatur a Miræo,* E
ubi a Saussayo inter Pios *dumtaxat collocatus sit. Humani aliquid passos hic Majores nostros agnoscimus, Hugones confundendo, qui tribus ferme seculis a se invicem distant,* Hugo, *de quo Miræus et Saussayus locuti sunt, certissime est istius nominis primus, de quo et nos loquimur et de cujus cultu dubitatur, mortuus hoc die anno* 1070. *Erat nempe cognomento* Salinarius ecclesiæ S. Anatholii Salinensis restaurator *etc. ut vide paulo pluribus apud laudatum Miræum, sed longe distinctius in Gallia Christiana Sammarthanorum. Quæ omnia, ut clara et liquida sint, necdum a me ex iis scriptoribus educi potuit, quod* Hugo *iste* Salinarius *apud Vesontinos aut alibi Sanctorum aut Beatorum honoribus cumulatus sit.*

Christianum monachum in Eleemosyna *heri memoravimus ex Kalendario Cistersiensi et Chalemoto, qui hoc die refertur ab Henriquez et Bucelino, apud quem elogium videri potest.*

Matthæus *Ordinis item Cisterciensis in Anglia monachus, cum elogio hoc die celebratur, adduciturque Philippus Seguinus, qui ipsum rotunde* Sanctum *appellat apud Henriquez: at tabulas nullas citatas video, aut argumenta alia, ex quibus constet de cultu ei exhibito.* F

Ægidius, *natione Burgundus, Villarii in Brabantia conversus, dicitur a Chalemoto, post mortem* inter sanctos Villarienses adscriptus et memoratur in Menologio: *vellem, ea sufficerent, ut locus ipsi in hoc opere concederetur.*

Marianum, *gente Hibernum, ut* monachum inclusum ad monasterium superius Ratisponæ, *mire laudat Bucelinus, diversum plane a Chronographo istius nominis Raderum citat Bucelinus, apud quem* Marianus *iste refertur cum titulo* Beati: *at tam obscura sunt quæ tradit Raderus Bavariæ sanctæ tom.* 2, *a pag.* 117, *ut majori luce opus habeant, quam in Annalibus Benedictinis frustra quæsivi hactenus, tametsi producantur ad annum usque* MCXVI, Marianus *vero obiisse dicatur* MLXX.

Ferdinandus *Ulyssiponensis, Ordinis Prædicatorum, inter Beatos hoc die recensetur a Marchesio in Diario, tametsi ab aliis referatur ad Kalendas Apriles. Videri istic potest ejus elogium; at neque hoc, neque alio die scitur donatus umquam ecclesiastica veneratione.*

Thomas

A Thomas Cortus, *Londini in Anglia martyr*
Alexius Hungarus, *Bithi in Silesia conf.*
Antonius de Ripa, *in Apulia*
Paulus a Rondatio, *Trioclæ in Sicilia*
Petrus a Guardia, *apud Maderam insulam*
Michaël confessor, *in territorio Coriano*
Jacoba Aquilana *virgo, Aquilæ in Vestinis.*

Cum titulo Beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo.*

Eosdem prope omnes hoc eodem die laudat Fortunatus Hueberus in suo Menologio, additque de suo Alexandrum de Verulis ; *omni sanctitatis titulo abstinens, quem tamen alteri tribuit, nomine* Nicolao, *qui* Cæsaraugustæ in Arragonia circa annum MCCLXX *tam sanctam tamque laudabilem et apostolicam vitam concluserit, ut merito inter discipulos S P. Francisci connumeretur. Idem ipse est, ni fallor, de quo loquitur* B *Arturus, tamquam de laico ad* XXVIII *Januarii, cui nescio an satis competant* labores apostolici. *Ultimo loco ponitur* Agnes Castanea *in Hispania.*

S. Beatrix virgo *signata in Matric. Cartus. Ultrajectinæ remittenda est ad* XXIX Julii.

S Marthæ Christi hospitæ *commmemoratio signata ad marginem hodierni textus Florarii Sanctorum et etiam alibi, melius differetur ad diem natalem.* XXIX Julii

Beatrix *in cœnobio Nazareth prope Liram in Brabantia Priorissa, cum titulo* Beatæ *hoc die refertur Menardo, præmature ; nam si Vitæ Ms. credimus, obiit* XXIX *hujus mensis, quamvis a majoribus nostris inter Prætermissos* XXVIII *Februarii, remissa sit ad* XXVIII *Julii. Nos quid de ea sentiendum, dicemus* XXIX Julii D

S. Justi confessoris *facta Lemovicis* translatio *sub Philippo Augusto Francorum, rege refertur a Saussayo hoc die. Acta Sancti illustranda sunt, ac proinde et hæc translatio* XXVII Octobris.

SS. Bonus, Faustus et Maurus *cum sociis vel septem vel novem annuntiantur in variis codicibus Usuardinis hoc die, ut qui noti sint in Actis S. Stephani Papæ ; qua causa eos Usuardus, et ex eo Romanum melius retulerunt* I Augusti.

Transfiguratio Christi in monte Thabor *in aliis codicibus refertur, remittenda ad* VI Augusti.

Malrubi eremitæ et martyris *meminit hoc die Dempsterus, quem eumdem iterum repetit* XXVII *Augusti, quo die etiam notatur a Camerario, ut proinde ea quæ ad ipsum spectant, ad eum diem examinanda remittamus* XXVII Augusti. E

S. Hilarus Papa *hoc die obiisse dicitur in Epitome Pontificum Onuphrii, quod etsi verum esset, de quo tamen post videbitur, de eo agendum cum Martyrologio Romano* X Septembris.

SS. Martyres anonymi sub tyranno Dunaan *relati hoc die in Martyrologio Romano, non videntur ab iis sejungendi de quibus, duce* Areta, *agendum erit cum eodem Martyrologio* XXIX Octob.

S. Clementis Papæ et martyris capitis advectio Cluniacum *primo loco memoratur in Saussayi Martyrologio hoc die : nos hæc et alia quæcumque ad S. Clementem spectantia remittimus ad* XXIII Novembris.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

MAURO EPISC., PANTALEEMONE, ET SERGIO

C VIGILIIS IN APULIA F

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus apud Vigilienses, ejusque antiquitas.

Sub Trajano. Cultus eorum primum annuntiatus in romano, reformato Martyrologio

Vigiliæ, vulgo Biseglia, littoralis est civitas Peucetiorum in provincia terræ Barii, inter Morphitum Traniumque sita, quinto a Tranensi metropoli milliario, altis rupibus imposita . . . habitata familis MCCLXXII. Animæ recensentur undecim millia. Civitas satis ampla est . . . . Episcopatus Vigiliensis antiquissimus est, et Tranensis archiepiscopi suffraganeus. Cathedralis basilica, SS. Petro et Paulo dicata, posita est in civitate, structura vetusta et modica ; instaurata tamen atque ornata, et sacra supellectile sufficienter instructa. Hic asservantur sacra ossa SS. MAURI episcopi et SOCIORUM MARTYRUM. *Hæc et plura Ughellus in Italia sacra, aucta nuper et recusa, tom.* 7, *col.* 935 *et seqq. Illustrissimus tamen Sarnellus S. Petro apostolo unice dedicatam fuisse ecclesiam cathedralem asserit in Arca Testamenti lib.* 1, *cap.* 5, *et alibi. Quod ad Martyres memoratos attinet, sic annuntiat eos hoc die* XXVII *Julii Martyrologium, quo nunc utitur Ecclesia, Romanum :* Vigiliis in Apulia sanctorum martyrum Mauri episcopi, Pantaleemonis, et Sergii, qui passi sunt sub Trajano. *Romanum sequuntur recentiora Ferrarii et Castellani, adhibito etiam nomine* Pantaleemonis ; *quod et nos in titulo secuti sumus ; quamquam non ignoremus, in omnibus instrumentis authenticis Officiisque Vigiliensibus constanter exprimi* Pantaleonem, *non* Pantaleemonem (*seu potius* Pantaleemonem,) *quod nomen S. Pantaleoni Nicomediensi per vocem, paulo ante necem ejus, de cælo lapsam proprie inditum fuisse, narratur in Actis ejus.*

cum in antiquioribus videatur ignotus,

2 *Antiquiora cultus eorum indicia apud Martyrologos frustra quæsivimus : nullam enim apud eos ante reformationem Martyrologii Romani mentionem usquam reperimus ; ne in Pulsanensium quidem monachorum, quibus notiora fuisse Martyrum nostrorum Acta videbimus, Usurdo quem-*

in

A *in membrana satis antiqua manuscriptum ac Sanctis indigenis auctum habemus. Multo minus de iis agi putamus in Ms. Martyrologio Casinensi, quidquid aliter visum est Majoribus nostris in Prætermissis ad diem 2 Maii, quo sic habet illud Ms. :* Natalis SS. Martyrum Mauri et Sociorum ejus : *nam si de nostris hæc essent intelligenda, adderetur* S. Mauro *titulus* episcopi, *ut aliis istic episcopis addi solet. Deinde falsum est, aut natalem, aut inventionem, aut ullam aliam festivitatem Martyrum nostrorum incidisse in 2 Maii, ut infra elucescet. Præterea vel scriptum id est post primam inventionem Martyrum nostrorum, vel ante illam : si primum, quomodo ignorari potuit a Martyrologo illo verus eorum Natalis; quomodo omissa fuissent ab eo etiam festa illorum alia? Si secundum ; cur scripsisset,* Mauri et Sociorum, *et non potius,* Sergii et Sociorum, *sicut appellata tum fuisse dicitur eorum ecclesia, apud Amandum infra cap.* 1, *num.* 20*? Vel ignotus ergo hic Maurus annuntiatur, vel forte Rhemensis, de quo cum Sociis agitur in Martyrologio Rom. die* XXII B *Augusti.*

perantiquus tamen est;

3 *Neque tamen dubium ullum esse potest, quin seculis multis eorum publica veneratio martyrologii Romani recensionem antecesserit : nam ab anno Christi* 1167, *quo inventi, quo ab episcopo Vigiliensi tertium translati, atque in ipsa cathedrali ecclesia in oratorio, ipsis tum erecto, sub suis quisque altaribus solenni pompa conditi sunt, institutos illis honores constanter accrevisse, patebit ex historia, quæ infra proferetur. Quod si verum illud est , quod cœnobitæ etiam jurati Amando infra in Prologo num.* 5 *asseverarunt, lecta scilicet dudum ante inventionem eorum Acta fuisse ; itemque illud, quod apud eumdem cap.* 1, *num.* 20, *de* æde sacra B. Sergii ejusque Sociorum, *a Saracenis olim diruta , affirmatur : hæc, inquam, si vera sunt, jam difficillimum erit venerationis eorum,quantumvis interruptæ, principium invenire ; nisi ab ipso circiter gloriosi ipsorum martyrii tempore repetatur.*

et quidem valde solennis :

4 *Refloruit eadem ac novum induit splendorem anno* 1475, *cum refossa illorum corpora perpetuo manantis salutiferi liquoris prodigio, ut secundæ inventionis historia probabit, omnium ad se animos fiduciamque provocarunt. Testatur* C *id etiam Leander Alberti in Apulia Peucetia, ubi de Vigiliis (quas adiisse se scribit* 1525) *et Sanctorum nostrorum ossibus, nuper ab Andrino duce retectis, agens,* Quantus,*inquit,*finitimarum gentium concursus fuerit, cum inventa sunt, tam ejusmodi pretiosissimum thesaurum videndi ac adorandi causa, quam ad obtinendam a Deo per illorum Divorum merita gratiam, dici vix queat. Summam vero gloriam Christus Jesus horum Martyrum nomini dedit, immensa in eos benignitate, qui invisebant repertos, et pro re quapiam orabant.

cui deinde accesserunt Officia propria

5 *Narrat illustrissimus Pompeius Sarnelli ep. Vigiliensis in præsulum ecclesiæ suæ Monumentis, editis Italice anno* 1693, *ubi de Mercurio agit pag.* 29, *instrumentum aliquod circumferri, Mercurii ejusdem nomine confictum, concessionem continens Officii de SS.Martyribus ab Amando inventis recitandi. Hujus ipse suppositionem ex eo recte arguit,quod inventa primum ab Amando sint sacra corpora anno* 1167, *hoc est, toto amplius seculo post episcopatum Mercurii, qui floruerit sub Nicolao PP. II anno* 1059. *Recte, inquam, falsi arguit instrumentum illud, quo concessa fingitur facultas recitandi Officium de inventione, quæ non modo facta nondum erat, sed ne cogitata tum quidem. Serius ergo sine dubio recitari Vigiliis Martyrum horum Officia cœperunt : neque ante Amandi tempora quidquam proprii de iis in ecclesia Vigiliensi legi consueverat, ne quidem de natali eorum sive martyrio, nedum de inventionibus reliquiarum aut translatione : hæ namque nondum acciderant ; illud vero ipsi Amando tam erat ignotum, cum historiam inventionis primæ componeret, ut infra in Prologo manifeste innuat num.* 5, *numquam se de martyrio vel Actis eorum quidquam scriptum reperisse. Quid quod Officia propria de illis nulla fuerint ante annum* 1549*?*

in eorum festivitatibus varie cantari solita;

6 *Nos certe primum vidimus* Gesta Sanctorum Vigiliensium rescripta, emendata, et in ordinem Officii redacta per fratrem Marianum Cavensem Eremitanum, sacræ Theologiæ professorem die XXIII Julii MDXLIX. *Verba sunt rubricis expressa ad calcem Officii fol.* 27 *verso. Continet autem hoc Officium inventionis primæ ac translationis historiam ab Amando compositam ; ita ut Prologus* E *extra ordinem præfigatur, tum Officium ipsum sequatur a primis Vesperis. Omnia in eo sunt propria præter antiphonas secundarum Vesperarum, quæ assignantur ex communi Martyrum. Lectiones per tria nocturna distribuuntur novem propriæ, totidemque per singulos octavæ dies, quibus tota ex ordine Amandi historia ab initio ad finem usque decurritur. Qua vero Sanctorum festivitate recitandum fuerit hoc Officium, rubricæ non indicant. Subjungitur in eodem libello mox aliud Officium* in secunda inventione SS. MM. Mauri pontificis, Pantaleonis, et Sergii, quæ celebratur die XX Octobris. *In hoc interum a primis Vesperis pleraque omnia sunt propria. Lectiones novem historiam secundæ inventionis exhibent a Daniele Francino traditam. Huic Officio Missa propria subjicitur eodem festo celebranda, imo et festo inventionis primæ ; nisi quod alia pro hoc oratio, secreta, et postcommunio adduntur. Sequitur alloquium Mariani Cavensis,Eremitæ Augustiniani, libellum hunc a se concinnatum Canonicorum Vigiliensium collegio perhumaniter offerentis. Tum denuo antiphonæ ceteraque pro-* F *pria, et a prioribus diversa, pro primis Vesperis, una cum invitatorio ad matutinum* in festivitatibus SS. MM. Mauri pontificis, Pantaleonis et Sergii. *Atque ita tandem libellus concluditur,*impressus Venetiis per Nicolaum de Bascharinis et Jacobum de Paganinis Brixien., expensis vero reverendi capituli Vigiliensis MDL.

quibus alia substituit Gregorius XIII.

7 *Atque hæc Officia,saltem propria,prima putamus esse, quæ de Sanctis hisce apud Vigilias recitata sint : donec alia ad normam Breviarii Romani exacta concessit, et centum quidem dierum indulgentiis, quoties devote legerentur, ditata commendavit Gregorius PP. XIII, die* III *Novembris,* MDLXXX. *In hisce distincte omnes Martyrum nostrorum festivitates notantur : libellus enim tria continet Officia ; quorum primum pertinet ad natalem eorum,* die XXVII Julii*; qui per octavam celebratur Lectionibus novem, quarum duæ tantum secundi nocturni propriæ sunt, tota octava repetendæ, præterquam de quarto infra illam, qui est* XXX *Julii et festum translationis eorumdem Sanctorum,pro quo aliud a primis Vesperis Officium, aliæque tres lectiones pro secundo nocturno propriæ proferuntur. Atque hoc alterum Officium idem assignatur ibidem etiam peragendum die primæ*

AUCTORE P. B.

primæ inventionis x *Maii. Tertium est* in festo secundæ inventionis SS. MM. Mauri Pont., Pantaleonis et Sergii die xx Octobris; *ubi præter antiphonas et orationem ad Laudes et Vesperas, ac tres Lectiones secundi nocturni omnia sunt de communi. Additur et Missa, quæ videtur festivitatibus quatuor convenire, nec quidquam peculiare habet. Demum accedit attestatio Cardinalis Sirleti de licentia a Gregorio XIII facta* episcopo et Clero Vigiliensi dicendi in choro et extra suprascriptum Officium SS. MM. Sergii, Pantaleonis, et Mauri, suorum patronorum, ad formam Breviarii redactum et emendatum, tam in natali eorum per totam diœcesim, quam in duabus translationibus eorumdem, ubi eorum corpora habentur, juxta antiquam ecclesiæ Vigiliensis consuetudinem.

quæ deinde recensuit ac mutavit Rituum congregatio.

8 *Sed et hæc recognita subinde sunt auctoritate congregationis sacrorum Rituum*, et in ordinem redacta, *quem nunc obtinent*, ac subscripta ab illustrissimo et reverendissimo domino, *uti ad finem notatur*, Cardinale Bellarminio... die xxi Julii
B mdcxviii. *Sic autem immutata, differunt a Gregorianis primo, quod quatuor jam dictis Sanctorum festis totidem diversa respondeant Officia; deinde quod in singulis omnia præscribantur ex communi plurimorum Martyrum, præter solam orationem et tres secundi nocturni Lectiones: denique quod infra octavam natalis eorum, diebus aliunde non impeditis, non repetantur Lectiones ex festo propriæ, sed aliæ communes earum loco substituantur. Porro de Lectionibus propriis horum omnium Officiorum mox plura dicentur, ubi de Actis martyrii inventionumque disseremus; ubi et nonnulla recurrent, quæ ad cultum Sanctorum nostrorum ac pietatem Vigiliensium facere videbuntur.*

Hebdomadaria Vigiliensium pietas erga SS. Martyres.

9 *Hic tamen observatum velim, quod in Historia trium Martyrum notat Sarnellus pag.* 91, *quantumvis quatuor præcipue festa eorum Vigiliis celebrentur in anno, interque ea solus natalis eorum cum octava, die* xxvii *Julii, omnium tamen solennissimum istic agi diem translationis* xxx *ejusdem mensis; deinde tantum esse clientum suorum ergo Patronos hosce studium, ut ei explendo festa quotannis diversa quatuor nequaquam sufficiant, sed assignandus insuper fuerit per hebdomadas anni singulas dies unus (is est feria quarta, teste illustrissimo Sarnello ibidem*
C *pag.* 95) *qui singulari eorumdem venerationi perpetuo destinatus esset. Ne vero, quod ante contigerat, oblivionis quidquam aut negligentiæ in re tanta vel seris nepotibus posset obrepere, nova in canonicorum collegio dignitas est instituta, quam qui administrat, Prior appellatur: ejus autem id muneris est, ut SS. Martyrum oratorium cultumque conservet ac promoveat. Vide Sarnellum in Episcopis Vigil. pag.* 105.

§ II. Acta martyrii quatenus supersint; lectiones de iis propriæ, bis Romæ approbatæ, earumque discussio.

Acta martyris interierunt seculo 12.

A*cta Martyrum plurima sub Diocletiano imperatore flammis addicta periisse, merito cum piis omnibus deplorat piissimus juxta atque eruditissimus præsul Pompeius Sarnellus in Arca testamenti Vigiliis (ita historiam inscribit SS. MM. Mauri ep., Pantaleonis et Sergii) lib.* 1, *cap.* 1: D
sed quod addit, eorumdem tunc etiam Martyrum, de quibus agit, Acta conflagrasse, id quo argumento affirmari possit, non satis perspicimus; quandoquidem infra in Prologo historiæ suæ, seculo xii *scriptæ, testatur hæc Amandus num.* 5: Quidam Pulsanensis monachus, Johel nomine, prænominatorum Sanctorum historiam se legisse, sub juramento nobis retulit. *Tum post compendiosam, quæ subjungitur, Johelis narrationem,* Idem, *inquit Amandus,* alii honestæ vitæ viri, præcipue autem cœnobitæ, quibus vivere Christus est, et mori lucrum, veraciter protulerunt. *Credidit ergo Amandus, et credendum videtur religioso juranti, superfuisse eorum Acta usque ad seculum* xii; *ac tum demum, ante inventos Martyres, disperiisse: neque enim credibile videtur, ea neglecturum fuisse præsulem, Sanctorum illorum cultorem præconemque ardentissimum, si, cum historiam adornaret, quam dabimus, nancisci illa per eos, qui olim viderant, ulla ratione potuisset.*

unde obscura possim nunc Martyrum horum notitia

11 *Et sane negligi tum ea ac deperdi facile potuerunt, tum quod Sanctorum, quos commendabant, cultus, reliquiæ, ac fere memoria in obscuris essent; tum etiam quod unum fortasse tantummodo, aut certe rarissima semper fuerint* E
Actorum illorum exemplaria; id quod ex eo liquet, quod Martyrologos omnes antiquos, omnesque adeo ecclesias latuerint, ipsam etiam, saltem donec reliquiæ detectæ sunt, Vigiliensem (ut ex Amando colligere est) in cujus tamen ditione corpora quiescebant. Sic et posterius Amandi historia jam prope perierat, cum eam Marianus Cavensis typorum beneficio a situ et latebris vindicavit. Quamquam ne hoc quidem pacto adeo Sanctorum horum depulsa ignoratio est, ut ab Hagiographis adhuc vel eorum memoria prorsus omittatur, vel a quibus non omittitur, perobscure nec sine errore notetur. Baronius in annotatis ad Martyrologium Romanum verbum de illis nullum addit; in Annalibus vero ad annum 118, *id solum refert, quod in Martyrologii textu asseritur: Paulus Regius in Vitis Sanctorum Italicis parte* 1, *pag.* 670 *et seqq. a Ferrario carpitur, quod* Pantaleonem *nostrum cum alio Nicomediensi confuderit, cum hic sub Maximiano episcopus, ille sub Trajano medicus alibi et alia passi sint; ut mirum sit, hoc etiam loco caligasse Castellanum hodie in Martyrologio suo universali. Denique in* F
S. Mauro *carpendus quoque ipse Ferrarius; cum hoc die in Catalogo Sanctorum Italiæ* episcopum *illum facit* Vigiliensem, *Amandum citans, qui nequaquam hoc docuit; non omissurus profecto, si quoquo pacto decessorem illum suum compellare potuisset; nihil enim vel ecclesiæ suæ illustrius dici poterat vel gratius civitati.*

Actorum jacturam aliaque parte supplevit Amandus:

12 *Jacturam porro veterum Actorum utcumque restituit Amandus in Prologo jam dicto; at jejune admodum, et fide quidem bona, sed aliena tamen; cum non posset sua. Atque utinam eorum tanta cautio fuisset, qui de eodem martyrio posterius scribentes, narrationi Amandianæ episodia multa, nec testem citando nec tabulam, intrusere! Deflet id quoque in Arca Testamenti Sarnellus pag.* 98, *aitque, etiam de Legenda Martyrum Latina, quatenus quidem passionem eorum exhibet, idem affirmari posse, quod de historia S. Ursulæ* xxi *Octobris ad Martyrologium Romanum his verbis annotavit Baronius:* Accidit in his quidem, ut deperdita vera germanaque historia, quisquis, ut libuit, sive quæ suo ingenio commentatus fuerit, sive quæ ab aliis levi quodam

[illegible] B. B.

A quodam vulgi rumore accepit, scripturæ monumentis commendarit, non sine magno veritatis detrimento; cum historiam commentitiam pene reddiderint.

ad cujus compendium modernas Legendas exigi vult Sarnellus,

13 *Enimvero qui ita de Latina censet Legenda, quid statuere dicendus est de quibusdam Italicis multo liberalius adornatis? Talem certe nobis unam, nescio cujus manu ac fide exaratam, submisit olim Antonius Beatillus noster, vir scriptis de Ecclesia, obsequio de studiis nostris optime meritus. In ea præter tempora non satis feliciter annotata, et Tres Trajani diversas, quas hactenus ignoravimus, persecutiones, videas navigantes ex Oriente* SS. Maurum *ac socios,* Sergium *scilicet* ex nobilissima Sergiorum *et* Pantaleemonem e Scipionum familia, *procellis agitari cum tyranno dialogos instituere, aliaque ejusmodi, quæ legere cordatos tædeat; cum nullam omnino præferant auctoritatem, nedum tantam, quantam Legenda Latina, quam præcipue expurgandam suscepit* B *Sarnellus*, juxta historiam sincere scriptam ab Amando: *hæc enim Legenda Latina ea est, quæ in Officio natalis SS. Martyrum in secundo nocturna recitatur, approbata primum, ut ante monuimus, a Gregorio XIII; iterumque, post annos octo et triginta, congregationis sacrorum Rituum auctoritate recognita, nulla circa rei substantiam facta mutatione. Exhibet eam Ughellus tom.* 7 *col.* 940 *in editione novissima, ex Officio proprio ecclesiæ Vigiliensis, quod et nos habemus recusum Venetiis* 1674, *ubi sic legitur:*

etiam hanc, bis Romæ approbatam:

14 Lect. iv. Tertiam movente in Christianos persecutionem Trajano imperatore, comprehensus est [in Bethleem] venerabilis Maurus, [ejusdem urbis] episcopus, qui cum publice prædicaret, solum Christum esse verum Deum, vinctus perducitur, et in custodiam traditur Pantaleonis ac Sergii, ejusdem Trajani equitum ac familiarum:] qui quidem prædicatione beati Præsulis ad fidem Christi perducti, coram judice simul cum beato Episcopo eamdem Christi fidem libere confiteri non erubuerunt, audacter asserentes esse inania falsorum deorum simulacra.

Lect. v. Et licet semel et iterum blanditiis et promissis, deinde terroribus varie tentarentur, ut Christo C renuntiantes, idola venerarentur; ad id tamen nullo modo adduci potuerunt. Quare [variis tormentorum generibus] crudeliter diu afflicti, cum nihilominus in confessione fidei constanter perseverarent, Sergius ferreis ungulis excarnificatus, et Pantaleo cruci affixus, uterque tandem * mucrone trucidatur. Venerabilis vero Maurus, [qui præ ceteris miraculorum gratia et doctrina insignis erat] capite plectitur.

** Sarnellus addit,* post multa signa virtutum

Lect. vi. Sic itaque tres Deo quam gratissimæ hostiæ uno die de mundo, de carne, ac de humani generis hoste, ac tyranno triumphantes, corona Martyrii donati sunt vi Kal. Augusti: quorum inhumata corpora feris objecta, et divinitus intacta servata, Thecla, pia et religiosa vidua, clam collegit, et in suam villam, nomine Saginam, in agro Vigiliensi, in partibus Apuliæ positam, transtulit, et in tuto ac abdito loco ob metum gentilium, quoad potuit, honorifice sepelivit, unguentis condita; ubi incognita exstiterunt, donec divinitus longo post tempore inventa sunt.

in qua non recte supplctur annus martyrii, 118.

15 *Displicet illustrissimo præsuli in prima et secunda Lectione quidquid uncis inclusimus; quod proinde in expurgata legenda sua omnino resecat in tertia vero, quod est ab asterisco usque ad finem, ita supplet et corrigit:* Anno reparatæ salutis centesimo decimo octavo. Quorum inhumata corpora, feris objecta, et divinitus servata, a quadam religiosa vidua, Thecla nomine, in villam suam, quæ Sagina dicitur, in agro Vigiliensi, fuere transmissa et ob metum gentilium terræ visceribus occultata. Ubi oratorium Deo, in honorem sancti Sergii et Sociorum, diu stetit erectum, donec Saracenorum incursibus deletum est. *Hæc postrema fatemur secundum Amandi historiam accurate esse restituta, si annum excipias martyrii, quem nusquam illa prodit. Annales quidem Baronii anno eodem illud referunt; sed ita, ut annum certum determinare non videantur: sic enim habent:* In Apulia Maurus episcopus cum Sociis sub eodem Trajano martyrio defunctus est. *Anno igitur illo hæc locavit Baronius, quia certum alium ignorabat, et hunc in postrema Trajani tempora cadere existimavit; in quo tamen hallucinatum esse virum maximum, quis ignorat? Nam confessum id quidem nunc est apud chronologos, æram Christianum biennio toto usque ad annum Christi* 249 E *constanter in Annalibus anteverti; mortemque adeo Trajani, quam anno* 119 *consignant, ad annum* 117 *pertinere. Sicut itaque constat, sub illo tyranno passos esse Martyres nostros; ita certum esse debet, passos non esse anno* 118. *Quamquam annum Trajani, quo id acciderit, quis aut unde definiat?*

aliaque corriguntur non satis ad sensum Amandi,

16 *In secunda Lectione, præter expuncta et addita, ut cum Amandi narratione reliqua convenirent, induci etiam poterant* blanditiæ et promissa *iterata, de quibus nihil habet auctor ille; tametsi a verisimilitudine et temporum illorum usu minime censeri debeant aliena. In prima Lectione, si reducenda severius est ad Amandi prototypon, et retinendum videtur aliquid, quod erasit Sarnellus, et eradendum aliquid, quod retinuit: retinuit enim, quod ante legebatur de* Pantaleone *et* Sergio, prædictione beati Præsulis *(Mauri)* ad fidem Christi perductis: *cum ne minima quidem hujus rei ab Amando facta sit mentio: erasit contra* S. Mauri *sedem episcopalem, nempe Bethleemum, quæ tamen ab Amando videtur admitti cap.* 3, *num.* 56, *ubi dæmonem inducit profitentem,* se ferre non posse incendium ex sanguine Mauri Bethleemitæ pontificis sibi apposito: *nam hæc aliaque, istic a diabolo dicta, pro veris habuisse se Amandus* F *ipse satis indicat, cum subdit:* Possunt tamen vasa mendacii, licet coacta, eructare veritatem.

juxta quem retinendus videtur episcopatus S. Mauri Bethleemiticus,

17 *At enim, inquis, ambiguum est in textu citato, quo deferri debeat vox* Bethleemitæ: *nam afficere potest nomen antecedens* Mauri, *ut Bethleem Sancti patriam fuisse significet, æque ac nomen sequens* Pontificis, *ut episcopatum ejus Bethleemiticum designet. Fateor equidem, ancipitem esse textum illum, prout ex impresso exemplari, male passim interpuncto, producitur: sed olim in autographo minime dubium fuisse, suadet constans et antiqua Vigiliensis ecclesiæ traditio, quæ* S. Maurum *non patria hoc loco, sed episcopatu Bethleemitatem intellexit; ut patet ex omnibus Sanctorum horum Officiis. Amandum manuscriptum legerat, quem primus excudi curavit anno* 1550 *Marianus Cavensis, et sic interpretatus est in hymno ad primas Vesperas secundæ inventionis* Cultor veri, rector cleri, Bethleemitane Pontifex, *etc. Amandum in scriptis legerat, quem citat, Daniel Francinus, ad Sixtum PP. IV de secunda inventione scribens anno circiter* 1480, *eumque in eamdem sententiam secutus num.* 1 *sine hæsitatione*

AUCTORE P. B.

tione pronuntiat, Maurum, quondum Bethlemitanum pontificem. *Verisimile non est igitur, in primigenia Amandi historia amphibologicum fuisse textum illum; quamtumvis nunc ob neglecta commata talis appareat.*

ad quem evertendum non sufficiunt argumenta,

18 *Quod si quis hic mihi argumenta objectet ex antiquis universæ Ecclesiæ monumentis eruta, quibus illustrissimus Sarnellus in opusculo suo de episcopis Vigiliensibus a pagina* 15 *episcopatum* S. Mauri *Bethleemiticum convellere nititur, respondebo imprimis, aliud esse, Legendam Latinam examinare ad historiam Ecclesiæ catholicæ; aliud, eam, restituere* secundum historiam sincere scriptam ab Amando et Francino; *hoc se facere profitetur Sarnellus, non illud. Respondebo deinde, argumenta illa id non evincere, quod conatus est auctor : sunt enim hæc præcipue tria :* 1. *Non subsistebat episcopatus Bethleem post medium seculi sexti, quando erectus est patriarchatus Hierosolymitanus.* 2. *Bethleemum ad sedem episcopalem evectum est seculo duodecimo :* S. Maurus *autem* B *passus est seculo secundo ineunte.* 3. *S. Bethleem episcopatus fuisset olim, invenitur istius civitatis episcopus aliquis alicui saltem subscriptus concilio. Hæc vero simul omnia corruunt, si ponas, cum Coleto in editione nova Italiæ sacræ tom.* 7, *col.* 938, *vel sub Trajano intercidisse episcopatum illum eadem persecutione, qua* S. Maurus *occubuit. vel paulo post sub Adriano. An id fieri non potuit? An non tranquillis etiam rebus episcopatus alii plures interierunt? In sola Italia quot antiquatos exhibet Ughellus? Quam vero usitatum fuerit ante synodi Laodicenæ tempora, præsertim in Oriente, episcopatus erigere, etiam in villulis et agris, quorum nunc ne nomina quidem supersunt, docet Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part.* 1, *lib.* 1 *cap.* 54. *Quis autem eos neget fuisse, quia nullis conciliis subscripti eorum episcopi legantur? Certe ignorari, quæ opponit episcopatui* S. Mauri *Bethleemitico Sarnellus, Romæ non poterant sub Gregorio XIII, sub quo ecclesiasticæ historiæ maximum ibi lumen fulgebat Cardinalis Baronius; neque tum tamen improbatus est, neque posterius, quando iterum subjectus examini congregationis Rituum, subscriptus a Bellarmino est.*

quæ prolata sunt hactenus.

C 19 *Nihilo magis urget, quod in eodem Sarnelli opusculo affertur pag* 23, *ad* S. Mauri *ex Oriente toto proscriptam cathedram collocandum in Occidente; quia nimirum, juxta Amandum infra cap.* 2, *num.* 40 *et seq. item cap.* 3, *num.* 56, *annulum gestarit episcopalem; qui Ecclesiæ Occidentalis præsulibus tam proprius fuerit, ut numquam eo sint usi antistites Orientis. Nam qui asserit, inde a primo seculo annuli episcopalis usum viguisse in Occidente, quo teste eumdem tum negabit admissum fuisse uspiam in Oriente? Citat pro se Sarnellus Petri Antiocheni epistolam ad Michaelem Cerularium, ex qua manifestum sit, inter alia discrimina ecclesiæ Orientalis et Occidentalis unum esse, quod episcopi in Occidente annulum gestitent, in Oriente non item. At quando hæc scripta est epistola? Post medium seculi undecimi, ut in Tractatu de Patriarchis Antiochenis ostendimus. Quis autem inde sic colligat : Seculo undecimo soli episcopi Occidentales utebantur annulo : ergo soli etiam seculo primo? Certe si usus ille seculo primo in Occidente fuerit communis, profluxisse dicendus erit ab Apostolis, atque adeo a S. Petro. Quidni ergo in Orientali Ecclesia idem fuerit institutus ab eodem Apostolo, ac postmodum, ut alia multa, ut ipsa fides Catholica interciderit? Hæc, fateor, probari non* D *possunt, quia scripta non sunt : sed nec negari posse contendo; nisi scripta pro iisdem temporibus contraria proferantur; qualia non sunt, quæ prolata sunt hactenus.*

Expenduntur locus martyrii et Martyrum conditio,

Porro reliqua, quæ in prima Lectione omittenda censuit idem illustrissimus auctor, apud Amandum expressa non sunt; puta, S. Maurum *comprehensum fuisse in Bethleem, indeque* Pantaleonis et Sergii equitum *Romanorum custodiæ traditum ac Romam avectum; ubi martyrium consummarit. Hæc itaque et alia unde sint accepta, nescimus. Sarnellus in opusculo laudato pag.* 29, *negat; alios sub Trajano Romam ex provinciis in Urbem ad martyrium rapi consuevisse, quam cives Romanos, idque probare nititur ex notissima Plinii ad Trajanum epistola. Esto sane. At qua ratione asseri poterit,* S. Maurum *civem Romanum non fuisse; cum urbes in provinciis plurimæ fuerint a Romanis civitatis jure donatæ? De conditione* SS. Pantaleonis ac Sergii, *facile concedit idem præsul ibidem pag.* 18, *ut equites Romani fuisse credantur, quia Vigiliæ illis temporibus paruerunt Romanis, eisque verisimile* E *sit Romanos equites præfuisse. Nimirum agonem Martyram horum vel Vigiliis, vel in Apulia saltem contigisse arbitratur; quia primum in Martyrologio Romano, alterum a Baronio in Annalibus videntur affirmari. Itaque et* S. Maurum *episcopum fuisse Vigiliensem tradit. Nos equites fuisse Romanos* Pantaleonem *ac* Sergium *sicut aliunde confirmare non possumus, ita neque refellere. Vigiliarum autem gubernatores fuisse illos, aut* S. Maurum *earum episcopum, aut ibi passos esse, omnino non credimus. Neque hoc postremum persuadet Baronius, qui in margine unicum testem adducit Martyrologium Romanum, in quo Vigilias assignari putamus, non ut locum martyrii (qui ex antiquis apud Amandum Actis determinari non potuit) sed depositionis tantum et cultus. Hæc, inquam, omnia non credimus; quia cum Amandi historia non cohærent.*

et negatur; S. Maurum episcopum fuisse Vigiliarum, aut ibi cum Sociis passum.

21 *Is enim. cap.* 3, *num.* 56 *et seq., manifeste indicat, vera sibi visa esse, quæ ibi per energumenos coactum sæpius et invitum dæmonem propalasse narrat. Censuit ergo, Vigiliis passos non esse Martyres nostros; cum ibi dicatur* S. Mauri *(jam utique alibi interfecti) corpus* in F naviculam quamdam delatum, usque ad sinum Vigiliensem perductum *esse : nam quod de* S. Mauro *hic narratur, idem valere debet pro Sociis ejus. Imo vero censuit, Vigiliensem civitatem tum nondum exstitisse : additur enim :* Cum vero in maritima regione (*ad sinum nempe, de quo agitur, Vigiliensem)* nulla urbs adhuc esset statuta, usque in villam Saginæ tractum, *etc. Ita, inquam, Amandus censuit : et quid ni recte? Cedo enim vel unum ex antiquis Geographum, qui de Vigiliis meminerit. Quid strabone, qui seculo primo floruit, in urbibus annotandis accuratius? Quid secundo seculo in hoc genere illustrius Ptolemæo? Neuter tamen in Apulia Vigilias offendit. Et quid tam antiquos commemorem : cum ne in tabulis quidem Peutingerianis, quas sub Theodosio seniore adornatas fuisse docet Velserus, ad Apuliæ littora usquam appareant Vigiliæ? Antiquæ Italiæ scrutatores diligentissimos Cluverium, Bertium, Brietium, Cellarium, aliosque; et victas manus dedero, si quem proferant, qui secundo Seculo Vigiliarum oppidum noverit. Dum id fieri non poterit, frustra nobis ex nuperis quibusdam scriptoribus occinent, ædificatam*

AUCTORE P.B.

A *ficatam esse civitatem illam annis* 432 *ante Romam conditam, aut annis* 1184 *ante æram Christianam; Amando adhærebimus; Vigiliarum urbem non exstitisse putabimus tempore* S. Mauri; *ac proinde ibi cum Sociis passum, ibi episcopum fuisse negabimus. Neque Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui primus* S. Maurum *episcopum appellavit Vigiliensem, nos morabitur; quippe cujus innumeras prolapsiones in Actis Sanctorum passim notavimus; quarum hæc postrema non est; cum asserti sui testum adducere ausus est Amandum in eodem illo, ex quo inventionis primæ historiam dabimus, libello.*

Illustrissimi Sarnelli moderatio in expurgata sua Legenda Latina.

22 *Ceterum facere non possumus, quin illustrissimi Sarnelli modestam eruditionem ac prudentiam commendemus; ut qui nihil eorum Legendæ Latinæ, quam expurgare conatus est, inserendum judicaverit, quæ in laudatis lucubrationibus Italicis de ecclesiæ suæ Patronis pro suo erga illos illamque affectu privatim ipse senserat, scripse-* B *ratque: nam præter ea, quæ modo notavimus, tradit etiam in Arca testamenti,* S. Maurum *discipulum fuisse S. Petri apostoli lib.* I, *cap.* 3; *ab eoque creatum esse Vigiliarum episcopum; Hinc* Maurum *sub Petri tutela ecclesiam suam gubernasse, cujus etiam postmodum tutelaris et titularis patronus unicus fuerit ibid. cap.* 4 *et* 5. *Imo illud etiam verisimile esse, quod idem* S. Maurus *notus fuerit Deiparæ Virgini. Atque quidem recitasse sit satis.*

§ III. Historiæ inventionis primæ ac secundæ, earumque auctores, et supplementum.

Historiæ primæ et secundæ inventionis,

Jejunam *adeo ad illustranda sanctorum Martyrum, de quibus agimus, vitæ mortisque merita narrationem, mirifice compensarunt historiæ binæ, satis copiosæ, maximeque authenticæ; quarum altera primam sacrorum corporum inventionem, ac translationes varias, plurimaque in iis facta prodigia describit; altera inventionem eorumdem secundam, et quæ in ea mirabilia contigerunt. Utraque ab auctoribus coævis et rerum, quas referunt, oculatis testibus proficiscitur; prior ab Amando, Vigiliensium episcopo; posterior vero ab illustri quodam viro, Daniele Francino, ut infra probabitur. Differunt vero ambæ ab iis, quas tom.* 7 *Italiæ sacræ col.* 939 *et* 945 *ex Officiis Vigiliensis ecclesiæ, anno* 1618 *Romæ ap-* C *probatis, edidit Ughellus, quæque compendia tantummodo sunt narrationum primigeniarum, quas non videtur in promptu habuisse.*

olim ex vetustis schedis impressa sunt,

24 *Has, ut supra monuimus, ab interitu propinquo liberavit notus apud Elssium in Encomiastico Augustiniano Marianus Cavensis; cum eas ad usum ecclesiæ Vigiliensis in varias Lectiones divisas prælo commisit una cu duobus Officiis, de quibus supra diximus* § I, *num.* 6; *idque jussu canonicorum Vigiliensium, ut ibidem in alloquio ad eos suo, folio* 37 *verso, testatur his verbis:* Allata sunt mihi ipsorum Martyrum gesta ac stupenda miracula, in ipsorum corporum inventione monstrata, populis hinc indeque concurrentibus, in quibusdam vetustis pagellis subobscure descripta, a me non solum rescribenda; sed etiam, vestro jussu, corrigenda ac castiganda; ut sic ab emendis purgata, æneis typis imprimenda impressoribus traderentur. *Non ita tamen emendata prodierunt, quin vitia castiganda multa remanserint, uti ad margines textus, quem fideliter exhibemus licebit observare.*

non sine mendis;

25 *Inter ea palmare est illud, quod in primæ inventionis historia sub finem ita legitur:* Sanctorum vero prænominatorum Martyrum translatio celebrata est honorifice anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septimo. *Et vero mirum est, hoc arripi temere ab iis potuisse, qui Amandi historiam præ oculis habuerunt; auctores intelligo Vigilienses duos, quorum hic Legendas Mss. Italicas, ex Amando, Francinoque desumptas, olim accepimus; imo et Paulum Regium in Sanctis regni Neapolitani part.* I, *pag.* 688, *et Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ: nam si vel tantillum attendissent ad characterem, qui ibidem adjungitur, non poterat non error in oculos incurrere: sequitur enim:* Regni vero ejusdem domini, gloriosissimi regis, Guilielmi [*anno*] secundo. *Guilielmus ante annum Christi* 1154 *Neapolis ac Siciliæ rex nullus fuit: retineri ergo non poterat annus* 1107. E

ut cum annum primæ inventionis notant 1107, *pro* 1167.

26 *Deinde cum tres tantum Guilielmi eadem regna obtinuerint, manifestum est, hic agi de Guilielmo secundo, seu Bono; quippe qui et adolescens regnum adiit, ut notat Amandus numero præcedenti, anno scilicet ætatis decimo quarto, ut Rocchus Pirrus tradit in Chronologia regum Siciliæ, et cujus* annus secundus *congruit cum* Indictione quinta decima, *quæ ab Amando usurpatur: annum enim regni secundum iniit mense Julio,* 1167, *ut ex anonymo Casinensi colliges apud Pagium in Criticis ad Annales Baronii ad an.* 1166, *num.* 9. Adolescentia *non cadit in Guilielmum primum anno regni secundo, sive is numeretur ab accepto, vivente ejus patre, regno Apuliæ mense Majo anni* 1151 *juxta Pagium, sive ab obitu Rogerii et successione Guilielmi, quæ juxta eumdem Pagium accidit anno* 1154; *quandoquidem Guilielmus ille, teste Fazello Rer. Sicular. decade* 2, *lib.* 7, *anno Christi* 1130 *jam id erat ætatis, ut* exercitu comparato, commissoque acerrime prælio, patrem liberaverit, *in castro Gallucio a Romanis obsessum. In Guilielmum tertium nihil quadrat eorum, quæ scribit Amandus, præter adolescentiam:* non felix regimen; *statim enim ab Henrico imperatore miserum in modum vexari cœpit et aboleri: non* annus *regni* secundus mense Julio: *nam is, juxta Pirrum saltem, annum regni secundum non attigit; juxta Giannettasium vero Hist. Neapol. tom.* I, *decade* 2, *lib.* F 14, *vix secundum inchoaverat, cum petiit* exeunte Januario; *nec mensem proinde Julium attigit: non denique* Indictio quintadecima; *siquidem vivere desiit anno Christi* 1195, *Indictione decima tertia.*

ex quo nati sunt errores varii de Amando, qui eam descripsit.

27 *Patet igitur, non alium hic annum ab Amando signari potuisse, quam* 1167, *atque adeo penultimum numerum* 6 *non sine errore palpabili in cyfram* 0 *commutatum esse. Ex hoc errore, ut fit, profluxit aliud apud Ughellum, hoc tamen magis, quam quos supra memoravimus, venia dignum, quod ipsam Amandi historiam inspicere non videtur potuisse: cum enim, ex Ferrario fortasse, didicisset, inventionem primam ac translationem Martyrum nostrorum incidisse in annum* 1107, *eique Amandum eqiscopum Vigiliensem interfuisse ex Legenda, quam recitat, intelligeret, Amandum unum distraxit in duos; quorum priorem sedisse statuit Vigiliis anno* 1107, *alterum* 1179, *quo subscriptum eum invenerat concilio Lateranensi sub Alexandro III. Imo ex uno tres fecit Amandos: nam ab utroque Vigiliensi diversum*

AUCTORE P. B.

sum fuisse putavit illum, qui libellum composuit de canonizatione et translatione S. Nicolai Peregrini, quem dedimus die 2 Junii; ubi etiam significarunt Majores nostri, hæc omnia ad unum eumdemque Amandum nostrum pertinere: quod confirmat illustrissimus Sarnellus in Monumentis episcoporum Vigiliensium, unicum agnoscens inter eos Amandum, qui (cum diaconas antea Tranensis fuisset) ad sedem Vigiliensem evectus sit anno Christi 1153, *sederitque usque ad annum circiter* 1181. *Itaque ex hoc auctore Ughellus nunc recognitus, est ad margines emendatus cum in episcopis Vigiliensibus, tum etiam, ubi de translatione S. Nicolai, in Tramensibus archiepiscopis. Porro quanta fide, quanto delectu Amandus hæc scripserint, non dicimus; cum id ipse faciat in prologo.*

Ætas Francini, qui alteram inventionem enarravit; ejusque prologus;

28 *De auctore historiæ secundæ inventionis in eodem, de quo supra, libello in antiphonis ad primas Vesperas fol.* 27 *verso hæc leguntur:* Vir quidam clarus, Daniel Francinus nomine, Vigilias, cum Martyres effoderentur, a duce (Francisco B Baucio) evocatus est. Id ad Pontificem Sixtum quartum de iis, quæ in ea contigerant, scripsit: « Nihil duxi antiquius, quam quæ Deus tempestate nostra per sanctos Martyres ostendisset, mandare memoriæ: illa quidem * ad posteros, servata veritatis fide, transmittere commendentur * ; et quia interest Pontificis nosse, quæ ubique divinitus fiant, libellum ipsum tuæ Beatitudini obsignare, qui vicem Christi in terris geris. » *Habes hic ergo auctoris ætatem, siquidem secundæ inventioni interfuit factæ anno* 1475: *habes item tempus quo scripserit, utcumque definitum; Sixtus enim quartus obiit anno* 1484, *nec ad eum hæc perscribi potuisse ante annum* 1478 *colliges ex annotatis ad Francini historiam littera* I: *habes denique ejusdem historiæ præfatiunculam, per Marianum Cavensem a reliquo textu avulsam, expressamque per antiphonas. Utinam vel sic exhibuisset etiam auctoris epilogum; si tamen ullum Francinus ad calcem narrationis composuit, quod ignoramus.*

* *forte* illaque

* *redundat* commendentur

et quæ ab illo sint omissa circa statum reliquiarum

29 *Ceterum facile animadvertet lector, id quod in annotatis in fine historiæ observavimus, deesse aliquid ejus narrationi: sistit enim in refossione,* C *inventione, expositione sacrorum corporum factisque tum istic prodigiis; cum incredibile sit, ibi stetisse Baucii pietatem. Addit quidem citatus ante Paulus Regius, episcopus Vico-Æquensis, ædificatam ibi postmodum fuisse Martyribus elegantem ecclesiam ab Andriæ duce, in qua sacras eorum reliquias loco dignissimo jusserit collocari; sed fallitur pius scriptor: eadem enim ecclesia cathedralis, in qua tunc inventa sunt et adhuc servantur hæc sacra deposita, diu ante Baucii tempora, teste Sarnello in epp. Vigil. pag.* 49, *erecta fuit, et consecrata sub titulo S. Petri Kalendis Maii, anno* 1295. *In Officio secundæ inventionis approbato Romæ anno* 1618, *Lectio tertia secundi nocturni sic habet:* Post tertium autem diem inventionis repositæ sunt præfatæ sacræ reliquiæ post aram mediam *(quæ fuerat S. Pantaleonis, ut in historia primæ inventionis dictum)* in uno eodemque loco. Nunc autem sub ipsa ara media repositæ custodiuntur decentius ac majori cura, et maxima veneratione ac devotione.

post secundam inventionem.

30 *Duplex hic ergo reliquiarum secundo inventarum repositio significatur; quarum prima facta sit triduo post inventionem, quando locatæ sunt post aram mediam; secunda, cum inde sub ipsum altare medium translatæ sunt, quando contigerit, non asseritur; non existimo tamen,* *contigisse ante initium seculi præteriti: neque* D *enim antiquius apparet Ms. Italicum, nescio a quo compositum, sed olim huc tamen a Beatillo nostro submissum ex Apulia, quod de secunda illa repositione non meminit; sed primam in hunc modum describit:* Tantus hominum concursus *(qui triduo illo inventarum expositarumque reliquiarum factus erat)* tantaque oblationum copia ducem ad dominum episcopum stimularunt ad ornandam, et, quam possent sumptuosissime, instruendam illam parietes concavitatem, quæ superne respondet altari, quod justo a pariete intervallo distat. Ibi respositæ sunt sacrorum corporum arcæ; et ferreis occlusæ portis, non nisi diversis, ad majorem securitatem, clavibus reserandæ: tum paulo exterius oppositi sunt alii e ferro cancelli; ita ut non possint honorificentius esse collocatæ, nec asservatæ securius. *Ita illud Ms., in quo et aliud sequitur, quod nusquam, nisi illic, me legere memini, adeoque hic subdo:* Neque umquam desierunt, *inquit,* gloriosi Sancti et beneficos exhibere se omnibus, et civitati E *(Vigiliensi)* benignissimos protectores, cum ibi apparuerint plus vice simplici, modo in aere, modo super urbis muros armati, ad eam a Turcis, hostibusque religionis catholicæ, defendendam. *Hæc quasi per transennam. Nunc ad propositum redeo.*

Ubi illæ posterius repositæ fuerint,

31 *Secundam illam, quam dixi, repositionem, et quæ illam ad suam usque ætatem consecuta sunt, in Arca Testamenti lib.* 3, *cap.* 9 *Italice Sarnellus in hanc sententiam proponit:* Destructis duabus aris lateralibus, media tantum reparata est, spatio, quantum est sub ejusdem aræ mensa, vacuo relicto: atque ibi locata est arca cypressina, longa palmis quinque, uno vero ac medio alta et lata; rubro interius inducta serico, atque ex parte anteriori inaurata, et ita tribus exiguis munita crystallis, ut singulis singulorum Martyrum lipsana responderent. Et medium quidem S. Mauri, dexteram vero partem S. Sergii, sinistram ossa S. Pantaleonis occupant..... Arca cypressina Vigiensium pietate in aliam, et ex argento quidem solido affabre factam, subinde commutata est anno MDCLXXVIII, cathedram hanc obtinente illustrissimo tum episcopo D. Riccio, idque post sacræ congregationis Reliquiarum decretum hujusmodi: « Episcopo Vi- F giliarum instante, ut sibi concedatur facultas corpora sanctorum martyrum Sergii, Mauri, et Pantaleonis, sub altari in ecclesia cathedrali satis honorifice reposita, pretiosiorem in loculum, seu capsam, condendi; sacra congregatio, precibus oratoris annuens, petitam tribuit facultatem. Romæ die V Julii MDCLXXVIII. A. Cardinalis Homodeus. Michael Angelus Riccius, secretarius. » Dies determinatus permutationis arcæ fuit VI Decembris MDCLXXVIII, ut constat ex instrumento publico rogati notarii Joannis Foglia.

et quam honorifice.

32 Porro ut arca, quam dixi, prior cypressina cum veneratione servaretur, cum erexissem ego episcopii sacellum novum in capite atrii, sub ejus altari eamdem arcam collocavi, impositis singulorum e tribus Martyrum pauculis reliquiis, hoc anno *(quo hæc scribebat Sarnellus)* MDCXCIII. *Tum ad ecclesiam cathedralem et publicum in ea Sanctorum nostrorium oratorium rediens,* Præter arcam, *inquit,* argenteam, sub ara positam, sunt in ipso altari, in theca majori atque auro eleganter oblita, statuæ ex argento tres, cum reliquiis trium Sanctorum; ac tria brachia itidem argentea, cum sacris ossibus brachiorum

A chiorum trium sanctorum Martyrum; unumque insuper ostensorium *(ut appellat)* cum sanguine sancti Mauri. *Idem illustrissimus auctor arcam argenteam paulo aliter depingit in Monumentis epp. Vigil. pag.* 65: Altare, *inquit*, totum est vacuum, telaque serica interius undequaque vestitum; cui imposita est arca argentea ex arte elaborata, et operta serico atque auro. Arca tumuli formam refert, crucem itidem argenteam vertice sustinens, et in tres divisa partes, quarum singulæ suam habent crystallum. In medio condita sunt caput et ossa S. Mauri episcopi et martyris, a dexteris ossa S. Sergii, a sinistris cranium et ossa S. Pantaleonis. Capsa sic est obserata, ut, nisi frangatur, reserari non possit; quia clavis intra arcam reposita est, ac deinde per se, utpote seram habens elasticam, occlusa capsa. *Hæc de statu reliquiarum post secundam inventionem. Nunc pauca de miraculis eadem consecutis, et a Francino non memoratis.*

nec sine frequentibus miraculis, de quibus tria tantum hæc

33 Est in archivo nostro, *inquit Sarnellus ibidem cap.* 8, documentum authenticum anni MDLXXV, de quodam Joanne Caputi, Dominici et Margaretæ Lanzalonga, Cauratensium, filio, sex B annos nato; cui per annum integrum in oculis massa tanta carnis enata fuerit, ut et usum amiserit illorum, et dolores in partibus tam teneris graves adeo senserit, ut diu noctuque clamitaret, non sine parentum cruciatu; qui post multas in medicos expensas, ex iis tandem intellexerint, morbum esse immedicabilem. Recurrisse ergo illos ad sanctorum Martyrum patrocinium; atque admoto pueri oculis gossipio, quod absistente a reliquiis manna contactum fuerat, dolorem cessasse, imminui cœpisse morbum, ac diebus deinde paucis omnino evanuisse; ita ut liber tum puero remanserit ac perspicuus oculorum usus. Hinc matrem, mirifice lætatam, sanctis Martyribus offerri jussisse, ad alendos loci sacri custodes, modios frumenti duodecim. *Idem cap.* 10 *sic habet:* Non cessant etiam ætate nostra miserationes divinæ, non est abbreviata manus Domini ad honorandos Sanctos suos: nullus præteriit annus, quo ad festum translationis diem, qui trigesimus est mensis Julii, et hic maxime solennis, impetrata non fuerint insignia beneficia; tametsi non fuerit, qui onus ea scribendi vellet assumere, eorum scilicet absterritus multitudine. *Tum bina sequuntur miracula, quæ quia longiuscule narrantur, compendio referam.*

dolemus

C 34 *Anno* 1693, *in vigilia translationis SS. Martyrum, ad episcopi Sarnelli pedes abjectum sese venit Martinus quidam di Aquaviva, Vigiliensis; qui se aiebat anno* 1685 *ex prædio littorali, quod vulgus Salzellum nuncupat, una cum duobus filiis totidemque filiabus abreptum a piratis fuisse, et Ulcinium (oppidum est Dalmatiæ infame latrociniis) avectum: ibi se servituti mancipatum illico fuisse; filios vero ac filias alio, quo nesciret ipse, traductos. Toto interim, ut affirmabat, octennio Deiparæ se sanctisque Martyribus commendabat assidue, et recurrente quotannis memoria translationis eorum, uberrimis fluebat lacrymis, quas desiderium exprimebat partim videndæ coram venerandæque illorum arcæ, partim dolor, quod sacrum adeo diem terram sulcando profanare cogebatur. Octavo demum anno, cum de patris sorte primum aliquid resciisset filiorum alter, cui benigna Constantinopoli servitus obtigerat, Uulcinium advenit; parentem agnovit, eumque sequinis (nos ducatos appellamus aureos) duobus ac viginti redemit, atque uno insuper sequino in viaticum adjecto, liberum remisit in patriam; secuturum se dicens, quam primum et heri sui bonitate, et parsimonia industriaque sua lytrum sibi commeritus esset. Ita Martinus Vigilias advenit eo ipso, quem notavimus die; Sarnellus vero postridie rem totam pro concione divulgans, urbem omnem lætitia teneroque in Tutelares suos affectu complevit.*

fuisse annota.

35 *Eodem anno, teste ibidem Sarnello, ipso translationis festo, ad cujus celebritatem peregrinorum plus quam duo millia confluxerant, instituta est sub vesperam consueta per oppidum supplicatio; qua finita, festivi in subjecta urbi planitie accensi ignes, undante circum populo, quibusdam vero (quos inter erat cum familia sua Josephus Ronca, regius anno illo civitatis judex, ejusdemque gubernator Petrus Arias Maldonatus) illos ex urbis muro aspectantibus. Cum judici, urbisque præfecto deessent sedilia, mittuntur, qui afferant, præfecti cubicularius Leonardus di Augustino, Aletiensis, et Lucretia Ronchi, puella annorum tredecim et serva judicis, quam Leonardus per tenebras manu ducit, et loci haud satis ipse gnarus, secum ex prominenti mœnium turri in præcipitium tribus et triginta palmis altum, ac rudibus stratum saxis, incautus trahit. Ad ruinæ strepitum exoritur clamor, utrumque exspirasse;* E *quem audiens Belluccia Pandolfelli, judicis jam dicti conjux, Sancti, inquit, Martyres, succurrite miseris. Mox undique accurritur: puella sensus expers agebat animam; Leonardus ex lapsu perturbatus animo, renes sibi graviter lamentabatur affectos. Inde ambo in ædes proximas delati, examinantur a medicis; qui Lucretiam pro deposita habuerunt; ut quæ sanguinem nocte tota profundens, crepuisse haud dubie videretur. Leonardo minus quidem, quam illi, male erat; nihilo tamen, quam antea, melius. Sed nimirum imploratam Sanctorum opem brevi ambo experti sunt; et prior quidem Lucretia: sed uterque tamen ante octavum a lapsu diem valetudini restitutus est ita, ut nec dolor ullus nec læsio vel minima superesset. Itaque sequenti feria quarta ad agendas cœlestibus Medicis gratias ad eorum oratorium convenerunt, cujus pavimentum osculati primum, ac sacra deinde confessione expiati, sanctissimo Eucharistiæ sacramento ad Martyrum aram refecti sunt. Ita illustrissimus Vigiliensium episcopus. Superest modo, ut Amandi* F *Francinique historias proferamus ea fide, ut præter capitum titulos, notasque tum ad numeros marginales, tum ad capitis cujusque calcem positas, nihil in eis nostrum censeri possit.*

HISTORIA INVENTIONIS PRIMÆ.

AUCTORE AMANDO

EP. VIGILIENSI.

Ex antiquo Officio ecclesiæ Vigiliensis impresso.

PROLOGUS AUCTORIS.

Amandus ep. Vigil. hæc scripsit ad gloriam Dei, a

Amandus, Vigiliensis sola a Dei gratia episcopus et Sanctorum minister, omnibus Christi fidelibus in eodem vero salutari Jesu Christo salutem. Æterni, et temporalis regis secreta hac præcipue differentia separari, ratione vera perspicimus,

A. Amando ep. Vigiliensi.

spicimus, quod illa expetunt reserari, ista exigunt occultari; et quod assertores illorum præmia, istorum vero consequuntur supplicia. Ad gloriam igitur Regis summi et ineffabilis, et ad salutem credentium, proposuimus stylo memoriæque mandare et revelationem sanctorum Martyrum Pantaleonis, Sergii atque Mauri, et virtutum eorum stupenda miracula, et translationis reliquiarum ipsorum solemnem reverentiam, ad vitam perpetuam a beatis Martyribus interventum efficacem sperantes; inanem gloriam, quam plerique frustra nituntur acquirere, contemnentes; quam quidem in liberalium artium lucubratione illecti, magnopere petebamus, deviantes falsa imagine splendoris famæ mendacis et transitoriæ a vera luce incommutabilis veritatis; licet sæpe legerimus in philosophis: "Virtutis fructum "sapiens ponit in conscientia, minus perfectus in "gloria;" itemque: "Minuit se probantis conscien"tiæ secretum, quoties quis, ostentando factum, ac"cipit famæ præmium."

B *stylo mediocri, sed sincero,*

2 Quare tam errorem, quam reatum recognoscentes, de cetero ergo, sicut jam dudum apud nobilissimam urbem Tranensium nos scripsisse beati Nicolai Peregrini confessoris *b* Christi translationem recolimus, sic ad prædictorum honorem Martyrum linguam dirigamus et manum, scientes, æmulorum morsibus causam objicere, quam ore distorto laniare non desinent. Verum quoniam rerum merita livor impudens figmentis mendacibus immutare non valet, his jure contemptis, hoc opusculum nostræ sententiæ judicio nititur, viam mediam, quæ regia est, amplectens, mediocritati solerter indulgens, hinc inde ab extremis se continens: simplices enim ab sublimia non valent aspirare; solertes se ad humilia non deflectunt. Cum autem sint tres gradus medietatis, aliquando primo consulitur rudibus, aliquando tertio mos prudentibus geritur; secundo vero, qui est medius, præcipue fit processus, ut sit communis participatio viris summis, mediocribus, atque simplicibus. Cum Moyse igitur non audemus ingredi nubem atque caliginem, neque labyrintheos sponte intramus errores, ut Christi filo cæca regamus vestigia; cum in referendis Sanctorum miris operibus non verba composita neque oratoriis floribus adornata, sed quæratur eruditio et simplicitas veritatis.

C *brevi, et prorsus fideli.*

3 Et quia solet esse molesta prolixitas, brevitati operam dedimus. Inde est quod punctatim procedentes, per cola *c* scribimus; videlicet continuationis punctis sæpe supplentibus. Nec aliquem moveat, quod in describendis Sanctorum virtutibus sit stricta narratio et extensa; cum ipsa, quæ litteris mandata pauca sunt pro rerum gestarum multitudine copiosa, per se considerata sint multa. Sic itaque merito et brevitas est singulis, et in omnibus simul immensa profusio. Veritatem autem gestorum perinde duximus congruum intimare ad fidem, quatenus nemo causam ambiguitatis præsumat opponere: res enim admirabiles, quibus hunc libellum perfecimus, vel fides oculorum nostrorum astruxit, vel ab eis accepimus, quorum fides admittitur. Non tamen omnes, sicut supra innuimus, operi huic inseruimus; sed ex omnibus hujusmodi notabiliores elegimus.

Notat, cur ope horum MM. multi sanentur, alii non item.

4 Evidenti vero nota prædicimus animo imprimendum, nec morbos omnes nec imbecillitates universas Sanctorum precibus ibidem propulsari; sed tantum quas omnipotens sapientia censet, causa rationabili suorum Martyrum precibus esse ad suam gloriam committendas: ideoque prætereundum non est, quod languidorum ad sacros Martyres confluentium quidam prorsus ad statum redeunt sospitatis, quos Dei potentia tantum pro sui nominis gloria reservatos curavit, vel quos prospicit emendatos et ad vitia non declives; alii, quibus est salus indulta, signa gerunt languorum; ut timeant peccare, ne incipiant ægrotare: quidam vero, quibus non expedit sanari, pietatis intuitu morbis affici permittuntur; ut, siqua virtus in eis est, infirmitate roboretur, secundum Apostolum: Cum infirmor, tunc potens sum; itemque: Virtus in infirmitate perficitur: alii non curantur, ut corrigantur, de commissis pœnitentes: unde Augustinus: Quam multi ægrotant innocentes in lecto; et, si sani fierent, procederent ad scelera committenda? Quam multis obest sanitas? Alii vero, quos alias videt incorrigibiles, justo judicio puniuntur, juxta Psalmistam: Induatur, sicut diploïde, confusione sua. Quapropter jam desistat vulgi murmur ignari, ex eo quod Dei gratia separat turbam languentium, dignos ab indignis distinguens.

Inventionis historiæ hic pauca de martyrio præmittit.

5 Priusquam autem revelationis seriem inchoemus, ea, quæ de prædictis sanctis Martyribus a quibusdam magnæ religionis viris accepimus, paucis in medium deducamus. Quidam Pulsanensis *d* monachus, Johel nomine, prænominatorum Sanctorum historiam se legisse, sub juramento nobis retulit: ait enim, B. Pantaleonem et Sergium [jussu] Trajani Imperatoris sexto Kal. Augustas martyrio coronatos: nam beatum Pantaleonem asseruit cruci affixum; beatum vero Sergium ferreis ungulis laceratum; tandem post multa signa virtutum utrumque impio mucrone trucidatum: beatum vero Maurum, Christi martyrem atque pontificem, pro Christi nomine pœna capitis condemnatum, quia Christi nomen publice prædicabat (quod etiam dæmones in obsessis corporibus tormentis et incendio confitentur:) quorum corpora a quadam religiosa vidua *e*, Tecla nomine, in villam suam, quæ a rerum copia, nomine antiquo manente, Sagina *f* dicitur, fuisse transmissa, et ob metum gentilium in terræ visceribus occultata. Idem alii honestæ vitæ viri, præcipue autem cœnobitæ, quibus vivere Christus est et mori lucrum, veraciter protulerunt. Nunc, juvante Deo, ad propositum accedamus.

ANNOTATA.

a Sola Dei Gratia, *id est, nullis prorsus meritis meis.*

b *De* S. Nicolao Peregrino *egimus die* 2 *Junii; ubi et canonizationem ejus et translationem, ab Amando nostro, tum adhuc diacono Tranensi, descriptam habes pag.* 248.

c *Est* κῶλον, *id est* membrum, *orationis pars ex pluribus verbis absolute aliquid significans; itaque cola plura reperiuntur in una periodo; nec proprie* per cola scribere, *est sine ambitu aut periodo scribere; quod tamen hic Amandus intelligit; cum hæc duo confundat,* punctatim procedere, *et* per cola scribere. *Et sane in hac narratione tota stylum ubique concisum affectat; vitatque periodos.*

d *De monasterio et Ordine* Pulsanensi, *in Capitanata, videri potest Augustinus Lubinus in Abbatiarum Italiæ brevi notitia pag.* 311; *nos de illo plura*

A *ra diximus in Actis S. Joannis Matherensis, qui Ordinis hujus fundator et abbas fuit, die 20 Junii a pag. 37.*

e *Infra tamen cap. 3, num. 56, id factum dicitur a Rode presbytero. Nimirum potuit id Thecla per alium exsequi; et sic res utrique adscribi.*

f *Villam hanc seu vicum situm fuisse in agro Vigiliensi, at eversum deinde a Saracenis, dicetur infra cap. 1, num. 11. Calamitatem autem hanc Saracenicam accidisse affirmat illustrissimus Sarnellus in Historia Sanctorum nostrorum Italica lib.* 1, *cap.* 12, circa annum Domini millesimum.

CAPUT I.

Inventio corporum sacrorum, et translatio ex ecclesia S. Joannis Euang. ad S. Fortunati, non sine multis miraculis.

B

Cur Deus nunc revelaverit abdita diu SS. corpora;

Ipso festo Lect. i. Immensa igitur pietas Creatoris, ad sui nominis gloriam et Sanctorum honorum, reliquias Martyrum suorum, quæ latuerant, in nostro tempore voluit reserare; ut in tanta exhibitione divini beneficii urbs Vigiliensium, quantitate modica Sanctorum claritudine sumeret incrementum, et ob eorum reverentiam Dei gratia præveniente accensa, cultui divino insisteret: quatenus per administrationem temporis ad æternitatis felicitatem ascenderet; quia quisque crescendo major efficitur, cum per bonorum operum profectum per dies singulos elevatur.

ad suam scilicet et Sanctorum gloriam, ac populi salutem.

7 Lect. ii. Merito ergo Deus in Sanctis suis apparet mirabilis; qua et ipsa benedicitur in efficacia interventus electorum suorum, et Sanctis cultus debitus adhibetur, et plebs devota ad justitiæ præmium evocatur. Sic igitur misericordia Dei et prævenit ad initium actionis, et subsequitur ad bonum perfectionis. Ita ergo his tribus causis præmissis ab idolatriæ * tempore usque ad nostrum Christianæ religionis splendorem suorum Sanctorum corpora latentia, per revelationem factam personis simplicibus, ad lucem manifestationis misericors Dominus indubitanter eduxit.

* *lege* idololatriæ

C

Adeodonatus ostensos per visum Martyres

8 Lect. iii. Nam cum quidam simplex et religiosus juvenis Adeodonatus apud villam, quæ Aquaviva *a* dicitur, hyemaret, per visionem conjunctam oraculo inspexit personam reverendi admodum vultus, oculis ultra communem hominum valentiam perspicacibus, nivea veste fulgentem, hortantem atque jubentem, ut ad inventionem sanctorum martyrum, beati Pantaleonis et Sergii, festinus accederet: in qua visione sibi visum est, quod specu * cujusdam tenebras penetraret, in cujus parte ultima lux magna clavesceret.

* *lege* specus

jubetur in lucem proferre

9 Lect. iv. Idemque vir imperiosæ auctoritatis, unum crucifixum ostendebat, quem beatum Pantaleonem martyrem asserebat; cujus speciem propter diuturnitatem temporis et longum latendi spatium, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat, sordibus hebetem, aspectu tabidam, et quasi vultu mœrentem: alterum vero in concinnandis luminaribus intentum, beatum Sergium martyrem edocebat: quos ille vir candidus, voce hilaris, incessu gravis, fronte serenus enuntiabat in lucem promendos.

A. Amando ep. Vigiliensi. ab ipso, ut creditu, S. Mauro,

10 Lect. v. In quorum eductione multa beneficia populis a Domino elargita fuerunt. Quem virum gravem et candidum et auctoritate sublimem æstimamus fuisse beatum Maurum, cujus reliquiæ in sepulcro juxta composito postea sunt inventæ; sicut ex subsequentibus indubitanter potest perpendi.

bus illi apparente,

11 Lect. vi. Modico autem elapso tempore, in vere sequenti; cum apud Barum in monasterio monialium sanctæ atque individuæ Trinitatis prædictus juvenis Domino deserviret, persona eadem inexhausti vigoris nitori, aspectu, incessu, ac voce, jam nota eidem juveni simplici et honesto per visum apparuit, præcepitque terribiliter, ut in Vigiliense territorium properaret, ubi partem Apuliæ, quæ regioni maritimæ adjacet, Saginæ tumulus erigit, quæ olim villa dives exsistens, a Saracenis funditus est eversa.

et sepulcri locum assignante

12 Lect. vii. Normamque loci evidentissime assignabat, et beati Joannis Euangelistæ oratorium, quod ibi est, ostendebat; locum campi quam profunde foderet, demonstrabat: ibique in uno sarcophago inventas reliquias, tamdiu intactas, videlicet beatorum martyrum Pantaleonis et Sergii, in lucem ederet: ob quorum honorem ad Dei gloriam infinita miracula panderentur. Sed cum voce justi judicis * quæreretur, quis eum duceret ad Saginam; ubi hanc formam loci vigilando inspiceret, quam impressam menti vehementer notaverat;

E

* *f.* juvenis

et socium operis,

13 Lect. viii. Responsum est ab eadem magna auctoritatis persona. Inspice: nota diligenter personam astantem (quæ subito venerat) ad carnem vestitam laneis. Mox innocens et justus juvenis a somno evigilans, quod viderat, quod audiverat, volvebat in pectore; non ducens congruum, in aures prodire publicas, nisi divini consilii prius astipulatione nitatur. Tandem igitur prudenter deliberans, ad tantæ jussionis exsecutionem opus esse divino auxilio, ad beati Nicolai, confessoris Christi atque pontificis *b*, ecclesiam properat, cujus translationis festum ibidem solenniter colebatur *c*, ut ejus fretus auxilio jussa et visa perficeret.

cum quo mox occurrente proficiscitur ad locum indicatum:

14 Lect. ix. Interim in habitu religionis quemdam, Dionysium nomine, rectorem ecclesiæ nominatæ beati Joannis Euangelistæ, prospicit, sub laneo tegmine incedentem, ut eum per visum intuitus fuerat: quem cognoscens ex sola imagine, quem ante numquam noverat, amice salutat; benigne alloquitur; narrat visa, adsciscit sibi socium; inhæret ut noto: properant ardentes amore; nec æstus nec via fatigat.

F

ubi et Gualterum quemdam adsciscit.

15 Infra octav. die ii. Lect. i. adest, cui facta est revelatio; recognoscit omnia oculis, quæ mente notaverat; habet fiduciam assequendi, quod concupiverat; et, ut fiat certior et de promisso securus, alium invenit adjutorem: ibi enim ad ministerium ecclesiæ prædictæ beati Joannis se statuerat quidam vir Mediolanensis, simplex et timens Deum, Gualterius nomine; qui, secundum euangelicum præceptum, Domini crucem ipsius animo et corpore consueverat bajulare. Huic et sopito fuerat intimatum, et vigilanti multotiens fuerat imperatum a quodam Magnatum cœlestium viro fulgenti et candido, sibi assistentibus duobus aliis viris fulgentibus, illum, ne timeret, hortante;

16 Lect.

A Amando ep. Vigiliensi, sæpe, idem ut faceret, de cœlo monitum a S. Mauro.

16 Lect. ii. Primo simili blandienti, secundo et tertio minanti et terrenti, quoniam a jussis desisteret et piger esset imperata perficere, et sanctarum reliquiarum vasa negligeret aperire; quia voluntas Dei esset Sanctorum suorum corpora revelari, et, tot annis evolutis, signis virtutum clarescere, et devoto cultui innumeris beneficiis subvenire. Et ad loci positionis Sanctorum notam inambiguam, faces spendidas et ardentes ibidem sæpe conspexerat; ut et tarditas operis abesset a corpore, et omnis hæsitatio ab animo pelleretur; seque asserebat esse Maurum episcopum et martyrem, pro Christi nomine crudeli gladio jugulatum, ibique cum duobus adstantibus sepulcris juxta conditis tumulatum.

Nimirum simplicibus solet Deus

17 Lect. iii. Nec mirum, horum simplicium electas esse personas ad opus tam gloriosum; cum ad Euangelii prædicationem mundique illuminationem et gentium conversionem simplicium et ignobilium linguas decreverit Dominus, ut fortia confunderet et mundi sapientiam offuscaret, secundum Apostolum : Infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortia; ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, ut confundat nobiles et potentes. Item prænominato Dionysio, etsi non expresse revelatum, non tamen est hoc idem occultatum.

sublimia communicare atque committere

18 Lect. iv. In tempore namque sacræ Quadragesimæ, quæ præcesserat, visum est ei videre quemdam splendidum, supero cardine delapsum, unum de choris cælestibus, ferentem quasi tres argenteos calamos, odorifero manna repletos, et eos apud Saginam in ecclesia supradicta beati Joannis cum digna reverentia collocantem : moxque duarum personarum ex Supernis civibus sermone doceri, ex manna vasorum hujusmodi remedia infinita variis infirmitatibus proventura; quod manifestum est et ex mirabili trium Sanctorum corporum afflatu et beneficiorum largitione copiosa.

Hi ergo 10 Maii SS. corpora odorifera effodiunt, et abscondunt, inconsulto episcopo:

19 Lect. v. Tunc ii tres unanimiter decimo die mensis Maii, Indictionis quintæ decimæ *d* fodientes, invenerunt thesaurum incomparabilem, scilicet tria Sanctorum corpora prædictorum. Quorum inventionem odor suavissimus, mirificus, et ingens præcessit, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus : quo stupentes, et metuentes, ne odore tanto turba, per viam transiens, provocata, per vim sacra corpora tolleret, obliti (proh dolor!) nos cum nostro clero et populo adire et ad honorem Sanctorum, tot visis evidenter ostensis, accedere, absconderunt ossa Sanctorum, prius tamen ob reverentiam lota, intus in præmissa ecclesia S. Joannis. Verum inibi præconia et laudes angelorum ii tres inventores sæpe audierunt.

qui, re cognita, thesaurum illud transtulit ad ecclesiam S. Fortunati, non sine miraculo.

20 Lect. vi. In loco autem inventionis sanctorum corporum vestigium oratorii, a Saracenis olim destructi, apparet; senumque relatione, ut ipsi a prædecessoribus acceperunt, sacra ædes beati Sergii ejusque Sociorum, quos tunc bene noverant, dicebatur. Nono vero die mensis Junii per medium inundationis pluviarum nos attoniti cum quibusdam ex nostris sacerdotibus, ut rem novimus, ivimus, et veneratione debita et officiis competentibus fecimus ea deferri in humeris sacerdotum usque in ecclesiam beati Fortunati *e*, ut ibi competenter a populo colerentur. Tunc, mirum, nec gutta pluviæ super reliquias, super nos, et super sacerdotes nostros cecidit.

Ibi reliquiæ oleum et odorem effundunt,

21 Lect. vii. In ecclesia vero beati Fortunati unum de ossibus beati Sergii cœpit oleo desudare : ibique visum est ab arca reliquiarum fumus aromatis et odoris immensi egredi. Deinde cum a consecrato altari beati Leutii *f* confessoris Christi, quod est in meridie, idem os esset translatum ad altare arctuum ejusdem oratorii nondum sacratum *g*, lux ingens ab eadem arca prodiit, qua tota ecclesia beati Fortunati est illustrata. Prædictus Dionysius furtim dentes sacrorum capitum, ad loci tuitionem, juxta parietem ecclesiæ ipsius beati Joannis absconderat, quos odor suavissimus patefecerat, ne a sacris corporibus essent inconvenienter separati.

concurrentibus, ut cuidam revelatum est,

22 Lect. viii. In tanta vero eximii odoris exhalatione ineffabili, patenter innuitur, orationum sanctorum in illis præcessisse instantiam (secundum Psalmi testimonium : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo) et virtutum connexione Viros sanctos obfirmatos insolubiliter exstitisse, ut convenienter cum Apostolo dicerent : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Ex quibus rebus etiam Sanctorum ossa mirifice reniter sentiuntur. In nocte autem Sabbati, quæ diem secuta est secundæ positionis, revelatum est cuidam viro simplici justo et timorato Vigiliensi, nomine Angelo, Proceres cæli ad situm Sanctorum magnifica visitatione accedere.

ad eas visitandas ipsis Cælitibus.

23 Lect. ix. Videbatur enim sibi videre quatuor viros illustres, et candidos, mitris coronatos *h*, singulis in equis candore insignibus, venire ad prænominatam ecclesiam S. Joannis : quibus vir ille simplex flexu capitis salutatis inquit simpliciter : Domini mei, sacratissimæ Sanctorum, quas quæritis, reliquiæ in oratorium beati Fortunati summa devotione ab Amando nostro venerabili episcopo ductæ, melius et honorabilius et loci frequentia, et turris munitione, et ædis sacræ pulchritudine requiescunt. Tunc ad hæc Regis æterni Aulici, ut erant benignissimi, ore læto respondent, se illud nosse, ideoque procedere, ut Sanctorum reliquias exsequiis competentibus visitent.

ANNOTATA.

a Aquaviva *castrum est regni Neapolitani in Bariana provincia, ab ipso Bario milliaribus fere quindecim ad meridiem distans.*

b *Myrensem intellige, de quo agendum erit die* 6 *Decembris : ejus corpus anno* 1087 *ex Lycia ad Barenses translatum, summo in honore habetur.*

c *Festum translationis hujus in Martyrologio Romano annuntiatur die* 9 *Maii.*

d *Nempe anno* 1167, *ut in fine notabitur.*

e Ecclesiæ S. Fortunati, *teste Sarnello in Historia SS. Martyrum lib.* 2, *cap.* 8, *nullum apparet hodie vestigium ; sita vero fuit, ubi nunc visuntur ecclesiæ S. Margaritæ et S. Mariæ de Misericordia ; fueratque fundata anno* 1136 ; *id quod probatur ex inscriptione, ejus olim frontispicio imposita et nunc in ecclesia S. Margaritæ servata, quæ sic loco citato refertur :* Anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo sexto Simeon judex, filius Mauri, hanc basilicam fecit ædificare ad honorem sanctorum Fortunati episcopi, Mauri martyris, ac justi Simeonis pro anima sua suorumque parentum.

f *De* S. Leucio *ep. Brundusino actum est* 11 *Januarii.*

g *Mi-*

A

g *Mirum videri non debet, quod in ecclesia, annis tantum triginta ædificari cœpta, altare aliquod, forte recens erectum, nondum sit consecratum.*

h *Hinc forte colligit illustriss. Sarnellus in Monumentis episcoporum Vigiliensium pag.* 24, *quatuor hosce Cœlites fuisse olim episcopos Vigilienses; sed nihil argumenti satis hic solidi video, quo id firmari tuto possit.*

CAPUT II.

Translatio Sanctorum ex ecclesia S. Fortunati ad S. Bartholomæi : miracula varia; reliquiarum aliquot aliæ particulæ repertæ.

B

Translatio SS. corporum ad S. Bartholomæi; odor eorum, et populi affluxus, a

DIE III. Lect. I. Tunc Vigilienses timentes, ne vicinarum urbium cives tantum thesaurum raptum ire molirentur, honorifice sacras reliquias, cum laudibus et psalmodiis præcedente clero, usque ad ecclesiam beati Bartholomæi apostoli *a* in suburbium detulerunt; in qua processione turba innumerabilis sexus utriusque divina inspiratione confluxerat, odore Sanctorum corporum et fragrantia maxima referta et hilaris. In quo loco concursus populorum diversarum urbium et odore immenso, ante numquam operto *, et miraculis pascitur, et beneficiis cumulatur.

* *an.* comperto?

et secuta miracula minime dubia.

25 Lect. II. In tanta vero rerum mirabilium multitudine potius ea scripsimus, quæ fere civium omnium testimonio sunt approbata; ut ambiguitas tenendorum discedat; fides roboretur; invidiæ languor deficiat, quæ etiam adversus Sanctorum ossa desævire præsumit, et livore infecta, quos occupat, vita privat; morti addicit; velut insensibiles efficit. Nomina quoque eorum, quibus Dei clementia Sanctorum immeritis sunt impensa beneficia, plerumque posuimus; ut vivis vocibus et testimonio personarum superstitum et Deus glorificetur et Sanctorum honorentur reliquiæ, et, fide crescente, livor abscedat, fides firmetur, et caritas accendatur.

C

Paralyticus sanatur, et cæcus,

26 Lect. III. Gulielmus presbyter, totius lateris et pedum amisso officio, diu vivus inter mortuos est deputatus : nocte vero, quam dies Dominicus sequitur, visum est ei ad Sanctorum reliquias accedere, et fumigante thuribulo reliquias Martyrum honorare, odorisque immensi refectione stupere : statim sanus efficitur; vigilansque nudis pedibus adit reliquias, ibique vota persolvit, Deo gratias et laudes referens, jejuniis et orationibus insistens. Sacerdos quidam, nomine Leo, fere per decennium cæcus exstiterat, in die, sicut fieri solet in tenebris, palpans, nihil omnino visu percipiens; accessit orans, jejunio vacans; videns et formas hominum, et colores rerum discernens, actiones motusque distinguens, ovans et Dominum laudans, recessit.

et mulier contracta maleque a dæmone affecta,

27 Lect. IV. Mulier quædam, Eva nomine, Gallica genere, quæ nervis totius corporis contractis, brachiis distortis, ventre tumido adhorrens, solo sensu capitis usa, supplex petit Sanctorum corpora, postulans, ut eorum precibus

A. Amando ep. Vigiliensi.

statum incolumitatis consequi mereatur; quatenus debilitate (quam incurrerat sathanæ artibus et vinculis alligata, cui servire, sicut ipsa nobis retulit, noluit) abscedente, votum servitutis divinæ reddere valeat. Ea tamen bona sua prius in opus medicinæ consumpserat; nullis tamen dolores suos potuit medicorum fovere remediis. Mox manibus, ut erat, obliquis juste, ut potuit, in fesso capite obdormivit; viditque S. Pantaleonem se hortantem, ut surgeret : quod cum ipsa, diffidens adhuc, non crederet, iterum iterumque monita, sana surrexit, laudem Deo dedit, et exemplum glorificationis ceteris tribuit.

item ex capite et brachiis laborantes. b c

28 Lect. V. Quidam ex minori emitrideo *b* immensum capitis tolerabat dolorem. Invocato auxilio Sanctorum, statim est liberatus. Quædam brachium ad os ducere non valebat; solo Sanctorum odore corporum est effecta incolumis. Quidam in formandis vegetibus *c* peritus artifex, Leo nomine, alterius brachii deficiente officio, diu suæ artis notitiam, quam volubilitate brachii exercere solebat, æstimabat inutilem et inanem : qui devotione digna et humilitate sincera a Domino petiit in veneratione Sanctorum, ut eorum precibus suum brachium ad usum sui officii roboratum rediret; quod obtinuit; cognovit, et gratias egit.

E

Surda mulier sanatur : reliquiæ igne probantur.

* *lege* sensu

29 Lect. VI. Quædam mulier, prorsus sensum * audiendi amisso, capitis languore laborabat : ossa Sanctorum ore tetigit; odorem hausit, a periculo infirmitatis est omnino liberata. Eodem tempore multitudo innumerabilis Vigiliensium et vicinorum ad loca primæ positionis et occultationis Sanctorum antiquæ *d* progressa, quærit diligenter, si quid ibi de Sanctorum sacris corporibus occultatur : invenitur autem, illis quærentibus, ex odoris insueti vapore quiddam ex ossibus a quodam Rubensi presbytero, viro veraci et probo, cui est nomen Abellus. Cui ossi cum in præsentia suorum concivium ad probationem ignis primo in vivis carbonibus, secundo in lini purissimi materia, esset suppositus (visu mirabile!) ad sacrum os non est ausus accedere; quoniam, etsi flamma esset terribilis, subito est exstinctus.

Vestigia S. Mauri saxo impressa reperiuntur.

30 Lect. VII. Quod miraculum propulsavit perfidiam; fidem adstruxit. Quid vero mirum est, si fugit ignis corporeus; cum flammas carnalis concupiscentiæ is, cujus illud os fuerat, in hac vita positus superasset? In loco autem, ubi Vir tertius virtutibus roboratus, quem dæmones etiam Maurum martyrem confitentur, debitis est exsequiis collocatus, in lapide, quem terserunt, totum ipsius Sancti vestigium impressum apparet, sicut in cera sigillum; ut possit a quolibet etiam evidenter notari, ubi caput, ubi renes, ubi ulnæ, ubi genua, ubi crura cum pedibus sita sint; ex quibus lineamentis et superficie quidam in Dei misericordia confidentes, abrasum pulverem deportantes, cum ingenti reverentia honorifice posuerunt; sperantes, idem auxilium profuturum humanis imbecillitatibus, si forte contigerint.

F

Reliquiarum aliquot particulæ inventæ. Situs corporum:

31 Lect. VIII. In altero vero loculo, qui ad orientem per longitudinem profundam extensus, duorum sanctorum Pantaleonis et Sergii corpora est complexus, non diu post manifestationem et translationem Sanctorum corporum portiunculæ quædam de sacris ossibus sunt repertæ, quas ad sacras eorum reliquias contulimus diligenter. Sarcofagum vero B. Mauri martyris atque pontificis versus occidentem juxta prædicto-

 rum

A. AMANDO EP. VIGILIENSI.

rum sanctorum Martyrum capita, solo lapide mediante, aliquantulum est elevatum : ubi, sicut dictum est, corporis forma sacrati ad silicem est traducta.

et color singulorum diversus,

32 LECT. IX. Res mira; sed mirabilius est efficaci experimento compertum : nam cum auras vitales carperet,ad corda lapidea formam bene vivendi, ut conjicimus,constanter transduxit, et idololatras, lapidibus, quos pro Deo colebant, similes, conformes reddidit Jesu Christo. Neque pro solis virtutibus et fragrantia stupenda illa ingens admiratio mentem replet, cum color distinctus, ut singulorum Sanctorum reliquiis nitens, animum inflammet intuentis ad gloriam Deo attentius impendendam : in ossibus enim beati Pantaleonis est rubor flammeus, in corporeo * beati Sergii croceus, in residuo S. Mauri martyris atque pontificis candor niveus.

** lege* corpore

et omnium soliditas incorrupta.

33 DIE IV. LECT.I. Præterea præmissa reliquiarum differentia *e* conciliat pondus et soliditas imputribilis. Sic igitur nitor et color parit distantiam, gravitas et sinceritas innectit concordiam. Quæ quidem ex moribus, vita, constantia, virtutibus singulorum evenisse, non sine ratione conjicimus : nam vitæ gravitas, nitor, et incorrupta integritas est ad ossa collata. Prætaxatam vero in coloribus differentiam, quæ in discernendis Sanctorum pignoribus fuerat divino auxilio necessaria, requisivit ordinatio : post situm enim in tributis sedibus Sanctorum corporum nulla exstat in coloribus distinctio; quia non est necessaria compositio.

Brachiorum vigor debilibus restituitur,

34 LECT. II. Tranensis *f* quidam, cui est nomen Joannes, ita brachii carebat officio, quod, sicut ipsum ab omnibus videbatur habere, ita ipse sibi ad opus exercitii, quasi deesset corpori, reputabat. Is reverenter adit reliquias; poscit fiducialiter adesse sibi quod deerat; petit sperans, ex uno sacrorum ossium signum crucis super locum passionis imprimi, impetrat; accipit; lætus et incolumis laudes Deo referens, ad propria rediit. Andriensis *g* quidam, qui Janquintus dicitur, tantum in brachio naturalis vigoris defectum incurrerat, quod, cum brachium utrumque haberet, alterius tantum solius opere utebatur : nam alterum, quasi nervorum vinculis dissolutum, onus inutile ab humero dependebat. Is fidens accessit; sanus recessit; vota persolvit; præco Sanctorum extollit laudibus Regem cælorum.

Contractio tollitur,

* *an.* armorum *id est* humerorum?

35 LECT. III. Puer quidam incauto præcipitio ita, nervis totius corporis contractis, erat forma informis, quod et amodum * et manuum natura in eo tabesceret, et vivens æstimaretur exanimis. Cum ipsa mater mœrens, coram sistens, lacrymas fundit; non ausa voce petere, quod gestiebat humiliter obtinere, affectu solo impetrat, quod diu optavit : ejus natum, qui volunt, Deum benedicere vident erectum, manum utramque ad os ducere; quod numquam qui noverunt, sperabant. Puella quædam, Juvenarii *h* civis, tantum cæcitatis incurrerat detrimentum, ut nihil visu perciperet, lucem a tenebris non distinguens propter noctem continuam, corporum superficies, formas atque colores nullatenus sentiens, ducitur, trahitur ad sacras reliquias; orat ipsa; orant circumstantes pro ipsa.

et cæcitas;

36 LECT.IV. Respicit Dominus ad effectum; exauditur interventu Sanctorum. Mirum spectaculum! Lumen recipit; per se, sine offensione pedum revertitur, quæ per se non affuerat; multis cernentibus, cernit; sub plurium testimonio luminibus lumen regreditur, quod putabant ingressibiliter abesse. Sic, sic adest Dominus omnibus se invocantibus in veritate : sic in hac quoque vita Sanctos suos glorificat et honorat. Vir quidam, Ugo nomine, Normandus genere, adeo fuerat doloris artetici * constrictione contractus, quod longo tempore nec manus ad usum palpandi, nec pedes ad officium ambulandi movere valuerit. Sic igitur palmas gerebat ad onus, pedes trahebat ad questum, neutrum ad exercitium; utrumque, peccatis exigentibus, ferebat ad supplicium; et, ut truncus inutilis, aliis ferentibus, movebatur.

* *lege* arthritici

item contractio pedum ac manuum ex arthritide,

37 LECT. V. Is supplex, devotus, et humilis coram sacris reliquiis est delatus; jacuit; enormitatem scelerum recognovit; fletibus verba dictavit; Sanctorum interventu a Domino sanitatem impetravit. Ad gloriam ergo sui nominis divina clementia, et honorem Sanctorum, respexit super miserum hominem; mox recedit contractio; adest salvatio; vigor et officium ad corporis accedit instrumenta : miratur, se posse surgere; miratur, se posse manus volvere; miratur, se posse figere gressus; tentat, an valeat ambulare. Quid plura? Se nobis repræsentat per se incolumem; exsultat et gaudet pro tanto beneficio, laudes Deo et refert ingentes.

et surditas, i

38 LECT. VI. Terlitiensium *i* quidam juvenis, cui Angelus est vocabulum, diu habitu audiendi amisso, ad incommodum lapsus est surditatis; in medicorum remediis frustra sua profudit; tandem ad certa, fusis lacrymis, omnipotentis confugit suffragia; suppliciter sanctos Martyres exoravit; opem consequitur; auditum obtinet; vota reddit; ovans repatriat, Martyrum verax præco effectus. Modico temporis spatio elapso, quidam ex genere Gallico, qui participatione vocabuli cum beato Nicolao lætatur, diu apud Tranum, urbem egregiam, commoratus, tanta est invaletudinis molestia compressus; ut, licet forma esset integer, officio tamen alterius lateris et vigore naturæ privatus exsisteret, ad onus gerens totum corporis instrumentum ab inguine, non ad amminiculum.

et paralysis

LECT. VII. Is destitutus a medicis, duxit utile, summo Opificis postulare auxilium. Huc illuc ab uxore ducitur, viro vivente, jam vidua; in oratoriis, quæ Sanctorum fulgent virtutibus, orationibus vacat; tædium fit ipse sibi et aliis. Inspiratur tandem sanctorum Martyrum nuper inventas reliquias petere, ubi fulgor famæ illuxit, ubi vox Domini super aquas multas intonuit, ubi populorum mentibus ignis divini respectus incanduit : fertur homo miser cum votivo munere super quadrupedem; subito divina misericordia prævenitur; sentit vim ignotam membris redire præmortuis; per se descendit, qui ut pondus ignavum super jumentum vix est impositus; it velox; miratur se validum, miratur se celerem; repræsentat se supplicem sacris reliquiis; offert munera; gratias agit; coram nobis assistit hilaris et ab omni morbi periculo absolutus.

Annulus S. Mauri ep. M. repertus cum osse digiti,

40 LECT. XIII. Per idem tempus sacerdos noster Chrysolytus, et sacrista, inflammatus igne Spiritus sancti, ad Sanctorum monumenta cum pluribus nostrorum concivium profectus, sacrum pulverem oculis lacrymantibus speculatur; eo ipso dignus efficitur invenire, quod aliorum nemini, tot quærentibus, est concessum. Offendit igitur pontificalem annulum, in auro puro formatum, lapide sculpto decorum, os quarti digiti sancti

A. Amando ep. Vigiliensi.

A sancti Martyris et præsulis complectentem. Quod invenit, tam fidelis, quam devotus nobis sponte obtulit.

quem dæmon ab energumeno fugiens agnovit.

41 Lect. ix. Hic annulus ut a dæmonio, quod quamdam mulierem invaserat, jam accessu proximo est persensus, ardet, affligitur, clamat mœrens, se tantum incendium ferre non posse; profert, hunc esse annulum beati Mauri præsulis et martyris, per quem consueverat signo, sibi pestifero, populum Christo famulantem munire. Hunc igitur sacræ manus annulum communi consilio inter sacras reliquias jussimus reservari.

ANNOTATA.

a *Hujus ecclesiæ vix hodie, teste Sarnello, vestigia apparent.*

b *Legendum* hemitritæo, *a Græco* ἡμιτοιταῖος, *quo febris significatur semitertiana.*

c Veges *in sequiori latinitate pro vase vinario dicitur, sivelag ena illud sit, sive modius, sive* B *dolium; uti hæc omnia etiam significatur Italica voce* veggia, *a qua* veges *duci videtur. Vide Cangium in Glossario.*

d *Id est, ad vicum Saginensem, ut patet ex dictis supra.*

e Præmissa differentia *est casus accusativus pluralis; quasi dicat auctor :* præmissas reliquiarum in coloribus diversitates conciliat *etc. id est, sicut differunt reliquiæ coloribus, ita conveniunt soliditate et integritate.*

f Tranium *sive* Tranum *urbs est in ora maris Adriatici haud procul Vigiliis versus ostia Aufidi : et sedes est archiepiscopalis.*

g Andria *urbs Trano distat sex circiter milliaribus in meridiem.*

h Juvenatium, *Italis* Giovenazzo, *urbs provinciæ Barensis ad mare Adriaticum, senis item fere milliaribus distat Vigiliis versus orientem.*

i Terlitium, *vulgo* Terlizzi, *oppidum est Vigiliis dissitum quinque circiter milliaribus in austrum.*

CAPUT III.

C *Prosecutio miraculorum; apparitiones variæ; sacellum Sanctis ædificatum.*

Mulier usum membrorum amissum

Die v. Lect. i. Post non multum temporis spatium mulier quædam, cui est Maria vocabulum, de Gallorum genere, in tantam invalitudinem membrorum divino judicio est elapsa, quod præter visum et sensum aurium ab omnibus eam intuentibus censeretur moles inutilis : adeo enim erat ejus linguæ modulus coarctatus, quod ad sermonis saltem minimi actum solvi non poterat; manus ad tactum movere, brachia tollere, pedes ad gressum protendere vis languoris prohibebat : portabatur; volvebatur, aliis miserentibus : statum tamen mentis sanæ atque integræ morbus non valuit conturbare. Affectu, quo poterat, animo, quo valebat, sanctos Martyres exoravit : innuit viro motu capitis, ut ad oratorium beati Bartholomæi, ubi erant Sanctorum reliquiæ, duceretur.

statim recuperat,

43. Lect. ii. Et quia ibi signis virtutum innumeris sanctorum Martyrum beneficia conferuntur; visum est ejus viro seminecem conjugem sacris reliquiis sistere. Quod gestit altera, quod alter deliberat, effectui mancipatur; globus enormis, moles informis, statuitur sacris corporibus; orat suppliciter; plorat fiducialiter; petit instanter, ut sanitas redeat, linguæ vinculum pereat; solvatur silentium, ora resolvat ad præconia : ad manus et pedes sua reducantur officia : exaudit Dominus preces supplicum; surgit per se mulier incolumis; jam desuetus vigor ad membra revertitur; loquitur, graditur, brachia flectit; et palmis se lætam et validam nobis offert; refert Domino gratias; Sanctos honorat votivis muneribus; movet ad laudes ora inspicientium; mirantur omnes et collaudant Dominum.

equite cœlesti apparente.

44 Lect. iii. Notandum vero diligenter, neque ut frivolum est putandum, quod veritatis sumus experimento comperti *. Nam cum prænominata mulier voto a Domino Sanctorum suffragiis peteret sanitatem: quædam alia mulier, ætate grandæva, vita et moribus commendabilis, ratione integra, oriunda Caurati *a*, quæ cum cæco filio ibidem a Domino postulabat remedium, vidit vigilantibus oculis hora jam secunda diei per januam septemtrionalem introire juvenem fulgidum, coopertum veste nitensi, in sonipede flammeo, ad jam dictam B. Bartholomæi basilicam, toto populo, qui ad Missarum solemnia stabat intentus, ei cedente, solamque inter omnes illam ipsam petere mulierem; statimque tanta * ipsa salubriter, invisibiliter recessisse : quod alius nullius tantæ multitudinis est aspectui præsentatum : E

* *pro* comperimus

a

* *lege* tacta

Sublati dolores capitis graves.

45 Lect. iv. Illico circumadstantibus rem, quam viderat, retulisse : tunc illam, quæ totius corporis est passa defectum, surrexisse, tonsosque crines, quos vehementi cultu aluerat, sacris reliquiis consecrasse; sicque incolumem ad propria vestigia retorsisse. Nos autem illum juvenem decorum fulgore, beatum Pantaleonem vel Sergium æstimamus fuisse, qui et se et sua beneficia voluit corporaliter exhibere, ut eum nobis adesse invisibiliter præsentem non dubitemus. Clericus quidam, Gualterius nomine, tanta convulsi capitis passione turbatus est, quod continuis doloribus, quos nulla medicorum ope linire * potuit, nec videndi nec audiendi, nec quiescendi posset actionibus indulgere: et qui artificio suendi consueverat vitam fovere, cogebatur inopia mendicare. Profectus ad sancta corpora, humiliter lacrymis petit suffragia; quod postulabat, obtinet; sanus efficitur; ex assueti laboris studio, quod noverat, perficit; gratias refert innumeras Salvatori. F

* *f.* lenire

De filio obtrito et morti proximo anxiæ matri

46 Lect. v. Quidam puer quinquennis apud Juvenatium ludi oblectamento illectus, discretionis expers, prudentiæ inops, pueritiæ inscitia hebes, subito per plateam currentis sonipedis impetu dejicitur; ferratis pedibus hinc inde conculcatur; ossa tenera non valent furentis tunsionis feritati resistere; cedit ictibus caput; orbes oculorum a suis sedibus propulsantur; deficiunt brachia; nil miserationis adhibetur ventri, nil lateribus; nil soliditatis restat coxis et tibiis; confunditur funditus; deficit natura cum sensu; vis, auditus, visus, et sermonis ministerium omnino emoritur; solo halitu tenui semivivus relinquitur : flent miseri parentes unicum filium; desperant de vita nati, cui medici operam denegant; ad funera contrite * prolixe præparant : adest cura sepeliendi, ubi diffuerat * cura medendi.

* *forte* contriti

* *lege* defuerat

47 Lect.

A. Amando ep. Vigiliensi. *apparet cælestis juvenis, eamque ad SS. reliquias invitat;* * *an.* inspirata?

47 Lect. vi. Mater tandem famam virtutum sanctorum Martyrum recensens, ad spem insperata * erigitur; inter questus funereos interpellat beatos Martyres; se optare fatetur, prolem fere exanimem deferri ad eorum Sanctorum memoriam : sed via, calor, exilis spiritus filii, et cœtus plorantium a tanto proposito dehortantur. Adest pestifera persuasio, superstitiosa mulierum impulsio, ut opem a maleficis petat, ut quæratur præsidium a quadam ministra vilissimorum spirituum; quatenus excellentia divinæ imaginis se subjiciat immundis spurcitiis : negat mater honesta; stat in proposito, perstat in voto. Fessa parens lacrymis, somno veniente, quiescit; ut sibi videtur, vocatur, et tangitur ut evigilet, et vota perficiat; iterum fatigata sopore, languescit : intuetur illico juvenem fulgidum, ad se leniendam benigne venientem, leniter alloquentem, hortantem sacras adire apud Vigilias Sanctorum reliquias Martyrum, dehortantem a magicis næniis, promittentem filio sospitatem.

apud quas puer subito sanatur;

48 Lect. vii. Mulier pia, mater miserabilis expergiscitur; affectat animo, signo revelationis B vere animari; statim videt filium emotos oculos aperire : clamat præ gaudio mater : En vivit, quem sepelire putabam ! Respondet ad hæc quædam delira vetula : Consulatur malefica. Mox puer claudit lumina emota, non evulsa : protinus mater sanctum Pantaleonem interpellat : ad nomen matris iterum puer impulsa lumina detegit. Tunc mater fidens oraculo, accensa spevitæ atque desiderio Martyrum, cum affectuosis muneribus, viro comite, procedit ad Martyres. Ibi tam mente quam voce humiliter postulat, exanimem filium ad vitam reduci, matri reddi, se redire a sacris lætam reliquiis, quæ domo tristis abscesserat. Papæ admirandum! Sensus ad instrumenta, qui abscesserant, revertuntur; orbes regrediuntur ad sedes, videt puer, audit et loquitur; flectit curvamina lacertorum; pedes movet ad gressus; ad formam naturæ omnia membra reducuntur, eaque animæ ad operationem pristinam famulantur.

uti et sacerdos ex oculis dolens.

49 Lect. viii. O Potentia inexplicabilis! O benignitas inæstimabilis! Ad honorem Sanctorum suorum Dominus respicit super memorem, et de- C votionem parentum : Dominus erigit elisum, consolidat contritum, integrat fractam prolem; ut nec signa tantæ læsionis supersint. Solvuntur certatim ora ad tam immensæ miserationis præconia, grates immensas referunt totius sospitatis Auctori. Nuper in beati Bartholomæi æde jam sæpe nominata quidam nostrorum fratrum, sacerdotalis ordinis, vir probus, atque modestus, diu magnis oculorum passionibus afflictus, sacris reliquiis corde compunctus astitit; sanctos Martyres intercessores ascivit, suppliciter postulans, ut Sanctorum precibus divinum ei auxilium subveniret, quem omnis humana cura destituerat medicorum. Accipit; quod quærit, invenit. Illico enim, uno ex sacris ossibus orbibus obscuris apposito, claris luminibus sospes egreditur, qui æger ferrugineo sanguine obtusis oculis fuerat introgressus.

Incredulo cuidam brachii languentis usus redditur.

50 Lect. ix. Tot virtutum argumentis fides astruitur et roboratur, lux fidelitatis accedit, perfidiæ nox discedit. Si quibus tamen adhuc superest ambiguitas, ipsa vel misericorditer vel terribiliter propulsatur. Ad quod duo divinæ potentiæ pro meritis suorum Martyrum subduntur indicia. Monopolitanus quidam, Maius nomine, lacerti alterius enervationem perpessus, dum casu transiret ante B. Bartholomæi ædem, de qua sæpe fecimus mentionem, a sociis assumptæ D mercationis monetur, ut ad honorem Sanctorum oratorium adeat, precibus sanctos Martyres moneat, ut eorum interventu impetret a Domino sanitatem. Incredulus resistit; superbus transit, insalutatis reliquiis; asserit, se fidem non adhibere, nisi prius recepto incolumitatis remedio. Sol occumbit; nox orbem contrahit; somnus per membra infidelis infunditur : visum est ei arcam reliquiarum sanctarum inspicere, odore salutifero recreari : sospes evigilat; lætus aulam sacratam ingreditur; jam fide mitis, jam humilis Deo gratias agit. Sanctos honorat muneribus.

Sic et incredula punitur; sed emendata, pœnam avertit.

51 Die vi. Lect. i. Quædam mulier apud Tranum sanctorum Martyrum beneficiis detrahit; irridet ad cultum Martyrum accedentes; inficiatur, se posse credere; putat fatuum, si quem admiratio moveat; fatetur insanum, si quis se subdat famæ mendacio. Cum igitur filium teneret in gremio, videt, a manibus prolem rapi crudeliter, dejici violentius, semianimem palpitare, signa mortis ostendere. Mater stupet; inops mentis efficitur; causam volentiæ tantæ ignorat; mœret, luget, dolet acrius. Tandem mens redit; recogitat reatum perfidiæ; invocat sanctos Martyres; profitetur, se credere; implorat de E perfidia veniam : illico puer surgit incolumis; parens fit hilaris, gaudet in Domino, currit læta dignis onerata muneribus ad sacras reliquias; hortatur notas accedere, ibique sperare salutem; deterret perfidas, ne simile quod ei * contingat incommodi. Sic igitur Dominus quosdam prosperis, alios trahit adversis; aliquando enim beneficiis, aliquando flagellis correctionis hominum operatur salutem.

* *lege* quid ei

Puer salvus ex ruina et aquis educitur.

52 Lect. ii. In eodem fere tempore cujusdam Vigiliensis domus per vetustatis incommodum, tignis deficientibus carie, corruit : ceteris ruinam fragore [præsentientibus, puer quidam] impetu ruinæ deicitur. Forte cisterna, in qua magna erat pluvialis aquæ collectio, hiatu patuerat aperto; in eam partium collisione cadentium idem puer impellitur : mox parentes, Martyres vocabulis propriis invocant; opem puero flagitant : nec mora; pater confisus in Sanctorum præsidio, se post puerum mergit; invenit filium molli aquæ alveo, quasi cubili, receptum incolumem; egreditur ovans cum illæsa progenie; Dominum collaudabant ip- F se, mater, vicini omnes, qui concurrerant. Statim procedunt cum reddito filio ad sanctas reliquias; assistunt aræ supplices, donorum affectu sanctos Martyres pro se fuisse interventores efficaces agnoscunt.

Puer alius subito convalescit,

53 Lect. iii. Apud Botontum *b* exstitit quædam mulier invalida, febribus assiduis jam exhausta, habens ad ubera jam sicca unicum filium, et ipsum vel matris contorsione, vel alia causa apparente languore, contritum. Quæ mota fama virtutibusque Sanctorum, necessitate crescente, vovet prolem sacris corporibus. Protinus, morbo cedente, redditur sanitati. Quidnam mater faciat, prorsus ignorat : lugenti nato præ lactis inopia non valet sufficere : molestum est alienæ curæ unicam prolem committere : timet, ob famem filium posse deficere, oblita petere sibi, quod filio a sanctis Martyribus impetraverat. Non est sibi satis in patria opem quærere medicorum : urbem Tranensium gloriosam, morbis anxia, cupida salutis ingreditur, ubi est et copia sapientum, et specierum salutarium innumerabilis multitudo; redit attonita, violentia sibi languoris expressa, ptisis * incurabilis signa manifesta prætendens,

* *lege* phthisis

A tendens. Tandem in se reversa, precatur expresso nomine beatum Pantaleonem, ut ejus interventu fiat incolumis. Noxia tamen persuasio mulierum cogit nil sperare a sanctis Martyribus ; imo iterum curas attentare humanas.

imo et mater, apparente Deiparacum S. Pantaleone.

54 Lect. iv. Cum igitur postera diei sequentis aurora iterum etiam Tranum itura [esset,] ut experientiæ medicorum se subderet, inspicit nocte media jam exacta, nec vere dormiens, nec vere vigilans, incorrupto rationis officio, fulgidum juvenem, nitida veste decorum, ad se leniter venientem, sequentem gressus feminæ cujusdam incomparabilis, quæ similis visa est imagini Virginis et Dei Genitricis Mariæ : cujus gloriæ feminæ docetur affatu, ut hominum secularium curas contemnat ; hunc sibi astantem Juvenem sufficere ad salutem, cujus nomen totiens invocaverat. Visio salubris elabitur ; mulier jam sospes evigilat, B lætatur oraculo : tamen ambigit de salute, donec experitur surgere : jam se movet fortius ; nil passionis, nil ardoris sentit intrinsecus ; appetit fomenta ciborum, quos ægra diu abhorruerat : comedit delectabiliter ; dormit suaviter ; pallor plumbeus abscedit ; vividus color accedit ; cognoscit mulier Dei auxilium ; sentit Martyrum interventum ; exclamat, beatum Pantaleonem pro sua, quam acceperat, intercessisse salute. Simpliciter ergo sacras reliquias cum oblationibus visitat ; Deo refert gratias pro beneficiis tantis ; omnes adstantes ad cultum Sanctorum gratiosa invitat.

c Manus languida et febris sanatur. Et hæc omnia miracula tribus SS. communia sunt.

55 Lect. v. Sacerdos Rubensis *c*, quem superius nominavimus, qui, sacro Martyris osse a se invento, prius in lino flammam appositam inspexerat (visu mirabile!) retorqueri, et paulo post circulariter penitus exstingui, ex eodem osse signo crucis impresso super cujusdam Rubensis mulieris palmam enervem et quasi mortuam, mox eam fuisse sanitati redditam, nobis tam veraciter, quam fideliter retulit. Mulieri quoque alii Rubensi, febrium ardore anhelanti, pulverem sacri corporis in latice sitienti tribuit : statim vim febrilis incendii exstinctam fuisse, nobis libenter audientibus humiliter intimavit. Addidit etiam, utramque feminam Sanctorum meC ritis sospitatem receptam cognovisse, ideoque sanctos Martyres digna veneratione coluisse, atque colere devotione fideli, et exprimentis exhibitis salubriter Martyrum efficacem potentiam attestari. Sciendum est autem, sanctos Martyres, ad quorum honorem hunc libellum formamus, opere mirabili non separari, quos vita, sepulchra, cultus, et translatio gloriosa non dividit : quas etsi cujuslibet solius nomen invocetur ad opem, vel eorum quilibet videatur adesse ad suffragium, sive unius eorum reliquias contingat præstare secundum opinionem remedium, non tamen operationem credimus esse abjunctam : tres enim in uno et per unum idem salvationis beneficium exsequuntur.

Sanguine S. Mauri dæmones 5 ejiciuntur qui de illo aliqua narrant,

56 Lect. vi. Eodem fere tempore, quidam juvenis Vigiliensis, nomine Samaritius, se reum magni criminis æstimans ; quia tamdiu occuluerat apud se, quod in tumulo beati Mauri præsulis et martyris forte invenerat in multitudine tot quærentium, addidit ad ejus reliquias lapidem rubeum *d* valde perspicuum, undique visu penetrabilem ; quem obtectum jussimus occulte apponi mulieri quinque spiritibus immundis obsessæ : statim dæmonia æstuant ; mulierem miseram torquent, vexant, laniant et prosternunt. Tandem in sui ardoris periculo profitentur, se ferre non posse incendium ex sanguine Mauri Bethleemitæ pontificis sibi apposito : quem Maurum ajunt a gentilibus impio gladio trucidatum ; paulo post a quodam presbytero, Rode nomine, cum ipso sanguine, annulo, et virga pastorali (cujus etiam ornamentum qualecumque inventum inter ejus reliquias custodiri præcepimus) eumdem honorifice involutum, in naviculam quamdam delatum, usque ad sinum Vigiliensem perductum ;

A. Amando ep. Vigiliensi.

quæ et alii plures professi sunt.

57 Lect. vii. Cum vero in maritima regione nulla urbs adhuc esset statuta, usque in villam Saginæ *e* tractum vehiculo, juxta sanctorum Pantaleonis et Sergii sepulchrum esse terræ visceribus honore debito commendatum. Hoc idem et alia dæmonia in multis, quos invaserant de ignota gente, affirmant. Possunt tamen vasa mendacii, licet coacta, eructare veritatem. Cornitanus *f* juvenis quidam ab infantia possessus a dæmonio E fuerat, quem solebat in dies sæpe in terram prosternere, et terrorem cunctis inspicientibus cum stupore incutere ; volvebat enim elidens robustum ephebum, sensum obtundens, rationis vim auferens, feritatem bestialem immittens. Cum vero visum est divinæ clementiæ, ipsum Sanctorum intercessioni donavit : liberatus enim a pestifero spiritu, ut agnus, mitis et supplex incedit. Quare uterque *g* adhuc sacris ministeriis Sanctorum famulatur.

Amandus ep. oratorium SS. Martyribus ædificat,

** forte multo*

58 Lect. viii. Cum ea, quæ scripsimus, et alia multa * plura, sicut uberius vulgi testimonio comprobantur, tam in proximis quam in valde remotis orbis partibus, Dominus ad suorum Martyrum invocationem respectu propitio exhiberet, et claritudo Sanctorum dilatando se miris operibus hinc inde quasi super candelabrum illucesceret, totus Vigiliensis populus a minimo usque ad maximum, mulierum quoque devotio generaliter ab infantula usque ad vetulam, jussis nostris obsequens, pro Sanctorum reverentia laborem corporalem tam diurnum quam nocturnum assumit ; gaudent omnes locum, quem sacro cultui mancipavimus, præparare ; se oneri sponte subjiciunt ; sub æstu medio fodiunt ; lapides et terram ejiciunt ; eruderant altam congeriem maceriæ veteris usque ad vivos lapides ; F labor improbus in profundum penetrat, continuat opus sine requie affectus infatigabilis.

adjuvantis populi studio incredibili et labore.

59 Lect. ix. Sitim, lassitudinem, ardorem solis, tenebras noctis benigne tolerant ; parcus cibus fovet corpora ; sopor modicus membra recreat : sic omnes certatim se sacro oneri subdunt ; sic jugum Christi suave est et onus ejus leve ; sic Spiritus sanctus intus incitat. Nec tamen foris desunt beneficia inspectoris ex alto, quæ acuunt vires, corda erigunt, lacertos roborant : tot enim visis prodigiis, tot signis, tot mirabilibus auditis incessanter accenduntur ad voti consummationem, ad finem propositi. Tandem Dei juvante gratia, non sine magnis sumptibus aulam Sanctorum perfecimus, in qua tres aras, et materia et forma pretiosas, gemmarum fulgore nitentes, ereximus ; de quibus vere quis possit dicere : Pretiosa corpora pretiosa vasa recipiunt. Interim planetarum ultimus bis se phœbo subjecit ; Phœbe jam bis comburitur ; luna jam secundo ad idem signum soli conjungitur *h* ; tantum animorum affectum tanta operis est secuta celeritas.

ANNOTATA.

A. Amando ep. Vigiliensi.

ANNOTATA.

a *Nunc* Coratum *et* Quarata *dicitur oppidum sub archiepiscopatu Tranensi, milliaribus vix amplius sex distans Vigiliis versus meridiem. Porro ex apparitione, quæ hic narratur, suspicor cum Sarnello in Epp. Vigil. pag.* 41, *ortam esse apud Vigilienses consuetudinem depingendi* SS. Sergium *et* Pantaleonem *instar equitum : quales re ipsa fuisse, neque negare nos posse diximus in commentario, neque vetustis monumentis probar.*

b Botontum, *sive* Butuntum, *vulgo* Bitonto, *urbs est decem fere milliaribus versus austrum Vigiliis dissita.*

c Rubi *et* Rubum, *Italis* Ruvo, *civitas ad meridiem Vigiliarum sexto circiter milliari posita, episcopalis est sub metropoli Barensi.*

d Lapidem *hunc Sarnellus in Hist. SS. Martyrum lib.* 2, *cap.* 33, *vel putat concretum esse* S. Mauri *sanguinem, vel lapidem verum quidem; sed sacro ejusdem Martyris cruore imbutum. Addit tamen, dubitasse aliquando de hujus rei veritate Alexandrum Cospi, suum olim in sede Vigiliensi decessorem; eamque proinde retulisse ad sacram congregationem concilii Tridentini interpretem; a qua rescriptum illi fuerit die* 17 *Decembris* 1591, *permitti posse sine scrupulo, ut continuetur usus venerandæ ac deferendæ in supplicatione thecæ, in qua servatur, ut creditur, sanguis* S. Mauri; *modo adjungantur pro more aliæ reliquiæ, et non aliter : reliquias enim antiquas tolerandas esse, tametsi desit certitudo sufficiens ad eas approbandas; modo etiam in hac re ratio prorsus nulla habeatur narrationis patris mendaciorum; quæ mox hic sequitur.*

e *Sarnellus in Episcopis Vigiliensibus pag.* 23 *hæc ita intelligit, quasi in toto littore Apuliæ ad mare Adriaticum negetur tum fuisse ulla civitas: at patet ex versu præcedenti, hic tantum agi de* sinu Vigiliensi. *Imo credibile est, Roden ex industria naviculam a portubus et oppidis avertisse, ut eo secretius tutiusque deposita sacra Saginam deportaret. Solum ergo negatur, tunc exstitisse civitatem Vigiliensem; quod hactenus verum putamus. Vide dicta in Commentario prævio art.* 2.

f Cornetum, *aut potius* Cornuetum, *urbs est episcopalis in provincia Patrimonii S. Petri ad ostia propemodum Martæ fluvii.*

g *Hic scilicet Cornitanus, et Samaritius, de quo numero præcedenti.*

h *Triplici hac phrasi poetica significat auctor, ædificium suum bimestri tempore consummatum fuisse.*

CAPUT IV.

Translatio SS. Martyrum ad oratorium proprium, et crebra miracula; auctoris ad eos pia apostrophe; inventionis et translationis tempus.

Supplicatione maxime solenni

Die vii. Lect. i. Trigesimo igitur die mensis Julii (sicut constituimus) convenerunt nobiscum totius fere provinciæ *a*, qui sedibus suis non abfuerant, reverendi pontifices, Milo Prolinianensis *b*, Urso Rubensis *c*, Joannes Cannensis *d*, Smaragdus Vestanus *e*, Petrus venerabilis abbas monasterii Coloniæ *f*, juvenis ætate, sed vita, moribus et sapientia senex : Mando archidiaconus Tranensis, cum quibusdam suorum confratrum supplevit absentiam domini Berterandi *g*, venerabilis archiepiscopi Tranensis, qui legationis regiæ functus officio, ad imperatorem Constantinopolitanum *h*, Deo comite, iter assumpsit; Venerabilis vero Barensis archiepiscopus *i* ad regiam urbem *k* profectus, aberat; cantor quoque ecclesiæ S. Sabini confessoris Christi atque pontificis *l* cum quibusdam ex canonicis, archidiaconus et archipresbyter Andriensis cum aliis clericis, prælati Barolitanæ ecclesiæ *m*, archidiaconus et primicerii Melfictensis ecclesiæ *n* cum suis clericis, archidiaconus Juvenatiensis ecclesiæ cum multis ecclesiæ suæ clericis, archipresbyter Caurati cum suis, et alii sacerdotes quamplures nostri cleri, devoti cœtum solemnem auxerunt. Quantus vero concursus totius provinciæ, quam ingens et copiosa fuerit multitudo, nullius lingua posset evolvere; ut possis tam corde concipere quam ore proferre veraciter :

deferuntur SS. Martyrum corpora,

61 Lect. ii. Hæc Dei evocatio, hæc innumero collectio divino spiritu est afflata; hujus multitudinis infinitæ erat cor unum et anima una; hæc est civitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa! Hinc fugerat carnalis concupiscentia, ubi corda omnium repleverat tam affectuosa reverentia. Aderat cum lacrymis exsultatio, hilaritas in ministerio Martyrum, compunctio lacrymosa in recordatione criminum. Gaudet fidelis Christianorum humilitas, confunditur dæmonum contumax et proterva iniquitas; garriunt dæmones in vasis, quæ occupaverant, torquentur et æstuant; et tamen virtutem sanctorum Martyrum fatentur immensam. O pudor! Quis erit jam perfidus, quando ipsa perfidia confitetur? Quis erit dæmoniis deterior? Quis ipsa perfidia perfidior; cum credant dæmones et contremiscant? Et si non vultis tantæ multitudinis testimonio credere, vel operibus credite.

nec absque miraculis, ad novam ædem et altaria sua.

62 Lect. iii. Cum enim sacra corpora solemniter duceretur, tot clericis præcedentibus et subsequentibus. ad laudes Dei ora incessanter solventibus populis, cum lacrymis, Kyrie eleison, clamantibus omnibus, luminaribus accensis coruscantibus, mulier quædam dæmoniaca liberata est : nam tres iniqui spiritus, qui eam diu possederant, per aures egressi, certa indicia sanguinis et flegmatis * abundanter fluentis reliquerunt. De cetero igitur nihil vexationis, nihil infestationis persensit. Mulier alia Andriensis, per octo annos contracta, onus grabati, tædium domus, mœror cognationis, morborum nexibus astricat *; sanctorum tamen Martyrum interventu adjuta, quos sæpe vocaverat, surgit incolumis, ambulat, et pedibus sine sustentationis adminiculo processionem sacram cum gratiarum actione comitatur. Populis igitur Deo concinentibus, neque * spiritibus ejulantibus, cum odoribus aromaticis et luminaribus fere stellas æquantibus, nos cum coepiscopis et cleri canentis concorditer innumera multitudine, sacras Christi Martyrum reliquias ad loca præparata deduximus. Aram mediam beato Pantaleoni, septemtrionalem sancto Mauro, meridionalem beato Sergio dicantes; ut primam possis merito dicere beati Mauri præsulis, si a polo arctico numerare incipias; sancti vero Sergii ultimam : si vero te versus torridam verteris, beati Sergii erit prima; sancti

* *lege* phlegmatis

* *imo* astricta

* *legen* nequam

A sancti Mauri suprema. Sic itaque honore medio permanente, dignitas primi, pro arbitrio numerantis, duobus reliquis congruit. Sanctissimi tamen Mauri positio majorem habet ad sublimem poli verticem adjacentem accessum.

Sanatur puer equi calce percussus; item surdus et mutus,

63 Lect. iv. Eadem luce puer quidam alterius *, posteriorum pedum cujusdam equi ferocissimi violento ictu atque fulmineo facie percussa, procul deicitur : omnes, qui aderant, exanimem arbitrantur; audit mater filium exstinctum, quem modo ludentem inspexerat; clamat illico : Sancte Pantaleo, succurre. Ad vocem matris, ad nomen Martyris, puer protinus surgit incolumis, ferens tamen in facie totius equi ferri vestigium. Omnes magnificant Salvatorem, qui etiam invocationi sui Martyris tantam vim contulit et tam magnum beneficium benignus exhibuit. Quidam juvenis Vigiliensis ab ortu contraxerat passionem, quo surdus et mutus exstiterat : sic igitur linguæ vinculum ei sermonem omnino negaverat; sic aurium meatus obstrusus * sonum haurire prohibebat : defectus tamen sensuum non potuit vim rationis exstinguere : vidit populorum concursum, percepit devotionem, intellexit potentiam
B Martyrum, et ipse devotus accedit, instat precibus, adjuvat viribus et affectu ministros. O admirandum spectaculum! O mira et stupenda operatio! Qui, dum conversaretur cum hominibus, mutum fecit loqui et surdum audire, ipse ad honorem Sanctorum suorum aperuit aures et solvit vinculum jam dicti juvenis. Cæpit igitur primo dicere : Deo gratias, coram omni populo, cunctis, qui aderant, stupentibus, Deumque in ecclesia Sanctorum magnificantibus; postea cujusque sermonibus respondere, rerum nomina proferre, quæ non habent prolationem difficilem. Vovit igitur, se servire sanctorum Martyrum oratorio, ministris ecclesiæ ministrare; ubi, Deo gratias, sicut audiendo et loquendo, sic ministrando per singulos dies profecit atque provehitur. In quo magis mirum est, cum numquam sermonem audiverit, quod magna Dei potentia nomina ignota protulerit.

* f. Gualterius

* f. obstructus

cæcus, tremulus et a medicis habitus pro insanabili,

64 Lect. v. Navis quædam, peregrinis, qui Dominicum sepulcrum visitaverant, onerata, quemdam Francigenam inter ceteros referebat, qui caligine innata diu visum amiserat. Is dum
C esset in quodam portu Græciæ, per somnium prospicit beatos martyres Pantaleonem et Sergium hortantes ipsum, ut si velit pristinam perspicuitatem visus recipere, eorum domum apud Vigilias adeat. Quod quidem devote peregit : ad nos enim venit videns, visionem retulit, monitis se parere testatur, dona votiva obtulit, lætus recepta sanitate recessit. Eodem die sacræ translationis Borolitanorum quidam, Petraccha nomine, veteris validique morbi passione multiplici tremorem in omnibus membris contraxerat, ut nec gressus figere, nec palmas elevare, nec appetere fomenta, diuturna ægritudo permitteret : vix linguam ad sonum minimi sermonis movebat. Hic post inanes curas medicorum, post sumptus innumeros, post rerum suarum consumptionem fidens ad sanctos Martyres accessit humiliter; orat, eorum supplicatione mereri salutem : propitius Dominus respicit miserum, exaudit supplicem, donat eum precibus Martyrum. Is, de quo medici desperabant; is, quem vulgus dicebat ab immundis spiritibus fuisse occupatum, surgit et ambulat solidatus; fugit tremor et pallor; accedit cum colore vivido sospitas insperata; magnificat Dominum, gratias agit salvatus.

A. Amando ep. Vigiliensi. hæmorrhoissa, contractus, obtritus ab equo.

65 Lect. vi. Mulier Vigiliensis exstat, quæ diu fluxum sanguinis passa, nullis potuit humanæ artis fomentis juvari; et invocata sanctorum intercessione Martyrum ope, statim salvata est. Sacerdos quidam Tranensis supplex accessit ad Sanctorum reliquias, orationibus insistens; qui, sicut nobis retulit, contracta suorum genuum curvamina per sanctorum interventum Martyrum, quorum opem petiit, restitui saluti pristinæ impetravit. Et sacra translatione Sanctorum corporum luce quinta Juvenatiensium quidam, cui est Smaragdus vocabulum, dum iret exsecutum sua negotia, casu vel dolo satanæ, quadrupedis, quo ferebatur, insultu graviter cecidit. Præter corporis proprii contritionem, humeri compago disjuncta est, nervis dissolutis; brachium, ut onus emortuum, dependebat : gemebundus repatriat; domesticos, cognatos et amicos flebilis compassio movet : opifex evocatur, ut cirurgica * violentia et artificiosa opera in balneo, quod paraverat, ossa retrahat; sedibus reformet juncturam; homo mœret in balneo; lavacrum nec delectat nec lenit : supplex sanctorum Martyrum nomina contrito corde atque animo humiliato enuntiat; petit eos adesse E
sibi afflicto; poscit auxilium; orat eorum remedium : mox fit ossium ad naturæ locum consolidatio; mox vires redeunt nervis; mox pristina coaptatur connexio; redit sensus sine dolore; abscedit sine læsione læsio; adest integritas sine afflictione; movet, volvit, jactat brachium homo incolumis : cognoscit divinum suffragium, miratur, gaudet de beneficio, deflet lacrymis se immeritum, se criminosum, se iniquum, se impium : linguam movet ad præconia. Miratur medicus; stupet cognatio; inspicit artifex, sine artificio sospitem; omnes lætantur, et Regem cælorum magnificant, sanctosque Martyres venerantur, quorum ope salvatus est homo prænominatus : maturat statim homo ille promissum munus sui assecutus : venit lætus; se nobis præsentat in ecclesia; refert coram cuncta, quæ modo notavimus.

* Chirurgica

Oborta tempestate,

66 Lect. vii. Apud urbem Rubensium quidam superstat *, qui honorum * decurrentium fluxu continuo spiritus meatum impedientium, jam puer octo dies defessus suffocabatur : reumatis * enim violentia guttere conglobato, aura vitalis intercipitur : verum ubi aqua, in qua sacrum os Mar- F
tyris est ablutum, ejus gula contacta est, omnis globositas evanescit; via spiritus aperitur; ad corpus jam fere præmortuum vigor redit. Quid plura? Sanus efficitur; exsultat in Domino : lingua ejus respondens animo, divinis laudibus vacat. In mari Adriatico, cui procellæ consueverunt esse familiares, navis quædam fluctibus jactabatur : nautæ timentes naufragii periculum, remis supremo conatu insistunt; ad terram nituntur accedere : chorus * vero undarumque sævitia votis periclitantium adversatur; proram ad littora qualitercumque tendentem retardat. In tanto metu quis tam pigri æquoris *, quis adeo desidiosus non nititur viribus cunctis evadere? Sed solet sæpe celeritas infortunio perpediri *.

* pro superest
* lege humorum
* rheumatis
* lege Corus
* an. languoris?
* præpediri.

nauta fluctibus immersus.

67 Lect. viii. Uni nautarum freti asperitas remum rapit; ille amens exuitur; post remum se jactat improvidus, non reputans, minoris esse incommodi rem vilem amitti, quam periculoso casui personam committere, et salis fluctuantis perfidiam experiri : pœnitet illum temeritatis suæ; vellet ad socios remeare; salo jaciente non valet; nil opis nautæ socio pereunti queunt tribuere; metuentes inspiciunt pereuntem : jam nox, et intervalli distantia suis speculationem eripiunt : socii

A. AMANDO EP. VIGILIENSI.

socii salute desperata, tandem gelato sanguine præ formidine, cum puppe littoribus applicant. Quid miser faciat? Recursus maris terræ aspectum abstulit; viribus deficientibus, præ frigore atque labore tabescit; languent brachia; exsanguis efficitur; spes tamen eum non deseruit: recolit in tanto descrimine beatorum Martyrum claritudinem; precatur voce, qua poterat, animo tamen magis quam ore.

ab apparentibus Sanctis in littore sistitur.

68 LECT. IX. Exauditur; quoniam prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde: videt protinus duos Juvenes, aspectu illustres, hinc inde se ipsum adjuvantes, alterum dextrorsum, alterum sinistrorsum, remi, quem ille ceperat, tenentes extrema. Ducitur mox incolumis, eumque sistunt in littore: sic nauta salvato, recedunt. Qui Deo referens grates, quampluribus virtute sanctorum Martyrum enarrata, revisit socios, de sua morte mœrentes: jam omnino securus lætificat tristes; ad laudes Salvatoris secum ora reserat sociorum; ad venerationem Sanctorum incitat animos experimento virtutis.

B

Mulier incredula, cœlesti visione veritatem edocetur.

69 DIE VIII. LECT. I. In prænominata urbe Rubensium mulier exsistit, quæ nuper importune tot Sanctorum virtutibus derogabat: ea roboratur oraculo, quatenus nihil perfidiæ, nihil ambiguitatis gerat animo. Sic enim fidei veritas in initiis novitatis per livores ferrugineos, per detractiones malignas, per venenosas blasphemias, per cædes cruentas erumpens, hominum infidelium figmenta consuevit despicere; nunc quoque per singulos dies magis magisque in immensum extenditur, in sublime provehitur, coruscat atque resplendet, suoque fulgore fumum fallaciæ falsæque opinionis imagines inanes annichilat *. Mulier igitur Rubensis sacram ecclesiam beati Nicolai, Omnipotentis jussu, per somnium sibi videtur intrare: tunc a quadam persona canitiei venerabilis admonetur, quatenus sacri templi partem intimam ingressa, notet quod ibidem inspexerit: tunc mulier, parens monitis, introgressa speculatur tres personas perspicuas et illustres, quas idem senex dicebat esse beatos martyres Pantaleonem, Sergium, et Maurium pontificem: et, ut jam nihil dubii de eorum virtutibus ferret in pectore, quid circa eos exsisteret, jubebatur inspicere. Mox mulier diligenter intuita, videt eos ubique cincinnis ex manna collectis redolentes. Subito mulier evigilat, nil ulterius hæsitationis tenens in animo; sed digna veneratione censet et profitetur sanctos Martyres esse colendos.

* annihilat

C

Telo percussus sanatur;

70 LECT. II. Illum vero reverendum senem, beatum Petrum principem Apostolorum concinimus *; cincinnos autem ex manna, virtutum remedia, quæ universitati proficiunt, arbitramur. Nec prætermittendum putamus, prædictam feminam, genere illustrem, vita gravem, ætate provectam, prudentiæ auctoritate nitere, solitamque proferre, ex eo probare *, Sanctos non esse, quos modo fama clarificat, quia ex eorum ossibus manna non defluit *o*. Gallicorum quidam post Dominici sepulchri visitationem, cum aliis contra perfidiam et perditam Saracenorum gentem profectus, ut eis resisteret, nitentibus Christi fideles invadere, telo percussus est, ubi crus pedi junctura nodorum connectitur: a sociis mox, dum ruit, recipitur; fertur ab aliis, ut curetur violenta separatio. Sic officium ambulandi exstinxit, ita humanæ artis remedia superavit. Extenuatus igitur expensis, in nullo profecit. Itaque salute desperata, ubi portum Brundusii *p*, attigit, aure læta recepit et sanctorum inventionem Martyrum et translationem devotam. In spem ergo adductus, sanctos Martyres precibus intercessores ascivit; statim convaluit; utroque pede rectus (quod jam desueverat) ambulavit.

* *an.* concipimus *vel* conjicimus?

* *an.* probari?

o

p

D

ei cæca, claudus, surda ac paralytica,

71 LECT. III Die [a] translatione sacra quartodecimo, nobis veraciter est relatum, quod, dum nos, sanctorum Martyrum reliquiis, honore debito conditis, Missæ celebraremus solemnia, quædam mulier Barensis parochiæ, cæca longo tempore, suppliciter sanctis Martyribus invocatis, propulsa caligine, diem hausit, solem desuetum percepit, formas hominum et rerum notavit colores: tanta quoque perspicuitate donata est, ut quæque subtilia, quæ visus ætatis grandævæ obtusus nequit percipere, clare inspiciat. Eodem quoque die quidam Teutonicus, fugata imbecillitatis clauditate in Sanctorum oratorio, sospitatem Sanctorum interventu recepit. Post sacram sanctorum translationem Martyrum diebus paucis interpositis, quædam mulier, Spinaciolæ *q* incola, nomine Æmiliana, auris alterius sensum amiserat, ejusdem partis brachium et latus exsangue naturæ defectu portans, ut onus: ea suppliciter petit sanctorum Martyrum interventum. Quod petit, accipit; subito surdæ partis aperitur meatus, natura divina ope vires ignotas lateri ministrat et brachio. Audit igitur acutius; convalescit fortius, exercet partes modo emortuas; robusta vivacius ipsa cum ceteris gratiosa laudibus extollit Dominum; beatos Martyres colit et honorat devotius.

q

E

item clauda, et luxata.

72 LECT. IV. Eodem die puella, Canusii *r* oriunda, quæ, pede altero extra seriem naturæ inverso, ossibus a sedibus suis egressis, claudicabat deformiter, ante sacrum altare B. Pantaleonis constitit; paulo post se terræ projecit; oravit; surrexit statim incolumis. O virtus investigabilis! O potentia ineffabilis! Ossa loca naturæ sine dolore, sine molestia, jussu Omnipotentis recipiunt; pes redit ad formam; ad sedem revertitur planta, gressusque dirigitur, et roboratur incessus. O stupendæ operationes valida jussio! Nervi, ossa, pellis, caro cum venis modo retorta, sine intervallo, sine sensus læsione, in momento conditori et reparatori obediunt; compago famulatur opifici; natura paret nutui Creatoris. Mox Omnipotens ab omnibus collaudatur; sancti Martyres honorantur, et populo supplicante, coluntur. Die postero alia mulier, quæ Spinaciolam colit, arefacto brachio et propulso a sede, ad sacras aras Sanctorum accelerat; orat, ut intercedant pro salute ipsius: protinus nervis vigor insuetus accedit; calor cum sanguine fovet lacertum, modo emortuum, modo ab humero evulsum, et dissolutum; æqualiter levat brachia; vis naturalis æque utrique administrationem dispensat. Jam ipsa de sospitate secum glorificat voce clara Dominum; sanctos Martyres efficaciter pro se intercessisse, fatetur.

r

F

Blasphemi funestus interitus.

73 LECT. V. Novimus quemdam adeo insolentiæ deditum, adeo totum desideriis caris obnoxium; ut naturalis ratio nec lucis scintillam ei valeret effundere, prorsus devio, penitus occæcato; cum nihil saperet nisi carnem; præsentem vitam solam esse crederet; non esse Deum, qui mundum regeret, qui singulorum corda inspiceret, insipienter diceret, insipientiusque putaret: pœnam post hanc vitam vel præmium opinantem pro insana * haberet. Is publice instabat ore polluto, blasphemiis sanctos Martyres præsumens contingere, os turpe ponens in cælum

* *f.* insano

A lum et linguam contaminatam in æthera jaciens. Sicut igitur erat impœnitens, subito, cum esset validus et indomitus, divinæ ultionis clade prostratus est, quod et visum et auditum amitteret, et elinguis fieret, ut linguam toties temeratam ad nullum posset movere sermonem. Jacuit itaque spirans diu semianimis, ut rigore vindictæ perfidos deterreret. Sic igitur non post paucos dies, qui bestialiter vixerat, bestialiter est defunctus. Quare qui non creditis nostro et aliorum innumerabilium testimonio tam constanti quam vero; qui fidem tot eorum, qui salvati sunt, abnegatis; qui tot et tantis virtutum argumentis resistitis, saltem, quibus ad fidem estis duriores, dæmonum confessioni credite; vos præcipue, qui ex eo, quod vos salem *s* appellari opinamini, vitium elationis incurritis, etsi non amore, vel timore resipiscite, sine pudore hujus verbi domini: Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Dirigite viam Domino; rectas facite semitas ejus. Et si adhuc corde livido vel lapideo fidem inficiamini, saltem B a detractionibus, a blasphemiis perfida lingua vacet: pœna ergo deterreat, quem non trahit charitas.

Maledicus in Sanctos punitur; sed resipiscens sanatur.

74 Lect. vi. Alia fere consimili justæ correctionis ultione Dominus exhibita, more paterno deterruit quemdam Juvenatii civem, quem quia intuitu, quo penetrat omnia, corrigibilem vidit, percussit atque sanavit; virga tetigit, et liberavit animam ejus: exstat enim, quem nec timor nec pudor sanctis Martyribus maledicere prohibebat. Hic repente, noctis inducta caligine, visum perdidit et auditum, et diu fari non potuit, neque gradi. Tandem in se reversus, perfidiam, quam recognovit, detestatur; petit de reatu detractionis veniam; sanctorum Martyrum exorat patrocinium. O immensa clementia Conditoris: Ipse pœnitenti remittit peccatum. Nec mora, confitenti reddit oblatum *. Ubi enim confessus est, se pertinaciter deliquisse, donatur omnibus, quæ valde dolebat scilicet merito perdidisse. De cetero igitur sanctos Martyres veneratur fideliter, et oppilat ora maligna fortiter: colit igitur Martyres, et laudat constanter; detractores et maledicos impugnat instanter.

* ablatum

Beneficia Martyrum spiritualia quamplurima.

75 Lect. vii. Si omnia, quæ per sanctorum Martyrum suorum Pantaleonis, Sergii et Mauri præsulis suffragia Dominus fecerit et quotidie operatur, conemur ad memoriam posteritatis litteris C tradere, prius nos vita, quam rerum copia derelinquet: nullius enim umquam vel ingenii solertis artificium, vel oris facundia, vel manus velocitas poterit sufficere ad istorum Martyrum virtutum potentiam exprimendam: separatis enim beneficiis, quæ post eorum inventionem sunt in diversis mundi partibus ostensa, tam mirifice quam utiliter quotidie incessanter, ubicumque petuntur ad opem, ubicumque nomina eorum suppliciter invocantur, illico succurrunt remediis, prosunt suffragiis, lætificant postulantes, quibus Dominus videret expedire. Nec solum corporum imbecillitatibus proveniunt faciles, sed etiam animorum vulneribus salubrem afferunt medicinam. Quot enim eorum oratorium obstinato corde adeunt, qui animo compuncto recedunt? Quot criminum mole compressi, qui pondere scelerum remoto, suspiciunt? Quot mœrore affecti, qui abeunt hilaritate refecti?

Oratio auctoris ad Sanctos, ut clero, regi, populo,

76 Lect. viii. Hos ergo tam benignos quam celeres Adjutores suppliciter veneremur, devotissime deprecemur; ut, corporum salva temperie, morbis remotis, pacis tranquillitatem et prosperitatem nobis obtineant, puritatem et innocentiam postulent; post transitum vero ab hoc seculo æternæ vitæ nobis felicitatem impetrent in regno cælorum. Itaque, o veri Christi Cultores, passionis Dominicæ Testes inclyti; vestro patrocinio ab adversis omnibus nos protegite; hostes universos propellite; pro ecclesiæ pace intercedite; sterilitatem removete; fertilitatem et copiam dari exorate; a vitiorum voragine nos custoditos ad viam rectam dirigite: dominum regem nostrum Gulielmum *t*, undique a vobis prospectum et exaltatum, provehite, potentia et vitæ protectione munite, ejus inimicos pedibus ipsius prosternite, cujus adolescentiæ atque felicis regiminis tempus tranquillum divina dispositione vestræ inventioni electum est; prælatos militiæ ipsius et omnes ejus regni defensores robustiores ope vestra efficite: clerum et populum Vigiliensem familiarius procurate: vestræ domui vos custodes propitios exhibete; languores illuc venientium propulsate; cultores vestros aspectu benigno E respicite.

A. Amando ep. Vigiliensi.

ac sibi propitii sint.

77. Lect. ix. Me Amandum, Vigiliensem episcopum, quamvis immeritum servum vestrum, semperque cum vita vestro ministerio deditum circumspicite, circumspectumque ab omni molestia tam animæ quam corporis defensum, roboratum [præstate;] atque post hujus vitæ fragilis egressum inter electos locum qualemcumque precibus vestris et meritis interjectis providete: æternæ quoque vitæ fieri me participem secuti * repulsæ Omnipotentem, cui assistitis, flagitate; qui hunc libellum virtutum vestrarum, Deo juvante, qualitercumque formatum vobis libens et devotus obtuli.

* lege securi

Tempus hujus inventionis et translationis.

78 Sanctorum vero prænominatorum Martyrum translatio celebrata est honorifice anno dominicæ Incarnationis millesimo centesimo * septimo *u*, Indictione quintadecima; regni vero ejusdem Domini gloriosissimi regis Gulielmi secundo; nostri vero episcopatus quartodecimo, mensis Julii die trigesimo, ab inventione mense tertio, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

* supple sexagesimo

ANNOTATA.

a *Apuliæ scilicet.*

F

b *Legendum* Polynianensis *vel* Polymnianensis, *juxta Ughellum. Est autem* Polymnianum, *vulgo* Polignano, *littoralis Apuliæ civitas, a Bario metropoli viginti milliaribus in ortum dissita. De episcopis ejus agit recusus nuper Ughellus in Italia sacra tom.* 7, *col.* 748; *sed* Milonem *hunc vel ignoravit, vel corrupto nomine* Mayonem *appellavit; cujus neque initium neque finem assecutus, id tantum de illo asserit, episcopum eum fuisse Polymnianensem anno* 1170. *Comparitio vero, de qua hic agitur, contigit Vigiliis anno* 1167.

c *De* Rubis *dictum cap. præced. lit.* c. *Episcopos* Rubenses *enumerat Ughellus tom.* 7, *col.* 762 *et sequentibus. Inter eos quintum nominat hunc nostrum, ni fallor; quamquam non* Ursonem, *sed* Ursum *appellet; neque aliud de illo repererit, quam quod floruerit sub rege Guilielmo anno* 1163. *Adi editionem ejus novam col.* 764.

d Cannæ *prope Aufidum flumen et sexto circiter milliari ab ejus ostio in terra Barensi sitæ, celebres olim, a Roberto demum Guiscardo eversæ sunt. Perstitere tamen earum inter ruinas episcopi per annos fere quadringentos; ut notat Ughellus, cujus editionem novam de* Joanne *nostro consule*

A. Amando ep. Vigiliensi.

sule tom. 7, *col.* 793.

e *De* Vesta *Apuliæ civitate, ad Gargani montis radices ad orientem posita, deque antistitibus ejus agit Ughellus tom.* 7, *col.* 865 *et seqq. Eos inter secundus censetur* Smaragdus *noster, littera tamen istic prima suppressa* Maragdus *nuncupatus; de quo id tantum reperit Ughellus, quod a Siffredo archiepiscopo Sipontino consecratus fuerit. Obiit autem Siffredus, ut ibidem col.* 827 *dicitur, anno Christi* 1166.

f *Imo* Columnæ, *ut opinor; de quo ita Lubinus in brevi Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 107 : Abbatia titulo S. Mariæ de Columna, Ord. S. Benedicti, Diœceseos Tranensis. Ita vetus codex taxæ cameralis : „ la Colonna milliario prope Tranum ad „ orientem in terra Bariensi, di Bari. „

g *Hunc* Berterandum *inter archiepiscopos Tranenses vel omisit tam Ughellus ipse, quam qui Italiam ejus sacram nuper ad incudem revocavit; vel si præteritus non est, avulsus est certe ab ordine et loco suo : nam si idem est* Berterandus *noster cum* Verterando *Ughelliano, tom.* 7, *col.* 900, *non Peregrini decessor; sed ejus et Bisantii suc-* B *cessor notari debüit; quandoquidem hic ab Amando vivens exhibetur anno Christi* 1167.

h *Emmanuelem scilicet Comnenum.*

i Barensis archiepiscopus *tum erat Andreas; ut vide apud Ughellum tom.* 7, *col.* 604.

k *Panormum scilicet, ubi regni Neapolitani ac Siculi solium pridem Rogerius constituerat; unde* urbem regiam *vocitatam fuisse, docet Rocchus Pirrus in Chronologia regum Siciliæ ad an.* 1166.

l *Ecclesiam hic opinor Canusinam assignari, cujus olim episcopus, ac deinde tutelaris patronus fuit* S. Sabinus; *de quo fuse actum est die* 9 *Februarii.*

m Barulum, *vulgo* Barletta, *urbs est in ora maris Adriatici Tranum inter et Aufidi ostium, quæ sedes deinde facta est archiepiscopi Nazareni.*

n Melficta, *seu* Melfictum, *et* Melfitum, *Italis* Molfetta, *civitas est milliaribus circiter tribus Vigiliis distans ad orientem.*

o Manna *namque ex his corporibus multo posterius cœpit effluere; ut palam fiet ex secundæ inventionis descriptione num.* 6.

p Brundusium, *vulgo* Brindisi, *urbs est in provin-* C *cia Hydruntina, portu, arce, ac sede archiepiscopali insignis, distatque Vigiliis versus orientem milliaribus ferme octoginta.*

q Spinaciola, *vulgo* Spenazzola, *civitas in Basilicata, Vigiliis milliaribus viginti quinque circiter distans ad montem Apenninum, versus meridiem.*

r Canusium, *incolis* Canosa, *urbs ad Aufidum sita milliaribus circiter viginti a civitate Vigiliensi versus occasum.*

s *Doctores appellat et pastores amimarum, qui in Evangelio* Sal terræ *nuncupantur.*

t Guilielmum II *intellige, Neapolis et Siciliæ regem; de quo ita Pirrus loco supracitato :* Anno MCLXVI Willelmus II, cognomento Bonus, regnum suscipit, decimum quartum agens annum.

u *Supplevi vocem* sexagesimo, *oscitantia typothetæ, ni fallor, omissam. Vide Commentarium prævium* § 3.

D

HISTORIA INVENTIONIS SECUNDÆ

AUCTORE DANIELE FRANCINO

Ex antiquo Officio proprio ejusdem ecclesiæ.

Dux Andriæ videns S. Pantaleonem fere solum a populo coli,

LECT. I. Tertio forte anno *a* cum adiisset frequens pietatis explendæ causa phanum * divorum Martyrum Franciscus Baucius *b*, dux Andriæ, et oppidi Vigiliarum dominus, advertissetque ad id animum, quod ara media inter duas extremas aliquanto amplioris operis, in qua Pantaleonis corpus legebatur recondi (cum reliquarum duarum altera Maurum, quondam Bethlemitanum pontificem, altera Sergium obtineret) E omnem venerationem adeuntium in se exciperet, reliqua ferme subobscure prope neglectui haberentur; commotus est animo vir religione et pietate, nullo pacto tantam cultus deformitatem sejunctarum reliquiarum ferendam. Quare apprehensum aliquando gravem et religiosum virum, Jacobum Gravinensem piissimum ædis *c* episcopum, sui consilii participem fecit : et quod aliquamdiu excogitasset, ad eum retulit; rationes quoque, et causas attulit, quibus, quod institueret animo, probaret, roburque et pondus rei gerendæ adjiceret

* *l.* fanum, *uti et infra sæpius*

collatis cum episcopo consiliis, decrevit.

2 LECT. II. Volvente igitur anno, quem nos pontificali instituto externo verbo Jubilæum *d* vocamus, cœpit Deus, qui id futurum constituerat, denuo titillare cor ducis, et excitare hominem intrinsecus spiritu quidem ingenito, qui sine intercessione eum lacesseret, ut ad manifestandam divinæ clementiæ per Martyres gloriam festinaret, et ipse (quando Deus ita jubet) tam præclari facinoris laudem ultimo peteret. Itaque inter alia curanda, quibus carere non poterat, atque adeo inter cœnandum dormiendumque, recusabat * F cura, neque ullum dabatur ab hac cogitatione et captando consilio otium. Tandem expugnavit frequens solicitudo; admissusque in iter faciendum, eam ob rem potissimum Vigilias contendit. Nec mora interjecta, decenti hora episcopum convenit; rem omnem aperuit denuo, et quid tandem cepisset consilii, edocuit. Id erat, agi se eadem illa, qua prius, cogitatione declarandorum Martyrum Christi.

* recursabat.

(id quod Jacobo cuidam per visum fuit revelatum)

3 LECT. III. Sed antequam progressum describam totius negotii, ut facilius intellectum sit, rem omnem quasi tempestivam maturamque suo tempore divino judicio esse gestam; venit mihi in mentem hoc loco Jacobi Catalani, per id ipsum tempus curatoris ædis S. Mariæ, cognomento de Jano *e*, in agro Vigiliensi, matutinam visionem inserere, ut ipsa de instigatori * ducis spiritu, non humana cogitatione sed divina mente ingesto, fidem faciat. Huic quidem viro, ævo gravi ad annum fere septuagesimum, vitam insuper integerrimam, summæque innocentiæ habenti nomen, eum adhuc nullo occuparetur morbo, ante sanctorum Martyrum effossionem mane, diluculante aurora, inter dormiendum vigilandumque, per hujusmodi quietem visum est aspicere augustæ dignitatis feminam, insidentem solio magnifice instrato, ipsamque aurea veste

* instigatore

A veste insignem, quam audiebat a circumstantibus esse Reginam cæli Mariam, Virginem matrem Domini, apud quam in circumfuso Sanctorum cœtu tres adstabant excellentes viri, rogantes his verbis : Mater Virgo gloriosa, longiusne manendum est nobis tamquam in carcere sub terra? Quando dabitur, ut educamur in lucem! Quibus illa, sua majestate prædita, respondebat; ut æquo jam animo opperirentur ducis Andriæ reditum, qui futurus esset propediem; tum fore, ut effossi atque educti [in] lucem conspicerentur. Quo viso, illis loco cedentibus, ipse somno solutus, ad Sergium quemdam, virum probum, accessit; rem, quam per quietem viderat, enarravit. Nec res dilata est ultra diem quintum decimum quo tempore dux Vigilias profectus, rem quam diligentissime curavit.

SS. Martyrum corpora refodere,

4 Lect. iv. Adhibitis opificibus, primum ara media submota est. Reperta prius arcella lapidea, ansata ferreis hamis, opertaque marmorea tabela cum foramine circiter in medio, ut moris fuit antiquitus Sanctorum corpora in subterra- B neis condere : qua conspecta vacua, spes, quæ concepta ampla fuerat, refriguit * : quo renuntiato, dux tepiditatem subarguens, Pergite, inquit, habentes fiduciam. De industria hoc a veteribus factum arbitror, ut si qui effodienda curarent, vacuitate reperta, ut proposito consilioque desisterent : solent enim, cum hæc infodiuntur, dissimulationibus ac tecnis *, vel paulo remotioribus angulis vel cæcis intecta, vel ancipitem viis pluribus habere dolum horroremque * prope indeprehensum per abditas dissimulatasque ambages : incumbite diligentius, et quaque circum * disquirite. Quin ipse eadem consecutus, operi instabat : jussit arculam educi vacuam : ad parietem versus perfodi imperavit. Nec longe altera est inventa, studiosius conclusa. Illam continuo sumptam religiose detexerunt.

* *pro* refrixit

* technis

* *f.* erroremque

* *an.* quæque circum, *an* circumquaque ?

quæ omnia, licet caute abscondita, reperta sunt 19 Oct. 1475.

5 Lect. v. Inter horrorem primum et lætitiam vix bene venerato Pantaleone, et ad partem phani loco religioso posito, ad Mauri pontificis nulla deterrendi suspicione se vertunt : et itidem ad arcellam ventum est vacuam, mox ad alteram ossibus Pontificis conditam. Immorati sunt paululum aspicientes; venerati sunt pietate inexplebili sacri Martyris et Præsulis corpus; ut qui patronos suos cernerent; quod majores assecuti C fuerant. Hoc quoque seposito, ad Sergium properant; ibi similis est inventa vacuitate *, at cum vera arcella sub altari nulla esset reperta, plane desperata res fuisset, ni ducis intercessisset auctoritas; qui jussit parietem a tergo altaris aperiri ferro, juncturamque ipsam lapidum, studiose et fabre compactam, solvi : quo cœpto patefieri, ostendit se Martyr, qui haud longe secesserat. Dici non potest, invento Sergio, quanta et quam solida lætitia ad omnes pervenit. Facta autem est ubi aspiciendi copia, catervatim promiscueque ingressi, pietatem exhibebant; adeo tamen, ut inhibita illa nimia licentia fuerat *: nec secus dux et præsul deinceps quemquam nec cum summa veneratione sunt passi. Confectum autem hoc negotium aliquanto fuit ante vesperam quarto decimo Kalendas Novembris, millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, feria sexta, ut mos Ecclesiæ appellat.

* *imo* vacuitas

* *f.* fuerit

quando spectante populo exsudare cœperunt manna,

6 Lect. vi. Fuit autem consilium ducis ab initio clam recondere; sed aliud Martyres Christi ipsi, qui latere diutius nolebant, pertæsi jam infossione pignorationem * et ducis et mortalium omnium, constituerant. Itaque id consilium, quod prius intenderat, veluti elapsum e manibus est. Populus ultimo admissus; mirus factus concursus ad tantæ rei spectaculum; vix posse videbatur pium omnium desiderium expleri, quod se ad eum diem numquam perventuros putarant, ut diu dubitatos Martyres tanto perausi * gaudio spectarent. Mansit hæc ratio per sequentem diem tertium decimum Kalendarum Novembris; idem horror adeuntium, eademque religio omnibus. Postridie Dominico, toto oppido quam piissimæ supplicationes publicæ decretæ. Ad ædem ventum est : resonat ubique carmen laudis, exosculantur vasa illa, quæ digna fuere, ut tam sacras reliquias continerent. Continuo exsudare ultimo ossa, universis admirantibus, cœpere, mannaque ex sese emittere specie candidissima in grana ad magnitudinem thuris *f*.

* *legendum videtur* ignorationem

A. Francino.

* *an.* perfusi ?

f de quo olim Dionysio prædictum fuerat.

7 Lect. vii. Fuit autem hoc, quod ad manna attinet, jam inde a prima inventione Dionysio ipsi divinitus in multa miranda opera præmonstratum futurum : sic enim ab Amando, piissimo tunc Vigiliarum episcopo, mandatum memoriæ est *g* : is enim Dionysius per jejunia sacræ Quadragesimæ, quæ præcesserat, in somnis E vidit unum ex cælestibus choris cum duobus aliis cælo delapsum, ac veluti tres argenteos calamos ferentes * odorifico manna repletos, et eos, ubi erant tunc sanctorum Martyrum corpora, Saginæ collocasse, capite ac gestu totius corporis perreligiose reveritur *; mox reliquos duos, quæ ex manna futura erant, in hæc verba prædici * : Hujusmodi, inquiunt, vasorum manna remedio est variis corporum ægrotationibus proventurum. Quod vel tunc persuadebat fore et fragrantia reliquiarum admirabilis et miraculorum crebritas, quæ prope incredibilia cernebantur; spem quoque infallibilem afferebant exaudita cantica laudesque non semel concinentium angelorum, simul et collucentes faces, et accensi cerei, quos tres ipsi inventores Deodonatus, Dionysius, et Gualterius sæpe conspexerant; tum vero quod in æde sancti Fortunati, quo primum e suo loco in sacerdotum humeris translati sunt Martyres, os unum beati Sergii et oleo desudavit, et fumus inde aromaticus, odoris nulli assimilis egressus est, quodque continuo ex arcella reliquiarum lux immensa prodiit; qua causa, stupore omnium qui aderant, tota ecclesia illustrata est.

g

* *Amandus habet* ferentem

* *lege* reveritum

* *legendum* prædixisse

F

Subsecutæ mox undequaque supplicationes,

8 Lect. viii. Supplicationibus undique decretis, a finitimis et remotioribus civitatibus confluebat quælibet multitudo : infinitus eorum numerus, qui nudis pedibus iter fecerunt, in quibus viri dignissimi permulti fuere. Venerunt Tranenses, Andrii, Botontini cum præstructo clero, solemni ritu, crucibus et Sanctorum reliquiis quique suis : præsules prætoresque civitatum ipsarum similiter ac populi, sine calceis, sine corporum suorum elegantiis, devoti, abjecti, animo ac verbis Deo expositi : nec Rubensium, Melfictinorum, Juvenatiensium, Coratinorum pietas defuit, aliorumque multorum difficilium memoratu propter ingentem numerum. Quique vota sua, nummos, cereos, mantilia, variaque munera afferebant, quasi invidiam inter se de magnificentia donariorum factorum *. Obsidebant ædis vestibulum et phanum cancellosque custodiæ morbosi, valetudinarii, lepta et comitiali morbo detenti, capti oculis, surdi, affecti membris, claudi, mutilati, ulcerati, trunci, perditi, quaque mansitabant, exspectabant divinam vim atque opem, qua vita inutiles, desperati jam medicamentis humanoque omni officio, aut in integrum

* *f.* facturi

A. Francino. integrum, aut in partem aliquam restituerentur.

concessæ indulgentiæ, patrata miracula. 9 Lect. ix. Felix faustumque oppidum, et tantarum reliquiarum gloria cum quibusvis claris urbibus conferendum! confluxerunt mox undique principes et summi viri: bis Ferdinandus *h* rex, studio pietatis adductus; primogenitus ejus Alphonsus, dux Calabriæ, qui in successionem regni aliter *; Gabriel Cardinalis Agriensis *i*, Apostolicus Legatus de latere, prælatorum ac præsulum incredibilis multitudo: et horum singuli pro viribus dignitatis expiationem peccaminum concessere, quam publica scripta diplomataque testantur. Nomen quoque mirifici et insoliti operis ad Transalpinos et disjunctissimos populos pervasit; ac longe quidem positos visendi venerandique studio excellentes quoque viros pertraxit: in eo ipso oppido Vigiliarum inde Beatissimi clarent omni genere divinorum operum. Adolescentula, Lella nomine, biennio oculis capta, cæcitatem pertulerat: spe maxima a parentibus ducta ad sacrarium Martyrum Christi, alligata oculis bombice, a contactu reliquiarum sumpta, visum recepit. Augustina, [uxor] Petri Nicolai Piezuli, prægnans, post mensem septimum ex alto quodam ponte decidit, ac tam gravi lapsu; ut supra triduum motum fœtus, ut ante, non sentiret. Mox quod in utero erat, ad imas ventris partes descendit tanto cum dolore et pondere, ut prope exstingueretur; mox apposita bombice reliquiarum loco dolenti; continuo se fœtus movit, et in suum se locum recepit; dolorque omnis una interiit. Quidam Nicolaus Angelus in quintum jam annum acumen quoddam in manibus pedibusque pertulerat: spe ingenti concepta, quatuor hominibus impositus, se ad specum Martyrum deferri jussit. Phanum ingressus, statim divinum sibi præsidium adesse sensit. Depositus ubi in loco est, continuo convaluit, qui tot annos usum corporis et pedum manuumque amiserat. Millia sunt hujusmodi, et majora iis, quæ vel mandata memoriæ sunt, vel propter multitudinem prætermissa *k*.

* *lege* alitur

ANNOTATA.

a Tertio anno, *non principatus sui, sed piæ consuetudinis, qua Vigilias frequentare cœperat ad veneranda SS. Martyrum corpora.*

b Franciscus Baucius, *vulgo* del Balzo, *non minis a Christiana pietate vitæque sanctimonia, quam bellica fortitudine commendatur tum ab aliis, tum a Ferdinande della Marra in Discursibus de familiis Neapolitanis pag.* 79; *ubi de antiquissima clarissimaque, sed pridem exstincta* Bauciorum *familia, fuse disserit. Obiit Franciscus an.* 1483, *Pyrrhum filium successorem relinquens.*

c Ædis, *hoc est, ecclesiæ cathedralis apud Vigilienses, in qua erat erecta confessio sive oratorium* SS. MM. Mauri, Sergii *et* Pantaleonis. *Præfuit autem ecclesiæ Vigiliensi* Jacobus *Petrus* de Gravina *ab anno* 1442, *die* 23 *Maii, usque ad an.* 1476, *quo vita functus est, teste Sarnello, Ughelloque in editione postrema tom.* 7, *col.* 945.

d Jubilæum *enim dicimus ab Hebraico* Jobel, *id est* remissio, *sive annus remissionis, qui apud Hebræos erat quinquagesimus, quando clangebant tuba, quam et ipsam* Jobel *appellabant. Annum Jubilæum, centesimo quoque anno recurrente, inter Christianos instituit Bonifacius PP. VIII: at Clemens PP. VI contraxit ad annum quinquagesimum; Urbanus VI ad trigesimum tertium; ac tandem Paulus II, anno* 1473, *ad vigesimum quintum; quem tamen ipse videndo non attigit. Idem subinde confirmavit Sixtus IV, ad quem scribit auctor noster. Itaque Sixtus idem anno, de quo hic agitur,* 1475 *novem hanc Jubilæi gratiam universæ Ecclesiæ fruendam primus obtulit. Adi Annales ecclesiasticos; ubi de hac re uberius agitur.*

e *Ecclesia* S. Mariæ de Jano, *sic ab antiquo pago dicta, propinqua Vigiliis est, pertinetque ad mensam episcopalem. In ea celebris est imago Deiparæ, ad quam, cum obtinenda est pluvia, maxime concurritur: ut auctor est Sarnellus in Monumentis epp. Vigiliensium pag.* 109.

f Manna, *hoc est, liquorem aut pulverem odorum e Sanctorum sepulcris emitti, qui plurimis exemplis doceri cupit, adeat vocem illam in Glossario Cangii. Porro quando hoc miraculum Vigiliis primum desierit, ignotum ait esse Sarnellus in Historia trium horum Martyrum pag.* 88. *Hoc certum tamen, viguisse illud etiam tum, cum anno* 1525 *Vigilias adiit Leander Alberti: sic enim testatur in Apulia Peucetia, paula ante medium:* Stillat ex iis *(corporibus Martyrum nostrorum)* continuo laticis genus, quod appellant mannam, sanctitatis scilicet argumentum. *Idem profitetur Marianus Cavensis in alloquio ad collegium Canonicorum Vigiliensium, quod antiquo Officio, a se digesto et anno* 1550 *typis commisso, subjicit:* Beatorum, *inquit,* martyrum Mauri pontificis, Pantaleonis et Sergii ossa conspexi divinum odorem spirantia, et cæleste manna guttis crystallinis distillantia. *Id autem conspexisse illum trienno ante excusum Officium, manifeste patet ex ibidem sequentibus:* Nec umquam post ullæ aliorum Sanctorum hoc in triennio visæ reliquiæ potuerunt animum meum ab illorum amore trahere *etc. Quin idem quoque in Sanctis Neapolitanis parte* I, *pag.* 699 *Paulus Regius de suo tempore asseverat, hoc est de anno* 1592, *quo opus illud iterum edidit.*

g *Supra scilicet in historia inventionis primæ cap.* 1 *num.* 18.

h *Regnavit* Ferdinandus *ab anno* 1458 *usque ad* 1494, *quando ei in solium Neapolitanum successit* Alphonsus, *filius.*

i *Cognomento Rangonus, Ord. Minorum, ab ipso Sixto IV purpura donatus anno* 1477, *die* 10 *Decembris. Unde sequitur, ut auctor noster hanc historiam ad eumdem Pontificem non statim perscripserit, cum res contigerat; sed serius toto saltem biennio et amplius. Obiit autem* Gabriel *plenus meritis Romæ* 27 *Septembris* 1486. *De hoc plura videri possunt apud Ciaconium ab Oldoino nostro recognitum tom.* 3, *col.* 65 *et seqq.*

k *Est hic sane, quod in Francini narratione merito desideres: cum refossa, dirutis altaribus, SS. Martyrum corpora dicantur; cur non additur, quo deinde modo, quo loco reposita sint? Neque enim verisimile est, ea diu tamquam neglecta mansisse et altaris proprii honore privata. Itaque quod hic deest, recte supplevit Sarnellus, ex eoque nos etiam supra in Commentario prævio.*

A D

DE SS. SEPTEM DORMIENTIBUS

MAXIMIANO, MALCHO, MARTINIANO, DIONYSIO, JOANNE

SERAPIONE & CONSTANTINO

EPHESI IN ASIA MINORE

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C

§ I. Horum Sanctorum distinctio ab aliis, numerus, et diversa nomina.

ANNO CCL. *Septem dormientes in Germania septemtrionali.*

Paulus Warnefridus, diaconus Foro-Juliensis, libro I *de Gestis Longobardorum cap.* 4 *de septem viris peregrinis, in Septemtrione dormientibus, ita meminit:* Haud abs re esse arbitror paulisper narrandi ordinem postponere, et quia adhuc stylus in Germania vertitur, miraculum, quod illic apud omnes celebre habetur, sed et quædam alia breviter intimare. In extremis Circium versus Germaniæ finibus, in ipso Oceani littore, antrum sub eminenti rupe conspicitur, ubi septem viri (incertum ex quo tempore) longo sopiti sopore quiescunt, ita illæsis non solum corporibus sed etiam vestimentis, ut ex hoc ipso, quod sine ulla per tot annorum curricula corruptione perdurant, apud indociles easdem et barbaras nationes venerationi habeantur. Hi denique, quantum ad habitum spectat, Romani esse cernuntur: e quibus dum unum quidam cupiditate stimulatus vellet exuere, mox ejus, ut dicitur, brachia aruerunt, pœnaque sua ceteros proterruit, ne quis eos ulterius contingere auderet. Videtis, * ad quem eos profectum per tot tempora providentia divina conservet. Fortasse horum quandoque, quia non aliter nisi Christiani esse putantur, gentes illæ prædicatione salvandæ sunt. *Per Germaniam hic intellige Septemtrionalem seu potius Norvegiam, in cujus terminis Cluverius lib.* 3 *Germaniæ antiquæ cap.* 41 *hunc locum collocat. Haud dubie Warnefridus in Italiæ ex Longobardis suis intellexerit hoc miraculum, cujus fidem penes primos narratores relinquimus.*

* al. Videris, — *quæ nunc Norvegia vocatur,*

2 *Olaus Magnus, archiepiscopus Upsalensis, in Historia gentium Septemtrionalium lib.* I *cap.* 3, *idem prodigium ex Paulo Diacono refert, et hac occasione de septem Dormientibus nostris, tamquam distinctis, ex Sigeberto Gemblacensi facit mentionem. Sed Antonius Possevinus junior, philosophus et medicus Mantuanus, hos septem Dormientes Septemtrionales cum Ephesinis videtur confudisse: nam in opere, quod* Gonzaga *inscripsit, pag.* 3 *et sequentibus nobilissimæ hujus familiæ originem ex ultimo Septemtrione in Italiam accersit, atque agens de Scandia, prima, Gonzagarum patria, hæc ad rem nostram interserit:* Nos calculum a temporibus Agimnodi, qui Agionis filius erat, desumimus: Agimundus enim septem Dormientes invenisse traditur, qui, Decio imperante, subterraneo specu occlusi fuerant; at eorum detectio in annum salutis quadringentesimum quinquagesimum tertium incidit, tricesimo ferme Theodosii: quibus autem Scandiani peregrinati sunt, fuere ad Agimundum anni circiter quinquaginta. *Vides, hic Possevinum dumtaxat meminisse de septem Dormientibus Ephesinis, quos sub Decio inclusos ac sub Theodosio inventos statuit, cum interim Warnefridus de suis asserat, incertum esse tempus, ex quo in Septemtrione dormierunt.*

3 *Gregorius Turonensis, aut quisquis est auctor epistolæ ad Sulpitium Bituricensem, nobis exhibet aliam historiam de septem Dormientibus, qui in Gallia apud Majus-monasterium quiescunt. Isti autem in ea historia vocantur Clemens, Primus, Lætus, Theodorus, Gaudens, Quiriacus, Innocentius, et dicuntur fuisse patrueles S. Marni Turonensis, ad quem ex patria sua discesserint, et post vitam in monasterio pie transactam omnes simul eodem tempore mirabiliter in Domino obdormierint. Ex hoc placido mortis genere et mira obdormitione communiter septem Dormientes appellati sunt, ut satis colligitur ex eorum Actis, quæ Ruinartius anno* 1699 *inter opera Gregorii Turonensis edidit, ubi col.* 1280 *hæc leguntur:* Cum autem Communionem * accepissent de manu Aicardi abbatis, finita Missa, genibus flexis sani atque incolumes in oratione prostrati, viam universæ carnis ingressi sunt, ut beatus prædixerat Martinus, tam a dolore mortis extranei, quam a corruptione carnis fuerant alieni. Repleta est autem illico cella illa tanto odore, acsi multorum aromatum congeries ibi sparsa putaretur. Suscipiens autem eos non de morte, sed quasi de oratione abbas Aicardus una cum fratribus, non mortuos putabat, sed dormientes, cum facies eorum ut rosa ruberet; caro ut nix splendesceret. Quam ob rem per sedilia illos disposuit, sicuti soliti erant sedere in cella sua, posuitque eos ita, ut ab omnibus inspici possent, solis necessariis, quibus ab injuria irruentium defenderentur, inter eos et intrantes mediis repagulorum obicibus. Patebant etiam limina, ut omnes advenientes viderent Sanctorum facies, non sicut mortuorum, sed sicut dormientium; quia licet hominibus mortui essent, Deo tamen, cui omnia vivunt, dormiebant. *Deinde auctor describit miracula, sepulcrum, aliaque quæ examinari poterunt ad ad diem* XII *Novembris, quo obierunt et in Usuardo Bruxellensi referuntur. Unde nescio, cur Saussayus in suo Martyrologio Gallicano eosdem die* XXVI *Septembris retulerit.*

et Gallia — * al. viaticum

4 *Cardinalis Baronius putavit, hos septem Dormientes Gallicos seu Turonenses esse eosdem cum præcedentibus septem Norvegicis, dum in notis ad Martyrologium Romanum die* XXVII *Julii ita scribit:* Quid simile de aliis septem Dormientibus in

distinguendi sunt a Dormientibus Ephesinis.

AUCTORE G. C.

in Germania, scribit Paulus diaconus de Gestis Longobardorum lib. I cap. 3, quos illos esse putamus, de quibus Gregorius Turonensis epistolam scripsit ad Sulpitium episcopum Bituricensem, qua illorum recenset originem; quos tamen revera obiisse diem, expresse testatur, recitatque eorum nomina, quæ sunt ista : Clemens, Primus, Lætus, Theodorus, Gaudens, Cyriacus et Innocentius. *At mihi propter immensam terrarum distantiam, nomina, gesta, aliaque Actorum et utriusque narrationis adjuncta hi septem Turonenses a Septemtrionalibus plane diversi videntur, ita ut satis mirari nequeam, qua ratione eminentissimus vir eos confundere potuerit. Adde quod Joannes Maanus de Dormientibus Gallicis (etsi Actis ipsorum non multum deferat) in sua Metropolitana ecclesia Turonensi pag.* 18 *ita testetur :* Ceterum de septem Dormientibus, quorum exstat hodieque commune sepulcrum intra septa Majoris monasterii in crypta, cui cœnobiticum sacellum pro vestibulo est, fama refert, ad Martinum eos pervenisse cum altioris et excellentio-
B ris instituti proposito, et apud eum diversatos monasticum vitæ genus coluisse *etc. Quidquid sit de hac historia, quæ ad diem* XIII *Novembris operosius examinari poterit, certe septem Dormientes tum Germanici, tum Gallici, differunt a septem Dormientibus Ephesinis, de quibus hac die cum Usuardo et Martyrologio Romano agimus.*

quos aliqui acta fuisse asserunt,

5 *Juxta communem opinionem in titulo ac alibi dixi, hos Martyres Ephesino numero* septem *fuisse, quamvis apud Assemanum tomo* I *Bibliothecæ Orientalis pag.* 336 *Dionysius Jacobitarum patriarcha in Syriaca horum Martyrum historia diserte octo enumeret; videlicet Maximilianum, Jamlichum, Martelum, Dionysium, Johannem, Serapionem, Eustadianum, Antoninum. Imo Jacobus Sarugensis, qui seculo* V *floruit, videtur etiam octo indicare, dum in Syriaca homilia de his Sanctis, post hunc Commentarium prævium exhibenda, num.* 3 *sic loquitur :* Aperuit os suum filius hyparchi *(nomen hyparchi non est hic proprium, ni fallor, sed appellativum, quo præfectus significatur)* et septem sodales ejus. *At quacumque ex causa iste præfecti filius forte aliis communiter non annumeretur, omnes scriptores Græci, Latini, Arabes, Æthiopes unanimi consensu septem Martyres Ephesinos dumtaxat re-
C censent, ac ipsi etiam Syri in suo Officio ecclesiastico totidem celebrant.*

et quorum nomina a variis scriptoribus

6 *Nomina horum Martyrum apud diversas nationes diversimode exprimuntur : nam a Moscis in Menologio Slavo Russico, quod paragrapho sequente citabimus, ita appellantur :* Maximilianus, Dionysius, Amulichus, Martinus, Antoninus, Joannes, Marcellus. *Apud Eutychium patriarcham Alexandrinum in Annalibus Arabicis, a Pocokio Latine redditis, tom.* I *pag.* 388 *hæc eorum sunt nomina :* Maximianus, Amlichus, Dianus, Martimus, Dionysius, Antonius, Joannes. *An hæc discrepantia ab amanuensium incuria, an a variorum idiomatum proprietate oriatur, non facile determinavero. Raderus noster in Aula sancta cap.* 13 *de hac nominum mutatione ita disserit :* Nomina a Græcis non eduntur eadem, quæ in natalibus Martyrum Romanis : Latini enim Maximianum, Malchum, Martinianum, Dionysium, Joannem, Serapionem et Constantinum nominant. Græci in Menæis laudant Maximilianum, Exacustodianum, Jamblichum, Martinianum, Dionysium, Joannem, et Constantinum. Sed facile Maximilianus pro Maximiano vel contra potuit scribi; in Malchi locum Jamblichus succe- D
dit, in Serapionis Exacustodianus. *Aliam inter ipsos Græcos eorumdem nominum transpositionem remutationem paragrapho sequente observo. Reliquæ minoris momenti differentiæ facile per decursum a studioso lectore notari poterunt.*

diversimodo referuntur.

7 *Ab omnibus aliis prorsus discrepat scriptor Æthiops, a quo apud Jobum Ludolfum in annotationibus ad Calendarium Æthiopicum pag.* 436 *iidem septem Martyres ita nominantur :* Arshaledes, Diomedes, Eugenius, Dimartheus, Bronatheus, Stephanus et Cyriacus. *Suspicor, ab Æthiope illo indicari nomina, quæ Sancti isti ante susceptum baptismum fortasse habebant. Hoc saltem indicat anonymus auctor Græcus in Ms. bibliothecæ Mediceæ, cujus ecgraphum habemus, dum post initium Actorum de mutatis sex Martyrum nominibus ita scribit :* Ἐν δὲ τῷ θείῳ λουταῷ τοίασδε μετωνομίας ἐδέξαντο οἱ μακάριοι. Μαξιμιλιανὸς μύν μετωνομάσθη Ἀχίλλιος; Δεμέτριος δὲ ὁ Ἰάμβλιχος, ὁ δὲ Ἐξακουστουδιανὸς Διομήδης, ὁ δὲ Ἀντωνῖνος Κυριακὸς, ὁ δὲ Μαρτῖνος Εὐγένιος ὁ Διονύσιος δὲ τὴν του Στεφάνου κλῆσιν ἠνέγκατο· *Id est.* Beati in E
divino lavacro talem nominum mutationem acceperunt : Maximilianus quidem nominatus est Achillius; Demetrius autem Jamblichus, Exacustodianus Diomedes, Antoninus Cyriacus, Martinus Eugenius appellati sunt; Dionysius vero Stephani nomen obtinuit. *Idem conjicio ex Bonino Mombritio, qui tom.* 2 *in Actis illorum Martyrum hæc refert :* Fuerunt septem viri in palatio regis primi et nobiles, quorum nomina sunt : Achiledus, Diomedus, Eugenius, Stephanus, Probatius, Sambatus, et Cyriacus..... Compuncti divinitus ad baptismi gratiam convolarunt, mutatisque nominibus, sacro fonte renati, appellari sunt Maximus, Malchus, Martinianus, Constantius, Dionysius, Johannes, Serapion. *Quis his nomina magis luxaverit, ignoro. Saltem Mombritianis aliquo modo similia leguntur in Ms. nostro Audomarensi, quod Gregorio Turonensi tribuitur, ut postmodum pluribus ostendemus.*

§ II. Cultus ex ecclesiasticis variorum populorum monumentis.

F

Hos sanctos celebrant Græci

Celebris est horum Martyrum memoria apud Græcos, qui IV *Augusti et* XXII *Octobris festum illorum solenniter agunt. Typicon S. Sabæ duobus istis diebus eos sic breviter annuntiat :* Τῶν ἁγίων ἑπτὰ παίδων τῶν ἐν Ἐφέσῳ. Sanctarum septem puerorum Ephesi. *Menologium Græcum, quod jussu Basilii imperatoris seculo* X *collectum est, et cujus primum semestre in novissima Italiæ sacræ editione tomo* 10 *inter anecdota Ughelliana exstat, ibidem col.* 280 *ita habet :* Eodem die *(nescio quam ob causam hic* XXIII *Octobris referantur)* commemoratio manifestationis sanctorum septem puerorum Ephesi factæ. *Deinde subnectitur sequens Actorum compendium :* Maximilianus, Jamblichus, Martianus, Dionysius, Joannes, Constantinus et Antoninus Ephesi Christianæ pietatis causa producti ad Decium imperatorem, cum tempus ad deliberandum petiissent, idque impetrassent, in montis cujusdam speluncam profugere, ibique somno se dedere, obstruso * speluncæ aditu. Trecentesimo septuagesimo secundo post anno, *(crassus iste anachronismus, pluribus communis, infra discutietur)* Theodosio juniore imperatore, cum hæretici novas res in Ecclesia moliri

* lege obstructo

AUCTORE G. C.

A liri perniciosissimo dogmate ausi essent, negando resurrectionem, eaque res imperatorem maxime solicitum haberet, Deus ut in omnium animis certam resurrectionis fidem confirmaret, aperta spelunca, dormientes excitavit: ex quibus Jamblichus, sumpto Decii nummo, descendit in urbem ad coemendos cibos, ut qui jam dudum dormisset; cognitus est, deductusque ad episcopum, rem omnem, uti se habuerat, exposuit. Igitur cum testatam apud omnes resurrectiones fidem reliquissent, iterum mortui in speluncam illati sunt.

in Menologiis

9 *Aliud Menologium, quod interprete Cardinale Sirleto Canisius tomo* 2 *Antiquæ lectionis a pag.* 730 *Latine edidit, die* IV *Augusti eosdem Sanctos ita memorat:* Natalis sanctorum septem in urbe Epheso Dormientium, Maximiliani, Exacustodiani, Jamlici, Martiniani, Dionysii, Joannis et Constantini. *At idem Menologus ad diem* XXII *Octobris, transpositis nonnihil nominibus, et substituto* Antonino *pro* Joanne, *illos non* Dormientes, *sed* fratres *appellat hoc modo:* Eodem die natalis B sanctorum fratrum in urbe Epheso, Maximiliani, Jamblichi, Martiniani, Dionysii, Antonini, Exscustodiani et Constantini. *Menæa impressa his duobus diebus in sua annuntiatione habent eamdem nominum transpositionem ac mutationem, quas variationes mirum est in iisdem Fastis ecclesiasticis inveniri: sed utrobique Sanctos istos nomine* παιδῶν, *id est* puerorum, *non* fratrum, *compellant. Brevem eorumdem Martyrum annuntiationem, et Typico S. Sabæ fere similem, continent plura Græcorum Synaxaria, Horologia et alia id genus ecclesiastica monumenta, quæ hic singillatim recensere supervacaneum existimo.*

et Menæis.

10 *Eadem Menæa excusa post supradictam nominum transpositionem ac mutationem, rubris characteribus expressam, die* IV *Augusti adjungunt hos versiculos jambicos:*

Τὸν ἑπτάριθμον τιμῶ χορὸν Μαρτύρων
Δείξαντα ἀνάστασιν νεκρῶν τῷ κόσμῳ.
Honoro septem Martyres, olim novam
Qui comprobarunt mortuis vitam fore.

Deinde additur sequens carmen hexametron, quod C *etiam in metricis Ephemeridibus Græco-Moscis, tomo* I *Maii nostri præfixis, ita legitur:*

Τῇδε τετάρτῃ νεκροέγειρτοι ξύνθανον ἑπτά.
Evigilant quarta Septem, pariterque quiescunt.

Die autem XXII *Octobris post memoratam annuntiationem sequuntur hi versiculi:*

Παῖδες λιπόντες πρὸς μικρὸν μακροὺς ὕπνους,
Ὕπνωσαν αὖθις τὸν μετ᾽ εἰρήνης ὕπνον.
Longus reliquit somnus hos Pueros, brevi
Sed melior illos somnus in pace occupat.

Utroque die post versiculos narratur longa historia, quæ vulgaribus Actis non multum absimilis est.

et præter Moscos ac Æthiopes

11 *Haud dubie antiquus horum septem Dormientium cultus a Græcis transiit ad alias nationes: nam Mosci in suo Menologio Slavo-Russico, quod nobilissimus baro Sparwenfeldius nobis Latine reddidit, die* IV *Augusti eos ita breviter commemorant:* Sanctorum septem Juvenum Ephesinorum. *Tunc die* XXII *Octobris de iisdem Sanctis sic fusius meminerunt:* Item septem sanctorum Juvenum, qui Ephesi dormiebant annos CCCLXXII; mortui sunt autem anno CCCLXXVIII, quorum nomina sunt: Maximilianus, Dionysius, Amulichus, Martinus, Antoninus, Joannes, Marcellus. *Martyrologus Moscus in signanda nimis diuturna trecentorum septuaginta duorum annorum dormitione errores aliorum cæce secutus est; sed nescio, quid sibi velit, dum illos Juvenes anno trecentesimo septuagesimo octavo mortuos esse asserit. An id de prima, an de secunda morte intelligit? At neutri convenire potest, ut postea patebit. Æthiopes et Coptitæ brevem horum Martyrum annuntiationem in suo Kalendario diversis diebus repetunt, cujus repetitionis causam non addunt, ut in Commentario Jobi Ludolfi ad Historiam Æthiopicam pag.* 436 *videri potest. Porro qualis historia de his sanctis Dormientibus apud Æthiopas tradatur, alia occasione infra indicabimus.*

Syri Maronitæ

12 *Syri Maronitæ die* VII *Martii eosdem Sanctos solenni Officio celebrant, ut patet ex codice Syriaco, qui in Romana Maronitarum bibliotheca conservatur. Noster Petrus Benedetti, infra pluribus laudandus, præter alia magnam hujus Officii partem, a se Latine redditam, humanissime ad me Roma transmisit, ex quo unum alterumve hymnum excerpam. Itaque hymnus ad Vesperas ita canitur:* Audite sapientes cum magna caritate septem Martyrum triumphos. Martio mense propter amorem Filii Dei coronati fuerunt. E Condemnavit eos Ducus, impius idolorum cultor, quia mutis simulacris non immolaverunt, quando vidit eos confidere in Salvatore, qui est in cælis. Isti nempe fuerunt, qui ex Epheso egressi et seculum omniaque in eo contenta uno affectu unaque mente deserentes ad montis fastigium ascenderunt et elevati sunt. Absconditam Spiritus sancti armaturam septem Martyres inclyti induerunt. Viderunt Ducum idololatram, quod ad necem eorum se accinxisset; sicut aquilæ ad cacumen montis evolarunt, et spelæum ingressi sese abdiderunt. Hodie Ecclesia ejusque filii lætantur, atque in eorum festo canunt laudem. Inclinaverunt capita sua super montis fastigium, suumque Dominum cum ingenti gaudio adoraverunt. Dici non potest durum judicium, quod electi septem Martyres sustinuerunt a judice Duco maledicto, imperatore idololatra, operario erroris. Ex Epheso Beati exierunt et errorem tunc opibus florentem reliquerunt. Ascenderunt Beati et in speluncam ingressi a persecutoribus sese texerunt. Abiit ætas Duci idololatræ, et universa idololatria cessavit. Ecclesiæ patuerunt et sacræ ædes insonuerunt, velut tonitrua, atque idololatræ desierunt atque im- F perium eorum. Voluit Dominus noster simplices Agnos e somno excitare. Extemplo surrexerunt Beati, et vocis laudes canere cœperunt. Lætata est Ecclesia, in qua memoriæ eorum perpetuo traducuntur.

in Officio ecclesiastico.

13 *Alter hymnus ad Primam sic sonat:* Fratres, cantemus canticum novum in die commemorationis Filiorum lucis. Septem Martyres admiror, eorum triumphos dicturus. Elegit eos Rex regum, ut Martyres fierent Unigeniti. Descendit cogitatio eorum in amorem Filii, et in mentibus suis inflammati fuerunt. Tunc Ducus, idololatra maledictus, ira incensus est adversus Sanctos, fecitque festum mutis simulacris, sicut a satana didicerat. Invitavit septem Martyres, ut immundis dæmonibus immolarent; illi vero paraverunt mentes suas, ut fierent hostiæ Regi regum. Decorum fuit Agnis simplicibus, cum ab idololatria persecutionem paterentur. Benedictus chorus septem Martyrum cum satana iniit prælium. Deum vere dilexerunt, et pro illo persecutionem patiebantur. Ex Epheso Beati egressi, montis cacumen subiere, seipsos elevantes. Irrugiit iniquus adversus Sanctos, sicut leo sitiens lanienam.

AUCTORE G. C.

lanienam. Cuneus benedictus septem Martyrum de manibus ejus evasit : intrarunt in antrum, atque in eo sese absconderunt a minis Duci profani. Evolavere animæ eorum celeriter ad excelsum supra apud spirituales. *Prætermitto alia ad historiam spectantia, quæ ex odis istius Officii excerpta fuerant, quia infra satis sæpe recurrent. Interim cum P. Benedetto suspicor, illos Sanctos a Syris Melchitis die* I *Septembris coli : nam in codice Arabico, qui in Romano Maronitarum collegio exstat, post eorum Acta Benedettus legerat, horum Martyrum obitum Kalendis Ailul, hoc est Septembris contigisse.*

ac Latini in Martyrologiis,

14 *Notitia horum septem Dormientium videtur primum seculo* VI *ex Oriente ad Occidentem pervenisse : id enim Gregorius Turonensis lib.* 1 *De gloria Martyrum cap.* 95 *satis indicat, dum in fine dicit, sese pleniora eorum Acta,* Syro quodam interpretante, in Latinum *transtulisse. Ceterum inter Martyrologos Latinos primus Ado, quod sciam, die* XXVII *Junii memoriam Sanctorum nostrorum sic breviter annuntiat :* Ipso die gesta septem Dormientium. *Genuinus Usuardi textus die* XXVII *mensis sequentis tria ipsorum nomina et certaminis aut venerationis locum ita exprimit :* Apud Ephesum, natalis sanctorum Maximiani, Malchi, Martiniani, et aliorum quatuor, quorum gesta habentur. *Rabanus et Notkerus in assignando cultus die Adonem secuti, nomina omnium expresserunt, et forte ex Gregorio Turonensi Acta eorum in compendium redegerunt. Non censeo necessarium, hic alios recentiorum Martyrologorum textus accumulare, cum ex hactenus dictis de antiquo istorum Sanctorum cultu satis constet. Quod autem ad annuum festivitatis diem attinet, is apud varias gentes ac inter ipsos Latinos diversus est. Petrus Equilinus in Catalogo lib.* 7, *cap.* 51 *post historiam Actorum, de annuo cultus die sic scribit :* Dormierunt ergo sancti Martyres prima dormitione VI Kalendas Augusti; surrexerunt vero III Idus ipsius mensis, quo die festum ipsorum solenniter recolitur, anno Domini CCCCXLVIII. *Quiscumque ex his sit verus dies, nos in eo assignando sequimur Martyrologium Romanum, quod* XXVII *Julii sic habet :* Ephesi natalis sanctorum septem Dormientium, Maximiani, Malchi, Martiniani, Dionysii, Joannis, Serapionis, et Constantini.

Missalibus atque Breviariis.

15 *Memorati septem Martyres in variis Occidentis diœcesibus Officio ecclesiastico honorantur, ut patet ex quibusdam Missalibus ac Breviariis, quorum hic unum alterumve protulisse sufficiet. Imprimis Missale Rothomagense, jussu archiepiscopi et Cardinalis Borbonii anno* 1585 *editum, post Officium trium Lectionum in Missa præscribit sequentem Collectam :* Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut populus tuus ad plenæ devotionis affectum, beatorum Martyrum tuorum Malchi, Maximiani, Martiniani, Dionysii, Johannis, Serapionis et Constantini natalitiis præparetur, et eorum patrocinio promerente, plene capiat securitatis augmentum. Per Dominum nostrum *etc. In antiquo Breviario Tornacensi recitabatur oratio de communi Martyrum,* Deus qui nos concedis *etc. Breviarium vero Sarisburiense in Anglia, quod anno* 1499 *Lovanii impressum est, tribus Lectionibus propriis præmittit hanc Collectam :* Deus, qui gloriosos resurrectionis æternæ præcones septem Dormientes magnifice coronasti, præsta, quæsumus, ut eorum precibus resurrectionem sanctam, quæ in eis mirabiliter præostensa est, consequamur. Per *etc.*

Quidquid sit de hujus resurrectionis veritate, de qua postmodum pluribus; cum Baronio in notis ad Martyrologium Romanum hac die confidenter dico, tam Latinos quam Græcos religiose ac pie colere ac celebrare horum Sanctorum anniversariam solennitatem, eum gravia passi sint temporibus Decii, atque revera in Domino obdormierint. *Etiamsi hactenus dicta ad cultum eorum stabiliendum sufficiant, tamen eumdem ex posthuma illorum gloria aliisque monumentis jam confirmabo.*

§ III. Posthuma horum Martyrum gloria, mira de iis visio, et miraculum patrocinio illorum patratum.

De Sanctis illis, quorum corpora diu Ephesi superfuerunt.

V*ix dubito, quin olim in Oriente plures Sanctis nostris dedicatæ fuerint ecclesiæ, quæ jam temporum injuria et Turcarum tyrannide perierunt. Franciscus Richardus, Societatis nostræ inter Græcos missionarius, testatur, se in insula Sant-Ereni, quæ in mari Ægæo sita est, sacellum hisce Sanctis exstructum vidisse.* Circa littus maris versus Aponomeriam, *ait in Historia Gallica ejusdem insulæ cap.* 3, cernitur sacellum ad honorem septem Dormientium ædificatum, quod vulgo ἐκκλησία τῶν ἑπτὰ παίδων vocatur. *Pleraque Acta nostra in fine meminerunt de templo, quod Theodosius junior circa urbem Ephesinam supra corpora horum Martyrum exstrui jussit, et cujus rudera etiamnum spectantur, ut Cornelius le Brun, Jacobus Spon, aliique testes oculati in hodœporicis suis affirmant. Oportet sacra eorum corpora etiamnum eo loco quiescere, si vera prædixerit Rabanus, qui ad diem* XXVII *Junii in Martyrologio suo synopsin Actorum concludit his verbis :* Sed veritate agnita, adveniente Marino episcopo Ephesiorum, liberati sunt de manibus violentorum, et Theodosio imperatori præsentati ob testimonium resurrectionis futuræ, iterum redibant in locum pristinum, ubi requiescent usque ad diem universalis judicii. *Si Rabanus velit, corpora eorum usque ad extremum judicii diem eo ipso loco conservanda esse, quantum prophetiæ ejus deferendum sit, ignoro. Attamen ultra medium seculi* VI *corpora eorum ibi adhuc superfuisse patet ex Gregorio Turonensi, qui lib.* 1 *De gloria Martyrum cap.* 95 *de illis ita scribit :* Viri autem usque hodie palliolis sericis aut carbasinis cooperti, in ipso loco requiescunt. *Seculo* VIII *sacras eorum reliquias peregrinis ibidem ostendi consuevisse colligo ex Actis S. Willibaldi, a sanctimoniali synchrona conscriptis, quæ ad diem* VII *Julii dedimus, ubi tomo* 2 *istius mensis pag.* 504 *hæc leguntur :* Inde navigantes in Asiam ad urbem Ephesum, secus mare unum milliarium; et inde ambulaverunt in illum locum, ubi septem Dormientes requiescunt. *Quinimo eadem Sanctorum corpora adhuc seculo* XI *circa Ephesum quievisse, eruitur ex Vita S. Eduardi, regis et confessoris, quæ inter decem scriptores Anglicanæ historiæ anno* 1652 *Londini edita est; et ex qua miram sancti regis visionem de his septem Dormientibus hic transcribam.*

sanctus Eduardus, Angliæ rex.

17 *Beatus Ailredus vel Ealredus, Rievallensis in Anglia abbas, qui circa medium seculi* XII *floruit, et cujus Acta ad diem* XII *Januarii a Bollando illustrata sunt, scripsit Vitam et miracula*

cula S. Eduardi, atque in jam citata editione Londinensi inter alia ejus gesta col. 395 *et* 396 *refert sequens prodigium :* Non satis admirari possum, quænam fuerit causa, quod eo tempore, quo cultu regio clarior, quo procerum circumfusus comitatu severior, quo lautioribus epulis intuentium æstimatione videbatur effusior, abundantiorem spiritualium revelationum gratiam meruerit; sed nimirum homo in facie, Deus autem videt in corde. Portabat certe gladium, sed pro officio : utebatur regalibus, sed pro sacramento : multo stipatus milite incedebat, sed pro necessitate : sublimis in convivio residebat, sed pro consuetudine. Felix, qui iis omnibus sic usus est, ut non sit abusus, corpus tradens terrenis, et cælestibus spiritum miscens. Hinc [est] quod in die dominicæ Resurrectionis imperiali stola circumdatus, cum dextram sceptrum, caput ornaret corona, jam cælestis agni carnibus saginatus regiam accessit ad mensam, spiritualibus magis quam carnalibus epulis reficiendus. Timens enim, ut arbitror, ne forte mensa fertilior, cultus festivior, pompa splendidior animum cælo intentum, sibi vel modicum inclinaret, arctius solito se collegit ad se, et ponens præ oculis Deum, omnia hæc terrena arbitrabatur ut stercora, cum subito vultus ei plus solito serenabatur, interiorque lætitia labia solvebat in risum, rursumque, solita gravitate resumpta, obscuriorem faciem præferebat. Mirabantur qui adstabant et qui residebant, et licet ex iis, quæ acciderant, secretum aliquid regi divinitus revelatum nequaquam ambigerent, nemo tamen audebat cum interrogare, quid accidisset.

miram habuit revelationem.

18 Finito tandem convivio mensisque sublatis, rex beatissimus thalamum ingreditur, regium dispositurus ornatum. Secutus eum comes Haroldus, accitoque uno episcoporum et abbatum uno, simul regem super hoc sermone conveniunt. Tunc ille; Beatus, inquit, cujus est nomen Domini spes ejus et non respexit in vanitates et insanias falsas : quantum enim se quisque vanis subtraxerit, tantum veris arctius inhærebit. Ecce quidem ego inter fœcundos calices et pinguia fercula ac radiantis metalli splendorem recordatus sum domini Dei mei et effudi in me animam meam, dilatatoque sinu mentis, oculus interior speciali perfusus lumine, radios usque Ephesiorum civitatem mira celeritate porrexit, et usque in montem Celion progressus sanctorum septem Dormientium, quiescentium in spelunca, proprietatem vultuum, membrorum quantitatem, qualitatem vestium expressione manifestissima contemplatus est. Hæc dum, interiorem risu significante lætitiam, luminoso corde conspicerem, subito, me cernente, a latere dextro, super quod multis quieverant annis, in sinistrum se latus virtute vertentes divina, dirum mortalibus omen hac laterum mutatione suorum signarunt. Exhinc enim, ut in Euangelio scriptum est, " Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt pestilentiæ et fames, et terræ motus magni erunt per loca ". His quippe septuaginta annis (tantum enim temporis in sinistro latere repausabunt) visitabit Dominus iniquitatem plebis suæ, tradens eos in manus gentium, ut dominentur eorum, qui oderunt eos. Inimici namque nominis Christi in Christianos insurgent, servi dominis rebellabunt, reges insidiabuntur regibus, et principibus principes, et in omnibus terris ultor injuriæ Christi mucro desæviet.

auctore G. C. ex qua futura mala vere prædicit,

19 Obstupuerunt omnes, qui audiebant verbum, et quia extra orbem positi de septem Dormientibus nihil audierant, inquirentibus, qui essent et unde, rex vitam illorum et nomina et passionem et dormitionis modum exposuit. Quibus auditis, inito consilio, ut fidem posteris facerent, ad explorandam sermonis veritatem dux militem, episcopus clericum, abbas monachum cum regis epistola ad imperatorem Constantinopolitanum dirigendos putant : qui ubi ad urbem regiam pervenerunt, ab imperatore honorabiliter suscepti sunt. Lectis autem litteris, exultavit in gaudio spiritus ejus, et thesauros Græciæ, Anglis divinitus revelatos, plurimum gratulabatur. Mittuntur Ephesum, et ex imperatoris mandato, episcopus cum clero et populo præcedunt legatos, introductisque cum aromatibus in speluncam, Sanctorum corpora, facies, et vestes, et ipsos in latere sinistro repausantes ostendit. Et, ecce, timor magnus irruit super eos, videntes omnia signa in Martyribus in Græcia, quæ rex sanctus in Anglia, Dei spiritu docente, didicerat. Facta itaque oratione, oblatisque muneribus, cum summa prosperitate repatriant, Græcis exultantibus in iis, quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos, nuntiis tam Anglorum regi, quam plebi inauditum miraculum et fidei certum reportantibus argumentum.

ut varii scriptores testantur.

20 Regem non fefellit oraculum, quoniam, ipso ad regnum cæleste translato, cuncta terrarum regna commota sunt. Syria paganis subjecta, destructa monasteria, dirutæ a fundamentis ecclesiæ, plena funeribus omnia, morte principum Græcorum, Romanorum, Francorum, Anglorum, et regna cetera perturbata. Liquet igitur, regem sanctissimum, spiritu prophetiæ gratia ampliore ditatum, cui uno eodemque tempore et patuere præterita, nec latuere præsentia, futura quoque nihilominus revelantur. *Guilielmus Malmesburiensis lib.* 2 *de Gestis regum Anglorum cap.* 13 *hanc miram S. Eduardi visionem etiam narrat, et memoratam sancti regis prophetiam impletam esse distinctius probat his verbis :* Nec moram festinatio malorum fecit, quin Agareni et Arabes et Turci, alienæ scilicet a Christo gentes, Syriam et Lyciam et Minorem Asiam omnino, et Majoris multas urbes, inter quas et Ephesum, ipsam etiam Hierosolymam depopulati super Christianos invaderent. Tunc etiam mortuo Manichete, Constantinopolitano imperatore, Diogenes et Michaelius ac Bucinatius et Alexius vicissim se de imperio præcipitarunt, quorum ultimus usque ad nostra tempora durans, Johannem filium reliquit heredem. *Ranulphus Higdenus, qui inter alios quindecim Anglicæ historiæ scriptores a Thoma Gale anno* 1691 *Oxoniæ typis vulgatus est, lib.* 6 *sui Polychronici in citata editione pag.* 283 *eamdem historiam in compendium redegit, et imperatorem Constantinapolitanum illius temporis Nicetam appellans, de impleta S. Eduardi prophetia sic breviter scribit :* Et cito post insurrexerunt Saraceni et Turchi, Syriam, Minorem Asiam et Jerusalem occupantes, et mortuus est cito post imperator Henricus tertius, et rex Francorum Henricus potionatus obiit, et stella cometes VIII Kalend. Maii quasi per totum mundum septem continuis diebus apparuit. *Quidquid sit de hac prodigiosa historia, quam miror ab Alfordo nostro in Annalibus ecclesiasticis Britanniæ prætermissam fuisse, nos ejus fidem penes jam laudatos auctores relinquimus.*

AUCTORE G. C.

Reinerus monachus Leodiensis

21 *Hisce subjungo miraculum, quod Reinerus monachus, qui seculo* XII *in Leodiensi S. Laurentii cœnobio floruit, patrocinio sanctorum septem Dormientium sibi contigisse apud Bernardum Pezium in Thesauro Anecdotorum novissimo tom. 4, part. 3, col. 38 et 39 ita scribit:* Jam pelli meæ, consumptis carnibus, adhæserat os meum; jam secundum Prophetam fecerat Dominus vetustam pellem meam et carnem meam, contriverat ossa mea. Cibi defecerat omnino appetitus, succique inopes venæ somno illapsum negabant. Ad Deum ergo stillabat oculus animæ meæ, quia in me transibant iræ ejus, et terrores ejus conturbabant me: quippe et suis anima lacrymis rigatur, et confractione resoluta, inedicibilique sensu quodam affecta, tenerrimo ploratu, fortissimo gemitu ipsa Spiritus paracliti viscera movet, mereturque consolationem. Accessit ad visitandum aliquis fratrum, qui dictaret, ut nomina sanctorum septem Dormientium in schedula scribi facerem capitique circumligarem: hoc
B nempe remedio piæ fidei ægrotantibus dormiendi nonnumquam restitui facultatem. Adhibui fidem, feci ut injunxerat, et aure jam quodammodo audiebam interiori: Fides tua te salvum faciet. Repente etenim per mentis excessum in quadam me vidi esse regia, quam lux inæstimabilis, odor incredibilis perfunderet: quippe cum lucerna ejus, gloria ejus, exultatio ejus, illa veræ, illa unice desiderabilis, beatæ et adorandæ esset Trinitatis majestas. Sed enim os intemperans atque procax frenandum est, ne meas infelix nimium gravem miserias. Hoc in gratiarum actionem dixisse solum sufficiat, quod inter choros purpuratorum atque albatorum, qui aderant, Sanctos agnoverim illos, aureis gloriose coronis et ostro rubente insignitos. Illic nova, dulcissima illic cantica resonabant, et responsorium illud organa modulabantur angelica: " Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt et in sanguine Agni laverunt stolas suas ".

intercessione septem Dormientium sanitatem miro modo recuperat.

22 Ad me autem reversus attonitos circumferebam oculos, pene ignarus, ubi essem. Interim frater familiaris lectulo assidebat, qui dum magnapere quæreret, cur ita circumspectarem,
C quoniam probatæ confidentia debetur amicitiæ, retuli visionem, quam non fuisse frivolam mox expertus sum. Sic membra languore debilitata, sic dolore tamquam vinculis adstricta erant, quod per septem dies nec surgere nec stare nisi alieno potuissem adminiculo. Verum de aspectu fortis illius, misericordis illius, qui in sanguine testamenti sui emisit vinctos suos de lacu, in quo non est aqua, ita solutus, ita confortatus sum, quatenus sine quovis sustentamine tunc surgerem, cum prædicto fratre oratorium peterem, toto gratias perfunderem affectu. Ira dein sospitate redintegratus sum, sanctisque Dormientibus septem exile quidem et omnino impar, sed præcordiale tamen laudis atque gratiarum actionis munus obtuli, videlicet compositam de ipsis melodiam. At vero si quis gravabitur, si quis jactantiæ deputabit, quod talia scribam, num interdicere volet, ne miser miserationum Domini recordetur? Simplicem piamque intentionem nemo benevolus accusat. Secretum quidem regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Ceterum mentis est timoratæ non alta sapere, sed humilibus consentire, siquidem piis supernæ revelationes non vitii, sed virtutis instrumenta sunt. Quid vero impiis, ut Balaam, ut Nabugodonozor divina pro- D
sit vidisse? Lippientes sol confundit oculos Deum non sancta visio, sed sancta meretur actio.

§ IV. Varia Actorum compendia exhibentur.

Gregorius Turonensis

Primus inter Latinos, ni fallor, Gregorius Turonensis lib. I *de Gloria Martyrum cap.* 95 *historiam horum Sanctorum ita breviter narrat:* Septem vero germanorum, qui apud Ephesum requiescunt, hæc est ratio. Tempore Decii imperatoris, cum persecutio in Christianos ageretur, septem Viri comprehensi sunt, et ducti coram principe. Horum nomina hæc sunt: Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Joannes, Serapion; qui diversis verbis tentati, ut cederent, nequaquam adquieverunt. Imperator vero pro elegantia eorum, ne in momento perirent, spatium tractandi indulget. At E
illi in unam se speluncam concludunt, ibique per multos dies habitaverunt. Egrediebatur tamen unus ex eis, et comparabat victus et quæ necessaria erant, exhibebat Revertente autem imperatore in eamdem civitatem, isti petierunt ad Dominum, ut eos ab hoc periculo dignaretur eruere, factaque oratione, prostrati solo obdormierunt. Cumque imperator didicisset, eos in hoc antro morari, nutu Dei jussit os speluncæ magnis lapidibus oppilari, dicens: Ibi intereant, qui diis nostris immolare noluerunt. Quod dum ageretur, quidam Christianus in tabula plumbea nomina et martyrium eorum scribens, clam in aditu cavernæ, priusquam oppilaretur, inclusit.

compendium Actorum

24 Post multorum vero annorum curricula, cum data ecclesiis pace, Theodosius Christianus obtinuisset imperium, surrexit hæresis immunda Sadducæorum, qui negant resurrectionem futuram. Tunc quidam civis Ephesius, dum caulas ovibus secus montem ipsum facere destinat, ac lapides divolvit ad coaptanda earum septa, ignarus, quæ agerentur introrsum, patefecit ingressum ejus; non tamen cognovit arcanum, quod habebatur intrinsecus. Dominus autem immisit septem Viris spiritum vitæ, et surrexe- F
runt, putantesque quod una tantum nocte dormissent, miserunt puerum unum ex se, qui cibos emeret. Cumque veniens super portam civitatis vidisset crucis gloriosæ signaculum, audissetque per Christi nomen jurare populum, obstupuit, prolatisque nummis, quos a tempore Decii habebat, a mercatore comprehenditur, dicente sibi: Quia absconditos antiquitus thesauros reperisti. At ille negans deducitur ad episcopum ac judicem civitatis. Cumque ab his argueretur, compellente necessitate, absconditum mysterium revelavit, et deduxit eos ad speluncam, in qua Viri erant.

conscripsit,

25 Cumque ingrederetur episcopus, invenit tabulam plumbeam, in qua omnia, quæ pertulerant, habebantur scripta: locutusque cum eis, muntiaverunt hoc cursu rapido imperatori Theodosio. At ille veniens adoravit eos pronus in terra, qui tali colloquio cum eodem usi sunt principe: " Surrexit, gloriose auguste, hæresis, quæ populum Christianum a Dei promissionibus conatur evertere, ut dicant, non fieri resurrectionem mortuorum. Ergo ut scias, quia omnes juxta apostolum Paulum repræsentandi erimus

AUCTORE G. C.

A „ erimus ante tribunal Christi, idcirco jussit nos „ Dominus suscitari, et tibi ista loqui. Vide ergo, „ ne seducaris et excludaris a regno Dei. „ Hæc audiens Theodosius imperator glorificavit Dominum, qui non permisit perire populum suum. Viri autem iterum prostrati in terram obdormierunt: quibus cum Theodosius imperator sepulcra ex auro fabricare vellet, per visum prohibitus est, ne faceret. Viri autem usque hodie palliolis fericis aut carbasinis cooperti in ipso loco requiescunt; quod Passio eorum, quam, Syro quodam interpretante, in Latinum transtulimus, plenius pandit. *Ex his ultimis verbis colligo, Gregorium Turonensem longiora horum Sanctorum Acta conscripsisse, de quibus postmodum nonnulla monebo. Prætermitto hic Vincentium Bellovacensem litb.* 20 *Speculi bistorialis cap.* 32, *Petrum Equilinum in Catalogo Sanctorum lib.* 7, *cap*. 51, *aliosque recentiores Latinos, qui de iisdem sanctis Dormientibus meminerunt.*

quale etiam Photius Constantinopolitanus,

26 *Photius Constantinopolitanus secula* IX *vidit alia eorumdem Sanctorum Acta, quæ in sua Bibliotheca cod.* 253 *ita contraxit*: Legi e martyrio septem Puerorum, unde hœc summatim B descripta: Martyrium septem puerorum, Maximiliani, Jamblichi, Martimi, Dionysii, Exacustodiani, Antonini et Joannis. Hos septem patritios et cognitos quod Christianam pietatem amplecterentur et amplificarent, ductos esse a Decio tyranno, imperium Romanum Dei contemptu tyrannide commutante; ductos autem egregiam confessionem edidisse. Imperatorem cum alio traherent negotia, securitate inventa, in speluncam in monte juxta Ephesum fugisse, et servitum ipsis in iis, quæ corporalis necessitas postularet, ab uno eorum, qui Jamblichus fuisse perhibetur. Paulo post imperator, fuga et loco, ubi essent, et vivendi ratione explorata, ira plenus obstrui speluncæ os jussit, ut fame Martyres enecarentur.

paululum ab aliis diversum,

27 Deinde post annos septuaginta duos et trecentos, Theodosio a terria usque progenie regalem dignitatem suscipiente et administrante, Maro autem Ephesi præsule (o novum et naturæ inusitatum spectaculum!) apparuerunt Victores Christi egregii illi Martyres, vita recuperata, ad C quos accedentes imperator et episcopus (illum enim, qui longius aberat, ad mirandum illud spectaculum etiam vocabat) cum quibus et alii multi acciderunt ad genua eorum, precibusque et benedictione eorum digni habiti sunt. Assedit illis imperator et archiepiscopus, et mutuo colloquio habito, quæ Martyribus accidissent, confirmata sunt, certaque reddita: in conspectu enim cæsaris et præsentium in ipso iterum antro, in quo jacuerant, simul quieverunt, ut omnibus eorum mors clare patuerit, et incognita prius ipsorum ex hac vita communi migratio. Octavum et trigesimum annum tunc Theodosius regnarat, quando hoc maximum miraculum orbi ostensum voluit Deus.

suæ Bibliothecæ inseruit.

28 Exigebat tum ea tempestas, tale prodigium. Theodorus quidam (utinam ita non fuisset) episcopus Ægeorum erat. Hic, nescio qua ratione, luto infidelitatis absorptus, graveolentes evomuit voces, mortuorum resurrectionem negans, et multos cum suis sectariis eodem errore involvens. Hoc miraculo clarum resurrectionis testimonium in omnem terram divulgante, ipsi et quicumque gentiles reliqui erant, partim rubore confusi obmutuerunt, partim certam firmamque resurrectionis spem conceperunt, Modus vero, quo spelunca aperta est, hic est: Adolius, ad quem tunc mons ille pertinebat, in quo spelunca excisa erat, pecorum stabulum servos coëgit exstruere, resque intra biduum confecta est, domusque ædificata; translatis lapidibus, qui os speluncæ obstruxerant et munierant, sicque aperta spelunca est. Martyres illic jacebant, inaudito Dei judicio redivivi, emittunt Jamblichum, qui solitus erat olim ipsis ministrare, cibos emptum atque allatum; qui ingressus urbem Ephesum comprehenditur ob eos, quos proferebat, nummos, tamquam thesaurum antiqum eruisset: exindeque Martyrum miraculum ad omnium aures penetravit ac veluti res miranda proposita fuit. *Postea Simon Metaphrastes, aut quisquis longiorum Actorum est scriptor, eamdem historiam pluribus episodiis exornavit, ut post hunc Commentarium prævium licebit videre.*

Eadem historia nota fuit Mahometi, aliisque scriptoribus Arabicis,

29 *Verissime hic in fine dicit Photius, istud Martyrum miraculum ad omnium aures pervenisse: nam jam a seculo* VII *apud Arabes ita pervulgatum fuit, ut ipse impius Mahometes illud fabuloso suo Alcorano inseruerit, ejusque interpretes eamdem historiam insulsis fabulis contaminarint. Hæc me docuit Renaudotius, qui in* E *historia patriarcharum Alexandrinorum, anno* 1713 *Parisiis edita, occasione Dionysii patriarchæ pag.* 38 *et* 39 *sic scribit*: Septem Dormientium historia Dionysii quoque tempori assignatur *(is anno* 248 *Alexandrinam cathedram ascendit)* quam non modo Arabes Christiani, sed Muhamedani credunt, et miris coloribus exornant. Eam absque ullo insigni discrimine circumstantiarum referunt Eutychius, Elmacinus, Abulfaragius, Makrizius, Chronicon. Omnes tandem eos sub Decio passos asserunt etiam Muhamedani, atque inter eos auctor compendii Persicæ historiæ universalis, cui titulus MOGEMAL TOÜARICH, ut alii multi, atque præter alios celeberrimus Emir-condus, et ejus epitomator Cond Emirus. Nec mirum, cum ipse Muhamed impostor eam historiam, qualis in ore vulgi circumferebatur, Alcorano inseruerit: in eo enim caput, quod vocatur SPELUNCÆ, die illa est; unde vocat eos ASHAB ELKEHAF, eos qui in spelunca delituerunt. Legenti illas ineptias statim apparet, eas ex variis, quæ seculo VII circumferebantur, fabulis, non ex F ullo auctore idoneo, descriptas esse. Neque illis contenti Muhamedani, alias adjecerunt: nam canem comitem adjiciunt, qui in hominem mutatus fuerit, de quo multa poetis dicta: nam hæc ἄπιστα mirum in modum eos afficiunt. Cum vero ipse impostor et de Dormientium numero, et de tempore; quo in spelunca dormierunt, dubitet, multo magis commentatores. Illorum non postremus Hucein, qui Persicam paraphrasin satis accuratam scripsit, rem gestam tradit sub Deciano, hoc est Decio imperatore, Martyres illos Epheso oriundos ex præcipua nobilitate: montem, in quem se receperunt, BETAHALOS vocat, ut ali CHAOS; quæ utraque vox est nihili.

inter quos Eutychius,

30 *Ex his Arabibus juverit audire Eutychium, patriarcham Alexandrinum, in Annalibus Arabicis, quos Eduardus Pocockius Latine interpretatus est, et Oxoniæ anno* 1658 *Arabico-Latine imprimi curavit. Is igitur ante medium seculi* X *eamdem historiam, additis ac mutatis quibusdam circumstantiis, qui jam citata editione tom.* I, *pag.* 388 *ita refert*: A Decio isto persecutionem gravem malaque magna passi sunt Christiani

AUCTORE G. C.

Christiani, dum ex iis innumeros interfecerit. . . . . . Decius etiam imperator assumptos e magnanum Ephesi filiis pueros septem, ipsos rei vestiariæ suæ præfecit, quorum nomina sunt: Maximianus, Amilichus, Dianus, Martimus, Dionysius, Antonius, Joannes. Septem isti Juvenes cum idola non colerent, notum factum est hoc regi per delatores. Quare iratus ipse illos in carcerem conjici jussit: deinde ad exercitum profectus, illos, donec reverteretur, dimisit. Imperatore ergo [ex] urbe profecto, omnibus, quæ habebant, in eleemosynam distributis, ad montem magnum, Chaos appellatum, ad partem Ephesi Orientalem profecti, in specu quodam magno, qui in ipso fuit, se abdiderunt: unde unus aliquis ex ipsis quotidie urbem personatus ingrediebatur, ut, quid de ipsis dicerent homines, audiret, victuque ipsis comparato, reversus illis indicaret. Reverso igitur imperatori ac de ipsis roganti cum nuntiatum esset, fuisse ipsos in monte in spelunca, jussit ipse obstrui speluncæ aditum, ut ibi morerentur. Deus autem B septem Juvenibus istis somnum immisit, quo instar mortuorum dormierunt. Quidam vero ex ipsius præfectis, sumpta lamina plumbea, historiam ipsorum, et quid ipsis cum imperatore Decio contigisset, inscripsit, quam deinde arcæ æreæ inclusit; qua in specu relictæ, januam ipsius obstruxit.

patriarcha Alexandrinus

31 *Deinde eodem tom. 1, pag. 541 resuscitationem ipsorum ita exponit:* Porro anno imperii Theodosii magni octavo apparuerunt Pueri illi, qui a Dacio rege fuga se proripientes in spelunca in urbe Epheso delituerant: idque quod longo temporis intervallo cum pastores inter transeundum lateres, quibus speluncæ aditus obstructus fuerat, loco movere soliti essent, facta essent instar ostii apertus. Experrecti ergo Pueri, se unam tantum noctem dormivisse putantes, socio suo, qui cibum ipsis emere solebat; Profectus, inquiunt, cibum nobis compara, et quid agat imperator Dacius, inquire. Ille ad portam speluncæ agressus, ubi ædifici ibi constructi ruinas cerneret, quid hoc esset, ignoravit. Surgens tamen profectus est, usque dum ad urbis Ephesi portam pervenisset, supra quam crucem magnam collocatam conspicatus, hoc etiam apud se improC bans; Me, inquit, dormire puto. Oculos ergo tergere cœpit ac dextrorsum ac sinistorsum circumspicere, num aliquid sibi notum videre posset; quale cum nihil cerneret, confusus substitit, hæc apud se animo reputans: Forsitan a via aberravi, vel forsitan non est urbs ista Ephesus. Urbem vero ingressus, nummum, quem habuit, pistori tradidit, quo panem emeret. Pistori virum habitu peregrino conspicatus pavidum metuque consternatum, nummos habentem, quibus Dacii imperatoris effigies insculpta esset, quid hoc esset nescius, suspicatus, illum thesaurum invenisse, Unde, inquit, tibi est nummus iste? Quo nihil respondente, homines inclamavit: quorum magno apud ipsum cœtu congregato, ipsumque alloquente, cum ille nullum ipsis responsum redderet, ille eum ad patritium urbi præfectum, nomine Antipatrum, abduxerunt, qui eum etiam allocutus, ipsique minatus est. Ille tamen nihil respondit.

synopsin ejusdem tradit;

32 Accessit etiam ad ipsum Marcus, urbis episcopus, qui ipsum affatus nec ullum tulit responsum. Ille ergo, quo ipsum terreret; Nisi, inquit, nos alloquaris, ac unde tibi fuerit nummus ille, edicas, morte te mulctabimus. Necdum tamen respondit, loqui scilicet abnuens D metu Dacii imperatoris, quasi ipse adhuc viveret (dhuc enim ipsum in vivis superesse putabat.) Plagis ergo ipsum affecerunt, quarum dolorem ubi sensit, Ubi, inquit, est Dacius rex? Respondentibus illis, Dacium imperatorem mortuum esse, multosque post ipsum imperio potitos reges, Christique fidem obtinuisse, et qui jam imperaret, Theodosium Magnum esse: tum, sublato metu, omnia, quæ sibi accidissent, narravit. Illum ergo ad speluncam comitati, ubi socios ipsius conspexerunt, nec non arcam æneam repererunt, eique inclusam laminam plumbeam, in qua descripta erat ipsorum historia, et quid ipsis cum imperatore Dacio contigisset, litteris mandante Tadduso, Dacii imperatoris patritio. His in summam admirationem rapti, ad Theodosium regem litteras scripserunt, quibus eum harum rerum certiorem reddiderunt: qui ergo conscenso veredo, urbem Ephesum petens, ibi illos E et vidit et collocutus est. At tribus post diebus, cum ad ipsos in speluncam introiret, ipsos jam mortuos invenit. Jussit ergo, ne inde educerentur, sed in ipsa spelunca sepeliri; et super ipsos ecclesiam struxit, quæ ipsorum nomine insignita est, ac festum in ipsorum gratiam institutum eo die quotannis celebratur. Dein Constantinopolim reversus est Theodosius rex. Jam a tempore, quo a Dacio imperatore fugerunt, ad tempus, quo rursum apparuerunt ac mortui sunt, juxta illud, quod in historia martyrii ipsorum legimus, anni sunt ter centum septuaginta duo. *Adverte hic ab Eutychio nullum verbum fieri de hæresi, quæ resurrectionem corporum negabat, de qua tamen meminit anonymus scriptor Arabs, qui in Romana collegii Maronitici bibliotheca servatur, et ex quo jam aliud Actorum compendium subjicio.*

uti in Romano Maronitarum codice

33 *Supra laudatus P. Petrus Benedettus ex codice Arabico, qui ad usum Syrorum Melchitarum varia Sanctorum Acta continet, resectis iis, quæ ad rei notitiam nihil conferebant, sequentem ejusdem historiæ synopsin excerpsit, quæ Latine ita sonat:* Ducianus *(ita auctor ubique Decium appellat)* Ephesum ingressus, edictum contra Christianos publicavit, jussique sunt incolæ universi ad sacrificium solenne deorum convenire; quos inter etiam septem Pueri, qui in aula Duciani tunc temporis locum obtinebant honestissimum, a sodalibus accusati, ab imperatore ad quæstionem vocantur. Idolo colere abF nuentes aulico ornatu exuuntur. Imperator cœptum per provincias iter prosequi cupiens Martyrum causam ad suum reditum distulit. Interim ut resipiscerent, hortatur. Martyres in suo proposito constantes ex urbe in vicinum montem, duobus milliaribus distantem, subeunt. Inde Meletio ad cœmenda cibaria missus, mutata cum mendico veste, personam dissimulans urbem ingreditur: qui cum imperatorem eodem rediisse comperisset, et ipsorum consanguineos vexare, ut reos sistant, quos aufugisse resciverat; eo nuntio trepidus ad socios revertitur, et ex his, quæ coëmerat, cœnam instruit. Post quieti se tradunt universi. Quo comperto, Ducianus jubet antrum obstrui. Duo Christiani Martyrum historiam plumbeis tabulis incisam intra excitatum septum conjiciunt.

anonymus Arabs,

34 Post hæc cum, Theodosio imperante, controversia de resurrectione mortuorum emersisset, et imperator quæstionem aliquo signo dirimi a Deo postularet, accidit, ut pastor pecori suo

A suo clausum facere cogitans, ad antrum, quo beati Martyres sese abdiderant, veniret, indeque lapides ad usum suum legeret. Ea occasione patefacto ostio speluncæ, Martyres, qui per trecentos et novem annos dormierant, expergefacti Meletionem Ephesum ad procurandum commeatum remittunt. Hic inventi thesauri in crimen vocatus ad prætorem ducitur, et ab eo ad antrum reductus socios ostendit. Per hunc modum re demum comperta, tum ex Martyrum dicto, tum ex scripto in aditu speluncæ reperto, et continuo imperatori Theodosio renuntiata, Ephesum venit, ac Martyres alloquitur: qui eo præsente vitæ hujus ærumnis eripi orant, et exaudiuntur. Theodosius templum apud eamdem speluncam excitari jubet, monitusque per visum a sanctis Martyribus ibidem eorum corpora sepelienda curavit. *Ex Actorum clausula; in qua auctor obitum horum Martyrum Kalendis Septembris consignat, Benedettus conjicit, Acta illa in Syria, a Melchita quodam concinnata fuisse, quia Græci* IV *Augusti, et Syri Maronitæ* VII *Martii annuam eo-* B *rumdem Sanctorum memoriam celebrant, ut antea monui.*

et scriptor Æthiops apud Jobum Ludolfum,

35 *Denique ipsi Æthiopiæ incolæ gesta horum septem Dormientium non ignorant, ut Jobus Ludolfus in annotationibus ad sacros ecclesiæ Æthiopicæ Fastos pag.* 436 *testatur: ibi enim affirmat, se possidere relationem de iis Æthiopice manuscriptam, cujus summa est,* in magna illa persecutione Decii imperatoris septem illos Pueros Ephesinos in speluncam semet abdidisse, id metu tormentorum prodidisse parentes eorum Decio minitanti, ni indicarent, ubi essent. Igitur cognito, quod in spelunca laterent, saxis ingentibus eam obstruere jussit tyrannus. Cum igitur ab amicis pro mortuis haberentur, Theodorum et Macedonium rem gestam, tamquam Martyrum Acta, litteris consignavisse. At illi interim usque ad tempora ultima Theodosii junioris per ducentos circiter annos placide dormiverunt: quo tempore elapso, excitante Deo, expergefacti, cum se noctem tantum unam dormivisse crederent, Diomedem (*Græci hunc* Jamblichum, *proxime citatus codex Arabicus* Meletionem, *Latini* Malchum *nominant*) clam in urbem cibariis emendis C miserunt, ubi ex antiquata jam moneta cognitus, totumque exinde negotium detectum fuit. *Si fidelis sit Ludolfi interpretatio, scriptor Æthiops prudenter vitavit anachronismum, in quem multi Græci, Syri, et Arabes lapsi sunt, quando dormitionis tempus ad trecentos et plures annos extenderunt. At hæ aliæque variorum Actorum peristases jam discutiendæ sunt.*

§ V. Diversæ Actorum circumstantiæ referuntur.

Præter duas opiniones circa modum resuscitationis,

Ex jam datis Actorum compendiis liquet, duplicem esse auctorum opinionem circa modum dormitionis, a qua hi Martyres communiter Dormientes appellantur: quidam enim indicant, septem illos Sanctos a tempore Decii imperatoris usque ad Theodosii junioris tempora re vera mortuos fuisse, et ad confirmandam resurrectionis fidem redivivos apparuisse; alii vero innuunt, eos per tantum temporis spatium solummodo dormivisse. Præter jam exhibitos scriptores, Constantinus Manasses in Breviario chronico, quod inter historicos Byzantinos anno 1655 *Parisiis Græco-Latine editum est, pag.* 56 *posteriorem sententiam tradit his verbis:* Ceterum imperatore Theodosio rerum potiente, septem illi Juvenes, martyres tolerantissimi, de somno longissimo experrecti ac vulgo conspecti sunt. Nam ut Decii furorem evitarent in nativam specum, haud procul ab Ephesina urbe sitam, sese contulerant, ibique gravi et prolixo somno consopiti quieverant. Hoc autem excitati tempore ac fidelibus agniti, simul tam ab ipsis quam imperatore, magno in honore habiti, rursus inexcitabili postremoque sopore correpti fuerunt. *Theophanes in Chronographia, etiam anno* 1655 *Parisiis Græco-Latine impressa, de miro hoc somno pag.* 76 *sic brevius obscuriusque meminit:* Hoc eodem anno dignum admiratione prodigium Ephesi auditum; sanctorum videlicet Puerorum septem, qui de somno, quo per annos centum octoginta quatuor consepulti remanserant, suscitati sunt. *Eadem fere habet Georgius Cedrenus in suo Compendio historiarum tom.* 1 *editionis Parisiensis pag.* E 338, *nisi quod dicat, eos dumtaxat* centum septuaginta *annis dormivisse. Metaphrastes et alii quidam, paragrapho præcedente relati, somnum de vera morte interpretantur.*

quas refert Baronius.

37 *Eminentissimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hoc die utramque sententiam ita refert:* Cur autem hi dicti sint Dormientes, duplex affertur ratio. Altera, quod hi Martyres temporibus Decii consummarint martyrium intra speluncam clausi, ac demum specus ostio reserato, inventis eorum corporibus, velut redivivi, iterum apparuissent; dictique Dormientes consueto divinæ scripturæ loquendi usu, quo eos, qui pie religioseque vita functi sunt, dormientes consuevit appellare. Altera vero, quod iidem temporibus Decii usque ad ultima tempora Theodosii Junioris intra specum clausi, somno capti, ad ducentos fere annos re vera dormierint. *Videtur autem eminentissimus vir in priorem opinionem propensior, ut in fine notarum post propositas quasdam contra prodigiosam hanc historiam difficultates satis indicat. Si mihi alterutra opinio eligenda foret, mallem cum Baronio hanc dormitionem de morte intelligere juxta phrasin sacræ Scripturæ, quæ mortuos* F *nonnumquam nomine dormientium compellat. Saltem ea explicatio aptior est iis, qui volunt, hos Sanctos vivos apparuisse, ad probandam carnis resurrectionem. Sed nihil definio, sicut nec postea judicium feram de historiæ hujus veritate, circa quam utrimque argumenta alienis verbis protulisse mihi sufficiet.*

et crassum anachronismum

38 *Liberius faciliusque judicari potest de errore chronologico, qui circa diuturnitatem dormitionis in plurima Actorum exemplaria irrepsit, ut paragrapho præcedente potissimum observari potuit. Præter Photium, Eutychium, et anonymum Arabem, qui illic ultra trecentos annos somno aut morti istorum Sanctorum perperam assignant, eumdem manifestum parachronismum tradit Mahometes in fabuloso suo Alcorano, ubi Azoara* 28 *de his Dormientibus agens ita scribit:* Spatium autem sopitionis prædictorum in caverna fuit CCCLX annorum, Deo quidem notum, cujus sunt arcana cæli et terræ. *Quinimo hunc errorem chronologicum impostore isto antiquiorem esse conjicio ex sermone Syriaco Jacobi Sarugensis, qui juxta Assemanum tom.* 1 *Bibliothecæ Orientalis pag.* 289 *circa finem seculi quinti et initium sexti floruit, ubi post hunc*

Commentarium

AUCTORE G. C.

Commentarium num. 10 *civem quemdam Ephesinum uni septem Dormientibus ita de Decio respondentem inducit :* Ille, de quo locutus es, obiit a longissimo tempore; atque secundum numerum et computum Græcorum trecenti et septuaginta duo anni computantur ab illo imperatore fluxisse. *Hinc verosimiliter idem mendum, ad Officium et Synaxarium Syrorum, aliosque scriptores transiit. Sed quis facile dixerit, an iste error adscribendus sit primo auctori, an antiquo amanuensi, quem alii cæce secuti fuerint? Ut ut est, eruditissimus Assemanus tomo proxime citato pag.* 338 *post plura hujus anachronismi exempla sic concludit :* Hæc tamen chronologiæ menda veritati historiæ haudquaquam officiunt. In Actis vero Syriacis, quæ apud Dionysium exstant, et a Metaphraste fere ad verbum descripta sunt, nulla temporis nota legitur præter Theodosii Junioris imperium et Maris seu Memnonis episcopatum.

determinatus annus

B 39 *At, inquies, quot igitur anni inter Decii persecutionem et horum Martyrum resuscitationem effluxerunt? Hoc opus, hic labor est. Satis quidem inter auctores convenit de anno Decianæ persecutionis, quem Pagius aliique exactiores chronologi communiter Christi ducentesimum quinquagesimum statuunt. Sed maxime inter se differunt in assignando anno, quo hæc mirabilis resuscitatio contigit : Theophanes enim supra re latus ait, eos* per annos centum octoginta quatuor *dormivisse, adeoque circa annum Christi* 434 *id factum esse existimavit, ut supputanti manifestum fiet. Cedrenus vero id quatuordecim annis citus contigisse putat, cum tantum* centum septuaginta *annos somno eorum assignet. Dionysius Jacobitarum patriarcha miram illorum apparitionem ad annum Græcorum* 736, *id est Christi* 425 *refert. Codex Syriacus Vaticanus, teste Assemano, eamdem anno Græcorum* 748, *seu Christi* 437 *collocat. Sigebertus autem illam historiam usque ad annum Christi* 447 *differt. Alii indeterminate statuunt, hos Martyres ultimis Theodosiani imperii temporibus redivivos apparuisse. Alii denique alios eligunt, ita ut hic vere dici possit : Quot capita, tot sententiæ.*

prodigiosæ istius historiæ.

C 40 *Audiamus eruditissimum Assemanum, qui tomo* 1 *Bibliothecæ Orientalis pag.* 338 *de diversa hac chronotaxi ita disserit :* Duodecim post annis *(nempe post annum Græcorum* 736 *seu Christi* 425, *quem Dionysius supro assignaverat)* id factum narratur in codice Syriaco Vaticano XXXIX pag. 44, cujus verba infra describemus; anno nimirum Græcorum DCCXLVIII, Christi CCCCXXXVII, quo tamen idem Memnon Ephesinam ecclesiam adhuc regebat. Græci in Menologio ad annum Theodosii trigesimum octavum id conferunt : Cedrenus ad annum ejusdem vigesimum tertium. Sed cum duplex sit imperii Theodosiani epocha, altera ab anno CCCCII, quo ab Arcadio patre, anno post nativitatem suam Augustus creatus est; altera ab anno CCCCVIII, quo imperium Orientis, defuncto patre, octennis suscepit; nos Dionysium et laudatum Vaticanum codicem sequi malumus, in quibus certus illius apparitionis annus apponitur : atque adeo Sigebertus audiendus non est, qui horum Martyrum historiam ad annum CCCCXLVII protrahit, cum eo anno nec Memnon, nec Stephanus, sed Bassianus Ephesi episcopus fuerit. Hinc eos in specu ad centum et septuaginta quinque, vel octoginta septem annos mansisse liquet, cum Decii persecutio juxta Pagium anno Christi CCL, vel CCLII secundum Baronium inchoata fuerit. D *Hic Baronii annus jam passim rejicitur, ut eruditis notum est. Ceterum quæ hic dicuntur de episcopis Ephesinis, majorem lucem accipient ex iis, quæ postmodum referemus.*

et aliæ ejusdem circumstantiæ differunt.

41 *Eutychius Alexandrinus differt ab aliis in narranda occasione, qua aditus speluncæ apertus fuerit, dum sum supra num.* 31 *eam ita refert :* Longo temporis intervallo, cum pastores inter transeundum, lateres, quibus speluncæ aditus obstructus fuerat, loco movere soliti essent, facta est instar ostii apertus. *Alii plerique dicunt, id factum esse occasione civis Ephesini, qui ovibus suis juxta montem caulas præparabat. Photius Constantinopolitanus episcopum Ephesinum, sub quo hoc prodigium factum est,* Marum *appellat; Eutychius vero* Marcum *nominat; Metaphrastes* Stephanum *vocat; alii denique nomen non exprimunt. Gregorius Turonensis gesta horum Martyrum posteris cognita fuisse tradit hoc modo :* Quidam Christianus in tabula plumbea, nomina et martyrium eorum scribens, clam in aditu cavernæ, E priusquam oppilaretur, inclusit. *Eutychius autem hoc ita exponit :* Quidam vero ex ipsius *(scilicet Decii)* præfectis, sumpta lamina plumbea, historiam ipsorum, et quid ipsis cum imperatore Decio contigisset, inscripsit, quam deinde arcæ æneæ inclusit, qua in specu relicta, januam ipsius obstruxit. *Codex Arabicus duos id fecisse indicat :* Duo Christiani, *inquit anonymus Arabs,* Martyrum historiam plumbeis tabulis incisam intra excitatum septum conjiciunt. *Imo scriptor Æthiops nomina duorum istorum prodit, dum affirmat,* Theodorum et Macedonium rem gestam, tamquam Martyrum Acta, litteris consignavisse. *De diversis horum Martyrum nominibus sat multa superius diximus. Reliquas minoris momenti discrepantias, quæ in his Actis occurrunt, eruditus lector facile observabit.*

§ VI Manuscripta et impressa longiorum Actorum exemplaria recensentur.

Inter Actorum scriptores edentur primo Jacobus Sarugensis,

Præter *scriptores, qui de gestis septem Dormientium meminerunt, et quorum compendia* § IV *exibuimus, varii auctores longiora eorumdem Martyrum Acta concinnarunt, quorum enumeratio jam facienda est. Ut autem in iis recensendis aliquis ordo servetur, ab antiquioribus et* F *nominatim cognitis incipiemus. Non est dubitandum, quin Græci illam historiam, utpote domesticam, ante alios populos litteris mandaverint. Attamen inter omnes, quos hactenus novimus, vetustissimus est Jacobus Sarugensis in Mesopotamia episcopus, cui Assemanus tom.* 1 *Bibliothecæ Orientalis cap.* 27 *pag.* 283 *titulum* sancti *vindicat, et de cujus ætate ibidem pag.* 289 *ex Vita ejus Syriaca sic concludit :* Natus est igitur S. Jacobus juxta hunc auctorem anno Græcorum DCCLXIII, Christi CCCCLII. Examinatus ab episcopis anno Græcorum DCCLXXXIII, Christi CCCCLXXII. Annis sequentibus scripta sua publicare cœpit. Anno Græcorum DCCCXIV, Christi DIII presbyter jam factus litteras adhortatorias ad Euphratenses dedit, in Chronico Josue memoratas. Amidæ præterea excidium lugubri carmine planxit, et paucis ante annis carmina de locustis ediderat, de quibus Josue loco citato et Gregorius Abulpharagius in Historia dynastiarum ad annum undecimum

AUCTORE G. C.

A decimum Anastasii imperatoris. Anno Græcorum DCCCXXX, Christi DXIX, episcopatum Batnarum Sarugi obtinuit. Demum anno Græcorum DCCCXXXIII, Christi DXXI, die XXIX Novembris ex hac luce migravit. *Assemanus hanc chronotaxim ibidem pluribus probat, et contrarias quorumdam opiniones refellit. Ex his itaque patet, Jacobum Sarugensem prodigiosæ horum Sanctorum revelationi supparem vixisse.*

ex codice Syriaco:

43 *Cum deinde apud laudatum Assemanum tomo proxime citato pag.* 335 *num.* 221 *inter opera Jacobi Sarugensis legerem titulum* de Pueris Ephesi, *intelligeremque, exstare de illis homiliam Syriacam in codice Nitriensi XIII, quem Assemanus cum aliis pretiosis codicibus e Syria in Urbem advexerat, incessit me desiderium obtinendi tam antiquum Actorum scriptorem, quo hanc prodigiosam historiam non parum illustrandam sperabam. Quare statim scripsi Romam ad supra laudatum Petrum Benedettum, officiosissimum Societatis nostræ sacerdotem, natione Syrum Maronitam, cujus promptam operam alias socii mei experti fuerant, ut hoc Jacobi Sarugensis opusculum latine reddere dignaretur. Vir obsequiosus Latinam homiliæ Syriacæ interpretationem, propria* B *manu descriptam, perhumaniter ad me transmisit; imo ultro addidit partem Officii Syriaci, et synopsin Actorum, ex Arabico codice contractam, quas supra exhibui. Nunc hoc novum venerandæ antiquitatis monumentum (titulus ejus juxta Benedettum hic est:* Jacobi doctoris de Pueris Ephesi sermo) *primo loco post hunc Commentarium typis vulgabitur. Etsi autem hæc homilia Syriace sit metrica, non tamen exstimavi, scrupulose in editione nostra lineam lineæ reddendam esse, tum quod hoc nihil ad rei substantiam faciat, tum quod metri elegantia in soluta alterius idiomatis oratione non percipiatur.*

deinde Gregorius Turonensis ex Ms. Audomarensi,

44 *Jacobo Sarugensi (saltem inter Actorum scriptores, quorum notitia ad nos pervenit) ætate proximus est Gregorius Turonensis, qui fatetur, se miram horum septem Dormientium historiam a Syris accepisse, dum Actorum compendium, supra a num. 23 relatum, ita concludit:* Quod Passio eorum, quam, Syro quodam interpretante, in Latinum transtulimus, plenius pandit. *Imprimis ex hac clausula patet, Gregorium suam narrationem ex fonte Syriaco hausisse. Præterea ex eadem clausula apparet, pleniorem horum Martyrum historiam a Gregorio conscriptam fuisse. Hoc postremum etiam advertit Ruinartius, quan-* C *do in Parisiensi sua Gregorii Turonensis editione col. 828 ad memoratam ejus clausulam sic notat:* Habetur ex Simeone Metaphraste apud Surium die XXVII Julii; sed aliam esse ab ea, quam Gregorius in Latinum transtulit, vel ex eo solo manifestum est, quod nomina ibi aliter, quam apud Gregorium recenseantur. Aliam invenimus in Mss, in qua nomina, sicut hic recenset Gregorius, habentur; sed cum incertum sit, an ea sit ipsa, quam Gregorius transtulit, nihilque novi habeat, eam edere superfluum fuisset. *Sic hoc Ms. inter opera Gregorii Turonensis inveniebatur, aut illius nomen præferebat, non erat superfluum istud edere. Imo etiamsi utraque hæc conditio deesset, illud editum videre cupivissem, ut conferre possem cum ecgrapho nostro Audomarensi, quod in fine Acta horum Martyrum Gregorio ita tribuit:* Explicit Passio sanctorum Martyrum septem Dormientium apud Ephysum; translata in Latinum per Gregorium episcopum, interpretante Joanne Syro, quæ observatur sexto Kalendas Augusti. *Huic Ms. Nostro similis est editio Mombritiana, si proxime dictum scriptoris indicium et quasdam exigui momenti variationes exceperis. Quidquid sit, nos ex fide ecgraphi nostri istud opusculum Gregorio Turonensi adscribimus, atque illud post Acta Syriaca Jacobi Sarugensis prælo subjiciemus.*

ac denique Simeon Metaphrastes ex Surio

45 *Tertio loco recudentur longiora eorumdem Sanctorum Acta, quæ Surius aliique Metaphrasti passim adscribunt. Ea autem ex editione Surii ad diem* XXVII *Julii iterum hic imprimentur, ut curiosus lector aliorum Actorum collatione facilius videat, quomodo Metaphrastes (si alium Græcum amplioris hujus historiæ auctorem esse contenderis, non repugnabo) aut ei similes quidam Græci scriptores gesta Sanctorum augere ac exornare soleant. Neque Metaphrasti cedere debet alter anonymus Græcus, cujus Acta Mss. ex bibliotheca Medicea regis Franciæ Majores nostri excerpserunt: scriptor enim ille, cujus ætatem ignoramus, præter alia cum Metaphraste communia, in fine Actorum asserit, S. Cyrillum Alexandrinum jussu Theodosii imperatoris Alexandria Ephesum appulisse, ut hoc prodigium videret, et* E *cum sanctis hisce Martyribus colloqueretur. Certe mirum est, id omnes alios biographos tacuisse, ac ipsum Cyrillum, si oculatus hujus miraculi testis fuerit, de illo nusquam in scriptis suis meminisse. Non judicamus, hunc novorum episodiorum inventorem inutili labore Græco-Latine edendum esse, cum narret pleraque aliis similia, et quædam alicujus momenti variationes facile in Annotatis ad Acta Metaphrastis observari possint.*

omisso Dionysio Jacobitarum patriarcha.

46 *Ante medium seculi* IX *Syriaca eorumdem Martyrum Acta conscripsit Dionysius, Antiochenus Jacobitarum patriarcha, de cujus gestis, scriptis ac obitu Assemanus tomo 2 Bibliothecæ Orientalis pagg.* 98, 344, 348 *et alibi sæpius meminit. Cum ex hoc Assemani opere eam notitiam primum hausissem, videre cupiebam ipsam Dionysii lucubrationem, ad quam Latine reddendam laudatus Benedettus noster paratissimum obsequium offerebat. Sed postea mutavi consilium, quando in eadem Bibliotheca tomo* I *pag.* 338 *legeram, hæc Syriaca Dionysii Acta* a Metaphraste fere ad verbum descripta *esse. Cum vero ibidem pagina præcedente legissem, quod a Dionysio pro illa historia citaretur* æqualis Martyrum auctor Syrus, *dubitare cœpi, an Dionysius forte non voluerit designare Jacobum Sarugensem, qui aliquo modo* F *resurrectioni Martyrum æqualis dici potest, eo quod eodem seculo floruerit. Si autem Syrus, a Jacobo Sarugensi diversus, et stricte Martyribus synchronus, hanc historiam posteritati reliquierit, haud dubie Asssemanus in sua Bibliotheca nobis ulteriorem istius scriptoris notitiam suggessisset, si tamen Dionysius nomen ejusdem ac ætatem determinate indicaverit. Ut ut est, non judicavimus operæ pretium esse, ut hæc Dionysii Acta ex idiomate Syriaco in Latinum converterentur, quia Metaphrasteis sunt similia, sicut proxime citatus Assemanus testatur.*

aliisque anonymis, quos in Mss. invenimus.

47 *Præter hæc Acta Syriaca, Latina, et Græca, habemus varia Mss. eorumdem Actorum exemplaria, quorum unum in bibliotheca Trevirensi S. Maximini ita incipit:* In tempore illo, regnante Decio impio imperatore, facta est ingens persecutio Christianorum. Decius autem oppugnans Christianos descendit in civitatem Constantinopolim et sursum in Carthaginem et Ephesum. *Initium vero alterius Ms., quod ex codice Ultrajectino S. Salvatoris Majores nostri excripserunt, sic*

AUCTORE G. C.

sic sonat : Eodem tempore regnans Decius crudelissimus imperator descendit in civitatem Constantini, et rursus pervenit in Carthaginem et Ephesum. *Non enumero quatuor aut quinque Musei nostri codices Mss., qui cum hisce exemplaribus fere conveniunt. Ceterum hæc omnia prælo minime digna censemus, tum quod eorum ætas et scriptores ignorentur, tum quod narrationi Metaphrastis sint similia et ex eo desumpta videantur. Si quæ tamen notatu digna differentia occurrerit, eam in Annotatis observabimus.*

§ VII. Controversia de Actorum veritate proponitur.

Baronius, qui in notis ad Martyrologium Romanum nihil de hac historia definire voluerat,

Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die XXVII *Julii contra hanc historiam proponit nonnullas difficultates, post quas ita concludit* : Hæc sunt, quæ his obstare videntur. Quid autem in hac re sentiendum sit, ego minime decerno, nec mihi tantum sumo, ut hæc audeam
B definire. *Cum itaque hæc scriberet, noluit de historiæ hujus veritate judicium ferre. At eminentissimus vir videtur mentem mutasse aut propositi sui oblitus fuisse, dum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 853 *num.* 61 *alias* 84 *occasione fabulæ de Joanna Papissa enumerat varia figmenta, quibus vulgo fides adhibita fuit, et inter quæ hanc ipsam septem Dormientium historiam ita collocat* : Felix historiæ cursus, *inquit*, si absque obice fabularum sincera tantum ferri veritate daretur, quæ ubi semel, ut zizania inter triticum seminata, fixis radicibus, tritici mentita specie, altiori culmo consurgunt, sicut triticum messoris æqua falce metantur, et cum frumento in horrea recondantur, et mixta tritico, tritici jam nomine decorata, atque æquo pretio, eademque mensura cum tritico venumdentur : ita fabularum abolito nomine, receptæ semel transeant in historiam, ut opus sit magno cribrario, qui magno labore a veris falsa, et fabulas segreget ab historiis.

in Annalibus suis illam inter fabulas collocat.

49 Non desunt de his exempla : nam fabula de collapso Romæ pacis templo, tempore Christi ortus, quod nondum fuerat ædificatum, semel as-
C serta multiplicium haud vulgarium fuit scriptorum auctoritate firmata. De anima Trajani precibus S. Gregorii ab inferis revocata commentum semel creditum etiam disertissimos habuit assertores, imo etiam defensores. Nonne hactenus fabula illa, ut historia lecta est, de Cyriaco Papa Roma Coloniam comitante S. Ursulam cum virginibus undecim mullibus, cum tamen nec per somnium quidem ejus nominis Pontifex sederit in sede Petri? De septem Dormientibus, somno tentis annos prope ducentos quid dicam, tam a Græcis in Oriente, quam a Latinis in Occidente historiam lectam atque receptam? De Silvestro Papa secundo, quod per magiam pontificatum adeptus fuerit, atque dilaceratus in obitu a diabolo? De obitu Hadriani per muscam illato quid addam? *Vides, hic prodigiosam septem Dormientium historiam inter fabulas numerari. An novæ rationes eminentissimum scriptorem impulerint ad mutandum judicium, ignoramus. Saltem ipse nullas ibi indicat. Quare nobis sufficiet exhibere hic eas difficultates, quas Baronius in notis ad Martyrologium Romanum huic historiæ opposuit, una cum responsionibus clarissimi Assemani, qui nuper in Bibliotheca Orientali tomo* I *a pag.* 336 *singulas Baronii objectiones solvere conatus est. Hæc autem omnia ipsismet utriusque scriptoris verbis referemus, ne forte ex alterutra parte vim argumentorum minuisse vel auxisse videamur.* D

50 *Eminentissimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die jam dicto primum argumentum suum ita proponit* : Sententiæ illorum, qui putant, hos non ob mortem dictos esse dormientes, sed quod vere eo temporis spatio somne fuerint oppressi, magnopere refragatur, quod ipsi ajunt, id miraculum divinitus factum esse ob eam causam, quod eo tempore de resurrectione carnis hæresis esset orta, cum re vera nihil tale temporibus Theodosii Junioris contigisse reperiatur : nam nec in sacrosancto concilio Ephesino, quod sub eodem Theodosio celebratum est, neque in sacrosancta synodo Chalcedonensi post illud proxime habita, ulla umquam mentio de ejusmodi hæresi facta invenitur, quæ prima omnium patrum sententia damnari debuisset. *Hisce eruditissimus Assemanus loco proxime citato sic respondet* : At Sarugensis nihil de illa hæresi in laudato sermone refert; sed solum in fine ejusdem scribit, Theodosium, eo viso miraculo, in fide resurrectionis mortuorum confirmatum fuisse. Auctor vero Syrus Actorum et ex eo Metaphrastes hæresim quidem illam tunc exortam, atque E a Theodoro Æginensium episcopo aliisque propugnatam esse tradunt : non tamen idcirco debuit ea hæresis novo concilio, aut novo canone damnari, cum olim a Christo domino diserte damnata fuisset in Euangelio, et a patribus Constantinopolitanis, paucis ante annis, in symbolo.

Proponuntur difficultates,

51 *Baronius ad alterum argumentum ita pergit* : Præterea si ad adstruendam fidem resurrectionis voluit Dominus hos Martyres excitare, manifestum est, eos revera fuisse mortuos : alioqui enim dormientium quidem a somno excitatorum, sed non mortuorum resurgentium, quæ fidem resurrectionis facerent, fuissent testimonia. *Assemanus huic difficultati sic occurrit* : Mortuos re vera fuisse, et postea temporibus Theodosii resurrexisse, asserit Sarugensis, et ex eo Syri in horum Martyrum officio : ASSUMPSIT EORUM SPIRITUS, ET SURSUM EOS IN CÆLUM SUSTULIT : VIGILEMQUE EORUM MEMBRA CUSTODIRE JUSSIT. Qui autem eos a somno excitatos scribunt, respondent, eo miraculo ostensum fuisse, posse Deum redacta in cineres mem- F bra pristinæ integritari restituere, qui, eadem ne corruptioni per tot annos succumberent, fecerat : hoc enim novum apud homines erat ; mortuos autem ad vitam revocatos fuisse, pluribus exemplis ex Euangelio et ex Actibus Apostolorum ac martyrum satis probabatur.

quas eminentissimus scriptor

52 *Deinde eminentissimus Martyrologii illustrator ibidem ex coævorum auctorum silentio ita argumentatur* : His accedit, quod nullus illorum scriptorum, qui illis vixere temporibus, rem tam insignem, miraculum adeo grande, scriptorum monumentis commendarunt : quæ omnia illos latuisse, verisimile non est ; puta S. Prosperum, qui illorum tamporum res gestas per annos singulos digessit, aut Marcellinnm, vel alium ex illorum temporum scriptoribus. *Doctissimus Maronita hoc argumentum negativum enervare nititur hac responsione* : Commendavit Jacobus noster, qui paucis ab eo miraculo annis natus est, uti supra demonstravimus. Scripsit eamdem historiam æqualis Martyrum auctor Syrus, quem citat Dionysius patriarcha, tribus seculis Martyribus

contra hanc historiam movet,

AUCTORE G. C.

A tyribus posterior. Scripsit Gregorius Turonensis circa finem seculi sexti. Scripsit demum Mahometes ipse pseudo-propheta in Alcorano SURA id est DE SPECU, ubi disertam hujus miraculi mentionem facit, quod non Asiam et Orientem modo, sed barbaras etiam Hagarenorum regiones pervaserat. Si quod vero allatum Baronii argumentum valeret, probaret, neque Martyrum corpora sub Theodosio inventa fuisse, quod eorum temporum Græci vel Latini historici ejus inventionis haud meminerint.

simul cum responsionibus eruditissimi Assemani,

53 *Cardinalis denique ultimum suum argumentum ita profert:* Addimus etiam, quod Stephanus episcopus Ephesinus, cujus sedis tempore id evenisse refertur in Actis, quæ scribit Metaphrastes, intrusus fuit armorum vi in eam sedem, pollutusque communione Eutychetis atque Dioscori in latrocinio Ephesino, ut habent Acta ipsa, quæ recitantur in sacrosancto concilio Chalcedonensi, actione prima et undecima; cujus quidem communionem prædicti Dormientes merito exsecrari ac vitare debuissent. *Hoc ratiocinium* B *Assemanus sic refellit:* Eadem ratio contra sententiam Baronii militat, quod scilicet ab hæretico episcopo tantus inventus fuerit thesaurus. Quod ad Stephanum attinet, puto Metaphrasten vitioso usum exemplari, pro Memnone, orthodoxo episcopo, Stephanum posuisse: nam in Actis Syriacis MARES episcopus Ephesi nominatur, qui procul dubio ex corrupto MEMNONIS nomine obrepsit. Metaphrastis textum jam restituendum suadent, quæ de anno apparitionis Martyrum apud Dionysium leguntur; eos nimirum anno Græcorum DCCXXXVI, Christi CCCCXXV, expergefactos fuisse, quo anno non Stephanus, sed Memnon Ephesinam sedem regebat: hic enim synodo Ephesinæ œcumenicæ una cum S. Cyrillo interfuit anno CCCXXXI, decessitque circa annum CCCCXL, quem Basilius usque ad annum CCCCXLIV excepit. Basilio Bassianus eodem anno successit, eoque post quatuor annos ejecto, Stephanus sedem invasit anno CCCCXLVII. Uterque demum, Bassianus scilicet et Stephanus, anno CCCCLI in synodo Chalcedonensi depositi, ut late Pagius ad hunc annum a num. LVI. *Videri etiam possunt ea, quæ Matthæus Raderus noster jam a centum annis in Aula sancta cap.* 13 *edidit, ad historiam illam ab objectionibus Baronii vindicandam.*

et quæstio indecisa relinquitur.

C 54 *Nemo interim a nobis exspectet decisionem hujus controversiæ, inter tam illustres ac doctos viros agitatæ, cum utrimque talia afferantur rationum monumenta, ut neutri parti victoriam tribuere audeamus, donec aliunde accesserint clara testimonia, quæ dubiam litem dirimant. Attamen non placet nobis opinio Tillemontii, qui tomo* 3 *Monument. eccles. pag.* 349 *putat, corpora horum Sanctorum, sub imperio Theodosii inventa, Græcis quibusdam scriptoribus sufficiens fundamentum præbuisse, ut reliqua historiæ adjuncta fingerent. At quis credat, solam sacrorum corporum inventionem eo tempore ita fuisse raram, ut illius fama Orientem et Occidentem pervaserit, ut supra diximus? Videtur itaque hic aliquid amplius contigisse. Si Tillemontius addidisset, septem illos Martyres integro corpore et vivida facie, tamquam dormientes, post tot annorum spatium repertos fuisse, atque hinc Græcos Acta eorum exornasse, tunc saltem conjecturam suam aliquo modo verisimilem reddidisset. Quidquid sit de totius historiæ veritate, de qua studioso lectori post allata utrumque argumenta liberum judicium relinquimus, cum Radero nostro concludimus, traditionem tam communiter receptam, tot scriptorum litteris consignatam, tot diversarum gentium linguis celebratam, sine evidentibus testimoniis aut certissimis rationum argumentis non temere esse negandam. Jam tantummodo superest, ut Syriaca septem Dormientium Acta, quæ Baronio, Radero, ac Tillemontio videre non licuit, hic primo loco, tamquam antiquiora, typis vulgemus, deinde alia subjuncturi eo ordine et modo, quo supra promisimus.*

ACTA ANTIQUIORA

AUCTORE JACOBO SARUGENSI.

Ex Syriaco Nitriensis monasterii codice XIII *fol. 79, interprete Petro Benedetto Societatis Jesu.* E

In persecutione Deciana

Fili Dei, cujus janua ipsum invocanti patet, januam tuam aperi mihi: filiorum lucis hymnum pangam. Pastor et bonus, qui de medio grege suo Agnos sibi secrevit, eosque in excelsis ædibus congregavit secum victuros. Benedictus sit Agricola, qui de zizaniis grana tritici sibi delegit, eaque in agro vitæ, qui in regno est, seminavit. De Pueris *a* Ephesi, optimatum filiis, sermo mihi est audientibus dicendus. Auscultate mihi operarii, et psallite laudem filii thalami. Decius imperator de loco suo in alium locum egressus est, oppida et urbes imperii sui visurus. Ephesum ingressus est, et ingenti illam perculit metu, et festum Jovi et Apollini atque Artemidi *b* egit, epistolamque imperii sui dominis scripsit, ut universi venirent, et thura diis adolerent. Convenere principes, senes, adolescentes et pueri, thuraque obtulerunt simulacris mutis manufactis.

quidam juvenes Ephesini ad imperatorem adducti

2 Aderant porro ibi amabiles Pueri, optimatum filii, qui mandatum contempsere, neque, ut ipsorum sodales, se ipsos subdiderunt; et ingressi ædes Jesu, ab illa ira sese absconderunt, ne immundi thuris fœtor ad ipsos ascenderet. F Viderunt ipsorum socii, et coram imperator illos accusavere; quia ecce hic Pueri, qui mandato tuo restiterunt. Audivit imperator, et adversus mansuetos excanduit, jussitque Pueros adduci, ut videret eos. Procurre lupi, medioque de grege Agnos rapuerunt, et cum festinatione ad imperatoris conspectum introduxere. Vidit imperator personas eorum admirabiles, et blande cum eis locutus est, dicens: Dicite mihi, Pueri, quare transgressi fuistis mandatum meum? Accedite et immolate, et optimates vos faciam.

idolis immolare recusarunt, et concesso ad deliberandum spatio,

3 Aperuit os suum filius hyparchi *c*, et septem Sodales ejus *d*: Muta et manufacta simulacra non adoramus, inquit; adest nobis Dominus ille cæli, et ipse auxiliabitur nobis, et ipsum adoramus, eique cordis puritatem offerimus: et tu quidem regem habes Jovem et Apollinem atque Artemidem; nos vero regem habemus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Jussit imperator, et virgis illos ceciderunt; rursumque jussit dicens: Dimittite eos, donec veniam. Festinabat quippe invisere oppida et urbes, indeque redire cogitabat, et Ephesum cum ea mente

 te

EX MS. CODICE SYRIACO.

te intrare. Discessit imperator Epheso ad suum negotium; Pueri vero amabiles inter se consultarunt: Egrediamur et fugiamus ex hac urbe Ephesiorum, antequam veniat maledictus imperator, nosque torqueat.

fugerunt in vicinam speluncam,

4 Erat in eo loco antrum excavatum in rupe in cacumine montis, et cogitaverunt amabiles Pueri in illud se abdere. Ex pecunia patrum suorum acceperunt secum: futurum quippe erat, ut ex ea deprehenderentur et laudarentur. Non electas vestes neque primas secum abstulere: nec enim bonis vestibus opus erat, ut deprehenderentur. Ex commate *e* imperatoris paganorum argentum secum tulere: qui enim ex commate pecuniam habet, indicium habet, unde deprehendatur et revincatur. Subiere in montem, et speluncam ingressi ibidem pernoctarunt, atque Dominum invocaverunt gemebunda voce atque ita dixerunt: Quæsumus te, Pastor bone, qui oves suas elegit, custodi gregem tuum ab illo lupo sitiente sanguinem nostrum.

in qua obdormierunt.

5 Vidit Deus fidem Agnorum amabilium, et venit daturus mercedem bonam retributionum illorum. Assumpsit spiritus eorum, et sursum in cælos sustulit, reliquitque vigilem, qui membra eorum custodiret. Reversus est imperator, et ingressus Ephesum interrogabat: Ubi sunt Pueri, qui mandato rebelles fuerunt? Responderunt ei dicentes: Ecce in vertice montis intra speluncam delitescunt. Et cogitavit crudelis imperator illos in spelunca occidere. Præcepit etiam et venerunt artifices cum machinis suis, atque lapides suis machinamentis devolverunt, et ad ostium posuerunt. Aderant ibi duo sophistæ *f*, filii optimatum; et venit eis in mentem, quod futurum esset, ut Dominus eos suscitaret: atque tabulas plumbeas fecerunt, easque apud illos posuerunt, et scripserunt in eis nomina Filiorum lucis, et quam ob causam ingressi Pueri in speluncam eo se abdidissent, et quonam tempore a facie Decii fugissent.

Post plurimos annos expergefacti mittunt cnum e suis Ephesum,

6 Transiit ætas imperatorum paganorum, eorumque simul imperia abierunt; et voluit Deus Filios lucis suscitare. Erat in eodum loco vir locuples in Epheso, voluitque tectum ædificare pecori suo in summitate montis, collegitque lapides, et pecori suo in eo loco septum exstruxit: et vidit lapides delatos, eosque disposuit. Intravit lux et Filios lucis suscitavit, et excusserunt se a somno suo, sederuntque super terram (mirabile dictu!) et deliberare cœperunt amabiles Pueri inter se: Quisnam modo descendet et videbit, an venerit imperator, discet et inspiciet, quid de nobis mandaverint? an scilicet nos requisiverit, vel non requisiverit, et renuntiabit nobis? Unus, qui aderat ex ipsorum numero, et Jamlicus *g* dicebatur, iste dixit: Ego descendam et intelligam, et sub mendici specie intra palatium penetrabo, et discam et inspiciam, quid de nobis præceperit. Responderunt ei dicentes: Cape pecuniam et affer panem; quia ecce a vespera defecit panis et non cœnavimus.

qui putans se una dumtaxat nocte dormivisse,

7 Festinavit Puer a vertice montis, venitque in urbem, atque Dominum cum gemitu invocavit dicens: Te quæsumus, Pastor bone, qui oves suas elegit, custodi gregem tuum ab illo lupo sitiente sanguinem nostrum; levatisque oculis, vidit crucem super portam, et inclinavit caput suum, et cum gemitu adoravit illam: cæpitque circumspicere, num forte quispiam paganorum ipsum aspiceret; orsusque est dicere in cogitatione sua: Quid istuc est? Quia ecce a vespera crux abscondebatur a paganis, et ecce hodie palam supra portam fixa est? Perrexit Puer, venitque ad aliam portam, oculosque attollens vidit similiter crucem portæ superpositam, cœpitque dicere: Delirans deliravi *h* et insanus sum. Putasne isthæc est Ephesus civitas, in qua educatus sum? Virumque intuitus in foro sedentem, accessit eum et rogavit: Dicito mihi, bone vir; Quænam est isthæc civitas? Urbs hæc, respondit, Ephesus dicitur. Obstupebat autem ille in mente sua reputans, quidnam ipsi accidisset.

omnia nova miratur,

8 Perrexit circumcursare per compita, nec a via deflexit, donec ad palatium pervenit, viditque fores sibi occlusas. Ad forum divertit, ut panem emeret et secum auferret. Pecuniam e crumena extractam dedit. Accepit, qui panem vendebat, et consideravit, suoque sodali innuit, ut et ipse accederet et illam inspiceret. Per manus quinque hominum pecunia illa traducta est, eamque contemplati mussitare cœperunt inter se de illa. Et vidit Puer eos inter se mussitantes, respondensque dixit: Tradite mihi panem, si traditis, aut ego discedam. Accessit vir, qui panem vendebat, et apprehendit Puerum dicens: Dicito mihi, Puer; Unde es tu, et quænam est terra tua? Atque thesaurum, quem invenisti, tradito, ut de eo participemus omnes. Si autem mihi revelare recusas, carceri te tradem. Respondit Puer ...... Thesaurum numquam vidi, nec ullatenus scio.

et ob antiquam pecuniam de invento thesauro accusatus,

9 Vox cecidit *i* intra forum Ephesiorum, quia ecce Puer thesaurum reperit: et continuo apprehenderunt eum. Ingressum est verbum ad sanctam ecclesiam ad episcopum: et misit, qui raperent eum de manibus eorum; et interrogat illum. Dicito mihi, Puer; Unde es tu, et quæ est terra tua, et quis est locus tuus, et ubi est thesaurus, quem dicunt te invenisse? Dixit Puer: Ex ipsa Epheso ego sum, sumque filius Rufi electi, qui est ex optimatibus. Cœpitque ipse Jamlicus circumspicere turbam, si forte cerneret quemquam ex genere suo et cognatione sua, aut ex fratribus suis, aut affinibus, aut notis suis, qui patrem ipsius vocaret, et veniret eripere eum de manibus eorum. Cumque neminem de genere et cognatione sua vidisset, erupere lacrymæ ex pupillis ejus, et flere cœpit.

prodigiosam Sociorum suorum historiam pandit.

10 Aderat ibi quidam sophista in sancta ecclesia, qui Puerum apprehendit, eumque interrogat cum discretione: Effare, fili, vera mihi: cur moreris *? Revela et expone, unde sis, nolique te mihi abscondere. Dixit Puer: Ego vera ostendam tibi; tu vero revela mihi et ostende, quæ ego sincere a te sciscitor. Responde mihi et dicito: Decius imperator ubinam est? Tum vero ego vicissim res meas tibi aperiam. Hæc audiens sophista vehementer miratus est, et excanduit adversus illum Puerum, qui profunda ipsi monstrabat. Vilis et insane, [ait;] reusque mortis, mene irrides? Videorne tibi puer duodennis? Ille, de quo locutus es, obiit a longissimo tempore, atque secundum numerum et computum Græcorum trecenti et septuaginta duo anni *k* computantur ab illo imperatore fluxisse. Dixit Puer: Ab illo nempe ego et Socii mei fugimus, et ecce in montis vertice dormivi ego et septem Sodales mei.

* *forte moraris?*

ad quos videndos multi cives Ephesini cum suo episcopo

11 Congregati sunt optimates et senes et nobiles atque pueri, ut ascenderent et viderent thesaurum vitæ, qui revelatus fuerat illis. Cecidit vox in universam regionem Ephesiorum dicens: Venite et

A et videte istum thesaurum nobis manifestatum. Audierunt Pueri, qui erant in spelunca, atque commoti sunt et timuerunt, existimantes, quod imperator misisset satellites ad ipsos capiendos; et confortavit eos filius hyparchi dicens : Surgite et confortamini, et induite armaturam fidei, et confidamus super Deum, quoniam ipse auxiliatur nobis, nosque corroborat, et gubernat secundum voluntatem suam. Cumque illos adhortaretur, intravit Puer, stetitque apud illos, et episcopus atque optimates una cum illo ingressi sunt : viderunt Pueros sedentes super terram, salutarunt eos dicentes : Pax vobiscum; et continuo scripserunt epistolam imperatori Theodosio dicentes : Veni domine, et vide thesaurum vitæ, qui nobis revelatus est.

et Theodosio imperatore venerunt.

12 Festinavit imperator, et descendit, viditque illo : salutavit eos dicens : Pax vobiscum. Accepit tabulam illam plumbeam, cœpitque legere, quam ob causam Pueri in speluncam in-B traverant, ibique se condiderant. Tum vero imperator invitavit illos, ut secum descenderent Ephesum, cogitans ædificare templum super ossa eorum *l*. Responderunt dicentes : In hoc loco erimus, quia hunc locum amavimus. Pastor pecoris sui ipse præcepit nobis, ut in hoc loco simus. Propter te, ecce, suscitavit nos Christus dominus noster, ut videas et confirmeris, quoniam vere est resurrectio *m* .... Et reliquit eos, et requieverunt in somno illo sempiterno. Benedictus sit Pastor, qui Agnos de grege suo elegit, fecitque heredes thalami et paradisi atque regni superni.

ANNOTATA.

a *Dubium est, an hi Martyres ob juvenilem ætatem vel ministerium communiter a Græcis aliisque scriptoribus* pueri *appellentur : teste enim Gellio, a Latinis* pueri *vocabantur, qui minores essent septemdecim annis. Livius autem lib.* 5 *decade* 6 *testatur, quod apud Macedonas pueri dicerentur principum liberi, qui ad regis ministerium electi erant. Sic etiam in sacra Scriptura vox* puer *sæpe accipitur. Præplacet hæc posterior significatio, etsi etiam alia commode in-*C *telligi possit.*

b *Diana hoc nomine a Græcis appellatur.*

c *Benedettus noster in Latina horum Actorum interpretatione ad vocem* hyparchi *in margine sic notat :* Videtur esse nomen dignitatis, non proprium personæ, et pro præside provinciæ seu proconsule a Syris usurpari solet. *Hanc eruditi Maronitæ conjecturam secuti sumus in Commentario prævio num.* 5.

d *De hoc Martyrum numero, quem Jacobus infra repetit, etiam egimus in Commentario prævio num.* 5.

e Comma, *teste interprete Aristophanis, est genus vilissimi numismatis. Hinc metaphoricum Græcorum adagium* ἄνθρωπος πονηροῦ κόμματος, *id est* homo mali commatis. *Videtur tamen ea vox hic potius formam pecuniæ significare.*

f *Quamvis hoc nomen plerumque male sonet, tamen interdum accipitur pro iis, qui in arte aliqua excellunt, ut videri potest apud Cangium et in lexicis passim obviis.*

g *Is a Græcis communiter vocatur* Jamblichus, *a Latinis* Malchus, *de cujus nominis mutatione plura vide in Commentario prævio num.* 6 *et* 35.

h *Haud dubie est Syriacus idiotismus, qualem etiam habent Hebræi, dum psalm.* 39 v 1 *dicunt :* Exspectans exspectavi, *id est* vehementer exspectavi, *ut explicant sacræ Scripturæ interpretes. Hic igitur* delirans deliravi *idem est, ni fallor, quod* valde *vel* vehementer deliravi. EX MS. CODICE SYRIACO.

i *Suspicor, hanc phrasin, quæ infra repetitur, etiam Syris esse propriam, eaque significari, famam hujus rei peo forum Ephesinum divulgatam fuisse.*

k *De hoc errore chronologico egimus in Commentario prævio num.* 38.

l *Obscura est hæc Actorum expressio ; quomodo enim cogitabat Theodosius super ossa horum Martyrum ædificare templum, cum eos invitaret, ut secum descenderent Ephesum? Itaque existimo, quod auctor dicere voluerit, Theodosium hoc proposuisse ædificare post eorum mortem, quam forte imminere ex ipsis audiverat.*

ACTA ALIA

AUCTORE GREGORIO TURONENSI.

E

Ex Ms. ecclesiæ S. Audomari, quod contulimus cum editione Mombritiana, ad quam proxime accedit.

Septem viri Ephesini in persecutione Decii

Cum per universum orbem *a* persecutio Christianorum exagitaretur, atque idolis vanis sacrificia funesta offerrentur, fuerunt septem Viri *b* in palatio regis primi, et nobili familia orti; id est Achillidis, Diomedis, Diogenis, Probatus, Stephanus, Sambatius, atque Quiriacus *c*. Hi cum sæva imperatoris scelera sæpe conspicerent, ut pro Deo sempiterno idola surda et muta coli juberet, compuncti divinitus ad baptismi gratiam convolaverunt; appellatique sunt [in] regenerationis fonte Maximianus *d*, Malchus, Martinianus, Constantinus *e* Dionysius, Joannes, Serapion. Igitur adveniente Decio ad urbem Ephesum, jussit omni intentione ita Christianum F genus inquiri, ut posset, si fas esset, ipsum nomen religionis exstinguere. Denique præparantur sacrificia, ipse immolat, suosque immolare blanditiis terroribusque instigat. Libabant cuncti hostias; totaque civitas horrendarum cæremoniarum nidore fumabat. Quod videntes hi septem Athletæ Christi, prostrati sunt in orationem cum lacrymis : et asperso super caput pulvere, Domini misericordiam flagitabant; ut respiciens de cælo sancto suo, non sineret Domini populum in hac perversitate subverti.

diis sacrificare nolentes,

2 Quo comperto, persecutores nominis Christiani, venerunt ad principem dicentes : Imperii tui præceptio, o rex, totius terræ terminos percucurrit *, et nullus jussioni tuæ contraire præsumit. Omnesque diis immortalibus sacrificia quotidiana delibant, præter septem Viros quos unice affectu foves, ac diligis. Quibus imperator ait : Et qui sunt illi? Responderunt : Maximianus filius præfecti cum satellitibus suis. Et statim, furente imperatore, onerati ferro adducti sunt in conspectu ejus effusos habentes vultus lacrymis, et pulverem super capita sua, sicut fuerant in conspectu Domini deprecantes. Quos intuens imperator ait : Tantane vos tenuit perfidia

* lege percurrit

EX MS. AUDOMARENSI.

fidia mentis pravæ, ut audeatis nostris nominibus * contraire, immortalibusque diis debita holocausta non reddere? Dico enim vobis per gloriam meam : quia experiemini diversa genera tormentorum, pro contemptu deorum nostrorum. Responderunt viri dicentes : Ipse est Deus creator cæli terræque et maris *f*, cui nos debitum quotidie laudis sacrificium immolamus, pro cujus nomine et mori parati sumus. Nomina * vero, quæ nobis velut deorum nomine arguis * adorare, nihil prorsus esse novimus. Quia cum membra sint artificum arte distincta, vegetandi * usum capere non possunt, ideoque et qui adorant ea, prophetica sanctione damnantur, ut similes illis fiant tam factores, quam adoratores eorum.

* *Mombrit.* muneribus *lege* numinibus

f

* *Mombrit.* Numina
* *Mombrit.* urges
* *Mombrit.* vivendi

concesso ad deliberandum spatio, fugerunt in speluncam,

3 Tunc imperator furens, semotis omnibus dixit : Abscedite, o furciferi, a nostri præsentia : donec agentes pro contumeliæ hujus scelere pœnitentiam recipiatis * in palatio nostro, reconciliatique deorum miserationi, flore adolescentiæ perfruamini *g*. Quia non decet tantam venustatem ac pulchritudinem corporis subdi tormentis. Et discusso ferro a collo * eorum, jussit eos abire liberos, donec ipse reverteretur ad Ephesum. Accepta itaque septem Viri indulgentia abeundi, discedente imperatore ad aliam urbem, abierunt ad domos suas, inspectoque præsilio domus *h* abstulerunt aurum argentumque, et vestimenta, cunctamque supellectilem. Qua distributa pauperibus, abierunt in speluncam montis Celei *, portantes secum parum * pecuniæ ad emendam victus necessitatem : elegeruntque Malchum, ut abiens clam in urbem cibos emeret, auscultaretque *i*, quid imperator de Christianis quotidiana sanctione decerneret.

g

* *forte* recipiamini
* *Mombrit.* cervicibus

h

* *Mombrit.* Chillei
* *Mombrit.* parvum pondus

i

in qua obdormierunt.

4 Inclusis igitur Sanctis sub carceris privatim custodia, ac in assidua oratione vacantibus, nequissimus imperator redivit ad Ephesum; inquisitisque ex more Christianis, de Maximiano atque ejus sociis interpellat : parentes autem eorum dixerunt, eos inclusos esse in quodam antro mentis Celei, de quo facile possunt erui, si imperatoris regalis jussio emanarit *. Quod cum Viri, nuntiante Malcho, cognovissent, exterriti valde prostraverunt se super terram, et cum C lacrymis orabant, ut eos Dominus in fide custodiens a conspectibus iniquissimi imperatoris arceret. Quibus orantibus, providens Deus, quod essent imposterum necessarii, exaudivit orationem eorum; suscepitque animas illorum : et erant jacentes super humum, quasi suavi somno dormientes.

* *Mombrit.* innueret

postquam jussu Decii occlusu fuerat.

5 Commotus deinde imperator dixit suis : Ite itaque et oppilate os cavernæ, ne rebelles illi deorum aditum egrediendi habeant. Abeuntibus autem, qui os speluncæ deberent oppilare, præcesserunt eos duo viri, Theodorus et Ruben Christiani, qui propter minas imperatoris Christum latenter colebant. Hi scribentes in tabulis plumbeis omnem historiam Sanctorum, posuerunt eas in introitu cavernæ intrinsecus, nemine sciente, dicentes : Quandoque * Deus voluerit beatos artus Athletarum suorum populis revelare, hæc doceant, quæ pro ejus nomine pertulerunt. Venientes autem, qui missi fuerant, advolventesque lapides magnos, concluserunt aditum antri, abieruntque discentes. Hic fame deficiant, propriisque se morsibus devorent, qui contempserunt diis nostris debita exhibere libamina.

* *forte* quan documque

Deinde tempore Theodosii

6 Post hæc mortuo Decio, per succedentia tempora in Theodosium, Arcadii filium, imperii summa collata est. Cujus in tempore immunda illa Saducæorum *k* secta surrexit, volens evertere spem resurrectionis dicens : Quia mortui non resurgunt. Caput autem hujus hæresis fuerunt Theodorus et Gaius *l* episcopi, qui etiam ipsius imperatoris animum voluerunt huic incredulitati conjungere. Unde factum est, ut hac causa valde afflictus prostratusque solo imperator deprecaretur Dominum, ut sibi, quæ sequi debeat, dignanter insinuet. Erat autem tunc apud Ephesum Dalius quidam valde dives in pecoribus, qui circumiens montem Celeum jussit pueros suos dicens : Præparate hic caulas ovibus nostris, quia opportunus est hic locus ad pascenda pecora. Ignarus enim erat, quid ageretur in spelunca. Operantibus autem pueris, et revolventibus ingentia saxa, venerunt ad os speluncæ, invenèruntque lapides magnos; quos revolventes, facientesque murum, non tamen introierunt in antrum. D

k

l

7 Dominus autem jussit reverti spiritus in corpora Sanctorum, et surrexerunt ac salutantes se de more, putantesque se una tantum nocte dormisse, sederunt alacres atque robusti. Erant enim non modo corpora eorum venusta atque pulcherrima; verum etiam ipsa vestimenta integra atque inlæsa, sicut ante annos plurimos fuerant ab his induta. Conversique ad Malchum dixerunt : Enarra, quæsumus, nobis frater, quæ hac nocte locutus est imperator, aut si inquisiti sumus, ut sciamus. Quibus ille, Requisiti, inquit, estis * ad sacrificandum diis. Cui Maximianus ait : Nos omnes mori parati sumus pro Christo. Sed tu accipe nunc argenteos, et vade ad comparandas escas et ausculta diligenter, et quæ audieris renuntia nobis. Accepta itaque pecunia, abiit. Erant enim argentei ex nomine Decii superscripti. Appopinquans autem ad portam civitatis, vidit signum crucis super portam, et stupefactus miratus est, dicens infra se : Numquid ab die hesterna post solis occasum, cum ego egrediebar de urbe, cor Decii immutatum est, ut crucis signaculo portam civitatis muniret? Ingressusque urbem, audivit homines per Christi nomen jurare atque ad ecclesiam aspicere, clericosque per urbem discurrere, mœniaque renovare, stupensque magis dicebat ad semetipsum : Putasne, quia in aliam urbem ingressus es? Accedensque ad nundinas protulit argenteos, deprecans dari sibi escas.

resurgentes mittunt unum e suis sacris Ephesum,

E

* *Mombrit.* sumus

F

8 At illi numisma argentei intuentes dixerunt : Hic homo thesauros reperit antiquos, nam ecce argenteos de temporibus Decii profert. Malchus vero hæc audiens, volvebat cogitationes in corde suo dicens : Quid sibi volunt ista? Numquid somnium video? Viri autem eum apprehensum ducunt ad episcopum Marinum, atque ad præfectum urbis.* Cui præfectus ait : Unde es; aut ex qua regione venisti? Ex Epheso, inquit; si tamen hæc civitas est Ephesiorum, quam hesterno [die] me vidisse commemoro. Unde, ait præfectus, hos argenteos habes? Respondit : De domo patris mei sumpsi eos. Præfectus dixit : Et ubi est pater tuus? Et nominabat parentes suos, sed nemo cognoscebat. Præfectus dixit : Enarra nobis, unde habes hos argenteos? Sunt enim ex tempore Decii, qui mortuus est, ante hos * annos. Unde manifestum est, quia illudere venisti sapientes Ephesiorum, ideoque subjiciendus eris tormentis, quoadusque aperias veritatem. Commotusque Malchus cum stupore et lacrymis ait : Unum a vobis signum, si dignum ducitis, velim interrogare. Decius imperator, qui persecutus

qui ob antiquam pecuniam deprehensus

* *Mombrit.* plures

A persecutus est Christianos in hac urbe, ubi est? Marinus Episcopus respondit: Non est in hac urbe, fili dilectissimi, vir qui tempora Decii recolat: ante multos enim annos *m* defunctus est.

m

qui resurrectionis prodigium manifestat,

9 Hæc audiens Malchus conversus ad se dixit episcopo: Putabam, me cum fratribus meis una tantum nocte dormisse; sed ut cognosco multorum annorum super somnum nostrum curricula transierunt. Et nunc sciscitavit me Dominus cum fratribus meis, ut cognoscat omne seculum, quia fiet resurrectio mortuorum. Sequimini ergo me, et ostendam vobis fratres meos, qui mecum resurrexerunt. Tunc stupefactus episcopus cum præfecto, et omni populo, sequentes Malchum venerunt ad speluncam. Narrante autem Malcho fratribus, quæ ei contigissent in urbe, ingressus episcopus reperit scrinium, duobus sigillis argenteis præsignatum; egressusque foras convocans mutitudinem civitatis cum præfecto aperuit sigilla, et invenit duas tabulas plumbeas, in quibus scripta erat omnis passio eorum, sicut supra retulimus, et cognoverunt, qui vera erant, quæ a Malcho dicebantur.

B

ad quod videndum præter episcopum et cives Ephesinos

10 Tunc ingressi invenerunt beatos Martyres in angulo speluncæ sedentes, et erant facies eorum tamquam rosæ florentes et sicut sol in virtute fulgentes: nihil enim diminutum erat, neque de vestimentis, neque de corporibus eorum. Marinus autem episcopus cum præfecto procidit ante pedes eorum, et adoravit eos, et omnis populus glorificavit Deum, qui dignatus est tale miraculum ostendere servis suis. Sancti vero narraverunt episcopo et omni populo, quæ eis tempore Decii accessissent. * Episcopus vero cum præfecto miserunt nuntios ad Theodosium imperatorem dicentes: Festina quantocius; potes, si vis videre miraculum magnum, quod manifestum est, tribuente Deo, temporibus tuis. Si enim veneris, cognosces spem resurrectionis valde esse utilem, juxta sponsionem permissionis Euangelicæ.

* *forte* accidissent

venit ipse imperator Theodosius

* *Mombrit* de cilicio

11 Hæc audiens Theodosius imperator surrexit cum lætitia * et extendens manum suam ad Deum ait: Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, sol justitiæ, qui dignatus es tenebras mortalium tuæ veritatis luce respergere; Gratias tibi

C ago, qui non permisisti lucernam confessionis meæ tetris assertionum caliginibus obvelari. Et hæc dicens, ascensis equis, cum summa festinatione venit ad Ephesum. Episcopus autem cum præfecto, et omni multitudine civitatis exiit in occursum imperatoris. Ascendentibus autem illis omnibus, egressi sunt sancti martyres in obviam Augusto, et factæ sunt facies eorum tamquam sol in virtute fulgentes; ceciditque Augustus in terram: et adoravit eos glorificans Deum. Et surgens osculatus est eos, ac flevit super collum uniuscujusque eorum dicens: Sic video facies vestra, tamquam si videam Dominum meum Jesum Christum, quando vocavit Lazarum de monumento; cui immensas gratias refero, quod non fraudavit me spe resurrectionis.

cum quo septem Martyres collocuti iterum in Domino obdormiverunt.

12 Maximianus autem respondit: Scito imperator, quia ad confirmandam fidem tuam nos Dominus resurgere jussit. Ergo jugiter et fidens in eum cognosce, quia fiet resurrectio mortuorum, cum nos hodie videas post resurrectionem tecum loqui, atque enarrare magnalia Dei. Multaque alia loquentes cum eo, iterum prostrati in terram obdormierunt, tradentes animas suas Regi immortali Deoque omnipotenti. Hæc videns imperator, ruit super corpora eorum, et flens osculabatur eos, auferensque vestimenta sua posuit super illos, mandans fieri loculos aureos, in quibus reconderentur. Sed in ea nocte apparuerunt ei Sancti dicentes: Ne feceris; sed relinque nos super terram: de ea iterum suscitabit nos Dominus in die magno resurrectionis omnis carnis. Tunc imperator fabricavit super eos basilicam magnam, et fecit ibi receptaculum pauperibus, imperans eos alere de publico. Convocatisque episcopis celebravit festivitatem Sanctorum, et omnes glorificaverunt Deum, cui est in Trinitate perfecta honor et gloria in secula seculorum. Amen *n*.

EX MS. AUDOMARENSI.

n

ANNOTATA.

a *Apud Mombritium hæc Acta ita incipiunt:* Temporibus Decii imperatoris cum per universum urbem *etc.*

b *Hic vocantur* viri, *qui in aliis Actis* pueri *appellantur. Utraque hæc appellatio facile conciliari potest, si per pueras intelligas regios ministros, ut in Annotatis ad priora Acta littera* a *diximus.*

E

c *Hæc nomina paulo aliter a Mombritio exprimuntur, ut in Commentario prævio num.* 7 *monuimus.*

d *Mombritiana editio pro* Maximianus *habet* Maximus.

e *In eadem editione hic vocatur* Constantius.

f *Apud Mombritium ita respondent:* Deus noster unus et verus est; ipse est creator cæli et terræ *etc.*

g *Mombritius hæc ita habet:* Tunc imperator furens, remotis omnibus, ait ministris suis: In nostri præsentia abscindite comam capitum eorum, donec agentes pro contumaciæ hujus scelere pœnitentiam percunctaretur.

h *Mombritius:* Inspectoque unusquisque prædio domus suæ, abstulerunt *etc.*

i *Mombritius pro* auscultaretque *habet* et diligentissime percunctaretur.

k *De hæresi Sadducæorum meminit S. Lucas in Euangelio cap.* 20 ℣ 27 *et in Actibus Apostolorum cap.* 5 ℣ 17.

l *Apud Photium et Metaphrastem tantummodo fit mentio Theodori; at hic et in quibusdam aliis Mss. nostris etiam Gaius ille nominatur.*

F

m *Mombritius hic addidit:* Ante multos enim annos, id est centum quinquaginta duos, defunctus est. *At juxta hunc computum hoc accidisset anno Christi* 402, *quo Theodosius primum declaratus est augustus, cum esset puer unius alteriusve anni, ut in Commentario prævio num.* 40 *ex Assemano observavimus. Non cohæret itaque hic annorum computus cum sequentibus, ubi Theodosius jam ætate multo provectior inducitur. Præferenda est hic igitur Ms. nostri lectio.*

n *In editione Mombritiana post hæc nihil additur: sed in Ms. nostro hæc sequuntur:* Explicit Passio sanctorum Martyrum septem Dormientium apud Ephysum translata in Latinum per Gregorium episcopum, interpretante Johanne Syro, quæ observatur sexto Kal. Augusti. *Hinc in Commentario prævio num.* 44 *collegimus, hoc scriptum S. Gregorio Turonensi tribuendum esse.*

ACTA

Ex Surio.

ACTA LONGIORA

AUCTORE FORSAN SIMEONE METAPHRASTE.

Ex editione Surii, quæ cum Ms. Græco, et variis apographis Latinis collata est.

CAPUT I.

Persecutio Decii, septem Martyrum constantia in fide, fuga ad speluncam, et diuturna dormitio. B

Cum Decius a

Tenente Decio Romani imperii principatum, accidit, ut ipse ex Cartagenna *a* civitate in Ephesum, multo furore percitus, descenderet. Tunc omnis finitima regio in eam urbem convenit, ut vanis et falsis diis immolaret. Eorum vero, qui Christi fidem sequebantur, ecclesiæ dispersæ sunt. Christiani enim tam sacerdotes, quam laici, metuebant tyranni adspectum. Qui cum ingressus esset Ephesum, animo elato in media urbe cœpit idola erigere: cumque illis totus esset addictus, præcepit urbis optimatibus, ut vanis illis diis secum una victimas offerrent. Itaque victimarum sanguine loca illa replebantur, et omnes turbæ undique ad idolorum, quæ erant Ephesi, celebritatem confluebant. Fama enim per fines illius regionis divulgabatur, quod scilicet victimarum nidor ex urbe media in altum prosiliret.

contrà Christianos

2 Cum igitur festum suorum deorum Decius ageret, atque ipsius jussu universa multitudo ob eam celebritatem ad templa idolorum, quæ erant C Ephesi, ex omnibus locis impigre conflueret, ac diis libaret, cumque tota illa urbs sacrificia redoleret, fideles homines tristes erant, iidem et ab idolorum cultoribus opprimebantur. Itaque partim persequentium ora fugiebant, ne comprehendi possent; partim sese occultabant. Tribus autem diebus postea imperator edictum proposuit, ut Christiani omnes caperentur: quo tempore gentiles ac Judæi urgebant milites. Passim igitur Christiani homines trahebantur ad turbas, quæ in unum locum convenerant, ut una cum imperatore idolis sacrificarent. Tunc nonnulli tormenta formidantes, excidebant a fide, et coram turba illa miseri ad idolorum sacrificia decidebant. At qui ex animo Christi fidem sequebantur, cum audirent aliquos lapsos fuisse, illorum casum magnopere dolentes, miserorum hominum animas lugebant, qui propter metum ad idolorum sacrificia delapsi fuerant. Quicumque vero ex eorum numero in Christi fide stabiliores inventi sunt, mentem atque cogitationem firmam conservantes, neque tyranni minas extimescentes, sed nequissimi diaboli tela suis corporibus libenter excipientes, cruciatus omnes sorti animo perferebant.

horribilem persecutionem moveret,

3 Itaque sanctorum martyrum carnes multis D variisque tormentis lacerabantur, ita ut ex illorum vulneribus multus sanguis deflueret. Quorum corpora in urbis mœnibus ac turribus suspendebantur: capita vero palis affixa, erigebantur ante portas. Itaque corvi, vultures, et ejusmodi aves, mœnia illa circumdantes, sanctorum martyrum carnes dilaniabant. Quæ res Christianis hominibus mœrorem afferebat. Tale tantumque certamen propositum erat his, qui Christi fidem confitebantur. Tales erant minæ terroris plenæ, omnibus plane formidolosæ: tales ærumnæ, lapides fere ipsos commoventes. Sanctorum martyrum cadaveribus urbis plateæ coarctabantur. Flebant autem fides, quod sancta illa corpora in terris dejecta, viderent a volucribus lacerari. Quæso, quodnam facinus tantopere dolendum? Quæ cædes sic immanis et acerba? Tunc Christiani homines, manibus in cælum erectis, precabantur Deum, ut eriperentur e manibus tyranni: patres filios, filii patres abnegabant. Calamitates ipsæ amicissimos viros a se vicissim disjungebant. At Maximilianus, Jamblicus, Martinus, Johannes, Dionysius, Exacustadius et An- E toninus, simul versantes, omnesque pariter in Christi fide stabiles, et Christi passiones in corporibus suis gestantes, cum viderent, quæ quotidie contra Christianos efficerentur, fletu, gemitu, jejuniis ac precibus assidue se communiebant. Erant autem illustrium virorum et optimatum urbis filii.

septem Juvenibus ob fidem comprehensis

4 Cum vero imperator turbas gentilium ad inanium idolorum sacrificia congregasset, tunc sancti Viri, quos paulo ante nominavimus, in unum locum convenerunt, simulque ad Christianorum ecclesiam ingressi, prostraverunt se in terram, et pulvere capita sua conspergentes, ante Deum gemitus et lacrymas effundebant. Quod cum facerent, observati sunt a speculatoribus quibusdam, quod scilicet tempore illo, quo sacrificia diis offerebantur, ipsi ad Christianorum ecclesiam secederent. Cumque singuli diligenter exquirerentur, ut diis sacrificarent, accesserunt, qui homines illos observaverant, et imperatori dixerunt: Vivas, imperator, æterno tempore. Tu eos, qui longe absunt, cogis sacrificiis præsto F esse, et qui prope sunt, contemnunt imperium tuum, et jussa tua pro nihilo faciunt, Christianorum observantes religionem. Erat autem Maximilianus ipse præsidis *b* filius, item alii cumprimis illustres in exercitu *c*. Tunc Decius imperator ira percitus, illos ad se vinctos duci jussit. Quibus ductis: Quare, inquit, non permansistis nobiscum, ut diis sacrificaretis, qui totum orbem terrarum ad sibi obediendum convocarunt? Accedite igitur, et debitum diis sacrificium offerte, quemadmodum omnes facere consueverunt. Tunc Maximilianus respondit: Habemus, Imperator, Deum in cælis habitantem, cujus gloria cælum et terra plena est, cui sacrificium confessionis nostræ offerre soliti sumus, atque nostrarum orationum libamine coram Deo exultamus omni tempore. Nos enim nidorem ac fumum vestrorum sacrificiorum istis idolis non offerimus, quandoquidem nostras animas labefactare nolumus.

spatium deliberandi concedit,

5 His auditis, Decius non amplius loqui voluit, sed jussit militares zonas ab eis auferri. Cujus rei causam esse dixit, quod deorum potentiæ adversarios ipsos deprehenderat. Præterea illos a deorum munificentia repellendos, atque ab imperii

A imperii militia procul arcendos esse decrevit, quoad opportune de illorum religione inquirere posset. Non enim æquum videri sibi, aiebat, illorum juventutem tormentis consumi : itaque misericordia motum temporis spatium se illis concedere, ut interea resipiscerent, ad deos reverterentur, et viverent. Hæc dixit imperator, et præcepit ferreis vinculis illorum colla exui, atque a suo conspectu removeri. Tunc Decius in alias urbes *d* profectus est, ut faceret quæ in animo habebat, eo tamen consilio, ut Ephesum repeteret. Itaque sanctis Viris, quos diximus, concessum fuerat ab imperatore, ut per aliquot dies libere versari possent.

qui in speluncam fugientes, 6 Cum igitur opportunum tempus invenissent, et in Christi fide perseverare constituissent, justitiæ operibus incumbebant : cumque aurum et argentum ex paternis facultatibus collegissent, pauperibus multum pecuniam distribuerunt, et inter se consilium ineuntes, vicissim se his verbis adhortabantur : Secedamus parumper ab hac B urbe, et subeamus speluncam illam magnam, quæ vergit ad Orientem. Illic quiete viventes, Deum nostrum attentis et assiduis precibus oremus, ut tales effici possimus, qui ante tyranni adspectum constanter stare valeamus : neque desinamus Dei gloriam collaudare, ut Deus ipse ope sua nos adjuvet, quo rectam ejus confessionem servemus, coronamque illam incorruptam his paratam, qui ejus fidem custodiunt, et Christum agnoverunt, accipere possimus. Itaque cum tantum argenti sumpsissent, quantum illis ad sumptum satis esse posset, ascenderunt in speluncam in monte sitam, (mons Ochlon *e* appellatur) quo in loco multos dies transegerunt, Deum ipsum orantes, et salutem animarum suarum semper ab eo postulantes. Jamblico autem, qui omnibus aliis erat natu minor, et obeundis ministeriis aptior atque expeditior, impositum fuit negotium, ut in urbem descenderet, et si quid fieri opud esset, ipse faceret. Erat autem juvenis ille valde prudens. Itaque cum ad urbem descendebat, ne agnosci posset, vestem mutabat, et unus aliquis e numero mendicorum videbatur : cumque pecuniam secum haberet, partem aliquam pauperibus distribuebat : dabat etiam operam, ut subauscultaret, quidnam ne imC peratore diceretur.

et orationi vacantes, 7 Post aliquot dies rediit imperator Decius in urbem Ephesum : et statim jussit optimates cum his, qui Achillidem *f* sequebantur, et aliis qui erant illic, sacrificia vanis idolis offerre : de falsis enim diis suis erat valde solicitus, cum eorum vanitatem non cognosceret. Quamobrem Christianæ fidei sectatores timore magno afficiebantur. Hæc cum Jamblicus audivisset, egressus est ex urbe, paucos panes secum ferens, et ad montis speluncum, ubi erant socii, reversus est. Narravit Jamblicus, quæ in tyranni palatio ad ejus ingressum audiverat, et quemadmodum quæsiti fuerant et ipsi, ut una cum aliis civibus, præsente imperatore, sacrificarent. His auditis, timuerunt illi, et multo cum gemitu ac lacrymis Deum precati sunt. Apposita est igitur illis mensa, et panes, quos Jamblicus emerat, ut cibum sumerent, et ad tyranni certamen sustinendum promptiores fierent. Consedere igitur in media spelunca, et sole occidente cibum sumpserunt. Cum vero tristes sederent, et inter se colloquerentur, dormire cœperunt : erant enim eorum oculi propter mœrorem gravati.

8 At clemens ac benignus Deus, qui servis suis semper providet, fecit illos mortis genus quoddam obire, ut per eos miracula quædam opportuna fierent. Itaque cum sopore omnes correpti essent, in terra jacentes obierunt, animas suas Deo reddentes, et divinam gloriam concelebrantes. Argentum autem, quod habebant in suis marsupiis, apud illos eo in loco, in quo jacebant, remansit. Postridie mane imperator inter optimates jussit iterum septem illos Adolescentes requiri. Qui cum non invenirentur, ad optimates conversus : Magnopere, inquit, doleo propter Adolescentum illorum calamitates, eo quod illustribus et claris parentibus orti sunt. Opinor enim illos, arbitratos imperii nostri majestatem sibi valde iratam esse, propter pietatis nostræ religionem ab eis violatam, aufugisse. Sed imperii nostri benignitas non succenset his, qui resipiscunt, et ad deorum nostrorum clementiam animos reducunt. Hæc dixit imperator. Cui optimates responderunt : Quod ad illos Adolescentes pertinet religionis desertores, imperii tui majestas nequaquam doleat, neque resipuisse E illos arbitretur : adhuc enim in pristina sua ignorantia perseverant, et ut audivimus, eo ipso tempore, quod ipsis præscriptum fuit ad mutandum consilium, pertinaciores facti, obtinatam voluntatem retinent. Itaque argentum et aurum pauperibus per urbis plateas dispositis distribuerunt, neque amplius quisquam eos vidit. Si placet igitur majestati tuæ, parentes illorum capiantur, et tormentis cogantur dicere, ubinam eorum Filii lateant.

Ex Surio. obdormiverunt in eadem spelunca,

9 Hæc audiens imperator, ira percitus jussit Adolescentum parentes accersiri. Quos cum præsentes vidisset : Et ubinam, inquit, sunt Filii vestri, imperii et jussorum nostrorum contemptores? Propterea vos etiam insolentiæ ipsorum causa interfici jubeo. Tunc illi dixerunt : Precamur te, benignissime imperator, ut nostram causam audias. Nos imperii et majestatis tuæ jussa non violavimus, neque propitia deorum numina deseruimus. Quare igitur nos illorum, qui desertores sunt, causa moriemur? Quod vero ad argentum et aurum pertinet, illi a nobis pecuniam subripuerunt, quam cum pauperibus distribuissent, aufugerunt in montem, et ibi delitescunt in spelunca. Sive igitur vivant, sive mortui sint, nos ignoramus. Hæc audiens imperaF tor, viros illos dimisit, et multum secum cogitabat, quidnam faceret Adolescentibus. Benignus autem Deus in ejus mentem injecit, ut speluncæ illius aditum lapidibus obstrueret, quo sanctorum Martyrum corpora sepulta illic jacerent, neque sanctæ reliquiæ amoverentur, sed usque ad resurrectionem ipsam servari possent.

quam Decius, loco latebrarum ex parentibus eorum cognito,

10 Decius ergo imperator sententiam contra illos Adolescentes talem pronuntiavit : Quoniam nostris edictis parere noluerunt desertores Adolescentes, et nostrorum deorum numen contempserunt, propterea et ipsi benignitate nostri imperii priventur, neque amplius in conspectum hominum appareant. Quamobrem speluncæ aditus saxis magnis obstruatur, et sigillorum munimine imprimatur, ut vivi obruantur, et in ejusmodi carcere moriantur. Existimabat enim tam imperator, quam tota civitas, Adolescentes illos adhuc vivere. Theodorus vero et Barbus *g*, qui fuerant a cubiculo imperatoris, et ministri admodum fideles, cum essent et ipsi Christiani, propter persecutionem sese occultaverant. Tum inter se ita dicebant : Scribamus martyrium septem Adolescentum

magnis lapidibus occludi jussit.

Ex Surio.

Adolescentum in plumbeis tabulis, quoniam propter Christi fidem mortui sunt, et martyres facti sunt. Quæ autem scripserimus, in æreis loculis reponamus, et loculos ipsos sigillo munitos, inter lapides, qui sunt in eo loco, ponamus : (fortassis enim Dominus ante novissimi adventus diem Martyres visitabit) ut si quo tempore spelunca hæc patefacta et sanctorum Martyrum corpora in apertum prolata fuerint, ex litterarum monumentis illorum facta disci possint. Fecerunt igitur Theodorus et Barbus, quod inter se communicaverant.

ANNOTATA.

a *In quibusdam Mss. apographis et codicibus nostris pro* Cartagenna *legitur* Carthagine; *sed utrumque civitatis nomen corruptum esse colligo ex Ms. nostro Græco, quod saltem verosimilius habet, Decium Chalcedone Ephesum venisse.*

b *Hinc confirmatur conjectura Benedetti nostri, qui putat nomen hyparchi, quod in Actis Syriacis occurrit, non appellationem personæ sed dignitatis significare.*

B

c *In aliis Actis, quæ supra dedimus, nulla fit mentio de dignitate militari, quam hi Martyres habuerint. Imo Eutychius Alexandrinus, cujus verba in Commentario prævio num.* 30 *retulimus, asserit, illos a Decio* rei vestiariæ *præfectos fuisse.*

d *Græcum Ms. nostrum dicit, quod Decius Epheso discedens in Orientem profectus sit.*

e *In Mss. nostris mons ille communiter vocatur* Celeus *vel* Celius; *in Ms. autem Græco* Χείλαιον. *De aliis hujus montis nominibus apud scriptores Arabes vide Commentarium prævium num.* 29.

f *Suspicor, hic a Metaphraste positum fuisse Achillidem pro Maximiliano, qui ubique primas partes agit, et qui ante baptismum* Achillius *vel* Achilles *appellabatur, ut in Commentario prævio num.* 7 *diximus.*

g *Jacobus Sarugensis nomina eorum non exprimit; a Gregorio Turonensi* Theodorus et Ruben *nominantur, cui consonat Ms. nostrum Ultrajectinum. Sed Ms. sancti Maximini* Theodorum et

C

Rubinum *vocat. In Ms. Græco* Θεόδωρός τε καὶ Ῥουφῖνος, Theodorus et Ruphinus *appellantur. Scriptor Æthiops, cujus compendium in Commentario prævio num.* 35 *dedimus, eosdem* Theodorum et Macedonium *nuncupavit.*

CAPUT II.

Prodigiosa septem Dormientium resurrectio, agnitio, ac veneratio.

Orta hæresi contra resurrectionem corporum,

Temporis intervallo mortuus est Decius imperator, et tota ætas illa interiit. Successerunt autem imperatores suo quisque tempore, quoad Theodosius imperator sceptrum tenere cœpit. Qui cum religiose et christiane imperaret, surrexerunt quidam hæretici, qui negabant mortuorum resurrectionem, quam Christus ipse in sua sancta Ecclesia firmiter credi voluit. Milites enim quidam idolorum cultores, cum in palatio imperatoris versarentur, apertam persecutionem adversus aliquos apud imperatorem commoverunt. Quin etiam episcopi quidam rectas Dei semitas pervertere cupientes, in ecclesiis multarum prævaricationum erant auctores. Quorum princeps et malorum omnium caput habebatur Theodorus *a*, Æginensium episcopus, simul cum iis, quos secum habebat : qui ne nominari quidem debent, cum Dei Ecclesiam persecuti fuerint. At imperator Theodosius in dies magis perturbabatur ac dolebat, cum sanctarum ecclesiarum fidem fluctuantem videret. Itaque a Deo ipso ejus mali curationem poscebat. Erant enim, qui dicerent mortuis hominibus consolationem nullam futuram. Alii affirmabant, corpus vetustate consumptum, ipsum quidem consolationem nullam habiturum, sed solam animam immortalis vitæ participem futuram. Ejusmodi homines vanis opinionibus decepti sic errabant, neque animadvertebant infantem puerum numquam in ventre matris fuisse sine carne, neque carnem e vulva exisse sine anima vitali. Item claudentes mentis oculos, sacras Litteras non considerabant, in quibus scriptum est : Audient, qui sunt in monumentis, vocem Filii hominis, et vivent, et alio loco : Et multi de iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, et alii in opprobrium : cum illud etiam in eis scriptum inveniatur : Ecce ego aperiam sepulcra vestra, et educam vos de sepulcris vestris, popule meus. Hæc sunt divinarum Litterarum testimonia. Sed hæretici homines a recta vitæ semita deviantes aberrabant, et fidei sinceritatem obliquis suarum animarum cogitationibus pervertebant.

D

a

E

12 Imperator igitur Theodosius eam rem moleste ferebat, ob idque mœrore afficiebatur. Verum cum clementissimus Deus neminem velit a fidei via errantem perire, fecit, ut resurrectionis mysterium omnibus patefieret. Immisit enim in mentem cujusdam hominis, qui dicebatur Adolius *b*, ejus montis et speluncæ dominus, ubi sancti Martyres dormierant, ut ovile quoddam suis pecudibus construeret. Ejus igitur servi una cum his, qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex ejus speluncæ ostio revolvebant. Tunc domini nostri Jesu Christi jussu sanctis illis Viris, qui in spelunca dormierant, vita restituta est, et vox illa, quæ Lazarum e monumento excitavit, eadem et sanctis Martyribus vitæ spiritum restituit. Surrexerunt igitur, et Deum laudantes consederunt, et quemadmodum quotidie consueverant, se vicissim salutabant, quoniam nullum in eis signum existebat, ex quo mortuos se fuisse judicare possent : nam et vestes tales erant, quales et antea quam obiissent : corpora etiam ipsa florebant, hilaritatem præ se ferentia : denique tales erant, ut si pridie vesperi somnum cepissent, et postridie mane experrecti fuissent. Adhuc et de idolorum superstitione soliciti, a Decio imperatore se inquiri existimabant : ob idque multa cura affecti, vertebant oculos ad Jamblicum procuratorem, et ab eo denuo quærebant, quænam pridie vesperi audivisset de ipsis in civitate. Quibus Jamblicus respondit : Quemadmodum vobis dixi heri vesperi, et nos una cum reliquis civibus quæsiti fuimus, ut diis immolaremus coram imperatore : qui nisi ejus jussui obtemperaverimus, tormenta se nobis allaturum constituit. Quid autem facturus sit, nescio.

tempore imperii Theodosiani resurgunt,

F

13 Tunc respondit Maximilianus : Agite, fratres, parati simus prodire in conspectum imperatoris illius terribilis et veri Dei Jesu Christi, neque timeamus mortalem istum imperatorem. Tu

et putantes se una tantum nocte dormivisse

A Tu vero, Jamblice, da operam, ut paretur nobis cibus ad horam constitutam. Accipe argentum, ingredere in urbem, eme panes multus: pauci enim fuerunt, quos heri vesperi attulisti, ob idque esurimus. Eadem opera discas, quid Decius imperator de nobis decernat. Cogitabant enim, se nocte superiore cubuisse, et postridie mane experrectos fuisse. Tunc igitur bene mane surrexit Jamblicus, et argentum sumpsit ex loculis, quemadmodum consueverat. Erat autem moneta illa vetere nota impressa, quæ partim quadraginta, partim sexaginta nummorum pretio pendebatur veterum imperatorum temporibus, cum sancti Viri, de quibus verba facimus, prius vivebant. Præterierant autem trecenti et septuaginta duo anni, exquo dormierant usque ad eum diem, quo resurrexerunt *c*.

c socium ad urbem Ephesinam mittunt,

14 Cum igitur illuxisset, exiit Jamblicus ex spelunca, et vidit lapides ante speluncam positos, atque obstupuit: nihil enim de lapidibus illis cognoverat. Descendens autem de monte, timebat deambulare. Itaque in via totus trepidebat, metuens in urbem ingredi, ne quo modo agnosceretur, et ad imperatorem Decium vinctus B duceretur: quippe ignorabat, ejus tyranni ossa in sepulcro putrefacta esse *d*. Cum vero in urbem ingrederetur, et venerandæ Crucis signum ante urbis portas erectum vidisset, sic obstupuit, ut a mente fere exciderit: atque in quamcumque partem oculos vertisset, rerum novitate perculsus, magis obstupescebat. Accesit ad aliam urbis portam, et illic etiam Crucem ipsam supra muros erectam vidit. Cumque omnes portas obiisset, venerandæ Crucis figuram locatam adspiciens, præ stupore mutus factus est. Itaque cum ad primam illam portam se contulisset, ita secum loquebatur: Quidnam hoc est? Heri vesperi hujus Crucis signum in latibulis servabatur, et nunc aperte in ipsius urbis foribus erectum videmus. Verene hoc video, an spectri alicujus illusione decipior?

qui signum crucis aliaque illic admirans e

15 Cum hæc diceret, et Crucis figuram ubique fixam videret, animo magis confirmato, in urbem aperto *e* capite ingressus est. Cumque longius progredetur, audivit multos per Jesu Christi nomen C jurare. Quare magis perculsus: Quid hæc sint, inquit, ignoro. Heri vesperi nemo libere Christum nominabat, et nunc tam multis linguis Christi nomen celebratur. Rursus secum ambigens, dicebat: Fortasse urbem Ephesum non video, quoniam ejus ædificia omnino mutata sunt, et ipsius lingua: alia quædam est Christum edocta; quod in nulla alia urbe fieri vidi, nisi in hac sola. Progressus igitur, quæsivit a quodam cive, quo nomine urbs illa vocaretur. Ephesus, inquit ille, hæc vocatur. Non credidit Jamblicus, sed secum cogitans: Deceptus, inquit, certe sum, locorum oblitus, totaque mente aberrans. Exeundum igitur mihi est ex hac urbe, ne magis errem.

et ex antiqua moneta suspicionem inventi thesauri præbens,

16 Cum ergo solicitudine magna teneretur, et illinc exire vellet, prius voluit panes emere, et argumentum sumpsit, ut pretium daret. Qui vero panem vendiderant, cum monetam illam magnam et diversam vidissent, mirati sunt, et vicissim eam sibi ostendebant. Per manus igitur tradita, moneta illa per omnes, qui panem vendebant, transiit. Qui vicissim in aurem insusurrantes, et Jamblicum intuentes, dicebant: Vere homo iste thesaurum invenit, veterem illum quidem, et multis adhinc annis reconditum. Jamblicus cum illos susurrantes videret, cœpit timere: existimabat enim, se ab illis agnosci, et Decii imperio tradendum esse. Cum vero multi accessissent, et ejus formam nequaquam cognoscere possent, in medio foro illum detinebant. Itaque turbæ multæ confluxerunt, et sermo hic per totam civitatem vulgatus est, adolescentem quemdam comprehensum fuisse, qui thesaurum invenerat. Turbæ autem ad eum congregatæ, dicebant: Homo iste peregrinus est, neque umquam illum vidimus. Hæc dicebant, et intentis oculis magis magisque ipsum intuebantur. Volebat Jamblicus causam suam agere, quod falsum esset, quod de thesauro invento dicerent: sed stupore detentus, id facere non poterat. Cumque omnes turbas circumspiceret, neminem agnoscebat, et nemini totus erat, licet claro et illustri genere apud urbem Ephesum natus esset. Quapropter admiratione maxima detinebatur, quod pridie vesperi omnibus notus fuisset, et postridie mane neminem agnosceret, omnino et ipse ignotus. Dabat operam, ut inter turbam illam, patrem vel aliquem ex fratribus inveniret, neque quemquam E videbat. — *Ex Simeo.*

ad episcopum et proconsulem civitatis ducitur.

17 Tunc ea res per totam urbem vulgata, usque ad episcopi aures pervenit. Divina quoque providentia factum est, ut ejus urbis proconsul illa ipsa hora veniret ad episcopum. Qui dum diceret de thesauro, quem ab adolescente illo inventum cogitabat, ea res fecit, ut mortuorum resurrectio pateret omnibus. Jusserunt enim tam proconsul, quam episcopus, adolescentem illum benigne tractatum custodiri, et ad se duci cum argento, quod secum habebat. Cum igitur Jamblicus ad ecclesiam traheretur, putabat ad Decium Imperatorem se trahi. Itaque huc et illuc circumspiciebat, ut aliquem suorum videret, vel consanguineorum, vel eorum, quibus notus fuerat. Adolescentem ita circumspicientem turba, ut insanum aliquem, irridebat: itaque violentius ad ecclesiam impellebatur. Jam vero proconsul et Stephanus *f* episcopus monetam illam in manus sumptam inspicientes, admirabantur. Tunc proconsul Jamblicum interrogans: Ubinam, inquit, est thesaurus, quem invenisti? Moneta enim hæc e F thesauro subrepta est. Minime, inquit Jamblicus, thesaurum inveni, quemadmodum me vos insimulatis. Illud unum certo scio, ex paternis meis pecuniis argentum hoc esse, ejus monetæ nota impressum, quæ huic urbi consueta est. Sed certe miror, neque cogitare possum, undenam tentatio hæc mihi acciderit. Ad hæc preces: Undenam, inquit, es tu? Illi autem respondit Jamblicus: Ex hac urbe, ut opinor, ego sum. Quo patre natus? inquit præses. Est ne aliquis, qui te agnoscat? Veniat, et testimonium dicat pro te, et credemus tibi.

atque de iis examinatus

18 Protulit Jamblicus patris et fratrum suorum nomina: neque quisquam noverat, quos diceret. Tum præses: Vera, inquit, non sunt, quæ dicis. Hæc audiens Jamblicus, perplexo erat animo, nec habens quid responderet, silebat. Quem cum ita perplexum ac tristem vidisset: Fortasse, inquit, insanus est. Alii dicebant: Nequaquam insanus est, sed insaniam simulat, ut pericula effugiat. Acerbioribus verbis præses eum increpans: Qua ratione, inquit, te ferre possumus, aut tibi credere, argentum hoc ex paternis pecuniis ad te pervenisse, cum moneta hæc ex inscriptione et nota significet, quod trecentia

Ex Surio.

trecentis et octoginta annis ante nos fuerit, ac priusquam Decius imperaret, neque ulla ex parte similis sit illi, quæ nunc in urbe impenditur? Num parentes ita veteres et ante trecentos annos genitos habere potes tu, qui adolescens es? An putas, te sic astutum esse, ut senes et Ephesinæ urbis sapientes decipias? His de causis jubeo te in vincula conjici, et flagellis verberari, donec confitearis, ubinam sit thesaurus iste.

miraculum resurrectionis prodit.

19 Hac audiens Jamblicus, et timens, faciem in terram prostravit, et his verbis illos affatus est : Precor vos, ut mihi non gravemini dicere, quod quæsiero : omnia enim libere vobis confessus fuero. Decius imperator, qui erat in hac urbe, vivitne, an non? Ad hæc Stephanus episcopus : Non est, inquit, fili, qui hodie in hac regione Decius imperator nominetur. Tunc Jamblicus : Venite, quæso, mecum, et ostendam vobis in spelunca montis Ochlon socios meos, ut ab illis discatis, verum esse, quod dico. Certo scio, ab imperatore Decio nos illuc fugisse : quem Decium et ego heri vesperi in urbem Ephesum ingredientem vidi. Sit autem B nec ne urbs ista Ephesus, nescio. Tunc episcopus Stephanus in eam cogitationem veniens, quod Deus per juvenem illum aliquid eis revelare vellet : Eamus, inquit, et videamus. Statimque episcopus et proconsul cum optimatibus et turbis multis ascenderunt in montem ad speluncam, quam Jamblicus antecedens demonstravit. Dum autem episcopus, et qui cum eo erant, ingrederentur in speluncam, in ejus ostio arculam quamdam æream invenit episcopus, inter duos lapides positam, et duobus argenteis sigillis impressam; quam coram præside et optimatibus aperiens, duas plumbeas tabulas in ea invenit, in quibus scriptum erat, a Decio tyranno fugisse Maximilianum Eparchi *g* filium, Jamblicum, et reliquos adolescentes, et ipsius Decii tyranni jussu speluncæ illius aditum obstructum fuisse. Erat et eorum martyrium in earumdem tabellarum latitudine conscriptum *h*. Quo lecto, admiratione affecti sunt, et Deum ipsum, qui tanto miraculo adolescentes illos prosecutus fuerat, summis vocibus collaudarunt.

ad quod videndum Theodosius invitatur.

20 Ingressi vero in speluncam, Sanctos illos sedentes invenerunt : quorum facies instar luminis effulgebat. Ad eorum igitur pedes se abjicientes, eos venerati sunt, et Deo gratias egerunt, qui tanti miraculi specutaculum ipsis concesserat. Ceterum sancti Martyres de omnibus, C quæ sub Decio facta fuerant, eos docuerunt. Statim vero episcopus et proconsul miserunt litteras ad imperatorem in hanc sententiam : Celerrime jubeat majestas tua huc aliquos venire, et videre miracula, quæ Deus ostendit imperii tui tempore : quandoquidem futuræ in extremis temporibus resurrectionis signum nostra ætate mundo ipsi præmonstratum est, in sanctorum Virorum corporibus, quæ nunc resurrexerunt. Ea re gavisus est imperator, et Dei gloriam laudabat. Quin etiam ad eum locum ex urbe Constantinopoli cum multis hominibus profectus est : eique tota civitas Ephesina obviam processit. Illico autem ab episcopo, proconsule et optimatibus deductus, in speluncam ingressus est : cumque Adolescentes salutasset et amplexus esset, flere cœpit, et Dei gloriam celebrans, toto animo exultavit. Cui Maximilianus vir sanctissimus : Ex hoc, inquit, tempore imperium tuum propter fidei tuæ stabilitatem firmum erit, et Jesus Christus filius Dei vivi custodiet ipsum in nomine suo ab omni tentatione. Mihi credas, tui causa fuisse D nos a Deo ipso exsuscitatos.

qui venisse Martyres, iterum in Domino obdormientes, magno honore affecit.

21 Imperator, et episcopus, et tota turba hunc sermonem audientes, mirum in modum lætabantur. Sancti vero Martyres cum sua capita in terram declinassent, et Deum precarentur, dormierunt, et ita divino nutu suos spiritus Domino tradiderunt. Imperator igitur jussit septem aureas arcas componi, quibus septem illorum Juvenum corpora conderentur. Nocte vero illa Juvenes in somnis apparuerunt imperatori, eique dixerunt, ut in spelunca, in qua fuerant supra terram, eos requiescere sineret. Quamobrem imperator usque ad hodiernum diem illic eos esse voluit. Deinde magnus episcoporum cœtus illic convenit, et diem festum celebravit, Virosque beatisssimos, ut ipsorum dignitas postulabat, debitis honoribus omnes prosecuti sunt. Ad hæc imperator illis regionis pauperibus multa dedit, et qui erant in carcere, eos dimitti jussit. Quo facto, Theodosius lætus rediit in urbem Constantinopolim multo comitatu. Omnes autem exultantes, Christum E Deum nostrum collaudabant, Sanctos suos mire gloriosos efficientem : cui convenit gloria, honor et adoratio nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Ms. Ultrajectino vocatur* Theorus; *forsan vitiose, quia alia pleraque constanter appellant eum* Theodorum, *quibus nonnulla addunt Galum, ut supra in Actis Gregorii Turonensis monuimus. Photius Constantinopolitanus in compendio Actorum, quod in Commentario prævio exhibuimus, ibidem num.* 28 *addit, Theodorum illum fuisse episcopum Ægæorum, qui forte iidem sunt cum Æginensibus.*

b *Hic in Ms. Ultrajectino vocatur* Dedanus; *in altoro* Dedalius. *Sed a Photio et in Ms. nostro Græco etiam nominatur* Adolius.

c *Crassus iste anachronismus fere ubique recurrit, de quo plura diximus in Commentario prævio num.* 38.

d *Ms. Ultrajectinum hoc ita exponit :* Non sciebat Sanctus, quoniam ossa maculati et im- F piissimi Decii jam fuerant devota et projecta in terram. *Non est autem verosimile, ut hic narrat Metaphrastes, ossa Decii* in sepulcro putrefacta esse, *cum Lactantius de Mortibus persecutorum num.* 4 *de Decio sic scribat :* Profectus adversus Carpos, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris et cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari; sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit. *Alii antiqui auctores tradunt, corpus Decii non potuisse inveniri.*

e *Forte legendum est* operto capite *pro* aperto, *cum timeret, ne agnosceretur.*

f *In Ms. nostro Græco hic Ephesinus episcopus vocatur* Maron. *In plerisque apographis et codicibus Latinis appellatur* Marinus. *Vide plura, quæ de hoc episcopo Ephesino dicta sunt in Commentario prævio num.* 40 *et* 53.

g *Suspicor legendum esse* hyparchi filium, *sicut in Actis Syriacis vocatur, ex qua voce appellativa Latinus Græcorum Actorum interpres forte nomen proprium fecerit.*

h *Ultrajectinum Ms. nostrum ipsam tabulæ inscriptionem dicit conceptam fuisse his verbis :* Quoniam

A niam a facie Decii fugerunt Maximianus filius præfecti, Malchus, Martinianus, Dionysius, Joannes, Serapion et Constantinus : isti sunt sancti qui sunt in spelunca, quibus secundum præceptum Decii imperatoris obturatum est os speluncæ lapidibus quadratis petrinis. Nos vero fideles Christi famuli Theodorus et Ruben scripsimus martyrium eorum; et posuimus supra petram in ore speluncæ. *Si hæc inscriptio genuina sit, mirum est, antiquos scriptores eam non exhibuisse, et in nominibus tum Martyrum tum duorum scriptorum inter se differre.* Ex Stilo.

DE S. PANTALEONE MARTYRE

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

§ I. Cultus ejus solennitas et antiquitas in ecclesia Orientali.

In persecutione Diocletiani. S. Pantaleon medicus et martyr Nicomediensis.

Alium hic denno Pantaleonem *cum Ecclesia producimus, priore multo notiorem, totoque jam olim Oriente atque Occidente celeberrimum, quamquam non eodem ubivis nomine : quem enim nos* Pantaleonem *fere nuncupamus,*
B *Græci passim dicunt* Panteleemonem, *tamquam illustriori nomine ac divinitus indito; ut infra videtur. Quod siquando vocabulum ejus primum usurpant, non* Pantaleonem *nominant, sed* Pantoleontem, *seu* Παντολεοντα, *id est,* Leoni per omnia similem; *quam vocem frequenter in Actis adhibent, cum ea narrant, quæ sancto Martyri ante revelationem ultimam, qua nomen illud, altero substituto, antiquatum creditur, acciderunt. Nos eum interim recepto jam hic more* Pantaleonem *vocitabimus, quo nomine Nicomediensem intelligi volumus medicum ac Martyrem; non alium : nam et alios fuisse homonymos, omnino certum putamus. Ac de Vigiliensi quidem res ipsa loquitur; uti et de Pantaleone monacho, quem inter apostolos suos recensent Æthiopes, teste Tellezio nostro Hist. Æthiop. lib.* 1 *cap.* 31, *coluntque die* VI *Octobris, ut videri potest in eorum Kalendario apud Ludolfum : de pluribus dubitari non sinent, quæ de reliquiis infra dicentur; tametsi nec gesta supersint eorum ulla, nec distincta satis in Fastis cum Græcis tum Latinis memoria.*

Hoc die solenni Officio colitur apud Græcos.

C 2 *Celebratur vero hoc die solenni apud Græcos Officio sanctus Martyr hic noster, ut in Menæis magnis videre est; in quibus annuntiatur his verbis :* Μηνὶ τῷ αὐτῷ κζ τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος καὶ ἰαματικοῦ Παντελεήμονος. Eodem mense [*Julio*] die XXVII [*natalis*] sancti magnique martyris et sanandi virtute præstantis Panteleemonis. *Sub finem recitantur hi versiculi :*

Γαλατόμικτον, Μάρτυς, αἷμα σῆς κάρας.
Δι' ἣν ὑδατόμικτον ὁ Χρίστος χέει.
Φάσγανον ἑβδομάτη ἤϊλαχ' εἰκάδι Παντελεήμων.
Lacte et cruore Martyris collum fluit :
Pro quo cruorem fuderat Christus aqueum.
Pantaleona dedit vigesima septima morti.

Consonat eodem die Typicum S. Sabæ; Horologium Cryptæ Ferratæ, Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum, et Ruthenicum a Possevino nostro, Menæum Chiffletii aliaque Mss., uti et Menologium Slavo-Russicum a Sparwenfeldio versum; ubi additur, illo die permitti vinum et oleum; quod etiam notatur in Horlogio Græcorum impresso anno 1607.

Et quidem festo in populo.

3 *In compendio autem Menæorum ad calcem Horologii parvi excuso Venetiis* 1601 *ad eumdem diem sic legitur :* Τοῦ ἁγίου Παντελεήμονος, ἀργία, καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου; Sancti Panteleemonis; cassatio *(ab opere servili et forensi)* et usus liber vini atque olei. *Est ergo apud Græcos dies* E
hic festus, ut vulgo loquimur, in populo, unusque adeo de celebrioribus; quamquam seculo duodecimo sub Manuele Comneno imp. minus erat solennis; ut constat ex ejus constitutione de Feriis, in qua inter festa semisolennia (hoc est, ea, quibus abstinendum erat a foro vacandumque rebus divinis matutino tempore, donec absolutæ essent in ecclesia) numeratur Julii dies XXVII, ὅτι τὸν ἀθλοφόρον καὶ θαυματουργὸν Παντελεήμονα ἑορτάζομεν, *id est,* Quia victorem patratoremque miraculorum Panteleemonem *(non* Joannem misericordem, *ut inepte vertit Leunclavius)* celebramus.

Elogium ejus ex Synaxario Basilii, aliisque.

4 *Eodem die refertur in Synaxario Basilii imperatoris, cujus textum Græcum dedimus tomo primo Julii pag.* 696, Certamen sancti megalomartyris Panteleemonis, *cum hoc elogio :* Panteleemon, maximus Christi martyr, oriundus quidem erat ex civitate Nicomedia; filius vero Eustorgii gentilis et Eubulæ Christianæ (Χριστιανῆς, *ut habet apographum Ms.; non* Χριστιανὸς, *ut male impressum est;)* arte medicus; quam quidem edoctus erat ab Euphrosyno medicorum celeberrimo : fidem vero didicit ab Hermolao presbytero, F
a quo et baptizatus est; per quam et puerum ictum a vipera necatumque suscitavit, et cæco visum restituit, et alia complura patravit miracula. Agnitus autem ab imperatore Maximiano, et comprehensus, Christumque confessus, varie tortus est; ac tandem pronuntiata necis gladio inferendæ sententia, catenis vinctus, ubi locum attigisset supplicii, alligatus est olivæ; et abscisso capite, sanguis fluxit et lac; quæ usque in hanc diem apparentia sanationes præstant omnibus, qui accedunt, fidelibus. *In Menologio Sirletiano apud Canisium hoc die multo brevius est elogium; at in Menæis excusis, et ex his in Anthologio Arcudiano, multo fusius, uti et in* Βιοῖς Ἁγιων *Maximi Cytherei. Præterimus hæc tamen, quia nihil docent diversum ab Actis infra proferendis, quorum sunt mera compendia; nisi quod hoc addunt Menæa :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ αὐτοῦ ἐπωνυμῳ ἐκκλησίᾳ : Celebratur autem solennitas ejus in ecclesia ipsius nomine insignita. *Porro Græcis adjungi possunt Arabes Ægyptii, in quorum Martyrologio, quod nobis Latine vertit Gratia Simonius, eodem die notatur* Memoria S. Pantaleonis.

5 *Sed quoniam de ecclesia* S. Pataleonis *facta est*

AUCTORE P. B.

Ecclesiæ antiquissimæ ejus nomine Deo dicatæ

est mentio, operæ pretium videtur, si tum de illa, tum de aliis Deo ejus nomine dicatis, non nulla dicantur: faciunt enim non parum ad cultus ipsius splendorem antiquitatemque comprobandam. Ædificatas igitur ecclesias fuisse huic Martyri putamus inde a temporibus Constantini Magni; quando, stabilita religionis Christianæ liberate, everti deorum fana cœpere, atque ex eorum materia nova sanctis Martyribus templa suscitari: hoc enim asserere videtur Theodoretus Serm. 8 *de Martyribus, tom.* 4 *editionis Sirmondianæ pag.* 606, *ita scribens:* Horum *(idolorum)* namque templa sic destructa sunt, ut ne figurarum quidem permanserit species, nec ararum formam hujus seculi homines sciant: harum autem materia omnis Martyrum fanis dicata est. Suos enim mortuos Dominus Deus noster in templa pro diis vestris induxit: ac illos quidem cassos vanosque reddidit; his autem honorem illorum attribuit. Pro Pandiis enim Diasiisque, Dionysiis et aliis festis vestris, Petri et Pauli, et Thomæ, et Sergii, et Mar-
B celli, et Leontii, et PANTELEEMONIS, et Antonini, et Mauricii aliorumque Martyrum solemnitates peraguntur *etc. De nostro* Pantaleone *sermonem hic esse, perspicuum est; cum sit in Orientali ecclesia, ut jam vidimus, celebratissimus, nec alius in ea* Panteleemonis *nomine usquam notus appareat. Hujus ergo solennitas et vigebat sub Theodoreto, et idolorum festis substituta pridem fuerat, et fanum exstabat, ex idolorum, ut innuitur, disjectis olim ruderibus excitatum; quamquam non dicitur, unum, an plura, aut ubi posita fuerint.*

Sebastiæ et CPoli. seculo IV, *quorum unam instauravit Justinianus I. imp.*

6 Sebastiæ *in Armenia* fecisse [Constantinum] ædificari ecclesiam magnum in nomine sancti Pantaleonis, *narratur in vetusto quodam codice monasterii virginum Ordinis S. Augustini Tolosæ, ex quo nobis aliqua descripsit anno* 1645 *Petrus Possinus noster; sed ea ejusmodi, ut vix fidem ullam mereantur, id quod infra patebit evidentius. Ad eadem tempora referri potest illa* S. Panteleemonis *ædes, quæ Constantinopoli ad Pontum Euxinum navigantibus in dextro Bosphori littore, ubi augustiæ ad Fanum notantur, collocata, jam seculo sexto sub Justiniano imperatore vetustate fatiscebat. De hac ita Procopius Cæsariensis, De ædificiis Justinianeis lib.* 1, *cap.* 9: Inde Pontum Euxinum petenti occurrit abruptum quoddam ac procurrens e freti littore premontorium, in quo S. Panteleemonis martyrium situm
C erat, ac negligenter olim ædificatum, vetustati jam succumbebat. Eo diruto, atque æde, quæ ibi hodie visitur, magnificentissime exstructa, honorem Justinianus augustus asseruit Martyri, et freto decus addidit.

Antiquissimum ejus monasterium: et ecclesia CPoli erecta sec. VI.

7 *Vetustum quoque monasterium illud fuisse necesse est, de quo idem Procopius ibidem lib.* 5, *cap.* 9 *hæc habet:* Hierosolymis *instauravit (id est renovavit,* ἀνενεώσατο, *idem nempe Justinianus)* hæc monasteria: sancti Thalelæi, S. Gregorii, S. Panteleemonis in deserto Jordanis. *Recentior est ecclesia, antiqua tamen, quam eidem sancto Martyri Constantinopoli erexit ejusdem Justiniani conjux Theodora, de qua Codinus in Originibus CP. in editione Parisina anni* 1655 *pag.* 52, Ecclesiam, *inquit,* S. Panteleemonis Theodora, uxor Justiniani Magni exstruxit: quoniam ex Paphlagonia Constantinopolim veniens, ibi habitaverat in porticu, paupercula tunc et lanificio sibi victum quæritans. Sed posquam ad imperium pervenit, ædes illas paupertinas in ecclesiam mutavit. *Consonat Anonymus apud Bandurum, Imperii Orient. tom.* 1, *parte* 3, *lib.* 3, *pag.* 47, *nisi quod* D
in titulo habet: Περὶ τοῦ ἁγίου Παντελεήμονος τοῦ μεγάλου, *quod interpres vertit:* De ecclesia S. Panteleemonis magni; *sed nescio, an is fuerit sensus auctoris: nam cum templa Sanctorum ipso Sanctorum nomine recto appellare soleat, ut* S. Julianum, S. Agathonicum *etc. pro templo S. Juliani, Agathonici etc. incertum est, an* τοῦ μεγάλου S. Panteleemonem *afficere debeat, an hanc ejus ecclesiam. Ceterum hanc ecclesiam diversam esse a Justinianea, de qua numero præcedente, ostendit Bandurus in Commentariis ad Anonymum suum tom.* 2, *pag.* 686, *quia hæc ædificata fuerit in parte urbis Constantinopolitanæ, quæ Propontidem spectaret. Addi poterat, priorem ecclesiam exstructam fuisse loco alterius antiquioris, ad hoc dirutæ; at hanc loco ante profano, ut ex adducto Codini textu liquet.*

item alia ibidem a Nicolao patritio ædificata,

8 *Fuit et alia Constantinopoli, de qua Codinus ibidem pag.* 43, *et Banduri Anonymus part.* 2, *lib.* 2, *pag.* 39 *consentiunt. Et prior quidem sic habet:* Chrysobalandum *(sive Auri cru-* E
mena) domus erat Nicolai patritii et domestici Orientalium, quam ille mutavit in duo templa, sancti archangeli Michaelis, et Sancti Panteleemonis, ob hanc causam: uxor supradicti domestici, marito in castris commorante, ab alio quodam adulterabatur: qua de re ipse certior factus improviso in urbem rediit, et ambos simul deprehensos articulatum consecuit. Postea autem recordatione et metu extremi judicii duo hæc templa condidit. Cum vero absoluta jam fere structura, defectu pecuniæ plurimum angeretur, apparuit ei in sommo archangelus, dicens: Abi ad illum locum vicinum Asparis cisternæ, in invenies crumenam centum auri libras continentem. Domesticus igitur eo accedens, crumemam invenit; et consummata templorum fluctura, locum, ut antea diximus, nominavit Chrysobalandum. *Situm est autem Chrysobalandum, seu Chrysobalantum, ad partem urbis occidentalem, haud procul a muris inter portas Polyandri et Romani, juxta tabellam secundum Imperii Orientalis tomo* 2 *præfixam; inde etiam non longe Deuterum notatum reperies, de quo apud Constantinopolitanos scriptores frequens est mentio; unde autem Deuterum urbis ista regio nuncupata sit, explicat Anonymus Bandurianus tom.* 1, *part.* 2, *lib.* 2, *pag.* 58; *qua nimirum illac urbem subierit Justinianus Rhinotmetus, quando imperium* F
secundo *occupavit. Vide et Codini Origines pag.* 49.

et alia, a Narsete sec. VI; *et monasterium sec.* IX.

9 *Alia denuo est, quam Narsetem illum, qui a Phoca imperatore ob rebellionem exustus est, ædificasse scribit Zonaras Annalium lib.* 14, § 14; *cujus quidem loci interpretatio Latina non placet:* Hic Narses divi Panteleemonis et sanctorum martyrum Probi, Tarachi et Andronici ædem, atque vicinum hospitium condidit: *videtur enim ædem tantum unam adstruere, quæ S. Panteleemoni cum tribus aliis Martyribus communis fuerit; cum alia fuerit* Panteleemonis *ædes, alia trium istorum; ut patet ex repetito Græce articulo,* τὸν τοῦ ἁγίου Παντελεήμονος ναὸν ἐδομήσατο, καὶ τὸν τῶν ἁγίων μαρτύρων Πρόβου *etc. Hæc illa videtur esse Martyris hujus ecclesia, quæ in tabella secunda Banduri ad meridianam urbis partem prope portum Eleutherii notatur; certe vicina est illi Narsetis domus et tractus: Rursus alia est ecclesia vel cœnobium potius* S. Panteleemonis, *de quo Codinus pag.* 57: Monasterium ad Armamenta, sive S. Panteleemonis, primo quidem a Mauricio in

AUCTORE P. B.

A in armamentarium exstructum fuit. Theodora autem, uxor Theophili imperatoris, in monasterium mutavit post annos ducentos quadraginta et octo; *illudque* multis, *ut addit Banduri Anonymus part.* 3, *lib.* 3, *pag.* 57, possessionibus ditavit. *Locatur hoc monasterium in secunda Banduri tabella versus Blachernas et Septemtrionalem urbis angulum. Vide ejusdem etiam Commentarios pag.* 729, *et seq., ubi et de Ponte* S. Panteleemonis, *qui Barbysæ flumini imminebat, dubitat, num ab hoc cœnobio, utcumque vicino, nomen acceperit; an potius ab ecclesia ejusdem sancti Justinianea; quæ tamen juxta tabellam ejus tertiam a Barbyse distat quam longissime.*

aliud monasterium sec. x, *et binæ ecclesiæ.*

10 *De Romano Lacapeno imperatore hæc tradit Anonymus, quem inter historicos Byzantinos Theophane posteriores edidit Combefisius, pag.* 269, § 50 : Romanus imperator . . . . instauravit et Manuelis monasterium : simili quoque ratione Panteleemonis monasterium ac basilicam, qui cognomen Ophri portus, B a fundamentis erexit : octingentos illic monachos sub sancto instituto adunavit, iisque statuta stipendia, unde sustentarentur, constituit, quæ Sergio monacho, patri suo spiritali, in eorum annonam præbebat. *Est insuper templum aliquod* S. Panteleemonis *notatum in Anaplo Bosphori Thracii, seu tabella tertia Banduri, trans cornu Byzantiorum ad fontem Cisonis fluvii; de quo nihil alibi reperi. Denique ad* Pantaleonem *quoque nostrum referendum censuerunt Majores nostri tom.* 2 *Februarii, pag.* 382, *quod Menæis magnis die* XVII *Septembris subjicitur commemorationi* τῶν ἁγίων μαρτύρων Χαραλάμπους, Παντολέοντος, καὶ τῆς συνοδίας αὐτῶν, Sanctorum martyrum Charalampæ, Pantoleontis, et Sociorum; *subditur vero* : Τελεῖται δέ ἡ τούτων σύναξις ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῶν, τῷ ὄντι ἐν τῷ Δευτέρῳ. Agitur autem horum festum in ipsorum ecclesia, quæ est in Deutero. *Videtur hic ergo templum adstrui a prioridus diversum; utpote non soli* Pantaleoni *proprium, sed ipsi commune cum aliis.*

præter alias nobis incognitas.

11 *Ex dictis collige* I. *quam antiqua, quam constans, quam illustris fuerit* S. Pantaleonis C *apud ecclesiam Orientalem veneratio.* 2. *Dubitari non posse, cum tot in una urbe Constantinopolitana ejusque vicinia erectæ ipsi fuerint ecclesiæ, quin plures multo per Orientem universum conditæ sint; quamvis interciderit earum notitia.* 3. *Multo minus ambigi posse, quin templum ejus cultumque sibi præcipuum Nicomedia vindicaverit; ut quæ Martyri huic vitam, fidem, palæstram, sepulcrum olim dederit, quod ad seculum usque decimum, (si Hugoni Flaviacensi, infra citando, credimus) religiosissime custodierit.* 4. *Denique ex tot ejus ecclesiis difficile dictu esse; quænam sit illa, de qua supra num.* 4 *Menæa meminerunt.*

§ II. Cultus in Occidente; item Acta, et miracula.

Colitur etiam hodie in Ecclesia Latina:

N*on ea fuit Martyris hujus gloria, ut solum illustraverit Orientem : totum insuper Occidentem pervagata, dudum ad amorum ejus et cultum attraxit; et nunc quidem eodem hoc die sic eum celebrat Martyrologium Romanum :* Nicomediæ passio sancti Pantaleonis medici, qui a Maximiano imperatore pro fide Christi tentus, et equulei pœna ac lampadarum exustione cruciatus, sed inter hæc Domino sibi apparente refrigeratus, tandem ictu gladii martyrium consummavit. *Addit Baronius in notis :* De quo hac item die Beda. *At si de genuino Bedæ Martyrologio id quisquam intelligat, errabit : nusquam enim in eo apparet* S. Pantaleon; *sin autem de spurio, seu Plantiniano, quod Bedæ nomine in iisdem annotatis citari passim solet; verum quidem est, in eo mentionem fieri hac die* S. Pantaleonis, *at non ratione sui, verum occasione tantum S. Hermolai, cujus hac die ibi festum annuntiatur; de ipso* S. Pantaleonis *natali solum istic agitur die sequenti, seu* XXVIII *Julii, more antiquorum in Occidente Martyrologorum : Latinum etenim, qui cum Græcis* S. Pantaleonem *hac die recenseat, nullum vidimus ante Belinum, a quo et diem et elogium mutuati videntur, qui Martyrologium, ut nunc est, Romanum adornarunt.*

olim tamen agebatur festum ejus 28 Julii,

13 *Antiqui, ut modo dicebam, Martyrologi nostri natalem Sancti hujus consignabant die* XXVIII *Julii, seu* V *Kalendas Augusti; quo in Hieronymianis apud Florentinium exemplaribus vetustissimis legitur :* In Nicomedia, natalis sancti Pantaleonis : *in Romano parvo* : Nicomediæ, S. E Pantaleonis martyris : *apud Wandelbertum :*

Quintam *(ante Kal. Aug.)* Nazarius cum Celso possidet : hancque
Panthaleon martyr proprio sibi sancit honore :

Apud Adonem : Nicomediæ passio sancti Pantaleonis : qui cum, jubente Maximiano, artem disceret medicinæ, a presbytero Hermolao ad fidem Christi conversus, multa miracula fecit, patremque suum senatorem Eustorgium Christi fidei subjugavit. Ob quam causam tentus ab eodem Maximiano, equulei pœna et lampadarum exustione cruciatus (sed inter hæc Domino sibi apparente refrigeratus) tandem ictu gladii martyrium consummavit. *Adonem eodem die describit Notkerus, et Florarium Sanctorum Ms., quod tantum subdit textui Adoniano :* Anno salutis CCC : *Usuardus vero ita contrahit, ut fere habet Martyrologium Romanum supra.*

imo et 18 Februarii,

14 *Rabanus alium sibi mensem, alium diem elegit, nempe* XVIII *Februarii, quo sic habet :* In Nicomedia, natale Pantaleontis martyris, qui sub Maximiano imperatore martyrium suum implevit. F Hic Eustorio *(Eustorgio)* patre editus, et ab Ermolao *(Hermolao)* presbytero fide imbutus, antequam baptizaretur, puerum a serpente obligatum liberavit, et serpentem oratione interfecit. Post baptismum vero cæcum illuminavit, patrem suum Eustorium ad finem convertit, et multa miracula in nomine Christi perpetravit. Propter quod jussit Maximianus eum in eculeo suspendi, et lampadas ad latera ejus suspendi; sed flammæ earum subito exstinctæ sunt. Postea missis est in sartaginem ignis, ut ibidem plumbo liquefacto exureretur : sed per Christi virtutem frigescente ardore, in nullo læsus est. Postea in mare missus; sed inde sanus ad littus perductus est. Dehinc feris est traditus; sed a nulla earum contaminatus. Ad extremum vero capite cæsus est : sed percussores ipsius reliquias corporis ejus tulerunt, et honorifice sepelierunt. *Habes hic Actorum vetustiorum compendium absolutum.*

et aliis diebus.

15 *Plura exemplaria Martyrologii Hieronymiani* S. Pantaleonem *non illo tantum die, quem vidimus,* XXVIII *Julii, sed et aliis commemorant; at nostrum hunc, an alios, nescios quos, quis liquido discernat? Sic* XXI *Aprilis Ms. reginæ Sueciæ,*

AUCTORE P. B.

Seciæ teste Florentinio, habet : Nicomediæ Pantaleonis monachi ; *quod etiam observat Holstenius in Animadversis ad Martyrologium Romanum eodem die. Sic et* XXIII *Aprilis legitur in variis apographis :* Alibi natalis S. Pantalimonis, *seu* Pantaleemonis, *ut est in codice Baluziano apud Acherium in recuso Parisiis haud ita pridem Spicilegio tom.* 2, *pag.* 29. *Sic denique* XXVI *Julii in codice Florentinii scribitur :* In Laudicia Frigiæ, natalis sancti Joviani, Juliani, Pantaleonis *etc. Sed cum in his omnibus codices inter se antiqui dissonent, non satis est argumenti, ut diversos hic ab hodierno Pantaleones adstruamus : potuit enim unus idemque variis diebus intrudi ob acceptas translatasve ejus reliquias ; potuit* monachus *exscribi pro* medicus *ab amanuensi non satis exercitato in legendis abbreviationibus, quæ in antiquis quibusdam codicibus et frequentissimæ sunt et compendiosissimæ ; potuit denique nomen aliud in aliud commutari, et ex uno latercula transire in alium, ut mendis plena sunt passim hujus Martyrologii apographa. Itaque in* B *Prætermissis ad dies modo assignatos hæc omnia ad* Pantaleonem *nostrum Nicomediensem retulimus, cum alium notum, in quem cadere possent, nullum inveniremus ; tametsi alios fuisse certum putemus ; sed prorsus ignotos.*

ratione acceptarum ejus reliquiarum.

16 *Idem certe Martyrologiis Usuardinis accidisse perspicuum est : nam cum in genuino ejus textu non nisi semel, et quidem* V *Kalendas Augusti, occurrat* S. Pantaleonis *memoria ; in apographis tamen ejus variis eadem aliis atque aliis diebus recurrit ; et quidem ejusdem Sancti, sed non eadem de causa, ut videre est cum in Prætermissis, tum in Usuardo nostro ad dies* V, VI, XIV, XVII, XVIII, *et* XIX *Februarii ;* XXVII *et* XXVIII *Julii, ac denique* IV *Augusti. Nimirum dies* XXVIII *Julii, tamquam natalis* S. Pantaleonis, *per Ecclesiam Occidentis universam colebatur olim ; sed huic alios dies ob reliquiarum translationes varias particulares ecclesiæ adjecerunt, ut suis infra locis observabitur. Quid autem Latinos impulerit, ut natalem ejus postridie celebrarent, quam colatur a Græcis, mihi quidem haud promptum est divinare.*

Cultus quam antiquus et solennis in Occidente.

17 *Quamquam vero ex allatis Martyrologiis, et maxime ex Hieronymiano vetustissimo certum* C *sit, perantiquam esse in Occidentis Ecclesia sancti hujus Martyris memoriam, verique simillimum, eam sub Gregorio Magno quotannis in ecclesia Romana fuisse recitatam, ut colligi potest ex præfatione ad Usuardum nostrum cap.* I, *art.* I, *num.* 22 *: fatemur tamen, non esse nobis monumenta, quibus vel tam antiquum apud nos, vel (si de Ecclesia Occidentali universa loquamur) tam solennem fuisse ejus cultum ostendamus, quam fuisse jam demonstravimus apud Græcos. Certe etiam nunc, quando per tot secula accrevit passim et constanter hic ejus et notitia et gloria, et populorum omnium veneratio, Officio tantum simplici natalis ejus juxta Breviarium Romanum celebratur. Quod si de ecclesiis particularibus agatur, infinitus sit, qui omnes tum ejus nomine, tum reliquiis, tum utrisque insignes per Occidentem universum enumeret, in quibus peculiari et solenni Officio ac celebritate gaudet* S. Pantaleon *: conjicere id licebit ex iis, quæ de reliquiis subjicientur, postquam de Actis ejus pauca dixerimus.*

Acta ejus a Metaphraste scripta ;

18 *Argumentum id sane postremum non est ad comprobandam Martyris nostri apud omnes æstimationem et pretium, quod omnium pene gentium litteris monumentisque vulgata jam pridem ejus Acta circumferantur ; sed utinam sincera !* D *Ut enim recentiora prætercam, Latinis, Italicis, Hispanicis, Gallicis, Germanicis, Belgicis (et quibus non ?) typis edita, ne fontes quidem illorum omnium nancisci nobis licuit prorsus illimes. Sunt hi exemplaria duo Græca ; quorum alterum olim accepimus* ex Ms. Mediceo regis Franciæ, *ut a Rosweydo adscriptum est ; et sic orditur :* Τῆς εἰδωλικῆς ἀχλύος κατὰ πάσης διασκεδασθείσης τῆς οἰκουμενης. *Hoc secutus videtur anonymus poeta, cujus carmen Græcum de sanctissimo martyre* Panteleemone *cum Latina versione edidit Morellus Parisiis anno* 1605 *; ex eodem forte epitomen contraxit Nicephorus Callistus Hist. eccl. lib.* 7, *cap.* 14. *Idem Latine vertit Lipomanus ; hinc ad Surium, inde ad vernaculos passim hagiographos transiit. Stylus elegans est et planus, ut auctorem facile Metaphrasten arguat, cui proinde ab eruditis, Lipomano duce, tribuitur. Metaphrastæ tamen illud abjudicat Allatius in Diatriba de Simeonum scriptis pag.* 123*; sed* quam ob causam, nescio, *inquit Tillemontius, not.* 68 *in persecutionem Diocletiani : neque nos id scimus* E *post lecta etiam, quæ ad hanc rem Allatius tradit, principia diagnostica. Convenit certe plurimum, si rerum ordinem et adjuncta spectes, cum illa Vita, quam Venetiis anno* 1644 *in* Ἐκλογίῳ *suo Agapius monachus edidit, idque, ut asserit in libri fronte,* ex Metaphraste Symeone, *licet ipse stylum ac phrases ad modernum ac barbarum Græcorum attemperet idioma.*

et alia antiquiora :

19 *Alia sunt Acta* S. Pantaleonis *Græca, quorum initium ibidem pag.* 125 *Allatius ait esse,* Βασιλεύοντος τοῦ ἀσεβεστάτου καὶ παρανόμου. *Ea ipse Metaphrastæ attribuit ; nos Græce non vidimus ; forte illa sunt, de quibus nos monuit anno* 1644 *Possinus noster, esse Tolosæ, in cœnobio virginum* S. Pantaleonis, *Ms. Græcum vetus, asservatum inter cimelia, quo historia vitæ, martyrii, et miraculorum istius Sancti continetur : de quo præterea nihil reperio ; haud dubie ; quia re examinata, nihilo ceteris meliora judicaverint Majores nostri. Et sane si ex pauculis Allatii verbis conjecturam licet facere, illa sunt, quæ passim occurrunt in Latinis codicibus Mss. eodem propemodum exordio,* Regnante impio et iniquissimo Maximiano *; talia hic habemus ex Ms. S. Martini Treviris collato cum Mss. similibus S. Maximini apud Treviros, et Cæsaris insulæ, itemque in* F *Ms. Ultrajectino S. Salvatoris et in veteribus codicibus nostris † Ms.* 74, *† Ms.* 87, *Ms.* P. 19 *; et proxime consonant, quæ tradit Mombritius. Ex Græcis autem conversa esse, manifestissime patet ex contortis passim ad syntaxim Græcam constructionibus. Sed hæc, quod etiam supra Tillemontius observat, Metaphrasteam elegantiam nequaquam redolent ; nosque adeo Metaphraste antiquiora putamus esse, imo ipsi in suis adornandis præluxisse, cum eumdem ipse observet narrationis ordinem : certe ex barbara concinnam evasisse verisimilius est, quam ex tam concinna tam barbaram. Adde, non adeo rudem ethnicæ superstitionis Metaphrasten fuisse, ut pro diis cultos esse aliquando Hippocratem et Galenum crederet, quod in Actis illis asseritur ; at emendatur in iis, quæ Metaphrastæ adjudicavimus.*

sed non meliora,

20 *Aliquanto magis ab Hellenismis recedunt alia duo apographa ; quorum primum obtinuimus* ex Ms. Bertiniano vetustissimo, *collato, ut annotavit Rosweydus,* cum Ms. vetustissimo S. Amandi *; cujus initium est :* In diebus Maximiani imperatoris *: alterum accepimus ex Ms. ecclesiæ S. Audomari,*

A *Audomari, et contulimus cum Mss. cœnobii Marchianensis, et reginæ Sueciæ num.* 13; *incipit vero,* In illo tempore facta est persecutio Christianorum. *Ambo tum inter se, tum cum aliis, de quibus numero præcedenti, ita consonant, ut ex eadem officina prodiisse non dubitemus, si, ut dixi, Hellenismos exceperis, qui minus hic sunt frequentes, et additamenta quædam, quibus codices alii alios excedunt. Ex his porro sua delibarunt, quæ de* S. Pantaleone *referunt biographi Lipomano seniores Vincentius Bellovacensis, Petrus de Natalibus, Hilarion monachus in supplemento ad Legendam Jacobi a Voragine, aliique; ut seculo* XI *Fulbertus Carnotensis in hymno de* S. Pantaleone, *quem exhibet Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis tom.* II, *pag.* 44; *ac forte Nicetas rhetor, in oratione, quam nondum vidimus,* εἰς τὸν ἔνδοξον μεγαλομαρτυρα Παντελεήμονα, *de qua meminit Allatius in citata Diatriba pag.* 96; *imo ipsi etiam, ut credimus, seculi noni martyrologi, ante laudati; cum alia in vetustissimis codicibus Acta nulla repererimus: hi tamen in suis, quæ*
B *tradunt, Actorum horum compendiis aperta eorum vitia prudentius dissimulant, rescissis episodiis, quæ vel auctoris, vel interpolatorum inscitiam referunt potius, quam fidem historiæ: ut animadvertere licebet in annotatis ad Acta Metaphrastea, quæ, tamquam his defæcatiora, licet recentiora, visum hic est anteferre.*

nimis crude proscribant neoterici.

21 *Defæcatiora, inquam: nam sincera prorsus esse ac perpurgata, non possumus affirmare: quem enim, ut alia præteream, non feriat, aut quam veri speciem præferre possit, quod in fine narratur sive de militibus jam aperte Christum confitentibus, et Martyrem tamen occidentibus; sive de ipso Martyre, eos ad injustissimam sibi necem inferendam adigente? Absit tamen, ut adhæreamus vel Tillemontio, qui tam hæc quam superiora omnia* S. Pantaleonis *Acta, locis antea citatis, nec valere nec ullam attentionem mereri, crude pronuntiat; vel Bailleto, qui, expunctis more suo, sed auctoritate nulla, imo vero contra auctoritatem antiquam, miraculis, id tantum ex Actis ut verisimile profert, quod Megalomartyrem, ut semper est habitus, vix infimæ Martyrum classi adæquet. Id quam iniquum sit, liquebit ex annota-*
C *tis ad ea, quæ num.* 5, *et* 9 *narrantur, quæque tamquam ab omni verisimilitudine aliena neotericus hic et Romæ confixus auctor extrusit.*

Nos Metaphrastea damus ribus. vetustioribus collata cum

22 *Ceterum operæ pretium fore non duximus, si interpretationi Lipomanianæ textus Metaphrastæ Græcus adjungeretur; cum hoc tamen illam, ne quis de ejus fidelitate ambigat, denuo contulimus; uti et cum Actis antiquioribus: tum si quid animadversione dignum fuit, observavimus in annotatis. Quia tamen longiusculum est episodion, quod in tribus tantum vetustiorum Actorum exemplaribus legitur de conversione et martyrio militum, a quibus interfectus fuerat* S. Pantaleon; *illud Actis Metaphrasticis appendicis loco subjungetur, ne quidquam dissimulasse videamur aut suppressisse: quamquam alioqui de rei veritate nihil decidimus; cum de Martyribus illis nullam sciamus sive apud Græcos, sive apud Latinos, in Fastis fieri mentionem; tum quod ex tot Mss. nostris sola eam referant Ms. Ultrajectinum S. Salvatoris, codex membraneus* P. 19, *qui non apparet quatuor seculis antiquior, et Codex, haud paulo quidem obsoletior, † Ms.* 74; *denique quod stylo differant hæc a ceteris, redoleantque non prototypon aliquod Græcum; sed Latini potius cujusdam inventum.*

VICTORE P. B.

Annus martyrii incertus.

23 *De anno martyrii nihil admodum certi est, ne ex Actis quidem: nam in iis num.* 16 *passus dicitur* S. Pantaleon *brevi post S. Anthimum, episcopum Nicomediensem, qui* nuper (πρὸ μικροῦ) misere vita privatus erat *Atqui hujus victoria refertur ad initium persecutionis Diocletianeæ, ut significavimus ad diem* XVII *Aprilis, qua colitur; atque adeo ad annum Christi* 303, *ut probant Pagius in Criticis Annalium, et Tillemontius nota* 10 *ad persecutionem Diocletani. Consequens ergo esset, si sibi constarent Acta, ut eodem anno* S. Pantaleonis *certamen accidisse censeretur. At eadem illud contigisse narrant, præsente et agente* Maximiano *(Galerio scilicet: nam Herculeus procul aberat) et quidem* imperatore; *hic vero nec ante annum* 305 *imperator fuit, et ante decreta in omnes promiscue Christianos ultima supplicia, ante comprehensos presbyteros ullos aut Ecclesiæ ministros, Nicomedia discesserat, ut ex Lactantio discimus de Mortibus persecutorum cap.* 14 *et* 15; *et solus tum ibi Diocletianus furebat.* E
Quid ergo? An interpolatoris vitio intrusum in Acta nomen Maximiani pro nomine vel imperatoris simpliciter vel imperatoris Diocletiani; ut factum videtur in Actis S. Anthimi? An proinde restituendus pro Maximiano Diocletianus, ut fit in reformato Breviario Romano in lectione hodierna de S. Pantaleone? *An contra* nuper *illud, seu* πρὸ μικροῦ, *id est* paulo ante, *extendendum latius sive usque ad reditum Maximiani Nicomediam, sive usque ad evectionem ejus ad imperium? At enim cur tum Anthimi meminisset potissimum; quem se absente Diocletianus torsisset; cum sua facinora et recentiora et crudeliora commemorare posset? An forte exemplum Anthimi intrusum a quodam sciolo fuerit? Nam variant in hoc nomine antiqua Mss., ut suo loco videbitur. Statuant alii; nobis non liquet.*

Miracula quædam.

24 *Demum Actis miracula quædam subjicimus Sancti hujus patrocinio facta, et a monacho quodam cœnobii* S. Pantaleonis *Coloniæ Agrippinæ lecta, et nobis a Gamansio nostro submissa* ex insigni et perantiquo Ms. S. Pantaleonis Coloniæ, *ut in fronte annotatum erat. Nomen auctoris ætasque nos latent: nisi quod seculo undecimo posterior videatur, ut patebit num.* 12: *ceteri ejus temporis characteres obscuri sunt. Sunt quidem et alia miracula maxima pulrimaque, pridem Ger-* F
manice edita Bambergæ per F. Thomam abbatem Langheimiensem in Paradiso Francothaliensi; verum hæc præterimus, quod Maatyris nostri propria non sunt, sed illi communia cum Sanctis aliis, quos Auxiliatores vocant; quo nomine coluntur simul in Germania quatuordecim, apud Italos vero quindecim; de quibus mentio recurret die VIII *Augusti, qua Langheimii celebrantur. Alia antiquissima ipsique propria ac celeberrima fuisse, ac præsertim ad depulsos cum morbos tum dæmones pertinentia, colligimus identidem ex hodierna ejus Acoluthia in Menæis excusis, sed nulla sigillatim enarrata comperimus.*

§ III. Reliquiæ, quæ hujus Martyris putantur esse, plurimæ et claræ miraculis tam in Oriente, quam in Occidente.

Corpus S. Pantaleonis *apud Nicomediam fuisse sepultum, narrant Acta in fine: ibidem vero*

AUCTORE P. B.

Sancti corpus Nicomediæ sepultum; pars translata CPolim:

vero asservatum illud fuisse usque ad annum Christi circiter 970, *testabitur infra Hugo abbas Flaviniacensis. Non ita tamen id accipi velim, ut inde pars nulla decerpi interea potuerit: jam enim ab initio seculi sexti partem aliquam habebant Constantinopolitani, et quidem, ut apparet, miraculis nobilem, et perfugium miserorum. Eruitur id en Theodoreti, seu potius Theodori Lectoris fragmento, quod citat S. Joannes Damascenus lib.* 3 *de Imaginibus fere versus finem; ubi agitur de prodigiosa exustione blasphemi cujusdam Ariani, cujus in loco memoriam pictura servabat. Picturam hanc Arianorum victus precibus, sustulit et abscondit is, cui demandata fuerat loci cura, Eutychianus nomine: cum, ecce, illum* divina quædam sic invasit indignatio, *inquit auctor ille,* ut dexter oculus ei difflueret, pessimeque reliquia item membra conflictarentur, quoad sacrum oratorium, ubi beatorum Pantaleonis et Marini pars reliquiarum conservatur *(Græce requiescere creditur)* accederet. Quod quidem oratorium Concordia (Ὁμόνοια) vocatur; quoniam illuc episcopi centum et quinquaginta, imperatore Theodosio magno regnante *(anno Christi* 381) concordes in eam sententiam convenerunt, ut divinæ Trinitati eamdem assentiam constituerent, et Dominum ex Virgine humanam assumpsisse carnem declararent. *De Homonœa plura Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4, *pag.* 157: *ubi explicat hunc textum de* S. Pantaleone *nostro; licet paulo ante pag.* 132 *de eodem Martyre ita scripsisset:* Sed an illius reliquias asservaverit Constantinopolis, incertum videtur.

ubi et sanguis ejus cum lacte prodigiosus.

26 *Pergit ibidem Theodorus:* Verum cum illic septem circiter dies commoratus, nihil acciperet adjumenti *etc. Ex quibus intelligitur, quantum fiduciæ in animis supplicantium jam tum hæc lipsana sacra excitare consueverint; quod fieri non solet nisi per frequentata miracula. Quamquam ferale est admodum, quod hoc loco narratur; si tamen* S. Pantaleoni *tribuenda est, quæ ibi describitur apparitio; id quod scriptor iste non audet asserere. Porro reliquias hasce non qualescumque, sed partem corporis valde notabilem fuisse, necesse est; siquidem illæ sint, quæ seculo decimo quinto ad Lusitanos allatæ dicuntur; de qua re ex Rodericio da Cunha videbitur inferius. Sed et sanguis hujus Martyris cum lacteo liquore in eadem urbe diu ac magno in honore fuit ob assidua miracula, ut habet scriptor miraculorum, quem post Acta proferemus, num.* 2; *cujus narratio confirmari utcumque videtur ex Synaxario Basilii supra num.* 4.

Roma quoque sibi corpus ejus vindicat ad S. Gregorii;

27 *Ejusdem reliquiis, ut olim ad se translatis, gloriantur urbes in Occidente plurimæ; atque imprimis Roma, et quidem in variis ecclesiis: nam corpus ejus apud Camaldulenses ad S. Gregorii in monte Cœlio sub ara maxima conditum esse, tradunt Pancirolus in Thesauris Romæ absconditis pag.* 690, *aliique: at quando istuc, aut unde allatum sit, ignoramus. Fuisse tamen ante medium seculi decimi, colligi poterit ex paragrapho sequenti, num.* 43. *Creditur, inquit Piazza in Hemerologio sacro ad hunc diem, ibi repositum fuisse a S. Gregorio Magno; sed qui ante illum scripsit Pancirolus, pag.* 702 *obtentum putat a Ludovico Caroli Magni, qui ex Africa illud acceperit, nepote (imo filio, monasterii Indensis, de quo ibi meminit, fundatore.) Neutrum satisfacit, cum nullo subnixum sit antiquitatis testimonio. Quid vero de* S. Pantaleonis *corpore ex Africa Carolus Magnus impetraverit, quove illud destinaverit, dicam paulo inferius: tum facile quivis intelliget, quid conjecturæ Panciroli tribuendum sit. Monuit nos quoque litteris, anno* 1715 *datis, V. Cl. Marius Florentinius,* in sacrario ejusdem ecclesiæ a PP. Camaldulensibus servari in tibia argentea partem cruris etc.

et caput, et miraculosum sanguinem,

28 *Ibidem in ecclesia Patrum Piarum scholarum,* Sancti Pantaleonis *nomine insignita, servari dicuntur osssa Martyris nostri, ut vide apud Floravantem Martinellum in Roma sacra pag.* 268; *sed quæ illa sint ossa, non explicat: itaque Sancti caput, seu cranium (aut hujus partem) intelligimus, quod ibi, testante Pancirolo pag.* 691, *et Piazza in Hemerologio ad diem* XXVII *Julii, exponitur non sine multa solennitate; eodemque aqua consecratur, quam confluentes illuc magna devotione fideles hauriunt, patrocinii potentis etiam hodie virtutem comprobante cœlesti Medico. Partem quoque cranii et ampullam sanguinis ejus esse apud PP. Nerianos in Vallicella, nos in litteris citatis docuit Florentinius; et de sanguine quidem id etiam affirmant Pancirolus et Piazza citati; quorum hic ait, thesauro illo donatum fuisse S. Philippum Nerium a Cardinale Cusano, ille autem, sanguinem istum, cum anno toto concretus appareat, liquescere tamen quotannis festa sancti Martyris luce, quæ ibi ritu semiduplici celebratur. Scribebat hæc Pancirolus annis quinquaginta prius quam Romam subterraneam Aringhus ederet anno* 1651; *qui de sanguine eodem agens lib.* I, *cap.* 16, *num.* 25, *cum narrasset, idem miraculum apud Ravellenses observari quotannis, hæc addit:*

Ravella acceptum:

29 Nostra item Vallicellana B. Mariæ et S. Gregorii ecclesia de Urbe, alia item ejusdem sanguinis ampulla ex majori Ravellensis ecclesiæ decerpti, nobilitatur; quam Eminentissimus olim Cardinalis Cusanus nostræ Congregationi dono dedit: qui quidem sacer cruor a primis Vesperis festivi ejus diei, cum coagulatus antea exsisteret, mirum in modum liquefieri ac ebullire cunctis cernentibus conspiciebatur: cujus rei multi ex Patribus nostræ congregationis oculati testes fuere: verum multis abhinc annis id Martyr secreto Dei consilio haud ultra ita palam præstitit; sed hoc dumtaxat admirandum relucet, quod iste sanguis, cum infra anni tempus fusci coloris sit, circa festiva hæc tempora nitidi ac limpidi coloris speciem præ se fert, et cum lacti permixtus videatur, illud certe prædicandum, quod incorruptus post mille trecentos et triginta duos annos perseveret. *Sunt et aliæ in aliis Urbis ecclesiis hujus Martyris reliquiæ, ut idem in indice notat Pancirotus, sed minus vel celebres vel notabiles; quales facile in altera Romæ* S. Pantaleonis *ecclesia (sunt enim duæ) crediderim reperiri.*

ubi etiamnum servatur pars major, et miraculis clara.

30 *Quod autem de Ravellensibus reliquiis ibi narrat Aringhus, idem etiam Ughellus testatur in Italia sacra, ubi de episcopis Ravellensibus agit tom.* I, *col.* 182, *in editione novissima. Nos anno* 1714 *ex ipso loco descriptionem et mensuram ampullæ Ravellensis, cum adjuncta brevi notitiæ Italica, subscripta a* Laurentio canonico Pepe, thesaurario cathedralis ecclesiæ Ravellensis, *accepimus beneficio illustrissimi D. Dominici de Georgio, nobilis Neapolitani, cui et alia non pauca debemus. Mensuram exhibebat charta ad modum ampullæ secta, ac propemodum, si orificium non*

AUCTORE P B.

A *non altum excipias, rotunda. Ejus diameter octo circiter digitorum est. Dividitur ampulla in spatia quatuor inæqualia, a fundo usque ad orificium transversis et parallelis inter se lineis expressa. In infimo spatio, duobus fere digitis alto, notatur esse* pars terrea sanguinis ; *in secundo, quod uno et paulo amplius digito altum est, significatur* pars minus terrea sanguinis : *in tertio, quod altitudine digitum vix transversum adæquat, indicatur* sanguis purus instar rubini, quando liquescit; *in superficie sanguinis exprimuntur bullulæ ex pinguiori ejus materia formatæ. Supremum spatium ad orificium usque, quod aliquanto minus est quam ampullæ dimidium, vacuum exhibetur. Ampulla basi insistit hexagonæ ex argento affabre factæ atque inauratæ. Hæc* in charta, quam dixi, separata ; notitiam vero adjectam ita vertimus :*

nescio, unde illuc aut quando translata, cum parte ossium.

31 Ampullæ, quæ gloriosi martyris nostri Pantaleonis sanguinem continet, magnitudo par est modo chartæ appositæ. A fundo ad medium usque et ultra sanguis est ; quod sursum est spatium versus orificium ampullæ, vacat. Dicto orificio imposita est Sancti figura integra ex argento inaurato : B ampullam vero argenteus item et auricolor ambit circulus. Liquefit sanguis gloriosus ad primas Vesperas festi ejus, quando intonatur : " Deus tuorum militum " usque ad secundas Vesperas ejusdem festi, quod celebratur die XXVII Julii ; uti etiam die translationis ejus, quæ colitur Dominica tertia Maii. Ampulla moveri non potest, neque in supplicatione circumferri ; cum caute asservetur in medio altaris ejus, ferreis ante et retro munita clathris, qui variis clavibus referantur, quarum unam servat episcopus, alteram thesaurarius, tertiam nobis, quartam ipsa civitas. Liquescit insuper quoties boni aliquid vel infausti imminet ; ut variis occasionibuit docuit experientia. Denique de translatione dicti sanguinis ad urbem Ravellensem traditio est, naves fuisse quasdam, quæ ob mare infestum non potuerint ulterius cursum intendere sine præsentissimo pereundi discrime. Permisit itaque Sanctus, ne prius alio promovere possent navigia nobiles illi peregrini, quam deposito Ravelli et relicto ingenti hoc pignore ac thesauro ; ut fecerunt ; C atque ita deinde in regiones suas alias discesserunt. In præfata ampulla clare conspiciuntur quatuor species sanguinis, ut in chartula *(de qua dixi)* distincte notantur.

Laurentius canonicus Pepe, Thesaurarius cathedralis ecclesiæ Ravellensis.

Dolendum enimvero est, rem tam præclaram tam obscura traditione fundari, ex qua neque per quos, neque unde, neque quando advenerit, possis assequi ! Scribit præterea Florentinius in epistola superius laudata, ibidem servari ejusdem Martyris magnam partem ossium. *Fides esto penes auctorem.*

Aliæ sanguinis ampullæ Neapoli, brachium aliæque reliquiæ,

32 *Tales vero ampullæ plures sunt in Italia, omnes* S. Pantaleonis, *ut volunt, hujus nostri sanguine divites.* In civitate Neapolitana, *inquit Joannes Baptista de' Franchi Dominicanus in libello Italico, quem inscribit,* Devotio SS. XV Auxiliatorum, *pag.* 134, in uno conventuum nostrorum Ordinis Prædicatorum sub titulo S. Severi conservatur ampullula sanguinis liquefacti ejusdem Sancti, *nempe* Pantaleonis *Nicomediensis, de quo ibi fusius egerat. Idem in ejusdem ecclesiæ descriptione paulo disertius exponit Caracciolus Neapolis sacræ part.* 2, *pag.* 370, *cum ait, sanguinem illum ibi liquefieri quotannis* in vigilia et die martyrii ejus. *Unde vero ad PP. Dominicanos hæc ampulla devenerit, auctores ille non indicant. Non idem miraculum adscribit Caracciolus aliis ejusdem sanguinis ampullis in eadem, ut asserit, urbe depositis, puta in ecclesia SS. Apostolorum, ubi assignat parte* 2, *pag.* 167 lagunculam unam cum sanguine S. Pantaleonis, *item* sanguinem et os S. Pantaleonis : *et in ecclesia Conceptionis, ubi iterum aliam notat ibidem pag.* 601 ampullam cum sanguine et reliquiis S. Pantaleonis martyris. *Quid alias Martyris hujus reliquias commemorem, quas in variis Neapolitanorum ecclesiis idem auctor testatur honorari ? Inter has non infimum sane locum obtinere videtur* brachium S. Pantaleonis martyris, *quod ibidem pag.* 363 *servari scribit in ecclesia S. Gregorii, vulgo dicta San Ligorio.*

alia sanguinis ampulla Barii,

33 *Barii quoque, quæ regni Neapolitani urbs est et sedes archiepiscopalis, istiusmodi ampulla visitur, de qua ita Beatillus noster in Historia sua Barensi Italice scripta lib.* 4 *ad annum* 1590 : In urbe Beneventana inventæ sunt annis abhinc aliquot, dignæ quædam reliquiæ, et nominatim aliquot ossa cum frustis pluribus concreti ac E duri sanguinis gloriosi martyris S. Pantaleonis. Hujus partem aliquam ab archiepiscopo dono accepit collegii nostri Beneventani Rector, qui ex illo sanguine aliquantulum et mihi largitus est ; quod ego continuo vitreæ, ut decentius conservarem, lagenulæ imposui. Accidit postea, qua nescio ratione, ut eidem vasculo infundere vellem guttulas nonnullas de manna S. Nicolai. Vix id feceram, cum, ecce, subito maxima cum admiratione mea sanguis ille, qui coagulatus erat et frustra plura divisus, liquari cœpit, et bulliens ac spumans inseparabiliter conjungi permiscerique cum manna. In fundo tamen pauxillum quid indissolutum resedit ; quod ego quidem terram esse arbitror, quæ olim cum sanguine, cum primum effunderetur, coaluerit. Atque hæ sunt reliquiæ illæ, quæ in ecclesia cathedrali Barensium in argentea theca servantur, et exponuntur venerationi piæ fidelium. *Nimirum eas ipse Beatillus Capitulo roganti inter alias concessisse se, paulo ante narraverat. Ceterum de inventione* S. Pantaleonis *apud Beneventanos dicam posterius.*

F

alia Venetiis; ubi et manus, et pars capitis, pes totus, tibia, brachium, digitus :

34 *Alia istiusmodi ampulla, teste Florentinio in epistola jam dicta, custoditur Venetiis in ecclesia ducali S. Marci una cum ejusdem sancti Martyris manu, binisque capitis ossibus, de quibus omnibus meminit Bernardus Cestari in opusculo Italico de rebus notabilibus, quæ sunt Venetiis lib.* 2, *pag.* 258 *et seqq., ubi observat, harum reliquiarum inscriptiones esse Græcas ; forte quod eas Veneti a Græcis acceperint. Sed et in aliis ejusdem civitatis ecclesiis alias Sancti nostri reliquias ostentari, Florentinius ibidem affirmat ; ut in ecclesia* S. Pantaleonis *pedem integrum, os tibiæ, et brachii, partem cranii, et digitum annularem ; item in ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, pro qua citat Nicolai Manerbii, aliis Malerbii, ex Vitis Sanctorum verba, quæ Latine sic sonant :* Cujus (S. Pantaleonis *Nicomediensis)* in ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Venetiis habetur tibia alterius cruris, et pars brachii, coruscantes ambæ miraculis.

alia ampulla Lucæ, ubi et caput Sancti.

35 *Alia denique sanguinis ampulla Lucæ in pretio est, quod attestatur Franciscus Maria Florentinius in annotatis ad Martyrologium Hieronymianum*

AUCTORE P. B.

mianum die XXVIII *Julii; ubi sic habet:* In urbe Luca Thusciæ, patria mea, jam olim corpus (S. Pantaleonis) in basilica SS. Joannis et Reparatæ quiescere, multorum seculorum opinio fuit. Caput quidem argentea theca inclusum *(et illud quidem mirificum emittens odorem, ut alii testantur)* cum integri cranei conspicua parte osculandum piis fidelibus exhibetur die XXVII Julii, et ejusdem sanguinis ampullam inter sacra cimmelia servant in eadem urbe religiosi Patres Matris Dei in ecclesia S. Mariæ Curtis Orlandingorum. *Notandum vero, hæc scripta esse annis omnino sex et quadraginta ante inventionem Lucensem, de qua pluribus agetur inferius* § 6.

Corpus prope Burgos; alibi aliæ reliquiæ partim notæ,

36 *Quid de ceteris dicam reliquiis, quæ ejusdem omnes esse* Pantaleonis *dicuntur? Ne fastidium afferam lectoribus, eas breviter enumero, quarum notitiam aliquam potui invenire ab assignatis auctoribus; neque enim authentica earum instrumenta ulla reperimus, ex quibus discere de illarum origine, vel acquisitione quid liceat.* Etiam in Corobia *(vulgo la Bureba, quæ tractus est, seu*
B *provincia exilis in Castella veteri sub archiepiscopatu Burgensi)* est corpus S. Pantaleonis M., cujus festum agitur XXVII Julii. Unde vero, aut quomodo Sanctus iste eo pervenerit, prorsus ignoro. *Ita Marieta Hist. eccles. SS. Hisp. lib.* 22, *fol.* 11 *verso. Hinc forte in illa diœcesi olim colebatur Officio novum Lectionum die* XIX *Februarii; ut ex Breviario Burgensi anni* 1502 *discimus. Lectiones illæ depromptæ sunt ex Actis antiquioribus: sed de translatione in eis nulla fit mentio. Brundusii in æde cathedrali brachium integrum ostenditur; Cremæ in ara maxima pars capitis; testante utrumque Mario Florentinio in epistola jam sæpius memorata. Et Cremæ quidem pro patrono urbis colitur* X *Junii, ut dictum ibi in Prætermissis. Ravennæ mediam fere maxillam ejus viderunt Henschenius et Papebrochius in sacrario monasterii Portuensis, ut notarunt in Itinerario suo Italico Ms. pag.* 225. *Iisdem Genuæ ostensum est corpus* S. Pantaleonis, *ut affirmarunt in Prætermissis ad diem* XVI *Martii. Volaterræ in sacrario ecclesiæ cathedralis os ejus, nescio quod, esse discimus ex relatione Ms. Visitationum, inde huc missa anno circiter* 1648; *Mediolani itidem indefinitum aliquid in ecclesiæ cathe-*
C *dralis Sanctuario assignat Paulus Morigi pag.* 8. *Idem testatur de Oveto in Hispania, et de monasterio Andecensi in in superiori Bavaria Beyerlingus verbo* Reliquiæ *pag.* 297 *et* 285. *Rayssius in Hierogazophylacio Belgico ait, esse de ossibus* S. Pantaleonis *Cameraci in abbatia S. Autberti pag.* 81; *Brugis partem brachii pag.* 357, *et aliam partem apud Benedictinas Broucburgenses pag.* 127; *os apud Lætienses pag.* 280; *aliud quid apud Lutzemburgenses pag.* 366, *et Mechlinienses pag.* 495.

partim ignotæ nobis.

37 *Non dubito, quin et alibi plures aliæ tales exstent reliquiæ; atque ibi maxime, ubi vel alio die colitur, quam qui ejus natali sive in moderno Romano, sive in antiquis Martyrologiis adscribitur (tum enim dies ille diversus ab aliquam translationem delectus videtur) vel, ubi celebratur ritu solenniori, quam præscribat Breviarium Romanum, quod fit locis pluribus; vel denique ubi sunt ecclesiæ, vel cœnobia ejus titulo erecta, id quod de monasterio* S. Pantaleonis *coloniensi, et Tolosano constat; de Passaviensi (de quo Hundius in Metropoli Salisburg. tom.* 2, *pag.* 530 *et seqq.) non item, quamvis id appareat satis verisimile, uti et de ecclesia* S. Pantaleonis *prope* Utinum, *de qua facta est mentio tom.* I *Junii pag.* D
796 *f, de Trecensi, quæ urbis illius ornamentum est prorsus eximium, uti scribitur in Itinere litterario Benedictinorum, Parisiis edito anno* 1717, *part.* I *pag.* 93; *de Bituricensi apud Labbeum in Bibliotheca Mss. tom.* 2, *pag.* 385; *aliisque, quarum aliquas occasione translationum variarum modo proferemus.*

§ IV. Translationes variæ reliquiarum ejus a seculo nono usque ad decimum tertium factæ.

Translatio capitis ex Africa Arelatum an. 807; inde Lugdunum;

Prima *reliquiarum* S. Pantaleonis *in Europam translatio, quam quidem monumentis historicis comprobatam sciamus, ea est, quæ contigit sub initia seculi noni, sive anno Christi* 806; *ut ex Annalibus, vulgo Eginhardinis, contendit Pagius* E
in Criticis Baronianis ad annum illum; sive sequenti, ut ex Chronico Adonis colligunt Card. Baronius, Labbeus in Chronologia historica, et Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum. Quando scilicet hujus Martyris caput una cum ossibus S. Cypriani et corpore S. Sperati per Caroli Magni legatos ex Africa delatum est Arelatum in Galliam, indeque aliquanto post rogatu et opero Leidradi, Lugdunensis episcopi, cum jam dictis aliorum reliquiis deportatum in ecclesiam B. Joannis Baptistæ ac sancti martyris Stephani Lugdunensem. De qua re quia fuse est actum in Commentario prævio ad Acta sanctorum Martyrum Scillitanorum die XVII *Julii a pag.* 210, *eo lectorem remittimus; et id solum quærimus hoc loco, an sacrum illud caput Lugduni permanserit, an alio, et quando sit ablatum.*

ubi etiamnum servari dicitur;

39 *Lugduni illud ad sua usque tempora asservatum fuisse et honoratum, affirmat Jacobus Severtius, doctor sacræ theologiæ Parisiensis, ac Lugdunensis ecclesiastes, in Chronologia archiepiscoporum Lugdunensium, ubi de Leidrado, quem sedis illius antistitem ponit quinquagesimum quintum,* § 5. *Sed nihil affert, quo sigillatim id probet de capite* S. Pantaleonis, *præter auctoritatem suam, quam sic interponit, ut si quis portionem illius aliquam alio translatam velit, id* F
non impedire se dicat. Interea meminerit quisque, *inquit paragraphum concludens,* earumdem reliquiarum translationem *(Areloto Lugdunum)* evenisse XVI Kalendas Augusti, ex Regestis ecclesiæ Lugdunensis. Qui dies solennis est in divinis Officiis illius basilicæ ob reliquias ejusmodi ibidem religiose conditas ac in honore habitas.

alii volunt, Lugduno Compendium esse translatum;

40 *Theodoricus Ruinartius in Actis Martyrum sinceris et selectis admonitione prævia ad Acta Martyrum Scillitanorum de iisdem agens reliquiis,* At hæc sacra pignora, *inquit,* inde *(Lugdono)* a Carolo Calvo imperatore Compendium tandem translata fuisse, contendunt sodales nostri monachi Compendienses, in quorum regia basilica etiam nunc religiose asservantur. *Idem confirmat Mabillonius in Annalibus Benedictinorum tom.* 3 *ad annum Christi* 877, *num.* 94 *ex tabulis cœnobii Compendiensis S. Cornelii in hæc verba:* Addunt domesticæ tabulæ, cum vulgato Adone, reliquias S. Cypriani, simulque SS. martyrum Sperati et Pantaleonis, quæ ex Africa tempore Caroli

AUCTORE P. B.

A Caroli Magni Arelate, teste Adone, indeque Lugdunum advectæ fuerant. Certe SS. Cornelii et Cypriani reliquiæ in una pretiosa capsa in Compendiensi ecclesia, ibidemque in duabus thecis Sanctorum Sperati et Pantaleonis reliquiæ asservantur. *Quod vulgatum Adonem pro Compendiensibus reliquiis citat vir eruditus, id argumentum est admodum debile. Legitur quidem in vulgato Adone die* XIV *Septembris :* Sed post interposito tempore, regnante glorioso rege Carolo, Ludovici imperatoris filio, iterum reliquiæ beati Cypriani ad monasterium novum, quod idem rex augusto opere construxit in Compendio palatio suo, eo jubente, translatæ sunt : *sed solius hic mentio fit Cypriani, non Sperati, non* Pantaleonis : *deinde non videntur hæc Adonis esse verba, sed interpolatoris, nescio cujus, additamentum : neque enim de hac re verbum ullum habent eo die Usuardus aut Notkerus, qui Adonem sequi solent; neque ipse Ado in Chronico. Quid quod Ado Martyrologium scripsit ante episcopatum ; diuque adeo ante quam hæc translatio facta credi possit ? Sane ante dedicatam ecclesiam* B *fundatumque cœnobium credibile non est, eo deferri reliquias Carolum jussisse ; dedicatio autem illa fundatioque juxta Mabillonium citatum contigit anno* 877; *hoc est biennio post obitum Adonis.*

alii, sed falso, Coloniam.

41 *Saussayus in Martyrologio Gallicano die* XVIII *Februarii illud attribuit Coloniensibus : sic enim scribit :* In monasterio regali sancti Dionysii, susceptio portionis reliquiarum sancti Pantaleonis martyris : cujus et caput pridem a legatis Caroli Magni ex Africa cum ossibus sancti Cypriani in Gallias advectum, hodie etiam venerabile est Coloniæ. *Sed aberrasse videtur hic Martyrologus : nam aliud esse caput* S. Pantaleonis, *nostri an alterius, et aliunde allatum Coloniam, mox demonstrabimus num.* 49. *Quod vero attinet ad portionem reliquiarum ejus, quam suscepisse monachos Sandionysianos affirmat, eam ex eodem Lugdunensi thesauro deprompŧam fuisse, ipsi putant; si vera narrat Bailletus in Legenda ad hunc diem :* Interea, *inquit,* monachi S. Dionysii in Gallia contendunt, caput S. Pantaleonis permansisse Lugduni ; cetera vero ejus ossa translata esse in abbatiam suam. *Hoc non dicit, qui cœnobii illius historiam Parisiis edidit anno* 1706, *Michael Felibienius : nam pag.* 539 *littera S, ubi explicat thecam reliquiarum* S. Pantaleonis C *in lamina præcedenti exsculptam, hæc tantum habet :* Lipsanodochium argenteum inauratum continens reliquias aliquot S. Pantaleonis martyris, ut patet ex ejus inscriptione hac ; De ossibus S. Pantaleonis. *De loco, unde acquisita sint ossa, vel earum donatore, quod sæpe notat alibi, hic verbum unum non dicit. Et recte id quidem : nam sub Carolo Magno nihil de* S. Pantaleonis *reliquiis ex Africa fuit advectum in Galliam, præter caput ejus.*

Ex Africa solum caput Sancti allatum est; non alia ejus ossa.

42 *Certe de solo capite antiqui meminerunt ; ut Florus diaconus Viennensis in fragmento carminis huc pertinentis, quod habes in Commentario ad Acta Martyrum Scillitanorum die* XVII *Julii* § 3, *num.* 29; *Ado et Notkerus in Martyrologiis suis die* XIV *Septembris ; et Sigebertus in Chronico ad annum* 802 : *neque dissonat Agobardi carmen in eodem Commentario datum ; quamquam coactus metro poeta, ambigua expressione est usus, cum ita cecinit :*

Sperati quoque, martyris beati
Nec non Pantaleonis ossa raptim
Tollunt *etc.*

Verum hæc amphibologia satis evolvitur per auctores alios, quos modo citavimus, et maxime Florum, qui ne metrum quidem suum passus est ab exacta rerum singularum propriaque denominatione licentius evagari. Non credimus igitur ex thesauro Africano prodiisse, si quid sacrorum ossium S. Pantaleonis, *quæ quidem capitis non sint partes, uspiam asservari dicitur; sive ad S. Dionysii; sive Romæ (quidquid aliter senserit Pancirolus supra num.* 27) *sive alibi. Sed de prima hac translatione jam satis; prima, inquam; non quod alias præcessisse negem, sed quod eas apud veteres nullibi descriptas invenerim.*

Roma Coloniam translatæ aliquæ ejus reliquiæ an. 953.

43 *Proximam huic translationem, tametsi sesquiseculo circiter posterior fuerit, narratam invenimus in Vita B. Brunonis archiepiscopi Coloniensis, qui frater fuit Othonis I imperatoris, cognomento Magni, num.* 33 *apud Leibnitium in Scriptoribus Brunswicensibus tom.* I, *pag.* 281 ; *ubi refert coævus auctor, epistolam synodicam a Brunone per Hadamarum, monasterii Fuldensis abbatem, directam fuisse ad Agapitum II Pontificem Romanum; Hadamarum autem ab Agapito* E *reversum, Brunoni attulisse Roma una cum pallio* reliquias de proprio corpore sancti Pantaleonis martyris ; *in cujus occursum læta properaverit Coloniensium civitas, et undique jubilans multitudo accurrerit, convenerintque universi* in suburbio prope antiquum locum, ubi ecclesia ejusdem pretiosi Martyris erat, inculta adhuc et ruinæ proxima : *ibi deposita fuisse grata onera; deinde suo quæque loco reposita. Tum subdit, ipso illo loco sepultum postea fuisse sanctum episcopum ; quippe qui erga hunc Martyrem modo prorsus singulari affectus fuisset; cujus etiam nomine novam istic ecclesiam et cœnobium ædificasset. Contigit vero hæc translatio anno Christi* 953, *ut notat Gelenius de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib.* 3, *syntagm.* 12, § I; *qui ex vetustate ecclesiæ illius, de qua meminit auctor Vitæ Brunonnianæ, colligit ibidem* § 3, *translationem reliquiarum aliam antiquiorem ; quæ tum facta sit, cum vetustissima illa* S. Pantaleonis *ecclesia conderetur :* neque enim veteres, *inquit,* ædificabant memorias Martyrum sine eorum reliquiis.

Alia triplex translatio S. Pantaleonis.

44 *Translationem hanc non ita multo post secuta est alia duplex, imo triplex, quam miramur ignorasse Gelenium, virum alioqui in antiquitate Coloniensi eruderanda maxime versatum ac sedulum. Nimirum Chronicum Virdunense nondum viderat, quod anno* 1657 *in lucem dedit Philippus Labbeus noster Bibliothecæ Ms. librorum* F *tom.* I. *In eo describitur illa ab Hugone, monacho primum abbatiæ S. Vitoni Virdunensis ac deinde abbate monasterii S. Petri Flaviniacensis in ducatu Burgundiæ, qui obiit sub initium seculi duodecimi; describitur, inquam pag.* 116 *occasione novæ basilicæ S. Vitoni a Richardo abbate exstructæ, cujus magnificentiam ibi late prosecutus,* Factum est, *inquit,* et altare gestatorium ex auro purissimo interius mire fabricatum, opere consimili, studio et largitione domni Herimanni comitis, in modum tabularum consertum et compactum, quod cum aperitur, et altare est, et tabulæ aperiuntur ; quibus si moram adhibeas, quod est instrumentum Moysi et Aaron imaginibus gloriosum, figuram dominicæ crucis exprimit. Habet hoc a quatuor cardinibus, quatuor Euangelistarum, hominis, leonis, tauri, et aquilæ species ex argento, opere fusili, præfatum altare portantium, et se invicem versis vultibus respicientium. *Hæc adscripsi, ut lector intelligat, quanto ibi*

AUCTORE P. B.

ibi tum in pretio fuerint S. Pantaleonis *exuviæ : sequitur enim :*

nempe corporis Nicomedia Coloniam,

45 Super ipsum vero altare brachium sancti Pantaleonis ponitur, pallio serico involutum, et ligno inclusum, argento et auro decoratum; quod attulit cum corpore ejusdem a Nicomedia Coloniensis episcopus, obtentum dono Constantinopolitani imperatoris, quando pro ejus filia Ottoni II in matrimonio jungenda jussu ejusdem Ottonis ad eumdem imperatorem legatus missus et cum episcopis duobus, ducibus, et comitibus. Et cum, obtentis pro quibus ierat, licentiam redeundi accepisset, et imperator ei sociisque ejus munera plura obtulisset, et accipere renuissent, corpus sancti Pantaleonis ab eo archiepiscopus petiit, et obtinuit, et reversus, Coloniam detulit. *Hæc una est translatio ; cui statim duæ subjunguntur aliæ in hæc verba :*

et Brachii in Castrum Commerceium, inde Verodunum;

46 Fuerat autem cum eo in expeditione ipsa quidam ejus consanguineus, dominus castri de Commarceio, et multa prece obtinuit ab eo brachium corporis sancti Pantaleonis, quod et in ecclesia præfati castri reposuit. Evolutis postmodum aliquot annis, obsessum est castrum ipsum, et eversum atque succensum. Cumque flamma tectis ecclesiæ illaberetur, et vitricibus globis interiora ecclesiæ lamberet, dolens sacerdos de combustione sanctarum reliquiarum, cuidam armatorum, ut ecclesiam ingrederetur et desuper altari reliquias tolleret, significavit. Qui mox ingressus, reliquias tulit et reposuit; et cum ibi adesset abbas, et brachium Sancti, præsente presbytero, marca argenti ei vendidit; quod domnus ipse, cum sciret pro certo, Martyris esse reliquias, Virduni gaudens attulit; et paratum argento et auro diebus festis super altare ponitur. *Cetera, quæ sequuntur, alio pertinent.*

B

harum prima et secunda contigit an. 971,

47 *Legationes binas ad obtinendam filio conjugem Theophanonem seu Theophaniam, Romani junioris, imperatoris Constantinopolitani defuncti filiam (de qua vide Cangium in Familiis Byzantinis, familia* 19) *Constantinopolim direxit Otho Magnus; primam quidem ad Nicephorum Phocam; quam obivit Luitprandus eventu irrito et infelici; ut ipse legatus explicat apud Baronium in Annalibus ad annum Christi* 968 : *alteram ad Joannem Tzimiscen, qui ad interfecti Nicephori solium evectus fuit anno* 969 *exeunte. Hæc successit e voto; ac proinde hic ab Hugone designatur. Fructus ejus fuit pax inter utrumque imperium, ac desponsa Othoni II Theophania, anno Christi* 971, *ut post Baronium, observat Pagius num.* 5 ; *qui annus ipse nostræ translationis haud dubie fuerit. Archiepiscopum vero Coloniensem, qui legationi ac translationi præfuit, necesse est fuisse Geronem, qui Folcmaro successerat anno* 969 ; *ut habet Dionysius Sammarthanus in editione nova Galliæ Christianiæ tom,* 3, *col.* 649. *Nec offendere debet, quod missus dicatur Constantinopolim jussu Othonis II : hic enim jam tum cum patre imperabat, et in hac legatione res ejus agebatur præcipue. Erat autem Gero Othonis II ex fratre nepos, ut affirmat Gelenius in opere laudato lib.* 3, *Syntagm.* I, *pag.* 847.

C

tertia vero sub initia seculi undecimi.

48 *Translatio Brachii ad castrum Commerciacum (quæ est urbecula Galliæ in Barensi ducatu ad Mosam fluvium, et antea tractus parvi adjacentis caput, ut ait Baudrantius) eodem tempore circiter cum priori corporis facta videtur ; non item illa, qua idem brachium inde Verodunum transiit : accidit enim* evolutis postmodum aliquot annis; *id est, nisi fallor, sub initia Richardi abbatis, de quibus istic agit auctor ; nam cum abbatem, qui transtulit, non exprimat nomine, illum sine dubio intelligit, de quo ibi longissimum habet sermonen. Electus est autem abbas Richardus, ut aliquanto superius dixerat, anno Christi* 1004, *ac diutissime præfuit, puta ad annum usque* 1046, *ut asserit pag.* 190. *Quod vero miles vendidisse abbati reliquias dicitur, id crudum videris potest ; non adeo quia miles vendiderit, quam quia emerit abbas, talis præsertim, qualis quantusque fuit Richardus. Sed nimirum adjuncta considerari multa possunt, quæ expressionis duriusculæ tollant invidiam. Obsessum castrum, vi expugnatum, eversum, succensum, adeoque militari licentiæ, furori, prædæ permissum, reliquiæ ipsæ in militis (forte etiam heterodoxi) potestate, qui eas e mediis flammarum globis non sine maximo vitæ discrimine semiustulatus eduxerat, periculum profanationis si ei relinquerentur, aliaque ejusmodi abbatem religiosissimum adducere facile potuerunt, ut vel militis audax facinus liberaliter compensaret, vel certe reliquiarum, quas timebat, injurias quovis pretio sancte redimendas putaret ; id quod etiam primis ecclesiæ temporibus usitatum fuisse, observat Baronius ad annum* 110, *num.* 6.

D

E

Translatio capitis CPoli Coloniam an. 1208.

49 *Postremam denique, quæ quidem ad Colonienses pertineat, annotavit Godefridus, monachus* S. Pantaleonis *apud Coloniam, ubi floruit ante medium seculi decimi tertii, in Annalibus a Marquardo Frehero editis ; sic enim habet ad annum Christi* 1208 : Item ipso anno, III Idus Apriles, allatæ sunt nobis reliquiæ capitis S. Pantaleonis, patroni nostri : quæ per Henricum de Ulmene de Constantinopoli cum aliis innumeris reliquiis translatæ, et ab eo per domnum Albertum, abbatem de Lacu, nobis transinissæ, et cum maxima veneratione totius cleri et populi susceptæ, recondiræ sunt cum aliis pretiosissimis reliquiis in capite argenteo et deaurato. *Est hic sane omnium, qui de hac translatione meminerunt, scriptor antiquissimus, coævus, et in loco, de quo narrat, monasticam vitam professus. Mirum est igitur, ad hujus translationis memoriam aniversariam a nullo martyrologo notatum fuisse diem* III *Idus Apriles, sed vel* XII *Cal. Martii, vel alios, quos notavimus in Prætermissis ad diem* XX *Februarii. De Henrico Ulmenio plura legi possunt apud Gelenium lib.* 3, *syntagm.* 12, § 3.

F

Quænam ex his reliquiæ nunc Coloniæ supersint.

50 *Notandum vero, has omnes translationes Colonienses spectare ad monasterium* S. Pantaleonis ; *ubi memoratæ reliquiæ etiamnum servari dicuntur : nam quas Roma Brunoni Hadamarus attulit* de proprio corpore S. Pantaleonis martyris, *eas esse suspicor, quas citatus Gelenius ait inclusas esse hierothecæ duodecimæ, nempe* combustos cineres S. Pantaleonis : *quas vero Nicomedia attulisse Geronem archiepiscopum diximus, illud corpus arbitror esse, quod istic anno* 1660 *ostensum sibi fuisse testatur Henschenius in annotatis ad Acta Beati Wolphelmi die* XXII *Aprilis pag.* 77 : *neque enim corpus hic appellari jam dictos cineres putamus ; sed ossa saltem aliquot ; quorum pars minor, brachium scilicet, decerpta fuerit ac data Commerciaci domino : quas denique Ulmenius dedit, illas oportet esse, quas in hierotheca quinto Gelenius exhibet, puta notabilem partem capitis* S. Pantaleonis *medici, ejusdemque dentem cum aliis aliorum Sanctorum reliquiis simul inclusa. Sed enim occurit hic nobis difficultas minime levis, quam, ne paragraphus hic justo sit longior, ad sequentem remitto. Observo hic interim*

A *rim ex Gelenio ibidem* § 4, *in monasterio, de quo agimus, præter diem Patroni sui natalem, quem ibi celebrant die* XXVIII *Julii, unicam translationis, nescio cujus, aut forte translationum simul omnium, festam solenniter quotannis agi memoriam die* VI *Februarii.*

§ V. Difficultas circa reliquias Colonienses : translationes aliæ seculi decimi quarti ac decimi quinti.

Tot Sancti hujus reliquiis Coloniensibus

Dubitare non poterit, qui attenderit animum ad paragraphum præcedentem, quin S. Pantaleonis *cœnobium ab ipsis incunabulis suis ditatum fuerit notabilibus sancti Patroni sui reliquiis, ad easque semel et iterum earumdem incrementum ingens accesserit; usque adeo ut illarum, pene dixerim, prodigis esse licuerit istius loci præsulibus non in Colonienses dumtaxat ecclesias, sed etiam* B *in externas : inde enim acceptas putamus, quæ servantur modo in ecclesia metropolitana Pragensium, teste Pessina in Phosphoro septicorni pag.* 514, S. Pantaleonis duæ notabiles partes, allatæ Colonia per Carolum (IV *imperatorem ac Bohemiæ regem)* anno MCCCLVII; aliæque insuper particulæ multæ simul colligatæ in viridi sacculo: *inde etiam, quæ Coloniæ visuntur juxta Gelenium in ecclesia S. Gereonis pag.* 266; *in ecclesia S. Severini, pag.* 275; *in ecclesia S. Cuniberti, pag.* 289; *in ecclesia SS. Joannis et Cordulæ, pag.* 445: *apud RR. PP Dominicanos, pag.* 464; *apud virgines conventuales tertiæ Regulæ S. Francisci, pag.* 587; *et forte alibi; quamquam quid, aut quantum ex iis habeant ecclesiæ jam dictæ, non definit Gelenius.*

opposita videtur epistola,

52 *Quid igitur sibi vult Epistola, cujus ex eodem cœnobio accepimus ecgraphum; quod cum impresso exemplari (non memini quo in opere) nuperrime contulimus et consonum omnino deprehendimus; quin, inquam, sibi vult hæc* Epistola abbatis S. Vitoni ad abbatem S. Pantaleonis? *(nam is titulus adscribitur:)* Domino suo venerabili H. abbati egregii martyris Pantaleonis, frater L. servus sancti Vitoni, cum omni congregatione sibi commissa omnimodam in Christo dilectionem. Audientes vestrum bonum studium, vestramque devotionem, quam inhianter habetis erga B. Patronum vestrum .s. cognoscentes, magnam penuriam vos habere tam felicium pignorum, mutuæ charitatis instinctu misimus vobis partem ex abundanti copia, quam prædecessoribus nostris divina concessit magnificentia; quatenus, secundum quod habetis in voto, circa tantum Patronum augmentetur devotio. Sane quo modo tam felix tamque gloriosum patrocinium ecclesiæ nostræ provenerit, melius vobis explicabit frater R., quo mediante tantum dirigimus munus. Mittimus etiam partem reliquiarum beatissimi patroni Vitoni, et Theodori gloriosi martyris, quorum memorabilis triumphus celebratur v Idus Novembris; ut ecclesiæ vestræ et nostræ jam perpes et unanimis maneat societas, et Sanctorum subinde cumuletur honor et reverentia. Valete.

C

53 *Inter abbatum Virdunensium S. Vitoni apud Sammarthanos nomina, quorum initialis littera fuerit* L, *unum tantummodo reperitur, quod congruere potuerit in tempora abbatis alicujus* S. Pantaleonis *apud Coloniam, cujus nomen ducatur ab initiali littera* H. *Nomen illud est Ludovici primi, de quo hæc tantum habet Gallia Christiana :* Ludovicus I. frater Alberti episcopi Virdunensis an. MCCXXXVII. obiit XVI Kal. Julii : *ex quibus nescias, utrum anno* 1237 *abbas esse cœperit S. Vitoni, ac postea anno incerto obierit; an vero obierit anno* 1237, *et ignoretur annus quo sit antea creatus abbas : nam nec decessorum ejus finis notatur, nec successoris initium. Ut ut est; nec diu post annum* 1237 *vixisse videtur; cum successor ejus Vilelmus anno* 1247 *transtulisse dicatur corpus S. Dodonis episcopi; nec diu ante annum circiter* 1220 *fuisse abbas; quandoquidem post Alestanum, qui abbas erat anno* 1183; *et cujus exitum nescimus, tres alii sine tempore notantur, qui Ludovicum antecesserint. Vel scripsit ergo Ludovicus ad Henricum III de Werdena, et quidem sub hujus mortem (obiit enim anno* 1220, *cum abbas fuisset* S. Pantaleonis *per annos* 20) *vel ad Henricum* IV, *prioris successorem, qui vivere desiit anno* 1227; *vel denique ad Henricum* V, *cognomento de Hurne, qui eamdem abbatiam tenuit ab anno* 1230 *ad* 1242. *Utcumque acceperis,* E *fatendum erit, scriptam esse epistolam post translationes omnes tot reliquiarum* S. Pantaleonis *ad cœnobium ejus Coloniense, de quibus supra meminimus, et quarum illud etiam nunc thesauros ostentat. Quomodo ergo cognovissse tum poterat Ludovicus, cœnobium illud* magnam penuriam habere tam felicium pignorum?

[illegible] P. B. scripta circa annum 1230;

nisi aliter, quam a Gelenio, explicetur.

54 *Quid igitur? An spoliatum post annum* 1208 *et ante annum circiter* 1237 *fuerit cœnobium Coloniense ejusque hierogazophylacium? Nemo, quod sciam, id refert; ne monachus quidem Godefridus in Annalibus, quos illo tempore ac de illo tempore ibidem scribebat, in quibus res monasterii sui multo minutiores non omittit. An ignoraverit Ludovicus id, quod cognovisse se dicit? Neque hoc fit verisimile: non enim reliquias misisse credendus est, nisi rogatus; neque rogatus fuisse, nisi ab iis, qui earum penuriam obtenderent. An confictam dicemus epistolam, cum significet, missas etiam fuisse reliquias SS. Vitoni ac Theodori, quæ nunc apud Pantaleonitas non sunt notæ juxta Gelenium? Durum id apparet, tum quod reliquiæ illæ vel amitti potuerunt, vel* F *inter anonymas reponi; tum quod epistola hæc in ejusdem cœnobii tabulario tam diligenter custodita sit hactenus, et in eo etiam olim a Gelenio reperta; ut patet ex loco sæpius memorato pag.* 370 *Quid si ergo contra mentem Gelenii suspicemur, nec petitas a Coloniensibus, nec missas a Virdunensibus cum hæc epistola fuisse reliquias* S. Pantaleonis, *sed alterius Sancti, qui ejusdem cœnobii Coloniensis* patronus *habetur? Apellatur enim etiam a Gelenio* monasterium SS. medicorum Pantaleonis, Cosmæ, et Damiani, atque Quirini martyrum; *et singulorum habet reliquias. Quid si, inquam, earum unas hic significaverit Ludovicus? Tum sane nihil quidquam ante dictis ab hisce litteris esset incommodi. Ceterum nuda est conjectura, quam discutiendam iis relinquimus, qui archivum possident, unde vel stabiliri possit solidius, vel refelli. Alias interea translationes expediamus.*

Tolosam, præter pateram admirabilem e Oriente,

55 *Est Tolosæ canonicarum regularium Ordinis S. Augustini parthenon illustris, fundatus ex testamento Joannis-Raymundi Convennensis, primi archiepiscopi Tolosani, ac deinde S. R. E. Cardinalis episcopi Portuensis et S. Rufinæ, qui diem*

AUCTORE P. B.

diem extremum obiit anno 1348, *hoc est biennio ante quam ab ejus testamenti exsecutoribus ædificatum est, quod modo dicebam, cœnobium cum ecclesia, cui nomen* S. Pantaleonis *est inditum, ob relictas illi a Cardinale defuncto fundatore istius Martyris plures reliquias, atque inter alias pateram admodum pretiosam, quam suis manibus cælaverat* S. Pantaleon; de qua patera, *inquit Catellus in historiæ Occitanicæ Monumentis lib.* 2, *pag.* 175, *unde hæc deprompsimus,* Ms. antiquum ejusdem monasterii admodum venerabile meminit in hæc verba : " Anno Domini " ducentesimo vigesimo octavo beatus Pantaleon in " civitate Nicomediæ, dum esset paganus, philoso- " phus, et medicus, cum arte astrologiæ fecit vas " suum petræ pretiosæ ; et cum ipso dabat " infirmis bibere, sanans eos. Cum autem esset " conversus ad fidem Catholicam, dictum ex- " cellentissimum vas a Domino sanctificatum " fuit. "

allatum quoque est, nescimus unde, os brachii S. Pantaleonis circa an. 1350.

56 *Tum subdit Catellus :* In eodem antiquo Ms. figuris exornato, texta legitur hujus pateræ peculiaris historia, qua narratur, qua ratione Constantinus Magnus ex ea bibens, convaluerit ex pluribus, quibus afflictabatur, morbis : qui patera deinde illa donaverit ecclesiam S. Pantaleo- B nis in urbe Sebastiæ, quibusdam Suas appellatæ. Inde eam sustulerit Chosroës Persarum rex; post cujus obitum delata fuerit Antiochiam ; unde ad manus devenerit Friderici II imperatoris, ab eoque ad Mamfredum Siciliæ tyrannum, ac denique ad Cardinalem Convenensem ; qui eam cum pluribus aliis reliquiis, quas abbas S. Mauritii (*Agaunensem intelligo*) ei submiserat, dono dederit jam dicto virginum cœnobio. In eodem libro recentiori manu scripta leguntur *inquit,* sequentia : " Hic dominus Cardinalis Con- " venarum ille est, qui Tolosæ fundavit monaste- " rium religiosarum virginum in honorem unde- " cim mille Virginum, et dedit plures alias reli- " quias, honore ac reverentia dignas, et qui præ- " dictum vas cum osse brachii prædicti S. Pan- " taleonis . . . . . in prædicto monasterio *(jam scilicet destinato, sed nondum exstructo)* S. Panta- " leonis reportavit et reposuit. Deo gratia. " *Hæc ille. Ex quibus patet, præter craterem illum,* C *translatum illuc etiam fuisse os brachii* S. Pantaleonis ; *at unde acceptum ? An ab abbate S. Mauritii ? Verum hic unde habuit ? Non dicitur.*

sed historia hujus pateræ

57 *Quod vero ad historicam pertinet manuscriptam istius pateræ, nescio, quid ea legi possit ineptius : Quid enim est, anno* 228 *Pantaleon medicus ; qui, ut Acta ferunt, toto propemodum deinde seculo juvenis occubuit ? Quid vas ab eo factum* cum arte astrologiæ? *Hæc, opinor, paradoxa Majores nostros impulerunt, ut ad fontem ipsum Tolosanum recurrerent, idque per Petrum Possinum nostrum ; qui manu propria, ut erat officiosissimus, descriptam ex vetusto codice monasterii virginum Ordinis S. Augustini Tolosæ huc misit narrationem die* x *Novembris anno* 1645 ; *magis, credo, ut nobis cumulatius satisfaceret, quam quod monumentum illud alicujus pretii vir doctissimus putaret esse : res enim tam est misera ; ut proferre hic pudeat. In ipso titulo dicitur Constantinus ædificasse Constantinopolim anno* 315, *ac tunc, cum stomacho laboraret et podagra, accepisse pateram illam* ab uxore Maximiani imperatoris defuncta. *Paucis postea lineolis sui mox oblitus scriptor,* Et *(Constantinus)* ædificari fecit Constantinopolim, *inquit,* civitatem magnam : tunc infirmatus fuit malo stomachi et podagræ ; uxor autem Maximiani imperatoris mora- D tur in civitate Nicææ : audivit enim de infirmitate imperatoris : misit ei vas pretiosum S. Pantaleonis, quod habuerat a filio suo, qui fuerat paralyticus, et curatus fuit *etc. Narrat subinde, Persas et Chaldæos irruisse in Armeniam ; mox occurrisse cum exercitu Constantinum ; iisque profligatis, Sebastiæ, quam obsidione liberaverat, ædificasse* ecclesiam magnam in nomine S. Pantaleonis, et ibidem posuisse hoc vas pretiosum ; *secutaque esse plura deinde miracula.*

tot scatet erroribus.

58 *Huic alia ex eodem opere narratio subjungitur nihilo melior de Chosroë Persarum rege, qui Palæstinam deprædatus, crucem Domini abstulerit ; et in Persidem rediens, everterit Sebastiam, sublata secum patera* S. Pantaleonis ; *ex qua deinde bibens,* curatus fuerit a malo splenis et stomachi. *Postmodum* ædificari fecerit turrem cum auro et argento, et ibi posuerit tres thronos : ad dextram posuerit lignum sanctæ Crucis et ad sinistram dictum vas sanctum, et ipse sederit in medio, in signum Trinitatis ; et fecerit, quod populus adorabat eum ; quia dicebat, se esse Deum : *tum Heraclius in Persidem irruerit,* et destruxerit omnia, et invenerit Chosroën regem ; e acceperit eum ; et rogaverit, eum effici Christianum, quia lignum san- E ctæ Crucis honorasset et dictum vas sanctum, et alia sanctuaria : et quia rex noluerit, fecerit *(Heraclius)* ei caput amputare. Postea acceperit lignum sanctæ Crucis, et portaverit in Jerusalem et multa alia cum magno triumpho, et reædificaverit sanctam civitatem : viderit autem Jachan *(qui supra dictus fuerat episcopus Sebastenus)* Sebastiæ hæc omnia fieri, et acceperit vas sanctum S. Pantaleonis, et occulte reportaverit in civitatem Antiochiæ, et posuerit illud in ecclesia S. Petri . . . et scripserit hanc historiam ad perpetuam rei memoriam.

ut nescias, quid credi ex ea possit.

59 *Enimvero monumentum ejusmodi qua ratione dici possit venerabile non vidimus ; cum crassos adeo in tantilla narratione prodat errores : ut enim de uxore Maximiani viva simul et mortua, aliisque nihil dicam ; quis vel a limine salutavit historiam, qui nesciat anno* 315 *ædificatam non fuisse Constantinopolim ; Constantinum quidem ad expeditionem Persicam parasse sese, sed, ea nondum suscepta, e vivis excessisse ; Chosroën in Heraclii potestatem numquam venisse, nedum ab illo interfectum esse ? Ceterum de Friderico et Mamfredo verbum nullum descripsit inde* F *Possinus ; at titulum narrationis longe diversæ Gallico, sed obsoleto jam, sermone conceptum, quem ita Latine reddimus :* Quomodo Dominus Ludovicus Franciæ maae trajecerit tempore passagii *(sive expeditionis in Terram sanctam)* et in morbum tunc inciderit, atque Antiochiæ hydrope laboraverit, ibique invenerit sanctum vas, quod fecerat dominus Pantaleo ad pellendos hominum morbos, quodque habebat urbis communitas in ecclesia sancti patris *(du sainct pere, forte pro,* de sainct Pierre, *S. Petri)* atque ad honorem civitatis probe custodiebat. Dominus vero Ludovicus tantum effecerit, ut ab illa vas illud sacrum obtinuerit, eoque sibi benedixerit, et evaserit sanus ; itaque discesserit, ac secum abstulerit sanctum vas in regionem suam. *Hactenus idem codex Ms., de cujus proinde fide ac merito, saltem in iis, quæ ad pateram Tolosanam pertinent, lectoris cujusvis appello judicium.*

60 *Restat ultima translatio reliquiarum* S. Pantaleonis *in Lusitaniam, quam Antonius Vasconcellius*

S. Pantaleonis allatum in Lusitaniam circ. an. 1453,

cellius noster in Descriptione Lusitaniæ, quæ Antverpiæ fuit excusa anno 1621, *breviter annotavit pag.* 562 *his verbis :* Amorem in Portuenses ostendit cæleste Numen, cum e Nicomedia, Bithyniæ urbe, martyris Pantaleonis corpus ad illos transtulit : quod Joannes Lusitaniæ rex in scrinio ex argento conflato occludi testamento jussit. *Ante illum ita scripserat Vasæus in Hispaniæ Chronico anno* 306, *ubi de persecutione Diocletiani :* In hac persecutione pessus est Romæ beatus Pantaleon; cujus corpus posterius a Romanis fugientibus persecutionem barbarorum devectum est in Portugalliam, atque in civitate Portugallensi multis etiam nunc claret miraculis. *Mula hæc uberius tractat in Catalogo et historia sua Lusitanica de episcopis decessoribus suis illustrissimus Rodericius da Cunha episcopus Portuensis parte* 2, *cap.* 32, *cujus narratio huc redit : Reliquiæ* S. Pantaleonis, *teste Joanne Damasceno, Constantinopoli fuerunt in templo Concordiæ, erantque etiam paulo ante quam urbs illa Mahumeti secundo succumberet, ut ait, nescio quis, Roca Valentianus in historia Turcarum : inde ergo circa tempus illud translatas fuisse, et rationi congruum est et antiquæ traditioni. Constantinopoli itaque a barbaris direpta, Christiani quidam sepulcrum, quod ejus lipsana continebat, lapideum subduxere, et navi impositum abstulere secum usque in Lusitaniam et suburbium Portuense, ubi deposuerunt illud in ecclesia S. Petri de Miragaya, ad Durium fluvium sita, anno plus minus* 1453; *ibique plateam condiderunt, quæ* Armenorum via *hodieque appellatur. Patet hic, Rodericium dissentire a Vasconcellio, dum hic reliquias illas Nicomedia, ille Constantinopoli allatas existimat : Vasæo nescio quis assentiri possit, nisi alium a Nicomediensi Pantaleonem hunc statuat : sed historiam cœptam prosequamur.*

translatumque ad ecclesiam Portuensem ex Miragaya an. 1499,

61 *Mansit pignus hoc sacrum in ecclesia S. Petri per annos* 46, *donec anno* 1499 *die* XII *Decembris inde translatum est solenni supplicatione ad sacellum majus cathedralis ecclesiæ per Didacum de Souza episcopum Portuensem ; qui et sepulcrum transtulit, cui inclusum illud huc venerat, quod nunc pro altari est in sacello sanctissimi Sacramenti. Decrevit insuper episcopus et capitulum, ut quotannis dies iste translationis imposterum solennis ac festus ageretur, de eaque Officium recitaretur ritu duplici die* XII *Decembris. Impositæ postea fuerunt eædem reliquiæ arcæ ligneæ, sed laminis argenteis magnifice obtectæ, munificentia duorum Lusitaniæ regum, Joannis II et Emmanuelis, cognomento Magni ; querus prior id fieri testamento jusserat, posterior exsecutus est anno* 1502. *Insculpta sunt utriusque regis insignia ; et hinc quidem scuta quinque regni Lusitaniæ ; inde vero Joannis II regis Pelicanus, symbolum amoris, quo subditos sibi populos complectebatur. Medium occupat effigies gloriosi Martyris, patroni ac tutelaris urbis hujus (Portuensis ;) quæ antequam hunc recepisset, patronum agnoverat S. Vincentium martyrem, tum quod idem patronus esset Ulyssiponis, quæ caput est regni, tum quod ejus insignes quoque reliquias Portus haberet.*

relicto tamen ibi brachio.

62 *Quantus vero dolor fuit incolarum Miragayæ post translatum sacrum corpus (cujus ipsis brachium ad solatium perfugiumque reliquerunt.) tanta fuit urbis et ecclesiæ cathedralis lætitia, qua illud suscepit : quod utramque adeo illustrat, ut orbe famam ejus extendat universo ; dum hujus Sancti patrocinio Deus ac Dominus noster miracula operatur infinita, idque tum maxime, cum grassari pestis incipit, a qua urbem hanc civesque ejus omnes persæpe defendit. Hactenus illustrissimus præsul ; cujus omnia fide dicta sunto, quamquam ad narrationis compendium usi simus ordine ac verbis etiam non raro nostris. Habes hic interim corpus iterum* S. Pantaleonis, *et separatum ab illo brachium ; quod utinam unde venerit, ex instrumentis probari posset magis authenticis !*

AUCTORE P. B.

§ VI. Gemina corporis S. Pantaleonis inventio.

Corpus S. Pantaleonis inventum Beneventi an. 1586.

T*ot hactenus descriptis reliquiarum* S. Pantaleonis *translationibus, gemina ejusdem, ut volunt, Martyris successit inventio ; altera Beneventi, altera Lucæ, utraque in Italia. De priori in tantum accepimus, quod in Catalogo Sanctorum, qui Beneventi coluntur, tradit Marius de Vipera archidiaconus Beneventanus, ad hunc diem* XXVII *Julii, quo* S. Pantaleonis *martyris Nicomediensis festum ritu duplici celebrari affirmat in ecclesia sua, ac deinde brevi elogio, quod ex Martyrologio Romano mutuatur, hæc subjicit :* Ejus corpus fuit inventum Beneventi in diruta sacra æde sancti Cornelii de Plano Curiæ anno ab orbe redempto MDLXXXVI, Sixto Papa V, et Maximiliano Palumbaria archiepiscopo, sub altari ei dicato ; ubi ejus Acta jam pridem depicta usque ad hodiernum diem apparent : et in cathedralem magna veneratione magnoque populi concursu delatum, ibique sub altari majore tumulatum. Quomodo vero Beneventum translatum, nulla exstat memoria ; ob crebras ipsius urbis vastationes creditur. *Hæc ille, citans in margine Acta curiæ archiepiscopalis Beneventanæ de* S. Pantaleonis *inventione. Similia refert idem auctor in Chronologia episcoporum et archiepiscoporum ecclesiæ Beneventanæ ad annum* 1586.

Lucæ in Thuscia in ecclesia SS. Joannis et Reparatæ

64 *Inventio Lucensis compendio describitur in libello, seu causa, istic agitata decisaque pro identitate reliquiarum inventarum cum corpore* S. Pantaleonis *Martyris ac medici Nicomediensis ; qui libellus Lucanis typis excusus prodiit anno* 1718. *Sed quia eamdem haud paulo distinctius in litteris huc ad Janningum Luca datis depinxit vir clarissimus, idemque testis oculatus, Marius Florentinus, placet eam verbis ejus hic recensere. Sic igitur anno* 1714, *die* XII *Decembris, et quinto aut sexto post inventionem, iterumque in eamdem sententiam die* XIX *ejusdem mensis, scribebat :* De invento nuper sacro thesauro nobiscum te gratulaturum, eruditissime Pater confido. VII Idus Decembris *(libellus impressus habet*, die sexta Decembris) dum insignis collegiatæ SS. Joannis et Reparatæ Prior et canonici chori reparationem in elegantiorem formam decrevissent ; et jam operam cæmentarii impenderent, eorumdem dominorum in mentem subiit, corpus S. Reparatæ ibi requiescere posse ; cum id legerint apud Franciottum, et in vetustiore Martyrologio Francisci ei Mariæ Florentinii, et constans traditio sit. Jusserunt [ergo] post majorem aram et sub eadem excavari : dumque at trium circiter brachiorum *(libellus impressus*, brachii circiter) profunditatem effodissent, lapidem marmoreum invenerunt non parvæ magnitudinis cum

exsculpta

AUCTORE P. B.


exsculpta cruce, cui alia superimposita erat marmorea tabula: quo sublato, angustum quidem locum, seu semitulam viderunt vix hominis inflexi capacem; in quam ingressi R. dominus Amedeus, Saminiati Prior et aliqui canonici, in conspectu statim venit parva et quadrata arcula, veris et solidis carbonibus referta, non tamen desuper cooperta, in qua characteres incisi inspiciuntur, qui inferius ad amussim exprimentur.

anno 1714 reperta ex urna marmorea,

65 Deinde huic proxima major arca comparuit; de qua formam et inscriptionem characterum Romanorum in adjuncto folio exactissime, quantum temporis brevitas permisit, delineari curavi: quibus omnibus oculatus testis adfui. Accersito deinde reverendissimo archidiacono Octavio Sardi, generali vicario illustrissimi et reverendissimi episcopi Genesii Calchi, patritii Mediolanensis, ille in artefactam cryptam descendit, et extrahi fecit arcam; quæ cum esset duabus laminis ferreis utrimque munita, ad primum statim contactum in frusta dissiluerunt, rubigine valde corrosæ et consumptæ. Extractam arcam C sericeis chordulis et suo sigillo firmavit, adaperiendam, quando illustrissimo episcopo placuerit, ut inclusa lipsana ab eodem recognita (si quæ erunt, uti speramus) debito cultui et venerationi exponantur. Magno gaudio ego quoque perfusus his omnibus interfui, et tibi statim, præclarissime domine, hæc nuntiare statui..... Pia curiositas nos urget ad introspiciendam urnam, quæ externe habet claram in antica parte characterum Romanorum inscriptionem exsculptam: ab uno latere arbusculam, quam oleæ interpretamur; et ab altero duo vascula, ut in sepulcris Martyrum inveniuntur, quæ fortasse sanguinem intus contineri indicant, martyrii testes; et in eorumdem medio veluti rotunda patina conspicitur, ut in expresso schemate: quid sibi velit, et quale instrumentum sit, adhuc ignoro. Hæc cursim tibi significare volui; et statim atque adaperta fuerit arca, quæ intus invenientur, diligenter rescribam. Vale *etc.* F

cujus hic schema exhibetur

66 *En tibi nunc schema, quod erat inclusum epistolæ, seorsum exhibens vasculum illud marmoreum quadratum, quod inventum est plenum carbonibus, habens in ora seu labio inscriptionem non satis accurate adumbratam; siquidem in eo verba, juxta libellum ante laudatum,* male figurata *debuissent referri* et inæqualiter sculpta. *Huic nulla fuit adscripta mensura. Exhibet insuper urnæ repertæ figuram exteriorem, faciem nempe anteriorem cum inscriptione, ac duo latera cum insculptis emblematis; dorsum arcæ, seu pars ejus posterior, quia cælatum in ea nihil errat, omissa est. Hæc urna longitudine, ut in libello jam dicto notatur,* quinque [*sextas*] partes brachii *adæquat (id est, juxta Florentinium,* palmos duos et digitos transversos quatuor) tres cum dimidio latitudine; duas cum dimidio altitudine.



in eaque, cum aperta fuit.

C 67 *Hunc usque urnam exterius considerandam proposuimus; nunc eam cum eodem Florentinio introspiciamus ex litteris ejus ad eumdem Janningum, datis* VIII *Januarii* 1715: XVII Kal. Januarii, *inquit*, prima hora noctis adaperta fuit arca marmorea, alias descripta, quæ in duos loculos erat divisa intermedio ejusdem marmoris pariete. In dextero cavitatis latere ad duorum circiter digitorum altitudinem inventa est terra quædam nigra, usta, aliquibus minimis carbonibus permixta et exiguis ossiculorum fragmentis ei parvis lapillis ac uno dente candido. Super hæc locatum erat vas vitreum rotundum, cujus unius lateris superior pars effracta erat; neque ullum disrupti vitri fragmentum inventum fuit. In hoc vase requiescebant aliquot sancti Martyris ossa, quæ etiam lota, nigredinis seu ustionis notam servare videbantur, præter unum albidum. Et in ejusdem vasis fundo sub ossibus cum pauca supradictæ terræ portione stagnabant circiter octo unciæ aquæ perspicuæ, saporis et odoris expertes.

ossa S. Pantaleonis,

68 Altera urnæ pars omnino vacua apparuit; sed ex signo seu linea undequaque parietes marmoreos ambiente deduci posset, in ea etiam parte aliquando delituisse ossa vel cineres aut quid simile; et fortasse ossa, quæ a multo tempore in argentea theca clausa fuerint et omnium venerationi in festivitate sancti Martyris exponuntur a plurimis annis. Omnia tamen ossa, tam in marmoreæ arcæ vitro, quam in argentea capsa, efformare nequeunt et constituere mediocris et juvenilis corporis magnitudinem et sceleton, neque majorem partem; ut facile arguere poteris, præclarissime vir, ex infra notandis, quæ apud nos reperiuntur, ossibus. Ossa inventa in arca marmorea, a duobus peritis chirurgis diligenter et fideliter examinata, me quoque teste, sunt infrascripta: F

hic enumerata:

69 Phalanges unius manus, decem et novem disjunctis internodiis constantes: viginti quinque ossa pedum: fragmentum ossis sacri et ossis ilii: septem fragmenta ossium manus, nempe internodium, et sex ossa carpi: fragmentum unius

Auctore P. B.

A nius costæ mendosæ : dens ocularis candidus, inventus, ut supra, in fundo arcæ : os temporum seu petrosum cum auditorio meatu, in duas partes scissum : triginta sex parva fragmenta diversarum partium, nempe scapulæ, ischii, et cranii : octuaginta exigua fragmenta diversorum ossium. In argentea theca, figuris ruditer factis undique cælata, miraculorum et martyrii instrumenta et imagines exprimentibus, et characteribus Romanis et Latinis desuper designatis, conservabantur velis lineis albis holoserico purpureo circumvoluta sequentia ossa : tria frustula cranii simul unita, quæ majoris argentei scuti amplitudinem parum excedunt : inferior mandibula integra cum quatuor candidis dentibus : tres colli vertebræ, et duæ lumbares : caput unius ossis femoris, et fragmentum tibiæ longum, et in duas partes divisum, et exigua aliorum ossium fragmenta. Omnia descripta et enumerata ab episcopatus cancellario, Nicolao Cristofani, et publico instrumento firmata, me quoque interveniente. Enarratæ inspectioni interfuerunt il- B lustrissimus et reverendissimus Genesius Calchi, episcopus Lucensis; archidiaconus Octavius Sardi, vicarius generalis; Amedeus Saminiati, Prior ecclesiæ SS. Joannis et Reparatæ, cum aliis canonicis, et pluribus nobilibus viris.

cujus ibi cultus claruit a seculo x.

70 *Cum hæc scriberet ad Janningum Florentinius, eruditionis paternæ ac pietatis in Sanctos eximiæ nobilissimus heres et æmulus, judicium simul ejus de re tota permodeste exposcebat, atque imprimis, ecquid censeret, satis in his omnibus argumenti apparere, ut reliquiæ jam dictæ non cujusvis sancti* Pantaleonis *martyris crederentur esse, sed solius Nicomediensis. Quod cum ipse omnino sentiret, multa cum in hac, tum in epistola sequenti, data eodem anno die* x *Aprilis, sententiæ suæ momenta Janningo perpendenda suggessit; puta vetustissimam fuisse Lucensium venerationem erga* S. Pantaleonem *martyrem; ad eamque demonstrandam instrumenta plura atque authentica suppetere; ex quibus constet, non solum alias per diœcesim ecclesias titulo hujus Martyris fuisse nuncupatas; sed eam imprimis ipsam, in qua corpus inventum est, appellatam fuisse* S. Pantaleonis *seculis* x, xi, xii : *creditum jam olim in eamdem Sancti corpus delitescere; id manifestum* C *esse ex actis visitationum anni* 1566, *et* 1575 ; *tametsi ignoretur, unde illuc aut quando sit allatum : anteactis temporibus consuevisse supremum reipublicæ Lucensis magistratum festo* S. Pantaleonis *in eamdem ecclesiam, ut rei divinæ assisteret, convenire : in publico palatio super ostium cujuscumque cubiculi excelsissimorum decemvirorum cubitalibus litteris incisa esse nomina sanctorum corporum, quæ in civitate Lucensi servari creditum fuit, et inter alia* S. Pantaleonis ; *in Breviario Ms. hædino bibliothecæ suæ anni circiter* 1300 *ita legi :* vi Kal. Augusti, S. Pantaleonis martyris, Lucæ, duplex minus , *idque characteribus rubris, ut in festivitatibus majoribus :*

Hunc S. Pantaleonem Nicomediensem esse volunt Lucenses;

71 *Hæc autem omnia intelligenda esse de* S. Pantaleone *medico ac martyre Nicomediensi, suaderi primo, quod duo tantummodo SS. Pantaleones MM. noti sint, Nicomediensis videlicet et Vigiliensis; de Vigiliensi autem hæc accipi non posse constet ex Actis Virgiliensibus : secundo, quod de solo Nicomediensi constans Lucæ traditio viguerit : tertio, quod ejus festo in eadem ecclesia Lucense medicorum collegium Missæ celebrationi quotannis interesse consueverit, saltem ab anno* 1630, *facesque cereas largiri: quarto, quod ibidem ab immemorabili tempore (hoc asserit libellus causæ ejus excusus pag.* ii) *in ejus Officio prima Lectio secundi nocturni depromi soleat ex Breviario Romano die* xxvii *Julii : quinto denique, quod solum Nicomediensem ipsæ cum thecis prodant Lucenses reliquiæ, tam nuper inventæ, quam quæ olim ibi publice, ut modo, in arcula argentea die* xxvii *Julii super majorem aram fuerunt expositæ, convenientibus canonicis universoque clero cathedralis ecclesiæ, ac solenne istic Missæ sacrificium concinentibus, ac subinde easdem reliquias osculari solitis : siquidem arcula illa martyrii* S. Pantaleonis *Nicomediensis, et instrumentorum passionis ejus vetustis imaginibus est insignita : inventa autem recentius ibi lipsana cum juvenilis corporis ossa referant, quem nisi* Pantaleonem *Nicomediensem arguant, quem Acta juvenem faciunt? Quid horum nigredo, quid appositi carbones, nisi ustionem denotent corporis, quæ in Actis* S. Pantaleonis *Nicomediensis in fine narratur? Quid olea marmori insculpta; an non illam indicat, ad quam idem* Pantaleon *capite truncatus* E *legitur? Quid vascula duo ex adverso cælata cum orbe cavo, ecquid plumbum liquatum et lebetem aut sartaginem referre videntur, de quibus eadem Acta meminerunt?*

De qua re agitata lis fuit,

72 *In hanc fere sententiam Florentinius scribendo, Janningi, ut modo dicebam, explorabat urgebatque judicium; quo Priori et canonicis SS. Joannis et Reparatæ diu opus non fuit; quandoquidem his præcipue Florentinianis argumentis, sed fusius operosiusque deductis, instructi, causam ipsi suam agere coram episcopo Lucensi cœperunt, itaque adversus objecta omnia probaverunt, ut hanc tandem a judice sententiam obtinuerint die* xxx *Maii anni* 1718 :

coram episcopo Lucensi:

Nos Genesius Calcus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Lucanus, eidem S. Sedi immediate subjectus, et comes ; prælatus domesticus, et sacri Pontificii solii episcopus assistens, in causa vertente inter capitulum insignis collegialis, baptismalis, ac parochialis ecclesiæ SS. Joannis et Reparatæ Lucanæ ex una, et promotorem fiscalem hujus episcopalis nostræ curiæ, in hac parte uti etiam promotorem causarum S. Fidei, partibus ex altera, de, et super reperitione cujusdam capsulæ marmoreæ, ferreis seris obsignatæ, sub ara maxima ejusdem ecclesiæ repertæ, in qua plura ossa inventa fuere, F auditis instantiis pluries ac iterato factis per deputatos ejusdem capituli; visis pluribus publicis et authenticis transumptis et documentis, ac mature consideratis tam facti quam juris allegationibus aliisque juribus, totoque desuper fabricato, diligenter perlustrato, ac rimato processu; audito pluries ac sæpe sæpius, tam in voce quam in scriptis, suprascripto S. Fidei promotore, ejusque animadversionibus bene perpensis; audito unanimi voto et consilio plurium theologorum, canonistarum, aliorumque piorum virorum ad id per nos specialiter deputatorum, in particulari congregatione coram nobis desuper instituta ad relationem patris Ludovici Marracci, Congregationis Matris Dei, atque habita per nos ipsos ejusdem marmoræ capsulæ et in ea ossium inventorum personali visitatione, factaque omnium diligenti observatione, aliisque visis videndis, et consideratis de jure considerandis, sedentes pro tribunali in palatio nostro episcopali in aula publicæ audientiæ.

AUCTORE P. B.

et pro identitate cum reliquiis Nicomediensis Martyris decisa an. 1718

73 Sanctissimi Domini nostri Jesu Christi, nec non beatissimæ semper Virginis Mariæ, ac beatorum Martini, Josephi, Ambrosii, Caroli, Antonii, et Genesii nominibus pie invocatis, dicimus, pronuntiamus, declaramus, decernimus, ac authoritate nostra definitive sententiamus, ossa, de quibus in Actis, et ut supra reperta, esse de sacris reliquiis beatissimi S. Pantaleonis medici ac martyris Nicomediensis, ac de eorum identitate constare, illisque, prout talibus, et ad ejus sanctum corpus pertinentibus, publicum cultum, et venerationem deberi decernimus; facultatemque eidem capitulo easdem sacras reliquias, decenti tamen ornatu, publicæ Fidelium venerationi exponendi, ad Dei majorem ejusdemque S. Martyris gloriam, ac fidelium divina providentia nobis commissorum spirituale solamen, relaxamus, concedimus, et impertimur: speciale festum in prima publica earumdem sacrarum reliquiarum expositione celebrandum decernentes, cujus expositionis, et festi diem per nos ipsos designandum reservamus. Et ita etc., omni etc.

Ita pronuntiavi Ego G. episc. Lucan.

B 74 *Ita libellus jam sæpe laudatus, et publici juris factus; in quo etiam addebantur sequentia:* Pronuntiata supradicta sententia hora vigesima secunda præfatæ trigesimæ diei Maii, præsentibus plurimis, præsertim in ecclesiastica dignitate constitutis, et sacræ theologiæ professoribus et magistris advocatis in testes; universa statim tam secularium quam regularium ecclesiarum civitatis campana æra, in signum pii plausus et publicæ exultationis, per horam fere armonico concentu resonarunt*. *Ceterum nos neque in hac lite, sic, ut vidimus, decisa; neque in aliis, quæ de reliquiis huc usque recensitis vel motæ sunt, vel porro moveri possunt, judicium nostrum interponendum putamus: quam enim certum videri debet, non unius omnes ejusdemque Martyris esse posse, sed plurium; tam est difficile ac temerituti obnoxium, eas inter se velle discernere. Enumerare tamen placuit, quotquot hoc nomine uspiam occurrerunt, ad illustrandam tanti Martyris gloriam, ut quem tot inter se dissitæ gentes non colant tantummodo ac maximi* C *faciant, sed suum insuper esse omnes velint.*

non sine publica civium exultatione.

* *lege* resonuerunt.

VITA ET MARTYRIUM.

Juxta interpretationem Aloysii Lipomani ad textum Simeonis Metaphrastæ Græcum denuo exactam.

CAPUT I.

S. Pantaleonis natales; conditio; conversio tam ejus, quam patris sui, et cæci, quem sanaverat.

Cum idolorum caligo diffusa esset per totum orbem terræ, quando Maximianus tenebat sceptra Romani imperii *a*, tunc cognitus fuit D Nicomediæ admirabilis et magnus inter martyres Panteleémon. Ex ea enim sui generis ducebat originem: et vocabatur quidem Pantoleon: erat autem filius Eustorgii *b*, opibus quidem insignis, impietate autem clarioris: erat enim deditus superstitioni gentilium, et ardenti zelo in eam erat incensus. Erat vero illi mater fidelis, quæ, quod ad religionem attinet, cum marito pugnabat ex diametro: et bene affecta erat Eubula *c* (id enim erat ei nomen) in res Christianorum. Cum a tali ergo matre et magistra bonus educaretur Filius, corporali simul et spiritali ejus privatur nutrimento, lege mortis et communis naturæ, imperfectam et immaturam agens ætatem, cum parum (proh dolor!) esset usus materna illa curatione.

a S. Pantaleonis patria, parentes, educatio, b c

2 Postquam autem vidit pater, cum per ætatem esse aptum disciplinis, tradit grammatico; deinde præceptoribus et institutoribus. Postquam vero fuit in Græcis satis doctus disciplinis, docetur medicinam, in ea arte illo tempore viro excellentissimo, nomine Euphrosyno, traditus in disciplinam. Ille autem celeritate ingenii, tam- E quam avis quædam secans aerem, magna facilitate omnia pervasit, parum indigens eorum, qui eum adjuvarent, laboribus, propter vires ingenii. Sicque brevi æquales omnes a tergo reliquit *d*. Erat autem et moribus modestus, et sermone jucundus, et pulcritudine insignis. Quæ quidem faciebant, ut cum magna voluptate esset in ore omnium, et haberetur ab omnibus in admiratione: adeo ut ipse Maximianus, cum illum aliquando vidisset (ventitabat enim in regiam, sequens magistrum) non silentio præterierit; sed eum accersens, de ipso inquisierit, cujusnam esset filius, et unde; et alia rogaverit: quinetiam præceptori mandaverit, ut eum, quam citissime fieri posset, in omni exerceret medicina: ejus enim moribus et et flore virtutis delectabatur; et statuit illum habere in regia.

disciplina medica, favor apud imperatorem; d

3 Illo autem tempore quidam senex, religione Christianus, nomine Hermolaus, erat absconsus in quadam domuncula cum aliis Christianis (id enim faciebat metus imperatoris;) qui cum videret Pantoleonem euntem ad præcepto- F rem, et externa testa animadverteret celari margaritam, considerans quisnam esset ejus incessus, qui motus, quis adspectus, quanta esset ejus oculorum serenitas et tranquillitas; hæc, inquam, cum ille videret, et (sicut generosum quemdam equum ii, qui tenent harum rerum scientiam, etiamsi sit adhuc pullus, judicant fore optimum; [aut ex tenera adhuc plura arborem aptam ad fructum)] *e* cognovisset per spiritum fore, ut Pauli sententia cerneretur vas electionis, magni ducebat et plurimi hoc faciebat, si talem illam venatus esset animam. Cum enim itaque prætereuntem aliquando accersiisset, rogavit, ut ingrederetur in illam, in qua latebat, domunculam. Ille autem ingressus est. Quem cum prope fecisset sedere, rogavit de genere, et parentibus, et cujusnam esset religionis, et deinceps singula. Pantoleon vero statim omnia refert, ut rei habebat veritas: et quod mater quidem jam esset mortua, quæ erat religione Christiana; pater autem vivens sit mortuus, gentilium sequens superstitionem. Deinde cum adjecisset senex: Tu autem, bone fili, cujusnam vis esse partis, et utrius religionis? Pantoleon vero, Mater quidem, inquit, cum esset adhuc superstes, suasit, ut assentirer ejus religioni, quod quidem mihi placebat:

accessus ad S. Hermolaum, e

A cebat : pater autem, ut sit fortior, cogit me religioni suæ dare operam : vult enim me referre in numerum palatinorum. Quænam vero est ea, cui studes, disciplina? ait senex. Æsculapii, inquit, et Hippocratis, et Galeni : nam hoc quoque visum est patri meo. Quin etiam ipse nobis affirmavit magister, quod si eam accurate didicero, potero curare omnem morbum humanum, et eam, ut fortiorem, objicere cuivis affectioni.

qui religionem Christianam ei suadet,

4 Hermolaus autem ex illius verbis occasione accepta et semine, tamquam pulcherrimum nactus receptaculum, cœpit divinum fidei fluentum in id effundere : Crede mihi, dicens, o optime Adolescens, vera dicenti. Hæc Æsculapii, Hippocratis et Galeni parva sunt, et parum possunt prodesse iis, qui eis utuntur *f*. Quin etiam dii ipsi, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fabula; et leviorum mentium deceptio *g*. Unus autem solus verus Deus est Christus : in quem si credideris, ejus sola invocatione omnes morbos solves et fugabis : qui cæcis quiB dem lucem, mortuis autem vitam, leprosis dedit purgationem : qui eos, qui a Maximiano adorantur, dæmones solo verbo et jussu expulit ab hominibus : cujus etiam vestimenti fimbria, cum eam solum tetigisset mulier, statim stitit canales sanguinis, qui duodecim annos integros fluxerat. Et quid opus est, res illius ducere? perinde enim est, ac arenam, stellas, et aquæ * guttas dimetiri, ejus miracula enumerare et magnalia. Et nunc quoque adest suis adjutor inexpugnabilis, consolans in molestiis, dilatans in afflictione : in rebus, inquam, adversis, et iis, quæ præter nostram voluntatem accidunt, preces minime exspectans, sed præveniens ipsum quoque motum cordis. Quin etiam iis, qui ipsum diligunt, majora, quam ipse fecit, præbens facienda miracula, donat deinde vitam, quæ nullum habet finem.

*Græce, maris

Deo per miraculum concurrente.

5 Hæc verba cum Pantoleon, tamquam bona terra, corde accepisset et abscondisset, credebat, et vera esse judicabat, et ab eis omnino pendebat, et suaviter in eis meditabatur, et dicebat Hermolao, se ea sæpe audivisse a matre, et viC disse eam orantem, et Deum, quem ipse prædicat, invocantem. Volebat autem hæc quoque suo magistro significare. Quotidie ergo ibat Pantoleon ad senem, et se pulchris his fluentis oblectabat, et ad veram fidem paulatim confirmabatur : et ad magistrum quotidie ventitans, non prius domum redibat, quam suas aures oblectasset verbis senis. Aliquando itaque revertens a præceptore, cum parum a via propter usum aliquem declinasset, videt infantem mortuum *h*, quem momorderat vipera, et ipsam belluam prope eum stantem, et veluti ostendentem, quisnam cædem fecisset. Eum ergo, cum id vidisset, invasit timor et secessit paululum. Deinde cum rursus seipsum collegisset, est reversus, et stetit juxta puerum. Judicabat enim, hoc esse sufficiens signum eorum, quæ senex dixerat, si vera essent : Surget enim, inquit, puer ejus verbo, et id patietur bellua, quod ipsi fecit. Hoc ei in mentem venit, et precibus petivit, et simul visus est infans vivus, et bellua mortua, et quæ apud eam erat, ea, quæ intelligentia apprehenditur, bellua multo magis perdita et enecta *i*.

6 Cum ad perfectionem ergo fidei in Christum sic pervenisset Pantoleon, statim adspexit in cælum externis * oculis, et Deo, qui eum vocaverat a tenebris interitus ad lucem veritatis, benedixit cum multa animi tranquillitate. Deinde cum ferre non posset lætitiam, ad senem accedit Hermolaum et exponit id, quod acciderat, et venerandum ab eo petit baptismum. Ille autem (sciebat enim quidnam cuinam largitur) in hoc libenter inservit, et eum, qui erat luce dignus, divino perficit baptismate. Cum vero septem dies mansisset apud senem, poculentis ipsius verbis cor ejus irrigatur, et pinguefit anima, venterque divinis impletur fluminibus. Sicque vixit sub bono spiritu, multis conservatus utilitas et illuminatio. Cum fuisset autem dies octavus, venit ad patrem. Ille vero, Ubi eras, inquit, Fili, prioribus diebus, et me conjecisti in magnam animi ægritudinem? Numquid tibi accidit aliquid præter expectationem? Is vero, Ad quemdam, inquit, ex iis, qui versantur in aula regia, gravi morbo laborantem, profecti eramus ego et magister, et quoniam is erat gratus imperatori, et dignus cujus magna cura gereretur, non erat omnino facile E nobis illinc recedere, sed perpetuos septem dies illic fuimus præsentes, donec ille sanitatem puram est consecutus. Hæc dixit, non dicens mendacium, sed mystice verba dispensans in judicio œconomiæ, non autem mali alicujus consilii causa *k*.

*Ex Metaphraste. Pantaleon baptizatur, clam patre ethnico, * Græce externis internisque*

7 Itidem cum sequenti quoque die venisset ad magistrum Euphrosynum, (quoniam ille quoque eadem interrogavit) ad eum simili usus est excusatione, Pater, dicens, emit ægrum, et me eum jussit, accipere, a quo non est mihi otium discedendi, donec ejus omnia attente inspexero, et iis, quibus oportet, curam illius tradidero. Est enim magni pretii, et qui cum nulla alia potest conferri possessione. Hoc vero dicebat, tacite innuens gratiam divini baptismatis. Porro autem magnum adhibebat studium et diligentiam, ut patrem ab errore abduceret, et efficeret, ut pietati assentiretur *l*; eum, qui ipsum genuerat secundum carnem, ipse per spiritum studens regenerare. Quocirca numquam cessavit ipsum sapienter aggredi, et proponere interrogationes, quæ non facile solvi possent; et sic ejus in falsos deos superstitionem F conari dissolvere. Quanam enim de causa, dicebat, o pater, qui ab initio quidem stabant, nunc adhuc stant, sedenti numquam memores? Quicumque autem rursus sedent, sic manent perpetuo, et numquam visi surgere? Hæc et alia similia pater audiens, hæsitabat in eorum solutione; et jam in sua de diis opinione labascebat, et erat ancipitis sententiæ. Quod quidem videns Pantoleon, Christi nomen magnis laudibus efferebat, et magnas ei agebat gratias, quod patrem suum saltem reddidisset dubitantem, et (quod divinus ait Oseas) cor dividentem. Quocirca nec eum videbat, ut solebat, frequentia et optima offerentem sacrificia.

quem paulatim avertit ab idolis,

8 Cum itaque primo voluisset conterere et destruere patris simulacra, quæ in ejus cubiculo erant multa, se continuit : is enim honorare patrem magni faciebat : dicebat enim : Ego eum potius inducam persuasione, lenitateque et mansuetudine efficiam, ut Christo credat; et sic ambobus ea licebit dejicere. Et ideo is, qui patrem præcepit honorare, illius magnam amplectens pietatem, aptam præbuit occasionem; quæ fecit, ut ejus pater plane et placide crederet : et

et, sanato per miraculum cæco,

Ex Metaphraste.

et procuravit, ut ille magnam sibi pararet mercedem. Hæc cum cogitaret Pantoleon, accedunt quidam, cæcum, qui manu deducitur, adducentes. Cum fores autem pulsassent, rogabant, an adesset Pantoleon medicus. Cum vero adesse intellexissent, exspectabant. Ille autem cum audiisset, cum maximo studio egreditur, patrem quoque simul assumens. Cum autem vidisset cæcum, rogavit, quonam opus haberet. Ille vero, Luce, inquit, qua sum privatus, et qua nihil est hominibus jucundius. Misericordia ergo motus meæ calamitatis, da, ne sic vivam imperfecte, et veluti ex dimidio : sed videam solem, [videam cælum :] nam nos quidem sic viventes, nihil differimus ab iis, qui sunt apud inferos. Et cum facultates omnes medicis præbuerimus, modicum quoque lumen, quod erat nobis reliquum, amisimus ; hoc solum a præclaris illis medicis assecuti, quod cum facultatibus luce quoque simus privati. Pantoleon autem, Cum aliis, inquit, medicis tuas dederis facultates, et B nullam acceperis utilitatem, si rursus adspexeris, quid mihi dabis? Ille vero, Quæ sunt, inquit, reliqua ex meis facultatibus, exsolvam prompto et alacri animo. Deinde Pantoleon, Donum quidem, inquit, lucis per nos tibi dabit Pater luminum : tu autem, quæ mihi es pollicitus, vade, et da pauperibus.

convertit ad Christum, una cum cæco sanato.

9 Hæc cum audiisset pater, eum a cæpto abducebat, Noli, dicens, o Carissime, ne tu etiam irridearis. Quid enim plus poteris, quam priores medici? Pantoleon autem, Nemo, inquit, ex aliis medicis scit hunc hominem tractare, ut ego sum tractaturus. Multum enim interest inter eos, et eum qui nos docuit. Cum putasset autem pater, eum hæc dixisse de Euphrosyno; Illum quoque inquit, Fili, audio in hoc curando suam adhibuisse diligentiam, et nihil profecisse. Pantoleon vero, Exspecta, inquit, pater, et ipsa res indicabit. Hæc cum dixisset, et cæci oculos tetigisset, et magnum Christi nomen vocasset, et ab ipso precibus petiisset illius curationem statim illi quidem oculorum patri, autem solvit tenebras impietatis, et effecit, ut aperte confiteretur pietatem; vel potius cæco duplicem dedit medelam : carnis enim et animæ cæcutiebat oculius, ut qui adorator idolorum, et per lucem jam corpoream apertos cordis habuisset oculos *m*. Ambos ergo, cum credidissent, divino dignatur baptismate, et refert in numerum fidelium. C Sed non eousque sisti poterat Eustorgii studium pietatis, ut qui esset pater magni Pantoleonis : sed apertissime ostendens, se errorem habere odio, cum contrivisset idola, quæ erant in cubiculo, ea jacit in fossam, ut quæ essent oblivione et profundo vere digna.

ANNOTATA.

a *Vide Commentarium prævium* § 2, *num* 23. *Acta Mss. pleraque longum hic parergon texunt de persecutionis Maximiani atrocitate.*

b Eustborgium *senatorem faciunt antiquissima Mss.; filium autem ejus* unicum *fuisse Pantaleonem asserunt Mss. Bertianum, Amandinum, et Audomarense.*

c Eubulæ *nomen Mss. Bertinianum, Amandinum et quædam alia nusquam exprimunt : alia barbare habent* Euvolam Eubolam, Ebulam *etc.*

d *Græce additur :* καθάπερ τὸ Λύδιον ἅρμα ἐκεῖνο πρὸς παιδείαν ἐλαύνων, *hoc est,* tamquam currum illum Lydium ad eruditionem agitans; *qua parœmia significatur celeritas, qua prævertebat æquales Pantaleon : sic apud Plutarchum celer dicitur,* παρὰ Λύδιον ἅρμα πεζὸς ἰχνεύων, qui currum Ludium pedibus assequitur. D

e *Quæ hic nuncis inclusimus, non habentur in textu Græco; sicuti neque cetero, quæ sic deinde notabuntur.*

f *Mss. vetusta sic habent :* Fili, nihil est Asclepius, nec Hippocrates, nec Gallienus, nec ceteri dii, quos colit Maximianus : *quasi vero vel Hippocrates, vel Galenus (quem imperite omnia* Gallienum *appellant) umquam apud ethnicos pro diis habiti fuerint; cum id soli convenerit Asclepio, seu potius, ut Latine dicitur, Æsculapio. Sane vel hinc licet colligere, etiam antiquissima, quæ reperiuntur, Acta* S. Pantaleonis *et a rudi admodum auctore vel scripta vel interpolata fuisse, et diu post obsoletam apud Græcos Latinosque idololatriam.*

g *Textus Græcus addit :* ὠφελεῖν δὲ οὐδὲν τὸ παράπαν δυνάμενοι : nec juvare omnino quidquam possunt. *Sed leves sunt omissiones ejusmodi et interpreti facile condonandæ.* E

h *Percussum et* mortuum *fuisse infantem hunc, pleraque etiam Mss. testantur : Bertinianum tamen, Amandinum, Marchianense, et reginæ Sueciæ tantum dicunt* obligatum *fuisse* a serpente in parte corporis ; *eademque postea Pantaleonem inducunt dicentem :* Crepet hic serpens, et puer liberetur ; *adduntque :* Et continuo serpens crepuit, et puer liberatus est. *Sed enim in eo conveniunt omnia Mss., quod paulo post Hermolao hoc prodigium narrantem* Pantaleonem *dixisse scribant :* Ego autem cognovi hodie, quia non est Deus alius præter Dominum nostrum Jesum Christum, per quem mortui resurgunt: *Innuunt ergo omnia miraculum duplex, suscitati nempe ad vitam pueri, et serpentis interempti; licet utrumque non æque omnia diserte explicent : sicuti nec satis disertus in hac re textus est Anatolii (patriarchæ Constantinopolitani, de quo egimus* III *Julii ; ut post Allatium censet Wangnereckius noster in Prolegomenis ad Pietatem Marianam Græcorum num.* 26 *) in Menæis excusis, ad hunc diem :* Εὗρες, *inquit,* κείμενον χαμερπὲς νήπιον, ὑπὸ ἐχίδνης δηχθὲν, καὶ πρὸς θεὸν εὐξάμενος,.. εὐθὺς τὸν παῖδα ἀνέστησας, καὶ τὸ θησίον διεσπάραξας : invenisti jacentem humi infantem, a vipera morsum, ac Deum precatus, illico puerum erexisti *(vel* suscitasti) et belluam disrupisti. *At ibidem folio verso Theophanes, qui hymnos pangebat seculo* IX, *clare mortuum fuisse ac deinde suscitatum, asserit. Ut ut est, si mortuus re vera nondum erat, certe morti proximus; utpote lethifero, juxta omnes, morsu serpentis ictus et afflatus veneno ; ut vel sic geminatum hic miraculum fateri necesse sit. Cur ergo utrumque in sua Legenda prætermittit Bailletus? Nimirum id homini novo parum verisimile visum est, quod antiqui auctores omnes, qui vel breviter* S. Pantaleonis *attigerunt Acta, posteritati tradidere.* F

i Et quæ apud eam erat *etc. Græca sic habent :* Ὁ νοητόστε παρ' εαὐτῷ θὴρ, καὶ τῆς ἀσεβείας πατὴρ πολλῷ πλέον *etc.* Spiritualis vero, quæ apud ipsum (Pantaleonem *scilicet nondum baptizatum)* erat, bellua, et impietatis pater, multo magis *etc.*

k Hæc dixit, non dicens mendacium *etc. Videtur hic textus Græcus interpretem nostrum, ideoque ab eo quoque tortus ac truncatus est : sic enim legitur :* Ταῦτα εἴρηκεν, οὐ φιλοψευδὴς ὢν, ἀλλ'

A ἀλλ' οἰκονομῶν ἐν κρίσει λόγους· ἔστι γὰρ, ὅτε καὶ τὸ ψεῦδος προτιμητέον, οὐ κατά τι φαῦλον καὶ ἀνελεύθερον σπουδαζόμενον, ἀλλὰ κατ' οἰκονομίαν ἐπαινετὸν προκρινόμενον. *Id est*, Hæc dixit, non amans mendacium, sed dispensans in judicio verba : est enim, ubi mendacium præferendum est, non ex re perversa et illiberali quæsitum, sed ex dispensatione laudabili antepositum. *Quibus verbis commendare videtur auctor mendacium proprie dictum, saltem officiosum, sive quod prosit alicui et neminem lædat; ut ex Patrum scriptis perperam intellectis quidam fecere, apud Raynaudum nostrum in Disceptatione de æquivocatione et mentali restrictione cap.* 2, *num.* 26; *sed quidni* mendacii *nomen hic benignius interpretari liceat per æquivocationem seu restrictionem illam realem, quam ex causa justa licitam esse Theologi docent? Certe in eum sensum adhibitam fuisse etiam a sanctis Patribus vocem illam, ostendit ibidem fuse Raynaudus cap.* 12 : *nec alium hic locus Actorum exigit, ut neque proxime sequens. Ceterum Acta antiqua rem quidem eamdem nar-* B *rant; sed sine hoc episodio.*

l *Textus Græcus hic interserit sequentia* : Χρέος ὅτι μάλιστα δυσαπόδοτον υἱοῦ πρὸς πατέρα· τῆς εἰς τὸ εἶναι δηλονότι παραγωγῆς φιλοτίμῳ ἀποδοῦναι σπουδάζων τὸ εὖ εἶναι, καὶ τὸν κατὰ σάρκα γεγεννηκότα *etc.* Debitum est filii erga patrem redditu difficillimum; si illi, a quo liberaliter accepit ut sit, efficere conetur ut bene sit; eum, qui ipsum genuerat *etc.*

m *Hoc etiam cæci sanati miraculum, tamquam parum verisimile, Bailletus in Legenda præteriit, sicut et cetera omnia. Sed quid hic, obsecro, a veri specie alienum est? Nisi forte quis eo devenerit, ut, quidquid supra naturæ ordinem contigisse narratur, id statuat continuo, non modo verum esse non posse, sed ne veri quidem simile : quod quidem principium homine Christiano est indignissimum. De hoc certe prodigio, ut aliud nihil dicam, dubitare non sinit ecclesia Græca, quæ hujus cæci memoriam in Fastis atque Officio suo, annis singulis, ut post hæc Acta videbitur, celebrare consuevit.*

C

CAPUT II.

Cæci sanati martyrium; constantia S. Pantaleonis adversus idololatriam et tormenta; frequens Christi apparitio sub specie Hermolai.

Cæci aliorumque sanationes miræ medicorum invidiam

Haud ita magnum intercedit spatium, et moritur pater Pantoleonis. Moritur autem morte corporis : nam a morte animæ jam erat omnino liberatus per fidem et divinum baptismum. Quocirca Pantoleon cum invenisset, tempus opem ferre voluntati, famulos quidem liberat a servitute, et eis satis dedit pecuniæ : alia autem habuerunt manus pauperum. Deinde eos etiam, qui erant in carceribus et qui tormentis vexabantur et morbis, circumiens curabat, et ea præbens, quæ erant necessaria : ut non solum morbi videretur medicus, sed etiam egestatis. Qua ex re quidnam accidit? Universa fere civitas, cum alios jussisset valere medicos, accedunt ad Pantaleonem et ab eo liberantur ab iis, quos unusquisque habebat, morbis; ut qui sibi quoque opem ferentem haberet boni spiritus gratiam *a*. Hoc eum apud medicos in magnam vocat invidiam : et cum aliquando præteriret, qui prius fuerat cæcus, cujus videndi facultatis restitutio erat opus pietatis Pantoleonis, ægre ferebant, et inter se dicebant : Non est hic cæcus, qui nostram arguit artem, ut quæ nihil ei profuerit? Quid est ergo is, qui eum curavit, et qui potest talem præbere medicinam? Cumque eum advocassent, rogabant. Ille autem non celavit eum, qui fuerat medicatus.

Ex Metaphraste.

a

et accusationes suscitant S. Pantaleoni;

11 Postquam vero intellexerunt, eum fuisse Pantoleonem, Euphrosyni discipulum; Magni, ajunt, magistri magnus est revera discipulus. Sic ignorantes de Christo prophetabant. Atque quærebatur quidem a medicis occasio propter invidiam, ut de eo detraherent apud imperatorem. Cum autem invenissent, ex confessoribus quemdam ab ipso curari, accedentes ad Maximianum, dixerunt : O imperator, quem tu jussisti omni E studio dicere medicinam, ut esset tuæ potentiæ utilis, is, ut videtur, et metum et benevolentiam tuam parum curans, obit eos medicans, qui sunt in deos contumeliosi, et eadem, quæ illi, non solum sentiens, sed alios quoque ad eadem colenda attrahens; cui nisi cito vitam ademeris, tibi non parvam afferet molestiam; ut qui multos quidem videas ab illo abduci a deorum sacrificio, Christo autem adscribi Æsculapii curationes. Cum hoc dixissent, ad fidem faciendam eorum, quæ dicta fuerant, rogabant, ut accederet is, qui aliquando fuerat cæcus : eum autem curarat Pantoleon. Postquam vero auditi sunt, et is adstitit : Quomodo, dixerunt, Pantoleon tuos curavit oculos? Ille autem, Christo, inquit, invocato : idque cum nec breve quidem tempus mecum esset moratus, ut aliqua cogitatio artis [nobis] posset in mentem venire : sed invocationem propemodum præcessit visio oculorum. Tibi autem quid videtur? inquit imperator : Christum esse dicis, qui te curavit, an deos? Qui vero curatus fuerat, Imperator, inquit, hujus rei judicium est rebus ipsis permittendum. Hi quidem, quos vides, medici, F cum pro me multum laborassent, sibi quidem profuerunt; ut qui meas attonderint facultates *b* : mihi autem nihil, immo vero etiam obfuerunt; ut qui modicam lucem, quam habebam, corruperint. Quemnam ergo oportet existimare adjutorem? Æsculapiumne, qui a multis fuit vocatus, et nihil profuit; an Christum, qui a solo Pantoleone invocatus, caram mihi lucem statim donavit? [Hoc, o imperator, quonam modo aliter dixerim? Nam hoc ipsum est, vel cæco, ut dicitur, evidens.]

b

cæco autem sanato martyrium.

12 Ad hæc Maximianus cum non haberet, quod diceret, et quodammodo solo jussu ei posset persuaderi; Noli, inquit, te stulte gerere, et ne Christum quidem omnino nominare : aperte enim dii tibi lucem donarunt. Is autem ad veritatem, non ad potestatem, omnino adspiciens, et liberius loquens, quam cæcus Evangelii; Tu, inquit, te stulte geris, qui eos, qui sunt cæci, vocas datores lucis, quibus consimiliter tu quoque cæcus permanes, qui talia opinaris, et non potes intueri ad lucem veritatis. Propter hæc tyrannus fuit ita incitatus. Quomodo enim omnino aures, quæ emarcuerunt et corruptæ

Ex Metaphraste.

corruptæ sunt assentationibus, asperiorem, quæ ex veritate dicitur, sustinuerint orationem? Statimque vera esse judicans, quæ ei prius dicta fuerant a medicis, jubet amici Christi caput amputari, pœnam veritatis ei mortem inferens, et invitus efficiens, ut pulcras Christo referret gratias, qui eum curaverat, nempe confessionem. Bonus autem Pantoleon ne sic quidem neglexit ea facere, quæ tempori et rebus conveniebant. Sed cum Martyris corpus emisset ab iis, qui interfuerant, id cum patre suo sepelit; ut qui per suam in Christum confessionem, eum sibi proprium esse duxisset, et cognatione sanguinis eum reputasset longe conjunctiorem.

Tum S. Pantaleon adductus ad tyrannum,

13 Deinde imperator ad se accersiit Pantoleonem. Ille vero cum abduceretur, labris canebat psalmum tempori convenientem : Deus, dicens, laudem meam ne tacueris : quoniam os peccatoris et dolosi in me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et verbis odii circumdederunt me, et oppugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, calumniabantur : ego autem orabam. Et reddiderunt mihi mala pro
B bonis, et odium pro dilectione mea. Sed fer mihi opem, Domine Deus meus, et salvum me fac secundum tuam misericordiam. Induantur, qui me calumniantur, confusione, et amiciantur, tamquam diploide, ignominia sua : servus autem tuus lætabitur in te. Cum finita autem esset ejus precatio, stetit coram rege, aut, ut melius dicam, non coram illo, sed coram immortali, et eo, qui est in æternum : coram eo enim vere stabat, et mente conversabatur. Cui ille primum placide et benigne : Non bona sunt, o Pantoleon, ea quæ de te audivimus, a te magnum quidem esse contemptui habitum Æsculapium, et alios, qui sunt apud te, deos : in illum autem Christum, qui male periit, te tuam spem posuisse, et eum solum Deum nominare. Quamquam non ignoras omnino, quam ego te benignis adspexerim oculis, et quemadmodum, cum ego te in meam adscivissem familiam, præceptori tuo Euphrosyno diligenter mandaverim, ut te quamprimum faceret in medicina præstantissimum, ut mihi ea in re posses esse usui. Tu autem *c*. Sed omnino homines multa falsa dixerint et inania. Et ideo te accersii, ut illa, quæ a me sunt audita, arguan-
C tur esse vana, et invidorum alioqui hominum calumnia; et maximis diis, ut par est, offeras sacrificium.

c

idololatras confundit, veramque fidem probat,

14 Ad hæc Pantoleon; Facta, inquit, o imperator, sunt verbis magis credibilia et fortiora; et ante omnes quidem res alias præcedere oportet fidem et veritatem : in Deum autem pietas, quo est excelsior, eo majori perfectione et absolutione indiget. Atque is quidem, qui a me colitur et adoratur, cælum fecit, terram constituit, mortuos suscitavit, cæcis visum reddidit, leprosos curavit, paralyticos erexit : idque sola voluntate et verbo. Qui autem a vobis dicuntur et coluntur dii, nescio an aliquid tale fecerint, aut possint omnino facere. Et si velis, id nunc re ipsa experiamur. Accedat huc aliquis ex iis, qui laborant immedicabiliter, et quorum curationem desperat ars humana et manus. Accedant autem etiam, qui sunt apud vos sacerdotes. Deinde ab eis quidem sunt primum dii illorum invocandi : a me autem is, quem colo. Et qui nominatus morbum fugaverit, is Deus solus reputetur et colatur : alios autem in malam rem amandemus, eos magna obruentes D
oblivione. Placuerunt hæc imperatori. Erat enim hoc Dei et divinæ ejus providentiæ consilium, ut sic recta fides vel apud ipsos inimicos esset citra controversiam, et in aperto magis vinceret veritas.

paralyticum, quem ipsi non potuerant, statim sanans.

15 Adducitur itaque in medium vir paralyticus, qui jam longo tempore decumbebat in lecto, et qui propemodum non poterat magis moveri, quam qui eum tenebat lectus. Cum itaque accessissent vanorum deorum sacerdotes, et ii, qui versati fuerant in medicina, alii quidem Æsculapium *d*, [alii vero Jovem], alii autem Dianam, alii vero alios deos invocabant, amentes iis rebus supplicantes, quæ mente et sensu carent, et maxime in re tam magna, et quæ usqueadeo superabat naturam. Erat enim æque difficile, et ipsum convalescere, ei videri illorum deos sensu et ratione præditos. Quænam enim adeo muta et levia possunt aliis ullam præbere curationem : ergo nec præbuerunt : sed cum multa petiissent ii, qui dicti sunt, hoc ipsum, quod erant, [nempe lapides] iis, qui rogabant, aperte apparuerunt. Rogantes autem videns Pantoleon, inanem eorum laborem decore E
subridendo, subsannavit. Postquam vero ipse quoque jussus fuit invocare, tollit quidem in cælum oculos, cum iis autem extollit vocem *, et, Domine, inquit, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Ne avertas faciem tuam a me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In qua die invocavero te, [celeriter] exaudi me : et ostende iis, qui te ignorant, et eos, qui non sunt, deos colunt, te omnia posse, o Rex, tua potentia. Nihil est autem, quod a te non possit fieri. Sic dixit; et cum tetigisset manum ejus, qui jacebat, dicit : In nomine Christi, qui erigit eos, qui sunt confracti, esto sanus, et sane utere membris tuis. Dixit, et verbum effectus est consecutus; neque amplius lectus paralyticum, sed ejus pedes sustinebant, audacter ingredientem, et propemodum exsilientem, et statim cum magna voluptate domo egredientem.

d

* Græce διάνοιαν, id est cogitationem

Illi ergo ad ejus necem tyrannum accendunt,

16 Neque vero ad eum usque constitit curatio; sed ipse quidem corpore, multi autem alii animo paralytici, et morbo impietatis enervati, cum vidissent quod factum fuerat, surrexerunt F
et erecti sunt : et postremo, priori errore condemnato, verum Deum coluerunt. [Sic enim Dominus et illuminat cœcos, et scit erigere confractos.] Atque sceleratos quidem sacerdotes et medicos, qui sua sponte erant immedicabiles, non subiit lumen veritatis : sed cum a malis rebus liberari non possent *, ut qui essent iis diu assuefacti, accedentes ad Maximianum, ad iracundiam provocarunt eum adversus Sanctum : Si siveris illum vivere, dicebant, et dii simul tibi peribunt et sacrificia : et aperte fabula, nostra videbitur religio et sacra orgia : Christiani autem nos profuse ridebunt, et res illorum magis florebunt, et erunt nostris multo validiores. Hæc cum dixissent, ille facilem eis aurem præbuit, et paruit. Sanctum itaque accersit imperator, et tamquam escam benignitatis ei imperator porrigens admonitionem : Crede mihi, inquit, Pantoleon, et diis offer sacrificium. An non vides quod quibuscumque non est persuasum, ut facerent quod dictum fuerat, ii gravissima supplicia et mortem habuerunt incredulitatis remunerationem? Horum est testis, qui nuper misere vita

* Gr. vix possent

A vita privatus est, Anthimus ille senex *e*. Ego autem curam gero tuæ juventutis, neque volo te tam male perire : scito enim, fore ut te multa et gravia excipiant supplicia, si eamdem sequaris inobedientiam.

cujus blanditias minasque spernens Sanctus,

17 Pantoleon vero, vitans quidem admonitiones, tamquam apertam fraudem; minas autem contemnens, tamquam ipsis somniis imbecilliores, Ne existimes, inquit, o imperator, fore ut me persuadeas admonitionibus, nec ut me minis terreas. Quid enim me vel ex bonis mundi capiet, vel terrebit ex rebus terribilibus, qui non solum mortem contemno, sed eam etiam optandam arbitror propter Christum? Pro eo autem tormenta tantum abest ut extimescam, ut etiam magnum damnum existimem, si non sint plura et gravissima; et in iis clementiam quavis crudelitate duco esse graviorem. Egregium certe Anthimum, non ut tu miserum, sed valde etiam beatum esse judico, et ejus mortem cuivis vitæ præfero, quod tali fine talem ornavit senectutem, et canitiei
B alborem sanguine cruentavit martyrii. Quod si ille, qui erat tam provectæ ætatis, adeo fortem et constantem se ostendit; me, qui sum adhuc juvenili ætate, quæ non oportet gravia sustinere, ut iisdem, quibus senex, coronis dignus habear? Non ergo persuadebis, non expugnabis, non nos ab hac abduces confessione : non per * sacra mihi et divina signa *, quibus ego factus sum certior de veritate. Patriam enim pudore affecerim, et matris, quæ me peperit, pietatem, a qua in iis, quæ ad pietatem pertinent, pulcre prius fui informatus, et cum qua in æternis tabernaculis propero requiescere. Hæc dixit Pantoleon; et paucis ostendit, qualem virum offendisset is, qui de sceptris et throno se jactabat *f*. Quamobrem cum nesciret, quanam posset ratione persuadere, expertus est per tormenta; quod erat potestatis, non autem sapientiæ et prudentiæ.

* *Gr.* post
* *Gr.* testimonia *vel* martyria

laniatur unguibus et lampadibus aduritur;

18 Et primum quidem in ligno fuit appensus, et ferreis Martyr laniabatur ungulis. Præterea autem ignis quoque lampades lateribus ejus admovebantur. Ille vero non plagis et ustionibus, sed ei, qui potest opem ferre, attendebat, et oculos in cælum tollens, orabat; et ideo statim
C adfuit liberator, et Christus apparens in habitu Hermolai senis, eum vere ac germane consolabatur et recreabat, Ego enim sum tecum, dicens, in omnibus, in quibus propter me patiens, te fortiter geris. [Quod autem adesset, non procul abfuit probatio :] nam simul laxatæ fuerunt manus lictorum, exstinctæ quoque sunt lampades, et a castigando abstinuit imperator, et plane dubitabat, quid ageret. Jubet ergo eum demitti de ligno, non quod misereretur, sed potius quod plane nesciret, quid ageret *g*. Deinde propius accedens, Quænam est, inquit, o Pantoleon, ars præstigiarum, quæ tibi exstinxit lampades, et satellitibus vires et vigorem abstulit? Ille autem, Meæ, inquit, præstigiæ est Christus, qui etiam adest mihi hæc operans. Si ergo, inquit, majora tibi tormenta infligam, quidnam facies? Quid aliud, inquit Martyr, quam ipse quoque majores consequar remunerationes? Audivit improbitas, et voluit experiri : neque enim bonis noverat credere, neque abstinebat a malis.

19 Jussit ergo afferri lebetem ferreum, cui inerat plumbum, ipsumque igne inferne succendi, et in eum Athletam injici. Postquam autem diligenter factum est, quod jussum fuerat, cum duceretur Martyr ad supplicium, rursus orationem, tamquam ad exstinguendum comparatam, et consolationem, quæ satis possit eum refrigerare, sumit in ore, et eam in terribili illo cecinit lebete, Exaudi Deus vocem meam, dicens, dum oro ad te : a timore inimici libera animam meam : protege me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem. Sic oravit, et rursus in forma sancti senis Hermolai Christus ab eo visus est, et lebetem una cum eo est ingressus, et ignis protinus est exstinctus, et plumbum in naturalem mutatum est frigiditatem. Et rursus oratio et psalmus opportune ab eo canebatur : Ego ad Deum clamavi, et Dominus exaudivit me. Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet deprecationem meam.

Ex Metaphraste. inde a Christo apparente liberatus, plumbo liquato immergitur;

20 Atque ex iis quidem, qui aderant, alios omnes cepit admiratio : solus autem imperator valide in suo hæsit errore : qui apud se cogitabat, quonam supplicio Christi puniret Martyrem, et aut eum a pietate traduceret, aut male vita privaret. Cum autem consulerent, qui aderant, ut in profundum maris jaceretur Sanctus, (nam E
etiam post decessum, Christianis ejus invidebant reliquias) audiens imperator, est persuasus; et jubet gravissimum lapidem ejus collo alligari, et sic in mare immitti. Curæ autem fuit ministris, ut cito id, quod eis imperatum fuerat, exsequerentur; Deo vero, ut manum præberet adjutricem ei, qui propter ipsum patiebatur. Quod quidem etiam factum videre licuit. Nam illi quidem cum ad mare venissent, et ejus collo lapidem alligassent, in profundum transmittunt : Christus autem cum in priore Hermolai forma rursus apparuisset, effecit, ut lapis quidem, non secus atque folium arboris, mari supernataret : illum vero, non secus atque magnum prius Petrum, manu deducens, fecit pedibus ambulare super fluctus. Ipse enim, qui redimebat et servabat, ipse erat, cujus in mari viæ, et in multis aquis semitæ et vestigia, ut divinus ait David, non sunt cognita. Ingrediebatur ergo Pantoleon ille admirabilis, et jam erat in littore, laudem contexens ei, qui servaverat, dignam pia illius anima, et rebus admirabilibus. Quem cum sic vidisset salvum præter spem imperator, Quid hoc est, inquit, Pantoleon; mare quoque tuis superasti F
præstigiis? Ille autem, Etiam mare, inquit, fecit, quod jussum est a Domino. Ei etenim cedit mare et terra, et quæcumque sunt, ei magis cedunt, quam tibi imperatori qui nunc ad tempus serviunt.

similiterque liberatus, in mare frustra conjicitur.

ANNOTATA.

a *Antiqua Acta Mss. idem asserunt :* Et cooperabatur in omnibus ei Christus : *videntur adeo sanationes adstrui miraculosæ, quæ ipsi in ecclesia Græca illustre cognomen dederint* Ἰαματικοῦ, *ut supra in Commentario dictum. Bailleti tamen delicata fides appellare eas maluit,* opera caritatis, quorum exercendorum opportunitatem ei dabat sua *(artis medicæ)* professio.

b *Græce additur,* διὰ τὰς ματαίας, φεῦ, τοῦ φωτὸς ἐλπίδας. Per inanes, eheu, spes luminis.

c Tu autem. *Aposiopesis est, seu abruptio sententiæ, quam prolaturus erat.*

d *In Actis vetustioribus Mss. plures dii enumerantur, et quidem eos inter Hippocrates, et in quibusdam etiam Galenus; quod ineptum diximus.*

e *Acta*

Ex Metaphraste.

e *Acta antiquiora in Ms. Bertiniano legunt* Antilus; *in Amandino et Marchianensi* Artemius; *in omnibus vero exemplaribus appellatur* senex, *aut* presbyter; *in nullis* episcopus; *quid si ergo hic alius, nescio quis, intelligatur Martyr, quam Anthimus ille Nicomediensis episcopus, qui initio persecutionis Diocletianeæ, Diocletiani Nicomediæ præsentis, non absentis Maximiani, jussu martyrium fecit? Vide Commentarium prævium* §. 2, *num.* 23.

f *Græce additur* : καὶ ὅτι ἐκεῖνον πείσειν ἐλπίσας, δικτύῳ θηρεύειν αὔρας ἤλπισεν, ἢ αἐτὸν ἑλεῖν ἐν νεφέλαις ὑπεριπτάμενον. Quodque illum sperans inflectere, perinde faceret, ac si reti sperare auras concludere, aut supervolantem nubibus captare aquilam.

g *Additur Græce* : καὶ τοῦ πλείονος τόγε γοῦν (*forte* τοῦ γεγονότος) ὑπὸ τῆς ἄνω χειρὸς εἰργόμενος, Et plus aliquid, quam quod fecerat, facere cælesti manu prohiberetur.

B

CAPUT III.

Aliæ Martyris nostri victoriæ, SS. Hermolai et Sociorum ejus primum, deinde etiam suo condecoratæ martyrio.

Objicitur bestiis,

Ad hæc tyrannus, volens potius male persuadere, quam bene persuaderi et salutariter, jubet omne genus feras produci adversus Virum egregium. Quæ cum adductæ essent, et illum prope statuisset, partim quidem ei metum incutiens, partim autem fingens se moveri misericordia, et in omnem se partem versans, ut persuaderet; Hæ, inquit, o Pantoleon (ei feras ostendens) adductæ sunt propter te et tuum interitum. Si tui ergo ulla moveris misericordia, (ego enim tuæ curam gero formæ et ætatis) velis persuaderi, et videri esse prudens et cordatus, ut qui possis vitam morti præferre, lætitiam doloribus, ignominiæ gloriam C et delicias. Cui Sanctus : Si antequam essem expertus Dei, quam mei suscipit defensionem, a tuis verbis non potui persuaderi; nunc ex quo sum tantum consecutus auxilium, persuadebor? Cur me ferarum crudelitate perterrefacere quæris, o imperator? Qui enim satellitum tuorum ad torquendum paratas manus inutiles effecit et imbecillas, et ignem reddidit frigidum, et plumbum in aquam transmutavit, et ipsum mare constrinxit compedibus, poterit omnino feras quoque mansuefacere, et eas nobis efficere ovibus mansuetiores.

quæ Martyri blandiuntur; quod conversionis multorum est occasio :

22 Cum ergo non parens Christi Martyr, esset pugnaturus cum bestiis, ut qui levius esse reputasset, tradi bestiis, quam adorare dæmones; confluxit quidem universa civitas ad videndum id, quod fiebat; tam pulcrum scilicet Juvenem, et corpore et animo præstantem, qui nihil mali fecisset, male passurum, et feris tradendum bestiis. Abductus est autem Justus, confidens ut leo, sicut canitur, et nihil molle ac remissum intuens, aut quod moveret ad misericordiam. Quomodo enim id erat facturus, cum rursus in conspectum veniret Hermolaus, et juberet eum esse bono animo? Deinde cum bestiæ jam cum Athleta essent congressæ *, sic jubente tyranno, qui ade- D rant quidem, putabant fore, ut Sanctus statim discerperetur, perinde ac si non esset, qui servaret et eriperet : sed de Viro pio non sic statuerat is, qui dicit : Altissimum posuisti refugium tuum; non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et : Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Itaque nec spem fefellit ejus, qui crediderat. Tantum enim abfuit, ut feræ Sancto malefacerent, tu eæ propemodum ne feræ quidem viderentur; feræ, dixi, immo nec, ut semel dicam, animantia ratione carentia, et vi intelligendi privata; sed tamquam prudentia, et ex numero eorum, quæ sunt ratione prædita, cum magna reverentia accederent ad Martyrem, suaviter blandientes, benignaque et medicante lingua pedes tangentes : et alioqui inter se contenderent, quænam prima ad eum accederet, et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, et ei benedixisset.

* Gr. in Athletam immissæ

ideo eas interfici infodique jubet tyrannus.

23 Licebat ergo videre rem maxime novam, [et longe jucundissimam,] homines quidem mutatos in ferarum sævitiam; rursus autem videri feras, tamquam ratione præditas, et credi humanam habere mansuetudinem *a*. Ii certe, qui E aderant, admirati id quod factum fuerat, clamabant : Magnus est Deus Christianorum, qui quidem est solus et verus : et : Dimittatur justus *b*. Quid igitur? Qui vere erat ferus et crudelissimus, imperator iram infert in bestias, et omnes statim tollit de medio, perinde ac eis invidens prudentiam, et non potens ferre earum reprehensionem. Illæ autem cum sic essent interfectæ, multos dies manserunt a nullo comesæ ex carnivoris, Deo in hoc quoque Athletam honorante, et ad pietatem alios hortante : adeo ut cum hoc stultus rescivisset imperator, eas jusserit infodi, sic multis fidem confirmans. Sic ergo dubitans Maximianus, Quid faciam, dicebat, Pantoleoni? Jam enim, ut videtis, multos abduxit a deis. Illi autem, Fiat, ajunt, rota; et ea in altum locum feratur. Deinde cum ei fuerit alligatus Pantoleon, per declive mittatur : accidit * enim omnino, ut cum deorsum feratur, ipse per partes et membra conteratur, et sic malus male pereat. Et hæc quidem illi prompti ad malum inveniendum, et qui nihil æque bene faciebant, ac lædebant. Deus autem, qui semper protegit eos, qui F illum diligunt, ne nunc quidem deserit Pantoleonem : sed eum rursus defendit, sicut carum filium.

* Gr. accidet

Martyrem rota perdere frustra volunt, sed non impune.

24 Atque interim quidem mansit in carcere, donec constructa esset rota. Cum vero ea esset jam constructa, rursus concurrente magna multitudine, utpote quod imperator ipse adesset spectator, alligatur Martyr rotæ, et ipse desuper per declive dimittitur. Et illi quidem psalmus *c* movebat labra, et preces, quæ Potentem vocabant ad auxilium; ille autem protinus aderat, eum confirmans : et ad ostendendam præsentiam, rumpebantur vincula, Martyr relaxabatur, et erat ab omni malo integer. Rota autem non tam contra illum, quam pro illo acta, occidit multos infideles *d* : et sic fit pœna ultrix eo modo, qui dici nequit : et cognoscitur Deus judicia faciens, et Deus ultionum libere agit. Propter hoc timor invasit civitatem, imperatorem admiratio. Et cum esset adhuc crassus vitio, nec posset lucem suscipere veritatis, rogavit Sanctum : Quid hæc sibi volunt? Et quousque ex nostro populo alios quidem a diis abduces, alios autem morti

A morti dedes, ut horum quidem detrimentum patiamur, illos autem etiam nobis habeamus adversos? Deinde etiam rogavit, quemnam habuisset doctorem, et ex quo didicisset Christianismum.

Sistuntur tyranno SS. Hermolaus et Socii,

25 Christi vero Martyr confidenter confitetur Hermolaum; ut qui non posset eum celare, qui non erat angulo dignus et oblivione, sed luce. Cum autem jussisset, ut ei produceretur in conspectum, minime distulit Martyr; ut qui didicisset experientia, qualis esset apud eum lingua et ingenium, quæ facilius capere possent, quam capi. Abiens ergo ille jussus simul cum tribus militibus, quibus credita fuerat ejus custodia, venit in domum, in qua latebat divinus Hermolaus. Quem cum ipse adspexisset, Cur huc venisti, Fili, et quanam de causa? rogavit. Ille vero, Te vocat, inquit, imperator, domine mi senex. Is vero dixit, se hoc scire; quoniam adest tempus patiendi et moriendi pro Christo, ut ipse ei significaverat illa nocte. Postquam ergo
B illi constiterunt ante imperatorem; ille rogavit, quisnam esset, et quod esset ei nomen. Is vero et nomen dixit, et non celavit se esse Christianum. Deinde cum rogasset imperator, an etiam secum alios haberet Christianos: ille, cum esset verax, dixit, Hermippum et Hermocratem, quos habebat. Cum eos ergo jussisset etiam sisti cum Hermolao; ubi affuerunt, Vos estis, inquit, qui Pantoleonem a cultu deorum abduxistis? Illi autem, Eos, inquiunt, qui ipso digni sunt, Christus scit ad lucem vocare. Imperator autem, Missis, inquit, nugis, si vultis ab hac priore culpa absolvi, et iis, qui a nobis amantur, et primos honores a nobis consequuntur, annumerari, efficite, ut ei persuadeatur diis sacrificare. Illi vero, Quomodo, inquiunt, hoc fecerimus, qui primum nobis persuaserimus Christum non deserere, nec surdis simulacris offerre sacrificium? Hæc dixerunt, et sensus et mentis oculos in cælos sustulerunt. Sic precantibus autem apparet Salvator; et totus statim locus agitatur et movetur.

et. contritis idolis, damnantur capitis:

26 Emotæ autem re vera mentis imperator dicebat, deos indignatos movisse terram. Cui Martyres prudenter admodum et fortiter; Si contigerit, ipsos quoque deos tuos, inquiunt, una
C cadere? Nondum finita erat oratio, et quidam ex ministris imperatoris accessit ad illum, nuntius calamitatis, Dii, dicens, o imperator, ceciderunt et contriti sunt. Sic illi terribiles et terram quatientes, jacebant in terram dejecti tristi casu, iis, qui non erant æque cæci et plane lapides, ridiculi. Atque alius quidem, qui vel parum habuisset prudentiæ, et non ei sola forma obstaret, ne aperte crederetur esse pecus, Deum verum agnovisset, et qui posset hæc facere: sed non ille; qui quantum melior evasisset, et quantam utilitatem ex pietate percepisset, statim ex rebus ipsis aperit: statim enim tres illos Sanctos, *e* postquam eos multis affecisset suppliciis, damnat capitis. Magnum autem Pantoleonem interim mittit in carcerem. Atque Martyrum quidem sic interfectorum corpora curæ fuit Christianis tollere, et ea, ut par erat, sepelire.

quæ sententia, post elusas tyranni artes,

27 Pantoleonem autem cum imperator vocasset e carcere, Putasne, inquit, te posse vivum meas manus effugere, si non accedens prius diis sacrificaveris? Idque cum doctor tuus Hermolaus, Hermippusque et Hermocrates id, quod bonum est, mutati jam didicerint, et diis sacrificium obtulerint, qui etiam a nobis obedientiæ acceperunt remunerationem, ut sint primi in palatio? Si ergo tu sacrificaveris, eorum pulcram imitatus mutationem, tunc videbis, Pantoleon, quam ego, qui sum gravis in puniendis iis, qui non parent, sim liberalis et munificus in benefaciendo iis, qui parent. Hoc autem dicebat maligne et malitiose (quod attinet, inquam, ad Sanctos) ad illi persuadendum *f*. Quomodo enim; quos jam ante interfecerat? Sed ut * inescaret eum, qui a Deo illuminabatur. Quamobrem nec latere potuit: sed, Eos ipse quoque videam, inquit, o Imperator, ante tuam adstantes faciem. Maximianus autem nondum cessans fraude agere, (posuit enim ipse quoque spem mendacium, ut dicam cum magno Esaia, et statuit se mendacio tegere) Non adsunt hic, dixit, sed aliqua necessaria de causa missi sunt a nobis in aliam civitatem. Martyr autem, Vel invitus, inquit, verum dixisti, cum diligas mendacium: sunt enim nunc in cælis, degentes in civitate Dei.

Ex Metaphraste.

f

** Gr. sed ut exemplo*

fertur etiam in S. Pantaleonem; sed executio mire suspenditur,

28 Cum vero nullum non movisset lapidem, E lapidum adorator: videret autem, cum nihil de sua remittere constantia, et neque cedere assentationibus, nec verborum suasionibus, nec donorum promissis, nec suppliciorum minis, neque aliquo alio ex iis, quæ vel delinire, vel perterrere possunt, abduci a pietate, ubi eum adhuc flagellis vehementer cecidisset (non quod speraret se aliquid posse efficere, sed ut expleret suam animi libidinem) ut gladio mortem subiret, eum condemnat: et deinde post mortem pulcrum corpus igni mandari: is, inquam, condemnat, qui æterno igne vere erat dignus. Ducebatur itaque Athleta ad locum consummationis, commissus manibus lictorum. Quo quidem cum venisset, et esset ejus animus plenus gaudio, (sciebat enim, ex quibus afflictionibus quales eum essent excepturæ voluptates) psallebat hoc Davidicum: Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam: Dominus juste concidet cervices peccatorum. Deinde facit hic quoque Deus miraculum non minus prioribus miraculis. Oleæ enim plantæ cum alligant, collum autem ejus quidam ense ferit. Statim autem ferri quidem conversa est acies, ceræ similis: mansit autem collum, sicut F erat ab initio, sectionis nullum penitus habens signum.

donec vult. non jam Pantaleon, sed Panteleemons

29 Ea de causa tremor invasit occisores, et accedentes ei fiunt supplices, quem prius existimabant ne dignum quidem esse apud eos vivere: cujus etiam pedes speciosos prehensantes, quid non dicebant, quid non faciebant, audaciæ petentes veniam, et in Christum fidem aperte confitentes? Ille autem non solum, quod ad se attinet, remittit, sed etiam eis a Christo perfectam petit remissionem. Quamobrem vocem quoque audiit de cælis confirmantem, consummanda ea, quæ petiverat: eumque non amplius esse vocandum Pantoleonem, sed Panteleemonem. Res autem, dicebat ea vox, nomini conveniet: plurimi enim per te consequentur misericordiam. Hanc vocem cum ille audiisset, et de iis, quibus dignus erat habitus, certior factus esset; conversus, jussit lictores facere, quod eis imperatum fuerat. Illi autem renuebant, et judicabant, hoc esse minime tolerandum. Cum vero instaret Martyr, ut facerent, quod a tyranno eis imperatum

Ex Metaphraste.

ratum fuerat, aperte dubitantes, et quid facerent ignorantes, seipsos utrisque dividunt, nempe pietati, et sancti Viri jussui. Et cum omnia prius membra essent deosculari, quamque eum revererentur et colerent, satis testati essent, beatum ejus caput deinde ense amputant *g* vicesimoseptimo Julii. Quod quidem, ut arbitror, non potuissent, si ille non annuisset, ut qui nollet a martyrii magna dignitate excidere.

quando sanguis pro lacte fluit; et olea fert fructus.

30 Suntque rursus miracula miraculis consequentia, eo, qui glorificabatur, glorificante eum, qui propter ipsum hæc pati delegit. Lac enim fluxit protinus pro sanguine, et planta oleæ, cui fuerat alligatus, conspecta est tota fructu onusta. Quod quidem cum venisset ad tyranni notitiam, jubet plantam exscindi, et corpus Martyris igni tradi, sicut etiam prius jusserat *h.* Atque milites quidem, qui crediderant, non amplius reversi sunt ad imperatorem, *i* cum condemnantes magnæ crudelitatis; et quod Magi Herodi fecerunt, B imitantes: Deum autem, et ejus Martyrem perpetuo glorificabant. Quinetiam cum quidam fideles convenissent in eo ipso loco extra civitatem, in quo Martyr subiit consummationem, sacrum illud corpus in suburbano cujusdam scholastici (erat autem ei nomen Adamantius) sacrosancte deponunt: In gloriam Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cui est una divinitas, et regnum: cui convenit honor et adoratio in secula seculorum, Amen.

ANNOTATA.

a Homines quidem mutatos etc. *Græcus textus sic habet :* Ἐπεὶ γὰρ τοι αὐτη τοὺς ἀνθρώπους ὑπῆλθε κακία, ὥστε ὁμοῦ καὶ ἀλόγων αὐτοὺς ἄνοιαν καὶ ὠμότητα θησίων ὑπερβαλεῖν· τὴν μὲν ἐν τῷ μὴ σέβεσθαι τὸν πεποιηκότα, τὴν δὲ ἐν τῷ τιμωρεῖσθαι τοὺς αὐτὸν σεβομένους· ῴκκονόμησεν ὁ τα πάντα μετασκευάζων θεὸς ἔμπαλιν τοὺς θῆρας οἷα λογικοὺς ὀφθῆναι, καὶ ἀνθρωπων ἡμερό τητα μιμουμένους οὐ ψεμδεῖς ὄντας τῆς ἐκείνων κακίας, κρὶ τῆς αὐτου ἀφράστου μακαριότητος μάρτυρας. Quandoquidem talis homines malitia subiit, ut rationis expertium inscitiam, et crudelitatem superarent ferarum; illam quidem, non C colendo Creatorem suum; hanc autem, colentes eum cruciando; contra vero Deus, qui omnia disponit, effecit, ut belluæ tamquam compotes rationis viderentur atque hominum mansuetudinis imitatrices, testes utique minime vanæ tum illorum perversitatis, tum ineffabilis ipsius beatitudinis. Illi certe *etc.*

b *Acta antiquiora Mss. hic addunt :* Et occidit rex in illo die ex eis, qui clamabant, mille homines; *in quo consonant omnia exemplaria; non omnia tamen in eo, quod sequitur :* Quidam et bestiis projiciebantur; nec eos tangebant bestiæ... Homines autem, qui mortui sunt, Christiani occulte sepeliebant. Rex autem jussit fodere fossam magnam, et illuc mitti bestias simul cum hominibus. *Quibus, amabo? Iisne, quos jam Christiani occulte sepelierant?*

c *Eadem Acta Mss. hic recitant partem non exiguam Psalmi* 85; *quod in Actis interpolatis solenne est.*

d *Non videtur Metaphrastes rem ausus scribere, ut legerat; utpote non creditu tantum, sed etiam conceptu difficilem : sic enim habent Acta antiquissima :* Et rota recurrens occidit de gentilibus animas quingentas.

e *De* tribus *illis* Sanctis *agemus, postquam de* S. Pantaleone *dixerimus quod superest. Observa interim, in Actis antiquioribus vario modo corrupta legi nomina* Hermippi *et* Hermocratis : *Ms. Bertinianum habet :* Hermenpius et Hermogrates : *Amandinum;* Ermipus et Ippocrates : *S. Antoninus Hist. part.* 1, *tit.* 8, *cap.* 1, § 27 *legit,* Herumpus et Hippocrates; *Alii aliter; nonnulla tamen recte; sed in eo conveniunt vetustiorum illorum Actorum omnia exemplaria, quod ambos fratres fuisse asserant.* D

f *Græce durat huc usque parenthesis, non recte hic versa :* (ὅσα πρὸς τὸ πεισθῆναί, Φημι, τοὺς ἁγίους.) Πῶς γάρ; (Quantum, inquam, ad obedientiam pertinet Sanctorum.) Quomodo enim? *supple* obediissent tyranno.

g *Itane vero; id milites* in Christum fidem aperte confitentes *fecerint; et quidem jubente Martyre? Atqui id Acta etiam vetustiora habent omnia. Interpolata sunt igitur; et quidem hoc loco turpiter.*

h *Acta antiqua narrant, jussos id fuisse a tyranno milites; et quidem alios, quam qui necem intulerant Martyri : hi enim* milites noluerunt hoc facere, contemnentes præcepta regis propter visionem et vocem, quam audierant; *ut additur in Ms. S. Salvatoris Ultrajectino, et in codice nostro † Ms. 74. Mombritius vero aliter legit, et novum profert miraculum :* Venientes autem milites, fecerunt sicut jussit: et tamen apponentes ignem ad sanctum corpus, divisus est ignis in duas partes. Et illæsum eum aspicientes, glorificabant Deum... et sepelierunt eum in eodem loco, ubi decollatus est. Acta sunt hæc in Nicomedia civitate quarto Iduum Juniarum. *Hunc diem mortis alibi non legimus : cetera tamen habet etiam Hilarion monachus in supplemento ad Legendam Jacobi de Voragine, Mediolani excuso anno* 1494, *fol.* 66. E

i *Consonant antiqua Acta in Mss. Bertiniano et Amandino; nisi quod addunt de iisdem militibus :* Sed reliquias corporis ejus (S. Pantaleonis) cum cinere tulerunt et sepelierunt in eodem loco, ubi decollatus fuerat. *Sed ab omnibus aliis plane dissonant codices illi, unde appendicem hic subnexam proferimus, ut eam legenti patebit. Porro de ea quid sentiamus, in Commentario diximus* § 2, *num.* 22.

F

APPENDIX

De conversione et martyrio militum, qui S. Pantaleonem extremo supplicio affecerunt.

Ex Ms. S. Salvatoris Ultrajectino et aliis duobus codicibus nostris membraneis.

Milites per miracula S. Pantaleonis conversi,

Illos autem milites, pro quibus oravit beatissimus Martyr, jussit [imperator] sibi præsentari; quibus et dixit : Quam insaniam passi, noluistis adimplere præcepta regis vestri? Nescitis, quia in mea potestate est vita vestra? Et mox responderunt et dixerunt : Mortificare per malitiam

A tiam patris tui diaboli habes potestatem; sicut et ille semper adversarius et homicida generis humani fecit ab initio : vivificandi autem nec habes potestatem, nisi * Dominus Christus; qui propter plasma suum induit carnem de sancta Virgine, ut a carnalibus vitiis nos liberaret, et a vanissimis culturis idolorum, in quibus tu cæcatus videris, quemadmodum usque nunc et nos. Sed ipse Creator et Pastor bonus vocavit nos per famulum suum Pantaleonem, qui etiam spatam in cervice ejus redegit, et, sicut ceram, duplicavit : et audivimus vocm cælestem, eum invitantem ad regnum claritatis, et vidimus plantulam, quomodo sub momento tantos fructus exhibuit, et de sancto et venerabili ejus corpore pro sanguine lac inundaret.

* pro sed

capite truncantur.

32 Ad talia ergo signa et prodigia quis non crederer? Ita nos et tibi similes vis esse; qui tantum vidisti fieri per Dei servos, et obcæcatus et amens factus non intellexisti tuum Creatorem? Unum noveris, quia non excusabilis eris B in die judicii Dei, et reus et confusus accipies cum patre tuo diabolo sententiam æternam, et nullam misericordiam consequeris; quia, sciens omnem veritatem, exstitisti Deo adversarius, et tantas multitudines Christianorum interfecit gladius jussionis tuæ. O miser et caduce! Aliis acquisisti vitam æternam et immarcescibiles coronas; tibi autem mortem æternam et incessabiles cruciatus. Impiissime, quod responsum daturus es Creatori tuo; qui tibi concessit hoc regnum temporale? Quia audisti et vidisti cæcos illuminatos et paralyticos continuam sanitatem recuperasse. Et cum hoc audisset rex, furore nimio repletus, jussit eos gladio consumi. Quod et adimpletum est; et acquisierunt coronas martyrii simul omnes a justo Deo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

MIRACULA

S. PANTALEONIS MARTYRIS,

auctore anonymo monacho S. Pantaleonis, ex antiquo ejusdem cœnobii Ms.

C

CAPUT I.

Sanguis ejus prodigiosus Constantinopoli; apparitiones et beneficia varia.

Sanguini Abelis comparatur sanguis S. Pantaleonis,

Omnipotens Deus, cujus natura bonitas, cujus essentia suavitas, conditionem humanæ miseriæ miserans ante legem, sub lege, sub gratia, miraculis, prædicationibus quidquid mortale creavit, ad immortalitatem vocans, clamare non cessavit, dicens : Venite, filii, videte * me : timorem Domini docebo vos. Hujus vocis præconia primus omnium protomartyr Abel sanguine suo dedicavit; cum inopertus ad Dominum clamavit. Testis etiam hujus præconii sub lege Prophetæ exstiterunt, cum quibus locutus est Deus, et ostendit eis secreta sua : quorum alii secti, alii lapidati, alii diversis mortibus consummati sunt. Verum quid de tempore gratiæ dicemus; ubi tantos testes Christi invenimus, ut nobis dies prius deficiat, quam eorum laudes aut gloriosa mortis certamina enarrare valeamus? Inter quos gloriosissimus martyr Pantaleon Christum beata effusione sanguinis glorificans, sic a Deo sublimari meruit, ut cum sanguine Abel justi sanguis ejus, marito visibilis signi, clamare videatur : Terra, terra; non operuisti sanguinem ejus, neque invenit locum in te latendi clamor ejus.

* audite

EX MS ANTIQUO.

CPoli in ampulla anniversario prodigio celebratus,

2 Nam quid in Constantinopolitana urbe per meritum sanguinis hujus sæpe memorandi Patroni nostri gestum sit, hodie ab incolis præfatæ urbis memoratur, et in generationes generationum futuræ posteritati transmittitur. In eadem namque urbe sanguis hujus gloriosi Martyris Christi in ampulla perlucida magnæ, ut dignum est, venerationi habetur, discolor, id est candidus et rubicundus, et, ut manifestius dictum sit, partim candidum lac, partim rubicundus sanguis *a*. Servant hæc duo mirabiliter justas a Domino suæ positionis annuas vicissitudines; ita videlicet, ut, si præcedente anno rubicundus superius parebat, anni sequentis initio descendat, E et superius appareat candidum lac, descensurum nihilominus anno redeunte; ut superne fulgeat pretiosa sanguinis gloriosi purpura. Fere numquam hæc alternatio cessat, magna cum laude et gloria Domini nostri Jesu Christi prædicans Martyrem ejus beatissimum; cujus meritis nec rosæ nec lilia desunt, cujus candor virgineus, cujus rubor martyrii sanguineus semper renovandis proficit Dei omnipotentis laudibus.

quod semel intermissum cruentum prælium portendit. *b*

3 Semel tantum nostra memoria, regnante Michele imperatore *b*, qui nuper decessit, cessasse perhibetur hæc descensionis alternatio; ut vice sua non descenderet sanguis, sed permaneret superior anno toto sequente, ut fuerat anno præcedente : fuit autem annus idem totus præliorum sanguine cruentus, Christianis ejusdem imperii contra paganos vicinos dimicantibus quos vulgo nos latini.. ncenates *c* dicimus; antiquo autem nomine Massagetas dici solitos plerique suspicantur. Tanto denique cædes exstitit, ut de illis, Christo suis auxiliante, fere nullus, qui in certamen venisset, superfuerit; consumptaque est multitudo incredibilis. Tunc animadversum est F hujusce rei, tanti tamque admirandi prælii, fuisse hoc signum, quod rubor sanguinis pretiosi superior persistit, ac vice sua non descendit. Et quis ignoret, illam tanti sanguinis effusionem et inimicorum Christi cædem ad illam pertinuisse vindictam, quam propheticus in psalmo reposcit spiritus, dicendo : Vindica sanguinem servorum tuorum, qui effusus est? Quis ergo non miretur Dei omnipotentis magnificentiam, qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt? Laudemus igitur magnificentiam ejus, qui nobis tanti Patroni donavit merita; ut ipsius recolentes festa, ejus intercessione sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

Haroldus rex ... in ... tus ab ...

4 Omnipotens Deus, signorum ac miraculorum opifex, rarius quidem nostris temporibus signa virtutesque per Sanctos suos operatur; quia videlicet nos frigidi, cælestia minus curantes, majorem, quam patres nostri vel Apostoli, Martyresque sancti, de terrenis consolationem habemus. Siquidem et ante nos hinc veraciter dictum est, quia Ecclesia persecutionibus crevit, martyriis

EX MS. ANTIQUO.

martyriis coronata est: postquam autem ad Christianos principes venit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor effecta est. Verumtamen sunt quædam nostra ætate per hunc beatissimum Martyrem misericorditer, secundum nomen ejus, quod est Pantaeleymon, impensa, non dubiis auctoribus notitiæ nostræ tradita; quæ ad laudem Domini præsenti sermone vivaci memoriæ commendare non pigeat. Aroldus, gentis Russorum rex *d*, qui, dum hæc scribimus, adhuc superstes est, urso in se insiliente præventus, scisso ventre, et usque ad terram profusis vitalibus, pene exanimis sic jacebat, ut spes vivendi nulla superesset. Paululum quippe dum esset intra silvarum lustra; qua nescio pro causa, secesserat a comitibus, atque ita urso, ut jam dictum est, insiliente, cum nec arma præsentia tunc haberet, nec solatio quisquam adesset, bestiali ferocitate præventus atque discisus est. Ad clamorem ejus velociter quispiam accurrit, et bestia quidem perempta, sed regi nimium tarde subventum est. Delatus ergo inter manus
B ejulantium, lectulo imponitur, nihil aliud, nisi ut extremum exhalaret spiritum, cunctis exspectantibus. Universis deinde ob quietudinem exclusis, sola mater lectulo assidebat, mente conscissa; quia videlicet ejusmodi scissuras filii sui mente integra videre non poterat.

ob apparente S. Pantaleone repente sanatur.

5 Interea dum per dies aliquot, desperata salute, finis exspectatur; cum saucius ille neque videret neque audiret, quid circa se ageretur, cunctis pene sepultis corporis sensibus; ecce, astitit illi adolescens scitus, visu dulcis, et vultu serenus, qui et medicum se profitebatur. Nomen quoque suum edidit; Pantaleonem sese nuncupari; domum etiam Coloniæ sibi esse, satis familiariter innotescit. Causam deinde subjungit, cur advenisset, Tuæ, inquiens, sanitatis gratia nunc adveni. Sanaberis, et hodie sanitas corpori tuo prope est; dolor et mors, medicante me, procul aberit. Porro mater, quæ assidens quasi mortis excubias tristes exhibebat, hoc a filio rege dudum postulare cœperat, quatenus cum pace et amore ejus Jerosolymam sibi proficisci liceret. Dum ergo is, qui pene mortuus jacebat, visum ejusmodi colloquiumque accepisset, repente oculi patefacti sunt; memoria rediit; motus linguæ et vox faucibus accessit; ma-
C tremque agnoscens, visa retulit; quæ dicta sibi fuerant, enarravit. At mater, Gida nomine, jam dudum Pantaleonis et nomen et meritum agnoverat, et ejus, quæ in honore ejus Coloniæ Christo servit, sanctæ congregationis soror ut esset, liberaliter promeruerat. Cum igitur hæc audisset, revixit spiritus ejus, et loquente filio, mater suscitata est, et erumpens in vocem lacrymasque præ gaudio, Ille, inquit, Pantaleon, quem vidisti, o fili, Dominus meus est; et, ecce, salus tibi a Domino cum tali Patrono reddita: ergo ut ego Jerosolymam, te non obsistente, proficiscar, in proximo est. Quid multa? Eadem die juvenis quidam adest, medicinæ artem profitens, per omnia similis illi, quem in visione rex ille viderat; et, adhibita cura, mortuo sive desperato vita rediit; et mater fidelis peregrinationis votum gaudens adimplevit.

Mulier a marito crudeliter mutilata,

6 Aliud item nostra ætate virtutis insigne cælestis jam Medicus iste taliter operatus est. Materfamilias quædam dives ac nobilis de gente Anglica, viro priore mortuo, nuptias secundas infeliciter subierat: nam qui illam duxit, confestim amore in odium nequiter converso, utpo- D
te barbarica crudelis tyrannide, cunctis abstractis opibus sibique retentis, rejecit a suo consortio male concupitum corpus. At illa laudabiliter operari noverat; atque opificio manuum vitam inopem consolabatur, pene nullius indigens, quamvis spoliata cunctis, quæ possederat. Vivebat ergo, suamque infelicitatem utcumque sustentabat. Sed ingens odium, præsertim ex amore inordinato degeneratum, quid non faciat? Invidit ille barbarus, non jam maritus, sed diabolus, mobilesque feminæ digitos ad operandum compotes permanere non sufferens, ferro appetiit, venas lacertorum conscidit, nervos dissolvit ac dissecuit. Ita barbarice femina disrupta, nihil reliqui jam præter mendicitatem habere poterat: quippe quæ ad suos reverti propinquos, vel ab ipsis videri, miserabiliter erubescebat.

voto facto, sanatur; violato, punitur.

7 Cum taliter deperisset; ecce, adest in somnis divinæ miserationis opifex speciosus juvenis, medicum se esse profitens, nomine Pantaleonem, gratia Christi martyrem. Si ergo, inquit, sos- E
pitatem recuperare desideras, vove quod libet; et voti tui præmium salus præsto est. Iterum atque iterum hoc modo præmonita, perpetuam ab esu carnium vovit abstinentiam. Mox evigilans, sensit, nervis ac digitis virtutem redisse pristinam, et in omne opus, quomodo voluit, facultatem solitam obtinens, quod voverat, servare instituit. Taliter consolata, non multo post ad cognationem suam regressa est. Post aliquantum temporis cognatis ejus celebre convivium fuit, et hæc interesse non dubitavit. Cum autem pranderent, copia ciborum, quibus illi post votum vesci licebat, defuit. Rogata est, quasi pro caritate, vesci carnibus appositis; et acquievit. Quid multis morer? Nocte insecuta Juvenis idem, qui supra, jam severior assistens, En, inquit, transgressionis rea facta es. Circa te Dominus suam virtutem ostendit; tu autem levitate feminea votum tuum facere irritum non timuisti. Itaque et sanitas a te refugit, et, ecce, ut eras, impotens atque inefficax permanebis. Dixit, et evigilantem illam in ea, quam ante dudum contraxerat, debilitate reliquit. Hoc facto gloriosus Martyr venerando firmavit exemplo, id quod ait psalmista: Vovete, et reddite Domino Deo nostro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera. F

Pauca de multis miracula, post allatas Coloniam reliquias facta; e

8 Postquam per reverendissimum et vere Deo dignum archiantistitem divum Brunonem, fratrem imperatoris Ottonis, cognomento Rufi *e*, cum magno honore ad nos pignora sanctissimi Pantaleonis martyris essent translata, multifarie longe lateque multisque modis signorum privilegiis Dominus dilectum sibi Testem mundo declarare dignatus est, illius, ut opinor, non immemor sponsionis paternæ, per quam ei polliceri dignatus est, dicens: Non diceris ultra Pantaleon; sed Pantaeleymon, quod interpretatur omnium miserens; quia videlicet plurimos liberaturus eris a præsentis vitæ periculis et ab æterna damnatione: denique tu eris portus naufragantium, tribulantium susceptor, ægrotantium medicus, dæmonum effugator *f*. Hæc ergo, charissimi, signorum privilegia frequenter Dominum complesse, sæpiusque frequentasse per merita beatissimi Martyris, uti nobis per nostros persæpe innuitur, perspicuum est, qui et hæc videre præsentes meruere: ex quibus pauca pro modulo nostro, utpote quosdam flosculos decerpentes,

A cerpentes, ad laudem Martyris, et ad profectum præsentium et futurorum, memoriæ commendare dignissimum duximus.

inter quæ est claudi cujusdam

9 Quidam igitur claudus, omnibus corporis artubus destitutus, omnique virtute privatus, ut vix manibus a terra reptare valeret, ad patrocinium Martyris per sustentationem cognatorum est delatus; ubi a fratre, cui suscipiendorum pauperum cura fuerat credita, satis charitative susceptus, in quoddam habitaculum, in quo luminaria divinis Officiis efficiebantur, est collocatus, quod in latere sinistro ejusdem ecclesiæ situm fuerat, in quo loco nunc oratorium pulcherrimum miro opere consistit fundatum; ubi etiam per aliquod temporis spatium humane tractatur. Hic ergo quamquam omnibus corporis artubus esset piger et destitutus, tamen sanctæ devotionis ardore jejuniis, vigiliis et obsecrationibus continue vacabat, nocturnalesque vigilias persæpe præveniebat; et se admirabilem et laudabilem cunctis exhibebat: eique pro suæ devotionis fervore, ut eo expeditius absque ulla formidine orationi incumberet, valvas templi fratres aperire solebant B statim.

sanatio mirabilis et lepida; g

10 Cumque quadam nocte ex more venisset, regiamque tintillaret *g*, et fratres, assiduitate illa permoti, aperire sibi diutissime remorarentur, illeque, ut consuetus fuerat, pernox ibidem ante regiam templi orationibus incumberet, ecce, quidam adolescens sibi astitit, veste ornatus, facie decora, simillimus beato martyri Pantaleoni, cujus forte ante formam in picturis recognoverat; qui ei sustentacula sua, quæ manibus gestare consuevit, distraxit, eaque a se eminus projecit; et ex oculis ejus evanuit. Tunc ille dira voce exclamans (nam nimia formidine perculsus fuerat) cunctos fratres perterruit; eisque ad se singillatim currentibus cuncta, quæ sibi acciderant, enarravit; conquerens, quod sibi sua sustentacula diripuisset. Cumque fratres misericordia moti, ejus sustentacula quæsissent, ecce, isdem cum eis currere cœpit, quasi ad quæritandum fratribus suppeditaturus. Postmodum vero accersitus ad fratres, et de perpetrati signi auctore diligentius requisitus, Non cujuscumque, inquit, Sancti, sed beati Pantaleonis mar- C tyris meritis, cujus patrocinia sedulus flagitabam, donatus sum sospitati. Tunc fratres, rei veritate agnita, laudibus condignis Dominum extulerunt. Et idem, ob recordationem tam eximii signi, formam suam in pavimento ejusdem Martyris [in] choro ex parvis lapidibus manu propria composuit, suaque sustentacula, postmodum inventa, in quadam linea ante aram ejus suspendit, et in servitio beati Martyris et fratrum per multorum temporum curricula, laudans Deum, permansit.

ANNOTATA.

a *Hujus rei monumentum aliud nullum nobis occurrit, præterquam hic, et in Menologio Basilii imperatoris, cujus textum Latine versum habes supra in Commentario prævio* § 1, *num.* 4. *Quamquam ibi nihil dicitur de annua illa ac prodigiosa lactis et sanguinis vicissitudine.*

b *Quantum quidem ex scriptoris hujus ætate licebit conjicere infra num.* 12, *non videntur hæc alium spectare Michaelem, quam Palæologum, qui seculo decimo tertio imperium Constantinopolitanum Latinis eripuit: nam qui seculo undecimo imperarunt, nimis antiqui apparent: tametsi, quæ hic narrantur, nihilo magis de Palæologo Michaele legerim, quam de prioribus.* EX MS. ANTIQUO.

c *Erat initium hujus vocis ita maculatum, ut ne divinari quidem potuerit, quid fuisset: neque lucem afferunt* Massagetæ, *qui olim ad Oxi fluvii, ex Oriente in mare Caspium fluentis, fontes habitarunt.*

d Aroldum, *sive* Haroldum *aut* Haraldum *Russiæ regem nullum novimus; Daniæ quidem et Norvegiæ plures fuerunt; sed nullus occurrit, in quem congruere noverimus hanc historiam. Erant sane in apographo nostro menda plurima, imperitissimum amanuensem manifeste arguentia. Dubium ergo est, satisne hic etiam fidelis fuerit.*

e Rufi *seu* Rubei *cognomentum* Othoni *secundo, Othonis magni filio, inditum fuisse, Cuspinianus aliique probant: non hujus tamen frater, sed patruus fuit Bruno archiantistes; per quem pignora* S. Pantaleonis *Coloniense cœnobium obtinuit; ut supra dictum in Commentario prævio* § 4, *num.* 43. *Vel hinc argue, scriptoris hujus ætatem procul ab iis rebus ac temporibus remotam fuisse, in quibus adeo peregrinum se prodit, cum ad monasterii sui historiam proprie spectent.* E

f *Textus hic citatur ex Actis antiquioribus Mss.*

g Tintillaret, *frequentativum est a* tintino, *id est pulso.*

CAPUT II.

Aliæ ejusdem apparitiones et beneficia, itemque pœnæ ejus cultum negligentium.

Item liberatio dæmoniaci.

ALiud quoque insigne miraculum apud nos celebratum est; et operæ pretium credimus, etiam hoc in paginis texere, quod multorum relatione et memoria recitatur: quia, etsi de re terribili in relatione metus est, in ædificatione fit fructus. Quidam igitur subregulus *a*, ex provincia Saxonum exortus, divitiis fretus, omniumque rerum mundanarum affluentia sublimatus, a sævissimo hoste arreptus, per multorum temporum curricula atrociter et hostiliter est cruciatus. F Cumque fama virtutum beati Pantaleonis ubique volitaret, eamque cognovissent de cœtu procerum, quos gloria rerum reddebat superos variusque decor specierum, qui et ejus coævi et affines fuere, corde credentes ad justitiam, quod videlicet nonnullis dono suæ largitatis impertiret, huic quoque exoratus non abnueret; consilio cum parentibus deliberato, catenis constrictum ferroque oneratum ad memoriam Patroni nostri detulerunt, sicque ante aram ejus locaverunt. Cumque ex rogatu cognatorum reliquiæ Martyris adducerentur, ecce, ipse dæmon moram pati nesciens, non sustinere prævalens, quo ad eum deveniret scrinium Martyris, hominem instanter vexare cœpit; eumque a terra aliquantulum sursum suspendens, una cum vehiculo, in quo ligatus fuerat, de gradibus, per quos ad aram ascendebat, præcipitem dedit; ibique dæmon per secessum corporis egrediens, hominem quidem incolumem, sed, ut eum vere decuit, fœdissime dereliquit. Cumque homo ablutus atque refectus fuisset, catenas propriis manibus ante aram Martyris suspendit, ejusque se domi-

nio

EX MS. ANTIQUO.

nio mancipavit; et in patriam regressus, pallium Martyri satis utile, annuatimque censum, quousque superfuit, per suos fidelissimos transmisit, ob indicium videlicet suæ sospitatis.

Helmwardhusienses monachi Sancti festum negligere volentes. b

12 Dignum etiam duximus memoriæ commendare, quod in Saxoniæ partibus, in cœnobio quodam Helmwardeshusim *b*, ejusdem ecclesiæ fratre referente, audivimus. Hæc enim ecclesia, ab antiquitate priorum familiaritate fraternitatis conjuncta ecclesiæ nostræ, ad roborandam ejusdem fraternitatis stabilitatem, memoriam sanctissimi patroni nostri Pantaeleymonis agere decreverunt, ecclesiaque nostra tradente, historiam gestorum ejus cum cantu melodiæ canendam susceperunt. Verum, quia posteritas minorum sæpe abolere solet statuta majorum, ad perpetuandum tam salubris statuti decretum, totius capituli consensu firmatum est, ut post laborem divini servitii tam solemnis diei fratribus, ad refectionem venientibus, præter solitum, aliquod charitatis impenderetur solatium. Sed religiosis, qui hæc instituerant, de medio sublatis, refrigescente charitate majorum, per negligentiam procuratorum subtractum est eisdem fratribus statutum charitatis solatium.

B

de cælo terrentur.

13 Quod fratres sub taciturnitate transeuntes, jam quarto anno dissimulare nolentes, cum in vigilia beati Pantaleonis audissent, se nihil solatii ob tanti festi memoriam recepturos, decreverunt unanimiter, se nequaquam sæpe memorandi Patroni nostri celebrare solempnia. Veniente itaque vespertinali tempore, cum quotidiana compulsatione Vesperas feriali more celebravere. Cumque canticum Euangelii, scilicet « Magnificat anima mea Dominum » decantarent, subito aëre sereno tanta fulgura tonitruaque micuere, ut nemo fratrum in sedibus suis auderet subsistere. His in hoc timore positis, subita percussione tonitrui omnis ecclesia concussa est; sed et quædam pars altaris scissa apparuit. Nam cum universa, vi tempestatum, concussa viderentur, inter hos angustiarum motus præcentor ejusdem ecclesiæ reminiscens, ob injuriam Sancto Dei factam tali eos turbine quassari, emissa voce in excelsum, antiphonam « Adest beati Pantaleo- « nis festiva solemnitas » decantare cœpit: cui universi applaudentes, vespertinale Officium condigna modulatione ob devotionem hujus pii Patroni nostri solempniter peregerunt. Nec mora, universa turbatio tempestatum conquievit. Sicque factum est, ut majori veneratione cum frequentarent, cujus meritum apud æternum Regem sic excelsum judicarent.

C

Miles moribundus, suadente Sancto, c

14 Nec prætereundum existimo, quid virtus divina per merita hujus sancti Martyris in Argentina *c* civitate operari voluerit. Fuit itaque in præfata urbe miles quidam beato Martyri continue in eleemosynis, in orationibus, ceterisque bonorum actibus, pro possibilitate sui affectus, devotus: hic die quadam urbe egressus, prope muros civitatis ab hostibus suis circumventus et letali vulnere percussus est: qui cadens in terram, cum deficiens, jam jamque exanimis, jaceret, videt beatum Pantaleonem, cui devotum famulatum semper exhibuerat, vultu venerando, veste sericis auroque radiante, capiti suo assidentem, et leni tactu manuum vulnera ipsius contrectantem, caputque, in quo letale vulnus acceperat, quod quasi per medium sectione divisum videbatur, manibus suis medentem: cui inter cetera dixit: Dispone statum rerum tuarum, et præcipue quæ ad longi itineris viaticum pertinent; ne subito subtractus, ante præsentiam ipsius, cui rationem operum tuorum redditurus es, immunitus assistas. Quo percunctante, quis esset, qui tanta beneficia præstans sibi loqueretur, hæc ab eo audivit: Ego sum, inquit, Pantaleon, qui sanguine meo Christum in terra glorificavi; et, quia obsequium servitutis, quod mihi semper devotus exhibebas, condigna gratitudine aspexi, nunc ad consolandum te gratia ipsius adveni.

D

munitus Viatico decedit e vita; sistiturque judicio,

15 Socii itaque ejus, qui fuga lapsi, tristem amicis ipsius nuntium in urbem apportaverant, cum sacerdotibus et multitudine plebis egressi, deficientem et pene exanimem invenerunt. Ubi continuo sacerdotis unctione, et vivifici corporis et sanguinis Domini perceptione, confessione pure præmissa, munitus est. His itaque gestis, et multitudine circum sedente, et finem ipsius præstolante, elevatis oculis, respiciensque in populum, Cur, ait, beatum Pantaleonem, quem præsentem aspicitis, condigna veneratione non honoratis? Quibus circumspicientibus et hæsitantibus: Nequaquam, ajunt, Sanctum, quem dicis hic esse, perspeximus. Et ille cum stupore, Numquid, ait, non videtis, quanta claritate vultus, quantoque decore vestium ornatus capiti meo assidet, et corpus meum graviter vulneratum misericorditer fovens, consolationem mihi præstat, ne timere debeam? Et hæc dicens, mirantibus universis, oculis cum reverentia demissis, mundi miserias relinquens, hominem exuit. Qui cum magno luctu ab amicis et cognatis de loco elevatus, manibus bajulorum in urbem delatus est, ibique condigno honore, ut talem hominem decuit, terris commendatur.

E

*ubi eodem intercedente, obtinet facultatem amicis apparendi, * id est, Panteleemon*

16 Post decessum itaque ipsius ad tribunal judicis adductus cum suo sanctissimo Protectore advenit. Et ille pius Omnium miserens *, genibus terribilis Judicis submissus, hominis illius salutem sibi dari petiit. Cumque a Præsidente responsum esset, nequaquam id fieri posse, majori instantia beatus Martyr hominem hunc sibi dari postulavit. Sed Judice in sententia persistente, propius ille sanctissimus Patronus accedens, Recordare, inquit, Domine, vulnerum meorum, et sanguinis mei pro tui nominis gloria effusionem, et hominem hunc mihi concede, ut ob memoriam nominis mei glorificetur nomen tuum in gentibus. Cui Dominus pia voce ait: Faciam quod petisti: judicii sententia per triginta dierum spatium differatur; in cujus temporis spatio facultatem habeat amicis suis apparendi, et ipsos petendi, ut ea, quæ ad salutem æternam sunt, pro eo incessanter agere studeant.

F

eorumque suffragia postulandi,

17 His induciis ille acceptis, et a judicio regressus, amicis et cognatis, per visum et manifeste, die ac nocte, in urbe, in domibus, in campis et silvis frequenter apparebat, dicens, qualiter per intercessionem sanctissimi martyris Pantaleonis induciis acceptis, eos commovere per se permissum sit. Unde, ait, miseremini, o amici, et de hereditate et rebus meis reddite universis, quibus teneor, debita, ne propter querelas eorum, diebus acceptæ dilationis transactis, manus Domini cum terribili sententia *d* tangat me; et eleemosynis et orationibus Missarumque celebrationibus mihi, dum potestis, succurrite; quia locus petendi non erit, cum in sortem mortis, cujus debitum solvi, transieritis. Sic per triginta dierum spatium amicis et cognatis

A cognatis apparens, pro se fieri orationes et ea, quæ spectant ad salutem, assidue exorabat. Nec dubium est, quin, transactis induciis, suffragio misericordis Patroni et pii Protectoris veniam invenerit, cui concessum est, ut ejus meritis vinculis carnis exutus, opera justitiæ, quæ minus vivens impleverat, per amicorum suffragia, eis apparendo et colloquendo, consequeretur.

Puella morbo caduco misere torta,

13 Fuit quidam vir, secundum mediocritatem vitæ admodum dives, competentem sibi sortitus uxorem, ex cujus conjunctione filiam susceperat, cui nomen Gertrudis in baptismo datum est. Hæc annorum circa septem traditur, ut moris est, cuidam religiosæ personæ erudienda, quatenus puerilis ætas disciplinis mancipata, minus, quam assolet, insolesceret. Primum igitur litterarum elementis instruitur, deinde tenorem Davidici carminis studio sagaci edocta est. Quæ dum aliquamdiu in his versaretur studiis, inscrutabili omnipotentis Dei judicio morbo ca-
B duco percussa est: et primo quidem vertiginem capitis grassantem sentiens, tota postmodum in mentis alienationem perducta est: quod ejus magistra advertens, parentibus causam tristi nuntio indicavit. At illi huic nuntio non facile credendum arbitrantes, renuntiant, quatenus cœptæ operam doctrinæ circa filiam sine hæsitatione exsequatur. Puella tamen per temporum intervalla levius habere visa est; sed rursum, invalescente morbo, importunos clamores dentiumque stridores emisit; adeo ut magistram in stuporem verteret vehementem. Ubi autem rei veritas parentibus innotuit, dissimulatum prius dolorem renovarunt; ægram, a magistra receptam, propriis laribus adducunt, infirmitatis qualitatem exploraturi. Nec mora, puella in conspectu eorum horrido gestu infremuit, moreque lunaticæ huc illucque debacchando ac vociferando collabitur, miserum intuentibus spectaculum exhibens. Erat autem morbi passio valida; ita ut sagittæ, cælitus missæ, sicut ipsa fatebatur, in eam infigerentur, et crura invisibiliter ei præcidi viderentur. Adeo namque amens effecta est, ut, nisi ei sedula adesset custodia, aquis se quocumque repertis præfocasset: fusum etiam quadam die manu tenens, guttur transfigere nisa
C est; reliqua membra simili crudelitate, si sineretur, debilitatura.

et ope S. Cornelii tantisper sanata, sed subinde relabens.

19 Tunc parentes ejulantes, ad basilicas et patrocinia Sanctorum illam deducendam decreverunt, quatenus eorum meritis ægram suam omnipotens Deus sanitati restitueret. Adeuntes autem basilicam beati Cornelii *e* in villa, cui vocabulum est Inda, pro ea ibidem misericordiam Domini et patrocinia sancti Cornelii implorabant, plurimos præ doloris et affectus immanitate lacrymas effundentes. Interea puella debiles artus erigens, ægritudinem suam per merita sancti Cornelii sensit levigari, votisque peractis, domum cum parentibus et delatoribus reversa, in tegram sanitatem adepta. Parvo post hæc tempore emenso, pristinæ invaletudinis molestia recruduit, miseramque puellulam lues recidiva tantis passionum ludibriis subjugavit, ut primam infirmitatem acerbitate sui superaret. Quid ergo miseri parentes facere, quid moliri possent, ignorabant. Medicorum etiam opem adhibentes, nihil contra hujusmodi infirmitatem profecerunt.

20 Mater vero audiens de beato Pantaleone martyre, quod multis per ejus merita Christus auxiliaretur, lacrymis suffusa, ad eum preces assiduas gemitibus delegavit, quatenus filiæ suæ cruciatibus benignitatis suæ clementia mederetur. Vovit insuper, si optatam consequeretur sanitatem, triginta continuis diebus nudis plantis laneisque induta ejus basilicam adiret. Talibus votis mulier prælibatis, sæpius Martyrem pro filia solicitabat; et, ecce, appropinquante festo ejusdem Martyris, cum illa quadam nocte somno quiesceret, astitit ei sæpe dictus Patronus, et ait: Ut quid me, mulier, tantopere solicitasti? Surge, et ad monasterium meum cum filia progredere: aderunt ei per me Dei beneficia. Expergefacta mulier, intellexit munus divinum; veniensque cum filia ad basilicam Martyris, pro sanitate ipsius grates Christo ejusque Martyri reddens, vota supradicta solvit, et tam evidens miraculum fratribus indicavit.

ex ms. antiquo. ab apparente tandem S. Pantaleone valetudini restituitur.

Apud Vivarienses peculiari cultu agitur Sancti festum, f

21 In episcopatu Vivariensi *f* quædam villa, Sisicha nomine, sita est; cujus accolæ festivitatem beati Pantaleonis, omni servili opere postposito, condigna celebritate venerabantur. Quæ festivitas ex antiquorum devotione et ex diutina annuæ venerationis observantia apud eos in con- E suetudine habebatur; ut quasi ex legali traditione usque ad hæc tempora inviolabiliter duraverit. Sed, sicut posteritas sæpius antiquas institutas observantias infirmare consuevit, quodam anno unus prædictorum accolarum instinctu diaboli in die beati Martyris, parvipendens ritum celebrationis illius, vicinis et contribulibus ex more ipsa die celebrantibus, præcepit mancipio suo, quatenus jumenta loris astricta vehiculo conjugaret; [et] ad colligendam messem pergeret, ipse quoque ad eamdem operam ejus vestigia sequi non erubescens. Videntes autem vicini, tantam hominis præsumptionem irreligionis arguentes, improperabant ei, dicentes: Venerandam sancti Pantaleonis solempnitatem cum ceteris te oportuit celebrem ducere; et, ecce, absque verecundia et respectu Christi ejusque Martyris ad messem invisus prævaricator properas. Digna temeritati tuæ ultio debetur, qui hodie Sancto Dei derogare, et homines tuo facto exasperare non vereris.

quod quidam violans, igne cælesti punitur.

22 Hæc et similia illis referentibus, prævaricator ille, similis aspidi obturanti aures suas, velocius pertransiit; agrorumque suorum confinia nactus, totum diem in messis collectione F transegit. Vespertino vero tempore, dum jam revertit, quasi rebus consuluisset, statueret, ecce, in medio itinere fulgurei ignium globi, cum ingenti tonitruo in vehiculum redeuntis illati, illud cum messe ac jumentis concremarunt, ut nulla combustorum vestigia remanerent. Quæ res dum præfatis accolis, qui ei divinam ultionem proficiscenti imprecati fuerant, divulgata innotuit, majori devotione circa beatum Pantaleonem profecerunt, ejusque festivitatis celebritatem Dominicæ diei æqualem habendam statuerunt.

ANNOTATA.

a Subregulus, *id est princeps regiæ propemodum potestatis. Cangius.*

b *De cœnobio* Helmwardeshusano, *sive Helmershusano, Ordinis S. Benedicti, in diœcesi Paderbornensi ad fines Hassiæ olim sito, at nunc diruto, agit Schatenus noster in Annalibus Paderbornensibus ad annum Christi* 998, *quo conditum illud*

EX MS. ANTIQUO.

illud fuisse tradit, ac subinde anno 1012 *una cum templo consecratum a S. Meinwerco. Hinc de auctoris hujus ætate utcumque licet conjicere : agit hic enim de antiquissima suo tempore fraternitate inter utrumque cœnobium, Pantaleoniticum scilicet, quod suum vocat ; (unde professionem ejus intelligas) et Helmershusanum : atqui hæc fraternitas iniri non potuit ante seculum undecimum, ut ex primordiis Helmershusanis palam fit ; et inita forte est multo serius : non videtur ergo hic scriptor ad idem seculum undecimum posse referri, sed potius ad posteriora, duodecimum nempe, vel potius decimum tertium, et quidem adultum ; cum de* Michaele *Græcorum imperatore meminerit* nuper *defuncto.*

c Argentina, *seu Argentoratum, vulgo Strasburg, notissima est urbs et caput Alsatiæ.*

b *Cave, hic intelligas sententiam æternæ damnationis : hujus enim reatum nulla cujusvis ope extra statum viatoris positus abstergere quisquam potest.* Sententiam *ergo* terribilem *appellat eam, qua se diutissime a conspectu divino remotum ac piacularibus flammis addictum iri, jam noverat; nisi vivorum suffragia intercederent ; quibus salus quidem justo mortuo accelerari potest; injusto obtineri non potest.* D

e S. Cornelii *Papæ et martyris cœnobium, vulgo Cornelimunster, ab imperatore Ludovico Pio fundatum est Aquisgrano haud procul, ad* Indam *rivulum , unde et* Indense *dicitur. Adisis Annales Benedictinorum tom.* 2, *lib.* 28, *num.* 24.

f *Est episcopatus Vivariensis in Occitania, archiepiscopatui Viennensi suffraganeus, ad Garumnam fluvium.*

DE CÆCO S. PANTALEONIS

B

ITEM DE SS. HERMOLAO PRESB., HERMIPPO ET HERMOCRATE MM.

E

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

In persecut. Diocletiani. Colitur hodie a Græcis Cæcus S. Pantaleonis:

Sancti Pantaleonis martyrium, ut modo vidimus, quatuor saltem alia decorarunt; quorum etiam in sacris Fastis memoria celebratur ;* Cæci *videlicet, cui visum restituerat ;* Hermolai, *a quo Christiana fide fuerat imbutus ; et sociorum ejus* Hermippi *atque* Hermocratis; *quos omnes, tametsi ante S. Pantaleonem occubuerint, hoc tamen loco reponimus, quod horum notitia ex Actis illius repeti debeat. Ac de* Cæco *quidem hoc eodem die commemoratio adjicitur in Menæo Chiffletii Ms., cujus talis est annuntiatio : κζ' Παντελεήμονος 'Ο Τυφλὸς αὐτοῦ : Die* XXVII *(Julii)* Pantaleemonis. Cæcus ejus. *Menæa magna excusa Officio S. Pantaleonis hæc interserunt* Τῇ αὐτῇ ἡμερᾳ ὁ ὑπο τοῦ ἁγίου Παντελεήμονος ἰαθεὶς Τυφλὸς ξίφει τελειοῦται : Eadem die Cæcus a sancto Panteleémone sanatus martyrium consummat: *Tum duos hosce versiculos subjiciunt :*

Αὐγὴν ἐφευρὼν σαρκικῶν Τυφλὸς λύχνων,
καὶ ψυχικὴν ἤθροισεν αὐγὴν ἐκ ξίφους.
Lucem assecutus corporis Cæcus, simul
C Ab ense lucem spiritus cæsus tulit

Neque de illo amplius quidquam occurrit. Ejus Acta peti debent ex Actis S. Pantaleonis supra a num. 8 *usque ad* 13.

ut Hermolaus et Socii pridie :

2 Hermolai *vero et Sociorum ejus cultus multo est illustrior, neque in ecclesia solum Græca, sed ubique vulgatus. Apud Græcos Officium habent cum Officio S. Parasceves permixtum die* XXVI *Julii, ut videre est in Menæis impressis ; ubi annuntiantur his verbis :* Μηνὶ τῷ αὐτῷ κς', τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἑρμολάου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. Eodem mense *(Julio)* die XXVI, sancti ac sacri martyris Hermolai et Sociorum ejus. *Consonant Typicum S. Sabæ, Horologium Cryptæ Ferratæ, Anthologium Arcudii, ceteraque fere, quæ pro S. Pantaleone in Commentario prævio* § I, *num.* 2 *citata sunt. Menæa tamen magna sub finem Acoluthiæ repetitam eorumdem memoriam hoc elogio exornant :*

Ἑρμίππος, Ἑρμόλος, ἠδ' Ἑρμοκράτης
Ἑρμῆν σέβοντας ᾔσχυναν παῤῥησίᾳ.
Hermippus, Hermolaus, Hermacrates sua
Constantia fregere Mercurii asseclas.

Allusio est ad nomina singulorum Martyrum, quæ cum ducta sint a voce Ἑρμῆς, *quæ Mercurium significat, usque adeo tamen iis reipsa non congruerint, ut ipsos etiam, qui Mercurium venerabantur, idololatras liberrima Christianæ religionis confessione pudefecerint. Subditur ibidem Actorum narratio brevis ; quam, quia non rebus tantum, sed fere etiam verbis consonat cum illa, quam ex Synaxario Basilii imperatoris Græce dedimus ad calcem tomi primi hujus mensis, hic prætermittemus, unum pro gemino vertisse contenti : Sic ergo Latine sonat Synaxarium pag.*696 *exhibitum:*

Horum elogium ex synaxario Basilii imp.

3 Eodem mense, die XXVI, certamen sancti hieromartyris Hermolai ac Sociorum ejus. Hermolaus hieromartyr; et qui cum eo erant, Hermippus et Hermocrates, presbyteri fuerunt ex clero Nicomediensis ecclesiæ, residui e viginti Sanctorum ab impio Maximiano in æde sacra exustorum millibus, et in quadam domuncula latitantes. Postquam autem apprehensus sanctus Panteleemon, sceleratoque Maximiano in quæstionem datus, de Hermolao dicere coactus esset, ubi delitesceret, et locum (ut qui nesciret mentiri) indicasset, comprehensi sunt et ipsi Hermolaus, Hermippus, et Hermocrates : cumque vincti sisterentur tyranno, Christum intrepide confessi sunt; idolaque ludibrio habita proscidere convitiis, miseros esse dictitantes, qui fiduciam in iis aliquam collocarent. Quamobrem post varios cruciatus capite plexi sunt, peractoque certamine, regnum indissolubile vitamque sempiternam adepti. *Ita Synaxarium Basilii, cui consonant, ut jam dixi Menæa impressa; imo et Menologium Sirleti apud Canisium ; quamquam hoc illis aliquanto succinctius est.* F

An sacerdotes fuerint; an fratres.

4 *Observa porro ex dictis* I. *Non eamdem diem apud Græcos horum Martyrum memoriæ consecrari, quæ assignatur celebritati S. Pantaleonis; ut modo fit apud Latinos.* 2. *Antiquam esse Orientalis ecclesiæ traditionem de sacerdotio non Hermolai dumtaxat, sed etiam Sociorum ejus ; licet Sociis illum titulum non adscribat Nicephorus Callistus lib.* 7, *cap.* 14, *sed soli Hermolao addat* τῷ ἱερεῖ, *hoc est,* sacerdoti, *non* episcopo, *ut perperam vertit interpres.*3. *Neque in hoc elogio, neque in aliis, quæ proxime citavi, neque in odis eorum*

A *eorum in Menæis, neque in Actis Metaphrasticis S. Pantaleonis, neque apud Nicephorum, tres hos Martyres, aut saltem duos eorum, appellari* fratres; *ut a Latinis appellari, mox ostendemus.* 4. *Denique quod* residui *fuisse dicantur ex* viginti millibus Sanctorum in ecclesia combustorum, *id non ita necessario intelligendum esse, ut ipsimet inclusi in eadem ecclesia fuerint: nisi quis velit iis tribuere, quod de solo Anthimo episcopo Menæa tradunt et Synaxarium Basilii, eum scilicet ope divina, postquam omnes in eadem ecclesia jam obsessa baptizasset, evasisse, ut plures Christo lucrifaceret. De incensa autem cum Christianis ecclesia Nicomediensi vide Nicephorum Callistum lib. 7 cap. 6, vel Annales Baronii ad an.* 301; *nobis agendum de hac re erit die* XXV *Decembris, quo sacrum illud Martyrum agmen in Martyrologio Romano annuntiatur; licet eos Græci celebrent die* XXVIII *ejusdem mensis. Quod autem Græce* viginti millia *fuisse narrentur, numerus, credo, certus pro incerto et magno usurpatus, more satis usitato, fuerit. Verum de hoc* B *alibi.*

Latini eos hodie celebrant.

5 *Fastis Latinis solus primum adscribi cœpit* Hermolaus, *ut patet ex Martyrologio Romano veteri Rosweydino, quod ante medium seculi octavi collectum putamus; ubi* VI *Kal. Aug. legitur:* Nicomediæ Harmolai presbyteri; *neque quidquam additur. Solum etiam toto posterius seculo Wandelbertus annuntiat ad eumdem diem, hoc versiculo:*

Presbyter Hermolaus sexta martyrque coruscat.

Solus etiam comparet apud Adonem, qui eodem die sic habet: Apud Nicomediam natalis sancti Hermolai presbyteri; cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem conversus est: qui tentus a Maximiano, capitali sententia ob confessionem Christi punitus est. *Adoni congruit Notkerus: non item Usuardus ad illum diem: hic enim tres simul Pugiles in aciem Sanctorum producit hoc modo:* Nicomediæ, beatorum martyrum Hermolai presbyteri, Hernempi et Hermogratis fratrum; qui post multas pœnas sibi illatas a Maximiano imperatore, capitali sententia ob confessionem Christi puniti sunt. *Usuardum exprimunt Martyrologium Belini ac modernum Romanum; nisi quod in hoc nomina corriguntur* Hermippi *et* Hermocratis, *quæ in illo, quam apud Usuardum, corruptius legebantur* C Herenepi et Hermogenis: *utrumque ab Usuardo differt et aliis antiquis, quod eodem die* Hermolaum *proponat et Pantaleonem; cum veteres Martyrologi die* XXVII *de primo tantum agant, postridie de secundo, idque more Græcorum quidem servato, sed non die; cum hi diem* XXVI Hermolao *et* Sociis, *sequentem vero Pantaleoni tribuant.*

Reliquiæ S. Hermolai Venetiis. Acta qualia sint.

6 *Reliquiis* S. Hermolai *ecclesiæ variæ gloriantur; sed præ omnibus ecclesia S. Simeonis, vulgo Majoris, in urbe Veneta; utpote quæ corpus ejus, Nicomedia translatum Venetias, urna marmorea conclusum asservet; ut asserunt Nicolaus Doglioni in libello Italico de mirabilibus Venetiarum pag. 346, Ughellus in Italia sacra editionis novæ tom. 5, col. 1180, aliique, quos inter etiam Petrus de Natalibus lib. 6, cap. 145, addens, illud ibi* plurimis miraculis pollere. *Quo autem tempore vel modo eo sit allatum, non legimus. Acta* S. Hermolai *nulla videntur seorsum olim fuisse scripta: nam quidquid vel Martyrologi Latini antiquiores, vel ecclesia Græca de illis tradunt, ea deprompta fere sunt ex Actis S. Pantaleonis, ut vidimus: ut adeo manifestum sit, recentiora esse, quæ ex Codice Ms. sanctæ eremi Camaldulensis descripsit olim Papebrochius noster. Sunt vero ea hujusmodi, ut locum hic neutiquam habere digna sunt, ut vel obiter legenti apparebit. Visum est tamen illa non prætermittere, postquam deprehendi, eorum compendium typis olim esse vulgatum in Catalogo Sanctorum Petri de Natalibus episcopi Equilini, et quidem aliquanto correctius. Itaque quanti valeat rivulus ille, ex fonte collige, quam eam unice ob causam subjicio. Quod si antiquiora melioraque, aut certe minus mala, desideret, adeat Acta S. Pantaleonis supra capp.* 1 *et* 3.

AUCTORE P. B.

ACTA SPURIA

S. Hermolai presb. et martyris ex Ms. codice S. eremi Camaldulensis fol. 100.

E

S. Hermolaus post opera apostolica

Hermolaus, vir Christianissimus, non ex infimis Romanis *a* originem duxit; et ab ipsis cunabilis Deo serviens, et ab omni spurcitia se præcavens, divinitus ad sacerdotii dignitatem provehi meruit. Deinde multos in fide Christi paterna dilectione, spretis hæresibus omnibus, publice docuit; inter quos maxime Savinam, ex nobili genere ortam *b*, sua admonitione ad fidem Christi attraxit. Pantaleonem, illustrem virum, Eustorgii senatoris filium, non solum litteris erudivit, sed etiam Christi agonothetam *c* fieri constituit. a b c

coram Maximiano imp. Christum confessus,

2 Hoc audiens Maximianus imperator *d*, sævissimus persequutor, ad se venire præcepit B. Hermolaum. Qui sic inquiens ait: tu es Hermolaus, qui multa deceptione suades colentes invictissimos deos? Cui B. Hermolaus audacter respondit: Audi tu, imperator; si derelinqueres vana templa deorum, et adorares unum Deum cæli, cui omnia visibilia et invisibilia subjecta sunt in cælo et in terra, et cujus ditioni universa elementa subjiciuntur, simili modo te confortarem; et ostenderem tibi, quo ordine de tenebris ad lucem converteris; et, deposito diademate, ad sacri baptismatis undam properares; et pro certo crederes, unum Deum esse omnipotentem, consubstantialem, et incommutabilem, et coæternum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum: Patrem a nullo esse factum, nec genitum, nec creatum; Filium a Patre solo genitum; Spiritum sanctum ab utroque procedentem *e*. Et quid multa? In hoc mundo variis coruscans miraculis, fecit inenarrabilia prodigia, quorum numerum, etsi omnes artus hominum verterentur in linguas, dinumerare non valerent. d F e

explosis idolis,

3 Adhæc sævissimus imperator ira commotus, ait: Si tu prospiceres ad excellentiam imperii mei, non mihi talia nefanda narrares, et deos meos adorares. Tunc B. Hermolaus dixit ei: Si ad apicem Romani imperii provideres, quæ sit ejus sublimitas, quæ per me dicta sunt, ut tibi dicerem, rogares; et deos, quos hactenus adorasti, dehinc penitus præcipitares: nam dii tui cujusmodi sunt? Si obruuntur, per se surgere nequeunt; et his meliores sunt corniculæ, quæ volitant inter medium cæli et terræ;

EX MS. GIMALD.

et ipsi dii tui frivoli sunt; quamvis oculos habeant, tamen non vident; manus habent, et non palpant; pedes habent, et non ambulant, nec sibi subvenire possunt, nec tibi. Sed si tales superstitiones derelinqueres; et Deum patrem omnipotentem adorares, qui te ex nihilo creavit, nobilitatem Romani imperii prolongares. Equidem cum sic tractaveris et parvipenderis quod tibi suggero, utrumque et terrenum et cæleste amittes.

torquetur, solante angelo.

4 Cumque S. Hermolaus talia narraret, Maximianus, sævissimus persequutor, tradidit eum tortoribus, ut diversis pœnis eum afficerent. Tunc ministri, jussis imperatoris obedientes, apprehenderunt eum nudum, excoriantes eum, usque dum carnes ejus in terram defluerunt. Qui dum sic tractaretur, apparuit ei angelus Domini confortans eum, et ait: Hermolae, martyr Christi pretiose, ne timeas tormenta, quæ isti malitiose tibi inferunt: sed pro certamine debetur tibi corona vitæ. Cui S. Hermolaus inquiens ait: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me dignatus es etiam per angelum tuum visitare.
B Tunc deponentes eum de eculeo, et induentes vestimentis, quibus erat exutus, deferebant eum ad imperatorem.

Spernit tyranni promissa:

5 Cumque eum imperator conspiceret, dixit: Hermolæ, nimium doleo de nobilitate tua et de specie tua imperio digna. Revertere, et dimitte vanam religionem, quam hactenus sequutus es; et præ omnibus major eris in palatio meo, et præpotens eris omnibus illis civitatibus, quæ subiacent imperiali ditioni meæ. Cui S. Hermolaus inquit: Audi tu, scelerate et omnium iniquorum princeps; quare me vis sequestrari a participatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, et optas me habere in palatio tuo, et tuis præponere civitatibus? Nam palatium tuum et civitates tuæ temporales sunt: sed palatium Christi et civitates ejus sempiternales sunt. Quod si in mandatis Domini mei perseveravero, una ex illis non deficiet mihi, et pro certamine adipiscar mihi coronam vitæ. Tibi vero et omnibus tuis sequacibus debetur pœna sempiterna. Hæc audiens imperator, verberando jussit eum trudi in carcerem.

et retrusus in carcerem multos sanat et convertit,

C 6 Qui cum retrusus esset in carcerem, multi Christiani noctu ad eum causa visitationis veniebant, et de rebus necessariis ei subveniebant. At Domini pietatis, quæ semper in suis fidelibus operatur, nec desiit in isto. Equidem cum S. Hermolaus detentus esset in carcere, diversa mirabilia per eum D. N. Jesus Christus operari dignatus est: mancis reddidit dexteras, erutis oculis lumen restituit, et quassatos maris periculo in portu salutis, vocato nomine ejus, sedatis fluctibus, conduxit, dæmones ejecit, febres depulit, surdis reddidit auditum, cæcis visum, paralyticis gressum donavit; et quidquid pro eleëmosyna acquirebat, totum inter pauperes distribuebat. Ibidem vero docebat et prædicabat populo, sic dicens: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ ... Ancilla caro nostra est; domina nostra anima nostra est. Quando aliquis jejunat, orat, psallit, vigilat, eleëmosynas tribuit; tunc anima, quæ est domina nostra, præcipit ancillæ, quæ est caro nostra: quando vero quis mœchatur aut ceteris morbis polluitur, tunc præcipit ancilla dominæ.

** lege servo etc.*

7 Talia servus * Dei et martyr Christi Hermolaus sermocinando proferens, ecce, leprosus quidam veniens et persistes ante fenestram carceris, D
per quam lux diei ingrediebatur, petens misericordiam ab eo, ut a lurida lepra mundari mereretur. Quem Vir sanctus intuens, aspiciens in cælum, dixit: Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui mundum perditum sanguine tuo sponte redemisti, et Petrum apostolum a vinculis illæsum eripuisti, et multa alia miracula in hoc mundo fecisti, inclina aurem tuam ad humillimas preces meas, et libera hunc famulum tuum de lepra, qua rogat emundari per te Recuperatorem et Salvatorem omnium seculorum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum. Cumque respondissent omnes, qui aderant: Amen, illico mundatus est vir ille a lepra, ita quod nulla infirmitatis ruga in eo remaneret, et gaudens ad propria remeavit, agens gratias Deo; et sic dicebat: Vere magnus est Deus, quem Hermolaus prædicat. Sequenti vero die reversus est ipse cum tota familia sua, et baptizatus est ipse cum omnibus suis et cum eo CL viri et totidem feminæ *f*, sumentes benedictionem a S. Hermolao, reversi sunt ad propria cum gaudio. E

quos inter leprosum cum familia copiosa. *f*

Dein, suscitato mortuo, *g*

8 His itaque amotis, ecce, quidam nobilis Romanus cum uxore sua et innumerabili turba veniens ante crepusculum diei *g*, ubi S. Hermolaus morabatur in carcere, deferentes secum in grabato unicum filium suum defunctum, rogantes plorando, ut eum a mortuis suscitaret. Tunc S. Hermolaus paterna voce inquiens ait ad eos: Si verba Dei audire cupitis et in cordibus retinere, et credere in unum Deum omnipotentem et trinum in personis, [quarum] una est essentia, una inseparabilis qualitas, una majestas, una deitas, una magnitudo, æqualitatis connexio, poteritis habere filium vestrum a mortuis resuscitatum. Tunc ipsi alacres suscipientes verba S. Hermolai martyris Christi, et omnia se profitentes credere, baptizari [velle] professi sunt. Ad quod S. Hermolaus martyr Christi duxit: Viri fratres, intenti estote, levantes manus vestras ad cælum, mecum orate.

plures Christi lucratur:

9 Tunc S. Hermolaus, elevatis oculis in cælum, dixit: Domine Jesu Christe, rex altissime, pater gloriæ, qui in cruce pependisti, et tuas sanctas palmas in ligno configi permisisti, et quin- F
que plagas pro nobis sustinuisti, et mundum a servitute diaboli liberasti, et latroni paradisum aperuisti, exaudi me; et ne respicias peccata mea; sed respice ad fidem illorum, qui postulant resuscitari filium suum. Resuscita, Domine, hunc adolescentem, ut nomen tuum laudetur per infinita secula seculorum. Cumque cum lacrymis omnes respondissent: Amen, continuo resurrexit adolescens, magnificans et laudans Deum, qui salvos facit sperantes in se. Pater vero et mater adolescentis cum omni illa turba, quæ eum sequuta fuerat, crediderunt in Domino; et baptizatus est ipse adolescens cum omnibus, fere numero CCCLIII. Deinde ovanter reversi sunt ad propria cum gaudio.

ideo iterum ad tyrannum producitur,

10 Cum autem hoc annuntiatum esset Maximiano imperatori, ad se convenire præcepit omnes satrapas et Romanorum magistratus et omnes nobiles imperii sui *h*; et sic eis loquitur, dicens: Vos totius imperii mei potentes ad id convenire feci, ut secundum dignitatis vestræ prudentiam [decernam] quid mihi agendum sit de Hermolao, quem quondam atrocioribus tormentis affeci, ita quod carnes ejus cum sanguine mixtæ in terram

A terram defluerent; et cum talia perpessus fuit, multa mihi illicita verba intulit, deos nostros blasphemans. Postmodum verberando in carcerem retrusus, ibi multos seducendo et Deum suum colendo subtraxit. At unus ex ipsis sic alloquitur, dicens: Domine mi imperator, si dignitati invictissimi imperii vestri me audire placet, et consilio meo velletis condescendere, præcipe, ut Hermolaus de ipso carcere egrediatur, et coram tua majestate præsentetur. Hoc consilium placuit omnibus.

nihiloque minus constans, 11 Qui cum de carcere exiret et ante imperatorem consisteret, imperator ait ad eum: quondam imperium meum, Hermolae [multa tibi] si vana, stulta, superstitiosa derelinqueres et deos invictissimos adorares, promisit: sed quæ sit dementia cogitationis tuæ, mirabile mihi quiddam videtur. Qui imperialibus meis promissionibus non condescendisti, saltem pro hujusmodi verberibus, quæ passus es, aut ad imperialem dignitatem meam condescendere deberes, aut propter tormenta, quæ tibi adferri possunt, paveres. B Ad hæc S. Hermolaus confidenter inquiens ait: Minas et verbera tua, quæ mihi intulisti, et alia, quæ inferre promittis, dulciora mihi sunt, quam favus mellis: quod si corpus meum diversis tormentis afficeres, me tamen a servitio Domini mei Jesu Christi separare non poteris. Cui imperator ait: Multa olim imperium meum tibi promisit; nunc vero quod in præsentia istorum spondere conamur, ne ad mendacium curramus, quod verbis promittimus, factis ostendere parati sumus. Cui S. Hermolaus inquiens ait: Quod promittis, mendacium est; quod te factis ostendere dicis, nullo modo credendum est: quia deos, quos colis et colere facis, [adorare] frivolum est: quod speras retinendum non est. Si ad propheticam narrationem velis considerare, probabo te mendacem, ut ipse ait: Omnis homo mendax: sed Maximianus imperator homo: igitur mendax. Audiens hæc imperator et se philosophica conclusione confusum et devictum *i*, iratus est valde.

denuo cruciatus, tandem capite minuitur. 12 Tunc jussit B. Hermolaum Presbyterum ligatis manibus sursum levari, ita quod pedes ejus terram non tangerent; et circa corpus ejus carnifices radere ferreis ungulis, C [ita ut] carnes ejus in terram defluerent. Alii laminas ferreas ardentes subministraverunt. Quod cum athleta et martyr Christi Hermolaus pro fide Christi sustineret, ait: In adjutorium meum intende, Deus. Cumque ministri deficerent et se movere non possent, alios atrociores jussit applicari ministros, et istis deficientibus, S. Hermolaus sursum levans oculos, ait: Rex gloriæ, Domine, qui cum Patre regnas semper et cum sancto Spiramine, nunc ad preces meas respice, quas * nitor rogare te, Christe benignissime. Et his, qui nesciunt, quid faciunt, ignosce; navigantibus portum salutis tribue, et ex quacumque tribulatione quispiam detentus fuerit, invocato nomine meo *k*, adjuva; et quos ad Christianam credulitatem [perventuros] agnoscis, adjuva et guberna; refove debiles, corruentes erige, per te, Recuperator et Salvator, qui vivis et regnas semper in secula seculorum. Cumque per triduum S. Hermolaus indeficiens permaneret in patibulo, inde eum depositum jussit imperator capitalem subire sententiam. Tunc decollatus est B. Hermolaus simul cum duobus aliis religiosissimis viris, nomine Hermippus et Hermogenes *, sub Maximiano imperatore VI Kal. Augusti, regnante D. N. Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. *l*

* an queis?

ex ms. Camb.

* Imo Hermippo et Hermocrate

ANNOTATA.

a *Solent quidem Græci scriptores Romanos appellare, qui Roma nova, seu Constantinopoli sunt oriundi; at Latini, qualis hic est, non item. Qua autem veri specie Italum facere potuit* Hermolaus, *sacerdotem Nicomediensis ecclesiæ: cujus vel ipsum nomen græcam prodit originem?*

b Savinam, *seu* Sabinam *Romanam, opinor, intelligit, quam* illustrissimam *appellant Ado aliique ad diem 29 Augusti. At si est ita, quid affirmari potuit insulsius, quam eam, quæ sub Adriano imp., ineunte circiter seculo secundo, martyrium* E *fecerat, seculo demum quarto ab* Hermolao *attractam fuisse ad fidem Christianam?*

c Agonotheta *pro agonista seu pugile reperitur apud mediæ Latinitatis auctores, ut probat Cangius in Glossario.*

d *Vide dicta in Commentario prævio ad Acta S. Pantaleonis* § 2, *num.* 23; *et huc transfer.*

e *Recte hanc orationem omisit Equilinus, utpote temporibus* Hermolai *minime congruentem, et e conciliis longe posterioribus imperite depromptam. Nec multo meliores sunt, quæ sequuntur; quæque merito silentio Petrus de Natalibus abdidit.*

f *Mirum, si hæc vel ipsi Equilino visa sint credibilia: præteriit certe, quamquam de leproso sanato meminit.*

g *Et cur* ante crepusculum, *obsecro? ut lateret, opinor. Cur igitur cum* innumerabili turba? *an ut se proderet? Non cohærent.*

h *Pueri, credo, magis apta confingerent, quam quæ proferuntur hoc numero: ita ne refutari quidem merentur.*

i *Cur victus vero, cur confusus? An retor-* F *quere non poterat:* Sed Hermolaus homo: igitur mendax. *Enimvero ludibrio Sanctos exponunt, qui nugas hujusmodi comminiscuntur. Itaque Equilinum puduit* conclusionem *hanc* philosophicam *describere: licet de mendacio convictum referat imperatorem.*

k *En characterem in Actis spuriis notari jam sæpe solitum.*

l *De Natalibus sic habet:* Et sepultus in Nicomedia civitate VI Kalen. Augusti. Cujus corpus Venetias translatum, quiescit in eadem urbe in basilica sancti Simeonis prophetæ; ubi et plurimis miraculis pollet. *Auctor vero noster tantum abest, ut Nicomediam nominet uspiam; ut potius innuere videatur, Romæ omnia contigisse, quæ narrat.*

DE

A D

DE SS. VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS

JULIANA ET SEMPRONIA

IN TERRITORIO BARCINONENSI

J. B. S.

FORTE AN. CCCIII Alibi plane incognitæ,

Binas *hasce sanctas* Julianam *et* Semproniam, *seu, ut alii scribunt,* Sempronianam, *alibi prorsus incognitas, ex tabulis ecclesiæ Barcinonensis, opinor ex Domenecci historia, nobis suggesserat Ferrarius supra ad diem hujus mensis* XXII, *unde ipsas huc remisimus, quod apud Domeneccum et Tamayum in Martyrologio Hispanico hac die recenserentur, qua et ipsas denuo idem Ferrarius consignavit. Cur censeam ex R. P. Antonio Vincentio Domenecco, Ordinis Prædicatorum acceptas esse hasce Virgines. id suadet* B *potissimum, quod a nullo antiquiore scriptore eas uspiam memoratas inveniam : is vero in sua historia generali Sanctorum et illustrium virorum principatus Catalaunensis Hispanice edita anno* 1602 *illas ad hunc diem produxerit, longe petita narratione. cujus postremæ dumtaxat lineæ de sanctis* Juliana *et* Semproniana *meminere, cultum earum testantes, sacrasque ipsarum reliquias magna haberi in veneratione apud celebre monasterium Octavianum sancti Cucufatis, dictum del Valles; Ordinis S. Benedicti diœcesis Barcinonensis.*

coluntur in cœnobio del Valles, ut S. Cucufatis discipulæ

2 *De eo cœnobio ejusque et antiqua ac nova appellatione pluribus disputatum est supra, ubi de sancto ipso Cucufate sermo fuit ad* XXV *hujus mensis, unde repetet lector quæ hic desiderari possent. Id in hac re capitale est, quod nec inde nec aliunde constare perspicio, socias ipsas fuisse aut discipulas S. Cucufatis, cui in tormentis adstiterint, in carcere ipsum visitaverint, martyrio affectum terræ mandaverint, ipsæmet demum eadem laurea donatæ; utpote quorum omnium in Actis istius Sancti, licet aliunde plus nimio exor-* C *natis, nullum prorsus occurrit vestigium. Monumenta omnia, quibus sua stabilire conatur Domeneccus, eo demum reducuntur; quod pictura in eo monasterio exstare dicatur, ibi Sanctæ repræsententur, tamquam certaminis S. Cucufatis spectatrices et admiratrices; atque alia lamella aliqua argentea, in qua expressæ sint, sanctum eumdem Martyrem sepelientes. Quam vero ætatem hæc omnia redoleant, neque Domeneccus docere nos potuit, neque nobis conjectare promptum est. Id fides ejus ex oculato testimonio evincit, duas istas Sanctas, ut virgines et martyres ibi annuo cultu sub talibus nominibus celebrari, quarum reliquias in varia templi altaria dispersas asserit.*

3 *Hoc igitur præcipuum, imo unicum in quo Domenecco referenti nos tuto credere posse existimamus, nimirum, coli ipsas in eo cœnobio Missa et Officio sub ritu duplici de communi, ac ordinaria Breviarii Romani collecta :* Da nobis quæsumus Domine Deus noster, sanctarum martyrum Julianæ et Semproniamæ palmas incessabili *etc. Magis propria est oratio quam adducit Tamayus ex antiquo Ms. loci Breviario, ubi annotatur Sanctarum festivitas, etiam ex Officio communi, sed cum hac collecta*: Deus qui nobis sanctam hujus diei solemnitatem pro commemoratione beatarum virginum martyrumque tuarum Julianæ et Sempronianæ gloriosa passione fecisti, adesto familiæ tuæ precibus, et da ut quarum festa celebramus hodie, E meritis et intercessionibus adjuvemur. *Ita hic et alibi* Semproniana *passim appellatur, quam in annuntiatione sua* Semproniam *expressissime dixit Tamayus, de cujus Actis seu potius elogio sanctis Virginibus concinnato, facile quivis statuet, qui oratorem aliunde noverit : verbo dictum sit, nihil in eo reperiri quod solido fundamento nitatur. Sic ex picturis historiam texit :*

ex meris picturis

4 Juliana et Semproniana virgines ex Barcinonensi urbe oriundæ, cum primum S. Cucufatis fidem catholicam prædicantis, verba veritatis audivere, illius adhæsere doctrinis, et protinus ab eo sacro ablutæ lavacro, inter ejus discipulos annumeratæ, constanti animo sancti Martyris vestigia in vita et funere sunt secutæ. Hinc beatissimum Magistrum in carcere visitabant, et necessaria conferebant. Hinc ejus passionibus testes exstiterunt intrepidæ, cujus vulnera medicantes, et sanguinem profusum abstergentes, ultimum agonis terminum exspectarunt. Hinc corpus Martyris noctu colligentes, et aromatibus condiderunt, et sepulturæ virili constantia mandarunt. Tunc satellites circumspecta F Virginum pietate, illas ad tribunal præsidis deduxere, quas quia Christianas esse cognovit, post passionum angustias, capitali sententia damnavit, et illæ ad æterni thalamum sponsi feliciter abscissis cervicibus cucurrere VI Kal. Augusti an. D. CCCIII. Quarum corpora, etiam a Christianis collecta, juxta pignora S. Cucufatis deposita, adhuc in ejus monasterio honorifice custodiuntur. *Non poterant Domeneccianæ picturæ, forte vetustate hodie non nihil extritæ, elegantiori penicillo renovari.*

unde historiam finxit Tamayus.

DE S. PHRONIMO

EPISCOPO METENSI IN BELGICA I

J. B. S.

XXVII. JULII. Scitur coli Metis:

Ut *de S. Legontio olim notavit Bollandus ad* XVIII *Januarii, in Catalogis episcoporum Metensium, loco duodecimo ipsum reponi, sic in iisdem immediatus decessor seu undecimus est is quo de hic loquimur,* S. Phronimus *sive* Frominius, *non* Froconius *ut scripsit Ferrarius, nec* Firminus *quocum eum confudit Baronius in notis ad* XVIII *Augusti :* Phronimus, *inquam, licet is decimus ordine a Sammarthanis recenseatur. Coli ipsum in ecclesia Metensi testis est Meurissius Medaurensis episcopus et Metensis suffraganeus, ex ipso ejus ecclesiæ Martyrologio, his verbis :* Metis, depositio sancti Phronimi episcopi et confessoris. *Adde auctaria Usuardina Bruxellense, in quo* Fronimus;

A mus; *Greveni, et Molani, apud quos* Fronimus *appellatur, quemadmodum et apud Galesinium, qui inde eum certo acceperit. In Florario Sanctorum Ms. cum nescio quo Simeone satis inepte conjunctus est Saussayus hoc ei elogium concinnavit:* Eodem die Metis, sancti Phronimi episcopi et confessoris, qui natione Græcus, sancto Adelpho successit, magnæ virtutis et doctrinæ insigniis præclarus: datisque divinitus sanctitatis suæ multis significationibus, ac digne peractis in episcopatu annis octo, feliciter in Domino quievit.

et de ejus gestis nil superest.

2 *Satis apparet, nihil prorsus reperisse Saussayum, quod de Sancti hujus gestis prædicaret, qui apud omnes solo nomine notus est. Pauli Warnefridi diaconi, postquam in serie episcoporum Metensium, de SS. Ruffo et Adelfo egit, verba sunt:* Successit his sacris viris Firminus, deinde Legontius, de quorum aliquid vita, præter nomina, nihil ad nos deduxit relatio prisca. *Idem ego de ejus ætate dicendum existimo, ut non facile Meurissii chronologiam admiserim, juxta quam sedisset ab anno* CCXLVII *ad* CCXCI: *recte pridem observavit Bollandus,* nullis *eam* characteribus
B firmari, *quos nec mihi etiam nunc effingere promptum est, non magis quam eos quos suggessit Ghinius, ita scribens:* Metis, depositio S. Fronimii episcopi et confessoris, qui videtur XX ibi antistes, et sedit annos octo *(quos etiam numerat Saussayus, ubi Meurissius* XLV *tribuit.)* Floruit circa annum Domini CCXLIV; *quæ etiam toto cælo diversa sunt ab iis quæ alii de Sancti ætate cum Meurissio tradiderunt, ut unde hæc hauserit, vel conjectando colligere potuerit Ghinius, prorsus non intelligam.*

AUCTORE J. B. S.

Proficua nobis Sanctorum suffragia.

3 *De* S. Phronimi *translatione, quæ cum Legontiana celebratur* XVI *Junii, unde et huc remissa est, ita egit Bollandus, ut de ea nihil dicendum supersit, uti neque de utriusque sepultura, ex Meurissio ibidem descripta. Quod vero hic addit, de* viro quodam religioso, ac de animæ suæ cura solicito, qui nocturno tempore, ut privatis orationibus se Deo commendaret, universa quæ extra muros ejusdem civitatis sita erant oratoria indesinenter circumire solebat, *non ad* S. Phronimum, *quod facit Meurissius, sed ad SS. Felicem, Ruffum Adelfum aliosque referendum esse ex Warnefridi textu intelliges, dum ita pergit:* Hic itaque dum ad prædictam beati Felicis martyris pervenisset basilicam, nec tamen ingrediendi esset concessa facultas, accessit juxta murum forinsecus, ad eam partem qua prædictorum sacerdotum corpora requiescebant, atque ibi se in orationem tota mentis intentione prostravit. Qui dum post effusas preces ab oratione surrexisset, et in eorum Sanctorum honorem, ad E quorum e regione sepulcra oraverat, Psalmi versiculum, id est, EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA, pronuntiaret, mox ab intus vocem subjungentis audivit, LÆTABUNTUR IN CUBILIBUS SUIS. *Id rectissime hinc educit Meurissius, atque ex sacro textu probat, Sanctorum, angelorumque suffragia ac ministeria mirifice nobis prodesse. Hæc sunt quæ de* S. Phronimo *referri potuere.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FELICE NOLANO, JULIA JUCUNDA

ET JANUARIA NICOMEDIENSIBUS.

Ex Hieronymianis cum Romano collatis

J. B. S.

XXVII JULII.

C *Accepta ex supposititio Beda annuntiatio*

Tres primos Martyres, hic in titulo relatos, sub eadem Nolæ *positione signat hoc die* Martyrologium Romanum : *primus autem sic eos conjunxit et Nolæ tribuit is qui ex luxato Adone Bedam, toties transversim abeuntem, nobis effinxit, eum nempe quem Plantinus an.* 1564 *edidit, unde et Plantinianus, seu supposititius Beda merito pridem nuncupatus est. En ejus verba:* In civitate Nolana, Felicis, Juliæ et Jucundæ : *atque ex isto Beda eosdem in Romanum transtulit Baronius, solum illud et unicum Martyrologium citans, cui tamen vetera Mss.* adstipulari *ait, sed quæ a nobis reperta hactenus non sunt, neque a Ferrario, ut ut diligentissime sese ea perquisivisse testetur; de tribus Martyribus ita hoc die scribens in Catalogo Sanctorum Italiæ:* Felix cum Julia et Jocunda Nolæ martyrium pro Christo passi a Beda, a quo Martyrologium Romanum accepit, referuntur. Tempus tamen et Acta passionis eorum desiderantur : nec ulla eorumdem præter nudam nominis, Nolæ Romæve aut alibi notitia haberi potuit. *In annotatione denuo repetit;* Nullam aliam exstare ipsorum memoriam præter eam quæ in Beda et Rom. Martyrologio legitur.

melius restituitur

2 *Non miror inutilem Ferrarii operam : nam si res tota bene perpendatur, ut etiam observavit Martyrologii Romani illustrator Hydruntinus archiepiscopus, male coagmentata est Bedæ istius oratio, etiam apud Grevenum et Molanum in auctariis Usuardinis, ubi primus Nolam non expressit, sed satis habuit* Campaniam *appellare :* F *at quocumque modo scripseris, nulla prorsus antiqua auctoritate fulcitur ea annuntiatio, accepta, opinor, ex Rabano, sed rescissis verbis aliquot perperam combinata. Ita ille signaverat:* In Campania civitate Nola, natale S. Felicis : et in alio loco Juliæ et Jocundæ; *cur vero posteriorum istarum positionem seu martyrii locum neglexerit, qui in Hieronymianis, unde cetera descripta sunt, tam clare exprimitur, prorsus non intelligo. Solum* S. Felicem *Nolæ adscribi certissimum est, an alium a sanctissimo presbytero, de quo operose actum est* XIV *Januarii, an item ab episcopo qui* XV *Novembris refertur, non satis enuntiant, saltem non satis uniformiter codices nostri Hieronymiani. Neque sane hic locus est, de synonymis Felicibus Nolanis disceptationem resumendi, quæ jam non semel in Actis et in observationibus Usuardinis ventilata est, ad dictam diem* XV *Novembris de integro retractanda.*

ex codicibus Hieronymianis.

3 *Quæstio hic potissimum vertitur, quæ sit genuina hujus diei annuntiatio, non ex supposititii Bedæ confusione dirimenda, sed ex longe vetustioribus probatioribusque Hieronymianis codicibus, de quibus hoc die pluribus disputat Florentinius, eo recte inclinans, quod* S. Felicis *festivitas*

non

AUCTORE J. B. S.

non de ipso natali, sed de ordinatione intelligenda sit, quemadmodum id utroque Corbejensi diserte legitur : In Nola civitate, natalis S. Felicis de ordinatione episcopatus : *Notkerus addidit ex codice aliquo, qualis est Blumianus,* ubi multa mirabilia fiunt. *Testatur vero Holstenius in suis Animadversis, in Ms. Reginæ Sueciæ legi,* die ordinationis episcopatus multa mirabilia fiunt, *quæ ego in codice nostro non reperi. Ceterum codices omnes, etiam Epternacensis, Lucensis et contracti prope omnes ita* S. Felicem *a duabus feminis destinguunt, ut* Nolæ *ipsum constanter tribuant, istas autem, sive conjunctas, sive separatas,* Nicomediæ, *aut saltem* alibi *adscribant, et quid enim majoribus cum* Januaria *connectant. Textus Florentinii est :* In Nola civitate, natalis S. Felicis. In Nicomedia, natalis sanctorum, *voluit dicere* sanctarum, Juliæ, Jocunde Januariæ. *Brevius Epternac.* Nola, natalis Felicis. Alibi Justæ, Jocundæ; *ubi* Januaria *omittitur, ab aliis tamen tam diserte posita, ut ego quidem minime dubitaverim, quin aliarum socia fuerit. De* S. Felice *Nolano plura hic non disseram, idemne sit cum episcopo qui colitur, ut dictum est,* XV *Novembris, etc. ad eum diem examinandum, jam pridem in observationibus ad Usuardum remisi, atque hic etiam superius verbo indicavi.* D

DE S. DESIDERATO EPISC BISONTIN

LEDONE SALNERIO IN SEQUANIS

J. B. S.

SEC IV. *Neque gesta ejus nota sunt,*

B Desiderato patrono gloriantur imprimis Ledonenses, ejusque felix ex hac vita discessus celebris est in diœcesi Bisontina ad sextum Kalend. Augusti. *Verba sunt Joannis Jacobi Chiffletii in sua Vesontione parte* 2, *de hoc Sancto, ut Bisuntino episcopo, ordine* XI *loquentis. Locum ipsum, de quo hic agitur, sic describit Baudrand in Lexico geographico :* Ledo Salnerius *(Lyon le Saunier)* oppidulum Galliæ in comitatu Burgundiæ, quod a quibusdem dicitur Lugdunum Salnerium *(Castellanus legit* Ledo Salinarius) est in limine ducatus Burgundiæ, octo leucis distans a Dola in meridiem, et novem a Cabillone in ortum. *Hic nimirum præcipuo solenniorique cultu celebratur jam dictus* S. Desideratus *episcopus, ut qui istic mortuus, sacris suis exuviis loci ecclesiam ditaverit, quam, teste laudato Chiffletio pag.* 57, *ante obitum fundaverat. Ejus satis breve elogium ibidem refertur, cum nonnulla laudati Chiffletii apologia, atque historiæ translationis compendio, solis nempe iis monumentis quæ de* S. Desiderato *suggeri potuere, quæque a nobis mox describentur.*

neque antiqua in sacris Fastis memoria.

2 *Ex his facile est intelligere, de sancti hujus* Desiderati *gestis aut Actis nihil omnino superesse; ætatem confuse apposuit Castellanus, seculum quartum appellans, idque procul dubio inde educens, quod decessor ejus S. Frominius, apud*
C *eumdem Chiffletium sub summis Pontificibus Damaso et Siricio floruerit, successor autem S. Germanus martyrium ab Arianis Grandifonte passus sit anno* 396. *Alia quæ de* S. Desiderato *hic narrentur aut illustrentur, nusquam invenimus, neque de proprio natali die aut ejus cultu decerni quidquam potest, præter id quod ex sola et unica traditione habetur. Ex Ferrarii Catalogo generali eum huc remisimus hesterno die, qui ipsum hoc repetiit, quo etiam signatus est in Usuardo Hagenoyensi, his verbis :* Item Desiderati episcopi et confessoris. *Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis Chiffletio nihil superaddidit. De cetero, confundendum non esse cum synonymis episcopis* Desiderato *Arvernensi* XI *Februarii ; Cabillonensi* XVII *Martii; Bituricensi* VIII *Maii aut aliis, satis cavit Saussayus, elogium ejus insigni oratione pertexens, quam hic in aliorum defectu, describere juverit. Sic habet :*

A Saussayo pluribus laudatur.

3 Vesontione, depositio sancti Desiderati metropolitanæ illius sedis episcopi et confessoris. Qui Vir summo castitatis splendore tota vita conspicuus, ex nobili prosapia ortum duxit : divinaque cum promissione natus, atque antequam conciperetur ex cælesti vaticinio episcopali solio destinatus, sic ipsa in pueritia cælestis gratiæ lumine irradiatus effulsit, ut de futura sanctitate et gloria clarissima proderet indicia. Nihil enim nisi Divinum sapiebat : nihil itidem faciebat, nisi quod E
ad sui admirationem ac amorem unumquemque invitaret. Militiæ igitur ecclesiasticæ adscriptus, sacro ordini decora multa accessione sua indidit, defunctoque beato Phronimo antistite, ob meritorum gratiam, una eademque cleri ac populi sententia, ejus in locum suffectus est. Quo in munere ea quæ Deo grata forent, et gregi suo utilia bonus pastor tantum quæsivit. Sanctis siquidem prædicationibus animas sibi creditas assidue pascens, corporum etiam languores sublevare curavit. Vinctos redimere, viduis et egenis solatia præbere, ecclesiam sibi a Domino commissam rite gubernare. Hisque in præclaris actibus decurso mortalis vitæ tramite, sanctissimus præsul apud Ledonem, vicum suæ diœcesis, carnem exuens, ad beatam, quam perpetuo anhelitu concupierat, perrexit immortalitatem. In Salnerii ipsa ecclesia, quam in solo natali construxerat, honorificæ traditus est sepulturæ. Ex cujus tumulo postea diu aqua fluxit, ex qua debiles et infirmi sanitatem receperunt.
Levatum fuit deinde sacratissimum ejus corpus, F
inque capsula lignea repositum : e qua demum in argenteam illatum est per Stephanum Falquerium abbatem Jurensem infulatum, ad instantiam decurionum, et incolarum Ledonis Salnerii, cujus oppidi beatus ipse est patronus ac perennis opitulator, anno MCCCCLXV hoc ipso festi ejus die, qui idcirco non solum depositione ejus insignitus est, sed etiam translatione. *Ita Saussayus ample et floride plura asserens quam usquam alibi invenire licuerit; idque inter alia quod non solum Ledonensem ecclesiam fundaverit, ibique exuvias deponi voluerit* S. Desideratus, *verum et eodem in loco natus sit. Cetera lectorum judicio expendenda relinquimus, cum quibus ea conferre licebit, quæ de eodem Sancto habet Chiffletius.*

BREVE ELOGIUM

Ex Chifletii Vesontione.

Priori haud multum absimile.

Desideratus Vir summæ castitatis splendore perspicuus, et sui vocabuli claritate Deo placitus, atque dilectus, parentibus nobilissimis ortus

A ortus est; cujus parentes, divina revelatione commoniti, quod dignum Deo antistitem funderent mundo prolem; mox editum parvulum, lactis pabulo enutritum, expleto tempore cunarum, erudiendum tradiderunt studiis litterarum. Mox in eo lampas cælestis gratiæ ita resplenduit, ut cunctos sodales suos in scholis præcederet, et flore sapientiæ, ac rivo torrentis facundiæ superaret; cumque jam, ætate crescente, officia divina cœpisset digne persolvere, toto desiderio ad aulam paradisi anhelaret. Sed et cum illius longo lateque fama percurreret, et amor in bonorum præcordiis glomeratus succresceret; mox ut Frominius pontifex defunctus est, ut civitatis cathedram S. Desideratus susciperet, clerus et populus urbis Chrysopolis, ipsum episcopum unanimiter elegerunt. Divino igitur decreto, pontificatus in folio, cœpit verbum Dei in corda credentium animarum seminare, corporumque languores curare, captos vinctosque redimere, viduarum et inopum curam gerere, plebem sibi a B Domino creditam rite gubernare : et quia pontificis administratione fulgebat, plures ex discipulis reliquit sui sacerdotii successores. Tandem post multa bona, apud Ledonem suæ diœcesis vicum excedens seculo, feliciter migravit ad Dominum; et cum summa alacritate mentis, carne exutus, modo quo constituerat, condigne traditus est sepulturæ in ecclesia Ledonensi. Ex cujus tumba fluit aqua, ex qua infirmi et debiles sanitatem recipiunt : et multa inibi videntur fieri miracula, meritis ipsius gloriosi Confessoris. Transiit autem sexto calendas Augusti, lætantibus angelis cælestium coheres effectus.

Quod hic de medicinali aqua æque ac apud Saussayum memoratur, explicandum censuit Chiffletius, cujus ipsissima verba referimus :

De aqua medicinali.

5 Hæc ex antiquis codicibus. Quidquid sit autem de aqua illa ex S. Desiderati tumulo manare olim solita (quod de aliis plurimis Sanctorum sepulcris narrari solet,) nunc certe nihil tale apparet : etsi id moris esse accepimus clericis Ledonensibus, ut in lapideum S. Desiderati sarcophagum aquam immittant, qua populus juvari se in multis credat. Neque est, quod in C cujusquam sales ac jocos incurrat, aut superstitionis arguatur, qui aliquid in ea aqua, supra quam in communi, existimet inesse virtutis : nam ex arca illa lapidea, quæ quondam S. Desiderati ossa complexa est, cælestem aliquam vim, in aquam infusam, vero simillimum est derivari, quam piæ mentes ac simplices, vario suo emolumento experiantur, et docent morales theologi, satis esse contactum Sanctorum corporum, aut alicujus rei quæ ad Sanctos pertinet (cujusmodi est ille sarcophagus) ut res aliqua communis cultu aliquo digna censeatur. Ceterum ossa S. Desiderati, quæ pridem ex lapideo sepulcro educta fuerant, et in theca lignea collocata, in capsam argenteam translata sunt tempore Caroli de Novocastro archiepiscopi Bisontini, ut fidem facit rei gestæ narratio, quæ quia prolixior est, nos eam in hæc pauca contraximus.

AUCTORE J. B. S.

SACRI CORP. EXALTATIO.

Nitidum totius rei compendium

Anno Domini MCDLXV, indict. XIII, pontificatus Sanctissimi in Christi Patris, et Domini nostri, D. Pauli divina providentia Papæ II anno primo, die festo beatissimi confessoris Desiderati, quæ est XXVII dies mensis Julii, R. in Christo pater et dominus Stephanus Falquerii, Dei gratia abbas S. Eugendi Jurensis, Lugd. diœcesis, Ordinis S. Benedicti, et ad preces nobilium et honorabilium scabinorum, Burgensium et incolarum Ledonis Salnerii, virtute et auctoritate commissionis sibi datæ VIII Julii ejusdem anni MCDLXV, per venerabilem et circumscriptum virum magistrum Stephanum de Bellovisu, in E decretis licentiatum, archidiaconum de Grayaco, et canonicum in ecclesia Bisontina, vicariumque generalem in spiritualibus et temporalibus reverendissimi in Christo patris et domini D. Caroli de Novocastro, Dei et Apostolicæ sedis gratia, electi, confirmati, ac administratoris in spiritualibus et temporalibus prædictæ ecclesiæ Bisontinæ; ossa sive reliquias beatissimi Desiderati, quondam archiepiscopi Bisontini et ecclesiæ parochialis de Ledone Salnerii patroni ac fundatoris, de antiqua capsa lignea transtulit in alteram capsam argenteam, mirifice ornatam, et compositam, per dictos nobiles et honorabiles Burgenses, incolasque et habitatores dicti Ledonis Salnerii, ac prædictæ ecclesiæ de Ledone Salnerii parochianos curatam ac traditam.

longiori instrumento prætulimus.

7 *Atque hæc clare, breviter et eleganter longum et tetricum prædictæ translationis instrumentum contrahunt, cujus apographum inter chartas nostras reperi, a sæpe nobis laudatissimo P. Petro Francisco Chiffletio submissum, quod lucis aut* F *eruditionis prorsus nihil suggerit, præter notos in hujusmodi deputationibus terminos et plurima testium nomina, hinc inde corrupta aut abbreviata, ut proinde absque scrupulo prætermittendum censuerim; quemadmodum et verbosas lectiones, eidem sancto* Desiderato *perperam applicatas, quibus propria manu recte adscripsit præfatus P. Chiffletius : Hæc Legenda locus communis est, de S. Desiderati historia nihil attingens; utpote de quo nihil usquam litteris traditum esse, jam supra abunde diximus.*

A D

DE S. GALACTORIO EPISCOPO LASCURRENSI ET MARTYRE

J. B. S.

IN BENEARNIA GALLIÆ

Qua occasione de S. item Juliano ejus decessore agitur

Anno DVII Ex Benearno exstructa Lascurra

E*st hic ex eo Sanctorum numero, quorum nulla est aut perexigua in tabulis ecclesiasticis, saltem generalioribus memoria, primum ferme, ni fallor, suggesta a collectoribus Conciliorum Galliæ, inter quæ Agathense aliquod anno* 506 *celebratum, publicarunt, cui certum est subscripsisse* Galactorium episcopum de Benarno: *eam*
B *vero civitatem, hodie incognitam, non nihil eruderavit vir illustrissimus Petrus de Marca in sua Benearniæ historia Gallice edita anno* 1640 *pag.* 44, *ubi satis accurate observat, ejus nominis urbem etiam appellari a S. Gregorio Turonensi, ex cujus ruinis* Lascurram *seu* Lascurrem *surrexisse oportet, quemadmodum apposite tradit Baudrand, cujus verba, pleraque etiam ex Marca accepta, hic recito :* Lascura *(Lescar)* urbs Galliæ in Aquitania et in Benearniæ principatu, ad Gabarum Palensem fluvium, episcopalis est sub archiepiscopo Auscensi; et excitata fuit anno millesimo ex ruinis Benearni urbis, quæ destructa fuerat a Normannis anno DCCCXLV, et dicta fuit Lescar seu Lascuris, quasi LESCOURRE, seu amfractus aquarum, teste Petro de Marca, una leuca distans a Palo, in ortum Baionam versus XVII, et ab Elorone V, in ortum Tarbam versus VIII.

episcopum agnoscit S. Galactorium

2 Lascurram *igitur seu* Lascurrim *hodiernam antiquo* Benarno *seu* Benearno *successisse, inde etiam recte evincit Marca, quod idem iste* S. Galactorius *tamquam Lascurrensis episcopus agnoscatur in vetustis episcopatus istius ecclesiasticis monumentis; neque id tantum, sed et in eadem ecclesia honoretur ut Martyr, utpote qui ab impiis Arianis dire cæsus fuerit : sub eo titulo summa*
C *veneratione ibidem cultus gemina solennitate, cum proprio Officio in antiquis Breviariis; altero nimirum hoc die natali, altero translationis sacrarum reliquiarum, quas ipsa ecclesia maximo in pretio habuit, catholico ritu custodivit ac venerata est usque ad annum* MDLXIX, *quando ab Hugonottis iconomachis surreptæ sunt, ac solita Calviniana rabie flammis absumptæ. Atque hinc satis patere existimat Marca, nullum alium locum in Benearnia sibi merito tribuere posse sedem urbis et episcopatus* Benarni, *præter illum solum et unicum, qui et dignitatem hodie possidet, et usque ad seculum* XVI *pretiosas conservavit istius Martyris exuvias, qui se* episcopum de Benarno *seu Benearnensem olim scripserat.*

laudatum a de Marca

3 *De* S Galactorio *rursus agit laudatus Illustrissimus de Marca pag.* 69, *pluscula adjiciens quæ martyrium ejusque tempus reddunt quam verosimillimum. Hæc autem cum Sammarthani inde acceperint ac Latine verterint, satis erit eorum textum huc adduxisse :* S. Galactorius martyr illustris Bearnensium ab Arianis cæsus, interest concilio Agathensi episcopus de Benarno anno DVI. De eo in veteribus monumentis Lascurrensibus memoriæ proditum est, strenue admodum dimicasse cum militibus Bearnii contra Wisigothos Arianos, a quibus victus juxta locum Mimisani prope mare Oceanum, et captus, frustraque tentatus ut ejuraret fidem Catholicam, immaniter est trucidatus, anno, ut conjicitur, DVII. *Hujus conjecturæ rationem reddit laudatus jam non semel Marca, quam annotare non neglexerunt novissimi Galliæ Christianæ editores.* Non potest, *inquiunt,* differri S. Galactorii martyrium post hunc annum, nam Alaricus Wisigothorum rex hoc anno victus est a Clodovæo, qui Burdigalæ eodem hiemavit anno, et in Novempopulania præsidia reliquit ad exscindendas Wisigothorum reliquias. S. Galactorium a E
Wisigothis captum esse, cum copias ad Clodovæum duceret, autumat P. de Marca.

etiam ut martyrem:

4 *Hanc martyrii occasionem quidem, at non causam existimes; verum illam unice quod ad ejurandam fidem Catholicam ab impiis frustra tentatus, ut jam dictum est, infulas suas effuso sanguine purpuraverit :* unde et a successoribus præsulibus, universoque pago Bearnensi martyr dictus, et cohonestatus Officio duplici in Breviariis, altero quidem depositionis et transitus die, alio translationis reliquiarum ejus e loco Mimisano ad oppidum Lascurrense. Corpus ejus summa veneratione colebatur in Cathedrali usque ad annum MDLXIX, quo sacra ossa combusta, et direpta est theca per milites comitis Montisgomerici, novatorum præcipui ducis. De eo consule eumdem Marcam lib. 1 historiæ. *Addit postrema editio* cap. 11 et 15. *Hactenus Sammarthani ex Marca. Neque prætereunda sunt quæ solita sua elegantia de hoc Sancte tradidit Andreas Saussayus in Martyrologii sui Gallicani Supplemento pag.* 1151, *ubi non solum sanctum hunc* Galactorium, *quem* Galacterium *vocat, sed et ejus decessorem eadem die celebrandum existimavit.*

F

uti et a Saussayo:

5 *En ejus orationem :* Natalis S. Galactorii episcopi de Benarno, alias Lascariensis et martyris : qui synodo Agathensi præsens, sancitas ibi leges ecclesiasticas syngrapha sua signavit; at officium sanctificationis animarum, quod multa cum sedulitate obierat, in morte pro lege et grege fortiter tolerata, ipso pretioso cruore fortiter effuso consummavit. Corpus ejus omni veneratione in cathedrali ecclesia tamdiu observatum fuit, quamdiu viguit tradita ab illo et obsignata orthodoxæ fidei doctrina. Sed corrupta novissime his temporibus per perfidiæ Calvinianæ disseminatores populi credulitate, eversoque sincero Dei cultu, excidit quoque tanti Pontificis veneratio, et ex ecclesia, de domo orationis in speluncam latronum conversa, ejectis sacris ejus pignoribus ac direptis, memoria quoque ab incolarum notitia pene evanuit : quæ in tabulis antiquis annotata, Officio etiam proprio quotannis in solennitate natalis ejus celebratur. *Si consequenter loqui voluit, debuit scribere* celebratur; *quamvis etiam hoc tempore memoriam ejus recoli, persuasum habeam.*

6 *Pergit Saussayus :* Successerat autem gloriosus

A sus hic athleta et antistes S. Juliano, eximio confessori, primoque sedis illius episcopo, cujus subscriptio inter Patres Arausicani concilii conspicua est. Nomen cujus Officio quoque ecclesiastico, ab ipsa Lascariensi ecclesia sacris annuis dudum excultum fuit. Memoria autem viget in ecclesia ipsi illic dicata, in suburbiis hodieque insignis. *Habes hic Sanctis etiam annumeratum* Julianum, *primum utique Lascurrensem episcopum, ipsiusque adeo* S. Galactorii *decessorem, cujus syngrapham Arausicano concilio subscriptam nec Marca vidit, neque ego me reperisse profiteor: admitti possunt quæ ex historiographo Bensiarnene descripsere Sammarthani his verbis :* S. Julianus missus a Leontio episcopo Treverensi, Bearnenses populos ad Christianam fidem, conculcata idololatria revocavit, in Legenda antiqua et Officio Breviarii : exstatque ecclesia sub illius nomine in suburbiis Lascurrensibus. Consule historiam Benearn. lib. I, cap. 15.

qu et decessorem Julianum.

7 *Ad nos quod attinet, nihil magnopere consulendum video; hæc compendium dici possunt eorum quæ verbis quidem pluribus historia illa prosequitur; verum ex antiqui Breviarii Lascurrensis lectionibus, opinor, narrationem texens, pro majori parte apocrypham, nec componendam facile nec explicandam, ut proinde quæstiones istæ frustra hic moverentur. Ad nos spectat unice, quod Marca de sancti istius* Juliani *vetusto apud Lascurrenses cultu haud quaquam dubitet, ex superstite potissimum ejus nomini dicata ecclesia, aliisque quæ Sancti titulum* Juliano *æque ac* Galactorio *vindicare omnino videntur, quidquid ab eo Castellanus studiose quodammodo abstinuerit, nequidem inter Sanctos incertæ diei* Julianum *memorans. Nos ex fide tam eximii ac postmodum illustrissimi scriptoris, Saussayi ac Sammarthanorum,* Julianum *istum alteri subjungi posse censuimus; de certa ejus ætate, gestis aut obitus tempore nihil reperientes, quod satis tuto definiamus, ut de cetero nihil nobis hic reliquum sit, quam lectores ad celeberrimi scriptoris ulteriores conjecturas remittere.*

AUCTORE J. B. S. ut Sanctum celebrant.

B

DE S. LAURENTIO ARCHIEP. CONF.

E

MEDIOLANI IN INSUBRIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Cultus ejus hoc die Puricello primum notus et probatus, licet alio obiisse censeatur.

Anno DXII. Puricelli opus

Joannes *Petrus Puricellus Laurentianæ Mediolanensis basilicæ archipresbyter ac sac, theologiæ doctor, in opere nostro sæpissime laudatus, de patriæ suæ historia, siquis alius, præclarissime meritus, inter opera ad Sanctos populares basilicasque spectantia, illud etiam edidit, cui titulum præfixit :* Laurentii Littæ civis et archiepiscopi Mediolanensis, rebus præclare sancteque gestis inclyti Vita, meritissimo ejus successori Alfonso Littæ collecta pariter et dicata per Joannem Petrum C Puricellum *etc. Tomus est in forma quarta, uti loquimur, tria et triginta magna capita complexus, quorum pars non modica ad rem, quam solum præ oculis habere debuit, ut minimum adiaphora est, parergis pluribus exornata, quæ ad sanctum istum* Laurentium *non nisi remote et quodammodo obtorte reducuntur; ut jam taceam, auctorem operose certare ut familiam Littam seculo* V *nobis depingat, eam occasionem captans, qua opus suum neoarchiepiscopo Alfonso Littæ inscriberet, quemadmodum non ita pridem S. Januarii consanguineos Neapoli reperit qui Acta ejus grandi volumine illustrata evulgavit.*

cultum utcumque ericit:

2 *Id felicius evicisse videtur Puricellus, quod erat præcipuum lucubrationis argumentum, ut, qui omnibus Fastis sacris seu Martyrologiis, et quidem Ferrario eatenus fuerat incognitus, neque adeo Sanctis annumeratus* Laurentius, *ea diligentissimi viri industria locum in opere nostro obtinuerit, quem ei jam olim pollicitus fuerat Papebrochius, dum in Exegesi sua de Episcopis Mediolanensibus ante tomum* VII *Maii pag.* LXIII *ita scriptum reliquit :* Non habet ille quidem *(S. Laurentius)* locum in Breviario Ambrosiano veteri aut novo, sed Joannes Petrus Puricellus, Laurentianæ basilicæ, in qua sub primario alteri conditus Laurentius jacet, archipresbyter, in libro quem de vita ejus edidit, ejusdem in ea, ut nunc est, cultum ab immemorabili viguisse probat, producto testimonio Galvanei Flammæ qui anno MCCCXXXIX scripsit, et veteri, sub altari reperta scheda, quæ dicit sanctorum confessorum Eustorgii, Laurentii et Theodori MCCCCXCIV die X Novembris, subintellige corpora, tunc ad aram illam translata. Quare de ipso agemus sine scrupulo ad XXVII Julii.

ipsique suffragatur Ughellus F

3 *Fidem a Magistro meo datam libero, tanto securius, quod eodem ipso tempore, quo scribebat Puricellus, nempe circa annum* 1652, *suffragatorem habuerit Ughellum in Italia sacra tom.* 4, *ubi is* Laurentium Sancti *quoque titulo insignivit, diserte testatus,* ejus ecclesiæ capitulum, immemorabili majorum suorum traditione, ipsius S. Laurentii archiepiscopi festivitatem annua celebritate adhuc usque recolere consuevisse. *Præmiserat autem,* vita functum esse sanctissime Laurentium, uti vixerat, circa annum DXIII, VII Kal. Augusti. Porro corpus ejus aliquamdiu jacuit in ecclesia S. Hippolyti et Cassiani, quæ post Laurentianæ basilicæ odeum etiamnum in præsenti exstat, quæque nunc S. Francisci capella appellatur. Forte autem ante hoc in S. Sixti ecclesia (quam ipsemet Laurentius construxit) tumulatus jacuerat : certe nunc in ejusdem Laurentianæ basilicæ altari maximo (quod est perampla in vivo lapide arca) requiescit una cum sanctorum Eusebii et Eustorgii, hoc nomine secundi, multisque aliis Sanctorum reliquiis. *Hactenus Ughellus.*

atque item Bosca in Martyrologio Mediolanensi

4 *Hos porro postmodum secutus est auctor Martyrologii Mediolanensis ecclesiæ anno,* 1695 *typis editi, Petrus Paulus Bosca, protonotarius apostolicus et archipresbyter Modoetiæ, sanctum* Laurentium *hoc die annuntians, iis ornatum titulis, quorum*

AUCTORE J. B. S.

quorum illum multo satius omisisset, quo sancti Symmachi PP. celebrem epistolam allegat, eruditorum virorum judicio ipsi abjudicatam, utpote a sancti Pontificis stylo, ab adjunctis temporis et a rebus Laurentianis omnino abhorrentem, id quod nuperrimi Ughelli Venetiis editores observare non neglexerunt. Verba recentioris istius Martyrologi sunt : Mediolani, sancti Laurentii, ejusdem urbis episcopi, cujus virtutes admirandas sanctus Symmachus Papa, in epistola ad eum scripta, et sanctus Ennodius soluta atque adstricta numeris oratione celebravit. *Sancti Ennodii præconia ultro et libentissime admittimus, digna certe quæ § sequenti ceteris omnibus tamquam basis præmittantur; cum Sancti nostri gesta, quorum ordinatam seriem aut historiam antiquorum nullus contexuit, ex iis ferme solis eruderanda sint.*

non recte adducens Symmachi epistolam

5 *At S. Symmachi PP. epistola vero suo auctori, et ei cui scripta aut dicta oratio, jam olim restituta est a Papebrochio, loco superius a me citato, ubi ita loquitur :* Is qui colligendis Symmachi Papæ litteris inseruit Ennodii Ticinensis dictionem, datam Stephano Vicario, ut dicendam Maximo episcopo Ticinensi, consecrato sub annum ccccxcviii, quasi jam nominatus Pontifex eam scripsisset Laurentio, ad gratulandum ei Mediolanensem episcopatum, in magnam perplexitatem potuisset lectores conjicere; nisi viri eruditi in nupera Conciliorum editione errorem vidissent, vel eo notabilem, quod non solum stylus ab aliis Symmachi litteris multum discrepet; sed in ipso etiam contextu appelletur Maximus, licet, voce in adverbium Maxime flexa obscuratus, quodque ibidem multa dicantur, Laurentio neutiquam convenientia : alioqui oportuisset initia hujus differre usque ad pontificatum Symmachi, prædicto anno ccccxcviii ordinati *etc. At enim cum hic de Sancti nostri cultu potissimum agere instituerimus, ad eum redeundum est. Sic ipsum explicat laudatus Bosca :*

sed rectius distinguens diem obitus.

6 Hic dies non est obitus, uti ostendit Puricellus in Vita S. Laurentii Littæ cap. 31, num. 8, verum officii ; etenim secundum vetustiores auctores migravit in cælum viii Kal. Sextiles. Ejus nomen descriptum est in Kalendario Missalis Ambrosiani, impresso typis Innocentii Ciconiarii anno mdlx, vii Idus Junii; hodie tamen in basilica insigni Laurentiana, in cujus ara majori reconditum est S. Laurentii archiepiscopi corpus, Officium solenne de eodem celebratur. *Quid hic asserit Bosca de* S. Laurentii *nomine Kalendario Missalis Ambrosiani inscripto, id citatæ ab ipso editioni peculiare esse oportet, quandoquidem in nostra antiquiori anni* 1522 *aliisque monumentis nostris id repertum hactenus non fuerit. Pergit deinde scriptores enumerare qui de* S. Laurentio *meminerint; inter alia ex actis ecclesiæ Mediolanensis part.* 6 *adducens, quod* vir *fuerit* scientia præcellens, et virtutum donis maxime excultus. Clerum populumque Mediolanensem, non minus docendo quam agendo instruxerit ad optimam disciplinam : *voluit dicere, opinor,* non minus agendo quam docendo.

Ex Flamma et aliis arguit Puricellus

7 *Hæc quidem paucis, quæ longe fusius prosequitur Puricellus a pag.* 304 *ad* 329 *ex Galvaneo Flamma, quemadmodum supra notabat Papebrochius. Festa recenset scriptor ille* Sanctorum, *quorum* corpora jacent in civitate Mediolani et in ejus comitatu et districtu, *ubi pro eo quo scribebat anno* 1339 *apertissime asserit, celebrari* festum sancti Laurentii archiepiscopi Mediolani et confessoris die xxv Julii *(ut jam Boscam observantem vidimus)* Jacet ad S. Laurentium in capella S. Hippolyti. *A Galvaneo transit ad Carolum a basilica Petri, episcopum postea Novariensem, idem ferme Italice testantem; nimirum, inter sacra corpora sub altari majori ecclesiæ Laurentianæ, etiam depositum esse* corpus S. Laurentii nostri archiepiscopi, qui subscripsit concilio Symmachi Papæ. *Hisce consona sunt verba Pauli Morigiæ, etiam de basilica Laurentiana agentis in historia Mediolanensi, atque in ejusdem urbis Sanctuario, ubi aliis Sanctorum corporibus, hujus sancti* Laurentii *sacras exuvias clarissime annumerat. Sequuntur Joannes Petrus Glussianus et Joannes Baptista Villa, eadem omnia suffragiis suis confirmantes.*

et quidem ex Baronio.

8 *Neque hic sistit Puricellus, verum et ex ipso Baronio argumentatur, ut qui* eumdem hunc Laurentium nostrum, *inquit,* disertissime vocat Sanctum; *citatque ex Annalibus an.* 489 *num.* 14, *ubi Laurentii nomini præfigitur S; et an.* 502 *in ora marginali. At nusquam distinctius locutus est Eminentissimus Annalista quam ad an.* 494, *num.* 33. *Audi ipsum :* Sanctus Laurentius Mediolanensis, itemque S. Epiphanius antistes Ticinensis ecclesiæ, ambo sanctissimi Domini sacerdotes, in hæc infelicia tempora, ut Dei donum, ad abstergendas infelicium lacrymas reservati, pro venia miseris promerenda, ad Theodoricum proficiscuntur, comitantibus eos precibus de statu suo ad momentum periclitantium. *Quo sensu* Sancti *appellationem iis locis acceperit Baronius, frustra hic pluribus disquiretur, sufficiunt, nisi vehementer fallar, adducta argumenta, ut de privata saltem veneratione in Laurentiana basilica, sancto huic* Laurentio *exhibita, dubitandum non videatur, tametsi in Fastis ecclesiasticis tamdiu præteritus fuerit, ut proinde reliquis Puricelli probationibus supersedendum omnino censeam. Neque de titulo* Confessoris *disputationem lubet ingredi, dum ex adjunctis tam manifeste patet, omnia ad* S. Laurentium archiepiscopum *referri. Quibus ita positis, de ipso, ut Sancto, tuto disseri posse existimo; præeunte etiam Castellano, qui* Laurentium *inter Sanctos consignavit die* xxv *Julii, ut istic inter Prætermissos notatum est.*

§ II. Præmittitur dictio S. Ennodii, ex qua Vitæ series deducenda est.

Nulla Sancti Vita exstat

Ab ea oratione Commentarii nostri initium omnino desumendum est, seu ab elogio quod laudatus jam a nobis non semel S. Ennodius in recurrente S. Laurentii *natali consecrationis die, Insubricæ ac Romanæ Ecclesiæ reddita pace, composuit, ac verosimillime in ejus laudem pronuntiavit: quæ laudatio fons unicus est, ex quo Sancti gesta, a nullo alio scriptore memorata, eruere necesse sit, quæque adeo Vitæ seu Sancti Actorum vices sola suppleat, unde et sua potissimum hausit Baronius, quæ per varios annos accurate deduxit. Hanc vero Puricellus ex Sigonio suo aliisque scriptoribus tam luculento commentario auxit, ut totam prope eorum temporum Insubricam historiam attexuerit; ex cujus opere solos præcipuorum capitum titulos collegisse, erit ferme rerum a* S. Laurentio

AUCTORE J. B. S.

A rentio *gestarum seriem collegisse. Cum igitur ex S. Ennodii panegyri ea tota profluat, inde plane ordienda est historica nostra sylloge, qua præcipua Actorum ejus capita (neque enim plura dare, integrum est) delibare conabimur. En itaque dictionem ipsam, ut a nostro Sirmondo edita est, de cujus stylo, cum alibi a nobis satis dictum sit, hic eadem repetere plane esset supervacaneum: neque orationis exordium discribendum censuimus, iis solis contenti, quæ ad historiam reducuntur.*

præter orationem S. Ennodii,

10 *Orationis igitur non magnæ satis longa præfatio huc prorsus non facit; notissimum est ejus principium;* Quousque me iners diffidentia *etc. Ad rem sensim appropinquat, dum ait:* Sancti Laurentii aliquatenus pro mea mediocritate bona dicturus, plenum quidem laboris opus aggredior, sed plenum caritatis. *Tum aliis interjectis;* Festa nascentis anni, *inquit*, cur non votivo sermone concelebrem? cur lucidi natalis exordia silentii fœditate dehonestem? . . . . Ego tibi, sancte Pater, officii conscius verba non tribuam? libet tamen discendi principia consecrationis tuæ derivare de B tempore, et cum anni renascentis infantia florulenta, si valeo, dictione vernare: *ut facile colligas ea anni tempestate sacras insulas suscepisse eum, quem laudandum susceperat. Istiusmodi sunt quæ sequuntur a vere desumptæ similitudines, quarum postremam hic attexo, ut ad historiam ipsam fiat progressus.* Cum colore distincta geminato verni opibus prata ditescunt, et in ordinatione summi Pontificis naturæ gaudium elementa testantur. *Atque hic ad Sancti virtutes, labores, ærumnas et præclare gesta oratio delabitur in hunc modum:*

qua concordem electionem primum laudat:

11 Tibi ergo, Antistes, nunc non reddam, quod aliis præstare jam didici? quem ad pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venustas adduxit? qui tot dotibus velut in acervum coactis, canam dignitatem præsentis officii suscepisti, habens tantarum honestamenta virtutum, quantarum singulæ probatum facerent species sacerdotem? Taceo universitatis in electione tua consonantiam, et discretarum nationum concordem sententiam non revolvo, statuat ista loco laudis, cui non suppetit, quod possit prædicare de moribus. Momentis enim plerumque incerti favoris aura popularis impellitur, et nescia examinis turba Quiritum, dum studiis rapitur, C amat incognitos. In te libram tenuit, qui petitionis tuæ aut socium se præstitit, aut auctorem. Imperitæ cœtus multitudinis meritum tuum expendit lance perfecti; et dum in te ornamentorum varietas placet, quasi unus heres diversissimi fueris instituti; sic singuli hoc de claritate tua censebant sufficere, quod probabant: quia bona omnia nequaquam omnibus nota esse potuerunt: et speciatim ad favorem sideris tui universos illexeras, alteri ostendendo quod pius es, alteri quod severus, alteri quod bene acquisiti distributor patrimonii, alteri quod scires recte parta servare.

tum in laboribus et periculis constantiam:

12 Id studii sumpsit universitas, ut cum de proposita laude unusquisque vinceret collatione tamen in præconiis tuis melioris tituli ab altero vinceretur. Nolo istis diutius immorari. Veniendum est ad laboris tui exercitia; quia ego, qui non sum in laudatione tua idoneus maximis, nescio esse parva contentus. Novellis te adhuc impositæ dignitatis labantem vestigiis ineluctati temporis suscepit adversitas: et tironem pontificii exercitatissimum militem adversus libertatem impacta bella reddiderunt. Tu prædonis nescisti timere sævitiam; ut blandimentorum, quod in malitiosis nocentius telum est, scuto constantiæ venena respuisti. Quotiens te qui certamine non potuit, insidiosa honorificentia lacessivit? Quotiens in damno bonæ opinionis servitii sui te credidit figmenta suscipere, hoc ac te postulans, ut adhibito hostem colludio intra urbis muros concluderes, et ovium tuarum dissipanda lupis membra præstares? paris facti, quod dictu nefas est, multorum exempla suggerens. Quæ quidem tu vitanda despiciens, et ad vindictam sereni temporis servans memoriæ commisisti, detestabilia retinens, ne per oblivionem impune transirent, et majorem horrorem excessibus debens, dum ruinam metuis aliorum.

ac in tolerandis ærumnis fortitudinem,

13 Sed remotis dicendi obstaculis, veniamus ad illa, quæ religioso sunt digna memoratu. Cum hostilis irruptio more pecorum Christianum populum per diversa distraheret, tu variorum generibus cruciatuum capiebaris in omnibus, tu paterna conventus pietate sustinebas tormenta multorum, ut ait Apostolus; Quis vestrum cruciatur et non ego? E Inter ista tamen fractum te non vidit adversitas, hoc triumphis suis decerpi sensit inimicus, quod capti sacerdotis animum non subegit. Pugnabas adhuc pro absolutione plurimorum, et tibi nihil metuens, de plebis tuæ anxietate pendebas. Nolo diutius tristibus immorari: nolo tragœdiam maligni temporis aperire, libens de illustri conversatione tua aliquanta prætervolo, ne te narrando cogam denuo sustinere quæ passus es. Quamquam doctor gentium in tribulatione exercitum se fuisse commemoret vociferans; Cum infirmor, tum potens sum. Taceo inediam, frigus, et injurias, et illa, quæ tibi inimici animus providit, augmenta morborum. Sed credo, hæc puerilia, et succo antiquæ valetudinis robusta membra tolerabant. Nonne emortuis per compages artubus, et a possibilitate propria longa jam ætate distractis, sola anima flecti nescia sustinebat, et imitanda intentione adversus impugnantes muro constantiæ stabilita certabat?

atque in restauranda urbe alacritatem,

14 Post hæc ad redivivum statum libertatis optatæ numquam pia vota despiciens Christus redemptor noster occurrit, et fractas Romani nominis vires artifici medela solidata in vigorem saluti- F ferum res contrita remeavit. Cum ex alto benignis oculis cælestis Dominator aspexit, Mediolanensium urbi lux est proprii reddita Sacerdotis. Tunc cum rarus habitator, tunc cum error in domibus, et per dulcia cubiculorum limina confusa discursio; tunc cum ubique pavor et luctus, et Dei templa ferarum habitationi deputata sordebant; cum marcens incuria splendidissima dudum atria situ vetusti humoris obnuberat, lætitiam ceteris tuo dedisti de reditu, tu regressus ad lacrymas. Tunc more avium, quibus, dum terra nivibus vestitur, et alicujus loci in spem cibi spoliatur angustia, videres, quæ remanere potuerint, plebis reliquias confluxisse, et ad boni Pastoris præsentiam undique fatigatis balatu nemoribus greges accurrere. Alios tunc, multiplici sustentandi genere, mulcebas affatu; alios reficiebas impendio; alios hortabaris exemplo. Brevi post in antiquum statum, qui tibi post Deum debetur, urbs jam sepulta revaluit, et quæ non credebat in se reparari posse quod fuerat, cœpit jam meliora æmulari. Tunc qui vitæ usus est, jam cer-

nere

AUCTORE J. B. S.

nere erat omnia ad lætiorem profectum bonis successibus invitari.

Sequuntur præclari labores

15 Curro per singula, strictim referendo, quibus opus est larga narratio; ad agonem vitæ tuæ, ad summi celebritatem propositi perventurus. Secunda post dubium temporis nata est in Ecclesia Romana captivitas, quæ te quasi jam diu desidem, et laboris fugacem de longæ sinu quietis abstraheret; cum vix spe pacis laboris tui, arma deposita resumuntur. Deberetur quidem, nisi me laudis tuæ censura pertraheret, in lugenda causa silentium, ut in una ætate memoriæ pereat res nefanda. Senatus ille curiæ cælestis accitus est, ibi ex variis provinciis episcoporum turba confluxit, ubi cœtus ille, quot hominum genera, tot sententiarum varietates advexit. Sed quibus inerat spiritualis sapor intelligentiæ, quasi ducem te principalis deliberationis caritate tenuerunt.

in tuenda S. Symmachi causa

16 Nunc quo minantium impetus blandimentorum melle domuisti, qua superborum corda veneranda humilitatis erectione fregisti, qua labantium animos consilii radice fundasti, explicare non valeo. Rei gestæ notitiam scire cupidum B ex facti contemplatione compello. Unum te secuti sunt tot electi, et in sententiam tuam reciderunt tantarum principes civitatum. Coquitur lamentationis æstibus, qui a te cruda obstinatione descivit; et nihil in solatium præter calamitatis lacrymas, qui divisus est. Dicat aliquis forsitan, rerum gestarum malignus interpres, quam sortita est de hujusmodi constantia præsens causa decisionem: quærat, qui fines de laudato sudore contigerunt. Huic ego fidens replicabo; te præsule factum, ne sacerdotes ministros acciperet furor alienus: ne cruentæ indignationi Pontificum sententia militaret: ne in usum male commoti traherent evenire posse quod vellent.

adversus schismaticos gloriose exantlati.

17 Postremo improborum loquacitas obmutescat hujus saltem æstimatione secreti; quia odiorum incendia, quæ non ex impugnati merito, sed ex studiorum fomentis arserunt, nec sanctæ deliberationis potuerunt fonte restingui. Tibi ergo debetur venerabilium custodia canonum. Tibi quod sine episcopali nota contigerit, quidquid in præsentia sævit improbitas. Tibi patuit, quod aliis accusantes clandestina fraude texerunt. Apud te compertum fuit non satisfaciendum odiis, quotiens fide deseritur, C qui lacessit. Sed hæc melius aliis servantur narranda temporibus. Salve, ecclesiarum sidus, et ad senectutem bonam Abrahæ æmulator accede, quia testimonium probitatis est, diu hominem in ecclesiastica arce servari; ut scriptum est: Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Tu ævo maturus, et ad religiosum sudorem primævus exsupera. Tu pietate laudabili bonis disciplinis exempla suggere; malos severitate compesce; et boni utriusque fibula operis in testimonio summæ gloriæ sine labe perdura.

§ III. Vitæ S. Laurentii aliqualis series.

Illustri genere Mediolani ortus

Habes in brevi tabella, jam a nobis exhibita, summariam dumtaxat vitæ S. Laurentii *imaginem, quam utinam aliquis liberaliori penicillo nobis uberius expressisset. In ea penuria id nobis reliquum est, ut res istic narratas, aut aliunde acceptas in ordinem aliquem distribuere ac non nihil illustrare conemur; non longis illis Puricelli parergis, sed iis dumtaxat notationibus, quibus historia Laurentiana, quousque licuerit paulo explicatior exhibeatur. Sanctum illustri eo tempore* D *familia genitum, patria et origine Mediolanensem fuisse, haud equidem negavero; ortum ex gente Litta, seu Litia, seu Litingorum Longobardorum regum, quos multis post annis, in Italia primum innotuisse certum est; ortum proinde ex gente Longobardica, ignoscent, opinor, viri antiquæ historiæ et cognominum agnominumve originis periti, si tam facile non assentiar: at neque hic contentionis funem idcirco lubet ducere, jam pridem in opere nostro explicatum est, qui de ea vetustate majores nostri statuerint et quid nos hodie sentiamus. Sequitur itaque ut expansam a Puricello telam intra debitos terminos contrahamus.*

quid ante episcopatum gesserit, ignoratur.

19 *De rebus ante susceptum archiepiscopatum Mediolanensem a* S. Laurentio *gestis, quove ante munere aut dignitate sanctus fuerit, nec ab ejus encomiaste S. Ennodio, nec ab aliis usquam traditum reperio, ut proinde difficillimum sit, aut historice aut chronologice res ejus digerere: nam quod in nuncupatoria sua ad Alfonsum Littam epistola memorat Puricellus,* e fortissimo militarium copiarum duce assumptum ad archiepiscopale E regimen, *unde hauserit, aut quo veteri et fide digno testimonio nixus scripserit, neque indicat ipse, neque mihi divinare promptum est. Id ex laudato S. Ennodio rectius evincit pag.* 13, *anno* 490, *Fausto tunc juniore Consule, eo nempe qui ingressum Theodorici in Italiam proxime subsecutus est, cathedram Mediolanensem conscendisse, quo ipso cum multis aliis Insubriæ episcopis interfuerit dedicationi basilicæ sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Novariæ, quam dedicationem seu consecrationem ad annum præcedentem* 489 *retulit Baronius scribens num.* 14 *Honoratum episcopum Novariensem* per S. Laurentium Mediolanensem episcopum, aliosque ad encænia convocatos ex more præsules, *prædictam basilicam* consecrari curasse.

In dedicatione eccl. Novariensis insigni ornatur elogio.

20 *Fuerat ea prius fanum idolorum, a Victore episcopo Honorati decessore purgatum, ab hoc auctum exornatumque, de cujus consecratione sermonem composuit S. Ennodius, recitavit vero Honoratus episcopus; sic ad Deum perorans, ut totus in Sancti nostri laudes sese effundat. En ipsa Honorati verba:* Veni ergo, piissime Domine, et ad consecrationem operis tui plenius illabere: vice humani per baptisma pectoris purgentur hæc tem- F pla, turpi hactenus dedicata patrocinio. Institue, Domine, vertendo sacrificia; et dum puris cumulamus altaria sancta donariis, præsentiam tuæ majestatis intersere, evocatus sanctorum merito sacerdotum, electi, seorsum præsentis, patris nostri Laurentii conscientia: qui tot plenus dotibus ad ecclesiæ fastigia crevit, quot fecissent singulæ quæque Pontificem. In quo vernat princeps boni operis et mater honestatis verecundia, religionis sanctæ nutrix patientia, Deum semper placatura pietas. Qui ecclesiasticis membris, non sermone vitæ instituta tribuit sed exemplis: qui omnem callem, quo ad Deum itur, dum prævius incedit, ostendit; adjuvante se Domino nostro Jesu Christo, cum patre regnante in secula seculorum. Amen.

jam tum haud dubie archiepiscopus.

21 *An qui ea oratione tot eximiis ornatur præconiis* S. Laurentius, *vere tunc episcopus fuerit, totiusque adeo Novariensis istius solennitatis, tamquam metropolita ordinatus, antesignanus, uti censet Baronius loco proxime a nobis citato; an vero ad archiepiscopalem dignitatem solummodo electus, quemadmodum Puricellus opinatur pag.* 28; *parum admodum ad rem nostram interest: huc illud*

A *lud spectat potissimum, quod vel tironis saltem per id tempus episcopi, tam illustres virtutes enumerentur, gesta tam præclara, S. Ennodio iterum teste, ex quibus etiam tunc ostenditur commendatissima Viri memoria. Qui apud Puricellum capitis ejus quinti titulus est hujusmodi;* Laurentius in archiepiscopum consecratur, ejusque consecratio illustri concione a S. Ennodio celebrata, *insinuare omnino videtur, dictam eodem die a S. Ennodio relatam a nobis superiori paragrapho orationem, quam tamen in textu fatetur idem Puricellus multis post annis, in die natali ejusdem consecrationis recurrente, ab oratore primum recitatam. Refertur ipsa ibidem integra ac variis distincta characteribus, quo potiora rerum capita commodius observentur.*

Theodorico plurimum favens,

22 *Quæ exinde fusius suo more prosequitur Puricellus totis sequentibus capp.* 6, 7, 8 *et* 9, *talia ferme sunt, ut nec temporibus suis distinctius aptari, nec ad historicam rationem facile revocari possint. Ex solis titulis varia commixta intelliguntur, quæ toto biennio et paulo amplius* B *gessit et passus est* S. Laurentius. *Habe igitur capitis* 6 *compendium :* Theodoricus Gothorum rex, cum bona Zenonis Romanorum imperatoris venia, Italiam cum exercitu ingreditur; et Odoacre Herulorum rege, illius tyranno tribus præliis devicto, Mediolanum aggreditur, obsidet, oppugnat, sibique tandem subigit, beneficio imprimis usus Laurentii archiepiscopi deditionem persuadentis. *Huc deinde adducit Sigonium et Erycium Puteanum varia contexentes e quibus id tamquam præcipuum a* S. Laurentio *præstitum intelligimus, ut ruentis patriæ misertus, Insubribus suis vinci tandem potius quam perire cupientibus deditionem prudentissime suaserit, sicque et cives incolumes servaverit, et Theodorici gratiam promeritus fuerit, idque eodem ipso verosimiliter anno, quo ecclesiæ suæ regimen primum auspicatus est, videlicet* 490.

ab Odoacre dire vexatus est.

23 *Hanc porro deditionem secutæ sunt calamitates a* S. Laurentio *tolerandæ, quas cap.* 8 *memorat Puricellus his verbis :* Repentina militum Italicorum defectione adversus Theodoricum excitata, ex urbe Mediolano sese cum suis Papiam ille recipit, C ibique ab Odoacre, sed incassum obsidetur. Interim vero Laurentius archiepiscopus, Italicæ libertatis æquique tenacissimus, non blandimentis, non minitationibus victus, ad extremum in captivitatem abducitur; sed et ibi multis circumventus malis, nihilominus pro suorum Mediolanensium libertate non segniter laborat. *Atque hæc sunt, nisi vehementer fallor, quæ indicata voluit S. Ennodius supra a num.* 12 *quæque tamdiu sanctum Præsulem misere exercuerunt, donec Odoacre plane devicto, ac tandem etiam occiso, libertas ecclesiæ Mediolanensi reddita est sub annum* 493, *quando* S. Laurentius *in libertatem urbemque suam restitutus est, sicque* Mediolanensium urbi lux est proprii reddita Sacerdotis, *quam fœde eversam dirutamque restauravit, et in meliorem, quam prius esset, redegit statum, quod apud Puricellum est capitis argumentum, quodque Ennodium diserte testantem audivimus.*

An Theodoricum coronaverit regem Italiæ.

24 *Proximum inde caput* 12 *eo torquet Puricellus, ut velit sanctum* Laurentium archiepiscopum Theodoricum Mediolani coronasse Italiæ regem. *Verum id ex Jornande, quem citat, educi posse, equidem non perspicio ; minus etiam ex panegyri S. Ennodii, non prætermissuri, opinor, inter cetera* S. Laurentii *decora et illud de hujusmodi coronatione recensere, quod certe in ejus laudem redundare necesse est. Ultro et lubens ex Jornande admiserim quod Theodoricus,* tertio anno ingressus in Italiam, Zenonisque imperatoris consulto, privatum habitum suæque gentis vestitum reponens, insigni regii amictus, quasi jam Gothorum Romanorumque regnator assumpserit : *atque item illud quod ex eodem Jornande recitat;* patris vestitu posito, purpuram ac regia insignia sumpsisse; *neque abhorrendum a Galvanei Flammæ, tametsi recentioris verbis;* in ecclesia S. Michaelis juxta S. Ambrosium, per manus nobilium civium de Mediolano, corona ferrea coronari voluisse *Theodoricum; attamen a* S. Laurentio *id factum, tacentibus antiquioribus, non satis idoneos testes profert Puricellus, ut id continuo admittendum sit.*

AUCTORE J. B. S.

Legatio suscepta ad Theodoricum

25 *Magis laudarem quæ a Puricello suggeruntur cap.* 12, *nempe* Laurentium archiepiscopum una cum sancto Epiphanio Ticinensium episcopo Legatos pro Italis rebellibus Ravennam perrexisse ad Theodoricum regem, veniamque illis impetrasse, *quæ quidem certissima sunt atque ex sancto Ennodio probatissima in Vita S. Epiphanii, quam in Actis nostris habes ad* XXI *Januarii editam, cap.* 10 *pag.* 372 : *ast in eo luxuriare visus est fœcundus historiographus, quod sinceram S. Ennodii narrationem ex Caroli Sigonii historia nimium amplificare voluerit, ut ipsum sanctum* Laurentium *apud regem Theodoricum perorantem induceret, quod tamen soli S. Epiphanio apertissime vindicavit, Ennodius, ad quem* itum *testatur,* qui manu medica publicis consueverat vulneribus... Qui dum se diceret solum ad tantam sarcinam sustinendam non posse sufficere, rogatur pariter venerabilis Laurentius Mediolanensis episcopus : *non ut orator, sed ut socius; ut ad ea recte concilianda frustra noster laboraverit ; quod ex S. Ennodii clarissima narratione manifeste liquet. En ea quæ sequuntur :* E

cum S. Epiphanio ep. Ticinensi.

26 Qui profecti una, Ravennam pariter pervenerunt. Postquam illis agendis aditus reclusus est, beatus Laurentius necessarium duxit, illi potissimum perorandi copiam dari, cujus vestigia frequentium legationum laboriosus callis attriverat, et per tramitem hujusmodi itineris cursitantem non semel hispidum castrensis pulvis effecerat, *nempe S. Epiphanio. Quam igitur orationem ad regem habere potuit* S. Laurentius? *Neque ad illud frigide confugias, quod quis per alium facit, id per se facere censeri : hæc enim omnia mera diverticula sunt, ampliando augendoque libro apta, at veritati parum consentanea ; quemadmodum et ea sunt quæ ex Ripamontio suo satis fuse describit, coactus demum fateri, oratorem illum et a S. Ennodio et ab historiæ sinceritate longe deflectere ; quod est chartam inutilibus plane parergis inficere Id unum ad rem nostram satis recte conjectasse videtur Puricellus pag.* 87, *legationem, qua de modo locuti sumus, a sanctissimis præsulibus susceptam esse anno* 495 *mense circiter Februario. Atque hæc prima dici potest vitæ* S. Laurentii *laboriosa periocha, cui alteram modo subnectemus.* F

§ IV. Vitæ S. Laurentii pars altera.

Rejectis Puricelli parergis,

Hactenus ea exegimus, et in ordine ad Vitam S. Laurentii *contraximus, quæ duodecim primis operis sui capitibus complexus est Puricellus,*

AUCTORE J. B. S.

Puricellus, reliquis uno et viginti innumera alia prosecutus, quorum satis erit aliqua eminus salutasse. Quæstio proposita cap. 13, utrum Laurentius revera fuerit S. Epiphanii metropolitanus, *in dubium revocari non debuit, neque huc spectat ea de re disserere. Non minus miror inquiri potuisse cap.* 14, *utrum* S. Laurentius una cum S. Epiphanio legationem quoque obierit ad Burgundionum regem pro captivis Italis. *Audiat lector loquentem S. Ennodium in Vita S. Epiphanii apud nos citata superius cap.* 11 *pag.* 373, *et facile statuet, in dicta legatione Burgundica de* S. Laurentio *nec cogitatum fuisse. Æque importune cap.* 15 *inseritur* sanctimonialium Mediolanensium monasterium majus a Sigismundo Burgundionum rege exstructum. *Neque sane felicior est Puricellus dum longa dissertatione, inani prorsus labore contendit,* S. Symmachum Pontificem Romanum ad Laurentium archiepiscopum scripsisse plenam ejus laudibus epistolam, *quam nos in S. Symmachi gestis* XIX *Julii illustratis, prætereundam censuimus, hic vero supra num.* 5 *cum Papebrochio auctori suo restituimus.*

B

ad Sanctum spectat conc. Romanum cui præsedit.

28 *Habes hic mediam ferme tomi Puricelliani partem, qua, prima vitæ Laurentianæ periocha conclusa, alteram auspicamur a cap.* 17, *cui hunc fecit titulum :* Laurentius archiepiscopus Romam vocatus ad tertium concilium, Symmachi Papæ causam Sedisque Apostolicæ primatum egregie contra schismaticos et calumniatores tutatur, primusque omnium ei præsidet ac subscribit. *Quæ de synodis Romanis sub S. Symmacho habitis loco proxime citato disputavimus, hic repetenda non sunt ; ad* S. Laurentii *gesta præcipue pertinet famosi illius concilii administratio, ut ita dicam et directio, quod anno* 501 *de summi Pontificis consensu, ad ejus plenariam purgationem, instante Theodorico, convocatum fuerat, ut ipsi* S. Laurentio *aliisque episcopis rex testatus est, dum Romam petentes, querelas Ravennæ deponerent. Romam porro appulsi ea egerunt in causa S. Symmachi quæ pridem satis explicata sunt ; præter ea quæ habet Baronius ad annum* 502 *a num.* 3, *ubi ex Ennodio exponit cur* S. Laurentius *aliique a S. Symmachi consuetudine tantisper abstinuerint. Hic illud* S. Laurentii *nominibus accedit, quod concilio præsederit, primusque ei subscripserit his verbis :* Laurentius episcopus eccl. Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi.

C

item alterum cui post Symmachum subscripsit.

29 *Sed egregie S. Symmacho navata in eo concilio a* S. Laurentio *opera, deque conciliata gloria ex defensa veritate satis dixit Ennodius ; cetera quibus* S. Laurentii *vitam per duas et viginti paginas accrescere voluit Puricellus, non magis ad* S. Laurentium *spectant, quam ad reliquos omnes episcopos qui eidem concilio interfuerunt. En modo caput* 18 *:* Laurentius archiepiscopus quarto interest concilio Romano sub Symmacho Papa : et Romanam Ecclesiam in electione sui Pontificis restituendam esse antiquæ libertati, et alia pro facultatibus ecclesiasticis decernit contra regis olim Odoacris edictum. *Non prætermisit Ennodius Sancti gesta in hoc concilio, cui secundo loco post Symmachum subscripsisse ex Labbeana collectione perspicuum est, unde de summo Pontifice et tota Ecclesia optime meritus, recte potuit* cum applausu Mediolanum ex urbe Roma reverti, *ut notavit Puricellus cap.* 19, *ubi pro* sua ingenuitate *observat,* nonnihil ambiguitatis *inesse iis quæ Baronius habet ad annum* 502 *de* Ennodii dictione, soluta oratione conscripta, *deque addito carmine, utpote quæ non ad* S. Laurentii, *sed ad Ennodii ipsiusmet ex Urbe reditum aptius referenda videntur.* D

Decretum de Cellulanis fortiter ursit.

30 *Ceterum inter* S. Laurentii *decora id certe postremum non est, quod cap.* 20 *memorat Puricellus in hæc verba :* Laurentius archiepiscopus episcopis suis provincialibus pontificium promulgat decretum, quo tam ipsi quam presbyteri et diaconi jubebantur habere contubernales, tamquam pudicitiæ suæ testes : quam utique pudicitiam clerus etiam Mediolanensis per ea tempora profitebatur, contra quam nonnullis postea visum est, *ut satis fuse descriptum habes in Actis S. Arialdi etc. tom.* V *Junii a pag.* 281. *Pluribus præceptum istud,* de Cellulanis *dictum, quod inter Miscella Ennodii ordine septimum est in editione Sirmondi a pag.* 448 *; pluribus, inquam, illud exornat Baronius ad annum* 502 *a num.* 32, *atque item noster hic, Pontificium decretum appellans, quod ut episcopale dumtaxat agnoscit Baronius, sic tamen ut* nonnisi auctoritate apostolica niterentur episcopi qui sibi subditis servanda aliqua decreta proponerent, ut dictæ Constitutionis legislator, *apud Ennodium,* profitetur. *Ut ut ea habeant, id huc facit maxime quod* S. Laurentii *zelo, industriæ et fortitudini adscribenda sit saluberrimi decreti in sua diœcesi exsecutio, cui utinam successores constantius inhæsissent.* E

ac quintæ synodo Romanæ etiam interfuit.

31 *His interjectis, redit ad aliud concilium Romanum, quod quintum vocat, Puricellus cap.* 21, *cui Sanctus sub Symmacho interfuerit et post ipsum denuo subscripserit,* cujus decreto ante omnia per apologeticum librum a S. Ennodio refelluntur ejusdem Symmachi calumniatores *etc. Exstant ea omnia apud Labbeum et alios, nosque de iisdem in Vita S. Symmachi abunde egimus. Frustra his et hujusmodi aliis historiis apud Puricellum* S. Laurentii *Vita per multa capita extenditur. Multo proprius ad Sancti gesta pertinet, quod e prædicto concilio redux, cap.* 22 Legationem pro Symmacho Papa direxerit ad archiepiscopum Aquileiensem, ut hic ei tamquam legitimo Papæ adhæreret, sicut etiam tandem adhæsit. *Hæc potissimum eruuntur ex Ennodii ep.* I, *lib.* 4, *quæ in editione Schotti* 8 *est, ubi ait ;* Ad Marcellianum episcopum directa est a fratre vestro instructa legatio, sed quid promoverit ipse rescripsit. *Ad quæ verba editor Sirmondus notavit, Marcellianum illum episcopum fuisse Aquileiensem, ad quem pro Symmacho scripserat sanctus noster Mediolanensis Episcopus, quam ab Ennodio hic designari rectissime censet.* F

Inter ejus præconia haud postremum est.

32 *Atque hoc postremum ferme quod pro Ecclesiæ tranquillitate exantlasse* S. Laurentium *didicimus nam quod Puricellus cap.* 23 *ait,* Symmachum Pontificem a Laurenrio archiepiscopo per epistolam postulasse, ut acta sextæ synodi Romanæ recenter, ipso absente, contra bonorum ecclesiasticorum invasores injustosve detentores celebratæ, subscribendo comprobet *an ex Catalogo, quem titulo* Successores S. Barnabæ *vulgatum novimus, satis demonstretur, mihi certe nihil minus videtur quam perspicuum, in qua classe reponenda sunt cetera, quæ ibidem ex Morigia et Ripamontio disputat Puricellus, prolixissimum deinde caput subjiciens, ordine* 24, *quo operose quærit, utrum archiepiscopus Mediolanensis eo tempore prærogativam sedis habuerit supra Ravennatem atque Aquileiensem ; quæ omnia cur magis Vitæ* S. Laurentii *aptentur quam decesssorum aut successorum*

A *cessorum ejusdem urbis episcoporum, equidem non satis intelligo. Sponsorem S. Ennodium ubi adducit Puricellus continuo assentior, atque adeo caput* 35 *facile admitto cujus est titulus ;* Nobilis ac Mediolanensis adolescentis, parentibus orbati, nomine Aratoris (qui postea celebris etiam fuit poëta sacer) curam, paterna præstabiliorem, Laurentius gerit archiepiscopus, indeque rursus a S. Ennodio celebratur.

quod orphani Aratoris, postea celebris poëtæ

33 *Nimirum Dictione* 9 *apud Sirmondum, cui titulus ;* Præfatio quando Arator auditorium ingressus est, *ubi hæc in Sancti nostri commendationem maxime notanda sunt :* Orbum parentibus dixi, cui per felicia naturæ damna, communis pater et episcopus factus est proprius. Ille afflictorum consolatio, jejunorum cibus, cæcorum oculus, pes claudorum, tot pietatis suæ species, tot misericordiarum gradus ad hujus convertit personæ profectum. Et illud domni Laurentii, quod mundi necessitatibus succurrit, ingenium in ministerio hujus excercetur infantuli. Cui talis non sit (ut vere dixerim) gratiosa calamitas? Quem non juvet amisisse patrem, sub lucrosa commutatione,
B si talem conceditur invenisse? Tanti viri insignia, quæ implere nequeo, per profana verba non temero. Ipse est cujus est dulcis auctoritas, aut horrida dulcedo : qui magistrum in ecclesia, magistrum in domo, magistrum in convivio, magistrum implet in jocis : qui numquam facit, quod sequentes nolit imitari : cujus ad unguem polita conversatio cæleste iter discipulis, dum incedit, ostendit. Minor enim laus est docere bene, nisi opere docenda monstraveris. Hujus viri suscepto adolescenti quid mea præstitisset oratio, quem eventus dexter de institutoris meritis manet; et de orbitatis prosperitate perfectio? Hujus sufficiunt patroni preces; per quas merebitur institutis optimis imbutus degenerare sublimiter.

paternam curam susceperit.

34 *Nusquam nitidior, nusquam facundior Ennodius quam ubi in* S. Laurentii *laudes excurrendum est, omnem idcirco occasionem arripiens qua præclarissima ejus merita prædicet insignesque virtutes, ut vere a nobis superius dictum intelligas, fontem ipsum esse, eumque unicum, saltem*
C *qui securus sit, ex quo Sancti nostri gesta tuto colligantur. Atque id a nobis præstitum hactenus, binas vitæ ejus partes distinguendo, quarum altera cum patriæ hostibus ac eversoribus, cum captivitate aliisque ærumnis luctatus est, altera vero pro S. Symmachi, a schismaticis oppressi, totiusque Romanæ Ecclesiæ incolumitate egregie decertavit ; inter tot labores* communis pater et episcopus, *omnibus omnia cum apostolo factus, utpote iis excellens animi dotibus, quas ita exornavit Ennodius, ut quamquam de singularibus ab eo patratis miraculis tacuerit, caritatis tamen signis ac misericordiæ prodigiis illustrem eximiumque depinxerit ; quibus si ea superaddas quæ ad Dei cultum augendum, ecclesiarumque splendorem contulisse ostendit, ad sublimem perfectamque Præsulis sanctitatem nihil desiderari perspicies. Erit hoc sequentis paragraphi argumentum.*

§ V. Templa a S. Laurentio Mediolani condita aut restaurata.

Constructa S. Xysti ecclesia

H*uc spectant sequentia quinque Puricelli capita a* 26 *ad* 30, *tam variis farta amplificataque, ut pars eorum longe minima ad* S. Laurentium *reduci possit. Pro cap.* 26 *unice facit Ennodii epigramma octavum hoc modo inscriptum :* Versus in basilica S. Xysti episcopi facti et scripti, quam Laurentius episcopus fecit. *Sic autem illud habet :*

Antistes genio pollens, probitate, pudore,
Ornavit donum meritis, et lumina vitæ,
Ad pretium ingens operis, hæc templa locavit.
Lapsa per incertos non spargit fama recessus,
Sed veteris facti vivit lex aucta per ævum,
Quam dexter capiat Laurenti munera Xystus.
Sic manet officium quod Sanctis contigit olim ;
Obtulit hic templum, veniens quod consecrat ille. E

Notavit Sirmondus, non alium hic Laurentium *indicari* episcopum, *quam* Mediolanensem *nostrum, in quem præcipue collimasse S. Ennodium, jam toties diximus. Reliqua quæ toto illo capite congerit Puricellus, absque ulla Sancti injuria præteriri poterant.*

alia in meliorem statum reducta:

36 *Sequenti cap.* 27 *dicitur Sanctus* alteram Mediolani ecclesiam, et forte Nazarianam incendio vastatam reparasse, et in statum redegisse longe meliorem, *teste iterum Ennodio epigrammate* 9.

Item in basilica Sanctorum,
quia arserant ædificia quæ prius ibi fuerant,
et sic facta est.

Vilia tecta prius facibus cessere beatis,
Sic splendor per damna venit; sic culmina flammis
Consurgunt, habitura Deum. Si perdita crescunt F
Ignibus innocuis, si dant despendia cultum :
Qualis erit reparans crepitantibus aucta ruinis?
Laurenti tua bella gerens incendia vince.
Sordida marcenti latuisset terra recessu,
Si status faciem tenuissent antra vetusta.
Sed postquam superi flammas misere secundas
Ad lumen cineres traxerunt ista colendum.
Huc oculos converte pios, qui cuncta vapore
Prædicis mundanda, pater, rebusque docendos
Instrue, ne verbis titubet mens nescia recti.

Sanctum hic rursus Laurentium *indicari, dubium non est : cur autem de Nazariana basilica agi suspicetur Puricellus, fatetur se adactum a nostro Andrea Schotto : de qua re in dissertatione Nazariana satis dixerit.*

templum S. Laurentii munifice ornatum :

37 *Ast ibi non stetit* S. Laurentii *in ecclesias Mediolanenses larga munificentia, Ennodianis iterum versibus celebrata, quos noster refert cap.* 28 *sub hoc titulo :* Laurentius archiepiscopus metropolitanam Mediolani ecclesiam multipliciter exornat. *Primo loco describitur epigramma* 10 ; In domo Mediolani : *intellige metropolitanam seu præcipuam basilicam, a Sancto restauratam, quod licet tam diserte hoc primo epigrammate non exprimatur, ex* 12 *et sequentibus satis manifeste ostenditur. Audi igitur epigramma istud* 10 :

Ædibus

AUCTORE J. B. S.

Ædibus ad genium duo sunt concessa per ævum,
Si niteant crustis, aut Domini merito.
Herbida pasturam simulantia saxa virentem
Illiciant oculos nobiliore dolo.
Pellat opus tamen arte, regat natura figuras,
Viscera dum lapidum fingit imaginibus.
Candorem roseo perfundat doctor ab ore,
Depingat sparsis congrua membra notis.
Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas
Non datur humanis plus rutilare bonis.
In pretio cautis fors et sine lege jocatur,
Moribus ut constes, crede, laboris erit.

occasione restauratæ eccl. metropolitanæ,

38 *Clarius multo indigitatur* S. Laurentius *epigrammate* 12, *sub eadem epigraphe* in domo Mediolani.

Aspice de cujus biberit domus arcta fluentis,
Atria quod superat porticibus modicis.
Pontificis summi studio constructa renidet,
Laurenti proprium possidet ista diem.
Splendida per census consurgunt tecta ruinam,
Occasum nescit quod venit a domino.
Vix caries senium comitata hoc deterit umquam,
B Gloria factoris quod bene condiderit.
Fabula de magnis numquam tacitura reservat,
Quod vincens ævum nomen ad astra ferat.

Eodem referuntur sequentia epigrammata quatuor nempe 13, 14, 15 *et* 16, *quibus supponitur Ennodius idem argumentum prosequi, quod mihi non æque compertum, candide profiteor.*

Sancti virtutes

39 *Quod tertium decimum est, dubium prorsus nullum relinquit, quin singulares* S. Laurentii *virtutes, ab Ennodio eleganter expressas, diserte repræsentet, sic enim de ipso sacer poeta loquitur:*

Ille fuit rigidi semper servator honesti,
Terribilis culpis, supplicibusque pius.
Quem numquam flexit vitium, miseratio semper.
Judicium facie certus ubique dedit.
Crimina corripuit vultu, compuncta refovit,
Conscia secreti detulit ora tui.
Hunc utero genitrix cælestem fudit in aulam,
Ubera subducens tradidit uberibus.
Cana venerandum stupuerunt secula vatem:
Moribus ante fuit, quod gerit officio.

C *Interposito asterisco, sic formatur epigramma* 14:

Qui possessa diu felix habitacula liquit,
Quæ crevit domino sic viduata domus.
Aulica suscipiens moderamina raptus inemptum
Quod pretio mentis quæritur, obtinuit.
Nunc locus irriguo retinet quod sorbuit haustu,
Prospera custodiens faucibus acta semel.
Extemplo quisquis successit mansor et heres
Ingresso dextrum contulit ista pedem.
Quid præstet consors ad sanctam discite vitam
Sic reddunt mundo testa dicata viros.

variis epigrammatis prædicat Ennodius.

40 *Neque prætermittenda sunt postrema duo, quorum hoc est* 15:

Da, Pater omnipotens, per secula longa precamur
Spes et certa piis hospitibus veniat.
Candida ne meritis suscentur stamina nostris
Neu metis sistat palma parata meis.
Surgat qui propriæ genitricis fotus in alvo
Ad gustum vitæ per tua dona venit.
Tu mea vel tenui perfundis corda sapore,
Tu testem linguam sanguinis esse facis.
Celsa tenebroso frondescunt arbuta luxu,
Quæ nullis strinxit falcibus agricola.

Denique vero, *inquit Puricellus,* sic etiam epigrammate concludit 16:

Eloquium certus naturæ constitit index D
Perfecti fontem quærere qui sitiat:
Liberas semper studiis reseratur honestis;
Infabricata latet nobilitas studiis.
Captivum venis servasset terra metallum
Ni daret inventor quod vocat in medium.
Scrutator fulvum concessit pallidus aurum:
Qui polit ingenium sic facit esse suum.
Hactenus Ionium perlustrans remige pauco,
Ad portum cymbam flecte Thalia meam.

Baptisterium condidit

41 *De baptisterio a* S. Laurentio *Mediolani condito cap.* 29 *agit Puricellus, recte observans, sapienter suasisse Ennodium, ut ab omni labe purgatam curaret conscientiam, quicumque Deo munera offerre grata et accepta statuerit; meritoque huc etiam* Laurentium *archiepiscopum nostrum, velut aurum, ad imitationem* Laurentii *martyris igne purgatum, exempli loco proferebat in id tempus, quo ille baptisterium construxit: atque hisce lucem præfert epigrammati* 56 *quod est hujusmodi:*

In baptisterio Mediolanensi.

Mundior excocti fulgescat luce metalli
Munera disponit qui dare digna Deo.
Ante vaporatis Laurenti vita caminis E
Constitit, ut blandum nobilitaret opus.
Marmora, picturas, tabulas, sublime lacunar
Ipse dedit templo, qui probitate nitet.
Ædibus ad pretium sic mores conditor addit,
Vellera ceu serum murice tincta feras.
Qualiter inclusas comit lux hospita gemmas,
Nix lapidis quotiens pulcrior arte rubet.

et S. Calimerii ædem reparavit.

42 *Restat ultimum, quod quidem noverimus, in restaurandis sacris ædificiis* Laurentianæ *liberalitatis monumentum, quod cap.* 30 *a Puricello describitur; videlicet quod* reparaverit S. Calimerii archiepiscopi decessoris sui et martyris ecclesiam, *quæ cum antea perobscura fuisset, eam e tenebris opportune liberaverit, alludendo ad Græcum nomen quod pulcram diem significet. Porro* liberatum pariter ac liberatorem *celebravit Ennodius epigrammate inter alia* 60.

In basilica S. Calemeri quando reparata est.

Libera captivum meruerunt culmina lumen;
Arridet facies nubila nulla gerens.
Hic nuper astrigeri dos proxima venit olympi,
Laurenti vatis ducta ministerio. F
Ædibus et vitæ cujus nunc una figura est;
Ceu solis radiis forma, color similis.
Euge vetustorum reparator, perge novorum
Conditor, et vultu clarus et ingenio.
Abjurant priscam, te præsule, tecta, figuram,
Advena casuris porrigitur genius.

Per vatem et hic et superius episcopum intelligi pridem observavit Sirmondus et ex eo Puricellus; quæ de cetero obscuriora sunt, rudi eorum temporum latinitati tribuenda.

§ VI. Tempus episcopatus et obitus; scripta sancto huic Laurentio perperam attributa.

Sedit ab anno 490 ad 512.

E*x pluribus scriptorum Mediolanensium, apud Puricellum cap.* 31, *textibus circa episcopatus* S. Laurentii *durationem, principum et finem, manifeste patet plerosque omnes a vero aberrasse. Alii exordium collocant anno* 496, *alii anno* 506, *alii* 507, *ut id consequatur, quod plerique innuunt, sedisse ipsum sub Pontificibus Symmacho*

A *Symmacho, Hormisda et Joanne, vitamque adeo potraxisse ultra annum 527 : quot capita, tot ferme sententiæ : unde pateat, quam confusa fuerit Mediolanensium episcoporum chronologia ; paulo rectius, ni fallor, in Papebrochiana Exegesi, ante tomum* VII *Maii ordinata, qualem toto suo opere stabilire conatus est Puricellus, cuique verosimillime adhærendum censemus, quemadmodum præcedentibus paragraphis etiam insinuavimus ; sicque sedisse oportuit annis duobus supra viginti, nempe ab anno 490 ad 512, sub Romanis Pontificibus Felice II, Gelasio, Anastasio et Symmacho ; neglectis minutiis, quas non video in ea incertitudine accuratius expendi aut determinari posse. Sit itaque ex decessorum successorumque definitis temporibus verosimillima Papebrochii positio ;* S. Laurentium sedisse annos XXII, depositum VIII Kalendas Augusti ad S. Cassianum.

verosimillime mortuus XXV *Julii.*

44 *De sacri corporis depositione ejusque vero loco satis dictum est paragrapho nostro* I, *ubi de cultu ab immemorabili tempore* S. Laurentio *exhibito disserendum fuit. Porro de ejus obitus die satis etiam perplexa videntur omnia. Volunt* B *plerique, quos sequitur hic Papebrochius, natalem diem incidisse in* VIII *Kalendas Augusti seu* XXV *Julii : aliis præplacet dies* XXVI, *interim indubitatum est, saltem hoc tempore, festivitatem ejus recoli hoc die* XXVII *Julii, seu* VI *Kal. Augusti, teste Petro Paulo Bosca superius laudato ; translatam nimirum ob altioris ordinis celebritates sanctorum Jacobi et Annæ matris B. V., cujus postremæ festum cum in universali Ecclesia adeo antiquum non sit, ad recentiorem aliquam institutionem spectare oportet hodiernam* S. Laurentii *solennitatem, cujus initium et incrementa inquirere queat nemo, nisi ex incertissimis conjecturis, ut proinde satius existimem et in hac parte receptiori sententiæ adhærere, quam Papebrochium secutum dixi, sicque depositum seu potius mortuum censeamus* S. Laurentium *jam dicto die* VIII Kalendas Augusti.

Quæ homilias reperit Mabillonius.

45 *Postrema duo Puricelli capita huc producenda non sunt : penultimum seu 32 totum in probando cultu versatur ; in altero de archiepiscopis igitur* S. Laurentii *successoribus ; ut hic Com-* C *mentario nostro finis imponendus esset, nisi apud Boscam in Martyrologio Mediolanensi quæstionem reperirem, nec a Puricello nec ab ullo alio antea motam, utrum nempe* S. Laurentius *noster aliquid scripserit, quod ad posterorum memoriam pervenerit.* Nusquam, *inquit ille,* mentionem injectam vidi ejus libelli aut homiliæ de muliere Chananæa, quam doctissimus P. Mabillon in lib. I. tom. 2 in variis opusculis veterum Analectorum retulit ex Ms. codice Germanensi. Alius sane Laurentius auctor est illius homiliæ, non autem is, qui archiepiscopatum Mediolanensem gessit. Certe cum P. Mabillon in notis eruditissimis subjiciat superiori libro, seu homiliæ aliam homiliam de pœnitentia cum hac inscriptione : « Incipit liber secundus S. Laurentii de duobus temporibus. Duo sunt tempora « ab Altissimo præstituta etc. » Profecto hæc homilia de pœnitentia illa ipsissima est, cum alia pariter de eleemosyna, quam Carolus a Basilica Petri in vestibulo Novariæ sacræ adscribit S. Laurentio presbytero Novariensi et martyri, cujus meminit Martyrologium Romanum pridie Kalendas Maii.

auctore J. B. S.

sub Laurentii nomine scriptas,

46 Is igitur ille Laurentius est, qui falso Novarum episcopus appellatur : cum a veritate sit absonum, Laurentium ex Novariensi creatum fuisse archiepiscopum Mediolanensem, quandoquidem in tabulis episcoporum Novariensium nullus umquam Laurentius reperitur : uti etiam Cardinalis Bona eumdem fuisse episcopum Novariæ existimavit in notitia auctorum ad librum de divina Psalmodia. Quare Mabillon dissentiat velim a Margarino Binio, atque eat in sententiam eruditissimi episcopi Novariensis Caroli a Basilica Petri, qui in exordio Novariæ sacræ hæc docet. « De homiliis S. Laurentii presbyteri Novariensis Margarinus Bigneus tom. 2. Bibliothecæ veterum « Patrum duos sermones edidit, alterum de pœnitentia, alterum de eleemosyna quos tribuit « Laurentio episcopo Novariensi, ductus quibusdam conjecturis, quæ falsæ sunt.

ex non nostro sancto

« 47 Nam nos nullum Laurentium habemus episcopum, sed tantum presbyterum, qui tempore « longe abest a Laurentio archiepiscopo Medio- E « lanensi, quem archiepiscopatum postea ille putat ab eo adeptum. Itaque non est ille dicendus episcopus, sed presbyter, qua de re « etiam testimonium habetur in libro 2 primi « voluminis litterarum Lucæ Contilis, dum is « scribit ad Guilelmum præfectum Bibliothecæ « summi pontificis die XXX Novembris MDLVIII « sermone Italico. Anguisciola exhibuit academiæ « Venetæ tractatus S. Laurentii presbyteri Novariensis, unum de Pœnitentia, alterum de Eleemosyna etc. » Imo sermonem illum de muliere Chananæa idem Carolus a Basilica Petri adscribit, pariter eidem S. Laurentio presbytero in lib. 2 Novariæ sacræ. Scripta etiam sacris de rebus edidisse legitur. (nempe S. Laurentius presbyter) Cumque alia vetustate, vel temporum injuria periissent, tractatum seu concionem de muliere Chananæa suo tempore exstitisse testatur ejus encomii scriptor, quod inter ecclesiæ majoris tabulas manuscriptum asservatur.

sed synonymo presbytero Novariensi adscribendæ sunt.

48 Cum igitur hæc concio de Chananæa servetur inter ecclesiæ majoris Novariæ tabulas, utique pro bono rei litterariæ, conferenda esset cum Ms. codice Germanensi ; quem laborem facile exantlabunt viri eruditionis studiosi. Vix hæc F scripseram ; cum vir amicissimus J. C. Lazarus Augustinus Cotta Novariensis, qui me antea donaverat Petrii Apollonii Collatini carmine, typis primum edito ; dono pariter dat mihi homiliam de muliere Chananæa, quam S. Laurentius presbyter habuit. Plurima ibi leguntur in notis ad lectorem monumenta Scriptorum de eodem S. Laurentio, quorum testimonio inductus deinde est in errorem P. Mabillon. Verum diluit omnia P. Joseph Maria de Novaria ex ordine religiosissimo Capucinorum validissimis argumentis, queis respondere nequeat Mabillon, tum ex ratione temporum, tum ex rerum examine, desumptis : ita ut eæ homiliæ, quemadmodum ante docuimus, omnino tribuendæ sint S. Laurentio presbytero Novariensi.

A D

DE S. ECCLESIO EPISC. CONFESSORE

RAVENNÆ IN ITALIA

SYLLOGE HISTORICA

De Cultu, ætate et gestis.

ANNO DXXXIV. *Certo colitur ut Sanctus,*

De Ravenna ejusque variis sanctis episcopis jam in hoc opere toties actum est, ut de ipsa urbe aliisve eo spectantibus hic denuo verba facere opus omnino non sit: utinam alicubi ita explicatum esset, quot episcopi sanctitatis titulo veroque cultu donati sint. Siquidem in ejus ecclesiæ Kalendario, quod habemus pro anno 1660 *editum, numerantur universim viginti quorum festa ibidem recensentur: decem et septem dumtaxat expressit Ughellus: in Baronii topographia Martyrologii Romani non plures duodecim exhibentur. Interim vero in Agnelli libro Pontificali, seu de Vitis pontificum Ravennatum, a V. C. Benedicto Bacchinio edito atque eruditissimis observationibus illustrato, continua serie computantur septem et viginti primi episcopi, omnes sanctitatis titulo insignes, ac præterea SS. Felix* XXXVIII *et Valerius a Bacchinio superadditus, ordine* XLIV. *Non opinor, eos omnes a Ravennatibus ut tales agnosci, saltem annua festivitate celebrari, de qua re alibi quæretur opportunius : hic solum dubium esse posset, utrum in Sanctorum seu beatorum numero censeatur* Ecclesius, *hujusmodi solennitate honoratus, nisi in citato Kalendario hoc die referretur cum Officio duplici, atque ut talis a majoribus nostris jam laudatus esset ad* XXII *Februarii in Vita S. Maximiani, in qua non nulla traduntur quæ ipsi cum Sancto hoc nostro communia sunt, hic proinde non repetenda.* B

quaquam antiquis Fastis incognitus,

2 *Id vehementer miratus sum, sanctum istum* Ecclesium *in nullis prorsus Fastis sacris classicis, ne quidem in Usuardinis auctariis usquam signari, ut tuto dicere posse videar, a solo Ferrario Sanctorum Italiæ Catalogo, et postmodum etiam generaliori adscriptum fuisse, unde procul dubio ipsum transtulerit Castellanus in Martyrologium suum universale. At quacumque causa id acciderit, hodie Ravennæ ipsum coli adeo certum est, ut dubitatio omnis facile deponi potuerit. Neque vero de ejusdem cultus diuturnitate hic disputandum est, nam sive præterito primum seculo festum ejus celebrari cœperit, sive a seculis pluribus; securos nos esse oportet quod hoc tempore aris admotus sit, eaque solennitate festivitas ejus annue recolatur quam modo indicavimus, nempe Officio ecclesiastico duplici. Præterquam quod in antiquo lapide* Sancti *titulum expressum velint; exhibeatque Bacchinius ejus imaginem, templum manu gerentem cui subscribatur* S. ECCLESIUS : *quod tamen mirum est non vidisse Rubeum, ita scribentem pag.* 154: Ecclesii imaginem in templi testudine, opere tessellato pingendam curavit Argentarius, quæ adhuc exstat, templum in manibus habentem, cui inscriptum est ECCLESIUS EPISCOPUS. *Ceterum quæ ad ejus hodiernum cultum spectant, jam satis demonstrata existimo.* C

hoc die tamquam natali.

3 *De vero Sancti natali seu proprio obitus die nihil suppetit quo is certo definiri possit, tacente Agnelli Pontificali, unde is potissimum erui debuisset, quem cum nusquam expresserit, id ex eo silentio non inepte colligi posse videtur, quod seculo saltem nono, quo Agnellus floruit, determinatum cultus ecclesiastici diem nec* S. Ecclesius *nec plerique alii episcopi, quos tamen* Sanctos *ipse rotunde appellat, habuerint, neque proinde annua festivitate honorati fuerint. Quandonam cultus iste cœperit, quærere equidem supersedeo, satis modo constat, hoc die Sanctum legitima auctoritate celebrari, forte quod illum ipsum diem diserte signaverit Rubeus jam dicta pag.* 154 *his verbis :* Per hos dies moritur Ecclesius Ravennas archiepiscopus in ipsa ædificatione templi D. Vitalis media, VI Kalendas Sextiles. *Suffecisset scribere* episcopus, *quandoquidem ipsemet Rubeus paulo inferius fateatur ;* neque enim tunc archiepiscoporum titulo, neque multis deinde annis Ravennates antistites vocabantur. *At quidquid hujus sit, de quo pluribus disputat Bacchinius, notata ibi dies* XXVII *Julii hodie obtinuit, nullo, quod sciam, Rubeo refragante, fatenteque Bacchinio,* S. Ecclesium *saltem eo mense Julio e vita migrasse, ut modo in hac parte nulla difficultas moveri posse videatur.* E

Episcopatus anni 28

4 *Non æque plana sunt quæ de* S. Ecclesii *ætate, maxime de principio, duratione et fine episcopatus a Ravennatibus scriptoribus tradita habemus : quos inter præcipuus laudatus Rubeus aliis errandi ansam præbuisse videtur. Meum hic non est, totam decessorum successorumque* S. Ecclesii *seriem digerere aut ordinare, quod jam abunde præstitit Bacchinius, dum ex Agnello Sancti hujus aliorumque episcoporum tempora operose restituit Dissertatione quarta, cujus hic principium describendum censui :* Ut, quod in præcedentibus præstiti, chronologiam Ravennatum pontificum pro viribus illustrem, hæc ad sequentes quinque episcopos dissertatio est præmittenda. Rubeus, quem secuti sunt qui recentius scripsere, neglectis ex parte iis, quæ Agnellus tradit ad prædictorum tempora decernanda spectantibus, in hunc modum uniuscujusque præsulis sedem definit. Aurelianum anno DX, VII Kalendas Junii mortuum statuit, ac ab eodem anno Ecclesii episcopi initia auspicatur. Ecclesii obitum anno DXLII consignat, et Ursicinum subrogat, quem, Agnellum secutus, tribus annis sedisse ait, defunctumque anno DXLV *etc.* F

ex Agnello ad 10 melius restricti.

5 *Receptissima itaque fuit scriptorum Ravennatum, etiam Hieronymi Fabri et aliorum opinio, sedisse* S. Ecclesium *annis octo supra viginti, ut in sua annotatione observat Ferrarius ex Onuphrio Panvinio, nempe ab anno* 514 *ad* 542, *quod plane secutus est Ughellus dum Sanctum* viginti et octo annos in ea dignitate superstitem fuisse

A fuisse *asseruit, non minus errans in die obitus, ubi ait ipsum* requievisse VI Kal. Septembris, *pro quo Augusti debuit scribere. Observo prætererea, a recentioribus istis omnibus statui,* S. Ecclesium *ordine fuisse episcopum* XXVI, *contra quam numeret Agnellus,* XXIII *dumtaxat appellans, ex quo seculi noni scriptore Sancti ætatem, ceteraque eo spectantia felicius eruderavit Bacchinius. Qualis porro de cetero fuerit Agnellus ille, quamque modicæ auctoritatis in plerisque censendus sit, tam pathetice et dilucide in præfatione sua idem Bacchinius exposuit, ut de iis hic pluribus agere supervacaneum sit; sufficiat nobis, ex ipso* S. Ecclesii *veram ætatem, saltem episcopatus tempora eruisse, juxta laudatam dissertationem, ubi ita lego pag.* 10: Obierit itaque anno prædicto DXXXIV Ecclesius; cum sederit ex nostro annis X, mens. V, diebus V, consequitur, circa initia anni DXXIV eumdem ordinatum fuisse, quare anno subsecuto DXXV, cum Joanne Pontifice Romano aliisque episcopis potuit Constantinopolim pergere, quod Agnellus ipse tradit. *Vide tabulam chronologicam in fine dissertationis adjectam.*

B *De ejus gestis brevissime egit Rubeus,*

6 *Atque hæc quidem eatenus ex Agnelli libro Pontificali ad accuratiorem chronotaxim reduci potuere, id vero dolendum quam maxime, quod* S. Ecclesii *Vitam tam jejune delibaverit, ut de gestis ejus vix quidquam memoraverit præter ea quæad ecclesiarum ædificationem aut ornatum contulisse dicitur. Neque hic succurrit Rubeus, qui aliquorum pontificum Ravennatum gesta ex antiquis monumentis uberius enarrans,de hoc vix aliud habet præter Agnelli, quem procul dubio vidit, breve compendium; lib.* 3 *ad annum* 514, *ut diximus, initia ejus perperam referens: eodem libro ad annum* 524 *et* 525 *notissimam legationem ad Justinum, jussu Theodorici cum S. Joanne Papa aliisque susceptam: anno* 526 *disceptationem cum clericis, a Felice PP. IV compositam: an.* 541 *erectionem templi beatissimæ Mariæ Virginis ex propriis ædibus, quæ omnia apud Agnellum leguntur. Verum cum aliqua ibi addat Rubeus quæ in illo desiderantur, hinc Sylloges nostræ conclusionem opportunius desumemus, dum aliunde nihil prorsus suggeritur, quod ad* S. Ecclesii *gesta illustranda conducat. En igitur quæ narrat Agnellus, more suo satis turbate et confuse, non nulla etiam admiscens quæ ad Sancti* C *Acta minus spectant, quæque cum ceteris apud Bacchinium, utcumque fieri potuit, explicata inveniuntur. Sic scribit cap.* 1, DE SANCTO ECCLESIO.

neque ex Agnello

7 Ecclesius XXIII. Sanctum vas. Æqualis statura, nec longam attulit, nec brevem avertit. Plenum capillis habens caput, hirsutumque; super aurem modica canities, decorusque forma. Ipsius temporibus ecclesia B. Vitalis martyris a Juliano Argentario, una cum ipso Præsule fundata est. Et hic Pontifex in suo proprietatis jure ædificavit ecclesiam sanctæ et semper Virginis intermeratæ Mariæ, quam cernitis, mira magnitudine, et cameram tribunalis: in camera effigies S. Dei Genitricis, cui similem numquam potuit humanus oculus conspicere. Si quis vir ausus est diutissime intueri imaginem illam continentem, ita versus metricos sub suis pedibus, videlicet:

Virginis alma micat, Christum quæ cepit ab astris,
Nuntius e cælis angelus ante fuit.
Mysterium! Verbi Genitrix et Virgo perennis
Auctorisque sui facta parens Domini.
Vera Magi, claudi, cæci, mors, vita fatentur.
Culmina sacra Deo dedicat Ecclesius.

AUCTORE J. B. S.

multa ad ipsum spectantia eruuntur.

8 *Pergit Agnellus:* Inchoatio vero ædificationis ecclesiæ parata est a Juliano, postquam reversus est prædictus Ecclesius pontifex cum Joanne Papa Romam de Constantinopoli cum ceteris episcopis, missi a Theodorico in legationem, sicut superius audistis. Ædificavit Tricolim, sed inconsummatum reliquit. Heu! vobis gregibus, quales erant pastores! Quantum mutati estis ab illis! Vera lucerna in Ecclesia fuerunt, quorum lumen lucernæ quotidie fulgebat his, qui in domo Dei erant, sicut dicit Dominus: Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; et aliter; Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Sufficiant ista hodie, ut isto amoto, alium pontificem introducamus. Sed sicut superius dixi, in tempore ipsius ecclesia B. Vitalis martyris a Juliano Argentario constructa est. Nulla in Italia ecclesia similis est in ædificiis et in mechanicis operibus. Expensas vero in prædicti martyris Vitalis ecclesia, sicut in elogio sanctæ recordationis et memoriæ Juliani fundatoris invenimus, XXVI millia E aureorum expensa sunt solidorum. Igitur ille Beatissimus obiit et sepultus est in ecclesia B. Vitalis martyris, infra monasterium S. Nazarii, ante altarium, in medio loco juxta corpus, hinc B. Ursicini antistitis et inde B. Victoris, in medio autem iste.

Controversia cum clericis Romæ composita,

9 *Multis pauca, et quid non extra rem? Cap.* 2 *turbas delibat inter clerum Ravennatem et sanctum Episcopum, a Felice Papa compositas:* Contigit eo tempore ut inter B. Ecclesium pontificem et sacerdotes de singulis rebus ecclesiæ contentio adcrevisset. Ierunt ad sanctum Papam Felicem urbis Romæ, ut inter eos justa moderamina sanciret; qui accersitum Ravennatem pontificem cum clero universo, mox inter eos decretum statuit atque firmavit, continentem ita. *Sequuntur Felicis Papæ litteræ tam incorrectæ et variis locis mutilæ, ut Bacchinio strenue laborandum fuerit, tum ad reddendum genuinum textum, ab imperito amanuensi corruptum, tum vero ad concinnandam analysim, qua intricatam controversiam quoquo modo exponeret. Ea autem cum ibi exstent, et denuo edita sint inter rerum Italicarum Scriptores tomo* 2, *a V. C. Ludovico Antonio Muratorio secundis curis recensita, non putavi operæ pretium, aut litteras ipsas aut observationes hic describere, quod ad Sancti præclare gesta parum conferant, et forte ad nonnullam invidiam* S. Ecclesio *constandam ab Agnello schismatico adducta videantur. Sic ipse narrationem suam qualemcumque absolvit.* F

vitæ reliquum et obitus,

10 Resipuit autem beatus post hæc Ecclesius, et sic fuit ovibus velut pater cum filiis, et largivit omnia clericis suis, ut correptus fuit a Romano Pontifice; imo et amplius largus factus est, et posthæc rexit ecclesiam suam in pace, et nullum verbum murmurationis, nisi laudes a suis audivit clericis, et hæc statuta permansit suis posteris multis temporibus. Sepultus est, ut diximus, in ecclesia S. Vitalis: et in atrio ipsius fontis * aulæ versus metricos jussit tessellis argenteis scribi continentes ista:

Ardua consurgunt venerando culmine templa
Nomine Vitalis sanctificata Deo.
Gervasiusque tenet simul hanc Protasius arcem,
Quos genus atque fides, templaque consociant.

* al. frontis.

His

AUCTORE J. B. S.

His genitor natis fugiens contagia mundi,
Exemplum fidei martyriique fuit.
Tradidit hanc primus Juliano Ecclesius arcem,
Qui sibi commissum mire peregit opus.
Hoc quoque perpetua mandavit lege tenendum;
His nulli liceat condere membra locis.
Sed quod pontificum constant monumenta priorum,
Fas ibi sit tantum ponere, sed similes.

Sedit autem annos x, mens. v, dies vii. *Ut male supra num.* 5 *scripserit Bacchinius* dies v.

donaria ecclesiis collata.

11 *Nequid de gloriosis Sanctis gestis, præsertim in ecclesias munificentia desiderari patiar, ea hic adjicio quæ præter Agnelliana suppeditavit Rubeus citata jam non semel pag.* 154: Hujus templi, *nempe S. Mariæ Majoris a se exstructi*, curam sacerdotibus, communitatem vitæ victusque servantibus, tradidit, his adjunctis muneribus: patena ex auro; urnis sacris argenteis septem, ex auro una; fundis quatuor in agro Ravennati. Ursiano etiam templo dono dedit patenam ex auro librarum quinque; urnas sacras ex auro, pretiosissimis gemmis distinctas, complures: candelabra ex argento duodecim: aram quoque ex argento erexit ducentarum librarum; nec non multa alia templa muneribus exornavit. Nam et hoc tempore Ravennas ecclesia bonis martyrum aucta est, quæ ad Cæsaris ærarium fuerant earum calamitatum seculo adjuncta. Quamobrem multo efficaciori appellatione, Ravennatem ecclesiam sanctam et amplam vocaverunt, quod non ipso solum cruore martyrum, sed eorum etiam bonis aucta firmataque sit. Tricollim Ecclesius aggressus, perficere non potuit, quemadmodum neque D. Vitalis templum, cujus ædificationem Justinianus, ex scriptorum Ravennatum sententia, Ecclesio et Juliano mandaverat. D

J. B. S.

DE S. ÆTHERIO EPISC. CONFESSORE

E

B

AUTISSIODORI IN GALLIA

Sec. VI. Tam ignota est ejus historia,

Quam notus et celebris est sanctus hic Ætherius sive Etherius *Autissiodorensis episcopus in sacris Fastis Latinis, etiam antiquissimis, tam sunt ignota gesta ejus omnia, in historia episcoporum Autissiodorensium apud Labbeum tomo* I *Biblioth. Mss. tam obiter perstricta, ut recte in Observationibus ad Usuardum pridem notaverim, solo nomine et cultu memoriam ejus in ea ecclesia superstitem. En paucissima quæ isthic de ipso referuntur:* Ætherius *(ordine est* XVIII*)* sedit annis IX, mensibus VI; obiit VI Kalendas Augusti, et sepultus est in basilica S. Germani. Fuit enim temporibus Benedicti Papæ, imperante Tiberio Constantino. Fuit civitas sine episcopo dies quatuor. *Qua porro fide hæc subsistant, ex eo collige, quod Benedictus Papa obierit anno* 577, *priusquam* C *Tiberius ille Constantinus ad imperium adlectus sit anno primum* 578, *ubi alii Sanctum volunt non ultra annum* 573 *pervenisse. Quod dicatur sedisse* annis IX, mensibus VI, *id refellit Georgius Viole in Ms. collectione, nobis a Castellano submissa, ubi episcopatus ei solum tribuit annos circiter quatuor, Baronio, in notis ad Martyrologium, ei ex Demochare annos sex adscribente. Primam opinionem secutus est Galesinius dum rotunde enuntiavit* Autisiodori, S. Ætherii episcopi et confessoris. Hic ecclesia sibi commissa, annis x et mensibus VI pie administrata, vita sancte acta, virtutum multarum laude, Benedicto Pontifice, florens obdormivit in Domino.

quam celebris est in Martiis.

2 *Fateamur itaque, obscura hæc omnia esse et incerta; non item cultum, ut jam dicebam, nam licet in Hieronymianis adjectitius censeri debeat, in omnibus tamen diserte ponitur. Textus Florentinii habet:* In civitate Autisiodoro, depositio S. Etheri episcopi: *in aliis apographis;* In Autisiodoro civitate, depositio Hetherii *vel* Etherii. *Iisdem prope verbis refertur etiam in Hagiologio Franco-Gallico a Labbeo quoque edito. Bedæ, Romano parvo et Adoni prætertus est, at classici ceteri, Hieronymiana secuti, Rabanus et Notkerus, præcipue vero Usuardus cum tota sua progenie ipsum diserte signant,* Autisiodori depositio Etherii episcopi. *Non minus certum est, perpetuo cultu ecclesiastico in ecclesia sua hoc die donatum fuisse, quamvis sub ritu simplici, ut ex Kalendariis, etiam recentioribus apertissime constat. Rem concludat Saussayus hoc suo qualicumque elogio:* Autissiodori, depositio sancti Ætherii episcopi et confessoris. Hic laude sapientiæ et religionis excellens post S. Romanum illius ecclesiæ gubernacula gessit, qua annis x et mensibus VI pie administrata, omni virtute episcopali ornatus, abiit ad præmium.

Quid de eo supersit.

3 *Habe jam paucis quæ de posthuma Sancti gloria collegit laudatus Viole, quæque ex Gallico hic vertuntur.* Depositus est, *inquit,* in cryptis ecclesiæ S. Germani prope sacellum sanctissimæ Trinitatis, ubi olim vetus imago exstabat, subscripto S. Etherii nomine. Certe cum anno MDXXXVI ibidem terra effoderetur, inventa sunt ossa nonnulla, quæ sancti hujus Episcopi esse censentur. F Nihilominus Henricus Autissiodorensis ipsius non meminit, neque S. Eleutherii in celebri translatione anni DCCCLXII, dum ex variis istius ecclesiæ locis collecta fuere multorum Sanctorum corpora et sub ara principe deposita. Est et ibi ejus pictura ad latus beatissimæ Virginis qua genuflexus repræsentatur. *Leguntur item versiculi Latini non satis puri, per modum epitaphii ad ejus nomen alludentes:*

Naturæ sinus est æther, rore, imbre, calore
Omnia fœcundat, diluit atque rigat.
Num æther qui dictis, signis ac moribus auget
Irrigat et mentes perfuit Ætherius?

Emblema ejus repræsentasse dicitur manna e cœlo lapsum, quod colligentes Israelitæ Moysi et Aaroni offerunt, adscriptis verbis Hebraicis, quæ hisce Latinis respondent, QUID EST HOC?

A

DE S. ANTHUSA VIRGINE

CONSTANTINOPOLI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Cultus, elogia, locus in quo vixit.

Sub Constantino Copronymo. Memoria in Martyrologio Romano, et in Græcis Fastis

Romanum Martyrologium Sanctam hanc hodierno die annuntiat his verbis :* Constantinopoli beatæ Anthusæ virginis, quæ sub Constantino Copronymo ob cultum sanctarum imaginem verberibus cæsa, et exilio relegata, quievit in Domino. *Ita, inquam, eam annuntiat dictum Martyrologium, quam accepit e Menologio, ab Emi-*
B *nentissimo Sirleto in latinum converso, et apud Canisium edito : ubi sic refertur :* Eodem die *(*XXVII *Julii)* commemoratio beatæ Anthusæ sub Constantino imperatore, cognomento Copronymo : *cum elogio ; quo etiam honoratur in Synaxario Basiliano. Supplementum nostrum, quod vocamus, ad Menæa Græca excusa, ex Mss. Sirmondo-Chiffletianis , pluries alias a nobis citatis, eamdem etiam Sanctam, sed paulo aliter, commemorant :* Μνήμη τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Α'νθούσης, τῦς συγκειμένης εἰς τὴν εὐαγεστάτην μονὴν τοῦ Μαντινέου. Memoria sanctæ matris nostræ Anthusæ, conquiescentis in sanctissimo monasterio Mantinei. *Et mox subduntur duo sequentes versiculi :*

'Ανεῖπε Χριστὸν "Ανθουσα παρὰ πλάνοις,
Καὶ Χριστός αὖθις "Ανθουσαν παρ' ἀγγέλοις.
Anthusa Christum prædicat coram planis ;
Coram angelis post Christus Anthusam sonat.

refertur.

2 *Elogium satis longum, quod subnectitur, daturi sumus postea loco Actorum ejus, seu Vitæ, quæ si scripta aliquando fuit, certe ad nostras*
C *manus nondum pervenit. Ultimæ autem isti annuntiationi fere ad singula verba consonat annuntiatio, quæ habetur in apographis nostris excerptis e bibliotheca Ambrosiana. En illam :* Μνημη τῆς ἁγίας 'Ανθούσης, τῆς συστησαμένης τὴν ἁγίαν εὐαγεσάττην μονὴν τοῦ Μαντιναίου. Memoria sanctæ Anthusæ, quæ construxit sanctum *atque* integerrimum monasterium Mantinæi. *Elogii, quod annectitur, mox habebitur ratio.* Memoriæ *item* S. Anthusæ *invenitur in Martyrologio Arabico Ægyptio* ; hoc est, *prout addit,* Rosæ. *Si Græcum etymon considerasset ipsius auctor, vel quisquis illud addidit, potius dixisset* Florentis, Floridæ *vel* Florentiæ, *ab* ἀνθέω, floreo. *Illud observatu dignum est, quod Taurinense β ac Taurinense α de hac Sancta agant die sequenti, teste nostro Henschenio ad finem elogii, ex laudata superius bibliotheca Ambrosiana excerpti. Cur vero Martyrologium Romanum, quod et nos secuti sumus, Sanctam annuntiet CPoli, aliam causam non scimus, quam quia sub Constantino Copronymo passa fuisse traditur.*

Elogium ex Synaxario Basiliano

3 *Annuam* S. Anthusæ *memoriam excipiant nunc elogia ejus breviora. Atque illius imprimis habenda nobis est ratio, quod legitur in Synaxario Basiliano, et cujus textus Græcus a nobis prælo editus est ad calcem tomi* I *mensis Julii ; quique proinde, ut ab istius linguæ ignaris intelligi queat, opportune hic fiet Latinus. Sic itaque sonat :* Sancta Anthusa fuit sub regno Constantini Caballini. Rebus autem mundanis nuntium remittens, et Christi desiderio flagrans, in montibus ac speluncis vixit : et cum presbyterum quemdam monachum sanctum invenisset in regionibus Mantinei degentem, in vita ascetica illum imitata est, atque eo pervenit virtutis, ut in furnum vehementer accensum ingressa sit, et non combusta. Post obitum vero Sisinnii , sanctissimi presbyteri , dum Caballino innotuisset, quod sanctas honoraret ac E
veneraretur imagines, ab iis, qui ab ipso missi erant, coacta, ut earum abnegaret cultum, sed obedire nolens, graviter cæsa est. Postea autem uxori imperatoris, quæ parere non poterat, significavit, quod duas paritura esset proles , hanc quidem marem, hanc vero feminam. Hoc ubi accidisset, a tormento Sancta liberata fuit ; et imperatricem adeo erga se bene affectam reddidit, ut matris loco se haberet : et sic obdormivit. *Constantinum Copronymum, a S. Joanne Damasceno* Caballinum *dictum, et cur, tradit Pagius ad an. Christi* 727.

et Menologio apud Canisium.

4 *Eadem fere memorat elogium a Canisio editum, in illis ab hoc diversum, quod Sancta dicatur* multis miraculis a Deo ipso digna effecta ; *quod Copronymus* flagris cædi jusserit fratrem consobrinum, quem beata illa Virgo ad sanctarum imaginum venerationem hortabatur ; *quod ipsa* sacras imagines supra caput accensas susceperit ; *quæ* mox, *uti additur,* in exilium mittitur ; *quod* prænuntiarit *prolis* utriusque vitam et statum ; F
quod regina ipsa *(seu potius imperatrix)* monasteriis, quæ sub illa erant, beneficia multa contulerit : *quod denique* in summa senectute accesserit ad Dominum. *Sed plura, quæ ad res Sanctæ gestas spectant, videre est in elogio, quod e Græco versum huic Commentario nostro subjiciemus.*

Anthusa alia non videtur alicubi distingui a nostra.

5 *Baronius de illa agit ad annum* 775, *occasione* S. Anthusæ, *Constantini Copronymi filiæ ; ubi ex Menologio Basilii imperatoris refert, isti Sanctæ nomen inditum fuisse a nostra* Anthusa *synonyma* seniori ; *uti eam ad textus sui marginem vocat ; sed nos in nostro exemplari Græco dicti Menologii seu Synaxarii ad hunc, quem Baronius citat, diem* XXVII *Julii, additum illud non invenimus ; de quo item nihil legimus die* XVII *Aprilis, quo ista Anthusa a nobis data est. Utramque* Anthusam *non videtur satis distinxisse Cangius in Familiis Augustis Byzantinis pag.* 125, *ubi sic loquitur :* Narrant Menologia, Copronymi conjugi SANCTAM ANTHUSAM, cum pareret, filium et filiam in lucem edituram, ac utriusque fortunam prædixisse. Sed et Menæa ANTHUSAM IPSAM filiam fuisse ejusdem Copronymi volunt, quæ cum conjugio nuntium dixisset, superstite adhuc patre *etc. Mirum est, ita indiscriminatim scribere Cangium potuisse , si Menologium Sirleti hoc die* XXVII *Julii, et Menæa* XII *Aprilis, quæ citat, inspexerit.*

AUCTORE J. P.

spexerit. Gononus inter insignium eremitarum Orientis Vitas pag. 12 *de nostra meminit ex Menologio Græcorum, quam et Arturus a Monasterio ad diem hunc* XXVII *Julii inserit suo Gynæceo.*

Locus, in quo vixerit Sancta,

6 *Difficultatem facessit* monasterium Mantinei, *in quo Sancta conquiescere dicitur superius num.* 1; *et mox num.* 2 *vidimus, quod construxerit* monasterium Mantinæi. *De* regionibus Mantinei, *ubi presbyterum monachum invenerit etc. habes num.* 3. *Apud Sirletum est* Martinei, *mendose ni fallor, contra citata jam exemplaria, quæ aliter legunt.* Mantinei *item* regiones *recurrunt infra in elogio num.* I. *Quodnam hoc sit monasterium, quæve regio, et quo loco sita sint, non est nobis promptum determinare. Rem non elucidant ea, quæ in dicto isto elogio memorantur num.* 2, *nimirum quod Sancta, comam jam tonsa, a Sininnio thaumaturgo* in insula parva paludis, quæ propinqua est pago Perikile, habitare jubetur. *Ab insula parva anonyma, uti et a palude innominata,* B *nec non a pago aliquo, qui nominatur quidem, sed vel obscuri sit nominis vel inquisitionis, quid lucis hic nobis mutuari tuto liceat? Legimus quidem apud Socratem lib.* 2, *cap.* 38, *pag.* 144 *editionis Valesianæ:* Cum audiisset *(Macedonius)* in provincia Paphlagonia, et præcipue apud Mantinium (κατὰ τὸ Μαντίνιον) quamplurimos esse addictos sectæ Novatianorum. *Et paulo post:* Sed qui Mantinium incolebant *etc. Sed si locus iste hic intelligi possit, in obscuro manet ejus in individuo situs; fatente Christophoro Cellario in* D *Notitia orbis antiqui tomo* 2, *lib.* 3, *cap.* 8, *pag.* 193, *ubi de Paphlagonia Mediterranea agit, incertum esse hunc locum.*

inventu difficillimus:

7 *Suidas habet* Μαντίνειον, *sed quamquam is locus esset, quem quærimus, nihil nos juvare posset: quia solum loci nomen memorat, situm tacens:* Mantineum, *inquit,* loci nomen. *Quoniam vero hic quæritur de* Mantineo, *quæ sit regio vel provincia, ideo locum non habet* Mantinensium disjunctio, *quæ apud eumdem Suidam sic exponitur:* Lacedemonii Mantinensium urbem in quinque pagos diviserunt: et hoc vocatum est Mantinensium disjunctio. *Eamdem ob causam non potest hic intelligi* Mantinea (Μαντίνεια) urbs Arcadica, *apud Suidam notata. Sed an* Mantinenses, *quos nominat, huc spectant? Quisnam id definiat? cum nominis notionem in tenebris relinquat, dicens, esse* gentile *nomen. Plura huc non congerimus: quia de distincto atque individuo loci hic controversi situ desperamus, ulteriorem operam frustra impensuri.*

Apographum, quod damus.

8 *Nunc Sanctæ elogium subjungimus ex apographis nostris Sirmondo-Chiffletianis, quæ in* E *eo ambo inter se conveniunt; uti annotatum sua manu reliquit Papebrochius ad calcem textus Græci, quem ab ipso transcriptum nos hic latinitate ac typis donamus. Consentit item isti elogio in aliquibus, illud, quod excerptum est e Mss. nostris Græcis bibliothecæ Ambrosianæ; sed tamen isto alio, quod integrum excudimus, longe brevius est. Ubi usus tulerit, ambo inter se conferemus. Auctor nos latet.*

ELOGIUM

AUCTORE ANONYMO

Ex Ms. Synaxario P. Sirmondi membranaceo, et Ms. P. Chiffletii chartaceo, cum alio breviore bibliothecæ, Ambrosianæ collatum.

Sancta a Sisinnio presbytero ad virtutem informatur,

C Fuit hæc, imperante Constantino Copronymo *a*, piis parentibus Strategio et Febronia oriunda. Ab ipsis maternis, ut ita dicam, ulnis Beata desiderio castitatis flagrans, in montibus ac speluncis, ut Apostoli verbis utar, vitam instituebat, omnes hujus vitæ res exosa, solumque secessum amplectens ac diligens. Dum vero diebus istis monachus quidam presbyter, cui Sisinnio *b* nomen, Mantinei *c* regiones peragraret, in omnis se virtutis instituto exercens, ejus imitari zelum Beata constituit. Et primo quidem ab ipso fingitur ac regulis informatur: ac in clibanum denique accensum jussu ipsius ingressa, illæsa inde egreditur; aliasque altissimas, et prope ad Deum accedentes virtutes ediscit.

virtutibus excellit,

2 Prænuntiavit autem is ipsi, futurum ut et monasterium conderet, et nongentarum *d* sororum regimen susciperet. Postea comam tondetur; et in insula parva paludis, quæ propinqua est pago Perikile *e*, habitare jubetur ab illo thaumaturgo. Post hæc abstinentiæ et austeritati vacans Beata, sanctæ et consubstantialis Trinitatis habitaculum se præstitit. Ferro quippe se colligans, et cilicio se vestiens, his, qui supra carnem ac mundum sapiunt, cognita fuit. Et dum aliquando magnum conveniret Sisinnium; templum matri Deiparæ ut ædificaret, is ipsi persuasit. Qui postquam pluribus eam tunc instituisset documentis, et ea

Αὐτη ὑπῆρχε ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου τοῦ Κοπρωνύμου, γονέων εὐσεβῶν Σρατηγίου καὶ Φεβρωνίας. Ἐξ αὐτῶν τῶν μητρικῶν, ὡς εἰπεῖν, ἀγκαλῶν ἡ μα- F καρία τὴν ἁγνείαν ποθοῦσα, ἐν ὄρεσι καὶ σπηλαίοις κατὰ τὸν Ἀπόστολον διῃτᾶτο, πάντα μὲν τὰ βιωτικὰ μισοῦσα, μόνην δὲ τὴν ἡσυχίαν ἀσπαζομένη καὶ στέργουσα. Κατ' αὐτὰς δὲ τὰς ἡμέρας μοναχοῦ τινος πρεσβυτέρου Σισιννίου καλουμένου, τοῖς τοῦ Μαντινέου χωρίοις ἐπιδημήσαντος, καὶ πᾶσαν ἰδέαν ἀρετῆς μετερχομένου, εἰς ζῆλον αὐτοῦ καὶ μίμησιν ἡ μακαρία διανίσταται. Καὶ πρῶτον μὲν ὑπ' αὐτοῦ τυποῦται καὶ κανονίζεται· καὶ εἰς κλίβανον εἰς τέλος ἐκκαέντα πρὸς αὐτοῦ κελευσθεῖσα ἐλθεῖν, ἀβλαβὴς ἐκεῖθεν ἐξέρχεται, καὶ ἑτέρας ἀρετὰς ὑψιλωτέρας καὶ τῷ Θεῷ ἐγγίζουσας ἐκμανθάνει.

2 Προσηγγέλλει δὲ αὐτῇ καὶ τὸ μοναστήριον συνίστασθαι, καὶ ἐνακοσίων ἀδελφῶν προστασίαν ἀναδέξασθαι. Ἔπειτα κείρεται τὴν κόμην, καὶ ἐν τῷ νησιδίῳ τῆς πελαζούσης τῇ Περικιλὲ* κώμῃ λίμνης πρὸς τοῦ θαυματουργοῦ ἐκείνου γέροντος οἰκεῖν ἐγκελεύεται. Ἐγκρατείᾳ δὲ μετὰ ταῦτα καὶ τῇ λοιπῇ σκληραγωγίᾳ χολάζουσα ἡ μακαρία, τῆς ἁγίας καὶ ὁμουσίου Τριάδος καταγώγιον ἑαυτὴν ἀπειργάσατο. Σιδήροις γὰρ ἑαυτὴν καταδήσασα καὶ τριχίνοις ὑφάσμασι ἀμφιάσασα ἔξω σαρκὸς καὶ κόσμου τοῖς γε νοῦν ἔχουσιν ἐγνωρίζετο. Καί ποτε τῷ μεγάλῳ Σισιννίῳ παραβαλοῦσα, νεὼν τῇ μητέρι τῆς Θεομήτορος αὐτῇ ἀναγεῖραι κατεδυσώπει. Ὁ δὲ πάμπολλα τέως αὐτῇ νουθετήσας καὶ διδάξας

* Sim. Πέρκιλε

A δάξας, καὶ τὰ μέλλοντα αὐτῇ συμβαίνειν προειπὼν, ἀπέστειλεν, τῆς ἑαυτοῦ μεταστάσεως τὸν καιρὸν αὐτῇ σημάνας.

3 Μέχρι δὲ τῶν τριάκοντα ἀδελφῶν τῇ ὁσίᾳ φοιτησάσαι, καὶ τοῦ εὐκτηρίου οἴκου δομηθέντος, καὶ εἰς τέλος ἤδη τῶν ῥηθέντων τῷ γέροντι καταπειγομένων προσελθεῖν, μεθίσταται τοῦ βίου ὁ θαυμαστὸς ἐκεῖνος Σισίννιος. Πειθομένην δὲ ἀδελφότητα ἡ μεγάλη Ἄνθουσα βλέπουσα δύο ναοὺς ἐκ βάθρων αὐτῶν ἀνέστησε τῇ Θεομήτορι καὶ τοῖς Ἀποστόλοις· ὧν τὸν μὲν Θεομήτορος ταῖς μονοζούσαις τὸν δὲ τῶν Ἀποστόλων τοῖς μοναχοῖς ἀπεκλήρωσε. Πολλοὶ δὲ τοῖς τῆς μετανοίας κέντροις νυττόμενοι, καὶ πάλαι μὲν πρὸς τὸν ἅγιον Σισιννιον περιεγένοντο, νῦν δὲ καὶ πρὸς τὴν μεγάλην Ἄνθουσαν, ὑπ' αὐτῆς παιδαγωγούμενοί τε καὶ τυπούμενοι· Πλήρης γὰρ ὀρθοδοξίας καὶ δικαιοσύνης οὖσα, πᾶσαν νεωτεροποιὸν αἵρεσιν ἀπεστρέφετο, καὶ ἐκ τούτου περιβόητος γενομένη, μέχρι καὶ τῶν κρατούντων ἡ περὶ αὐτῆς φήμη διέδραμε.

4 Κωνσταντῖνος δὲ ὁ μισόχριστος καὶ εἰκονόμαχος, ὡς B ὁ λόγος ἐδήλωσε, τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐτυράννει τότε ἀρχήν· ὃς εἰς τὴν αὐτοῦ πλάνην μεταστῆναι ταύτην διὰ σπουδῆς θέμενος, τῶν συμφρόνων ἕνα προσκαλεσάμενος, Πορεύθητί, φησιν, κατὰ τήνδε τὴν ἐπαρχίαν καὶ τὴν Ἄνθουσαν εἰς τὴν ἡμετέραν δόξαν ἀποκλῖναι μετάπεισον· καὶ εἰ μὲν πείθοιτο, εὖ ἔχει ἄν· εἰ δ' οὔ, τιμωρησάμενος αὐτὴν τοῖς ἡμετέροις νόμοις, καὶ μὴ βουλομένην πεισθῆναι παρασκεύασον· Ὁ δὲ πολλοὺς καὶ ἄλλους μετ' αὐτοῦ παραλαβὼν, καὶ κατασχὼν πάμπολλα τῶν ἁγίων ἐκτυπωμάτων ὅσα ἐν πίναξι, καὶ ὅσα ἐν ῥάκεσι συναγαγὼν, καὶ τὴν μεγάλην μετὰ τοῦ ἀδελφιδοῦ, ὃς τῆς ἀνδρῴας μονῆς τότε τὴν προστασίαν ἐγκεχειρισμένος ἦν, συλλαβὼν εἰς ἐξέτασιν ἄγει. Καὶ παραυτίκα μάστιξι μὲν ἐπὶ πολὺ ὁ ἀδελφιδοῦς καταξαίνεται, καὶ ὑπὸ τῆς ἁγίας προθυμοποιεῖται τῇ ὁμολογίᾳ ἐμμένειν, καὶ ταῖς βασάνοις ἐγκαρτερεῖν, ὃς ἐκλιμπάνειν μέλλων ἀπολύεται.

5 Αὕτη δὲ ἐκ τεσσάρων τείνεται, καὶ νεύροις ὠμοῖς μαστίζεται, καὶ τὰς ἱερὰς εἰκόνας παμπόλλας οὔσας ἀναφθείσας κατὰ τῆς κεφαλῆς δέχεται, καὶ κατὰ τῶν πεδίλων ἄνθρακας πυρὸς τοὺς πόδας καυθησομένη· ὅθεν Χριστοῦ χάριτι ἄφλεκτος μείνασα ὑπερορίζεται. Ἔπειτα τοῦ βασιλέως μετὰ παντὸς τοῦ στρατεύματος κατ' αὐτὴν δὴ τὴν ἐπαρχίαν ἐκδημήσαντος, ὡς τὴν ἁγίαν ἑαυτῷ παραστησάμενος ἐξετάσαι, τῇ ταύτης εὐχῇ ἀορασίᾳ τοῦτον πεδησαμένη τὰ κατ' αὐτῆς πρὸς αὐτοῦ μελετώμενα διεκώλυσε C εἰς πέρας διελθεῖν· καὶ τῇ βασιλίσσῃ δυστοκούσῃ καὶ μελλούσῃ θνήσκειν, καλῶς ἔχειν αὐτὴν, καὶ δύο [παιδία] ἄῤῥεν καὶ θῆλυ ἀποτεκεῖν *, πρὸς τοῦ βασιλέως ἐρωτηθεῖσα ἐξεῖπε· καὶ ἑκάστου τὴν βιοτὴν καὶ διαγωγὴν προεμήνυσεν. Ὅθεν ἡ βασιλὶς ταῦτα ἀκούσασα, πλεῖστα ταῖς ὑπ' αὐτὴν μοναχαῖς χωρία τε καὶ ἀναθήματα καθιέρωσε. Καὶ ὁ τύραννος τῆς κατ' αὐτὴν ἐγχειρήσεως ἀπέστη. Οὕτως οἶδεν ἀρετὴ θῆρας μὲν ἐξημεροῦν, πολεμίους δὲ φίλους ποιεῖν.

* Sirm. ἓν ἄῤῥεν καὶ ἓν θῆλυ γεννῆσαι παιδίον.

6 Ἔνθεν τῆς ὁσίας μεγαλυνθείσης καὶ τοῖς ἁπάντων στόμασι ᾀδομένης, πολλοὶ πρὸς αὐτὴν οἱ μὲν εὐχῆς χάριν ἐφοίτων· οἱ δὲ ἀποτάξασθαι τῷ τῇδε βίῳ· οἱ δὲ ὧν ἕκαστος προσείληπτος νοσημάτων, τῆς θεραπείας τυχεῖν. Ἐν οἷς καί τις ἀνὴρ στρατιώτης τὴν τάξιν μετὰ γυναικὸς παρεγένετο. Μεταμείψας δὲ τὸ σχῆμα παιδίον πρὸς τῆς μεγάλης αἰτήσων καὶ τοι καρποφορήσων, εἰ τοῦ σκοποῦ ἐπιτύχοιεν, παρ' ἧς τὰ ἐνθυμήματα τῆς καρδίας ἀκούσας, καὶ διὸ παρεγένετο πληροφορίαν δεξάμενος, χαίρων οἴκαδε ἀντεπέστρεψεν. Εἰ δύναιτο δέ τις ἄμμον παράλιον, σταγόνας ὑετοῦ, βάθος θαλάσσης, ὕψος

quæ eventura ipsi erant, prædixisset, illam dimisit, tempore, quo e vita migraturus erat, ei significato. EX MSS.

3 Dum vero ad triginta usque sorores ad ipsam accessissent, et oratorium esset ædificatum, jamque prope adesset tempus, ut ea, quæ senex dixerat, ad finem pervenirent; mirabilis ille Sisinnius e vita migrat. Anthusa autem magna, videns sororum communitatem sub obedientia vivere, duo templa ab ipsis fundamentis erexit Deiparæ et Apostolis: quorum illud quidem, quod erat Deiparæ, monialibus: illud vero, quod erat Apostolorum, monachis distribuit *f*. Multi vero pœnitentiæ stimulis compuncti, olim quidem ad sanctum Sisinnium, nunc autem ad magnam quoque ventitabant Anthusam, ipsius ductu et informationibus imbuti: plena quippe sanæ doctrinæ et justitiæ, hæresim omnem, res novas molientem, aversabatur: unde et memorabilis evasit, et fama ejus usque ad imperatores pervenit.

sorores congregat, condit templa:

f

4 Constantinus autem Christi osor et imaginum impugnator, uti diximus, Romanum tunc imperium tyrannide vexabat: qui suum hanc Virginem ad errorem traducere studiose satagens, unum ex his, qui idem sentirent, advocavit, et, Proficiscere, inquit, ad istam provinciam; et persuade Anthusæ; ut nostræ se submittat opinioni. Si morem gerat, bene habet: sin minus, tormentis excruciatam, legibus nostris vel invitam obtemperare coge. Hic, multis aliis secum assumptis, collegit, quas convasare potuerat tam in tabulis quam in linteolis, plurimas sanctas effigies, Sanctam una cum nepote *g*, cui virorum monasterii tunc commissa erat præfectura, comprehensam in examen adducit; et statim nepos flagris diu excarnificatur, et Sanctæ hortatu promptus efficitur, ut confessioni inhæreat, et in cruciatibus persistat, qui jam defecturus viribus solvitur.

dura sustinet a Constantino Copronymo

E

g

5 Ipsa vero quatuor ex partibus tenditur, crudisque nervis flagellatur, et permultas sacras imagines ardentes supra caput accipit, prunis ignis infra calceamenta accensis; ubi Christi gratia manens illæsa, in exsilium mittitur. Postea dum imperator cum exercitu suo universo ad illam regionem profectus esset, ut Sanctam sibi sisteret ad examen: cæcitas illum precibus ejus detinens impedivit, ne ea, quæ adversus ipsam machinabatur, ad finem pervenirent. Imperatricem *h* quoque, partu laborantem ac morituram, belle valere, et duos [pueros] marem ac feminam peperisse, ab imperatore interrogata edixit, et utriusque vitæ et instituti rationem prænuntiavit. Quo factum, ut, his auditis, imperatrix monialibus ipsi subjectis plurimos agros ac donaria consecrarit; et tyrannus manum ab ipsa abstinuerit. Ita novit virtus feras condocefacere, atque hostes reddere amicos *i*.

pro cultu sacrarum imaginum: sed postea ejus ira mitigatur.

h

F

i

6 Exinde Sancta ad magnum nominis splendorem evecta, et omnium ore celebrata fuit; multique ad eam confluebant; hi quidem ut preces ejus poscerent; illi vero ut præsenti vitæ renuntiarent; alii denique ut a quibus detinebantur infirmitatibus, sanitatem consequerentur. Inter quos unus, professione miles, simul cum uxore ipsam accessit. Mutato autem habitu, puerum a magna Sancta petens, fructum inde, siquidem scopum assequeretur, relaturus, cogitationes cordis ex ipsa audivit, et qua de causa eo advenisset: et plena concepta fiducia gaudens domum rediit. Si littoris arenam, stillas pluviæ, profunditatem maris,

Sancta pluribus deinde rebus gestis clara migrat ad Dominum.

ex MSS maris, altitudinem cæli, ac terræ latitudinem describere quispiam possit, poterit etiam is res a sancta Anthusa gestas scripto tradere. Sed communi hominum conditione ipsa quoque debebat gustare mortem, et dormire somnum, Sanctis convenientem. Contigit hoc ipsa die dormitionis megalomartyris Panteleemonis : ista namque die ut e vita excederet, precibus impetravit. Deposita autem est in cellula, in qua vixit, miracula patrans inaudita, in gloriam et laudem Christi, Dei
A nostri. Amen. *k*

οὐρανοῦ, καὶ εὖρος γῆς διαγράψαι, δυνήσεται καὶ τὰ τῇ D
ὁσίᾳ Ἀνθούσῃ πραχθέντα γραφῇ παραδοῦναι. Ὅμως καὶ ταύτην ὡς ἄνθρωπον ἔδει θανάτου γεύσασθαι, καὶ ὑπνῶσαι ὕπνον τοῖς δικαίοις πρέποντα. Κατ' αὐτὴν δὲ τὴν ἡμέραν τῆς κοιμήσεως τοῦ μεγαλομάρτυρος Παντελεημονος· τοῦτο γὰρ αὐτῇ δι' εὐχῆς ἦν τὸ ἐν αὐτῇ τελειωθῆναι· κατετέθη δὲ ἐν τῷ κελλίῳ, ἐν ᾧ καὶ ἐβίωσε, θαύματα ἐκτελοῦσα παράδοξα εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Prodiit in lucem anno* 719, *et sequenti renuntiatur imperator a patre et S. Germano : pessimam efflavit animam die* 14 *Septembris, Indictione* 14, *anno* 775, *quæ uti et alia breviter collecta invenies apud Cangium superius citatum. Ceterum quod Copronymus fuerit dictus, a fœdato sacro fonte, satis notum est.*

B b *Sanctos huic synonymos invenio : at quisnam hic sit* monachus, presbyter *ac* thaumaturgus, *sicut in hoc elogio vocatur, nondum potui invenire in Fastis, quos consului.*

c *In elogio, quod est in ecgrapho nostro bibliothecæ Ambrosianæ, scribitur* Μανταινεον ; *sed adhærendum pluribus aliis exemplaribus supra citatis. De isto loco difficultates nostras ibidem proposuimus.*

d Ἐννακοσίων *scribe cum Ambrosiano nostro ecgrapho.*

e *Locum hunc non exprimit elogium inter apographa Ambrosiana : qui ubi sit, malumus discere, quam docere.*

f *In apographo Ambrosiano ita legitur :* δύο μοναστήρια συστησαμένη καὶ ναοὺς μεγίστους ἅμα καὶ τερπνοτάτους. Duo monasteria construxit, et templa maxima simul et venustissima.

g *De hoc nepote non meminit elogium Ambrosianum.*

h *De tribus Copronymi uxoribus, prima quidem Irene, secunda Maria, tertia denique Eudocia, agit Cangius supra citatus, pag.* 125.

i *Historiam hanc de partu, et quæ circa illum hic narrantur adjuncta, non habet elogium inter* E
apographa Ambrosiana ; uti nec illa, quæ mox hic sequuntur de milite. Inde tamen habemus, προῤῥήσεις δή τινας εἰπεῖν, αἳ καὶ τέλος εἰλήφασι, καὶ μύρια θαύματα ἐργάσασθαι, prædictiones quasdam enuntiasse, quorum exitus veritatem comprobavit, et millena miracula patrasse.

k *Elogium Ambrosianum ita concluditur :* Μικρὸν νοσήσασα, καὶ τὴν ἡμέραν τῆς ἀθλήσεως τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Παντελεήμονος τῶν τῇδε μετίσταται, καὶ πρὸς τὸν ποθούμενον Ἰησοῦν διαβαίνει. Modicum infirmata, die certaminis sancti megalomartyris Panteleemonis ex hac vita migrat, et ad desideratum Jesum transit. *De quo Martyre agimus hoc die cum Martyrologio Romano.*

DE SS. MARTYRIBYS

GEORGIO DIACONO, AURELIO, FELICE, NATALIA

ALIAS SABIGOTHONE, ET LILIOSA

C CORDUBÆ IN HISPANIA F

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sanctorum ordo, dies obitus, cultus, Acta, et translatio SS. Georgii et Aurelii

ANNO DCCCLII MM., series ab Usuardo transposita,

Gloriosam hanc Martyrum classem cum tot aliis Cordubensibus, acceptam referimus incomparabili ipsorum vindici et encomiastæ S. Eulogio, horum certamina prosecuto lib. 2 *cap.* 10 *egregii istius Memorialis, ex quo solo tot fortissimi Christi pugiles innotuerunt. Ibi ipse illos hoc ordine disposuerat, jam dicti capitis titulum sic efformans :* De sanctis martyribus Aurelio, Felice, Georgio, Sabigothone et Liliosa ; *nempe juxta historiæ suæ seriem, ubi certe* Aurelius *primum locum obtinet gestis ac virtutibus plane heroicis, cum uxore* Sabigothone, *lectissima ipsa et sanctissima femina ; tum* Felix, *ex aliquo lapsu ad se reversus, cum* Liliosa *itidem conjuge : demum* Georgius *monachus advena Palæstinus, quem, haud dubie, quod diaconus fuerit, ceteris præferendum putaverit Usuardus, viros etiam feminis anteponens, primus utique et solus, inter classicos Martyrologos horum Sanctorum laudator, ad quem quæ cursim in observatione alibi annotavimus, hic paulo fusius ex translationis* SS. Georgii et Aurelii *narratione, apud Mabillonium in Actis Benedictinis, post ipsa Sanctorum Acta inferius deducemus.*

uti etiam natalis dies perperam signatus :

2 *Nonnulla hic explicanda sunt, atque imprimis dies quo sanctissimi Pugiles agonem compleverunt, a laudato Usuardo signatus* VI Kalendas Septembris, *contra quam expressissime scripserit Eulogius* VI Kalendas Augusti, *ut etiam in sua editione legit Surius. Ordinem item transposuisse Martyrologum, patet, dum ita annuntiat :* Eodem die, natalis SS. Georgii diaconi, Aurelii, Felicis, Nathaliæ et Liliosæ, quorum primus miræ abstinentiæ monachus, ab Hierosolymis Cordubam adveniens, cum reliquis ex eadem urbe claro

A claro germine ortis, diu optatum, sibique a Domino præmonstratum meruit assequi martyrium. *Hæc transumens Equilinus episcopus in suo sanctorum Catalogo, eumdem non solum notavit passionis diem, sed longe pejus omnia adscripsit Vienniensi Martyrologo, qui hosce Martyres nec novit nec usquam retulit.* Hæc, *inquit ille,* Ado in Martyrologio, *unde et nostro Andreæ Schotto, S. Eulogii scholiastæ, errandi ansa præbita est, dum sanctum* Archiepiscopum hos divi Eulogii libros legisse *existimavit; ubi omnia ad solum Usuardum, Cordubam usque ad colligenda Sanctorum corpora peregrinatum, omnino referenda sunt.*

ut recte observavit Galesinius.

3 *De his Martyribus non male meritus est Galesinius, et hoc die et* XXVII *Augusti eos collocans, diversisque utrobique elogiis exornans, quorum illud præplacet quod habet* VI *Kalendas Septembris, servata S. Eulogii in nominibus serie et proprietate, his plane verbis:* Cordubæ in Hispania, sanctorum martyrum Aurelii, Felicis, Georgii, Sabigothonis et Liliosæ. Hi in Arabica B persecutione, pro testimonio et fide Jesu Christi, acerrime decertando, nihil ejus amori præposuerunt, non parentes, non cognatos, non affines, non amicos, non vicos, non res, non prædia; sed omnibus his abjectis, per martyrium ad æternam perveniunt gloriam. *Ad hæc etiam recte hoc die observat:* De iis copiose admodum ac pie scribit S. Eulogius... Horum diem natalem... Equilinus et Usuardus adscribunt VI Kal. Sept. nosque itidem, illos secuti, copiosius illo die quam hoc die de ipsis scripsimus. Verum si Eulogium, quem illorum martyrii spectatorem sequi debemus, audimus, non recte illi neque nos diem et mensem eorum martyrio tribuimus. Quod vero Surius et Usuardus Nataliam, non Sabigothonem S. Aurelii uxorem nominant, hoc, ut cetera multa, longe diversum est a narratione S. Eulogii, ut recte notat Ambrosius Monalius: *voluit dicere* Morales, *quem, si lubet, videsis in Chronico tom.* 3, *lib.* 14, *cap.* 13: *nobis satis est fontem exhibere.*

quem Baronius tamen hic secutus non est.

4 *Nec ordinem S. Eulogii nec nomina servavit Baronius, dum ita scripsit:* Cordubæ in Hispania, Sanctorum martyrum Georgii diaconi, Felicis, Aurelii, Nataliæ et Liliosæ in persecu- C tione Arabica. *Recte quidem in præponendo ceteris* S. Georgio *monacho, utpote* diacono, *Usuardum secutus est; ac cur* S. Felicem *antetulerit* S. Aurelio, *totius cohortis antesignano, prorsus non intelligo.* Nataliæ *nomen ipsi etiam magis placuit quam* Sabigothonis, *quod tamen Galesinius ad mentem S. Eulogii, scrupulosius servandum censuerat. Non magnopere ab ipso Galesinio differt Baronius in suis annotatis, præter jam dicta observans, passos esse sanctos Martyres æra* DCCCXC, *a Christo autem nato* DCCCLII, *ubi vides servandam regulam toties traditam de subtrahendis annis octo et triginta.* Ibi idem Eulogius, *inquit,* recitat Georgii epistolam ad universos Christianos in Hispania consistentes, qua eos ad subeundum martyrium roboravit. Est ejus exordium: Cognoscite, o fratres charissimi, meum introitum in Hispaniam *etc. Inserta hæc nempe est Eulogianæ sanctorum Martyrum historiæ, quam in hac nostra editione invenies num.* 31.

Acta præstantissima sunt,

5 *Porro de omnimoda Actorum sinceritate dubium suboriri nullum potest, spirat veritatem tota historia, torpentes etiam animos ad Christianas virtutes, quin et ad perfectionem inflammans, exemplis sane primitiva Ecclesia dignis, ut narrationes hujusmodi simplicitate sua magis intellectum convincant animumque nutriant, quam tot alia Acta metaphrastice expolita atque ornata, a quibus plerumque, modo nescio quo, abhorrere compelluntur qui genuinis et primigeniis sanctorum Martyrum gestis evolvendis meditandisque assueverunt. Hæc utique et quæ edidit Theodoricus Ruinartius, quæque in opere nostro probata invenerat, in justa specimina proponere sibi debuit nuperus aliquis Odoacer Ilbachius, præcipiti judicio ac perturbata mente multa perperam definiens, Actaque misere vindicans, quorum pretium vix primis labris se degustasse, nimis quam manifeste demonstrat. Neque displicere potest sancti Hagiographi stylus, licet non numquam scabrosus, aut in vocibus fingendis liberior: ad intima certe penetrat elegans pro eo seculo oratio, zelo magis et fervido apostolico spiritu, quam rhetoricis lenociniis ita incensa, ut vel invito lacrymas norit exprimere. At de S. Eulogii præclaris meritis satis alibi a nobis dictum est.*

AUCTORE J. B. S.

quibus additur duorum primorum translationis historia.

6 *Actis ipsis subjungenda omnino fuit historia translationis præcipuorum duorum in hac classe pugilum, sanctorum* Georgii *nimirum et* Aurelii, *ac capitis sanctæ* Sabigothonis *seu* Nataliæ; *quas pretiosissimas reliquias Corduba in Fran-* E *ciam detulit laudatus toties a nobis Usuardus Sangermanensis monachus, cum socio Odilardo ad obtinendum S. Vincentii martyris corpus in Hispaniam profectus, ut pluribus narrat Aimoinus monachus scriptor totius historiæ, a Mabillonio insertæ parti* 2 *seculi* 4 *Actorum Ordinis S. Benedicti a pag.* 45, *ubi ejusdem translationis festivitatem recoli asserit ad diem* XX *Octobris. De cetero autem cum in observationibus suis præviis omnia eo spectantia abunde explicet, Aimoini vero integrum textum reddat, quem nos Ms. quidem sed mutilum plane habemus, plura hic exponenda non censuimus. Habe hic igitur modo totam ipsam S. Eulogii narrationem ex nostri Andreæ Schotti notissima editione, sed modo nostro dissectam et in capita sua divisam, præteritis iis omnibus, quæ apud nos ex variis codicibus transcripta, a genuino textu plurimum differre deprehensa sunt, ut proinde vix ea citare ausi fuerimus.*

HISTORIA F

Vitæ singulorum ac Passionis. Ex S. Eulogii Memoriali Sanctorum lib. 2, cap. 10.

CAPUT I.

S. Aurelius a puero virtutibus præcellens, S. Sabigothoni matrimonio junctus, exemplis Martyrum mire accenditur; ab eaque, ultro consentiente, thoro separatur.

S. Aurelius fide Christiana occulte institutus

Fuit præterea quidam juvenis, nomine Aurelius, natalibus et rebus plurimis antecellens. Hic in infantia matre christiana, et patre genti-

Ex S. Eulogio.

tili orbatus, tutela amitæ suæ fidelissime usque in annos adolescentiæ fovebatur, docebaturque Christum veraciter credere Deum: nec præter Ecclesiam salutis viam, et iter regni cælestis alibi posse reperiri, imbuitur. Quod documentum venerabilis puer apprime ebibit, ita ut licet Arabica erudiendus litteratura traderetur, cogentibus affinibus: insontibus tamen præfixam cælitus animis fidei Sanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiverunt: sed corde semper christianismum suum retentans, cum ad solam derisionem meditationi periturarum insisteret litterarum, eo amplius in amorem christianæ fidei exardescebat, quo liquidius deliramenta perversi dogmatis probans, subtilem dæmoniosi *a* illius fallaciam advertebat. Et cum non posset publice cultum fidei gerere, ubique tamen Dei sacerdotibus sese commendans, pro se efficacius exorari poscebat.

mire proficit, et sponsæ condignæ destinatur:

2 Interea provehitur in annis juvenilibus strenuus adolescens et, florentibus genis, virili facies exornatur decore. Hinc, adhortatione affinium, condignum suæ notabilitati connubium appetere cogitur. Hinc unusquisque suorum, prout noverat, illius, vel illius optimam esse sobolem asserebat: ipse autem interius aliter ruminans, Christo sui connubii negotium committebat, crebris interventibus precum cæleste numen exorans, ut talibus præpollens votis conjux sibi daretur, quæ secretum suum in melius proficere contenderet, faveretque mente et corpore cultori latenti *b*. Cujus favore tandem adjutus, reperit honesto germine virginem constipatam, rebus inclytam, moribus comptam, specieque pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venustatis habitu extrinsecus decoraretur, præstantius tamen introrsus spiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus; id est penetralibus mentis. Ibi enim sanctitate, in fimbriis aureis, varietate scilicet amicta virtutum, Christo regi placitum exhibebat famulatum.

quæ et ipsa religiose educata fuerat.

3 Hæc namque puella, parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata est. Cujus genitrix alium virum ducens; qui fidem Christi occulte retinebat, conjugem impietatis errore extirpans *c*, privignam Christo assignare studuit, eamque ex Sacramento baptismatis Sabigotho *d* appellans; licet publice paganis admiscerentur, gestabant vero animo firmiori utrique pietatis religionem. Hanc sibi puellam venerabilis juvenis jure conjugalitatis asciscens, completis sponsalium titulis, arrarumque pignore, alternanti in invicem exhibitione contradita legitima, ad ultimum ministerio sacerdotum ex more sacrantur, sicque pari commercio aliquo tempore clancule fidem Christi gerentes, non omnibus arcanum suæ fidei revelabant, carnis infirmitate depressi, non diminutione utique voti.

Sic et Felix Liliosæ conjunctus est.

4 Fuit autem beato Aurelio proximus genere vir quidam, nomine Felix, sancta insuper eidem dilectione connexus, qui occasione diaboli in fide vacillans, cum postea lapsum prævaricationis suæ altius suspiraret, ultra non potuit patulo congressu religionem Christi exercere. Qui et ipse filiam occultorum Christianorum, nomine Liliosam, in conjugem ducens, Christum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconvulsibiliter invicem adhærentes, semper unam habuere familiaritatem, eamdem gesserunt dulcedinem, nec prosperis, nec adversis casibus se disparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illa pietatis necessitatis in utroque fratre perfectionem contulit charitatis, ut nec vita, nec morte dividerentur, quos par religionis occasio glomeraverat, de quibus merito enarrandum est: Sancti, amabiles, et decori quomodo in vita sua dilexerunt se invicem, ita et in morte non sunt divisi.

Joannis aliorumque Martyrum passionibus

5 Exactis igitur non plurimis annis, accidit, ut eo die in forum proficisceretur Aurelius venerabilis, quo Joannes *e* ille (cujus in priori libro meminimus) odio nominis Christi usque ad necem verberibus cruentatus, retrorsum asello evectus, immensoque vinculorum pondere coarctatus, ut in parte stramentum *f* reclinaretur jumenti, qua ejus crura pendebant; præcedentibus illorum præconibus, totam circumeundo urbem satellitum ministerio ad spectaculum vulgi pertractus est. Et cum hinc inde voces exprobrantium resultarent dicentes, nullatenus dignam sui sceleris pœnam eumdem adhuc persolvisse, quippe quem tantæ reverentiæ vatem subsannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpissima congruebat: extemplo futurus belliger, amore compunctus martyrii, cælesti quodammodo flamine aspiratur, ut illud pro se fieri spectaculum crederet, causaque admonitionis sibi fuisse ostentum, ne scilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus possint inferre, sed illum potius pertimesceret, qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam.

mire animatus Aurelius,

6 Cujus fidei stabilitatem admirans; Vere, inquit, super angelicam petram tabernaculum credulitatis hujus viri fundatum est, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concussit. Quod si qui vexillum Christi revelatis gerat aspectibus, tot seria cruciamenta zelo Redemptoris sustinuit, cum utique cladem et illius supplicii prævaricando posset evadere: melius carnis suæ jacturam quam perniciem animæ judicans, non se passus est sub unius vocis articulo a Christi religione abstrahere: quibus me ego dignum convitiis credam erudiendum, vel quo me arguendum supplicio debeo tradere, ut vigorem illius damnati, quem hodie intuitus sum, capiam, fruarque constantia?

se ipsum ad perfectionem exstimulat,

7 Hæc, dum crebrescentibus supernis jam vocationis suspiriis, ruminare animo cœpisset, regressus domum retulit piæ sodali cuncta quæ viderat, lætoque spiritu addit: Tu semper, dulcissima conjux, cum ego mihimet viverem, et Deo mortuus essem, sedulo me adhortata ad confessionem trahebas: instabas quotidie me seculi voluptatibus nitens avellere: tenebrosis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas, labentia cuncta, et omne quod fine arctatur, suadebas relinquere: prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas; religiosarumque conversationem oblectans, vitam sæpius suspirabas Sanctorum. Sed ego necdum supernæ gratiæ compunctione lustratus, omnino salutaribus non poteram acquiescere hortamentis, aut forte correctionis meæ præfinitam a Deo patre nondum insistens admonitionem, differebam operibus exequi quod, licet tenuiter, animo meditabar.

conjugem ad eamdem exhortans;

8 Ecce jam nunc, charissima, tempus acceptabile venit: adsunt dies salutis, in quibus a retroactis, et exterioribus resilientes, in id quod in ante est, nos extendamus. Et primo omnium munditiæ et continentiæ perfectius studentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua sanctitatis

A tatis industria properemus. Fiat nunc soror, quæ extitit conjux : in affectu germanitatis thorus nostræ conjunctionis pertranseat : proficiant soboles animarum : subcrescat spiritualium generatio, et spreta glutinatione membrorum cœnosa, noverit mens præstantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Ut quoque modo condigni martyrii præmio habeamur talium meditatione laborum.

hæc vero eodem spiritu impulsa

9 Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consultum, gaudensque multipliciter in subitatione insperatæ salutis; Hæc est (ait) immutatio dexteræ altissimi, hæc sunt jam nostræ vocationis auspicia : hæc sunt, quæ semper optabam, æterni Regis commercia : ut carni morientes, vivamus spiritu, quo illi facilius uniamur, de quo scriptum est : Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare. Quamobrem, Domine mi, quia hoc tibi non humanitus revelatum est, sed Pater cælestis te olim ad æternam præscriptum mili-B tiam, concitis vult jam gressibus properare, cunctis nos vinculis absolvamur, excutiamur a pulvere, desiderio vitæ perennis surgamus.

in thori separationem omniaque pia consentit.

10 Fit itaque utrorumque communis in Dei servitute assensus, dividuntur cubilibus, votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra vestium, colorumque varietate, qua suam conversationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi super structum crudo latere thorum, hispidis tantummodo instructum ciliciis, dispares incubabant. Jejunabant sæpe : sine intermissione orabant, et quoscumque noverant psalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interjecto vigiliarum labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus evincebant studiis. Ministrabant egenis : curam pauperum omnino gerebant. Et quoniam adhuc jam dictus Joannes carcere detinebatur, nos quoque ex antro educti, his vinculis detinebamur : utraque etiam virgo, Maria scilicet et Flora *g*, tunc feminarum latibulis *h* causa fidei incolebant : aderat frequens eorum erga compeditos discursus, ex eo videlicet tempore quo beatus Isaac *i* monachus, seu ceteri Sancti, qui præditam veri-C tatis præconio linguam, principibus, et judicibus confessuri, quæ vera sunt, astiterant, et propter eamdem veritatem occubuerant. Quorum constantia perdurabili, multiplici virtutum robore horum auctæ sunt vires. Nam ille viros perlustrans, *k* illa suis retentas claustris feminas requirebat.

ANNOTATA.

a Dæmoniosi *apud medii ævi scriptores pro* dæmoniaci *: quod procul dubio ad Mahometem refertur : in Ms. nostro, sed valde interpolato et contorto, legitur* dæmonum.

b *Intellige sibi ipsi (Aurelio) occulte Christiano.*

c *Duriores hujusmodi phrases raræ non sunt apud S. Eulogium.*

d *Ferit non nihil* Sabigotho *Christianum nomen ;* Nataliam *substituerunt aliqui, at sic semper legit noster Andreas Schottus.*

e *Est is, haud dubie, de quo loquitur S. Eulogius pag.* 242 *num.* 6.

f Obscure significat, *inquit Schottus in scholiis,* pondere catenarum aselli clitellas subversas et dejectas, ita ut in caudam defluerent : eo enim crura retrorsum asello insidentis inclinata fuisse videntur. *Vide ibi quæ in Surio adjecta merito idem scholiastes existimat.* *Ex S. Eulogio.*

g *Harum Vita et Passio describitur eodem lib.* 2 *Memorialis, cap.* 8.

h *Mallem legere* latibula.

i *De hoc agitur cap.* 2.

k *Satis receptus nominativus, pro ablativo absoluto.*

CAPUT II.

A S. Eulogio probe edocti ambo ad omnimodam perfectionem contendunt ; et sancta conjuge visione recreata, abdicatis omnibus, nihil nisi martyrium spirant, relicta aliis filiarum duarum cura.

E

In S. Eulogii captivi notitiam adducti

Ibi ego eum agnovi : ibi amicitiam ejus adeptus sum, ibique se a nobis institui deprecatur, quid agi deberet tam de rebus, quam de gemino pignore, quod, Deo donante, acceperat. Si liceret tales destitui, quas utique post necem suam profano tradendas ritui altius condolebat : vel si illam divitiarum copiam protinus fisco agglomerandam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cum omnia intuitu regni cælestis, et causa retributionis æternæ non solum relinquenda, verum etiam fugienda fore censerem, potissimumque suarum potius animarum quam liberorum esse commodis consulendum, quibus utique Christus vindex, pater, et tutor est, nihilque prorsus rerum temporalium præponi debere desiderio Redemptoris, seu fruendi Sanctorum consortio docerem, confestim subjunxi : Si provida facilitas suppetit, qua hæc omnia, magistra intercedente discretione, ordinentur; utile primo judicamus, sobolem tutiori loco transponi, ubi Christo liberius assignetur : rebus quoque juxta mandatum Domini venditis, pauperibus erogari, quo expeditior vobis pateat deinceps post Christum ingressus. Sic denique veritas sancta sciscitanti se juveni quatenus vitam æternam possideret : Si vis (inquit) F perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me, et habebis thesaurum in cælis.

christianæ perfectionis principus

12 Sed etsi pars aliqua in stipendium relinquatur infantium, culpabile esse non poterit, quod multa patrum insinuant documenta. Ideoque si ad hanc dispensationem potestis attingere, optima res et perfectius opus est : quod vos, omnibus expeditis negotiis, securius ad militiam cæli ire compellet. Sin vero quorumdam difficultatum repagulis oblatrantibus, hæc dispensatio revellitur, et nulla interest libertas, qua hæc indulgentissime suppleantur (præsertim cum magis ex aliquo perturbationes emergere formidatis, quæ vestræ intentioni obsistant) non cunctandum est spernere patrimonium, quod multo melius, et latius in cælo, quo vos nitimini proficisci, reperitur. Non filiarum affectus societati Sanctorum est præponendus, cum et illas potest Deus in seculo enutrire, qui compactavit in utero, siquidem ei provida de omnibus cura est. Non omnes parvuli parentum industria refoventur, nec cunctæ proles nutritio educantur labore. Nascitur

EX S. EULOGIO.

citur homo, orbatur in cunabulis solatio genitoris, non tamen creatoris gubernaculo destituitur, qui est pater orphanorum, et judex viduarum.

sic ambo instituuntur,

13 O quam multi parvuli, nutricum cura dilicatius educati, in deteriora deveniunt! Quam plures pupilli ab horribili egestate in magnarum affluentiam opum excrescunt, et fiunt multarum domini rerum, qui vix pauperrimo pane provecti sunt? Multi ex Christianis progeniti, præpediente deliquio, Ecclesiæ membro privantur. Et nonnulli filii paganorum, præveniente gratia Domini, ad redemptionem fidei salutaris recurrunt. Nec istis sacrilegium obest parentum, nec illis prodest religiositas genitorum. Cum et hi a fide recedentes, Deo alienantur; et illi credentes in Christum (per quem jussi vivunt) eripiuntur diabolo, perenniter Deo cohærentes. Cujus rei testis est Dominus, qui in Euangelio protervam Judæorum arguens vanitatem, ait: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a futura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne ve-
B lites dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et iterum: Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cælorum: filii autem regni projicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium.

ut vinctis conjungi anhelent.

14 Instructus igitur venerabilis juvenis, quomodo processum martyrialis prælii meditaretur, vinctorum se precibus solatiandum implorans, animo lætiori in pace discessit. Et cum nos sæpius idem, quamdiu illa horribilium claustra carcerum habuere, non desisteret visitare: frequenter tamen prudentissima Sabigotho latibulum illud feminarum, quo sacratissimæ virgines Flora et Maria detinebantur, noctu quasi una e compeditis incoluit, ut vel consolaretur certantes, vel se affectui commendaret certantium. Imo potius ut
a pugnandi pro Christo rege usibus *a* imbueretur, haberetque consuetudinem præliandi. Instabat precibus, obsecrationibus laborabat, ut memores sui existerent, adepto post triumphum sponsi
C consortio, quo saltem effuso cruore cælum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas noverant,
b in nullo repugnari *b* post victoriam preces, nec poterant commilitonibus quidquam negare quæ se non dubitabant audire.

Ad hæc Sabigotho

15 Dum ergo ancilla Domini Sabigotho, proxime post martyrium virginum, infra domesticos parietes Christo servitutem minus suspecta persolveret, fessoque exercitatione vigiliarum corpori consulens, paululum quievisset, ferunt, utramque virginem, Mariam scilicet et Floram, niveis amictas cicladibus, diversarum ligustrium manibus gestantes manipulos, cum choro Sanctorum phialas palmis gerentium, (quibus, ut puto, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent) omnes cælestium luminariorum claritate fulgentes, eidem per somnium astitisse.

SS. Mariæ et Floræ visione recreata

c 16 Quas cum illa, ut arbitrabatur, sediliis *c* se reclinari humillima supplicatione optaret, territa majestate cælicolum, vix tenui allocutione aggreditur, dicens: Quam fiduciam olim præmissæ obsecrationis vobis in carcere, o sacratissimæ virgines, me habere jubetis? Et si votorum meorum commodis potitura sum, gratissimis deflorate responsis; ne frustra currentes, in vacuum decidamus, ne vires nostri conatus va- D
no consumantur labore, dum aliud intentio quærat, aliud merita expetant. Quia cum Deus plus meritis quam precibus faveat, novit tamen idem abdicare congeminationem precaminum, quam non juvat dignitas meritorum. Idcirco, dominæ meæ, sponsæ Christi, si hactenus sustinendi præmium sponsionis vestræ spes nobis fida subsistit, enarrare jubete: quo promptius ad superna tendamus, quo validius in certamina roboremur. Tunc eam sanctæ virgines cælestium diffusione gratiarum affatibus præditis demulcentes: Commoda, inquiunt, vestri laboris in æthereis reposita, tempore necessario vobis metienda, servata sunt. Nec labetur præscriptorum merces ad prælium, quod cogit athletas invictissimos ire ad regnum.

martyrium sibi destinatum cognoscit.

17 Martyrium denique vobis a constitutione mundi divinitus præfixum, et prædestinatum est: quod vos post paululum impleturas, congruit felicioribus solito sanctitatis studiis insistere. Quapropter libamina sacerdotum laboribus vestris ad- E
sciscite: suffragia implorate Sanctorum: ubique vos precibus servientium Christo committite: votivo veneranda Dei sanctuaria discursu incolite, et omnium religiosorum inquirite obsecrationes. Quia quamlibet præscripta vobis quandoque futura sint præmia, per hanc tamen industriam veluti quibusdam gradibus innitentes, tantæ bonitatis arcem vos verum est posse contingere, nostrumque sermonem hujuscemodi certum esse, indicio contestantes instanti vobis certamine, adhæsurum contuberniis vestris cœnobitam *d* nostrum mittemus, qui vobiscum palma potiturus d
martyrii cælitus ordinatus est.

ad quod sese disponit:

18 Post hanc visionem oculis intuentis abductam, vehementius tantæ rei miraculo beata Sabigotho ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilarior e somno exurgens, auget opera sanctitatis, fragilem ad pugnam erigit sexum, supernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc jam fiduciata, spe firmiori virum informans, omnino terrenis exui edocet, quoniam a principio mundi cælestibus dedicati militiis, continuo post victoriam cælicolis admi- F
scerentur.

ipsaque et conjux omnibus si expoliantes

19 Hinc magis magisque fruendi Redemptore et collegis Sanctis ignito desiderio conflagrati, natorum postponentes affectum, spernunt quidquid mundialis peritura species continet. Omnia distrahunt, venditant universa, quo liberiores in assequendo Christum existerent. Ex quo pretio quidquam infantulis relinquentes, totum aliud stipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum visitant monasteria, præcipue tamen Tabanense *e* cœnobium, de quo sæpius memoravi- e
mus, quia summis monasticæ regulis disciplinæ cunctum honestæ famæ rumoribus illustrabat occiduum. Inde athletæ fortissimi hauriunt documentum: inde instituta percipiunt: ibi se poculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi Sabigotho sanctissima frequenter cum ancillis Dei moratur: discit ibi totius sancti timoris industriam. Ibi geminum pignus sub beatarum tutela constituunt.

ad illud unice aspirant,

20 O stupenda mundi renuntiatio, et admirabilis ardor divinus! quo filiorum affectus respuitur, quo opum affluentiæ repugnatur: quo proximorum dulcedo refellitur, quo mors pro vita eligitur: quo labentia cuncta contemnuntur: quo, intuitu æternæ felicitatis, vincula, cædes, cruces, carceres, verbera et tormenta pro summis

A summis habentur deliciis. Una siquidem filiarum octennio, lustro altera ducebatur. E quibus ego, post necem parentum, minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me instantissime adhortatur, ut genitorum gesta scriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficii præstolarer, exquirerem (mira dicturus sum, tantillam ætatem talia quivisse in promptu advertere, nisi forte credendum sit, quod ab illo imbuebatur interius, qui ex ore infantium, et lactentium perficit laudem suam) impetrabo, inquit, pater, tibi a Domino paradisum.

relicta etiam filiarum cura.

21 Verum quia competenti occasione, gratia disserendi parvitatem infantularum, ab ordine directo recessimus, quo rem scilicet post novenum martyrii eorum mensem patratam subjungeremus: nunc ærumnosæ et sub mundanis adhuc molestiis laboranti inseruimus historiæ. Non nos ab inde fraterna infamare debet reprehensio, unde culpabiles argui non veremur a Domino. Nec obstat ultimo, an priori, mediove loco veritas disseratur, quandoquidem veritatis assertor nullatenus benedictione privatur. Idcirco e vestigio repedantes, ad reliqua beatorum studiosius gesta referenda B curramus.

ANNOTATA.

a *Vult dicere, experimentis edocta certare disceret, quod etiam infra recurrit.*

b *An non melius* repugnare?

c *Hic* sediliis, *supra* ligustrium, *infra* deflorate *pro exponite, et plura hujusmodi seculo isti condonanda sunt.*

d *Nempe S. Georgium de quo pluribus infra.*

e *De eo cœnobio ejusque fundatore Hieremia martyre in scholiis ad librum primum agit Schottus, ubi et Isaac monachum fuisse scribit. Vide quæ de eo diximus tom. 2 Junii pag.* 698 *ad S. Fandilam.*

CAPUT III.

Ad certamen pro fide animatis paratisque socius et dux accedit S. Georgius monachus Sabaïta, egregiis et C *ipse virtutibus præditus.*

Novis stimulis incitatus Aurelius

Cum ergo intenti cælestibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemosynis, et jejuniis incumberent: (frequenter tamen superno sidere in cubiculo suo, quo ista meditabantur respersi sunt, adeo ut illapsum jubat æthereum omnem præsentis speciem luminaris interpollans, horridum esse chaos sui comparatione autumari compelleret) divinis sæpe revelationibus eriguntur: fruuntur colloquiis angelorum, lætitia cælicolis mente et spiritu adunati, non sine gravi molestia corporale onus ferebant. Quodam namque die, cum atrium serenissimi præceptoris nostri Alvari Tovari *a*, toto in Scripturarum scientia occiduo laudati; gratia collationis mutuæ nostraque alternanti propositione mentem erudiendi in Scripturarum problematibus, petivissem: reperi coram eo militem Christi Aurelium, consultum agonizandi quærentem, et quatenus arriperet martyriale auspicium implorantem. Quem idem doctor egregius, et temporis nostri fons sapientiæ profluens, patrum exemplis instituens, jubet primo constantiæ vires perpendere, secretum suum advertere, considerare arcanum, et utrum imminentia magis nosset ferre, quam declinare supplicia, ultimo excepturus delicatis cervicibus gladium. Et si magis merita Martyrum adipisci, quam vocari martyr contenderet. Et si magis terris ignotus, florentibus cælo meritis catalogo electorum sese affectaret describi, quam in supernis diminuto præmio, famosum temporalis martyrii anhelaret nomen habere.

EX S. EULOGIO.

spe tormentorum exsultat:

23 Tunc ille, se usque ad mortem dimicaturum spondens, nulla prorsus vi tormentorum intentionem suam superandam esse fatetur. Mihi, mihi, inquit, maximum vitæ solatium Christus est, et mori lucrum. Cui terrena conversatio teterrimæ noctis caligo est, et memoria transitus mundialis perpetuæ lucis odorem aspirat. Fit commune deinceps gaudium causa nostri adventus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus interesse concilio nostro verbum Patris altissimi, qui ubique nomini suo dicato collegio se illabi testatus est, dicens: Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio E eorum. Et cum plura suo agoni competentia referremus, idemque gratissimis animis nostrum exciperet documentum: satis, ut reor, collatione nostra juvatus *b*, continuo bella Domini initurus, ad propria regreditur.

Sabigotho autem nova visione confortata

24 Beata vero Sabigotho nonnullis ante passionem diebus dum sola domo resideret, Christumque ob perfectionem martyrii sui, quibus posset questibus obsecraretur: subito astare sibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, ut putabatur, adolescentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: Tu quis es, filia,? et si e vicino accedis, causas tui adventus edissere. Protinus spectabilis virgo; Soboles, inquit, amici vestri Montesis sum, quam tu mundialibus ærumnis scis olim exemptam, quamque eadem hora, qua supremis vexabatur angustiis, priusquam propius visitares, reperisti exanimem. Et cum te ego seculo pene eliminata non novissem, ipso tamen obitus mei momento, quis esses, Domino revelante, agnovi, et nunc, eo mittente, prævia nunciatrix palmæ F tuæ accessi.

mariti vestigiis insistit.

25 Instat namque jam vobis tempus exequendæ victoriæ: adsunt dies publice profitendi fidem Catholicam, hostemque repellendi teterrimum. Quibus sedatis litibus, cælorum penetralia vos coronandos adsument, perpetua deinceps pace fundatos. Igitur scrutans cor suum venerabilis femina, secumque meditans eloquium adsistentis, confestim revoluta memoria, rem gestam agnoscit, et priusquam grates euangelizanti sibi puellæ referret, labitur a conspectu ejus illa virginalis species ætheris nuncia, et præco sui martyrii. Fit læta tali præconio: animatur cælesti oraculo, et tanto spe firmiori ad prælium excitatur, quanto sese patratæ actionis veritate cernit informari.

Adest interim promissus ductor

26 Verum ut magis magisque scopo prædestinationis suæ intenderent, essentque non dubii de mercede reposita, sive ut sanctarum virginum impleretur edictum, octonis ante suam captionem diebus, dudum promissus ille confessor contuberniis eorum adsciscitur, et inconvulsibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes sub uno

Ex S. Eulogio.

uno momento pariter coronantur. Idcirco congruum judicavimus, ejusdem monachi rationem, quia optio intercessit, exponere, et quod vehementi admiratione ætatem nostram ejus causa concussit, succiduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: ut in eo Catholicorum religiositas incremento fidei augeatur, in quo sui Redemptoris oraculum speciali quodammodo cernit esse veritate impletum. Prædixerat quippe Magister noster et Dominus, quod multi ab Oriente et Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cælorum. Quod testimonium revelatis contuemur effectibus in ipso monacho, atque levita Georgio omnino perfectum.

monachus Sabaïta in Africam missus.

27 Huic rus Bethleemiticum ortum, et incolatum, æthereum peregrina littora contulerunt: hic, inquam, vir ultra maria procreatus, ab adolescentia servitute Dei oblectatur. Viginti et septem annos apud monasterium sancti Sabæ *c*, quod ab Hierosolyma in parte Australi octo milliaribus distat, cum quingentis, (ut ipse nobis ore suo professus est), qui in eodem cœnobio B morabantur, fratribus adunatus, sub regulari magisterio deguit. Quem venerabilis abbas David, ejus ascisterii *d* tunc procurator, ob stipendium monachorum *e* Africam mittens, is nullo modo tot interjacentia terrarum, mariumque distulit subire discrimina, quibus utique incunctanter commodum summæ virtutis obedientiæ noverat promereri. Sed cum ibidem vapulare asperius Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, Hispaniam quoque eorum, quibus missus fuerat, consultu aggreditur. Erat enim, ut ipsi de eo certissime approbavimus, summæ humilitatis, magnæque abstinentiæ vir. In omni eloquio suo, dicto, atque responso timor Domini resonabat: ocius semper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, favum dilectionis promebat. Prædicabat cælestis desiderii requirendam esse compunctionem: mortificare cum vitiis et concupiscentiis membra jubebat, ut in adventum Domini recidivo virtutum animata vigore, gloriosiora cum ipso apparerent.

De cujus patria, præclaris virtutibus

28 Ita sobria præditus sanctitate, justus videri, vel dici nimium recusabat, jucundus admodum, hilaris, modestus, et abstinens, sic C utebatur mundo tamquam non uteretur. Et cum forte fraterna impetrante charitate, cibum sumere cogeretur, epulabatur parcius, bibebat sobrie, ut magis abstinentem judicares, quam vescentem. Merum aqua tamdiu temperabat, usque dum color inficeretur, sapor abesset. Insipidus namque ille gustus, (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari convivam patitur: crebrius ad exorandum currebat, vigilabat attentius, sæpius corde divinum carmen meditabatur, dicebatque: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Et cum variis linguis peritus existeret, Græca scilicet, Latina, atque Arabica: nec qualemcumque saltem propter has gloriam affectavit. A die qua monasterium petiit, et cohortibus monachorum ascitus est, usque ad coronam martyrii sui, (ut ipse quibusdam secretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis usus est. Quamdiu nobiscum conversatus est, nulli omnino ordinem suum revelavit, nisi cum jam carcere detineretur.

de adventu in Hispaniam, f

29 Commentatus est fratribus, ac proquinquis suis, cunctisque patriæ suæ civibus martyrii sui breviarium *f*: quod mihi causa expoliendi transmisit: ne incultior sermo fidem rei gestæ, D quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis suæ monachum se, atque levitam fore testatus est. Verum quid opus est sermonem in longum protrahere? Quasi non summam reverentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præsertim cum quantus et qualis extiterit effusus propter justitiam Dei ipse ejus martyrialis cruor insinuet, et quod peregrinus mundo peregrinam non renuens sepulturam, omnem penitus genitalis soli, affiniumque affectionem repulerit. Aut quæ potius laus militem Christi extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animam, pro crucifixo cruorem dedisse? ut ipsum esset redhibitio famuli, quod extitit victoria crucifixi.

et accessu ad Martyres agitur.

30 Quomodo autem Beatus minister cœtui Sanctorum agglomeratus fuerit, melius ore ipsius sancti Georgii credimus posse innotescere, quo vel nostræ dictionis series, interposito Martyris eloquio, quasi desuper Benedictionis sale condiatur, vel præstantius commercium suæ connexionis cum ceteris Sanctis, eodem narrante, adE discatur. Nam et ipsis diebus, quibus una cum Sanctis habuit conversationem; sua ac prædictorum Martyrum gesta brevi satis stylo exponens, ultimo nobis comprobanda direxit. Ex cujus dictis ea huic operi inserenda curavimus, quæ ad insinuandam eorum conjunctionem satis prævidimus. Cetera vero, quæ post defectum sermonum Servi Dei sequuntur, nos obtentu, quo cœpimus indagavimus. Inquit autem hoc modo.

ANNOTATA.

a *Ostendit Schottus, qua modestiæ ratione* Alvarum, *cui condiscipulus fuerat, præceptorem suum vocet Eulogius.* Serenissimi *etiam titulum, nobilitatem in Alvaro astruere, alibi demonstravit.* Equitem Cordubensem, non genere magis quam doctrina nobilissimum, *describit noster Martinus de Roa; cujus præclara opera serventur in bibliotheca Cordubensi. Quid sibi velit vox sequens* Tovari, *non divino; nisi sit ejusdem Alvari adjectitia appellatio.*

b *Satis est intelligi quid auctor velit, ut similia observare necesse non sit.*

c *Tam notum est hoc S. Sabæ cœnobium, toties in Actis nostris memoratum, ut hic de illo agere* F *superfluum sit. Consule, si ita vis, Vitam S. Stephani tomo* III *Julii pag.* 524.

d *Varie hic efformatur a Græco* ἀσκητήσιον.

e *Non video intelligi aliud posse quam* eleemosynas *ad monachorum sustentationem, quæ hic* stipendium *appellantur.*

f *Melius intelligitur* Breviarium *hic, quam explicari possit: patet enim esse summariam descriptionem.*

CAPUT IV.

Breviarium martyrii ab ipso S. Georgio descriptum: cui obtentam palmam et sepulturam adjungit totius historiæ sanctus enarrator.

Georgius a Sabigothone invitatus

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Universæ catholicæ Ecclesiæ, a me indigno et peccatore

A catore Georgio monacho, necnon et diacono, fratre et collega servorum Dei filiorum sancti Sabæ quingentorum virorum, perfectam in Domino Jesu Christo salutem. Cognoscite, o fratres charissimi, introitum meum in Hispaniam nihil aliud fuisse, nisi gratia stipendii vestri requirendi, qui sub arctissima regula et regimine sancti patris David Hierosolymis degitis. A quibus Africam missus, deinceps in Hispanias commigravi. Sed hanc ipsam insulam *a* minis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æstuare, ut aut proprium solum reviserem, aut regna Christianorum, id est, Franciam peterem, Et cum proximos et charissimos super hac re consulerem, nonnulli peragrare jubebant, plerique ad cœnobium meum revertere cogebant. Hinc velut dubius, diverso præditus tractatu, cui me primo cogitationi submitterem, nesciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanense cœnobium, quo fratrum et sororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi abbas ille Martinus, et soror ejus domina Elisabeth : Veni frater, et accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox ut me intuita est, pro-B missus, inquit, nostri certaminis comes et collega hic monachus erit.

Martyribus sese adjungit,

32 Ego vero, agnita causa ejus, et ratione comperta, illico pedibus ejus advolutus, pro me Dominum exorare rogavi, ut forsitan Spiritus sancti respectu illustratus, ad ea, quæ illa præstolabatur, pervenire meruissem. Et illa : Unde hoc nobis, inquit, pater, ut tu cum peccatoribus pergas? Cumque eadem nocte ibidem mansissem, apparuit mihi in visione noctis ipsa venerabilis mulier Sabigotho, et nescio quod genus odoramenti pretiosissimi ligni accommodans, referebat; Ditior ex hoc mihi thesaurus est. Mane autem facto, descendimus ambo in civitatem ad virum suum Aurelium, prostravique me pedibus ejus, petens ab eo, ut oraret pro me, quod illis in martyrio socius essem. Qui statim præbens assensum, exarsit in me ignis cælestis per orationes eorum, et factus sum unus ex illis, et ex tunc non sum ab eis separatus, sed omnes pariter in domo sancti Aurelii congregati, reddimus *b* Domino cum jucunditate vota laudationis. Ibi apud illos reperi beatum Felicem cum conjuge C sanctissima Liliosa, qui et ipsi jam omnia sua vendiderant, et locis sanctis, seu pauperibus erogaverant, parati omne genus tormentorum propter Filium Dei, et dilectionem ejus suscipere. Eadem hora exivi ab eis, et causas, quibus præpediebar, in omni festinatione composui. Et sic demum valde jam roboratus, ad eos reverti. Qui læti et exultantes de reditu nostro, gratias Deo referunt, dicentes : Scimus, frater charissime, quia Dominus te misit ad nos.

qui agniti ut Christiani

33 Post hæc omnes in communi cœpimus cogitare, quomodo ad desideratam perveniremus coronam, et ita Domino dispensante visum est nobis, ut pergerent sorores nostræ revelatis vultibus *c* ad ecclesiam, si forte nos alligandi daretur occasio, et ita factum est. Nam revertentibus de ecclesia mulieribus, quidam præpositus obvius adstans, cum causam religionis agnosceret in feminis, illico viros interrogat, quid sibi vellet ille recursus feminarum ad sanctuaria Christianorum? Qui responderunt : Fidelium mos est ecclesias visitare, et atria venerabilium Martyrum pro devotionis affectu requirere. Unde quia Christiani sumus, ideo nos ipsius fidei gestare vexillum profitemur. Statimque judici delator accedens, omnem rationem nostram coram eo dolosis linguis proponit. Post hæc vadit dominus Aurelius filias visitare, quibus pacis osculo valedicens, cælesti virtute armatus ad prælium festinavit. Sed hic jam sanctus Georgius stylum compescens, nos quæ restant, ut occepimus, prosequamur.

Ex S. Eulogio.

Ab Aurelio confortati

34 Ipso postea die, quo se beatus Aurelius noverat comprehendi, priusquam auroræ crepusculum respiraret, domo nos gratia valedicendi revisens, precatur pro se Dominum exorare; suique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expostulat. Ibi nos illi commendavimus. Ibi patrocinium suum pro nobis et pro omni Ecclesia fieri, osculatis manibus *d* ejus, impetravimus. Post hæc, datis invicem osculis, separamur in pace.

apprehendi jubentur,

35 Igitur, cum prolatam adversum Dei Sanctos judex quæsitionem intenderet, scietque authorem hujus rei esse Aurelium : graviter ex hoc interius vulneratus præcepit eos quam propere suis conspectibus exhiberi. Tunc milites rapido cursu domum beati Aurelii occupantes, qua omnes Sancti collecti manebant, præ foribus cla- E mare cœperunt : Exite miseri : Exite cominus morituri, quibus vita præsens tædium est, et mors pro gloria computatur. En judex vocat, instat decretum ultionis effundere : conterere vult recedentes a cultu, rebellia paratus colla præscindere : pergite vos modo jam debitum mortis exsolvere, et commissæ prævaricationis pendentem sententiam.

etiam Georgius milites irritans

36 Exhinc viri cum mulieribus suis quasi ad epulas invitati procedunt : vadunt ovantes : læti prosiliunt; putares eos jam apud judicem sua inventuros donaria, qui nihil aliud habere poterant, quam tormenta. Et cum se Georgius sanctus a militibus cerneret non teneri, illico sancta fretus audacia, in exprobrationem lictorum conversus : Quare, inquit, privilegium hoc fidelibus irrogatis, et vanum colere violenter cogitis numen, quos sancta fides proprios hactenus vendicavit? Ut quid alieni a Deo vero perditioni vestræ agglomerare nitimini prædestinatos ad vitam? An non poteritis vos infernalia claustra adire, nisi nos comites habeatis? Numquid sine nobis æterna vos cruciamina non adurent? Vos abite, vos illuc pergite perituri, quo simul cum F duce vestro inferorum deliciis perfruamini. Nam quid nobis cum tartaro, quem Christus Deus noster penetravit, absorpsit, exspoliavit, et vicit : ut non jam auderet fideles addicere, qui pridem consueverat privilegio suo Sanctos diripere?

a quibus dure excipitur.

37 Vix ille sermonem compleverat; et jam furens dextra satellitum in injuriam monachi laborabat : quem diversis laceratum stimulis, solo allidentes, calcibus etiam, pugnisque acerrime tundunt. Cui cum sancta Sabigotho (jam emortuum putans) Surge frater, eamus, clamaret : ille quasi nihil mali esset perpessus, respondit : Hæc omnia, soror, meritorum commodis prosunt, augentque coronam. Et ita semineceem a terra levantes, pari cum Sanctis ducatu judici astare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requireret, cujus rei causa a cultu suo recederent; vivere recusarent; niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans; quos utique postmodum in futuro non solum muliebris oblectatio admirabilis, verum etiam dignitatum et ferculorum

Ex S. Eulogio.

culorum copia demulcendos expectaret : Protinus quasi ex uno ore;

Ridentes blanditias carceri mancipantur.

38 Nulla, inquiunt, o arbiter, temporis affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam despicientes per fidem Jesu Christi, qua omnis sanctitatis operator justificatur, ejus denique in futurum benedictionis requie, quæ Sanctis promissa est, nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui a Christi divinitate dissentit, nec profitetur sanctæ Trimitatis essentiam, refutat baptismum, infamat Christicolas, sacerdotio derogat, omnino reprobum judicamus; pro nihilo rerum labentia computantes, quæ non diu subsistunt. Quæ autem diligentibus se Christus promisit, cum sint ineffabilia, semper tamen indefessa jugitate perdurant, et nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur. Verum, ut credo, quiddam etiam aliud religiosius diffuso ore Sanctis ante judicem asserentibus, sectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur judex, rapido tractu eos carceri applicandos insinuans, importabilium vinculorum onere aggravari decrevit.

ubi Christum laudare non cessant.

39 Continuo exultantibus animis beati Martyres ergastulum adeuntes, gaudent auspicio passionis, parvipendunt supplicium, perstrepunt hymnos, insonant laudes; psalmos persolvunt; insistunt orationi, qua favente Domino, victoriam adipisci prævaleant; visitanturque ab angelis; miraculis illustrantur; dissiliunt vincula, et non audent restringere, quos Christus absolverat. Ibi etiam, quam cælis fortem haberent, revelante Deo, agnoscunt. Hinc de palma securi manentes, et Christum, cui fideliter servierunt, cernere festinius anhelantes, dilatant usque in quintum diem mortem suam, serumque putant se diutius elongari ab illa suavitate regni cælorum, quam crebris jam corporeis usibus ferme intuebantur.

A jam perimendis separari renuit Georgius,

40 At cum jam in forum prosternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum sanctis alloquiis cæpit, confortat, instruit, et confirmat. Introducuntur palatio, consulibus adsistunt, adhibentur opes, exhibentur fasces, quibus, si crederent, fruerentur. Sed his oppido in professione sua demorantibus, lictoribus perimendos instituunt consules: sospitem abire sanctum Georgium decernentes, pro eo quod iidem ipsi optimates, et priores palatii nihil convitiorum proferentem eum adversus vatem suum audiissent.

cum ceteris glorioso martyrio coronatus.

41 Ille vero magister egregius, protinus ut se comperit derelinqui, nec sub uno cum sociis ictu mucronis perimendum institui: Cur, ait, o principes, de professione meo, quam coram vobis non protuli, dubitatis; aut putatis me de discipulo sathanæ quidquam prosperum cogitare? Ego enim, ut verius agnoscatis illum angelum, qui eidem præceptori vestro, transfigurando se in spiritum lucis, apparuit, dæmonem credo fuisse, et hunc cunctis abjectiorem hominibus adjudico, utpote diaboli credulum, antichristi ministrum, et vitiorum omnium labyrinthum, qui non solum se voragini barathri immerserit, verum et nos sequipedas sua per inania instituta æternis dedicarit incendiis. Tunc, in insaniam proceres concitati prævalidam, una simul cum ceteris sententia necandum præcipiunt. Ac sic primo beatum Felicem, deinde sanctum Georgium trucidantes; post venerabilem Liliosam, ultimo egregios agonistas Aurelium et Sabigothonem interimunt, VI Kalendas Augustas, æra DCCCXC.

Sanctorum diversa sepultura.

42 Quorum corpora nostri Christiani furantes diversis locis recondunt. Georgius namque cum sancto Aurelio Pilemelariensi *e* cœnobio servantur. Beatus Felix sancti Christophori *f* quæ ultra flumen est, aulam tuetur. Sancta Sabigotho Sanctorum trium *g* cineribus adunata est. Requiescit apud Genesium *h* martyrem venerabilis Liliosa. Capita vero Georgii et Sabigothonis incolunt *** *i*. Hi sunt qui propter testimonium Dei, et fidem Jesu Christi, usque ad mortem certantes, nihil amori ejus præposuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non possessiones, non prædia. Sed omnia post tergum abjicientes, mortificatis cum vitiis, et concupiscentiis corporibus, ad æternam immortalitatem producti sunt: regnante Domino nostro Jesu Christo in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Catachresis illorum temporum est, *inquit Schottus,* quales aliæ pleræque.

b *Haud dubie pro* reddidimus.

c *Hæc Schotti notatio est :* Apparet profecto, Christiani moris tunc ex Pauli Apostoli doctrina fuisse, ut non in ecclesia solum, sed in itinere ad ecclesiam caput feminæ velarent. Porerant etiam honestatis causa, et ne ab Saracenis pulsarentur, velatis capitibus feminæ Christianæ misero illo captivitatis tempore incedere.

d *Hic iterum Schottus :* Cum sacerdos non esset, reverentiæ tamen ergo, ab Martyre futuro veluti benedictionem sacerdos etiam Eulogius petebat. Nisi credas, jam tunc hunc morem hodiernum cœpisse, ut nos Hispani osculari manus et dicamus, et facere aggrediamur.

e Pilemelariensi; *scribendum videtur* Pinnamellariensi, *alias* Pilamellariensi, *ut describit Eulogius ipse lib.* 3, *cap.* 11. *Tu ibi vide et fundationem et etymologiam, atque ad ea etiam Schotti observationem.*

f *Addit Schottus,* monasterium.

g *Nempe deposita in basilica sanctorum Fausti, Januarii et Martialis.*

h *Metonymia satis obvia est, nesque adeo explicanda.*

i *Adjecti asterisci indicant, locum istum mutilum esse,* linea integra cum dimidia, *inquit Schottus, si forte suppleri aliquando possit.*

DE

A D

DE TRANSLATIONE SS. MARTYRIUM
GEORGII MONACHI, AURELII,
ET NATHALIÆ
EX URBE CORDUBA PARISIOS
Auctore Aimoino, monacho S. Germani a Pratis,
Ex codice Ms. pervetusto S. Germani apud Parisios, num. 653.

MABILLONII OBSERVATIONES PRÆVIÆ

Aimoinus auctor hujus narrationis. Aimonius monachus cœnobii S. Germani apud Parisios, cujus libros de miraculis S. Germani Parisiensis episcopi alias retulimus, historiam translationis sanctorum martyrum Georgii diaconi et Bethleemitæ monachi, Aurelii, et Nathaduos de eorumdem miraculis in translatione factis adjecit. Hos libros multis in locis mutilos edidit Jacobus Brolius ejusdem monasterii cœnobita, quos liæ ejus conjugis, litteris mandavit uno libro, cui hic integros ex veteri codice, qui Auctoris ætate scriptus est, repræsentare visum est. B

Eulogius scriptor Passionis; 2 Horum Martyrum Acta S. Eulogius presbyter Cordubensis descripsit in Memoralis lib. 2 cap. 10, ubi Nathaliam Sabigothonem appellat. Hæc cum Aurelio viro suo facultates suas distribuit in pauperes, amboque virorum ac mulierum monasteria visitare solebant, sed præcipue Tabanense, quod famosissimum in illis patribus habebatur, utrique sexui aptum. Eo frequens recipiebat se Nathalia, quæ filias duas, Felicitatem et Mariam, ibidem Deo tradidit. Mariæ postea rogatu Eulogius Aurelii et Nathaliæ ejus parentum Passionem retulit, quam Aimoinus, ut puto, in compendium redegit sub Eulogii nomine, qualis in Ms. nostro codice habetur. His duobus, id est Aurelio et Nathaliæ, socius accessit Georgius monachus Bethleëmiticus, qui ab adolescentia sua servitutem Dei amplectens, viginti et septem annis apud monasterium sancti Sabæ, quod ab Jerosolymis in partem australem octo milibus disparatur, sub regulari magisterio cum quingentis fratribus conversatus est. Is a venerabili David abbate ejusdem cœnobii, ob stipendium monachorum, in Africam directus, cum ibidem vapulare Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, cum consilio Carthaginensis episcopi in Hispaniam profectus est. Dein Cordubam adveniens, postea perrexit ad Tabanense cœnobium, quatinus fratrum et sanctarum sororum ibidem degentium benedictione in redeundo (nam reditum in patriam parabat) muniretur; ubi abbas loci illius, vocabulo Martinus, ejusque soror Deo dicata Helizabeth cum Nathaliæ exhibuerunt, cum qua die sequenti Cordubam reversus est. B

hujus hic breve compendium. 3 Demum cum illis, ac Felice, necnon et Liliosa comprehensus, gladio una cum iisdem anno DCCCLII interemptus est: quorum corpora variis in locis sepulta sunt, et quidem Georgii et Aurelii in cœnobio Pinnamellari, quo ex loco hæc translatio facta est. Translationis seriem rescivit Aimoinus ab Usuardo et Odilardo monachis Germanensibus ejus auctoribus: ex quibus Usuardus ipse est Martyrologii scriptor. Miracula facta apud Acmantum (quæ villa est diœcesis Senonicæ cœnobio S. Germani subjecta, quo tunc Germanenses ob metum Nortmannorum cum sancti Germani corpore confugerant) suis ipse oculis contemplatus est Aimoinus ex lib. 3 capp. 16 et 29. Hujus translationis mentionem faciunt Annales Bertiniani ad annum DCCCLVIII his verbis: Quidam monachus ex monasterio S. Vincentii martyris vel S. Germani confessoris, a Corduba civitate Hispaniæ rediens, corpora beatorum martyrum Georgii diaconi et Aurelii, caputque Nathaliæ secum detulit, atque in villa Acmanto in loculis servanda collocavit. Hæ reliquiæ hactenus penes nos in cœnobio S. Germani adservantur. E

PRÆFATIO.

Si miraculorum cuncta, quæ Deus et Dominus omnium fidelibus suis facere contulit, impossibile est verbis explicari; multotiens sane apicibus comprehendi creditur et super operosum, testante Apostolo et Evangelista Johanne, hæc universa velle perstringi, qui multa quidem et alia signa Jesum fecisse in conspectu discipulorum suorum asserit, quæ non sunt scripta in libro Evangelii. Sed quoniam quæ credulitatis et vitæ æternæ sunt, illic inserta esse perhibentur, delictum putatur, si omnia Sanctorum opera miraculis florida silentio contegantur, ac si divinæ eruditionis specula avaræ taciturnitatis nube obscurentur. Idcirco ad sanctorum martyrum Georgii atque Aurelii translationis actus explanandos, licet immeritus, uti laborans in domo; merito tamen accessi rogatus, quo domesticis animalibus, Christum fide portantibus, vel ramos in via substernere possem. Neque præsumptione vel temeritate sophistica, sed Scriptorum magis canonicorum imitabili provocatus exemplo et reverendis Patrum monitis cum dulcissimis adductus imperiis, quibus usquequaque resistere multimoda mihi indagatione nefas inclaruit. Adtollitur et divina cooperatrix majestas, personante grege divino, et cum Psalmista dicente; Mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis; si ea recensentur acta, quibus sancti amici Dei post triumphalem etiam carnis exitum, laudabili virtute radiasse probantur, qui et eos post momentanea passionum bella, veluti qui in cælestis militiæ castris desudarunt, perpetuæ consolationis præmiis munerans præstat quatinus victoriali F

A. AIMOINO, EX MABIL.

riali redimiti bravio, se ibi esse quo idem est, sempiterna amœnitate jocundi lætentur.

HISTORIÆ TRANSLATIONIS

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Spe obtinendi corpus S. Vincentii frustrati Usuardus et Odilardus, modum inveniunt quo Cordubam tuto perduci possint.

ANNO DCCCLVIII.

B

Hilduino cum Rege procurante,

Agente Incarnationis Domini nostri Jesu Christi annorum cursu octingentesimo quinquagesimo octavo, regni vero Caroli, gloriosi Hludovici imperatoris filii, duodevigesimo, sanctorum martyrum corpora Georgii atque Aurelii educta Corduba, memorabili ordine Galliis sunt invecta. Nam apud monasterium sanctæ Crucis beatique Vincentii martyris, ubi pretiosus confessor Dei sanctus Germanus Parisiorum Pontifex virtutum fulget honore, pervulgatum est quod ejusdem sancti martyris et levitæ corpus a Valentia, in qua passus est, civitate facile posset haberi, propter videlicet miserabilem ipsius civitatis a Sarracenis vel Mauris factam desolationem: ex quo prædicti monasterii nostri fratres, cum favore et animo domni abbatis Hilduini secundi ordinant, regali etiam auctoritate percepta, quos illuc dirigerent, anhelantes tantum tamque diu desideratum pignus ad se, Christo largiente, transponere.

mittuntur qui ex Hispania S. Vincentii corpus exquirant; quod ablatum discunt.

* le Languedoc.

* de Beaune

3 Assumptoque itinere, ad Hunfridum marchionem Gotiæ *, illis tunc in patribus principantem, missi fratres *a* venerunt, cujus adjuti auxilio ad hoc pium proficisci debebant negotium. Quos cum ille in pago Belnensi * sibi præsentatos, more primatum, nobiliter excepisset, suæ inde promissionis haud immemor; mox de illorum adventus causa, quomodo, qualiterque fieri deberet, suos advocans, diligenter tractare cœpit. Inter quos quidam ejusdem viæ loca hujusmodi fatebantur importunitatibus passim præpedita, quatinus nec magno comitatu quisquam vallatus illud iter secure aggredi valeret. Contra vero nostri nitentes, ac illud Apostoli ponentes; Si Deus pro nobis, quis contra nos? necnon et illud; Per fidem enim ambulamus, et non per speciem; pariter inde cum ipso pergentes, ingrediuntur aliquando pagum Uzecensem *, ubi ab episcopo viro religioso nomine Walefrido comperiunt (quod Vivarias * quoque civitate jam audierant) corpus memorati almi Vincentii martyris a supra dicta urbe Valentia Beneventum esse transmissum, quod quidem aliter erat. Nam cuidam in Aquitaniæ finibus monacho (qui divina revelatione monitus, ut nobis ipse narravit, Valentiam properans, illud ab inde secum detulerat) a Seniore *b* Cæsaraugustæ * civitatis episcopo per vim sublatum, apud eamdem Cæsaraugustam sub reverentia cujusdam Marini martyris, non modicæ venerationis miraculis præfulgens habebatur. Hoc ei nomen professus monachus fuerat: neque ab eo etiam tormentis affecto, nomen proprium Vincentii episcopus extorquere prævaluit. Sciebat autem eum ejusdem civitatis archidiaconum fuisse; ideo illum episcopo cariorem, sibi vero metuebat inrecuperabilem. Quocirca nostros, æque ut episcopum, quod præsens ejus sanctum corpus illic esset, omnimodis latuit. Æstimabatur enim Marinus præclari apud eos meriti martyr. Illud tamen certo scierunt, quod jam nullomodo Valentiæ haberetur. Sed qualiter id actum sit, et quomodo a monachis monasterii beati Benedicti Albiensis post annos receptum, atque ad eumdem locum translatum fuerit; in ejusdem sancti Levitæ et Martyris translatione a nobis *c* quoque digestum sufficienti narratione videri poterit.

C — * d'Uzès — * Viviers — * Saragoz — D

De alio Sancti corpore tractant Barcinone.

* Barcelonne

4 Indolebant utique nostri anxie conlacrymantes, tanto itineris spatio elaborato, se vacuos redituros, cujus mæstitiæ morbo, dum apud Barcinonem * castrum morantes (ut sic eorum verbis eloquar) diutino quasi languore demolirentur, neque super hoc quidem consultius arbitrari oporteret, secum deliberare possent; adeunt novissime quemdam sibi familiarem virum, nomine Sunifridum, ejusdem civitatis post comitem primum *d*, eum de hac ratione, quemadmodum sibi necessarium duxerat, suppliciter consulentes. Et quia nullo modo propter quod venerant, beati Vincentii corpus adipisci valebant; fatentur se decrevisse alicujus Sanctorum membra, quem et actio commendaret et passio, perquirere, secumque, ne inanes redirent, ad locum deferre satagere.

E

S. Georgii et S. Aurelii, reliquiis comparandis dant operam,

5 Interea contigit, ut idem Sunifridus de enormi fidelium interfectione, sub Abdiramæ regis Cordubæ persecutione nuper facta, sermonem sumeret, exponens eorum quosdam et maxime quos tenemus Georgium atque Aurelium, ea ipsa tempestate nobiliter passos, ac sanguine triumphali acie passionis coruscante, magnifice laureatos, æterni Regis palatium victoriose subiisse. Ad quod, inquiens, si ullatenus (quod non credebatur) evadere possent, iter prosperum se sumpsisse, felici eventu confiderent. Qua relatione nostri suscepta, ita gaudiis exhilarantur immensis, acsi jam optatis potirentur profectibus; neque hoc sibi nisi cælitus relatum fuisse credebant. Eorum ardet animus, atque illuc eundi, cita festinatione cursus disponitur. Hujus plane fervor amoris, posthabita prioris mœstitiæ amaritudine, (tantus illorum desideriis excreverat) quo nullo modo nomen Cordubæ (ut ipsi testantes aiebant) vel audire, vel nominare possent, absque socia interdum lacrymarum effusione. Divinitatis namque respectu animæquiores se factos esse gaudebant.

F

nequidquam dissuadentibus amicis, a quibus litteras accipiunt.

6 Proinde Usuardus pater (nam eorum alter Odilardus vocitabatur) Athaulfum, ejusdem Barcinonis episcopum, atque Sunifridum præfatum aggreditur virum, eis conceptum animi secretum aperientes, quod minime quiescerent, donec Cordubam usque perrumperent, si eis Dominus vel quandoque largitatis manum dignaretur porrigere. Illi audientes omnino expavere mirantes: et quod id fieri nequaquam possit, causas impossibilitatis inferendo, et etiam protestando asserebant. Dicebat et Sunifridus eorum se perditorem, cujus verbis ad hoc accensi percurrerent. Sed cum non eos ab hac mentis determinatione avocare possent; Timemus, inquiunt, vobis. Ingressum tamen eis liberiorem Cordubæ, et ad quem

A. AIMOINO EX MABIL.

A quem maxime illic declinare, seu apud quem tutius commorari deberent, si forte eo pertingeretur, Leovigildum sibi amicum, non illum parricidam Visigothorum regem Arrianum, sed virum Christianis legibus sanctisque moribus eruditum, insinuant. Cumque hoc ita præfixum jam dicto Comiti Hunfrido ex ordine intimatum fuisset, componitur, ipso jubente, epistola ad Magnatem Cæsaraugustæ, vocabulo Abdiluvar, quatinus memor inter se juncti fœderis, eos de quibus loquimur, fratres penes se degentes servaret, indeque pergendi Cordubam, quantumcumque posset, solamen præberet. Sic post emensum, superna opitulante clementia, prolixi nimiumque laboriosi itineris tramitem, offeruntur una cum directa epistola supra scripto principi Abdiluvar, qui interprete advocato lectore, dum rem cognoscit familiarem, parat, quamvis barbarus, religiose amicis obedire mandatis; jubetque illos in civitate manere usque ad tempus inde consilii. Non enim id ei perficere statim facultas sine-
B bat, multis sibi ad præsens diversisque impossibilitatibus denegata.

Cordubam pergunt.

7 Post hæc accidit, (quod minime in circuli octo et eo amplius annorum volubilitate provenerat) quatinus aliqui Cæsaraugustani, visa proficiscendi occasione, Cordubam inde perrectum ire disponerent. Quod sciens memoratus princeps Abdiluvar, eos continuo ad sui præsentiam venire rogavit, imperatque postulans, ut fidei suæ creditos homines, Cordubam secum euntes, civili affectione servarent : gratiam proinde a se ac mercedis debitam remunerationem sperantes. Quibus ab urbe simul exeuntibus, nostros quidam Christianorum veluti exsilio damnatos, lacrymabundi prosequuntur, bonum esse hortantes, ut spem suam illi dicarent, qui non dat fluctuationem justo, et qui omnibus se invocantibus in veritate semper præsto est, novitque benignissimus potiora quam petantur, vel sperentur, donare. Itaque pariter cœptum legentes iter, quibus quantisque in via angustiati fuerint periculis, quibusque necessitatibus comitati, quoniam perlongum est dicere, aggressum æque librantes cursum, citius transilire statuimus : ne nobis, licet stupenda, utpote admirationis plena, dici possint, a proposito narrationis compendio deviare contin-
C gat.

ANNOTATA.

a *Notat Mabillonius fratres istos fuisse Usuardum et Odilardum, qui infra num.* 6 *distinctius exprimuntur.*

b *Seniorem hunc laudari observat idem ab Eulogio in epistola ad Willesindum Pampilonensem episcopum.*

c *Hinc deducitur, præsentis historiæ scriptorem esse Aimoinum, tametsi nomen ejus in Ms. non exstet; quandoquidem is est auctor librorum de translatione S. Vincentii, in Castrense monasterium, quos in tomo præcedenti se retulisse ait laudatus Mabillonius.*

d *Sunefridus hic primus Barcinone civis erat post comitem, qui Hunfridus dicitur num.* 6.

CAPUT II.

Cordubæ ab episcopo Saüle benigne excepti impetrant corpora SS. Georgii et Aurelii, eaque in Galliam feliciter deportant.

Ibi ecclesiam S. Cypriani adeunt, tum Leovigildo secretum pandunt.

Post multos igitur exactos dies veniunt, Jesu prævio, innumeris mundanorum fluctuum eruti procellis, Cordubam, quo tendebatur, ad urbem. Pergunt illi duo ad ecclesiam beati magnique testis Cypriani, in qua sanctorum martyrum corpora Adulfi et Johannis tumulata quiescunt. Et hoc sollicita consideratione juxta illud dominicum : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et reliqua omnia adjicientur vobis. Nam famulos E
illamque supellectilem, partim Barcinone, partim vero Cæsaraugustæ, soli euntes reliquerant. Ubi a quodam diacono ejusdem loci primario, nomine Hieronymo, pia devotione recepti, manserunt ibi : evolatque percurrens fama, quosdam illuc ex Francia adventasse divulgans. Fit conventus certatim fidelium, eos miro seu incredibili affectu venerantium, qui tantam eorum obstupescentes constantiam, ineffabilem circa illos Omnipotentis pariter admirabantur clementiam. Adfuit et præfatus Leovigildus, cognomento Abadsolomes, cujus a supradictis sibi familiaribus viris, Athaulfo, inquam, episcopo et Sunifrido, nominis tantum et religionis notitiam perceperant. Is illorum adventus causam scrutari, ac juxta sui nominis manifestam etymologiam perquirere vigilantius curavit. Cumque amicorum valere, atque notitiarum ei verba secretius retexissent, et quod idem esset, cui se omnimodis credere oporteret, Dei manifesta dispositione in brevi pervidissent; sese illi suamque mentem, multiplices Christo gratias agentes, aperiunt. Suscipitur arcanum, manetque intra viri pectus sepultum, inde vero congruus quæsitæ rei præstolatur eventus : ipsique sub ejus interim tu- F
tela, commodis aluntur subsidiis.

Samsoni presbytero res committitur.

9 Denique post aliquot dierum spatia prædictus Abadsolomes, quodam ejusdem civitatis presbytero bonæ indolis, vocabulo Samson, adscito, sollicite cum ipso indigare cœpit, qualiter veluti suæ providentiæ a Deo (ut certe putabatur) delegatum opus perficere possit. Procurabat itaque, quatinus eis ad votum, nobilis triumphi palma, Sanctorum corpora insignita darentur; qui, tot terrarum terminis fidei calore transcursis, se propter hoc capessendum emerserant : compatiebatur equidem eorum et animis, et longo satis itineri; nec obliviscebatur amicorum Athaulfi episcopi, ac honorabilis viri Sunisfridi, multas ei preces super hoc delegantium. Unde claustris arcani sacerdoti retectis, beatorum reliquias Georgii Bethleëmitæ monachi atque Aurelii Cordubensis viri popularis, si tamen posse præstaret, utrisque sumere libet, quorum animas felici bello decoras, ad cælos Martyrum sociandas collegio transisse, pulcherrimo passionis eorum textu firmante didicerant : quam memorabilis et Deo dignus sacerdos Eulogius, qui et ipse postea glorioso donatus martyrio, Regem Christum consummatus

A. AIMOINO EX MABIL.

matus miles ovando petivit, veraci relatione, plurimis (ut ipse nostris retulit) prætermissis, litteris informavit.

qui abbas Pennamellaris, monachos habet repugnantes.

10 Dum hæc revolvuntur, divinitus, quod sine dubio fatendum est, contigit, ut memoratus Samson presbyter eidem loco vocabulo Pennamellari, quo eorum corpora sanctorum Martyrum tumulata jacebant, quodque disparabatur a civitate plus minus miliariis quinque, abbas præficeretur. Et ecce quasi parta facilitate, a Leovigildo evocatus unanimes deliberant, quia tempus aderat locusque patens, rem optatam ad effectus culmen Christo favente perducere. Cumque diutissime, aliquibus etiam locis ibi fratribus associatis, ut fieret, consulendo insisterent; reperiunt ceteros ita suis adversos conatibus, quod hoc nullatenus concedi posse tristes existimarent. Importune tamen agentes, et quod hoc ut beatorum Martyrum corpora celebriori cultu haberentur, quæreretur, multis argumentationibus inculcan- B tes, id tandem fieri communi deliberatione omnibus placuit, tantum ut assensus, (veluti decebat, et factum est) proprii daretur episcopi. Sanctorum vero corpora, dum tempus revertendi veniret, eodem in loco sub hac concessione, ut erant, jacuerunt humata. Proinde quid eis difficultatis tempore egressionis ab urbe, de qua nonnisi multo freti solatio exire audebant, ingruerit, reor esse dicendum.

Saül episcopus Cordubensis ipsis favet.

11 Rex siquidem ejusdem Cordubæ Saracenorum primæ egregiæque civitatis Mahomath adversus Toletanæ urbis tyrannum, suis rebellem decretis, hostiliter properans, jussit omnes adesse. Et ne vel civis vel peregrinus, excepta custodia, qui secum non iret, in civitate remaneret, publicis imperat edictis. Interea prædicti fratres nostri, cum de concessis Martyrum corporibus (quoniam exeundi locus ab urbe patebat) effari monachis supranominati loci Pennamellaris cœpissent, ipsi rursus nihil se ex hoc facturos penitus denegant, maxime abbatis sui venerabilis Samson absente præsentia. Contigerat enim illum abesse : quapropter admodum tristes effecti, quosdam fidelium ad episcopum ejusdem urbis virum modestum, nomine Saülem, dirigunt, postulantes, ut Sanctorum corpora quæ illis Sam- C son abbatis, suaque benignitate concessa fuerant, apud ejusdem loci habitatores quos ibi darentur, suo ipso obtinere dignaretur adventu : qui suscepta hujusmodi oratione actutum properant, atque imploratum ita mandatum pastori perferunt, efflagitantque succurri peregrinis, simulque subveniri desolatis. Inquiunt ergo ad episcopum : Pater, pietatem tuam voto supplici deprecamur, quo beatorum Martyrum corpora Georgii atque Aurelii, ut olim cum Samsone abbate sanxistis, Gallicis donentur monachis. Cur igitur vexatione fatigati itineris, injusta vexantur dilatione concessi pignoris, non est æquum ad religionis vestræ notitiam, quæ tali potest infamari calumnia. Nec mora, properatur ad locum. Dumque prolixius concertatum, plurimumque precibus ab episcopo colluctatum fuisset, præbetur dure quidem, uti ab invitis, vix tollendi consensus.

Sacræ exuviæ inde levantur.

12 Advocati namque tunc alacri gressu ipsi nostri petitores accedunt, atque una cum ceteris, nec segnius tamen, Sanctorum corpora, avulso desuper altari, accelerant effodere. Ut autem ventum est ad apertionem sepulcri, remotis aliis, soli ab episcopo designati adsunt presbyteri, a quibus, ipso quidem excipiente, sacra de eis- D dem tumulis cum hymnis ac lætaniis membra levantur. Qui mundis ea semper linteaminibus involvens, congruis quoque ad efferendum imposuit perulis. Ita, divino suffragante auxilio, opus secretum honeste perficitur : et ne illorum integritas a quolibet petente, quavecumque occasione usque ad destinatum locum violaretur, episcopum rogant ea sub assignatione regis Caroli proprio claudere sigillo. Quod cum fecisset, eis ferenda atque cum multimoda testificatione colenda, occulte tamen propter paganos, donantur. Non enim quos Martyres faciunt, venerari Saraceni permittunt. Qui tanti muneris præmium gavise tollentes, comitantibus se nonnullis inde fratribus, ad civitatem festini remeant, cupidi cum quibusdam Toletum pergentibus, illuc usque reverti.

non tamen S. Aurelii sed S. Nathaliæ caput.

13 Præterea quid et huic facto destinabili modo provisum sit, si taceatur, nefas non ambigo. Cum etenim illa Sanctorum corpora in agone cælestis pugnæ fortia, ministri diaboli gladiis animadversa morte stravissent; Christiani dum E potuerunt, solito amoris officio excitati, nocte venerunt; atque ea sibi furtim rapientes diviserunt. Et quidem beati Georgii corpus ex integro, Aurelii vero sine capite tollentes in ecclesiæ loco sub altari, quemadmodum significavimus, sepelierunt. Sanctæ vero Nathaliæ corpus, dum aliorsum ab aliis truncum sublatum fuisset, caput illius in eadem ecclesia, ubi viri corpus, collatum est. Unde accidit, quatinus tempore effossionis eorum beati æthletæ Aurelii caput cum suo corpore minime inveniretur, ac sacræ Nathaliæ corpus quo humatum fuerit, nesciretur. Sed ut impleretur in eis etiam post mortem, quia erunt duo in carne una, corpori beati Aurelii caput Nathaliæ suæ conjugis subrogatum, est, atque cum nimia admiratione quærentibus datum, quod deifice factum, neminem qui audit, latere putamus; ut quia unius conjugalitatis viventes, necnon et æqualis martyrii socii exstiterant, morientes ejusdem essent merito venerationis in terris, quemadmodum et unicæ felicitatis compotes sunt in cælis. Et quoniam sacramenti mysterio συνεκδοχικῶς quidem dicto quasi ab incœpto parumper defleximus, juvat manum in id ipsum reducere. F

Corduba pergunt Toletum.

14 Cum vero vigiliæ Adscensionis Christi roseo se jubare jam dies lotis quadrigis terris influeret, putant a civitate regis suprememorati Mahomath, procedente exercitu, egredi, non parvo ad illos fratrum catholicum eis vale dicere cupientium adunato collegio, qui quanta eos caritate per dies quinquaginta sex, quibus cum illis sunt commorati, tractaverint, nemo qui dicat. Præsens tamen devotio seu lacrymabilis ipsorum pandebat exsecutio, quod cernere quis posset, nec illos a se umquam pacto quolibet velle disjungi. Sic namque Corduba, Hiberiensium civitatum nominatissima, et cum civibus, tum etiam et rerum opibus fœcunda, egressi, quorumdam fidelium cum rege ad pugnam euntium tutelis aliquantisper crediti, iter suum alacres resumunt. Inde post dies reperit illos inter agmen exercitus Leovigildus, vir frequenti memoria dignus, qui tempore egressionis eorum a civitate, regiis occupatus negotiis præsens non fuerat; isque dulcissimo pectoris vinculo eos amplectens, suo deinceps comitatui usque Toletum (quod ex beatæ Leocadiæ virginis confessione præclarum habetur) non est passus deesse. Babila siquidem ejus soror,

A soror, virgo Deo sacrata, illis quidquid in itinere visum necesse fuit; pallia quoque duo, quibus vicissim Sanctorum cooperirentur corpora, pro qua valebat facultate, abunde paraverat.

Dein Complutum, et Cæsaraugustam,

15 Rege denique Cordubensi contra Toleti adversum sibi tyrannum, ob quod processerat, belli copias accelerante, multi ejusdem civitatis viarum insidiatores ad eamdem urbem redeunt, se quantocius castelli præsidio muniri curantes : pacata redduntur itinera, fitque viantium secura quacumque progressio. Tunc nostri cum magna benignitatis affectione, omisso procinctu a sæpedicto Leovigildo disjuncti, Completum * aggressi sunt opidum, gloriosorum martyrum germanorum Justi et Pastoris insignitum tropæis. Inde nobilissimam ac sanctorum et præcipue decem et octo Martyrum triumpho laureatam Cæsaraugustæ applicant ad arcem, ubi a superius nominato seniore episcopo rursus, quemadmodum euntes, humane recepti, optima apud ipsum, quousque libuit, sunt quiete donati. Nec tunc quidem de B beato Vincentio, quem idem episcopus (ut supra retulimus) sub nomine Marini martyris retinebat, aliquid vel dinoscere certius, vel audire quiverunt. Non enim erat, fugato Audaldo translatore monacho, qui hujus facti notitiam panderet. Repræsentantur et Abdiluvar præmemorato ejusdem civitatis principi, gratias agentes, quod ejus essent auxilio in eundo vel redeundo adjuti. A quo etiam discedentes salutationes ad Hunfridum, epistolas vero ad castellorum custodias perceperunt : quatenus absque impedimento vel discussione ulla, munita suæ potestatis loca transirent. Nam ne forte eis improvisis aut legatio fraudulentium fiat, aut certe magis hostilis impetus superveniat, cunctarum ad sese viarum aditus continuis satagunt obfirmare custodiis, atque ea permaxime loca, quæ ab angusti tramite callis exclusas appellant.

** Alcala de Henarex.*

mox Barcinonem, Gerundam, Narbonam, Biterras.

16 Itaque proficiscentes Barcinonis ad mœnia, quamvis multipliciter fatigati, perveniunt in urbem sanguinis sanctorum martyrum Cucuphatis et Eulaliæ virginis madore circumlitam. Sed quæ lætitia de consecutis præmiis, quæve fuerit admiratio de eorum subita, utque ita dixerim, inopinata reversione ab Athaulfo episcopo et Suni- C frido memoratis venerabilibus viris, mirum est dicere, glorificantibus quoque plurimis Deum ac benedicentibus, qui sic mirifice ad laudem et gloriam nominis sui protegit sperantes in se. Auditis et Leovigildi amici prosperitatibus, suisque eis propensis beneficiis, gavisi sunt in omnibus, a quibus decem et duobus elapsis solibus, læti dimissi veniunt festinato cursu Gerundam, sancti Felicis martyris cruore madentem : cujus linquentes confinia, adeunt Narbonam civitatem metropolim. Quo citra ejusdem muros ad sancti Pauli confessoris sepulcrum divertentes, post subeunt Biterris urbem, ex beati Afrosidii præsulis membris illustrem, in qua gratanter, utpote a noto et cognato viro, ipsiusque civitatis primate, nomine Gerino, suscepti, sanctorum Martyrum corpora in oratorio beatæ Dei genitricis Mariæ servanda reponunt.

A. Aimoino, ex Mabil.

LIBER II,

Qui est primus de miraculis SS. Martyrum, quæ Biterris ad Autissiodorensem pagum usque contigerunt.

Caput I. Biterris curatur hospitiis Gerini pincerna,

Hinc igitur digna gestorum ratione compellimur, quæ in eadem Biterris civitate, quæque per eos in sequenti itinere, superna agente clementia, patrata cognovimus, littteris secuturæ generationi memoranda signare. Dum autem illic præfato Gerino eos retinente, quietis gratia aliquamdiu morarentur, homo quidam, Brictius nomine, per annum fere dimidium in tibiis sive superioribus membris genetalibus totus elephan- E tino insanabili morbo ulcerosus jacebat : qui non solum ea debilitate quantum ad corpus inutilis, verum etiam et vitæ solatio, tali in se afflictione grassante, destitutus videbatur. Is sub unius tempore noctis in ecclesia, qua inerant sanctorum Martyrum corpora, jacere permissus, sic eorum interventu divina miseratione curatur, ut statim in crastino sanitati redditus, ad proprium, cunctis stupentibus, staret officium. Erat enim carus domini sui ejusdem Gerini pincerna.

II. dius febribus laborans,

18 Quæ vero dicta quæve dicenda sunt, eorumdem sane relatu didicimus, qui ea, uti inter agendum præsentes, propriis inspexere obtutibus. Insuper et his sacris jam prælibari videbatur miraculis, quæ per eos erat Dominus mira populis collaturus. Ea siquidem ipsa nocte sanctorum Martyrum geminato præconio hæc quoque virtus inclaruisse dinoscitur. Juvenis quidam, vocabulo Gisandus, typo febrium per tres menses ægre laborans, nihil revera de se aliud quam mortis casum suspicari valebat. Frigoris enim et caloris acerrimis per horas, nunc his, nunc illis urgebatur stimulis. Hic ad memorata Sanctorum corpora in noctis spatio simili sanitatis fide excubare permissus, non dissimili est virtute, pulsa febre, curatus. Gratias namque referens et ipse non mediocriter F sospes factus regreditur.

III. et Gerinus ipse gravissime infirmatus.

19 Quamvis et alios ibidem a diversis infirmitatum languoribus sanctis eorum meritis noverimus curatos, unum adhuc miraculum, quod ibidem laudabilius enituit, ad non relinquenda festinantes enarrare censuimus. Præfatus itaque Gerinus, ejusdem civitatis vicecomes, dum subito gravissima dolorum pœna totum per corpus cruciaretur, sumptis duabus suæ staturæ candelis, et uno (quod est adhuc in testimonium) non vilis quidem pretii pallio, jubet se, nimium vivere diffidens, ad eorum devehi præsentiam : sicque jacens, seque humi volutans, et quod in eos commiserat, unde labor, humiliato spiritu publice confitens, in primo noctis sopore almi Georgii salutifera visitatione, subitam cælitus est in eadem ecclesia indeptus medelam. Aiebat etenim, eumdem sanctum Martyrem in monachali, ut olim fuerat, habitu pyxidem auream manu ferentem suis conspectibus adstitisse, atque ex ea nivei coloris effuso unguento, caput sibi, oculos, manusque, ut cernebatur, leniter perfudisse. Ita prorsus quemadmodum sese deinceps inscium asseret, utrumne adhuc placidum oculis somnum colligeret :

A. Aimoino, ex Mabil.

colligeret: sanitas quippe membris, diffunditur, omnique recreatus corpore gaudens domum Gerinus revertitur, nos eos ultra Martyres dubitans, immo Martyrum potentissimos prædicans.

IV. *Vivariensem pagum adeunt, dein Belnensem,* * *le Vivarez*

20 Post denique tempus quasi duorum mensium, resumptis viribus, et quæ in itinere necessaria erant paratis, ea ab urbe nostri subinde memorati fratres digredientes, in pagum Vivariensem * nec sine miraculis quidem, ipso Gerino secum comitante, deveniunt; ubi audita revelatione corporis sancti martyris Andeoli discipuli magni Polycarpi, qui auditos beati Johannis Apostoli et Evangelistæ fuisse dinoscitur, quoniam non longior erat ad hoc accessus, illuc se studio contulerunt orandi; ex quo et proprii corporis acceptis reliquiis, ad quod restabat iter complendum remeant, transactisque inde diebus, incolumes eos pagus excepit Belnensis, quo in villa, quæ Arziliacus dicitur, ab Hunfrido gaudenter recepti, exponebant hoc, utique illi multum audire sitienti, quid in via contigisset,
B quidve divinæ largitatis munere impetratum esset: quibus compertis et ipse comes cum admiratione gratias agens, jussis dari necessariis, eos muneratos dimisit.

V. *ubi fur ad restitutionem compellitur.*

21 Sed quoniam suos Dominus fide et confessione probatos famulos virtutibus magnificare, cujusque apud eum meriti essent, signorum indiciis monstrare decreverat; hoc quod in eodem Vivariensi pago et villa ipsa Arziliaco miraculum constitit, dignum referre fuit. Quædam igitur vidua, nomine Theothildis, cujusdam raptoris spiritu superbiæ tumentis iniqua violentia equum amittens, lugubris sese fletibus contorquens, desperabili contritione languebat. Cumque nullo ingenio, nulliusque solatio suæ flebilitati eum restitui posse existimasset, ad eorumdem sanctorum Martyrum spectanda suffragia, cum omni recuperandæ spei fiducia se contulit: ibique tamdiu flens et perseverans in rogando Deum facientem judicium injuriam patienti permansit, donec die tertia terrore inspirationis supernæ raptor perculsus, satisfaciens viduæ cogeretur sponte reddere quod visus erat nequiter abstulisse. Sic fides meretur, et ita timor operatur divinus.

VI. *In pago Autisiodorensi raptor pallii SS. MM. punitur.* * *Core*

22 Properantes itaque ac finem hujus libelli volentes attingere, quid in vico quodam, qui Cora * nuncupatur, in pago jam Autisiodorensi acciderit, commemorando narremus. In eccle-
C sia vero ejusdem loci cum fuissent allati, necnon et in alterio veneranter expositi, quidam juvenis, custode ad modicum absente, latenter ingrediens, pallium subito, quo eorum sacræ tegebantur reliquiæ, furtim abstulit. Sed æquissima summæ rectitudinis operatio, nec hunc longius inultum abire, nec injustitiam sanctos Martyres pati sustinuit. Porro in humero sub quo illud absconderat, pustulæ morbo percussus, mox revertens pallium clam ecclesiæ projecit ad ostium: sicque impunitatem quam non merebatur requirens, aufugiendo delituit. Incommoditate tamen exorti ulceris ingravescente, tumendo cogitur, vitæ desperatione ac tormenti dolore admonitus, confiteri delictum: quo pactefacto cunctisque audientibus denudato, opem plenæ sanitatis, et diu vexatus, sanctis eorum consequitur beneficiis, præstante Deo ac Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat omnipotens per infinita secula seculorum, Amen.

PROLOGUS D

ad librum sequentem.

Quoniam hactenus sanctorum martyrum Georgii atque Aurelii translationis ordinem, et quæ, divina largiente gratia, in via gesserunt miracula, ipsorum suffragantibus meritis, ex parte cucurrimus; modo ad id quod residet, etsi imperitus, fidus tamen vertatur articulus: quæ idcirco duobus gratum fuit dividi libellis, quatinus nec avidis lectoribus superflua, nec piis auditoribus ea, quæ dicerentur, forent onerosa. Nam et in prolixe dicendis, quasi quoddam præstatur levamen, dum unum finitur, atque aliud inchoatur volumen; quodque præcedens libellus non humana, verum fateor præfinitione solum bis ternis miraculorum titulis radiatur, quantum eorumdem sanctorum Martyrum perfectam insinuet E
consummationem, ipsius senarii ratio arithmeticis nota declarat.

LIBER III HISTORIÆ

TRANSLATIONIS

Qui est secundus miraculorum.

PARS I.

Continuata Autissiodori et alibi miracula, donec Acmantum, quo Pratenses monachi, ob Normannorum infestationes confugerant, sacræ exuviæ allatæ sunt.

F
In prædicto igitur pago Autisiodorensi, Basgernam vicum, compressantibus se hinc inde turbis, cum adpropinquare cœpissent, advenerunt illis quidam ex nostris obvii, eos ibidem officiosissime, prout decuerat, excipientes: quorum animæ exsultatio, sive lætitiæ fletus, gratiis hymnizatis divinis, pro desiderio fuit. Unde sequenti die simul profecti, levatis in eodem loco corporibus Sanctorum feretris Autisiodorum veniunt urbem, plurimorum trophæis Sanctorum insignem. Quo agnito, cœnobitæ almi Confessoris Christi Germani ejusdem olim civitatis antistitis, eos quam honorificentissime cum Dominicæ passionis memoriis omnique digno apparatu susceperunt, collocantes eadem Martyrum corpora super altare beati Mauricii martyris Thebææ legionis principis, ea sub nocte servanda: ad quorum ingressum, unum a claudicatione, ad egressum vero hominum alterum a continuo capitis dolore ibidem curatum didicimus. In crastinum autem (neque enim tempus eos ibi amplius immorari sinebat) haud secus quam sunt excepti a memoratis sanctis fratribus, sive ejusdem loci civibus honeste deducti, pagum ingrediuntur Senonicum,

Cap. I. Autisiodori

A nonicum, quem etiam quibus et quam manifestis decorarint miraculis, laboriosum ex toto, gratum vero si ex parte narretur, existimo.

II. *et in pago Senonico* 25 Dum namque pro agendis Missarum sollemniis in villam, quæ in eodem pago nuncupata fertur Puteolis *, declinasset, quidam infantulus inter reliquos beneficia requirens infirmus accessit. Tunc nonnulli ut puerum adhortantes, monebant, quatinus pro adipiscenda sanitatis medela ad Martyrum patrocinia, prout valebat, accederet. Quod cum fecisset, seque rependo magis quam ambulando ante eorum reliquias prostratus jactavisset, extemplo, videntibus qui aderant universis, medicinam adeptus est plenissimæ sospitatis. Nec aliter, inquam, nisi ut eos inde prosequeretur rectus, qui utriusque pedis imbecillitate advenerat claudus.

** Puteaux*

III. *varia miracula* 26 Nec sit pigrum audire, quæ Christo bonitatis cooperatori pro suorum meritis militum libuit operari. Facimus enim alienum bonum, si B complacet, nostrum. Anus igitur quædam, nomine Tedelgrimnis, a parvo (quod multi vicinorum ejus noverant) surda pariter jacebat et muta. In domino enim cujusdam religiosi viri vocabulo Bonovis (in quam etiam forte eadem Sanctorum corpora ad manendum declinaverant) causa ipsius sustentabatur misericordiæ. Adtendebat quod eleemosyna quæ datur in terra pauperi, a Christo, teste martini semichlamyde, recipitur in cælis. Illa de remedio optandæ valetudinis caute secum permeditans, locum ubi beatorum Martyrum corpora venerabantur, adscendit. Sed ilico ut orationem fudit, ea sanitatis gratia donatur: quatinus, Evangelico una eademque hora renovato miraculo, et loqui, simul et audire mereretur; exivitque gaudens universæ domui gaudium inferens.

IV. *patrata,* 27 Quæ vero idem Bovo in eorum Martyrum adventu sibi contigisse cum sacramenti fide dicebat, res digna miraculo præteriri non sinit. Cum ergo fuissent horum delatores Sanctorum monachi, qui ea nocte una cum suis fere triginta ab eodem hospitio sunt excepti; illis necessaria non surdus auditor apostolicus, hilari animo distribuens prærogavit. Sed ut tantæ tamque copiosæ caritatis superabundans opus remuneratur; ipsius vinarii vascula sic sunt mane reperta, acsi nihil exinde sero potatum fuisset. Universis namque, C omnique suæ domus familiæ ac advenientibus, causa sanctorum Martyrum, ita ubertim propinatum fuerat, quatinus omnes pro sobrietatis competentia ad plenum vino satiati lætarentur. Penum siquidem eidem subjectum erat solario, (benedictionem desuper hauriens) quo beatorum corpora Martyrum illa nocte ad quiescendum fuerant admissa.

V. *quæ hic* 28 Is etiam Bovo sæpe admirans referebat non huic dissimile factum. A cujus denique domo Sanctorum eductis corporibus, evenit diem post quartum, ut ex Hludwici Bejwariorum regis exercitu in eam intrarent, atque illam per aliquot dies ibidem commorantes inhumane vastarent. Ergo, licet merite hac spe frustratus, ad hoc idem Hludwicus a quibusdam proceribus invitatus exierat, quatinus fratris sui domni Caroli contra Danos navali tunc classe in Sequana decertantis, regnum usurpans invaderet; sed et victoriam, pro dolor! veluti jam præ manibus suspectam, hujusmodi infelicissima visus est distulisse tyrannide. Nam rege insalutato cum paucis in navi relicto, omnes ei subdole adhærentes discedunt, et præcisis ejusdem navis funibus, ne rex quolibet D auxiliaretur præsidio, ad eumdem Hludwicum, eum sibi regem facientes accedunt; quod eis dignam in contumeliam cessit. Rex ergo divinitus liberatus, statim parvo, quem fides sibi retinuerat, exercitu collecto, fratrem a regno nobiliter expulit; atque cum vivum capere posset, ei locum abeundi viscerabiliter indulsit, suosque fugaces, (cum in eis regali censura ulcisci potuerit) sublimi collectione ad se revertentes, solita pietate recepit, sceptro potitus et regno. Itaque supradicti hostes, substantiam domus quam intraverant, præter mensuram exterminantes, ex supra memorati viri Bovonis vino non minus, (ut fuit putatum) quam sexaginta modios abstulerunt. Sed illis recedentibus, rursus Sanctorum meritis, Bovone teste, quantitas totius vini integra reperitur. Nec cunctandum, caritate illud augente sic excrevisse, quæ in viri corde diffusa, gemino pollebat bono.

a. Aimoino ex Mabil.

29 Fuit in Villa-nova * ejusdem pagi Senonici quædam puella, nomine Arohildis, ab annis octo cæcitatis orbitate damnata, quæ ad Beatos virtutum luce conspicuos (de quorum beneficiis nobis est sermo) deducta, taliter semetipsam illis E perpetuæ servitutis voto mancipans, subito est curata, ut omnes qui aderant, hoc facto mirarentur attoniti. Cumque deinceps suæ professionis famulatum exsequi vellet, a patre velut de temeritatis præsumptione acriter invecta, coacta est, quam pro salute voverat, pollicitationis mutare sententiam. Itaque dum incipit, sermonibus genitoris magis favens, domum reverti; et pristinæ cæcitatis cladem, et vim febrium insuper multam incurrit. Fit pater ceterique propinqui flebiles, necnon et ipsa admodum miserabilis jacens, remeantque veloces ad pia Martyrum reposcenda suffragia. At ubi ipso jam patre omnimodis compellente, numquam se quod promiserat rursus fallituram devovit; sanitatis summa quam prius meruerat recepta, sospes item efficitur, mansitque ibi, atque famulationis pensum statutis temporibus postmodum in ecclesiæ cultu gratanter exsolvit. VI. *ordine*

** Ville-neuve l'Archevesque*

30 Itum enim Acmantum * villam nostræ possessionis (in qua tunc major pars fratrum ob infestam paganorum degebat persecutionem) aggredientes, ab eis cum magna gratiarum actione et F laudibus opimis satis digne recipiuntur: quam exceptionem ita Dominus virtutum floribus decorari voluit, ut nulli dubium quin ad eos non qualiacumque vel incerta, sed pretiosa deferrentur testium patrocinia. Quædam vero sanctimonialis, vocabulo Leurtgardis, dum populorum obviam euntium admixta conventui, et ipsa candelam in Sanctorum honorem tolleret accensam, subito eam luminis honore gemit orbatam; quæ neglectus tacta pudore, eam in secreto pallii interim emunctam reposuit. Sed quid exinde Christus pro suorum Martyrum ostensione operatus sit, ullatenus absentari non debet. Nam dum sic graditur, tempus operiens illam reinluminandi, mox eo ipso quo erat abscondita, in loco accenditur, partemque vestis qua tegebatur, corripuit. Quo viso extimuit mulier, præconia tantæ virtutis voce qua poterat adtollens: sicque actum est, ut muliere etiam tacente, pars vestimenti adusta quod gestum erat obstupefaciens, videntes magnopere declararet. VII. *enumerantur.*

** Esmant*

31 Deinde Boso ab Alscio villa a renibus deorsum ita paralysis morbo dissolutus jacebat, quatinus VIII. *Sanatur paralysis,*

A. Aimoino. ex Mabil.

tinus ei non solum ambulandi, verum et sedendi denegaretur facultas. Erat autem in eo videre laborem. Hic tantorum auditis insignium donis, manibus propinquorum inter plurimos deportatus, supplex advenit, accedensque ad sanctorum Martyrum reliquias sic infirmitatibus proximas, ita statim postulatæ salutis perfunditur remediis, ut eos proprio gradiens annisu, usque ad ecclesiam, in quam erant inferendi, non desereret. Indeque plenius post dies factus incolumis, ad propria gaudenti animo repedavit : cui congratulantes vicini admirabantur, quia sic cito sibi salus acciderit.

IX. *contractio corporis.*

32 Ea ipsa nihilominus die adducitur quædam femina de villa Rethica, ex nominis appellatione dicta Ragina. Hæc ab annis duodecim, non ut illa Syrophœnissa sanguinem fluens, sed contracta renibus jacens, quasi vitalibus jam cernebatur destituta solatiis, opprimebatur, et nimia paupertatis inedia, ut puta manuum meditatione otiosa. At dum inter reliquum vulgi cœtum beatorum Martyrum patrociniis offertur sananda, priscæ felicitatis coram ipsis quæ aderant turbis usum recepit. Igitur ambulans gratesque sanatoribus suis læda rependens, ad iter (quod aliorum adjuta manibus venerat) se sospitatis gressu comite reparat. B

X. *Rustico servatur alvearium.*

33 Adalbertus de Talsiniaco villa hostilem multum pavens occursum, ad sanctorum Martyrum luminaria pro tuendis aliis unum vas apum fide plena devovit : cum subito ex præfati Hludowici Bejwariorum regis exercitu, quidam illius domum irrumpentes, ipsum alvearium natura mellis avidi, quia majus meliusque ceteris erat, primum auferre conati sunt, quod ita, mirandum, illis nequidquam laborantibus immobile perstitit, acsi funditus in quo erat loco haberetur affixum ; quo facto hostes turbati nimiumque stupentes, didicerunt tandem illud sanctis Martyribus pro conservandis aliis esse dicatum. Unde non solum hoc, sed nil ulterius in eadem domo, Sanctos reveriti, præsumpserunt, animadverso divinam illi eorum meritis tuitionem inesse.

PARS II.

Pergit Aimoinus miraculorum præconia sigillatim deducere.

C

XI. *Tribus cæcis*

Quia miraculorum veneranda concrescunt præconia, augeatur numerus pagellarum cum gloria. Multis denique ab annis Ingalbertus de villa Vimpopuli, cum esset utrorumque oculorum luminis dono privatus, agnitis tot tamque mirandis Sanctorum virtutibus, jussit se quantocius illuc deduci. Sicque uxoris adminiculo insuper et multa comitatis fiducia gradiens, ad locum usque pervenit. Dumque diutius ecclesiam intrans, solo prostratus precibus gemens insisteret, quo sibi sancti martyres, licet indigno, misererentur, luctuosis vocibus expostulans precabatur. Tum supernæ pietatis fonte eorum obtentu se influente, ita confestim mederi promeruit, quatinus Deum Sanctosque magnificans, inde valens vidensque uxoris manu oblita rediret.

XII. *visus,*

35 Adducuntur et duo cæci, villæ quæ dicitur Simportus, incolæ, ad præclaram beatorum Martyrum postulandam clementiam. Horum sane devotionem integram, non modica divinæ miserationis consecuta est cæcorum inluminatrix bonitas. Ut autem intrantes domum quó sacræ Martyrum digne venerabantur reliquiæ, se orationi dederunt ; obductis post paullulum fugatis tenebris, videndi posse recipere meruerunt : surgentesque a pavimento, remoto ductore per se se hac illacque clare videndo discurrunt. Itaque Dei sanctorumque Martyrum sibi providam conclaudantes benignitatem, læti ut illi quondam in Evangelio a Salvatore et Filio David inluminati discedunt. D

XIII. *stulto mens sana restituitur.*

36 Hac itaque miraculorum fama per pagos late diffusa, se invicem præcedere festinantes confluunt plurimi. Unde quidam adolescens Acleulfus, ex villa nomine Laudrado, mente captus, cum frequenter fieret jam per annum et insuper atrociter demens, quod vulgo lunaticus dicitur, ad sæpe memorata sanctorum Martyrum corpora, licet vinculis nexus, fide parentum adducitur, qui etsi illam non habebant vocem, Domine, si quid potes, adjuva nos misertus nostri ; infirmum tamen sibi poscebant mederi. Ubi aliquantulum ob salutis remedium detentus, ad plenum, quod alienæ fidei devotione quæsitum fuit, eorum piis meritis adipisci promeruit. Itaque sensus pristini recuperato vigore, alacer recessit, atque de reliquo, uti prius fuerat, sanæ mentis compos permansit. E

XIV. *Procacis puellæ punitio.*

37 Ex eadem villa quædam procax puella, nomine Teutberga, casu quo solebat cum matre litigans, per sanctorum Martyrum pignora, Georgii scilicet ac Aurelii, suam non est verita contestari proterviam. Dumque a quibusdam, quare sic adversus parentem ageret, et quare sic temere per Sanctorum nomina dejeraret, increpata minime quiesceret ; ultione præsenti, ipsa quam ad jurandum evexerat, manus contrahitur. Exinde vero, quos perjurando per indomitatem linguæ male præsumpserat, studiose rogando cogitur quærere Sanctos, suique ab eis causam remedii, veluti debitum munus, incunctanter exigere. Dumque facti pœnitens ad eorum se limina devotissime contulit, debilis ipsius palma, dictu velocius, medicata extenditur, atque sana facta mulier ad genitricem, ei de reliquo famulatura revertitur.

XV. *Sanata cæca*

38 Erat et quædam femina ex villa vocabulo Casellas, nomine Amaluvara, ab annis centum * quadraginta quatuor mensium in cæcitatis nebulis perdurans : nec ulla ei medicinalis profuit manus, quam divina potestas his Sanctis medendam servabat. Hæc a quadam pulcherrima feminarum intempesta nocte (ut sibi videbatur) admonita est, quatinus pro adipiscendo luminis usu ecclesiæ pavimentum, qua eorumdem sanctorum Martyrum corpora quiescebant, sedula scopis mundare satageret, donec eam Sancti miserando respicerent. Quod cum adducta semel explesset, oculorum acuminis tantum recepit, quod sibi usque hodie sufficiat, nec ductoris adminiculo, sanctimonialis etiam facta, quemadmodum prius indigeat. F

* *Hic mendum esse videtur.*

XVI. *visione recreatur.*

39 Quid vero eidem in ipsa ecclesia quadam nocte cum ceteris excubanti revelatum sit, reticeri neglectum putamus. Ubi dum aliis dormientibus sola (quemadmodum sibi certum erat, et nobis retulit) quasi vigilans resideret, respicit ad fenestram retro altare ejusdem ecclesiæ, considerans per eam quasi maximum solis radium splendescere, et per radium quemdam inæstimabilis visus luce contectum puerum ad ima usque altaris descendere, qui manum porrigens ubi Sanctorum corpora quiescebant, sublevato paullulum quo tegebantur pallio, cœpit diligenter introspicere

trospicere

A trospicere : cum ecce columba, cujus nitor mirabilis, in cornu dextro altaris apparens super eos volitans stetit, ipsum plurimum intentans juvenem, et quasi quiddam divinitatis in eo contemplans, quid agere vellet inspiciens : qua visione perterrita, veluti fessa angustiis, plenius obdormivit : videtque per ecstasin mentis duos venerabiles viros ecclesiam ipsam quibusdam et valde pretiosis decorare ornamentis, qui et aiunt ad illam : Vade festinans ad hujus sanctæ domus custodes, ac dicito, quatinus hanc propensius ornent, quoniam qui sunt in circuitu Sancti, horum Martyrum gratia huc modo convenient. Siquidem et nos ab Hispaniarum partibus, unde nuper allati venerunt, eos quomodo hic essent, visitare processimus. Quibus sic effatis sublata visione, evigilat mulier, atque hæc secum replicans hæsitat plurimum, upote quid puer, quidve columba significaret ignorans. Prudens tamen lector sive sagax auditor (credimus) puerum Christum, columbam vero Spiritum sanctum Patris Filiique consortem, circa sanctorum Martyrum reliquias B adspirantem intelliget.

XVII. *Punita curiositas.*

40 Teutlindis ex Dedentio puellari monasterio, quia Dominica erat, et vacabat ab opere, veluti ex otio ad eorumdem sanctorum Martyrum C limina se puellariter videndi curiositate donavit. Ibant et alii devote promoti : et quamvis animo dispares, sociali tamen vestigio perveniunt ad ecclesiam, seque simul coram altari orationi dederunt : erigentesque se, ac reliquorum qui prævenerant, stationem adire properantes, loco quo steterat, ceteris abeuntibus, ita præfata Teutlindis inhæsit, quatinus pavimento immota persistens, universos hoc novo miraculo in non modicam admirationem adtolleret. Ubi tamdiu, cernentibus cunctis, utroque pede immobilis facta permansit, donec pravitatis suæ reatum confiteretur; videlicet, quod minus religiose inlecebris gaudens accesserit, quodque minus debito pro ipsis obsecraverit delictis. Itaque orantibus pro se qui aderant fratribus, ac letanias agentibus, ineffabilibus sanctorum Martyrum meruit absolvi suffragiis.

XVIII *restitutus contractus.*

41 Item homo quislibet, Altcarius nomine, de villa Scau, contractus renibus multum per tempus mærens jacebat. Audiens autem per Sanctorum merita infirmorum multos curari, certam (ut iisdem postmodum referebat) spem promerendæ salutis sumens, parentum vel amicorum ducatu se ad eorum miserationem destinavit. Cumque surgens sedere utcumque tentavisset, quo cereum quem ad Sanctorum luminaria secum deferret, suis manibus ipse fingeret, in propria domo optatum subito amissæ sanitatis recepit valere. Elevans namque se, sospitemque reperiens, opus quod ante conabatur debilis, jam Deo miserante incolumis effectus peregit. Occurrit ergo sanctis Martyribus cum oblatione luminis gaudens, quodque sibi acciderat, læto ore universis exponens.

XIX. *Alia punitio;*

42 Hoc quoque dignum est ponere, quod admirationem pariter inferat et terrorem. Nam corrigentur alii aliorum casu, prophetia teste David dicentis : Lætabitur justus; cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Igitur quidam serviens ex eadem Acmanto villa, vocabulo Ingalsardus, fuit et ipse quidem hortulanus Fratrum. Hic accepta præbendæ suæ annona, ad ipsius villæ farinarium causa molendi perrexit, sicque ibidem cujusquam mulieris pauperis locum mente superbus præripere gestiens, D super ipsius annonam, quæ jam molebatur, suam pervicaciter minabatur injicere; quod illa quibus poterat viribus renitens, cum superare infirmior fortiorem non posset, elevatis ad ecclesiam manibus aiebat flens : Adjuro te per hos sanctos Dei Martyres Georgium atque Aurelium, ne mihi violentiam inferas. Qua miser contestatione spreta, dum a loco exire cœpisset, continuo percussus intellexit, ob tanti contemptus causam, vicinum sibi imminere discrimen : vixque efflagitans, uti moriens, tenui qua poterat voce ejusdem molendini provisorem precabatur, quatinus superinjectam annonam festinus rejiceret; qui post hanc vocem (quod admirationis est et timoris) corruens obmutuit, atque evidenter præsenti morte donatus exspiravit. Concurrunt plurimi, (erat enim Dominica) talique spectaculo permoti stupescunt : quod tamen non ad futuræ damnationis casum, sed ad talium magis (ut prælibavimus) corrigendum temeritatem ei justo latentique Dei judicio hortamur provenisse credendum. Nam mors impiorum, ut beati Gregorii verbis dicatur, bonis est in adjutorium, malis vero, ut se caveant, in E testimonium.

A Aimoino. ex Mabil.

XX. *sanatur inflatio.*

43 Post denique mulier quædam ex villa, quæ appellatur Civiacus, nomine Godohis, tanto tamque terribili detinebatur perlucidæ inflationis morbo, quod omnium competenti membrorum officio desolata miserabilis videretur. Patiebatur et aliud intrinsecus cardiacæ scilicet infirmitatis malum, quod eam assidue præfocando nimium exanhelabat. Dumque per momenta horarum quasi finitima sibi clade duceretur ad mortem, imponitur tandem suorum manibus propinquorum carpento, et sic perducitur ad clemens Sanctorum auxilium. Excubabat siquidem tali pœnarum acerbitate oppressa ante ecclesiæ fores, ut vix in ea animadverti saltem spiritus posset. Post triduum tamen serenato stomacho, ita (quod est mirabile verumque) sanatur, ut propriis exinde plantis, remoto carpenti vehiculo, læta redire mereretur.

XXI. *morbus incognitus,*

44 Novimus et quemdam nomine Hieronymum ex pago proximo Wastinensi simili Sanctorum virtute curatum. Hic totius corporis per annum fere dimidium obrutus debilitatis angore, parentum pietate ad beatorum Martyrum evehitur solatium, F cujus infirmitas plus ignorabatur quam curaretur a medicis. Qui vix invento consilio, qualiter eum ob omnium valetudinem membrorum in quodam vinario vasculo, quod tonna dicitur, super plaustrum imponerent, hoc facientes pervenerunt ad sacram eorum præsentiam : ibique multis qui adhuc supersunt contemplantibus, sic virtutis pristinæ sospitate roboratur, quo pro se sanus effectus assurgeret, domumque facta super se (quemadmodum speraverat) misericordia Dei gratulans recurreret.

XXII. *item surdus et mutus.*

45 Item quædam femina dolens se in prole non parvo caruisse solatio, filium mutum pariter et surdum secum sumens, ad Sanctorum miraculis coruscantium duxit reliquias. Cumque facta oratione, ipsa ab altari procul stetisset, innuit nato veluti surdo propius accedere, et candelam voti, quam manu ferebat, ad altare Sanctis offerre. Tum subito os infantis, quod fuerat a nativitate clausum, aperitur, atque illam vocem primam emittens, matrem interrogat, cui deberet lucernam porrigere. Responsoque genitricis, ut eam altari inferret, accepto, per exsecutionem operis se etiam audire clare demonstrat, quo agnito

A. AIMOINO, EX MABIL.

qui eum nudiustertius mutum cognoverant, simul et surdum, per Sanctorum merita euangelica revixisse miracula admirando proclamant. Nec mirum cum Salvator non solum quanta fecit, insuper majora discipulis quod essent facturi promisit.

PARS III.

Hinc celebres redditæ reliquiæ, de quarum veritate certior fit Carolus Calvus, et portio aliqua Eddoni comiti conceditur.

XXIII. *Auditur cælestis musica.*

Non igitur credimus displiceri, si quod utile sit honestumque narretur. Enutritur siquidem fides fidei operibus crescens. Cum autem quadam die Dominicæ resurrectionis ad ipsius B ecclesiæ ostium mulieres quædam, aliæ salutis, aliæ vero sanctorum Martyrum desiderio vigilias agerent, mira illis ac stupenda visio demonstratur : non ut pastoribus olim de Christi nativitate docendis, sed ut feminis prædicabili virtute devotis. Prima itaque noctis vigilia adspiciunt per ejusdem ecclesiæ ostii rimulas, videntque ab interioribus ab se usque nimium luminis splendorem procedere. Tunc una illarum vicinius accedens, et quid illud esset diligentius inspicere contendens, ecclesiam omnem ita incredibilis nitoris fulgore radiantem cernit, quatinus eo ipso lumine partim exterior, qua residebant, porticus reluceret. Et ecce diversas intus voces miræque suavitatis cantilenam audiunt, veluti multitudinis congratulantium hymnidicasque Deo laudes cantabiliter jubilantium, quod subsilenter eatenus se vicissim audisse fatebantur, donec ad nocturnalis debitum Officii pulsato signo, fratres evigilarent. Unde si miraculorum causas ordinabili providentia dispositas consideramus, illa superior visio completa decernitur, qua ostensum monstravimus, horum Martyrum gratia qui in circuitu essent, C Sancto illuc conventuros angelico dumtaxat comitatu jocundos.

XXIV. *Curatur alius cæcus,* * *Thiais*

47 Ex pago Parisiaco et villa nuncupante Teodasio * juvenis quidam annos (ut ferebatur) quinque in cæcitate gerens, se omni tempore nubilum fore gemebat. Supplicat ergo tot tantisque sanctorum Martyrum compertis virtutibus, quatinus ad eorum pium perduceretur auxilium. Jam enim quasi fidei lumine catechizatus videre cœperat, quod cum factum fuisset, cito benigna eorum interventione, quod fidens quæsivit, consequi meruit. Siquidem non post multum temporis, expletis ibidem ad salutifera eorumdem sanctorum Martyrum limina lacrymosis excubiis, præclaris ipsorum, (quod est fatendum) meritis, invisis propulsis tenebris, ei protinus virtus cælestis lumen quoque diei refulsit. Rediit igitur videns, Deum magnificans ac gratias agens, homo innovatus novum vicinis miraculum referens.

XXV. *item contortus,*

48 Erat itaque ex pago Andegavensi homo quidam, nomine Adalsadus, ab annis fere quinquennii vitiata compage membrorum sic invalidus, quatinus ipsa calcanea posterioribus tenacissime haberentur innexa, qui tantorum cognita miraculorum virtute (divulgabantur enim a plurimis) ad eorum se Martyrum gratiam quamdam Dominicæ noctis die, prout potuit, transtulit : ubi no- D cturnali adveniente tempore, jamque fratribus eumdem officium angelica celebrantibus reverentia, tantos cœpit, solventibus se (ut solet in talibus fieri) membrorum vinculis, clamores emittere, quibus psallentium voces ejulans omnino perrumperet. Interea recuperato mox partim salutis remedio, post paucos exinde dies priscæ sospitati redditus, ita eorum orationibus elevatus subrigitur, ut per se rectus incedens, ad propria suo sospite gressu rediret.

XXVI. *atque item claudus.*

49 Ramnoldus denique de villa, quæ vulgari appellatione Fontanas dicitur, ab anni circulo pede tenus a renibus claudus, ad eorumdem Martyrum florentem clementiam miserandus venit. Venit dico, non gradu proprio, sed peregrino evectus ingenio, ita plane miserabilis, miraque totius corporis debilitate tenuis, ut multiplicatis in se infirmitatibus, amplius putaretur mori, quam posse mederi. Fide tamen accedens, atque ante sanctorum Martyrum cineres, a quibus portabatur, expositus, continuo cum salutis munere superno respectus intuiti, piis ipsorum suffragiis factus incolumis sanatur, utique renum ac tibiarum, necnon et pedum E omnisque imbecillitatis fugato contagio, quemadmodum præsens adhuc ejus alacritas testatur. Sic valens redditur, quatinus ex eadem infirmitate nihil deinceps passus famuletur in eodem loco jugiter Deo.

50 Ergo quia solet posse, ut in suo sacro beatus Gregorius scribit, Dialogo, quatinus majora aliquando fiant miracula, ubi minor portio Sanctorum habetur reliquiarum; gratum fore putamus si et hoc quod de eorum gestum est reliquiis, inseratur.

XXVII. *Carolus Calvus sanctas reliquias explorat,*

51 Gloriosus itaque rex Karolus, quantum de adventu horum Martyrum relectis sibi Passionis eorum titulis gavisus exstiterit, non est nostrum exponere. Lætabatur quod regni sui tempore tales Gallia promeruerit flores : quorum ut a parte totum possideret, sumptis reliquiis, hoc quoque sub exemplo religionis fidelibus agendum ostendit. Nec est oblitus delegans Mancionem Cordubæ, hujus facti veritatem ex loco requirere : a quo regresso etiam illud eorum gestis mutilatum addidicit, quod memoria et inscriptione dignum habetur. Cæsis igitur sanctorum Martyrum corporibus atque in platea diffusis, jusserat Abdirama tyrannus ea ibidem servari sepultura negata, quatinus illa canes volucresque cæli come- F derent : quod actum certe videmus, et in eis quoque psalmodia adimpleretur David canentis : Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. Sed ut eorum dignitas meritique celsitudo declararetur, ita divinitus ab universis rapacibus sunt animalibus, ut olim Daniel a leonibus, custodita, quo nullo vel muscæ appetitu per triduum quo taliter jacuerunt, fuerint adtaminata. Hoc enim cum vero idem dicebat Mancio, et quod a fidelibus ejusdem Cordubæ civibus illud verissime audierit, testabatur. Similiter et quod viderit duas nobiles puellas carne sorores se præsente agonizantes martyrium complevisse pro Christo. Cumque major ante se minorem passionis calicem bibere vellet, non, illa inquit, soror, ita convenit, sequar te magistram ad bravium quam secuta sum ad spectaculum : ne timeas, non te derelinquam. Fidem enim et dilectionem moriens exhibeam, ut vivens solebam. Ita ambarum capitibus obtruncatis, angelorum solatio evectæ animæ

A mæ migraverunt ad Deum victuræ perenniter.

XXVIII. *Eddoni concessa portio reliquiarum.*

52 Ceterum cum Eddoni comiti (ut ad nos tempus enim est revertamur) pars postulata sanctorum Martyrum deferretur reliquiarum, accidit in via, ut quidam presbyter postulans diutius sibi orare concedi, cubiculum domus quo servabantur, intraret, easque reliquias, hoc nemine meditante, furandum præsumeret : tollensque quod primum manui occurrerat, scilicet quidquid inerat capillorum beatæ Nataliæ, festinat in ea ipsa noctis obscuritate ad mansionem furto jocundus redire. Sed antequam ei longius abire concederetur, in medio platearum mox amens horrendum concidit, sensu omnique vigore frustratus. Deinde quasi post horam ad se revocatus ac delicti pœnitens surgit, atque quasi qui ad aliquid necessitatis exierit revertens, sanctæ Martyris reliquias, rursus orationem ex desiderio simulans, suo in loco reposuit : qui si amando bene obtulit, tamen quia fraudem cui debebantur, faciendo bene non divisit, item coram qui aderant universis subito corruens, per terram rursus volutando B torquetur. Assurgunt omnes horribili metu perculsi, atque manus in eum quibus teneretur, injiciunt. Videbant amentem, æstimabantque ilico morientem : et ne res tanti celaretur miraculi, cogitur post, mente recepta, fateri commissum. Sic a ferente Usuardo patre Sanctorum prius invocata miseratione, culpa donata, reanimatus presbyter hilarior regreditur.

XXIX. *Membris contractus erigitur.*

53 Igitur prætermissis plurimis ponatur scribendi finis, admisso eo quo elucescat, beatum antistitem Germanum non solum de æterno, verum et de præsenti lætari consortio. Teutgaudus quidam in Novo-vico, qui est super Ligerim fluvium situs, cum adversa valetudine infirmus decubuisset, hoc insuper ei calamitatis accidit, quemadmodum a femoribus deorsum usque contraheretur : in quo contractionis vinculo, annis ferme duobus negato sibi penitus ambulandi officio, permansit. Deinde fama docente, ut cognovit horum sibi venerandorum Martyrum subveniri posse D meritis, exorat supplicans, se illuc amicorum sive propinquorum manibus ferri ; quod ita factum festinatumque est. Cumque venisset, ac ibidem aliquamdiu in orationibus degens permaneret, præfinitum suæ salutis præstolatus est diem. Jam instante sacra beatissimi patroni nostri domini Germani translationis festivitate, accessit maturius, quod devotione quæsierat citius inventurus. Collocatus autem ante ejusdem magni Præsulis altare, in quo superposita eorumdem sanctorum Martyrum corpora servabantur, constitit, quemadmodum eorum simul (ut credimus) interventu celerem infirmus consequeretur salutem. Sospes igitur factus, ut vidimus, ibat cum magna gratiarum actione resultans : et universis omnipotenti Deo sanctoque Germano et Martyribus virtutum magnitudinem adclamantibus, mansit ibi ad mortem usque deserviens, patria parentibusque et amicis qui se detulerant, oblitis. Nec immerito eorum esse voluit beatus Germanus in terris patrati consors miraculi, de quorum societatis gratia exsultans gaudet in cælis; in illa desiderabili patria, E in illa jocunditate splendida, in illa prorsus regione melliflua, in illa portionis humanæ viventium terra, in illa matre nostra cælesti Jerusalem, in illis amœnissimis perennitatis pascuis. Ibi enim qui semper viventes et in eum prospicere desiderantes Deo assistunt, spiritus adplaudunt, in una eademque gloria ex hac mortalitate jam sibi consociatis Sanctis, pariterque lætantes congratulantur etiam his, licet adhuc in terris peregrinantibus, quos sciunt et intelligunt per scientem et intelligentem omnia, suos post paullulum communi collegio fieri concives, quorum una erit et summa refectio, unius et pleni Dei inaccessibilis contemplatio, contemplatio quia visio, inaccessibilis quia impenetrabilis. Nam, inquit Psalmista : Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus ; quia quo amplius divinitatis rimantur secreta, eo amplius inspiciuntur profunda.

DE B. BERTHOLDO AB. GARSTENSI

IN AUSTRIA SUPERIORE

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Beati cultus ex variis monumentis.

ANNO MCXLII. *Probatur immemorabilis Beati cultus*

Celebre Ordinis Benedictini monasterium, quod Germanice Garsten *seu* Steyrgarsten *appellatur, et ad fluvium Anasum haud procul ab urbe Styrensi situm est, hac die beatum abbatem suum* Bertholdum *solenni religiosoque cultu prosequitur. Equidem memoriam illius auctariis Usuardinis aliisque hujusmodi Sanctorum menologiis consignatam non inveni; attamen de immemorabili ejus cultu ex aliis monumentis abunde constat : nam primus Vitæ scriptor, qui beato Vero subæqualis vixit, passim* beati *aut* sancti *titulum ei tribuit, et in Actis num.* 67 *testatur, publicas vicinarum parœciarum supplicationes ad ejus sepulcrum institutas fuisse. Memorat idem auctor alia antiquæ venerationis signa, quæ curiosus lector in Actis, huic Commentario subjungendis, facile observabit.*

2 *Præterea Janningus noster, qui anno* 1688 *Sanctorum causa per Austriam peregrinatus est, in monasterio S. Floriani notavit sequentia :* In Breviaro Ms. membranaceo in magno octavo, mense Julio in Kalendario legitur : VII KAL. AUG. ANNÆ VIDUÆ. VI KAL. PERTHOLDI ABB, V KAL. PANTHALEONIS MART. Codex autem iste, ut minimum dicam, est 250 aut 300 annorum. *Deinde, quibusdam interjectis, sic pergit :* Est ibidem aliud etiam Breviarium similiter Ms. membranaceum in minore octavo, quod etiam antiquius est supradicto, habetque nonnullos Sanctos, paulo recentiori manu adjectos, quos inter BERICHTOLDI ABBATIS et PANTHALEONIS MART. nempe XXVII et XXVIII Julii. *In iisdem schedis narrat, sese anno* 1688 *etiam divertisse ad monasterium Garstense ac ibidem in novo et pulcherrimo templo vidisse antiquam inscriptionem sepulchralem*

ex antiquis Breviariis aliisque Mss. monumentis.

AUCTORE G. C.

pulchralem B. Bertholdi, *quæ etiamnum post translationem corporis circum marginem lapidis ita legebatur :*

Pastor perdigne, pater o Percholde benigne,
Rite cucurristi, multum Domino placuisti.
Tu promissorum debes memor esse tuorum.
Protege viventes, ad cælum duc morientes.

quæ Janningus noster vidit in Austria,

3 *Ibidem Janningus hæc refert :* In monasterio S. Mariæ in Garsten anno MDCLXXXVIII vidimus codicem antiquum, qui inter alia hæc habet : MISSA DE SANCTO PERICHTOLDO ABBATE. *At plane paradoxum est, quod de eodem codice subjungit his verbis :* Missa autem, quæ assignatur, est de REQUIEM. *Quomodo, inquies, Missa Defunctorum pro illo celebrari poterat, qui Sanctus habebatur, ut ipse Missæ titulus præfert ? Equidem duobus modis id explicari posse arbitror. Primo, si dicatur istud sacrificium offerri, sicut apud Mozarabes (in eorum Missali* Missa parvulorum defunctorum *inscribitur) celebratur pro infantibus baptismo regeneratis, qui ex hac vita cum innocentia* B *baptismatis excesserunt In ea autem petit sacerdos parvulorum innocentium consortium, peccatorum veniam, et fidelibus defunctis adultis refrigerium, ut videri potest apud eminentissimum Aguirrium tomo 3 Conciliorum Hispaniæ pag. 268. Si hoc non placet, dicam, pro* Bertholdo *quotannis Missam celebratam fuisse, donec ob coruscantia miracula communi populi consensu inter Sanctorum aut Beatorum numerum recenseretur. Solet namque pro fidelibus defunctis Missa celebrari, etsi in magna sanctitatis opinione obierint. Sic pro Augustino defuncto sacrificium oblatum est, ut in Vita ejus circa finem scribit Possidius, qui tamen ibi sæpius illum titulo Sancti honorat. Unde etiam Cyrillus Hierosolymitanus Cathech. mystag. 5 ita testatur :* Postea cum sacrificium offerimus, facimus etiam mentionem pro defunctis sanctis Patribus et episcopis. *Sic denique anniversaria Missa celebrata est pro B. Pippino, ut Majores nostri die* XXI *Februarii in Commentario prævio ad ejus Vitam § 5 num. 52 observarunt.*

et confirmatur ab Hieronymo Pezio Benedictino,

4 *Quocumque modo id contigerit, saltem legitimus* B. Bertholdi *cultus, quem Janningus noster* C *ex supra dictis monumentis recte collegerat, ab Hieronymo Pezio in opere de Scriptoribus rerum Austriacarum tomo 2 pag. 84 confirmatur his verbis :* Exstant quin etiam in cœnobio Garstensi (ut ex domesticis ejus loci documentis ad nos missis accepimus) antiqua Breviaria, librique Missales, quibus proprium Officium ecclesiasticum et Missa de beato hoc Abbate, die eidem festivo, id est XXVII mensis Julii, a multis retroactis seculis a Garstensibus decantata continentur. Istius Officii et Missæ exemplar, seculi XIV manu in membraneo codice nunc littera L num. 42 notato descriptum, servatur et in nostra bibliotheca Mellicensi, ex quibus nonnulla, ut ex consequentibus apparebit, edidimus. Ex iisdem notitiis Garstensibus edocti sumus, adservari ibidem litteras authenticas, datas annis MCCCCXLIII et MCCCCXLV a duobus suffraganeis episcopis Passaviensibus, scilicet Johanne Utricensi et Sigismundo, quibus festum B. Bertholdi rite observantibus quædam indulgentiæ conceduntur. Postremo nos Mellicenses Benedictini ejusdem beatissimi Præsulis festivitatem die itidem XXVII Julii sub ritu duplici (ut ajunt) celebramus, idque ex propriis Officiis indultu Apostolico pro Germaniæ usu concessis aut præceptis, quæ annis superioribus typis Jacobi Kopizii excusa Crembsii prodierunt.

5 *Laudatus Pezius tomo proxime citato a pag.* D *136 ex variis Mss. edidit aliqua, quæ antiquam* B. Bertholdi *venerationem uberius demonstrant. Ex his quædam excerpere visum est, ac imprimis duo epitaphia, quorum primum in codice Ms. Glunicensis monasterii ita habet :*

qui de B. Bertholdo vetera epitaphia,

Continet iste locus incorruptum tibi corpus,
Alme Pater, quamvis macerat terra tot annis :
Exhinc natura mutata stupet sua jura,
In te virginei meritum mirata trophæi.
Est ea lex rerum, generum simul ac specierum,
Ut genitos terra terræ consumat acerra,
Omneque mortale pereat, rediens ad inane.
Tu solus terræ nescis contagia ferre,
Cum membris crudis in terræ pulvere ludis.
Hinc juxta David caro glorificata probavit
Ostendens in se, quod jam requieverit in spe.
Sic nos sperare post cursum mortis amaræ
Fac tecum tandem, Berchtolde pater venerande,
Ac promissorum non obliviose tuorum,
Protege viventes, salva quoque lucis egentes.
Amen. E

Alterum autem in eodem codice Glunicensi sic sonat :

Ecce vir ille bonus, venerabilis ille Patronus
Berchtoldus pater, lux, decus Ecclesiæ.
Verbo lucebat, doctrinam vitæ * docebat,
Spes et amor populi ; divitis, exigui.
Rite cucurristi, Pater alme, Deo placuisti.
Nos quoque pro meritis adjuvet ipse tuis.
Amen.

* forte vita

hymnos,

6 *Deinde præter varios hymnos, quos idem R. D. Pezius ex Ms. codice Mellicensi edidit,* Prosa seu Sequentia ex Missa de B. Bertholdo *legitur hoc modo :*

Auge fidem plebs devota,
Gaude simul mente tota,
Voce jungens opera.
Babylonis regna fuge,
Sunt in quibus falsæ nugæ ;
Transi, curre, propera.
Beatorum intra forum
Laude digna reple thorum
Vera Sion filia.
Aures Dei supra cælos
Pulsans, novum pange melos
In Sanctorum millia : F
Salus enim sempiterna
Jam Perchtoldum ad superna
Statuit memoria.
Omnis rei Conditorem
Per beatum Confessorem
Laudet summa gloria.
Rex in cælis locum dedit,
Justus Dei quem insedit,
Intrans absque macula.
Talem colunt * vitæ veræ,
Hi qui volunt possidere
Clara tabernacula.
O virtutis magnæ bonum :
Quia Patrem et Patronum
Novimus in gratia.
Lumen solis expavescit,
Ubi stella supercrescit
Multi cæli spatia.
Finis mundi vertit horam
Sanctitatis in auroram
Nova sub lætitia.
Vere Deus est fidelis,
Qui mercedem sic de cælis

* Hic aliquæ erant transpositæ

Fundit

A Fundit in servitia.
Spem habemus illo die,
O Perchtolde pater pie,
Tua sub præsentia;
Quando Judex orbem cunctum
Ad extremum ducet punctum
Duplici sententia. Amen.

et orationes

7 *Tunc subjungitur sequens* COLLECTA seu ORATIO : Deus, qui nobis beati Perchtoldi abbatis gloriosa merita virtutibus et miraculis evidenter declarasti, da nobis ejus patrocinio salutem mentis et corporis, ut ipsius exempla devote sequentes, a malis omnibus liberati, ad te pervenire mereamur. Per Dominum etc. SECRETA : Concede, quæsumus Domine, ut hæc hostia salutaris clementia tuæ pietatis, et meritis B. Perchtoldi abbatis, nobis famulis proficiat ad salutem : ut ejus potenti effectu peccata nostra dimittas, vitam dirigas, et nos ad visionem gloriæ tuæ pervenire concedas. Per B Dominum etc. COMPLENDA seu POSTCOMMUNIO : Sumptis Domine spiritalibus alimentis, quæsumus Domine clementiam tuam, ut interveniente beato Perchtoldo abbate, peccatorum nostrorum vincula solvas, et a cunctis periculis expeditos ad cælestia regna perducas. Per Dominum etc.

nuper edidit.

8 *Denique post duas alias collectas de eodem Beato sequitur hæc oratio rhythmica :*

O Perchtolde pater chare,
Fac ad portum remigare
Hora noctis intempesta,
Qui te quærunt mente mæsta.
Alme pater, hora prima
Aurem nobis huc inclina,
Ut te promptum in orando
Sentiamus te laudando.
Te rogamus Tertiarum
Hora, dolor animarum
Hic recedat, et expurget
Quos nunc mortis metus urget.
Qui te laudant hora sexta
Plena bonis fiant exta,
Horum simul et in mundo
Vivant pie corde mundo.
O Perchtolde, hora nona
Nobis confer vitæ dona
C Ut in hora nostræ mortis
Sociemur cæli portis.
Vespertina qui te colunt
Hora, pater, prout volunt,
Illis assis *, si in bonis
Eis optent opem donis.
Pater hora jam completa
Veni nobis mente læta,
Ut peccatis absoluti
Tecum simus semper tuti.
Salutantes te his horis,
Pater, intus atque foris,
Tuum semper adjuvamen
Sentiant lætantes. Amen.

* id est adsis

Atque hæc ad immemorabilem B. Bertholdi *cultum ostendendum, dicta sufficiant.*

§ II. Genealogia, Acta et miracula, eorumque scriptores.

Etiamsi ex Actis num. 34 *recte inferri possit,* B. Bertholdum *nobili stirpe progenitum esse; tamen supervacaneum arbitror determinatam illius prosapiam operose inquirere, cum jam a centum annis reverendissimus Antonius, cœnobiarcha Garstensis, Radero nostro super hac re sic responderit :* Voluit edoceri a me vestra paternitas admodum reverenda de patria, parentibus, ætate, et annis sancti patris nostri Bertholdi, quibus vixit, et quo excessit ex hac vita, ut descriptio ipsius vitæ, Bavariæ Piæ inserenda, eo posset esse exactior. Perlatis igitur et perlustratis nostri, nec non Gottwicensis monasterii monumentis, plura de his huc usque non potui habere, quam prædictum sanctum nostrum Bertholdum ultra LXX annos vixisse, monasterio ab anno MCX, et ita triginta annis præfuisse, atque eo ipso anno MCXL, die XXVII Julii ultimum diem feliciter clausisse. De patria et parentibus ipsius nihil habetur, nisi forte familia illius ex insignibus, in quibus fuit clypeus cum campo cæruleo et in eo luna, ut dicitur, cornuta, et stella lunæ opposita, cognosci poterit. *Raderus hanc epistolam, ad se datam, Bavariæ Piæ pag.* 79 *inseruit.*

AUCTORE G. C. Incerta Beati genealogia

10 *Ex his gentilitiis insignibus, quæ reverendissimus abbas Antonius Radero assignaverat, aliisque conjecturis nonnulli recentiores colligunt,* E B. Bertholdum *in Austria trans-Danubiana ex comitum Rageziorum stirpe ortum esse. Alii tamen volunt, eum ex comitum Wirtenbergensium prosapia descendisse. Hinc Historia Salisburgensis, anno* 1692 *impressa, lib.* 4 *cap.* 3 *de illo ita confidenter pronuntiat :* Vir erat tam generis nobilitate (nam Ulrici Wirtembergensis comitis filius) quam vitæ sanctitate magnus, prodigiis celebris. *Verum Hieronymus Pezius in observationibus præviis ad Vitam* B. Bertholdi *sect.* I *de hac controversia prudenter ita judicat :* De patria parentibusque beati Berchtoldi, qui veteribus Bertholdus, Perhtoldus, Perchtoldus quoque et Perichtoldus scribitur, nec ejus Vitæ scriptor, nec authores illi paullo antiquiores quidquam in litteras retulerunt : etsi vero recentiores nonnulli in iis perquirendis multum desudarint, nihil tamen ejusmodi in medium hactenus protulerunt, in quo pedem tuto figas. *Deinde refert varias de hac genealogia conjecturas, quas cupidus similium quæstionum lector illic fusius discussas videre poterit. Interim nos ea examinabimus, quæ ad Acta et miracula beati Viri propius spectant.*

disputationi recentiorum relicta,

F

Acta illius

11 *Reverendissimus abbas Garstensis in memorata epistola, ad Raderum nostrum scripta, aliique recentiores putarunt,* B. Bertholdum *anno* 1110 *munus abbatis Garstensis suscepisse, ac post triginta annorum gubernationem anno* 1140 *(Chronicon Admontense notat annum* 1141) *ad superos migrasse. At Pezius in observationibus Vitæ Bertholdianæ præmissis sect.* 3 *recte advertit, hanc epocham vetustioribus chronicis repugnare, in quibus dicitur anno* MCXI *abbas Garstensis electus esse, atque anno* MCXLII *obiisse, postquam cum summa sanctimoniæ fama monasterium istud uno et triginta annis rexerat. Est etiam in Mss. monumentis aliqua discrepantia circa diem obitus : Mellicense enim Necrologium mortem* B. Bertholdi *notat* V Kal. Augusti; *Admontense autem eamdem* VI Kal. Aug. *consignat. In Actis, postea dandis, num.* 61 *dies mortis indicatur his verbis :* Nocte, quæ B. Panthaleonis martyris festivum præcedit diem, modicum ante nocturnale Officium, vocata congregatione, ipse litaniam incepit, et ad usque animæ redditionem cum aliis decantavit. Tunc levare manus suas volens, sed minime prævalens, quievit in Domino. *Ex his certam mortis diem*

AUCTORE G. C.

diem eruere possemus, si constaret, quo die festum S. Pantaleonis illic isto tempore celebraretur; sed cum S. Pantaleon ab Usuardo et quibusdam Martyrologis die XXVIII *Julii, ac ab aliis* XXVII *ejusdem mensis referatur, hactenus inter utrumque hunc diem incerti hæremus. Quidquid sit, annua* B. Bertholdi *festivitas die* XXVII *Julii a Garstensibus Benedictinis celebratur, ac propterea nos etiam hac die Acta ejus illustramus.*

et miracula

12 *Magnam fidem merentur prodigia, intercessione* B. Bertholdi *patrata,* quorum aliqua pro gloria Dei, et ipsius sancti Patris amore jam mihi commemoranda sunt, *inquit num.* 64 *antiquior Vitæ scriptor*, partim me ipso præsente facta, partim ab aliis videntibus indubitabili veritate adstructa. *Non tamen huic auctori suppari tribuenda sunt omnia miracula, quæ in Mss. Viennensi, Garstensi, et Mellicensibus leguntur: nam in iis certe in aliqua referuntur, quæ post hujus biographi lucubrationem ac mortem contigerunt. Quæstio igitur est, quo usque subæqualis ille auctor scriptionem suam perduxerit. Pezius* B *in observationibus præviis sect.* 4 *de hac re ita disserit:* Porro idem scriptor anonymus opus suum non ultra cap. XLI produxit: siquidem Udalricus seu Ulricus, cujus nomini historiam vitæ B. Bertholdi nuncupatam antea meminimus, IV Kal. Septembris anni MCLXXXII, teste chronographo Garstensi, diem supremum obiit. At vero Hadmarus, cujus ævo gesta cap. XLII vitæ Bertholdianæ contenta referuntur, anno demum MCCIII, eodem chronographo authore, abbas Garstensis salutatus est. Quæ igitur caput XLI vitæ B. Bertholdi consequuntur, subinde ab aliis anonymis Garstensibus addita fuerunt. *Ita ille.*

examinantur,

13 *At ego ob eamdem causam contendo, ne quidem caput* 41 *isti auctori adscribendum esse: nam capite illo quadragesimo primo (juxta nostram Actorum divisionem incipit a num.* 81) *fit mentio* Marquardi, bonorum omnium memoria digni, tunc Glunicensis cœnobii abbatis, sed postmodum in Garsten in patrem assumpti. *Ex quibus verbis sic argumentor. Præterquam quod narrator hujus miraculi de Marquardo, tamquam jam mortuo, loqui videatur, certe illud scripsit,* C *postquam Marquardus ex Glunicensi factus est abbas Garstensis: atqui Bernardus Noricus innuit, Marquardum anno* 1182 *adhuc fuisse abbatem Glunicensem, dum in catalogo abbatum Cremisanensium apud Pezium tomo* 2 *col.* 61 *post commemoratam Ulrici III Cremifanensis abbatis mortem, paulo ante annum* 1183 *ita scribit:* Lis terminatur inter abbatem Marquardum de Glunich, et plebanum de Syrnich. pro decima. *Non potuit igitur Marquardus ad abbatiam Garstensem transire nisi post annum* 1182, *quo* piæ memoriæ Chunradus Garstensis abbas X Kalendas Novembris obiit in Christo, *ut tradit Chronicon Garstense. Eo autem tempore jam obierat Udalricus vel Ulricus III Cremifanensis abbas, cui anonymus scriptionem suam dedicasse dicitur: non potuit ergo auctor istius lucubrationis meminisse de re, quæ post patroni sui obitum tantummodo evenit. Porro idem chronographus Garstensis ad annum* 1195 *de obitu Marquardi hæc habet:* MCXCV piæ memoriæ Marquardus obiit, et Arnhalmus eligitur. *Deinde paulo inferius ad annum* 1203 *hæc addit:* MCCIII Arnhalmus piæ memoriæ Garstensis abbas obiit, pro quo Hodemarus eligitur. *Hoc argumento inductus Acta et miracula* B. Bertholdi *solummodo usque ad num.* 80 *inclusive sub nomine anonymi subæqualis edidi, et distinxi ab aliis miraculis, quæ postmodum a diversis anonymis collecta sunt. Utrum id jure fecerim, judicent eruditi, inter quos ipsum Pezium judicem non recuso.* D

14 *Acta et miracula* B. Bertholdi *sæpe typis excusa sunt; ac primo quidem Jacobus Gretserus noster ea anno* 1617 *Ingolstadii ex Ms. Viennensi edidit. Jacobus Mosander Cartusianus editionem Gretseri secutus est, eamque posthumæ Surii collectioni ad diem* XXVII *Julii inseruit. Deinde Raderus noster anno* 1628 *Monachii Vitam* B. Bertholdi, *stylo suo adornatam, in Baviria Pia a pag.* 65 *exhibuit. Postea anonymus quidam, servata primigenia phrasi, eadem anno* 1634 *Salisburgi* e Ms. Viennensi et Garstensi *imprimi curavit, miracula quibusdam capitibus auxit, et omnia versiculis notisque illustravit. Denique jam sæpe memoratas Pezius eadem Acta cum duobus codicibus Mellicensibus collata, Lipsiæ anno* 1725 *rursus prælo subjecit, et tomo* 2 *de Scriptoribus rerum Austriacarum inserta observationibus præviis erudite elucidavit. Nos omnes istas editiones (excipe Raderianam, quæ stylo plane differt)* E *inter se contulimus, et variantes graviores momenti lectiones in margine aut in Annotatis assignabimus. Nunc de Actorum istorum scriptoribus aliqua sunt inquirenda.*

et variæ illorum editiones recensentur.

15 *Eruditissimus Pezius in observationibus præviis ad Vitam* B. Bertholdi *sect.* 4 *inter alia ætatem primi biographi colligit ex tempore Udalrici, cui putat Acta Bertholdiana dedicata fuisse:* Udalricus vero, *inquit tomo* 2 pag. 85, cui lucubrationem suam inscripsit, beati Bertholdi nepos ex fratre fuit, et ex Priore Garstensi postmodum abbas Cremifanensis renuntiatus, regimen ejusdem monasterii sub nomine Ulrici III ab anno MCLXXII ad MCLXXXII tenuit. *At dubitari posset, an Ulricus vel Uldalricus Cremifanensis non sit diversus ab Udalrico illo, cui Acta Bertholdiana nuncupantur: primus enim Vitæ istius scriptor in prologo, ubi opusculum suum Udalrico offert, nullum verbum facit de duplici beneficio, quod Udalricus, postea abbas Cremifanensis, intercessione beati Patrui sui obtinuit, quando adhuc in monasterio Garstensi degebat. Illud autem non videtur auctor eo loco omissurus fuisse, si id patrono suæ lucubrationis contigisset; præsertim cum deinde* F *num.* 32 *et* 75 *duo illa miracula de Udalrico Cremifanensi ita referat, acsi ad Udalricum, cui scriptionem suam consecrat, nullo modo pertinerent. Nonne hic saltem, inquiet nonnemo, patronum libelli sui allocutus fuisset, et tamquam certissimum utriusque miraculi testem compellasset? Nonne de ea re in prologo meminisset?*

Scrupulo quodam

16 *Scrupulus iste augetur, quia nomen Udalrici ea ætate erat pluribus commune, ut apparet ex ipsis Actis* B. Bertholdi, *in quibus plures istius nominis memorantur. Potuit igitur opusculum illud dedicari alicui Udalrico ordinis Benedictini abbati, cujus ætas nos hactenus latet. Hoc ita fieri potuisse opinor; at factum esse non contendo: hunc enim scrupulum tantummodo proposui, ut ab Austriacis rerum monasticarum indagatoribus omnino dispellatur. Imo jam inde evanesceret, si de genuina codicum Mellicensium lectione constaret, cum ubi auctor in prologo ad Uldalricum dicat, se Vitam* patrui *ejus scribere. At cum Gretserus in Ms. Viennensi pro voce* patrui *legerit* patris, *indagandum esset, uter codex antiquitate prævaleat. Præterea videtur potius legendum* patris tui, *nempe*

censuræ eruditorum proposito,

A *pe spiritualis, quam* patrui tui, *cum paulo post in ipsa editione Peziana, ex Mss. Mellicensibus facta, idem auctor dicat, se hæc scribere ad ostendendam suam devotionem* erga eumdem Patrem, *quod pronomen ad præcedentem vocem* Patris *aptius, quam* patrui *referri potest. Nondum igitur omnis scrupulus plane sublatus est. Interim tamen sequor opinionem Bernardi Norici, qui ineunte seculo* XIV *in catalogo abbatum Cremifanensium asserit, vitam* B. Bertholdi *ad Ulricum III Cremifanensem abbatem scriptam fuisse. Hanc, inquam, opinionem in decursu sequor, donec quispiam ex fide dignis monumentis alium Udalricum alicunde eruerit, et dubium meum, antiquioribus testimoniis confirmatum, in solidum argumentum evaserit.*

colligitur ætas primi biographi

17 *Ceterum primum Bertholdianæ Vitæ scriptorem temporibus ipsius Beati vicinum fuisse, satis colligitur ex his prologi verbis :* Igitur quomodo primo Vir beatus ad Garstense monasterium sit electus, et qualiter ibi vixerit, quibusve miraculis sancta merita ejus pietas divina declaraverit, sicut ab illis accepi, qui viventi præsto fuerunt, qui magisterio ejus informati virtutibus et signis B interfuerunt, jam aggrediar, Domino adjuvante, depromere. *Idem auctor clare indicat, sese* B. Bertholdo *proximum vixisse, dum in Vita num.* 56 *narrat miraculum de aqua in vinum conversa, quod se ab ipso Beati famulo audivisse affirmat his verbis :* Hæc mihi idem Hiltiboldus cum lachrymis expressit, et in anima sua ita esse, ut exposita sunt, asseruit. Sed et idem miraculum, videlicet vinum ex aqua factum, non semel ei evenisse, multi hodieque testantur. *Quamvis autem scriptor ille nullibi nomen suum prodiderit, tamen vitæ monasticæ professionem satis videtur innuere, dum num.* 70 *liberationi mulieris energumenæ sese interfuisse ita testatur :* Adest abbas Guntherus nosque, et quamplures tam secularium hominum, quam spiritalium. Allatæ sunt cruces et reliquiæ de altari, atque inter benedictiones et exorcismos dicta est etiam letania a nobis cum magnæ intentionis devotione. *Ex his conjicio, auctorem fuisse cœnobitam Garstensem. Jam de altero Vitæ scriptore, seu potius breviatore, aliquid dicendum est.*

quem postea contraxisse videtur alius,

C 18 *Janningus noster in cœnobio S. Floriani anno* 1688 *vidit membraneum codicem, in quo antiquis characteribus breviter exarata erat* B. Bertholdi *Vita, quæ fol.* 21 *ita incipiebat :* Egregius Dei famulus Berhtoldus a primis pueritiæ annis in regularis vitæ proposito Deo studuit strenue militare *etc. Sic autem juxta ipsius schedas desinit :* Nostris etiam temporibus accidit res admiratione digna; cum enim tota vicina anniversarium beati Viri solenniter veneraretur, quidam textor insistens operi suo ex contemptu neglexit occurrere ad Missarum solennia, cum subito sinistra manus ejus aruit. Unde miser ad ecclesiam cucurrit confitens contemptum suum et petens indulgentiam, ac lecto Euangelio, et facta pro ipso oratione, manus arida recepit sanitatem. Præterea quis non miretur, quod purpura, in qua depositus est, jam LXXX et amplius annis incorrupta conservetur; et ita sana et recens videtur, acsi ante triduum ibidem fuerit deposita. *Arbitror, Janningum non voluisse Acta integra exscribere, quia judicabat, in illis nihil contineri, præter exactum vetustioris vitæ compendium, quod nobis, semper fontem inquirentibus, magno adjumento esse non posset. Jam vero ex initio et fine apparet, illa esse eadem* B. Bertholdi *Acta, quæ junior anonymus contraxit ex antiquioribus, ut jam videri potest apud Pezium, qui totam Actorum ac miraculorum synopsin ex Ms. codice bibliothecæ san-Florianensis in lucem primus dedit, ac tomo 2 de scriptoribus rerum Austriacarum a col.* 130 *inseruit.*

AUCTORE G C

cujus ætas etiam præter propter determinatur,

19 *Laudatus Pezius ibidem in observatione prævia de hujus secundæ Vitæ auctore, ejusque ætate ita disserit :* Rebus a beato Bertholdo præclare gestis, ab anonymo Garstensi copiosius denarratis, earumdem compendium, a quodam incerti nominis canonico regulari (ut videtur) san-Florianensi concinnatum, subjectum imus : in quo etsi paucula occurrant, quæ a superiore biographo exposita non fuerint; quia tamen ex eo, utpote ab homine alius ordinis et instituti scripto, primis B. Bertholdi Acti multum roboris accedit, id hic penitus prætermittere nefas duximus. Author inter annum Christi millesimum ducentesimum duodevigesimum et vigesimum septimum seculi ejusdem se vixisse inde prodit, quod sub scripti sui finem miraculum illud, quod textore E quodam diem B. Bertholdo sacram profanante, eaque propter divinitus punito, factum commemorat, suo tempore gestum affirmet. Id autem accidit, ut vitæ Bertholdianæ continuator testatur, sub Remberto abbate Garstensi, quem ex ejus loci vetustis annalibus ab anno MCCXVIII ad MCCXXVII cœnobii regimen tenuisse constat. *Hisce ego addo, ætatem istius abbreviatoris magis determinari ex aliis ipsius verbis, dum nempe postremo miraculo subnectit,* quod purpura, in qua depositus est *(B. Bertholdus)* jam LXXX et amplius annis incorrupta conservetur. *Ex his colligo, quod secundus iste anonymus post annum* 1222 *hæc scripserit, cum a mense Julio anni* 1142, *quo* B. Bertholdus *sepultus est, usque ad finem anni* 1222 *tantummodo octoginta anni et aliquot menses effluxerint. Porro etsi auctoritati istius scriptoris nihil detractum velim, tamen compendium illius hic recudendum non censeo, tum quod apud Pezium legi possit, tum quod sua verosimillime hauserit ex anonymo cœnobita Garstensi, cujus opusculum huic commentario subnectemus.*

et ex quo datur miraculum, quod a priori omissum est.

20 *Nihilominus ex editione Peziana hic referam quoddam miraculum, de quo primus biographus silet, et quod secundus ita narrat :* Cum Vir divinus audiendis confessionibus operam daret, venit ad eum juvenis maturæ satis ætatis, F peccata sua confessurus : et ipso etiam suam prosequente [confessionem] Vir Dei modicum soporatus et expergefactus, exhibito denario, ut moris est, rogavit juvenem eumdem, ut in prima Missa sua ejus memoriam haberet. Unde ille plurimum admiratus, se laicum ac fabrum, et jam dudum barbatum esse affirmabat. Sed ad instantiam Viri sancti denarium recepit, ac in brevi ad monasterium Chremsmunster se transtulit, litteras didicit, et ad gradum promotus est sacerdotalem. *Cum hic juvenis se* barbatum *appellet, suspicor, fuisse unum e fratribus conversis, quos in monasteriis vulgo* barbatos *nuncupabant, eo quod contra quam monachi barbam nutrirent, ut ex Actis num.* 18 *colligitur, et fusius videri potest apud Cangium in Glossario. Interim nescio, unde junior Vitæ scriptor hoc miraculum hauserit, quod ab antiquiore biographo prætermissum est.*

§ III.

AUCTORE G. C.

§ III. Beati reliquiæ et gloria posthuma.

Reliquiæ B. Bertholdi occasione novi templi exstruendi.

Antiquum epitaphium, quod in Salisburgensi Actorum editione pag. 100 *refertur, et quod supra num.* 5 *ex Ms. Glunicensi exhibui, significat, corpus* B. Bertholdi *multis annis incorruptum fuisse. Id aliquot post obitum annis divinitus a corruptione servatum esse non inficior; at postmodum sacra ejus ossa dissoluta fuisse, constabit ex sequenti translationis narratione, quam reverendissimus Anselmus, abbas Garstensis, una cum humanissimis litteris anno* 1689 *ad Janningum nostrum misit. Sic autem istud instrumentum sonat:* Steterat seculum ultra quintum ecclesia Garstensis, cum novam, pro veteri solo æquanda, e fundamentis eruere visum fuit reverendissimo abbati DD. Romano Rauscher tunc feliciter regenti. Decretum sic erat anno MDCLXXVI, et mox insequen-
B ti MDCLXXVII, altaria exportata, muri pro parte potiori quassati: Sed ne ruinæ thesaurum supprimerent optimum, jam antea, ut sacra primi abbatis nostri, ac patroni B. Bertholdi lipsana lustrare, levare, decenterque alio transferre liceret, a reverendissimo celsissimoque S. R. I. principe, ac ordinario Passaviensi DD. Sebastiano, e comitibus de Pötting PP. facultas submississime petita, atque concessa fuit.

visitantur,

22 Designata itaque ejusdem anni dies III Junii, fixum tempus vespertinum, quasi tunc minor concursus hominum futurus, minus exinde negotii sacri impedimentum foret timendum: Sed incassum hæc fuere consilia, quo secretius habita, eo velocius ex postfacto propalata, avidiusque excepta, confluente nimirum, nescio quo monitore, inopinato sub progressum pii laboris, populo frequenti, e vicinia ceteroquin non adeo, ut videbatur, populosa. Cœptus vero hic sanctus labor est Completorio finito: ubi Fratres omnes ad locum sacræ sepulturæ convenere, reserata solita clavi crypta, atque cœnobii pro tempore existens R. P. Prior succinctus linteis in eamdem dimissus. Hic vix non territus
C primo erat intuitu, quando incomposita omnia, lutoque impacta deprehendit; inundatio etenim præterlabentis Anasi, trina præsertim notabilior, anno MCLXVII, MCCX, et circiter MDLXX cuncta ecclesiæ, cœnobiique loca subterranea, atque ita hunc ipsum quoque, copiose antehac penetraverat. Admovit is tamen manum operi, et ad ingressum illico sacrum eruit caput, quod singulari cum devotione ipsemet reverendissimus DD. abbas excepit, et, qui per integrum jam annum brachii dextri usum non habebat, eumdem pio ad Beatum suspirio, et fiduciali capitis venerandissimi ad brachium attactu præsentissime recepit. O auxilium gloriosum! excitativum merito, ne in thesauro adhuc reliquo investigando desisteretur, quod et factum, particulæque complures aliæ ab eodem R. P. Priore subsequenter levatæ, donec is, humore vaporeque terrestri cerebrum occupantibus, debilitatus, ascendere coactus est, sacerdote alio conventuali in vicem substituto. Hic omnia porro accuratissime perquirens tot etiam ossa sacra reddidit, quibus cum prioribus in formam sceletontis * super tabulato decentissime coordinatis animadversum est, nihil ferme posse desiderari.

* *lege sceleti*

23 Patebat hinc sane evidentius extraordinaria divina bonitas, cui tanto tempore, totque D
inter temporum injurias Electi sui reliquias posterorum memoriæ, cultuique placuit conservare. Igitur recollecta sunt reverenter omnia in tumbam cupream ad id paratam, et floribus affabre pictam, collocataque in loco conventus separato, beneque clauso, lampade jugiter tota ea nocte penes ardente. Postera die summo mane lota sunt ossa, studiosissimeque repurgata. Aquam illam ex devotione nonnulli asservarunt, quam multis post annis vidimus, imo adhuc in residuis quibusdam particulis tenemus incorruptam. Hanc quoque haud pauci, variis languoribus, acutissimisque doloribus afflicti cum fiducia in merita Beati applicantes, sensere protinus auxiliarem, salutiferamque fuisse. Circa horam dein octavam relata fuit ad cryptam tumba, feretroque imposita, ac inde sub tubarum, tympanique clangore, atque litaniarum cantu, comitante cum ministris, more solito, reverendissimo DD. abbate in pontificalibus, et, præter religiosos nostros omnes, numerosissima processione extra septa monasterii in ecclesiam nostram parochialem a sex sacerdotibus superpelliceo et stola indutis E
est deportata; ubi in medio chori dulce onus depositum, tandemque, finitis Te Deum laudamus, et sacrorum solemniis, cryptæ noviter ibidem structæ commissum.

et decenter collecta in ecclesiam parochialem transferuntur,

24 Interim dum hoc in ecclesia consisteret parochiali, fervebat, ut antea, multorum singularis pietas, anno præsertim MDCLXXIX, quo sæva pestis terras hasce depopulabatur. Viro tunc quodam, cum malum jam viciniam intoxicasset suam, votum ad D. Bertholdi aram anathema insignius suspendendi emittente, non ipse dumtaxat cum suis liber evasit, quin et virus, quod apud proximos serpere incipiebat, paulo post suffocatum. Sed non minus eo in loco repositum hoc pignus sacrum commune asylum nobis aliisque fuit, dum anno MDCLXXXIII Turcarum rabies Viennam impetebat, Tartarorumque colluvies non procul dissita loca jam jam vastabat. Ad hujus sepulchrum confugeramus post necessario arreptam valetudinarii, et senio confecti, quippe ante quatuor jam annos sacerdotis jubilæi, reverendissimi DD. abbatis fugam, omnes, et Patri nostro primo nos precibus commendabamus, quotidie Missam vo- F
tivam ad ejus altare quoque pro auxilio singulari impetrando promittentes, et toto periculoso eo tempore stata hora in magna populi frequentia persolventes. Vigiles certe nostri monasterium noctu circumeuntes conspicati sunt non raro virum atra veste, et taliter, uti abbatibus hic moris est, incedentem, qui tamen, cum appropinquare, cum alloqui vellent, disparuit. Persuasum inde nobis est, vigilantiam Sancti, quam moriens monasterio verbis NUMQUAM VOS DESERAM, pollicebatur, manifeste ostendi, de patrocinio nos securos juberi, ad fiduciam tantum firmissimam animari.

ubi a fidelibus ad eas pie concurritur.

25 Ceterum posteaquam ecclesia nova eatenus consummata fuit, ut jam sacra inibi consueta fierent, de illatione quoque sacrorum Divi nostri lipsanorum denuo cogitabatur. Recta autem anno MDCLXXXVI, accidit, ut in vigilia Pentecostes capella cum altari huic Sancto dicata perficeretur, atque eadem die, qua ante novennium translatio facta, IV nimirum Junii, feria tertia Pentecostes incideret, qua quotannis monasterio incorporatis parochiis ad Sancti sepulchrum processionaliter adventare, ab immemoriali tempore consuetum

Constructo monasterii templo.



GLORIA B. BERTHOLDI.

A suetum est: ad quod una alterave illarum insuper voto peculiari sese obstrinxere, quod die B. Bertholdo sacra olim cultum festivum negligentes, et laborantes tonitrua, grandinem, aliaque vindictæ cælestis genera sint experti. Itaque quarta Junii anno MDCLXXXVI, post rursus a celsissimo DD. ordinario PP. impetratam licentiam, pro solemnitate hac a reverendissimo abbate moderno DD. Anselmo Angerer delecta, tumba vero jam aliquot ante diebus e crypta sublata, ad explorandum, quo in statu sacra ossa essent. Hac ipsa porro solemnitatis die eædem, quæ in prima translatione, cæremoniæ, multo tamen splendidius, adhibebantur. Efferebatur ad aram in æde parochiali post primam statim illuc depositionem super crypta Sancti erectam, ex sacristia feretrum cum tumba, gemino sigillo reverendissimi DD. abbatis, ac venerabilis conventus signata, circa octavam; tunc nimirum, quando de incorporatis parœciis processio ultima ex vicina urbe cæsareo-provinciali Styrensi advenerat.

B

sacra ossa honorifice in illud referuntur.

26 Processere mox cum ministris ad altare reverendissimi DD. abbates duo in pontificalibus: cœptæ, insonantibus tympano tubisque, litaniæ omnium Sanctorum, atque ubi ter, S. Berthólde ora pro nobis, a choro cantatum fuit, tumba ab octo presbyteris, parochis nostris, sacerdotaliter indutis in humeros levata, bonoque ordine in omnium parochianorum sub distinctis vexillis suis congregatorum, ac plurimorum extraneorum, ipsiusque Austriæ nostræ supra-Anasinæ gubernatoris cæsarei, aliorumque procerum comitatu in ecclesiam novam est illata. Ea ibidem in capella B. huic Patrono nostro sacra supra mensam decentissime stratam reposita inchoavit, Te Deum laudamus, reverendissimus DD. abbas noster, quo per chorum prosecuta, ac absoluto, collectaque de Sancto subjuncta, tumba intra concavitatem muri ad cornu epistolæ devotissime collocata, ibidemque post Missarum primo solemnia, ac concionem marmore condita, ac inclusa fuit. Cum solatio hic videre erat, qua contentione alii imaginibus, rosariisve tumbam attingere alii flores ibidem sparsos sibi rapere, sicque inclusionem prævenire satagebant, ut haberent quodammodo in memoriam perennem quidquam secum, quod de sacris qualitatibus participabat, dum ipsum thesaurum sacrum marmor durum esset intercepturum.

C

ex quo posthuma Beati gloria augetur.

27 Atque hæc de gestis circa duplicem S. Bertholdi Patroni nostri translationem breviter visum est delibare. E monasterio Garstensi Ord. S. Benedicti Austriæ superioris die XII Septembris anno MDCLXXXIX. *Hoc instrumentum, sigillo abbatis munitum, ab oculato teste, videlicet R. D. Romano Wall J. U. doctore, protonotario apostolico et civitatis Styrensis parocho subscriptum erat. Ceterum ex his patet, quanta sit Austriacorum erga hunc Beatum veneratio, quantaque ejus gloria posthuma, quæ non parum augetur ex pulcherrimo altari, quod cœnobitæ Garstenses in beati Patroni sui honorem erexerunt, et in quo præcipua* B. Bertholdi *miracula repræsentantur. Janningus noster artificiosam istius altaris imaginem ab eodem benignissimo abbate Anselmo accepit, quam nos ex majori forma contractam hic æri incidi curavimus. Jam nihil superest, nisi ut iteratam Actorum ac miraculorum impressionem, cum aliis editionibus et Mss Mellicensibus collatam, erudito lectori sistamus.*

28 *At pene exciderat præmonere, nos hic recudere editionem Salisburgensem, in qua ordo rerum gestarum aptius disponitur. Videtur tamen primus Vitæ scriptor hunc ordinem observasse, si vere ab ipso scripta sint, quæ in editione Gretseriana num.* 46 *ex Ms. Viennensi leguntur hoc modo:* Nec abs re videri debet, si post descriptionem miraculorum, quæ apud sepulcrum ejus facta sunt, nunc ea, quæ vivens egit, infero narrationi. [Quoniam sicut diversæ sunt personæ, a quibus hæc mihi comperta sunt, ita etiam necesse fuit singula scribere, prout quemque eorum potui ad interrogandum convenire.] Nec vero * multum interest, quo scribantur ordine sancti gesta Patris, de quibus ad hoc solum me intromisi, ne tacerentur. *Quæ in hoc textu uncis inclusi in utroque codice Mellicensi desiderantur, ut Pezius in variantibus lectionibus annotavit. In editione autem Salisburgensi nullum totius textus illius vestigium apparet, quia forte in Ms. Garstensi non legebatur. Pezius quidem in observationibus prævüs sect.* 5 *existimat, seriem narrationis ab ipso editore paululum mutatam esse; sed ille in fine præfationis sic protestatur:* In ipso narrationis contextu et filo nihil immutatum est, ne orationis et elegantiæ majorem, quam veritatis et candidæ antiquitatis rationem habuisse videremur. *Utcumque ea sese habeant, sequimur memoratam editionem, in qua congruentiori ordine gesta et miracula* B. Bertholdi *narrantur, ipsamque more nostro in majora capita dividimus, signis aut numeris antiquiorum capitum in margine relictis.* E

AUCTORE G. C.

Ratio et methodus editionis nostræ redditur.

* *al.* mea

VITA

auctore anonymo subæquali, forte monacho Garstensi.

Ex editione Salisburgensi cum aliis collata.

PROLOGUS.

F

Auctor Udalrico a

* *Mss. Mellic.* favorem

Quoniam antiqua dignationis tuæ gratia, venerande pater Udalrice *a*, nec non et conversationis munditia fervorem * in me nunquam abolendæ devotionis accendit, desiderio æstuo agere aliquid, quo et tibi eadem devotio innotescat, et mihi ex inconvulsa gratiæ tuæ confirmatione felicitas accrescat. Felicem enim me æstimo, si me pii et religiosi patris amplectatur dignatio, quia revera non contemnenda sanctitatis est portio, ab his diligi, qui cum beato Apostolo, Christi bonus odor sunt Deo in omni loco. Quorum de numero, quia te, dilecte pater, divina benedictione nobis consignatum desiderabiliter tenemus, merito felix debet prædicari, quisquis tui amoris meretur honore sublimari.

lucubrationem suam offert.

2 Cum ergo assidue cogitarem, quonam modo tuam venerabilem dulcedinem honorarem, quidve de sacrificio meæ servitutis digne tuis præsentarem obtutibus, aut manibus offerrem veræ nobilitatis; repente subiit animum, nil esse huic affectioni tam consentaneum, quomodo si vel modicum aliquid de Vita, et actibus beati Patris *b* tui, sanctæ videlicet memoriæ abbatis Bertholdi, b

A Anonymo. tholdi, et si non ad aliquam ædificationem, tamen ad veritatis commendationem, vel certe ad ostendendam tam erga te, quam erga eumdem Patrem, meam devotionem, scribendo commemorarem; quatenus in hoc et tibi pro voto servirem, et tam gloriosam materiam, quasi perire silentio non sustinerem: siquidem vehementer admiror et doleo, beati Viri veneranda gesta, magnaque miracula tanto tempore incuriæ derelicta, graveque damnum æstimo, ita negligenter occultari, quod numquam potest inutiliter publicari.

et imperitiam suam excusans

3 Et quidem hoc ipsum modicum vires prorsus excedit meas: sed tanto amore ad eumdem laborem accendor, quod quasi quibusdam pennis superni adjutorii facilime in alta sustollor. Altum quippe est et satis arduum, peccatorem indoctum Viri sapientis et sancti velle præconia attollere: sed tamen charitatem, quæ omnia sperat, nulla potest formido deterrere. Ipsa est, quæ juxta beatum Gregorium, subministrat vires, quas imperitia denegat. Ipsa nimirum duce, facile B mihi videtur, arduum subire propositum, et maxime ad divinæ pietatis, et ipsius S. Patris respicienti suffragium. Et fortasse simplicitas dictaminis humilibus, quibus Deus dat gratiam, et propter quos solos labor mihi iste sumptus est, jocundior erit, quam si esset profunditate ponderosi velaminis superbus. Sed quid dico propter humiles hunc esse laborem assumptum, cum tibi soli tantum, pater alme, hic servire quærat laborantis intentio? Scio enim, quod nequaquam contemptibile tibi ducetur, etsi contemptibiliter dicatur, quod tibi forsitan et honoris causa est; et absque dubio perpetuæ erit fructus salutis.

scriptionis methodum exponit.

4 Igitur quomodo primo Vir beatus ad Garstense *c* monasterium sit electus, et qualiter ibi vixerit, quibusve miraculis sancta merita ejus, pietas divina declaraverit, sicut ab illis accepi, qui viventi præsto fuerunt, qui magisterio ejus informati virtuti et signis interfuerunt, jam aggrediar *d*, Domino adjuvante, depromere: ita tamen, ut brevitati contenta esse dignetur veneranda paternitas tua, dilectissime pater.

ANNOTATA.

C a *Quis fuerit iste Udalricus, indagavimus in Commentario prævio num.* 15 *et seqq.*

b *Ita etiam habet Gretserus ex Ms. Viennensi, ut in Comment. prævio num.* 16 *diximus.*

c *Hujus monasterii situm in Comment. prævio num.* 1 *descripsi. Porro de illius fundatione et historia videri potest Pezius tom.* 2 *a pag.* 141.

d *Ex his verbis patet, scriptorem hujus Vitæ* B. Bertholdo *supparem vixisse, ut in Comment. prævio num.* 17 *monuimus.*

CAPUT I.

Garstensis cœnobii initium, mutatio, B. Bertholdi in eo præfectura et gubernatio.

*Cap. I. a b Ottocharus marchio Styriæ cleri is, * al. capella*

Fundator memorati cœnobii, venerabilis marchio Stirensis dominus Otacher *a* extitit, qui et ibi in ecclesia * S. Laurentii in Christo requiescit, avus illius Otachari *b*, qui novissimus in Ungaria obiit in itinere, quod ad visitandum et honorandum sanctum Domini sepulchrum, devotus arripuit. Quæ fundatio sive inchoatio primo D per clericos *c* instituta est, sub præposito, nomine Eberhardo. Quo mortuo, quadam die, dum clerici in flumine locum præmanante, balnearent * quidam eorum submersi sunt, talique sua levitate seu infortunio, fundatoris voluntatem mutatem mutaverunt. Erat enim egregius ille fundator, vir valde memorabilis; et, licet princeps secularis, tamen aliis potentatibus multum dissimile, cultor pacis, amator justitiæ, et contra immanitatem persecutionum turris ecclesiæ inexpugnabilis. Nam Salzpurgensem archiepiscopum laudabilis memoriæ dominum Chuonradum *d*, qui in sylvis et montium latebris per multos dies persecutiones fugiens latitaverat, ad se venientem cum honore magno suscepit, manu tenuit, quod nullus principum facere ausus fuit. Hoc factum est sub beato Bertholdo, etiam ipsum pontificem devote suscipiente, atque in monasterio suo cum E reverentia, quamdiu voluit, servante.

** al. balnearentur*

in cœnobio Garstensi degentibus,

6 Sed ut regrediar ad id, unde digressus sum: clericis submersis, animus, sicut dixi, mutatus est fundatoris. Quadam itaque die, cum ad celebrandum anniversarium diem dominæ Elisabeth *e* marchionissæ quæ in choro sepulta est, multi de more clerici convenissent: (nam singulis annis ob eamdem causam, rogatu principis, studiose adesse consueverant) venerabilis marchio de loco eminenti, ita eos per alium allocutus est: « Nosse « vos volo, qui ad hunc anniversarium Dei et « et nostri causa venistis, quod in hoc loco, « quem in servitium Domini et sanctæ Genitricis « ejus, pro salute mea et dilectæ conjugis erigen- « dum suscepi, statum religionis, divina largiente « gratia, in melius transmutare disposui: et per « monachos, quorum beata opinio vitalem cir- « cumquaque spirat odorem, huic novellæ plan- « tationi desiderati profectus providere suffragium. « Quapropter admonitos vos esse volo, ad hunc « anniversarium diem nequaquam ultra congrega- « ri: debet enim, si Domino placuerit, deinceps « alio modo celebrari. Prorsus ergo ab hoc con- « cursu amodo desistite: quia monachis, qui hic « habitaturi sunt, talem novimus consuetudinem F « non convenire. »

monachos substituit,

7 His ita peroratis, et cunctis ad sua properantibus, ipse Kottwicium *f* perrexit; et auxilio amici sui Austrensis * marchionis Luipoldi; *g* cujus sororem, videlicet dominam Elisabeth *h*, habuerat, fundationem suam abbati regendam subjecit et diligentissime commendavit; Prioremque, nomine Wirnt *i* cum aliis monachis acquisitum, Garsten adduxit. Erant autem eo tempore in hac provincia, admodum raræ monachorum habitationes, et ad hucrudis Kottwicensis ecclesia: sed divina benedictione, ita prosperis successibus illustrata et elevata, quod et monachis et rebus, maxime vero sancta opinione in brevi est excellenter multiplicata et glorificata. Ita ergo clerici, per quos primo in Garstensi monasterio divinum servitium institutum, monachis supervenientibus, recesserunt. Quidam autem eorum ad marchionem jure proprietario pertinentes, dimissi non sunt, sed remanere coacti. Dixit enim vir nobilissimus, se nolle eos dimittere, sed potius velle, ut secum, utpote amici et dilecti, permanerent, et monachi fierent. Deoque omnipotenti in tam bona conversatione regnum cœlorum lucraturi servirent. Erant autem, qui remanere cogebantur, dominus Oudalricus *k*, postea apud S. Lambertum

** al. Austriæ*

A tum abbas, et illius æquivocus *l* ad Gluonich abbas futurus, et dominus Eberhardus. B. Bertholdi postmodum fidelis in Domino collaborator ac devotus capellanus; et alii quidam, quos hic nominare non arbitror necesse fore.

et clericos vitam monasticam amplecti cogit.

8 Ergo cum dominus marchio sermonem cum istis de abrenunciatione seculi, et conversionis susceptione haberet, abnuunt omnes, præcipue dominus Eberhardus, dicentes, nondum sedisse eis animo tale propositum, arduam rem esse, neminem ad hanc rem cogendum, solam hic Dei aspirationem expectandam. Ad hæc marchio; " Mei, inquit, estis, et meæ voluntati in omnibus concordare et obtemperare debetis, si ergo me audieritis, animumque ad hoc, quod consulo, libenter dulciterque adhibueritis, promptiorem me vobis, magisque benevolum semper sentietis. Sin autem, nolo vos pertrahere; facietis tandem vel inviti, quod sponte noluistis et voluntarii; quia nolitis, velitis, monachi eritis. " Quid plura? Videntes fixum esse B apud eum, vel converti eos, aut adversis affici, consenserunt. Sed dominus Eberhardus in suæ mansit obstinationis pertinacia immobilis. Jubetur itaque alligari et verberibus compelli *m* ad consentiendum. Tunc acquievit et iste beatus: durum quidem et quodammodo coactum habens conversationis * initium, sed deinceps in promotu conversationis, supernæ illustrationis indubitabile demonstrans indicium. Nam nullus eorum, qui ita compulsi sunt intrare, adeo profecit in Dei timore, profectuque religionis, quamvis omnes profecerint, felicemque suæ conversionis vel potius coactionis apprehenderint fructum.

** al. conversionis*

III. Marchio monasterio præficit B. Bertholdum.

9 His ita gestis; Kotwicenses dominum Bertholdum de S. Blasio *n*, ubi tunc armarii *o* pariter et claustralis Prioris *p* fungebatur officio, Priorem sibi, in locum domini Wirnt acquisierunt virum sancti testimonii, et providentem bona, non solum coram Deo, sed et coram omnibus hominibus. Sed cum isdem Wirnt ad Formbacense *q* monasterium esset in patrem assumptus, tunc dominus Bertholdus a Garstensibus, et ipso marchione, abbas electus est, optimo quidem omine, quoniam ex tunc et deinceps numquam locus ille divino destitutus est solamine. Veniens C igitur ad locum sibi a Deo destinatum, omni conamine divino servitio et utilitati intendebat ecclesiæ.. Nam Deus omnipotens in brevi ostendere dignatus est, tam monachorum, fratrumque multiplicatione, quam rerum opulentia, quod nequaquam absque ejus nutu et providentia electus fuerit, cui tam felices sucessus contulerit. Dominum Eberhardum, cujus in superioribus mentio facta est, statim in primo introitu suo capellanum sibi constituit, imo comitem individuum in Dei opere et spiritualium laboribus studiorum.

qui magno disciplinæ zelo

10 De rigore Ordinis nihil relaxabat; et ita subditorum saluti ac necessitati invigilabat, quod et seipsum in nullo negligebat, et illorum curam omnibus forinsecis occupationibus semper anteponebat. Augebatur sine cessatione Deo servientium multitudo, quia talis erat Viri Dei consuetudo, omnes admittere qui Christi desiderio, sarcinam mundi abjicere, et suave conversationis jugum vellent juste victuri suscipere. Jam locus monachis abundabat, et tamen rarissime aliquis eorum extra septa claustri apparebat, exceptis dispensatoribus *r*, quibus ea cura credita erat. Et licet patrem se, et verbo exhiberet, et opere, tamen certe magistrum experiebatur, quisquis patris clementia abutebatur. Omne inconveniens, aut Ordini contrarium nulla ratione dissimulabat: sed statim, ut vidisset, dignis increpationibus ad debitam dirigebat correctionem. Levia quoque et quæ vix, aut nullatenus digna reprehensione æstimares, verbi gratia, si quis vestimentum, conventu ad lectionem sedente, per claustrum ferre inciperet; illico clamabat, Ordinem confundi, sanctam destrui consuetudinem: et ita objurgabat illa facientem, acsi graviter excessisset. Hæc ad demonstrandum Viri rigorem dicta sint, contra illos maxime, qui dicunt, eum quidem pio patris abundasse affectu, magistri vero caruisse. Exuberabat utique sensu utroque; qui pro loco et tempore, meritorumque diversitate, nunc hunc, ut pater, fovebat; nunc illum terrebat, ut magister, quod in hoc satis claret; quia, sicut notissimum est, ut dulcis et pius ab omnibus amabatur, et tamen in his, quæ sunt contra Deum, attentandis vel appetendis, ut ignis formidabatur.

commissum munus administrat.

11 In tali vero dispositione locus positus erat, ut fratres quidem de cellario necessaria acciperent; hospites vero in domo hospitum omnia parata invenirent. E Quod idcirco Vir prudens ita constituerat, ne propter frequentiam advenientium, quies claustralis turbaretur, sed ibi omnia in promptu essent, et ad claustrum propter singula venire necesse non haberent. et quamvis pene numquam hospites deessent, pro eo maxime, quod ejus consiliis et eruditionibus diligenter informabantur ad salutem, tamen Domino servientes, omnibus bonis affluebant, juxta quod scriptum est; " Nihil deest timentibus Deum. " Et illi quidem, cum gratiarum actione sua fruebantur consolatione; ipse vero raro aliquid suo pani, præter unum, qualemcumque cibum adjecit: bonos autem cibos, qui sibi apponebantur, semper, vel discumbentibus coram se fratribus, vel foras mittebat leprosis et pauperibus. Panem singularem sive pulmentum speciale sibi fieri passus non est: sed eodem semper, quo ceteri, tam pane quam pulmento sustentatus est. Meritis ipsius et benedictione, paucitas piscium seu vini aliquando ita crevit in partitione, ut nullus sua portione vel mensura privaretur, cum id primitus omnino fieri desperaretur. F

ANNOTATA.

a *Ottocharus I cœnobium Garstense fundavit anno* 1082, *ut Pezius tomo* 2 *pag.* 141 *probat ex diplomate B. Altmanni episcopi Pataviensis. Dicitur autem in quibusdam chronicis Ottocharus iste obiisse anno* 1112, *in aliis* 1122.

b *Is est, ni fallor, Ottocharus II, Leopoldi Fortis filius, et Ottochari I nepos, de quo apud Pezium tomo* 2 *col.* 718 *Thomas Ebendorfferus de Haselbach in Chronico Austriaco ita scribit:* Ottokarus II obiit anno Domini MCLXIV, ut fertur, in Varau cum uxore sepultus.

c *Aliqui putant, hos fuisse clericos seu canonicos regulares S. Augustini; sed Pezius tomo proxime citato pag.* 141 *et* 142 *recte demonstrat, illos clericos fuisse seculares, et nullis votis aut religiosorum legibus adstrictos, uti etiam satis ex sequenti narrationis contextu colligitur.*

d *Is est Conradus I istius nominis, archiepiscopus Salisburgensis, qui juxta novissimam istius ecclesiæ historiam lib.* 4 *cap.* 11 *post multas persecutiones*

A. ANONYMO. *cutiones ex hac vita migravit anno* 1147.

e *Hæc Elisabeth fuit uxor Ottochari I, filia marchionis Austriæ Leopoldi cognomento Pulchri, de qua iterum paulo post auctor meminit.*

f *Designatur cœnobium Gottwicense, quod in Austria inferiore situm est, de cujus initio, nomine, et abbatibus videri potest Pezius tomo* 2 *a pag.* 278.

g *Iste est Leopoldus cognomento Pius seu sanctus, qui juxta Chronicon Mellicense ad superos evolavit anno* 1136.

h *Hæc eadem est Elisabeth, filia Leopoldi Pulchri, et soror Leopoldi Pii, de qua supra litt,* e *egi.*

i *Bucelinus in suo Menelogio Benedictino refert hunc Wirntonem die* x *Martii, quo Majores nostri illum inter prætermissos collocarunt, dicitque, eum anno* 1127 *obiisse. Bernardus Pezius, Hieronymi frater, in Thesauro anecdotorum tomo* I *part.* 3 *a col.* 399 *nuper ex Ms. edidit illius gesta et miracula, a Gerhoho præposito Reicherspergensi conscripta.*

B k *Iste Udalricus vel Ulricus fuit quartus abbas in monasterio S. Lamberti in Styria, et obiit anno* 1149, *ut videri potest in Historia Salisburgensi, superius citata, pag.* 1188.

l *Hic Udalricus fuit primus abbas monasterii Glunicensis, quod anno* 1125 *fundatum est. Plura de hoc monasterio, ejusque abbatibus vide apud jam sæpe laudatum Hieronymum Pezium tom.* 2 *a col.* 328.

m *Erat marchio ille forte ignarus sanctionum ecclesiasticarum, quæ quemquam ad religionem cogi prohibent. Unde violenta illa monachorum institutio, licet pio zela suscepta, non nisi per ignorantiam aut simplicitatem excusari potest.*

n *Hoc monasterium S. Blasii situm est in silva Hercinia, de quo plura inveniens in Suevia Ecclesiastica, quam R. D. Franciscus Petrus, canonicus regularis, anno* 1699 *Latine edidit.*

o Armarius, *teste Cangio, dicitur custos biblio-*
C *thecæ, vel etiam cantor seu præcentor, cui librorum, præsertim ecclesiasticorum, cura incumbit.*

p *Discrimen est inter Priorem claustralem et Priorem majorem vel præpositum. Prior claustralis tunc vocabatur, qui jam vulgo* Supprior *appellatur. De hac re videri potest Cangius in Glossario.*

q *Est hoc monasterium Bavariæ, cujus historiam, ab Angelo Rumplero conscriptam, Bernarnus Pezius in Thesauro anecdotorum tomo* I *part.* 3 *a col.* 425 *nuper edidit.*

r Dispensatores *hic videntur esse œconomi monasterii, quos nunc vulgo* provisores *vel* procuratores *appellamus.*

CAPUT II.

Miraculosa piscium multiplicatio : Beati mortificatio, liberalitas erga pauperes, et zelus in procuranda salute proximi.

IV. a Apud Pechlern *a* sedens ad mensam, de una scutella multis convivantibus pisces divisit, et tamen divisione facta, in nullo minui plenitu- D
do illa visa est. Ipse nec piscibus, ut præmissum est, utebatur, nec cum aliqua diligentia paratis [cibis]; sed uno vili, aut aliquando duobus eduliis, quibus etiam clientes *b* utebantur, debilia membra sustentare solebat. Raro quiescebat, tum propter desiderium æternæ patriæ, tum propter adductos energumenos, quorum liberationi intendebat, jejuniis et obsecrationibus serviens Domino die ac nocte. At cum quietem lassitudo imperabat, ita negligenter lecto accumbebat, ut nec jacere eum, nec sedere diceres, pedibus dependentibus et semper cuculla vestitus. Nemo illum umquam otiosum, ac spiritalibus vidit studiis vacantem *c*; sed sola somni vel cibi hora exempta, nunc legendo, nunc orando, modo vero scribendo, aut confessiones hominum audiendo, feriari nesciens, inimicam animæ vitabat otiositatem.

Beatus Miraculose multiplicatis piscibus, b c

13 Hiemis tempore ad ignem sedens (nam stubas *d* fortasse seu æstuaria, sive propter caput, vel potius studio affligendi corporis, intrare cavebat) semper rotam *e* spissam et latam inter se et ignem, quasi pro umbraculo positam habe- E
bat, et ita pene numquam calefiebat, tantumque frigore et inedia carnem affligebat, ut hoc, quod scriptum est : « Nemo carnem suam odio ha- « buit, sed nutrit et fovet eam » locum in eo vix illum haberet. Unde in tantum erat attenuati corporis, quod, ut ita dicam, vix ossibus hærebat squalida cutis, mirantibus cunctis, quod labores illos divinæ servitutis sic exhaustus posset exsolvere. Sedens ad mensam, ubi modicum comedisset, dormire solebat : sed cum Prior strepitu pedum expergisci faceret, mox arrepto cochleari, strenuum quidem simulabat manducatorem; sed rursus, ejus decisione valde negligentem exhibebat corporis adjutorem.

dure carnem suam affligit, d e

14 In primordio fundationis, et quando primo Vir sanctus venit ad locum suæ vocationis, admodum tenuis erat substantia ecclesiæ possessionis; sed per eum magnifice amplificata est, atque a sui tenuitate pulcre evecta, quia eum tam potentes, quam mediocres in tantum dilexerunt, quod propter ejus amorem copiose locum prædiis suis ditaverunt. Igitur celebri edicto et irrefragabili constituit charitate, ne quid eorum, quæ haberi possent, cuiquam negaretur, sed omnibus F
in sua necessitate pro loci subveniretur necessitate. Unde aliquando contigisse non dubium est, ut quod negatum est, et occultatum fuerat, postea deprehensum, tamquam immundum et inutile projiceretur in flumen.

et templo multa dona comparans,

15 Rem dicturus sum forsitan incredibilem, V.
sed tamen veram, teste Deo. Accessit ad eum quidam pauper, miseriam suam deplorans, et petens aliquid ab eo; quem fecit expectare ante monasterium, donec ejus consolaretur desiderium. Nam ad manus nihil habebat, quia consuetudinis ejus numquam fuit, portare denarios, aut saltem suscipere : sed quidquid dabatur ab aliis, susceptum, secundum ejus præceptum dispensabatur. Marsupium quidem ferebat, sed intus præter indices breves defunctorum, nihil habebat. Itaque camerario *f* præcepit dare pauperi tres denarios. Ille, se non habere respondit. Date, inquit, pauperi, quod dixi. Rursum ille asseruit, se non habere. Tunc sanctus; Audire, inquit, ista nolo, nec scire, quod camera *g* mea absque nummis sit. Sed cum camerarius perseveraret in negatione; fecit sibi dare claves, missosque

duos monachos, f g

A sosque fratres jussit videre, quid ibi esset, qui venientes, invenerunt labrum æneum plenum denariis, quos ita, ut inventi sunt, cum labro præcepit in flumen Anasum *h*, ubi maxima profunditas erat, præcipitari.

qui pauperibus eleemosynas dare detrectabant,

16 Fratres autem illi cœperunt, quantum salva reverentia potuerunt, resistere, melius esse dicentes, servari tantam copiam, etsi ad nihil aliud, saltem ad consolandos pauperes, quam a flumine absumi. Vir autem Domini in sua persistens sententia, nulla potuit ab ea ratione deflecti, asserens immundam esse illam pecuniam, adeoque nulli idoneam utilitati. Quis, rogo, hoc modo faceret? Quis vel tres denarios ob istiusmodi projiceret causam! Apparet ergo in hoc memorabili facto, quanta fuerit Viri sancti et in præcipiendo auctoritas, et ab omni avaritiæ contagione quam intacta semper præcordia habuerit. Camerarium autem, ut dignus fuit, coram omnibus vehementer increpatum, ab eadem obedientia *i* absolvit et alium substituit.

acriter corripit.

17 Item alia vice, pauper eum adiit, ut eleemo- B synam acciperet. Misit protinus ad fratrem, qui pistoribus præerat, jubens, panem dare mendico. Negavit ille, esse sibi panes. Tunc Vir Domini misit quemdam monachum, nomine Erchengerum, ut videret, an ita esset: et inventi sunt ibi triginta panes. Illico convocatis fratribus, inobedientem propria manu, assumpto et alio adjutore, diris verberibus *k* corripuit, et panes omnes in flumen projicere fecit.

VI. Subditos regulari disciplina instituit,

18 Propter confessionem multi veniebant ad ipsum, plurima offerentes donaria, quorum ipse nihil tangebat, sed ad pedes ejus vel ad altare, juxta quod sederat, posita, postquam expeditus inde recessisset, fecit aliquem monachorum omnia accipere, et inter obedientias *l*, ut sibi videbatur, dispertiri. Quæ obedientiarum officia, per illiteratos monachorum et fratres barbatos *m* erant disposita. Literati *n* vero et sacro ordine sublimati, divinis officiis tenebantur specialiter implicati: singulis obedientis bini præerant fratres, tam propter testimonium, quam propter solatium. Inter quos si qua forte simultas, vel amoris improbitas emersit, sine dilatione regulariter emendabatur, statimque ad bonum pacis Patris imperio reformabantur.

prompte alacriterque

19 Jam fama sanctitatis ejus longe lateque C declarabatur, adeo, ut etiam de remotis valde partibus multi venirent ad eum, confitentes peccata sua, et pœnitentiæ ab eo remedia suscipientes. Hi quoque, qui propter Dominum pro tempore peregrinari desiderabant, nullo modo terram suam exibant, nisi prius viderent Sanctum Domini: nihil esse existimantes iter suum, si non ejus fuisset commendatum orationibus, et benedictione munitum. Nam ardenti semper amore hominum saluti intendebat, nihil prætermittens, quod ad hanc fructificandam spectare videbat. Venientes ad confessionem, ubi adesse nunciabantur, confestim dimissis omnibus, ad audiendos eos festinabat. Missam celebraturus (quod quidem quotidie cum magna devotione et desiderio faciebat) cum jam præpararetur processurus, si qui interim confessionem facturi adessent, differebat Officium et illis morem gerebat: talique occasione vel necessitate Vir clementissimus, multoties ultra solitam horam, interdum etiam fere usque ad horam nonam Missæ celebrationem differre coactus est, cavens diutius tenere protractas; quorum aliqui de longe venientes, quantocius ad reditum expediri desiderabant: neve sua quærere videretur potius, quam aliorum, ut salvi fierent: quantumlibet autem protelaretur dilatio, tamen ad ultimum sacrosancti Officii non omittebat fructum. A. Anonymo

pœnitentium confessiones excipit.

20 Habebat Vir beatissimus in confessionum auditione consuetudinem, diligentissima indagatione cuncta perscrutari, quæ contra Deum homo fecisset; si Catholicam teneret fidem; si sciret Dominicam orationem. Et quamvis magna esset expectantium multitudo, ipsumque ad alia facienda invitaret necessitas, nullum tamen dimittebat, antequam disertissima examinatione dirigeretur ad profectum. Et sicubi in Dominica oratione simpliciores, ut assolet, titubabant, tenebantur, donec pia instantia apprehenderet, quod ignorabant. Sic faciebat eleemosynam a se accipientibus: interrogati, an Dominicam scirent orationem, si nesciebant, benignissime docebantur; et sic quod petierant, accipiebant, utriusque hominis stipe feliciter adjuti.

ANNOTATA.

E

a *Est antiquum inferioris Austriæ oppidum, communiter* Pecklarn *dictum, de quo Cluverius, Merianus, Cellarius, aliique geographi multa tradunt.*

b *Per* clientes *interdum intelliguntur ii, qui vulgo* vasalli *appellantur. Fortasse ea vox hic servos monasterii significat.*

c *Cum verbum istud æquivocum sit, præsertim dum ad studia refertur, hic per* vacantem *intellige* carentem.

d *Id est hypocaustum, ut satis colligitur ex voce Germanica* stube, *quæ idem significat.*

e *Ex sensu satis patet, hic per* rotam *intelligi debere asserem, aut simile instrumentum, quo aliqui foco assidentes partem quamdam corporis præmuniunt, ne ab igne nimis afficiatur.*

f Camerarius *sæpe vocatur ille, qui est monasterii œconomus. Hinc Petrus venerab. lib. 2 de mirac. cap. 25 ita scribit:* Camerarii, hoc est fratrum procuratorio officio functus. *Potest tamen ea vox hic etiam aliud officium designare, ut ex sequenti observatione conjicio.*

g A camera camerarius, *inquit anonymus in notis ad editionem Salisburgensem,* sicut a cella cellarius. *Forte igitur per camerarium hic intelligendus est iste, cui demandata est cura cubiculi abbatialis, cum* camera *barbare idem sit, quod Latine cubiculum.* F

h *Est fluvius, vulgo dictus* Ens, *qui Styriam superiorem ab Austria separat, et auctus aliquot rivis per Austriam superiorem labitur, ac tandem rigato Anasso oppido, in Danubium se exonerat.*

i Obedientia *vocatur passim officium monachi, forte quia per obedientiam imponitur.*

k *Haud dubie frater ille alias deliquerat, et monitus sese non emendaverat, cum Regula S. Benedicti cap. 28 sic præscribat:* Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est verberum vindicta in eum procedat.

l Obedientiæ *etiam vocantur cellæ vel præposituræ a monasteriis dependentes, ut fusius videri potest apud Cangium in Glossario.*

m Fratres barbati *iidem sunt, qui nunc passim dicuntur*

A. ANONYMO. *dicuntur fratres laïci vel conversi. Sic autem appellabantur, quod barbam nutrirent, ut in Comment. prævio num. 20 notavi.*

n *Literati opponebantur illiteratis seu conversis, ut patet ex charta Rainaudi archiepiscopi Lugdunensis anno* 1213 *apud Cangium, ubi agit de cœnobio monialium,* quarum duodecim sint literatæ, et septem conversæ.

CAPUT III.

Zelus in administrando sacramento pœnitentiæ, prædictiones, orationis efficacia, et prodigiosa piscium impetratio.

VII. *Magno zelo* B Sed, ut redeam ad confessiones (nam his maximam partem temporis expendebat) morem habuit verberare omnes *a* absque personarum acceptione, nullum omnino sinens transire implagatum. Ibi plerumque per spiritum cognoscebat, qui se habitu mutato, et voce simulata finxerant esse, quod non erant. Erat in Chremsmunster sacerdos quidam, nomine Heinricus, Prior ibi, sed aliquantulum secularis. Hic ad eum nocte inter alios confitentes et ipse confessurus accessit, habitu monachi ad horam, ne agnosceretur, deposito. Sed cum surrexisset de loco, et jam abire cœpisset, lætus quod latuerit, Vir Domini hac eum voce, sua illa dulcedine subsecutus est : Eja domine Prior, videte quod omnia bene disponatis : Quo audito, Prior vehementer admirans obstupuit; ipseque postea retulit, ita se contra spem voluntatemque deprehensum.

Sacramentum pœnitentiæ administrat, 22 Hac autem occupatione ita domi forisque occupabatur, tenebaturque impeditus, quod pene nihil aliud agere valebat, misertus multitudinis ob hanc causam indesinenter confluentis. Unde et monachi stulta indignatione exasperati, caussabantur eamdem occupationem valde esse inutilem, C gravisque causam jacturæ; quod omnia quasi neglecta jacerent, quæ ad Viri Dei dispositionem pertinerent. Sed ipse hæc quasi ignorata dissimulabat, nihil curans de tali eorum accusatione; cum sciret suas necessarias et incontradicibiles occupationes nullius damni, sed potius multorum bonorum esse causam, Eo quod Prior suus, aliique dispensatores, plenam totius administrationis, ipso commitente, haberent potestatem; et illi, quorum ipse consiliis et eruditionibus vacabat saluti, tam sibi quam toti congregationi et loco magnæ felicitatis causa existerent. Amabatur ab omnibus, honorabatur ab universis, sed ipse humilitati ac simplicitati totus deditus nihil penitus illa movebatur honoris exhibitione. Numquam in illius ore aliquid, ut de S. Martino scribitur, nisi pax, nisi Christus, nisi misericordia erat; ita ut in placitis *b* sedens, sacras aliquas recitationes, præsentibus causis idoneas, simplici ore ediceret, dicentibus interdum discipulis, qui simul aderant, aliis de causis se advenisse, quibus expediendis intendere deberet potius, quam suas exponere lectiones.

23 Erat autem in lege divina appprime eruditus, eloquentia clarus, innocentia purus, moribus venerandis decentissime ornatus, et inter D cetera charismatum dona etiam spiritu prophetiæ minime carens. Habebat secum in monasterio juvenem quemdam, filium germani fratris, nomine Bertholdum, inquietum, mobilitati deditum, et spe consanguinitatis volentem liberius exire de claustro et agere quod libebat. Quem propterea Vir Domini frequentius vehementiusque increpare et castigare studebat. Sed cum diu, multumque increpatus et portatus incorrigibilis appareret, motus Pater, misit eum in Kotwicum, ubi et rigor disciplinæ urgeret, et spes propinquitatis nulla arrideret, ita dicens : « Eja frater, ite nunc : « turbastis me frequenter, plurimumque vexastis, « vos quoque turbabimini, et numquam ad- « versis carebitis. » Ita factum est. Nam eumdem virum postea multo tempore superstitem, numquam adversitatibus caruisse, notissimum est. De claustro enim proprio exturbatus, diuque absque congregatione circumiens, vagus et profugus, novissime in exilio finem vitæ fecit; utinam et laborum! *immodesto nepoti multa mala prænuntiat,*

E 24 Quodam tempore torrens, qui dicitur Garste *c*, a quo etiam locus nomen accepit, terminum suum, ut solet, excurrens, totum situm loci operuerat, ita ut etiam claustrum et officinas ejus occupans, monachos incessum per aquas habere compelleret. Ex quo afflicti, dum cum beato Viro de eodem incommodo dolentes loquerentur, clementer consolatus est eos dicens; « « Ite ad refectorium, et reficite, et æquo ani- « mo estote, quia ab hac aquæ invasione quan- « tocius liberabimini, quodque modo torrens « iste fecit, numquam amplius facturus est. » Ivit conventus ad refectorium. Ipse vero intravit in oratorium. Et more suo prostratus in orationem, tam celerem, tamque mirabilem precum suarum consecutus est effectum, ut surgentes de mensa fratres nihil invenirent de omni illa, quam ante prandium in claustro reliquerant, aqua. Versi itaque in stuporem, cum admiratione et gaudio tantum miraculum in sancto Viro venerati sunt : quæ aquæ invasio numquam postea contigit. IX. *ac rivulum exundantem oratione coercet.*

25 Quadam die, denunciavit Fratribus, quemdam virum valde anxiatum, in proximo affuturum, quem deberent suscipere, et ab imminenti liberare periculo. Cumque interrogarent, quis esset? hoc solum respondit; hominem esse misericordiæ indignum, atque in suprema necessitate constitutum, pietatis intuitu consolandum. Altera die festinus advolat miles quidam, Leo nomine, qui prædis et latrociniis, plurimisque crudelitatis operibus vitam demeruerat, positusque in persecutionem, etiam sententia suspendii damnatus erat. Et cum jam quæreretur ad pœnam, monasterium concito cursu petiit, prostratusque fratribus obsecrat et contestatur, quatenus dato conversionis habitu, liberent illum de instanti interitu. Curritur ad Patrem, ut quid sit faciendum, decernat. Imperat, celeriter tonderi virum, suscipique in congregationem. Profugus ergo ille, divinæ, qua liberatus fuerat, gratias agens clementiæ, ita conversus est ad Dominum, mutatoque habitu apud liberatores suos bona vita conversatus est Hoc peracto; continuo ad pœnam requisitus est. Sed exauditi non sunt requirentes, quia jam sibi eum sociaverant omnipotenti Deo famulantes. Imo ipse eum assumpserat, qui venit quærere et salvum facere, quod perierat. X *Prædicta latronis conversione.* F

26 In festo S. Jacobi, cum congregatio pisces XI

mirabiliter pisces impetrat fratribus

A ces non habuisset, (sicut ipsius statuto in similibus festis habere consueverat) sit gravis caussatio coram eo postera die in Capitulo, tantusque strepitus tumultuantium, quod pius Vir veniam petere compulsus est ad pedes omnium, cum non posset compescere rancorem murmurantium : sed cum nimis importuni existerent, et ultra modum tumultuarentur, contristatus valde : « Bene, « inquit, vos habetote, et estote quieti, hodie « vobis piscium desideratam dabo sufficientiam. » Et licet hoc diceret, tamen nondum aderat, unde, quod promittebat, exolveret. Cum post modicum, egredienti de claustro, obviam factus est quidam immanem coracinum *d* portans, veracem faciens promissorem, plurimumque hoc beneficio supernum commendans Consolatorem, antiquum iterantem consilium, quo murmurantium in deserto infelix replevit concilium. Nam sicut Moyses tunc certus de Domini potentia, illis promisit carnes, quas desideraverant : ita istis vir Domini Bertholdus, consisus de Dei misericordia spopondit pisces, quos amabant. Manducaverunt ergo, et saturati sunt, et ei, qui desiderium attulit eis, gratias agere, ut dignum fuit, B non omiserunt. Vere pius Dominus, vere misericors qui ne videretur de se præsumentem deserere, etiam inimicis et murmuratoribus clementer dignatus est satisfacere.

et hospitibus,

27 Alio tempore hospites aderant, qui, quod essent amici et venerabiles, diligentiori cura et ministerio honorandi erant. Sed cum item pisces deessent, hocque Patri dispensatores quererentur; Ite, inquit, ad aquam : quærite. Magna est Dei clementia. Responderunt, satis se quærendo laborasse; sed nihil profecisse. Iterum, inquit, ite : quid tentare nocet? Ipseque cum eis usque ante portam, quæ respiciebat ad flumen, processit : et ibi subsistens, exitum rei præstolabatur. Appropinquantibus illis fluvio cum sagena; ecce mirum dictu, piscis, qui vocatur tymallus *e*, rufo *f* persequente, actus in fugam, mirantibus cunctis, de aqua in terram exilivit. Capti sunt tam fugans, quam fugiens, desiderabile spectaculum exhibentes, non pro sui utilitate, sed pro beati Viri indubitabili sanctitate.

C Et illi quidem factum hoc pro miraculo declamare festinabant : sed Vir Domini nihil hujusmodi audire, vel scire volens, repressit eos dicens, non esse mirandum, si quid una vice non possit, alia possit, Domino providente, fieri. Ita vero timebat publicari sua merita, sicut fures timere solent, ne deprehendantur eorum furta. Publicabantur tamen. Quomodo enim poterat abscondi populis, quod assidue prodebatur oculis : cum vix aut numquam vel ab uno vidente possit sileri, quod a nullo potest sine admiratione et jubilo audiri?

...ue ob sanctitatis famam a variis hominum genere invisitur.

28 Aderant sine cessatione quærentium ejus consilia et benedictiones, diversorum hominum multitudines. Et nisi pietate et misericordia ad occurrendum eis et consulendum cogeretur; utique nec aspexisset eum visus hominis. Considerans igitur Vir perfectæ pietatis, melius esse multis, quam soli, vel paucis prodesse, commune commodum privato anteponens, neminem voluit repellere, quia, quantum in ipso erat, omnibus voluisset bene facere. Igitur virtute bonitatis ejus ubique divulgata, frequentia tam languentium, quam nihil in corpore patientium, et qui vexabantur a spiritibus, veniebant ad eum, animæ et corporis remedia quærentes, et frequenter invenientes. Sane tanta per illum dignatus est Dominus tam manentem in corpore, quam quiescentem in terræ pulvere, ostendere bona, quod valde admiror, ita universa usque nunc suppressa silentio, acsi aut minime facta sint, aut a nemine visa. *A. Anonymo.*

ANNOTATA.

a *In Vita S. Annonis archiepiscopi Coloniensis legitur, quod hic præsul pœnitentiæ causa ab alio sibi verbera instigi jusserit, et quod ob eamdem causam S. Henricum verberibus exceperit. De hoc genere satisfactionis vide Morinum de administratione Sacramenti pœnitentiæ lib.* 7 *cap.* 14.

b Placitum *sæpe significat publicum conventum. Videtur hic sumi pro congregatione quorumdum monachorum, quæ vulgo* capitulum *dicitur.*

c *In mappis geographicis Austriæ notatur quidam rivulus anonymus circa monasterium Garstense ex Anaso profluens, qui verosimiliter erit torrens* Garste *hic nominatus.*

d *De coracini distinctione in marinum et fluviatilem, de ejus etymo, forma et aliis consule Ulyssem Aldrovandum in opere de piscibus lib.* 1 *cap.* 15. *Post hujus piscis nomen sequitur in Ms. Mellicensi parenthesis, de qua paulo inferius.* E

e *Constanter ab auctoribus* thymallus *scribitur nomen hujus piscis, quem Germani vernacule* aesch *appellant. De illius appellatione et figura fuse disserit idem Aldrovandus in opere citato lib.* 5 *cap.* 14.

f *Frustra nomen hujus piscis quæsivi. Forte est idem, qui apud Aldrovandum lib.* 2 *cap.* 9 *a Græcis* ἐρυθρινός, *a Latinis* rubellio, *vel* ruber, *et a Germanis vulgo* rothfisch *vocatur. Si tamen genuina sit parenthesis, quæ Ms. Mellicensi inseritur,* rufus *idem est, qui* coracinus : *nam ibi sic legitur :* Obviam factus est ei quidam immanem coracinum (quod est rufus) portans.

CAPUT IV.

Energumenorum liberatio, mira pueri obedientia, dæmonis fuga, et prævisa Beati in cælis gloria. F

Erga dæmoniacos non mediocri orat prædictus liberationis affectu; quos semper in hospitali præcepit cum his, qui simul aderant, servari, et benigne tractari, usque dum eis jejuniis et orationibus, sanitate obtenta, cum gaudio redire permisit. Ante altare sancti Petri Vir beatus frequenter orare solebat; ibi Missas celebrare, ibi confessiones audire, ibi divinæ contemplationi familiarius inhærere consueverat. Illuc mulier possessa dæmone, adducta ad eum, sub omni celeritate liberata est. Et licet nonnulli ejusdem salvationis apud eum gratiam invenirent; non tamen dicimus, omnibus indifferenter præsto fuisse curationem. Aliqui curabantur; aliqui non valebant curari. Ipse quidem omnibus piæ compassionis impendebat affectum, ibi habens, ubi Deus dignabatur, subventionis affectum

XII. Variis dæmoniacis liberatis.

30 Erat non longe a monasterio mulier quædam repleta dæmonio, nomine Haiza, pro qua diu

mulierem energumenam tacere cogit.

A. Anonymo. diu multumque laboravit : sed nequam spiritum ab ea repellere non potuit : loqui tamen, non nisi quodammodo latrando et ganniendo, ipso vivente, prævaluit. Verum, post transitum ejus, ultra modum garrula affecta, ostendit recessisse Magistrum, quo præsente, non aperuit os suum. Quadam die dominus Adelrammus *a*, qui postea ad Chremsmunster abbas factus est, assumptis quibusdam Fratribus, interrogandi gratia accessit : et his eum verbis alloqui cœpit : " Dic, inquit, quæ te causa modo fecit ita loquacem, " cum ante hos dies penitus mutam * fuisse omnes sciamus? Ille, ait, qui in monasterio sepultus jacet, dum vixit, præcepto mihi potestatem ademerat loquendi. At nunc, quia mortuus est, nullo refrænor timore ad tacendum. Immensis ergo adjurationibus compulit eam * respondere sibi ad interrogata.

* ferte mutum

* forte eum

quæ post ejus mortem varia pandit.

31 Obierant autem sub eodem tempore duo monachi ejusdem monasterii. Unus vocabatur Erchengerus, pater duorum puerorum ibi ab eo oblatorum, et de voluptuosa seculi vita molliter ad
B Deum in senectute conversus. Alter Dietmarus dicebatur cellarius monasterii; et in via sua reprehensibilis quidem, sed tamen valde charitativus. Quæsivit ergo dominus Adelrammus ab illa obsessa, imo a spiritu, qui habitavit in illa, terribiliter adjurans, ut vera diceret, et nequaquam mentiri præsumeret. Ubi est, inquit, dominus Erchengerus? Illum, ait, nos habemus. Interrogavit autem et de alio, hoc est, domino Dietmaro, ubi etiam ille esset? De quo sic respondit : Nostræ, inquit, sorti deputatus fuit : sed dicente illo Monacho, dum iste moreretur, Reddat tibi omnipotens Deus omnia bona, quæ mihi fecisti : et alio; Retribuat tibi pius Dominus bonum, quo me frequenter sustentasti; et aliis similia imprecantibus, dum putaremus eum nostris jam accessisse partibus, subito elapsus est, et noster esse desiit. Illum etiam, quem habemus, diu non possidebimus *b*; quoniam eum per duas, quas in Admonte *c* habet, religiosas filias quantocius amissuri sumus. Hæc illa mulier, ita quidem ut digesta sunt, effata est, nimiis conjurationibus constricta, sed ante mortem ipsa dæmone liberata non est; nec tamen aliorum consolationem impedire potuit, quos omnipotens
C Dominus per Dilectum suum saluti restituere voluit.

XIII. Puerum a vagis discursibus

32 Erat vir tantæ simplicitatis, ut cum parvulis ita loqueretur, quasi senes essent : et qui de virtute obedientiæ nihil omnino sciebant, hos per obedientiam vel cogebat ad aliquid, vel revocabat. Nam dominus Oudalricus *d* Chremesmunsturensis abbas, filius fratris ipsius, quando primum ei in monasterio, divino servitio nutriendus, matre offerente, præsentatus est, mirabili præcepto a quadam puerilitate per eum coercitus est. Dum enim quotidie ad mensam matris, ut puta puer nondum tonsuratus, nec adhuc receptus in congregationem, in domum hospitum curreret : ea die, qua ipsa recessit, puer more solito quasi pransurus exivit. Sed cum eam non inveniret, dolens abscondit se. Porro magister hospitum misertus pueri, prodere eum noluit; sed cibis dormienti appositis, quos ipse expergefactus absumebat, aliquamdiu ita servavit.

mandato obedientiæ mire compescit,

33 Verum beatus Pater, dum pro puero tristaretur, eumque faceret ubique diligenter inquiri; tunc ille frater, sumpta manu ejus, duxit ad eum ante altare B. Petri orationi instantem. Quem ducens in auditorium *e*; (nam in oratorio D præter confessiones, nihil prorsus loquebatur) ita allocutus est : " Infideliter, inquit, erga me " egisti, quod tam diu latendo conturbare me " præsumpsisti; præcipio tibi per sanctam obe" dientiam, ne amplius facias, quod modo fe" cisti. " Ecce quam simplici edicto simplici puero fugæ latibula interdixit, qui tamen puer, quamvis obedientiæ nec intellectum haberet, obedientiæ virtute, et sine dubio præcipientis sanctitate, ita ad obedientiam confirmatus est, quod in hoc præcepto numquam inobediens apparuit : nec enim ultra de monasterio recessit.

XIV. et dæmonem sub forma suis latentem *f*

34 Quodam tempore quidam nobilis de Rachez *f* cognatus hujus sancti Patris, multis sæpe precibus, ut ad domum suam venire dignaretur, studiose rogare solitus impetravit. Habebat autem, quem unice diligebat, parvulum filium, nomine Oulricum : in quo ea, quæ sequuntur, tunc visa et postmodum narrata sunt. Cum enim Vir Domini ad pausandum se collocasset, refectis paululum somno artubus, surrexit, et Domino servire cœpit. Et ecce, per fumarium, id est caminum, hostis humani generis, quasi in modum suis, deorsum se præcipitavit, nulli visus, nisi soli Beato viro, et juxta Patrem jacenti parvulo. E

manipulo stramineo abigit.

35 Cœpit ergo puer immodicis fletibus, clamoribusque inconsolabiliter perstrepere, et omnibus esse causa inquietudinis. Sed cum a nemine posset fletus ille compesci; intelligens Vir Domini diabolum esse tanti causam ploratus, accessit ad locum, in quo jacuerat, sumensque modicum straminis, quasi pro verbere, suem illum diabolicum cœpit velle ejicere. Cumque aliquamdiu huc illucque divertendo egressum negare tentaret, tandem ea parte, qua intraverat, exilire compulsus est. Quæ res tunc quidem puero illi horrendum exhibuit spectaculum; sed postea admirandæ narrationis fuit materia, dignæque venerationis exemplum : merito namque dignus venerari, quem constat ita diabolo dominari, ut fasciculo straminis omne sibi adimat robur fortitudinis.

XV. Duo Fratres,

36 Habebat Vir Domini quemdam famulum, nomine Siboto, quem a puero usque ad virilem ætatem educaverat bonis pollentem moribus, et desiderio supernæ patriæ minime carentem. Hic, cum ense accingi deberet miles futurus, monitis beati Viri reliquit seculum et conversionis suscepit habitum. Non longo autem post conversionem transacto tempore, cœpit infirmari, crebrisque angustiis appropinquare ad finem. Et cum jam morti vicinus esset, rogavit ad se sanctum venire Patrem. Commendata igitur ei anima sua, et exitus necessitate : " O quam felices, inquit, " sunt, qui tibi, venerande Pater, obediunt; " qui tua sectantes itinera, voluntatem amant, " præcepta non negligunt? Felices, inquam, quo" niam perpetuæ felicitatis gaudia sine dubio ap" prehendunt! O quam decora sedes vestra, quam " ineffabili ornatu vestræ expectationi præpara" ta! " Quæ venerabilis Pater subito interrupit, et adhuc loqui volentem cum increpatione compescuit dicens : " Tacete, Frater, nescitis, " quid dicitis. " Et ille. " Ego, inquit, taceo " quidem, attamen scio, quid loquar, et vera " dico : pulcherrima est sedes vestra. " His dictis, beato fine quievit.

qui sub Beato conversi fuerunt,

37 Alium quemdam, Embich nomine, de latrocinio, et ipsis, ut ita dicam, mortis faucibus ereptum, Domino bene conversum consignavit

A gnavit et sanctum. Iste, cum negotiatores, assumptis sibi comitibus, quasi deprædaturus invaderet, oppido vulneratus est, et inde semivivus asportatus, sed adepta per divinam misericordiam sanitate converti paratus, imo desiderio æstuans conversionis, ad hominem Dei convolavit, humiliter postulans sibi dari opem salutis, et facultatem Domino in spirituali conversatione famulandi. Resistunt omnes, contradicunt universi, timentes, quia prædator fuerat, et multa abstulerat, quod pro eo essent expostulatoribus rationem reddituri. At, qui nullum repellere, sed omnes admittere constituerat, nec istum passus est sua spe frustrari; sed fractis per dulciloquia contradictoribus, sociatus est congregationi, summa humilitate supernæ responsurus vocationi. Nam, qui, quos prædestinat, vocat, et quos vocat, justificat; vere et in isto ostendere dignatus est, quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

et Deo in humilitate serviverant,

38 Libenter cognovisset literaturam, sed discendi gratiam non habuit. Magisterio tamen Spiritus sancti minime caruit, quem suæ humilitatis moderatorem et inhabitatorem habuit. Infirmorum curam a Patre suscepit devote quidem; B sed devotius administravit, nullo valens superari labore, quo eorum commodis posset et utilitatibus prospicere. Ipse ligna super humeros suos de sylva portabat, quibus ignem eis exstruebat, et stubam calefaciebat, in quo itinere ab oratione non cessabat. Ipse eis cibos manibus suis ferebat, et ante eos stans, vel incidens, quod manducarent, orationem Dominicam dicebat; nihil umquam gustans eorum, quæ ipsis anteponebat. Quod residuum fuit, ad pueros claustrales *g* afferens interrogat, si quod psalterium ad præsens haberent decantare? Cumque responderent, etiam; " Ut, inquit, et me assumatis faciatisque participem, accipite istud et comedite. " Stansque ante eos, et carnes frangens, Dominicam orationem de ore non dimittebat. Conventus quidem ex authoritate Ordinis sagimine *h* in cibo utebatur; sed iste, licet ad hoc etiam præcepto cogeretur, tamen vix gustato, ne inobediens existeret, amplius tangere perhorrebat: simulabat tamen comedere propter alios, ne notaretur, et de sua proclamaretur abstinentia. C

jam morti proximi

39 Ita in humilitate et vera spiritus contritione, postquam Domino per biennium de latrone monachus et sanctus servivit, volente Domino magnificare misericordiam suam cum illo, imo et declarare, quoniam non venit vocare justos, sed peccatores, infirmitate correptus est. Sedebat ergo continuo in lectulo, jacere nolens, ne nimis corporali videretur indulgere quieti; et non diebus, neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat. Post non multos dies, ingravescente languore, vocari ad se sanctum Patrem rogavit; qui cum adesset, præsentibus etiam quibusdam de Fratribus, " Dominus, inquit, remuneret " omnia bona, quæ mihi, domine Pater, clementia " vestra hucusque impertita est. Jam nunc proficit " opus bonum, quod cœpistis in me, ut completis " extremæ necessitatis officiis dirigar, quo iturus " sum. " Cumque venerandus Pater blande consolaretur eum, spatium ei adhuc vivendi de Dei misericordia promittens, se quoque non defuturum necessitati, ubi tempus adesset: " Modo, inquit, " est tempus faciendi, quia quantocius migraturus " sum. "

A Anonymo. vident sedem B. Bertholdi in cœlis paratam

40 Nominavit autem quosdam monachos se in morte secuturos, dicens ad Patrem; " Hortamini illos, ut sint parati: quia cito sunt me " secuturi, " Sed cum Vir Domini hanc vellet vocem comprimere, et omnino hujuscemodi verba compescere, dicens, illum nullam prorsus eorum, quæ memorabat, habere notitiam: " Imo scio, inquit, quid loquor. Septem sine " dilatione morientur: quatuor obitum vestrum " præcedent; tres subsequentur. " Ita factum est. Sic de hac vita omnes exierunt, sicut ab eo fuerant nominibus designati. Primo illi quatuor; post quos venerabilis Pater: deinde tres alii, uti erant in denominatione ordinati. De Viro autem Dei dixit, paratam esse sedem ejus, et glorioso decoro * venustatam. Inde sumpto Viatico, feliciter perrexit ad patriam de exilio. Claret ergo, non solum ipsum Patrem prophetico spiritu, ut supra memoratum est, ventura prænotasse; sed etiam discipulos, utique meritis ejus, vera de futuris præsensisse.

* *forte* decore

ANNOTATA.

E

a *Juxta catalogum abbatum Cremifanensium iste est Alramus II, qui ab anno* 1165 *per novem annos munus abbatis ibi administravit.*

b *Hoc de purgatorio intelligendum est (nam in inferno nulla est redemptio) juxta opinionem eorum, qui existimarunt, animas illic a dæmonibus torqueri; nisi malis dicere, dæmonem hic more suo mentitum esse, cum parum probabilis sit ea sententia, ut censet Suarezius noster tomo* 4 *in tertiam partem D. Thomæ Disp.* 46 *sect.* 3 *num.* 8.

c *Est monasterium Benedictinum in Styria, vulgo dictum* **Amund**; *ubi præter virorum cœnobium, seculo* XI *fundatum, Wolfoldus anno* 1115 *insignem monialium parthenonem erexit, de quibus vide Pezium tom.* 2 *a pag.* 147.

d *Circa hæc tempora tres fuerunt hujus nominis abbates Chremesmunsterenses seu Cremifanenses, ut videri potest in Annalibus istius monasterii apud Simonem Rettenpacherum lib.* 2 *cap.* 12. *Sed cum Udalricus hic vocetur* filius fratris ipsius, *satis patet, illum esse Udalricum III istius nominis, de quo in Comment. prævio egimus et de quo postea iterum sermo recurret.*

e Auditorium *est cubiculum colloquii, ut variis exemplis probat Cangius in Glossario.* F

f *Alias scribitur* Rache *et* Ragtz. *Ex hoc nomine aliisque conjecturis quidam nobilem* B. Bertholdi, *familiam determinant, ut in Comment. prævio num.* 10 *diximus.*

g Pueri claustrales *vocantur, qui a teneris annis monasterio offerebantur, et in claustro educabantur.*

h Sagimen *est pinguedo, qua interdum monachis ob defectum olei vesci licebat, sicut notavit auctor anonymus editionis Salisburgensis ad hanc vocem.*

A. ANONYMO.

CAPUT V.

Inexspectata panis inventio, fornicationis impeditio, aquæ in vinum conversio, dæmonis expulsio, munificentia erga fratres et pauperes.

XVI. *Famulus Beati testatur,*

Erat quidam servus in beati Viri familiari obsequio, nomine Adelbertus, post ejus obitum longo tempore in conversione, amisso oculorum lumine, simpliciter vivens, et de animæ suæ non negligenter salute cogitans. Iste de beato Patre multa narratu digna sciebat, utpote jugiter præsens, et ejus, sicut prædictum est, familiariter obsequiis inhærens. Sed religiosus valde erat, raroque aliquid loquebatur, studiose tacebat omnia, pro eo maxime, quia sibi non credi formidabat. Sic enim dicebat; quia si verbis ejus fides adhiberetur, multa dicere posset, unde au- B dientium credulitas ad profectum utiliter informaretur. Hujus innotuit assertione res, quam dicturus sum.

ipsum pedes pauperum lavantem. a

42 Solent monachi per totam æstatem mandatum *a* trium pauperum, quotidie post cœnam cum pedum manuumque lavatione, atque eleemosynæ erogatione celebrare. Ad quam, quamvis ipse Pater ex consuetudine et authoritate Ordinis, semper diebus Dominicis adnotaretur, tamen assidue, ob amorem ejusdem officii, adtitulatum * præveniebat sacerdotem. Observabat enim ex industria, eam horam, qua fieri debebat, si forte sacerdos ille vel negligentia vel necessitate tardaret: et sic nacta occasione, ipse mandatum illud summa celebrabat devotione. Multotiens, enim præsentem pie violenter excludens pietatis opere sancta desideria excolebat.

* *Id est* designatum

miraculose tres panes invenisse.

43 Accidit ergo quadam die, ut more solito adveniens, illos tres panes non inveniret, reliquo apparatu ad plenum apposito. Requirens autem, cur panes deessent, audivit nullum esse in C promptu, sed nec alibi quidem posse quemquam reperiri. Jussit afferri celeriter panes; quæsitumque est diligenter in scrinio, ubi reponi consueverant, cum fuscinula, quæ ibi continue jacebat, et nihil inventum. Et cum hoc secundo etiam fecissent, dolens sanctus Pater opus illud misericordiæ ita remanere imperfectum, tertio misit, et sibi tres panes deferri præcepit. Tunc ibi inventi sunt, ubi primitus diligenter quæsiti inveniri non potuerunt, quia revera nec aderant: si enim præsto fuissent, proculdubio inventi fuissent; sed nunc per Dei omnipotentiam, ne dilectus suus constristaretur, aut pietatis et in hoc opere fructu privaretur, misericorditer simul ac mirabiliter sunt provisi.

XVII. *Virum nobilem* * *al.* Ulricus b

44 Vir quidam nobilis et dives, nomine Wolricus * de Bernecke, audiens hominem Dei esse [apud] Gotwicum *b*, misit ad eum, ut ad se venire dignaretur. Qui licet infirmus esset aliquantum, profectus est tamen, ne tantus vir sua spe frustraretur. Veniens ergo invenit in domo viri duodecim dominas, muliebri ornatu ad placendum seculo, et suo temporali domino satis ambitiose compositas; quarum singulas, quia conjunx obierat, suo lecto vir ille pro libitu adesse D semper præcipiebat. Quibus vir Domini visis, auditoque ab ipso hospite, quæ essent, et qua de causa secum morarentur, quamvis esset gloriosus, et magnæ potentiæ, accepit tamen in responso, quæ dignus fuit audire. Increpavit enim eum Vir sanctus vehementer super tanta incontinentia: spem salutis ei omnem amputans, si talem eum ultima inveniret sententia. Porro illis similiter talem vitam certæ perditionis fore causam prædixit: eisque, ne ultra eum accederent, sub interminatione gravis ultionis interdixit.

miraculo a concubinatu abstrahit: c

45 Sed vir ille, licet eamdem intemperantiam erga beatum Virum devotasset *c*; tamen ipsa nocte unam illarum sibi adesse præcepit. Quæ vadens, media via substitit; ulterius progredi divina virtute prohibita. Interrogata ergo sequenti die a viro, cur sicut jusserat, non venisset? dixit, ita se in eundo subito fixam hæsisse, acsi forti ligamine accepto restringeretur. Tunc intellexit, tantum miraculum ex beati Viri provenisse præsentia, quodque suorum desideriorum consequi, ipso præsente, non potuisset effectum. Cœpit igitur plus solito sanctum Virum venerari, et jam credere, vera esse de illo, de qui- E bus antea dubitaverat; repudiataque illa mulierum multitudine, unam duxit legitimam, cum qua reliquum vitæ suæ sine discrimine clausit compendium.

XVIII. *aquam in vinum convertit:* d

46 Sub eodem tempore a comitissa de Wilperga *d* invitatus est, quia comes nuper obierat, ut animam ejus, et seipsam, quoniam prægnans erat, suis orationibus commendaret, Erat autem in accessu castri fons muro contiguus, magnæ amplitudinis et amœnitatis, delectabilisque ad bibendum; de quo vir Domini sibi ad mensam afferri rogavit. Cum ergo bibisset, et ante se posuisset, comitissa dixit; Si cum gratia ipsius potuisset fieri, cum eo de potu suo biberet. Quod cum benigne annuisset, bibit illa, non quam ille gustaverat, aquam, sed præstantissimum vinum. Tacuit et ante Servum Domini vas repositum est. Et cum iterato bibere volens invenisset vinum, noluit ultra tangere, sed redditum est comitissæ; et illa misit cuidam coram se discumbenti inter ceteros præcipuo. Cumque per or- F dinem bibissent, et omnes studiose tacuissent, novissime cuidam cæco porrectum est; sed et ille tacens ductori suo præbuit. Tunc ab illo exclamatum est, esse optimum vinum, quod de terra umquam virtus divina produxerit. Ibi si accipere voluisset, multis donis ditatus redisset; sed ea solummodo accepit, quæ postera die in Missæ celebratione oblata sunt; et quæ comitissa pro salute animæ viri sui conferre curavit. Auditis ergo ibi multorum confessionibus, eisque in orationes, et fraternitate * susceptis, non sine magna ædificationis lætitia dimissus est.

* *forte* fraternitatem

XIX. *dæmonem,*

47 Erat marchioni orientali Luipoldo *e* præpositus nomine Anselmus, vir magnarum opum, et amplæ possessionis, sed tam plenus vitiis, quam divitiis. Hic, cum præposituram multis administrasset annis, percussus est paralysi, una parte corporis totus factus invalidus. Sed quamvis jam alter idem ageret officium, iste tamen ad resignandum nulla potuit ratione convinci. Rogatus est ergo sanctus Pater ab ipso marchione, ut ægrum visitaret, et ei salutis dare consilium dignaretur. Perrexit; sed miserum ad reatus sui cognitionem, vel resignationem culpabilis officii nullo ingenio convertere potuit.

48 Cum

A *milites infestantem, f g*

48 Cum ergo, nocte superveniente, omnes se quieti dedissent, Viro Dei deorsum in caminata *f* cum monachis suis jacente, militibus vero, qui in ejus comitatu erant, sursum in solario dormientibus; ecce catti *g* diversi coloris et magnitudinis ita idem replevere solarium, quod posse subsistere non sperabatur. Quorum quatuor unum de militibus, vocabulo Ournich, aliquantulum jocundum atque mirabilem, et post satietatem oblitum se signare, invadentes, de loco suo in alium traxerunt, nihil omnino dicere, nec movere se valentem: nisi quod tantummodo crucem sibi lingua in palato formavit, sicut audierat fieri debere in hujusmodi dæmonum ludibriis. Et ita dimissus est vix spirans præ timore, sudoreque perfusus.

et multa expostulantem

49 Verum unus de omnibus, specie aspidis assumpta, deorsum ad sanctum Virum descendit, et latinis verbis cum eo loqui incipiens, hujusmodi adversus eum querela usus est: „ Quid, inquit, „ tu hic facis? aut, quæ tibi cum meis rebus
B „ societas? Nonne domus hæc condita est apud „ me, et signata in thesauris meis? Unde igitur „ tibi habitare in ea? Recede hinc; et ulterius, „ quæ nostræ partis sunt, occupare caveto, ne „ totis tibi viribus adversemur, quemadmodum „ uni duorum modo fecimus, pejora propter tuam „ præsentiam differentes. „ Aderat autem quidam monachus, nomine Fridericus, qui de Garstensi monasterio recesserat, atque illuc servo Dei occurrens, ea nocte cum ipso pernoctabat. Iste vigilans illam diaboli cum beato Viro audivit altercationem: et postea inde recedentibus narravit omnia per ordinem.

e domo quadam ejicit:

50 Igitur Vir Dei præcepit immundo spiritui illam quantocyus deserere habitationem, et, ne quid læsionis cuidam inferre præsumeret, potenti authoritate imperavit: „ Tibi, inquit, cedere et de „ loco isto modo recedere Dei tui nos fortitudo „ tuæque magnitudo sanctitatis compellit: sed „ te discedente, nos hic potentes esse constabit. „ Illico disparuit illa infernalium canum infelix aggregatio, monachi minime dormientis, nec non et militis seorsum jacentis comprobata testimonio. Die itaque insecuta, cum sermo ejus in præposito
C illo non caperet; ad recedendum inde cum celeritate suos cœpit instigare; a quibus vix, dum cibum sumsissent, compulsus est expectare. Post non multum tempus, præpositum illum præpositura sua deseruit, quamvis ipse eam deserere noluisset. Et cum in vas eum posuissent ad sepulturam deducendum, tam immensos dedit illud vas crepitus, acsi motibus introrsum jacentis ita crepare cogeretur.

xx. *munera sibi data inter Fratres dividit,*

51 Quotiescumque Vir sanctus, urgente aliqua necessitate, opus habebat, foras exiens, externas agere causas, raro aut numquam pro velle suo redire ad monasterium potuit, sed semper diutius, quam vellet, extra morari compellebatur. Tanta fuit invitantium instantia, tantus amor videre cupientium: tenebatur autem maxime spiritali occupatione, dum se quisque infelicem reputaret, si ejus non audisset consilium, suam ei confessionem non fecisset. Rediens igitur ad claustrum, donaria, quibus ab invitantibus fuerat honoratus, semper omnia in capitulo fratribus præsentabat, memorans his eos ab amicis et familiaribus visitatos, quibus deberent orationibus et servitiis fideliter et infatigabiliter respondere. Erant vero tot et tanta, quæ frequenter afferebat, quod ex eis multum emolumenti singulis obedientiis conferebat; in quarum præsentatione vel divisione, sive quotiens largientium recordari opportunitas monebat, mirum dictu, ita cunctorum nomina, quantacumque essent, memorabat, acsi coram se forent universa conscripta. Porro pauperum inter hæc minime obliviscebatur, suam illis partem clementer excipiens, sibi in futuro centuplum multiplicandam. A. ANONYMO.

et aridam pauperis manum sanat.

52 Quadam die, dum iter ageret, obviaverunt ei multi peregrini, omnes nudis incedentes pedibus, quamquam immensis universa replerentur nivibus. Quibus cum sigillatim dari nummos jussisset, et eos divinæ protectioni cum magna dulcedine commendasset, unus ex illis tanta animatus pietate, manum debilem, multis diebus inutilem, ei obtulit benedicendam, spem habens magnam recipiendæ salutis, si ejus attactibus sanctis fuisset attrectata. Tum Sanctus; „ Utinam, „ inquit, bone vir, tibi utile esset; quam libenter facerem, quod petis! „ Accipiensque manum illius, benedicere et tractare benignissime cœpit, extemploque sanata est, cunctis, qui aderant, causa admirationis et exultationis effecta. E

ANNOTATA.

a *Actus ille humilitatis vocatur* mandatum *sive quod Christus illum exercens, discipulis suis eumdem mandaverit, sive quod in hebdomada majori, dum ad exemplum Christi exercetur, recitari soleant ex Euangelio Joannis hæc verba:* Mandatum novum do vobis, *etc.*

b *Monasterium Gottwicense vel Kotwicense, ut supra nominatur, videtur nomen suum traxisse a monte inferioris Austriæ, qui olim* Gotewich *vel* Kotewich *seu* Kutwic *dicebatur: sic enim chronograghus Claustro Neoburgensis ad annum* 1083 *scribit:* In monte Kotwigensi monasterium sanctæ Mariæ a venerabili Altmanno Pataviensis ecclesiæ episcopo consecratur.

c Devotare *apud Isidorum significat* accusare *Apud alios idem est, quod exsecrari aut detestari. Potest hoc loco utrumque sensum habere.*

d *In editione Peziana vocatur* comitissa de Wiltperge. *Forte est eadem, de qua Bernardus Noricus in Catalogo abbatum Cremifanensium ad annum Christi* 1132 *meminit.*

e *Pezius ad hunc locum sic notat:* Luipoldi, id est S. Leopoldo Austriæ marchiono. *Forte hic ab Austria, quæ Germanice dicitur* Oesterreich / *seu* Orientale regnum, *cognominatur Orientalis.* F

f Caminata *seu cubiculum, in quo est caminus.*

g Cattus *forte provenit a vocabulo Germanico* katz *vel Belgico* cat *aut* catte, *quod felem significat.*

CAPUT VI.

Energumenæ liberatio, claudi sanatio, iterata aquæ in vinum transmutatio, prophetia, morbus et pius obitus.

Miles quidam, nomine Tyemo de Hovestetin, filiam, dæmone vexante, cunctis lamentabilem propinquis, habebat. Hanc cum multi liberare conarentur, sed minime valerent, dicente dæmone, nullum sibi de eis curam habendam esse, solum Bertholdum de Garste plus omnibus

A. ANONYMO.

omnibus valere: Hic, nisi veniret, locum suum propter nullum desereret: venire eo Vir sanctus, patre diligenter simpliciterque invitante, dignatus est. Pro quo, cum misisset, cœpit illa patri quasi fraudem improperare, dicens: » Infideliter » mecum egisti, quod pro illo, qui mihi non » placet, misisti. » Et alia similia exprobrans, timorem, quem de adventu Sancti habebat, celare non potuit. Veniens ergo, malignum ab ea spiritum sine dilatione ejiciens, gaudium quidem magnum parentibus illius et amicis fecit; sibimet vero tantis miraculorum virtutibus causam operatus est benedicibilis memoriæ et perpetuæ venerationis, juxta quod scriptum est; » Dilectus » Deo et hominibus, cujus memoria in benedictio- » ne est. »

Deo et hominibus dilectus Bertholdus:

54 Quæ verba, quam apte, et imo quam specialiter huic beato Viro conveniant, non est necesse scribendo comprobare, cum profecto id tota patria clamet, omnis circumpositæ regionis frequentia assiduis accursibus apud ejus sepulchrum soleant declarare. Sicut enim vivens in corpore B frequentabatur ab omnibus, invitabatur a multis, adeo ut etiam regis Chuondradi *a* esset specialis confessor et charus amicus; quod et munerum, prædiorumque comprobavit largitionibus: ita quoque adhuc indesinenter juxta sancta ejus ossa, multis fidelium demonstratur excubiis, quantum diligatur, quantaque dignus sit veneratione, cujus sic vivit memoria in benedictione, quod nequaquam ita amaretur ab hominibus, nisi etiam omnipotentis Dei esset felix dilectione. Dicatur ergo recte de eo: » Dilectus deo et hominibus, cujus » memoria in benedictione est. » Vere in benedictione ejus memoria, dum a fidelibus benedicitur Deus, qui similem illum fecit in gloria Sanctorum, dum ipsis suis veneratoribus insuperabilis datur cælesti benedictione contra inimicos potentia.

XXIII. *claudum in pedes erigit:* *b* *c*

55 Pergebat Vir Domini versus Medelik *b*, orandi gratia, ut beati Colomanni *c* veneraretur merita, et imploraret suffragia. In quo itinere cum hospitio indigeret, misit nuntium suum ad C quemdam magnæ strenuitatis et libertatis virum, qui vocabatur Megiuhardus, rogans sibi, suoque comitatui curam hospitalitatis ea nocte exhibere. Quod cum ille optime accepisset: (quis enim de ejus susceptione non se existimaret felicem dignumque benedictione;) intravit in domum viri, et cum lætitia magna susceptus est. Ibi venit ante eum pauper quidam contracto pede debilis, baculo sustentante, vix incedens, sperans se aliquid accepturum ab eo. Quem videns homo Dei, misericordia motus super illum, cœpit cum illo de eadem ejus loqui infirmitate, » Cur, in- » quiens, bone vir, non quæritis opem vestræ » debilitatis? Accedite mane ad altare, quando » Missam celebraturus sum, et pensare * vos ibi, » ut moris est, et permittite vos aspergi aqua be- » nedicta; forte divina misericordia magnificabi- » tur consolatione vestra. » Ita factum est. Ubi mane venientem sanctus Vir ægrum benedixit, et aqua benedicta aspersit, illico sanus effectus est, erectoque pede incolumis et lætus de ecclesia progreditur.

* *forte* pansate

XXIV. *rursus aquam in vinum convertit:*

56 Infirmabatur Vir beatus, rogavitque adhærentem sibi capellanum, dominum videlicet Eberhardum, afferri sibi de proximo fonte aquam ad bibendum. Misit ergo famulum, nomine Hiltiboldum, nutritum ab ipso Patre, atque in ejus servitio tunc familiariter manentem, ut deferret aquam. Allatam ergo dedit domino Eberhardo, D ipseque ægrotanti porrexit. Ubi bibit venerabilis Pater: Ego, inquit, aquam postulavi. Cui cum diceret dominus Eberhardus, jam a servo allatam. Vir ait, et ipsi mihi afferte. Perrexerunt pariter capellanus et famulus; haustamque ut antea, de puteo aquam petenti præbuerunt. Bibit: et ut prius, vinum fuit. Tunc resolutus in lachrymas: » Quid, inquit, Salvator agis? » Nonne peccator sum indignus, propter quem » signa facias? » Jussit ergo hæc omnino taceri; et ne manifestarentur, totum auctoritate interdixit. Hæc mihi *d* idem Hiltiboldus cum lachrymis expressit, et in anima sua ita esse, ut exposita sunt, asseruit. Sed et idem miraculum, videlicet vinum ex aqua factum, non semel ei evenisse, multi hodieque testantur. Sed jam ad beatum ejus transitum, quem ipse, Domino revelante, non ignorabat, verba vertenda sunt. Deinde sanitates et miracula, quæ ad sepulchrum ejus fieri visa sunt, commemoranda. *d*

XXV *abbati ægrotanti longiorem vitam prædicit,* *e*

57 Non longe ante obitum ejus, Admontensis pater sanctæ memoriæ, dominus Godefridus *e* valde ægrotabat, missumque est pro eo, ut ejus exsequiis adesset, imo ipse eum terræ commendare dignaretur. Verum, cum suam legati legationem dedissent; Pater sanctus tali eos responsione consolatus est dicens: » Revertimini: dominus vester E » melius habere cœpit, et bene convalescet. Sed » rogate eum, ut si ei nuntius meus venerit, mihi venire non pigritetur. » Ita factum est: convaluit ille pater, et post modicum, isto invitante, venit, eumque sepelivit.

et ipse mortem sibi imminere sciens,

58 Sed antequam obiret, vocata ad se omni congregatione, singulorum audivit confessiones, datisque omnibus propria manu flagellis, et eos absolvit, et sibi ab eis remitti, quæ in eos deliquisset, humiliter rogavit. Fit ploratus multus, mœror, et luctus omnes occupat; nolentes nimirum eo carere, quem habuisse salus habentium fuit. Tum venerabilis Pater, tantis eorum permotus singultibus consolatos eos fore desiderans; » Tem- » pus, inquit advenit hinc transeundi, nec ultra » differri valet diu exoptatum, vix expectatum; sed » scitote, quia vos numquam deseram et huic loco » fidelis in perpetuum devotusque cooperator exis- » tam. Corporali quidem divisione separandi su- » mus; sed spiritu semper vobiscum ero. Dico » tamen, quod post discessum meum locus iste mi- F » nime carebit adversis, et semetipso minor et » inferior multum retrocessisse videbitur; sed ta- » men per gratiam Dei, cito resurget, et melioris » status resumet dignitatem. »

monachis suadet, ut successorem eligant Eberhardum,

59 Rogant deinde, dari sibi consilium, ad eligendum patrem, pariter pollicentes, ut quem ipse nomine designaverit, hunc proculdubio habituri sint, quicumque sit ille. Tum ille; » Si, inquit, » consilium meum in electione vestra secuti » fueritis, bene vos fecisse videbitis et gaude- » bitis: sin autem; perperam vos egisse mani- » festum erit. » Igitur Eberhardum capellanum suum, virum in Dei rebus approbatum, indubitanter sibi censet subrogandum; » Si hunc, in- » quiens, acceperitis, stabit honor Dei in hoc loco, » et status hic vester ipso vivente nutare non » poterit. » Sed quoniam idem Eberhardus impeditæ linguæ existens, eloquentiæ donum non habebat; et de hoc ipso non dimisit inconsolatos, ita dicens: » Est quidem ibi parvus defectus; » sed hunc divina providentia utiliori supple- » bit munificentia, et minus nocebit, non esse facundum,

A „ facundum, quem constat cælesti approbatum sen„ tentia. „ Laudant omnes consilium, spondentes, ita se libenter facturos.

ob id consilium multa conquerentem,

60 Inter hæc autem ipse Eberhardus pedes sancti Viri, quoniam frigidi erant, in manibus et gremio tenens, more suo dulciter confovebat; nihil curans de illa eorum circa regimen confabulatione. At ubi, omnibus digressis, ipsi duo soli fuerunt, his verbis Virum Dei cum mœrore allocutus est. „ Eja, inquit, „ quid fecistis? Quale consilium in me dedistis? „ Hæccine est gratia, quam laboribus meis et servi„ tio retribuitis? Hoc est, quod tanto tempore vobis „ serviendo promerui? Pia merces, clemens retri„ butio, quod vos tenditis ad requiem; et me tribu„ lationibus immergitis. Vos pergitis ad Christum, „ et mihi onus imponere nitimini, sub quo curvari „ necesse est etiam eos, qui portant orbem. Aliam „ fidei meæ, et devotioni sperabam servari retri„ butionem. „ Hujusmodi quasi improperiis sæpe dictus capellanus pium objurgabat Patrem flens largiter, et totis præcordiorum affectibus vel si-
B mul abire desiderans, vel sub omni subsequi celeritate. Quod etiam precabatur multis contestationibus, videlicet, ne hic diutius dimitteretur, reducens ei ad memoriam, instanterque inculcans recordationi, si quid servivisset, si aliquid dignum gratia egisset, quatenus hoc totum hac sola exauditione remuneraretur.

ac tandem beatus Pater pie moritur.

61 Igitur, cum ingravescente languore, quamplures ei sine alimento transissent dies, jamque pene defecisset; accedens idem Eberhardus non tam capellani, quam piissimi nutritoris et procuratoris ubique agens officium, aliquid ei in os pro refocillatione immittere cœpit. Quo accepto, collectis in hæc verba viribus: „ O, inquit, „ quare sic fecistis? Esse mihi debuit pro pœni„ tentia manere ita absque cibo, usque ad festum „ S. Petri ad vincula, ut sic de carnis vinculis „ absolutus eorumdem vinculorum pro voto fe„ stum celebrarem. Nunc vero, quia cibatus sum, „ cito migraturus constitutum diem expectare non „ possum. „ Nec mora. Nocte, quæ B. Pantaleonis martyris festivum præcedit diem *f*, modicum ante nocturnale Officium, vocata congregatione,
C ipse Litaniam incepit, et usque animæ redditionem cum aliis decantavit. Tunc levare manus volens, sed minime prævalens, quievit in Domino.

ac prodigiose ad tumulum defertur.

62 Tunc missum est, sicut præmisimus, pro patre Admuntense, ut veniret, et ejus depositioni officia humanitatis exhiberet. Venit, et eum commendavit terræ, quem suæ prius commendationi ipse infirmus asciverat. Ergo cum portaretur ad ecclesiam, honestioribus personis, quæ erant in congregatione, feretrum subeuntibus, apparuit eis magnum miraculum; quia idem feretrum virtute divina sublevatum, nequaquam eorum humeros tangebat; mirantibus primo eis, et ante rei perceptionem ab alterutro fieri putantibus, dum iste ab illo feretrum altius levari crederet, et ille ab isto idipsum fieri existimaret. Respiciunt se invicem, et omnipotentis Dei gratiam occulis suis præsentem evidenter agnoscunt.

ANNOTATA.

a *Is verosimiliter est Conradus III, rex Romanorum et imperator, qui anno* 1152 *obiit.*

b *Indicatur monasterium Mellicense, quod* A *Anonymo* *veteres* Medilich, Medelik, *et similibus nominibus appellarunt.*

c *Sanctus iste colitur* 13 *Octobris, cujus Acta cum notis vide recusa apud Hieronymum Pezium tomo* I *de Scriptoribus rerum Austriacarum a pag.* 94.

d *Hinc etiam liquet, auctorem anonymum B. Bertholdo supparem vixisse, cum asserat, sese hoc miraculum ex ipso Beati famulo audivisse.*

e *De isto Godefrido chronographus Garstensis loco jam sæpe citato ad annum* 1138 *hæc habet:* Godfridus Admuntensis abbas constituitur. *Obitum vero illius ad annum* 1165 *ita consignat:* Felicis memoriæ Gotfridus abbas Admuntensis requievit in Christo, VII Kalendas Julii. *Hinc quoque patet, biographum post annum* 1165 *hæc Acta scripsisse, cum Godefridum istum appellet patrem* sanctæ memoriæ, *qua phrasi mortuos laudare solemus.*

f *Cum S. Pantaleon in Martyrologiis diverso die consignetur, ex hoc loco nihil certi circa diem mortis eruere possumus, ut in Commentario prævio num.* II *observatum est.*

E

CAPUT VII.

Beati apparitio, et varia ad sepulchrum ejus patrata miracula.

XXVI. Beatus peregrinum odontalgia liberat,

Accidit autem, ut quidam peregrinus, eadem hora inopinate superveniens, Sanctumque deportari conspiciens, interrogaret, quisnam esset defunctus, qui bajulabatur. Notitiam autem beati Viri antea ex confessione perceperat. Ergo ubi audivit, eum obiisse, dolens solamen patriæ subtractum, altaque trahens suspiria; „ Pro„ pitietur, inquit, sancte Pater, omnipotens Deus, „ bonus homo fuisti: „ accedensque ad feretrum, pallio, quod superjacebat, mentum sibimet linivit et faciem. Quo facto; dolore dentium, quem attulerat, caruit: et divinæ pietati, gratias lætus persolvit. Convenit ergo omnis ecclesiæ familia, sauciata doloribus habens præcordia. Nec mirum. Quippe tali patrono orbata, quo meliorem nulla habuit alia. Sepultus est ergo F cum tanto universorum planctu, ut non videretur posse finiri doloris lacrymarumque magnitudo.

XXVII. Eberhardo apparens eum ad cælum evocat.

64 Sed cum monachi dominum Eberhardum nollent, sicut laudaverant, eligere; ipse vero de tali sua abjectione nihil omnino curans, toto Dominum et magistrum suum sequi desiderio anhelaret; et, ut hoc quantocyus fieret, apud sepulcrum ejus continuis precibus, lamentisque flagitaret; apparuit ei Vir beatus, jubens, ut paratus esset, et sicut petierat, dum adhuc simul essent, ad eum velociter veniret. Visione transacta, cœpit infirmari, atque in grabato, in quo Vir Domini obierat, propter ejus amorem decubans, factus in exstasi vidit quadam die Sanctum Domini ad altare B. Petri, quasi Missam celebrare; exiliensque cœpit currere, ut eum adjuvaret. Et cum usque ad ostium monasterii cucurrisset, interrogatus a videntibus, quo sic properaret? Nescitis, inquit, quod Dominus noster, Missam celebrat ad altare S. Petri? Illud festino, ut eum adjuvem. Tunc ad lectum reductus

A Anonymo.

ctus est, et post modicum ex hac luce subtractus. Non sunt ergo occultata a filiis hominum sancti Patris merita : sed præclaris miraculorum indiciis, extunc et de reliquo luce clarius constat esse manifestata. Quorum aliqua pro gloria Dei et ipsius sancti Patris amore, jam mihi commemoranda sunt, partim me ipso præsente facta *a*, partim ab aliis videntibus indubitabili veritate adstructa.

XXVIII. *claudum restituit,*

65 Morabatur in hospitali quidam pauper, nomine Luitoldus, multo tempore claudus. Hic, cum diu ferulis *b* sustentantibus se omnibus per cellam *c* notissimus traxisset, quadam nocte sabbathi revelatum est ei in somnis, quod ad sepulchrum B. Bertholdi opem deberet quærere salutis. Neglexit, et secundo eadem nocte revelationem accepit. Tunc quibusdam, quod viderat, narrat, et ab eis, quod offerret, petere cœpit. Quod super tumbam ponens, et se ibi in orationem prosternens, postquam aliquantisper cruciatibus fatigatus jacuit, suffragantibus sancti Viri B meritis, sospes surrexit; dimissisque in eodem loco ferulis, absque baculorum sustentatione, de ecclesia progressus est. Quæ ferulæ sancto ejus sepulchro antiquæ in testimonium veritatis jugiter ibi dependere videntur.

XXIX. *mulieris cephalæam sanat.*

66 Mulier quædam dolore capitis satis valde afflicta, cum comam capitis satis decentem haberet, urgentibus angustiis, vovet Domino et B. Bertholdo, eorumdem crinium decisionem, si suæ infirmitatis assequeretur evasionem. Ergo, cum ad sancta ejus ossa auxilium quæsitura et inventura procumberet, oblatis, quæ habere poterat, gratiam sensit, depositaque coma, cum sanitatis dono læta remeavit ad propria.

XXX. *et alterius superbiam ac irreverentiam castigat.*

67 Quadam die, cum populi vicinarum parochiarum monasterium Garstense solita devotione cum crucibus visitarent, et corpus B. Viri suis oblationibus, votorumque solutione diligenter honorarent *d*, affuit inter eos una de stultis mulieribus juxta vanum pessimumque hujus seculi morem, arctis studiose induta et constricta vestibus. Quæ sancto sepulchro a multitudine propius appulsa, nutu divino, acriter, ut infelix, C et indigna tali statione correpta est. Nam stans ante tumbam, subito disruptis vestibus, sericisque fasciis celeriter pessumdatis, nuda coram cunctis apparuit, corruensque in pavimentum, projecto super eam pallio, quasi mortua de monasterio elata est : cumque diu sic jacentem tandem aqua benedicta aspersissent, spirare cœpit et post longam moram, vix recuperatis ad pergendum viribus, [abiit] ulterius simili intentione non reditura. Quæ res magnæ deinceps fuit adventantibus occasio disciplinæ, maxime feminis, dum quæque timuit suæ fieri irreverentiæ, quod hujus miseræ factum meminisset.

XXXI. *Angeli ad sepulcrum Beati exultant,*

68 Frater quidam, nomine Wolfkerus, homo simplex et verax, cum quadam die ad januam monasterii foris sederet, obfirmatis undique diligenter ostiis, nulloque interius existente, sicut ipse multis juramentis affirmare solet, res ei mirabilis apparuit. Nam cum ita sedens caput ad ostium reclinasset; repente multitudo puerulorum de sepulchro sancti Viri usque ad eum accurrens, plausu manuum, quasi lætitiam magnam celebrabant. Quod cum aliquotiens fecissent; intelligens homo aliquid esse divini secreti, simul et horrore pervasus, surrexit et abiit.

XXXII. *ibidem mulier debilis gressum recuperat,*

69 Eadem die mulier debilis et curva, incessu pedum multis carens diebus, de territorio D Hadegersperge curru subvehente adducta est, et in monasterium ad memoriam sancti Viri deportata. Rogat igitur acquiri sibi sacerdotem, Missamque in honorem B. Bertholdi celebrari. Intra quam Missam, imo ante perlectum Euangelium sanata est; atque ita ad incedendum in brevi consolidatis membris reparata, ut absque humano adminiculo ad offerendum accederet, et de ecclesia ad vehiculum suum repedaret. *e*

XXXIII. *alia a dæmone obsessa*

70 Alia quædam honestæ familiæ, et ipsa satis honesta, si non esset possessa dæmone, comitantibus simul multis affinibus et amicis, ad sepulchrum hominis Dei, spe consolationis adducta est. Adest Abbas Guntherus, *f* nosque, et quam plures tam secularium hominum, quam spiritalium. Allatæ sunt cruces et reliquiæ de altari, atque inter benedictiones et exorcismos dicta est etiam et letania a nobis *g* cum magnæ intentionis devotione, ut Dominus creaturam suam liberare dignaretur a tam miserabili tyrannide inimici. Cœpit itaque ultra modum vexari, et plus solito E crudelissimas adhærentis inimici sustinere fatigationes, dolentibus cunctis et pro ejus ereptione instanter Dominum deprecantibus.

liberatur,

71 Tenebatur vix a multis; et hac sola voce venisse se conquerens audiebatur; Væ, quid huc veni? Væ, quid huc veni? Hoc postquam innumerabiliter ad caput sancti sepulchri vociferata est, opitulantibus piissimi Patroni meritis, discessit inimicus. Et quæ ante a pluribus teneri non potuit, deserente eam hoste, stare nequaquam prævaluit, sed statim collapsa est, atque in modum crucis ad Sanctum prostrata, gratias agens Deo, et præsenti Liberatori suo. Tollitur ad sidera clamor populorum, divinam misericordiam collaudantium. Quia plures aderant, quos dies illa Dominica circa monasterium exoccupatos tenebat. Ergo abbas, qui ejus ereptioni, quantam potuit, adhibuerat diligentiam, assidens mulieri, monuit de confessione; qua audita et ei pœnitentia injuncta cum magno multorum gaudio dimisit ad propria.

XXXIV. *et injustus possessor, facta restitutione, sanatur.*

72 Miles quidam, nomine Ludovicus, habitans juxta aquam, quæ vocatur Rubenecke, prædium quoddam sibi adjacens Garstensis ecclesiæ, suæ proprietati iniqua dominatione attraxerat : quod cum aliquandiu divina tulisset patientia, illeque F tanta, ut stultus et insipiens, abuteretur clementia, nulla ratione volens dimittere, quod invaserat, percussus est paralysi, atque diuturnæ injectus afflictioni. Non dimisit ille allodium *h*, nec dimisit eum pœnæ conterentis incommodum. Tandem in se reversus, compulsus est cogitare : quia durum sit contra stimulum calcitrare. Ergo ubi continuæ valetudinis adeo debilitatus est attritione, ut prorsus inutilis, nec spem vitæ ullam haberet, consulentibus suis, ad monasterium se duci fecit, atque in conspectu abbatis Chunradi *i* et monachorum, publicato reatu suo, idem prædium super reliquias juxta tumbam B. Bertholdi resignavit, rogans cum fletu, clementer sibi indulgere, quod tanto tempore bona præsumpsisset S. Mariæ *k* violenter possidere. Igitur percepta ab abbate indulgentia, ex præsentia Spiritus sancti, et præsentium fratrum conniventia, positis ad memoriam Viri Dei cum sui pensatione *l* oblationibus, modicaque refectione accepta, domum

A mum reductus est, atque in brevi ita melioratus, quod et incedendi et equitandi facultate potitus est.

ANNOTATA.

a *Satis clare hic indicat auctor Vitæ, se fuisse testem oculatum quorumdam miraculorum, quæ post B. Bertholdi mortem contigerunt.*

b Ferula *apud mediæ ætatis scriptores ponitur pro scipione. Hinc apud Leonem Ostiensem lib.* 3 *cap.* 65 *legitur* ferula abbatum.

c Cella *inter alias significationes sumitur pro ambitu interiori monasterii. Potest hic pro ipso nosocomio vel ejus ambitu accipi.*

d *In Commentario prævio num.* I *ex his verbis collegi antiquum B. Bertholdi cultum.*

e *Hic in editione Salisburgensi iisdem characteribus et sine ulla distinctione sequebantur hæc verba :* Apparet hinc non longe post obitum beati Patris in ejus memoriam sacrificatum fuisse. *At istius editionis curator postea inter errata notavit, hæc verba perperam in textum irrepsisse, ubi in* B *annotatione fuerant collocanda.*

f *Guntherus ille in Chronico Garstensi non memoratur. Attamen ex diplomatibus Garstensibus, a Ludewigio editis, tomo* 4 *pag.* 193 *patet, in cœnobio Garstensi fuisse istius nominis abbatem. At hactenus ignoro, quo tempore istud monasterium gubernaverit : nam annus* 1120, *a Ludewigio aut alio ad marginem notatus, non potest illi convenire, cum* B. Bertholdus *eo tempore fuerit abbas.*

g *Ex hac loquendi forma in Commentario prævio num.* 17 *conjeci, scriptorem Actorum fuisse cœnobitam Garstensem, atque ob eam causam in titulo Vitæ posui :* Auctore anonymo subæquali, forte monacho Garstensi.

h Allodium *vel* alodium *idem est quod prædium aut alius fundus, ut fusius videre licet apud Cangium in Glossario.*

i *Opinor, hunc esse Conradum, de quo Chronicon Garstense apud Pezium tomo* 2 *col.* 145 *ad annum* 1182 *ita habet :* Piæ memoriæ Chunradus, Garstensis abbas, x Kalendas Novembris obiit in Christo. *Ex hoc mortis anno confirmantur ea, quæ in Commentario prævio num.* 13 *dis-* C *putavi.*

k *Cœnobium Garstense erat dedicatum sanctæ Mariæ. Hinc vocantur* bona S. Mariæ, *quæ miles ille injuste possidebat.*

l *Editor Salisburgensis in annotatione ad vocem* pensatio *multis disserit, putatque, ea significari certum corporis situm circa Beati sepulcrum. Si genuina sit lectio editionis Pezianæ, non multis disputandum est, cum ibi pro* sui pensatione *legatur* cum suæ devotionis oblationibus.

CAPUT VIII.

Diversa beneficia opem Beati implorantibus collata.

xxxv. Duo viri, emisso voto, sanitati restituuntur;

Vir quidam de Zwetel, cujus nomen, quamvis ipse se nominaverit, modo non occurrit, gravi per quatuor annos deprimebatur infirmitate; nihil suarum rerum disponere, imo, nec de lectulo suo, nisi adjutus, exurgere valens. Cum ergo miserabiliter angustiaretur, et jam mori magis placeret, quam tormentuosam ducere vitam; votum fecit Deo, et B. Bertholdo, quod sepulchrum ejus cum omni devotione visitaret, si in ejus consolatione, sua sancta merita commendanda declararet. Quod ubi vovit, pietas divina protinus affuit homini, exoptatam afferens consolationem, atque ad voti sui clementer dirigens persolutionem : nam convaluit de infirmitate, fortisque factus, memoriam beati Viri adiit; et quæ sibi Sanctus fecisset bona, custodi ecclesiæ, et aliis, qui præsentes erant, retulit. Igitur posita oblatione, reversus est, cum lætitia cordis exultatione : „ Miser, inquiens „ sui, et miserabilis; nunc, potens sum, et fortis. — *A Anonymo*

xxxvi. sed unus votum negligens in morbum relabitur, et pœnitens iterum sanatur

74 Miles quidam in valle Anesi *a* graviter ægrotabat. Iste ob salutis desiderium votum fecit ad B. Bertholdum. Statim salutem consecutus est, sed immemor sponsionis, imo oblitus fidei et beneficii Consolatoris, quod promisit, mentitus est. Secuta est ergo ultio digna recidivæ infirmitatis, infidelitatis arguens miserum : et quod nemo mentiri Deo debeat, manifeste oculis ejus anteponens. Rediit ergo prævaricator ad cor : et audiens Guntherum *b* abbatem ad easdem devenisse partes, ut se visitare dignaretur, studiose per nuntium exoravit. Confessus est ergo reatum suum; iterumque si sanitati redderetur, memoriam S. Patris se devotissime expetiturum promisit. Misit etiam per eumdem patrem, quos ante promiserat denarios, obnixe postulans, quatenus suæ anxietatis clementer memor esse dignaretur. Reversus domum abbas, oblationem infirmi super sepulchrum Viri Dei posuit, causamque fratribus exponens, ut ægrorum orationibus adjuvarent, admonuit. Post aliquot dies venit idem miles, non jam infirmus, sed melioratus et sanus, prostratusque Sancto Dei gratias egit paternæ ejus miserationi. — E

xxxvii. Nepos Beati graviter pede læsus

75 Nec silenter prætereundum, qualem Vir Domini abbati Chremsmünster domino Oudalrico *c* in sua infirmate exhibuerit gratiæ dignationem. Nam cum adhuc in Garstensi cœnobio, antequam in fratrem *d* assumeretur, sub abbate militaret, quadam die de refectorio exiens, de gradibus ejus improvise corruit, non quidem alto casu, gravi tamen et periculoso, quia, talo de loco suo moto, tam graviter dolere cœpit, quod non nisi deportatus inde abscedere potuit. Quem casum tumor protinus secutus, multis diebus incessum viro negavit; sed cum mœrore pariter, et dolore deficeret, et neque minutionibus *e* neque medicamentis proficeret, ad reparationem, dixit ad semetipsum : „ Nonne apud sepulchrum domi- „ ni et Patrui mei frequenter experti sunt infir- „ mi, quantum honorandus sit, quantumque de „ dulcedine ejus sancta præsumendum? Quare ergo „ negligo me ipsum? Quare ibi, sicut ceteri, non „ quæro consolationis auxilium? Forte mihi et hoc „ specialiter apud ejus valebit misericordiam, quod „ patruus meus est, quod a puero in spiritalibus „ studiis educatum, singulari et unica pietate fo- „ vere consueverat. „ — F

ad Patrui tumulum curatur,

76 Hæc secum volvens, statimque pro quærendo apud sancta ejus ossa suffragio baculis suffultus, exire tentavit. Veniens igitur ad limen domus, sibique nimis altum reperiens, cum infirmum levaret pedem, offendit ipso limine, et iterum cecidit, jacens in eodem loco, sui prorsus impotens, usque dum patres * de mensa surgentes

* *al.* fratres

A ANONYMO surgentes invenerunt ita jacentem, et ad lectum reportaverunt. Postea eodem limine usque secus terram exciso, et ad egressum infirmi complanato, accessit ad tumulum, cum difficultate tamen : positoque super tumbam pede, cum orasset breviter, virtutem superni sensit solaminis, rediensque inde, et ex hoc melius habere incipiens, in brevi ad incessum et salutis integritatem reformatus est.

XXXVIII. *Ibidem puella cæca*

77 Accidit quoque, ut quædam mulier cæcam filiam in sacratissima die Assumptionis sanctæ Mariæ ad monasterium afferret. Cumque de memoria S. Patris cum eadem infantula minime recederet, positisque oblatiunculis, non statim sequeretur consolatio, sed aliquantulum differretur, timens mulier se non exauditam, dolensque fructu sui privari laboris, cum jam cogitaret abire: " O, inquit, sancte " Pater, cur me miseram de tua benignitate mul- " tum præsumentem non exaudis ? Cur abire, spe " cassata, permittis ? Cum multa fiducia tuæ pater- " næ consolationis adveni : et ecce plena mœroris " cum confusione revertor. "

B *illuminatur;*

78 Hæc matre cum gemitu prosequente ; puella missam manu candelam sepulchro tulit. Illaque interrogante, an videret, quod tenebat, bene se videre respondit. Mox sumptam in brachia, currensque in chorum, cum lætitia dominis publicam Missam cantantibus cum ingenti gaudio præsentavit : " Hanc, inquit, domini mei, lucis " prorsus expertem huc adduxi ; et ecce patro- " cinio Sancti Dei promerente, desiderabiliter " sua illuminatione præcordia mea lætificat. " Gaudent omnes, exultant universi, magnifice de sui patroni, beati videlicet Bertholdi virtute, et in hoc præclaro miraculo certificati, et quia turbam multam, quæ convenerat ad diem festum, gratia hæc latere non poterat, ut puta in præsentia omnium exhibita, omnes ad sua cum hoc quasi desiderabili sui laboris fructu lætissimi remearunt.

XXXIX. *muta loquelam recipit.*

79 Item in Assumptione S. Dei Genitricis, alia mulier cum filia fere per biennium nihil loquente, ad sepulchrum beati Viri venerandum, simul et pro quærenda ipsius sanctissimæ Virginis misericordia advenit. Quæ cum mutam suam juxta tumbam, ut moris est, pensasset *f*, fusaque oratione aliquantulum differretur exauditio, tulit etiam ad principale altare in honore sacratissimæ Dominæ nostræ consecratum, ibique similiter pensatam dimisit, quasi per horam superni muneris solamen expectare. Post modicum, miserante Domino, suamque gratiam declarante, consolata est puella ; farique incipiens : " O, inquit, quan- " ta hic est pulchritudo, quantus decor domus " Dei ? " Quod audiens de prope matertera ejus, dixit matri, locutam esse puellam. Adsunt fratres et plures alii adhuc superstites ejusdem miraculi, non contemnendi testes. Mater ergo juvenculæ, et qui simul aderant, gratias summæ referentes pietati, cum gaudio ad propria reversi sunt desiderabiliter consolati.

f C

XL. *et operarius ex alto loco delapsus mire conservatur.*

80 Tectum majoris ecclesiæ instauratione opus habebat, quia vetustate dissolutum, inundantiis imbrium resistere non valebat. Cum ergo tegeretur, scala erecta erat de inferiori tabulato ad superius tectum, per quam tegulæ sursum deferebantur. Ibi inter portantes, inimico insidiante, scurrilitas fomitem invenit, uno alterum impellente, et per scalam deorsum currere compellente. In quo decursu, unus eorum de scala super tabulatum, eoque effracto deorsum super nudum pavimentum ita horribiliter cecidit, ut audito a monachis casu, de claustro in chorum currerent, et miserum jam versum in nigredinem, atque tumoribus invasum, timentes ne sibi inter manus exspiraret, exportarent. Et cum tanta esset præcipitii immanitas, ut mirum valde videretur, quod non statim mors secuta est ; ita adhuc vivit incolumis quod et omnium gaudet integritate, membrorum, et tam horrendæ ruinæ omnino caret indiciis. Cui hoc adscribendum est, nisi præcelsæ et incogitabili Dei Genitricis pietati, super nos vigilantis, sibique servientium vitam salutemque negligere non valentis? Ante ipsiusnamque sacrosanctum altare famulis ejus, et in ipso servitio corruens merito gratiam sensit protectionis, adjutus nimirum et beati Capellani ejus meritis in eodem monasterio sepulti, suæque virtutis potentiam multifariam declarantis *g*. D g

ANNOTATA.

a *Est tractus circa Anasum, de quo fluvio supra egimus in Annotatis post caput* 2 *littera* h. E

b *Is est, ni fallor, idem Guntherus abbas Garstensis, de quo capite præcedenti actum est.*

c *Iste etiam est idem Udalricus, de quo superius post caput* 4 *in Annotatis littera* d *aliqua diximus.*

d *Uterque codex Ms. Mellicensis pro* fratrem *habet* patrem. *Hæc autem multum differunt : nostra enim lectio indicaret, id Udalrico contigisse, antequam statum monasticum fuisset amplexus, et cum in monasterio tantum habitaret, in quo a pueris vixit, ut supra vidimus in nota proxime citata. Altera vero expressione significari posset, id factum esse, antequam abbas Cremifanensis eligeretur. Utra autem lectio præferenda sit, nescio.*

e *Sicut sanguinis minutio significat venæ incisionem, sic forte hic* minutio *indicat tumoris incisionem, qua sanies aut tabum minuitur, nisi malis, hic vocem* sanguinis *subintelligi,* minutionibus *designari ipsas venæ incisiones.* F

f *Videtur hic verbum* pensare *accipiendum esse pro collocare, ut editor Salisburgensis post caput præcedens littera* l *vocem* pensatio *explicuit. Sic consequenter paulo inferius* pensata *pro* collocata *accipi potest, cum huic significationi sensus non repugnet.*

g *Ob rationes in Commentario prævio num.* 13 *allatas censeo, quod auctor anonymus lucubrationem suam non ulterius produxerit, quamvis Pezius illi etiam sequens miraculum adscribat.*

ALIA MIRACULA

Ab anonymis variis paulatim priori lucubrationi addita.

Ex editione Salisburgensi ac Lipsiensi desumpta.

Erat apud Wolvaren quidam rusticus liber homo, Rudolphus nomine, qui tanta insania arreptus, ut affines ejus, uxorem et liberos XLI. *Rusticus amens.*

A ros prædicti rustici custodirent, ne ab eo interimerentur. Hic per abrupta montium, per concava ac devia sylvarum die noctuque laborans non quiescebat, nisi eum ubi lassitudo corporis quiescere coegisset. Contigit autem hunc quadam nocte cum servis domini Marquardi, *a* bonorum omnium memoria digni, tunc Glunicensis cœnobii abbatis, sed postmodum in Garsten in patrem assumpti, vigilias noctis super equos jam præfati patris agentibus, manere. Qui servi, propter timores nocturnos et insanum pariter commanentem, terminum in modum coronæ sibi circumdabant; quem terminum signo sanctæ Crucis diligentius signabant.

post varias dæmonum

82 Et ecce intempesta nocte canes teterrimi veniebant, latratusque magnos in locum signatum dabant; sed minime terminum transgredi præsumebant. Servis vero hæc aspicientibus, et finem rei præstolantibus, ille, ab eis saliens, circulum signatum transgressus est, ac ab iisdem canum infernalium aggregationibus, in morem
B leporis vel alius feræ infestatus est. Hanc infestationem ipsi in tantum audierunt, quantum longitudo terræ eos audire concessit. Die itaque insecuta, cellerarius *b* prætaxati videlicet Glunicensis cœnobii, causa curæ sibi creditæ, summo diluculo claustrum egressus est; ipsum insanum arboremque spinæ proceræ staturæ, quam secum demens ille asportaverat, pro foribus invenit; " O domine cellerari, su- " persedete equo isti : quia omni lenitati aptus " est. " Iterum inquit; " Quantos equos indomi- " tos ego custodivi in hac nocte? Si vobis pla- " cet, dabo vobis duos; sed nulli licet hoc scire, " præter nos. " Quod munus cellerarius renuit, eumque pransum ire jussit. Insaniam enim ejus omnes timebant; et ideo eum omnes repellebant Sed ipse licet insanus, necessitate tamen corporis compulsus, patrem, sicut omnes egentes, ita et ipse, sine intermissione adivit.

præstigias tolerat,

83 Idem iterum insanus, una nocte in domum cujusdam civis illius regionis intravit, et apud eum per tempus quiete sedit. Domino autem domus, locato *c*, et familia ejus soporis gratia locata; prædictus insanus stubam introiit, ignem
C copiosum ante furnum accendit. In stuba ipsa homines plures se locaverant; et actus ejus aspicientes mirabantur, atque timebant. Cum autem parvum tempus noctis præterisset, et ille contra ignem sederet; subito quidam domum equitando intravit, corpore fuscus; mitram in capite habens in duas partes divisam; pars una nigra, parsque secunda rufa. Cum quo etiam multitudo ovium venit, ita, ut et domum, et omne habitaculum replerent. Et dato leni susurro in aures miseri prænuntiati, egressus est. Post quæ homo ille surgens, furia plenus homines illos de accubilibus suis projiciens, et lectisternia eorum sumens in ignem posuit. Quo facto; omnes conclamabant. Quo clamore dominus domus expergefactus, de stratu suo exsiliens ad eum cucurrit dicens; " Quid est, domine Ru- " dolphe? quid facitis? " Querimoniam ma- " gnam habuistis, quod ovibus careretis, quare " non assumpsistis oves istas, quæ repleverant " omnem habitationem vestram? " Et hoc dicto, recessit ab eo velocius. Et phantasma illud insecutum est eum.

et multa insaniæ indicia exhibita,

84 Contigit autem, eumdem Rudolphum ad domum suam quadam die venire; eamque desertam, et nihil præter solum puerum, cujus pater ipse extitit, invenire. Quem arripiens in clausuram sibi tunc aptam posuit. Ipsam vero clausuram et ostia domus et se intra domum seris firmis observavit. Quæ cum cognovissent habitatores loci ipsius, quantocyus accurrebant, et januas domus aperire, puerumque de manibus ejus eripere festinabant, sed non valuerunt, serratura ipsoque insano obstante. Tandem domum ascendebant, et tectum fregerunt; et sic cum scala ad terram deponentes, fores aperiunt, domum intrant, huc illucque circumspicientes puerum non viderunt. Mox interrogaverunt eum; Ubi est puer? Qui non respondit eis verbum. Iterum, iterumque interrogabant eum, ubinam esset? Puer positus in abscondito, alta cum fletu dedit suspiria. Quam cum audissent et intellexissent, quia adhuc viveret, accedentes; ac de loco, quo absconditus erat, eum assumpserunt. Quo facto rursus accedentes interrogaverunt eum : " Quid vo- " lebatis agere de filio vestro? At ille dixit eis : " In sacrificium hunc cupiebam offerre. " At illi : " Maledictum sacrificium vestrum tali modo factum. " Consuetudo enim talis ei inerat, ut ubicumque ad E sacra loca devenisset, oratione ibi facta, quicquid habere poterat, offerebat.

tandem meriti B. Bertholdi ad mentem redit.

85 Hæc autem scripta ad gloriam et laudem nominis Dei, cui cura est de omnibus; qualiter prænuntiatum puerum de periculo mortis liberaverit, et istum a parricidio simul et homicidio custodierit, et de quantis eum miseriis postmodum salvaverit. Præfatus vero Rudolphus, ut supra dixi, limina Sanctorum sæpius adibat : sed sanitatem minime recepit : non quod omnipotens Deus, qui omnia misericorditer et mirabiliter disponit, electis suis quidquam deneget, sed ut manifestius daretur intelligi, quod eum dilecto suo B. Bertholdo curandum servaverit. In die itaque quadam a Salczburg veniens ad sepulchrum beati Viri, orabat, orationeque facta, apud se quærebat, quid offerret, sed minime invenit : tandem exutis calceis cum caligis Deo et B. Bertholdo ea obtulit : cujus meritis suffragantibus sanitati statim redonatus est.

XLII. *Mulier in somno monita sanitatem obtinet,*

86 Tempore Hadmari *d* venerandi abbatis circa annum Domini MCCV *e* in multorum præsentia B. Bertholdi operante precatu, vidimus miraculum dignum commendari memoriæ. In territorio Admuntensi fuit quædam mulier, quæ pluribus annis effluxis, tanta capitis totiusque corporis infirmitate fuit detenta, ut viribus destituta, pe- F dum funditus privaretur officio. Quadam vero nocte, dum jam taxata mulier, quam nimii doloris angor diu insomnem dederat, modici somni recrearetur beneficio, vox eam in visu noctis, virenti prato et florido jacere opinantem, taliter alloquitur : " Eja rumpe moram : baculo cominus " jacente suffulta, Garsten verte gradum; ibique " sancti Bertholdi prostrata mausoleo, implora- " bis auxilium : sanari non desperes; ejus prece " suffragante, sospes resilies : et si his monitis pa- " rere neglexeris, dies tuos nimirum in isto do- " lore consummabis. " Voce itaque audita, expergefacta mulier stupet. Quid agat intra se sæpenumero volutat; indagare proponit, ubi sit Garste, quis sit Sanctus, cujus nomen vel sanctitatis fama ad aures hactenus non pervenerat. Tandem promissa sanitate hilarizata, vocis hortamini obsecundare non refragatur. Impræsentiarum Sancti vovet visere sepulcrum. Facto itaque voto, ut promissioni certiorem fidem adhiberet, pedum plantas partim sensit solidari, et ab

EX VARIIS.

ab infirmitate aliquantisper alleviari se recognoscit. Infirmitatis igitur percepto levamine, iter statim arripit, infixa baculo Garsten allabitur, ecclesiamque ingressa, ad sepulchrum sancti Viri totam se fundit orationi. Deus vero in orationem humilium respiciens, nec spem mulierculæ in sancto suo Bertholdo positam cassari permittens, eam sanam, et ut cujuspiam infirmitatis numquam pulsata fuisset incommodo, prece sui Confessoris repedare concessit, recuperatæ sospitatis rem ignorantibus dante notam abscissa ibi coma et suspensa cæsarie.

XLIII. *et puella ad sepulcrum adducta*

87 Aliud quidem miraculum, quod sub silentio præterire fas non est, ad sepulchrum S. Bertholdi evidenter enituit, magna populi præsenti caterva. Dæmon callida et fraudulenta deceptione, animam in affectum malitiæ trahens per cogitationes et incentiva vitiorum, quibus plenus est, in quamdam puellam de Hallensi *f* confinio, suæ vim malitiæ inseruit. Puella itaque sui sensus impos, animi benevoli privata compendio, a patre et plerisque parentibus ad B comprovinciales ecclesias circumducitur, labore nequidquam impenso. Dæmon utique laboris eorum cassatione quasi lætus, nec suum tacitus dispendium per energumenam ita fatus est: " Stulti, quid " lavatis laterem? Cur verberatis aera? Hæc mea " est possessio, quamdiu a Garstensi Bertholdo non " cogar exterminari. " Quo audito, regentes puellam Garsten venire satagunt; ibique in orationibus triduo perendinati *g*, a B. Bertholdo præstolabantur solatium.

e dæmonis potestate eripitur.

88 Quarta autem die, gratiam a sancto Viro consequi desperantes, reducere puellam intendunt. Quoniam quidem ipso die celebranda erat ecclesiæ dedicatio, donec tantæ festivitatis peragerentur officia, reditum suum retardant. Incepto igitur Introitu, TERRIBILIS EST LOCUS ISTE, energumena juxta sancti Viri sepulchrum coacta jacere, horriferos emisit ejulatus et clamores. Dumque sanctum legeretur Euangelium, dæmon tam sancta verba audire insolitus, horride clamat, suumque prope sentiens affore exterminium, per dæmoniosam sua talibus ora solvit: " Meum adhuc habito domicilium: sed Ber" tholdi prævalente rogatu, actutum, licet invi- C " tus, faciam discidium. " Quid plura? Infra Canonem, effugato dæmone, puella sanæ mentis compos effecta, in sancto suo Bertholdo Deum magnificare non cessabat. Pater vero puellæ, cui diuturna amentia spem, quod resensaretur *h*, annullaverat, [ob] desideratæ rei eventum admodum gavisus, filiam spiritu blasphemiæ solutam Garstensis fecit ecclesiæ censualem *i*. Puella siquidem in posterum recidivare cavens, annuatim hilaris et devota censum pollicitum afferre huc usque non prætermisit *k*.

XLIV. *Textor quidam festum B. Bertholdi violans*

89 Præsidente venerabili domino Reinberto *l* Garstensi loco abbatiali dignitate, ad declarationem sanctitatis viri Dei S. Bertholdi, signum mirabile in oculis nostris enituit. Ne igitur, ut granum oppressum palea, nisi exquiratur, miraculum tam virtuosæ sanctitatis consistat exstinctum, ingenioli mei parvitas idipsum enodare decernit. Igitur cum jam revoluto anni circulo, memorabilis depositionis suæ dies fratribus in prænotato loco Deo militantibus, se celebrandam, ut mos est, exhiberet, contigit, ut quidam ecclesiæ illius plebesanus *m*, operi textili, quo sibi quotidiani victus alimoniam elaborare consueverat, assideret, nec condignam sancto D Viro, ut eum condecet, venerationem exhiberet, unde factum est, cum jam opus prætaxatum inchoaret, et stamini subtemen inserere vellet, sinistra manus ejus per omnes juncturarum compagines medullitus cœpit constringi, et magno doloris incommodo detineri. Qui illico ad se reversus, animo tenus volutabat, quod per hujusmodi præsumptionem, qua celebritatem memoriæ sancti Patris temeravit, divinæ ultionis in se provocasset judicium, et exinde tanti defectus gravedine se solebat coerceri.

punitur, et facti pœnitens ad tumulum Beati sanatur,

90 Nec mora, sub omni celeritate ab ipso venitur ad Garstense monasterium et paululum procidens, coram beati Viri mausoleo prosternitur, copioso ploratu simplicique prece divinæ pietatis expetens adminiculum. Qui longe ante Missarum solemnia preces sine intermissione ad Dominum fundens, dum jam verba S. Euangelii essent expleta, me *n* una cum fratribus ibi morantibus, ceterisque turbis populorum, qui pro veneratione S. Bertholdi advenerant, videntibus, omnipotens et misericors Deus, qui tribulatorum non despicit gemitum, et mœrentium non E spernit affectus, ad ostendendum suæ potentiæ miraculum, et ad majorem Sacerdoti suo glorificationem exhibendam, supra memoratum hominem a doloris sui mole liberavit, manusque pristinæ sanitatis beneficium recepit *o*.

XLV. *quod etiam rustico*

91 Item anno Domini MCCXLVIII, VI Kalendas Augusti, hoc est in die B. Bertholdi, accidit simile miraculum, sed magis famosum, quia res sibi similes magis sunt amabiles. Rusticus quidam habitans in monte Zauberg, citus ex oppido monasterii exiit die supra dicto, secaturus in silvam ligna ibidem: qui protinus manibus ambabus securi retenta curvatus fuit: tandem vicini venientes condolendo miserum ipsum eodem die planctu magno, ad monasterium Garstense, ubi non modica turba populi, ob laudem et gloriam beati Viri convenerat, ducentes * ipsum ad tumbam suam. Fit clamor et fletus magnus, tam a fratribus, quam etiam a secularibus obnixe omnibus tam laicis, quam confratribus, clementiam Dei deprecantibus, ut Deus meritis Viri Dei tribulatum dolore manuum clementer liberaret. Accedentibus autem quam pluribus, qui ipsi securim auferre de manibus tentaverunt, pauper ille intentis clamoribus se magis cruciari respondit. Post hoc intervallo convenienti, per preces fratrum et fidelium ibi existentium, solvitur miser a dolore manuum; securi, omnibus videntibus, in terram cadente, quæ in monumento in F testimonium Viri Dei, circa sepulchrum ipsius columnæ erectæ et testudine supportante appensa fuit.

* lege duxerunt

XLVI. *et aliis quibusdam evenit.*

92 Anno millesimo tricentesimo nono, VI Kalendas Augusti in parochia [Molone] attinenti ecclesiæ Garstensi in spiritualibus donis porrigendis, et in decimatione, ultio gravis, quam dicturus sum, eidem parochiæ mirabiliter evenit. Nam sole lucente clarius, et hominibus in campis frequenter laborantibus, in brevi secuta fuit tempestas grandinis maxima, adeo ut omnem illam parochiam, procellæ et grandines totaliter exstirparent, nec aliis parochiis circumjacentibus aliqua læsio videretur imminere. Quo facto, Dominica sequenti, convenientes plebesani in ecclesiam, voventes Deo et beato Bertholdo offerre illi cereum ad tumbam suam, medio tempore, quo divina peragerentur, arsurum, quam tamen candelam singulis annis ne deficeret, pie vellent

A vellent reformare. Qui parochiani venientes infra octavam ejusdem læsionis cum cruce et solemnitate cantus, ad monasterium Garstense genibus flexis, et orationibus fusis offerentes cereum Deo et B. Bertholdo, circa sepulchrum ejus perpetuo permansurum : nec non diem ipsius nisibus totis ab omni opere vacantem observari velle proclamabant. Hæc vero læsio huic parochiæ usque in præsentem diem amplius non evenit.

XLVII. *Minoritæ surdo auditus restituitur,* q r

93 Item anno millesimo trecentesimo vigesimo quinto, quidam frater Minor, nomine Otto de Sturenbergh, erat terminarius *q* in civitate Styra *r* et in confinibus ejusdem amplius quam per decem annos : contigit ut plaga surditatis in tantum percuteretur per multos dies, quod nec voces colloquentium, nec sonum campanarum maximarum auribus percipere quantumcumque posset; qui vadens in ecclesiam Styrensem tristis et dolens, et tam viri, quam mulieres ipsum accedentes, volendo peccata sua deflere signis manuum innuebant, sed repulsam patiebantur. Qui votum faciens Deo et B. Bertholdo intra semetipsum, et veniens ad tumbam Viri Dei cum lachrymis et oratione, ibidem voto suo promisso, quantum temporis gratia Dei viveret, ad persolvendum non cessaret. * Quem divina clementia, meritis sui famuli beati Patris Bertholdi pristinæ B restituit sanitati, usum audiendi plenarie conferendo *s*.

* *forte* cessavit

s

et Legenda B. Bertholdi in Hungariam defertur.

94 Item anno Domini MCCCXLV venit abbas Sifridus de sancto Benedicto diœcesis Strigoniensis Ungariæ a curia Avenionis, moram faciens propter lassitudinem in loco Garstensi per duas noctes. Qui videns et legens Acta beati viri Perchtoldi, petiit summa humilitate a fratribus ejusdem loci sibi rescribi Legendam præfatam : quia domnus abbas Michaël propter externas causas præsto non erat. Tandem domno Sifrido abbate sancti Benedicti Strigoniensis diœcesis recedente a loco Garstensi, tunc immediate supervenit domnus Michaël abbas ad monasterium suum Garstense. Audiens a fratribus, venerabilem patrem domnum Sifridum abbatem petivisse Legendam beati viri Perchtoldi pro descriptione; qui concito cursu misit sibi Legendam, itinere non longo a monasterio peragrante : quam venerandus pater domnus Sifridus cum magna reverentia suscipiens dixit, se portare ad monasterium suum, C et ibidem servare super aurum et topazion, perpetuo relegendam *t*.

t

95 Præterera quæ et quanta signa et virtutes Deus in dilecto suo capellano beato Perchtoldo a conscriptione suæ Legendæ usque in hodiernum diem operatus sit, volumina bina quantitate majora, Deo teste et conscientiis nostris, ad plenum capere non possent. Hæc autem scripta sunt, ut credentibus et ipsum pie venerantibus salus animæ et honor corporis hic et in æterna vita adcrescere feliciter mereatur : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen *v*.

v

ANNOTATA.

a *Videtur auctor hic de Marquardo, tamquam jam mortuo loqui, cum illum omnium bonorum memoria dignum dicat. Ut ut est, Marquardus ille Udalrico primo Glunicensis cœnobii abbati post annum* 1151 *successit, sicut tradit Catalogus abbatum Glunicensium apud Pezium tomo* 2 *col.* 329. *Deinde post annum* 1182, *quo Conradus abbas Garstensis obiit, verosimiliter ad monasterium Garstense transiit, de quo vide, quæ in Commentario prævio num.* 13 *disputavimus.* EX VARIIS.

b Cellerarius *idem est, qui* cellarius *sic dictus a cella seu promptuario, cujus cura ipsi incumbit.*

c Locato, *id est, ad somnum composito, ut ex sensu aperte colligitur.*

d *Iste Hadmarus anno* 1203 *electus est, ut in Commentario prævio num.* 12 *et* 13 *ex Chronico Garstensi dictum est.*

e *Hic annus in editione Gretseriana non exprimitur. Forte in hac editione Salisburgensi ex margine in textum irrepsit, vel ab aliquo posteriore Actorum exscriptore explicationis gratia additus est.*

f *Inter varias hujus nominis urbes puto, indicari Hallam in comitatu Tirolis sitam ad Œnum fluvium, quæ propterea ad distinctionem a Germanis* Hall in Innthal *cognominatur.*

g Perendinare *idem est quod morari. Unde Matthæus Westmonasteriensis ad annum* 1016 *hæc habet :* Patri, qui tunc Londoniis perendinavit, E nuntios dirigens. *Hic itaque* perendinati *idem est ac* morati.

h *Editio Salisburgensis quidem habebat* repensaretur; *sed forte est mendum typothetæ. Quare juxta Gretserianam substitui* resensaretur, *id est sensum reciperet vel ad mentem rediret.*

i Censualem *fecit, id est tributo obnoxiam reddidit, ut ex sequentibus clare apparet.*

k *Huc usque pervenit editio Gretseriana, ex Ms. Viennensi desumpta. Quapropter editor Salisburgensis monet, quatuor sequentia miracula ex Mss. Garstensibus excerpta esse.*

l *Istud miraculum contigit ante annum* 1227 *: nam Chronicon Garstense apud jam sæpe laudatum Pezium tomo* 2 *col.* 146 *sic habet :* MCCXXVII bonæ memoriæ Rembertus abbas Garstensis, XIII Kalendas Aprilis moritur. *Electus autem fuerat anno* 1218, *ut ibidem paulo supra dicitur. Hinc confirmantur ea, quæ in Commentario prævio num.* 19 *dixi de ætate secundi scriptoris, qui Acta et miracula B. Bertholdi in compendium redegit.*

m *Petrus Damianus lib.* 4 *epist.* 12 *utitur hac voce* plebesanus, *quæ videtur significare alicujus parochiæ incolam, quem vulgo* parochianum *vocamus.* F

n *Hinc patet, scriptorem hujus miraculi fuisse oculatum illius testem.*

o *Hic desinit antiquior codex Ms. Mellicensis, teste Pezio. Unde apparet, hæc miracula paulatim accrevisse, et successive cellecta fuisse.*

p *Hic pagus in editione Peziana diserte exprimitur, et in nostro exemplari editionis Salisburgensis manu adscriptus fuerat.*

q Terminarii, *inquit Cangius in suo Glossario,* apud Ordines mendicantes dicuntur, qui habendis per agros cuique conventui addictos concionibus destinantur.

r Styra *est vestustum oppidum in Austria superiore ad Anisum vel Anasum fluvium cum castro in monte adjacente, vix duobus milliaribus Germanicis distans a Danubio flumine in meridiem.*

s *Hic desinit editio Salisburgensis, cui in codice Ms. Mellicensi adduntur sequentia :* Quod tantum signum per ipsum fratrem Ottonem, quoadusque vixit, in sermonibus suis ad plebem recitatis, solenniter est proclamatum; cum tamen Ordines diversi se alterutrum raro soleant commendare.

A mendare. *Inepta hæc clausula nihil ad rem pertinet, cum soleant Ordines quantumcumque diversi beneficia sibi a Sanctis præstita agnoscere.*

t *Hanc postremam narrationem (etsi in ea nihil sit prodigiosum) ad posthumam* B. Bertholdi *gloriam ex editione Peziana adjeci.* D

v *Hunc epilogum etiam cum præcedenti historia Pezius ex uno codice Ms. Mellicensi addidit, ut in observationibus præviis sect.* 5 *testatur.*

DE B. PUERO HUGONE MARTYRE

A JUDÆIS CRUDELITER EXCARNIFICATO

LINCOLNIÆ IN ANGLIA

J. B. S.

ANNO MCCLV.
Cum tot aliis Judaicæ feritatis victimis

Execrandam *Judæorum perfidiam immanemque rabiem, Christi Servatoris odio, in pueros Christianos exercitam, jam toties in hoc opere detestati sumus, ut pigeat diram barbariem hic iterum meritis suis coloribus depingere.* B *Habes in Actis* XXIV *et* XXV *Martii,* XVII *et* XIX *Aprilis incredibilis Judaicæ hujus carnificinæ enormia monumenta, atque etiam mensis hujus* XII *æque horrendum exemplum; ut jam taceam in sola nostri Raderi Bavaria sancta novem æque furibunda specimina exhiberi: quibus hic aliud accedit infanticidium, non impune a rabidis tortoribus perpetratum, in puero Lincolniensi,* Hugone *nomine, cujus historia ab Anglis scriptoribus, secundum adjuncta sua omnia, tam evidenter demonstrata est, ut de totius narrationis exacta veritate nullum dubium relinquatur. Eam Joannes Capgravius inter Sanctorum Angliæ historias in sua Legenda anno* 1516 *Londini excusa, satis accurare retulit fol.* 182 *ỳ et fol.* 183, *quam eamdem ferme ad verbum descripsit Matthæus Parisius in Historia majore ad annum* 1255, *ut frustra sit, historicos alios eamdem tragœdiam memorantes hic ordine recensere.*

puer hic refertur ex Capgravii Legenda

2 *De hoc beato puero* Hugone *tacent quidem Fasti nostri ecclesiastici et Martyrologia paulo vetustiora, neque in Anglicanis antiqua est ejus memoria, quam primus consignasse videtur Joannes Wilsonus, auctor Martyrologii gentis suæ anno* 1608 *editi, quem secutus est Ferrarius in* C *Catalogo generali Sanctorum qui in Romano non sunt. In ea, inquam, editione martyrium hoc die collocavit Wilsonus, quod in editione altera anni* 1640 *ad* XXIX *Junii retraxit, forte quia in Actis dicitur beatus Puer a Judæis sublatus circa festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: at non satis advertit, opinor, quod observarunt Majores nostri,* antequam potuerint adesse undique evocati Judæi, multum temporis elapsum esse; *ac proinde maluerunt ipsi* cum priore editione et Ferrario, nisi forte aliquis certior occurrat dies in antiquioribus Fastis, rem omnem differre *ad hunc* diem XXVII Julii, *ut de cultu sancto Martyri Lincolniæ exhibito, non videantur ullatenus dubitasse; neque mihi quidquam occurrit, quod me a tam insigni martyrio hic referendo prohibere possit.*

et Martyrologio Anglio Wilsoni.

3 *Sic igitur Anglice scripsit Wilsonus, quod hic Latine redditur:* Eodem die Lincolniæ, passio S. Hugonis martyris, qui cum puer esset decem annorum, a Judæis istius civitatis in contemptum Christi et Christianæ religionis cruci affixus est, et sic meruit eodem genere mortis coronari, quam Salvator noster passus est pro redemptione generis humani. Perfidi Judæi demortui corpus in obscuro loco sepelierunt, quod terra miraculose ejecit. Tum projecerunt ipsum in puteum, quod cum ibi etiam per miraculum a propria matre repertum esset, canonici ejusdem civitatis, cum magna veneratione et solenni supplicatione Sanctum ad cathedralem ecclesiam deportaverunt, et ibidem sacras ejus reliquias deposuerunt, anno E Christi MCCLV, regnante Henrico III Angliæ rege. *In ætate tantillum a Legenda differt Wilsonus; ceterum cum Majores nostri tam pretiosas victimas debito suo cultu privandas haudquaquam censuerint, nos sancti Hugonis Acta hic tuto proponenda existimavimus, quorum tam clara est series, ut ulteriori explicatione minime opus habeant.*

ACTA MARTYRII

Ex Capgravio.

Invitati Lincolniam ad immane facinus Judæi

Anno autem Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, circa festum Apostolorum Petri et Pauli, Judæi Lincolniæ puerum unum furati sunt, nomine Hugonem, octo annorum ætatem habentem. Et cum ipsum in quodam conclavi secretissimo lacte et aliis puerilibus alimentis nutrirent, miserunt ad omnes fere Angliæ civitates, in quibus Judæi degebant, et convocarunt de unaquaque civitate aliquos Judæorum ut, in F contumeliam et opprobrium Jesu Christi, interessent sacrificio suo Lincolniæ. Habebant enim, ut dicebant, quemdam puerum absconditum ad crucifigendum. Et congregatis multis Lincolniæ, constituerunt unum Judæum pro judice, tamquam pro Pilato, cujus judicio et omnium favore affectus est puer diversis tormentis.

miserandum in modum puerum excruciant:

5 Verberatus est usque ad cruorem et livorem, spinis coronatus, sputis et cachinnis lacessitus, et a singulis punctus cultellis, potatus felle, derisus opprobriis et blasphemiis; et crebro ab eisdem frendentibus suis dentibus Christus pseudopropheta vocatus. Et postquam diversimode illuserant ei; crucifixerunt, et lancea ad cor pupugerunt. Et cum expirasset puer, deposuerunt corpus de cruce, et nescitur qua ratione, eviscerarunt corpusculum. Dicitur autem quod ad artes magicas exercendas. Mater autem pueri, filium absentem per aliquot dies diligenter quæsivit, dictumque est ei a vicinis, quod ultimo viderunt puerum, quem quæsivit, ludentem cum pueris Judæorum sibi coætaneis, et domum cujusdam Judæi intrantem. Intravit igitur mulier subito

A bito domum illam, et vidit corpus pueri in quemdam puteum præcipitatum. Et caute convocatis civitatis ballivis, inventum est et extractum. Macer autem pueri, querula et clamosa voce, omnes cives, immo omnes convenientes, ad lacrymas et suspiria provocavit.

cujus corpore a matre dejecto

3 Erat autem ibidem nobilis, nomine Joannes; vir quidam circumspectus et eleganter litteratus, qui ait: Audivimus quod quandoque Judæi in opprobrium Jesu Christi Domini nostri crucifixi, talia non sunt veriti attentare, et capto uno Judæo, in cujus domum intravit puer ipse Hugo ludens, et aliis ideo suspectior: ait illi, Miser, nescis quia te festinus manet interitus: totum aurum Angliæ non sufficeret ad ereptionem vel redemptionem tuam. Verumtamen dicam ibi, licet indigno, qualiter poteris vitam tuam salvare et membra ne mutileris. Utrumque tibi salvabo, si quæcumque in hoc casu perpetrata, sine falsitate aut fraude mihi pandas. Judæus igitur ille, nomine Copinus, sic credens viam invenisse evadendi: respondit dicens; Domine Joannes, si dictis B facta compenses, pandam tibi mirabilia. Et animavit eum et incitavit ad hoc ejusdem Joannis industria.

captus Judæus et crimen fassus, in furcam agitur

4 Et ait Judæus: Vera sunt quæ dicunt Christiani; Judæi fere quolibet anno unum puerum in injuriam et contumeliam Jesu crucifigunt: sed non quolibet anno comperitur; nam occulte hoc faciunt, et locis abditis et secretis. Hunc autem puerum, quem Hugonem vocant, immisericorditer nostri Judæi crucifixerunt: et cum obiisset, et mortuum abscondere vellent in terra, obrui non potuit: nec abscondi. Perutile enim reputabatur corpus insontis augurio, ad hoc enim eviscerabatur. Et cum mane putabatur absconditum, edidit illud terra et evomuit: et supra terram inhumatum apparuit. Quo viso, Judæi multum abhorrentes, cum illud in puteum projecissent, (Deo volente) nec tunc occultari potuit. Nam mater pueri improba, omnia perscrutando, corpus inventum ballivis intimavit. Judæo itaque, præcepto præfati Joannis vinculis mancipato, canonici ecclesiæ Lincolniensis corpusculum sibi tradi petierunt et tamquam pretiosi Martyris venerabile corpus et sanctum honorifice terræ tradiderunt. Judæi vero decem diebus puerum infra sua habitacula clausum tenuerant, ut tot diebus lacte pastus atrocia perfidorum tormenta fortius tolerare posset. *EX CAPGRAVIO*

uti et plures alii Londinum ducti.

5 Increpavit autem rex Joannem præfatum quod tam flagitioso vitam, quam dare non poterat, pollicebatur. Cumque Judæus videret se nullo modo mortem evadere posse, ait: Imminet mihi mors mea, nec potest mihi Dominus Joannes perituro suffragari. Nunc omnibus vobis veritatem pandam. Morti hujus pueri, de qua calumniantur Judæi, consentiebant omnes fere E Judæi totius Angliæ et cujuslibet fere civitatis quidam electi, ad pueri illius immolationem, quasi ad Paschale sacrificium convocabantur. Et cum hoc et alia deliramenta palam enarrasset, ad caudam equi ligatus, ad patibulum trahitur et aëreis cacodæmonibus in corpore et anima præsentatur. Alii vero Judæi, hujus facinoris participes, quater viginti et undecim Londonias ducti carcerali custodiæ tradebantur. Facta demum per justiciarios regis inquisitione diligenti, decem et octo de nobilioribus Judæis urbis Lincolniæ pueri martyrio consentientibus: equis ad patibulum sunt tracti et postea suspensi, ceteris in arcta custodia reservatis.

DE B. NEVOLONO CONFESSORE

FAVENTIÆ IN ÆMILIA ITALIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

Cultus monumenta in patria, et Actorum candida simplicitas.

C

ANNO MCCLXXX. Noti ia loci in quo floruit Beatus.

Faventiam (Faënza) Æmiliæ, seu hodiernæ Romandiolæ (Romagna) spectabilem civitatem, episcopali cathedra sub metropoli Revennate insignem, ab antiquitate, nobilitate, potentia multisque aliis prærogativis fusius exornat Ughellus Italiæ sacræ tomo 2 a col. 510. *Pristini splendoris non modicum hodie deperiisse, notius existimo, quam ut hic pluribus commemorandum sit. Situm ejus geographi describunt ad Anemonem, aliis Hamnonem fluvium, qui ipsam, inquit Ughellus, dividit et alluit: nimirum dividit a frequentissimo vico, cum quo per pontem, nobiter turritum conjungitur. Paucis dixero, mediam esse inter Forum Cornelii (Imolam) ad occasum, et Forum Livii (Forli) ad ortum* X M. *passuum utrimque distantem, et* VIII M. *a confinio ditionis magni ducis Etruriæ in Septemtionem. Vasis suis coctilibus, ab ipsa urbe Gallice denominatis, (Italice vulgo majolica) hodiedum non parum celebris est, quamquam ex quo vasa Sinensia invaluere, æstimatione plurimum illa decreverint.*

F

in Fastis sacris ignotus.

6 *Gloriantur præcipue Faventini sacris Sanctorum corporibus, altero S. Savini, seu Sabini, Spoletini olim aut forte Clusini episcopi et martyris, de quo agendum erit ad* VII *Decembris: altero celebratissimi S. Petri Damiani ibidem vita functi, ut videsis ad ejus natalem* XXIII *Februarii. His accedit popularis* Nevolonus, *aliis* Novolonus, *seu* Nevolo, *opificio sutor, qui patriam suam multis insignium virtutum exemplis, peregrinationibus ac miraculis illustravit, usque adeo, ut, quamquam nullis sacris Fastis aut Martyrologiis, ne quidem fœcundissimis Ferrarii Sanctorum Catalogis inscriptus sit, ab hoc nihilominus opere excludendus minime videatur, quandoquidem pro ejus cultu ea adducuntur testimonia, quibus merito refragari nullus ausit, ipsius loci episcopis jam a seculo et amplius cultum ipsum probantibus, saltem evidentissime tolerantibus, quod in statu ecclesiastico, cui subest Faventia, haud quaquam passuram reor sac. Rituum Congregationem, si inter Beatos non agnosceretur, hic, quo de loquimur,* Nevolonus.

Ejus veri cultus argumenta

3 *Jam ab annis octoginta disertissime scripsit laudatus*

AUCTORE J. B. S.

laudatus supra Ughellus, citato ibi Italiæ sacræ tomo 2, *col.* 512, *dum de ecclesia cathedrali Faventina meminit:* Illustrium Sanctorum reliquiis exornatur: S. Savini episcopi Spoletini, ac B. Novoloni in cathedrali venerantur. *Tum vero col.* 535, *agens de Erminio seu Herminio Cardinale, hæc testatur:* S. Carolo Borromæo insigne sacellum in cathedrali construxit, ad cujus exemplar populus Faventinus alterum non minoris elegantiæ e regione, Deiparæ Virgini consecravit, ubi Cardinalis corpus B. Novoloni Faventini, ante ducentos annos *(voluit dicere ante trecentos et amplius)* defuncti, clarique miraculis honorifice condidit. *Patentissima hæc esse ecclesiastici cultus indicia, nemo, opinor, in dubium revocaverit, quidquid Ferrarius, ut iterum dicam, in colligendis totius Italiæ Sanctis diligentissimus, attentionem suam hic desiderari sit passus.*

ex variis adducuntur;

4 *Ughellum diu ante præcesserat Joannes Severanus in Pretiosis suis justorum mortibus anno* 1627 *Romæ editis, dum ex bibliotheca Vallicensi hoc breve elogium aut descripsit aut concinnavit ipse:* Nevolonus sutor Faventinus, cum ad de-
B crepitam pervenisset ætatem, et suæ dissolutionis tempus jam instare cognosceret, orans genibus flexis reddidit spiritum anno MCCLXXX. *Ad quod recte idem observat:* Infirmitate correptus Nevolonus, quasi flagello admonitus, neglecto lucri et pecuniæ desiderio, totum se Dei obsequio tradere decrevit. Unde sanitati restitutus, quas habebat facultates distribuit pauperibus; quibus etiam postmodum vetera reficiebat calceamenta. Jejuniis et orationibus intendit, S. Jacobi Apostoli patroni sui præcipui reliquias in Compostella decies visitavit: duodecies Romam ad Apostolorum veneranda limina venit; et virtutibus tandem ac miraculis clarus migravit ad Dominum. Ejus autem obitum campanæ indicarunt ecclesiæ, quæ, nullo movente, tunc sonuerunt.

etiam ex publica inscriptione,

5 *Confirmat hæc omnia Faventinus historiographus Julius Cæsar Tonduzzius grandi volumine posthumo, ab Hieronymo Minaccio, ejus nepote et herede edito anno* 1675, *ex quo hic potissimum desumam irrefragabile monumentum sacro ejus tumulo insculptum, quod antea Ms., sed hinc inde mutilum, ad nos transmissum fuerat. En ipsissi-*
C *ma verba, uncialibus litteris omnium oculis patentia ex pag.* 13.

B. NEVOLONUS DEI

QO * KL. AUG. M CC LXXX OBIIT.

* *leg. VI*

TESTANTUR CHARUM SUPERIS MIRACULA VIVENS

QUÆ FECIT, QUIBUS ET POST SUA FATA NITET

BEATUS NEVOLONUS FAVENTINUS PEREGRINATIONIBUS, ABSTINENTIA, DISCIPLINA, CARITATE, MIRACULIS CLARUS OBDORMIVIT IN DOMINO MCCLXXX EX * KAL. AUG. CORPUS EJUS HIC DIU CONDITUM HERMINIUS CARD. DE VALENTIBUS SUB PROXIMO S. MARIÆ DE POPULO ALTARE SERVANDUM STATUIT MDCXIV. UNIVERSITAS SUTORUM ET COD
RIARIORUM DIVO SUO ADVOCATO, IN SITU EODEM, UBI IPSE CLAUSIS VALVIS TEMPLUM NOCTU INGRESSUS ORARE SÆPE VISUS EST, MEMORIAM POSUIT, ASSENTIENTE CANONICORUM COLLEGIO, JULIO MONTERENTIO PRÆSULE MDCXX.

* *An non vi?*

et ex antiquiori teste

6 *Singularis, jam ab ipso obitu venerationis argumentum adducit idem Tonduzzius, dum pag.* 303 *in historiæ suæ serie ita Beati mortem consignat: Incidit (inquit Italice, quod Latine verto) in* XXVII *Julii felix transitus* B. Nevoloni *Faventini, clari peregrinationibus, abstinentia, flagellationibus et miraculis, quæ et in vita et post mortem operatus est. Sacrum ejus corpus in cathedrali depositum est, ut superius dictum est. Ita de ipso scribit Cantinellus synchronus, sed in eo errans quod Franciscanis eum annumeret. Cantinelli textus Latinus est hujusmodi:* MCCLXXX die XXVII Julii Nevolonus, Ordinis S. Francisci, de hac E
vita migravit ad Dominum, apud locum fratris Laurentii heremitæ Camaldulensis. Universus clerus civitatis Faventiæ cum populo et gente innumerabili levaverunt ipsum fratrem Nevolonum de illo loco, portantes cum maximo gaudio et honore ad majorem ecclesiam S. Petri, tamquam beatum sanctum Confessorem habentes. Ad ejus exequias interfuerunt cum Potestate, antianis et consulibus, et toto consilio cum cereis, et honore maximo ad Missam et Officium Dei cantandum et honorificandum corpori sancto prædicto: et hoc fuit die Dominico XXVIII Julii.

in paucul is corrigendo.

7 *Atque hæc Cantinellus et ipse Faventinus, in fide Tonduzzii hic relatus, cum Chronicon ejus de rebus gestis sui temporis nobis ignotum sit; ex cujus verbis, jam relatis consequens esset, ait Historicus, quod* B. Nevolonus *Ordinis S. Francisci Tertiarius, ut vocant, fuisset, id quod alibi negat, se usquam reperisse. Neque ego me id alibi legere memini, neque apud Arturum Martyrologum, in accumulandis Sanctis alias minime scrupulosum, neque apud alios Ordinis scriptores, qui certe nec ipsi Sanctos suos, cujuscumque clas-* F
sis solent negligere. Neque sane in tota B. Nevoloni *historiæ serie vel verbum occurrit, ex quo id eminus etiam educi queat. Ceterum hæc ad Beati venerationem dicta sufficiant, ne hic de xenodochio, ejus nomine insignito, aut de confraternitate, sub ejus auspiciis inchoata, et forte adhuc subsistente plura prosequamur: satis muneri nostro fecisse videmur, dum honores ecclesiasticos* B. Nevolono, *extra Faventiam vix noto, vindicavimus. Superest modo ut de Actis, seu de vitæ simplicissima narratione lectorem verbo moneamus.*

De Actis huc olim transmissis.

8 *Eam huc usque, quod sciam, saltem Latine ineditam, ad Bollandum olim transmisit, tunc, ni fallor, recens versam, noster Joannes Rho, sacris concionibus scriptisque variis eruditis operibus per id tempus tota Italia celeberrimus. Hæc epistolæ Idibus Maii* 1649 *datæ, quam præ manibus habeo, verba sunt:* Hinc ego beati Novoloni Vitam Faventiæ, in qua urbe Cinerale jejunium concionatus sum, ex Ms. codice Italico, ex variis antiquis monumentis compilatam, ab amico Latine simplici stylo redditam, Rev. vestræ transmittendam judicavi, ratus ab illa non haberi. *Dicere poterat, Majores nostros et* B. Nevolonum *et totam ejus sanctitatem omnimode ignorare:*

A *rare: rectissime certe censuit, ignotam, ipsis eatenus fuisse Vitam, quam proinde soli isti ecclesiastæ acceptam referimus. Simplici ac inornato stylo scriptam esse, legenti mox abunde patebit, solœcismis non carentem, quorum pauculos absque scrupulo emaculandos censuimus; notatis aliis quæ hic observari merebantur, totaque historia, more, nostro, in capita et numeros divisa. Medullam ipsam in citato brevi Severani elogio contractam esse, jam tute perspicies.*

VITA

Auctore anonymo,

Ex veteribus Faventinis monumentis collecta.

CAPUT I.

B *A prava adolescentia ope S. Jacobi conversus, operibus caritatis aliisque virtutibus elucet.*

Morbo ad Deum conversus a

Beatus Novolonus; id est homo novus *a*, qui activam, secularemque vitam in contemplativam mutare novit, in urbe Faventiæ natus, in patronum sibi elegit habuitque, in Gallæcia S. Jacobum Apostolum, quod ei causa fuit animum ad cælestia adjiciendi, a terrenisque avertendi. Hic, inquam, Beatus sutor fuit, et usque ad vigesimum quartum ætatis suæ annum in seculi vitiis versatus. Sed cum eum gravi morbo Deus afflixisset, menor illius dicti: Quos amo, arguo et castigo, valedixit pristinæ morum, vitiorumque consuetudini, et novum hominem induens, proprias facultates pauperibus largiri cœpit, viduis, pupillis ac inopia laborantibus, quos suebat calceos distribuens: cumque corium, ex quo novos faceret amplius non haberet; amoris Dei ergo, fractos usuque vitiatos resarciendo, suebat pauperibus.

C *solis caritatis officiis studet.*

2 His misericordiæ ac pietatis officiis intentus cum esset, ejus tamen præcipuum studium in cohibendo pravos luxuriæ sensus erat, tribus in singula hebdomada diebus jejunando, hac norma; ut in singulis, ab ecclesia assignatis vigiliis, solo pane et aqua contentus esset; insuper ut carnem magis magisque affligeret, statuit Sanctorum Petri et Pauli *b* Apostolorum ædes invisere; insuper et S. Jacobi *c* templum, quod in Gallæcia est, nudatis pedibus et humeris, quos ferrea catena in itinere flagellabat: cumque in via pauperes egenosque vestium reperisset, eos propriis tegebat, operiebatque, ita ut quasi nudo corpore remaneret. Ut pauper inter pauperes, ac mendicos dormitabat, cum ipsis sedere non erubescens.

Uxorem nimis infensam

3 His feliciter actis, dæmon uxorem Beati in ipsum concitavit, ut subortis hinc inde discordiis, charitas sancti Viri frigesceret. Conqueri siquidem ipsa cœpit, quod matrimoniali immunis esset consortio; quod nimis prodiga manu pauperibus bona distribuendo profunderet. At Beatus noster frequentes has uxoris querelas longanimi patientia, ac humilitate vicit, simulque dæmonis insidias, his artibus paratas elusit.

A Anonymo ex mss

miraculo sibi devincit,

4 Mendicus quidam cum eleemosynam a Dei Servo peteret, hic ad uxorem conversus ait; Vade, huicque misero panem unum saltem ne neges: quæ respondit, arcam pane vacuam esse: Beatus tamen instabat, cumque illa e contra panem in arca non esse affirmaret, addidit Beatus; In nomine Domini eos, et eleemosynam pauperi tribuas. Quibus verbis commota, arcam prius vacuam, vix aperuit, quin in ea maximam panis massam invenerit: quo viso, stupore correpta, se se humiliorem reddidit; quin imo post hoc miraculum, Romam una cum beato Novolono petiit, ut indulgentias, quæ in illa sancta Urbe consequi solent, obtineret; quo itinere absoluto, secunda vice S. Jacobum invisere Beatus noster statuit: quod cum uxor audisset, tacta pietate, ac religione, ab eo efflagitavit, ut ipsam in sociam sancti hujus itineris habere non recusaret.

et sociam peregrinationum

5 Quam cum accepisset, hæc in itineris processu morbo correpta est, adeoque viribus debilitata fuit, ut inceptum iter peragere nequiret; E in qua ægritudine sic Virum suum allocuta est: O si cerasa mihi manducare liceret, profecto ab omni infirmitate levarer; cui sic sanctus Vir respondit: Impossibilia postulas, nunc enim hiems sævit, in qua non modo fructibus, verum etiam foliis arbores destitutæ sunt. His dictis, precibus, et afflictionibus uxoris commotus, ab ipsa secessit, quantum geminato ictu manus lapidem projicere posset, et divina spe plenus, flexis genibus, ad cælum oculis sublevatis, sic Deum oravit: o Domine, rector ac omnium creator, cujus non est qui possit obsistere voluntati, Rex regum, ne avertas oculos a servo tuo, sed meam exaudi orationem pro uxore mea infirma, pro cujus sanitate has ad te dirigo preces, ut sana effecta, valeamus in hac vita, et in futura nomen tuum laudare in secula seculorum. Amen.

altero miraculo ægram sanat

6 Absoluta oratione, convertens oculos, vidit arborem, quæ ex improviso cerasa protulerat, quæ statim Sanctus collegit, uxorique infirmæ cum attulisset, vix illa gustaverat, ut repente sanaretur, sicque iter inceptum confecit: quo absoluto, domum reversi sunt ambo gratias Deo agentes, qui in eo sperantes non deserit. Post aliquod tempus uxor Beati mortua est. Tunc Beatus cuncta, quæ supererant, viduis, pupillis, ac F pauperibus donavit, deinde sanctorum Petri et Pauli Apostolorum templum invisit, Faventiamque reversus, instituit societatem, quam vocant Italice (de Battuti), *d* quæ usque ad præsentem diem ordinationes ab eo relictas servat. d

Variis ejus Faventiæ pia opera.

7 Multum deinde laboravit, ut Faventinos cives ad divinum alliceret cultum. In templo divi Petri in ea urbe orare consueverat, divinis diu noctuque adstando officiis ante aram, in qua sanctissimi Domini nostri corpus servabatur. Flexis semper humi genibus, palmis ad cælum erectis, diu orabat, ita ut canonici, et æditui, cum e templo ejicere vellent, eum amplius non viderent; quem tamen noctu Matutino adesse cernebant de more orantem, quod divina voluntate fieri cognoverunt. Post aliquod temporis spatium, tertio nudis pedibus humerisque, ut ei mos erat, ad S. Jacobum peregrinatus est; cumque cuncta pauperibus elargitus esset, ut jam diximus, templo vicinam quamdam cœpit habitare domum, quæ tunc temporis, cella fratris Laurentii *e* dicebatur, e

A. ANONYMO. EX MS.

cebatur, in qua cum aliis quinque fratribus in summa observantia ac austeritate vivebat, quo in loco monialium postea monasterium erectum est, quæ moniales Cellæ dicuntur. In eo loco vivebat Beatus noster, supra ligneam tabulam, sæpe etiam supra ipsam humum, modicum somnum libans, laneo panno crassoque indutus.

ANNOTATA.

a *Frigida sub ipsum principium interpretatio: deberet nomen esse* Noveluomo, *quod tamen passim scribitur* Nevolono. *Hinc styli simplicitatem facile advertis, ut similia imposterum observanda non sint.*

b *Quoties Romam iverit, non exprimit hæc Vita: alibi reperisse oportet Severanum, quod supra asserit num. 4, dum ait* duodecies *eo perrexisse.*

c *Peregrinationes Compostellanæ decem hic etiam enumerantur.*

B d *Si recte intelligo, confraternitas est pœnitentium, et in corpus suum sævientium, quales in Italia plures sunt, de quibus etiam alibi a nobis dictum est.*

e *De hac nimirum loquitur Cantinellus in Commentario num. 6.*

CAPUT II.

Post repetitas ad S. Jacobi Compostellam peregrinationes, piissimum obitum campanæ ultro sonantes annuntiant.

Ad S. Jacobi pergens periculo liberatur:

Quartam ecce arripit ad S. Jacobum peregrinationem, in quo itinere difficilem admodum cum offendisset locum, per quem transire ob viæ asperitatem non modo non licebat, ac ne retro cedere quidem: ad has redactus angustias erat, cum homo apparuit ephippiatum tenens manu equum, qui beatum Novolonum, ut ascenderet incitavit, quod cum fecisset Dei Servus, incolumis ad hospitium ductus est, ubi gratias Deo, et S. Jacobo pro viribus reddidit. C

dæmonem sibi insultantem vincit:

9 Quinto S. Jacobi templum visitabat, cum in ipsa via vocem audivit dicentem: Parcit Dominus illis, qui ad ipsum se convertunt, minime vero eis, qui se verberibus cædentes in se ipsos sæviunt; quam diaboli vocem esse agnoscens Beatus, acrioribus percussit verberibus ferrea catena, ut solebat. Sed dæmon cum nihil hac voce lucratus esset; Dei permissione, gravi ac terribili eum carnis tentatione aggressus est, qua cum nimis semper corpus suum inflammari sensisset, Beatus illico in flumen glacie concretum se immisit, ut ardorem infernalem ea frigiditate extingueret, nec inde exire voluit, donec omnem extinctum, divino præcipue auxilio, ardorem sensisset.

in alia peregrinatione leprosum sanat;

10 Sextum iter ad S. Jacobum susceperat, cum leprosum offendit, ab omnibus contemptum atque destitutum; quem Sanctus cum vidisset, memor misericordiæ in pauperes et ægrotos, pro Dei amore, hunc benigne amplectens, in primo occursu manus leprosi deosculatus est: quo vix acto, ab oculis ejus leprosus ille evanuit; quapropter semper magis in pauperes misericors, D et præcipue in infirmos fuit.

postea feminam convertit;

11 Septima in peregrinatione ad S. Jacobum hospitio acceptus fuit a quadam nobili femina, sed lasciviæ dedita, quæ cum in morbum incidisset, precibus Beati liberata est. Cumque eam morbo animæ curare studeret, toto Quadragesimæ tempore in eo loco mansit, pane et aqua contentus in jejunio; insuper ferrea se lacerans catena, humi dormiens, orationibus intentus, donec victa verbis et orationibus intentus, donec victa verbis et orationibus sancti Viri, tandem divino auxilio, femina illa pristinos mores abominata, sanctimoniæ studere cœpit.

tum cauponem;

12 Octavo ad S. Jacobum cum proficisceretur, fame quadam die victus, petiit a caupone, ut necessitati suæ subveniret unico pane: respondit caupo, ni nummum solvas, panem dare nequeo: quod si nummos non habes, ostiatim quæras. Hæc audiens Beatus, oculis ad cælum erectis, Dominum rogavit, ut necessitati suæ subveniret. Oratione absoluta, oculos ad terram convertens vidit nummum, quem accipiens cauponi dedit, qui panem tunc Beato tribuit, quo fami suæ consuluit; E in memoriam tamen illius reducens magnum Dei judicium, in quo interrogari debebat, utrum esurientibus panem dedisset.

deinde, et energumenum; postremo fontem purgans.

13 Cum nono in ipso ad S. Jacobum itinere esset, quidam e sociis, qui in eadem peregrinatione cum eo erat, a dæmonio obsessus est, cujus misertus Beatus noster, penula se exuens, obsessi eam collo imposuit: quo facto, statim liber a dæmone socius remansit. Postremo quo sancti Jacobi templum visitavit, ad præruptum locum pervenit, in quo fontem veneno vitiatum reperit, cujus aquam cum quidam homo gustasset, e vivis discesserat. Tunc Beatus Dominum oravit, ut aquam ad pristinum restitueret statum, serpentemque inde fugaret; quæ omnia ita ex votis contigerunt, ut viatoribus imposterum nullus bibendi ex ea aqua timor remanserit.

Mors ejus sonitu spontaneo innotescit.

14 His itineribus Dei amore absolutis, ætate confectus, diem suum postremum clausit plenus dierum, ac sanctarum virtutum. In domuncula quadam, prope monasterium monialium, quæ dicuntur de Cella, anno Domini MCCLXXX XXVII Julii exanime corpus ejus repertum est, quo tempore campanæ illius templi, in quo vivere, ac orare consueverat, mortis beati Viri, sono suo signum, nemine eas pulsante, dedere quo sono F a Priore audito, æditum misit, ut videret quid rei esset, cumque neminem campanas pulsantem vidisset, stupore correptus Priori nunciavit: qui accensis luminibus, flexisque in templo genibus, cum reliquis oravit.

ipse vero honorifice sepelitur.

15 Cum in hoc religionis officio versaretur, menti recurrit S. Novolonus, siquidem cum reliquis non erat: statim ad ejus cellam profecti, flexis genibus, ac quasi orantem viderunt; cumque eum vivere putarent, ut vocarent eum accedunt, sed corpus ejus moventes manu, mortuum cognoverunt: tunc campanæ a sono suo cessaverunt. Illico Prior episcopum de rei novitate admonuit, qui magna cleri ac populi turba comitante, in sanctam divi Petri cathedralem, quæ est in urbe Faventiæ, Beati corpus reposuit, ubi nunc marmoreum *a* habet monumentum, in a eoque altari, ante quod orare solitus erat, sancti Viri ossa quiescunt, continuis illustrata miraculis; inter quæ aliqua recenseamus.

ANNOTATIO

A

ANNOTATIO.

a *Fallor ni hic indicetur marmoreum monumentum, de quo loquitur data superius inscriptio, ut verosimile sit, quod istic etiam diximus, versionem hanc Latinam tunc adornatam esse, dum P. Rhp Faventiæ concionaretur.*

CAPUT III.

Varia ejus miracula recensentur.

Nicoletta uxor Lupi de Soporinis, societatis sancti Terentii, digitum detortum maximeque læsum cum haberet, ita ut nec medicamento, nec ulla incantatione sanare eum potuerit, die festivitatis B. Novoloni penulam Sancti tangens sana evasit.

17 Nicolaus filius Dominici de Puppinis, societatis S. Antonii, cum morbo incurabili in genu diu

B laborasset; pater ægroti cum preces pro eo fundi ante altare Beati curavisset, domum reversus filium sanum invenit.

18 Nicolaus Savorinus, societatis S. Michaëlis, cum filium morbo incurabili ægrotantem haberet, vovit se, filiumque Beato, sicque illum sanum reperire meruit.

19 Soloanus de villa Cæsati, dictus de Piretto, filiam jugulo laborantem, in quo quatuor foveas sanie fluentes habebat, cum vovisset se daturum Beato frumentum, statim sanata est filia.

20 Cum cujusdam Monaldini filius crus quatuor pestiferis foveis offensum haberet, imo in ipso vermis esset latens, pater infirmi cum imaginem Beati tabellæ impressam vidisset, filium suum ei commendavit; tunc somno captus puer, cum deinde excitatus esset, dixit se sanum esse, solvensque crus, vermem a plaga exivisse vidit, seque omnino sanum esse.

21 Alius Mazzoli filius a morbo itidem liberatus legitur, membris enim fractus erat ab ipsa nativitate; precibus matris.

22 Quidam, nomine Christophorus, societatis S. Severi, cum coleos admodum læsos haberet, audiens Beati nomen, miraculorumque ejus famam, vovit, se jejunaturum quolibet anno, solo pane et aqua se vescens in vigilia festivitatis Beati, insuper ceream candelam se oblaturum, si morbo liberaretur, statimque sanus factus est. A ANONYMO. EX MSS.

23 Margherita, uxor Gregorii cujusdam, accepta pulvere ad sepulcrum Beati, eoque læsum mariti pedem aspergens sanavit.

24 Eodem anno quidam puer a Monte Rodi maximo doloris capite * cruciatus fuit, et quodam die quasi exanimis ob fluxum sanguinis a naribus remansit, cumque mater filii pro eo oratum ivisset beatum Novolonum, domum reversa, e filii naribus quinque vermes satis magnos cecidisse vidit, cumque iterum in ipsis naribus pulverem a sepulcro Beati acceptum poneret, quatuor itidem vermes exierunt, quos diu vivos servavit, ut ipsis rei novitatem ostenderet, sicque puer sanus remansit. E

* *l. capitis dolore*

25 Gorius Rizardus cum filium ægrotum haberet, adeoque deploratum, ut jam candelas supra corpus ejus accendissent, tunc ille ante aram beati Novoloni ivit, ibique preces cum lacrymis pro salute filii fundens, domum reversus filium supra limen januæ stantem sanum [videt], quem tamen prius morientem reliquerat; nec ante aram Beati steterat, nisi quantum temporis satis fuerat ei ad Pater et Ave recitandum, vovendumque Beato quantitatem quamdam frumenti. Ob cujus miraculi magnitudinem gratias egit pater; quodque promiserat, adimplevit.

26 Vita beati hujus Viri desumpta est ad verbum ex Italico manuscripto cujusdam viri Faventini fide digni, qui eam ex variis schedis, et monumentis, quæ habentur a confraternitatibus et hospitali, simplici stylo collegit.

Narrationis simplicitas et scriptoris candor ubique patent; idque clausula ad calcem subjuncta, satis testatur: dolendum quod miraculis certa, quibus contigere, tempora addita non sint.

C

VIGESIMA OCTAVA DIES F

SANCTI QUI V KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Nazarius, S. Celsus — Martyres, Mediolani.
S. Victor Papa Martyr, Romæ.
S. Peregrinus presbyter, Lugduni in Gallia.
SS. Martyres Thebaïdos.
S. Theophilus, S. Auxentius, S. Prudentius, S. Philippus, S. Alexander, S. Zoticus, S. Bessia, S. Secunda, S. Macarius — Martyres Laodiceæ.
S. Septimia, S. Augusta — Martyres.
S. Eustachius Martyr, Ancyræ in Galatia.
S. Acatius Martyr, Mileti in Caria.
S. Innocentius Papa confessor, Romæ.
S. Auspicius episc. confessor. Tulli Leucorum in Belgica 1ª.
S. Ursus, S. Leobatius — abb. confessores, in agro Turonensi.
S. Camelianus episc. confessor, Trecis in Campania Galliæ.
S. Samson episc. confessor, Dolæ in Britannia Armorica.

A B. Gerannus episc., Autissiodori.
S. Irene hegumena virgo, CPoli.
S. Botuidus Martyr, in Suecia.
S. Raymundus Palmarius confessor, Placentiæ in Italia. D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

S. Guilielmi translatio *signatur in nostro Florario Sanctorum Ms.*, apud Bituricas; *quid pronius est, quam cogitare, agi istic de sancto archiepiscopo istius nominis qui colitur* x Januarii.

Sanctorum apostolorum et diaconorum Prochori, Nicanoris, Timonis et Parmenæ *memoria hoc die celebratur apud Græcos, cum Menæis magnis excusis; in quibus est canon acrostichus, versiculi et elogium. Vide quæ nos de iis jam* B *diximus diebus, quibus inscribuntur Martyrologio Romano,* x *et* xxiii Januarii; ix et xix Aprilis.

S. Tessanus frater S. Gibriani *hoc die a solo Camerario male efformatus et pejus relatus est, si fratrem S. Gibriam volebat dicere, scribere oportuerat* Tresanus, *eumque signare vero natali die quo inter Sanctos de eo actum est* vii Febr.

Memoria S. P. N. Cononis *inscribitur apographis nostris Sirmondo-Chiffletianis; quo indicari suspicamur synonymum abbatem monasterii Penthuclæ in Palæstina, a nobis datum die* xix Febr.

Certamen saucti martyris Quintiliani, Dadæ, Maximi, et Callinici *memoratur hoc die in Menæis magnis excusis, Menologio apud Canisium, et Ms. Taurinensi, quod tamen* Κιντιανοῦ *scribit. Tres primi habentur in Martyrologio Romano die* xiii *Aprilis; quo et apud nos videri possunt. De* Callinico *ibidem obiter injecta fuit mentio, eodem forte, qui satis celebris habetur et colitur die crastino. Adi itaque jam dictos dies* xiii Aprilis, et xxix Julii.

C SS. Gervasii et Protasii nativitatem *hoc die signavit Notkerus cum Nazario et Celso puero; quod adeo mirum non est,cum in Hieronymianis codicibus ea annuntiatio frequens sit, ut notat Florentinius; id Notkero peculiare, quod iterum in ipso eodem laterculo* commemorationem SS. martyrum Gervasii et Protasii *cum iisdem sociis repetat. Satis erat de sanctis istis* Gervasio *et* Protasio *egisse eo die quo in Actis nostris relati sunt* xix Junii.

Artemas Apostolus *signatur in Menæo Chiffletii; per quem haud dubie indicatur synonymus episcopus Lystrensis. Excerpta nostra ex Menæis Ambrosianis ponunt eum die* xxii *Junii; et alibi tunc eum referri diximus inter Prætermissos ad istum diem. Menæa magna excusa notant ipsum die* xxx *Octobris; at nos de eo egimus ad diem* xxi Junii.

S. Frederici elevationem capitis apud Trajectum inferius *celebrat hoc die, quo vere facta est, Florarium nostrum Sanctorum Ms. signans annum* 1382, *ubi scribere debuit* 1362, *ut vide mensis hujus tomo* iv *pag.* 454 xviii Julii.

S. Mayram *aliquam* virginem martyrem *casu reperi in Appendice partis* 2 *Antiquitatum Hispanicarum Francisci de Berganza, anno* 1719 *Hispanice editarum pag.* 544, *ubi occasione expugnati in Cantabria* municipii S. Mayræ, *hanc notulam addit quam ex Hispanica Latinam facio :* Celebratur memoria S. Mayræ virginis martyris xxviii Julii, ut constat ex Kalendario scripto in libro Etymologiarum S. Isidori, quæ servantur in monasterio de Silos, et ex duobus aliis libris ecclesiasticis ejusdem monasterii. E *Tam diserte asserenti fidem negare non ausim, tametsi vehementer mirer, Tamayi diligentiam Sanctam illam effugisse : opinor, quia Hispanam esse non censuit, quod nec ego ullatenus existimo : satis vicina est Cantabria Lectoræ vel Ausciis Galliæ, ut inde communicari potuerit cultus istius* S. Meræ *quam dedimus* xx Julii.

S. Hermolaum *hoc die perperam refert Viola Sanctorum, nos cum Romano de eo egimus* xxvii Julii.

S. Pantaleonis *memoriam hoc die in tot Martyrologiis referri nemo mirabitur, qui meminerit, in codicibus Hieronymianis, tum majoribus tum minoribus, passim signari, nos de eo cum Romano egimus* xxvii Julii

Raodimium martyrem apud Rhedones *nescio unde nobis eruerit Galesinius, ex quo ipsum se accepisse fatetur Ferrarius, qui* Rhaodinium *appellat; addens se* de eo nihil apud alios Martyrologiorum scriptores legisse, *quod et ego candide fateor, ut prorsus non capiam quid sibi velit Saussayus dum hoc die ita scribit :* Apud Redones in Armorica provincia, seu Britannia minori, natalis S. Radimii martyris, qui F pro fidei defensione depugnans, insigni patientia et fortitudine confessionem suam præclare confecit. *An ad* Rhaodinium *reduci possint quæ in duobus Hieronymianis parvis, sub* Riodomi *et* Riodani *confusionibus expressa sunt, haud facile dixero. Frustra equidem istius nominis Sanctum apud Armorico-Britannos diu quæsivi, quem alibi reperire nusquam poteram, ne quidem apud diligentissimum Sanctorum, præsertim Gallicorum, refossorem Castellanum. Nata demum suspicio, alterum forte sub corrupto nomine latere, quem mihi alicunde panderet magna Alberti Sanctorum Britannorum collectio, ubi cum* Riotismum *reperissem, ipsumque Rhedonensem episcopum, ordine septimum, haud dubium mihi fuit quin ipsum tenerem* Raodimium *seu* Radimium : *ut sola quæstio superesset, verene ut Sanctus coleretur, quemadmodum eum rotunde appellat Albertus. At dubium resolvit Castellanus, dum eum in suo Martyrologio universali pag.* 1001 *solo* venerabilis *titulo honorat, tametsi, inquit,* a Roberto Lingonensi et Sammarthanis Sancti appellatione decoretur. *Id certum*

A *certum est, in proprio Rhedonensi, quod apud nos exstat, anno* 1620 *excusum, nullam prorsus fieri de* Riotismo, *multo minus de* Radimio *memoriam.*

SS. Martyrum, quorum numerus Deo est cognitus, qui diversa tormentorum genera sustinuerunt. Primo flagris per omne corpus carpebantur. Secundo ad bestias trahebantur, adhibebantur leones, ursi, pardi et omne genus ferarum, et etiam tauri indomiti, et igne sunt cruciati. Præparabantur hæc omnia adversus cultores Dei. Tertio decapitati sunt. *Ita Viola Sanctorum absque ulla positione seu loco martyrii, ut quid velit, prorsus non queat intelligi, nisi hic obscure indicentur Martyres Thebaïdos sub Decio de quibus hoc die agimus.*

S. Leubarii abbatis Sempariensis *memoriam dum seorsim recolit hoc die Ferrarius, et in eodem laterculo* SS. Ursum Castrilocensem *et* Leobarium Senapariensem *subjungit, ignorantiam suam nimis quam aperte prodit, nam* Sempariensis *et* Senapariensis *idem ipse est* Leubarius *seu* Leobarius, *imo* Leobatius, *de quo hoc die cum S. Urso agitur.*

B SS. Nazaria et Celsa *in Hieronymianis nonnullis memoratæ, nomina haud dubie sunt ex* Nazario et Celso *per amanuensium incuriam aut ignorantiam efformata.*

Conscomani in Sicilia *reperitur in solo codice Epternacensi, pro quo Richenoviense legit* Cosconiani, *neutrum absque majori notitia admittendum putamus.*

Titus, *pro* Theophilus in Phrygia, *error est in codice contracto reginæ Sueciæ : ceteros aliorum codicum prætereundos potius quam commemorandos censemus : sic* Julia, Secunda et Januaria *in Corbejensi ex die præcedenti perperam repetuntur.*

Himerii *alicujus præclarissimi* antistitis *(episcopi an abbatis nescitur) elogium, Viro sancto dignissimum, concinnavit S. Apollinaris Sidonius lib.* 7 *cap.* 13, *quod scriptores nonnulli Trecenses sancto suo episcopo* Cameliano, *cujus nulla exstat Vitæ historia, aptandum, sed perperam, censuerunt, ut habes hoc die loco suo. Ceterum de* Himerio *isto nulla usquam, quod sciamus, in Fastis sacris exstat memoria, ut virum quantavis sanctitate eximium, inter Sanctos collocare nobis integrum non sit. Cum vero neque* C *temporis ratio sinat ipsum cum aliquo synonymo confundere, neque de loco aut die obitus quidquam traditum noverimus, id reliquum censuimus, ut saltem aliqua tam insignis antistitis memoria hic notaretur, eo die quo alias cum S. Cameliano confusum diximus.*

S. Philosophus martyr Alexandrinus, *hactenus anonymus, sive sub alio nomine* Nicetas *seu* Victor, *desumpta ab insigni victoria appellatione, ad hunc diem in Actis nostris remissus ex* I *Maii, is ipse est qui inter Martyres Ægyptios hoc die prædicatur, ut qui* præcisam morsu linguam in blandientis impudicissimi scorti faciem exspuerit *: de quo aliud non est quod hic seorsim referamus.*

Galinardum *seu* Alinardum, *ex* abbate Divionensi S. Benigni, archiepiscopum Lugdunensem, *a* XXVI *Aprilis, quo apud Ferrarium perperam memoratum invenerant, ad hunc diem, quo anno* 1052 *mortuus est, remiserunt Majores nostri. Ipsum inter* pios *mire laudat Saussayus, sed die sequenti, tum in Martyrologio tum in Supplemento pag.* 1151 *et* 1152. *Verum neutro die Sanctis aut Beatis adscriptum novimus. Vitam ejus edidit Mabillonius inter Acta SS. Ord. Benedictini tomo* 6 *parte* 2, *ubi* Halinardum *appellat, solo* venerabilis *titulo ipsum exornans.* D

Paulum *et* Helladium, *tamquam martyres, durissima supplicia propter fidei constantiam perpessos, hoc die anno ipso* 252, *apud* Flaviam Lambrim *in Gallæcia Hispaniæ nobis obtrudit Tamayus, miranda Acta contexens, quorum* ecphrasis partim ex relatis Juliani archipresbyteri Toletani verbis desumpta sit, partim ex epigrammate Ms., quod in vetusto codice Auli Hali invenitur. *Hos vero fontes, pessime olentes, jam toties cum stomacho respuimus, ut cramben eamdem denuo recoquere pigeat. Habes in Martyrologio Romano ad* XXVIII *Maii* Paulum *et* Helladium *qui cum Crescente et Dioscoride celebrantur.*

Quintinum Charlartium et Bernardum Oliverium *Societatis Jesu sacerdotes pluribus hoc die laudat Raissius in Auctario ad Natales SS. Belgii, ut viros plane apostolicos; de quibus hoc decerpsisse sufficiat, quod ambo Victimæ caritatis, juvandis proximis non solum opes ac labores,* E *sed vitam quoque propriam consecraverint : ambo Tornaci peste sublati anno* 1556, *atque ea causa conjuncti.*

Saxonis episcopi et confessoris, *et quidem* in Britanni majori, *legitur in Bellino editionis Venetæ anni* 1498, *sed crasso errore, ubi notanda erat* Britannia minor, *et non* Saxon, *sed* Samson, *de quo hoc die agitur. Emendatior est altera Bellini editio anni* 1521.

Matthæum eremitam *in Martyrologium universale transtulit Castellanus ex Fastis, ni fallor, Æthiopicis, a Jobo Ludolfo editis : nobis aliunde constare debet de talis eremitæ orthodoxia, sanctitate et cultu.*

Guicardus *seu* Guichardus, *ex abbate Fontiniacensi seculo* XII *archiepiscopus Lugdunensis,* Beatis *adscribitur in Kalendario Cisterciensi ab Henriquez, et Bucelino, sed prudentius a Chalemoto* memoriæ venerabilis *encomio solum decoratur, ubi inter alia asserit,* multa *ipsum* laude digna coram Deo et hominibus peregisse. F

Ægidium Villariensem, *a Chalemoto die præcedenti signatum, inter Prætermissos ibidem collocavimus, quod et hic facere cogimur, tametsi ab Henriquez et Bucelino* Beatis *etiam annumeretur.*

Manifestatio iconis Smolenicæ sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ Odigitriæ * *ponitur in Menologio Slavo-Russico, e Slavonico lingua Latine reddito a prænobili ac generoso Domino Joanne Gabriele barone de Sparwenfeld. Ædem sacram sub eodem nomine* Deiparæ Hodegetriæ *CPoli, pluribus illustrat Cangius CPolis Christianæ lib.* 4, *a pag.* 88.

* Hodegetrix

Giselbertus abbas Hemmerodensis *importune hoc die signatur a Menardo cum titulo* Beati : *melius Henriquez eum retulit* XVIII *Maii, quo die vide quæ in Prætermissis dicta sunt.*

Sancta martyr rore Chione auri amicta (βληθεῖσα) consummatur, *teste nostro Supplemento ex Mss. Sirmondo Chiffletianis : cui duo accinuntur versiculi. Verum cum ista Sancta aliunde nobis hactenus non innotuerit; satis esse duximus, illius hic meminisse.*

Notkerum Labeonem *in Supplemento ad hunc diem, ut venerabilem S. Galli monachum suggessit Castellanus, quem Beatum a Murero appellari invenerit.*

Commemoratio

A Commemoratio encæniorum templi sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, *est in Menologio apud Canisium. Locum determinat Menæa magna excusa, addendo* ἐν τοῖς Διακονείων; *de quo Cangius CPolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 87.

Maria Veneta, *tertii Ordinis S. Dominici, relata hoc die ab Arturo in Gynæeco cum titulo* Beatæ, *eumdem servat apud Marchesium in Diario, scriptores citantem qui de ipsa egerint, præsertim Razzium, quo ferme ductore, jam olim inquisiverunt Majores nostri, utrum Venetiis in monasterio Corporis Domini, ubi sepulta fuit, aliqua exstarent venerationis aut cultus monumenta. Ad quorum quæsita responsum invenio a R. P. Joanne Baptista Ectoreo, ibidem PP. Prædicatorum Priore,* II *Decembris anno* 1671, *non celebrari prorsus ullum de ipsa Officium, ullamve agi memoriam; nec imagines exponi, nec opem ejus implorari, nec patrata miracula, nec gratias per ipsius intercessionem collatas ad sua tempora recenseri. Addit præterea, non solum non honorari Mariæ istius corpus, sed et locum ignorari in quo tumulatum fuerit. Quæ*
B *omnia satis ostendunt, nullum ei locum in hoc opere concedi posse.*

Claram Siciliæ reginam, Neapoli *in S. Crucis cœnobio sepultam, ut* Beatam *annuntiat Cajetanus in Martyrologio Siculo, quod citat et sequitur hoc ipso die Ferrarius eodemque utitur nomine; eo nempe quo, abdicata Sanciæ reginæ dignitate, appellari ipsa voluit, jam Clarissis sanctimonialibus adscripta.* Sanciam *nihilominus, Roberti I relictam, signant Arturus in Martyrologio suo æque ac in Gynæceo, uti et Hueberus, insigni prorsus elogio eam meritissime ornantes, cui nihil deesse videtur præter Sanctorum honores, quos ei legitime delatos fuisse, necdum invenio; ut in nupera Virorum illustrium Ordinis S. Francisci collectione Flandrica, melius ab omni titulo abstineatur*

- Alexander Joannis *martyr in Ægypto*
- Petrus, Joannes *et alter* Petrus *martyres, Falezii in territorio Sagiensi*
- C Jacobus Manfredus *confessor, in Italia*

Titulo Beati *donantur ab Arturo in Marllio Franciscano.*

- Antonius a Leonessa *conf., apud montem Oderisium in Apulia*
- Franciscus a Turribus *conf. Compluti in Hispania*
- Joannes Ruizius *conf., in Castella*
- Onuphrius de Senis, *Narniæ in Italia*
- Petrus de Placentia, *ex Ordine Capucinorum, in Africa*
- Franciscus Halanus, *ex eodem Ordine, Dublini in Hibernia*
- *Item plures alii Capucini, qui pro anno* 1625 *enumerantur, sanctitatis excellentia et miraculorum gloria insignes*
- Robertus Siciliæ et Jerosolymorum rex, *ut maritus Sanciæ et fautor Ordinis*

Referuntur ab Huebero in Martyrologio Franciscano qui et in his et in aliis titulo Beati *abstinet.*

Sanctimoniales multæ cœnobii Fiscanensis a Danis seu Normannis cæsæ *sub littera S. referuntur a Menardo in appendice altera Martyrologii sui* D
Benedictini, quæ et eodem modo locum habent in appendice Saussayi Sanctorum incertæ diei: at plusculum ausus Arturus ipsas hoc die signavit in suo Gynæceo: nos certiora recepti cultus et festi indicia præstolabimur.

Montesia, *ut filia* Montesis, *de quo in Actis S. Sabigothonis et sociorum, die præcedenti relatis, obiter agitur, inter Sanctas hoc die ponitur in citato jam non semel Arturi Gynæceo. Verum tali auctoritate a nobis non admittitur*

Anna virgo, eximiæ auctoritatis et puritatis, in pago Basiliensi prope oppidum Columbariense *Beatis etiam ab Arturo adscribitur.*

Pater, mater ac duo filii *habentur in Menæo Chiffletiano; de quibus die crastina* XXIX Julii.

Callinici ἐν Γάγγρᾳ *meminit Menæum Chiffletianum; de quo* XXIX Julii.

Beatrix Nazarethana, *de qua hesterno die in Prætermissis egimus, hic in Florario Sanctorum Ms. refertur: jam notavimus, dicturos nos quid de ea censeamus* XXIX Julii. E

Constantinus patriarcha CPolitanus *notatur in Menæo Chiffletii; de quo videbimus die* XXIX Julii.

S. Anastasii martyris Salonensis translatio *celebratur. De eo dicta sunt aliqua dum ageretur de S. Domnio seu Domnino Salonitano episcopo et martyre ad* XI *Aprilis. Hic vero* Anastasius *in Romano Martyrologio signatus est* XXI Augusti.

S. Serapia *non hoc die sed sequenti referenda erat, ast ibi et hic remittitur ad* III Septembris.

Heliam abbatem Antinoi in Ægypto *nobis hoc die porrigit Ferrarius in Catalogo generali, ductorem assignans Canisium, in cujus Martyrologii editionibus an.* 1573 *et* 1599 *de* Helia *altum silentium. Rectius adducit Petrum in Catalogo ubi* Helias *refertur lib.* 8 *cap.* 64 *sed pro die* XI *Septembris. Nihil reperit Castellanus quo satis tuto Sanctis annumeretur: siquid nobis innotescat, quo ei cultus asseri possit, de eo agemus dicta die* XI Septembris.

Dorymedon quidam ex Synnadis, qui martyrium consummarit cum S. Trophimo, *occurrit inter elogia de S. Acatio martyre; ut videre est apud nos hac die* XXVIII *Julii, qua ipsum damus: ubi et hunc* Dorymedontem *non distinguendum censuimus ab illo, qui signatur in Martyrologio* F
Romano ad diem XIX *Septembris, quamquam utriusque tempora, prout ibidem notamus, non conveniant. Sed ea, quæ ex incidenti ibi dicimus, dicturi sumus ex professo quæ de ipso invenire poterimus, ad diem* XIX Septembris.

Arduinum *Angligenam, non in Anglia sed Ceperani in Campania coli diximus in Prætermissis ad* XVIII *hujus mensis, remisimusque cum Wilsono et Ferrario ad* XXV *Octobris. Dubium interim aliunde subortum est ex historia aliqua ab Antonio Vitaliano Urbini* 1645 *edita, utrum ad hunc diem non spectaret: quo circa Romam recurrimus, ut certiorem inde notitiam obtineremus. Ea vero cum necdum ad manum sit, cogimur et hic rem differre quo eam pridem distulimus; nempe ad* XXV Octobris.

S. Venera virgo et martyr Locrensis, sacris litteris erudita, *quæ* Evangelium per loca finitima prædicavit, *ac sub duobus præfectis cruciata, demum sub* Asclepio præfecto gladio percussa martyrium consummavit v Kal. Augusti, *hoc die notatur apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ* ex lect. eccles. Hieracen. *Vita anno* 1643 *edita est Neapoli sub nomine* S. Venerandæ, *quæ* vulgo dicta Venera, et a Græcis

A Græcis ἁγία Παρασκευή, S. Parasceue, nata Hieracii in Calabria in regno Neapolitano, virgo et martyr, ac prædicatrix euangelica, contemporanea SS. Apostolorum, *auctore* R. P. Fratre Simone a Spiritu sancto Carmelita excalceato. *Vitam quoque sub iisdem nominibus Sanctæ propriis Italice anno* 1645 *Panormi in lucem dedit D. Franciscus Gravina de Cruyllas; ex Breviario quodam* antiquissimo, *ut dicit pag.* 221, Siculo *amplificatam : sed utraque ista Vita rapsodiam potius nugatoriam et fabulosam, quam historiam ullo modo tolerabilem exhibet. Vita insuper libello Italo-Græco Venetiis anno eodem* 1645 *excusa prodiit, auctore Pantaleone Casano Chiensi. Habemus item duplex martyrium Ms., alterum quidem ex codice Ambrosiano f. N.* 112; *alterum vero ex cod. Vaticano* 1190 : S. Veneranda *etiam signatur* XXVI *hujus mensis in Sanctuario Capuano typis edito, pag.* 524, *tamquam* apud Galliam passa sub Asclepio præside, *quæ fuerit* filia Agathonis et Politiæ, *cum martyrio, quod coincidit cum eo, quod habet Petrus de Natalibus lib.* 10, *cap.* 61 : *qui citatur in notationibus ad Martyrologium Romanum die* XIV *Novembris, quo* S. Veneranda *ibi refertur. Interim longe intricatissima ac fabulosissima sunt, quæ isti Sanctæ attribuuntur, suo præbitura tempore amplissimam exercendæ criseos, qua summopere indigent, materiem; sive Sanctam ipsam (unicamne an plures?) sive vitæ institutum; sive peragrata loca; sive tempus ac modum, et reliqua martyrii adjuncta; sive Acta Græca, Latina et Italica consideres. Nos proprium ad hoc locum esse arbitramur, quo* S. Veneranda *inscribitur Martyrologio Romano* XIV Novembris D

DE SANCTIS MARTYRIBUS MEDIOLANENSIBUS

B

NAZARIO ET CELSO

E

ET DE SYNONYMIS EBREDUNENSIBUS FORTE ALIIS

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Cultus Mediolanensium Martyrum apud Latinos et Græcos; elogia.

SUB NERONE. *Memoria eorum apud Latinos*

Urbs *Mediolanensis, eximiis, quibus nobilitatur, ornamentis toto orbe celeberrima, ducatus sibi synonymi primaria, atque Insubriæ totius caput, peculiari quodam ac meritissimo jure gloriari potest suis hisce sanctis Martyribus, apud Latinos pariter ac apud Græcos notissimis. E latinis Fastis illos memorant apographa Hieronymiana apud Florentinium die* XIX *Junii his verbis :* In Med. natalis sanctorum Nazari, Gervasi, Protasi, et Celsi pueri. *Et hoc die* XXVIII *Julii sic*
C *habent :* In Italia civitate Mediolani, sanctorum Gervasi et Protasi, Nazari et Celsi pueri. *Die autem* XXX *Octobris ita annuntiant :* In Anticchia Januarii, Marciani, Nazari, Gervasi et Protasi et Celsi pueri. *Ne annuntiationum filum interrumpamus, quæ hoc loco observanda forent, tantisper differimus. Romanum parvum dicto die* XIX *Junii tradit ista :* Mediolani Gervasii et Protasii. Et commemoratio Nazarii et Celsi. *Præmiserat die* XII *ejusdem mensis :* Mediolani, Nazarii et Celsi, quorum inventio II Id. Junii; martyrium V. Kal. Augusti.

in antiquis Fastis sacris ac Martyrologio Romano.

2 *In Adone ad eumdem* XII *Junii hæc leguntur :* Mediolani, natale sanctorum martyrum Nazarii, et Celsi pueri. *Quo etiam die ejusdem Adonis elogium, mox a nobis recitandum, Usuardus sic contraxit :* Mediolani, natalis beati Nazarii martyris, quem Anolinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum et afflictum in carcere, cum quo sanctissimum puerum Celsum, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri jussit. Horum corpora, ut scribit S. Paulinus, cum usque ad tempora Honorii et Arcadii imperatorum latuissent, beatus Ambrosius Domino revelante reperit. *Quanam ergo veritatis specie neotericus Legendista Gallicus in collectione historica nostrorum Sanctorum ad diem* XXVIII *hujus tamquam ex tripode pronuntiat, quod* Usuardus.. ad XII Junii *non* fecerit mentionem de S. Celso; sed det alios ipsi socios, qui videri possint ad istum diem, et quorum renovet memoriam ad XXVIII Julii, jungendo ibidem S. Celsum? *Nam Usuardus noster disertissime, ut vidimus, ad* XII *Junii exprimit* S. Celsum : *die autem* XXVIII *Julii non meminit de ipso, nedum de* F *sociis : quamquam ejus et* S. Nazarii *commemorationem in ora codicis Pratensis apponi, inter Auctaria ibidem invenies; de qua re vide etiam observationes ad istum diem; ubi leges, codices quidem nonnullos tunc* Nazarium et Celsum *repetere;* verum hanc eorumdem Sanctorum repetitionem longe abesse ab Usuardina simplicitate. *Perperam etiam dicit idem Legendista, quod Usuardus ad* XII *Junii det alios ipsi Sancto Nazario socios; nam socii non sunt* Basilides, Cirinus *et* Nabor, *quos tunc apud ipsum legimus : tum quia ponuntur sub alia annuntiatione; tum quia, uti dicitur in observationibus,* ex vitiosa lectione Usuardus *istos* Martyres Romanos Mediolanum transfert. *Acta nostra ad eumdem diem tu consule. Annuntiatio Romani Martyrologii Usuardina contractior, et obvia est. Alias item recentes præterimus. Notum est Wandelberti hemistichium, quod hoc die panxit :*

Quintam Nazarius cum Celso possidet.

Datur elogium

3 *Ratio nunc habenda elogiorum; quorum illud est præcipuum, quod citatus Ado ex Actis delibavit, atque his verbis expressit :* Beati Nazarii pater

AUCTORE J. P.

pater Africanus; mater vero Perpetua, a beato Petro apostolo baptizati : ipse vero S. Nazarius a S. Clemente instructus et baptizatus est. Quem Anolinus sub rabie persecutionis, quæ per Nerorem excitata est, diu maceratum et afflictum in carcere, et cum eo beatissimum Celsum puerum *, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri jussit. Quorum corpora Christiani furati, quinto Kalendas Augusti sepelierunt foris portam, quæ dicitur Romana, in propriis hortis. Revelabant * autem se beatissimi Martyres quidam Ceratio nomine, cui uxor Fortunata, et per visum monuerant, se occultari propter rabiem persecutionis, quam Nero impius excitaverat. Latuerunt vero usque ad tempora Honorii et Arcadii imperatorum.

** Notkerus cum beatissimo etc.*

** Notkerus revelaverunt*

ex Adone:

4 Quos beatus Ambrosius, Domino revelante, reperit. Patefacto autem sepulcro, in quo jacebat corpus S. Nazarii (qui quando passus fuerit, ut scribit S. Paulinus, usque tunc temporis ignorabatur) viderunt sanguinem Martyris ita B recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscisum, ita integrum atque incorruptum, cum capillis capitis et barba, ut videretur eo tempore, quo levabatur, lotum atque in sepulcro compositum. Etiam odore tanto repleti sunt, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. Quo levato, et lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eodem horto positus erat, ad orationem sanctus episcopus perrexit, et * transtulit ad basilicam Apostolorum, quæ est in Romana. Inventi autem et translati sunt pridie Idus Junii : festivitas vero agitur de martyrio, quinto Kal. Augusti. Commemoratio etiam * eorum publica et celebris in die SS. Gervasii et Protasii a fidelibus populis frequentatur, et venerabiliter excolitur.

** Notk. addit utrumque*

** Notk. tamen*

cum notitia, cur Sancti diversis diebus colantur.

5 *Hactenus Adonis textus; quem integrum proferre visum est, tum ut generalis quædam idea Actorum, prout ea vulgo circumferuntur, lectori suggeratur, sequentibus paragraphis subservitura; tum ut inventionis ac translationis, de quibus mox pluribus, prævia quædam detur notitia; tum denique ut hinc elucescat ratio, cur diversis diebus nostri Sancti apud Latinos colantur; nempe* XXVIII *Julii, quo eorum corpora sepulta fuisse* C *traduntur;* XII *Junii, quo inventa et translata; et rursum* XXVIII *Julii, quo festivitas agitur, et juxta superiorem Romani parvi annuntiationem, dies etiam martyrii : ac denique publica ac celebris eorum commemoratio occasione SS. Gervasii et Protasii, die* XIX *Junii,* quasi sociorum, *sicut addit Notkerus Adoniani elogii descriptor,* synchronon: *id quod postmodum discutietur. Leviora quædam ex iis, quæ aliter habet textus Notkeri, notavimus ad marginem textus Adoniani. Cur vero in annuntiatione ex apographis Hieronymianis apud Florentinium* SS. Nazarius et Celsus *die* XXX *Octobris, et quidem* Antiochiæ *signentur, nos omnino latet; et cum eodem Florentinio in notis suspicamur,* ne post MARCIANUM et ante NAZARIUM, MEDIOLANI vox desideretur; vel pro voce MARCIANI, restituenda sit alia MEDIOLANI. *Sed tunc superest etiamnum difficultas circa diem* XXX *Octobris; cum apud Græcos colantur die* XIV *ejusdem mensis; uti planum fiet ex sequentibus.*

Veneratio eorum publica apud Græcos,

6 *Tunc enim* Nazarii, Gervasii, Protasii, Celsii *nomina inscribuntur Horologio Græco anni* 1607 ; *sed in Horologio anni* 1601 Nazarius M. *solus ponitur. Menologium ex interpretatione Sirleti a Canisio vulgatum, his verbis utitur :* Natalis sanctorum martyrum Nazarii, Gervasii, Prothasii, et ceteri * sub Nerone imperatore in urbe Roma post consummationem. sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, martyrii certamen subierunt etc. *Ast in Kalendario apud Genebrardum, Menologio Græcorum Basilii imperatoris apud Ughellum tom.* 10 *novissimæ editionis, inter anecdota ab Ughello edita col.* 275, *ac Menæis magnis Græcorum excusis quatuor dicti Martyres simul conjunguntur; quæ Menæa his ipsis aptant versiculos :* D

** forte Celsi, qui*

Τὸν Ναζάριον καὶ συνάθλους τρεῖς ἅμα
Θεῷ προσῆξε Ναζαρηνῷ τὸ ξίφος.
Σὺν τρισὶ Ναζάριος τμήθη δεκάτηγε τετάρτῃ.
Simul Nazarium cum tribus sodalibus
Conjunxit ensis Nazareno cum Deo.
Nazarius decima et quarta tribus additur ense.

Patet allusio in vocibus Nazario *et* Nazareno, *cujusmodi allusiones in eisdem Menæis non magno cum lepore pluries recurrunt.*

et Officium sacrum,

7 *Si quis autem videre desiderat Officium sacrum, quo ibidem Sancti honorantur; Joannes Petrus Puricellus historicæ suæ Dissertationi Nazarianæ, anno* 1656 *Mediolani editæ, illud inseruit cap.* 81, *ex communicatione, versione Latina atque observationibus nostri Simonis Wangnereckii sibi suppeditatum. Quæ in canone, per Josephum condito ibi dicuntur de reliquiis, infra dabuntur; quod habetur ode nona :* Ecclesia universa hodie, Sancti, benedictione quadam perfunditur, hanc solemnitatem vestram celebrando, *satis clare significat, publicam eorum venerationem die* XIV *Octobris tum honorifice celebrem, tum longe lateque extensam fuisse per universam ecclesiam Orientalem; id quod confirmabitur postea ex æde sacra in honorem* S. Nazarii *CPoli restaurato, ac reliquiis eo delatis.* E

nec non elogia; quæ tamen hic non dantur.

8 *Elogia de nostris Martyribus duo potissimum typis edita, et ex Græco in Latinum conversa circumferuntur; ambo, ut candide loquamur, parvi valoris : neque enim majoris esse possunt, quam sint ipsa Acta, e quibus contracta fuere. Et alterum quidem habetur in Menæis magnis excusis loco superius assignato; alterum in Menologio seu Synaxario Basiliano, jam memorato; utrumque latinitate donatum, quia legi potest, hoc quidem apud Ughellum; illud apud Puricellum locis citatis; et quia puncta quædam in decursu hujus Commentarii ex illis elogiis erunt excerpenda, occasione tum variorum attributorum, quæ Sanctis nostris imputantur, tum ipsorum Auctorum, quæ suo loco ad trutinam revocare conabimur; ideo operæ pretium non duximus elogia ista huc transcribere. Transeamus itaque ad alia, proposito nobis instituto magis accommodata; atque iis, quæ de cultu hactenus collegimus, ejusdem in Oriente et Occidente propagationem supperaddamus.* F

§ II. Inventio ac translatio a quo scriptæ; quo anno, die ac mense factæ.

Auctoris fides, munia, distinctio a synonymo Nelano.

Inter omnia, quæ circa nostros sanctos Martyres transmissa ad posteros fuere, antiquitatis monumentis, palmarem meretur laudem inventionis sanctorum corporum, nec non translationis historia; extracta ex Paulino, qui Vitam S. Ambrosii circa annum 411 *litteris mandabat; quique narrat*

A *narrat ea, quæ viderat ipsemet; præsens utique, spectator, testis et admirator rerum, quas narrat. Baronius Vitæ S. Ambrosii a se collectæ (quæ habetur ante opera istius sancti Doctoris anno* 1616 *Coloniæ Agrippinæ excusa) subjungit Vitam, auctore isto Paulino conscriptam; ac prius de ipso nonnulla præfatur, quæ compendio contrahimus. Diversum enim fuisse ab homonymo Nolano episcopo, probat Baronius ex utriusque stylo ac tempore contra nonnullos, qui eumdem fuisse existimarunt. Inter illos nobis videtur exstitisse Usuardus ad* XII *Junii, dicens in sua de nostris Sanctis annuntiatione :* Horum corpora, ut scribit sanctus Paulinus *etc. Quod ad vitæ institutum pertinet;* Fuisse *Paulinum nostrum* clericum ecclesiæ Mediolanensis, inferioris ordinis, subjectumque Casto diacono; eumdemque Ambrosii in sacris scriptionibus amanuensem, usque ad ejusdem obitum, *ex Ambrosii Vita, quam idem ipse Paulinus scripsit, ibidem notata reperies; factumque postmodum presbyterum, ex S. Isidoro de Viris illustribus seu scriptoribus ecclesiasticis cap.* 4; *non vero vitæ instituto episcopum, ut ex errore in quibusdam inscribi codicibus, observat ibidem Baronius; ubi plura habentur de Paulinis synonymis.*
B *Laudatissimus itaque ille auctor in Vita ista, tum alibi una cum operibus Ambrosianis, tum apud Surium ad diem* IV *Aprilis edita, rem gestam ita exponit, de ultimis vitæ S. Ambrosii annis agens :* Nec diu clementissimæ memoriæ Theodosius imperator susceptis filiis in Ecclesia, et traditis sacerdoti, in hac luce fuit. Post cujus obitum fere triennium supervixit *S. Ambrosius.*

Inventionis ac translationis historia

10 Quo in tempore S. Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum, ad basilicam Apostolorum, quæ est Romana, transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo jacebat corpus Martyris (qui quando sit passus, usque in hodiernum diem scire non possumus) sanguinem Martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut nobis videretur eodem tempore, quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro. Et quid mirum? quandoquidem Dominus hoc in Euangelio ante promisit, quod capillus de capite eorum non periret. Etiam odore tanto repleti sumus, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. Levato corpore Martyris, et in lectica composito,
C statim ad S. Celsum martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto sacerdote ad orationem perreximus. Numquam tamen illum antea orasse eodem loco compertum.

ex ipso hic datur.

11 Sed hoc erat signum revelati Martyris, si sanctus sacerdos ad locum, ad quem numquam antea fuerat oratum, isset. Cognovimus tamen a custodibus loci ipsius, quod a parentibus, illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem et progeniem suorum, eo quod thesauri magni in eodem loco positi essent. Et vere magni thesauri, quas non ærugo neque tinea exterminat, neque fures effodiunt, et furantur : quia custos eorum Christus est, et locus eorum aula cælestis : quibus vivere Christus fuit, et mori lucrum. Translato itaque corpore Martyris ad basilicam Apostolorum, ubi pridem sanctorum Apostolorum reliquiæ summa omnium devotione positæ fuerant, cum tractaret episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo clamare cœpit, se torqueri ab Ambrosio. At ille conversus ad eum ait : Obmutesce diabole, quia non te torquet Ambrosius, sed fides Sanctorum, et invidia tua : quoniam illo vides ascendere homines, unde tu dejectus es; nam Ambrosius nescit inflari. Quo dicto, ille, qui clamabat, obmutuit, prostratusque in terram est, nec amplius vocem, qua obstrepere posset, emisit. *Ita Paulinus :*

AUCTORE J. P.

Quo anno inventio ac translatio ista

12 *Cujus narratio a nobis elucidanda est, nonnullis quæstionibus, quæ ex ea proponi queunt, faciendo satis. Quæres itaque* I. *Quo anno inventio ista ac translatio contigerint? Respondeo, constare quidem ex verbis Paulini, ea contigisse post mortem Theodosii magni; verum quo determinate anno contigerint, indictum is reliquit, atque adeo videndum nobis superest, an aliunde individua rei gestæ temporis ratio elici possit. Theodosius imperator, de quo hic agitur, e vita excessit die* VII *Januarii anno Christi* 395 *(de qua re videri potest Tillemontius Historiæ imperatorum tom.* 5, *artic.* 84, *et nota* 58 *in Theodosium) sanctus vero Ambrosius communiter obiisse ponitur die* IV *Aprilis anno* 397, *prout videre est apud Baronium ad istum annum, et Tillemontium Monument. eccles. tomo* 10, *articulo* 79 *: et sic præsens factum juxta dicenda mox de ejusdem die, innectendum esset anno Christi* 395 *vel* 396. *Baronius in Vita S.* E
Ambrosii a se collecta, paullo post Theodosii obitum *illud accidisse censet, anno videlicet* 395; *sed hic annus e verbis Paulini extundi non potest, ac proin supponi potius, quam poni eum censemus.*

acciderint inquiritur,

13 *Sigebertus in Chronico ad an.* 397, Corpora, *inquit,* Nazarii et Celsi martyrum Mediolani ab Ambrosio reperta et levata sunt : *quæ ratio temporis stare non potest juxta dicta, si inventio ac levatio ista contigerit post diem* IV *Aprilis illius anni; quod paullo post discutietur. Stare autem potest, si quis cum nostro Henschenio in Exercitatione singulari de anno et die mortis S. Ambrosii, ad tom.* I *Aprilis, pag.* XXXVIII, *statuat, quod Præsul iste obierit anno Christi* 398, *die* XVII *Aprilis, prout ibidem pluribus probatum lector inveniet; dissentiente Godefrido Hermant in elucidationibus ad Vitam S. Ambrosii, quam Gallice edidit anno* 1679, *pag.* 24. *Sed hanc recudere ac dirimere controversiam non est hujus loci, quæ proprie spectat ad diem* VII *Decembris, quo agendum erit ex professo de ista re, quando S. Ambrosius habetur inscriptus Martyrologio Romano. Dicamus itaque nos cum Paulino, illa post* F
mortem Theodosii magni, et ultimo S. Ambrosii vitæ triennio contigisse.

correctio nonnullorum errore.

14 *Ex his planum fit, quam sint inepta et falsa, quæ Martyrium* SS. Nazarii *etc. sub nomine Metaphrastis ad diem* XIX *Junii a Surio vulgatum, nugatorie atque imperite fabulatur :* In eos *(Nazarium, Gervasium, Protasium ac Celsum intelligit)* cum magnus incidisset Theodosius (tunc enim agebat Mediolani, adversus tyrannum Maximum, inquam, decertans) cum accepisset partes sacrarum harum reliquiarum, pro quibuslibet spoliis aut manubiis, aut potius pro quibuslibet armis et munimentis, in urbem detulit regiam; iis, quæ ipse vidit, miraculis confirmatus, et adversus Scythas, socios inexpugnabiles assecutus Martyres. *Quot verba, tot apertissimæ falsitates. Hinc etiam erroris manifesti convincitur auctor Martyrii qualisqualis apud Mombritium tomo* 2, *dicens sic :* Deus... revelavit eorum corpora... imperante... Theodosio imperatore; *ubi is una et S. Ambrosius* accedentes ad locum *etc. Atque hæc quidem ad primam quæstionem, quo nempe anno inventio ac translatio corporum*

AUCTORE J. P.

corporum acciderit; nunc ad aliam proveniamus.

Disseritur

15 *Quæres igitur 2. Cuinam diei aptandum sit hoc factum, et cuinam mensi? Difficilis ad hoc responsio; neque enim satis solidi quidquam in promptu est, quo ista quæstio decidatur. Rem nihilominus expendere quid vetat? Romanum parvum, sicut supra vidimus, inventionem aptat* II Idus Junii, *seu* XII *ejusdem mensis, consonante Adonis elogio. Martyrologium Romanum modernum, ad diem* X *Maii, disertis verbis inventionem nostram isti diei affigit; pro qua Baronius tunc in suis notationibus citat* tabulas ecclesiæ Mediolanensis. *Sed alium sapientissimi Cardinalis locum non satis cum isto combino: etenim in notationibus ad hodiernum diem* XXVIII *Julii dicit, quod* nonnulli *nostros Martyres signent* ad pridie Idus Junii: qua sane die, *inquit,* inventarum reliquiarum per S. Ambrosium solemnis dies celebrabatur. *Apud nos in Prætermissis ad dictum diem* X *Maii refertur, quod ista inventio* solenni officio celebretur apud Mediolanenses.

quo die ac mense:

16 *Quod si sapientissimum Cardinalem conciliare secum coneris, dicendo quod priore loco agat de cultu inventionis solo apud Mediolanenses, quorum tabulas citat; secundo autem, de cultu inventionis, qui fuerit signatus in aliis locis; reponimus, ne vel sic quidem nobis apparere, quomodo ista satis recte subsistant: nam Usuardus nihil notat die* X *Maii; Usuardus, inquam, genuinus, cujus Martyrologium a nobis editum est: quamquam Molani secunda editio tunc inter adjecta ponat:* Mediolani, translatio corporis beati Nazarii, ad basilicam Apostolorum; *quæ verba dum tamquam Usuardina profert Puricellus cap.* 48, *satis prodit, se vel ea transcripsisse ex Molano, vel ex alio exemplari aucto seu interpolato, Usuardum purum ab adjectis ad Usuardum auctariis non distinguens. Idem auctor agens ibidem de die ac mense, quibus potissimum* S. Nazarii *corpus sit inventum ac translatum; dicit eam celebritatem ab ecclesia Mediolanensi usque in præsens recoli die* X *Maii. Atque ista translatio notatur isto die in Mediolanensi Missali Ambrosiano, quod typis editum fuit anno* 1522.

qui determinari non possunt ex hodierno apud Mediolanenses cultu.

17 *Sed non quæritur hic quidnam hodiedum fiat, sed quid antiquissimis retro seculis factum fuerit apud Mediolanenses circa diem ac mensem hic controversos; unde sufficiens præbeatur argumentum, quod die* X *Maii tunc temporis ista inventio vel translatio celebrata apud Mediolanenses sit, ac proin quod isto die illa a S. Ambrosio sit peracta. Sed contra, tantum abest, ut ex antiquitate probari queat, quod ea tunc sit peracta, ut non sine fundamento suspicemur, tunc omnino peractam non esse: nam apud Mabillonium Musei sui Italici tom.* I, *pag.* 107 *memoratur ex bibliotheca Ambrosiana unus* ex antiquioribus *istius ritus* codicibus, *qui inscribitur* Antiphonarium de universis festivitatibus anni circuli Mediolanensis ecclesiæ; *cui codici Tillemontius Monum. eccl. tom.* 2, *pag.* 85 *sub finem collectionis historicæ de Sanctis nostris, post Mabillonium pag.* 109, *et ætatem* 500 *ut minus annorum tribuit; memoratur, inquam, ibi iste codex, in cujus contextu, qui subditur, nullus de agitata hic inventione aut translatione apex invenitur mense, nedum die* X *Maii, mense Junio nullus: nullus item mense Julio, nisi quod tunc dumtaxat ponatur die* XXVIII Nazari et Celsi. *Sed silentium istius codicis probat nimium, sicut infra dicemus, ac proinde nihil.*

18 *Itaque quoniam cultus ille, qui nunc agitur apud Mediolanenses die* X *Maii, nullo antiquitatis sufficientis testimonio nobis probatur, quod olim isto die celebratus ibidem fuerit, nos certe non concipimus, quo pacto ex hodierno isto cultu inferri legitime queat primæva ac vera inventio ac translatio, quasi die* X *Maii per S. Ambrosium factæ sint; quæ cum adeo antiquæ sint, accommodato tantæ antiquitati documento probari deberent. Nos interim Romani parvi et Adonis testimoniis subnixi putamus inventionem istam ac translationem vere a S. Ambrosio factas esse die* XII *Junii; præsertim quia Romanum parvum disertissime condistinguit diem inventionis a die martyrii. Accedit eo, quod in Martyrologio apud Puricellum,* conscripto, *sicut ipse dicit,* satis antiquo charactere, secundo Idus Junii legatur: « Mediolano festivitas Nazarii et Celsi martyrum; quando iidem beati Martyres a B. Ambrosio inventi sunt et translati » *Puricellus quidem fateri cogitur, quod ista inventio ac translatio die* XII *Junii quotannis ab Ecclesia Romana fuerit celebrata: sed non admittit propterea, quod illa censuerit, hanc tunc a S Ambrosio peractam fuisse; et dicit, errasse Adonem. Sed cur, amabo, erravit Ado; cur erravit Romanum parvum; cur translationi assignat diem* XII *Junii; si illam tunc factam fuisse non credidit? Imo vero cur potius eam tunc factam non credidit, quia tunc illam signavit? Cur denique Ecclesia Romana inventionem ac translationem hanc olim celebravit die* XII *Junii; si illæ tunc non sint factæ?*

quasi inventio 10 Maii facta sit:

quæ probabilius contigit die 12 Junii.

19 Aliam, *inquit Puricellus,* ob causam, quæ sibi satis congrua et commoda videretur; sicut etiam ecclesiæ nostræ, *uti addit,* Ambrosianæ quandoque placuit ac placet, ut alicujus Sancti celebritas e proprio sui die transferatur in alienum. *Ita ille, ut hisce tricis se expediat, obtrudens id quod est in quæstione, ac veritus ne ex dissonantia Romani parvi seu antiqui cum moderno, errorem Ecclesiæ imputaret. At quid piaculi admisisset, si dixisset, verum inventionis ac translationis diem notari in Romano parvo; quem Martyrologii Romani moderni reformatores forte mutaverint in diem* X *Maii; quia in eo voluerint se conformare Mediolanensibus; apud quos ea nunc agitur. Certe in verbis Baronii supra citatis habemus universaliter et absque ulla ad ecclesiam Romanam restrictione, quod die* XII *Junii* inventarum reliquiarum per S. Ambrosium solemnis dies celebraretur. *Argumentum autem quod desumere placuit Puricello ex eo, quod* alicujus Sancti celebritas *etc. nobis favet hic, et contra ipsum pugnat. Dicit quidem quod* decimus Maii dies eidem celebritati ab ecclesia Mediolanensi ex antiquissima jugique traditione destinatus *fuerit, sed traditio talis mere tantum ab ipso asseritur; non probatur. Et mirum certe esset, si auctor Romani parvi et Ado vel diem a vero ac genuino diversum posuissent, vel verum ignorassent. Antiqua, uti supra vocabatur, Antiphona suo silentio æque obest Puricello quam nobis: imo vero nimium probat: nam quia nullum inventionis ac translationis diem illa signat, sequeretur inde, nullum fuisse. Sed cum hoc argumentum sit negativum; Romani autem parvi et Adonis pro nostra sententia sit positivum, putamus, longe probabilius esse, quod contigerint die* XII *Junii; donec eruditi Mediolanenses ex idoneis documentis melius nos instruant.*

§ III.

A

§ III. Respondetur ad varias alias quæstiones circa translationem corporum propositas.

Non fuisse translatum

Duabus antecedentibus quæstionibus aliæ nonnullæ superaddi possunt, circa varia, quæ SS. Nazarii *ac* Celsi *corporum translationem spectant. Quæres igitur* 3. *An ambo ista corpora a S. Ambrosio ad basilicam Apostolorum translata sint, an solius dumtaxat corpus* S. Nazarii? *Respondeo, non inepte aut abs re hoc quæri; præbita propositæ quæstionis ansa ex verbis Paulini, cetera satis clare, hic vero ambigue et obscure suam mentem enuntiantis: exposita quippe utriusque Martyris inventione, subindicat quam brevissime, translationem fuisse subsecutam, dicens:* Translato itaque corpore Martyris ad basilicam Apostolorum; *an corpore unius, et cujus, an*
B *utriusque Martyris? Utriusque juxta Baronium in Vita S. Ambrosii a se collecta, ubi illud affirmat: Puricellus autem cap.* 154 *id negat, qui solum* Nazarii *corpus eo vult translatum: id quod ibi quidem obiter dumtaxat asserit, pluribus hoc anteà conatus probare cap.* 48; *ubi textum Paulini censet sibi favere; adstipulante, uti vult, ecclesia Mediolanensi, quæ translationem solius* Nazarii *quotannis celebret, nulla facta mentione translati* S. Celsi, *quem, sicut addit, expresse excludit etiam in tertia lectione matutina.*

ad basilicam Apostolorum

21 *Accedit eo, quod basilicæ Nazarianæ, prout pergit Puricellus, præpositi et canonicorum collegium numquam* S. Celsi *corpus inter suæ basilicæ reliquias numerarit, nec ipsum tamquam proprium et inquilinum Sanctum coluerit; qualem vice versa eum hactenus colit basilica Celsiana, in eo, uti refert, constructa horti situ, in quo* Celsus *denique jacuerat. Ultimo tandem loco sententiam suam confirmat testimonio scriptoris Vitæ* SS. Nazarii *et* Celsi *apud Mombritium; sed auctoris adeo inepti ac misere fabulosi, ut citari neutiquam mereatur. Specimen jam nunc parvum*
C *dedimus supra, pluribus alias ipsum conventuri. Verum cap.* 97 *ex antiquo, uti id appellat, Kalendario præsentem controversiam iterum tangit, et pro translatione solius* S. Nazarii *ad basilicam Apostolorum rursus pronuntiat, sed mera usus conjectura, quæ rem nullo modo evincere possit; testimoniis scriptorum etiam nequaquam dirimendam, nisi tanta foret eorum auctoritas et ætas, ut puncto, quod nunc inquirimus, aliquo usque saltem videretur accommodata.*

solius S. Nazarii corpus:

22 *Æque quidquam conficitur ex translatione solius* S. Nazarii *apud Mediolanenses, lectione* 3 *matutina etc., quæ pro sua sententia coacervat Puricellus: nam cum istæ argutationes sint mere negativæ, et res alioqui positive non probetur ab ipso; ignoscet nobis, si ab ejus parte continuo nos non stemus; quibus apparet probabilius, quod corpus utriusque Sancti nostri a S. Ambrosio in basilicam Apostolorum sit translatum. Atque id putamus erui posse ex verbis Paulini, quæ, uti vidimus, Puricellus sibi vult favere: nam quandoquidem Paulinus prius locutus fuerat cum de* S. Nazario, *tum de* S. Celso, *quam attingeret translationem; quid factum de alio corpore si per τὸ* Martyris *non voluerit utrumque sanctum Martyrem intelligi? Sin autem contendis, quod de uno dumtaxat locutus sit, dic, amabo, cur intelligendus est de solo* S. Nazario, *et non potius de* S. Celso: *præsertim quia hunc postremo loco nominaverat. Ordinarius quippe orationis contextus exigere solet, ut dum nomen aliquod appellativum, quale hic est τὸ* Martyris, *gerit vices alicujus nominis proprii, afficiat illud nomen proprium, quod ultimo loco ac magis immediato præcedit, non illud, quod penultimo ac mediato. Sensus itaque proprius ac naturalis, spectata utique vi verborum, appellat* S. Celsum: *quamquam videatur Paulinus voluisse vel debuisse saltem sanctum quoque* Nazarium *intelligere: certe illum ab hac translatione excludere nec voluit, nec potuit: de qua omnino constat ex Monumentis seu Epigrammatibus Christianis apud Janum Gruterum in opere, cui titulus* Inscriptionum Romanarum corpus *etc., pag.* MCLXVII.

auctore J. P

de quo ex Ambrosio constat:

23 *Ibi quippe producuntur ipsiusmet Ambrosii versus, qui sic sonant:*

Condidit Ambrosius templum, Dominoque sacravit
Nomine Apostolico, munere, reliquiis.
Forma crucis templum est, templum victoria Christi:
Sacra triumphalis signat imago locum. E
In capite est templi vitæ Nazarius almæ,
Et sublime solum Martyris exuviis.
Crux ubi sacratum caput extulit orbe reflexo,
Hoc caput est templo Nazarioque domus.
Qui fovet æternam victam pietate quietem,
Crux cui palma fuit, crux etiam sinus est.

Hæc ibi habentur; unde etiam discimus, qua templi prædicti parte corpus S. Nazarii *a magno illo Mediolanensium præsule conditum fuerit. Sed nos ad sæpe dictam* S. Celsi *translationem redeamus.*

sed ipsius etiam S. Celsi, nobis est probabilius.

24 *Ado in suo elogio, quod dedimus superius num.* 4, *disertissimis verbis favet nostræ sententiæ: nam locutus de corpore* S. Nazarii *etc., mox subdit:* Quo levato et lectica composito, statim ad S. Celsum martyrem... sanctus episcopus *Ambrosius* perrexit, et transtulit ad basilicam Apostolorum... Inventi autem et translati sunt *etc.* F
Quid clarius in rem nostram Præsul Viennensis edicere potuit? Enimvero sive is ad τὸ Martyris *in Pauliniano inventionis ac translationis historiæ exemplari invenerit additum* utriusque *(quod in textu Notkeri legi, superius indicabamus) sive aliunde hoc hauserit; sive, considerato Paulini textu, sensum illius id exigere judicaverit; plane liquet, ipsum fuisse in illa sententia, quod uterque noster Martyr simul inventus, simul levatus, simul translatus fuerit ad Basilicam Apostolorum: quæ hactenus et nobis apparet probabilior. Ad utriusque etiam Sancti corpus dictam translationem retulit Tillemontius tom.* 2 *Monum. eccles. pag.* 88. *Ex dictis sequitur, ut corruant, quæ auctor apud Mombritium in Vita vere pseudographa obtrudit; quasi vero S. Ambrosius* S. Celsum, in eo, quo positus fuerat, loco obtectum reliquerit. *Atque hæc circa quæstionem* 3 *dicta sunto.*

Asseritur alicubi, quod libellus apud corpora fuerit repertus:

25 *Nunc autem quæres* 4. An, quando S. Ambrosius hæc invenit corpora Sanctorum *(verba sunt Puricelli eodem cap.* 48) simul etiam libellum aliquem ad eorum capita invenerit, quo descriptum esset ipsorum certamen; sicuti cap. 20, num. 3 S. Syrum vidimus monuisse, ut apponeretur, et sicut appositum jam fuisse legebamus cap. 19, num. 4. Talem utique dubitationem mihi, *inquit*, Paulinus ipse per ea injecit de Nazario verba:

AUCTORE J. P.

verba : « Qui quando sit passus, usque in hodiernum scire non possumus » Si enim aliquis ejus generis et argumenti libellus eo inventorum corporum tempore inventus fuisset; certe fuisset etiam Paulino ipsi, qui tunc aderat, et omnia diligenter inspectabat, notissimus; ex eoque sic etiam ipsi tempus illud Nazariani certaminis ac martyrii facile innotuisset. *Ita Puricellus, melius præsentis puncti difficultates sibi objiciens; quam dissolvens; uti perspicuum fit ex iis, quæ subdit his verbis :* Sed ne talis quidem conjectura fidem apud me abrogat iis, quæ cap. 19, ad finem numeri 4 recitabam. Ibi siquidem tale certaminis scriptum « ad ipsorum capita reconditum » (cujus nempe bina, sicut interpretari licet, confecta fuissent exemplaria, et unum sigillatim fuisset occultatum prope cujusque illorum caput) diserte affirmabatur mansisse occultum « usque ad diem » revelationis eorum » Sequitur ergo *etc.*

sed quia illa asseriio nititur apocrypho testimonio,

26 *Nunc ad quæstionem circa libellum ad capita Martyrum positum, et a S. Ambrosio inventum, quo descriptum esset eorum certamen,* B *nos respondeamus. Dicimus itaque istum libellum omnino apocryphum, supposititium ac fabulosum esse; qui obtrusus nobis fuerat a Puricello cap.* 19, *numero* 4, *et quem modo citabat superius, ex testimonio miselli biographi apud Mombritium; cujus male feriati historiastri quia nugas pro eo ac debuit non satis perspectas habuit Puricellus, id causæ fuit, cur somniis in cerebro istius vel alterius istiusmodi homuncionis natis adeo multum tribuat : sed quam id præter æquum ac bonum, alias elucescet. Scriptorum vero catalogum, quem ad confirmationem subnectit ac citat ibid. Puricellus num.* 5, *nimirum Græci auctoris apud Surium, Vincentii Bellovacensis, Jacobi de Voragine, Petri de Natalibus, ac sancti Antonini, quid vel tantilli momenti conciliare potest facto, quod contigisset (si Superis placet) tempore Neronis, tot seculorum intervallo ab eorum temporibus distante?*

silente de hac re Paulino, a nobis rejicitur.

27 *Quanto itaque satius fecisset Puricellus, si argumenti, quod ex silentio Paulini sibi objecerat, quodque elevato perperam vocabulo vocat* conjecturam, *vim expendens, exsufflasset imaginarium illum libellum, sola nullius fidei fabulatoris umbratili auctoritate nixum. Atque ut argumenti, quod ex Paulino accersitur, robur percipiatur;* C *combinet hæc duo lector, si possit, ut apte inter se cohæreant.* Vidimus, *inquit Paulinus,* in sepulcro, quo jacebat corpus, sanguinem Martyris *mirabilibus cum adjunctis, quæ narrat. Ad hæc,* caput etiam ita integrum... cum capillis capitis atque barba *etc. Vidit hæc, inspexit, perspexit, ac contemplatus fuit Paulinus; appositus interim ad eorum capita erat libellus, ut narratur apud Mombritium, imo duplex, si interpretationi superiori Puricelli credimus; quem S. Ambrosius invenerit, et quo descriptum esset Martyrum certamen : et tamen de mirabili isto libello nullus meminit Paulinus, adeo omnium rerum, quæ ad* S. Nazarii *passionem spectabant, ignarus, ut* quando sit passus, usque in hodiernum diem scire *se* non posse, *candide profiteatur. Credite posteri, et hæc cum prætenso libello combinate. Circumstantiæ, quibus libellus iste ad capita Martyrum fuisse primo positus fertur, alibi infra discuti poterunt. Nunc dispiciamus alia quædam, quæ in translatione* S. Nazarii *narrantur accidisse.*

28 *Puricellus pag.* 254 *scribit, se tres lectiones, pro ista translatione in codice Caroli Andreæ Septalii habitas, in unicam velut contraxisse; e qua nos, rescissis aliis, ista puncta excerpimus.* D Erat *Nazarius* ad tres Moros in horto *ante translationem* reconditus... Sed ranæ cum clamarent ultra tres Moros, de præcepto sancti Patris, ulterius ne clamarent, usque hodie ibi non sunt auditæ. Cum autem perventum esset ante portam basilicæ Apostolorum, numquam corpus beati Nazarii introduci potuit. Tunc intelligens beatus Ambrosius ob reverentiam Apostolorum hæc fieri; a parte posteriori basilicæ introduxit, et ibi reconditus est reverenter. *Tria itaque nobis ex isto codice qualicumque, cujus donec nobis antiquitas satis idonea probetur, non magnæ is apud nos erit auctoritatis, experientia doctos, hujusmodi exemplaribus non fidere; tria, inquam, ex isto codice nobis proponuntur, quæ huc spectent.* 1. *Locus primæ* S. Nazarii *sepulturæ.* 2. *Ranarum coaxationi impositum a S. Ambrosio silentium.* 3. *Corpus* S. Nazarii *ab ingressu portæ basilicæ Apostolorum divinitus prohibitum. De singulis aliquid dicamus paragrapho proxime sequenti.*

Tria alia, quæ volunt huc spectare, proponuntur.

§ IV. Loca sepulturæ ac translationis ; duo, uti volunt, miracula.

E

Cognomentum loci, in quo sepulti fuerint Martyres, improbatur;

Quæres itaque quinto, qua veritate nitatur cognomentum primæ S. Nazarii *sepulturæ, nimirum* ad tres Moros, *sive ejusdem sepulturæ locus ita dictus putetur a tribus istiusmodi arboribus, juxta quas conditus terra sit Sanctus ; sive id nomen antea non habuerit locus ille, sed illa horti pars tunc observari ac nomine notari cœperit, quando thesaurus adeo pretiosus fuerat eo illatus : utcumque illi, qui hoc volunt rem acceperint, judicamus, nullo eam niti fundamento, ex sordida utique apud Mombritium Actorum cloaca, aut hujuscemodi saltem historiastri, qui sordes exinde suas hauserit, protractam. Enimvero ista Acta sic habent :* Jussit *Anolinus* eos duci extra civitatem foras portam Romanam, in locum, qui dicitur, Tres moros *etc. Verbis itaque Paulini, e quibus habemus, quod utriusque Martyris* corpus in horto positum extra civitatem *etc. acquiescamus, nihil supperaddendo, quod melius non probetur. Sed paucula hæc circa levioris momenti rem dicta sufficiant, quæ proinde nos diutius morari non debet. Cui autem hæc non sufficiunt, consulat Puricellum a pag.* 259; *ubi tradit, quod locus iste fuerit* in portæ Romanæ suburbano; *quod Carolus a Basilica Petri hunc hortum confuderit cum horto Philippi,* citra dubium, *inquit,* extra veterem portam Vercellinam sito, ubi nunc basilica exstat Franciscana, quæ prius SS. Naboris et Felicis nuncupabatur, et in qua SS. Protasii et Gervasii corpora divinitus a S. Ambrosio inventa fuisse, *dicit; addit item deinde nonnulla circa etymon prædicti loci,* Tres Mori *an* Muri, *an* Mauri? *De qua re subdit suam conjecturam. Sed alia duo puncta, superius a nobis tacta, plusculum attentionis merentur : duo etenim continent miracula, quæ putantur in* S. Nazarii *translatione accidisse.* F

uti et miraculum, quod in translatione fertur factum,

30 *Landulphus senior, de quo pluribus infra, Mediolanensis historiæ lib.* 3, *cap.* 7, In qua, *inquit ,* translatione cum S. Ambrosius adviveret, quod didicimus * sancto sacerdote Ambrosio imperante, super strepentes ranas egerit, Sanctum testem Augustinum affirmantem lector intellige : « Cum

* Puricel. quid Dominus

A " Cum plurima ranarum murmura auribus religiosæ plebis obstreperent, Sacerdos præcepit, " ut tacerent, et deferrent orationi sacræ reverentiam. Tunc subito circumfusus strepitus " quievit, et usque hodie paludes silent : ita " ut vix aut umquam aliquam ranarum, maxime illo in tempore crepitantem invenisses. " *Ita ille in editione Mediolanensi scriptorum Italiæ recentissime excusa, tomo* 4, *pag.* 100, *cujus mendosum alicubi textum correximus ad marginem ex Puricello pag.* 255 ; *ubi etiam indicat, in suo exemplari Ms., quod habuit, e regione horum verborum in ora marginali adnotatum fuisse rubro charactere :* Miraculum beati Ambrosii, quod recitat Augustinus.

auctore Landulpho narratum :

31 *At quis non miretur, ista tam confidenter quasi ex tripode dici a Landulfo isto, sublestæ fidei auctore, et ista quidem dici ex ipso Augustino?* Re tamen vera, *inquit Puricellus*, nihil tale recitat Augustinus inter opera saltem sua, quæ in præsenti circumferuntur ; *et recte ea Puricellus abjudicat Augustino, donec proferatur aliquis ex ejus operibus locus ; unde hoc factum* B *constet : e quibus quia nullum citat vel citare potuit Landulphus, et quia alioqui de multis falsitatibus convincitur, atque adeo nulla ei debetur hic fides, judicamus nos abusuros tempore, si in discutiendis super præsenti argumento hujus sancti Patris lucubrationibus operam nostram insumeremus ; præsertim cum de eo nihil prorsus meminerit Paulinus, qui illud longe melius ac certius rescire debuisset tamquam oculatus et auritus testis, quam Augustinus ; neque prætermisisset rem adeo mirabilem mandare litteris. Melius, inquam, ac certius quidquid hujus est historiæ Paulinus, Vitæ S. Ambrosii auctor, rescire debuisset, quam S. Augustinus, cum hujus hortatu ille eam conscripserit, ita incipiens :* Hortaris, venerabilis pater Augustine *etc.*

quod perperam alibi ex S. Ambrosio eicitur, loquente in persona Liberii PP.

32 *Arbitratur porro Puricellus pag.* 255, *quod Landulphus memoria lapsus supposuerit Augustinum pro ipsomet Ambrosio ; ubi plura supperaddit, quæ cogimus in compendium. Profert ibi codicem capituli Metropolitani (intellige Mediolanensis) in quo sic habeatur :* Hæc sunt verba B. Ambrosii in lib. 3 de Virginitate ad S. Marcellinam C sororem " Frequens sermo est cum plurima ranarum " murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, " sacerdotem Dei præcepisse, ut conticescerent *etc. Et mox ineptissime sequitur :* Fuit ipse S. Ambrosius, qui, cum portaretur corpus S. Nazarii.... ad ecclesiam suam *ranis coaxantibus silentium indixerit : nam S. Ambrosius ibi non loquitur in propria, sed in aliena Liberii PP. persona ; id quod pluribus deinde apud Puricellum invenies probari : et luculentissime illud patet ex toto S. Ambrosii contextu. Tandem itaque Puricellus hanc de ranis historiam concludens, recte dicit quidem*, *quod* illa miraculum contineat, multos patratum annos ante, quam S. Ambrosius pompa solenni sacrum Nazarii corpus transferret ad basilicam Apostolorum ; *sed minus recte ac fundate mox superaddit :* Sic etiam simile illi miraculum dicemus ab Ambrosio postea patratum eo tempore, quo id ipsum transferebat. *Dicet id quidem Puricellus, ac dicent fortasse plures alii, qui, quod volunt, verum esse credunt ; sed non probant.*

33 *Certe Puricellus miraculum hoc neutiquam confirmat, quando mox interrogat :* An enim quidquam repugnat, quo minus Deus per Ambrosium renovaverit ejusmodi miraculum, quod antea per innominatum illum sacerdotem, a Liberio PP insinuatum patrasset? *Nam inde tantum sequitur, quod miraculum illud tunc fieri potuerit sub S. Ambrosio : id quod nemo sanæ mentis negaverit ; non vero quod re ipsa factum sit ; proindeque inter miracula historice certa locum nos eidem dare non audemus, quia putamus illud apocryphum esse ; cum nihil de eo dicat Paulinus, præsens rerum omnium inspector ; cum tamen is clare agat de clamore energumeni, miraculo videlicet inferioris notæ, quam id, quo de hic egimus. Nullam itaque codex Septalianus, de quo supra, nullam metropoliticus Mediolanensis fidem hic facit, nullam meretur : idque pari jure dicendum nobis apparet circa aliud miraculum ex eodem Septaliano codice, uti supra dicebamus, a Puricello excerptum : nimirum quod*, dum perventum esset ante portam Basilicæ Apostolorum, numquam corpus B. Nazarii introduci potuerit *etc. Neque enim laudatus Paulinus cæcus aut mutus fuit, qui nihil simile scripserit.*

AUCTORE J. P. Illud miraculum non probat Puricellus: aliud quoque ab ipso relatum nos non admittimus.

34 *Quo autem dictæ basilicæ loco S. Ambrosius condiderit illud sacrum corpus, dispiciamus : de qua re juverit audire Puricellum pag.* 252 *ita disserentem :* Nazarii corpore in Apostolorum basilicam translato, dubium esse non debet, quin Ambrosius illud ibi sub altari condiderit, quemadmodum et alias alibi Martyrum reliquias, olim a se inventas, condiderat. Quid, quod etiam in ejusdem basilicæ ac Martyris honorem contexuit epigramma *(quod nos supra dedimus num.* 23) et ex eo plane constat, Nazarii corpus in capite basilicæ collocatum fuisse. Sed paulo etiam clarius hoc idem fuit nobis indicatum per Carolum a Basilica Petri, episcopum denique Novariensem. Hic enim cum canonicus esset ordinarius basilicæ hujus metropolitanæ *Mediolanensis*, una cum sancto Cardinali et archiepiscopo Carolo Borromæo affuerat, omniaque diligenter inspexerat anno MDLXXVIII, cum sacræ illius templi reliquiæ recognoscerentur, ac nominatim Nazarii corpus. Itaque in ejusdem S. Caroli Vita lib. 5, cap. 6 reliquias imprimis enumerabat repertas sub altari præcipuo, quod in media tunc erat ecclesia ; et una cum iis etiam computabat Apostolorum reliquias, e quibus nomenclaturam hæc basilica primam obtinuit.

Indagatur quo loco in basilica Apostolorum E

F

depositum a S. Ambrosio fuerit corpus S. Nazarii.

35 *Ex verbis vero, quæ loco citato habet illustrissimus idem episcopus Novariensis, quæque citat Puricellus, delibamus nos ista, quæ potissimum faciunt ad rem præsentem :* Sub alio item præcipuo altari, *ait*, ad caput ecclesiæ constituto... celeberrimi martyris Nazarii, unde præsens nomen ecclesia accepit, reliquias invenimus. *Et quoniam adjungit paulo post :* Neque enim conjicere potuimus, corpus ex eo tempore motum esse, quo illud Ambrosius condidit ; *idcirco nobis valde verosimile est, corpus* S. Nazarii *isto eodem certo ac determinato loco mansisse, quo S. Ambrosius illud primo collocarat in basilica Apostolorum, et qui jam satis a nobis indicatus est. Sed postmodum sacrum illud pignus una cum aliis reliquiis alio transtulit S. Carolus Borromæus ; sicut postea dicetur. Atque hæc quidem de loco basilicæ Apostolorum, quem primitus nobilitarint sacræ* S. Nazarii *exuviæ, satis plana sunt ; non autem illa, quæ circa primævam* S. Celsi *depositionem hic nunc quæremus.*

De loco primævo, quo corpus S. Celsi

36 *Diximus jam*, S. Celsi *corpus una cum corpore* S. Nazarii *translatum probabilius fuisse a S. Ambrosio*

AUCTORE J. P.

S. Ambrosio ad basilicam Apostolorum : at nunc investigandum nobis incumbit, ibine, an alibi, et ubi illud fuerit depositum. Puricellus pag. 258, *qui censet, illud in eadem, qua inventum fuerat, horti parte relictum et obtectum,* sic etiam nunc nihil *se* ambigere *dicit,* quin altare protinus illi quoque superstructum fuerit, nec non etiam ecclesia quantocius ibidem in ipsius Sancti honorem constructa. *Sed hæc satis inserta sunt, et fere conjecturalia prout ipsius verba id quoque satis insinuant. Parum quoque roboris hisce addi potest ex Caroli a Basilica S. Petri historia Mediolanensi, undecim primorum hujus urbis Præsulum Vitas complexa, ubi in Caio, ordine apud ipsum tertio, hæc habet :* De puero Celso, nihil apud Paulinum *(quod verum est, si de depositione seu sepultura illud intelligas)* quod fortasse etiam ab initio diversam sortitus sit sepulturam ; ut Ambrosius illius corpus simul eruere non potuerit. Illius reliquiæ, sub altari majori in ecclesia ejus nomine dicata conditæ, apud nos coluntur ; de quorum translatione annis abhinc circiter quinquaginta quinque memoria est.

B

post inventionem permansisse, nihil certi traditur

37 *Quibus verbis allatis Puricellus, interpretem potius agens, quam assertorem , et verba verbis potius accumulans, quam rem suam confirmans ,* Celsum igitur ibi denique sepultum, ibidemque ab Ambrosio postea relictum, ego, *inquit ,* INTERPRETOR. *Ast in rebus adeo antiquis , junioris alicujus auctoris interpretatione nihil quidquam probatur. Quoniam itaque adeo hic obscura et obsoleta sunt omnia antiquitatis vestigia, fateri ingenue cogimur, incompertum nobis prorsus esse, quid de* S. Celsi *corpore factum fuerit ; an videlicet, postquam illud una cum corpore* S. Nazarii *transtulerat S. Ambrosius ad basilicam Apostolorum, postmodum ab ipsomet Ambrosio ad locum sepulturæ pristinum relatum fuerit ; an usque post mortem ejus in ista basilica asservatum, ab alio deinde illuc transportatum sit ; et siquidem hoc ita acciderit, a quo et quando id actum fuerit, omnino nos latet. Hoc non latet, quod sanctus Martyr ecclesiam habeat propriam Mediolani ; quod in illa ecclesia sint sacræ ipsius exuviæ sub altari majore ; quod denique sacrum illud depositum pluribus post primam inventionem seculis fuerit translatum : de qua translatione, uti et de ecclesia ratio habebitur inferius. Forsan æque incerta est traditio, quam subdimus ex fide illius, qui eam narrat.*

C

Fertur erecta pila fuisse a S. Ambrosio in horto, in quo inventa corpora :

38 Constans vero , *teste Puricello ,* traditio est , Ambrosium quidem ad perpetuam ejus horti memoriam , in quo Nazarium et Celsum invenerat , in eo erigi jussisse pilam parvam, sive altiusculum parietem ; ipsique imaginem Deiparæ Virginis appingi eam, quæ tandem variis illustrata miraculis, et erga cultores suos beneficiis occasionem dedit construendæ illius ecclesiæ ornatissimæ , quæ nunc Deiparæ ad S. Celsum (juxta et prope ejus ecclesiam est) appellatur; et in qua imago pilaque ipsa , pr mori loco immota, sub ejusdem altari Deiparæ consistit, perque fenestellam in anteriore altaris parte patentem conspicitur. Atque præter eam pilam separatim etiam intra ejusdem horti spatium constructa fuit ecclesia, quæ S. Nazarii in Campo vocata fuit *(cujus meminerat cap.* 36.)

ubi et S. Nazarii ecclesia.

39 Quocirca satis etiam tunc liquet, Nazarianam ejusmodi ecclesiam illic exstructam fuisse in memoriam et indicium loci , quo Nazarii corpus tumulatum quievisset ad illud usque tempus, quo tandem inventum fuit. E campo autem potius, quam ex horto, ecclesiæ illi Nazarianæ nomen, ut opinor, *ait,* indiderunt, ut eam expressius distinguerent ab altera Nazariana in Brolio, quæ tale sibi nomen e translato ad semetipsam Nazarii corpore obtinuit : Brolium enim et hortus apud nostros Mediolanenses synonyma erant, ut ex iis constat, quæ de Brolio jam diximus cap. 37, num. 7. *Et cap.* 36 *num.* 5 *enumerat ecclesias quatuor, quæ* S. Nazarii *aut* Celsi *nomen prætulerint.; ubi quæri posse dicit de quarta, an ea tempore Mirocli, qui fuit præsul Mediolanensis, exstiterit. Sed alia plura, eaque nostro instituto magis accommodata non patiuntur, ut istiusmodi controversiunculis incidentibus nos nimium immisceamus. Interea prius quam Mediolanum relinquamus, non abs re fuerit notare nonnulla quæ cum ædibus ibidem loci nostrorum Sanctorum affinitatem quamdam habent.* D

§ V. Ecclesiæ apud Mediolanenses Sanctis sacræ.

E

Variæ suggeruntur notitiæ de basilica S. Nazarii apud Mediolanenses; ser. 12 urbi inclusa.

Ad pleniorem itaque istarum ædium sacrarum notitiam magno nobis adjumento erunt, quæ Puricellus in rem nostram diligenter atque operose collegit. Alia vero ex illis solummodo obiter indicabimus; alia pluribus deducemus, prout major vel minor rerum sciendarum congruentia id faciendum dictabit. De basilica itaque Apostolorum, a S. Ambrosio ædificata, de qua frequens modo apud nos recurrit sermo, agit cap. 37, *ubi de tempore, quo ædificata fuit ; de mutato ejus in* Nazarianam *cognomento, de situ; de variis item Sanctis ibidem sepultis, quorum nomina haud transcribo, capp.* 59, 61, 63 *et* 64; *de incendio antiquisimo, an huic ecclesiæ adscribendo, cap.* 67 ; *de bonis quibusdam in favorem istius basilicæ anno Christi* 1052 *a Petriberto,* officiali, *ut vocatur,* ecclesiæ S. Joannis. . Itolani *legatis, cap.* 88; *de incendio, quod anno Christi* 1075 *illam* S. Nazarii *ecclesiam consumpsit, cap.* 93; *de ejusdem ecclesiæ officialibus cap.* 100. *Nec vero operæ pretium ducimus, ab ovo hic exponere qua occasione, tempore seculi duodecimi basilica* Nazariana *recentibus urbis Mediolanensis amplificatæ mœnibus inclusa sit ; cum de his consuli possit Puricellus cap.* 105.

F

altera S. Celsi, ac S. Nazarii manet inde exclusa usque ad an. circiter 1550 ; unde error Galesinii

41 *Ibi præterea dicitur, quod basilica* Celsiana, *itemque altera* S. Nazarii *in Campo, remanserint extra muros urbis usque ad annum circiter* 1550, *sub quem annum præsentes ac longe ampliores muri de integro exstrui cœperint a Ferdinando Gonzaga , ditionis Mediolanensis gubernatore.* Hinc, *inquit Puricellus,* conjectare mihi liceat occasionem, qua Galesinius a vero aberraverit, cum in matutina breviarii nostri Ambrosiani, anno MDLXXXII typis impressi, Lectione de SS. Nazario et Celso affirmaret, eorum corpora per S. Ambrosium ex eo loco, in quo diu latuerant, fuisse in urbem translata ; quia nempe translata tunc fuissent in Apostolorum basilicam, et ibi recondita. Basilicam nimirum hanc, muris e medio tandem paucos ante annos sublatis, comprehensam fuisse ; nec iis comprehensum fuisse hortum illum, in quo sepulta Martyrum corpora latuerant ; Galesinius ignorare non poterat.

42 Quippe

corrigitur a Puricello.

A 42 Quippe cum non modo ejus tempore passim exstarent, sed etiam præsenti exstent evidentia ejusmodi murorum indicia, et reliquiæ. Sin autem præterea ille animadvertisset, ambitum murorum.. Ænobarbicum *ante* cladem, atque superioribus etiam seculis usque ad ætatem Ambrosii, non fuisse talem ac tantum, sed multo fuisse arctiorem... Quis eumdem credat... tam inepte in ejusmodi lectione scribere voluisse, ut ea nihilominus corpora diceret ex eo sepulturæ loco in urbem translata? Etenim tam basilica ipsa, quam locus ille tunc temporis pariter erant in suburbiis, et extra muros urbis interiores; sicut alibi docebam, *inquit*, et hic repetere juvat... Meo itaque judicio, Galesinius talia non animadvertit; et hæc illi fuit occasio aberrandi. *Puricelli judicio nos suffragamur; monentes errorem hunc in Breviario recognito anni* 1635 *relictum, juxta hanc observationem corrigi debere. Atque hæc de basilica* S. Nazarii *hactenus: cujus extra urbem Mediolanensem situs, a Puricello assertus, confir-* B *mabitur ex tali situ basilicæ* S. Celsi; *de quo mox in citando instrumento seculi* x, *et infra num.* 47.

Ecclesiæ Celsianæ adjecti a Landulfo monachi.

43 *Ne vero quis exstimet, ecclesiam* S. Celsi *apud Mediolanenses neglectam aut ignobilem fuisse, visum est nunc exhibere, quæ laudatus Puricellus in ejus gratiam collegit. Huc conducunt, quæ is pertractat cap.* 86, *ubi memorat ecclesiæ Celsianæ monasterium et monachos adjectos fuisse a Landulpho, Mediolanensi archiepiscopo: quod qua causa atque occasione acciderit, ex Arnulfo, ut alios ab eo citatos prætereaam, recenset. Quæ in rem nostram sunt, describimus ex libro ejus primo historiæ Mediolanensis, quæ novissime edita est inter rerum Italicarum scriptores tomo* 4. *Ex præfatione eidem a V. Cl. Ludovico Antonio Muratorio præfixa disces, quod patria fuerit Mediolanensis; quod Gregorii VII ætate floruerit, et circiter annum Christi* 1085 *suam historiam concinnarit, quodque illorum temporum gesta satis accurrate exhibeat. Loco itaque assignato, cap.* 10 *habentur ista:* Anno CMLXXX. Jam enim successerat Gotefredo Landulphus archiepiscopus, qui propter nimiam patris ac fratrum insolentiam, gravem populi perpessus est inviden- C tiam; ... conjuratione.. orta... civilis seditio, ac partium est facta divisio... Grande commissum est in urbe certamen.

qua occasione, et quo tempore.

44 Videns autem se prægravari undique præsul, nec posse sufficere, discessit ab urbe cum fratribus, relicto patre, qui fuerat jam senex, et viribus imbecillis. Quamobrem ecclesiæ facultates, et multa clericorum distribuit militibus beneficia... *Et pauculis interjectis de iterato conflictu, et plurima utrimque cæde, patreque præsulis a vernula in lecto transfixo, subdit Arnulphus:* Post hæc, et alia multa, inspirante Deo, et interveniente consultu sapientum partis utriusque, nova pax vetera dissolvit odia... Præterea sentiens se præsul dispersis facultatibus offendisse ecclesiam, ut clerum leniret ac populum, sancti martyris Celsi fundavit monasterium, multisque ditavit opibus: ubi completo dierum numero, moriens suo quievit in tumulo. *Quo autem anno ista fundatio facta sit, disserit Puricellus, censens eos proprius ad verum accedere, qui illam innectunt anno Christi* 992.

45 *Testamenti item a Landulpho conditi, et ex archivo basilicæ Nazarianæ sibi suppeditati fragmentum producit ibidem Puricellus, hoc exordio:* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto tertius, Dei gratia imperator augustus, anno imperii sui secundo, mense Novembris, Indictione undecima. Ego Landulfus, Dei gratia archiepiscopus Mediolanensis ecclesiæ, filius bonæ memoriæ Ambrosii patris *etc. Quibus characteribus chronologicis notatur annus Christi* 997. *Tum memoratus mox Puricellus, contracto in compendium testamenti argumento, istum archiepiscopum abbati monasterii* S. Celsi, *quod ipsemet construxerat* foris *(verba sunt testamenti, distincto ibidem charactere expressa)* et prope Mediolanensem urbem, ad locum, ubi * antiquitus tres Moros vocabatur; *Puricellus, inquam, refert, istum archiepiscopum dicto abbati assignasse quædam bona, ibidem sigillatim commemorata, suisque limitibus descripta: qua vero conditione Landulphus id fecerit, paucis accipe ex verbis testamenti, quæ allegare pergit Puricellus, et quæ non obscure indicant,* S. Celsum *magno apud istum fundatorem in pretio fuisse, cujus annuam memoriam solenni affectus erga illum sui testificatione honorare voluit; dum addit ista:*

In testamento ab eodem condito assignantur bona abbati monasterii Celsiani:

* *forte qui*

certa tamen conditione. De isto Landulfo ac monachis notitiæ.

46 Ita faciat abbas ipsius monasterii S. Celsi de rebus, seu reditibus, quibus ex ipsis molendinis, seu rebus ipsis, anniversarium vitæ meæ in festivitate S. Celsi, honorifice pascat presbyteros illos decumanos, officiales ecclesiarum SS. Nazarii martyris, et Ambrosii confessoris: ubi eorum Sancta requiescunt corpora: et det pro unoquoque denarios tres, et cereum unum *etc. Agitur de isto archiepiscopo Landulpho apud Ughellum tomo* 4 *Italiæ sacræ a col.* 134; *quem ponit obiisse anno* 999, *die* XXII *Septembris; apud Puricellum vero variant auctores circa tempus sedis ac vitæ; apud nos denique in Exegesi de episcopis Mediolanensibus tomo* VII *Maii præmissa, hæc habes:* Landulfus, sedit annos XVIII, menses III, obiit x Kalendas Aprilis: sepultus est ad monasterium S. Celsi; *non videlicet ante annum Domini* 997, *sicut ex superiore testamento liquet. Cujusnam autem instituti ascetæ locum istum incoluerint, et ad quos deinde is transierit, docet Gabriel Pennotus Historiæ tripartitæ lib.* 2, *cap.* 26, *ubi inter collegia canonicorum regularium in toto dominio et metropoli ducatus Mediolanensis existentia,* undecimum *ponit* S. Celsi, congregationis S. Salvatoris Bononiensis; quod illis concessum fuit a Paulo IV, anno MDXLVIII, per suas datas III Idus Martii. Erat Ordinis D. Benedicti. Ex libro taxarum Apostolicarum

Mortuarium anniversarium in basilica S. Celsi ac bona monasterio legata.

47 *Quod Giximbertus de Isola, archiepiscopi Arnulfi II, qui Landulpho prædicto successit, camerarius, mortuarium sibi anniversarium in basilica Celsiana quotannis celebrandum instituerit, Puricellus refert cap.* 87, *citans Gualvanei Flammæ, ex Ordine Prædicatorum, seculo* XIV *clari, Catalogum, in quo citatur ejusdem Gizimberti* testamentum... quod factum fuit anno VIII imperii Henrici I, de mense Aprilis, Indictione IV, *anno videlicet Christi* 1021. *Inter alia, quæ de isto testamento ibi Puricellus habet, illud notatu dignum, quod post plurium seculorum lapsum accurata ejusdem exsecutio adeo constanter perstiterit, ut is testetur, se isti anniversario nonnumquam interfuisse una cum præposito canonicisque suæ Laurentianæ basilicæ, cui ab anno* 1629 *usque ad annum* 1656 *archipresbyter deserviebat; item secum interfuisse etiam parochos earum ecclesiarum, quæ in testamento ipso nominantur, pluribus ibi explicatos. Adde ex Ughello paulo*

AUCTORE J. P.

paulo ante citato, col. 143, *quod Aribertus seu Heribertus archiepiscopus, Arnulfi laudati successor, suo testamento* ad abbatem et monachos S. Celsi dat solidos XX. *Istius testamenti exordio præfigitur,* Chunradus Dei gratia imperator augustus, anno imperii ejus septimo, mense Martii, Indictione II : *quibuscum concurrit annus Christi* 1034. *De isto Heriberto consuli potest nostra Exegesis modo assignata, pag.* LXXIV. *Legatio bonorum quorumdam in favorem monasterii* S. Celsi *a prædicto Petriberto facta anno* 1052, *habetur apud Puricellum cap.* 88.

Varia circa S. Celsi ecclesiam

48 *Mittimus dicere, quod S. Arialdus martyr, a nobis illustratus ad diem* XXVII *Junii, anno Christi* 1067 *ex Ambrosiana basilica delatus sit ad Celsianam ; ut videre est apud Puricellum cap.* 91 ; *quodque in ecclesia S. Mariæ de* S. Celso, *in qua* ineffabilia miracula . . . et gratiæ *contigerint, Deipara virgo spectabilis apparuerit anno Domini* 1485 ; *de qua re agit idem auctor cap.* 128, *per authentica testimonia, publicas tabulas etc. diffuse extensa ; unde etiam confirmantur, quæ supra diximus de situ ecclesiæ* S. Celsi *extra urbem Mediolanensem etiamnum tunc ; nam ibi dicitur, illa apparitio contigisse in* ecclesia S. Mariæ prope et juxta ecclesiam S. Celsi, extra et prope muros Mediolani. *Quod ad etymon istius ecclesiæ attinet ;* ego quidem suspicor, *inquit Puricellus pag.* 613, priorem illam *(de qua egerat cap.* 121) Deiparæ cappellam, circiter annum Christi MCDXXX primis a fundamentis constructam, eo situ dispositam fuisse, ut ex ipsa, et ex propinqua S. Nazarii in Campo ecclesia coaluerit una tantum, quæ deinde Marianæ ad S. Celsum ecclesiæ appellationem obtinuerit.

huc congeruntur.

49 *In Litaneutico autem triduano et Ambrosiano, anno* 1494 *Mediolani typis edito,* tertia Litaniarum die describitur processio a S. Euphemia ad S. Celsum, *teste ibidem Puricello ;* subinde autem a S. Celso ad S. Nazarium in Campo : *atque inter huc eundum, dici ait istam antiphonam :* Rex Sanctorum, Deus, converte nos ; et in tempore malo non nos derelinquas. *Et in introitu ecclesiæ istam :* B. Nazarius una cum Celso parvulo meruerunt a Domino coronam perpetuam. Kyr. Kyr. Kyr. Letaniæ in S. Nazario in Campo. *Quæ superaddit Puricellus de nomine istius ædis sacræ ; ac cur in Litaniis majoribus festo S. Marci prius ad* S. Celsum, *quam ad* S. Nazarium *in Campo procederetur, relecta non sine incommodo eadem via, consulto brevitatis causa pluribus haud prosequimur. De capellaniis a Philippo Maria Vicecomite, Mediolani duce, ad priorem, de qua supra, S. Mariæ capellam a se exstructam, adjectis, consuli potest Puricellus citato cap.* 121. *Nunc decursis iis, quæ pertinent ad primas Martyrum nostrorum translationes, ac loca cum illis connexa Mediolani, tantisper lustrabimus eorum cultum in Oriente ; inde mox regressuri Mediolanum, atque ad alias Italiæ civitates, ut antiqua post primam inventionem ac translationem venerationis publicæ monumenta scrutemur.*

§ VI. Veneratio publica et antiqua in Oriente ac Mediolani, nec non in aliis Italiæ locis, ex ædibus sacris ac reliquiis.

Ædes sacra S. Nazario in CPoli non a Theodosio magno ædificata;

P*ublicam* S. Nazarii *venerationem in Oriente inclaruisse seculo nono, prioribus etiam seculis ibidem loci frequentatam, liquet ex Constantino Porphyrogenito in avi Vita, ubi sic fatur :* Præterea vero etiam triumphalis martyris Nazarii sacram ædem, a multis retro annis non modo collapsam, sed et penitus abolitam, ædificavit, majestate, elegantia ac pulcritudine, priori longe ædificio præstantem. *De isto templo meminerunt Baronius ad annum* 886 *ex Curopalate ; et Cangius CPolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 130. *At qua urbis parte, quando, et a quo condita fuit ista ædes sacra, quæ* a multis retro annis *steterat, postmodum utique* penitus abolita, *ac restaurata? Vita apud Surium ad* XIX *Junii, sub nomine Metaphrastis edita, modo vera diceret, recte admodum nos instrueret de præsenti argumento.* Ante hanc magnam, *inquit,* civitatem eis *(Nazario, Gervasio etc.)* excitat *(Theodosius magnus)* pulcrum et elegans templum, et in eo sacras Martyrum reliquias deponit. *Sed pugnant ista cum tempore quo Sanctorum primum inventæ reliquiæ sunt, et eorum nomen pervulgari cœpit, sicut alibi dictum fuit.*

sed forte tempore Honorii et Arcadii.

51 *Paulo verosimiliora et magis cohærentia tradit Puricellus cap.* 81, *cui* vetus . . . hæc basilica . . . videtur ea fuisse, quæ olim a fundamentis constructa fuerat in honorem ac reverentiam Nazarii, Gervasii, Protasii, et Celsi, quando sacræ ipsorum reliquiæ nostra, *inquit,* ex urbe Mediolano CPolim allatæ fuerunt. Quod quidem si non Theodosii senioris, certe saltem Honorii et Arcadii, filiorum ejus, et proximorum in imperio successorum, quin etiam superstitis Ambrosii tempore factum esse, constanter hoc etiam loco, *ait,* crediderim : sicut etiam superiore illo capite 49, num. 10 credebam. *Credenti illud Puricello non contradicimus ; et istius rei probabilem verisimilitudinem nobis facile persuaderi patimur ; cum in Canone Græco superius allegato mentio habeatur ista reliquiarum valde honorifica, quam ex supra citati interpretis versione huc transcribo. Ode itaque* 6 *sic habet.*

Reliquiæ S. Nazarii CPoli celebres : unde cultus fortasse ad alia Orientis loca propagatus.

52 Sanari nulla arte idoneis corporum morbis, tu, per divinam, o martyr Nazari, gratiam, remedium attulisti : ac omnibus porro, qui ad veneranda lipsana tua appropinquant, eximie fragrans unguentum, ebullitione quadam subministras. *Et ode* 8, Antiqua, *inquit*, Roma, tua prædicat certamina, o multarum palmarum victor Nazari : ait Nova Roma (seu CPolis) canit tua prodigia, per sacras reliquias tuas, quas possidet, inter fideles perpetrata. *Et mox :* Ritu fontis unguenta gratiæ profundens divinus ille Nazarius, invitat omnes, qui ad eum religiose confugiunt, ut hauriant ex se lucem atque munditiam mentis. *Quæ hic inserta vides de* antiqua Roma, *tamquam* certaminum *palæstra, discutientur infra. Neque porro refragabimur credere, in aliis quoque Orientis locis publicum, de quo*

A *quo agimus, cultum viguisse; quoniam adeo solenniter CPolis, Orientis caput, aliis in eo locis præluxit; et viguit fortasse Antiochiæ, si non sit mendosa annuntiatio ex apographis Hieronymianis ad diem* XXX *Octobris, superius allegata, et expensa.*

Primis post corporum inventionem temporibus institutum fuisse Mediolani processionem

53 *At nunc ad Occidentem transeamus, visuri quo pacto post inventa ac translata a S. Ambrosio nostrorum Martyrum corpora, deinde lapsu temporis eorumdem cultus ad varia Italiæ loca fuerit diffusus: quæ tamen non prius lustrabimus, quam ubi exposuerimus, quanto venerationis studio apud Mediolanenses æstimatissimorum sibi Sanctorum memoria floruerit. Ac de annua imprimis cleri Mediolanensis processione ad ecclesias, in quibus condita sunt corpora* SS. Nazarii *et* Celsi, *tractat Puricellus cap.* 51; *quam solennitatem jam tum ab initio incepisse affirmat, citans Landulphi senioris Chronicon Mediolanense lib.* I, *cap.* 3; *ubi sequentia ista leguntur:* Accidit, ut dum quidam dux Gothorum extraneæ gentis, nomine Ruilus, illos *(sacerdotes Mediolanenses)* in B festivitate SS. Nazarii et Celsi, et ad silentium polite ornatos, et cum episcopo *(S. Ambrosio)* gradientes, inopinate supervidisset, non illos tantum sacerdotes, sed episcopos credidit, et affirmavit, dicens:

asserit Puricellus ex Landulphi senioris Chronico sublestæ fidei;

54 „ Certe cum ego fere totum orbem terrarum jussu Valentiniani imperatoris circumdedi, et vidi, inquirens usum et mores ipsorum, maxime et religiosorum episcoporum; numquam tamen tanto stupore et tam ineffabili admiratione obrigui. „ Qui videns et admirans hæc, parum subsistit: tandem abiit, secum mirans, quæ viderat. *Et subjungit mox Puricellus:* Clerus nempe metropolitanus apparatu pompaque solenni quotannis in eorum Martyrum natali festivitate procedebat ad basilicam Apostolorum, in qua siquidem corpus Nazarii collocatum esset; sicut etiam postera die procedebat ad ecclesiam S. Celsi; quia nimirum pariter illius corpus ibidem requiesceret. Prior tamen ea processio longe solemnior erat. *Landulphi istius senioris Chronicon, sub titulo Mediolanensis historiæ nuper editum fuit inter Rerum Italica-* C *rum scriptores, tomo* 4; *e qua editione prolatum modo textum delibavimus. Istius auctoris maculas ac vitia detegit et castigat V. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius in Prolegomenis, pag.* 49; *unde non videmus, quam vel tenuissimæ fidei micam chronicaster ille ineptus et absurdus facere possit ad præsens argumentum, eo præsertim, quod et scriptor sit imperitus et sublestæ fidei; et cum vixerit seculo* XI, *quidnam de re, quæ contigerit seculo* IV, *satis apte et accommode nobis persuadere is possit?*

qua quamquam inde non satis probetur veritas, is tamen nobis est. Annua translatio.

55 *Præsertim quia* non in eruditione tantum ecclesiastica ineptit Landulphus, sed in ipsarum etiam rerum narratione, quæ non multis seculis aut annis ante ejus tempora contigerant, *uti ibidem habes pag.* 50. *Quamquam vero solennis ista apud Mediolanenses processio sub prima, quibus Sancti nostri innotuerunt, tempora a Puricello sic non satis probetur; credibile tamen nobis est, hæc aut similia publicæ erga Sanctos adeo sibi charos venerationis obsequia a piis Mediolanensibus non fuisse prætermissa, quibus eorum apud Deum gratiam ac patrocinium sibi demereri possent, et inventum apud se tam mirabili ac spectabili Dei manifestatione thesaurum quam religiosissime et decentissime cohonestare. Ad posteriora tempora spectat* Quarto Kalendas Augusti processio ad S. Celsum; *de qua Puricellus cap.* 97 *pag.* 467. *Translationem* S. Nazarii *seculo* XI *profert Puricellus cap.* 90, *ex auctore Vitæ S. Arialdi, his verbis:* Arialdus itaque, ex decumanis canonicis, cœpit cum Landulfo tacite seminare inter clericos et laicos urbis, quæ foris (in oppido Varisio *interserit Puricellus)* prædicaverat in aperto. Cumque translatio beati Nazarii a cunctis clericis et civibus devote celebraretur, *etc. Porro de dicto auctore egerat Puricellus cap.* 64, *num.* 26. *Consule etiam apud nos Commentarium de dicto Sancto ad* XXVII *Junii.* De anniversaria *autem* translatione auctorem *hic* loqui, et non de prima, tunc temporis celebrata, quando S. Nazarii corpus primo inventum est, *recte censet contra Ripamontium: sicut eodem cap.* 90 *ex ejus verbis a Puricello citatis videri potest. In Actis ecclesiæ Mediolanensis a S. Carolo Borromæo conditis et Lugduni editis anno* 1683, *part.* 7, *pag.* 1012 *inter litteras pastorales dicitur:* Festis diebus huic urbi et diœcesi propriis, ut divi Ambrosii... Nazarii, Celsi... antiquæ populi hujus devotionis memineris; qui vigiliis et processionibus, frequentioribus precibus, et E pietatis exercitiis eos dies agebat; cujus exemplo, ad eorum Sanctorum cultum religiosius exciteris.

AUCTORE J. P.

Serena S. Nazarii apud Mediolanenses lipsanorum locum exornat

56 *Porro quod* S. Nazarius *jam inde a primis inventionis suæ annis summa cum veneratione cultus fuerit, et apud principes personas singulari in honore habitus, illud argumento est, quod Serena, magni Theodosii neptis, et Stiliconis uxor, eam basilicæ partem, qua istius sancti Martyris conditæ fuerunt reliquiæ, Lybicis marmoribus ex voto adornaverit, teste Tristano Calcho in Historia Mediolanensi lib.* 3, *ad annum* 404; *qua de re tale refert exstare epigramma:*

Qua sinuata cavo consurgunt tecta recessu *,
Sacratæque crucis flectitur orbe caput,
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus,
Conditus exultat hunc tumulo esse locum:
Quem pius Ambrosius signavit imagine Christi,
Marmoribus Lybicis fida Serena polit, F
Conjugis ut reditu Stiliconis læta fruatur,
Germanisque piis, pignoribus propriis.

* *Sirm. regressu.*

De hoc epigrammate pluribus agit Puricellus cap. 58; *et noster Jacobus Sirmondus in notis ad Ennodium a se editum pag.* 87 *illud memorat.*

S. Paulinus, episc. Nolanus S. Nazarii reliquias collocat in ecclesia Nolana et Fundana:

57 *His de religioso Sanctorum nostrorum apud Mediolanenses cultu ita expositis, nunc ad alia Italiæ loca progrediamur. S. Ambrosius misit S. Paulino episcopo Nolano reliquias* S. Nazarii: *qui piissimus præsul summa cum veneratione illas admisit, atque in ecclesia Nolana S. Felicis reposuit. Rem gestam Poemate* 24 *canit ipsemet his versibus:*

Hic et Nazarius martyr (quem munere fido
Nobilis Ambrosii substrata mente recepi)
Culmina Felicis dignatur et ipse cohospes,
Fraternisque domos privatis sedibus addit.

Ejusdem quoque Sancti lipsana collocavit in Fundana, quam ædificabat, basilica; prout liquet ex epistola 12 *ad Severum; ubi inter versus circa reliquias eidem epistolæ ab ipso inspersos, occurrit in hoc pentametro*

Martyr et illustris sanguine Nazarius.

S. Gaudentius apud Brixianos; capi a sibi vendicant Triventini: reliquiæ ad S. Zenobium missæ.

58 *Cujus etiam sacra pignora apud Brixianos deposuit S. Gaudentius, episcopus Brixianus: nam post enumeratas quorumdam aliorum Sanctorum, quas habere se dicit, reliquias,* Post istos, *inquit;* habemus Gervasium, Protasium, atque Nazarium,

AUCTORE J. P.

Nazarium, beatissimos martyres, qui se ante paucos annos apud urbem Mediolanensem sancto sacerdoti Ambrosio revelare dignati sunt: quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes; tenemus enim sanguinem, qui testis est passionis. *Ita sanctus ille sermone* 17, *secundum ejus editorem et illustratorem Paulum Galeardum, canonicum Brixianum (qui opera illa vulgavit Patavii anno* 1720*) habito paulo post annum* 397. *Porro de vitreis et figlinis vasculis, quibus martyrum sanguinem fideles solebant colligere, consuli potest Paulus Aringhus Romæ subterraneæ lib.* 3, *cap.* 22. *Ughellus Italiæ sacræ tom.* 2, *col.* 1073 Cathedralis, *inquit*, ecclesia *Triventina* vetustæ ac nobilis structuræ, Divis tutelaribus Nazario et Celso martyribus dicata est; ubi eorum pretiosa capita in argentea theca asservantur, olim a quodam Triventino episcopo Mediolanensis patriæ, S. Ambrosii temporibus illuc translata, constans est civium patrumque eorum memoria, præter monumenta

B ejusdem ecclesiæ; *sed* Triventinus episcopus *anonymus*, patrum memoria, monumenta *mere dumtaxat nominata, non autem probata, quam parum probare possunt rem adeo antiquam! Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio Romæ Christianæ et gentilis ad hunc diem* XXVIII *Julii*, ad S. Joannem in Fonte esse eorum reliquias *memorat*, donatas, *si ipsi credimus*, ab ipsomet S. Ambrosio. *Sed antiquiora pro ista donatione testimonia desideramus. De sacris lipsanis* Nazarii *et* Celsi *ab isto præsule ad S. Zenobium episcopum Florentinum missis, agitur apud Surium in ejus Vita ad diem* XXV *Maii; sed in nulla ex tribus Vitis apud nos ad eumdem diem a pag.* 52 *datis, hoc invenio; quod tamen habet Razzius Italice, de Sanctis ac Beatis Tusciæ pag.* 80 *ex Vita S. Simpliciano adscripta.*

Ædicula SS. Nazario et Celso Ravennæ exstructa a Galla Placidia. Quid Ticini, Beneventi, ac Placentiæ?

59 *Ravennæ Sanctos nostros haud fuisse ignobiles, conficitur ex eo, quod Galla Placidia augusta, primo Ataulfi, deinde Constantii conjux, ac Valentiniani imperatoris parens*, Divis etiam Nazario ac Celso elegantissimam exstruxit ædiculam, in qua sepeliri voluit... Parietes præclaro

C marmore undique incrustati, pavimentum ipsaque ædiculæ testudo, vermiculato opere pulcherrime exornata; *quibus* omnibus non solum interfuit, sed præfuit, *teste Hieronymo Rubeo Historiæ Ravennat. lib.* 3, *ad annum* 449. *Ticini quoque inclaruerit fama* S. Nazarii, *utpote quem S. Ennodius, ejusdem urbis episcopus, seculo sexto ineunte clarus, et a nobis illustratus ad diem* XVII *Julii, carmine celebravit.* Exstat Beneventi sacra ædes S. Nazario dicata, olim monasterium monialium (hodie antiquitate consumptum) quod Pelagius PP. ad religionem Gregorii magni, tunc temporis diaconi Cardinalis, suppressit, et monasterio S. Mariæ ad Olivolam perpetuo adjunxit, et annexuit, *sicut legere est apud Marium de Vipera in suo Catalogo Sanctorum ad hunc diem* XXVIII *Julii; ubi assignatur ipsi ritus duplex. Placentiæ denique* SS. Nazarii et Celsi *ecclesiam invenies apud Petrum Mariam Campi, Historiæ Placentinæ parte* 3: *ut videre datur in indice ecclesiarum, qui dictæ parti subnectitur. Reliquum est, ut propagatam in aliis extra Italiam locis publicam Martyrum venerationem prosequamur.*

D

§ VII. Sancti in aliis per Occidentem locis præsertim in Gallia celebres ex reliquiis, et ædibus sacris, etc.

Sacræ exuviæ quaquaversum transmissæ a S. Ambrosio:

Auctor *sermonis* in natali sanctorum martyrum Nazarii et Celsi, *qui sermo attribuitur S. Ambrosio, atque inter opera ejus habetur in editione quidem Coloniensi anni* 1616, *tom.* 5, *a pag.* 70, *ubi est ordine sermo* 14; *in Parisiensi autem anni* 1586 *est ordine* 93, *et habetur a col.* 917; *auctor, inquam, istius sermonis, de quo suus post recurret disserendi locus, scripta reliquit ista*: Beatum... Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis ecclesia licet totum corpore secum retineat, et mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc est enim sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. *Sacræ itaque* S. Nazarii *exuviæ quaquaversum dispersæ. De Oriente et Italia jam id diximus; nunc vero* E *de aliis, quibus id accidit, locis sermonem instituemus; quo non illius dumtaxat, sed sancti quoque* Celsi *veneranda lipsana transmissa sunt, ne ipsa quidem Africa ab hoc sacro thesauro exclusa, sicut quidam voluit; sed dispiciamus an satis recte.*

ad episcopos Afros in Sardinia exsules

61 *Nam episcopi Afri ob persecutionem Wandalicam relegati in Sardiniam anno, sicut ponit Tillemontius in historica collectione nostrorum Martyrum, tomo* 2 *Monumentorum eccles. pag.* 88; *anno, inquam,* 508 *poposcerunt benedictionem, id est reliquias aliquas sanctorum martyrum* Nazarii *et Romani*; *prout planum fit ex S. Ennodio lib.* 2, *epist.* 14. *Audiantur ejus verba*: Quod tamen directis ad filium nostrum H. diaconum literis speratis, beatorum martyrum Nazarii et Romani benedictionem poscentes, fidelibus non negamus. Accipite veneranda patrocinia invictorum Militum. *Locum hunc notis illustravit Sirmondus antea memoratus; ubi inter alia recte observat, epistolam hanc* ab Ennodio quidem *esse scriptam*, sed pro Symmacho; cujus etiam nomine F inter alias ejus epistolas legitur in antiquis collectionibus. *Ita ille; qui et per* H. diaconum *opinatur intelligi*, Hormisdam, qui diaconus erat Romanæ Ecclesiæ.

Symmachus PP. mittit reliquias S. Nazarii,

62 *Hanc reliquiarum communicationem Tillemontius quoque tribuit Symmacho; non Baronius, qui in notationibus suis hac die* XXVIII *Julii tum illam tum epistolam adscribit Ennodio Ticinensi: sed Baronium, ne secum is pugnet, facile ex Baronio explicabis, eumdem et secum simul ac cum aliis conciliaturus; nam ad annum Christi* 504 *fatetur quidem, illam epistolam, tametsi inter scripta Ennodii Ticinensis reperiatur, dicendam tamen potius esse Symmachi PP., sed quæ ab ipsius diacono Ennodio, nomine Symmachi PP. scripta fuerit. At parum nostra interest, hanc controversiunculam pluribus discutere: aliud punctum ac palmare quidem se nobis offert circa istas* S. Nazarii *reliquias, nostrine an alterius synonymi censeri debeant.*

qui tamen nostris probabilius videtur

63 *Nostri atque hodierni eas esse* Nazarii, *censuisse Baronium ac Tillemontium, satis perspicue constat ex eorum textu; hujus quidem in citata collectione; illius autem in notationibus. Puricellus*

A *lus cap.* 68 *est in alia sententia; quam nos quoque tamquam probabiliorem amplectimur, his verbis ab ipso expositam :* Quoniam igitur epistola hæc vere vel a Symmacho Papa, vel ipsius nomine ab Ennodio scripta fuit.... Propterea sacræ illæ martyrum Nazarii et Romani reliquiæ ab eodem Symmacho, vel ipsius nomine ab Ennodio missæ sunt, nec aliunde quidem, quam ex urbe Roma. Quocirca, tales etiam S. Nazarii reliquas, ego sane crediderim, non Nazarii fuisse nostri, qui ne miles quidem fuit; sed illius, quem postea cap. 75 videbimus Romæ passum, vereque militem fuisse, Martyrologii etiam Romani testimonio; *de quo mentionem faciemus etiam nos inferius alia occasione. Nunc pergamus cum Puricello :*

non fuisse hodiernus,

64 Quod si quis a me, *inquit laudatus jam sæpe auctor*, pariter requirat, quisnam fuerit alter item ille martyr ac miles, nomine Romanus, cujus itidem reliquiæ ad episcopos illos missæ sunt; ego B quidem illum responderim non alium fuisse, quam eum, de quo Martyrologium pariter Romanum quinto Idus Augusti sic habet " Romæ S. Romani " militis, qui in confessione B. Laurentii compun- " ctus, petiit ab eo baptizari : et mox exhibitus, ac " fustibus cæsus, ad ultimum decollatus est. " *At de isto Martyre plura nobis dicenda reservamus ad diem* IX *Augusti, quo inscribitur Martyrologio Romano. Nobis interim probabilior apparet sententia Puricelli, quod videlicet Nazarius ille, cujus sacra lipsana ad episcopos Afros transmissa sunt, non fuerit noster hodiernus, sed vel supra dictus Martyr iste, vel alius synonymus Romæ passus :* I. *Quia lipsana ista Roma missa, et a Symmacho quidem PP., ut fatentur ipsimet, qui sunt in contraria sententia : hodierni vero* Nazarii *lipsana eo directa fuisse, non scimus.* 2. *Quia ista, de quibus hic controversia est, lipsana missa sunt simul cum reliquiis martyris Romani, Romæ passi.* 3. *Quia sub* invictorum militum *nomine missa; quales duo isti Martyres exstitere; noster* C *vero* Nazarius *non item.*

sed alius synonymus Romæ passus.

65 *Quod mirum certe nobis accidit, Baronium non observasse; neque ipsum Tillemontium, alibi sæpe plus æquo lynceum, hic autem adeo parum oculatum; qui nostro quidem judicio Nazarium istum militem cum nostro synonymo hodierno confuderunt. Nobis, inquam, longe probabilior apparet ista sententia; certam quippe non audemus illam dicere; etenim quandoquidem nostri* Nazarii *reliquiæ a S. Ambrosio quaquaversum dispersæ sunt, quid vetat, eas Romam ab eodem præsule mitti facile potuisse vel ad S. Gelasium hujus nominis I, vel ad Anastasium II, Symmachi in cathedra S. Petri decessores; et vero* invictissimi milites *in sensu satis usitato ac proprio, quamquam in significatione metaphorica, vocari possunt quilibet Martyres, qui præliantes prælia Domini, gloriosam victoriæ coronam fuso pro fide sanguine reportarunt. At de his plus satis. Nunc alia nos vocant loca.*

Reliquias SS. Nazarii et Celsi Parisiis honoratas fuisse

66 *Sacra* Nazarii *ac* Celsi *pignora jam inde a Childeberti I, Francorum regis temporis in Gallia honorata fuisse, colligitur ex Pragmatico seu regio diplomate, quod legitur apud Aimoinum. lib.* 2 *Gestis Francorum, cap.* 20; *et in quo rex iste ita loquitur :* Ego Childebertus rex .... cœpi construere templum in urbe Parisiaca prope muros civitatis.... in honore S. Vincentii martyris; cujus reliquias de Spania apportavimus; *et tum aliorum Sanctorum tum* Nazarii et Celsi pueri.... reliquiæ ibi *dicuntur* esse consecratæ. *In fine autem instrumenti hujus apponitur :* Datum quod fecit mensis Decembris die sexto, anno XLVIII, postquam Childebertus rex regnare cœpit. *Templum illud S. Vincentii, nunc est S. Germani Pratensis Parisiis, cujus abbatiam fundavit idem rex. Sanctio pragmatica prædicta refertur a Baronio ad annum* 561; *quo apud Pagium num.* 8 *impetitur tamquam Aimoino intermixta, supposititia atrue interpolata.*

AUCTORE J. P.

tempore Childeberti I. confirmatur ex diplomate ejus.

67 *Habetur tamen part.* I, *pag.* I *collectionis documentorum ad faciendam fidem eorum, quæ in historia regiæ abbatiæ S. Germani Pratensis, Lutetiæ Parisiorum anno* 1724 *Gallice edita, narrantur; apposito et anno* 558. *Consuli post super hoc regio diplomate Mabillonius Annalium Benedictinorum tomo* I, *ad annum* 555, *ubi diploma illud vir rei diplomaticæ apprime gnarus obiter approbat,* nihil morari *se dicens* effutias quasdam, quas critici recentiores in hoc diploma objiciunt *etc. Nos litem hanc non decidimus, sed ulteriorem harum tricarum discussionem relegamus ad eos, quibus et plus abundat otii, et quorum id magis interest. Propius enimvero huc spectat, quod ex S. Droctovei abbatis olim S. Germani Pratensis* E *Vita, a nobis edita ad diem* X *Martii habemus pag.* 39 : *ibi nimirum inter aras quatuor, in ista S. Vincentii ecclesia contentas, et a S. Germano consecratas, illam,* quæ ad occidentem, Domino in honore SS. Gervasii et Protasii, et Celsi pueri, sanctique Georgii martyris consecravit *idem S. Germanus, qui uti ibidem dicitur in annotatis, anno Christi* 558 *ipsam illam consecravit ecclesiam. Nihil hic de* S. Nazario *dici, miramur.*

Epigramma Fortunati super ecclesiæ S. Nazarii a Leontio Burdigal. ep. condita.

68 De domno Nazario martyre Christi *occasione unius ecclesiæ, quam Leontius episcopus Burdegalensis in ejus honorem ex sacello ædificarat, est apud Fortunatum libro* I *epigramma* 10, *his verbis concinnatum :*

Culmina conspicui radiant veneranda Nazari,
 Cujus membra solum. spiritus astra tenet.
Semine terrigeno terrenis usibus exsors
 Immortale bonum pulvere natus homo.
Nil carnale volens, sed Christi præmia poscens,
 Sanguine de proprio victima digna Deo.
Hæc tibi templa sacer devota Leontius offert,
 Majoremque suam hinc cupit esse domum. F
Hic prius angusto fabricata est machina gyro,
 Quo neque tunc poterat plebs veneranda capi.
Dejectamque solo rursus fundavit ab imo,
 Et dedit hæc quæ nunc amplificata placent.

De Leontio isto consuli possunt Sammarthani in archiepiscopis Burdegalensibus; dum nos interea temporis, quid de aliis Galliarum tractibus eruderandum supersit, expendere pergimus.

qui apud Æduenses quoque claruit; uti constat ex diplomatibus,

69 *Magna ibidem apud Æduenses seu Augustodunenses veneratione* S. Nazarium *honoratum antiquitus fuisse, illud argumento est, quod ecclesia ibidem cathedralis sub ipsius nomine, haud dubie tamquam Sancti tutelaris, jam a decem circiter aut amplius seculis dedicata sit; in cujus favorem exstat diploma apud Sammarthanos in episcopis Æduensibus a Ludovico Pio imperatore directum ad Modoinum ejusdem sedis antistitem : in quo dicitur, quod* antecessores reges Francorum ecclesiæ S. Nazarii martyris, cui .... ipse Modoinus præest, sub suo nomine et defensione .... consistere fecerunt .... Data XI Kal. Augusti anno Christo propitio II imperii domini Ludovici piissimi augusti, Indictione VIII; *qui characteres temporis concurrunt cum anno*

AUCTORE J. P.

Christi 815. *Aliud ibidem habetur diploma Caroli Calvi regis ad Alteum Augustodunensem episcopum, in gratiam ejusdem ecclesiæ datum ; in quo illa vocatur* sedes matris ecclesiæ, quæ est constructa in honorem S. Nazarii martyris.... Data III Nonas Julii, Indictione VIII, anno IV, regnante Carolo, gloriosissimo rege ; *sed sextus Caroli annus, qui transpositis litteris numeralibus forte hic legi debet, concurrit cum Indictione* VIII, *et anno Christi* 845. *Aliud insuper ibi diploma reperies, quod Jonas, ejusdem cathedræ præsul, ab eodem Carolo Calvo pro sua ecclesia impetrarit.*

basilica cathedrali, moneta, ac reliquiis.

70 *Apud Launoium in opusculis de Lazari, Magdalenæ etc. in Provinciam appulsu cap.* 8, *pag.* 95 *citatur auctor, qui superiori post ipsum seculo vixerit, atque hæc scripserit, quæ ex Launoio transcribimus :* Basilica major et antiquior mater et cathedralis in honore Dei ac beatorum Nazarii et Celsi martyrum fundata exstitit. *Auctor ille hic meminit etiam de* S. Celso ; *sed in Notitia episcopatuum Galliæ qua Francia est, apud Andream Chesnium inter Historiæ Francorum scriptores tom.* I, *pag.* 65, *ubi sermo est de templis cathedralibus ac eorum patronis, seu Sanctis quorum nomine dedicata sunt, Augustodunensi dantur Lazarus ac* Nazarius, *non autem* Celsus. *Anno* 1713 *prodiit liber Gallico idiomate editus de Vitis sanctorum Patronorum, Martyrum et episcoporum Augustodunensium ; qui a pag.* 106 *de nostris Sanctis agit, Vitam et panegyrim eorum pertexens ex Ennodio episcopo Ticinensi, et sermone inter opera S. Ambrosii edito. Liber ille eo a nobis hic citatur, ut pateat* SS. Nazarium et Celsum *hodieque ibi haberi in summa veneratione ; cum intitulo, qui dictæ panegyri præmittitur,* patroni diœceseos Augustodunensis *vocentur.* De moneta Æduensi antiqua, cusa sub S. Nazarii effigie *obiter meminit Saussayus ad* XXVIII *Julii; et pluribus ad diem* VI *Novembris, ubi sic habet ;* Augustoduni Æduorum adventus et susceptio sacrarum reliquiarum S. Nazarii martyris, ejusdem ecclesiæ cathedralis antiqui tutelaris : in cujus nomine concesso sibi a Christianissimis regibus Carolinæ stirpis monetæ cudendæ jure, numismata illa, quæ hodieque supersunt, ipsamet ecclesia pridem signavit. *Et vero apud Chesnium loco mox citato,* Vidi, *inquit dictarum Notitiarum collector,* monetam argenteam sic inscriptam « Moneta S. Nazarii » *et ex* alia parte « Aedua civitas » *Neotericus Legendista Gallus ad* XXVIII *Julii de nostris Sanctis agens, observat quod ecclesia Augustodunensis* S. Nazarii *non sit amplius primaria, sed quod ipsam dignitatem cesserit ecclesiæ S. Lazari Bethanici. In Breviario Æduensi, anno* 1534 *typis edito,* SS. Nazarius *et* Celsus, *ab ipsa vigilia incipiendo, celebrantur valde solenni ritu cum Octava : et in oratione dicitur* populus.... sub tantis.... patrociniis .... constitutus. *Joannes Rolin, episcopus Æduensis et Cardinalis, inter statuta synodalia anno* 1468 *præcipit observare eorum festum, abstinendo ab omni opere servili ; uti videre est apud Edmundum Martene Thesauri novi anecdotorum tomo* 4, *col.* 519. *Et ibidem inter alia ejusdem ecclesiæ synodalia statuta tam nova quam vetera, col.* 475 *dictum fuerat :* Festa... Nazarii et Celsi martyrum .... injungantur solemniter observari.

§ VIII. Sancti alibi in Gallia honorati ; Ebredunenses synonymi probabilius ab hodiernis distincti; miraculum : reliquiæ infra Nannetas in Britannia minore S. Nazarii incerti ; punitus earum contemptor ; Nazarius Vercellensis.

Sanctorum veneratio

I*dem, quem modo citavimus, Legendista Gallus memorat, extensum esse cultum in diœcesi Parisina ; et quod ad* S. Celsum *attinet, dicit, quod* factus fuerit in particulari titularis unius parochiæ archidiaconatus de Josas versus limites archiepiscopatus Carnotensis, ab Celsi nomine appellatæ S. Ceouls, et corrupte S. Sous ; quod geographi etiamnum amplius deformaverunt, notando Cinq-Sols in suis mappis. Antiqui parochiæ tituli appellant S. Cheours. At videtur illa amisisse nomen et cultum nostri sancti Martyris, postquam Guilielmus de Lamoignon, primus in supremo senatu præses, factus territorii dominus, vocari eam jussit Courson vel Launay-Courson. *Quod ultimum compositum loco inditum esse a fine seculi* XVII, *tradit Castellanus in suo Supplemento, pag.* 697 : *ubi alias etiam ponit nominis Celsiani metamorphoses, notans* S. Celsum *insuper esse* dictum S. ESCEUX, apud Augustam Ausciorum *(Ausche) quæ est metropolis in provincia Auxitana Galliæ ;* et S. SOUX in Bituricensi provincia ; et in territorio Josacensi *(le Josas)* in diœcesi Parisina : cui loco nonnullæ ex ejus reliquiis allatæ Parisios dederant nomen ; *uti refert ex Aimoino, seculi* X *scriptore ; sed locum ejus non indicat. At nunc ad Biterrensem ecclesiam pergamus ; ubi nonnulla se offerunt, scitu non indigna ad argumentum quod tractamus, et satis ostendunt, Sanctos nostros ibi aliquid singulare habuisse.*

in variis Galliæ

72 *Officium proprium habere Sanctos nostros, notatur in apographo, quod servamus,* ex antiquo Breviario Ms. Biterrensi. *In instrumento conventus episcoporum, anathema dicentium in invasores ecclesiæ Biterrensis, quod editum legitur ex chartario Biterrensi apud superius assignatum Edmundum Martene. apposita ad marginem instrumenti nota temporis* circa MXC, *habentur ista :* Quidam illustris vir, et sanctæ operationis largus effector... nomine Atradulfus, et uxor sua nomine Garsindis contulerunt Domino Deo et sanctis martyribus Nazario et Celso Biterrensis sedis ecclesiæ, pro suorum et omnis genealogiæ suæ peccatorum redemptione, et æterna adipiscenda beatitudine, contulerunt in quadam nostri episcopatus villa Tortilias dicta ecclesiam ejusdem villæ cum suis decimis et pertinentiis, et cum omnibus ad eam jure pertinentibus, et omnem alium alodem suum, quem in illa villa, supra scripta, et in ejus terminio habere videbantur *etc.*

locis.

73 *Hinc de antiqua Sanctorum apud Biterrenses veneratione certiores reddimur. Ne Provinciam in Gallia indictam relinquamus,* Cemilienses et Nicienses Celsum et Nazarium patronos habent, *sicut notat noster Antonius Macedo in Divis tutelaribus orbis Christiani, pag.* 162. *Dicendum etiam*

A *etiam nobis est, quid sit sentiendum de sacris lipsanis sanctorum Martyrum, an nostrorum an homonymorum dumtaxat, apud Ebredunenses in Delphinatu Galliæ; item de* S. Nazario *in territorio Nannetensi Britanniæ minoris; sed sancto denique pariter synonymo Martyre Vercellis in Sabaudia.*

Sacra eorum lipsana Ebredunum Mediolano translata esse.

74 *Ab Ebredunensibus itaque reliquiis exordiamur; de quibus Baronius hoc die in suis notationibus ita loquitur :* Translatæ sunt etiam in Gallias Ebredunum ; sed ob frequentes barbarorum incursiones *(puta seculo 5)* jam oblivione sepultæ, ac iterum inventæ, occasionem dederunt, ut Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 47, rerum gestarum inscius, existimaret dictos Martyres Ebreduni in Gallia esse passos, secutus fidem cujusdam apocryphi. *Multa paucis verbis hic affirmat Baronius, quæ nobis, salvo meliore judicio, non videntur eadem facilitate, qua afferuntur, probari posse. Etenim bona sapientissimi Viri venia, quærimus* I. *Unde constet, reliquias hasce Ebredunenses esse* SS. Nazarii *ac* Celsi *Mediolanensium, et non potius synonymorum Ebreduni passorum?* 2. B *Quæ de translatione Mediolano Ebredunum, ac oblivione ibidem et deinde de inventione proferuntur, quid sunt nisi mera conjectura, ex isto eodem supposito concepta, quod apud Ebredunenses sint reliquiæ hodiernorum nostrorum Martyrum? Nullo enimvero indicio id prodit Gregorius Turonensis : imo potius prodit contrarium : nam paulo ante in eodem capite signate egerat de corporibus SS. Gervasii ac Protasii Mediolani sepultis; ac paucis interjectis pergit ad corpora* SS. Nazarii *ac* Celsi *ad Ebredunenses spectantia. Quod studio eum fecisse, cur credibile non sit ne quis putaret, eum in posterioribus agere de synonymis istis Mediolanensibus, sicut in prioribus de Mediolanensibus egerat? Utut est, rectius sane utrumque Martyrum par synonymum, de quo hic controversia est, Gregorius distinguit.*

censet Baronius ex Gregor. Turon.:

75 *Proferamus et expendamus ejus verba :* De sancti vero Nazarii, ac Celsi pueri artubus, quos apud Ebredunensem Galliarum urbem passos lectio certaminis narrat, ipsa corpora et ita clam, propter paganorum insecutionem, sepulta sunt, ut in tempora secutura oblivioni darentur. *Quæ cur nostris Mediolanensibus aptari debeant, imo* C *vero quomodo possint, adeo nos non assequimur, ut non concipiamus potius, qua veri specie,* artus *ac* corpora, *ibidem, uti suadetur ex textu,* sepulta *(namque mox narrat Gregorius,* super hæc sepulcra *mirabile illud contigisse, quod paullo post ex ipso enarrabimus) qua, ut iterum dicamus, veri specie tanta reliquiarum massa pertinere queat ad hodiernos nostros Martyres, tum propter dicta de sacris eorum exuviis quaquaversus per orbem transmissis; tum propter dicenda sequenti paragrapho de statu corporum ipsorum Mediolani? Neque ex eo, quod verba illa, ex Gregorio mox producta, habeantur sub eodem titulo ac capite cum iis, quæ præmiserat ibidem de sanctis Mediolanensibus Gervasio et Protasio, inferas ibi etiam agi de* Nazario *ac* Celso *Mediolanensibus : nam præter illa, quibus modo hanc objectionem prævenimus, contra est, quod Theodoricus Ruinartius in notis ad hunc, quem supra dedimus, Gregorii a se editi locum observat, ista* sub alio capitis titulo in Mss. haberi; *quæ proinde conjuncta simul ac confusa forsan postmodum fuerint ab aliquo imperito, qui uti priores Sanctos, sic etiam nostros ibidem ordine posteriores, omnes in ejus idea Mediolanenses, ad unum idemque caput revocarit.*

AUCTORE J. P.

sed Ebredunenses ab Mediolanensibus videntur diversi;

76 *Utcumque hæc nostra se habeat conjectura;* lectio certaminis, *quatenus Sanctos, de quibus Gregorius Turonensis,* apud Ebredunensem Galliarum urbem passos narrat, *nobis nec est apocrypha, nec erit, quamdiu talis non probatur : præsertim cum Ado Mediolanenses hodiernos ab Ebredunensibus clarissimis terminis distinxerit ad diem* XII *Junii: postquam enim tunc annuntiationem suam exorsus esset a Mediolanensibus, illam Ebredunensibus sic concludit :* Sed et Nazarii et Celsi, quos duos passos fuisse apud Ebredunensem urbem, antiquitas memorando celebrat. *Poteratne Viennensis præsul clarius, distinctius atque expressius secernere alterum ab altero utrumque hoc synonymum Martyrum par? Cur igitur nos illud confundamus? Neque moramur hic Sammarthanos, qui inter episcopos Ebredunenses de Artemio referunt, quod reliquias* SS. Nazarii *et* Celsi, *refossis a S. Ambrosio eorum corporibus, pro sua ecclesia ab eodem impetrarit; et citantur Ebredunenses tabulæ, quæ illud circa annum* 392 *conjiciant : sed in novissima editione opera et studio* E *Dom. Dionysii Sammarthani V. Cl., Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti præpositi Generalis, Lutetiæ Parisiorum anno* 1725 *regiis typis ad tertium usque totum provecta, col.* 1055 *melius nostra quidem sententia dicitur* Artemius.. in ea *ecclesia* reliquias SS. Nazarii et Celsi martyrum EBREDUNENSIUM collocasse *etc. Sed ut ad Baronium redeamus, videri possunt, quæ pro nostra sententia objicit illi Puricellus cap.* 49, *ubi Baroniana proposita, nostram etiam ex Adone confirmat. Codex itaque Usuardinus Bruxellensis, dum Martyres Mediolanenses ab Ebredunensibus synonymis non distinguit (prout conficitur ex dictis inter Auctaria ad Usuardum nostrum die* XII *Junii) in hoc a nobis probari non potest, sed reprobari debet potius, in eamdem utique confusionem lapsus.*

ad quorum sepulcrum

77 *Age vero, quoniam quæ Ebredunenses istos Martyres spectant, in Prætermissis apud nos, a die* XII *Junii ad hodiernum remissa sunt, nunc referamus rem mirabilem ad eorum sepulcra gestam, quam Gregorius Turonensis sic memorat citato cap.* 47 : Referre erat solitus vir ille, qui de supradictis Sanctis *(Gervasio ac Protasio)* quæ præfati fuimus, enarravit, natam fuisse super hæc sepulcra pirum arborem, et fecisse quemdam pauperem hortulum in hoc loco, qui hanc arborem concludebat. Verum cum poma juxta morem tempore debito ferret, quicumque exinde infirmus, qualibet ægritudine detentus, pomum mordicus decerpsisset, mox ablata infirmitate convalescebat: unde magnum quæstum pauper ille habebat. Sed cum se revelantes Martyres, arborem incidi jussissent, pauper ille in magnis fletibus prorumpens, incidi arborem non sinebat.

mira contigisse memorantur.

78 Quo remoto, succisa piro, basilica miro opere ædificata est : in cujus etiam altari beati Genesii Arelatensis martyris *(de quo agit cap.* 68*)* reliquiæ venerantur. Tantaque pauper ille fide prælatus est, ut sacerdotium in hac ecclesia deinceps promoreretur. *Porro τὸ* vir ille, *ex cujus ore Gregorius miram hanc historiam didicit, et cujus solius fide tota ejusdem veritas nititur, appellat ad præcedentia, quæ ibi habentur de SS. Gervasii ac Protasii reliquiis;* sermo *quippe* quadam vice de his, quibusdam religiosis est habitus *etc.* Et quæ super his, *addit Gregorius,* quodam *(ex viris nempe illis religiosis)* referente

audiv

AUCTORE J. P.

audivi *etc. Atque hæc quæ circa sacras* Nazariorum *synonymorum exuvias satis diffuse disseruimus, non parum juvabunt, ut, quantum fieri poterit, notitiam aliquam saltem confusam hauriamus circa Martyrem cognominem, cujus reliquiæ depositæ fuerint in quodam vico apud Nannetenses in Britannia minore; prius vero quam transcribamus quæ Gregorius Turonensis de illis narrat toto capite* 61 *de Glor. Martyrum; præmittemus notitiam loci; et paucula alia, quibus historiæ ex ipso narrandæ tempus illustrari possit, deinde assignabimus.*

Nazarii alicujus reliquiæ in territorio Nannetensi

79 *Ruinartius in notis ad citatum caput,* Locus, *inquit,* ille infra Namnetas hodieque nomen retinet S. Nazarii; ubi præter parochialem ecclesiam prioratus exstat monasterio S. Albini Andegavensis subjectus: *cui præfuisse abbatem tempore Gregorii Turonensis, colligitur ex ipsius verbis, quæ producemus. Quisnam porro sit ille Nazarius, cujus ibidem reliquiæ exstiterint; an Mediolanensis, an Ebredunensis, an Lauresha-mensis seu Romanus (cujus ultimi, corporis translationem, factam a Chrodegando, episcopo Me-* B *tensi, dedimus ad diem* XII *Junii, pag.* 514*) an denique synonymus Martyr Vercellensis, de quo agemus paullo post, divinare non lubet. At quisquis demum sit, existimamus nos non abs re facturos, si hoc loco non excludamus exemplum divinæ vindictæ adversus reliquiarum ipsius impium contemptorem: nam si alicubi est, hic certe locus est de ista re agendi: quia facile ad unum ex istis Nazariis, quos nunc illustramus, spectare potest. Gregorius itaque Turonensis eam sic narrat:* In territorio quoque urbis Namneticæ, in vico quodam supra alveum Ligeris, beati Nazarii reliquiæ continentur. Igitur quodam tempore homo devotus baltheum ex auro purissimo cum omni apparatu studiosissime fabricatum, super altare basilicæ illius posuit, orans, ut in causis suis Martyris virtus dignaretur adesse.

quarum impius contemptor punitus refertur

80 Quo recedente, Britto quidam ex satellitibus Warochi Britannorum Comitis, et primus cum eo adfuit, ablatoque violenter apparatu balthei, ipsum quoque baltheum repetiit; renitente presbytero ac dicente: Dei res hæ sunt, et ad reficiendos pauperes sancto Martyri sunt conlatæ, C ne famem pessimam patiantur, qui huic templo fideli devotione deserviunt: unde tu potius aliqua huc inferre, non auferre debebas. Non mollivit hominis avari animum abbatis illius prædicatio: sed potius succensus, minari ei cœpit, ac dicere: Nisi sine mora refuderis baltheum, manu mea interimeris. Tunc victus abbas, speciem super altare, quo sancta teguntur pignora, conlocavit, dicens: Et ipsam, quam petis, reiculam: si metus de virtute Martyris nullus est, aufer. Erit enim, ut confidimus, de vestigio judex, si ea auferre præsumpseris. At ille nihil metuens, abstulit, jubens sibi equum ante ipsam basilicæ porticum præparari. Cui ait sacerdos: Nullus umquam in hoc loco equum præsumpsit ascendere. Da quæso gloriam Deo, et honora Martyrem, ne mali aliquid patiaris.

ex Gregorio Turonensi.
** alii equo. apud Ruinart.*

81 Ille vero mandata negligens sacerdotis, asscenso in atrio sancto equite *, ubi egredi venit, percusso ad portæ limen superius capite, ad humum testa disrupta corruit, manibusque suorum deportatus, ut tugurium cujusdam pauperculi, quod erat proximum, est ingressus, protinus spiritum exhalavit. Quod Warochus audiens, et res, quas hic abstulit, restituit, et de suo proprio multa contulit, pavore perterritus. *Ita Gregorius Turonensis hoc factum exponit; quod, sicuti observat hic Ruinartius,* contigisse putant tempore belli, quod anno DXC commotum est. *Vide Gregorium Historiæ Francorum lib.* 10, *cap.* 9. D

Vercellensis Nazarius datur ex epitaphio,

82 *Vercellensis nunc Nazarius superest martyr; qui cum aliunde totus nos lateat; ne prorsus latere orbem pergat, videtur hic etiam locus opportunus ipsum, qualiscumque demum sit, hagiophilis exhibendi.* Epitaphium civ. Verzell. *(id est civitatis Vercellensis) profert Gruterus supra citatus, pag* MCLXIX, *de Sarmata presbytero compositum; quod dictum Martyrem nobis manifestat. Sic sonat:*

Discite qui legitis, divino munere reddi
Mercedem meritis, sedes cui proxima sanctis
Martyribus concessa Deo est, gratumque cubile,
Sarmata quod meruit venerando presbyter acto
Septies hic quinos transegit corporis annos,
In Christo vivens auxiliante loco:
Nazarius namque pariter Victorque beati
Lateribus tutum reddunt, miritisque coronant.
O felix, gemino meruit qui Martyre duci E
Ad Dominum meliore via, requiemque mereri.

At nunc ad nostros Martyres Mediolanenses revertamur.

§ IX. Corpus S. Celsi translatum seculo X; inventum ac repositum seculo XVI: S. Nazarii inventum, inspectum, ac translatum solenni pompa a S. Carolo Borromæo seculo item XVI.

Corpus S. Celsi seculo 10 translatum fuisse,

Corpus *S. Celsi ad ecclesiam, quæ Mediolani est, cognominem, a Landulpho archiepiscopo pluries superius memorato translatum esse, refert Puricellus cap.* 86; *idque* solenni pompa, magnoque fidelium concursu, quin etiam non sine comprovincialibus episcopis, in hoc ipsum adscitis *contigisse memorat; rei gestæ fidem faciens ex carminibus, quæ Alciati ac deinde Fontanæ beneficio* F *salva sint; quasque eumdem Fontanam suas inter observationes; catalogo Ms. archiepiscoporum Mediolanensium adnotatas recensuisse in ipsomet Landulpho testatur. De Andea Alciato meminimus in Commentario prævio S. Arialdi mart. ad diem* XXVII *Junii pag.* 280, *num.* 7. *Quisnam vero sibi videatur esse Fontana iste, eodem edisserit capite Puricellus. Nunc subdo carmina, quæ apud ipsum his constant verbis:*

Eximium hæc Celsi corpus complectitur ara,
Quem pia Nazario mater sub rure Cymelli
Obtulit, ad cæli pariter qui scanderet arces:
Morte obita, longum pariterque jaceret in ævum.
Ambrosius tandem hos separe * post condidit ambos,
Nazarium apportans alio, Celsumque relinquens.
Secula Landulfus donec post plurima præsul,
Vatibus adscitis, vicinisque undique turbis
Lætitia summa studio et certantibus omni,
Transtulit, atque locum divinis usibus aptura

** id est separatim*

Ipse

A Ipse lubens struxit, miroque decore paravit.
Pos. ann. CMLXXVI.

testatur inscriptio metrica. Idem inventum

84 *In* rure Cymelli *respicit poeta ad vulgata Acta, de quibus post agetur. An S. Ambrosius transferens corpus* S. Nazarii, *corpus* S. Celsi *simul non transtulerit, jam disputavimus.* Vatum *nomine intellige episcopos. Adi Puricellum super hac voce; uti et super verbo* struxit,*id est instruxit, in melius reformavit; vel pro antiqua ecclesia, quæ antea ibi stabat, ampliorem a fundamentis ibi exstruxit Landulphus. Annus* 976, *rei gestæ testis, non cohæret cum Exegesi nostra superiore loco citata: nam secundum ibi jam dudum dicta, ordinatio ejus primum incidit circa natalem Domini anno* 978. *Ab antiquioribus ad recentiora tempora dilabitur Puricellus cap.* 136, *quo quid circa* S. Celsi *corpus acciderit, exponit: nimirum quod sacrum Martyris corpus anno Domini* 1521 *sub primaria ecclesiæ suæ ara repertum sit, ac ritu solenni iterum in ea repositum; citans librum Ms. ex archivo monasterii Celsiani, in quo contineri ait sequentem memoriam, quæ ad verbum* B *excerpta sit e libro cujusdam personæ, huic potissimum Sancto devotæ, et cujus sint hæc verba.*

ac repositum sec. 16 probatur ex variis,

85 Anno Domini MDXXI, die XX Aprilis, abbas seu commendatarius ecclesiæ S. Celsi fecit fodere subtus altare majus: et inventum fuit corpus S. Celsi, et tria vasa, in quibus erant de sanguine ipsius Sancti, et de reliquiis Apostolorum, et SS. Fidei, Spei, et Charitatis. Die XXVIII supra dicti mensis et anni dictus abbas fecit reponere corpus et reliquias cum maximo honore in altari majori sancti Celsi, præsentibus domino Ruphino, archiepiscopi vicario, et scholaribus S. Mariæ, et multitudine magna populi. Et etiam ego Ambrosius Brasca, et Joannes Baptista filius aderamus. Et de hoc factum fuit instrumentum; *a Puricello diligenter admodum, sed frustra quæsitum. Deinde interjectis nonnullis aliis ad hujus, de quo agimus, facti confirmationem, subdit majorem de isto Ruffino, qui cognomento Belingerius fuerit, notitiam, inveniendam apud ipsum pag.* 640. *Illa vero, quæ interjecta diximus, hujus sunt argumenti.*

quæ ex Puricello proferuntur.

86 *Pergit ibi ulterius rei veritatem stabilire ex eo, quod in prima ante Francisci Petrarchæ librum anno* 1494 *Mediolani excusum, et sibi* C *commodato datum, candida chartæ pagina, quæ impresso libri initio ex adverso respondet, librisque, dum consuuntur, anteponi solet,* conscripta charactere perantiquo, secundum idioma eo tempore majoribus, *inquit*, nostris usitatum, «hæc verba legantur; quæ tunc absque dubio credendus est ad posteritatis memoriam dominus ejusdem libri (sicut sæpe fieri solet) adjecisse; *quæ nos ex Italico ita Latine reddimus:* Jesus MDXXI, die XX Aprilis, hora XXI dominus reverendissimus episcopus Alexandriæ (*ita verto vocem* Lisandria, *quæ est in textu, nunc vulgo* Allessandria, *in ducatu Mediolanensi*) abbas S. Celsi quæri jussit in dicta ecclesia. Invenit corpus S. Celsi; ac multæ etiamnum aliæ reliquiæ diversorum Sanctorum, varia genera inventa fuere subter dictum altare S. Celsi. Facta fuit maxima solennitas in dicta ecclesia. Credo vere, quod isto die venerint plus quam bis centum mille personæ ad videndum illud benedictum corpus sanctum. *Et subscribitur:* Io. Antonius da Rò. *Hæc ibi.* Subinde sequitur, *teste eodem Puricello*, in eadem pagina, eodem, ut *ipsi* videtur, vel saltem persimili charactere, his exaratum verbis; *quæ ex Italico Latine sic sonant:*

Auctore J. P. testimoniis.

87 Memoria, quomodo dominus reverendissimus et illustrissimus fecerit reponi corpus S. Celsi in dictum locum suum, præsente multa populi multitudine *etc.* Quod contigit de XX Aprilis, MDXXI. *At non est credibile tantæ multitudini, ad inusitati adeo thesauri tam religiosa ac pia aviditate confluenti conspectum, tam breves temporis angustias suffecisse: id quod non abs re etiam notavit Puricellus, recte credens, illud* repositum vere ac reconditum fuisse in altari.. ejus mensis XXVIII, sicut in priore eo libro testatum videbamus. *Quod ex characterismis Puricellus parem cum priore scriptura huic ultimo testimonio auctoritatem videatur velle conciliari; neutiquam nobis probatur: nam non videmus, quomodo illud scriptum sit ante tempora Urbani PP VIII, qui titulum* illustrissimi, *antea Cardinalibus proprium, ad* eminentissimi *evexit, relicto tunc* illustrissimi *titulo episcopis, qui prius* reverendissimi *vocabantur, qualis in proxime antegresso testimonio exprimitur. Nisi forte in hoc ultimo testimonio vocetur episcopus iste* illustrissimus *ratione familiæ suæ; vel aliam ob causam singularem. Atque hæc quidem circa sacrum* S. Celsi *depositum apud Mediolanenses allegata sufficiant.* E *Quæ superaddit Puricellus in rei confirmationem ex testimonio Caroli a Basilica Petri, Novariensis demum episcopi, consuli apud ipsum possunt pag.* 641. *Locum autem ipsum illustrant ista:*

Quomodo illud apud Mediolanenses occlusum.

88 Ex hoc ipso, *ait idem auctor pag.* 642, anno vigesimo primo ego quidem facile crediderim, eam invaluisse consuetudinem, quam nunc etiam usu retentam contuemur: videlicet, ut ferreis e cancellis, altari primario circumdatis, binæ pendeant e charta pergamenæ tabellæ, quibus enuntiatur, ipsummet S. Celsi corpus in eo esse conditum altari. Pervetustæ quidem adhuc ibi eæ perseverant: et quæ sinistro introeuntium lateri respondet, talis est. « Corpus S. Celsi sub altare « majore hujus ecclesiæ reconditum, et nomen « ejus vivet in æternum » .... Altare porro e grandibus marmoris candidi tabulis compactum est: et quadratam in medio tergo fenestram habet, crate ferrea obstructam; ex qua commode introspicitur inclusa e candido pariter marmore arca, palmo circiter ab exterioribus tabulis distans. Ei vero insculptæ in circuitu consistunt variæ Sanctorum imagines: ac tres illæ, quæ sunt F e fenestræ regione, mihi profecto visæ sunt Christi Domini, et Apostolorum Petri et Pauli *etc.* Eidem igitur arcæ inesse creditur S. Celsi corpus, et ibidem a fidelibus adoratur. Sicut autem quidquam ego non ambigo, quin ibi fuerit ita collocatum anno illo Domini MDXXI; sic etiam nihil postea in præsentem usque diem arbitror mutatum intra marmoreum illud altare; licet aliqua deinde ornamenta extrinsecus addita fuerint. *Ita Puricellus.*

Corporis S. Nazarii inspectio anno 1578, et translatio anno 1579, qua occasione

89 *At nunc tempus est, ut ad ea, quæ* S. Nazarii *corpus spectant, elucidanda perveniamus. Longe celeberrima est istius sacri depositi inspectio, ac translatio: quarum illa quidem anno* 1578; *hæc autem anno proximo* 1579 *a S. Carolo Borromæo peracta fuit. Utramque nos docet illustrissimus Carolus a Basilica Petri supra memoratus, rerum gestarum oculatus testis, dum in Vita S. Caroli Borromæi lib* 5, *cap.* 6 *hæc scribit:* Concilium autem *provinciale quintum anno* 1579 *ab eodem sancto Mediolanensium Præsule celebratum,* ornavit translatio reliquiarum basilicæ Apostolorum; quemadmodum et translatio ipsa ex episcoporum præsentia valde illustrata est. Moverat eas Carolus

AUCTORE J. P.

Carolus superiore anno: cum canonici antiquam ædem instaurare atque ornare vellent. Sed in loco destinato non reposuerat, ut honore celebritateque majore, cum haberetur concilium, per urbem gestarentur, et omnio earum esset translatio splendidior, et ad populum pie excitandum efficacior. *Tum præmisso de sacris lipsanis sub primario basilicæ Apostolorum altari a S. Carolo repertis sermone, materiem nostram sic exponit, de statu tunc corporis* S. Nazarii *egregie nos instruens:*

a S. Carolo Borromæo

90 Sub alio item præcipuo altari ad caput ecclesiæ constituto, quod itidem tollendum et commodiore loco constituendum fuit, celeberrimi martyris Nazarii, unde præsens nomen ecclesia accepit, reliquias invenimus: quæ alte sub terram inter tenues quasdam et politas marmoreas tabulas conditæ erant. Vidi, *inquit*, succidum quiddam adhærere inferiori tabulæ, quod equidem vestigium esse recentis sanguinis putavi, quem a S. Ambrosio cum reliquiis hujus Martyris mirabiliter repertum, Paulinus narrat: neque enim conjicere potuimus, corpus ex eo tempore motum esse, quod illud Ambrosius condidit. Apud loculum S. Nazarii arca inventa est, duorum corporum ossa continens *etc.* Ex utroque autem B loco magna odoris suavitas, cum sepulcra aperirentur, afflata est. *Deinde postquam dixisset de inventa alia arca* a latere dextro ecclesiæ, *sancti cujusdam Ulrici sive potius Henrici (de quo actum in Commentario prævio S. Udalrici, episcopi Augustani, ad diem* IV *Julii, pag.* 92*) corpus complexa; ita prosequitur suam narrationem:*

peractæ sint.

91 Ilas igitur reliquias Carolus inventas, pie manibus suis collegit, nobis, *ait*, sancto officio inserventibus: quos jubebat ejusmodi semper actionibus adesse. Absoluto autem.. episcoporum concilio, hæc corpora religiosa admodum celebrique pompa extulit, et congruo viarum ambitu, portans ipse cum episcopis sancta feretra, populo frequentissimo ad venerationem proposuit. Commemoratas reliquias omnes collocavit sub magno novo altari, præter illas ab ecclesiæ latere dextro ablatas... Ratio condendarum reliquiarum, qua Carolus usus est, quamque in posterum præscripsit, fuit fane magis quam antiqua, quantum perspicio, et ad conservationem aptior, C et ad memoriam accommodatior; quæ quidem ejus editis libris continetur. *Hactenus Carolus a Basilica Petri, qui maximam ab eruditis hagiophilis initurus fuisset gratiam, si præter illa, quæ graviter ac fideliter narrat de corpore Sancti nostri invento, recognito ac translato, paululum distinctius atque expressius recensuisset, quonam illud tum in statu esset, ac quæ qualesque in eodem superessent partes majores vel minores artuum, ossium, aut membrorum. Paucula tamen adjuncta, quæ hic silentio pressit, dabimus illico ex ejus Historia Mediolanensis ecclesiæ in S. Cajo III.*

refertur ex oculato teste.

92 *Paulus Morigia Historiæ Mediolanensis lib.* 2, *cap.* 23 *solennem hanc reliquiarum translationem adaptat diei* x *Maii; additque, quod* portatum fuerit corpus S. Nazarii separatum a capite: *de quibus ipse viderit. Narratio porro rei gestæ e S. Caroli Vita producta, pauculis ab ejusdem Vitæ auctore in mox assignata Historia elucidatur, quæ quoniam illic non ita clare referuntur; ne ab aliquo forte desiderentur, hic ex ea supplere visum est.* Nazarii, *inquit,* corpus.. alte defossum erat, quantum communis est hominis longitudo, tabulis marmoreis inclusum pressumque, et munitum calce, et lateribus usque ad ecclesiæ solum, extante super solum ipsum post altare lateritio tu- D mulo.... Carolus archiepiscopus sepulcrum aperuit prægrandi lapide tectum, ut plures etiam presbyteri difficile illum dimoverent. *Atque his tam hoc, quam præcedente paragrapho ita expositis circa reliquias amborum Martyrum nostrorum, nullo pacto suffragari possumus Saussayo, ad hodiernum diem dicenti, quod* potiores *(reliquiarum partes)* in Gallias delatæ *sint.*

§ X. Gloria posthuma ex S. Ennodio; sermone inter opera S. Ambrosii edito, hymno Ms. apud Prumienses; aliisque impressis, ac Missali Ambrosiano.

Gloria Sancti posthuma canitur in carmine S. Ennodii ep. Ticinensis:

Præcipuos inter auctores antiquos, qui scriptis suis gloriam nostrorum duorum Athletarum posthumam nobilitarunt, memorari merito debet S. Ennodius Ticinensis episcopus (de quo uti et de ejus ætate jam supra meminimus num. 59*) quando hymnum is panxit in honorem* S. Nazarii *Carmine* XVIII, *metro jambico bimetro illigatum,* E *et non inelegante vena effusum: qui quoniam adeo est antiquus, nec justo longior, tametsi prælo communis, a nobis tamen videtur hic dandus. Sic itaque Sanctus Sanctum canit:* Augusta vitæ tempora, Parvis coacta terminis, Mors sancta donat crescere, Æterna fines præparat. De frage casuum venit, Quo surgat humanum genus: In stirpe Nazarius bona De morte lumen addidit. Nerone felix principe, diversa perpessus mala, lustravit orbem, non gravi Pavore cordis algidus: Sed ut profanis inderet, Quo calle conscendant polos, Verus magister actibus Exempla, non verbis dedit. Nam ductor ille fortis est, Qui bella viribus docet. Quem dicta militem trahunt, Si dux gerendis abstinet? Ventosa linguæ hortatio; Quod forma præstat, non habet. Sed magna postquam semina, Scribente terram sarculo, Glebis refudit optimis, Mediolanum mox petit, In qua triumpho nobili Carnis ruinam reppulit. F Qui sede non digna jacens, Vatem * tremendus mox monet, Ut clara rursus munera Mundo refusus adderet.

* id est S. Ambrosium episcopum

in sermone item inter opera S. Ambrosii edito:

94 *Sermo S. Ambrosio attributus, atque inter opera ejus editus juxta dicta* § 8, *puncta quædam singularia complectitur, quibus memoria nostrorum Martyrum posthuma elucidari possit; quæ priusquam inde huc summatim derivemus, nonnulla præmittimus circa illum observanda. Sermo quidem iste S. Ambrosio tribuitur; sed an non perperam? Carolus a Basilica Petri in citata historia Mediolanensi pag.* 25 *alium pro isto sancto Doctore ejusdem auctorem assignat, ubi sic loquitur:* S. Maximi *(Taurinensis)* esse sermonem illum, qui S. Ambrosii sermonibus ultimus, de his Martyribus est, equidem dubitandum non arbitror; cum legenti facile se idonea argumenta ostendant, quæ Ambrosium negent auctorem. Atque ex eo nonnulla sub Maximi nomine citat Radulphus Tungrensis in libro de canonum observantia: *qui liber habetur in Bibliotheca Patrum sub nomine Margarini de la Bigne Parisiis anno* 1589 *edita, tom.* 6, *a col.* 771.

sed quem alii contra alios

95 *Floruit S. Maximus, Tauriensis episcopus, seculo* V, *actumque est de eo apud nos ad diem*

A *em* XXV *Junii. Quod ad rem præsentem attinet; sermonem quidem illum non esse S. Ambrosii existimamus; sed quamquam illius non sit, non ideo tamen audemus asserere, quod sit S. Maximi episcopi Taurinensis; quidquid memoratus Carolis satis affirmate eumdem illi adscribat. Neque ad hanc controversiam dirimendam sufficit, quod eum sub Maximi nomine, uti addebat idem Carolus, citet Radulphus Tungrensis. An et quomodo illum citet Radulphus, non est operæ pretium investigare, percurrendo ejus librum; et vero nimium juvenis est ille auctor, spectans utpote ad finem seculi* XIV, *quam ut vel tantillum movere nos hic debeat. Et fac fuisse antiquiorem, plura citari scripta sub nomine alicujus determinati auctoris tamquam vere illius sint, cum tamen illius ea esse vel non satis constet, vel alterius ea esse probetur, notius censemus esse, quam ut stabiliri debeat. Recentior bibliographus Anglus, dicit, quod sermo* de Vita Nazarii et Celsi, Maximi esse censeatur, licet inter ejus opera non reperiatur.

B *Tillemontius in notis ad sanctos nostros Martyres tom.* 2 *Monum. eccles., pag.* 502 *de Maximo nihil; Ambrosii vero eum esse non posse statuit; quia loquatur de ecclesia Mediolanensi tamquam de externa. Observat item, quod exordium totum videatur innuere, sermonem hunc esse dictum in loco, ubi nati fuere Martyres; Romæ natum fuisse* Nazarium *juxta ejus Acta. De qua urbe recte nostra quidem sententia intelligi queunt illa verba sub initium dicti sermonis posita:* Ecce nos populos Martyrum possidemus.

ipsi abjudicant

96 *Jam vero Tillemontius stylum considerans, videri dicit, quod aliquam habeat confirmitatem cum stylo S. Leonis; quodque difficile saltem sit, sæpe dictum sermonem non esse alicujus ex episcopis istorum primorum seculorum, quibus literæ politiores etiamnum excolebantur. Quamquam autem, prout insuper observat, deroget ejus auctoritati, quod exordium ipsius verbatim conveniat cum exordio homiliæ S. Eucherii in S. Blandinam; addere tamen non dissimulat, reliqua sibi satis constare, ut æstimationem ac fidem mereantur. Ludovicus Muratorius in præfatione* In opusculum de situ civitatis *Mediolanensis etc.*, *quod est inter Scriptores Italiæ a paucis annis edi cœptos, tomo* I, *parte, pagina* 199, *meminit codicis bibliothecæ Ambrosianæ, in quo habeatur*

C Sermo in SS. Nazarii et Celsi natali, habitus in S. Nazarii templo; quem veteres, sed perperam, S. Ambrosio tribuebant. *At sive sermo iste Romæ, ut videbatur Tillemontio, sive Mediolani, in æde* S. Nazario *sacra, ut notat Muratorius, sive utroque loco dictus sit; sive item S. Maximum, sive alium habuerit auctorem; quiscumque demum is fuerit, antiquus esse videtur, æstimationem meritus, ac fide dignus. Consuli interea possunt ea, quæ super isto sermone notavit noster Papebrochius ad diem* XIX *Junii, a pag.* 829, *occasione SS. Gervasii ac Protasii; ubi invenies, eum esse auctoris S. Augustino junioris, neque episcopi Mediolanensis, non etiam S. Maximi Taurinensis; sed vult potius, esse alicujus episcopi Sedunensis seculo* IX; *at quæ tam circa hunc Sedunensem episcopum, quam circa ætatem illam conjicit, rem non evincunt. Nec videmus, cur a Tillemontio, in rebus istiusmodi asserendis satis timido et circumspecto, recedendum nobis sit, qui multo antiquiorem censet esse istum sermonem; de quo hæc plus quam satis: Raynaudum quippe nostrum non moramur, qui inferius num.* 125 *recurrit ad Eusebium Gallicanum quemdam: de quo ipse viderit.*

AUCTORE J. P.

variæ dantur notitiæ

97 *Nunc igitur nonnulla puncta, Sanctis nostris propria, omissis aliis quæ hujusmodi non sunt, ex laudato sermone delibabimus, tum ut gloriæ eorum posthumæ accedat auctoritas ex antiquitate scriptoris, tum ut sic paulatim semina quædam præmittantur, quibus et increscere Sanctorum Acta possint, et a falsitatis zizaniis, quibus scatent, utcumque expurgari. Sequentia ergo inde excerpimus:* Beatum... Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis ecclesia licet totum corpore secum retineat, et mundo tamen totum in benedictione transmisit... Beatus Nazarius, cujus hodie gloriosam de mundi hoste victoriam universalis Ecclesia festa exultatione concelebrat, cum tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus existeret, sacrilegi adhuc puer genitoris militiam simul et doctrinam detestari ex improviso cœpit; atque ab innocente matre, quæ jam Christianæ fidei titulis insignita, Christo sedule insistebat, sacro sanctæ regenerationis fluenta fidelis jam spiritu ac fide instituta præveniens demonstrari sibi E flagitabat.

ad præsens institutum

98 Nondum siquidem baptismum consecutus, sed inter religionis principia consummatus... Quid illud, quamque insigne divinæ gratiæ munus, quod accepto jam salutari lavacro, post innumera virtutum signa, post peragratas circumquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones, cum pro Dei summi confessione diversa per supplicia adversus eum totus pene orbis baccharetur, et nunc atrocissimis arctaretur pœnis cruciandus, nunc in loginquis finibus transveheretur exulandus, ita robustissimo Christi Athleta pectore tormenta omnia devincebat, ut strenuum de prostrato reportaret hoste trophæum: interque cruenta cæsaris jussa vasti maris gurgitibus dejectus, ambulare ei divina super aquas concessum est providentia, et rerum obstupescente natura, per insueti itineris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Videres æquoreas sanctis substerni meritis undas, supraque angelicis confortatum alloquiis in Christi Jesu laudibus exultare. Ecce profanus hostis numquam beato Martyri tantum prodesset obsequio, quantum profuit odio.

accommodatæ.

99 Sed tandem perfecto agonis certamine cum Celso puerulo, quem ipse in holocaustum Deo, F polluto adsumpserat ex seculo, crudeli imperio damnatione absolvitur, gladio consecratur... Quæ cum ita sint, charissimi, licet hic tantus Christi Testis pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, et tincta veste candidior; licet hic Mediolanensium peculiaris putetur privilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Neque enim istius urbis charitas proflua, et fides avara, tantum huic Martyri derogaverit, dum sibi arrogat, ut solum erga mœnia sua, patrocinii illius beneficia affutura esse crediderit. *Et postea, injecta mentione evangelicæ lectionis de vocatione Philippi apostoli, atque invento per eum Nathanaële, hunc inter et* S. Celsum *instituens parallelum, id* factum, *ait sermonis auctor*, hodiernæ festivitati aptissime convenit; quia sicut apostolus Philippus Nathanahelem vocavit, ita beatus martyr Nazarius Celsum puerum perduxit ad Dominum. Nam et illi aptissime consonat: Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Solent enim pueri sine dolo et insidiis esse. Unde alio loco Dominus dicit: Nisi

AUCTORE J. P.

si efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. *Hæc dicti sermonis auctor, quorum non pauca suo post loco meminisse juvabit.*

Paucula stricte delibantur ex rhythmo Ms. Prumiensi.

100 *In manibus est carmen rhythmicum Ms.,* historiam de SS. Nazario et Celso, patronis collegiatæ ecclesiæ B. Mariæ Virginis in Prumia *continens; et ex* Ms. codice chori et ecclesiæ collegiatæ Prumiensis *(prout nostro ejusdem apographo adscribitur) desumptus. Quia vero partim rei contextui inscribuntur* antiphonæ ad psalmos Vesperarum; *parrim* hymnus; *partim denique* Ad Matutinum invitatorium; *sufficienti id nobis indicio est, quod rhythmi isti horis canonicis, in gloriam Sanctorum nostrorum adhibitis deservierint. Porro quandoquidem antiquitate idonea carent, et non sunt nisi historiæ vulgaris Actorum cento, non merentur transcribi. En specimen ex initio, quod ita habet:* Uroldus vir nobilis, Et abbas venerabilis Prumiensis cœnobii, Pater hujus collegii, ad laudem *aliorum, qui ibidem nominantur, Sanctorum*, beatique Nazarii.. dicavit hanc basilicam *De qua re adiri potest Mabillonius Annal. Benedict. tom. 4, ad annum* 1017, *pag.* 255. *In compendio typis cuso* De monasterii S. Salvatoris in Prumia, imperiali fundatione, *et apud nos asservato sub titulo, qui manu adscribitur,* Sacrarii Prumiensis, *ponitur* Uroldus ex stirpe de Dhuna, vir laudabilis, et abbas venerabilis XVII, præfuit annis IX, obiit anno MXVIII. *Atque his res præsens, quantum satis est, explanatur.* B

aliisque hymnis typo editis, et Missali Mediolanensi.

101 *Duos hymnos in dicto Breviario Æduensi; eumque quem ex Sannazario impressit Ferrarius, satis est vel nominasse; uti et Missas proprias Sanctorum nostrorum, qnæ tam in profesto seu vigilia, quam in ipso festo exhibet Missale Ambrosianum, anno* 1522 *typis editum. Puricellus cap.* 50 hymnum *dat,* quem.. ecclesia Mediolanensis decantare solet, ac tanto jam ex tempore, ut ego eum, *inquit,* in antiquissimis etiam invenerim Officii Ambrosiani codicibus Mss. *Hymnus autem ille re consonat primo e duobus apud Æduenses, atque adeo eumdem habet auctorem; qui non fuit S. Ambrosius, uti probat Puricellus ibidem. Jam eo provecti sumus, ut attributa quædam sanctorum Martyrum prius elucidanda videantur, quæ eorum Actis inspersa sunt, quam ad illorum discussionem accedamus. Hoc itaque præstabimus per aliquot paragraphos sequentes, incipiendo a* S. Nazarii *natalibus.* C

§ XI. Natales; parentum ac S. Nazarii baptismus: sub quo is passus, et ubi: schema peregrinationum.

Nobiles Sancti natales.

Q*uod superius canebat S. Ennodius,* In stirpe Nazarius bona, *illustres vel nobiles saltem ipsius natales indicat, suffragante sermonis apud S. Ambrosium editi auctore; a quo dicitur* non ignobilibus parentibus oriundus. *Ast utroque isto testimonio disertius atque expressius est illud S. Paulini, episcopi Nolani, alia occasione num.* 57 *jam a nobis prolatum; ubi laudatur* Martyr et illustris sanguine Nazarius. *Quamquam vero τὸ* illustris *prima fronte æquivocum appareat, intelligendumne si de martyrii, an de natalium sanguine; putamus tamen quod S. Ennodius in posteriore potius sensu vocem illam acceperit, ne alioqui Martyrem laudarit per epitethon, quod Martyribus omnibus sit commune, et a nullo omnino, si eam accepisset in priore significatione, Martyre separabile, qui sanguinem pro Christo effuderit. Testimoniis, de quorum antiquitate et auctoritate non æque, atque de jam productis, certo constat, ad ulteriorem rei, qua de hic agimus, confirmationem allegandis supersedemus, ad Sancti parentes perrecturi.* D

parentes, et eorum nomina.

103 *Pater ipsi fuit* sacrilegus *(intellige gentilem) ac* miles; *mater autem* innocens, quæ jam Christianæ fidei titulis insignita, Christo sedule insistebat, *teste auctore laudati sermonis. Ceterum de eorum nominibus nihil; haud dubie quia in fonte, unde suam narationem hausit, nihil de illis repererat. Unde vero ea acceperint vulgaria, quæ circumferuntur, martyrii Acta; aliique scriptores, quibus illa præluxere, quamque vere ac certo nomina eorum exprimant, non disputamus; neque miramur, quod Paulinus in Vita S. Ambrosii, de qua diximus* § 2, *nihil de illis prodiderit, quem itaque ineunte seculo* V *tam hæc quam pleraque istiusmodi alia latuerunt; nam sanctus Martyr* quando sit passus, usque in hodiernum diem scire, *inquit*, non possumus. *Nomina autem, patris quidem* Africani, *matris vero* Perpetuæ *jam num.* 3 *præmisimus ex elogio Adonis; ita tamen, ut hoc loco quædam circa utriusque personam examinanda supersint, prout planum fiet ex sequentibus.* E

An ambo

104 *Ambos* a beato Petro apostolo baptizatos, *diait ibidem Ado; consentiente Menologio Basilii imperatoris apud Ughellum, tacente autem eo, quod interprete eminentissimo Sirleto edidit Canisius, nec non elogio in Menæis excusis ad* XIV *Octobris. Contra vero Martyrologium Romanum ad diem* IV *Augusti, quo aliis istius diei Sanctis, annumerat S. Perpetuam, refert quidem, quod ipsa ab eodem* Apostolo baptizata, Nazarium filium, et Africanum virum ad Christi fidem perduxerit; *sed de baptismo, quem S. Petrum impertiisse Africano volunt, nihil memorat. Producti sermonis auctor nec illum baptismum negat, nec probabile suggerit indicium aliquod, unde colligas, quod Africanus, illo suscepto, Christianus fuerit mortuus. Apertissime baptismo favet Martyrium apud Mombritium; quod tametsi,* observantiam sabbatorum *Africano tribuens, non modo indicet, Judæum fuisse; sed iis quæ præterea supperaddit, diserte denuntiet, illum sedulo id egisse, ut filium a suscipiendo baptismo absterreret; mutata tamen deinde scena, dicit ejusdem Martyrii scriptor, pergendo paulatim ad historiæ suæ finem, quod Sanctus* conveniens patrem jam longo senio confectum, tamen Christum credentem, in opere Domini continuo desudantem *invenerit* obsequio; *eique pater* narraverit.. quomodo ei per visionem B. Petrus apostolus apparuerit, et doctrinam Christianæ religionis imbuerit *etc.* F

baptizati?

105 Tantæ visionis novitate perterritus, jam nihil aliud, *inquit*, agi licere decrevi, quam quod apostolico eo præcepto monitus, ut Christum crederem, baptismi me unda purificarem. *Ubi baptismum quidem asseritur, sed de S. Petro tamquam ejusdem ministro tacetur. Verum quam parvi pretii sint Acta ista apud Mombritium vulgata, ostendetur alio infra loco; ut baptismus hic controversus nullo niti testimonio censeri debeat, qui tali nititur; ac mirum sit, sapientissimum Baronium illa Acta in suis notationibus ad dictum*

mox

A *mox diem* IV *Augusti citasse pro rebus gestis S. Perpetuæ; de qua tunc nobis erit agendum. Interim dum Africani baptismum ex antiquis documentis probare non possumus satis solide, non gravate eum supponimus, retulisse contenti, quid ab aliis de illo dicatur; ubi nihil nobis est in promptu, unde statuamus, quid vere circa istud factum dici debeat. His itaque missis, ad* S. Nazarium *revertamur; qui cujus manibus baptismi lavacrum acceperit, haud satis constat, nec determinatu facile est; ut proinde iterum dicturi simus ea, quæ sunt dicta prius ab aliis auctoribus.*

S. Nazarius potuit baptizari a S. Petro apostolo:

106 *Menologium a Sirleto versum et a Canisio editum memorat, eum* fuisse baptizatum a S. Apostolo Petro; *factum id fuisse* a Lino patriarcha Romano, *tradit Menologium Basilii imperatoris; a* Lino *item fuisse* baptizatum, *notatur in Actis apud Mombritium. In breviario autem Ambrosiano anni* 1635 *sic habetur:* Nazarius .. a beato Lino B pontifice fidei mysteriis imbutus, baptizatur. *Atque nunc recenseamus reliqua. Oppositum jam dictis docet Ado citatus; vult quippe nec a S. Petro nec a S. Lino, sed* a S. Clemente instructum et baptizatum esse. *Hæc, quæ Puricellus cap.* 89 *ex B. Petro Damiano affert:* Nazarius .. martyr insignis, sicut scripturæ testantur, Petri auctoritate baptisma a Lino ejus successore suscepit; *historice certi nihil suggerere possunt, ob ætatem auctoris, qui seculo demum* XI *floruit. Sermo pluries designatus recenset quidem, quod* ab innocente matre ... sacrosanctæ regenerationis fluenta ... demonstrari sibi flagitabat, *et mox de* accepto salutari lavacro *fit mentio; sed a quo illud acceperit, ibidem non invenimus. Tempus imprimis non pugnat quo, minus baptismum acceperit a S. Petro Apostolo (quamquam deest idonea probatio, quæ hoc factum suadeat) quia obiit anno Christi* 65 *secundum dicta in tractatu de Patriarchis Antiochenis qui est ante tomum* IV *Julii, in S. Petro apostolo; ac proin sat ipsi temporis datur, ut* Nazarium *vel puerum salutaribus undis ablueret Romæ, ut fertur; annis* 25 *in administranda Apostolica Sede ibidem exactis.*

non autem a SS. Lino et Clemente, quando erant Romani Pontifices.

107 *De SS. Lino ac Clemente, saltem qua Romanis Pontificibus, dici non potest, quod Sancto nostro baptismum contulerint: nam obstat tempus martyrii* Nazariani, *quod ab omnibus ponitur contigisse sub Nerone, qui violentas sibi manus attu-* C *lit anno Christi* 68; *atque adeo talis baptismus cum ætate baptizati, tot peregrinationibus, totaque martyrii historia, plurimorum annorum intercapedinem requirente, cohærere nullo pacto potest, si hunc a Lino collatum velis; ac multo minus intelligi potest, quod illum contulerit S. Clemens. Dixi* saltem qua Romanis Pontificibus; *nam id si factum contendas ante eorum pontificatum, hactenus non videmus, cur id per illos fieri non potuerit. Ast hæc atque alia, quæ istos duos sanctos Pontifices spectant, non est hujus loci tractare: de illis quippe cum Martyrologio Romano agendum erit die* XXIII *Septembris, ac* XXIII *Novembris. Hanc circa baptismum a Lino collatum difficultatem viderit sine dubio auctor martyrii, quod ex Ms. Ultrajectino S. Martini desumptum habemus: ubi notantur sequentia:* Quod autem dicitur, cum (*S. Nazarium*) a Lino Papa baptizatum fore; intelligitur, quod non tunc Papa erat, sed quod futurus erat. Nazarius enim post baptismum ... multis annis supervixit; qui tamen a Nerone martyrium pertulit.

auctore J. P. Martyr passus sub Nerone,

108 *Et vero illud sub Nerone contigisse, multa persuadent. Huc etenim collimat illud Ennodii, quod supra dedimus,* Nerone felix principe, diversa perpessus mala lustravit orbem *etc. Qua in re Ennodio præluxisse credimus antiquiora quædam Acta seu documenta; quæ tametsi non viderit Paulinus, prout conficitur ex ejus verbis num.*103 *allatis, non tamen inde sequitur, ut nulla tunc temporis exstiterint. In hoc pariter tyranno signando conveniunt Ado, Usuardus, aliique Martyrologi Græci ac Latini, ut qualiacumque Sanctorum nostrorum Acta non commemoremus. Martyrium innectit Puricellus anno Christi* 69, *die* XXVIII *Julii, sed fabuloso auctori apud Mombritium, non satis videlicet sibi cognito, plus æquo tribuit, quando hunc annum ex ipso probare contendit. Dicamus nos cum Ennodio, nostrum pugilem* Nazarium *martyrii laurea coronatum esse sub* Nerone principe; *de determinato autem anno non constare. Imperare cœpit Nero anno Christi* 54, *desiit anno* 68, *ut videre est apud Tillemontium Monum. eccl. tom.* 2 *sub finem, ubi tabulam chronologicam exhibet; intra quod tempus, si Ennodio credimus,* S. Nazarii *acciderit triumphus, ac proinde etiam* S. Celsi, *necesse est. Perperam* E *igitur Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum ad* XIV *Octobris meminit* SS. MM. Nazarii, Gervasii, Protasii, et Celesii, passorum sub Aurelio anno CLXXI.

Mediolani.

109 *Martyrii palæstra fuit Mediolanum, teste laudato Ennodio in* Nazariano *citato Carmine* XVIII: *ibi namque* triumpho nobili carnis ruinam reppulisse *Sanctus refertur; seu, prout nos id interpretamur, corporis exuvias fuso ibi pro fide sanguine nobilitatus deposuisse. Martyrologos eidem palæstræ suffragantes dedimus superius paragrapho* I. *Martyrologium Arabico Ægyptium ad diem* XIV *Octobris notat ista:* Certamen S. Nazarii, Gervasii et Protasii, et Celsi, qui certarunt Romæ: *qua phrasi si intelligas (et vero intelligendum ita videtur) Pugiles nostros Romæ martyrium consummasse; palam profitemur, nos plus deferre testimonio Ennodii et hagiologorum, quam incerti auctoris, temporis incerti, incertæque fidei Martyrologio; quodque proinde nobis auctor esse nec debeat nec possit, ut gloriosam* SS. Nazarii *ac* Celsi *palæstram Mediolanensibus eripiamus. Canon apud Græcos, de quo superius num.* 52, *verbis illis,* Antiqua Roma tua prædicat certamina, *ibidem productis, si palæstram certaminis et martyrii eo spectare velit, id quod nobis apparet* F *ista phrasi indicari, ex dictis refutatur.*

Datur ex Actis apud Mombritium

110 *Ad peregrinationes quod spectat, longa est historia, longæ ambages; variaque et parum credibilis alternatio ac variatio, ut ad scenam potius excogitata, quam ad veritatem historicam exacta appareat narratio illa, quam exhibet auctor Actorum apud Mombritium, et alia Acta, quæ, licet sint breviora, in substantia tamen rerum cum eo consentiunt. Dictus itaque apud Mombritium historicus ponit* S. Nazarium *Romæ, dicens:* Beatus .. Nazarius ibat quotidie ad studia disciplinæ Romanæ ... Parentes ejus .. ex bonis suis dederunt ei septem onera animalium cum auri et argenti pondere magno. Egressus Nazarius ab urbe Roma faciebat eleemosynas multas *etc.*...Iter agens per singulas civitates Italiæ docebat omnem populum baptizari ... Post annos autem decem discessionis suæ ab urbe Roma ingressus est civitatem Placentinam, prædicans remissionem peccatorum per baptismum salutis ... Transactis .. paucis diebus venit Mediolanum: ubi ... invenit

AUCTORE J. P.

venit confessores Christi Protasium et Gervasium ab Anolino principe custodiri . . . Anolinus jussit eum fustibus verberari . . Et præcepit eum projici extra civitatem. Qui gaudens . . . pergebat de loco in locum . . . . Venit in civitatem Galliæ, quæ dicitur Cimellus : in qua . . . mulier quædam nobilis ex primariis civitatis . . . detulit ei filium suum, Celsum nomine . . . .

schema peregrinationum.

111 Egressus inde cœpit per vicina quæque loca humanas mentes veluti prudens agricola spiritualium virtutum vomere exarare ... Treveris. . . cum in idolorum culturis . . ageret colligata, primum suæ salutis auctore, sancto prædicante Nazario, certum est cognovisse ... Missa *a Cornelio vicario* relatio est ad Neronem, *datis ad eum litteris, quarum exemplar ibidem recitatur.* Susceptis litteris Nero . . . Dentum militem suum primum *mittit, qui Nazarium accersat. Et post multa ultro citroque dicta et facta* Cæsar vocatis naucleris *Martyrem committit*, in medio mari sentinæ dissoluta compage ut pereat ... *Et post episodium fabulis continuatum ; de quo agitur inferius a num.*
B 150, *ad ingressum Nazarii* omnis illa navis resolidata jactura est ; atque in civitatem Genuensem . . deducti sunt . . . Nazarius vero et Puer ingressi civitatem Genuensem, non cessabant die ac nocte prædicare . . . Non post multos dies egressus inde per vicos et civitates exhortando suadebat. *In quibus non video, quod genuinus character veritatis vel fide digni historici, saltem prout ea hic referuntur, inveniri queat ; sed reliqua prosequamur.*

§ XII. Alia ad Sancti peregrinationes spectantia, et earum historia ad examen revocata.

Longa illa tot peregrinationum historia dramatica nobis est.

Cum vero infinitam multitudinem Domino credentium aggregasset . . . venit Mediolanum : statimque quos reliquerat beatos Protasium et Gervasium . . in carcere positos requisivit . . . Au-
C diens de eo Anolinus, dixit militibus suis : Quomodo effugit manus Neronis homo iste ? Et jussit, ut superpositum carpento longius ab urbe projicerent eum . . . Indicatum est ei, quia esset destinatus exilio . . . Commendavit Celsum puerum cuidam mulieri Christianæ . . . et ipse electum exspectabat diem. *Exterminatur ex urbe ; producitur aliud litterarum ab Anolino ad Neronem datarum exemplar etc.* A Mediolanensi urbe projectus, et ad exilium destinatus, fertur . . Romam properasse ... Nazarius itaque dum verbum Dei imperterritus Romæ prædicaret, de doctrina ejus longe lateque ferebatur opinio . . . Reversus *inde* Mediolanum, requisito Puero, verbo Dei operam dabat ... Anolinus. . . jussit . . eos duci extra civitatem.. et ibi eos decapitaverunt occulte. *Habes tandem, lector, longam lectuque tetricam tot viarum atque itinerum periochen; seu novam in nostro sancto Heroë adumbratam quodammodo Odysseam, quæ non tam doceat lectorem narranda cohærentia et vera ; quam delectet coacervando res mirabiles, exitus inexspectatos, mutationes continuas, apparatum denique vere scenicum ac theatralem.*

113 *Quod ne gratis quispiam a nobis dici existimet, rem discutiamus attentius, demusque rationem, cur tam nigro calculo illa a nobis notetur. Hoc ut fiat, redeundum nobis est ad S. Perpetuæ*, S Nizarii *matris, baptismum ; quæ, sicut tradit ille auctor, qui apud Mombritium editus est*, baptizata per manus Petri apostoli *fuit* apud urbem Romam, Symone jam devicto. *Utrum victoria illa sub Claudio, an sub Nerone acciderit, disputatum jam pridem apud nos est ad diem* XXIX *Junii, pag.* 407; *eamque sub hoc, non autem sub illo accidisse, ibidem invenies : quam anno Christi* 65 *innectit Tillemontius in iis, quæ habet de S. Petro, Monum. eccles. tom.* I, *articulo* 34. *Pergit mox Mombritianus auctor, illa subjungens :* Cumque esset annorum novem beatus Nazarius, et erudiretur a matre, *post multos, quos auctor obtrudit, logos*, B. Linus episcopus baptizavit eum. *Memoria nunc repete, quæ paragrapho proxime antegresso narrabat idem biographus ; ubi* egressus Nazarius ab urbe Roma . . . iter agens *inducitur* per singulas civitates Italiæ . . . Post annos autem decem decessionis suæ ab urbe Roma, ingressus *dicitur* civitatem Placentinam.

D *neque satis cohæret cum aliis factis,*

114 *In memoriam quoque revoca, quæ magno conatu et hiatu idem ille scriptor deinde prosequitur de tot peregrinationibus, prædicationibus, aliisque rebus gestis, quæ non ætate juvenili, sed nature adulta ; non modico paucorum sed plurium annorum spatio peracta fuisse oporteret : recurrente identidem partesque suas strenue ac graphice agente Nerone ; revoca, inquam, ista omnia in memoriam, et mox intelliges, quod dictus auctor neutiquam cohærentia obtrudat, quando hæc omnia cum imperio Neronis componit, qui supervivere amplius haud poterat ; sed justo annorum, puta duodecim aut quindecim, spatio jam e vita excesserat, et forte diutius, ut post sancti Martyris baptismum, nono ætatis anno, uti vult auctor, susceptum, consequens, quæ ab illo fluxit, ætas tot tantisque rebus gestis mirabilibus, ne dicam paradoxis patrandis aptari queat ; nisi ad miracula recurras sine necessitate, quam nullo pacto nobis imponere debet nullius nominis, nullius meriti ac valoris scriptor : cum quæ magna is facilitate adstruit, merito a nobis negentur, donec melioris notæ testimonio confirmentur ; quod fiat utinam ! sed vereor, ut fiat umquam.*

quæ ejusdem historiæ auctor narrat. E

115 *Eo autem magis illud fieri deberet, quod anonymus ille auctor, rerum substantiam carptim delibasse non contentus, individua ac singularia determinet earum adjuncta : locorum videlicet, personarumque nominibus, aliisque, quos suæ narrationi identidem interseruit, characteribus exprimendis adeo totus undequaque intentus, ut omnia et singula oculis suis atque auribus hausisse eum diceres, nisi alium se proderet rebus male combinandis, quæ nulla vel umbratili similitudine veri sic combinari possunt. Ast hoc super argumento pluribus postea ipsum conveniemus; nunc ad peregrinationes redeat oratio : quas ita indefinite commemorat pluries dicti sermonis auctor, virtutumque signa, prædicationes, supplicia et cruciatus, exsilium, calcatas maris undas, angelica alloquia, assumptum puerum* Celsum *adeo genericis simul et oratoriis phrasibus hinc inde admixtis attollit, ut characteribus omnibus locorum, personarum etc. caute abstineat, ac ne* cæsaris *quidem, quem refert, nomen exprimat. An autem hoc ideo fecerit, quia plura non invenit; vel si plura invenerit, qui inventa non approbavit ; ecquis satis prudenter definiat ?*

Quæ de peregrinationibus in genere refert auctor alius, F

116 *Mirari enimvero satis non possumus, quod adeo*

reprobare non audemus.

AUCTORE J. P.

A *adeo mirabilia de* S. Nazario *commemoret, neque satis intelligere, ubi illa invenerit, eo præsertim quod scripserit post Paulinum, inventionis* Nazarianæ *scriptorem, vel saltem postquam a S. Ambrosio inventum erat corpus* S. Nazarii, qui, *ut idem pluries repetamus,* quando sit passus, usque in hodiernum, *Paulino teste,* diem scire non possumus. *Unde ergo tot ac tanta scire potuit iste anonymus sermonis auctor? Etenim quod scripserit post Paulinum, vel saltem post inventionem corporis* S. Nazarii, *certo constat ex ejus verbis, quibus incipit textus superius num.* 97 *ex ipso allatus. At sicut plura scivisse se ostendit, ac proin alicunde hausisse circa Sancti gesta Ennodius quam Paulinus; sic plura, quam hic aut ille, alicubi reperire potuit sermonis auctor; atque adeo narrationem ejus, tametsi satis mirabilem, et quatenus adeo multas Sancto peragrationes tribuit, eatenus Mombritianæ satis conformem, falsi arguere non audemus, nedum reprobare, non sufficiente nobis ad alterutrum præbito argumento* B *ex rerum, quas summatim perstringit ille auctor sermonis, admirabilitate (mirabilis quippe Deus in Sanctis suis) quæ quoniam firmatur possessione antiqua, nec aliunde infirmatur contrariis argumentis, in eadem, qua nunc gaudet, possessione perseveret.*

Aliud est de peregrinationibus determinatis, earumque adjunctis in Italia,

117 *Quod si quis peregrinationibus in genere expositis non acquiescens, ulterius progredi velit, atque adjuncta earum individua penitius lustrare, vix inveniet, ubi firmum utcumque pedem figat, tum ob res incertæ fidei, tum ob episodia aperte fabulosa. Atque ex hoc postremo genere sunt illa, quæ Mombritianus auctor narrat ante contigisse, quam* S. Nazarius *Roma proficisceretur, peregrinationes suas inchoaturus.* Parentes.. ejus, *inquit,* ex bonis suis dederunt ei septem onera animalium cum auri et argenti pondere magno. *Idem auctor vult nobis persuadere, quod* invenerit Mediolani Protasium et Gervasium ab Anolino principe custodiri; *deinde* pervenisse in civitatem Galliæ, quæ dicitur Cimellus, in qua mulier quædam... detulit ei filium suum Celsum. *Ast in Ms. nostro Fuldensi mutatur scena, jussuque Neronis prodit in eam* Dento comes cum militibus ad perquirendum S. Nazarium: qui cum ad civitatem Ebredonensem venisset, invenit S. Nazarium ædificantem oratorium, et cum eo duos juvenes C Gervasium et Protasium, qui ad doctrinam ejus convenerant, et infantem Celsum nomine, lapides porrigentem.

Gallia.

118 *Hisce consentit apographum nostrum ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris. Sed aliud, quod habemus ecgraphum* ex bibl., *uti adscribitur,* reginæ Sueciæ tom. 1566 membr. in 8 pervetusto *brevius rem expedit; omissis quippe SS. Gervasio ac Protasio,* Dento.. invenit Nazarium in civitate, quæ dicitur Ebridunum, ædificantem oratorium contra orientem, et infans Celsius nomine sedebat numerans lapides. *In lectione Breviarii Mediolanensis seu Ambrosiani, de quo supra meminimus, dicitur* Sanctus multas peragravisse provincias, et Galliam in primis, ubi puerum Celsum Christiana religione a se instructum baptizavit. *Græcos quoque nunc audiamus. Menæa magna excusa et Anthologium cum nostro Sancto ponunt Placentiæ simul fuisse SS. Protasium et Gervasium, qui* ibidem conjecti *fuisse dicuntur* in custodiam sub *vel* ab, ὑπὸ, Anulio * principe; *sed noster inde expulsus, venisse in civitatem nomine* Κίμελιν; *fertur, ac suscepisse* S. Celsum τριετῆ ὄντα παῖδα, qui erat puer triennis; *quam etiam ætatem exprimit Menologium Basilianum apud Ughellum. Porro* Cimellus *et* Κίμελις *denotabit sine dubio eumdem locum in Provincia Galliæ haud procul Nicæa, vulgo dictum* Cimiez *vel* Cimies: *de quo agit Adrianus Valesius in Notitia Galliarum ad nomen* Cemenelium.

* Anulino

Hannonia,

119 *Ceterum* Cimellus *adeo efformatione affinis loco alteri in Hannonia, qui* Cimacum *dicitur, et a priore isto plane diversus est, ansam præbuerit, Sanctos nostros trahendi in Hannoniam, quasi vero Christi doctrinam ibidem prædicarint. Vide Fastos Belgicos ac Burgundicos Miræi ad diem* XXVIII *Julii, et Annales provinciæ et comitatus Hannoniensis a Francisco Vinchant collectos, auctosque et ad finem perductos ab Antonio Ruteau, Ordinis Minimorum. Verum, sicut antea indicavimus, qui ultra substantiam quamdam peregrinationum genericam lustrare voluerit individua tot, quæ Sanctus noster fertur peragrasse, loca, vix inveniet ubi firmum pedem figat; adeo incerta nituntur auctoritate. Quo etiam referendum putamus illud assertum Menæorum impressorum, Anthologii, ac Menologii apud Ughellum; hoc quippe dicit;* Annos viginti natus totam Italiam peragrabat. *Ille vero:* Vigesimo ætatis suæ anno S. Nazarius, Italiæ civitates pertransiens et prædicans, ad fidem multos manu duxit. E

Nomina quædam locorum propria an et quomodo exponi possint.

120 *Verum, ut priorem Galliæ semitam relegamus, volunt dicta Menæa cum Anthologio, nostrum Martyrem una cum* Celsio *contulisse se* ad urbes Tiberii euangelizantem; *de qua re tacet Menologium apud Ughellum. Martyrium a Surio sub nomine Metaphrastis editum,* Abit, *inquit,* Nazarius in vicinam Temerum cum puero Celsio. Est autem hæc urbs Temerus propinqua Meliæ. *Apage Græculas hasce, quas satis sit commemorasse, nugas. Quamquam suspicari forte quis possit, mendose* Τιβερίου, *Tiberii, nec non* Temerum *scribi; ac legendum esse utriusque loco* Τρηβιρῶν, *quod habet Ptolemæus,* Trevirorum. *Sic apud Surium pro* Meliæ, *per aphæresin decurtatæ, forte ponendum* Cimelæ *(qua voce utitur Usuardum ad diem* XIV *Maii) ut coincidat cum* Cimello. *Quod si ita est; pessimum tunc istius Martyrii auctor Metaphrastes, vel alius ejusdem aut similis ingenii auctor se prodit geographum, qui* Treviros ac Cemelam, *loca utique neutiquam satis sibi cognita, et tota Galliæ intercapedine divisa, propinqua inter se vicinitate conjungat. Sed cum de hac re, tum de* S. Nazarii *ad Trevirenses peregrinatione, quam ex auctore Mombritiano superius retulimus, atque hic ex incidenti tetigimus, plura dicenda supersunt.* F

§ XIII. Nostrum de reliquis peregrinationibus Sancto imputatis, earumque adjunctis judicium.

An S. Nazarius ad Cemelenses.

Noster Theophilus Raynaudus in suo Hagiologio Lugdunensi a pag. 412 *duo hæc locorum nomina jam exposita restituere debitæ lectioni satagens, circa vocem* Melia *nostræ explanationi, quam mox dedimus, satis consentit; sed circa* Temerum *adhibet a nostra superiore plane diversam.* Est, *inquit,* Intemelium in Liguriæ hodiernæ extremo limbo; *paucisque in ejus laudem decursis, ita pergit:* Vixisse ibidem.. SS. Nazarium

AUCTORE J. P.

Nazarium ac Celsum, pulsos Cemelia, tradunt antiqua horum Sanctorum Acta a Metaphraste repræsentata, *admodum* librarii vitio *deformata. Pro* Melia *itaque legendum monet*, Cemélia, *extrita ex mendo vel ex usu Græco familiari detruncata prima syllaba; quem usum exemplis probat: idque fortasse circa* Intemelium, quod item recisa prima syllaba efferunt, locum habet... Natum Cemeliæ, dum staret, S. Celsum, extra controversiam est; ac proinde fidem Christi ibi prædicavit S. Nazarius. *Ita Raynaudus. R. D. Petrus Jofredus in sua Nicæa civitate sacris monumentis illustrata, et anno* 1658 *Augustæ Taurinorum excusa, pag.* 57 S. Celsum martyrem eivem Cemenelensem *exhibet, subdita historica de utroque nostro Sancto narratione; sed parvi pretii ob auctores, quos pag.* 62 *citat.*

Intemelienses,

122 *Jam vero Raynaudus ad* Temerum *nomen ac locum discutienda progressus, censet pro ea voce non esse* Treverim *legendum, quo cum infante* Celso *pulsus* Melia *concesserit* Nazarius; *sed ex imperitia librarii sic scriptum esse, non* B *satis videlicet animadversa, quam asseret Actorum scriptor, quamque nos ex ejus verbis paullo ante indicavimus, amborum locorum istorum vicinitate; a quibus urbs Trevirensis longe sit sejuncta, a mari autem sejunctissima:* in quod tamen digressum Melia S. Nazarium, ab ei infensis alibi quoque fidei hostibus conjectum, divinoque præsidio emersisse, *dicit Raynaudus, citans* Acta; prædicationi ejus Intemelii, *uti vult*, ac per reliquam Liguriam,et continentem Insubriam attestantia: cum laborum ejus Treviris pro Christo susceptorum ne vestigium quidem sit reperire. *De Treviris mox disseremus.Interim multa,ut vides,in hoc superiore fragmento dicit Raynaudus; sed eorum, quæ dicit, nihil quidquam documentis ad faciendam fidem historicam satis accomodatis probat, unice nixusActis sub nomine Metaphrastis editis: quæ quia misera sunt, miseras etiam esse consecutiones, quæ indidem deducuntur, necesse est; et quamvis ea vocet* antiqua,*dispicere debebat,an vero hujusmodi nomen mererentur Acta ista; quæ post tot demum ab obitu* S. Nazarii *seculorum interpositionem exarata oportet, siquidem Metaphrastis* C *sint.*

Ligures, et Insubres profectus sit;

123 *Nullam itaque pro suo* Intemelio *Raynaudus probationem affert, dum talem affert; nullam item pro natalibus* S. Celsi *apud Cemelienses; ut mirum sit, Raynaudum adeo affirmate dicere, illud punctum* extra controversiam esse; ac proinde fidem Christi ibi prædicavisse S. Nazarium. *Quæ addit de Liguria et Insubria tantidem valent: non quia sufficiente cum fundamento possimus dicere, quod omnia illa sint falsa; sed quia non probantur vera; ac proin fidem non merentur, præsertim ob silentium seu nescientiam potius antiquiorum auctorum; inter quos Paulinus nihil satis comperti habuit, quod in rem præsentem diceret; Ennodius autem et auctor Sermonis pluries memoratus Sanctum indefinite indicant esse peregrinatum; at peregrinationum loca definite non determinant. Et cur, amabo, antiquiores isti auctores omnes a determinandis peregrinationum locis in individuo, sed ab ipsis etiam provinciis ac regionibus nomine suo proprio exprimendis, adeo concordi silentio abstinuere? eo, uti putamus, quod nihil omnino in individuo de iis scirent dicere, nedum singulatim ac nominatim determinare, adeo ut qui hoc postmodum tentarunt, non ut certo vera dicerent, sed ne nihil dicerent, vel ad verosimilem, vel ad dramaticam dictionem seu compositionem confugisse videantur.*

an item ad Trevirenses;

124 *Age, nunc Trevirensis expeditio* S. Nazarii, *an et quo fundamento firmari infirmarive possit, inquiramus. Illum narrator Mombritianus solenni adeo emphasi de Trevirensibus bene meruisse asserit, ut* primum suæ salutis auctorem; eo prædicante, certum sit, *si dicenti credimus*, cognovisse. *Alia nostra Actorum apographa circa Trevirensem illam prædicationem allegare, nihil attinet; nec, quos Puricellus cap.* 13 *profert, Vincentium Bellovacensem in Speculo historiali lib.* 9, *cap.* 52; *Jacobum a Voragine in Legendario cap.* 97; *Petrum de Natalibus in Catalogo lib.* 6, *cap.* 147; *sanctum denique Antoninum* I *parte Chronicorum, titulo* 6, *capitulo* 27: *istiusmodi quippe auctores, adeo recentes ac meri vulgarium Actorum vel transcriptores vel compilatores, rei hic controversæ nihil quidquam subsidii afferre possunt; cum pluris valere non queant, quam instrumenta, quæ adhibent. Noster Christophorus Browerus* S. Nazarii *apud Trevirenses apostolatum commemorans in suis Annalibus Trevirensibus, ad annum Christi* 65 *sic loquitur:* E
Pervenisse SCRIBITUR in Treviros, magnaque hominum multitudine ab imperio stygiæ tyrannidis ad Christi jugum obsequiumque traducta, fundasse ecclesias, dedicasse basilicas, omnes implesse denique numeros pervigilis atque boni Christiani sacerdotis. *At qua veritatis specie fundationes ecclesiarum, dedicationesque basilicarum cohæreant cum persecutionibus sub Nerone adversus Christianos excitatis, sub quo tamen hæc gesta fuere secundum Browerum, non concipimus.*

an ibidem sacerdotis et episcopi munus exercuerit.

125 *Ecce tibi jam, si Superis placet*, S. Nazarium *sacerdotem et episcopum ex narratione Broweri; quam tamen totam moderate temperat per se* scribitur; *subindicans, quid scriptum sit de ista re, non vero quid scribendum fuerit, aut scriptum vero ac sufficienter probari possit. Et vero Raynaudus citatus, pag.* 413 *recte, quamquam id poterat facere paulo modestius, ipsum refutat his verbis:* Sudat Browerus, rerum Trevirensium scriptor accuratissimus, ut inveniat, quomodo famæ protritæ de Nazarii Trevirim appulsu velificetur; et præter Adonem, quem frustra allegat, cum nihil plane in hanc rem habeat, obscura duo recentiorum exiguæ accurationis scriptorum ex Actis depravatis implanatorum testimonia adducit: ac denique vulgatum S. Ambrosii nomine sermonem, qui plane abjudicatus est S Ambrosio, cum sit cento ex variis Eusebii Gallicani lectis hinc inde plagulis ad SS. Nazarium et Celsum accommodatis contextus: in quo item nihil est, quod Trevirensi S. Nazarii apostolatui faveat; nisi quod Vir sanctus varius omnino regiones peragrasse dicetur; quod de tam multis Italiæ oris ab eo Roma jam extorri peragratis facile accipitur; *sed illud Ennodii, quod supra dedimus,* lustravit orbem; *et alia ex auctore sermonis S. Ambrosio a nonnullis tributi, quæ allegavimus, plus aliquid indicant quam solas Italiæ oras. Quod iste sermo,* sit cento ex variis Eusebii Gallicani lectis hinc inde plagulis... contextus, *dicit Raynaudus, non probat; nec concipimus, quomodo id satis probari possit: tanta quippe scriptorum tamque diversa circa auctorem istius sermonis est controversia, ut statui nihil in hac re satis probabiliter possit, juxta dicta num.* 94 *et sequentibus.*

126 *Quod attinet ad* obscura duo recentiorum exiguæ accurationis scriptorum ex Actis depravatis

Hanc ultimam peregrinationem non satis consequenter rejicere videtur Raynaudus,

A vatis implanatorum testimonia, *quæ adduci a Browero carpit; carpere meliore jure posset alius, cui Acta* S. Nazarii *tanto in pretio non sunt, in quanto sunt Raynaudo; citat quippe Browerus Metaphrasten; citat illum eumdem Raynaudus, quin imo in illo unico Sancti apud Intemelienses, uti vidimus, peregrinationem fundat. Pari itaque passu ambo procedunt. Recentiores duos præterea, nimirum Vincentium Bellovacensem, et S. Antoninum allegat Browerus, cum tanti valeant, quanti valent Acta, quæ ipsi sequuntur. Parum quoque momenti habent ea, quæ de obscuritate, exigua accuratione ac depravatione monet Raynaudus; cum nulla non* S. Nazarii *Acta corrupta, minimeque accurata, ac depravata sint; atque adeo tam nulla magis Raynaudo pro suis Intemeliensibus, quam Browero pro suis Trevirensibus patrocinari possint. Breviarium Romanum citari a Browero, vel non observavit Raynaudus, vel sciens potius ac volens dissimulavit : de quo tamen neutiquam hic laborandum est. Ita legit ad hunc diem* XXVIII *Julii de Martyribus nostris :* Qui una B Treverim euntes, Neronis persecutione in mare uterque dejicitur.

Quid de ea Breviarium Romanum.

127 *Mare cum aditu ad Trevirensem urbem qua veri specie connectitur? Ast Breviarium Romanum accommodat se Actis; non quid vere historice legi debeat, sed quid pie legi velit bona fide præscribens. Adde, quod Breviarium illud, quatenus in eodem continentur lectiones de Sanctis pro Officio nocturno, adeo sit recens, ut a grandi Breviariorum antiquitate nequeat pro vetustissimi alicujus facti veritate præjudicium formari, prout dictum est jam pridem in Responsionibus Papebrochii ad Sebastianum a S. Paulo, parte* 2, *art.* 17, *a num.* 5; *pluribus ibidem in decursu ad præsens argumentum curiose observatis : ad quæ lectorem mittimus. Consequens itaque est, ut eruditi Trevirenses vel patienter ferre debeant, quod candide dicamus de* S. Nazarii *apud se apostolatu nobis non satis constare; vel ut melioribus, quibus constare possit, documentis illum stabiliant.*

Fertur etiam Sanctus ivisse Placentiam; Genuam item : ubi volunt

128 *At quid de peregrinationibus per Italiam Genuensi ac Placentina? Hanc quidem præter auctorem anonymum Mombritianum tradunt* C *Acta apud Surium, et apographa nostra ex Mss. Windbergensi, Trevirensi S. Maximini Anthologium apud Græcos cum Menæis excusis : de qua quid dicendum sit, abunde colligi datur ex præcedentibus circa alias peaegrinationes, observationibus. Idem esto judicium de Genuensi, quæ fabulosa* S. Celsi *resuscitatione a mortuis adornatur, in nostro codice Fuldensi* QMs. 6, *fol.* 21, *in Passione* SS. Nazarii, *Gervasii, et Protasii et* Celsi pueri *descripta :* Nazarius vero abiit cum Celso puero in civitatem, quæ vocatur Janua ; ibique Celsus puer amisit spiritum : et non erat in eo spiritus, neque loquebatur. Constans cum animo, et fidens de Dei misericordia S. Nazarius oravit dicens : Domine Deus patrum meorum, ostende mihi si vere mortuus est Puer, ut sepeliam eum in loco hoc : sin vero vivit, exspectans exspectabo eum. Et orante eo, venit vox ad eum dicens : Resurget Puer, et adnuntiabit tibi gaudium.

S. Celsum ab eo ad vitam revocatum.

129 Circa autem nonam surrexit Puer, dicens ei : Ave pater Nazari. Dixitque ei Nazarius. Ave fili Celse : dicito mihi, ubi nunc fuisti. Qui respondit : In congregatione justorum ; ibique te vidi stantem juxta sedem omnipotentis Dei ; et loquebatur tibi de vita immortali. Gaudio autem repletus S. Mazarius osculatus est caput ejus ; et Puer osculatus est vestigia ejus. Manserunt autem nocte illa intra civitatem. Et post triduum surgens ambulavit cum Celso puero *etc. Ecgraphum nostrum ex bibliotheca reginæ Sueciæ supra assignatum simillimam aperit scenam, imo vero in substantia eamdem. Fabulosam, inquam, hanc resuscitationem æquis rerum æstimatoribus numquam persuaverint Genuenses, quamdiu pro ejusdem veritate melius fundamentum non produxerint, quam hujusmodi Acta. Verum quod de Sancti ad Genuenses peregrinatione dicebamus, vellemus melioribus antiquitatis monumentis roborari, ut magis secure credi posset id, quod habet Ubertus Folieta Genuensis historiæ lib.* I, *pag.* 14 *:* Religionem et doctrinam Christianam civitas nostra a Nazario et Celso accepit. AUCTORE I. P

Peregrinatio Viennensis ac Gebennensis ab aliquibus perperam Sancto adscripta;

Novum denique apostolatus ac peregrinationis locum nobis pandit Saussayus in suo Martyrologio Gallicano, ad diem XXVIII *Julii his verbis usus in sua de* SS. Nazario *ac* Celso *annuntiatione, quibus* Viennensis Galliæ ac Alpinæ regionis Aposto- E lorum *titulum eis tribuit ; pari nempe veritatis et auctoritatis specie, qua mox in elogio attexit apochrypha ista inter* S. Nazarii *peregrinationes :* Gebennam... ingressus , Christi gratiam primus civibus prædicavit ; ex quibus Celsum adhuc puerum salutaribus præceptis instructum baptizavit ; unaque cum eo Trevirim progressus *etc. Invenerit itaque, uti conjectamus, vel ex vocibus* Cimellus, Gemellus, Genebellis, *non satis fortasse sibi cognitis, formarit ipsemet* Viennam *ac* Gebennam, *affini syllabarum similitudine in errorem ductus. Nisi potius novum hunc apud Gebennenses apostolatum acceperit a Claudio Roberto in Gallia Christiana sub initium Catalogi episcoporum Genevensium ; ubi de* prædicatione S. Nazarii, qua inter ceteros cives Gebenenses ad fidem conversus fuit S. Celsus, *meminit.*

cum peculiari cultu apud Gebennenses.

131 *Quod in eadem etiam sententia fuerit S. Franciscus Salesius, episcopus et princeps Gebennensis, non ausim dicere ; sed Carolus Augustinus Salesius, in Vita hujus sui patrui lib.* 5, F *pag.* 257 *enumerans eos Sanctos, quos ille sanctissimus Præsul peculiari novo vel antiquo cultu celebrari voluerat in sua diœcesi, ponit* In Julio die XXVIII divos martyres Nazarium et Celsum : *quorum ille* ex Italia Treverim iter faciens, ac in civitate Gebennensi aliquamdiu moratus, plurimos ibidem ad fidem convertit ; inter quos Celsum admodum juvenem, civem Gebennensem... Officio duplici : *ubi præter novum* S. Nazarii *apostolatum habes novam* S. Celsum *patriam, a Cimeliensi prorsus diversam : quæ, quod ad locum hunc spectet, non satis constat ex dictis ; multa minus tamen Gebennensibus eam adscribere possumus.*

§ XIV. An S. Nazarius fuerit synchronus SS. Gervasio ac Protasio ?

Synchronismus ille jam pridem apud nos in dubium revocatus:

Communi auctorum suffragio, secundum dicta num. 108, S. Nazarii *martyrium contigit sub Nerone ; quo posito, quærere an SS. Gervasius ac Protasius ei fuerint synchroni ac in carcere ab ipso inventi, fere tantumdem est, ac si quæras, utrum sicut hujus, sic etiam illorum ætas cum Neronianis temporibus cohæreat. Actum de ista controversia jam pridem apud nos fuit ad*

AUCTORE J. P.

ad diem XIX *Junii in Commentario SS. Gervasii et Protasii* § 5; *ubi variis difficultatibus contra affirmantem sententiam propositis, tandem sic concludit Papebrochius, rem indecisam relinquens.:* Ceterum quæ diximus in favorem sententiæ, SS. Gervasium et Protasium ad Antonini et Veri tempora referentis, non aliter velim accipi, quam dic per conjecturam. *Et mox subdit:* Interim dubium manet, rebus sic stantibus, utrum SS. Gervasius et Protasius aliquid commune habuerint cum SS. Nazario et Celso, præter locum martyrii apud Mediolanum, et cultum ibidem atque CPoli, itemque in Martyrologiis *etc. His, quæ tunc temporis ibi dicta sunt, superaddamus hic paucula, ac rem, quoadusque poterit, breviter elucidemus, saltem quatenus* S. Nazarii *ætatem spectat.*

qui nunc etiam ex antiquis monumentis

133 *Nulla imprimis Acta seu Græca seu Latina, saltem prout illa nunc circumferuntur, sufficientem præferunt auctoritatem, ut ætatem, de qua hic agitur, probabiliter persuadere nobis valeant : nam de exigua eorum fide nemo est qui* B *dubitare possit, si tum ad præmissa ex illis specimina, tum ad pleniores, quæ suo loco congerentur, castigationes in illa nostras, seposito partium studio, animum attenderit. Dispiciendum itaque superest, an et quid aliunde ex melioribus antiquitatis monumentis sperare liceat. Illa, quæ refert S. Ambrosius in epistola* 54 *(citamus hic editionem Coloniensem anni* 1616*) ad sororem suam Marcellinam ;* Invenimus miræ magnitudinis viros duos, *Protasium et Gervasium,* ut prisca ætas ferebat; *qui idemque etiam dicuntur* diu ante ignorati; *adde item id quod subditur :* Nunc senes repetunt, audisse se aliquando horum Martyrum nomina, titulumque legisse; *illa, inquam, argumento quidem sunt, quod spectent ad primæva nascentis Ecclesiæ tempora, sed rem præsentem neutiquam decidunt, quandoquidem nullum determinate annum aut imperatorem definiunt. Nihilo amplius extundes ex illo apud S. Augustinum lib.* 9 *Confessionum cap.* 7 *(ubi loquitur de* C *istorum Sanctorum corporibus S. Ambrosio revelatis)* quæ per TOT annos incorrupta *etc. Mirum etiam enimvero esset, si quidquam amplius ad præsens propositum novisset Paulinus, et si in Vita S. Ambrosii, ubi de revelatis ipsi hisce sanctis Martyribus agit, nihil aliud dixisset, quod huc quidem faciat, quam illud :* Protasii vero et Gervasii martyrum, ut nomina, ita etiam sepulcra incognita erant; *quod magnam quidem arguit martyrii antiquitatem, non tamen eam, quam nos inquirimus, demonstrat.*

non probatur uti nec ex columna antiqua, ut fertur;

134 *At de* S. Nazario *idem auctor agens*, Quando sit passus, *inquit*, usque in hodiernum diem scire non possumus; *atque adeo hujus nostræ controversiæ arbiter aut judex esse nequit, non magis quam auctor sermonis S. Ambrosio adscripti, apud quem nihil hujusmodi offendimus, quod huc conducat, nosque e Cymmeriis hisce tenebris erutos vel crepera etiam saltem luce impertiat. Nec vero hujus nostri Sancti cum duobus istis aliis synchronismus stabiliri potest ex veteri, ut putatur, apud Mediolanenses monumento (de quo scribebat Franciscus Bernardinus Ferrarius litteris Idibus Decembris anni* 1608 *ad Rosweydum datis)* ex marmorea columna antiquissima *(verbis Ferrarii utimur)* qua anno Domini MDCII hic Mediolani prope arcem effossa fuit, cum hujusmodi inscriptione litteris pene fugientibus :

D

In hoc loco ubi fixa est h * columpna
Decapitatus fuit sanctus Paxius * anno
Ab Incarnatione Domini LVII. die XVIIII Junii sub
Comite Astasio.

* hæc
* Protasius

Sed inscriptio ista merito nobis est suspecta, nec tam antiqua censeri potest, ut ad ecclesiæ incunabula referatur.

sed quæ pluribus titulis merito suspecta

135 *Etenim cum annos computet ab incartione Domini, patet quod non exstiterit ante tempora Dionysii Exigui, qui floruit seculo* VI : *cui* debemus, quod in Cyclo suo annos non per olympiades vel consules aut indictiones; sed a Christi Domini Incarnatione numerare cœpit, *ut refert Baronius ad annum Christi* 527. *Vox autem* comes *quæ Astasio apponitur, necdum seculo primo aut secundo adhibebatur tamquam titulus dignitatis; sicut observat Tillemontius in nota secunda super SS Gervasio ac Protasio, tomo* 2 *Monument. eccles., pag.* 500. *Dicit, quod vox ista necdum seculo primo aut secundo adhiberetur* tamquam titulus dignitatis; *qui apparet Tillemontio posse dici institutus a Constantino magno,* E *prout videre est apud ipsum Historiæ imperatorum tomo* 4, *art.* 84; *quamquam, uti ibidem notat, res ipsa in se videatur esse antiquior, ejusque exordium referri posse ad tempore Augusti, qui plures senatores sibi comites assumpserit, itineris videlicet socios, ac rerum gerendarum adjutores ; quæ hunc in modum eadem auctoritate peragebantur, acsi in pleno peractæ fuissent senatu, prout apud ipsum legere est loco mox citato. Et sic forte intelligitur* Flaccus, comes, *in Actis S. Petronillæ ad diem* XXXI *Maii, pag.* 420, *qui* venit... ad eam cum militibus, ut eam sibi sponsam assumeret.

ostenditur.

136 *An autem Albines aliquis ante Constantinum appellatus fuerit* comes, *non addendo* talis imperatoris, *invenies in eodem tomo nota* 68 *in Constantinum ; quod si supponas Albinum et* comitem *fuisse, et ante istum imperatorem vixisse ; cum illud exemplum unicum fortasse sit, inquit Tillemontius, obstare illud haud debere, quo minus ad Constantinum referatur origo tituli* F comitis *eo modo, quo et sub ipso et sub successoribus ejus adhibitus fuit. Ceterum nonnulla notionem hujus vocis spectantia breviter nos perstrinximus ad diem* XXII *Julii occasione S. Josephi* comitis, *cujus tunc historiam illustravimus. Quoniam itaque columna ista duobus nunc ostensis defectibus evertitur, nullam vel ætatis SS. Gervasii ac Protasii vel propriæ suæ antiquitatis regulam suggere potest. Adde ex Ripamontio inferius citando, pag.* 55, *ubi de* columella.... juxta Jovis arcem effossa, *atque adeo eadem haud dubie agens,* id adulterinum, *inquit,* esse monumentum dicunt, litterarum argumento, quæ recentioris formæ notas et ductus male nimirum tegant. *Ergo ex illa columna nihil conficitur. Undenam igitur illam hic controversam antiquitatis regulam desumemus? Non ex qualibusqualibus, suspectis, aut antiquitatem ementitis utique instrumentis illa expromi debet, sed ex antiquissimis ac primorum fere seculorum monumentis ; quæque adeo sint accommodata, ut temporibus scriptoris ac rei scriptæ non nimia inter se longitudine distantibus conciliare possint fidem. Nec vero nobis objicias Ambrosii epistolam* 53, *in qua de inventione corporum SS. Protasii ac Gervasii, invento ad eorum caput libello, comite Astasio, belloque Marcomannico etc. fit mentio: nam Tillemontius nota* 2 *in istos Sanctos,*

A *ctos, quæ ponitur inter notas super persecutione Diocletiani pag.* 499, *isti sancto Doctori merito eam abjudicat, tamquam ei suppositam, et in pluribus contrariam epistolæ* 54, *quæ vere sit ipsius. Plura dabit citata nota (unde paucula hæc delibasse sufficiat) et Commentarius apud nos die* XIX *Junii de Sanctis istis* § 3, *a pag.* 820.

Proponitur systema circa istum synchronismum aliunde non satis probatum,

137 *Cum igitur adeo incertis nitatur principiis assertio Actorum, quæ SS. Gervasium ac Protasium nostro Martyri ætate conjungunt, candide profitemur, desiderare nos majorem auctoritatem, ut in isto facto consentiamus Actis, in pluribus aliis ab eorum historia recedere coacti; dubiumque nobis, uti jam pridem fuit Papebrochio, etiamnum remanet, utrum duo isti Sancti aliquid cum nostro habeant commune, præter locum martyrii apud Mediolanenses, et cultum ibidem atque CPoli, itemque in Martyrologiis etc. Quod si inoffensis iis, qui aliter hosce inter se Sanctos conjungunt, integrum nobis sit, sincera animi nostri sensa exponere super hac re, systema quod-* B *dam formabimus, quo intelligi detur, unde conjunctio ista originem traxerit, quo pacto deinde processerit, ac denique quam late ac diffuse in medii ævi scripta irrepserit, ab aliis recentioribus etiam adoptata. Systema, inquam, merum illa omnia erunt, seu hypothesis, quam eruditis potissimum Mediolanensibus expendendam proponimus tantisper, donec certiora vel ipsi vel alii nobis suggesserint, paratissimis interea doceri, ac nostras mutare conjecturas, siquidem vel ratio sufficiens, vel idonea documenta, vel probabilis auctoritas aliqua contrarium nobis suaserit.*

et in Actis traditum,

138 *Nos itaque sic existimamus; quod Sancti nostri cum SS. Gervasio ac Protasio sint conjuncti tempore; quod* S. Nazarius *Mediolani in carcere eos invenerit, ad martyrium hortatus sit vel in ærumnis consolatus; quod utraque Acta fuerint commixta etc., eo totum illud refundendum esse tamquam ad primum factæ conjunctionis fontem, quod eadem omnibus et martyrii exstiterit palæstra, et locus inventionis moraliter idem; idem eatenus saltem passionis tempus, quod ad priscam ecclesiæ ætatem SS. Gervasius ac Protasius pertinerent; nostri vero ad Neronem saltem secundum ea, quæ* C *antea super hac re protulimus. Quibus sic stantibus, quidnam in rem suspectæ fidei auctorum, tempora S. Ambrosii et S. Ennodii, nec non Paulini istius, qui Vitam S. Ambrosii litteris mandavit, secutorum, accidere poterat accommodatius optabiliusve, quam, ut oblata sibi hac opportuna occasione, alia ex aliis istorum Sanctorum Actis utrimque adornarent; idque exigua forte vel nulla suspicione sua vel aliorum, hujusmodi ornatus; cui utpote tot congruæ convenientiæ videbantur favere?*

medioque ævo aut forte citius adoptatum, alterius Sancti Actorum exemplo

139 *Quod vero id factum sit seculo octavo aut nono, certo definire non quimus; at vel tunc, vel etiamnum citius, vel mediæ saltem ætatis ævo id factum, videmur aliquo cum fundamento suspicari posse, memores eorum, quæ jam pridem monuimus in Commentario SS. Gervasii ac Protasii* § 5, *num.* 40, *quæque maturo de Actis eorum, ac SS. quoque* Nazarii *ac* Celsi, *quamquam respectu horum tunc etiamnum præmaturo examini inspersa leguntur his verbis:* Æque celebris, ac Sancti quatuor, de quibus hactenus, Mediolanensisque ecclesiæ patronus S. Victor Maurus, ex Maximiani imperatoris militia, sub ipso, ejusque consiliario Anolino passus anno CCCIII, haud multo felicior in suis Actis fuit; eo quod, mendosa cum sint, sicut ostendimus VIII Maii, ipsa tamen scripsisse se fingat MAXIMIANUS, MAXIMIANI IMPERATORIS NOTARIUS, prout præsens viderat. Interim inducit Martyrem prædicentem, quod ipso anno moriturus imperator sit, qui tamen usque ad annum CCCX supervixit. Omitto alia olim notata: satis est ea hic obiter attigisse; ut constet, fuisse medio ævo viros Mediolani indiscrete pios, qui publicæ devotioni recte consulere se putabant, eorum Sanctorum Acta, quorum nulla exstabant, concinnando ex vulgi traditionibus male cohærentibus, et ex suis propriis conjecturis.

AUCTORE J. P.

quod profertur, nostramque conjecturam confirmat,

140 Id autem fecerunt sub nominibus antiquis, aptisque, si vera essent, fidem certissimam facere; prout male factum sero nunc deprehendimus; ægre fidem inventuri ipsimet apud præoccupatos in favorem fabularum, longi temporis præscriptione fultarum: adeo diu insignes quoque scriptores et viros alias eruditos impostura latuit. *Hujusmodi ad judicia, quamlibet in speciem duriora quam par sit, cum hic tum sexcentis aliis* E *in decursu operis nostri locis cogit nos aperta simul et impudens fabulandi libido, qua id generis biographi pro rebus maxime feriis res suspectas ac meras nobis nugas venditant; cogit item amor veritatis, quæ cum alibi semper tum hic maxime locum suum habeat, necesse est; cogit denique vera Sanctorum gloria, quæ proprio contenta splendore, veris honoratur laudibus, falsis dedecoratur. Quod vero sanctorum Martyrum nostrorum Acta præsertim Mombritiana similem subierint fortunam, elucescet inferius. At de controversia nunc agitata, an* S. Nazarius *cum SS. Gervasio ac Protasio simul vixerit, simul egerit etc dictum sit hactenus ex nostra conjectura.*

non nimis rigidam et exoticam,

141 *Quæ ne cuiquam videatur nimis rigida, mira et exotica, audiat is, quidnam de ea censeant ipsimet eruditi Mediolanenses, et quam affirmate sensa sua proferant. Unus sufficiat (plures etenim inquirere nihil attinet) Josephus Ripamontius, qui Historiarum ecclesiæ Mediolanensis decade* I, *lib.* I, *pag.* 44 *sic habet:* Nazario et Celso Gervasium et Protasium diversi Annales nectunt, explicantque mutuæ caritatis officia, F queis alteri alteros adjuverint, cum iisdem vinculis attinerentur. Ea fama nimium quantum aberret a vero, confundatque tempora et ordinem rerum. Constat enim certissima litterarum atque monumentorum fide, Gervasium et Protasium post aliquot ab hoc ipso tempore annos extitisse. *Et ibidem pag.* 55: Ceterum annus martyrii, *inquit*, nulli non scriptori talium rerum attente ac solicite vestigatus in obscuro adhuc latet, miraque contentionum ambage ac varietate tota res in hanc illamve partem trahitur. *Et recensitis nonnullis difficultatibus, ita rem concludit:* Hæc inter se contraria et diversa, nostra non possunt auctoritate componi. Certe constat, posteriores fuisse Nazario et Celso, contra quam nonnulli scriptores tradidere. *Ita ille.*

ut ipsismet Mediolanensibus displicere merito possit.

142 *Quando tam affirmate pronuntiat, SS. Gervasium ac Protasium* posteriores fuisse Nazario ac Celso, *plus forte dicit, uti nostra est suspicio, quam ex antiquis ac fide dignis monumentis solide probari posse videatur. Ex* solidis, *inquam,* ac fide dignis monumentis; *in quorum numero nos neutiquam ponimus vulgaria eorum Acta, nec epistolam pseudo-Ambrosianum, atque adeo nec chronologicum characterismum belli Marcomannici iis insertum. Adi Baronium in notationibus Martyrologii*

AUCTORE J. P.

logii Romani ad diem XIX *Junii*, *nec non annotata nostra paullo ante num.* 136 *citata, littera* o. *Nec movent nos* Victoris Syri, *de quo nunc diximus; nec S. Hermagoræ Legendæ, testibus coævis subpompatica, ut ita loquamur, nominum antiquorum umbra testibus coævis suppositæ, de quibus inspici potest supra assignatus SS. Gervasii ac Protasii Commentarius* § 5. *Utinam melioris sint notæ, quæ habentur in Commentario historico de S. Juventio ad diem* VIII *Februarii*, § 2, *pag.* 153; *ubi refertur, quod ille a quadam Dei famula, dum recisa esset cervix* B. Nazario, *cruorem ejus acceperit; illo energumenum sanarit, aliaque fecerit miracula ac fidem promoverit.*

§ XV. Scriptores Actorum; eorum, quæ sunt apud Mombritium, examen.

B

Acta Græca tribuuntur Symeoni Metaphrastæ;

A scriptoribus Actorum incipiamus, ad ipsa deinde Acta examinanda progressuri. Quoniam vero duplicis generis ea circumferuntur, Latina nimirum et Græca, vel e Græco in Latinam linguam conversa; primo de his, tum de illis, quantum ad eorum scriptores pertinet, tractabimus. Actorum, quæ Latine reddita exstant apud Surium ad diem XIX *Junii, Actisque SS. Gervasii ac Protasii, ut diximus, immixta sunt, auctorem fuisse Symeonem Metaphrastem censet Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag.* 130. *Sic autem incipiunt* : Νέρωνος αὖτις τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος ὁ θαυμαστὸς Ναζάριος. *Titulus hic* : Vita et certamen SS. Nazarii, Gervasii, Protasii et Celsi. *Sub istius etiam auctoris nomine dat illa Surius, sub quo et nos eadem pluries supra allegavimus. Sint itaque ipsius; quamquam existimemus admodum difficile dictu esse, quænam Acta vere ipsius sint, quænam autem ei supposita. Exemplar nostrum Græcum non præfert nomen auctoris. Nec plura occurrunt, quæ circa auctorem dicamus.*

C

Mombritius quæ edidit, videntur composita ab anonymo Mediolanensi:

144 *Acta, quæ edidit Mombritius, anonyma sunt, ac frustra proinde nomen auctoris indagaveris. Aliter censemus de ejusdem patria; Mediolanens emenim ipsum fuisse argumento est, quod in sua præfatione dicat,* Nostri quoque prærogativa Patroni. *Et mox* : Noster celeberrimus Martyr. *Quæ quia abs nullo quam a Mediolanensi magis proprie dici possunt, ideo nobis illa sufficiunt, ut ex quadam probabili conjectura istum anonymum auctorem Mediolanensibus adscribamus. Quod autem ad ætatem ejus spectat; non scripsit ante tempora S. Ambrosii : nam sub finem suæ historiæ agit de revelatione, inventione ac translatione corporum* SS. Nazarii *ac* Celsi. *Imo vero scripsisse eum diu post, illud indicio est, quod occasione miraculorum, translationem* S. Nazarii *subsecutorum, dicat* usque in præsentem diem. *An porro vixerit medio ævo, quo apud Mediolanenses vixisse viros indiscrete pios dicebamus num.* 139; *an citius etiamnum, an serius, nos omnino fugit. Nihil in rem nostram invenimus apud Tillemontium in notis, nihil apud Puricellum. Hoc manifestum, quod, quisquis ille fuerit, quocumque tempore vixerit, res suas male combinet, fabulas venditet, piumque ac scenicum drama repræsentet : ad tria quippe hæc capita nostrum circa ipsius Acta reducemus examen.*

D

qui res male combinat,

145 *Ac primo quidem, res, inquam, suas male combinat. E quarum imprimis numero est baptismus S. Perpetuæ, matris* S. Nazarii, *cum* Simone *mago* jam devicto, *novennio* S. Nazarii, *et tam longa rerum gestarum peregrinationumque subsecuta serie, ac demum cum martyrio sub Nerone ineptissime ab isto auctore connexus; adi quæ supra diximus num.* 107. *Nec meliore nexu* observantia sabbatorum *Africani, patris* S. Nazarii, *et illud,* Pater die sabbati in observatione suæ legis *(Judaicæ videlicet) cohærere intelligimus cum sequentibus, quæ Africano ad filium dicta imputantur* : Tibi dabo mysterium religionis meæ, et eris gloriosus in conspectu principum urbis Romæ. *Nam quid Neroni, aut aliis, si vis, principibus Romanis gentilibus cum Judaica observatione? Ejusdem fur furis illa* : Residente super cathedra Romanæ ecclesiæ sanctissimo Lino episcopo, qui B. Petro apostolo prima religione succedens *etc.*; *a quo, uti mox dicitur, Sanctus noster petierit et acceperit baptismum; vide citatum numerum* 107; *ubi diximus non cohærere. Ista vero,* E Parentes ejus.. ex bonis suis dederunt ei septem onera animalium cum auri et argenti pondere magno; *de qua re meminimus num.* 100; *hæc item,* Egressus . . ab urbe Roma . . . iter agens per singulas civitates Italiæ, docebat omnem populum baptizari *etc. Hæc, inquam, an sunt facta novennis vel undennis pueri?*

quas ostendimus neutiquam cohærere,

146 *Et paulo post dicitur* : Post annos autem decem discessionis suæ ab urbe Roma, ingressus est civitatem Placentinam, prædicans *etc. Vide ineptias; baptizatus novennis a S. Lino Pontifice jam Romano, martyrium facit sub Nerone : quomodo ergo in casu comparet Placentiæ, nisi jam mortuus? Quod vero narratur postea, videlicet Sanctus noster* transactis . . . paucis diebus venit Mediolanum; ibi dum verbum Dei sedule prædicaret . . . invenit confessores Christi Protasium et Gervasium; *id intactum hic relinquimus : nam an et quid cum illis commune habere potuerit* S. Nazarius, *discussum est* § 14. *Quid tum postea?* Nuntiatum est de eo Anolino præsidi Italiæ; qui statim . . . ad se eum cum celeritate pertrahi jubet. *Baronius in notationibus ad diem* XXVIII *Julii* Anolinos *seu* Anulinos *quatuor synonymos ponit*; F *unumque ex his sub Nerone; at quæstio est, an et unde is ultimus nobis suaderi possit; an, inquam, ex melioribus documentis, quam sint Acta, quæ discutimus, aut ejusmodi furfuris scripta. Ad hoc certe comprobandum minime ea sufficere profitemur. Tu vide interea, quæ de synonymo, qui sub Maximiano vixerit, apud nos dicta sunt in Commentario S. Proculi ad diem* XXIII *Martii; S. Victoris ad diem* VIII *Maii, et in Actis SS. Naboris et Felicis* XII *Julii : cujus aut alterius, qui post Neronem sævierit, nomen huc intrusum, et male sub Nerone positum suspicamur : qua de re pluribus te instruet Commentarius SS. Gervasii et Protasii, num.* 43; *ubi Neronianus ille exsufflatur.*

sed pugnare cum veritate,

147 *Pergamus cum Actis Mombritianis* : Oratorium Domini et fundando cœpit, et consecrando præcepit *Sanctus noster; is scilicet qui numquam, quantum scimus, fuit episcopus. Vide superius num.* 125. *Et vero quo pacto cohærent illa, quæ auctor apud Mombritium memorat, volens suæ narrationi auctoritatem ex iis conciliare; sed quia aperte cum veritate pugnant, nimium quantum similia allegando sibi ac suis Actis officit* : Consequens, *ait,* quidem

A quidam philosophus S. Nazarium, ab initio scripsit libellum certaminis ejus, quem apud se fideliter conservabat occultum. In visione vero commonitus a Sanctis, eamdem sacri certaminis scripturam Ceratio detulit, qui eorum pretiosa corpora sepelierat: et sicut ab eisdem Martyribus Ceratio fuerat imperatum, ad capita eorum reconditum, usque ad diem revelationis eorum mansit occultum. *Combinet ista lector cum iis, quæ mox sequuntur :* Post vero.. revelavit Deus eorum corpora.. beatissimo Ambrosio episcopo Mediolanensi... imperante Theodosio religioso imperatore; *qui jam obierat, sicut probavimus num.* 14. *Paulinus enim oculatus istius inventionis testis, inspector, et accuratissimus omnium etiam minutissimorum, quæ in ea vidit, descriptor; vel cæcus fuit, si illum libellum* ad capita eorum reconditum, sed usque ad diem revelationis eorum occultum, *ac proinde tunc inventum, non viderit; vel supra fidem negligens et incurius, ne dicam men-*B *dax; cum* quando *Sanctus* si passus, usque in hodiernum diem scire *se* non posse *profiteatur. Viden', in quot* ἀνακόλουθα, ἀσύστατα ἀσύναπτα *impegerit Mombritianus iste auctor, res suas male combinando; id quod primo loco susceperamus probandum?*

fabulis

148 *Alterum, quod fabulas venditet, sic ostendimus. Epistola imprimis seu* relatio, *ut ibi vocatur, sub hoc exordio,* Neroni cæsari et consuli piissimo Cornelius salutem, *in his rerum, personarum, ac temporis circumstantiis, displicet; cujus argumentum describere tædet. Sequitur :* Susceptis litteris Nero indignationis ira commotus, vocavit ad se Dentum, militem suum primum; dixitque ei : Cum omni festinatione acceptis militibus percurre in provinciam Galliarum, et contumacem Nazarium, murmurantem contra deos, vinctum collo et manibus, nostris tribunalibus statue puniendum : *quo facto,* Nero... accersito Dento, præcepit ei dare talentum auri. *Dignum patella operculum! Nec tolerabiliora sunt hæc :* Cum Nero in vicinis sibi montibus ad capiendas feras venatores misisset, et omni nisu ageretur... illa ferarum multitudo, C ad inferiora descendens, ostia viridarii, in quo erat Nero, rabido cursu petiit, multis armigerorum ejus necatis : quam plurimi etiam morsu macerati sunt, in tantum ut ipse cæsar nimio pavore turbatus, ab eodem loco diffugiens, percussus pede, juxta palatium fessus perveniret... Cumque casu vulneris laceratus Nero multis diebus decubuisset *etc.*

esse respersas.

149 *Deinde* unus ex militibus percutiens eum, concidit pede, et illidens lapidi oculum amisit; *et plura istiusmodi furfuris, quæ subduntur, et de quibus agemus paullo post, quid continent nisi res apocryphas? Illa vero,* Audiens de eo, *jam Mediolanum profecto,* Anolinus, dixit militibus suis : Quomodo effugit manus Neronis homo iste? Et jussit, ut suppositum carpento longius ab urbe projicerent eum. Et... indicatum est ei, quia esset destinatus exilio. Tunc . . . . commendavit Celsum puerum cuidam mulieri Christianæ *etc.; illa, inquam, quisnam satis patienter legat? Cui item non commiserationem moveat aliud exemplar litterarum, quibus* Neroni imperatori, et consuli piissimo Anolinus salutem *dicit, atque his illud concludit verbis :* Litteras tuæ magnitudinis exspecto, ut tantæ audaciæ viro, compendiosæ mortis terminum imponatis. *Credulus enimvero ac valde simplex ille sit oportet, qui in tota narrationis congerie non detegat palpabilem concatenatarum fabularum texturam, ita ab isto auctore dispositam tamque distinctis minimarum circumstantiarum nexibus ordinatam, ut diceres, aliter hæc ita exprimi non potuisse nisi ab eo, qui singulos, ut ita dicam, passus Martyris coram numerarit; quod quam ab isto auctore sit procul, ex dictis est manifestum.*

AUCTORE J. P.

piumque ac scenicum

150 *Jam de tertio, quod suscepimus demonstrandum, puncto, quodque in pio ac scenico dramate positum esse diximus, accipe pauca hæc e multis, ut brevitati consulamus. Ut vero prologum, frequentesque in Actorum decursu dialogismos prætereamus, ac mutatam identidem supraque a nobis castigatam locorum scenam, apparitionem matris, uxoris Galliarum præsidis Denovai apud suum maritum pro Martyribus intercessionem, aliam apparitionem angeli etc. quæ theatrum sapiunt; en tibi palmare episodium :* Alia die, primo diluculo surgens Nero venit ad portum maris, in quo erat multitudo navium, et E de carcere educto Nazario, dixit ad eum : Dic mihi, seductor, quæ te dementia tenuit, ut soluta deorum nomina * redigeres in nihilum? Nunc te jactari præcipio in fundum maris... Tunc cæsar vocatis naucleris, dixit ad eos : Providete navem, et rebelli Nazario supposito, longius a terra discedite, atque in medio mari sentinæ dissoluta compage, ut pereat, quassatam inter undas relinquite.. Et si magicis artibus maria superaverit, ejectum in littore persequimini, et eum vivum igne cremate, ac combusti corporis cinerem in mare projicite... Et renuntiate mihi; et dabo vobis bona mundi hujus, et eritis gloriosi, aucti regis muneribus.

* forte numina

exhibentes drama

151 Suscipitur in navim Nazarius et Puer. Jactaverunt eos in mare. Et continuo lux magna resplenduit eis.. Angelus autem Domini descendit ad eos, et ostendens eis testamentum Domini, confortabat eos. *Quid plura? Sequitur deinde nautarum naufragium, conversio, resolidata navis, ingressus in civitatem Genuensem, mysterii sacramentum nautis traditum,* Nazarius *prædicans etc. qui* venit Mediolanum; statimque quos reliquerat beatos Protasium et Gervasium... in carcere positos requisivit, atque inventos confortabat *etc. Quid est episodia contexere, si hoc non est? At necdum hic finis: nam* eo tempore, quo beatus Nazarius a Mediolanensi urbe projectus, et ad exilium F fuerat destinatus, fertur, eum Romam properasse; atque in domo propria requisita convenit patrem jam longo senio confectum, tamen Christum credentem, in opere Domini continuo desudantem obsequio. Quem cum B. Nazarius solicite percunctaretur, si usque ad perfectum Dominum sequeretur, omnia quæ de eo gesta fuerant, narravit per ordinem : quomodo ei per visionem B. Petrus apostolus apparuerit, et doctrinam Christianæ religionis imbuerit, asserens non esse justum, ut præcedentibus se conjuge et Filio ad cæleste regnum,... ipse crudelis inferni lueret pœnam. *Sed ne sepultura quidem Sanctorum nostrorum vacavit apparitione, quæ facta ab eis fuerit, si nostro scriptori credimus,* cuidam, Ceratio nomine; *quam non transcribimus.*

frustra illud laudante Puricello.

152 *Habemus itaque in scriptore isto, uti dicebamus, res inter se non cohærentes, fabulis interspersas, atque dramatico apparatu adornatas.*

AUCTORE J. P.

Ecquis post hæc non miretur, Puricellum recudendis ipsius rebus tot paginas male inficere potuisse per suæ Nazarianæ Dissertationis decursum? Et vero Vita per ipsum elaborata longe mihi, *inquit*, videtur et uberior, et veritati propinquior, *uti dicit cap.* 3. Propositum nobis auctorem, *ait cap.* 4, hic etiam comitamur, ex ejus ore, calamoque pendentes. *Cap.* 14 *laudatur* auctor.. a Mombritio delectus, ipsoque delectu posteritati ad sequendum, tamquam fidei certioris commendatus; *sed quam nullo jure tot eum Puricellus condecoret laudibus, cujus utique merces non satis noverat; liquet abunde ex dictis. Sed ab hisce Actis ad alia examinanda progrediamur.*

§ XVI. Alia Actorum exemplaria castigata: quodnam et cur ex iis potissimum a nobis hic detur.

B

Ex nostra Actorum Mombritianorum censura corrigi alia possunt.

Cum alia Actorum exemplaria tam typis edita quam manu scripta, quæ proxime commemorabimus, omni prorsus auctoritate idonea ad persuadendum careant, iisque congesta sint sordibus, quæ nullum nobis dubium relinquunt, quin omnia redoleant unam eamdem que autcerte simillimam sentinam; id causæ est, quod singulis eorum fecibus colligendis supersedendum putemus, usui ad hanc rem futura collectione observationum,quas proxime jam assignavimus circa Acta omnium, quæ nos quidem viderimus,pessima apud Mombritium vulgata; quarum observationum subsidio alia quælibet argumento similia vel affinia, tametsi mole breviora, et eatenus meliora, castigari poterunt ab eo, cui placuerit illa conferre inter se. Ut de Actis apud Vicentium Bellovacensem, Jacobum Januensem,Petrum de Natalibus ac S. Antoninum nihil dicamus; obvia sunt illa, quæ dantur apud Surium; ubi auctor de S. Nazarii *parentibus agens, in eo plane est singularis, quod dicat* : Eorum pietatem Deus veluti remunerans.. eis dedit filium, heredem simul virtutis et bonorum; *quæ certe non conveniunt cum antecedentibus in hoc Commentario, num.* 103 *et* 104 : *ubi de Sancti patre egimus.Parachronismos circa Theodosium magnum perperam productum deteximus supra num.* 14.

C

Errores quidam notantur,

154 *Alfonsus de Villegas in Flore Sanctorum ad diem* XXVIII *Julii, Vitam nostrorum Martyrum se dare profitetur ex Simeone Metaphraste; sed versus finem dicit, quod* imperator Theodosius, hujus nominis secundus, templum illis fabricarit, *ea occasione, quod* transiens Mediolano, reliquias eorum acceperit, et secum tulerit; *ac relata deinde visibili illorum adjutorio victoria in prælio adversus Scythas, in gratam accepti beneficii memoriam,* sumptuosum illis, *uti vult dictus auctor,* elaborarit templum; *addens quod dum* ponerentur in illo corpora eorum, Deus multa per eos miracula sit operatus. *Sed qua auctoritate Legendista ille pro Theodosio magno, quem tametsi perperam, diserte tamen exprimit Vita Metaphrasti adscripta, supposuit Theodosium secundum, primi synonymi ex Arcadio filio nepotem?*

in quos legendista quidam impegit.

155 *Ad hæc, discere cupimus, an et quando Theodosius junior Mediolani fuerit. Barbaros in Theodosium conspirantes, a Deo punitos, eorumque ducem fulmine ictum novimus; de qua re consuli potest Baronius ad annum* 425; *sed nihil ibi invenimus de nostris Sanctis. De locis, in quibus deposita fuerint ipsorum corpora,satis supra dictum est; unde falsitatis convincitur citatus Legendista in iis, quæ de templo isto, et Sanctorum corporibus in eodem repositis affert. Vides lector, quot erroribus obnoxii sint scriptores,qui, quæ in chartam temere conjiciunt, neque satis intelligunt, neque satis apte combinant. Neque ab hallucinatione eximi potest allegatus auctor quando translationem Laureshamensem nostro* S. Nazario *aptavit, de alio ei synonymo intelligendam juxta ea,quæ præmisimus num.* 79.*Noster Petrus Ribadeneira in suo Flore Sanctorum ad diem* XXVIII *Julii vulgarium Actorum compendium concinnavit; sed recte sibi consuluit, quia omisit ista, in quæ supra dictus Legendista erronee impegit. Nomen* S. Nazarii *Commentario S. Ambrosii in cap.* 13 *Lucæ secundum maximam exemplarium impressorum partem insertum esse erronee, observat Tillemontius in notis super* SS. Nazario et Celso : *alioquin* oportebit dicere, quod arma non posuerit,et quod se non declaraverit alta voce Christianum, nisi persecutionis causa; quod non recte convenit cum eo, quod *in rebus ipsius gestis* narratur : *prout ibidem bene observat idem auctor.*

D

E

156 *Plura nobis in promptu sunt exemplaria Passionis manu scripta; apographa videlicet ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, ac S. Martini, ex bibliotheca reginæ Sueciæ* tomo 1566 membr. in 8 pervetusto; *ex Fuldensi, quod collatum notatur cum Ms. Velseri vetustissimo; quibus adde ecgrapha nostra ex Ms. S. Maximini Trevirensis, Legendario Ms. Barberiniano; cœnobii item Bodecensis canonicorum regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, passionali pergameno Ms. mensis Junii, sign.* f LXXX, p. A, *ex Ms. denique Windbergensi; ut nihil dicamus de nostro codice Valcellensi; ac tribus præterea anonymis* 18, Q *Ms.* 2. Q *Ms.* 7; *at tam multiplex exemplarium catalogus solum transcriptæ ac pluries rescriptæ Passionis numerum facit, non fidem, non auctoritatem, non historiam credibilem; uti perspicuumfit ex paucis speciminibus, quæ proponimus. In Ms. Ultrajectino S. Salvatoris ac Fuldensi, nec non in codice nostro* Q Ms. 2 *dicitur* Nero strangulatus a dæmonibus. *Ex Bodecensi, Barberiniano ac Windbergensi Neronem exsiccato pede dextero mortuum habemus; quibus accedit apographum ex bibliotheca reginæ Sueciæ, in quo mendose dicitur*, evectus est pedes dexter Neronis *etc.* ; *apographum vero ex Ms. S. Maximini Trevirensis, quia martyrium* S. Nazarii *ponit sub Domitiano, ideo consequenter fabulatur* : Exsiccatus pes dexter Domitiani, et mortuus est.

Recensentur plurima Mss. exemplaria

F

157 *Easdem de exsiccato dextro pede ac morte Neronis nugas tradunt codices nostri* P Ms. 18, *et* Q Ms. 7. *Et vero quis satis concipiat, in sanum cerebrum incidere potuisse id genus somnia circa rem adeo vulgo notam, adeo historice certam, Neronis, inquam, mortem; quam utique is auctoritate publica sibi jam jam imminentem prævenit violentas sibi manus afferendo; uti legere est apud Baronium ad annum* 70, *et Tillemontium tomo* I *Imperatorum, in Nerone art.* 31. *Eamdem fabulosam figlinam redolere videtur tragicus obitus Denovai et Anolini,quos nonnulla ex citatis exemplaribus strangulatos a diabolo memorant. Sed jam satis ac nimis sordium est, ut judicium formetur,quam nullius meriti sint Acta, quæ de Sanctis nostris vulgo circumferuntur, melioris certe notæ historia longe dignissimis.*

et in aliquibus signate castigantur;

158 *Quæ dum nos deficit, visum est ad prælum*

A *lum diligere præ aliis tot exemplaribus illam Passionem, quæ descripta notatur ex Ms. Ultrajectino S. Martini, quæque exstat, prout apographo nostro adscribitur, in Ms. Thuringico; non quod ea bona sit, sed quod inter tot malas eatenus saltem sit minus mala, quia brevissime historiam Martyrii expedit. Ab aliis autem characteribus illam præ aliis tamquam veram, genuinam ac sinceram laudare non possumus. Rivulus quippe est ex sordida scaturigine derivatus, et ipse sordidus. De auctore, aut qua ætate scripta sit hæc Passio, noli quærere. Potuissemus huic paragrapho intertexere variorum, qui de rebus ad Sanctos spectantibus agunt, auctorum testimonia; sed nullo, quoad quidem de rebus eorum gestis scribunt, operæ pretio; cum auctores non sint antiqui, ac proin tanti ac non pluris valere debeant aut possint in rebus antiquissimis, quanti valent fontes, e quibus sua hauserunt. Si quis tamen auctores illos videre desiderat, adeat Puricelli Dissertationem Nazarianam versus finem. His prænotatis, nunc qualecumque Martyrium lectori inspiciendum exhibemus cum pauculis* B *annotatis. Plura dabit Commentarius prævius, identidem ad nauseam hic citandus, nisi eo lectorem remitteremus.*

præ quibus hic excuditur apographum ex Ms Ultrajectino S. Martini.

MARTYRIUM

Ex Ms. Ultrajectino S. Martini.

S. Nazarii parentes ac baptismus:

Nazarius filius illustrissimi viri nomine Africani, sed Judæi, et matris Perpetuæ Christianissimæ et Romanorum nobilissimæ, et a Petro Apostolo baptizatæ, cum haberet novem annos, plurimum mirabatur, videns patrem suum et matrem in observantia religionis tam dissimiliter variari, et quod mater sua legem baptismi, pater vero suus legem sabbati sequeretur: unde cui adhærere deberet magis, plurimum dubitabat, cum uterque eum ad fidem suam trahere niteretur. Tandem nutu Dei vestigiis matris adhæsit, et a Beato Lino Papa sanctum baptisma suscepit. Pater autem cœpit ipsum a sancto proposito avertere et tormentorum genera, quæ Christianis inferebantur, per ordinem explicare. Quod autem dicitur eum a Lino Papa baptizatum fore, intelligitur C quod non tunc Papa erat, sed quod futurus erat. Nazarius enim post baptismum, sicut infra dicetur, multis annis supervixit: qui tamen a Nerone martyrium pertulit, qui Petrum anno ultimo *a* imperii sui crucifixit. Linus autem post mortem Petri Papa fuit.

ab illis dimittitur ob metum persecutionis:

2 Cum autem Nazarius patri nullatenus assentiret, sed Christum potius constantissime prædicaret, ad preces parentum, qui ne occideretur timebant, de urbe Romana exiit, et septem summarios *b* de divitiis parentum oneratos accipiens per civitates Italiæ venit, et omnia pauperibus erogavit. Decimo autem anno digressionis suæ a Roma Placentiam deinde Mediolanum adveniens, sanctos Gervasium et Protasium ibidem in carcere detineri reperit. Audito autem quod Nazarius prædictos Martyres animaret, cito ad præfectum trahitur, et in confessione Christi perdurans fustibus verberatur, et sic de urbe illa projectus, dum de loco ad locum pergeret, mater sua, quæ obierat, sibi apparuit, et Filium suum confortans, ut ad Gallias properaret, admonuit.

EX MSS. in Galliam profectus accipit Celsum puerum;

3 Cumque ad urbem Galliæ, quæ Gemellus dicitur, advenisset, et ibidem plurimos convertisset, quædam matrona *c* filium suum nomine Celsum, elegantem puerum, sibi obtulit, rogans ut eum baptizaret, et secum duceret. Et præfectus Galliarum audiens, ipsum cum puero Celso retro manibus vinctum et collo catena constrictum in carcere reclusit, ut eum in crastino tormentis afficeret. Tunc uxor sua misit ad eum, asserens injustum esse judicium, ut innocentes occideret, et deos præpotentes vindicare præsumeret. Quibus verbis præses correptus Sanctos absolvit, sed ne ibi prædicare præsumerant, admonuit, et interdixit.

pergit deinde Treviros; sed inde ad Neronem ducitur.

4 Venit ad urbem Treveros, et ibi primo Christum prædicans, multos ad fidem Christi convertens, ecclesiam ibi ædificavit. Quod audiens Cornelius vicarius Neroni imperatori intimavit: qui centum milites ad eum capiendum misit. Quem cum illi juxta oratorium, quod sibi construxerat, invenissent, manus ejus ligaverunt, dicentes: Magnus Nero te vocat. Quibus Nazarius: Incompositus rex incompositos milites habet. Quare enim venientes non dixistis honeste, Nero te vocat, et venissem? Vinctum igitur ipsum ad Neronem ducebant; et Celsum puerum plorantem, alapis cædentes, ut sequeretur, urgebant. E Quod cum Nero vidisset, jussit eos in carcerem recludi, donec ipsos suppliciis excogitatis perimeret.

Punitur Nero, idola a S. Nazario confringuntur:

5 Interea cum Nero, quadam vice ad capiendas feras venatores misissit, subito ferarum multitudo erumpens viridarium Neronis intravit, ubi et multos laceravit et plerosque occidit; in tantum, ut Nero turbatus diffugeret, et vulnerato pede vix ad palatium veniret. Multis autem diebus illius vulneris dolore decumbens tandem Nazarii et Celsi meminit, et putavit deos sibi iratos fuisse, eo quod tam diu ipsos vivere permisit. Jussu ergo imperatoris Nazarium milites calcibus tundentes et puerum verberantes de carcere eduxerunt, et coram imperatore statuerunt. Videns autem Nero faciem ejus instar solis lucidam, se phantastice deludi putavit, et ut magicas artes deponeret, sibi dixit. Ductus ergo Nazarius ad templum rogavit, ut omnes exirent, et sic, eo orante, omnia idola sunt confracta.

qui ejus jussu una cum Celso in mare præcipitatur, sed divinitus servatur.

6 Quod audiens Nero jussit eum in mare præcipitari, præcipiens ut si forte evaderet, ipsum sequentes igni comburerent, et pulverem ejus in mare projicerent Nazarius igitur et puer Celsus navi imponitur, et in medium pelagus perducti præcipitantur; F sed statim circa navim tempestas magna concitatur, et circa Sanctos magna tranquillitas cernitur. Cumque illi periclitari timerent, et malorum, quæ in Sanctos commiserant, pœniterent; ecce Nazarius cum puero Celso super aquas ambulans hilari vultu eisdem apparuit, ac super naves conscendens, ipsis jam credentibus, oratione sua mare placavit.

Januæ prædicat; Mediolani invenit SS. Gervasium et Protasium: Romæ patrem conversum intelligit.

7 Ac inde cum eis ad locum perpassus fere sexcentos juxta urbem Januensem pervenit; ubi cum diutius prædicasset, Mediolanum tandem, ubi sanctos Gervasium et Protasium reliquerat, venit. Quod cum Anolinus præfectus vidisset, eum, remanente Celso in domo cujusdam matronæ, in exilium direxit. Nazarius vero Romam veniens, et patrem suum jam senem et Christianum inveniens; quomodo conversus fuit, inquisivit. Qui respondit, Apostolum Petrum sibi apparuisse, et ut præcedentes se ad Christum uxorem et Filium sequeretur, admonuisse. Deinde a templorum pontificibus

EX MSS. ficibus ad urbem Mediolanum, unde a Roma in exilium missus fuerat, redire cum injuria multa compellitur.

Martyrium Mediolani, sanata paralytica, sepultura. 8 Ubi cum puero Celso præsidi præsentatur, qui extra portam Romanam eductis, in loco, qui dicitur Tres muri, cum puero Celso decollatus est; quorum corpora cum Christiani rapuissent, et in hortis suis collocassent, in ipsa nocte Sancti cuidam nomine Ceratio apparentes dixerunt, ut eorum corpora in domo sua propter Neronem profundius sepeliret. Quibus ille: Quæso, domini, sanate prius filiam meam paralyticam. Quæ cum continuo sanata fuisset, corpora eorum tulit, et, ut jusserant, sepelivit.

Corpora S. Ambrosio revelata transferuntur, et miracula edunt. 9 Post longum vero tempus Deus eorum corpora beato Ambrosio revelavit. Celsum autem in locum suum relinquens, Nazarium cum sanguine recenti, quasi eadem hora sepultum, miro odore fragrantem, integrum et incorruptum cum capillis et barba reperiens, ipsum ad ecclesiam Apostolorum *d* transtulit, et honorifice sepelivit. B Celsum quoque postmodum sustulit et in eadem ecclesia sepelivit. Et tunc multi cæci, claudi, obsessi et paralytici sunt sanati. Passi sunt Nazarius et Celsus sub Nerone, qui cœpit *e* circa annos Domini LVII *f*.

ANNOTATA.

a *Martyrium Principis Apostolorum incidit in annum Christi* 65, *uti videre est apud nos in Commentario prævio SS. Petri et Pauli. ad diem* 29 *Junii*, § 2; *et in historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum tomo nostro* IV *Julii præfixa, in S. Petro; quibus adde Pagium in Critica Baroniana ad annum Christi* 67, *num.* 3. *Nero autem interiit anno Christi* 68, *secundum Pagium ad istum annum, num.* 3, *ac Tillemontium Historiæ imperatorum articulo* 31 *paullo ante assignato.* D

b Summarius, *aliter* sagmarius, *est equus clitellarius, sarcinale jumentum (Italis* somaro:) *est enim* sagma, *onus, sarcina. Vide Glossarium Cangii.*

c Marianillam *vocat Jofredus superius num.* 121 *citatus, pag.* 57, *forte ex Ribadeneira et Villegas, quos citat pro sua historia* S. Celsi *pag.* 62: *ast undecumque eam acceperit; vereor ne confusa sit cum* Martianilla, *alterius S. Celsi pueri itidem ac martyris sub Diocletiano matre: de qua agitur ex Martyrologiis apud nos die* 9 *Januarii pag.* 572; *quidquid Jofredus alteram ab altera distingui dicat.*

d *Basilicam Ambrosianam perperam ponunt Mss. Fuldense, Bodecense et Ultrajectinum S. Salvatoris. Consule Commentarium prævium* § 3; *ubi tamen num.* 22 *pro* in basilicam Ambrosianam, *lege* in basilicam Apostolorum. E

e *Cœpit Nero imperare anno Christi* 54. *Vide Labbeum ac Pagium; Tillemontium item in Nerone.*

f *Sequebatur in nostro apographo additamentum sub nomine* Ambrosii in præfatione; *cujus maximam partem invenies in Missalis Ambrosiani, anno* 1522 *typis editi præfationibus in Vigilia et festo* SS. Nazarii *et* Celsi; *ac proin dicta clausula hic omittitur tamquam inutilis in rem nostram.*

DE S. VICTORE PAPA ET MARTYRE

ROMÆ

J. B. S.

COMMENTARIUS CHRONOLOGICO-HISTORICUS

§ I. S. Victoris dies cultus, ætas seu sedis duratio.

ANNO CXCVII. *De vero die natali* Quemadmodum *de* S. Victoris *Papæ sanctitate et cultu ex Fastis sacris monumenta habemus indubitata, sic ejus gesta, tempus sedis,* C *obitus dies, et quæ ipsum circumstant ferme omnia spinosa et controversa sunt. Et de cultu quidem consonantia exstant Martyrologiorum testimonia, in quibus passim* martyr *fuisse asseritur, quidquid nonnulli laureolam istam in dubium revocare velle videantur. At de obitus die multa post Florentinium controversia, de qua pridem disputarunt Henschenius, Papebrochius et ex ipsis alii, nosque difficultates idcirco attigimus in prima ad Usuardum observatione* XX *Aprilis, quo nimirum die in codicibus Hieronymianis* Victor *aliquis* episcopus, *ut Romæ passus cum tribus sociis commemoratur, quem* Victorem Papam *esse noluit Henschenius, aliis cum Papebrochio oppositum sentientibus; non quod multum intersit, utro die ejus recolatur memoria, sed ob diversas rationes quas singuli texendæ Pontificum seriei aptiores existimarunt, utpote cum pontificatus ejus duratio ita involuta implexaque sit, ut qui eam extra controversiam poneret, hactenus inventus sit nemo, quod infra patebit manifestius.*

2 *A die obitus seu cultus ordimur, quem primus, quod sciam,* XX *Aprilis consignavit auctor Romani parvi, his verbis:* Romæ, Victoris episcopi martyris, *quem mirum non est, sequaces habuisse Adonem, Usuardum et Notkerum cum tota eorum progenie. Adonis annuntiatio sic habet:* Romæ, sancti Victoris episcopi, qui tertius decimus post B. Petrum rexit ecclesiam annis decem, et sub Severo principe martyrio coronatur. *Quæ omnia ex ipso accepit Usuardus, errore, quem correxit, excepto, dum rectius ordine* quintum decimum *fuisse asseruit. Iisdem istis omnibus ex Adone ad verbum descriptis, aliunde adjecit Notkerus jam dicta die* XX *Aprilis in hunc modum:* Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, et a quinta decima luna primi mensis usque ad vicesimam primam observaretur, quod eatenus sexta die Kal. Aprilis, absque ullius diei discretione celebratum est: *nempe ab Asiaticis aliquot episcopis, ritui Romano sese conformare detrectantibus, ut paulo clarius edisserit codex Usuardinus Bruxellensis inter auctaria ibi citatus, nosque in hujus commentarii* § 3, *explicare conabimur.* *multa in Martiis diversitas;* F

hodiernus a Rabano signatus obtinet. 3 *Quæ apud Notkerum sequuntur ipse mutuatus est a Rabano, eodemque, quo ille scripserat die iterum repetiit, ut satis pateat, in diversa deflexisse.*

A *xisse. Ex genuino Beda metrico, aut Floro sub ejus nomine a Majoribus nostris edito, nihil prorsus eruitur, unde vero natali die statui queat, ut plane colligendum sit, Martyrologorum omnium primum fuisse Rabanum qui hoc Julii* XXVIII *die* S. Victoris *memoriam egerit, hac plane phrasi :* Romæ, Victoris PP. et martyris, qui constituit in Ecclesia, ut, faciente necessitate, ubi inventum esset, sive in flumine, sive in fonte, sive in mari, tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, quicumque hominum veniens ex gentili baptizaretur: et sepultus est juxta corpus B. Apostoli in Vaticano; *quæ ex aliquo Catalogo Pontificio contracta sunt. Atque de antiquioribus Martyrologiis hactenus : quis ex Usuardinis amplificatoribus in hac parte Rabanum primus secutus sit, non est mihi promptum definire, neque Baronius usquam indicavit, quo ex codice ipsum desumpserit : non verebor tamen opinari, Belinum ei suggessisse totam hodiernam de* S. Victore *annuntiationem. Coli porro* S. Victorem *cum Nazario, Celso et Innocentio, ritu semiduplici, ex Romano Breviario notissimum est.* B

De ætate implexior quæstio

4 *Sequitur modo implexissimus, quem dixi, nodus de Sancti ætate seu potius sedis duratione; in qua definienda, scriptoribus pluribus non oscitanter inspectis, perpensisque omnibus, ad præcipuas duas opiniones, reliquas revocari posse existimo; alteram quæ Eusebii calculos utcumque sequi videtur, alteram quæ Catalogos pontificios præferendos censet : sic tamen ut nec prioris sententiæ sequaces inter se conveniant, neque posterioris, singulis in diversa, quasi dato studio, abeuntibus. Eusebium autem in ordinanda Romanorum Pontificum chronologia securum ducem haud esse, norunt eruditi; atque in ipso hujus controversiæ puncto sibi non constare, ex ejusmet verbis faxo intelligas. En ipsa ex ejus libri* 5, *cap.* 22 *initio :* Interea Commodo decimum annum imperii agente *(is certissime est annus Christi* 189*)* cum Eleutherus tredecim annis episcopatum administrasset, Victor in ejus locum successit. *De* Victore *autem sic habet ejusdem libri cap.* 28 : Qui cum decem annis sacerdotium administrasset, Zephyrinus ei successor substitutus est, anno principatus Severi circiter nono, *qui est annus Christi* 201, *ut adeo non annis dumtaxat decem, sed omnino duodecim* S. Victorem *sedisse oporteat, si consequenter loquatur Eusebius.* C

ex Eusebio non satis solvitur :

5 *Audi modo Cardinalem Baronium in Annalibus de* S. Victoris *pontificatus duratione hoc modo scribentem :* Anno Domini ducentesimo tertio, Annio Fabiano et Nonio Mucano Coss., XXVIII Julii Victor Papa auspicatus jam annum decimum sui pontificatus per mensem unum et dies viginti octo, martyrio coronatur. *Quis consules istos, quis determinatos annos, mensem et dies Baronio suggesserit, non habeo unde conjiciam : id colligere posse videor, ab Eusebii sententia eum non longissime recessisse : at vero pressius ei inhæret Labbeus in Compendio chronologico, dum anno Severi nono* S. Victoris *finem collocat, principium ejus referens ad annum* 192, *totum autem pontificatum annis novemcircumscribens. Alia prorsus est in Conciliorum collectione Severini Binii ad eas notas chronologicas observatio : ausim dicere, discordes esse omnes quotquot de eo argumento legerim. Consule, sodes, reliquos omnes calculorum Eusebianorum sectatores cum Tillemontio, et recentiore eruditissimo Constantio in editis ab eo Romanorum Pontificum epistolis pag.* 91; *id te exploratum spondeo, quod vulgo fertur, tot esse diversas combinationes, quot capita.*

AUCTORE J. B. S.

neque Catalogi Pontificum

6 *Aut ego multum fallor, aut paulo rectius sentiunt qui ad Catalogos pontificios seu libros pontificales recurrunt, quamvis et hic priori non absimilis intercedat discrepantia, dum chronologi nostri citatos a semet textus, obtorto non nihil collo, fixæ a se Pontificum seriei aptare contendunt. Inter duos istos Catalogos, quos ante tomum* 1 *Aprilis illustravit Henschenius, secundus altero distinctor, qui Damaso vulgo tribuitur, sic habet disertis terminis :* Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Fuit temporibus [Commodi, Pertinacis et Severi] cæsaris, a consulatu Commodi V et Glabrionis, usque Laterano et Rufino : *ubi licet perturbata non nulla agnoscat laudatus Henschenius, id in ordine ad præsentem quæstionem extra controversiam est; et annos, et menses et dies sic in exemplaribus aliis notatos esse; nec minus certa et ubique conformis est Consulum, pro sedis ingressu,* Commodi V et Glabrionis, *pro exitu,* Laterani et Rufini *expressio : quem certe computum ceteris præfert Henschenius, a multis Catalogis egregie confirmatum in grandi nupera elegantique Anastasii Bibliothecarii editione, mox pluribus a nobis convenienda.* E

suis carent molestiis.

7 *Iterum repeto, in recitatis jam verbis, hæc duo passim admissa, saltem ab iis qui Catalogis insistunt admittenda sunt; primum quod sedere cœperit* S. Victor *a consulatu* Commodi V et Glabrionis *qui manifestissime est annus* 186, *e vivis autem excesserit sub consulatu* Laterani et Rufini *anno* 197; *alterum quod sederit* annos decem, menses duos, dies decem; *quot ei constantissime tribuunt codices duodecim relati ab illustriss. Blanchino in laudata Anastasii editione tomo* 2 *in prolegomenis pag.* 93. *Hos vidit Vir. Cl. vidit plerosque Pagius, vidit nostros Papebrochius, viderunt plures alii. quorum hic nomina referre opus non est; ac nihilominus postulare audeo, ut inter istos omnes, vel duos mihi assignes qui aut annos, aut menses aut dies durationis pontificatus Victorini eadem prorsus ratione concludant. Ut a Papebrochio incipiam, en ejus computum :* Ordinatus XI Septembris in Dominica anno CLXXXVI, sedit annos X, menses VII, dies X, dispositus XX Aprilis anni CLXXXXVII, translatus ad S. Petri in Vaticanum XXVIII Julii; et cessavit episcopatus menses XIII, dies XXI. *Cessationum autem seu interpontificiorum, tum decessoris, tum successoris causas non contemnendas adducit, quæ apud ipsum et apud Henschenium ad diem* XXVI *Aprilis videri possunt.* F

Pagius nodum scindit,

8 *Iis omnibus non obstantibus, aliam prorsus rationem in Crisi sua Baroniana inivit Antonius Pagius, a cujus placitis non recessit nepos Franciscus in suo Breviario, seu patrui Criseos in ordine ad Pontifices compendio. Adducit ille verba ex Catalogis jam citata, atque codicem Palatinum, ceteris plane consentientem, item Catalogum nominum apostolicorum, in quo pro mensibus duobus unus dumtaxat legitur : tum vero more suo pronuntians, protritis quodammodo auctoritatibus omnibus, definitive rem determinat :* Verum, *inquit,* cum in Eleutheri obitu Victoris initium XII mensis Junii anni CLXXXV *(pro mero nempe arbitrio)* collocaverimus, liquet, Victorem sedisse annos XII, mensem I, dies XVI, numeranda a die quo sedere cœpit, usque ad diem quo sepultus est. *Ita nimirum Pagius hic hypothesim suam, seu seriem*

AUCTORE J. B. S.

riem pontificiam recte se ordinasse existimat, dum interim notas omnes chronologicas ad libitum convellit aut detorquet: neque enim signatis Consulibus insistit, neque pensi habet Catalogorum annos, menses aut dies, neque interpontificia admittit, vix paucos dies reperiens, quibus sedes vacaverit.

Blanchinus utcumque explicat.

9 *Plusculum se confecisse arbitratur laudatus illustrissimus Blanchinus, dum inter notas suas pag.* 157, *textum secundi nostri Catalogi supra datum, hoc modo immutat:* Victor sedit annis XII, diebus X; fuit temporibus Commodi et Severi, a consulatu Commodi V et Glabrionis, usque Laterano et Rufino. *Probare id conatur a pag.* 156, *iis itidem argumentis, quæ seriem a se dispositam confirment, desertis Catalogorum characteribus, qui tamen inviolati hic servandi videntur, siquid eorum auctoritate stabilitum velimus. Displicet itaque in ipso æque atque in Pagio quod pro Consulibus anni* 186 *expressissime signatis, nempe, ut jam inculcavimus,* Commodo V et Glabrione, *rotunde ipsi obtrudant annum superiorem* 185, *de* B *quo nec somniarunt Catalogi, quasi certum sit, S. Eleutherium eo anno obiisse* XXVI *Maii, ac paucissimis interjectis diebus* S. Victorem *successisse, quod est manifeste Catalogos infringere, quibus stantibus omnino necesse est, non ad annum* 185 *sed ad sequentem* 186 S. Victoris *exordium figere, cumque Eleutherius præcedenti vivere desierit, cessationem aliquam nequaquam respuere. Certe si Catalogorum præcipuos characteres intactos cupis, non alia tutior via excogitari potest.*

Quid dici posse videatur.

10 *Candide equidem fateor, nullam prorsus superesse qua Martyrologium Romanum cum Catalogis combinetur, neque propius ad hos patere accessum, quam iis inhærendo, quæ Henschenius in Eleutherio* XXVI *Maii præstruxit, Papebrochius autem superius ordinavit. Statuatur itaque, ut ibi ex codd. Hieronymianis ostendit Henschenius, obiisse S. Eleutherium* Materno et Bradua Coss., *anno* 185, VIII *Idus seu* VI *Septembris; successerit autem primum* S. Victor, *post integri anni interpontificium* 186 *die Septembris* XI, *sub Coss.* Commodo V et Glabrione; *defunctus sit sub alia nota consulari* 197, *aut* XX *Aprilis ex mente Papebrochii, ut sederit annis* X, *mensibus* VII *et* C *diebus* X, *vel, si mavis, præfer* XXVIII *Julii, eumque statuas sedisse annis decem, mensibus decem diebus octodecim, qui calculus, etsi deficiat in signatis mensibus et diebus, potissimam servat substantiam, ut salventur notati Consules, pontificatus autem tempora, non ad duodecim, quod Pagius primum ausus est, sed ad annos dumtaxat decem, cum præcipuis utriusque classis chronologis restringantur. Quæ hic opponi possent, ab Henschenio et Papebrochio, locis suis abunde soluta invenies. Quod si hæc ratio controversiam exponendi componendique minus arrideat, eam tibi præferre fas est, quam verosimiliorem agnoveris.*

§ II. Varia S. Victoris gesta et scripta.

Gesta ex dictis Catalogis

Præter jam recitata, ex Henscheniano Catalogo secundo, sive is Damasi Pontificalis sit, sive cujuscumque alterius, de quo jam tamdiu inter eruditos certatum est; ex hoc, inquam, Catalogo ea hic addenda sunt, quæ apud Rabanum et Notkerum ex parte contracta monuimus, ibi in hunc modum deducta: Hic constituit ut Pascha die Dominica celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes cleros: martyrio coronatur. Constituit ut necessitate faciente, ubi inventus fuisset, sive in mari, sive in fonte aut stagno (tantum Christiana confessione declarata credulitatis) efficeretur integer Christianus quicumque hominum ex gentilitio veniens ut baptizaretur. Fecit concilium et interrogatio facto est de Pascha, vel de die prima cum Theophilo episcopo Cæsareæ de luna. Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quatuor, diaconos quinque, episcopos per loca duodecim; qui sepultus est juxta corpus B. Petri V Kalendas Augusti et cessavit episcopatus dies undecim. *Notavit Henschenius, inter alia menda citatum illic* Theophilum episcopum *scriptum fuisse* Alexandriæ, *qui certo fuit* Cæsareæ in Palæstina. D

atque ex Anastasio

12 *Quam multa insuper luxata, ac verosimiliter amanuensium incuria vitiata sint, clarius patet quam ut hic a me observanda sint, aut restituenda, a quo tamen non abhorrerem, nisi Anastasii Bibliothecarii textum, huic satis consimilem variis notis et variantibus lectionibus explicatum jam dedissent Holstenius, Ciampinus, Schelstratius aliique, ac novissime illustrissimus* E *Blanchinus, ut materia illa pridem exhausta sit. Audiamus modo Anastasium ipsum:* Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos X, menses duos, dies X. Fuit autem temporibus Helii Pertinacis et Severi, a consulatu Commodi quinto et Glabrionis usque ad Lateranum et Rufinum. Hic constituit ut S. Pascha die Dominico celebraretur, sicut et Eleuther. Hic fecit sequentes cleros. Martyrio coronatur: et constituit, ut necessitate faciente, ibi, ubi inventus fuisset, sive in flumine sive in mari, sive in fontibus, tantum Christiana confessione credulitatis clarificata, quicumque hominum ex gentilitate veniens, ut baptizaretur. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros quatuor, diaconos septem, episcopos per diversa loca duodecim.

eo reducuntur,

13 Hic fecit constitutum ad interrogationem sacerdotum de circulo Paschæ, cum presbyteris et episcopis facta collatione, et accersito Theophilo episcopo Alexandriæ, facta congregatione, ut a quarta decima luna primi mensis usque ad vigesimam primam, die Dominica custodiatur sanctum Pascha. Hic sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano V Kalendas Augusti, et cessavit episcopatus dies duodecim. *Utut hæc etiam confusa sint et implexa quæ criticorum ingenia exercuerunt,* F *ex iis nihilominus præclariora sancti Pontificis gesta eruenda essent, cum interim vix paucula recenseantur, ut adeo pridem a Baronio, Labbeo, plurimisque doctissimis prægressi jam hujusque seculi viris aliunde illustranda fuerint quod hic primum ac præcipuum est, ea diligentia et accuratione, ut non nulla dumtaxat hinc inde capita hic delibasse, totam sit ejus gestorum seriem contexuisse, rejecta in paragraphum sequentem agitatissima cum aliquot Asiaticis episcopis de Paschatis celebratione controversia.*

ut Theodotum Coriarium

14 *Inter præcipua quæ sancto Pontifici passim tribuuntur contra emergentes eo tempore hæreses certamina, illud certe commemoratione dignum est quod adversus Theodotum, cognomento Coriarium, apostatam Byzantinum et fortiter suscepit et gloriose exsecutus est, quemadmodum ex ipso Eusebio atque item ex Epiphanio, vetustis utique et puris fontibus, haurire conabimur, prolongiori clariorique eorum omnium elucidatione lectores de cetero ad*

A *ad præstantes illos commentarios, de tota ea re jam pridem concinnatos, remissuri. Huc spectat potissimum libri* 5 *Historiæ ecclesiasticæ caput* 28, *ubi cum* de his qui Artemonis hæresim initio sectati sunt: cujusmodi moribus præditi, et quomodo sacras Scripturas depravate ausi fuerint *accurate disserit, atque etiam enormem adversus* S. Victorem *calumniam egregie refellit, quid de totius erroris magistro Theodoto censendum sit, haud obscure declarat. En specimen ex libro seu narratione istius temporis, in qua impia sectariorum istorum mendacia memorantur et convincuntur. Ita ex illo narrat ibi Eusebius :*

ab Eusebio

15 Affirmant enim, inquit, priscos quidem omnes, et ipsos Apostolos, ea quæ ab ipsis nunc dicuntur et accepisse et docuisse; ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanæ urbis episcopus fuit: a Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veri- B tatem. Ac fortasse id quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinæ Scripturæ, deinde fratrum quorumdam scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus gentes et contra sui temporis hæreticos pro veritatis defensione scripserunt. Justinum intelligo, et Miltiadem, et Tatianum ac Clementem, aliosque quamplurimos: in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenæi quidem et Melitonis et reliquorum scripta quis est qui ignorat, in quibus Christum Deum simul atque hominem prædicarunt? Psalmi quoque et cantica fratrum jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot abhinc annis ecclesiastica doctrina prædicata sit, qui fieri potest, ut omnes usque ad Victoris tempora eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet, hujusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens et auctor fuit, primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victorem a communione Ecclesiæ ejectum fuisse. Nam si, ut aiunt, Victor eadem sentiebat quæ illorum docet impietas, cur Theodotum, opinionis illius auctorem ab Ecclesia removit? Ac de Victore quidem ita se res C habet.

et Epiphanio graphice depictum

16 *Quod hic desiderare fortasse quis posset in ordine ad ipsam totam Theodoti vesaniam, supplebit abunde Epiphanius, ex quo satis nobis erit personam referre, quam graphice depingit hæresi* 54 *his verbis :* Theodotus igitur ille Bizantio oriundus, quæ hodie Constantinopolis dicitur, arte coriarius erat, homo apprime litteris eruditus. Qui cum aliis plerisque ineunte persecutione comprehensus (quænam vero ea persecutio fuerit nondum comperi) sed tum ab urbis præfecto cum pluribus correptus, cum de omnibus quæstio ob Christi nomen haberetur, ceteri quidem dei famuli, reportata victoria, cæleste præmium consecuti sunt, martyro pro Christo perfuncti. At ille Christum negans, et a scopo veritatis excidens, transgressor est factus. Qua ex rê cum probro omnium appetitus, pudorem sustinere non posset, relicta patria, profugus Romam contendit, et illic habitavit. Sed et Romæ a quodam agnitus, in eamdem ignominiam incidit, cum qui illum ob insignem eruditionem noverant, ob id eum incusarent, quod homo excellenti doctrina præditus a veritate excidisset. Quare ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit: Ego, inquit, non Deum negavi, sed hominem. Interrogatus, quem demum hominem? Christum, inquit, hominem negavi. Hinc prædicandæ falsæ hujus opinionis occasionem accepit, ut et Theodotiani, quorum ille auctor exstitit: qui nudum hominem esse Christum asserunt, atque ex humano semine genitum, *etc.*

AUCTORE J. B. S.

17 *Synodus porro adversus impium istum habita paucis indicatur penultimo loco in Collectione Labbeana tomo* I *col.* 602 : Synodus divina et sacra provincialis, collecta Romæ sub Victore sanctissimo Papa aliisque quatuordecim episcopis; quæ Theodotum, Æbionem et Artemonem abdicavit, qui non minus quam Judæi fide. Hi enim duces fuerunt Pauli Samosateni et Nestorii. *Cetera in Annalibus a Baronio ita explicata sunt ad annum* 196 *et alibi, ut ea hic ex instituto nostro attigisse sufficiat. Neque vero sola ea monstra in Christi Ecclesiam, satis aliunde per ea tempora afflictam, grassabantur, ut jam notato anno invenies num.* 17. Rursus vero de aliis, *inquit,* qui sub Victore prodierunt, hæreticis eorumque auctore Praxea, ultimo loco hæc habet Tertullianus: Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus cor- E roborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit, hunc crucifixum passumque contendit, mortuum præterea, seipsum sibi sedere ad dextram suam, cum profana et sacrilega auctoritate proponit. Hæc Tertullianus in commentario quem scripsit adversus hæreses, sed de eo pluribus in libro adversus eumdem privatim conscripto.

cum aliis hæresiarchis damnarit :

18 *Sequuntur ibidem quæ ab hæresiarcha isto Praxea nequitur gesta sunt, quæque ei exprobrat Tertulianus : tum ejusdem subdola pœnitentia turpisque relapsus; quæ omnia utrum ad* S. Victoris *tempora spectent, compertum non est, uti nec satis discerni potest, quem Romanum Pontificem insinuet Tertullianus, qui* falsis de Montano deceptus fuerit nuntiis. *Ceterum vivente* S. Victore, *errores suos sparsisse Praxeam, satis certum est, ut tuto dici possit, toto pontificatus sui decennio hæresibus istis aliisque pluribus exercitum fuisse vigilantissimum Pastorem; quemadmodum patet ex alia synodo, quæ apud Labbeum ultima est, quæque aut in Praxea Valentinum Sabelliumque, aut illum in ipsis merito condemnavit. Eadem quæ supra phrasis est :* Synodus divina et sacra provincialis, collecta Romæ a beatissimo Papa F Victore; quæ Sabellium et Noëtum abdicavit, qui de divinitate in tribus personis subsistente, contractionem et commixtionem personarum divulgabant: Valentinum item, qui præter ceteras ineptias, corpus etiam Christi cæleste asserebat. *Porro utrum Tertullianus* S. Victoris *tempore Romæ fuerit, an potius sub Zephyrino tum etiam turpissima defectione, in Montani deliria prolapsus, non est qui hactenus satis clare definiat.*

forte etiam Praxeam.

19 *Posset et hic non minus obscura quæstio moveri, utrum inter episcopos, quos numero duodecim per diversa loca ordinasse Sanctus dicitur, etiam aliquis ab ipso ad Caledonios seu Scotos directus fuerit, de qua re nonnulla disquisivit Blanchinus in suo Anastasio tomo* 2 *pag.* 161, *ubi testem adducit Boethium, aliaque erudite investigat, quæ apud ipsum legi malo, quam hic pluribus discutere : id certe facile concessores, nec* S. Victorem, *nec successores Romanos Pontifices Britannicas insulas magis neglexisse quam reliquam*

Difficultas ejus temporis præcipua

A *quam totius orbis Catholicam Ecclesiam. Ad S. Hieronymi de scriptoribus ecclesiasticis exstat testimonium :* Victor, tertius decimus Romanæ urbis Episcopus, super quæstione Paschæ et alia quædam scribens opuscula, rexit Ecclesiam sub Severo principe annis decem. *Epistolas fortasse innuit, quas ab ipso scriptas dubium non est ; verum an eæ quæ ipsi in Conciliorum collectionibus adscribuntur, genuinæ sint, ex novissima editione Constantiana facile colligitur. Nunc una superest palmaris illa sub ejus pontificatu disceptatio , quam laudati scriptores aliique satis studiose illustrarunt, aliis contra in* S. Victore *nonnulla suggillantibus.*

circa Paschæ celebrationem.

20 *Fatendum sane est, celeberrimæ istius controversiæ seriem et ordinem erudite ac dilucide discussisse digessisseque Baronium ad annum* 198,*per totos septemdecim articulos, probantibus eumque passim sequentibus scriptoribus Catholicis. Neque enim heterodoxos hic moramur aut hypercriticos alios qui ex Polycratis* S. Victori *adversantis pervicacia, ausam sibi præbitam crediderе, qua pontificiam auctoritatem aut vellicarent aut arroderent inani prorsus conatu. Id* B *etiam in confesso est, non unam eamdemque viam ingressos omnes in exponenda pontificia* S.Victoris *excommunicatione in Polycratem Asianosque episcopos lata : Baronio cum reliquis passim eam vibratam agnoscente, aliis solas minas intentatas asserentibus : quæ omnia paulo longiori disquisitione hic explicanda fuissent, nisi eam spartam præoccupasset Vir Clar.Emmanuel Schelstratius in sua Antiquitate illustrata, anno* 1698 *Antverpiæ edita, parte* 2 *cap.* 3 *ita rem totam prosecutus , ut ante objecta egregie refellerit, et quæ deinde excogitari potuere,abunde prævenerit. Sit igitur.*

§ III. V. C. Emmanuelis Schelstratii elucidatio contentionis Polycratis adversus S. Victorem de observatione Paschatis.

Ex Antiquit. illustrata, parte 2 *, dissert.* 1 *cap.* 3.

C

PARS PRIMA.

Ex male intellecto S. Hieronymo

Contentionem attingit Joannes Launoius parte 4 epistola ad Henricum Barillonium, et profert ex D. Hieronymo, libro de viris illustribus cap. 54. Volente sub finem seculi secundi Victore Papa, festum Paschatis celebrandum Dominico de post 14 Lunam et vernale æquinoctium, contendente contra Polycrate observari debere 14 Luna primi mensis in quamcumque diem incideret, licet Dominicus non esset. *Scripsit* (inquit de Polycrate Hieronymus) *adversus Victorem Episcopum Romanum epistolam synodicam, in qua docet, si Apostoli Joannis et veterum auctoritatem sequi.* Subjungit litteras Hieronymus, per quas Polycrates docet, maximos sanctos etiam Apostolos in Asia obdormisse,quos omnes se secutum profitetur in servando Paschate decimaquarta Luna, et pergit : *Non formidabo eos, qui nobis minantur, dixerunt enim majores mei : Obedire Deo magis oportet, quam hominibus.* Post quæ concludit D. Hieronymus : *Hæc propterea posui, ut ingenium et auctoritatem viri ex parvo opusculo demonstrarem.*

D *quæstionem movit Launoius*

22 Ponderat hæc ultima verba Launoius, et urget, a Polycrate Victoris judicium fallibile judicari, quod Hieronymus, cum non improbat, probare videtur. Addit ex Eusebio libro 5 historiæ, capite 24, Victorem omnes ecclesias Asiæ a communi unitate præscindere conatum, sed id aliis non placuisse episcopis, sanctumque Ireneum ostendisse, quod quidem Pascha debebat Dominica celebrari, sed non ideo alios tam acri censura a communione separari oportere, unde et D. Hieronymus de viris illustribus capite 44 : *Feruntur ejus* (Irenei) *et aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum, non facile debere unitatem collegii scindere. Si quidem Victor multos Asiæ, et Orientis episcopos, qui decimaquarta Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia, hi, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Gravis est hæc contentio, sed suis expendenda momentis, ne tota actorum serie minus perfecte cognita, aliquid subrepat, quod veritatem offendat.

quæ hic solide proponitur

23 Extant apud D. Bail Parisiensem doctorem tomo 2. Conciliorum, classe 5, ex venerabili Beda E fragmenta synodi Palæstinæ sub Theophilo Cæsareensi metropolita tempore Victoris Papæ anno CXCVIII, hac de re coactæ, quibus præfigitur apud Bedam tomo 2, certa introductio, ex qua patet, Apostolos nihil conciliariter statuisse de observando precise Paschatis die , sed toto orbe dispersos eorum aliquos,quacumque die decimaquarta Luna mense Martio fuisset, Pascha celebrandum instituisse : cum vero constet, alios diem Dominicum post XIV Lunam istius mensis determinasse, hinc diversa provinciarum consuetudo ortum duxit, ut facile colligitur ex Eusebio Cæsareensi metropolita, libro 5 historiæ cap. 23 ; nam tradit Asiam ex antiqua observatione XIV Luna celebrasse Paschatis diem, et pergit : *Cum tamen reliquæ totius orbis ecclesiæ alio modo uterentur,qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quam resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat.*

tum ex S. Irenæo

24 Viguerat ab initio Ecclesiæ hæc consuetudo in provinciis Asiæ, nulla contradicente Romano Pontifice, ut urget in epistola synodica ad Victorem Papam S. Ireneus Lugdunensis in Gallia episcopus : *Sed et presbyteri illi,* inquit, *qui ante Soterem* F *Ecclesiam, cui tu nunc præes , gubernarunt : Anicetum, dico, et Pium, et Hyginum cum Telesphoro, et Xysto, neque ipsi umquam observarunt, neque his, qui cum ipsis erant, ut id observarent, permiserunt. Ipsi tamen, cum hoc minime observarent,pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, in quibus id observabatur. Atqui observantia inter eos, qui minime observabant,tanto magis contraaia videbatur,nec ulli umquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi, qui te præcesserunt presbyteri, quamvis id minime observarent, ecclesiarum presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt. Et cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt: de hoc capite non magnopere inter se contendentes.*

tum ex aliis.

25 Ex quibus apparet, Romanos Pontifices , ad ista usque tempora Asianorum consuetudinem non improbasse, et primum omnium fuisse Victorem Papam, qui se Asianis opposuerit, et Paschatis

schatis diem juxta morem Ecclesiæ Romanæ observandum præscripserit, ac communionem ipsam denegandam Asianis minitatus sit. Præscripto Victoris Papæ consonabat (excepta Asia) orbis totius Ecclesia: cum enim Polycrates, mutata veterum sententia, observationem Paschatis non amplius indifferentem sinebat, sed de mandato Dei consuetudinem Asiæ præponens, tacite aliarum regionum consuetudines damnare videbatur: de eo enim et de Asianis habet Eusebius lib. 5 capite 23; *Quod quartadecima Luna putarent omnimodo genere Pascha observandum, quando scilicet Judæis Paschalis agnus præcipitur immolari, veluti necessario confirmantes quæcumque die septimanæ quartadecima Luna venisset.*

Notandus error Polycratis,

26 Notanda sunt verba: *necessario confirmantes.* Hoc enim Asianorum judicium ita erroneum visum fuit, ut reliquarum provinciarum episcopis contrariam consuetudinem ubique apud ipsos vigentem duxerint confirmandam. *Ob quam causam* (pergit Eusebius) *conventus episcoporum et concilia per singulas quasque provincias convocantur, prorogastique ad se invicem epistolis, de singulis quibusque locis unum ecclesiasticum dogma confirmant: ne liceat aliquando nisi in die Dominica in qua Dominus surrexit a mortuis, Dominicum Paschæ celebrare mysterium, et in hac sola solvendum esse Paschæ jejunium.* Tantum abest, ut ceteri orbis episcopi Asianis consentirent, ut non amplius eorum consuetudini indulgendum, sed potius eam judicarint mutandam.

quem S. Victor insectatus est,

27 Et in hoc consentiebant Victori Romano Pontifici, qui conciliorum per orbem congregandorum auctor exstiterat, ut patet ex fragmento synodi Palæstinæ sub Theophilo metropolita Cæsareensi, quod exstat apud Bedam tomo 2, libro de Paschæ celebratione, ubi; *Tunc Papa Victor Romanæque urbis Episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Cæsareensis Palæstinæque antistitem ut quomodo Pascha recto jure a cunctis Catholicis celebraretur ecclesiis, utilis fieret ordinatio, ubi Dominus Salvator mundi fuerat in carne versatus. Percepta itaque auctoritate, prædictus episcopus non solum de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes episcopos evocavit. Ubi cum illa multitudo sacerdotum convenit, tunc Theophilus episcopus protulit auctoritatem ad se missam Victoris Papæ, et quid sibi operis fuisset injunctum, ostendit.* Adduntur acta concilii, quæ ne aliquis exstare [non] potuisse credat, en Eusebium lib. 5 cap. 23: *Exstat usque in hodiernum diem concilii apud Cæsaream Palæstinæ habiti decretum, in quo primus est Theophilus ipsius Cæsareæ episcopus, et Narcissus Jerosolymorum sacerdos.*

consentientibus etiam orientalibus

28 Quod Eusebius successor Theophili usque ad sua tempora exstare fatetur, hoc Beda presbyter venerabilis feliciter æternitati consecravit: ex quo apertissime constat, et Victoris auctoritate a Theophili concilio Palæstino decisam quæstionem Paschatis, et ad Victoris mandatum convocatum concilium: quod ipsum et pro alia synodo sese in Asia executum fuisse scribit in litteris synodicis Polycrates ad Victorem: *Possem,* inquiens, *etiam episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis, ut convocarem, sicut et feci.* Ad quæ Polycratis verba apud Eusebium libro 5 cap. 24 denotat Henricus Valesius; Quod ad convocationem episcoporum Polycrates Victori obtemperavit. Ubi hic recte Baronius tomo 2 ad annum 198: Videre est perspicuo sane exemplo, quanta auctoritate polleret Romanus Episcopus, præstaretque ceteris, quippe qui per orbem concilia indicat. Quod aliis commiserat Victor, hoc in sua quoque regione Italica executioni mandarat, convocata synodo ex vicinis Romæ episcopis, et ut consueverant Pontifices, Urbis adjuncto presbyterio, cujus habito consilio, litteræ ad Policratem missæ sunt, non solum ad cogendum in Asia concilium, sed conformiter ad morem Ecclesiæ universæ, mutandam Paschatis observationem, additis minis, nisi obtemperarent Asiani, a communione secludendos: ad quæ Polycrates reposuit, quod habet Eusebius libro 5 cap. 24 ex versione Henrici Valesii: *Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates præerat: qui quidem ea epistola, quam ad Victorem et Romanæ urbis Ecclesiam scripsit, traditionem ad sua usque tempora propagatam exponit his verbis: Nos igitur verum ac genuinum agimus Paschatis diem: nec addentes quidquam nec detrahentes.*

auctore Schelst.

contra quos et celeros

29 *Etenim in Asia magna quædam lumina exstincta sunt, quæ illo adventus Dominici die resurrectura sunt, cum Dominus e cœlo veniet plenus majestate et gloria Sanctosque omnes suscitabit. Philippus scilicet unus e duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, et duæ ejus filiæ, quæ virgines consenuerunt: alia quoque ejusdem filia, quæ Spiritu sancto afflata vixit et Ephesi requiescit. Præterea Joannes, qui in sinu Domini recubuit, qui etiam sacerdos fuit, et laminam gestavit: Martyr denique et doctor exstitit. Hic, inquam, Joannes apud Ephesum extremum diem obiit. Polycarpus quoque, qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit: itemque Thraseas Eumeniæ episcopus et martyr, qui Smyrnæ requiescit. Quid Sagarim episcopum eumdemque martyrem attinet dicere, qui Laodiceæ est mortuus? Quid beatum Papirium, quid Melitonem eunuchum, qui Spiritu sancto afflatus cuncta gessit, qui et Sardibus situs est, adventum Domini de cœlis, in quo resurrecturus est, exspectans? Hi omnes diem Paschæ quartadecima Luna juxta Evangelium observarunt; nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter sequentes.*

se opponebat Polycrates,

30 *Ego quoque omnium niminus Polycrates ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos affectatus sum; fuerunt enim septem omnino ex cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi. Qui quidem semper Paschæ diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret. Ego, inquam, fratres, quinque et sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe dispersis sermones sæpe contuli, qui Scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis, qui me longe majores erant, dictum scio: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Quæ omnia ex litteris Polycratis retulit quoque D. Hieronymus, et subdit: *Hoc propterea posui, ut ingenium et auctoritatem viri ex parvo opusculo demonstrarem.*

a cujus sententia probanda

31 Unde Launoius conclusit, ab Hieronymo Polycratis judicium, cum non improbetur, probari visum. Verum, Polycratem hic Asiæ instituta præposuisse Romano, facile assentior: at D. Hieronymum approbasse Polycratis judicium, penitus diffiteor: auctoritatem et ingenium Polycratis tamquam viri suo tempore illustris libro de viris illustribus laudat Hieronymus; causam ejus vel judicium potius reprobat; tantum abest, ut firmaret.

AUCTORE SCHELST.

firmaret. *Ce que S. Jerosme luy-même* (inquit contra Angliæ regem Perronius cap. 44) *celebre et traduit les homilies Paschales de Theophile patriarche d'Alexandrie, qui suivoit l'ordre du concile de Nicée touchant la Pasque, ne justifie t'il pas, que quand S. Jerosme dit, qu'il rapporte l'epistre de Polycrates pour monstrer l'esprit et l'authorité de l'homme ; il entend par l'authorité, non l'authorité de droit, mais l'authorité de fait, c'est à dire le crédit, que Polycrates avoit entre les Asiatiques et autres Quarto-decumans ?*

multum abfuit S. Hieronymus.

32 Aliter ergo quam Polycrates sensit Hieronymus, nec illius instituto ullatenus acquievit : sciebat, Polycratem gravissimo errore immersum de observatione Paschatis, quatenus suam ita studuit propugnare consuetudinem, ut reprobarit alienam, tamquam Christi mandato et Euangelico verbo adversam, unde et totius orbis ecclesias in sui damnationem contraxit, quæ per provincias coadunatis conciliis, Pascha Dominico potius die observandum statuerunt. Sic Bacchyllus Corinthiorum episcopus in synodo Achaiæ, Palmus in Ponti, Theophilus in Palæstinæ, Ireneus in Galliæ, et
B præter ceteros Victor Romanus Episcopus in Italiæ aut Romæ concilio, tanto magis in Polycratem et Asianos offensus, quanto in altiori specula constitutus et Apostolorum Principis Petri cernebat contemni institutum, et suum successoris Petri sentiebat temerari mandatum.

S. Victor Asianos excommunicavit,

33 *His ita gestis* (inquit Eusebius libro 5 cap. 24 ex versione Henrici Valesii) *Victor quidem Romanæ urbis Episcopus illico omnes Asiæ vicinarumque provinciarum ecclesias, tamquam contraria rectæ fidei sentientes, a communione abscindere conatur. Datisque litteris universos, qui illic erant fratres, proscribit, et ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat.* Litteræ illæ Victoris magno ecclesiasticæ veritatis detrimento periere aut latent : constat interim Victorem seculo 2 summam clavium auctoritatem sibi in S. Petro agnovisse concessam, et tam enormem judicasse Asianorum exceptionem de obediendo potius Deo quam hominibus, ut eos excommunicandos judicarit. Quæstio est, an reipsa excommunicaverit ? Eminentissimus cardinalis Baronius tomo 2 ad annum 198 sustinet, reipsa non obtemperantes provincias a commu-
C nione seclusas, et ipsum cum communiori sententia sequitur doctor et protopœnitentiarius Parisiensis dominus Bail tomo 2 conciliorum, classe 4 in controversia hujus : ac plane favente verba Eusebii versionis Valesianæ omnium hactenus correctissimæ : Asianos *Victor a communione abscindere conatur*, quo indicat, quæ Victor, obtento Polycratis responso, Romæ meditatus sit, ac pergit : *Datisque litteris universos, qui illic erant, fratres proscribit, et ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat.*

ut patet ex Eusebio

34 Non potuit clarioribus terminis uti Eusebius, ad exprimendam latam excommunicationis sententiam ; quam si solum minatus fuisset, cur, quæso, alii episcopi tam vehementer fuissent commoti, ut subdit Eusebius, cum ante coactum a Polycrate Asianum concilium, ipsis quoque minatus erat excommunicationem, unde et post synodum Polycrates in epistola synodica : *Nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.* Et, ut aliud testimonium accedat, ita Socrates intellexit Eusebium, forsan ex certioribus, quam nostro tempore exstant, instructus monumentis. Ex quibus ne seculi nostri novatores opponant, post Victoris censuram Asiaticos a communione
D Orientalium non fuisse rejectos, occurrit Parisiensium archiepiscopus de Marca libro 3 capite 9 et docet ex Zozomeno libro 7 cap. 19 in gratiam statim rediisse Polycratem et Asiaticos episcopos cum Victore Papa.

recte explicato :

35 Verba Zozomeni ex versione Valesii sunt : *Et hæ quidem fuerunt in hujus festi observatione discrepantiæ. Porro exortam olim controversiam sapientissime dissolvisse mihi videtur Victor, tunc temporis Romanorum Episcopus, et Polycarpus Smyrnensis. Nam quoniam Occidentales episcopi traditionem Pauli ac Petri abrogandam non esse censebant, Asiani vero Joannem Evangelistam sequi se velle affirmabant, ex communi consilio placuit, ut festum, prout consueverant celebrantes, a mutua inter se communione nequaquam discederent.* Ex retento nomine *Victoris* recte collegit de Marca, vitium irrepsisse in nomine Polycarpi, cum Polycarpus ante pontificatum Victoris per 20 annos martyrio coronatus obierat. Legendum itaque Polycrates, qui floruit tempore Victoris Papæ, inter quos pacem initam ad preces Irenei, tum ex litteris ipsius Irenei, tum ex loco Zozomeni collegit Parisiensis archiepiscopus et addit : « Licet E
« probent novatici, non rejectos Asiaticos a communione orientalium post Victoris censuram, hoc « de dignitate Sedis Apostolicæ nihil demit, cum ad « Irenei suggestionem pacem redditam a Victore « docuerimus.

verum suspensus est

36 « Ex Eusebio enim et Socrate constat de « excommunicatione a Victore inflicta, et de « Irenei epistola. Ex Zozomeno autem de com- « munione Victoris et Polycratis non interrupta, « quod aliter contingere non potuit, nisi suspen- « so a Victore excommunicationis effectu post mo- « nita Irenei. » Absque ulla difficultate sese a novatorum argutiis defendunt, qui sustinent, Victorem non tulisse excommunicationis sententiam, inter quos novissime Henricus Valesius putat, Victorem tantum conatum fuisse separare ecclesias Asiæ : « Epistolæ, inquit, Irenei et aliorum epi- « scoporum ad Victorem scriptæ satis arguunt, « rem adhuc in pendenti fuisse, nec damnatio- « nis sententiam etiamnum a Victore in Asianos « fuisse prolatam, sic enim testatur Eusebius de « Ireneo : *Victorem decenter admonet, ne integras « Dei ecclesias, morem sibi a majoribus traditum « custodientes, a communione abscindat :* Nondum « ergo » (pergit Valesius adnotatione ad libri 5 F
« caput 24. Eusebii) « ecclesiam Asiæ a communione Victor absciderat, cum has litteras scriberet Ireneus, quandoquidem Victorem Ireneus his litteris admonet, ne illas, ob vetusti moris observantiam, a totius Ecclesiæ corpore sejungere velit.

excommunicationis effectus,

37 Favet et D. Hieronymus cap. 44 de viris illustribus : *Feruntur* (Irenei) *et aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet, non facile debere unitatem collegii scindere, siquidem Victor multos Asiæ et Orientis episcopos, qui* XIV *Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat.* Et post D. Hieronymum Photius in Bibliotheca cap. 120 : *Victor ea tempestate Romæ Pontificium tenuit, quem crebris litteris hortatus est Ireneus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Ergo ante litteras Irenei (concludit Valesius) neminem adhuc Victor a communione præsciderat. Verum laudata omnia nihil obsunt clarissimo Eusebii testimonio, quod nullis tergiversationibus valet obscurari, et ad summum probant,

A bant, Ireneum laborasse apud Victorem pro sublatione excommunicationis Asianorum, ut verum maneat illud de Marca: "Ireneus persuasit Victori "Papæ anno 198, ut pacem Polycrati ceterisque Asia-"ticis episcopis restitueret, quos Ecclesiæ communione privarat.

intercedente S. Irenæo,

38 Ad hoc enim litteris ad Victorem datis intercedebat S. Ireneus, ne excommunicatio hanc ob causam locum obtineret, quod et suspenso a Victore excommunicationis effectu, subsecutum ostendimus supra, et Eusebius post relatas litteras ex versione Joannis Dadrei anni 1581 et altera antiquiore, indicat: *Et Ireneus non abludens a nomine suo, sed ingenio quoque ad conciliandam pacem accommodus, talia pro pace ecclesiarum admonuit, et egit.* Et longe clarius Nicephorus Calixtus lib. 4, cap. 39: *Quapropter egregius, ut aptissimo nomini suo responderet, pacificator Ireneus fuit, qui sic intercessione sua pacem Ecclesiæ conciliarit.*

B

PARS ALTERA,

cujus verba expenduntur

Restat nunc difficultas, quam attingit Launoius; cum Victor Asianos excommunicaverat, et inter alios, qui Victori manus non dederant, S. Ireneus contrarium existimabat, Victoris errorem innotescere: quod augetur, si Victor ad instantiam S. Irenei excommunicationem retractarit. Huic ut satisfiat, expendenda sunt verba Eusebii libro 5, cap. 24. Postquam de Victoris excommunicatione tractarat: *Verum* inquit, *hæc non omnibus placebant episcopis. Non omnibus,* ergo vel aliquibus vel pluribus placebant. *Proinde* (pergit Eusebius) *Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci charitatique erga proximum congruebant.* Si solummodo hortati sunt, ut habet versio Valesiana cum aliis antiquioribus, ergo cum postea scribat: *Victorem acriter reprehenderunt, e quibus et Ireneus;* Nimis exaggerative locutus est Eusebius, unde ad hæc versionis Valesianæ sub-
C sequentia Eusebii verba: *Extant etiamnum eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perstringunt. Ex quorum numero Ireneus, in epistola, quam scripsit nomine fratrum quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum: Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei ecclesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat.*

et explicantur

40 Sic notat ementissimus Cardinalis Perronius cap. 44. *Il dit, que les autres Evêques reprirent aigrement Victor, et quand il est question de produire un essay de l'aigreur de leurs reprehensions: allegue pour tout echantillon les paroles de S. Irenée, ou il ne se trouve un seul mot de l'aigreur, et qui ne contiennent que de simples et douces remonstrances, et pleines de soumission a la personne de Victor et a l'autorité de son Siege.* Notanda sunt Perronii verba, quia certum est, Eusebium Cæsareensem hic lingua lapsum: neque Ireneus per umbram perstringit Victorem aut acriter reprehendit: his enim utitur apud Eusebium verbis: *Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii: quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum: alii duobus aut pluribus: nonnulli etiam* 40 *horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primum ætate nata est, sed longe ante apud majores nostros cœpit: qui negligentius, ut verisimile est, præsidentes, ex simplicitate et imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen et omnes isti pacem inter se retinuerunt, et nos invicem retinemus, ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat.*

AUCTORE SCHELST.

aliter quam senserit Eusebius.

41 Addit Ireneus de consuetudiue Paschatis per Romanos Pontifices Victoris prædecessores tolerata, et initio hujus capitis ex Ireneo adducta: ex quibus non solum patet, Ireneum non perstrinxisse Victorem, sed et insuper consuetudinem Paschatis habuisse indifferentem, et jejuniorum consuetudini pro varietate regionum varanti simillimam, et hinc persuasisse Pontifici, ut Asianos in veteri consuetudine relinqueret, nec ob illum morem adiaphorum integram regionem, ab ecclesiastica communione sineret præcisam: quod tamen Victor ita dissolvit, teste Zozomeno supra, ut Polycrates aliarum ecclesiarum consuetudinem damnare omitteret; *Ex communi,* inquit, *consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, a mutua inter se communione nequaquam discederent.* Hinc E
jam patet hallucinatio multorum, qui ex Eusebii verbis de acri reprehensione Victoris decepti putant, Victorem Pontificem absque ratione separasse Asianos ab ecclesiastica communione.

Non tam feriebatur consuetudo Asianorum

42 Quidem verum est, multos episcopos et inter illos D. Ireneum manus non dedisse Victori, id est non promovisse excommunicationis sententiam, quod magis amarent pacifice quæstionem hanc terminari; et ideo rationes undecumque conglomerarint, ut perhiberent consuetudinem Asianorum fuisse indifferenter a prædecessoribus habitam, et etiamnum bono pacis habendam: hinc tamen nullatenus consentiebant Polycrati, aut excommunicationem ipsius injuste latam voluerunt, quæ plane justam ob causam lata fuit. Non enim ob consuetudinem sed ob errorem gravissimum, nimis tenaciter defensum, a communione separatus fuit. Opponebat Victori Polycrates, *Deo magis obedire oportet quam hominibus,* non quidem quod Victori omnem subrahebat obedientiam, sed quod hac in re sibi obediendum non credebat contra Dei mandatum; prætendens Christum imperasse, ut Pascha non alio die quam XIV Luna celebrari deberet, unde et enumeratis provinciæ suæ episcopis, F
Hi, inquit, *omnes diem Paschæ quartadecima Luna, juxta Euangelium observarunt: nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter sequentes.*

quam perversum dogma,

43 Euangelii veritatem, et regulam fidei suum errorem vocabat Polycrates, et pergit Eusebius: *His ita gestis, Victor quidem Romanæ urbis Episcopus illico omnes Asiæ vicinarumque provinciarum ecclesias, tamquam contraria rectæ fidei sentientes, a communione abscindere conatur.* Non ob consuetudinem, sed ob sententiam rectæ fidei contrariam, Victor excommunicandas duxit Asiæ ecclesias: etenim ultra id, quod Asiani errabant, suam consuetudinem ex fidei regula observandam, inducebat error in renovationem Judaïsmi, initiando obligationem observantiæ legalium a concilio Jerosolymitano damnatam.

quo contendebant, Pascha Judæorum more servandum,

44 XIV Luna erat, quando agnus paschalis immolari debebat apud Judæos, quem diem cum necessario observandum a Christianis volebat, tacite initiabat, necessariam observantiam legalium, quod adeo recte displicuit, et nisi corrigatur, excommunicatione dignum judicavit Victor Pontifex Romanus, ut cum Blastus, unus ex præcipuis auctoribus

AUCTORE SCHELST.

ctoribus sententiæ Polycratis Romam penetraverat, et ibidem, teste Eusebio libro 5 Historiarum cap. 15 hæresim suam tempore Victoris Papæ seminare cœpisset, Tertullianus libro de Præscriptionibus hæreticorum, quem ad æræ Christianæ annum CCIII elucubravit, in illius fine insigniter animadvertat: *Blastus latenter Judaïsmum vult introducere: Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis* XIV *die mensis.* Unde manet, eminentissimos Cardinales Baronium ad annum 189 tomo 2, et Bellarminum libro 2 de Pontifice cap. 19 recte posuisse, justum fuisse Victoris judicium, et debitam excommunicationis sententiam.

quod reliquus urbis improbabat.

45 At dices, aliter visum Ireneo et aliis Occidentis episcopis, ut patet ex Eusebio: *Verum hæc non omnibus placebant episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci charitatique erga proximum congruebant.* Sed respondetur ut supra, episcopis non ita displicuisse excommunicationis sententiam, ut justitiam causæ negarint; enimvero hæc erat omnium fere episcoporum contra Polycratem et Asianos sententia, ipsum errare in reprobanda Romana consuetudine, tamquam Sancto Dei Euangelio et rectæ fidei regulæ adversa, unde et subjectus ab Eusebio Ireneus, ex fratrum consilio causæ excommunicationis favet: *Illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum. Defendit,* inquit, ergo et errorem Polycratis reprobavit, sic tamen ut simul Victorem hortatus sit, casu quo Polycrates errorem mutaret sententiæ, ob solam consuetudinem non obnoxius maneret excommunicationi latæ.

Emolliendum censuit S Ireneus Polycratem

46 Victorem putavit Ireneus nimium cito ad censuras habuisse recursum, ac magis oportuisse tentare mentem Polycratis, ut ab errore recederet: interim lata sententia hortatus est, ut ea potius, quæ paci charitatique erga proximum, sentire vellet, idque non unica apud Eusebium epistola, sed pluribus aliis iteravit: *Victorem* (inquit Photius in Bibliotheca capite 220) *crebris litteris hortatus est Ireneus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Latent pleræque Irenei litteræ et responsa Victoris Papæ; interim Ireneum fuisse pacis auctorem, lucet ex dictis: et cum, teste Zozomeno, pax hoc modo inter Victorem et Polycratem composita sit, ut singuli festum, prout consueverant, celebrantes a mutua inter se communione nequaquam discederent, quis non dicet, Ireneum pro Asianis intercessisse, datis ad Victorem litteris, non quidem judicando excommunicationem injuste latam, (sic enim non tam sæpe Victorem hortatus fuisset, sed ei injustum procedendi modum exprobrasset) at monendo ut errore per Polycratem revocato ob solam Asiæ consuetudinem, illius ecclesiæ non manerent excommunicationi innodatæ.

ut ob solam consuetudinem ab Ecclesia rescinderetur:

47 Hocque ipso facto sensit Victor apud Zozomenum loco citato, ubi et additur: *Stultum enim nec immerito æstimabant, consuetudinum causa ab se invicem separari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Tantum abfuit, Victorem ob solam consuetudinem excommunicasse Asianos, ut revocato eorum errore, cum omnibus Occidentis episcopis crediderit id stultum juxta versionem Valesii, vel ut habet alia, frivolum judicarit. Et hisce recte observatis, a nodosis difficultatibus liberamur, quibus alii minus considerate procedentes huc usque fuere obnoxii. Enimvero ad instantiam S. Irenei sustulit excommunicationem Pontifex Romanus Victor, non quidem quod erraverit ferendo, sed quod causam, nimirum errorem, retractaverit Polycrates cum tota Asia, cui permissum fuit, consuetudinem retinere; ut jam pateat, licuisse post Victorem observare morem Asiaticum, donec ob plerasque rationes visum fuerit, more illo sublato, Romanam consuetudinem ubique observare, ut visum est concilio Arelatensi primo, quod canone I statuit: *De observatione Paschæ Dominicæ ut uno die et tempore per omnem orbem a nobis observetur, et juxta consuetudinem* (alloquuntur Silvestrum Romanum Pontificem) *litteras ad omnes tu dirigas.*

sed postmodum et ipsa abrogata est,

48 Quod statutum firmavit sacrosanctum Nicænum concilium ex toto orbe convocatum, perhibente id Eusebio libro 3 de Vita Constantini a capite 17, et testante id Ambrosio in epistola ad Æmiliæ episcopos, ubi ait de observando Paschatis die majores *qui convenientes ad synodum Nicænam, inter illa fidei, ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata statuisse.* Et ante Ambrosium D. Athanasius epistola de synodo Ariminensi et Seleuciensi: *Nicæna synodus non temere habita est, ut quæ habeat gravissimos usus et legitimam rationem; Syri enim, Cilices, Mesopotamiani in festi causa claudicabant, atque una cum Judæis Pascha celebrabant.*

quique eam sequerentur.

49 Et post hæc tempora, qui obedire noluerunt, fingentes cum Polycrate, esse præceptum divinum pro observando Paschate XIV Luna, tamquam contraria rectæ fidei sentientes reprobati sunt, ut et Epiphanius hæresi 50 eos Quartodecumanos appellet, et cum Epiphanio S. Augustinus tomo 6, libro de hæresibus eorum errorem pro hæresi 29 exhibeat: *Quod, inquit, non nisi quartadecima Luna mense Martio Pascha celebrant.* Unde et contra Angliæ regem pro Victore urget Cardinalis Perronius cap. 44: *Le succes des siecles posterieurs monstra, que même en l'usage de la puissance, la procedure du Pape êtoit juste, car aprés la mort de Victor, les conciles de Nicée, de Constantinople, et d'Ephese excommunierent derechef ceux qui tenoient la même coûtume des provinces que le Pape avait excommuniées, et les mirent au Catalogue des heretiques, sous le titre des heretiques Quartodecumans.*

declarati hæretici Quartodecumani

50 Hæc si perpendantur, quis non videt, Victoris et successorum Pontificum auctoritati immerito opponi factum Polycratis, qui non unici Victoris, sed totius fere Ecclesiæ morem ausu tam temerario abjudicavit, ut et vela vertens, errorem proprium erubuerit, et Victorem non errasse consenserit, quando consuetudinem ipsius, teste Zozomeno, indifferenter reliquerit observari, ut et D. Hieronymo injuriosum sit, eum erranti Polycrati adjungere, qui cum retractante Polycrate Victoris consuetudinem approbavit, uti et fecit S. Ireneus Lugdunensis in Gallia episcopus, teste Eusebio: *Illud quidem defendit: solo die Dominico resurrectionis mysterium esse celebrandum:* Nec errasse putavit Victorem in sententia excommunicationis lata, qui justam ejus causam suscepit defendendam, licetque in ea erratum credidisset, excommunicationis error non spectat ad errorem in fide.

DE

DE S. PEREGRINO PRESBYTERO

LUGDUNI IN GALLIA

Sub initia seculi III. Cultus antiquus ex Martyrologiis.

Quam obscura nunc est, tam erat olim illustris apud Lugdunenses S. Peregrini *memoria. Testatur id sanctus Ado in Martyrologio ad hunc diem pauculis his quidem, sed gravibus verbis:* Eodem die, Lugduni, sancti Peregrini, presbyteri; cujus beatudinem miraculorum gloria testatur: *quod idem elogium ab Adone Usuardus, Notkerus, ac Romani tandem etiam Fasti mutuati sunt. Imminuit illud suppositus Beda, dum ait:* Lugduno, sancti Peregrini, presbyteri; *cetera prætermittens: at paulo liberalior Saussayus,* ipso die, *inquit,* Lugduni, sancti Peregrini, presbyteri et confessoris, magnarum virtutum viri; cujus virtutis testimonia sunt crebra, quæ ad ejus memoriam facta memorantur miracula in ecclesia sancti Justi; ubi post sanctissimæ vitæ terminum honorificam sepulturam recepit. *Alios passim recentiores nil moror.*

Corpus, in ecclesia S. Justi diu conditum,

2 *Quod vero illum asserit Saussayus in ecclesia S. Justi sepulturam recepisse, id de prima ejus sepultura intelligi vetat Severtius in Archiepiscopis Lugdunensibus, Lugduni editis anno* 1628; *num.* 2, § 10: *quia in vetustis membranis Insulæ Barbaræ (est ea Lugduno haud procul in Arari medio sita, et insigni olim cœnobio memorabilis) hæc legantur:* Corpus etiam sancti Peregrini confessoris, ibi *(in Insula Barbara)* quiescit: qui tempore B. Irenæi evadens Lugdunensem persecutionem, abiit apud Insulam Babaram, eremiticam, seu monasticam vitam ibi ducens. *Sed Claudius le Laboureur, ejusdem Insulæ quondam Præpositus, in opere Gallico, quod emisit in lucem Lugduni anno* 1665, *inscripsitque* Parietinas abbatiæ regiæ Insulæ Barbaræ prope Lugdunum, *cap.* 2, § I *Severtium nimiæ credulitatis arguit, qui membranis istis adhibuerit fidem;* Manuscriptum enim, *inquit.* allegatum apocryphum est, tametsi erutum ex archivis nostris, quibus illud monachorum nostrorum aliquis intruserat cum aliis ejusmodi quisquiliis bene multis, et omni destitutis auctoritate. *Id quod ibidem probare aggreditur: locum tamen illum de prima Sancti sepultura, quem ex Severtio dedimus, nec profert nec eatenus sigillatim attingit.*

Calvinismo sacrilegio dispersum est 1562.

3 *Verum sive Ms. illud in hac saltem re fidem aliquam meretur, sive nullam; id certum est tamen, in ecclesia S. Justi diu conditum fuisse corpus* S. Peregrini, *ibique fuisse repertum inter alia ab octo theologis partim ex Ordine S. Dominici, partim ex S. Francisci, qui juxta Severtium tum alibi tum præcipue num.* 97, § 2, *ex commissione Guilielmi de Valentia archiepiscopi Viennensis sacra istius ecclesiæ pignora inspexerunt anno* 1287: *sic enim habet, teste eodem Severtio num.* 18, *Inventarium tum ab iis legitime confectum:* Item altari B. Virginis ejusdem ecclesiæ repertum est corpus B. Peregrini, presbyteri et confessoris, cum quadam charta Græce scripta. *Hoc instrumentum ipse etiam Raynaudus noster, quantumvis alibi non raro severus, in Hagiologio Lugdunensi pag.* 31, *ubi de S. Arigio,* Scriptum *appellat* justissimæ auctoritatis ac fidei; *neque aliter de hoc statuisse quemquam novimus. Non est autem ecclesia S. Justi, de qua hic sermo est, moderna illa, quæ nunc intra urbem Lugdunensem ab anno* 1574 *erecta visitur; sed alia in altiori olim civitatis ejusdem suburbio posita, et a Calvinianis anno* 1562 *a mense Maio usque ad Septembrem sacrilege profanata, expilata, ac funditus eversa; e cujus ruderibus sacrarum reliquiarum fragmenta tantum aliquot, tamquam e naufragio erepta, ad novam subinde S. Justi ædem in urbem delata sunt; an etiam de* S. Peregrini *lipsanis aliquid, nescimus. Adi Severtium num.* 2, § 9.

S. Peregrinus male confunditur cum S. Barbarino.

4 *Corruit hinc eorum conjectura, qui apud Petrum Bullioud in observationibus ad Vitam S. Treverii seu Trivierii pag.* 38 *et seqq. existimarunt, eumdem esse* Peregrinum *nostrum cum S. Barbarino, illo, nisi fallor, de quo egimus die* 2 *Junii:* Peregrini *enim jam vidimus conditum fuisse corpus (et quidni totum, aut certe majori ex parte?) in ecclesia S. Justi, ibique examinatum anno* 1287, *aut sequenti, ut quidam volunt; inde autem alio translatum fuisse nusquam legimus. Constat interim ex Bulla Guilielmi de Sura, archiepiscopi Lugdunensis anni* 1337 *apud Severtium num.* 23, § 6, *S. Barbarini corpus asservatum tunc fuisse in ecclesia S. Nicetii. Diversus ergo hic ab illo est. Quamquam quid opud est ratiocinio adversus homines, qui quod asserunt, nullo prorsus fulciunt argumento? Juvat etiam hic obiter observare errorem Saussayi, quo ad diem* XI *Novembris agens de S. Verano, episcopis Lugdunensibus sanctum Barbarinum accenset, idque ex Bulla jam citata Guilielmi de Sura; cum nihil vel ibi vel alibi simile affirmetur.*

Videtur Sanctus vixisse sub Severo imp.

5 *De Actis* S. Peregini *si quid umquam fuit, nihil est super. Quod ait Guilielmus Paradinus Historiæ Lugdun lib.* 2, *cap.* 106, *in persecutione crudelissima Lugdunensium sub M. Aurelio Antonino Christianos quosdam in Insulam Barbaram, tum nondum habitari cœptam, et silvis passim ac vepribus horridam, tamquam ad opportunum tempori latibulum profugisse, atque eorum unum fuisse* S. Peregrinum, *qui vitam ibi sanctissime degerit; id, inquam, Paradinus nullo testimonio confirmat; cum tamen ejus unius auctoritas in multis adeo vacillet, ut ei Raynaudus hoc loco Aristotelicum illud non dubitarit impingere:* Qui veritati parcere deprehensi sunt, hoc assequuntur, ut etiam vera proferentibus fides absque vade denegetur.

quando persecutionem fugiens, in Insulam Barbaram se receperit;

6 *Simile quid asserit Severtius ex Ms., de quo supra diximus num.* 2; *et quidem hoc amplius ex illo adstruit, quod in Insula Barbara* S. Peregrinus *non qualemcumque, sed* eremiticam seu monasticam vitam duxerit; *quod quo sensu admittam, significabo inferius: id tamen cum Paradino non dicit contigisse sub Marco Aurelio, seu, ut ipse loquitur, sub Antonino Vero, sed posterius in secunda Lugdunensium persecutione sub Septimio Severo, ut patebit conferenti textum ab illo citatum num.* 2, § 10 *cum iis, quæ illum in eodem instrumento antecedunt num.* 1, § 5. *Severtio adhæret*

AUCTORE P. B.

hæret Claudius le Laboureur, ejusque eatenus Ms. approbat in opere laudato cap. 1 *et* 2, § *utrobique* 6; *idemque affirmatur in vetusto abbatum ejusdem Insulæ Catalogo, quem hic tractatui suo præmittit, in hæc verba:* Irenæus episcopus Lugdunensium tempore Severi imperatoris martyrizatus est cum omni fere suæ civitatis populo. Eodem tempore Peregrinus quidam nomine abiit apud Insulam Barbaram, eremiticam seu monasticam vitam ibi degens: hic evasit persecutionem. *Cui quidem Catalogo auctor ille, qui se a fabulis præfatur alienissimum, tantum tribuit, ut cap.* 3, § 1 *de ejus fide dubitare neminem patiatur, eamque totius operis sui decursu tueri non desinat. Non diffitetur interim, scriptum illum esse seculo decimo quinto, et quidem ad finem vergente; aut saltem ibi primum desinere.*

non tamen proprie monachus ibi vel eremita fuit.

7 *Nos, quamquam rei antiquissimæ testem optemus minus recentem, nihil habemus tamen, quo auctoritatem ejus vel rejicere possimus vel etiam* B *in dubium revocare; maxime cum ei patrocinari videatur Lugdunensium antiqua traditio scriptorumque indigenarum consensus. Censemus igitur, vixisse sanctum hunc Presbyterum seculo* III, *saltem sub initia: nam quoadusque vitam protraxerit, neminem vidimus, qui doceat. Quin ipse Raynaudus, tametsi de* Peregrini *ævo liquere sibi neget, in hanc sententiam, alio etiam argumento* D *se propendisse significat, cum in Hagiologio Lugd. pag.* 77 *de epigraphe Græca in ejus sepulcro reperta mentionem faciens, subdit:* An ea (*epigraphe*) possit esse conjectura aliqua ævi, quod scilicet floruerit Lugduni, aut eo venerit primis illis temporibus, quibus frequentes huc commeabant Asiani et Græci, non definio. *Ceterum haud immerito idem refutat, quod legerat apud Bullioudum, qui in observationibus ad Vitam S. Treverii pag.* 39 *ex Ms. Severtiano colligit, Sanctum nostrum in Insula Barbara instituisse normam vivendi monasticam, legesque sectatoribus præscripsisse; atque adeo fundatorem Ordinis et abbatem fuisse; cum id nequaquam adstruat Ms. illud; et, si adstrueret, rejiciendum eatenus esset: quando hujus instituti duces primos* Peregrino *juniores Paulum et Antonium non semel agnoscit S. Hieronymus. Quare per* vitam eremiticam seu monasticam, *quam citata superius instrumenta* Peregrino *concedunt, talem intelligo,* E *quæ aliqua ratione, puta habitationis, victus, cultus egestate, statisque precandi temporibus, atque assidua rerum cœlestium contemplatione illud vivendi genus, quod eremicolæ subinde ac monachi professi sunt, in loco tum inculto utcumque adumbraverit.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS THEBAIDOS IN ÆGYPTO

P. B.

Ex Martyrologio Romano et S. Hieronymo.

CIRCA ANNUM CHRISTI CCL. Martyres hi Romanis primum Fastis inscripti sunt

Thebaïde in Ægypto commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui in persecutione Decii et Valeriani passi sunt; quando Christianis optantibus pro Christi nomine gladio percuti, callidus hostis tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora: ex quorum numero unus post equuleos, laminas, ac sartagines C superatas, melle perunctus, ligatis manibus post tergum, sub ardentissimo sole fucorum ac muscarum aculeis expositus fuit: alius inter flores molliter vinctus, cum ad eum impudicissimum scortum venisset, ut in libidinem concitaret, præcisam morsu linguam in blandientis faciem expuit. *Ita Martyrologium Romanum, ex quo reformatum est: nam antea nullis Fastis ecclesiasticis sanctos hosce Martyres adscriptos invenimus; neque vero ullos etiam in annotationibus ad hunc diem assignat Baronius; contentus adduxisse S. Hieronymum in Vita S. Pauli, primi eremitæ, quam dedimus ad diem* X *Januarii, pag.* 604; *ubi sic habet num.* 3:

ex S. Hieronymo

2 Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaïdam ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Et, ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi. Cujus ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subjicimus. Perseverantem itaque quemdam in fide Martyrem, et inter eculeos laminasque victorem, jussit melle perungi, et sub ardentissimo sole, religatis post tergum manibus, resupinari: scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset.

in Vita S. Pauli, primi eremitæ.

3 Alium juvenili ætate florentem in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique inter candentia lilia et rubentes rosas, cum leni murmure F aquarum juxta serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, superexstructum plumis lectum resupinari jussit; et, ne se inde posset excutere, blandis sertorum nexibus irretitum relinqui. Quo cum, recendentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus: et (quod dictu quoque scelus est) manibus attrectare virilia: ut, corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret. Quid ageret Miles Christi, et quo se conferret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superabat abominatu voluptas. Tandem cælitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit: ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit. *Hactenus S. Hieronymus; quem qui pluribus illustratum desiderat, is consulat Acta S. Pauli tomo* I *Januarii loco jam assignato; vel etiam Rosweydum in Vitis Patrum pag.* 22.

Sed quinam hi sunt; aut quousque se extendunt?

4 *Porro ut ad Martyrologium Romanum redeam, cum præter duos illos Martyres anonymos, quorum*

A *rum xə Hieronymo certamina persequitur, alios insuper annuntiet* plurimos, *dubium videri potest primo certamne hic Martyrum classem designet, qui eodem judicio, aut eadem certe die simul omnes passi sint : quod si est ita ; fatemur, hanc nobis classem aliunde prorsus ignotam esse. Sin* plurimi *illi, ut verisimilius apparet, accipiantur pro collectione Martyrum omnium, qui in Thebaïde, dum ejus ecclesias, Hieronymo teste, tempestas sæva populata est, locis variis ac temporibus martyrii palmam adepti sunt, et quorum neque nomina sigillatim, neque numerus, neque certamina sciuntur ; si sic, inquam, accipiendi sint; incertum videbitur secundo, quo usque extendere sese debeat ista collectio, an eo tantummodo, ut solos includat Martyres, qui istic sub Decio passi sunt; an latius, ita ut illos insuper complectatur, qui postmodum sub Gallo et Volusiano, ac deinde sub Valeriano imperatore, ab anno Christi* 250
B *usque ad* 260 *ibidem sublati sunt.*

An ad eos tantum, qui sub Decio,

5 *Quamquam etenim hæc Martyrologii verba*, qui in persecutione Decii et Valeriani passi sunt, *septimam simul et octavam persecutionem, totumque adeo decennium indicare videantur : Baronius tamen, hujus forsitan annuntiationis Martyrologio inserendæ auctor præcipuus, hæc in Annalibus ad annum Christi* 253, *num.* III *sic interpretatur, ut ad sola Decii tempora pertinere possint; censet enim, hic Decio Valerianum addi, non ut imperatorem, sed ut Decii, ad bellum profecti, vicarium; recte, an perperam, non discutio; Majores certe nostros in hac sententia sectatores habuit ; tametsi nunc eatenus adversentur eruditi. Itaque quidquid hoc loco de Martyribus Thebaïdos sive in Martyrologio, sive apud Hieronymum asseritur, id ipse totum confert in annum imperantis Decii primum, quem male credidit incidisse in annum jam dictum Christi* 253. *Et sane ad annum Decii primum respexisse dices Hierony-*
C *mum, cum textui supra recitato subdit fugam S. Pauli in solitudinem his verbis :* Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur, apud inferiorem Thebaïdem, *etc. Fugam enim illam sub initia persecutionis Decianæ accidisse, constans est et communis opinio. Accedit, quod adductum ab Hieronymo pro tempore, de quo disserit, Cypriani testimonium desumptum appareat ex hujus epistolis, juxta Pamelii editionem, octava, nona, et maxime decima sexta; quæ omnes ad annum Christi* 250, *Decii primum referuntur. Hæc sunt, ut reor, momenta, quibus Tillemontius in Persecutione Decii art.* 4, *aliique impulsi sunt, ut Martyres ac tempestatem Thebaïdos ab Hieronymo memoratam, sub solo Decio collocent, hac saltem parte Baronio subscribentes.*

AUCTORE P. B.

an etiam ad illos qui sub Gallo, ac Valeriano passi?

6 *At enim quid si S. Hieronymus severum hoc loco chronologum agere noluit, aut Pauli recessum tam angusto pressoque, quam poterat, spatio definire ; sed satis habuerit decennium assignare, intra quod et fuga Pauli et cetera, quæ narrat, contigerint? Tum vero difficile erit ex Hieronymo martyria Thebaïdos memorata intra unius Decii tempora coërcere, et non etiam ad Gallum Valerianumque imperatores extendere; ut ad Galli tyrannidem martyr Cornelius, ad Valeriani, non utique censoris, præfecti, aut vicarii, sed imperatoris Cyprianus martyr extenditur cum in Chronico tum in Catalogo Scriptorum eccles. cap.* 66 *et* 67, *ab eodem illo, qui paulo ante eos tempori, de quo dicturus erat, his verbis inseruit:* Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaïdam E
ecclesias tempestas sæva populata est. *Et vero ad testanda Martyrum tarda non sub Decio tantum, sed et sub Valeriano imperante supplicia allegari potuit Cyprianus (ab hoc magis quam ab illo passus) ut patet ex epistola ejus* 77. *Quod si marmartyria Thebaïdos eo usque producere voluerit Hieronymus, quousque SS. Cornelii et Cypriani ; quid ni eo etiam produxerit enuntiatio Romana, ex illo ipso Hieronymi loco haud obscure derivata ?*

Ad Diocletianum certe nullus horum pertinet.

7 *Ut ut est, tota exerrat via Nicephorus Calistus Hist. eccles. lib.* 7, *cap.* 13 ; *ubi Martyrem illum castissimum , de quo supra meminimus, sub Diocletiano reponit ; deceptus forte corruptis quibusdam S. Hieronymi codicibus, quales sunt Avenionensis et Tolosanus qui in textu proxime citato, uti testatur Martianæus in editione sua tom.* 4, *parte* 2, *col.* 69, *non habent*, Sub Decio et Valeriano, *sed* sub Diocletiano et Valeriano; *quod vitium est apertissimum. Quis enim umquam Diocletianum Valeriano præposuit ? Quid de Diocletiano* F
scire potuit citatus ab Hieronymo Cyprianus ? Quid fugienti Paulo cum Diocletiano commune aut utcumque cohærens ? Dubitavit quidem Rosweydus, idemne esset Martyr , de quo istic agit Nicephorus, cum Hieronymiano ac nostro : verum nimis omnia consonant, quam ut prudenti dubio locum relinquant. Nec refert, quod illum Nicephorus appellet ἀσκητὴν : *nam vox illam proprie* Pugilem *significat, quadratque adeo Martyri cuicumque melius quam vox latina* Ascetes, *quam Nicephori interpres adhibuit, quæque apud Latinos fere vel* monachum *vel* anachoretam *designat.*

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS LAODICENIS IN PHRYGIA

THEOPHILO, AUXENTIO, PRUDENTIO, PHILIPPO, ALEXANDRO

ZOTICO, BESSIA, SECUNDA ET MACARIO

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XXVIII Julii.

Utut de cetero confusa aliqua recurrant in hodiernis Hieronymianis laterculis, tum quod in medio textu et serie horum Martyrum in Lucensi seu Fontanellensi perperam inseratur ; In Dolo monasterio, depositio Samson abbatis, *tum quod alia implexa occurrant ; seclusa memorata hoc die suo loco lacinia, convenit codex iste cum Corbeiensi et alio reginæ Sueciæ, qui a Florentinio adducitur, in* B *numero atque in nominibus relatæ classis Martyrum novem Laodicensium, hoc solo discrimine, quod in postremo isto codice nomen* Secundæ *genere masculino efferatur, et* Angentii *pro* Auxentii ; *atque alibi* Prudenti, *loco* Prudentii. *Ex vetustissimo Epternacensi æque ac Blumiano aut aliis contractioribus nihil hoc die, quod claritatem pariat, erui potest, cum pleraque inversa et contorta sint. Textum genuinum nos hoc die reddere existimamus, nec minus liquida sunt quæ ad duas sequentes pertinent.* E

DE SANCTIS SEPTIMIA ET AUGUSTA VIRGINE

J. B. S

Ex Hieronymianis.

XXVIII Julii.

Annuntiantur ambæ in omnibus majoribus codicibus eodem ordine, præterquam in turbato Epternacensi, ubi superiori Laodicensium classi immiscentur, in Lucensi conjunctæ Nazariæ et Celsæ : *verum de his transformatis nominibus jam dictum est in Prætermissis. Purissimum textum refert codex Corbeiensis :* Et alibi, natale sanctarum Septimiæ, Augustæ virginis. *Porro utrum hæc* Augusta *eadem sit cum ea quæ Seravalli in ditione Veneta colitur* XXVII *Martii, ut olim censuit Bollandus, non est unde conjicias; præsertim dum ei socia additur* Septimia, *nullaque positio seu locus martyrii adjicitur. Malim credere, Seravallensem istam confundendam cum alia quæ hoc die a Greveno aliisque signatur, quæque in codice Montis sancti* Augustina *dicitur*

DE S. EUSTATHIO MART.

C F

J. P.

ANCYRÆ IN GALATIA

Cultus ex Fastis Græcis, ac Martyrologio Romano, elogia.

XXVIII Julii. *Cultus e Fastis Græcis,*

Duplex est Ancyra, altera Phrygiæ, altera Galatiæ urbs ; utraque satis nota, præsertim prior, quæ totius Galatiæ est metropolis, et pluribus Sanctis memorabilis, uti liquet ex Martyrologio Romano : quos inter locum habet S. Eustathius, *apud Latinos æque ac apud Græcos notissimus. In Menologio, quod interprete eminentissimo Sirleto typis vulgavit Canisius, ita refertur :* Eodem die (XXVIII *Julii*) sancti martyris Eustathii apud Ancyram. *Inscribitur etiam Menæis magnis excusis hoc modo :* Hagio-martyris Eustathii in Ancyra. *Menæis more suo insistit Maximus Cytherorum episcopus; adde Synaxarium Basilianum, Menæum Chiffletii, apographa nostra ex Menæis bibliothecæ Ambrosianæ, ac Martyrologium Arabico-Ægyptium: sed hoc ultimum non exprimit certaminis palæstram. In supplemento nostro Ms. ad Menæa impressa ex apographis Sirmondo-Chiffletianis annuntiatur die proxime sequenti cum his versiculis :*

Ῥυθεὶς ποταμοῦ Παμμάκαρ παρ' ἀγγέλου,
Ταῖς χερσὶ τοῦ σώματος ἐκπνεῖ ἀγγέλου.
Extractus undis Sanctus angelica manu.
Corpus relinquit inter angelicas manus.

2 *Allusio clara fiet ex Sancti elogiis, de quibus mox agetur, ac Martyrologio Romano, his verbis hoc die ipsum referente :* Ancyræ in Galatia S. Eustathii martyris, qui variis tormentorum generibus excruciatus, atque in flumen demersus, sed inde ab angelo ereptus, demum columba e cælo adveniente, ad præmia æterna vocatus est. *Elogia in promptu sunt ; illud hic, more alias nobis usitato, integrum reddo latine, quod habetur excusum Græce ad calcem tomi primi mensis Julii, ut ab istius linguæ non satis gnaris intelligi queat. Sic itaque sonat :* *ac Martyrologio Romano :*

3 Eustathius, Christi martyr, miles quidem fuit,

A fuit, sed Christianus : productusque ad Cornelium præsidem Ancyræ, et interrogatus, libera voce Christum confessus est : unde vehementer verberatus, et talos pertusus, nec non funibus constrictus trahitur a civitate Ancyra ad Sangarum usque fluvium, sequente ac spectante præside. Ibi autem arcæ immissus est, atque in fluvium projectus. At secundum Dei beneplacitum, divinus, qui adstabat, angelus arcam eduxit in terram siccam, et inventus in illa fuit Sanctus damni expers, cantans : Qui habitat in adjutorio Altissimi; et quæ sequuntur. Hoc ubi intellexisset præses, rubore perfusus, extraxit machæram, et semetipsum e medio sustulit. Sanctus vero Martyr, fusis precibus, et sumpto divino munere, per columbam, e cælo ad se demissam, in manus angeli, qui sibi apparebat, commendavit spiritum. Et corpus ejus fuit depositum in civitate Ancyra.

elogium ex synaxario Basiliano :

4 *Hactenus elogium; in quo paucula quædam notanda se offerunt. Cornelius iste præses, quando vixerit, et alia quæ ad ipsum spectant, ignotiora* B *nobis sunt, quam ut inde subsidii aliquid accersere possimus ad figendum martyrii hujus tempus.* Cornelius dux, *de quo die* XXIII *Aprilis pag.* 97, *ad Galliam pertinet.* Sangarus *hic, alias* Sagaris, Sangarius *fluvius. Is* fontes habet, *teste Strabone*, apud Sangiam pagum, CL circiter stadiis a Pessinunte, et majorem Phrygiæ Epicteti *partem perlabitur, ac partem etiam Bithyniæ aliquam, ita ut a Nicomedia absit paulo plus CCC stadiis : quo loco ei occurrit Gallus fluvius. *Per illud vero, quod sub finem prædicti elogii ponitur,* τῆς divino munere (ὁ θείας δωρεᾶς) *intellige sacram synaxim, eodem modo, quo* δῶρον *vel* τά δῶρα *sumuntur pro eadem apud Cangium in Glossario Græco-barbaro. Speciale est illud Theophanis in Chronographia pag.* 336, *editionis regiæ Parisiensis :* μετελάμβανον τὴν ἁγίαν δωρεάν. *In orationibus vero Missalis Romani, quæ Post-communionis nomen habent, phrasis illa est usitata; videlicet* munus sacrum, cæleste donum, munera sacrata, cælestis vitæ munus *etc.*

circa ejus textum nonnulla observantur.

AUCTORE J. P.

* *id est acquisitæ*

5 *Porro quæ elogium innuit de Eucharistia, columbæ ministerio ad Sanctum delata; quæ item refert de Cornelio præside, quasi voluntariam sibi mortem consciverit, auditis quæ in ipso fiebant mirabilibus, ita accipi volumus, ut meminerimus, quod hæc et similia redoleant episodicum ornatum Græcis adeo familiarem. Prædicto autem elogio consonat illud, quod habetur in Menæis excusis, et apud Canisium. Quonam vero tempore,* E *quove sub imperatore sanctus Christi Pugil certaminis sui laureolam consecutus sit, determinare hactenus non possumus; nam hæc et plura, quæ de ipso quæri hic possent, nos latent.*

pluribus quæ de Martyre quæri possunt, nos latentibus

DE S. ACATIO MART.

MILETI IN CARIA

J. P.

Cultus ex Martyrologio Romano ac Fastis Græcis, elogia.

SUB LICINIO. *Cultus*

F*ortissimum hunc Christi Martyrem, e Græcis Fastis acceptum, hoc die annuntiat Martyrologium Romanum :* Mileti S. Acati martyris, qui sub Licinio imperatore post diversas pœnas in fornacem injectus, ac Dei ope servatus illæsus, martyrium capitis abscissione complevit. *Apud Græcos notatur ejus memoria in Menæis magnis excusis,* C *sequente Maximo Cythereo, ac Taurinensi β; quibus adde Synaxarium Basilianum, Menologium a Canisio editum, apographa excerpta e bibliotheca Ambrosiana, ac nostrum ad Menæa impressa supplementum ex Mss. Sirmondo-Chiffletianis: in quo sequens habetur distichon :*

Τράχηλον Ἀκάκιος ἐκτμηθεὶς ξίφει,
Ψυχῆς τὸ λευκὸν μηνύων βλύζει γάλα.
Acatius ense colla dum abscissus cadit,
Animæ, profuso lacte, candorem indicat.

et elogium ex Synaxario Basiliano,

2 *Elogium, quod Græce excusum habes ad calcem tomi primi mensis Julii, ita sonat :* Acatius, Christi martyr, fuit imperante Licinio : cui dum adstaret, et Christum confiteretur, suspensus ac rasus est; deinde Terentio prætori traditus : a quo in sartaginem ardentem, pice, oleo ac sebo repletam injectus, sed nihil læsus, præsidem, qui Apameam et Appoloniadem proficiscebatur, sequi coactus est : ubi in templum idolorum adductus, omnes precibus statuas contrivit. Post hæc tribuno traditus ac vehementer cæsus, cum bestiis certavit. Deinde in furnum injectus, illæsus permansit. Tribunus autem furnum esse frigidum opinatus, dum visurus accederet, combustus ipse in cinerem redactus est. Acatius vero traditur Posidonio duci, et, ferrea mole ei imposita, ductus est Miletum : et postquam iterum contrivisset idola, capite minutus est, sectione reddente sanguinem et lac.

3 *Palæstra martyrii in Romano, ut vidimus, Martyrologio assignatur* Mileti; *quæ etiam eruitur ex fine elogii ex Synaxario Basilii imperatoris jam producti; cui et nos superius Martyrem nostrum adscripsimus. Nunc inquirendum, quænam sit* Miletus *ista : nam Miletus duplex inveni-* F *tur; altera quidem vetus in Creta; altera vero celebrior in Caria : atque hæc istius filia fuisse fertur; sicut videre est apud Cellarium Geographiæ antiquæ lib.* 2, *cap.* 14, *pag.* 820. Miletus (Melasso) *notante Ferrario in nova Topographia in Martyrologium Romanum pag.* 78, civitas archiepiscopalis antiquissima et clarissima, Cariæ maritima, apud Mæandri fluminis ostia, inter Ephesum et Halicarnassum, ab Epheso in meridiem diei itinere dissita, triplici prædita portu, multarum urbium procreatrix. Nam si C. Plinio fides est LXXX urbes a Milesiis conditæ fuere. Ea sub Turcis subobscura, uti et Ephesus effecta est. *Baudrandus Joniæ urbem dicit, quæ nunc secundum alios recentiores vocata sit* Palatschia, *cum* Melasso *eis pro* Milasa *sumatur; additque idem Baudrandus, quod sit episcopalis sub archiepiscopo Myrensi: de qua re ipse viderit.*

cujus textus explanatur

4 *Archiepiscopalem eam fuisse, quod affirmabat Ferrarius, hactenus non reperio; tempore Concilii Nicæni primi vixit ipsius episcopus, post* Eusebium Antiochenum, Ammonium Aphrodisium,

variis observationibus.

AUCTORE J. P.

Leodium Cybiritanum, *provinciæ Cariæ episcopos, eidem concilio subscribens,* Eusebius Miletius, *apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum, col.* 53. *Vide Carolum a S. Paulo in Geographia sacra de episcopis Cariæ (ubi et de metropoli ejusdem agit) a pag.* 236, *editionis anni* 1704, *ubi notat Lucas Holstenius,* Miletum ab Hierocle primo loco poni inter Cariæ civitates; Aphrodisiadem tamen metropolin ipsum cognominare. *De* Mileto *meminit S. Lucas in Actibus Apostolorum cap.* 20, ℣. 15 *et* 17. Apamea *et* Apollonias *in superiore elogio memoratæ, urbes sunt ad Propontidem; hanc enim* Apolloniada *inter plures alias synonymas ab auctore elogii intelligi arbitramur, quia adjuncta hic ab eo est Apamea; de quibus urbibus duabus plura dabunt Geographi; quamquam plures etiam synonymas Apameas reperiri, non ignoremus. Utramque itaque urbem eo, quo diximus, situ hic acccipiamus, quando nihil pugnat, quo minus ita accipiantur. Atque hæc quidem observare placuit circa dictum elogium.*

Elogia alia cum Basiliano collata,

5 *Habeamus nunc rationem aliorum etiam elogiorum, et observemus si quid in iis, ab hoc diversum, notandum occurrat. Elogium a Canisio* B *vulgatum, consonat huic nostro; sed discrepat in eo, quod* Zelicintius quidam, frigidam esse fornacem opinatus, accessit *etc., quem etiam nomine exprimit elogium Ambrosianum, circa alia huic nostro elogio conforme. Menæa magna typis edita elogium non referunt, pluribus utique Sanctis hoc die occupata, de quibus tam hoc die, quam in Prætermissis ad illum, meminimus. Sed singulare admodum est, quod habet citatum Menologium a Canisio editum, elogium suum concludens his verbis:* Leontius vero presbyter sancti Martyris reliquias in domo cujusdam, nomine Dorymedontis, in urbe Synadonensi reposuit. *Similia leguntur in nostro Supplemento superius producto:* D *nam duobus versiculis paulo ante inde depromptis, subduntur sequentia, Papebrochii nostri manu adscripta:*

e quibus duo suggerunt alium nobis Sanctum,

6 Elogii finis hic *(in Ms. videlicet Chiffletii)* et in Sirm.: Λεόντιος δέ τις πρεσβύτερος λαβὼν τὸ σῶμα τοῦ Ἁγίου, καὶ μύροις τιμήσας μετὰ τῶν ὑπομνημάτων κατέθετο εἰς τόπον κατάσκιον, πολιτευομένου τινος Δορυμεδόντος ἐκ Συνάδων, ὃς ἐμαρτύρησε σὺν τῷ ἁγίῳ Τροφίμῳ. Leontius vero quidam presbyter, acceptum Sancti corpus, et unguentis honoratum, cum monumentis deposuit in loco umbroso, rem administrante quodam Dorymedonte ex Synnadis, qui martyrium subiit cum sancto Trophimo. *Trophimos varios dedimus per decursum operis nostri; hic autem uti et* Dorymedon martyr *spectabunt, ni fallor, ad diem* XIX *Septembris, quo Martyrologium Romanum ita illos recenset:* Sanctorum martyrum Trophimi, Sabbatii, et Dorymedontis, sub Probo imperatore: quorum Sabbatius Antiochiæ jussu Attici præsidis tamdiu flagris cæsus est, donec emitteret spiritum: Trophimus vero Synnadam ad Perennium præsidem missus, post multos cruciatus cum Dorymedonte E senatore, capitis decollatione martyrium consummavit.

rejectum ad 19 Septembris.

7 *Nonnulli hic conveniunt characteres inter Dorymedontem hunc, et illum de quo ista elogia; unde sit, ut unum ab altero tantisper non distinguamus; etsi pugnent tempora: nam noster ex dictis debuit vixisse sub Licinio; alter vero sub Probo passus affirmatur. Sed quæ ex incidenti hic tetigimus, suo post loco erunt tractanda, die videlicet* XIX *Septembris, cum Martyrologio Romano, sicut monuimus in Prætermissis ad hunc diem* XXVIII *Julii.*

DE S. INNOCENTIO I CONFESSORE

ET PONTIFICE ROMANO

G. C.

SYLLOGE HISTORICA

§ I. Sancti cultus, elogia, calumniæ ipsi perperam impactæ, et præcipuæ ejus virtutes.

F

ANNO CCCCXVII

Proposita quæstione, utrum hic S. Innocentius ab homonymo,

C *Majores nostri ad diem* XII *Martii egerunt de quodam S. Innocentio, qui ea die in vetustissimis Hieronymiani Martyrologii exemplaribus cum Raso episcopo occurrit. Codex Epternacensis, a mille circiter annis exaratus, illo die sic habet:* Romæ sancti Innocenti episcopi, Rasi episcopi. *Florentinius pag.* 373 *ex aliis apographis Hieronymianis eum* IV *Idus Martii ita refert:* Romæ depositio sancti Innocenti episcopi, Rasii episcopi. *At die* XXI *Decembris apud Florentinium pag.* 1039 *eadem de Innocentio leguntur, nulla Rasii facta mentione. Martyrologium Hieronymianum, quod in Spicilegio Dacheriano secundæ editionis a pag.* 1 *recusum est, utroque die similem annuntiandi formulam servat. Hinc Henschenius noster tomo* II *Martii pag.* 106 *ob illam cum Raso conjunctionem, et duplicem* S. Innocentii *in quibusdam codicibus annuntiationem, aliasque ibi allatas rationes judicavit, istum S. Innocentium episcopum ab hodierno* S. Innocentio *diversum esse. Sed ita timide ac caute judicium suum protulit, ut Commentarium concludat his verbis:* Quidquid sit, thesaurum ostendimus, quem optamus ab aliis in majorem lucem proferri.

qui die 12 Martii colitur,

2 *Alii opinantur, in apographis Hieronymianis* S. Innocentium I *Papam indicari, et diversis diebus nil nisi ejus sancti Pontificis mortem, vel sepulturam aut translationem commemorari. Saltem opinioni eorum favet vetus Martyrologium Romanum, quod* XII *Martii in editione Rosweydi nostri sic habet:* Sanctorum Pontificum Gregorii et Innocentii. *Clarius favet Ado, dum eodem die illos ita refert:* Romæ beatorum Pontificum, Gregorii doctoris et apostoli Anglorum, qui sedit ibi annos XIII, menses VI, dies X; et Innocentii, qui rexit Ecclesiam annos XV, menses II, dies XXI. *Usuardus Adonem ita contraxit:* Romæ beatorum Pontificum Gregorii doctoris ac apostoli Anglorum, et Innocentii. *Rabanus die* XXVIII *Julii memoriam* S. Innocentii *nostri in suo*

Martyrologio

AUCTORE G. C.

A *Martyrologio celebrat; Notkerus autem* XII *Martii et* XXVIII *Julii eumdem sanctum Pontificem bis annuntiat. Forte hi duo Martyrologi* S. Innocentium *die* XXVIII *Julii consignarunt, quia* V Kalendas Augusti *ad Ursum pileatum sepultus fuisse dicitur. Inde etiam haud dubie hac die transiit in auctaria Usuardina, quæ in nostro Usuardo illustrato consuli possunt.*

sit distinctus,

3 *Ex dictis videtur collector veteris Martyrologii Romani Adoni aliisque primo fundamentum præbuisse, ut de* S. Innocentio *Papa intelligerent, quod in Martyrologio Hieronymiano de S. Innocentio episcopo obscure ac dubie dicebatur. Utrum vero hæc posteriorum interpretatio antiquissimis Hieronymianæ collectionis codicibus præferenda sit, aliorum esto judicium. Certe de distinctione utriusque* S. Innocentii *constaret, si ipsum S. Hieronymi autographum aut saltem genuina illius ecgrapha reperiri possent: nam sanctus Doctor* Innocentium *Pontificem, adhuc viventem, suo Martyrologio non inseruisset, si illud collegerit, aut ab Eusebio collectum Latine red-* B *diderit, ut alii arbitrantur. Sed cum tam antiqua et incorrupta monumenta nostro ævo sperari vix possint, repeto hic ea, quæ Henschenius tomo* II *Martii pag.* 106 *fatetur hoc modo:* Quibus circumquaque discussis, etsi nihil certi possimus concludere, inducimur tamen in hanc opinionem, quod hi duo episcopi Innocentius et Rasus vixerint tempore persecutionis, et aliunde Romam advenerint, ibique aut sancte in pace quieverint, aut martyrio etiam sint coronati, aut saltem corpora eorum, si alibi sint passi, Romam delata tunc et deposita fuerint. Si aliunde certiora indicentur, ea ut lector amplectatur, suademus. *Interea nulla certiora accesserunt, nisi quis forte existimet, sese aliquid pro alterutra opinione posse elicere ex veteri Martyrologio, quod nuper Edmundus Martene in Thesauro novo Anecdotorum tomo* 3 *a col.* 1547 *vulgavit, quoque ab annis circiter mille sub nomine S. Hieronymi conscriptum fuisse opinatur. In illo autem sic legitur:* IV Idus Martii, Romæ Innocenti, et depositio S. Gregori Papæ. *Ad diem vero* XXI *Decembris ita habetur:* XII Kalendas Januarii, in Edissa natalis S. Thomæ apostoli. Romæ Innocenti. C *Posset hinc nonnemo suspicari, Innocentium, die* XII *Martii relatum, ab* Innocentio *Pontifice differre, quia ipsi non additur nomen* Papæ, *quod ibidem Gregorio expresse adjungitur. Cum tamen non videam, hoc instrumento ostensum thesaurum, quem Henschenius in majorem lucem proferri optabat, feliciter a me eruendum esse, ad alia progredior,*

hac die cum Martyrologio Romano ugitur de S. Innocentio Papa,

4 *Quiscumque mortis dies* S. Innocentio I *assignandus sit, de quo Tillemontius tomo* 10 *Monument. eccles. pag.* 832 *inextricabilem quæstionem instituit, nos hodie de sancto illo Pontifice agimus, quia Martyrologium Romanum* V *Kalendas Augusti ipsum sic annuntiat;* Romæ sancti Innocentii Papæ et confessoris. *Recte hic additur nomen* confessoris, *etsi in quibusdam auctariis Usuardinis titulo* martyris *donetur, et in Catalogo Petri Equilini lib.* 6 *cap.* 149 *dicatur* martyrio coronatus tempore Archadii principis. *Neque ad hunc titulum ipsi vindicandum sufficit explicatio Galesinii, qui in notationibus ad suum Martyrologium ita scribit:* S. INNOCENTII PONTIFICIS ET CONFESSORIS alias MARTYRIS, ut in Martyrologio Romano *(verosimiliter designare voluit Martyrologium Bellini de Padua, quod* secundum morem Romanæ curiæ *Venetiis anno* 1498 *editum est)* legitur: quo nomine is fortasse appellatus est ob admirabilem virtutem, summamque constantiam cum Martyrum fortitudine comparandam, quam in omni pro fidei defensione proque Ecclesia tuenda certamine præstitit, ut res ejus gestæ indicant. *Hæc Galesinii explicatio, inquam, non sufficit, nisi omnes, sancta constantia illustres, numero martyrum velis adscribere. Quamvis autem titulum martyris* S. Innocentio *nostro abjudicemus, nihil tamen de vera ipsius laude detractum volumus, ut ex sequentibus facile intelliges.*

cujus laudes recensentur.

5 *Labbeus noster tomo* 2 *conciliorum col.* 1544 *refert epistolam concilii Milevitani, ad Innocentium Pontificem scriptam, quæ columna sequente sic incipit:* Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. *Viden', quam præclaram opinionem Patres concilii Milevitani de pastorali Sancti nostri vigilantia habuerint? Sanctus Augustinus* Innocentium *vivum ac mortuum variis laudibus exornavit.* E *Quantam S. Hieronymus de pura illius fide existimationem conceperit, liquet ex epistola* 8 *alias* 97, *in qua Demetriadem ita hortatur:* Illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ, et supradicti viri *(nempe Anastasii, qui illum in Pontificatu præcesserat, et spiritualis ejus pater fuerat)* successor et filius est, teneas fidem. *Orosius lib.* 7 *Historiarum adversus paganos cap.* 39 *narraturus excidium urbis Romanæ per Gothos de Sancto nostro hæc præmittit:* Accidit quoque, quo magis illa urbis irruptio indignatione Dei acta, quam hostis fortitudine probaretur, ut beatus Innocentius, Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tamquam justus Lot subtractus a Sodomis, occulta providentia Dei apud Ravennam tunc positus peccatoris populi non videret excidium. *In Historia ecclesiastica Theodoreti lib.* 5 *cap.* 23 *vocatur* vir ingenii et prudentiæ ornamentis egregie instructus, *aut juxta versionem Henrici Valesii* vir insigni solertia ac prudentia præditus. *Denique sanctus Prosper Aquitanus in libro contra Collatorem paucis verbis egregium ejusdem elogium complexus est, dum in editione Parisiensi anni* 1711 *col.* 319 *dixit, quod* Papa Innocentius *fuerit* Petri sede dignissimus. F

Calumniis ipsi a Zosimo ethnico

6 *Si honorificum sit laudari a laudatis viris, sane ignominiosum non est vituperari aut traduci ab impiis aut malevolis obtrectatoribus, inter quos primo loco collocandus est Zosimus scriptor ethnicus, qui lib.* 5 *Historiarum narrans obsidionem Romanam fingit, ab hoc Pontifice exsecranda gentilium sacrificia occulte permissa fuisse:* Tum vero persuasi Romani, *inquit,* Alarichum esse, qui bello vexaret urbem; ac desperatis omnibus, quæ vires humanas spectarent, ad animos revocant eam opem, quam in seditionibus olim urbs fuisset experta, quodque patriis ritibus violatis, hanc amisissent. Dum hæc ipsi secum expendunt, Pompeianus, præfectus urbis, forte in quosdam incidit, qui Romam e Tuscia venerant, et oppidum quoddam ajebant, cui nomen Neveia *(Sigonius Narniam vocat)* præsentibus se liberasse periculis, perque nuncupata numini vota cultumque patrium, tonitruis et fulgetris immanibus elicitis, barbaros imminentes abegisse. Cum his collocutus,

AUCTORE G. C.

collocutus, quæcumque de pontificum libris fieri expediret, fecit. Quia vero ad animum accidebat ei, quæ tunc invaluerat opinio, quo tutius id perageret, quod in votis habebat, omnia cum urbis episcopo communicat : is erat Innocentius; qui quidem opinioni suæ salutem urbis anteponens clam permisit eis, ut facerent, quæcumque scirent. Cum illi non aliter hæc urbi conductura dicerent, nisi publice consueta sacrificia fierent, senatu in capitolium ascendente, atque tum ibi, tum quolibet in urbis foro rite debita sacra peragente, nemo interesse cæremoniis riti patrio celebrandis ausus fuit; sed hominibus illis e Tuscia valere jussis, ad permulcendum omni studio barbarum se convertunt. *Nempe erubescens Zosimus infirmitatem suorum deorum fateri, excusat illos ex eo, quod nemo ausus fuerit sacrificiis interesse, et interim has impias cæremonias, quibus nemo publice assistere audebat, ab* Innocentio *clanculum permissas fuisse mentitur. At hunc maledicum scriptorem occasione obsidionis Romanæ, ab Alarico factæ, postea iterum conveniemus. Interea tamen de ejus narratione judicia* B *quorumdam audiamus.*

falso impacta,

7 *Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 409 *num.* 7 *hanc Zosimi calumniam ita diluit :* Porro eamdem historiam describens Sozomenus, æque ac Zosimus Græcus scriptor, et ipse sui temporis res prosecutus, licet secta Novatianus esset, et adversus Innocentium, quod primus omnium (ut tradit Socrates) Novatianos ejecisset ab urbe, nonnihil commotus, tamen dum exacte eamdem obsidionem enarrat, et de Innocentio mentionem habet, nequicquam hujusmodi, quod Zosimus objicit, accidisse refert. *Hisce addo verba Guilielmi Cave heterodoxi (is certe in defensione Romanorum Pontificum nobis minime suspectus esse potest) qui in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum anno* 1694 *Genevæ edita pag.* 206 *ita scribit :* Permisisse Innocentium, ut, imminente jam Romæ Alarico, Gentiles priscos ritus et sacrificia clam peragerent, conficta est a Zosimo calumnia. Zosimo scriptori ethnico opponi possunt Socrates et Sozomenus, qui Romæ obsidionem et ethnicorum molitiones narrantes, rem plane tacent, id nequaquam facturi, si crimen ejusmodi admisisset Innocentius, quem sectæ Novatianæ odium ipsis invi- C sum reddiderat. *At quid miramur, sanctissimum Pontificem tam atroci injuria affectum esse ab infensissimo Christianæ religionis hoste, qui in scriptis suis, teste eodem Caveo pag.* 269, quoties de rebus Christianorum agit, religionem eorum acriter pertringit, eoque nomine in omnes pene principes Christianos, præcipue in Constantinum Magnum et Theodosium seniorem, strenue debacchatur. *Ceterum vide, si lubet, Euagrium lib.* 3 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 41, *ubi hujus hominis ethnici convitia et mendacia acriter refellit.*

et a quibusdam heterodoxis perperam admissa refellitur,

8 *Attamen nonnulli Lutheri aut Calvini sectatores, qui etiam eruditi videri volunt, tam cæco in Catholicos seu Pontificios aguntur furore, ut unius Zosimi mendacia omnibus veterum scriptorum testimoniis præferant, et malint sanctissimos Ecclesiæ patres explodere, et famam Christianorum principum lædere, quam isti calumniatori ethnico fidem abrogare. Audiatur hic iterum Caveus, testis in hac re minime suspectus, qui in opere proxime citato pag.* 269 *ita fatetur : Non sum* nescius, Joannem Leunclavium, virum quidem eruditissimum, prolixam apologiam in Zosimi gratiam edidisse, qua eum ab injuriis, fictisque in Christianos calumniis, a livoris et malitiæ labe, qua flagrabat maxime, omni quo potuit ingenii acumine vindicat. Verum dum hominem gentilem et Christiani nominis hostem infensissimum purgat, laterem lavat, et æthiopem dealbare conatur : et ut malevoli, ac, si umquam alius, virulenti scriptoris causam ageret, non modo in Eusebium, Chrysostomum, Innocentium, Theodoritum, Photium aliosque Christianæ religionis antistites, sed et in Constantium Magnum, ejusque filios, in Jovianum, Valentinianum, Theodosium, totamque sequentium imperatorum prosapiam se parum æquum, quin et in nonnullos acerbum plane et inverecundum manifesto prodit. *Inter isto Zosimi defensores numerandus videtur Johannes Jacobus Hofmannus, publicus linguæ Græcæ in academia Basileensi professor, qui in suo Lexico universali ad nomen* Innocentii I *sine ulla crisi sic inverecunde pronuntiat :* Italia et Roma a barbaris misere vexata, cum fidelibus tot mala imputarentur, imprudens numina gentilium placari permisit. *Ita nempe quidam hæretici scriptores,* E *in aliis historiis admittendis tam severi, quidlibet facile credunt, quod in Romanorum Pontificum dedecus potest cedere.*

atque insulsa fabula,

9 *Æque calumniosa est fabula, quam aliqui Burgundiones, popularium traditionum nimis tenaces, imprudenter* S. Innocentio *nostro impingunt, et quam Sigebertus Gemblacensis pro suo contra Romanos Pontifices odio ad annum Christi* 411 *in Chronico narrat his verbis :* De hoc Antidio *(fuit is sanctus præsul Vesontionensis in Burgundia, cujus Acta ad diem* XXV *Junii illustravimus)* legitur, quod aliquando tertia feria post Palmas transiens pontem Duvii fluminis, vidit agmen dæmonum, gesta sua principi suo referentium, et inter eos æthiopem, in manu sandalium præferentem, ad indicium, quod Romanum præsulem, cujus hoc erat, per septem annos impugnatum, tandem ad lapsum traxerit : qui vocans ad se æthiopem, et in virtute Dei et sanctæ crucis super eum ascendens, eo vectante, Romam venit feria quinta, hora celebrandi officii, et, dæmone pro foribus exspectante, Papæ rem retulit; negantem per sandalium ad pœnitentiam movit, et Missa vice ejus celebrata, et parte chrismatis a se consecrati assumpta, dæmone revectante, ad ecclesiam suam rediit Sabbato sancto, hora celebrandi F Officii. *Scimus, hunc schismaticum monachum Henricianis partibus adversus Romanos Pontifices, ut Labbeus noster cum aliis Catholicis scribit, usque ad insaniam delirium addictum fuisse. Forte ex hoc sua accepit Theodoricus Engelhusius, seculi* XV *scriptor, qui in Chronico apud Leibnitium tomo* 2 *scriptorum Brunswicensium pag.* 1039 *eamdem fabellam aliis coloribus ita depingit :* Antidius diabolum adjuravit, ut eum Romam ad præsentiam Papæ Innocentii perduceret, quod et fecit infra diem; ubi Papam prævenit, ne peccaret, sicut ab eodem diabolo audivit. *At satis mirari nequeo, a Joanne Jacobo Chiffletio, archiatro Vesontionensi, tam acriter defendi hanc insulsam fabellam, quam in Vita S. Antidii ad diem* XXV *Junii fusius retulimus et explosimus, ut tomo* V *istius mensis a pag.* 39 *videri potest.*

et temerariis quorumdam judiciis explosis,

10 *Cum Erasmus Roterodamensis nihil in istius sancti Pontificis moribus carpendum inveniret, scribendi stylum arrodit, dicitque,* Innocentium

in

A *in litteris contra Pelagianos* suo more sævum potius, quam eruditum *apparere, ac in iis* ingenium et eruditionem tali dignam Præsule desiderari. *At eminentissimus Norisius lib.* I *Historiæ Pelagianæ cap.* II *hunc rigidum censorem pro merito depexuit, ut illic videri potest, ne hic actum agamus. Porro nil mirum est, hæc contra* S. Innocentium *scripta fuisse ab homine, qui eruditissimos ac sanctissimos Ecclesiæ Patres audaci calamo promiscue perstringit, et qui ab eminentissimo Bellarmino inter semi-Christianos recensetur. Magis miror, a recentioribus quibusdam Gallis, qui se Catholicos dici volunt, eumdem sanctissimum Pontificem usurpatæ contra canones jurisdictionis insimulari. Nuperus inter eos scriptor apud Schelstratium tomo* 2 *Antiquitatis Ecclesiæ dissert.* 5 *pag.* 316 *in epistolam* S. Innocentii *ad Alexandrum patriarcham Antiochenum ita commentatur:* Hanc vindicabat in provincias sibi subditas Innocentius, eamdemque ab Antiocheno usurpari arbitrabatur, et ex se de aliis judicat. *Indigna sane Catholico scriptore verba, in quæ* B *Schelstratius suaviter et fortiter hæc notat :* Ita pro singulari sua modestia scribit nuperus ille auctor de Innocentio primo, quem magnus Augustinus cum conciliis Africæ ante mille ducentos quinquaginta annos tamquam sanctissimum, et avitæ disciplinæ ac religionis amantem Pontificem prædicarunt, cujus epistolis universa demum Ecclesia non calculum modo, sed obsequium quoque offert suffragii, et perpetua tot seculorum consensione se addicit. *Prætermitto hic alios ejusdem nationis scriptores, qui ambiguis et mollioribus verbis* S. Innocentium *ambitionis accusant. Notum est, e quibus fontibus, seu potius cloacis, similia contra Romanos Pontifices dicteria hauriantur. Nunc præcipua morum ejus decora summatim referamus.*

virtutes ejus breviter enumerantur.

11 *Inter plurimas* S. Innocentii *virtutes eminuit ardens Catholicæ fidei zelus, quo incensus hæreticos ubique persequebatur. Testis est ejus epistola ad Laurentium episcopum Seniensem, quæ apud Labbeum tomo* 2 *conciliorum col.* 1270 *et* 1271 *legitur, et qua illi districte præcipit, ut omni diligentia Photinianos e sua diœcesi expellat. Nec minori ardore exstirpare conatus est Novatianos, ut testatur ipse Socrates lib.* 7 *Hist. eccles. cap.* 9, *ubi in versione Christophorsoniana hæc leguntur :* Quo mortuo *(videlicet Anastasio* C *pontifice)* Innocentius, qui primus Novatianos Romæ ejicere cœpit, multasque ecclesias eis adimere, illius ecclesiæ suscepit administrationem. *Anastasius Bibliothecarius in vitis Romanorum Pontificum cap.* 41 *asserit, Cataphrygas aliosque ab eo in exsilium pulsos fuisse, apud quem etiam munificentia ejus erga ecclesias, aliaque pietatis opera videri possunt. Demum reliquæ illius virtutes facile per decursum colligentur ex ipsius gestis, quæ jam temporis ordine, quantum fieri poterit, illustrare conabimur.*

§ II. Vitæ professio, patria, pontificatus initium, et unanimis ad eumdem evectio.

Examinatur, an S. Innocentius fuerit monachus,

Nemo veterum, quod sciam, litteris prodidit, quid S. Innocentius *ante Pontificatum gesserit, aut quodnam vitæ institutum professus fuerit. Petrus Ricordatus seu Calzolarus post plura secula in opere Italico, quod Romæ anno* 1575 *editum est, silente tota antiquitate, nobis fol.* 39 *verso persuadere nititur,* S. Innocentium *ex ordine monachorum ad Petri cathedram evectum fuisse. Nullos ad id probandum testes, nullas tabulas allegat, uti nec pro aliis rebus, quas de illo ibidem confidenter affirmat. Videtur autem hunc monachatum dumtaxat mira consequentia deduxisse ex verbis Anastasii Bibliothecarii, qui in Vitis Pontificum Romanorum cap.* 41 *asserit,* S. Innocentium *aliqua statuisse* de regulis monasteriorum. *Unde Ricordatus folio sequente concludit, ipsum monachum fuisse. At si ex eo antecedente istud consequens tam* clare demonstretur, *ut auctor ille ibi loquitur, etiam haud dubie sequetur, omnes Pontifices Romanos, qui de regulis monasticis aliqua decreverunt, numero monachorum adscribendos esse, quod neminem sanæ mentis admissurum existimo.*

AUCTORE G. C.

aut natione Scotus,

13 *Loco proxime citato apud Anastasium Bibliothecarium, et in antiquioribus Romanorum Pontificum catalogis dicitur* Innocentius natione Albanensis, ex patre Innocentio *natus. Hinc omnes hactenus crediderunt, eum Albæ seu Albani in Italia ortum habuisse, donec Scotis quibusdam* E *in mentem venit, illum patriæ suæ vindicare, quia olim Albion seu Albania vocabatur. Imo Dempsterus lib.* 9 *Historiæ ecclesiasticæ gentis Scotorum num.* 703 *conqueritur, quod omnes pene Itali hanc gloriam Scotis invideant, citatque aliquot recentiores e suis popularibus, qui pro honore patriæ suæ eamdem opinionem tradiderunt. Genebrardus et Pontacus, quod magis mirandum, in sua chronologia de eodem ita scribunt :* Sanctus Innocentius Albanus sive Scotus. *Videntur hi duo Galli nimis leviter Scotis fidem adhibuisse. Cautior fuit Alfordus noster, gente Anglus, dum in Annalibus ecclesiasticis Britanniæ ad annum Christi* 402 *num.* 3 *hanc sententiam ita rejicit :* Anastasio successit Innocentius, patria Albanus, non Scotus, ut vult Dempsterus. *Certe non videntur Scoti aliud assertionis suæ fundamentum habere præter quamdam similitudinem nominis, quo olim patriam suam appellatam fuisse non negamus. At si hæc homonymia sufficiat, Albanenses seu Albani in Hispania, in Macedonia, aliisque regionibus eodem jure* S. Innocentium *sibi vindicabunt.*

et quo anno

14 *Magis intricata quæstio est, quo anno* S. Innocentius *pontificiam cathedram ascenderit.* F *Baronius, Norisius, Tillemontius, aliique plures eruditi initium pontificatus ejus anno* 402 *consignant. Nihilominus huic epochæ contradicit Antonius Pagius, eamque uno anno antevertendam putat, dum in Critica historico-chronologica in Annales Baronii ad annum Christi* 417 *num.* 4 *de Innocentiani Pontificatus exordio sic disserit :* Illum anno CCCCI, et quidem die XXI Decembris, supremum Ecclesiæ regimen suscepisse, contra communem sententiam asseruimus. Reliquum est, ut argumentis ex ejus sedis duratione, die emortuali, ac successoris ordinatione petitis, hoc extra omnem dubitationem ponamus. Anastasius tam in codicibus vulgatis, quam in pluribus Mss. docet, eum sedisse ANNOS QUINDECIM, MENSES DUOS, DIES VIGINTI; quod confirmant Marianus Scotus, Regino, Ordericus lib. 2, Honorius Augustodunensis, Ado et Beda, non quidem genuinus, sed vulgatus, uterque in Martyrologiis, catalogus Palatino-Vaticanus, alius a Papebrochio, aliusque a Mabillonio editi, ac varii catalogi huic operi subjuncti, in quibus omnibus Innocentio attribuuntur anni XV, menses II, dies XX, nisi quod aliquid ex iisdem auctoribus ac catalogis habent

auctorum G. C

bent dies XXI. Ad hæc Prosper juxta editionem Scaligerianam scribit, Innocentium sedisse annos XV, menses II, dies XXI. In chronico quidem Prosperi bibliothecæ Colbertinæ, qui quingentorum circiter est annorum, num. 1286 dicitur Innocentius ecclesiam Romanam gubernasse annos XV, menses II, dies XXII; sed errore librarii unus et alter dies ibi plus numeratur. Quare cum Innocentius die duodecima mensis Martii currentis annis (*videlicet* 417) ad Deum migrarit, ordinatus fuerat anno CCCCI, die XXI Decembris: sic enim sedit annos XV, menses II, dies XX, et sepultus est die XIII Martii. Chronicon Prosperi et aliquos catalogos, in quibus duratio sedis Innocentii augetur vel minuitur, librarii corrupere. *Non usque adeo certum est, quod hic Pagius de corrupto Prosperi chronico asserit: nam in tribus istius chronici codicibus dicitur* S. Innocentius *numero rotundo tantum annis* XIV *sedisse, ut mox observabimus.*

ac die

B 15 *Pagius ad eumdem annum numero sequente ex Martyrologiis probare nititur,* S. Innocentium *die* XII *Martii obiisse, quod supra initio* § I *examinavimus, et de quo iterum circa finem hujus sylloges sermo recurret. Deinde num.* 6 *pro stabilienda sua opinione ita ratiocinatur:* Baronius, qui diem sepulturæ vel translationis ab Anastasio descriptum pro die emortuali de more intelligit, Innocentii mortem usque ad diem XXVIII mensis Julii, et Zosimi ejus successoris initium usque ad diem XIX mensis Augusti dissert; sed ex rescripto ejusdem Zosimi, de quo paulo post agemus, hunc die vigesima quinta Martii præsentis anni jam Ecclesiam Romanam rexisse certo constabit. Papebrochius in conatu Chronico-historico ad catalogum Pontificum Romanorum, Innocentium die XXI Decembris anni superioris in Martyrologio Hieronymiano notato, demortuum existimavit. Verum præterquam quod constat, illum ad hujus anni initium vitam protraxisse, cum mense Januario Pelagianos damnaverit, eo pacto sedisset tantum annos XIV, menses XI, dies XXI, quod auctores et catalogi citati, ut existimamus, non patiuntur, licet id vir doctissimus sine auctoritate alicujus codicis Anastasiani, aut alicujus catalogi
C Pontificum Romanorum persuasum habeat. *Hactenus Pagius.*

juxta varias

16 *Non inficior, sententiam Pagii ob allata argumenta plane probabilem esse; at nego, annum* 401, *quo initium Pontificatus Innocentiani statuit, positum esse* extra omnem dubitationem, *ut se ostensurum supra spondebat: fateri enim debet, se contradicere Prospero et Marcellino, aliisque antiquissimis chronicis, quæ constanter asserunt,* S. Innocentium *electum fuisse Pontificem* Arcadio V et Honorio V consulibus, *quorum consulatus juxta exactissimos chronologos anno Christi* 402 *respondet. Negare etiam non potest, codices Mss. sæpe inter se differre circa Pontificatus istius durationem. Prosper Aquitanus apud Labbeum nostrum tomo* I *Bibliothecæ manuscriptorum pag.* 48 *ita expresse habet:* Arcadio V et Honorio V... Romanæ Ecclesiæ XXXVIII præest episcopus Innocentius annis XIV. *Codex Colbertinus et Augustanus* S. Innocentio *totidem regiminis annos diserte adscribunt, uti testatur ille, qui novissimam Prosperi editionem Parisiis anno* 1711 *curavit. Imo ipse Pagius fatetur, errore librariorum in quibusdam codicibus unum alterumve diem adjectum fuisse. At eodem errore unus alterve annus aut mensis adjici potuit. Forte antiquissimus scriptor numero rotundo computavit annos quatuordecim, quos deinde* D *posteriores librarii in quindecim mutarunt, et quibus ex conjectura aliquot menses et dies addiderunt. Hanc conjecturam nostram confirmat scriptor anonymus Zwetlensis, qui seculo* XII *vixisse creditur, et quem Bernardus Pezius tomo* I *Thesauri anecdotorum part.* 3 *a col.* 325 *edidit, ubi in Historia Romanorum Pontificum col.* 345 *sic scribit:* Innocentius, natione Albanus, ex patre Innocentio, annos XV, menses ferme IV; in Chronicis Prosperi annos XIV. *Hoc modo tempus Innocentiani Pontificatus cum tribus Prosperi exemplaribus conciliari posset, si rotundo quatuordecim annorum numero aliquot menses addantur.*

17 *Verumtamen concedamus, in plerisque chronicis et catalogis melius annos quindecim signari.* scriptorum opiniones *An id etiam admittendum erit de mensibus et diebus, inter quos in vetustis codicibus tanta est varietas? Nonne ex antiquo quodam Ms. prodiisse censendum est, quod singulis annis ad hunc diem in Breviario Romano ita de isto Sancto recitamus:* Sedit annos quindecim, mensem unum, dies decem. *Cur, obsecro, rejiciendus est catalogus Romanorum Pontificum, quem Henschenius* E *noster tomo* I *Aprilis præfixit, et cujus secunda pars verosimillime ante medium seculi* VI *exarata est, ut ibidem pag.* XXXVI *Henschenius ostendit? In eo tamen de* Innocentio *ita legitur:* Sedit annos quindecim, mensem unum, dies XXI. *Totidem omnino annos, mensem, ac dies exprimit alius catalogus, quem Mabillonius tomo* 4 *veterum analectorum pag.* 429 *ex Ms. Corbeiensi edidit. Non hic codicum multitudo, sed antiquitas pretium facit: nam ex uno exemplari corrupto potuerunt multa vitiosa ecgrapha prodire. Sunt et alia, quæ opinioni Pagianæ opponi possunt, de quibus vide Tillemontium in Monumentis ecclesiasticis nota* 69 *in S. Hieronymum apud nos tomo* 12 *a pag.* 650.

18 *Interim profiteor, me non jurare in verba* Romanam cathedram ascenderit, *Papebrochii, quem errasse existimo, dum mortem* S. Innocentii *anno* 416 *alligavit. At nihil hactenus video, quod me cogat deserere sententiam Henschenii, quam ante tomum* I *Aprilis pag.* XXXII *concludit his verbis:* Colligimus secundo, aut non integros quindecim annos sedisse Innocentium, cum decessor Anastasius sit sepultus XXVII Aprilis (*hæc* F *est dies translationis juxta Pagium*) eoque die colatur; aut dicendum, hunc etiam aliquamdiu ante vita functum, et Innocentium XXII Januarii creatum, et sic sedisse annos quindecim, mensem unum, dies viginti unum hic indicatos. *Quinimo posteriori hujus disjunctivæ propositionis parti favet ipse Pagius, dum cum Papebrochio contra Baronium contendit, Anastasium,* Innocentii *decessorem, anno* 401, *die* XIV *Decembris obiisse, eo quod isto die Martyrologio Hieronymiano apud Florentinium aliquis S. Anastasius referatur. In hoc systemate prorsus verosimile est,* S. Innocentium *mense Januario anni* 402 *electum fuisse Pontificem, et Ecclesiam usque ad mensem Martium anni* 417 *gubernasse. Neque mors ejus necessario ad diem* XII *Martii differenda est, ut propositum ab Henschenio catalogum tueamur, ut consideranti et computum inire volenti patebit. His tricis chronologicis utcumque expediti, ad alia pergamus.*

19 *Quanta cleri ac populi concordia Sanctus noster ad summum Pontificatum assumptus fuerit,* ad quam unanimi consensu evectus est. *ipsemet significat in litteris, quas non diu post electionem suam scripsit ad Anysium, episcopum Thessalonicensem, et quæ post Lucam Holstenium in*

A *in collectione Romana part.* I *pag.* 45 *referuntur a Petro Coustant Benedictino inter epistolas Romanorum Pontificum, Parisiis anno* 1721 *editas, tomo* I *col.* 739 *hoc tenore :* Cum Deus noster Christus sanctæ memoriæ virum Anastasium episcopum, licet celeriter, ad se vocare dignatus sit; computans ejus merita tanta esse ac talia, ut jam excederent conversationis humanæ consortium, seculumque illud præ vitæ puritate et abundantia doctrinæ, qua populum Dei toto ecclesiasticæ auctoritatis rigore regebat : ne ejus Ecclesia aliquantulum sine rectoris gubernaculo remaneret, statim pro sua misericordia, consentientibus sanctis sacerdotibus, omnique clero ac populo cum pace, quam Deus Ecclesiæ suæ rediens ad cælum donare dignatus est, ordinatum me in ejus locum, frater carissime, par fuit recognoscere *, primitiasque meas non nisi viro optimo atque in Deo semper fideliter laboranti celeriter nuntiare: cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda. *Deinde confirmat eamdem Anysio potestatem in Illyrici ecclesias, quam decessores ei antea concesserant.*

*forte te cognoscere

B

§ III. Gesta et scripta primis pontificatus sui annis.

Sanctus post quasdam difficultates exortas,

Tot tamque diversæ leges ab imperatoribus latæ fuerant circa curiales in clerum adscitos, ut judicibus numquam deesset occasio, qua eos importune repeterent, indeque præsulibus ecclesiarum molestiam crearent. Quare Innocentius multum laboravit coram ipso imperatore Honorio, qui circa finem anni 403 *Romam venerat, ut hujusmodi difficultates tollerentur, ac postea statuit, ut episcopi inter clericos non assumerent, qui talibus officiis fungebantur. Id colligo ex epistola, quam sanctus Pontifex anno sequenti ad*

C *Victricium Rothomagensem episcopum dedit, in qua post alia apud Labbeum nostrum tomo* 2. *Conciliorum col.* 1252 *ita loquitur :* Præterea frequenter quidam e fratribus nostris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt : quibus postea major tristitia, cum de revocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia de adscito nascitur. Constat enim eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse non dubium est, et ludorum vel munerum apparatibus aut præesse aut interesse. Sit certe in exemplum solicitudo et tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus, imperatore præsente, cum pro his sæpius rogaremus, quam ipse nobiscum positus cognovisti, quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam jam in sacerdotio constituti, ingens molestia, ut redderentur, imminebat. *Hi fuerunt primi* S. Innocentii *pro Ecclesia labores, quos saltem novimus, et quos spectavit Victricius, qui Romæ aliquo tempore substitit, ut Paulinus Nolanus epist.* 37 *testatur.*

non anno 405, ut putat Tillemontius.

21 *Dixi hanc epistolam ad Victricium Rothomagensem* anno sequenti *id est* 404 *scriptam fuisse, etsi Tillemontius tomo* 10 *Monument. eccles. pag.* 828 *contra hunc annum moverit aliquot scrupulos, quos Petrus Coustant tomo* I *Epist. Rom. Pont. in monito prævio ad hanc epistolam num.* 2 *satis evulsisse videtur hac responsione :* In his omnibus, *inquit*, collectionibus (si Dionysianam excipias, in qua omittitur nota consularis) idem omnino est epistolæ finis, ac summo consensu consignatur : HONORIO AUG. VI et ARISTENETO CONSS. Hinc nullus relinquitur locus eruditi viri conjecturæ, qua huic Innocentii epistolæ notam illam consularem ab alio adjectam esse, aut certe POST CONSULATUM HONORII etc. legendum esse suspicatur. Ut enim ei largiamur voces POST CONSULATUM, quæ primis litteris PC. ab antiquariis exprimi solent, excidere facile potuisse; eo sane casu in aliquo saltem vetere codice HONORII ET ARISTENETI, non HONORIO ET ARISTENETO fuisset retentum, nec in ullo vocabulum CONSS. addi debuisset.

AUCTORE G. C.

sed 404 videtur scripsisse

22 Neque magis conjecturæ illius concedere cogimur, si, quid causæ sit, cur epistolam hanc anno CCCCV potius quam CCCCIV scriptam putet, expendamus. Nempe unis movetur num. 5 verbis, quibus E commemorat Innocentius, quæ curialium causa, imperatore præsente, et Victricio secum posito, pertulerit. Unde et sequi existimat, ut non modo postquam in Urbem venisset imperator, sed et postquam Victricius Roma Rotomagum rediisset, hæc epistola scripta sit. Atqui, inquit, Honorius imperator anno dumtaxat CCCCIII, mense Decembri Romam venit, nec eo antea, ut ex Claudiani poemate colligitur, venerat : Victricius autem tam exiguo intervallo, quod ab imperatoris in Urbem adventu ad XV Februarii diem anni CCCCIV excurrit, Roma Rotomagum redire, atque inde litteras ad Innocentium mittere, ita ut ei ante redderentur, non valuit. Ex quo litteras illas non Honorio augusto consule, sed post consulatum Honorii augusti, hoc est anno CCCCV, non CCCCIV, datas esse concludit.

ad Victricium episcopum Rothomagensem;

23 Sed si ob factum, cujus nulla habetur notitia certa, tot et tam diversis tamque antiquis titulis fidem negare liceat, quid in historia erit certi? Esto igitur, Honorius exeunte anno CCCCIII Romam venerit, atque in Urbe tunc temporis exstiterit Victricius. Ut eumdem episcopum prius, quam has Innocentii litteras acciperet, Rotomagum rediisse simul assentiamus, quid cogit? F Nullum Innocentius Victricii nomine ad se missum, nullas illius litteras sibi redditas memorat. Verum, inquit, vir eruditus, verbum MISI, quo in exordio utitur Innocentius, absentem innuit. At si absentem, non certe Rotomagum reversum, non Roma egressum sonat. Quid enim prohibet, quo minus Victricius Roma abcessurus, dum vale Innocentio diceret, regularum ecclesiasticarum librum ab eo postularit, atque is ad manum tum non habens librum, illum quamprimum concinnari et Victricio ante illius ex Urbe discessum tradi curarit. Neque vero opus est, ut procul a nobis sint, ad quos aliquid mittere dicimur. Quotidie sibi mutuo mittunt amici, etiam ejusdem urbis mœnibus contenti, munuscula, libros, litteras, et cetera : cujus rei exemplo sint Damasus et Hieronymus supra pag. 579 et seqq. *His addo, quod forte* Innocentius *paulo post discessum Victricii, dum ille inter redeundum incerto loco consisteret, has litteras Rothomagum miserit, et ibi usque ad ejus adventum servari jusserit.*

quam epistolam heterodoxi perperam carpunt.

24 *Quædam in hac epistola carpunt hæretici, quos Binius in notis apud Labbeum nostrum tomo* 2 *Conciliorum col.* 1253 *ita refellit :* Novatores hujus temporis hanc epistolam Innocentii suggillant,

AUCTORE G. C.

suggillant, ideo quod lapsam virginem sacram non prius ad pœnitentiam recipiendam esse decernat, quam vir ille, cui se titulo nuptiarum conjunxerat, defunctus sit: inique enim constitutum esse judicabant, pœnitentiam lapsæ in obitum adulteri differre. Sed nihil æquius atque sanctius valuit decreto Romani Pontificis definiri, quam ut rejiciatur prætensa lapsæ virginis pœnitentia, quæ titulo nuptiarum cum adultero, tamquam cum legitimo viro, ad mortem usque cohabitare delegit, quæque non prius, quam post mortem adulteri, ab eo separari voluit. Cum itaque justissimum sit, ne in Ecclesia absolvantur ii, qui in peccato perseverare volunt, hanc de repudianda ejus pœnitentia constitutionem Pontificis hæretici nostri temporis immerito reprehendunt. *Videri etiam de hac re potest Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 404 *num.* 131, *ubi post probatam hujus decreti æquitatem ita concludit :* Sunt pleraque alia, quæ in ejusdem Inno-
B centii Papæ epistolis esse nævos iidem novatores obtrectant: quæ cum Apostolicis traditionibus, sanctorum Patrum doctrina, usu Ecclesiæ sibi vendicent auctoritatem, gemmas potius esse, quam nævos, nisi limis oculis aspexissent, satis intelligere ac perspicue cognoscere potuissent.

aut S. Innocentio abjudicant.

25 *Alii ejusdem furfuris scriptores totam illam epistolam* Innocentio *abjudicant. Inter hos audi Robertum Cocum, heterodoxum Anglum, qui in censura quorumdam scriptorum, Londini anno* 1623 *edita, ita misere pag.* 111 *ratiocinatur :* Innocentii I epistola ad Victricium citatur a Bellarmino, ut probet cœlibatum jure apostolico rectissime annexum sacris Ordinibus, et matrimonium, post votum solenne, nullum esse. Hæc epistola fere ad verbum eadem est cum epistola Syricii ad episcopos Africæ, ac idcirco non videtur Innocentii. *Stramineum enimvero argumentum, quod Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum tomo* I *pag.* 126 *difflat his verbis :* Non me latet, heterodoxos dictam Innocentii ad Victricium Rotomagensem epistolam suggillare vel etiam penitus rejicere, quod in ea quædam sint decreta, quæ de verbo ad verbum continentur in
C epistola Siricii. Sed cum decreta XII et XIII ejusdem Innocentii epistolæ, de quibus loquuntur heterodoxi, citentur ex epistola Innocentii in concilio Turonensi III *, anno DLXVI vel DLXVII celebrato, et ibi approbentur, et Innocentius melius facere non potuerit, quam majorum instituta tradere, nemo jure dubitaverit de illa decretali epistola Innocentii, quam Dionysius Exiguus inseruit integram in codice Ecclesiæ Romanæ, sicuti nemo dubitaverit de epistola Siricii, a concilio Zellensi et a Ferdinando laudata.

* *alii* II.

ut ex antiquorum monumentorum consensu ostenditur.

26 *Laudatus Petrus Coustant in proxime citato monito prævio num.* I *hoc responsum ita pluribus confirmat :* Ex epistola IV Siricii multa in hac describuntur. Verum, ut observavit Tillemontius, id minime mirum videri debet, cum Innocentius a Victricio rogatus, ut regulas in Ecclesia Romana servari solitas sibi traderet, id felicius præstare, quam decessorum decreto exscribendo, nequiverit. Hinc itaque nulla habetur idonea ratio, cur aut prædicta epistola Siricio, aut hæc Innocentio abrogetur. Neque leviora sunt momenta, quæ hanc Innocentio, quam fuerunt, quæ illam Siricio adjudicant. A concilio Turonensi II cap. 20 a Cresconio in Breviario can. PASSIM; a Zacharia Papa apud Sirmondum tomo I concil. Gall. epist. 9 cap. 14 et 20 sub illius nomine lau-
datur. Præterea e veteribus collectionibus, quas D
bene multas recognovimus, in nulla desideratur, in nulla non exhibetur Innocentio inscripta. Hanc ipsi adscribunt exemplar Corbeiense, Vigilii Papæ temporibus descriptum, Colbertinum majusculis litteris Langobardicis exaratum, vetus canonum codex a Quesnello vulgatus, Dionysianæ collectionis Hadrianæque exemplaria, nec non collectio Hispana, Isidoriana, et aliæ plures. *Eo accedit, quod* S. Innocentius *in istius epistolæ exordio apud Labbeum toto citato col.* 1250 *præmonuerit, sese hæc præscribere,* non quo nova præcepta aliqua imperentur, sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari *cupiat,* quæ tamen Apostolica et Patrum traditione sunt constituta. *Ecce quam frivolis cavillationibus hæretici Romanam Ecclesiam oppugnent!*

In causa S. Chrysostomi, quæ hoc anno ad Innocentium delatæ est.

27 *Hoc eodem anno* 404 *ad* S. Innocentium *delatæ sunt litteræ sancti Joannis Chrysostomi, in quibus de violenta injuria, sibi a Theophilo Alexandrino aliisque adversariis illata, justissime* E
conquerebatur. Theophilus etiam lectorem Alexandrinæ ecclesiæ Romam miserat, ut Romano Pontifici traderet epistolam, in qua depositio Chrysostomi, a se facta, nuntiabatur. Non est hic nostrum singula commemorare, quæ in hac causa ultro citroque scripta et acta sunt, de quibus videri potest Palladius in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi, cujus Acta ad diem XIV *Septembris illustranda erunt. Nobis jam sufficit scire, quod* S. Innocentius *in ea lite, quæ per plures annos discussa est, sese prudenter ac pie gesserit, sicut Palladius in Dialogo citato cap.* 2 *testatur his verbis :* Quibus Actis perlectis, Papa Innocentius, cum comperisset, nullas graves esse accusationes, neque Joannem adfuisse, neque coram reprehensum esse, Theophili furorem exsibilare perstitit, quod contra absentem tam præcipitem et abruptam sententiam effudisset. Dimissis igitur illis cum increpatoriis litteris, precabatur Deum supplicans cum jejunio, ut sedaretur quidem ecclesiæ discordia, fraternus vero amor compingeretur. *Si quis interim has aliasque litteras ad hanc controversiam spectantes legere cupit, adeat Palladium, Baro-* F
nium, Labbeum, ceterosque, qui concilia aut Pontificum epistolas collegerunt.

aliquæ epistolæ

28 *Sed inter numerum genuinarum epistolarum non admittimus tres illas, quas eminentissimus Baronius tomo* 5 *Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi* 407 *exhibet, et de quarum prima ibidem num.* 20 *ita præfatur :* Quod vero pertinet ad Innocentium Romanum Pontificem : audita ipse morte Chrysostomi, magno est affectus dolore, et qui hactenus ab infligendo in imperatorem Arcadium et Eudoxiam augustam, quam provocarant, summam ecclesiasticam animadversionem illam, cum quis a communicatione Sacramentorum et cœtu fidelium separatur, rogatus ab ipso Joanne Chrysostomo se continuisset, eam in eosdem provocatus, et violentia quadam adactus, inflixit : extorsisse enim visi sunt illi e manibus Innocentii juste judicantis vindictam, quam hactenus apud se longa patientia continuerat. *Deinde num.* 22 *indicat, apud quos scriptores ea epistola reperiatur, inter quos Gennadium numerat; at oportet, hunc Gennadium a Gennadio Massiliensi diversum esse : nam Massiliensis in Catalogo scriptorum illustrium de Innocentio agens nullum de ejusmodi epistola verbum facit.*

29 *Antonius Pagius tomo* 2 *Criticæ historico-chronologicæ*

videntur supposititiæ.

A *chronologicæ in Annales Baronii ad eumdem Christi annum num* 5 *has litteras de suppositione sic suspectas reddit :* Epistola Innocentii Papæ trigesima *(isto numero in Labbeana conciliorum editione Græco-Latine legitur)* ad Arcadium imperatorem, qua excommunicantur persecutores sancti Chrysostomi, supposititia [est,] cum in ea sermo sit de Eudoxia vivente, quæ tamen jam ab anno CCCCIV supremum diem obierat. Quare ejusdem epistolæ nec Palladius, nec Socrates, nec Theodoretus, nec Sozomenus, nec Zonaras, nec aliqui ex Latinis mentionem fecere, primusque Georgius Alexandrinus, qui septimo Ecclesiæ seculo vixit, ex quo Nicephorus et Glycas eam hausere, illius meminit. Idem judicium ferunt viri eruditi de binis ejusdem Arcadii ad Innocentium Papam epistolis, quas e Glyca et Ms. bibliothecæ Vaticanæ deprompsit Baronius, qui et epistolam ad Arcadium exhibet. *Petrus Coustant easdem epistolas in Appendicem tomi* I *epist. Rom. Pontificum a col.* 105 *inter adulterina scripta rejecit, et pluribus rationibus probat, illas spurias esse, ut ibidem in monito iis præmisso videri potest.*

B

§ IV. Scripta et gesta usque ad direptionem urbis Romanæ per Alaricum Gothorum regem.

Sanctus scripsit epistolam ad Exuperium Tholosanum.

E*tiamsi discordia in Oriente exorta* S. Innocentium *curis et occupationibus obrueret, tamen indefesso studio ac labore paternam suam sollicitudinem ad ecclesiastica Occidentis negotia etiam extendebat, et in aliis ecclesiis operam suam desiderari non patiebatur. Hinc pro vigilantissimi pastoris munere, ut tradit Franciscus Pagius in Breviario Romanorum Pontificum tomo* I *pagg.* 126 *et* 127, secunda Innocentii decretalis epistola anno quadringentisimo quinto data est ad Exuperium Tolosanum episcopum, et septem decreta seu canones continet. Primo clericos incontinentes, nempe sacerdotes et diaconos omni honore ecclesiastico privandos decernit, et sanctissimam cælibatus legem a Siricio decessore ipsis positam confirmat. C Septimo librorum canonicorum indicem describit, eosque ab Ecclesia receptos velut sacros et divinos testatur et pronuntiat: quem indicem cum legent Calviniani et Lutherani, se ab Ecclesiæ veteris sensu et fide, quoad numerum librorum canonicorum, agnoscant alienos : non enim Innocentius sententiam solum suam exponit, sed Ecclesiæ doctrinam et traditionem ab Apostolis ad sua tempora derivatam, et in Romana Ecclesia conservatam. *Hanc epistolam anno* 405 *ad Exuperium scriptam esse, liquet ex clausula, quæ sic habet :* Data X Kalendas Martias, Stilicone secundo et Anthemio viris clarissimis consulibus.

quæ nullo fundamento suppositionis arguitur.

31 *Non placet hæc epistola Roberto Coco, et aliis quibusdam hæreticis, qui pro suo libitu ob levissimas nullius momenti suspiciones eam suppositionis arguunt. Sed cæci illi commiserationem potius, quam refutationem merentur : nam juxta testimonium Petri Coustant in notis ad istam epistolam tomo* I *operis jam sæpe citati col.* 789 in omnibus exstat omnium generum antiquis collectionibus, puta Isidori, Hispana, Hadriani I, Dionysii Exigui, codicis a Quesnello vulgati. Eamdem exhibent codex Corbeiensis seculo VI exaratus, Colbertinus majusiculis litteris Longobardicis descriptus etc. Ad hæc anno DVI ab Agathensi concilio can. 9 laudata legitur. Quocirca ridet merito vir eruditus, nec refutatione dignum censet heterodoxum quemdam, qui epistolam istam Innocentio hac una ratione abjudicari velit, quod Siricius in ea citetur. Quasi vero Pontifice indignum sit, quod ipse definit, decessorum suorum decretis firmare. Sed et Innocentio ea proposita erat quæstio, quæ Siricii constitutionem ab ipso memorari necessario postulabat, ut sententiam suam adversus eos, qui aut scientes aut ignorantes peccassent, æquo discrimine moderaretur. *David Blondellus, Calvinista Gallus, haud dubie noverat hæc solida Catholicorum argumenta, atque idcirco in suo Pseudo Isidoro pag.* 562, *ubi alias* Innocentii *litteras examinat, non est ausus hanc epistolam in dubium revocare.*

AUCTORE G. C.

et præter varios labores

32 *Ex supra laudato Palladii Dialogo capp.* 3 *et* 4 *patet, quantum hoc tempore* S. Innocentius *ad sedandas ecclesiæ Constantinopolitanæ turbas laboraverit. Idem facile colligi potest ex litteris S. Chrysostomi, qui postea ad eumdem Pontificem in Labbeana Conciliorum editione tomo* 2 *col.* 1305 E *ita scribit :* Corpus quidem nostrum uno eodemque loco tenetur et stabilitum est; animus autem caritatis ala in universo orbe circumvolitat. Proinde licet tanta itineris intercapedine separati simus, a pietate tamen vestra non absumus, sed quotidie vobis præsentes sumus : animi enim oculis videmus vestram illam fortitudinem, et sinceram affectionem, constantiamque non mutabilem, et quod vos consolari nos plurimum et perpetuo cupiatis. Quanto enim fluctus extolluntur sublimius, et plures latent scopuli, vehementioresque venti sunt et tempestates, tanto et vigilantia vestra augetur; neque vos tanta viæ prolixitas, neque tantum temporis intervallum, neque causarum difficultas segniores reddidit : sed perseveranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maxime vigiles sunt, quando elevari fluctus et mare intumescere, et multas aquas in navim inundare, gravissimamque interdiu noctem ingruere vident. Eapropter et gratias vobis habemus multas, et desideramus quidem ad vos dare crebras litteras, id quod nobis maximo foret solatio.

in causa S. Chrysostomi

33 *Deinde post allatas rationes, ob quas ex solitudine, in qua exulabat, sæpius scribere non posset, pastoralem* S. Innocentii *curam laudare* F *ac implorare sic pergit :* Perpetuas enim vobis gratias agimus, quod paternam erga nos benevolentiam declarastis : nam quantum in vestra pietate situm fuit, jam res omnes sedatæ et emendatæ, et sublata omnia scandala fuissent, gauderentque ecclesiæ tranquilla et sincera pace, et essent plane secunda omnia, neque contemptæ leges, neque violatæ patrum constitutiones forent. At illi in suis impiis operibus pergunt, et quasi nihil attentarint, ita priora malefacta recentibus vincere certant .... Ecclesiæ usque ad genua humiliatæ sunt, populi dispersi, clerus divexatus, episcopi exules, constitutiones patrum violatæ. Et idcirco iterum atque iterum et sæpius vestram oro diligentiam, ut quanto major est tempestas, tanto majus adhibeatur studium. Exspecto quidem futurum, ut quanto amplius corrigantur. Quod si minus fiet, vos vestram coronam paratam apud misericordem Deum habebitis; et hi, qui injuria afficiuntur, consolationem ex incremento caritatis vestræ non minorem accipient : nam et nos tertium nunc annum in exilio versamur, expositi

G. C.

expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quotidianæ morti, et Isauricis gladiis, et non mediocriter nos consolantur solida vestra fides et caritas, quæ se in me tam tenui et simplice oblectant. *Ex his judica de apostolicis* S. Innocentii *laboribus, ac simul adverte, quantis laudibus S. Chrysostomus illum exornet.*

pro Romana urbe,

34 *Præter ecclesiastica negotia summopere animum* S. Innocentii *occupabat commune exitium, quod gentes barbaræ imperio ac Romanæ urbi minitabantur, ut Sozomenus lib.* 9 *Hist. eccles. cap.* 6 *narrat his verbis:* Cum Alaricus Gothorum dux, missis ad Honorium legatis de pace, repulsam tulisset, Romam obsidere agressus est, ingenti agmine barbarorum ad ripas Tybris apposito, ne alimenta civibus importarentur ex Portu: sic enim vocant navale urbis Romæ. Porro cum obsidio diutius protraheretur, et fames simul ac pestis urbem premeret, pluresque e servis ac præcipue ii, qui natione barbari erant, ad Alaricum transfugerent, hi, qui in senatu pagani erant, necesse esse dicebant, ut in Capitolio et in aliis templis sacrificaretur. Etenim Etrusci quidam a præfecto urbis ad hoc acciti, fulminibus ac tonitruis barbarum hostem sese abacturos spondebant: idque a se factum jactabant Narniæ, quæ urbs est Tusciæ; quam prætergrediens Alaricus tunc, cum Romam contenderet, haudquaquam ceperat. Verum istos nihil Urbi profuturos fuisse, ipse exitus declaravit.

cui Alaricus exitium minabatur.

35 Certe qui mente valebant, hæc Romanis ex Dei indignatione evenisse perspiciebant ob vindictam eorum, quæ luxu atque intemperantia erga cives simul ac peregrinos injuste egerant. Itaque ajunt, probum quemdam monachum ex his, qui in Italia erant, Alarico Romam properanti suasisse, ut Urbi parceret, nec tantorum malorum auctor existeret: cui Alaricus respondisse dicitur, se non sua sponte hæc aggredi; sed quemdam sibi assidue molestum esse, qui ipsum urgeat, Romamque expugnare jubeat: quod et ille tandem fecit. Porro cum Urbem obsideret, plurimis muneribus acceptis, aliquanto temporis spatio obsidionem solvit, cum Romani pacti essent, se imperatori persuasuros, ut illum in amicitiam reciperet. *Altum hic est silentium de clam permissa ab* Innocentio *idololatria, ut supra num.* 7 *observavimus, et quam Zosimi calumniam mox infra alio argumento refellemus. Ceterum Pagius in Critica Historico-chronologica tomo* 2 *a pag.* 87 *recte evincit, hanc urbis Romanæ obsidionem ad finem anni* 408 *referendam esse, ac tunc* S. Innocentium *Romæ versatum fuisse.*

legationem suscepit.

36 *Non est hic confundenda duplex legatio, quæ post primam Urbis obsidionem ad Honorium instituta est. Zosimus lib.* 5 *Historiarum pag.* 818 *de prima sic meminit:* Ceterum pace cum Alaricho nondum confirmata, quod imperator nec obsides dedisset, nec postulatis omnibus satisfecisset, ab senatu legati Ravennam mittuntur Cecilianus, Attalus, et Maximianus, qui deploratis rebus adversis, quæ Urbi accidissent, et eorum multitudine, qui periissent, tragicum in morem amplificata, nihil his rebus perfecerunt. *Deinde pagina sequente alteram indicat his verbis:* Cum enim pacem princeps differret, et pactis conventis haud satisfaceret; non amplius Romanis extra Urbem prodire liberum erat. Senatus quidem pacis causa legatos ITERUM ad principem mittit, cum quibus et Romanus Episcopus proficiscitur. *In hac re Zosimo secure credi potest, quia hic diis ejus nec seritur nec metitur, et Sozomenus lib.* 9 *cap.* 7 *etiam utramque illam legationem distinguit.*

quam aliqui non recte ex Græco idiomate interpretati sunt.

37 *At miror, viros Græce doctissimos sensum Sozomeni ita interpretatos esse, quasi scriptor ille affirmaret, legatos ab* Innocentio *ad imperatorem missos fuisse, cum tamen textus Græcus patiatur, et historia exigat, ut ipse* Innocentius *ea legatione functus fuerit. Sozomenus lib.* 9 *cap.* 7 *Græce sic scribit:* Μετὰ δὲ ταῦτα πρεσβευσαμένου Ἰνοκεντίου τῶν Ῥωμαίων ἐπισκόπου, μετακληθεὶς Ἀλάριχος γράμμασι τοῦ βασιλέως, ἧκεν εἰς Ἀρίμηνον πόλιν. *Joannes Christophorsonus hæc ita Latine reddit:* Postea cum legationem ejus nomine misisset Innocentius episcopus Romanus, revocatus imperatoris litteris Alarichus Ariminium venit. *Henricus Valesius iisdem pene verbis sic reddit:* Postea vero cum Innocentius Romanæ urbis episcopus legatos misisset, Alaricus imperatoris litteris evocatus, Ariminum venit. *Puto, utrumque eruditissimum interpretem in illa versione hallucinatum esse. Haud dubie eos deceperit verbum æquivocum* πρεσβεύομαι, *quod* legatos mitto *et* legationem obeo *significat, ut apud lexicographos passim exemplis probatur. Jacobus Gothofredus in Commentariis ad codicem Theodosianum tomo* 3 *pag.* 135 *hanc hallucinationem observavit, ubi de eodem Sozomeni textu agens sic notat:* Mox legationem ab Innocentio SUSCEPTAM memorat, ubi pessime interpres, legationem ab Innocentio MISSAM vertit. *Interpres Nicephori Callisti verosimiliter eumdem errorem viderat, quando in historia ecclesiastica lib.* 13 *cap.* 35 *occurrentia eadem fere verba Græca* Ἰνοκεντίου δὲ πρεσβευσαμένου, πεισθεὶς Ἀλλαοίχος βασιλέως γράμμασιν, εἰς Ἀρίμηνον ἧκε πόλιν; *sic melius Latine exponit:* Atque Innocentio legationem obeunte, imperatoris litteris persuasus Alarichus, ad Ariminum urbem concessit. *Denique clara est expressio Græca Zosimi quam numero præcedenti ex vulgata versione Latine exhibuimus.*

Sanctus videtur procurasse legem contra haruspices,

38 *Pagius tomo* 2 *Criticæ historico chronologicæ a pag.* 92 *multis argumentis contendit, Romam non anno* 410, *ut Baronius aliique volunt, sed* 409 *ab Alarico captam fuisse. Quidquid sit, videtur* S. Innocentius *a tempore hujus legationis usque ad secundam Romanæ urbis obsidionem Ravennæ mansisse. Forte Sanctus Pontifex ea occasione apud imperatorem conquestus est de impiis sacrificiis, quæ præfectus Romanus per haruspices Etruscos in prima urbis obsidione peragere voluerat, ut supra vidimus. Certe Honorius Ravennæ anno* 409 *contra superstitiosos mathematicos seu haruspices tulit legem, quæ in editione Gothofrediana tomo* 3 *Codicis Theodosiani pag.* 134 *sic sonat:* Mathematicos, nisi parati sint, codicibus erroris proprii sub oculis episcoporum incendio concrematis, Catholicæ religionis cultui fidem tradere, numquam ad errorem præteritum redituri, non solum urbe Roma, sed etiam omnibus civitatibus pelli decernimus: quod si non fecerint, et contra clementiæ nostræ salubre constitutum in civitatibus fuerint deprehensi, vel secreta erroris sui et professionis insinuaverint, deportationis pœnam excipiant. Dat. VIII Kal. Februarii Rav. Honor. VIII et Theod. III AA. coff.

ex quo facto calumnia Zosimi iterum refutatur.

39 *Juvat de hac re disserentem audire Jacobum Gothofredum, quantumlibet heterodoxum, qui supra memoratum Zosimi mendacium explodit, et hanc legem suasu Pontificis editam esse existimat,*

A *existimat, dum in Commentario ad illam tomo proxime citato pag,* 135 *ita scribit :* Neque dubium mihi, posteriore legatione, adversus mathematicos, ab Honorio, Ravennæ constituto, hanc ad Cæcilianum jam P. F. P. constitutionem impetratam, qua mathematici non solum urbe Roma, verum etiam omnibus civitatibus pelli jubentur, eorumque errorem atrociter perstringit : ut ita testatum faceret Honorius, quantopere factum illud, ceu a religione Christiana, vel ut lex loquitur, a Catholicæ religionis cultu alienum maxime improbaret ; quod contra neglectum pagani quiritabantur, et Christianis exprobrabant : ut proinde ex hac lege jam colligere facile possimus, Innocentio hanc maculam a Zosimo falso et per calumniam impositam. Quinimo non dubito, ipsummet Innocentium ipsum hujus legis auctorem Honorio tum Ravennæ fuisse, et ad propitiandum divinum Numen, et ad eluendam hujus facti invidiam, et ne
B quid tale porro eveniret, mathematicique secreta erroris sui et professionis deinceps insinuarent, ut hæc lex loquitur, et ad errorem præteritum redirent. Et certe refert Orosius lib. VII cap. XXXIX, Innocentium tempore mox irruptionis Gothicæ in urbem Romam, tamquam justum Loth subtractum a Sodomis, apud Ravennam positum fuisse. *Ipsa Orosii verba superius num.* 5 *dedimus.*

§ V. Reliqui labores ejus pro Ecclesia usque ad mortem.

Contra Tillemontium ostenditur.

Tillemontius tomo 10 *Monumentorum eccles. pag.* 829 *contendit, litteras* Innocentii *ad Rufum Thessalonicensem episcopum, quæ in collectione Romana Holstenii part.* I *pag.* 47 *leguntur, anno* 407 *scriptas esse. Jam sæpe laudatus Petrus Coustant, qui eamdem epistolam tomo* I *epist. Romanorum Pontificum a col.* 815 *inseruit, ibidem in notis conjecturas Tillemontii ita proponit :* Tempus quo scripta est, consulari nota indicatur. Sed hac in nota mendum esse ac pro Hono-
C rio IX et Theodosio V restituendum esse, Honorio VII et Theodosio II, clarissimus vir Tillemontius tomo 10 pag. 829 opinatur. Unde sequeretur, ut hæc epistola anno CCCCVII scripta esset. Hanc autem opinionem probare nititur ista inductione. Primo quidem statuit, ex epistolis, quas Innocentius ad Rufum scripsit, hanc primam esse, atque ab eo datam fuisse statim ut de Rufi ordinatione certior factus est : quod non negandum. Tum addit, Rufum illum, ad quem Innocentius modo scribit, non alium videri ab eo, ad quem de Naïssensibus clericis litteras jam dedisse se idem Papa epist. XVII ad Marcianum memorat. Quo pariter concesso, subdit : Atqui hanc epistolam ad Marcianum scripsit Innocentius Ravennæ constitutus, quo ab anno CCCCIV ineunte venit, et ubi mense Augusto anni CCCCX adhuc versabatur ; nec ullum est in historia vestigium, unde eum præterea in eamdem civitatem rediisse conjectemus. Ex quo consequi putat, ut neque Rufi ordinatio, neque epistola ista serius anno CCCCVIII differendæ sint.

quo tempore scripta sit epistola ad Rufum Thessalonicensem

41 *Tunc statim huic argumento negativo ita respondet ;* Sed cum nequaquam omnia scripta sint, quæ contigerunt, et qui Ravennam semel accessit, eo etiam secundo ac tertio potuerit pergere ; cumque hujus rei, ipso viro clarissimo fatente, anno CCCCXIII, quo frumentum Heraclianus Romam perferri prohibebat, causa et occasio non defuerit : minime tutum videtur certam epocham conjectura incerta mutare. Sane inusitatus valde foret is librariorum lapsus, ut cum in duorum consulum, qui eamdem dignitatem gessissent pluries, annis exprimendis peccassent, eorum tamen error in eorum consulatibus designandis sic apte sibi cohæreret, ut cum Honorii nono consulatu, quintum Theodosii, non quartum aut tertium ; ac vicissim cum quinto Theodosii nonum Honorii, non septimum aut alium quemvis componerent. *Hæc responsio nobis adeo satisfacit, ut omnino retinendam putemus consularem notam, quæ epistolæ sic distincte subscribitur :* Data XV Kalendas Julias Honorio IX et Theodosio V augustis consulibus, *id est* XVII *Junii, anno Christi* 412 *: potuit enim* Innocentius *anno* 413 *ob frumentum Romanis negatum aliquo tempore Ravennæ subsistere, et tunc, etsi epistola nullam temporis notam habeat, ad Marcianum sic scribere :* Superiori tempore, si tamen recte re- E cordor, memini me tam ad dilectionem tuam, quam ad fratres et coëpiscopos nostros Rufum et ceteros hujusmodi litteras de clericis Naïssensibus transmisisse.... Verum nunc in Ravennati urbe mihi constituto, propter Romani populi necessitates creberrimas *etc. Facile etiam poterat* S. Innocentius *inter tot tamque varia negotia dubitare, an recte recordaretur eorum omnium, ad quos anno præterito litteras dedisset. De aliis quibusdam* S. Innocentii *epistolis, circa hæc tempora datis, disceptatur, utrum uno alterove anno serius aut citius scriptæ fuerint ; sed hæc tanti momenti non sunt, ut nos hic diutius morari debeant.*

Auctore G. C.

et ex litteris Innocentii ad episcopos Macedoniæ

42 *Anno Christi* 414 *rescripsit* S. Innocentius *episcopis Macedoniæ, illosque nonnihil reprehendit, quod prima sua responsione non acquievissent: sic enim initio istius epistolæ apud Labbeum tomo* 2 *Conciliorum col.* 1272 *loquitur :* Adverti Sedi Apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus jamdudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus relationis vestræ geminata percunctatio compelilt. F *Ex istis sancti Pontificis verbis Baronius ad annum Christi* 414 *num.* 19 *sic recte concludit :* Vides ex his, quanta effulgeret in Sede Apostolica cum auctoritate majestas, ut loco injuriæ duceretur, si oporteret eamdem semel impertita iterare mandata. *Anno sequente coaluit illa diu ab* Innocentio *desiderata pax inter ecclesiam Antiochenam et Romanam, de qua ultro citroque scriptæ litteræ apud conciliorum et epistolarum Pontificiarum collectores passim occurrunt.*

ac Decentium episcopum Eugubinum aliqua notantur.

43 *Die* XIX *Martii anno* 416 Innocentius *dedit litteras ad Decentium, episcopum Eugubinum, in quarum exordio dicit, ab aliis ecclesiis circa ritus et cæremonias servandum esse* id, quod a principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, *cum ecclesiæ in Gallia, Hispania, alisque regionibus a Petro sint institutæ. Quomodo illa institutio intelligenda sit, in Actis S. Jacobi Majoris ad diem* XXV *Julii explicuimus. In eadem epistola fit mentio de fermento, quo nomine quidam Catholici panem benedictum, alii plures ipsum Eucharistiæ sacramentum intelligunt. Posteriorum opinio nobis videtur longe probabilior, cum paulo infra ipse* S. Innocentius *talem hujus rei rationem reddat :* Quia non longe portanda sunt Sacramenta.

AUCTORE G C

Sacramenta. *Hanc vero rationem in eulogia seu pane benedicto non obtinere, constat ex epistolis Augustini et Paulini Nolani, in quibus sanctos illos viros ab Italia in Africam, ac vicissim, benedictos panes sibi invicem in unitatis seu communionis mutuæ indicium misisse legimus. Quod autem tam obscuro vocabulo augustissimum Sacramentum exprimatur, oritur ex disciplina arcani, de qua post Schelstratium vide Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum tomo* I *a pag.* 130.

Ex litteris in causa Pelagii

44 *Reliquum vitæ tempus sanctus Pontifex discutiendis damnandisque Pelagii erroribus impendit, ut litteræ in hac causa ab Afris ad* Innocentium *et ab* Innocentio *vicissim ad Afros datæ satis ostendunt. Quanta autem esset Afrorum erga Romanum Pontificem reverentia, docet nos epistola concilii Milevitani, in qua ad* S. Innocentium *inter alia apud Labbeum tomo* 2 *col.* 1546 *sic scribunt :* Sed arbitramur (adjuvante misericordia Domini Dei nostri Jesu Christi, quæ te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur) auctoritati sanctitatis tuæ de claro Scripturarum
B lumine depromptæ, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros, ut de correctione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu, Domine beatissime. Quodlibet autem ipsi eligant, certe vel aliis, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua, instanter et celeriter providendum. Hæc ad Sanctitatem tuam de concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensem ecclesiam et Carthaginensis provinciæ coëpiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. *Similia habet epistola concilii Carthaginensis, et alia quinque episcoporum, quæ apud conciliorum aut epistolarum Pontificiarum collectores legi possunt.*

ultro citroque scriptis

45 *Hanc Romanæ Sedis auctoritatem confirmat* S. Innocentius, *dum apud laudatum Labbeum col.* 1287 *synodo Milevitanæ post alia sic rescribit :* Diligenter ergo et congrue Apostolici consulitis honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo ma-
C net omnium ecclesiarum) super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia : antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum notis esse servatam. Verum hæc missa facio : neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmatis, scientes quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres et coëpiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. *In eumdem fere modum concilio Carthaginensi respondet, ut ibidem col.* 1284 *invenietur.*

colligitur Romanæ Sedis auctoritas

46 *Nonnulli Pontificiæ auctoritatis invidi* S. Innocentium *accusant, quasi in extollenda Romanæ Ecclesiæ potestate modum excesserit. At audiant illi S. Augustinum, qui epist.* 186 *num.* 2 *in novissima editione tomo* 2 *col.* 506 *de* S. Innocentii *responsis ita pronuntiat :* Missæ sunt itaque de hac re ex duobus conciliis, Carthaginensi et Milevitano relationes ad Apostolicam Sedem.. Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem. *An hæc scripsisset Augustinus, si judicasset* Innocentium *indebitam suæ Sedi potestatem arrogare? An decebat Apostolicæ Sedis Antistitem ab aliis ecclesiis exigere, quod sibi non competebat? Non est igitur dubitandum, quin Hipponensis præsul etiam ea probaverit ac laudarit, quæ in responsionibus* S. Innocentii *de Romanæ Sedis prærogativa continebantur.* D

quæ ex S. Augustino,

47 *Mens sancti istius Doctoris satis patet ex iis, quæ lib.* I *contra Julianum Pelagianum cap.* 4 *in eadem editione tomo* 10 *col.* 331 *sic affert :* Puto, tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare : cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses : quid enim potuit ille Vir sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, et Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesiæ? *Audin', judicium Romanæ Sedis* sufficere debere *ad hæresim condemnandam? Præterea idem sanctus Doctor serm.* 131 *tomo* 5 *ejusdem editionis col.* 449 *cen-* E
set, post latam Ecclesiæ Romanæ de doctrina sententiam nihil superesse, quam ut hujusmodi refractarii manifestentur ac puniantur : Ubi tales inveneritis, *inquit,* occultare nolite; non sit in vobis perversa misericordia : prorsus ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos perducite : jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est : utinam aliquando finiatur error. *Hæc attente expendant nostri temporis novatores.*

et conciliis Africanis confirmatur,

48 *Quod si cavillatoribus quibusdam non sufficiat S. Augustini auctoritas, et forte etiam illis suspectum sit testimonium* S. Innocentii, *in propria causa loquentis, saltem audiant, quomodo tria Africæ concilia eamdem Romanæ Sedis prærogativam agnoscant : sic etenim apud Labbeum tomo* 6 *Conciliorum col.* 128 *universi episcopi ex tribus Africanæ provinciæ synodis anno* 649 *ad Theodorum Papam scribunt :* Magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluentes, universum largissime irrigantes orbem Christiano- F
rum, cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino et solicite debent, maxime vero justeque ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda : antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate, justa quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur, indeque sumerent ceteræ ecclesiæ, velut de natali suo fonte prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant* fidei sacramenta salutis. *Tota epistola, quam hic brevitatis causa non exscribo, attento animo legi meretur. Ex ea certe quilibet, studio partium non addictus, facile intelliget, episcopos Afros in Pontifice Romano eamdem agnovisse potestatem, quam* S. Innocentius *sibi tribuebat.*

* *forte* manen

49 *Erasmus Roterodamensis, ut supra* § I *monui,*

ac istarum litterarum sinceritas probatur.

AUCTORE G. C.

A *nui, in his* S. Innocentii *litteris majorem elegantiam et eruditionem requirit, dum interim S. Augustinus de his ipsis* Innocentii *scriptis ita loquitur* : Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem. *An forte sanctus Pontifex Erasmianum scribendi stylum adhibere debuit, ut semi-Christiano illi Aristarcho placeret? At fortasse voluit hac censura istas* S. Innocentii *epistolas de suppositione suspectas reddere. Ut ut est, plus apud nos valet grave unius sancti Augustini judicium, quem temeraria multorum ejusmodi censorum crisis, quamvis illa apud aliquos heterodoxos tanti sit ponderis, ut ob eam Robertus Cosus in Censura quorumdam scriptorum pag.* 112 *has* Innocentii *litteras in dubium revocare non vereatur. Saltem in hac re prudentior inter acatholicos fuit David Blondellus, qui in Pseudo-Isidoro pag.* 562 *de his tribus* Innocentii *epistolis sic scribit :* Licet Erasmus dictionem, ingenium, et eruditionem, tali dignam Præsule, desiderare cogatur in his epistolis, eas tamen germanas esse certissimum est. *Deinde citat antiqua monumenta, in quibus illæ memorantur, atque ita concludit :*
B Non est ergo, quod quis suspicionibus indulgeat, Erasmi judicio fretus.

§ VI. Mortis annus et dies, locus sepulturæ, ac reliquiæ.

Assignatur annus mortis,

Sanctus Pontifex non diu post Pelagianorum damnationem, ex qua tantam gloriam consecutus est, ut nulla ei accessio deinceps fieri posse videretur, anno 417 *ad Superos migravit. Panvinius et Papebrochius perperam mortem ejus anno* 416 *consignarunt, ut eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 417 *num.* 4 *evincit his verbis :* Quod autem revera hoc anno ipse Innocentius mortuus sit, adversus assertionem eorum, qui eum anno superiori defunctum volunt, istud quidem evidenter demonstrant litteræ ejus hoc anno datæ sub dictis consulibus Honorio atque Constantio ad concilium Milevitanum sexto Kalendas Februarii, quarum ante meminimus. Accedit præterea Marcellini Comitis auctoritas, qui sub hujus anni consulibus collocat Zosimum Innocentio subrogatum. Porro hunc minime
C prætergressum esse annum Innocentium, litteræ Zosimi Papæ datæ hoc anno manifeste declarant. *Norisius lib.* I *Hist. Pelag. cap.* 11 *idem tempus ita assignat* : Certe Panvini opinio evidenter refellitur ex subscriptione litterarum S. Innocentii ad synodum Milevitanam inter epistolas Augustini XCIII : datæ enim dicuntur SEXTO KAL. FEBRUARIAS HONORIO ET CONSTANTIO V. C. coss. Plane designatur præsens annus CCCCXVII, quo Honorius XI; Constantius vero alterum consulatum gessit : nam primum consul hic fuit cum Constante anno CCCCXIV; tertium vero cum Theodosio Augusto anno CCCCXX. *Henschenius noster, Pagius, aliique passim circa hunc Innocentianæ mortis annum Baronio adhærent.*

et diversæ

51 *At non tam facile ei consentiunt circa mortis diem, quem Baronius in Annalibus loco proxime citato sic determinat :* Hoc igitur anno, *inquit*, quinto Kalendas Augusti idem Innocentius Papa diem obiit, cum sedisset annos quindecim, mensem unum, et dies decem : ea enim die finem imposuisse præsenti vitæ, non solum liber de Romanis Pontificibus tradit, sed et Romanum Martyrologium fidem facit, dum eadem ipsa die celebrat ipsius ad Deum transitum. *Petrus Coustant tomo* I *epist. Rom. Pont. col.* 737 *hanc opinionem impugnat, de* S. Innocentio *ita scribens :* Singularem autem gloriam adeptus est constanti Johannis Chrysostomi defensione. Hanc deinde Antiochenæ aliarumque Orientalium ecclesiarum reconciliatione et pace non mediocriter auxit, ac postremo solemni Pelagianorum damnatione cumulavit : quod eum anno CCCCXVII, Januario exeunte, præstitisse cum litterarum ipsius auctoritate constet, cumque Zozimum ante mensem Aprilem ejusdem anni CCCCXVII Romanam ecclesiam administrasse ex hujus Papæ litteris non minus indubitatum sit, restat, ut Innocentii mors anno CCCCXVII consignanda sit, et eo quidem intervallo, quod Januarium inter et Aprilem mensem interjicitur. Neque igitur hæc vel cum Julii XXVIII die, ut Baronius priscos Pontificales libros secutus existimavit, vel cum die XXI Decembris, ut Bollando *(id est Papebrochio)* ex nonnullorum Martyrologiorum fide placuit, componi potest..... Sed nihil adversus Baronii ac Bollandi opiniones desiderari evidentius E
aut certius potest testimonio Paschasini Lilibæi in Sicilia episcopi, qui quidem ad Leonem Papam epistola III scribens, Zozimum anno CCCCXVII, dum Pascha celebraretur, Romanæ ecclesiæ pontificatum, gessisse diserte docet.

scriptorum sententiæ

52 *Hoc Paschasini Lilibæi testimonium, quod Norisius in Historia Pelagiana lib.* I *cap.* II *exhibet, recte contra Bollandum seu potius Papebrochium urgeretur, si ille cum Baronio annum* 417 *Innocentianæ morti assignasset. Sed Papebrochius in Conatu chronico-historico ad catalogum Pontificum cum Panvinio mortem* S. Innocentii *anno* 416 *alligat; et quidem existimat, eum die* XXI *Decembris isto anno obiisse, quia illo die in nonnullis antiquis Martyrologiis Romæ quidam* S. Innocentius *annuntiatur, ut* § I *hujus sylloges vidimus. Nihil igitur hoc argumentum facit contra opinionem Papebrochii, qui Zosimum anno* 417 *ante Pascha* S. Innocentio *successisse admittit. Magis ipsum premunt epistolæ Innocentianæ, quæ in causa Pelagii ad Afros anno* 417 *ineunte datæ dicuntur. At Papebrochius putat, ex illis nihil certi pro chronologia statui posse, cum istarum litterarum subscriptiones in quibusdam exemplaribus mutatæ ac corruptæ legantur. Quod si dicas, in ejus systemate non inveniri quinde-* F
cim Pontificatus Innocentiani annos; respondebit, eos numero rotundo ita computari, quia parum deerat, vel in quibusdam Prosperi chronicis tantummodo quatuordecim numerari, ut supra num. 16 *diximus. Hinc concludo, conjecturam Papebrochii non tantopere a Tillemontio contemnendam fuisse, etsi Henschenii nostri aliorumque sententiam multo probabiliorem censeam.*

referuntur de die obitus.

53 *Pagius in Critica ad annum Christi* 417 *num.* 5 *determinatum diem Innocentianæ morti sic assignat :* Innocentium vero die XII Martii vita functum, deducitur ex Martyrologiis, Romano a Rosweido publicato, omnium quæ ad nos pervenere vetustissimo, Hieronymiano a Florentinio e tenebris eruto, alio vetusto sancto Hieronymo attributo, quod legitur tomo IV Spicilegii Dacheriani, alio antiquissimo edito ab Holstenio cum Actis sanctarum martyrum Felicitatis et Perpetuæ, ex Martyrologio Adonis, Notkeri, Bedæ, non quidem genuino, sed vulgato, ex appendice Adonis,

auctore G. C.

nis, ex manuscriptis antiquis apud Galesinium, et Martyrologio Ms. reginæ Sueciæ, aliisque pluribus Mss. a Bollando ad diem XII Martii in Vita SS Innocentii et Rasi episcoporum recitatis. Quare Anastasius, qui dicit, Innocentium sepultum esse ad URSUM PILEATUM V KALEND. AUGUSTI, intelligendus est de aliqua ejus translatione. Auctor Martyrologii Hieronymianis, qui depositionis ejus meminit ad diem XII Martii et ad diem XXI Decembris, tam diem ejus emortualem, quam diem alicujus alterius translationis memorat. *Recte ratiocinaretur Pagius, si certo constaret, in Martyrologiis Hieronymianis* S. Innocentium *Papam memorari. At quid si* XII *Martii et* XXI *Decembris de alio quodam* S. Innocentio *in illis agatur? Quid si* Innocentius *noster antiquissimis Martyrologiis Hieronymianis nusquam sit insertus? Quid si primus nomen Sancti et diem* XII *Martii signaverit auctor Martyrologii Rosweydiani, quod Pagius perperam vocat vetustissimum omnium, quæ ad nos pervenere? Non tamen difficulter admittam,* S. Innocentium *nostrum ineunte Martio aut forte die* XII *istius mensis obiisse, cum hæc antiquo Henschenii nostri catalogo non repugnent, ut supra num.* 18 *ostendimus. Tantummodo contendo, hanc obitus diem non esse tam certam, quam Pagius Norisiusque putarint.*

quæ non usque adeo certa est.

54 *Certe conjectura mea de alio quodam* S. Innocentio *non omnino improbabilis videri debet, eum Claudius Castellanus Papebrochio nostro indicaverit, exstare Parisiis nobilem Brancatiorum domum, vulgo* l'hostel de Brancas, *in cujus sacello habetur corpus sanctum, Cardinalis Brancatii munere Roma missum, una cum marmore sepulcrali, cui inscriptum* S. INNOCENTII EPISCOPI, *et cum duodecim lampadibus figlinis, quibus nunc circumdatur, repertum in sepulcro. Sic autem* S. Innocentius *iste Parisiis honoratur, ut ejus cultus ad nullum certum anni diem sit adstrictus. Videtur iste sanctus a* S. Innocentio *Pontifice Romano diversus, quia non est verosimile, Romanos tam facile permissuros, ut in aliam regionem transferretur corpus sancti sui Pontificis, cujus sepulturam Romæ noverant, et quod sese hactenus possidere existimant, sicut ex sequentibus patebit.*

Proponitur Aringhi opinio

55 *Anastasius Bibliothecarius post elogium* S. Innocentii *Pontificis in fine de ipso asserit, quod sepultus sit ad Ursum pileatum. De hoc sepulturæ loco Aringhus tomo* I *Romæ subterraneæ lib.* 2 *cap.* 19 *ita disserit :* Ex quibus omnibus manifestæ quidem apparet, cœmeterium via quondam Portuensi ad Ursum pileatum exstitisse, longe tamen diversum ab altero ejusdem nominis, quod in Exquiliis ad sanctæ Bibianæ ecclesiam exstabat. Hic interim vero lector admonendus est, quod ubi apud Bibliothecarium de Anastasio primo legitur : QUI VERO SEPULTUS EST IN CŒMETERIO SUO AD URSUM PILEATUM ; et de Innocentio primo : QUI ETIAM SEPULTUS EST AD URSUM PILEATUM ; id neutiquam die de cœmeterio in Exquiliis, sed Portuensi via sito procul dubio intelligendum est : in pervetusto enim quodam Ms. codice bibliothecæ Vaticanæ, olim monasterii Cavensis, indiculus locorum habetur, ubi summi quondam Pontifices conditi sunt, atque hi duo quidem in memorato viæ Portuensis cœmeterio ad Ursum pileatum una simul depositi leguntur. Hæ autem expressæ sunt ibidem notæ :

AD VRSV PILEATV PORTV
ANASTASIVS
INNOCENTIVS

de antiquo Innocentianæ sepulturæ loco,

56 *Deinde post sancti Anastasii Pontificis translationem, a Paschale primo Papa factam, sic prosequitur :* Id ipsum plane de S. Innocentii Papæ corpore affirmandum nobis est, quod a Sergio secundo (ut idem Bibliothecarius testatur) in Equitii titulum translatum fuit, et una cum ipso postmodum (ut in inscripto ibidem lapide legitur) ejusdem S. Anastasii corpus repositum est, ut quæ in eodem simul cœmeterio via Portuensi jacuerant, hic pariter ambo contumulata quiescerent. *Argumentum, quod Aringhus postea profert ex testimonio Wilhelmi Malmesburiensis lib.* 4 *de gestis Anglorum cap.* 2, *parum urget, cum in nostra editione non legatur* Candida et Innocentius, *ut citat Aringhus, sed* Candida et Innocentia, *quæ sexus feminei martyres esse videntur.*

et refertur, ubi hodiedum quiescat sacrum corpus,

57 *Quidquid si de priori sepulturæ loco, Antonius Philippinus Carmelita in libello Italico de ecclesia sanctorum Silvestri et Martini in montibus pag.* 77 *exhibet verba ibidem lapidi insculpta, quæ sic sonant :* Temporibus Domini Sergii Junioris Papæ recondita sunt in hoc sacro altari corpora beati Silvestri et Martini Pontificum..... Item corpora Sisinii, Anastasii, et Innocentii pontificum *etc. Eminentissimus Baronius in Annalibus ad annum Christi* 847 *num.* 4 *eamdem ferme inscriptionem profert, quam paulo supra* eo ipso tempore *(nempe Sergii II Pontificis) scriptam esse arbitratur. Non negamus, hanc inscriptionem utcumque veterem esse ; at non facile credemus, hos characteres tempore Sergii II Papæ isti marmoreæ tabulæ insculptos fuisse : nam Schelstratius aliique viri eruditi, qui eam curiose examinaverant, Roma Papebrochio responderunt, illam inscriptionem trecentis annis antiquiorem non videri. Imo Janningus noster, etiam characteres imitatus, eamdem tabulam Romæ descripsit, quam Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum in catalogos Pontificum pag.* 68 *cum abbreviationibus et litterarum forma exhibuit, quantum per typum fieri potuit. Sed sive hæc inscriptio antiquior sive recentior sit, putamus, illic corpus* S. Innocentii *hactenus quiescere, quamvis nonnulla sacra ossa aliis communicata fuerint, ut jam videbitur.*

cujus tamen aliquæ partes alio translatæ sunt.

58 *Præter sacras* S. Innocentii *exuvias, quas Masinus in sua Bononia perlustrata hodie assignat, didici ex Vita S. Godehardi, episcopi Hildesheimensis, quam in opere nostro ad diem* IV *Maii illustravimus, aliqua ejusdem sancti Pontificis ossa olim in Saxoniam delata fuisse : nam tomo* I *istius mensis pag.* 508 *ita legitur :* Quidam dux Saxonicus, Ludolphus nomine, cum sua conjuge Oda cum consilio ac licentia S. Altfridi, quarti nostræ ecclesiæ episcopi, Romam petiit, et a beato Sergio Papa reliquias sanctorum præsulum Anastasii et Innocentii impetratas detulit : in quorum honore monasterium et cœnobium virginum primo in Brunesteshusen, deinde quarto post anno in Gandesheim construxit. *Hic agi de reliquiis* S. Innocentii *nostri liquet ex Alberico, Trium fontium monacho, qui in chronico editionis Leibnitianæ ad annum Christi* 859 *pag.* 189 *ita diserte scribit :* Hoc tempore Leuthulphus dux Saxonum, pater Brunonis et Ottonis ducum, avus Henrici rogis primi Romanorum, corpus Innocentii primi Papæ a Roma in Saxoniam transtulit. *Per* corpus *hic more satis usitato intellige corporis partem, ut clare indicat Roswitha, antiqua Saxoniæ poetria, qua in carmine de fundatione cœnobii Gandersheimensis apud Leibnitium tomo* 2 *scriptorum Brunwicensium pag.* 322 *Sergium Pontificem*

ita

ita duci Saxoniæ respondentem inducit :

Hic duo rectores fuerant aliquando potentes
Præsul Anastasius sedis sanctissimus hujus,
Et coapostolicus sacer Innocentius ejus,
Qui post pastorem Petrum, Paulumque magistrum
Ecclesiæ meritis celebres fulsere supremis;
Quorum tam magna servantur corpora cura
Hactenus a cunctis hujus rectoribus urbis,
Ut nec particulam quisquam subtraxerit umquam,
Pleno membrorum numero remanente sacrorum.
Sed quia jure piis concedete debeo votis,
Amborum vobis donabo pignora gratis,
Corporibus sacris ABCISA patenter ab ipsis.

Plura chronica Germanica de eadem reliquiarum translatione meminerunt. Atque hæc sunt, quæ de isto sanctissimo Pontifice colligere potui.

AUCTORE G. C.

DE S. AUSPICIO EP. CONF.

TULLI LEUCORUM IN BELGICA PRIMA

Sylloge de cultu et ætate

J. B S.

Circa an. CDLXXVIII

Hic ut a synon. Trevirensi distinctus

Sublimide a nobis datus est ad VIII *Julii synonymus Sanctus, quem Martyrologio Romano adjecit Baronius cum titulo* episcopi Trevirensis, *de quo diximus non nisi incerta et dubia occurrere, quæ istic deducta videri possunt. Illud ibi nos torsit potissimum, quod* Auspicius *unus in duos videatur distractus, quem* Auspicianum, *nescio an satis recte, appellat Castellanus dicta die* VIII *Julii in Martyrologio suo universali, per appositam notulam diserte exprimens,* non Trevirensem episcopum fuisse S. Auspicium, sed Tullensem, *ac proinde non ad seculum secundum seu persecutionum tempora, sed a seculum* V *spectasse, quod facile eruitur ex eo quod celeberrimis sanctis episcopis Appollinari Sidonio et Lupo Trecensi certissime synchronus fuerit. Et hæc quidem Cestellani sententia, quæ an satis certa sit, confundendique adeo in unum præfati Avspicii, non est unde satis tuto definias. Minus etiam placet quod nostrum hunc a prætenso Tullensi alio diversum fecerit Baronius, de qua re infra conveniendus. Locum dedi Trevirensi cum Martyrologio Romano jam dicto die* VIII *hujus mensis, modo dispiciendum restat, utrum vero huic* Auspicio *Tullensi locus hic inter Sanctos competat.*

antiquioribus Fastis incognitus est;

2 *Fatendum imprimis, nomen ejus inter Sanctos consignatum non fuisse in ullis antiquis Martyrologiis, saltem quæ ad manus nostras pervenerint. Primus esse videtur Saussayus, qui ipsum æque ac Trevirensem eodem ipso die* VIII *Julii retulerit, hujusmodi ornatum elogio :* Eodem die Tulli Leucorum, sancti alterius Auspicii episcopi itidem et confessoris, qui sanctissimo Lupo Trecensi coævus, etiam doctrinæ ac religionis gratia suppar enituit, adeo ut communi elogio (sicut Sidonius Apollinaris auctor est) patris ac protomystæ Galliarum titulo insigni prædicaretur. Quem et divina eloquentia etiamnum in egregia illa epistola patens quam scripsit ad Arbogastem comitem Trevirensem, oraculum pietatis : opera vero virtutum magistrum, Christique verum imitatorem indicarunt, merita æternum glorificarunt, quibus radiavit sepultus in æde sancti Mansueti suburbana. *Iterum vero inventionis ac depositionis ejus cum aliis Sanctis episcopis meminit die* II *Augusti hic verbis :* Tulli Leucorum, inventio et repositio SS. episcoporum Alchæ, Celsini, Auspicii et Ursi; *quæ non nisi ex tabulis Tullensibus haurire potuit; unde id saltem probabilissime accipimus, cultu aliquo ecclesiastico olim donatum fuisse* S. Auspicium; *et merito, cum ex Sidonii verbis inferius referendis, de ejus eximiis virtutibus ac sanctitate satis et abunde constare videatur.*

cultum tamen habet

3 *Et certe in duobus catalogis episcoporum Tullensium quos Mss. habemus,* Auspicio *Sancti titulus præfigitur, non item in alio quem edidit Martene, quemque vocat* Acta Tullensium episcoporum, *in Thesauro novo anecdotorum tomo* 3 *a pag.* 989, *ubi nihilominus hoc ornatur brevi sed insigni elogio :* Quo *(nempe Celsino)* vitæ hujus excessu facto cum Deo, Auspicius in prædicta sede exstitit ordinatus; vir bonitate præclarus, circa suos solicita circumspectione, dum vixit perspicax. Quocirca sempiternam a Christo remunerationem meruit, et consortium supernorum civium cum electis pastoribus est adeptus. *Atque hæc ferme sunt ex quibus sua desumpsere posteriorum catalogorum compilatores, hæc inde de* S. Auspicio *notantes;* S. Auspicius, quintus hujus sedis episcopus, vir bonitate præclarus, circa suos solicita circumspectione, dum vixit perspicax, quocirca sempiternam a Christo remunerationem meruit, et consortium supernorum civium cum electis pastoribus est adeptus, sepultus in suburbio in ecclesia B. Mansueti. *Hæc de Sancto prædicari satis perspicuum est; id sane non diffiteberis, tanto propinquius ad Sanctorum honores accedere* Auspicium *nostrum, quanto proprius ad synonymum Trevirensem reducendum censueris.*

in tabulis Tullensibus.

4 *De episcopis Tullensibus optime meritus videtur vir ampl. Franciscus Riguet, ad S. Deodati in Vosago præpositus, in gallico Systemate chronologico eorumdem, quod ad nos manuscriptum transmitti curavit, ubi et ipse* Auspicium *Sancti appellatione honorat, tametsi Catalogum alium refutet, in quo scriptum reperit, confusum fuisse* Auspicium *cum* Aspasio, *de quo nimirum in S. Deodati ecclesia celebraretur officium ;* cum tamen certum sit, *inquit,* nec unum nec alium ibi notum, nedum ulla festivitate recoli. *Quid quod ibidem rotunde neget Riguetius, in Tullensis ecclesiæ antiquioribus Breviariis aut Kalendariis ullam umquam* Auspicii *solennem exstitisse memoriam ante editionem Breviarii anno* 1628 *pro ea ecclesia procuratam, ubi ipsi hoc die aptata est lectio in eaque tria potissimum, quæ teste eodem Riguetio, vera sunt, memorantur : nempe quod ecclesiam Tullensem quintus ordine rexerit, quod sepultus sit in cœnobio S. Mansueti, quodque S. Apollinari Sidonio per litteras familiaris fuerit. Ex ejus fide hæc referimus, cum lectionem ipsam non descripserit, neque vero nobis ad manum sint nec facile esse*

AUCTORE J. B. S.

esse possint ecclesiarum omnium Gallicanarum tam frequentia et toties mutata hactenus Breviaria. Hæc de qualicumque cultu ; reliquum est ut paucula alia quæ ad S. Auspicium *spectant, breviter expediamus.*

non recte a Baronio distinctus

5 *Ubi de S. Auspicio Trevirensi, prænotata jam non semel* VIII *die Julii, agendum fuit, ad Baronii notationem observatum est, multa paucis in ejus contextu confusius asseri, quæ longiori discussione opus haberent, ea vero cum ejus loci propria non essent, huc differenda fuerunt. Baronii verba examini obnoxia, iterum repetenda sunt et lectoris oculis subjicienda* : Fuit alius ejusdem nominis *(Auspicii)* Tullensis episcopus, ordine quintus, sanctitate et doctrina conspicuus, cujus exstat insignis epistola metro scripta ad Arbogastum comitem : vixitque temporibus Theodosii imperatoris. Diversus ab his omnibus habendus est ille Auspicius ad quem scribit Sidonius Apollinaris epist. 11, lib. 7 *Hactenus ipsa Baronii verba, quæ si vera essent, inde consequens fieret, non jam unum sed binos omnino* Auspicii *nomine insignitos ipsi eidem Tullensi ecclesiæ præfuisse, alterum nempe seculo quarto ad usque Valentiniani*
B *et Theodosii tempora, alterum vero seculo quinto cui æqualis ætate fuerit S Apollinaris Sidonius, quod ante virum Eminentissimum scripsit nemo, ut ante me observavit Riguetius, nec post ipsum, saltem quod sciam, asserere quisquam ausus est.*

ab altero,

6 *Baronium fefellit, opinor, æquivocatio nominis, quod Arbogastum comitem compellari intelligens, ad eum* S. Auspicii *metricam epistolam retulerit, quem in historia sub Valentiniano et Theodosio famosiorem noverat, cuique adeo* Auspicium *Tullensem episcopum scripsisse arbitratus sit; ubi tamen ex ipsa epistola, quam Baronium non legisse perspicuum est, aperte evincitur, non ad seniorem illum Arbogastum, in idololatria proprio demum ense manuque confessum, sed ad juniorem alium Arbogastum ipsam dirigi, qui non solum a peritia tractandorum armorum, sed et a virtutibus vere Christianis mirifice ibi extollitur. En ipsa epistolæ verba apud Chesnium tomo* I, *pag.* 864 *:*

De magno origo semine descendit tui nominis;
Certe virtutis ejus est ut Arbogastis legitur.
Scribantur in annalibus hujus triumphi pariter,
C Sicut et ejus scripti sunt, quem supra memoravimus.
Sed hoc addamus meritum huic, qui vere major est,
Quod Christi nomen invocat religioni deditus.
Fuit in armis alacer ille antiquus, verum est;
Sed infidelis moritur, et morte cuncta perdidit.
Hic autem noster strenuus, belligerosus, inclytus,
Et quod his cunctis majus est, cultor divini nominis.

quem ad Theodosii tempora perperam revocat.

7 *Quid clarius, quid manifestius, quam Arbogastum, seu Arbogastem comitem hic indicari vere Christianum et pium, quem et filium duobus locis nomina* S. Auspicius, *atque ut talem ad veræ justitiæ exercitationes paterne instituit, quæ certe officia longissime aberant ab illo quem modo* D *depinximus. Neque ad Theodosii ætatem spectare posse hunc Tullensem episcopum, ex eo patentissime evincitur, quod ipsi inscribatur S. Apollinaris Sidonii ep.* 17 *lib.* 4, *quodque* S. Auspicius *ipse* Jamblychum Papam Trevirensem *Arbogasto suo honorandum diligendumque commendet, eum utique qui seculo quinto floruit, ut tradunt episcoporum Trevirensium Catalogi ; quibus argumentis Baronius ad receptissimam opinionem reducendus est, unicum scilicet fuisse* S. Auspicium *nostrum Tullensem episcopum, ad cujus determinatam ætatem definiendam frustra hactenus laboravimus, neque vero laborandum videmus, quandoquidem nec vitæ principium, nec ejusdem decursum, nec tempus adeptæ sedis episcopalis, nec regiminis durationem, nec obitus annum usquam expressa invenire hactenus licuerit, id etiam ingenue non uno loco fatente laudato a me supra Francisco Riguetio Adeodatensi præposito.*

ut ex S. Sidonii literis perspicuum est.

8 *Celeberrimo S. Lupo Trecensium episcopo synchronum fuisse, ejusdem circiter ætatis, id vero etiam docet Sidonius Claromontanus episcopus in supradicta ad Arbogastum epistola, ubi quæ fusius* E *describit, non ætatem dumtaxat* S. Auspicii *sed vel maxime* sublimium meritorum dotes *explicant, quas non neglexit Saussayus. En ipsa S. Sidonii verba :* De paginis sane quod spiritalibus vis ut aliquid interpres improbus garriam, justius hæc postulantur a Sacerdotibus loco propinquis, ætate grandævis, fide claris, opere vulgatis, ore promptis, memoria tenacibus, omni denique meritorum sublimium dote potioribus. Namque ut antistitem civitatis vestræ relinquam, consummatissimum virum, cunctarumque virtutum conscientia et fama juxta beatum, multo opportunius de quibuscumque quæstionibus tibi interrogabuntur inclyti Galliarum patres et protomystæ, nec satis positus in longinquo Lupus, nec parum in proximo Auspicius, quorum doctrinæ abundanti eventilandæ nec consultatio tua sufficit.

S. Lupo Treceni ætate par fuit.

9 *Grandævus igitur erat, dum hæc scriberentur,* S. Auspicius *æque ac S. Lupus; datas autem præcipua a S. Sidonii epistolas inter annos circiter* 472 *et* 484 *communis opinio est, ut si intra eos terminos scripta fuerit ea, quam modo ex parte recitavimus, plane liqueat, annum* 484, *forte nec* F 482 *superasse Sanctum nostrum, quidquid Cointius insinuet, eum anno* 486 *superstitem esse potuisse, cui assentiri non audet Riguetius. Tuto asserere posse videmur, S. Lupo non diu, imo verosimilius non supervixisse, hic vero cum obierit anno* 478 *aut* 479, *habes quod de* S. Auspicii *vitæ termino in hac rerum ambiguitate utcumque statuas, et consequenter de anno natali, quem ad seculi istius principium non incongrue revocaveris. Atque hic sistendum est, cum de rebus ceteris toto regiminis ipsius tempore gestis, de virtutibus, meritis aut miraculis nihil memoriæ proditum reperimus, neque fontem ullum, unde ea hauriri rentur, assignare nobis potuerit, in hac parte haud sane indiligens laudatus Riguetius.*

DE

A D

DE SANCTIS ABBATIBUS CONFESSORIBUS

URSO ET LEOBATIO

IN AGRO TURONENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

Cultus utriusque, ætas, professio.

Circa an. DX. In vetustis Martyrolog. ignoti,

De *Sanctis hisce, sive divisim sive conjunctim positis, nullam in antiquioribus, quæ vocamus, sive classicis seculi* IX *Martyrologiis, in Usuardo recensitis, neque in Notkero ullam fieri memoriam, ipsa inspicienti ad oculum patet: porro* S. Ursum *diu ante* S. Leobatium, *seu* Leubatium *(Gall.* Libesse *vel* Loubace) *in Usuardis auctioribus satis antiquis signatum olim fuisse, ex nostra editione perspicuum est; ubi in quinque codicibus recte appellatur* Ursus, *sub eadem positione* Lucas, *seu* Luchas, *seu* Lochas castro, *qua brevitate etiam utitur Florarium; at pro* Ursi, *in Belinum irrepsit nomen* Ursini. *Neque alium signavit Galesinius, dum ita annuntiat:* Hoc ipso die, S. Ursi confessoris, qui admirandæ abstinentiæ et aliarum virtutum laude celebratur, multis exstructis monasteriis, sæpe divinitus datis sanctitatis suæ significationibus, abiit ad Dominum. *Atque hæc quidem recte et ad mentem S. Gregorii Turon. lib. de Vitis Patrum cap.* 18, *ubi tametsi utrumque nominet, at certe solius* S. Ursi *gesta prosequitur, ut de* Leobatio, *istic obiter memorato, loquendum non censuerit laudatus Galesinius. Sancti ipsius nomen luxavit Maurolycus, dum ita scripsit:* Castroluca, S. Urbi confessoris.

in variis auctoriis Usuardinis,

2 *Monasticis, Wioni, Dorganio, Menardo etc. debetur utriusque annuntiatio, quam primus non satis recte concepit, his verbis:* Item S. Leobatii abbatis Senapariæ in Turonicis, S. Ursi consodalis, sui per omnia imitatoris; *ubi æqualitatem utriusque videtur innuere. Melius ipsos distinxit et sejunxit Dorganius, hoc modo:* S. Ursi abbatis, multorum cœnobiorum patris, abstinentiæ admirandæ et aliarum virtutum laude celebris. *Tum:* S. Leobatii abbatis. *At rursum socios prædicat Menardus:* In agro Turonensi, SS. confessorum Ursi et Leobatii sociorum. *Bucelinum proxime conveniam, ubi ex tom.* I, *Actorum Ordinis S. Benedicti, (ubi ambo, non ut sacri istius Ordinis alumni, sed ut alterius instituti in indice dumtaxat prætermissorum memorantur) et personarum et locorum distinctiorem notitiam præmisero. Ita ibi legitur:* Leobatius et Ursus abbates, hic monasterii Lochiensis, vulgo Loches, super Agnerim seu Indram fluvium; ille Senapariæ, diœcesis Turonensis, coluntur in Martyrologio Benedictino die XXVIII Julii, et a Gregorio Turonen. de Vitis PP. cap. 18 celebrantur. Cœnobium Senapariæ incognitum modo est, Lochiense vero in prioratum reductum est, Bellilocensi abbatiæ subjectum, vulgo Beaulieu, diœcesis itidem Turonensis, qua in abbatia iidem Sancti coluntur.

in monasticis

3 *Ut cetera quæ ad cultum spectant eadem, ut ita dicam, via decurram, id me miratum fateor, cur solus Castellanus contra Martyrologos reliquos, quos noverim, omnes,* S. Ursum *quidem hoc die consignet, at* S. Leobatium *(quem* Leupatium *et* Leopatium *vocat, Gall.* Lubais) XXV *Januarii; et in Martyrologio universali, et in Vocabulario hagiologico expresse notans,* Senapariæ ad fluvium Agnerim, *hodie parœcialem ecclesiam, tumulatum esse, proindeque ibidem coli, quem tam diserte testatur Mabillonius eodem, quo* S Ursum *loco, nempe in cœnobio Bellilocensi celebrari; non exclusive tamen, opinor, ut et Senapariæ solennitas ejus haberi possit, quocumque demum die, de qua re hic disceptare non lubet: colatur utrobique* S. Leobatius, *colatur etiam alibi, id mihi sane sus deque est. Quæ ad* XVIII *Julii et hoc die miscuit Ferrarius, non cohærent, neque adeo hic observari merentur. Aliud occurrit, quod nuperus Legendista Gallus, utrumque memorari velit a Saussayo dicta* XVIII *Julii in Supplemento; quod negari quidem nequit, cum ex aberrante Ferrario ibi sic repetatur:* In territorio Turonensi, SS. confessorum Ursi et Leuberii abbatum Locensium, quorum præclaras actiones, inter Vitas Patrum Gregorius Turonensis scripsit.

aliisque referuntur.

4 *At enim naturalis ordo poscebat ut criticus ille prius diem ipsum inspiceret, quo Sancti ambo a plerisque omnibus referuntur, nempe hoc* XXVIII *Julii, ubi eos Saussayus disertissime annuntiat his verbis:* Item S. Ursi conf. qui diuirandæ abstinentiæ [et] aliarum virtutum a S. Gregorio Turonensi laude celebratus, multisque exstructis monasteriis in Celtica Gallia, fœnoribus gratiæ plenus abiit ad Dominum. Eodem die, S. Leobatii, ejusdem S. Ursi socii confessoris. *Atque hæc quidem quæ hactenus dicta sunt, de utriusque legitimo cultu nullum prorsus dubium relinquunt, ut locus hic etiam dari possit Bucelini elogio cujus principium describo:* Apud Luchas castrum, S. Ursi abbatis et confessoris. *Cetera ex Gregorio ferme desumpta sunt.* In Gallia item B. Leobatii abbatis, lectissimi discipuli divi Ursi memorati, et per omnia strenui imitatoris, qui ob insignia vitæ merita, ab eodem sanctissimo magistro suo, recens condito Senapariæ cœnobio præfectus, illud admiranda vitæ sanctitate stabilivit et quasi consecravit *etc. Sequitur ut de ætate et professione nonnulla subjiciam, quæ una eademque quæstione involuta, eadem item opera discuti possunt.*

Eius perpetuam extenditur ad an. 560.

5 *Ex dictis num.* 2 *satis liquet, non agnovisse Mabillonium Sanctos istos ut Benedictinos, tametsi Trithemius ac citati jam alii monastici inter viros suos illustres eos commemoraverint, vitam eorum quasi studiose ad ea tempora protrahentes, quibus in Franciam advenisse S. Benedicti discipulos tuto asseri posset, ut adeo eorum obitum referant ad annum* 560 *et ultra, imo tunc claruisse comminiscantur, quidquid Gregorius*

AUCTORE J. B. S.

Gregorius Turon. eam ætatem aperte excludat, dum Alarici temporibus vixisse eos et consenuisse clarissime innuit, ut principi isti vix aut saltem parum supervixisse censeri queant, unde communior hodie opinio anno circiter 500, saltem ut summum 510 eorum obitum affigit (quamquam Cointius ad annum 508 nescio quam exceptionem adstruere velle videatur) idque sane ex Turonensis narratione palpabiliter eruitur, qui non de Sanctis sibi notis aut æqualibus, sed de pridem mortuis loquitur: florebat autem anno 560 S. Gregorius ad annum usque 594 superstes, ut prorsus non intelligam quo verisimili argumento Trithemius tradere potuerit, SS. Ursum et Leobatium claruisse anno Domini DLX, nisi ea ratione ductus, quod Ordini suo ambos perperam vindicare voluerit.

neque recte Benedi tinis adscribuntur,

6 Ceterum utcumque ea se habeant, tolerabilia videntur; at vero quæ pseudo-Maximus apud Tamayum somniavit, inepta, insulsa et absurda sunt. Audiamus comptulam hoc die annuntiationem: Luco-Asturum in Hispania, S. Ursi abbatis, qui apud nostrates coacervatis insignium virtutum B cumulis, et mirificis operationum manipulis, Gallias adivit, et S. Leobatii comes effectus, multis exstructis et erectis monasteriis, terminum vitæ confessor inclytus adimplevit. Textus hujusmodi imperitam compaginem notis æque rediculis expolivit archinugivendulus, Saussayi amici sui, uti profitetur, quodammodo misertus, quod S. M. Maximi Cæsaraugustani chronicon non legisset, in quo ipse nimirum ad annum 568 num. 11 hæc miranda repererat: In Hispania, ad Lucum Asturum, S. Ursus, primus ibi Benedictinus monachus, socius fuit sancti Leubatii abbatis. Quot verba tot merissimæ gerræ sunt, quas eo solum titulo hic recensere visum est, ut pateat intolerabilis Tamayi audacia, qui hujusmodi fuligine vel ipsum S. Gregorii Turonensis textum inficere ausus est, sic exordium corrumpere agressus:

multo minus ut finxit Tamayus.

7 Ursus Cadurcinæ urbis incola fuit, ab ineunte ætate religiosus et in Dei amore devotus. De quo egressus loco, Hispaniam adivit, et apud Lucum Asturum, ubi Benedictinum cœnobium erat constructum, primus ibi Benedictinus monachus fuit, et ibidem in aliorum fratrum sanctissimorum congre- C gatione nutritus, ad religiosæ vitæ et regularis instituti specimina devenit. Post Bituricum... Quid quod et Alarico non minus confidenter Amalaricum substituat. Tum vero S. Ursum ad Dominum migrasse mentiatur circa annum Domini DLXXX. Demum ne parum impudens videri possit, Gregorii textum erroris arguit, pro mero suo arbitrio fingens refingensque omnia; quia, inquit, tempore Alarici nondum congregatio Benedictinorum fratrum instituta erat, et ideo nequaquam Ursus potuit illo seculo Benedictinum monachum agere nec in Gallia nec in Hispania. Neque vero egit umquam; ut proinde Maximiana illa commenta Turonensis Gregorii auctoritate profliganda fuerint, non vero ex hujusmodi quisquiliis venerandus textus turpiter convellendus. Eum modo integrum accipe, iis solis præmissis quæ in eo observanda sunt.

Elogium ex Surio, coll. cum edit. Ruinartii

8 Atque illud imprimis, quod prædictus textus ex Surio hic a nobis desumptus sit, sic tamen ut cum novissima Ruinartii editione ipsum contulerimus, atque ex hac nonnulla restituta fuerint, quæ correctione opus habere videbantur; paucu-lis momenti perexigui intactis, tametsi ipsa aliter legerit Ruinartius, cujus annotata contraximus, ea sola delibantes, quæ ad necessariam explicationem conducere videbantur. Id vero notandum D præcipue quod de S. Ursi tumulo penultima annotatione testatur in hæc verba: Visitur etiamnum in ecclesia Locciensi superius memorata, juxta majus altare. B. vero Ursi reliquias elevavit aliquot adhinc annis Illustriss. Victor Buticularius, Turonum antistes. Quæro an non transtulerit in ecclesiam cœnobii Bellilocensis? qua in abbatia tam diserte asserit Mabillonius, eosdem Sanctos coli; nempe S. Leobatium æque ac S. Ursum, ut ferme innuere videatur, sacras utriusque reliquias eo loci hoc tempore depositas. Verum de his statuere, mihi promptum non est, nisi aliunde edocear. En igitur modo:

S. GREGORII TURONENSIS,

DE SS. URSO ET LEOBATIO

Ex Vitis Patrum caput 18.

E

Auctoris prologus.

Legiferi vatis oraculum, cum de Principio principium fandi sumpsisset, et Dominum extendisse cælos dextera majestatis fuisset effatus, ait: Et fecit duo luminaria magna, et stellas, et posuit eas in firmamento cœli, ut præessent diei ac nocti, ut lucerent in firmamento cœli. Sic nunc et in illo mentis humanæ cælo, a sicut priorum sanxit auctoritas, luminaria magna dedit, Christum scilicet, et Ecclesiam ejus, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, et illuminent sensus humilitatis nostræ: sicut Joannes Evangelista de ipso Domino ait: Quia hic est lux mundi, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Posuit etiam in eo et stellas, Patriarchas videlicet, Prophetas, Apostolosque, qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus suis illuminent, sicut in Euangelio ait: Quia vos estis lux mundi: et; Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis. Hi enim Apostoli merito pro tota accipiuntur Ecclesia, quæ non habens rugam aut maculam, impolluta subsistit, sicut ait Apostolus: Quia ipse sibi exhibuit Ecclesiam mundam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuscemodi. Ex horum ergo doctrina, et usque b ad nostra fuerunt tempora, qui in hoc seculo, quasi astrorum F jubar, non solum meritorum radiantes luce, verum etiam dogmatum magnitudine coruscantes, orbem totum radio suæ prædicationis illustraverunt, euntes per loca singula prædicando, ac monasteria ad divinum cultum locando, docendoque homines a curis secularibus abstinere, et relictis tenebris concupiscentiæ, Deum verum sequi, per quem facta sunt omnia: sicut de Urso Leubatioque abbatibus fidelium fratrum relatio signat.

Genes. 1. — a — Joan. 1 — Matth. 5. — Ephes. 5. — b

Condita a S. Urso multa ejusque virtutes.

2 Igitur Ursus abbas, Cadurcinæ urbis incola fuit, ab ineunte ætate religiosus, et in Dei amore devotus. De quo egressus loco, Bituricum terminum est ingressus, fundatisque monasteriis apud Tausiriacum, Oniam atque Pontiniacum c, stabilitisque præpositis sanctitate honorificis d et prudentibus, ad Turonicum territorium in locum, quem Senapariam e vocitari priscus instituit auctor, accessit, ædificatoque oratorio, monasterium stabilivit, et commissa Leobatio præposito summa regulæ, monasterium aliud statuit, quod nunc Locis f vocant, situm scilicet super fluvium

c — d — e — f

A vium Angerem in recessu montis, Cui nunc castrum supereminet, ipso nomine ut monasterium vocitatum. Illic adjuncta congregatione, statuit apud animum suum, ne ultra alium proficisceretur in locum: sed in eo cum omni congregatione manibus propriis operari, et victum a terra in sudore vultus exigere: illud fratribus inter reliqua prædicationum dona commendans, quod Paulus Apostolus ait: *Labora g manibus, ut habeas, unde possis tribuere necessitatem patientibus.* Et illud: *Quia qui non laborat, nec manducet.* Dedit autem ei Dominus gratiam curationum, ita ut insufflatis energumenis, protinus dæmonia ejicerentur a corporibus obsessis. Sed et alias per eum Dominus dignatus est operari virtutes. Erat autem abstinens a cibis et potu, indicens monachis sine cessatione, avertere oculum et cogitationem ab omni luxuria.

g Ephes. 4. 2 Thes. 3.

Gotthi alicujus cupiditatem

3 Dum autem hæc ageret, ac fratres molam manu vertentes, triticum ad victus necessaria comminuerent, pro minuendo labore fratrum, visum est ei, molendinum in ipso Angeris fluvii alveo stabilire. Itaque defixis per flumen palis, aggregatisque lapidum magnorum acervis, exclusas B fecit, atque aquam in canale collegit, cujus impetu rota fabricæ in magna volubilitate verti cœpit. Hoc opere laborem monachorum relevans, atque uni fratrum delegans curam, opus necessarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius *h* quidam Gotthus, qui magno ab Alarico Rege amore diligebatur, æmulus monasterio concupivit, dixitque Abbati: Dona mihi hoc molendinum *i*, ut sit sub ditione mea, et quod volueris repensabo. Cui ille: Cum grandi, inquit, labore hoc paupertas nostra statuit, et nunc non possumus ipsum donare, ne fratres mei fame pereant. At ille: si vis, inquit, ipsum bona voluntate tribuere, gratias ago: sin autem, vi ipsum auferam, aut certe faciam aliud, cujus exclusis aqua retrorsum conversa, rotam tuam verti amplius non permittam. Abbas respondit: Non facies autem, quod Deus non voluerit: nam a nobis ipsum penitus non accipies.

suis suorumque precibus superat.

4 Tunc Sichlarius fervens felle, similem fabricam infra adaptavit. Cumque aqua retrorsum conversa, sub hujus operis rotam inundans, gurgitem fecisset, restitit prorsus, nec omnino verti potuit, ut consueverat. Venit igitur custos ejus ad Abbatem media (ut ferunt) nocte, illo in oratorio cum fratribus vigilante, et ait: Surge C Abba, deprecare attentibus Dominum: restitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni, quem Sichlarius fecit. At ille hæc audiens, misit confestim fratres singulos ad monasteria illa, quæ statuerat, dicens: Prosternite vos in oratione, et non sit vobis opus aliud, donec iterum ad vos dirigam. Sed et ipse non egressus ab oratorio, deprecans Dominum attente, ac præstolans adventum ejus misericordiæ, sic fecit per integros duos dies, totidemque noctes. Tertia jam illucescente die, accessit iterum monachus ille, qui custos fuerat, nuntians rotam fabricæ suæ juxta consuetudinem priorem in summa verti velocitate. Egressusque Abbas cum fratribus de oratorio, accedit ad litus, conspiciensque versus molendinum, quod Sichlarius fecerat, non reperit: accedensque propius ad litus, et fundum alvei intuens, nullum indicium de eo accepit, de quo non quidquam ligni, non lapidis, non ferri, nec illius * umquam genus indicii potuit ostendi, nisi quod conjici potuit ipso, quo fabricatum fuerat, loco, virtute divina absorptum, atque ab oculis hominum ablatum. Tunc misit nuntios ad fratres, dicens: Requiescite jam a labore, quia ultus est Deus injuriam fratrum nostrorum. A

Greg. Turon.

* usquam.

5 His et talibus virtutibus præditus, consummato cursu vitæ, migravit ad Dominum. Ad cujus tumulum postea et energumeni sanati, et cæci illuminati sunt. Post ejus vero obitum præpositi, qui per monasteria erant, abbatum officium, episcopis largientibus, susceperunt. Sed et Leubatius apud Senaparium monasterium, quod intra terminum Turonicum erat, abbas instituitur, in summa sanctitate ac senectute perdurans: ibique obiit ac sepultus est. E

Ejus ac S. Leobatii obitus.

ANNOTATA.

a *Legebatur in Surio* sed et nunc menti humanæ, *correxi ex edit. Ruinartii.*

b *Variantem lectionem adducit Ruinartius, at nostram sequitur.*

c *De his monasteriis plura habet laudatus Ruinartius, sed quæ rem non satis explicant.*

d *Hic in nonnullis variat novissima editio, at in nostra nihil mutandum censuimus.*

e *De hoc loco plura Ruinartius, ubi patronum agnosci* S. Leobatium *notat: an a sinapi* Sinapariæ *dicendum ex mente Valesii, necdum satis liquet: Gall. est* Seneviere.

f Loccis *scribit nuperus editor, alii* Locias: *nos de eo jam satis diximus.* F

g *Citantur codices qui habeant* Laborate.... habeatis.... possitis.

h *Utrum* Silarius *appellandus sit, vide iterum apud Ruinartium.*

i *Alibi legitur* hunc molinum. Porro, *inquit Ruinartius,* hodieque ibi visitur molendinum, cujus molam eamdem esse, quam B. Ursus fabricari curavit, vulgus existimat.

DE

A D

DE S. CAMELIANO EPISC. CONF.

TRECIS IN CAMPANIA GALLIÆ

J. B. S.

Sylloge de cultu, nomine, ætate gestis et reliquiis.

An. DXXV vel DXXXVI. *Hic dies natalis est,*

M*artyrologiis antiquis ignotum* S. Camelianum, *alias* Camillianum, *nescio ex quo Usuardino auctiori codice acceperit Molanus, non satis apte eum signans* XXII *Martii seu* XI *Kalendas Aprilis;* Trecis, depositio S. Cameliani antistitis, *ut eo die inter Prætermissos a Majoribus nostris observatum est, Sanctum ad hunc* XXVIII *Julii merito remittentibus, ut qui vere hoc die Trecis colatur, noteturque inter auctaria Usuardina ab Editione Lubeco-Col. et Greveno iisdem plane verbis:* Trecis, depositio sancti Cameliani episcopi et confessoris. *Recte omnino et ex veteri Trecensium instituto, de quo testem habemus Camuzatum in Promptuario pag.* 159 *his verbis:* Ea qua par est veneratione colitur, illiusque honori et nomini consecrata solennitas XXVIII Julii celebratur. *Accidit et Jacobus Cousinet, ad S. Lupi Trecis Canonicus regularis Ord. S. Augustini, cœnobii istius Martyrologium adducens, atque item alia S. Jacobi Pruvinensis et S. Sereni de Centumerula, ut plane concors sit popularium et vicinorum in hac re sententia.*

B

non 22 Martii.

2 *Quærere igitur liceat, quid post hæc Saussayum moverit ut de* S. Cameliano *alia comminisceretur. Sic scribit ad* XXII *Martii:* Augustæ Trecarum, ordinatio S. Cameliani episcopi ejusdem urbis et confessoris, cujus natalis dies illic celebris est in majori ecclesia V Kal. Augusti, *ubi nullum factæ eo die ordinationis vestigium apud Tricassinos umquam exstitit. Porro sui immemor* XXVIII *Julii nullam* S. Cameliani *fecit mentionem; in Supplemento aliam cantilenam exorsus, quam ejusmet verbis hic etiam refero:* Augustæ Trecarum, festivitas sancti Cameliani episcopi, qui sancto Lupo successit, tam dignitate sedis quam merito sanctitatis. At postquam ad Dei beneplacitum, ecclesiam illam multis annis administrasset, concilio Aurelianensi, quod sub Clodoveo magno habitum est, interfuisset; multarum animarum, quas Christo genuit, parens felicissimus, spirantem conspectus Domini animam in cælum transmisit XI Kal. Aprilis: ex quo die feriis Quadragesimæ obnoxio (in quibus nec natales Martyrum antiqua Ecclesiæ politia permittebat celebrare) in hunc colenda ejus depositio differtur, quæ ibidem hoc ipso die solennis perseverat, potissimum in ecclesia majore, ubi ejus reliquiæ congrua reverentia conditæ asservantur.

C

ut aliqui perperam statuunt.

3 *Ex quo demum fonte Saussayus hæc hauserit, an de suo divinaverit, perspectum non habeo: certe nec Camuzatus, nec Desguerrois, nec Cousinetus, quos hic potissimum auctores sequor, de transposita ex* XXII *Martii in hanc* XXVIII *Julii festivitate uspiam meminere: neque quod de* S. Cameliani *reliquiis istic asserit, ita accipiendum est acsi omnes prorsus in majori ecclesia hodie asserventur, quandoquidem sacrum corpus aut integrum aut saltem ex potiori parte ad ecclesiam dicti superius S. Lupi cœnobii translatum dicatur, ut infra patebit manifestius. Ceterum Saussayo pluribus hallucinationibus obnoxio, et hasce facile indulserim; id miror vehementer, cur Castellanus in seligendis figendisque Sanctorum natalitiis festivitatibus ad scrupulum ferme accuratus, in Martyrologio suo universali, errantem Molanum potius secutus sit quam Tricassinos ipsos, de festo hoc die constanter ipsi assignato apertissima ferentes testimonia, non solum ex citatis superius Martyrologiis, verum etiam ex domesticis Kalendariis, Officiis ceterisque omnibus tabulis ecclesiasticis.*

neque Himerii elogium

4 *Hæc de cultu sub uniformi apud omnes enuntiatione* Cameliani *sive* Camilliani, *recte, opinor, et bene ordinata sunt; at quis nobis edisserat, quæ affinitas reperiatur inter hoc nomen et appellationem* Himerii, *ut diversos homines in unum confunderent scriptores neoterici, atque eos inter de patria sua æternum meritus Camuzatus, quem tamen opinionem istam retractasse, idque verbo et scripto postmodum indicasse, pridem scripsit laudatus Cousinetus, cujus nonnullis commentariis seu notitiis uti compellor, cum de* S. Cameliani *gestis, virtutibus aut miraculis nihil seorsim memoriæ ab antiquis traditum sit, præter id unum quod e S. Lupi, celeberrimi illius Trecarum episcopi, cujus Acta die sequenti* XXIX *Julii illustrantur, insignibus discipulis unus fuerit, ejusdemque in eadem sede successor, cui eo fortasse argumento aptatum fuerit Himerii jam dicti elogium, inter S. Sidonii Apollinaris epistolas lib. 7 epist. 13 egregie exornatum; eo, inquam, argumento, quod sanctus Arvernensis episcopus ibi de S. Lupi discipulo loquatur, quem ipse Lugduni viderit; Tricassibus eo appulsum, eumdemque appellet* antistitem.

E

a S. Sidonio relatum

5 *Non potuit nitidius a Sidonio Sancti alicujus encomium concinnari, ut ex specimine plane intelliges. Ita scribit ad Sulpitium Himerii istius patrem:* Himerius antistes, filius tuus, notus mihi hactenus parum vultu, satis opinione, quæ quidem in bonam partem porrigebatur, Lugdunum nuper a Tricassibus venit: quo loci mihi raptim ac breviter inspectus, sanctum episcopum Lupum, facile principem pontificum Gallicanorum, suæ tam professionis magistrum, quam dignitatis auctorem, morum nobis imitatione restituit. Deus bone, quæ viro censura cum venustate! Si quid deliberet forte vel suadeat, abundat animi sale cum consulitur, melle cum consulit. Summa homini cura de literis, sed maxime religiosis: in quibus eum magis occupat medulla sensuum quam spuma verborum. Tota illi actionum suarum intentio, celeritas, mora Christus est: quodque mirere vel laudes, nihil otiosum facit, cum nihil faciat non quietum. Jejuniis delectatur, edulibus adquiescit: illis adhæret propter consuetudinem crucis, istis flectitur propter gratiam caritatis, summo utrumque moderamine; quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam, quoties abstinet, jactantiam *etc.*

F

ei recte aptatum est.

6 *Binos hic Sanctos nobis depingit Sidonius, nam quæ de Himerio prædicat, eadem ipsa de parente*

Sulpitio

A *Sulpitio accipienda sunt, sic enim paulo post :* Quid plura? Totum te nobis ille jam reddidit : totam tuam temperantiam, religionem, libertatem, verecundiam,et illam delicatæ mentis pudicissimam teneritudinem jucunda similitudine exscripsit. *Fatebor equidem hæc satis apte referri potuisse ad episcopum aliquem, at* S. Cameliano *applicanda, non video unde vel eminus colligi potuerit; ut rectissime in notis suis observarit Sirmondus, Himerium, de quo ibi agitur, Sulpitii quidem filium fuisse,alterius Himerii nepotem,a S.Lupo institutum et promotum,* cujus autem loci antistes fuerit, incertum esse. Nam quod hunc eumdem nonnulli faciunt cum Cameliano, S. Lupi successore, probari nobis non potest, et multis modis refellitur. Abbatem potius fuisse suspicor, quam episcopum : antistites enim Sidonio etiam abbates dicuntur, ut Abraham ep. 17. *Non me latet, ultimam hanc Sirmondi observationem recentioribus criticis non omnino probatam ; ausosque ipsos abbati presbyterum substituere : at multum fallor, si eorum conjectura Sirmondianæ præferenda sit. Ad Himerium redeamus.*

Himerius Sidonii alius a Basileensi.

B 7 *Scylla evitata in Charybdim incidunt qui cum Cousineto, Himerium istum volunt esse eremitam sanctum non procul Basilea in diœcesi Friburgensi seu Lausanensi, unde adhuc hodie nomen traxerit Vallis S. Himerii* (val S. Himier.) *At enim Himerio isti nomen antistitis minime convenit, neque concordant tempora ut S. Lupi discipulus dici possit, qui totis ferme duobus seculis illo posterior sit, utpote mortuus seculo* VIII, *ut annotavit Castellanus ad* XII *Novembris, quo die id pluribus suo tempore demonstrabitur. Ut verbo dicam* S. Cameliani *et Himerii distinctio hodie adeo recepta,ut de prætensa identitate nec somniare quis ausit. Audi Cointium ad an.* 536 *num.* 259. Camuzatus S. Camelianum aliquando confudit cum beato Himerio, quem a Tricassibus venientem Sidonius Apollinaris, a se Lugduni breviter inspectum testatur,sed Severtio postea rescripsit, Himerium nullibi vere episcopum exstitisse, præsertim Tricassibus ; abbatem dumtaxat fuisse in agro Basileensi, ubi nunc etiam illius nomen servat regio dicta Vallis S. Himerii. *Sed jam satis dixi et Camuzatum et alios, Himerio isti Sidoniano perperam tribuisse quæ synonymo juniori adscribenda sunt.*

Quo anno obierit S. Camelianus.

8 *Atque in ea quidem* S. Cameliani *et Himerii distinctione Cointio libenter subscribo : utrum* C *satis recte episcopatus ejus annos extenderit ad septem et quinquaginta, equidem definire non præsumo, quod nec Bollandus ausus est tomo* I *Februarii pag.* 476, *contentus, diversas istic Pithœi et Camuzati opiniones retulisse. Sic autem scribit loco jam dicto Cointius :* Obiit et hoc anno Camelianus Trecensis episcopus, ut Pithœus testatur. Alii Camuzato suffragati, mortem ejus adscribunt anno Christi DXXV... In episcoporum Trecensium Catalogo Camuzatus encomium Cameliani clausit his verbis : Nonnulla vero antiqua monumenta memini me vidisse, quæ ejus e vita discessum anno DXXV assignant. Hoc uno nituntur argumento qui Camelianum illo mortuum volunt. Adhærendum potius Pithœo judicamus, quia Fidolus, Cameliano superstite, monachum induit in monasterio Insulæ post Arverniæ cladem, quæ sub rege Theodorico, Clodovei filio, contigit, nec citius quam exeunte anno DXXV referri potest. Sedit igitur Camelianus annos septem et quinquaginta, neque id extra fidem haberi debet, cum Lupi, cui Camelianus successerat, pontificatus quinquennio tantum brevio extiterit, et Remigius, utrique coætaneus, longe diuturniorem præsulatum Remis gesserit.

De ejus gestis paucula collegit.

9 *Hæc sunt quæ de* S. Cameliani *cultu, nomine et ætate reperiri hactenus potuere : de gestis paucula, operose a se collecta, anno* 1686 *ad Papebrochium misit laudatus jam non semel Cousinetus, inter quæ singularem Sancti mentionem fieri ait in Vitis sanctorum Aventini, ad* IV *Februarii, nempe citata jam pag.* 476, *ubi Vir apostolicus pro nuntiatur, et Fidoli* XVI *Maii, ex qua ceterisque rarissimis monumentis id habetur potissimum, quod sub sancti Lupi disciplina adoleverit, sitque ab eodem successor designatus : neque plura referunt scriptores, quos præterea citat, Pithœus, Chenu, Sammarthani, Desguerrois, Adrianus Valesius, et siqui alii sunt idem testantes ; Trecensem scilicet fuisse episcopum, atque ut talem subscripsisse concilio Aurelianensi anno* 511 *celebrato,ut est apud Labbeum et Harduinum,*Camillianus episcopus ecclesiæ Tricassinæ subscripsi. *Quod porro memorat Cousinetus de S. Camilliano se scripsisse in libello Trecis an.* 1657 *edito, cui titulum fecit,* Officia festorum regalis abbatiæ E S. Lupi Trecensis, *ubi Himerianis coloribus* S. Camelianum *depinxerat, hic adducendum non est, ut qui candide fateatur, se ab ea confusione,dum senior scriberet, recessisse.*

Jacobus Cousinetus Can. regularis

10 *Audiamus jam ipsum :* S. Camillianus sub B. Lupi disciplina, una cum aliis bene multis eximiæ sanctitatis viris, qui stellarum instar in Ecclesia Dei pietate et doctrina fulserunt, pie educatus, inclyti magistri mores sanctissimos assecutus est. In unus ex illis clericis Trecensibus fuit, quos præsul Sanctus obviam Attilæ Trecas advenienti direxit, qui sub cujusdam salicis densis viminibus delitescens, militum sævam rabiem et gladium, quem Memorius diaconus cum ceteris sociis Martyribus subiit, solus evasit, et quæ patrata sunt Sancto pontifici retulit. Ejus vita Deo fuit pretiosa et omni laude digna ; adeo ut eum S. Lupus successorem sibi futurum præviderit, in episcopatus solicitudine et in cœnobii sui regimine : omnibus enim virtutibus quæ antistitem decent, præditus fuit, sed imprimis misericordia in Christi pauperes et oppressos singulari. Aventini, sanctitate illustris familiarisque sui cognita virtute et in egenos caritate, eum promptuariis suis non modo præfecit, sed et abbatem cœnobii constituit. Interfuisse eum primæ Aurelianensi synodo anno Dom. F DXI, ipsius synodi Acta testantur. In episcopatu summa cum omnium laude versatus, clarus etiam miraculis ad cœlestia migravit.

uti et de ejus reliquiis.

11 *Sequitur modo quod supra de sacris reliquiis innuimus num.* 3, *eas nimirum non in majori ecclesia, sed in S. Lupi asservari. Ita pergit :* Ejus corpus e tumulo levatum, primum in ecclesia S. Petri honore condigno habitum est. Postea Henrici illustrissimi comitis beneficientia, liberalitate quoque episcopi et capituli Trecensis, ecclesiæ S. Lupi collatum fertur, ubi qua par est veneratione colitur. *Hæc ibi quæ paulo expressius confirmat :* Sacra S. Camilliani pignora ecclesiam S. Petri alias decorasse præsentia sua, testatur concio quædam, jam pridem legi solita ad Officium Matutini in ecclesia Trecensi in festo Reliquiarum *(de quo vide Bollandum* I *Februarii pag.* 92.) Ea jam pridem possidere a quingentis abhinc annis canonicos S. Lupi, testantur pleraque antiqua monumenta. Fuisse vero ad ecclesiam nostram apportata ex beneficentia Henrici comitis magni, profero

fero auctore Nicolao Desguerrois canonico Trecensi, qui instrumentum translationis exhibitum sibi fuisse mihi affirmavit. *Patet id etiam ex ejusdem canonici opere ad annum* 479, *fol.* 97 *verso, ubi potiorem et integram sacri corporis partem, eleganti lipsanothecæ impositam, honorari asserit in abbatiali S. Lupi ecclesia; eamdem apertam fuisse an.* 1496, *et* 1609, *inventasque ibidem sacras* S. Cameliani *reliquias.*

DE S. SAMSONE EPISCOPO CONF.

DOLÆ IN BRITANNIA ARMORICA

J. B. S

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Samsonis patria, genus, ætas, professio.

CIRCA AN. DLXV. *Ut multa de SS. Britannicis obscura sunt,*

Non *unus est, si Britannicis scriptoribus credimus,* S. Samson, *(sic enim passim scribitur) non unus ejus nominis episcopus in Britannia majore, saltem si Eboracensis archiepiscopus admittitur, tum episcopus Menevensis, demum in Armorica Dolenses præsules gemini, et ii quidem omnes celebrati in historiis, quarum quanta in hisce sit fides, jam olim a Bollando et Henschenio in hoc opere haud obscure declaratum est, et ab aliis non semel repetitum, ut sit cramben quodammodo recoquere, de his ultra multis conqueri aut discepare. Paucis sed vere dixit Bollandus agens de S. Gilda ad* XXIX *Januarii pag.* 959, plura esse in Britannicorum Sanctorum rebus gestis obscura, nec idonea chronologia connexa, et fidem supra. *In Commentario de S. Paulo Leonensi ad* XII *Martii non pauciora adduxit Henschenius, ex quibus jam probe docti sumus, ea solum monumenta seligere, quæ si omnem caliginem non submoveant, saltem ad receptas historias, rectamque chronotaxim exigi utcumque queant.*

sic de S. Samsonis origine disputatur,

2 *De eo* S. Samsone *hic nobis sermo est, cujus ut originem paucis præmittamus, ex Pitseo ipsam describimus :* Samson, natione Britannus, patria Demeta, in provincia Glamorganensi bonis parentibus ortus, Iltuti præceptoris insignis, dignissimus discipulus; a quo bonas litteras, vitæ integritatem, et monasticum institutum accurate didicit in monasterio, quod paulo ante ibidem Iltutus fundaverat. *Atque hæc paucis clare explicant quæ longiori oratione deducit anonymus auctor Vitæ quam ceteris præferendam censemus, et de qua pluribusque aliis tum editis tum Mss. infra agendum erit. Adde hisce exordium Vitæ apud Capgravium :* S. Sampson, de Britannia majori, nobilissimis parentibus originem habens, B. Maglorii consanguineus exstitit. Hujus autem mater Anna, cum sterilis putaretur, desperato jam fœtu, cum marito suo Amone, jejuniis et eleemosynis frequentibus incumbebat. *Audis hic Britanniam majorem, quæ in aliis etiam Vitis passim et constanter exprimitur.*

qui non in Armorica sed in Britannia ortus est.

3 *Nullius itaque momenti censenda sunt quæ Armoricus Legendista Albertus ille Magnus de monte Relaxo, de* S. Samsone *more suo ausus est rotunde venditare, natum ipsum videlicet in ipsa Armorica seu Britannia minori, loco ipso nativitatis aliisque studiose designatis, unde quinquennis puer a patre in majorem Britanniam deportatus sit; ut proinde ex Gallia in Britanniam, atque inde rursus in Galliam non semel commigraverit, quæ omnia probatioribus Sancti Actis ex diametro repugnant, ubi ea tamen ab auctore subæquali et fide digno scripta novimus. Vita ex bibliotheca Floriacensi a Joanne Boscio Cœlestino edita, sive ea Baldrici Dolensis, sive alterius sit; sic item omnia ordinare videtur acsi Armoricus origine fuerit* S. Samson, *omniaque adeo gesta ipsius ad solam Galliam restringenda sint ; quam in foveam etiam lapsus est Cointius ad annum* 529 *num.* 7 *: verum ea, quæ ex jam dictis et porro dicendis ultro concidunt, seorsim hic refutari non merentur,*

Ætas ex Iltuti et Dubricii annis colligenda;

4 *Habes Sancti patriam et genus ; in ætate definienda Rhodus ingens et saltus est, quem nemo superavit hactenus, nedum spinas et vepres quispiam expurgare aggressus. Qui cum Albertina Vita ac Bosciana* S. Samsoni *rotundo calculo ætatem tribuunt annorum* 120, *latum sibi campum aperiunt quo plura concilient, ab aliis neutiquam admissa, neque a nobis deglutienda. Exactior hodie chronologia S. Iltuti (sic enim scribendum putamus) conversionem, currente adhuc seculo* V *factam existimat, in ea præsertim hypothesi, si S. Germani Autissiodorensis discipulus fuerit, quod tamen admitti non potest, nisi jam tum senem eum fingamus, dum scholam suam primum aperuit. At enim ad calculos chronologicos parum attendisse videntur qui de Iltuto, Hilduto, seu Hidulto locuti sunt. Porro sub ejus disciplina institutum* S. Samsonem *clamant Vitæ omnes et scriptorum unanimis est consensio ; neque minus indubitatum, annis pluribus eadem disciplina eruditum, donec ab ipsomet Iltuto alteri monasterio præpositus est circa annum* 513.

ut circa annum 490 natus dici possit,

5 *Hinc liquet, opinor, in Vita S. Dubricii apud Usserium pag.* 445 *perperam asseri,* S. Samsonem *discipulum ejus fuisse in numerosissima schola, sanctos prope omnes et illustriores viros istius seculi complexa, jam ab anno* 469, *quo necdum natus erat, nedum eo tempore præsul Eboracensis ex Merlini vaticinio, quod explosum vide apud Alfordum ad annum* 492 *num.* 6. *Hic, nisi fallor, melius figerentur* S. Samsonis *exordia ut circa annum* 490 *in lucem editus censeretur, quinquennis S. Iltuto in disciplinam traditus, sub quo sanctissime adoleverit, adeo exercitatus et maturus, ut anno circiter* 512 *a magistro discederet, et Pironi Britanno in insulari cœnobio a se constructo jungeretur, eique vita functo substitueretur , quod habes in Vita num.* 21, *ut recte observarit Alfordus ad annum* 513, *eo tempore* Samsonem *cœpisse innotescere. Postquam vero triennium et amplius in Pironis cœnobio exegisset, contigit anno*

A no 516 *(quod habes in Vita num. 37) ut advenirent ad eum quidam peritissimi Scoti de Roma etc. cum quibus in Hiberniam profectus est. Inde ad aliud monasterium regressus ea egit quæ in Vita fusius describuntur, nos hic solam chronologiam ordinare conamur.*

anno 521 ordinatus episcopus

6 *Ut missa faciam parerga quæ ex obscuris suis historicis commiscet Usserius ad annum* 520, *de* Samsone expulso, *qui cum septem episcopis imo sex suis fratribus in Armoricam trajecerit, et in Dolensi civitate metropolitanam sibi cathedram constituerit, atque id genus alia; ut, inquam, hæc missa faciam, et tolerabile saltem aliquid dicam; videtur* Samson *noster, Iltuti discipulus, jam ante sacerdotio initiatus, a S. Dubricio episcopatus gradum suscepisse anno* 521, *certe multo serius non potuit, cum ex calculo satis recepto Dubricius ultra annum* 522 *vitam non protraxerit. Quam miranda stupendaque in ea ordinatione acciderint, quæ Missæ tempore visa sint, ex Actis, hoc* B *loco præter modum prodigiosis, facile intelliges, ubi et reliqua vitæ* S. Samsonis *in Britannia actæ describuntur. Cujus porro ecclesiæ episcopus ordinatus fuerit, Eboracensisne an Menevensis, implexus aliis nodus est, sed quem facile scindendo solveris. Apostolicum seu regionarium episcopum fuisse, id longe probabilius est, si non certum, quandoquidem nec in Eboracensium, nec in Menevensium episcoporum Catalogis* Samson *ullus, saltem pro eo tempore inveniri potuit hactenus.*

non ecclesiæ alicujus Britannicæ, sed regionarius.

7 *Neque vero ecclesiæ ulli Britannicæ affixum fuisse, aut vero affigi potuisse, vel inde manifeste evincitur, quod non diu post consecrationem, puta anno circiter* 522, *ad Armoricanam missionem sese accinxerit, ut habes in Vita num.* 45 *et brevius in Registro Landavensi apud Usserium pag.* 1131 : S. Samson, post acceptam patris Dubricii, abbatisque Iltuti et totius cleri et populi benedictionem, consummato Paschalis solemnitatis officio ac præparato navigio, assumptis quibusdam secum fratribus, citra Abrinum mare, sive fretum Sabrinianum perrexit, terram matremque suam visitavit, et ecclesiam ab ea factam consecravit : C deinde cum cognato suo Maglorio (quem ab Iltuto institutum, ipse diaconum ordinaverat) aliisque nonnullis clericis et laicis, in Britanniam minorem prædicandi causa trajecit. *Ceterum de iis quæ ad Sancti dignitatem spectant plura dicenda erunt § sequenti, ubi ruinosa argumenta excutiemus quibus aliqui anno* 566, *alii primum* 588 *ex sede Menevensi ad Dolensem transiisse* Samsonem *perperam contendunt.*

Vix octogenarius fuisse potuit, non 120 annorum:

8 *Quæ de Sancti ætate huc usque quasi palpando dicta sunt, certitudinis inde aliquid consequuntur, quod Vitæ omnes passim eum in Armoricam seu minorem Britanniam transmigrasse memorent tempore Childeberti regis, cui pars illa Galliæ post Clodovæi patris obitum, in partitione obtigerat, quaque certo potiebatur dum eo pervenit* S. Samson *sub annum* 522 *aut* 523. *Quæ porro ibi gesserit, quæ miracula patrarit, Vita ipsa abunde exhibet a num.* 48; *id plane negligens, quod unicum est ætatis Sancti certum vestigium, nempe Parisiensi synodo (sive ea secunda fuerit, sive tertia) anni* 557 *nomen ejus penultimo loco subscriptum inveniri apud Labbeum tomo* 5 *col.* 818; Samson peccator episcopus consensi et subscripsi. *Ubi observes velim, nullam istic sedem aut cathedram designari cui ipse insederit, ut rectissime censeant, qui ipsum sedis incertæ seu regionarium et apostolicum episcopum fuisse pronuntiant, quidquid contra sentiat Alfordus, quem § sequenti conveniemus. Quamdiu Sanctus post eam synodum vixerit, non ausim equidem certo definire; ad finem seculi, imo ad annum* 604 *ætatem extendisse, ut cum aliis notat Wilsonus in Martyrologio, vel ad* 607, *imo ad* 615, *ut habes apud Albertum, numquam inducar ut credam. Fac superasse annum* 560, *atque ut Mabillonius censet ad* 565 *pervenisse, ut octogenario non multo junior fuerit, haud multum refragabor; eamque, non vero* 120 *annorum fuisse ejus ætatem censebunt omnes quibus vera placent præ mirabilibus.*

ÆTAS S. B. S.

institutum professus quod in Britannia didicerat.

9 *Atque hi* S. Samsonis *ætatis calculi verosimillime subducti sunt. Quam porro regulam ante episcopatum professus sit, quam deinde toto vitæ decursu tenuerit, aut in monasteriis suis seu Dolensi seu Pentalensi discipulis præscripserit, ex Actis ejus datur intelligi; eam scilicet quam in Britannia hauserat sub S. Iltuti disciplina. Utrum igitur Benedictini instituti dici possit* S. Samson *ex iis colliges quæ de S. Gilda ad* XXIX *Januarii in pari omnino quæstione notavit Bollandus Commentarii sui* § 5, *num.* 45. *Id utique certum est,* E *S. Iltuti monasterium nec fuisse, nec esse potuisse Ordinis S. Benedicti, dum in eo ad pietatem eruditus est* S. Samson, *sub finem quinti et initium seculi sexti, cum nondum conditus is Ordo esset, nec ante annum* 540 *in Galliam, nedum in Cambriam propagatus. Mutasse autem in ipsa Gallia assumptum a teneris vitæ institutum, ut jam senex recentissimum aliud profiteretur, quæro testem idoneum qui id persuadeat. His ita positis, jam cultum Sancti ejusque dignitatem expendamus.*

§ II. Sancti cultus et dignitas.

Ab Usuardo primum notatus

Hæc duo conjungimus, quod in Sancti elogiis dignitas ejus episcopalis potissimum prædicetur, aliaque quæ cum eadem connexa sunt, de quibus jam supra cursim hinc inde agere cœpimus. Ac de cultu quidem, ut hinc ordiamur, fuit is in Ecclesia celebris saltem a seculo IX, *quo certum est, eum ab Usuardo fuisse in Martyrologio* F *consignatum, quem certatim secuta est universa ejus progenies, per omnes totius orbis catholici ecclesias. En Usuardi verba :* In Britannia minori, Dolo monasterio, S. Samsonis *(sic enim nomen certatim efformatur)* episcopi et confessoris, *quæ simplex est et clara annuntiatio, non accepta opinor, ex apographo Hieronymiano Lucensi, seu Fontanellensi, cui soli* Samsonis *nomen insertum est, sed ab ipso Usuardo primum expressa : id enim certum est, neminem unum ex Martyrologis classicis, quales censemus auctorem Romani parvi, Bedam, Florum, Wandelbertum, Adonem, Rabanum, Notkerum, et siqui hujusmodi sunt, de* Samsone *usquam meminisse, ut quod dubium quodammodo in observationibus meis olim reliqui, id modo indubitatum existimem. Neque hic curanda sunt quæ in nonnullis Hieronymianis parvis adjecta inveniuntur, quorum ætas non facile distinguitur.*

in Romano et aliis passim celebratur

11 *Neque vero opus est longiorem Martyrologiorum istius classis aut aliorum recentiorum seriem hic attexere, cum solus Romani textus sufficiat, Usuardi prope verbis conceptus;* In Britannia minori, sancti Samsonis episcopi et confessoris, *ubi vel ipsum* Doli *aut* Dolæ *nomen studiose præteritum videtur, ne loci istius episcopus appellari censeretur. In editione Lubeco-Coloniensi id notatum*

AUCTORE J. B. S.

notatum habes, cujus corpus Aurelianis translatum est. *Nolim hic fabellam attingere quam præbet codex Bruxellensis, de sex* Samsonis *fratribus, cum ipso uno partu a matre in lucem editis, quos alibi episcopos omnes fuisse legere memini. Neque Scotos aut Hibernos moror,* Samsonem *sibi inepte vindicantes; nec quidquam sane confert Wilsoni annuntiatio. Nitidius est et verius Adonis Morinensis adjectum elogium :* In Britannia minore Dolo monasterio, S. Samsonis episcopi et confessoris, cujus beatitudinem miraculorum gloria testatur; nam cum innumeris refulgeat virtutibus, specialiter tamen mortuos tres ante obitum, unum vero post ad vitam perduxit, quod postremum Aurelianensibus innotuit miraculum. *Mitto Flori auctarium, æque ac Breviaria antiqua variarum ecclesiarum ab Alberto recensita, quæ sane lectionibus suis soli, ut ita loquar, meridiano lucem hic prorsus non adjicient.*

Non placet Bucelini elogium

12 *Fastis monasticis certatim adscribitur, quorum hæc ferme est phrasis :* In Britannia minore, B Dolo monasterio, depositio sancti Samsonis episcopi et confessoris, qui Privati hospitis sui uxorem a lepra, filiamque ejus a dæmone vexatam, optatæ sanitati restituit. *Ast eos omnes longe post se reliquit Bucelinus longiori elogio, cujus partem hic satis erit transcripsisse ;* Abbas dein Dolensis monasterii, ob illustrem virtutum omnium famam electus, eum loco ipsa sanctitatis fama honorem conciliavit, ut non plebis solum universæ favore sed Patrum insuper concilii Parisiensis unanimi consensu atque auctoritate, primus eodem nomine Dolensis metropolites esse juberetur, et summa omnium gratulatione solemniter consecraretur, ut tanto viro æternum celeberrimi archiepiscopatus initia debeantur. *Cui se hæc scribere putarit Bucelinus, equidem non satis perspicio; certe Saussayum hic non solum æmulatus est, sed longe post se reliquit. Ita iste in suo Gallicano Martyrologio peroravit :*

neque quod Saussayus concinnavit,

13 Item in Britannia minori, Dolensi civitate, S. Samsonis episcopi et confessoris gloriosi, qui regio in Anglia sanguine clarus, et matre sterili natus, divino cum prænuntio sanctitatis, S. C Hilduto in disciplinam a puero traditus est; qui primo intuitu futuram ejus magnitudinem præcognovit. Tantum vero sub ejus magisterio Samson profecit, ut virtutibus admirandis mox signisque etiam maximis coruscaret. Vitiorum severus castigator, vindexque pietatis acerrimus, inde variis persecutionibus exagitari cœpit, diramque Saxonum tyrannidem fugiens, versus minorem Britanniam, ut tutius Christo serviret, pedem retraxit; ubi constituto monasterio, de Childeberti regis licentia et munere, vitam ibi instituit totam divinis rebus deditam, discipulosque adscitos in eumdem tramitem sanctissimis monitis et exemplis direxit. Nec mirum si mentes ad vota flectebat, qui rupem virgæ attactu in undas fluentes liquefecit. His dotibus mirificis cum Vir Dei præfulgeret; dignus qui totius provinciæ gereret præsulatum divino judicio atque indicio declaratus, antistes primus Dolensis, sed cum metropolitani dignitate, a comprovincialibus Armoricæ episcopis consecratus est, atque a Pelagio Pontifice pro meritorum præstantia, pallium accepit, sicque magno honore inter Patres concilii Parisiensis anno DLIX consedit. Demumque pontificatu egregiis actibus decorato, Vitam sanctitatis plenam morte felicissima commutavit. Cujus corpus ob Danorum ferociam, Aurelias deportatum, ea reverentia exceptum est, ut propria D ecclesia ad ejus custodiam et cultum construeretur; quæ etiamnum ejusdem glorioso pollet patrocinio, quamquam sacris pignoribus destituta, quæ impii hagiomachi, superiori seculo civitatem occupantes, inter permulta aliorum Beatorum veneranda cadavera, præcidendis manibus exusserunt.

Neque Eboracensis, neque Menevensis,

14 *Multa hic eleganter, multa hyperbolice, æque ac Bucelinus de* S. Samsone *enuntiat Saussayus : falsa sunt quæ de ordinatione, sive in synodo Parisiensi, sive in conventu Armoricano, nescio unde comminisci potuerint : neque melius a Pelagio Papa fingitur transmitti pallium; in eo ambobus subscribo, quod pro celeberrimo cultu æquam sententiam tulerint. Superest de Sancti dignitate paulo implexior disceptatio. Jam paucis supra insinuavi, id me probabilissimum censere, quod non in Gallia, sed in Britannia a S. Dubricio ordinatus sit* S. Samson, *incertæ seu nullius sedis, apostolicus episcopus, ut frustra plane inter se* E *certent Eboracenses et Menevenses, quo* Samsonem *hunc nostrum sibi vindicent; de qua re, ubi ex variis scriptoribus multa corrasit Usserius a pag.* 72, *quid tandem præferat, quid asserat, haud facile intellexeris. Neque id mirum; talia enim plerumque occurrunt, quæ sese mutuo interimant. Galfridi historia Britannica,* Samsonem *statuit Eboracensem episcopum, cujus electio cum ipsa Dubriciana referenda sit ad annum salutis* 490 *: et hic* Samson *septimus fuerit Eboracensium archiepiscopus, forte ex insulso Merlini vaticinio, ad quod videndus ibi Alanus pag.* 73, *æque ridicula consarcinans de fratribus septem episcopis; haud longe iis absimilia, quæ ex codice Usuardino Bruxellensi nuperrime explosimus*

neque Dolensis epis opus fuit;

15 *Alterum chorum ducit Giraldus Cambrensis, in Dialogis suis, æque paradoxa liberaliter adstruens, ut qui videlicet* S. Samsonis *transfretationem ex Cambria in Britanniam minorem ad tempora S. Gregorii Magni retrahat; unde necesse habuerit Matthæus Florilegus* duos Samsones in Dolensi sedeante Gregorii pontificatum constituere, *ut si satis consequenter loquatur, tres ipsum* Samsones *admittere opporteat. Ast illi satis fuit, in* F *anni* 561 *historia ita scribere :* Per idem tempus Sansom Dolensis archiepiscopus, et successor S. Samsonis, qui de Britannia majori ad minorem transiit, doctrina et sanctitate refulsit. *Potuit sane* Samson *noster ad ea usque tempora refulgere, verum nec archiepiscopus Dolensis, nec verosimiliter ejus loci episcopus, nedum in ea sede successor alterius, saltem synchroni* Samsonis, *qui ex ullis tolerabilibus indiciis hactenus innotuerit, ut post tentatam frustra scriptorum incohærentium conliationem, unicus tandem dicendus sit istius temporis Dolensis* Samson, *neque ex Eboracensi neque ex Menevensi cathedra in Armoricam translatus.*

neque alia ipsi adscripta cohærent :

16 *Pergit tamen Giraldus Sequentiam nescio quam prætexens hujusmodi;* Præsul autem Menevensis *(de* S. Samsone *agitur)* dignitatis in Dolensis transfertur fastigium. *Apage diverticula, in quæ miror Alfordum etiam nostrum incidisse, usque adeo ut ad Hebraïcam Teliai nominis radicem descenderit, ut hunc cum* Samsone *confunderet. Superflua hic sunt longe quæsita ratiocinia, nisi figatur certi aliquid unde temporum ratio dignoscatur. Paucis dicam vel falsæ sunt et nullæ præcipuæ* S. Samsonis *Vitæ, vel ipse a S. Dubricio episcopus ordinatus est paulo ante annum* 522; *certissime autem in Galliam appulit tempore Childeberti*

A *berti regis circa annum* 524; *synodo vero Parisiensi interfuisse constat anno* 557. *Atque hæ epochæ non ex Giraldinis aut Galfridianis fallacibus calculis, sed ex ipsis Actis deductæ sunt. Quære modo* Samsonem *in Catalogo episcoporum Menevensium, et alium non reperies, quam qui post S. Davidem sederit ordine* XXV, *ut proinde ad seculum decimum spectare ipsum necesse sit. Tam immanis anachronismus devorandus erit scilicet in gratiam Sequentiæ, quod* Præsul Menevensis dignitatis in Dolensis transtulerit fastigium.

on magis quam flava pestis.

17 *Aliam nobis historiam constat Giraldus de flava peste seu ictericia passione, sic denominata a flavo colore, quo morbo isto affecti tingebantur. Audi, obsecro, Giraldum ipsum apud Usserium pag.* 74. Tempore Samsonis hujus *(dum nempe Menevensem cathedram teneret)* Pallium in hunc modum est translatum. Ingruente per Cambriam, isto præsidente, peste quadam, qua catervatim plebs occubuit, quam flavam pestem vocabant, quam et B physici ictericiam dicunt passionem, Præsul quamquam sanctus, et ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam navem scandens, flante Circio, cum suis indemnem in Armorica Britannia se suscepit : ubi et vacante tunc forte sede Dolensi, statim ibidem in episcopum est assumptus. Unde contigit, ut ob Pallii gratiam, quod Samson secum hinc illuc attulerat, succedentes ibi episcopi, usque ad nostra hæc fere tempora, quibus prævalente Turonorum archipræsule, adventitia dignitas evanuit, Pallia semper obtinuerunt.

aut transitus in Galliam an. 588

18 *Novum hic nobis Giraldus exhibet et patentissimum anachronismum, quem facile observaveris, si attendas, pestem illam flavam seu ictericiam, ab ipsomet Usserio in indice chronologico, revocari ad annum* 588, *ut hic rursum apertissime perspicias, inconnexissima esse, quæ de* S. Samsonis *temporibus circumferuntur, imo turpissime confunduntur. Clara, nisi ego fallor, demonstratio est. Si enim Menevensis episcopus fuerit* S. Samson *usque ad annum* 588, *qua ratione, obsecro, temporibus Childeberti regis in Galliam venerit? Quomodo ex eo tempore Dolense et Pen*C*talense monasteria condiderit? Quomodo in synodo Parisiensi, nullius loci episcopus sederit anno* 557? *ut jam taceam, nec verisimile reddi posse, quod ad annum illum* 588 S. Samson *vitam produxerit, quam receptior opinio ultra an.* 565 *vix audet extendere. Asystata sunt hæc omnia, quibus non lubet immorari diutius.*

aut Pallium ex Anglia translatum.

19 *Quæ vero tam confidenter a Giraldo et tot aliis venditantur de Pallio ex sede Menevensi a* S. Samsone *allato, assertoque proinde metropolitico jure ecclesiæ Dolensi, jam olim ita discussa excussaque fuere, ut de ea prærogativa Dolenses hodie altum fileant, multum se evicisse censentes, si ad* S. Samsonis *ætatem cathedræ suæ episcopalis primordia possint adducere, qua de re hic nobis disputandum non est; ita seriem episcoporum Dolensium in Catalogis deductam invenio, eamque justam et ratam haberi sino : sic de occupatis in Anglia a* S. Samsone, *una vel gemina, sedibus episcopalibus, tacere imposterum satius puto, quam cum tenebris ferme Cymmeriis ultra colluctari. Episcopum* S. Samsonem *agnoscimus, eo titulo in Martyrologiis recte donatum censemus, addimusque cum Baronio ad annum* 559, *quo nempe concilium Pariense habitum contendit;* Qui vero ultimo *(apud nos penultimo)* loco ponitur Samson episcopus, idem claruit in minori Britannia, sanctus Dei sacerdos, cujus perpetua viget memoria in Ecclesia, quæ ejus natalem celebrat XXVIII Julii. *Atque hæc de cultu et dignitate* S. Samsonis *satis dicta sunto; jam alias tenebras dispellere conemur, quæ gesta seu Acta ejus non parum involvunt.*

auctore J. B. S.

§ III. Sancti Acta a variis scripta.

Satis placet brevior Vita Capgravii,

Inter Sanctos tam varios quorum gesta illustranda hactenus occurrerunt, vix ullum me reperire memini, de quo tot Vitæ seu editæ seu Mss. in sacra nostra supellectile recitarentur, ingenti chartarum mole amplam, in speciem, materiam suppeditante. Eæ vero omnes ubi discussæ sunt, ad unam solam Legendam revocandæ fuerunt, de qua hic præcipue, imo unice agendum erit. In ea Vitarum S. Samsonis *insolita copia displicere usque adeo non potest, ea quæ a Joanne Capgravio vulgata est, auctore seu potius contractore, nescio quo anonymo, cui antiquissima illa Legenda Ms. certo præluxit; etenim sic totam ejus narrationem complectitur, ut eo so*E*lum a prototypo differre videatur, quod singula ejus capita nullo, saltem quod sciam, prætermisso, breviori clariorique oratione decurrat; sitque adeo multiplicibus aliis compendiis longe præferenda. Unde sua acceperit Petrus de Natalibus, vix operæ pretium est disquirere; neque satis integre neque satis nitide digesta sunt quæ apud ipsum leguntur.*

non item quæ a Bellovacensi

21 *Aliam item viam iniit qui Vitam compilavit a Vincentio Bellovacensi Speculi sui lib.* 21 *a cap.* 105 *ad* 112 *editam, in qua, pluribus omissis, soli quidam articuli quasi studiose selecti exhibentur, quemadmodum ex titulis facile erit intelligere. Primo itaque agitur* de S. Samsone Dolensi et et ejus origine, et magistro ejus Echuto *(pro Illuto seu Eltuto.) cap.* 2, De bona indole ejusdem Samsonis. 3, De ordinatione ipsius in diaconum cum miraculo. 4, De veneno ipsi propinato. 5, De itinere ipsius ad patrem suum, et diacono propter theomacam stupefacto. 6, De responso ejusdem vetulæ diabolicæ et sanatione diaconi, et parentum Samsonis conversione. 7, De reditu ejus ad monasterium, et electione ipsius in abbatem. 8, De F ordinatione ejusdem in episcopum. 9, De transitu ejus in Britanniam minorem et monasterio Dolensi : *adde et ejus obitu. Quæ omnia si cum Vita a nobis edenda contuleris, manifeste perspicies, nihil hic prædicari quod in illa fusius non describatur; omitti vero plurima, præsertim quæ in Gallia gesta narrantur.*

aut quæ a Boscio edita est :

22 *In oppositam partem peccat Legenda Boscii quam adoptavit Surius, quæque etiam Ms. apud nos exstat ex cod. reginæ Suec. non nihil auctior et alia ordine disposita. Id miror maxime, quod ubi Vitæ aliæ omnes et monumenta quæcumque historica* S. Samsonem *disertime asserunt in Cambria, hodie Wallia, natum, ibidem diu monachum et abbatem, ibi ad sacros ordines et ad infulas usque a Dubricio promotum; Vitæ hujus auctor, quisquis fuerit, tribus primis capitibus, data quodammodo opera, sic sia involvat, ut ea omnia in ipsa Gallia facta existimes, utpote qui cap.* 4 *ad regem Francorum Sanctum deducit, ubi cæco visum restituit, tum serpentem fugat; venenum crucis signo dissipat, ferocem equum domat ac leonem enecat, quæ eo usque a Vita primigenia non tantopere discrepant, possuntque adeo in fide veteris scriptoris utcumque tolerari; at quæ sequuntur capita quinque tam prodigiose exornantur, ut nisi gravi auctoritate suffulta*

AUCTORE J. B. S.

suffulta sint, ea continuo approbanda, prudens nemo censere audeat, præsertim si ex primo specimine de reliquis statuatur.

hac certe falsa varia complectitur.

23 *Quæ enim de horrendo reginæ interitu comminiscitur cap.* 8, *ex probatis historiæ Gallicæ monumentis omnino convelluntur; miracula vero cetera, de represso ludicre anserum strepitu, de fonte ad manus lavandas e petra elicito, de permutatione ceræ et vini cum S. Germano, de porcis in hircos et capras transmutatis, demum de commitissa nequam a Sancto castigata, admittet qui voluerit, equidem Actis nostris ea inserenda non censui; habent rerum id genus admiratores Vitam ipsam a Boscio, ut dixi, editam, quæ cum tota in Surio exstet, paucula ista a nobis præteriri, haud gravate patientur. Hujusmodi prodigia ex aliis Legendis præsertim Britannicis et Armoricanis facile transferri huc potuerunt, quæ ceteris* S. Samsonis *mirabilibus gestis, fidem supra*
B *adjungerentur, ut harum rerum peritis nimis quam notum est. Iis vero omnibus præmissis, tandem cap.* 13 *Sancti ordinationem, in monasterio scilicet Dolensi, factam describit, de suo paradoxon adjiciens, quod ibi moris fuerit, a tribus episcopis tres episcopos ordinari. Demum cap.* 14 *et ultimo vult, Sanctum annos viginti supra centum implevisse, quod jam satis refutatum est.*

Fidelior est antiqua Legenda,

24 *Atque hæ quidem celebriores Vitæ sunt notioresque et passim citari solitæ, quarum præcipuum fontem dabimus ex duobus nostris Mss., altero Accinctino, Vallis Lucentis et Carneoli, quod descripsit Chiffletius, altero Belfortii, collatis cum vulgata a Mabillonio tom.* I *Actorum Ordinis S. Benedicti a pag.* 165, *quam ceteris omnibus præferendam recte judicavit, solamque adeo edidit laudatus Mabillonius, eam in Annalibus suis loco non uno etiam referens. Plura Mss. compendia hic recensere, tantumdem esset ac lectorum otio abuti, quod fecit Albertus longam scriptorum seriem corradens, in quorum plerisque, nisi vehementer fallor, ut plurimum vix de nomine no-*
C *tus dici potest* S. Samson, *præter Baldricum Dolensem episcopum, sæpius ab ipso adductum, de quo quod dicam non habeo, cum Vita ab eo scripta nec in Museo nostro reperiatur, nec aliunde mihi innotuerit quam ex prædicti Alberti et Mabillonii citationibus. Ceterum facilis jactura est, ubi laudata Acta ad manum sunt, a monacho subæquali composita, quæ non arbitror vidisse Albertum, de cujus grandi volumine notissima pridem est et Majorum nostrorum et nostra sententia, dicam, et justissima censura.*

tametsi non satis ordinata,

25 *Porro quid de Vita illa omnium vetustissima, quid de ejus scriptore censendum sit, si aperte dicere liceat; non tam est vitæ gestorumque* S. Samsonis *ordinata ad normam historia, quam miraculorum prodigiorumque, ut sunt pleræque Britannicæ Legendæ, ad stuporem magis quam ad imitationem collectio, stylo plerumque contorto, obscuro et sæpe barbaro congesta, ut si appositis annotationibus singula illustrare aut explicare volueris, tantumdem fere laboris subire necesse sit, acsi totam ab ovo construendam componendamque suscipias. Eo nihilominus titulo ceteras omnes longe antecellit, quod citra dubium omne, antiquissima sit, a scriptore nimirum ferme æquali seu prope synchrono concinnata, ut qui ita loquatur acsi omnia quæ narrat ab oculatis testibus acceperit, non numquam eo progressus ut ipsomet tempore se ferme vixisse insinuet, quo res ab ipso commemorata contigerit: idque ad num.* 45 *annotatum invenies, sequidem genuina* D
ejus verba ibi referantur.

reliquas omnes ætate præcellens,

26 *Et hæc quidem magnam scriptiri auctoritatem conciliant, id vero fateor dolendum maxime, in tam fœcunda et abundanti rerum præclarissimarum messe, aptam falcem non suppetiisse quæ omnia accurate demessa colligeret, disponeret et ordinaret, scriptore infacundo identidem testante, se calamum quodammodo comprimere ne res tantas commemorando fastidium ingerat, dum interim minutiis sæpe occupatus, ita orationem implectit, ut tædium potius quam delectationem pariat lectoribus, in*id potissimum intentis, ut rerum gestarum seriem assequantur, ubi hic ad singulas prope periodos hærendum est, ut quid scriptor velit, satis queat intelligi. Facem nonnullam præferet satis nitidum Vitæ compendium, quod a Mabillonio in Annalibus contextum hic opportune subjiciam, ad id etiam profuturum, ut dubia nonnumquam a certis, falsa a veris secernantur; clavim puta ad obscuriora multa reseranda perutilem. Sumitur ex Annalium tomo* I, *lib.* 6, *num.* 20, *pag.* 151, *ubi de variorum monasteriorum institutione agens, sic de* E
præcipuis a S. Samsone *conditis loquitur.*

cujus hic præmittitur

27 Dolensis et Pentaliensis monasteriorum, itidem in Armorica, origo ad S. Samsonem, episcopum referenda. Huic patria Demetia, quæ Walliæ in Britannia majore provincia est, parentes nobilissimi fuere. Puer in monasterio Eltuti cum Gildasio institutus, dein a Dubricio Legionum episcopo, diaconus ac presbyter ordinatus, abbatis officium gessit in cœnobio Pyronis abbatis, quem Sanctum appellari, Guibertus abbas vehementer conqueritur. Episcopus demum*ab eodem Dubricio consecratus, in Armoricam item accessit, ubi Dolense monasterium ab ipso construitur. Aliud deinde, auctore Childeberto rege, in antro, ex quo serpentem expulerat Vir sanctus, excitatum ad fluvium Sigonem seu Sequanam, vocabulo Pentale seu Pentalense. Ejus situm signantius exprimit libellus de vita S. Geremari abbatis, qui seculo septimo rexit monasterium Pentallium in pago Rotomagensi super fluvium Lirizinum, nempe ubi Lirizinus * in Sequa- F
nam influit.

* *la Lizaine*

Mabillonii elegans compendium.

28 Hactenus locus ille infra Pontem-Audomari positus, sancti Samsonis appellationem retinet. Samson episcopus, absque ulla sedis designatione anno quinquagesimo septimo subscripsit concilio tertio Parisiensi, qui non diu supervixit. Post mortem sepelitur in Dolensi monasterio, quod in episcopalem ecclesiam conversum est non ante seculum nonum, nempe cum Nomenoius, dux minoris Britanniæ, ex quatuor ejus regionis episcopatibus octo constituit. Quadragesimæ tempore, pro more piorum istius temporis hominum, in remotiorem locum secedere solitus, tres tantum oblationes, id est panes ad sacrificium paratos, secum portabat; idemque Kalendarum Januariarum profanos ritus acriter insectatus est. Res ab eo gestas anonymus auctor æqualis scripsit duobus libris, quos, Tigerinomalo episcopo nuncupavit, haud dubie Leonensi, qui in Actis S. Pauli, istius sedis antistitis Tiernomalus vocatur, in vulgatis indicibus omissus. Præferendus hic auctor aliis ejus Vitæ scriptoribus: quos inter Baldricus Dolensis seculo undecimo antistes præcipuus est.

VITA

A

VITA

Auctore anonymo subæquali,

Ex tomo 1 de Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti a pag. 165, *cum Mss. nostris collata et emendata.*

PRÆFATIO.

Ad Tigerinomalum * episcopum.

Auctoris excusatio,

Religiosorum memoria compulsus, medullitusque quamplures Patrum in suis tam actuali B quam theorica vita quodammodo perspicaci intentionis acie, quasi cæli luminaria adminiculatim fulgentes, intellectualibus (ut ita dicam) sensibus totam eorum corpore et anima imaginem, id est secundum Deum et hominem intuitus sum *a*. Dumque exiguitatem parvitatis meæ perspicerem, utputa novissimi hujus temporis idiota, parum intelligens minusque compertus de vastissimis sanctorum Scripturarum compositionibus, ob id tremefactus, quippe indignus ad id quod tuo speciali sensu cælitus illuminatus opus exercere, o beatissime sedis Apostolicæ episcope Tigerinomale, me rogasti; ut indignum me atque incongruum ante parvæ conscientiæ meæ testimonium coram omnipotente Deo excuso : quia (ut est humanæ infirmitatis jactitare atque in superbiæ nutibus extolli) arroganter imprudenterque multi faciunt, atque in hujus mundi fluctibus huc illucque per vagam mentis instabilitatem ad id quod non possunt, incaute pernatare contendunt; sed in suis pravitatibus reconsi *b*, ad id quod possunt revertuntur. Et ideo pennata illa animalia, quæ in sancti Ezechielis sacerdotis primo visu legimus, quatuor pennas habentia, alteras duas sursum levantia, atque aliis corpora contegentia, omnes Sanctos scilicet significant : qui etsi humanis C (ut est moris) usibus extolluntur, tamen eorum infirmitates cognoscentes ante Dei omnipotentis imminentissimam *e* majestatem virtutes quas habent, verecundiæ atque humilitatis velamine tegunt. Ego vero promisso sancti Spiritus atque illustratæ scientiæ scintilla succensus, huic officio licet indignus, tuisque exhortationibus provocatus parvitatem meam tuæ dilectioni promptam præbebo. Itaque jubes, o dulcissime, ut pauca in catholicis ac viris stilis de sancto Samsonis mentione atque oraculis verba pertractem, atque in hujus operis laboris ac profunditate formidolosus, inobedientiæ lapsum præcavens, id ad quod tuis sanctis verbis invitor, omnipotentis Dei inspiratione aggrediar.

et fides ex S. Samsonis antiquis Actis

2 Primo autem omninum credi a me vos volo, quod non juxta adinventionis meæ temeritatem, nex juxta inordinata et incomposita audita, hæc verba collecta sunt; sed juxta hoc quod a quodam religioso ac venerabili sene in cujus domo, quam ultra mare ipse solus Samson fundaverat, ille per octogenarios fere annos catholicam, religiosamque vitam ducens, propissimisque temporibus ejusdem supradicti sancti Samsonis mater ejus tradidisse avunculo suo sanctissimo diacono (qui et ipsi diaconus consobrinus esset sancto Samsoni) mihi veraciter affirmabat : multaque de ejus admirabilibus gestis ad me misericorditer referens, et non solum hoc, sed etiam quamplura ac delicata de ejus prodigiosioribus actibus, quæ citra mare in Britannia ac Romana *d* mirabiliose fecit, verba supradictus sanctus diaconus, Henocus nomine, congruis stilis polita ultra mare adportavit, et ille de quo nuper præfati sumus venerabilis senex semper ante me in isto monasterio commanens, pie legere ac diligenter faciebat : et ideo dignum non esse putavit, ut hujus fortitudinis immensitatem ab Omnipotente per sanctum egregium ac sanctissimum virum Samsonem operatam, oblivioni tradere voluissem.

A. anon. subæquali.

a fratribus legi solitis.

3 Duabus enim ex causis (nisi tua sancta ac provida exhortatio ad meam adfuisset parvitatem) ista tam sancta immo tam pulchra atque immensa per hominem supradictum Deo auctore operata miracula memoriæ præbere non audebam. Prima, quia me valde indignum, utputa peccatis meis arcentibus me, atque incongruum tantæ narrationi huic decreveram : quia (ut sum ultimus) obtrectationes aliorum fratrum diverse sentientium vitare volebam : ne quod fieri solet a quibusdam tam ritis, quam etiam (quod est sæpius) et ab imperitis, præsumptuosis ac temerariis in hac tanta, inaudita, immo et ab illis de incomperta loquela judicarer. Altera vero in hujus novissimi temporis spatio brevi istud tam arduum quam (ut jam dixi) incredibile a quibusdam opus esse credendo ingredi metuebam. Sed te, o beatissime Papa, suggerente, et profecto * inde legentibus et audientibus volente, hoc quod de isto egregio ac sancto Viro pro certo tenebam in mea memoria, negare non potui.

E

** f.* profectum

Auctoris obtestatio de hujus historiæ veritate.

4 Et ne quibusdam ad dubia veniant ea quæ huic stilo tradidi, Christum omnium nostrorum Salvatorem ac testem habeo, quod non pro aliqua humana, vel fallaci conjectura, sed pro his quæ apud sanctissimos ac compertos admodum viros, necnon et pro sedulissimis ac pulcherrimis litteris, quas catholice ac indubitanter a supradicto diacono, in eodem monasterio conscriptas reperi, hæc paucissima admodum verba memoriatis litteris tradereconatus sum, pauca de multis colligens, quatenus fastidiosa non essent ad legendum, sed expedita, Deo adjutore, pararentur ad profectum. In principio vero nostri operis adesse nobis precamur auxilium Domini nostri Jesu Christi, cujus virtutes ac magnifica opera per universum Orbem terræ in Sanctis suis clara ac stupenda habentur, ut mihi misero indigno ac satis peccatori gratum ac prosperum iter præbere dignetur ad hoc quod aggredi volo, non pro meo merito, sed pro tanti nominis Viro. F

ANNOTATA.

* *Si* Tigerinomalus *hic non alius sit, ut censet Mabillonius, a* Tirnomalo, *quem Paulus episc. Leonensis, post Jehovium, non successorem suum, sed pro se sedi Leonensi imposuit, ut in Vitæ ejusdem S. Pauli cap.* 17 *legitur ; consequens erit, ut* S. Samsoni *non solum subæqualis, sed synchronus fuerit, saltem in ea hypothesi quad S. Paulus anno* 573 *obierit; utpote quem morte præcesserit præfatus Tirnomalus. Verum ex ejus loquendi modo satis*

A. ANON. SUBÆQUALI. *tis patet*, ipsum S. Samsonem *numquam novisse, ut verosimilius ad finem seculi sexti vitam protraxerit, adeoque et ipse S. Paulus.*

a *Habes in hac prima periodo et in tota sequenti præfatione unde colligas, vera nos dixisse, de obscuro, implexo et contorto scriptoris stylo; in quo tamen nihil mutare visum est, cum quid velit, utcumque intelligatur.*

b *Pro* reconditi, *opinor; voluit dicere* prave affecti, *vel* pravitatibus addicti.

c *Pro* eminentissimam.

d *Id est* Gallia, *ut recte notavit Mabillonius: nam Galli antiquitus etiam Romani vocabantur, ut vide infra num.* 60 *et* 61, *et lib.* 2, *num.* 10. *Fortunatus in Vita S. Medardi episc. Noviom.* mater ejus Romana, nomine Protagia; *quod nomen ad Luitprandi Ticinensis tempora, hoc est ad seculum* x *in usu fuit: nam lib.* 1, *cap.* 6 *de Guidone comite Spoletano agens*, cumque, *inquit*, Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet *etc. Id tamen Aquitanis ceterisque provincialibus cis Ligerim,*
B *quod lege Romana viverent, vindicat Dadinus lib.* 3 *de Rebus Aquitan. cap.* 8.

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Precibus a Deo impetratus S. Samson pie educatur et quinquennis S. Iltuto erudiendus committitur.

Samsonis patria et parentes. Igitur sanctus Samson Demetiana *a* patria nobilibus atque egregiis secundum seculi dignitatem parentibus alitus est. Sed illud miraculum quod de eo ante ejus conceptionem in utero matris suæ Dominus omnipotens monstrare dignatus est, ob mirificandum scilicet Sacerdotem Dei populis profuturum silere non censeo. Hæc enim prima de se, licet ante se, at mirifica dignatio fuit. Nam pater ejusdem sancti Samsonis (sicut jam di-
C xi) Demetiano ex genere, Ammon nomine, et ejus mater Dementia *, provincia proxima ejusdem Demetiæ, Anna nomine. Convenientibus itaque coæqualium patrum unitis consiliis, secundum omnipotentis Dei dispensationem, nobiliter conjuncti sunt; parentes vero eorumdem conjugum altrices regum utriusque provinciæ pro certo scimus, siquidem et in aliis ejusdem sancti Samsonis emendatioribus gestis, atque ibidem propinquioribus ita conscriptum indubitanter comperimus, et in nominibus offerentium utrorumque parentum nomina singula, juxta sancti Samsonis altare, ad Missam cantandam legere quam multis vicibus audivi. Nam huic Ammoni patri ejusdem sancti Samsonis, frater fuit Umbrasel et huic nihilominus matri ejusdem Sancti Annæ soror fuit, Afrella nomine, boni ambo fratres, bonæ ambæ sorores, de bonis utpote parentibus progeniti. At vero junior frater Ammonis Umbrafel sororem supradictæ Annæ Afrellam, monitis ac jussis parentum, uxorem sibi duxit; sed et ipsa Afrella suæ sorori supradictæ erat junior.

* al. Deventia

2 Post non multum autem temporis, conve-
D nientibus illis secundum eorum dignitatem in pace, ipsa Afrella concepit, et peperit filium. Sed quid est opus rem protelare? tres filios ante suam sororem habuit: ipsa vero Anna jam jamque ab omnibus vicinis, ac notis suis quasi aversa ac sterilis putabatur. Desperato itaque feminei uteri fetu, non pro ætatis, sed pro naturæ inæqualitate cum sua sorore tristatis parentibus, flebili ac mœrenti admodum matri consolatio ab omni potente Deo adest. Nam eleemosynis frequentibus ac sæpissimis *b* jejuniis ipsa Anna cum suo marito semper incumbebat. Evenit autem ut die festo ad ecclesiam convenirent, et inibi sermocinationem inter multos audirent de librario *c* quodam longinquam terram Aquilonis habitante, et a multis provinciis appetito *d*, quia omnes qui ad eum venire consueverant, quid illis dixisset, pro certo habebant. Certatim itaque destinantibus multis de ecclesia eodem die comitari ad eum interrogandum, Ammon ille hæc audiens læto animo una cum sua uxore Anna ad eumdem magistrum cum illis iter dirigere fecerunt.

Matre sterili uterque parens piis operibus vacat b c

E 3 Actum est autem, ut confecto tanti itineris labore, post tandem diem tertium ad locum, ubi magister librariusque commanebat, pervenerunt, ibique magistrum illum cum populis multis sedentem, ac de causis singulis multa disputantem repererunt. Tum vero Ammon munera offerens, et [in] genua ante eum pariter cum sua uxore provolutus, suppliciter precabatur, ut ipse eorum causæ suum animum diligenter apponeret. Tunc ut magister ille de iliis causis graviter circa se concinnantibus *e*, silentium fecit, ac pro bonis personis et longinquis viaticis sedule interrogans ac semper subridens, O, inquit, filioli, pro tam prodixo itinere vestri laboris causam narrare mihi. Aperiente itaque Ammone os suum, cum ingenti lætitia compescuit eum magister dicens: Causam scio adventus vestri, quia uxor tua hucusque sterilis fuit, et nunc credo quod divina misericordia aderit. Tu vero fac virgam argenteam coæquatam uxori tuæ, et da pro anima illius, et deinde Deus omnipotens suscitabit vobis semen secundum voluntatem suam, et secundum placitum desiderii vestri. Quo audito, ille hilariter dixit: Tres ego virgas dabo argenteas coæquatas sibi.

Vatem de futura prole ambo consultum eunt. e

F 4 Videns autem magister intellectum et prudentiam viri, manere apud se in hospitium fecit, quousque post lassitudinem viæ nocte insecuta corpuscula sua sopori dedissent, atque ita quiescenti mulieri Annæ per visum Dominus monstrare dignatus est; O, inquiens, mulier firma in fide et stabilis in Dei dilectione, perseveransque in prece, felix es, felixque uterus tuus, felicior fructus uteri tui. Ecce, Deo jubente, sacerdotali officio condignus factus est partus primus quem edes: nam tuus uterus concipiet, et prægnabit et pariet filium, et primarius illius partus septies candidior erit argento illo, quod tuus maritus donavit pro te Deo. Tremebunda itaque mulier facta, necnon et læta pro nimietate visionis, et pro fulgore assistentis sibi et loquentis apud se angeli Dei, et pro concupiscentia sperati partus, atque pro verecundia, (ut est moris bonarum feminarum) nihil omnino respondere poterat. Ad quam angelus leniter fatur: Ne timeas, inquit, mulier, neque diffidas, Dominus enim confortare dignabitur mœrorem tuum, et lacrymæ tua vertentur tibi in gaudium; ecce habebis prolem, et primarium

Apud quem hospitantur et ab angelo de prole fiunt certiores.

A ANON. SUBÆQUALI.

A primarium filium Samsonem vocabis; hic erit coram omnipotente Deo sanctus et sacerdos summus, et fidem hujus rei in mane habebis per magistrum illum ad quem venistis.

A vate discedunt cum gaudio de fausto prænuntio.

5 Expergefacta mulier a somno, cuncta quæ vidisset et audisset viro suo per ordinem replicavit. Gaudentibus autem illis, atque invicem tractantibus, reciproca lux adfuit diei; tum illi pro itineris prolixitate mane levantes præparaverunt se vestimentis, magisterque illis antequam iter captarent adfuit exultans, ovansque. Beata, inquit, es o femina, beatusque uterus tuus, beatiorque fructus ventris tui : mihi enim hac nocte Dominus dignatus est revelare de te et de tua prole. Nam primus partus tuus summus a Deo sacerdos destinatus est; et hunc ut pepereris, Samsonem vocabis, et postea legitimo tempore trades eum disciplinis discendis. De Britannorum ergo genere talis non fuit, neque erit, utputa sacerdos multis profuturus. Benedictis autem illis, abierunt domum B læti ac pacifici.

Samson a matre solicite informatur.

6 Nec mora, Dei promissio adest. Itaque mater cum gaudio concipit, cum lætitia prægnat, cum prosperitate parit dilectum Dei primogenitum Filium suum. Tum omnes eorum vicinos, ut hoc audierunt, gaudium ingens invasit, gratias Deo referentes, quod mirificaverat Dominus misericordiam suam cum illis. Nutrito itaque nobiliter, secundum nobilitatem patrum, nobili ritu Filio, baptizatur, nomen imponentes ei juxta quod in promissione fuerat sortitum; et felici matre admodum solicitante, de infantiæ ejus ac joci munditia, satis semperque die ac nocte satagebat, ne in aliquo vel minimo puncto pars Deo destinata, ac multis profutura pollueretur, circumplectente et conservante illum integrum divina providentia : jocus *f* enim ejus, felicis matris blandimento ac sedulitate, ad meditandum Scripturas et legendum assidue, vel scribendum aliquid utile fiebat, quod postea veritas probavit rei. Nam cum esset annorum circiter quinque, ille solus tota puerilis animi affectione Christi scholam satis adire voluit : sed pater ejus mutata vice ac perverso contra Dei voluntatem ac dictum ordine, et maxime malevolis consiliariis atque amicis suis, ignorantibus totum illud absconsum miraculum quod antea fuisset factum, Filium suum fieri clericum contradicebat : indignum valde judicans clericatus officium, vicinis suis dehortantibus, ut-C pote qui semper minister terreni regis fuisset, quique reges nutrire deberet : adeo ut conflictus indesinens inter ambos parentes die noctuque fieret, volente matre Filio suo meliorem partem secundum angeli vel sacerdotis obtestationem.

Pater eum retrahere conatur, sed cælitus correptus sententiam mutat.

7 Volventibus autem illis alia, nocte quadam adest cælestis increpatio Ammoni per somnium, multum minans, si partem suam sibi destinatam ille prohibere auderet. Ammonem autem tantæ visionis admiratione a somno expergefactum timor ingens invasit, ac de lecto surgens, atque in terra se prosternens quantulicumque commissi, licet parvi, pœnitudinem gessit, atque nihil contra Dei voluntatem de Filio suo amplius se acturum tota fide promisit. Illico vero, erumpente luce, Ammon sine ulla mora Filium suum duci ad scholam compulit, dicens : non moremur, o conjux, Filium nostrum, immo potius Dei filium ad scholam ducere. Nam Deus cum illo est, et nihil contra Deum agere debemus : cunctaque quæ viderat ea nocte de illo conjugi suæ replicavit. Tum illa ovans, jamque prægnans ac de lecto surgens, toto cordis affectu magnificabat Dominum in cunctis beneficiis suis quæ misericorditer præstitit illis, atque una, eademque hora unanimes æqualiterque surgentes, pari animo ducere Filium suum ad scholam egregii magistri Britannorum, Eltuti nomine, perrexerunt. Qui et ipse Eltutus de discipulis erat sancti Germani, et ipse Germanus ordinaverat eum in sua juventute presbyterum *g*.

Samson Eltuti disciplinæ committitur.

Ille vero Eltutus de totis Scripturis veteris scilicet ac novi Testamenti, et omnis philosophiæ generis, geometriæ scilicet ac rhetoricæ, grammaticæ et arithmeticæ, et omnium artium philosophiæ omnium Britannorum peritissimus erat, genereque magicus *h* sagacissimus, et futurorum præscius : in cujus magnifico monasterio ego sui, cujusque mirifica gesta si per singula dirimamus, ad excessum de incepto ducemur : unum tamen ad confirmandam nostram rem, referentibus nobis catholicis fratribus, qui in hoc loco erant, publicamus in medium.

Eltutus mortem suam ac duorum Abbatum prædicit.

8 Nam cum ægritudine mortis carnis urgeretur, duos alios abbates ad visitandum se venire fecit, unus Isannus vocabatur, alius Atoclius. Ut enim vidit eos, utrumque secundum morem E salutans, ita exorsus est : Gaudeo, inquit, Fratres dilectissimi, ad adventum vestrum, quoniam tempus transitus mei ac dormitionis meæ in Christo adest, et vos debitum mihi obsequium præbebitis. Sed confortamini, Fratres, quoniam pariter et ad vos jam jamque prope est post me cælitus missus eundi de corpore, uno quidem transitu, sed diverso eventu transitus. Ego quidem hac nocte præsentibus vobis medio ferme noctis angelorum manibus percipiar, ita ut in aquilæ similitudinem duas pennas aureas habentis, animam meam frater meus Isannus videbit cum sanctis angelis volare ad cælum : et postea quinto decimo die fratre noster Atoclius de corpore ibit, et frater meus Isannus animam illius pariter videbit, in aquilæ quidem typum, sed duas plumbeas *i* pennas habentis graviter volitare : et post quadraginta dies iterum frater Isannus et ipse æqualiter cum eo exitu, cum eoque typo feliciter perveniet ad Christum. Sed tu, frater Atocli, multum concupiisti ea quæ mundi sunt, et ideo pennati quidem animalis typus est mundi, sed auri munditiam ob tuam in tuis alis avaritiam non habes : mundus vero es tu propter tuam antiquam sanctitatem, de tua infantia huc usque servatam, sed gravidus es in tuis pennis propter plumbeum ava- F ritiæ pondus. Deus autem omnipotens dignetur evellere a te has pennas. Hæc et multa his similia dicens per diem et noctem multum commemorans, sicut ipse dixerat, media fere nocte valedicens fratribus de hac carne cum hymnis et choris ac venerationibus solitis feliciter exiit, animamque suam per imaginariam speciam quam ipse dixerat, beatus Isannus vidit, et alterius fratris similiter animam, sicut senex dixerat, cernit, et vix per ejus suggestionem et Sanctorum orationes ac Missas multas cantatas redempta fuit, ita ut ipse solus vidit eam in melius reparatam, ac de pessimis peccatorum suorum vinculis absolutam, et hæc cuncta fratribus indicavit, et omnibus eis in admiratione fuit, et ille nihilominis die condicto et simili exitu, secundum senis promissionem, feliciter pervenit ad Christum. Sed ad id redeam unde digressus sum.

Samsonis futuram sanctitatem prædicit Eltutus.

9 Hic itaque sanctus Eltutus, cum electum Dei puerum sanctum Samsonem oculis vidisset, ac de manu suæ matris cum donariis, quæ cum illo

A. anon. subæquali.

illo parentes ejus adportaverant, secundum morem excipiens amanter eum deosculasset, respiciens in cælum et benedicens eum, ita exorsus est : Gratias agimus Deo, qui luminare hoc nobis indignis nostra de gente in terra accedere dignatus est. Ea augustum omnium nostrum caput, en pontifex summus multis citra ultraque mare profuturus, en égregius omnium Britannorum sacerdos, en peritissimus omnium ecclesiarum post Apostolos fundator. Hæc audientes parentes ejus plus de eo voluerunt audire; sanctus vero Eltutus ita responsum reddidit : Non est meum hoc dicere vobis, nec vestrum est a me interrogare, tempus enim est tacendi, et tempus est loquendi, puerum autem istum tradite mihi ad discendum.

Samson litterarum elementa cito addiscit.

10 Egredientibus autem parentibus ejus, mansit ipse cum supradicto magistro, non (ut moris infantum est) aliquo fletu post matrem, patremve motus : sed quasi a suis primis cunabulis inibi nutriretur, immobiliter ac delectabiliter mansit. Mirum in modum sub uno eodemque die vicenas eleas *k*, tesserasque agnovit totas, nec B opus ei fuit amplius monstare, et (quod est mirabilius his omnibus) sub hebdomadis diebus harum litterarum distinctiones per conjunctiones verborum revelante Deo potuit scire. Nam in legendo ita tenuis erat mens ejus, ut quantum hmanus sensus capax est, totos in brevi pertransierit Psalmos. Nam cum esset annorum circiter quindecim, jejuniis frequentissimis ac vigiliis prolixioribus plus omnibus fratribus ibidem habitantibus sese exercebat, ita ut superpositiones *l*, interdum autem et triduanas facere contendebat, prohibente illum prudentissimo magistro ac dicento ei : Non conveniens est, filiole, ut corpusculum juvenili adhuc ætate florens nimiis et intemperatis frangatur jejuniis.

* an. litteras.

Jejunium colit.

Scripturis sacris indagandis vacat.

11 In altioribus intelligentiis Scripturarum ita acutus erat sensus ejus, ut plus in spiritualibus theoriis quam quæ ei a supradicto magistro insinuabatur, inquirebat. Quadam autem die dubium incurrerunt ambo, ille et ejus magister in quadam alta quæstione : quam quæstionem ego novi, sed insinuare prætermitto, ne in hac diutius immoremur. Nam cunctos tractatus veteris ac novi Testamenti diligenter perscrutantes, explanationem ejus nullatenus reperire potuerunt. Quo facto destinavit sanctus Samson intra semetipsum jejuniis C ac vigiliis incumbere, usquequo explanationem hujus quæstionis Deus illi monstrare dignaretur. Dum autem tertia nocte mediaque fere nocte oraret, assistere sibi vidit lucem cælitus emissam, ac vocem desiderabilem audivit de luce sibi suaviter dicentem ; Ne amplius fatigeris, electe Dei ; ecce enim non solum hanc quæstionem pro qua laboras, consequeris, sed quæcumque petieris a Deo per orationem et jejunium, exigentibus tuis bonis meritis, adepturus es. Tum sanctus Samson omnipotenti Deo gratias referens, lætus admodum ad suam cellam rediit, ac suo magistro cuncta quæ viderat et audierat, quiete replicavit.

Monachum a serpente morsum sanat.

12 Quadam autem die dum irent fratres in mane æstivo tempore ad purganda mala gramina de messe ; hilider *m* quidam de quodam rubo exiliens quemdam fratrem momordit in inguine, atque ad terram cadens semivivus remansit. Fratres circa illam flentes orantesque non aliud quam moriturum sperabant. Tum œconomus dixit : Nunciemus hoc seni nostro. Misso itaque quodam, rem præsente Samsone magistro narravit ; flente autem illo, sanctus Samson Spiritu sancto tactus ita dixit : Magister, jube mihi ire ad eum, Pater D autem meus compertus ac peritus est, et potest liberare hominem de hujus doloris nece. Tum sanctus Eltutus, quasi in derisu sermonem ducens, ita dixit : Pythonis *n* arte in principio tuo fuisti præmunitus, et postea veniens ad scholam apud disciplinam Christi colere eam vis? non enim conveniens est cum cælesti sapientia mundanam exercere mathematicam. Sanctus autem Samson ita subridens responsum reddidit : Ignoras tu, electe magister, quia nullum ego patrem habeo nisi illum, de quo per Prophetam dicitur : Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me? Magister itaque hoc audito stupefactus et admirans et nihil aliud ausus dicere : Perge, inquit, electe Dei. Pergens itaque Samson, et currens invenit Fratrem extremum pene anhelitum jam trahentem, atque ejectis a se omnibus fratribus, unum tantum probatissimum presbyterum elegit apud se assistere, atque serpentino morsui signum Crucis imposuit sentiens per Dei gratiam virtutem adesse : atque per tres horas, id est ab hora tertia usque ad horam sextam orationes protelans, aquamque oleo mixtam benedicens, fratrem pene emortuum præsentibus omnibus fratribus per Dei admirabile opus incolumem reddidit et sanum ; ac per hoc non, ut est moris humano gene- E ri, quasi in favore vulgi extollitur in vana gloria jactantiæ elatus, sed Deo gratias agens infatigabilem semper atque acriorem frequentius exercebat abstinentiam.

Job. 10. 8.

ANNOTATA.

a Demetia *aliis* Dimetia, *inquit Mabillonius, Cambriæ seu Walliæ pars occidentalis,* Difed *hodie a Britannis vocitatur, mutato* M *in* F *pro linguæ idiotismo.*

b *Pro* sæpe repetitis.

c *Non alium hic intelligere fas est, quam virum sanctum et prophetiæ dono ornatum, ut ex sequentibus satis patet.*

d *In edit. est* quem *a multis* appetitum, *nullo sensu, quales constructiones plures ibi occurrunt, a nobis ex accuratioribus Mss. emendatæ.*

e *Mss. legunt* concinnentibus, *patet quid scriptor velit.*

f *In edit. erat* locus.

g *De* S. Eltuto *seu* Iltuto *jam alias in Actis nostris dictum est, et hic abunde describitur : at* discipulum S. Germani fuisse *(puta Autissiodorensis)* atque ab eo ordinatum presbyterum, *rectæ chronologiæ repugnare, jam supra diximus : fuerit fortasse discipulus discipuli.* F

h *Qua de magia hic agatur, satis perspicuum existimo.*

i *In edito erat* Plumbineas. *Finis non sit, si cetera barbara et male constructa explicare voluero.*

k *Intellige* elementa *seu* litteras alphabeti, *ut bene notavit Cangius, hunc ipsum textum adducens.*

l Superpositionem *per superadditionem explicat Mabillonius.* Quæ vox, *inquit, simpliciter prolata,* jejunii sonat abjectionem, nam alias dicitur etiam superpositio silentii *etc. de cetero remittens ad Menardum in cap.* 54 *Concord. Regul.* § 11.

m *Cangius eam etiam vocem hinc accepit, et recte pro* colubro *intellexit, sive pro* chelydro. *Est qui* edder *notet dici Anglice serpentem qui Gallice* couleuvre.

n *Magiam joco objicit sancto discipulo sanctus magister.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Diaconus ac presbyter, non sine mirabilibus signis, ordinatus arctiorem indies virtutis viam ingreditur; invidorum machinationes patienter tolerat, et ex S. Iltuti cœnobio ad Pironem transit.

Diaconus ordinatur: Quid miraculi contigerit in ejus ordinatione.

Humilitas vero ejus tanta erat, affabilitas, lenitasque, ac mira caritas ultra (ut ita dicam) humanum modum, ut ab omnibus fratribus suis miro diligeretur affectu. Magister autem videns diligentiam ipsius erga Dei cultum, ac per spiritum B venerans in pectore ejus Christum, quem per ænigmata utputa de eo cernebat micantem, tradi ei diaconatus ministerium fecit. Veniente Dubricio *a* papa ad ejusdem domum die Dominico, consentientibus et congaudentibus omnibus fratribus ac Deo volente, ab eodem papa diaconus ordinatus est. Nec hoc opus esset pertractari, nisi miraculum grande interfuisset. Tres fratres ibidem ordinati sunt, duo in presbyterii, ille tertius in diaconatus officio: sed cum ad veniam flectendam juxta morem fratres compellerentur, vidit sanctus papa una cum magistro Eltuto columbam cælitus emissam per fenestram sursum apertam, et super sanctum Samsonem non (ut est moris avi) fugitare, vel volitare, sed semper sine ullo penniculæ motu, discurrentibus ubique per ecclesiam ministris, immobiliter stare. Et non solum hoc, sed etiam episcopo manum ad confirmandum eum diaconum super eum levantem, illa (quod est mirabilius) columba cælitus (ut jam dixi) emissa, in scapulam dexteram ejus descendit et ibi constanter mansit tamdiu donec officium ab episcopo consummaretur totum. Hoc nemini in ecclesia admirabile fuit, quippe quia nemini visibile nisi tantum episcopo ac magistro supradicto, et uni diacono qui calicem tenebat et Euangelium ad precem cantaverat, patefactum est: et semper supra- C dicta admirabilis illa columba ita supra illum videntibus illis tribus immobiliter stetit, donec communionem perciperet, Eucharistiæ. Denique in tantum stuporis episcopus ac magister confabulantibus illis ad invicem venerunt, ut sanctum Samsonem jam non terrestrem, sed cælestem indubitanter putarent. Sanctus vero Samson ita admirabilis atque, ut ita dicam, ineffabilis in Dei opere excreverat, ut de die in diem, quasi per scalam spiritualem scilicet, ascendens altius atque altius in summo religionis culmine, renovato in melius quotidiano usu, cerneretur emergere.

Invidiam quorumdam fert patienter.

14 Huic vero Eltuto erat in ejus monasterio alumnus, ac nepos presbyterque, et huic presbytero erat frater sine gradu, disjuncti a fratribus in quantulumcumque erga sancti Samsonis dilectionem, antiquo indubitanter humani generis hoste per ineptum invidiæ trophæum illos instigante, nequiter metuentes, ne propter illum quem meliorem illis esse noverant, hereditate privarentur mundana. Nec illi poterant quidquam mali præbere, nec pacifice, amanterque adhærere, ignorantes altius Dei consilium in ima graviter mergebantur. Ille vero sciens totum et nihil illum latens, pro illis amplius Dominum precabatur, lacrymas cum orationibus fundens, Dominum suppliciter rogabat, ne propter eum pessimi criminis lapsum incurrerent, semper jejuniis intentus, orationibusque indesinentibus exercitatus, in sanctis quoque Scripturis scrutandis atque intelligendis vehementer sensatus sine pene intermissione, secundum Apostoli Pauli commendationem, orabat in frigore et nuditate, in hiemalibus pernoctans glaciebus, non brumalibus flatibus, non gravioribus solvebatur æstatis caloribus, memor Apostolici sermonis ubi ait: Non sunt enim condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Rom. 8. 18.*

Presbyter ordinatur accedente prodigio. b

15 Nam non longe post *b* presbyterii Ordinem ab eodem episcopo, qui diaconem illum ordinaverat, magistro rogante ac Deo volente, ut ille dignus erat, digne accepit. Sed quid diutius immoramur? Quale signum cælitus visum est quando diaconatus accepit officium, tale etiam quando presbyteratus functuram accepit: idem tantum tribus, quibus prius fuerat visum, Deo illum dignum monstrante comparuit. Quanto autem in majore gradu Deo volente, E illo vero nolente nec inepte renuente, sed quod Deus promiserat, gratanter accipiente inhæserat, tanto et in arctiori abstinentiæ tramite, secundum sanctarum Scripturarum dictionem, voluntaria se traditione inserebat. Studebat namque præ ceteris humiliorem se ac benigniorem esse. Quid vero de castitatis et continentiæ ejus exercitio dicam, quando libidinosa incentiva a primo adolescentiæ suæ flore tenus beato suo fine tam in virili quam etiam in femineo sexu omnino feliciter vincens, voluntariam carnis munditiam pro natura habebat? Ita illi erat virginitas in corpore, ut numquam caritas ac humilitas a corde discederet. Jejuniis igitur et orationibus incumbebat assiduis. In omni vero vitæ suæ tempore numquam alicujus animalis, neque volatilis carnem in sua tota vita gustavit, numquam aliquis vidit eum ebrium, numquam mutata mente, vel instabili vacillatione, vel minime illum aliquod poculi genus in aliquo læsit. Numquam funditus a se aliquod poculum interdixit, sed quotidie cum ceteris fratribus, quando non jejunarent, caritatis obtentu communicans, secundum Euangelii verbum sitiebat justitiam. F

Virtutes ejus.

Carnem numquam gustavit.

Mos monachorum bibendi post Tertiam.

16 Hi vero supradicti duo fratres, diabolicis utpote repleti venenis, semper invidebant ei, et maxime malus ille presbyter, cujus malum factum ego scio, sed nomen scire non potui: metuens ipse ne propter sanctum Samsonem a suo hereditario privaretur ac destitueretur monasterio, quod post suum avunculum sperabat possidere, æqualiter cum fratre suo, per suæ artis consilium malum ei quærebant: sed nullam causam reatus invenientes in eum, quasi ebrii et amentes, huc illucque vertebantur. Frater autem ejusdem presbyteri, vicissentibus *c* se per ordinem ceteris monachis, hujus monasterii pistor effectus est. Consuetudo enim erat in hujus monasterii lege herbas hortinas per poculum ad sanitatem convenientes fricare, ac singulis fratribus in suis vasculis, scyphunculo non grandi, ad sanitatem particulatim dividere: ut quando de Tertia celebranda veniebant, paratum jam poculum hortinis mixtum herbis reperirent. Pistor vero, accepto consilio mali fratris, venenum sancti Samsonis per suum antidotum poculo miscuit, tillum *d* quoddam fricans

A. ANON. UB ÆQUALI.

Samsoni venenum propinatur.

cans dedit ei bibere, atque quatenus fieret probabile mortiferum, parum de eo prius pelaci *e* dedit. Pelax autem ut bibit, saltum præcipitem dedit et statim mortuus est. Pistor vero hoc ut vidit, valde gavisus est, nihil aliud sperans nisi sanctum Samsonem, perbibito hoc poculo, continuo de hoc mundo recessurum. Sancto vero Samsoni oranti continuo adest spiritus Domini, monstrans sibi malum nuper factum. Ille nihilominus de Domini promissione fidus, memor euangelici sermonis, ubi Christus ait de suis fidelibus fidentibus in se; Si mortiferum, inquit, biberint, non eis nocebit, et cetera; lætus admodum refectorium ingressus est, eoquod ipse œconomus erat hujus monasterii, poculaque fratribus benedicens, atque suo sanctæ signaculum Crucis imponens, sine ulla mentis hæsitatione totum bibit, neque umquam ullum vel parvissimum cordis dolorem ex hoc sensit.

Marc. 16. 10.

Monachum sibi inimicum blanda allocutione convertit,

17 Prandentibus autem illis ita uno eodemque die suavem ac lætissimam cum pistore sanctum Samsonem conlocutionem habuisse audivimus; B Magnam, inquit, dulcedinem faucibus meis, magnamque sanitatem cordi meo, o amantissime frater, præbuit poculum illud, quod primarium dedisti mihi hodie: sanet te Deus ab omni ægritudine quamcumque habes. Quibus auditis frater intra semetipsum mali commissi pœnitudine tactus est, promittens coram omnipotente Deo, non amplius gesturum se aliquod malum consilium cum fratre suo contrarium huic Famulo Dei: quippe quem omnium conscium noverat, et omnia patienter tolerantem cernebat. Ad fratrem suum postmodum cum increpatione veniens dixit: Peccavimus, frater, nihil in aliquem hominem sed in Christum, atque in ejus dilectum Samsonem: et tu, frater, venenoso livoris incentivo in tuam animam perfusus es, auctore et incentore illo de quo per Prophetam dicitur: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur ergo illum qui sunt ex parte illius. Sed frater ejus in obstinatione malæ sententiæ perdurans, nullum bono consilio præbuit assensum, sed velox vindicta divinitus ei data est.

Sap. 2. 24.

Alius monachus Samsoni infestus a dæmone corripitur;

18 Nam Dominica die proxima veniente, cum Communionem altaris de manu sancti Samsonis sumpsisset, una hora cum buccella in ore ejus transisset, a dæmonio eadem hora arreptus est, C ita ut pallens tremensque ac multum crepitum dans, ac discerpens, atque in terram indecenter concidens, ac semetipsum suis vestimentis impudenter denudans, bina labra ejus suis dentibus mordere primum cœpit, atque alios fratres sine ulla verecundiæ providentia degarrire, et ad iracundiam eorum corda provocare, ac dicere: Quid hic statis otiosi nihil potentes facere? nullam enim de vobis omnibus curam habeo, si unus inter vos non fuerit præsentatus: si unus ille adfuerit, dominationem in totum habet mei. Sapientissimus vero senex ut hæc audivit, compescere eum, ac ligatum a fortibus fratribus foras duci jubet. Quo viso, frater ejus flens atque singultans, et in terram se suppliciter prosternens, præsentibus omnibus fratribus, utrorumque culpam totam ut esset in directo monstravit, veniamque sui delicti submisse ac lacrymabiliter postulavit, promittens se in sua tota vita pœnitentiam gessurum *f*, ac Deo et sancto Samsoni semper serviturum.

19 Quibus auditis fratres una cum abbate suo super his quæ fiebant, valde mirati sunt, maxime timentes, ne in his venenatis malis nuper inepte eruptis sanctus Samson offenderetur, insuper et ne ab illis abscederet, quod pro maxima injuria ac malo merito fieri æstimabant; supplicique electum Dei rogaverunt, ut ad mansionem, in qua frater dæmoniacus a malo vexabatur spiritu, non dedignaretur ire. Sanctus vero Samson amariter flens atque ejulans, ita responsum reddidit, palam omnibus fratribus dicens: Heu me! propter quid hoc fecisti mihi Domine Deus omnipotens? ut quid amantissimum fratrem meum propter me lædere permisisti? timeo enim ad conspectum illius injuste odientis me, et maxime diaboli illum odii facibus incendentis me præsentare. Doleo tamen illum ab initio injuriam pati, nunc autem si gratiam habeo coram Divinitate tua, per orationes ceterorum fratrum, me indigno interveniente, sanitatem recipiat, et dabis ei cor pœnitens, ut spiritus ejus salvus fiat: ac oleum benedicens, aquæque permiscens, dari ei ad gustandum præcepit. Quibus gustatis, e manibus illum tenentes *g* in dorso dilapsus est, et velut emortuus factus, nihil aliud fratres, quam eum moriturum putabant esse; ternisque fere horarum spatiis in uno loco jacens, ad extremum non longe post nonam vivus quasi de morte rediit, pristinamque sanitatem de diabolico recepit impetu, ac pœnitudinem mali sui commissi agnitique agens, Deo illum inspirante, coram omnibus agnovit fratribus: sicque justo Dei judicio actum est, ut quem ille invidiose injusteque usurpabat primatum, in tota vita sua numquam habuerit.

D *a Samsone liberatur.*

20 Sanctus vero Samson acioribus sese atque arctioribus inserebat jejuniis, grave valde apud se reputans illud monasterium, quippe quod jam tumultuosum et expandiosum *h* per patriam erat. Ille vero Euangelicam illam viam arctam quæ ducit ad cælum semper cupiens carpere, excogitabat quomodo evadere posset a cœnobii congregatione sine sui magistri offensione. Erat autem non longe ab hoc monasterio insula quædam nuper fundata a quodam egregio viro, ac sancta presbytero, Piro *i* nomine, (in qua insula et ego fui) apud quem, inquam, sanctus Samson cohabitare volebat; sed valde metuebat, sicut jam dixi, ne senem suum offenderet.

Samson ex Eltuti cœnio'o egressum meditatur.

21 Talia ergo volvente apud se, ac Deum rogante, ut suæ voluntati opem daret, ecce missus Domini ad sanctum Eltutum per somnium apparuit dicens: Mane surgens tu interroga voluntatem sancti Samsonis, ut ubicumque vult (Deo per omnia ducente) ire, opitulaveris illi, et scito quia Deus semper cum illo est. Evigilans Sanctus ille, et apud se retinens memoriter quæ illi dicta fuerant per somnium, mane diluculo surgens, sanctum Samsonem accersiri sibi jubet, dicens: Enarra mihi, electe Dei, quæ Deo inspirante sunt in tua voluntate documenta: ego hac nocte missum Dei habui de te, quo opituler quæ sunt tui, quia Deus apud te est. Quo audito, sanctus Samson ingemuit, et nihil se boni egisse coram Deo dicebat: tamen voluntatem suam seni suo humiliter revelavit. Senex autem hæc audiens ita responsum reddidit. Opus est tibi omnia agere propter Christum, et voluntate paupertatem pati. Verumtamen omnino in genere nostro major te non erit. Ac linguam comprimens et pectus verberans omnia secundum sancti Samsonis voluntatem adimplevit, et duci eum ad Insulam quo tendebat in pace fecit, ibique cum eodem presbytero supradicto Pirone provecta ætate jam senc

Eltuto permittente ad Pironem concedit. F

D sene ita exceptus est tamquam Dei angelicus missus videretur, admirabilem atque eremiticam, immo et cælestem vitam infatigabiliter ducens, non diebus, non noctibus ab orationibus et a colloquiis Dei cessabat. Totum diem operibus manuum, et orationibus ducens, totam vero noctem in mysticis sanctarum Scripturarum intelligentiis, lucernam suæ mansioni portans, ut ad legendum intentus, aut aliquid scriberet, aut de spiritualibus theoriis meditaretur. Quod si, ut homo, opus haberet pro carnali fragilitate quiescendi, seipsum parieti, aut alicujus rei duræ firmamento inclinans, numquam in lecto dormitabat.

Numquam in lecto dormiebat.

22 Quadam itaque hieme, cum pater ejusdem S. Samsonis repentino arreptus dolore debitum mortis exsolvere cogeretur, compellitur a suis vicinis, ut juxta morem sacrificium communionis ante carnis sumeret mortem. Ille vero ingenter *k* affirmabat, numquam se mortem gustaturum, numquam sanitatem recepturum, numquam se sacrificium recepturum, nisi primogenitum suum Samsonem electum Dei videret, ac per ipsum pariter corporis et animæ sanitatem se percepturum dicebat. His verbis admirantes homines qui audiebant, B simul et diligenter examinantes quænam hæc essent, statim missos dirigunt equitantes, rogantes ne pigeret eum visitare patrem suum jam in mortis confinio decubantem, et maxime sanitatem corporis et animæ ab eo accipere desiderantem.

ANNOTATA.

a *Notant Acta Benedict.* Dubricium *hunc fuisse episcopum Legionensem (Angelice Caerleon) floruisseque anno* 507, *Arthurumque regem anno* 516 *coronasse, ut scribit Matthæus Westmonast. Dubricii ejusdem meminit Galfridus Monemut. lib.* 9 *hist. cap.* 12, *paucis multa dicens ;* Hic Britanniæ primas et Apostolicæ Sedis legatus, tanta religione clarebat, ut quemque, languore gravatum, orationibus suis sanaret. *Plura hic de eodem Sancto occurrunt.*

b *In edit. hic ita habetur :* Nam non longe post, dubio adhuc anno, presbyterii ordinem ab eodem episcopo qui in diaconatus illum functionem voverat *etc. prætuli lectionem Codd. Mss.*

C c Vicissere, *barbarum, pro* vices subire.

d *Et hanc vocem* tillum *hinc accepit Cangius, sed quid sit divinandum relinquit : venenatum quid certo indicare videtur scriptor.*

e Pilax *legendum monet Cangius, ut sit* cattus murilegus, *ut vide istic pluribus.*

f *Ita etiam Mss. Satis sit quod intelligatur.*

g *Legendum esset* e manibus illum tenentium, *at solœcismis hujusmodi abundat hæc Vita.*

h *Per* tumultuosum *satis patet, quid velit, nempe quod fama late expanderetur.*

i *Acris est in hunc locum Guiberti abbatis censura pag.* 330. Legi, *inquit,* testor Deum, et iis qui mihi præsto fuerant, cum nimia detestatione relegi, scilicet in Vita S. Samsonis, celeberrimi apud Francos et Britones Sancti, abbatem quemdam, quem S. Pironem lectio illa agnominat : cujus cum finem ut beatum putabam, rite legendo prosequenter, reperi cumulum sanctitatis, hominem videlicet ebrietate madentem, in puteum incidisse, sicque enectum. *Vide infra num.* 36.

k Ingenter *et similia vix operæ pretium est observare.*

A. ANONYMO SUBÆQUALI.

CAPUT III.

A patre ægrotante vocatus, non nisi jubente Pirone ad eum pergit ; mirus theomachæ in via occursus ; totam familiam Deo lucratur, atque in reditu serpentem necat.

Samsonis pater morbo periclitatus filium ad se accersit.

Pervenerunt ii nuncii usque ad locum ubi sanctus Samson habitabat, et in hospitium nocte recepti, euntibus mane fratribus ad opus exercendum, invenerunt eos ad portam pulsantes, quomodo facile habere possent apud sanctum Samsonem colloquium. Sanctus vero Samson spiritualiter jocans cum illis eum non agnoscentibus, ita dixit: Enarrate mihi causam inquisitionis ejus, pro qua colloquium apud eum habere vultis, et E ego exponam. Et responderunt ei dicentes: Illum volumus videre et apud illum loqui, pater enim et mater ejus et omnes vicini miserunt nos fabulari apud illum. Qui et ipse hilari vultu respondens dixit eis: Amen dico vobis, nisi me præsente omnia vestra dicatis propter quæ huc venistis, Samsonem quem quæritis, numquam videbitis. Mœrentibus autem illis atque ad alterutrum diffidentibus, sanctus Piro ita lætus admodum dixit; Ecce Samson quem tanto itineris labore quæsiistis, nunc quod habetis, dicite mihi. Tunc hi ceciderunt in faciem suam, salutationemque parentum suorum nuntiantes, causam ob quam venerant, profecto narraverunt.

Samson negat sibi licere domum paternam repetere, sed Pironi jubenti annuit.

24 Sanctus vero Samson ut audivit, apud semetipsum prius ingemuit, superfluum putans redire eum domum, in qua carnaliter fuisset natus. Et respondentibus sibi ait; Repedate ad domum nostram, jam enim, nisi fallor, Ægyptum reliqui, non est enim meum iterum reverti in ipsam; potens est enim Deus ægrotantem sanare. Atque ita gressum rapido cursu ante fratres tendens, ulterius ad opus faciendum progrediebatur. Sanctus vero Piro misericordia motus, immo Spiritu sancto ordinante opem ad virtutem ostensam, leniter revocans eum ad se, dixit ei: Quare sic dicis, electe Dei? non enim negligenter facere F debes opus Dei, curam enim te oportet habere de animarum profectu: nam merces tua grandis erit cum Deo, dum ubi carnalia creverunt, spiritualia per te seminentur. Sanctus vero Samson intendens in eum atque paululum silens, ita ait; Utinam voluntas Dei fieret, ego propter Deum et propter animarum lucra omnibus paratus sum. Et qui missi fuerant rogaverunt eum ut pariter cum illis comitatum faceret. Qui dixit eis; Progredimini vos, et nos expedite assequemur. Pro certo habentes, quod ipse eos assecuturus erat, accepta benedictione abierunt.

Samson ad patrem cum socio contendit.

25 Ille autem post eos die et nocte mansit in monasterio, et in crastino die dixit ille; Si causa profectus animarum et caritatis invitor, est ex vobis frater promptus mecum ad injuriam sufferendam? Erat quidam diaconus juvenili et ipse adhuc ætate florens, cui dixit Abbas: Tu fortior es senibus istis, caritatis obtentu cum fratre tuo vade. Sanctus vero Samson prævidens in spiritu,

A. ANONYMO SUBÆQUALI.

ritu, fidentem eum in fide futurum non esse, lætus admodum verbo dixit ei; Confide, frater, et viriliter age.

Quid illis in via acciderit.

26 Accepta itaque benedictione impositoque in equum vehiculo, iter pergere cœperunt: et factum est dum irent orantes per vastissimam silvam, dirissimam audierunt vocem a quodam horribili valde ad dexteram partem juxta illos terribiliter strepitantem, atque in hujus vocis auditu diaconus supradictus depavescens, ac primo omnium pallens, equum quem in manu tenuerat, velociter dimittens, et pallium quo indutus erat jactans, in velocem fugam sese dedit, clamante post tergum sancto Samsone, et dicente: Confide, o frater, quæso, confide, ne timeas, neque obliviscaris euangelici præcepti quo nutritus es ab adolescentia tua. Sed eum non intendentem et semper fugitantem jam eminus sanctus Samson lacrymabilibus inspiciens oculis, solitaque spiritualia arma et scutum fidei firmiter tenens, et circumvallans se sancto semper signaculo Crucis, vidit theomacham *a* hirsutam canutamque, jam vetulam anum suis vestimentis bribetham chrysulatamque, venalem in manu tenentem, ac silvas vastas veloci cursu volucritantem fugientemque, recta linea insequentem. Sanctus vero Samson stabilis in fide quasi eam non vidisset *, mansit intrepidus, et veloci cursu equum in manu tenens, palliumque fugientis in equum imponens, fugientem et persequentem fiducialiter secutus est, ac non longe progrediens fratrem fugientem seminecem reperit, paululumque illum intuens vidit a longe theomacham anum currentem, et cernens eam in valle jam descendentem, exclamavit post eam dicens: Quid fugis mulier? Ecce ego homo sum sicut ille quem prostrasti par meus: si datus sum in tua potestate, ecce adsum: noli ergo fugere, sperans me venire ad te. Sed hæc illa non intendente et semper fugere nitente, clamavit post illam sanctus Samson dicens: Impero tibi in nomine Jesu Christi ab eo loco, ubi modo stas, ne ultra pedem moveas usquequo veniam et appellem te.

* al. hædum videret.

Samson sagam morti tradit.

27 Stante ergo illa in uno eodemque loco, ac tremente venalemque in terra laxante, sanctus Samson advenit, atque eam vix ægre affatur, Quæ, inquiens, es mala forma, vel qualis es? At ipsa cum tremore ingenti dixit: Theomacha sum, nam et gentes meæ huc usque prævaricatrices vobis extiterunt, et nunc nulla in hac silva remansit de meo genere, nisi ego sola. Habeo enim octo sorores, et mater mea adhuc vivit, et hæ non hic sunt, sed in ulteriori silva degunt, et ego marito in hac eremo tradita sum, et meus maritus mortuus est, et propter hoc secedere de hac silva non possum. Sanctus vero Samson dixit: Numquid potes tu fratrem quem percussisti, redivivum iterum reddere, vel saltem de animæ tuæ profectu solicitare? At ipsa respondens dixit: Nolo, nec possum in melius reparari, bonum enim nullum facere queo. De mea infantia hucusque ad mala semper exercitata sum. Sanctus autem Samson ita competenter dixit: Deum omnipotentem imploro, ne amplius aliis injuriam facias, sed dum irremediabilis es, hac hora moriaris. Atque oratione completa, malefica illa mulier saltum præcipitem in latere sinistro dans ad terram corruit, et mortua est.

28 Tunc sanctus Samson reversus ad fratrem suum in cladis loco seminecem dimissum, invenit eum jacentem pene mortuum, ac diligenter perscrutans, in pectore tantum vitalem flatum remansisse reperit. Tum vero secundum Helizei auctoritatem os ori, ac membra cetera membris singulis componens et flens, Deum suppliciter rogabat, quatenus fratrem illum sanitati restaurare dignaretur, ne ob eum injuriam conscientiæ pateretur, quippe obedientem cum illo in caritatis officio: ac Deo per illum virtutem operante, non plus hora et dimidia frater seminecis quasi a somno incolumis resurrexit.

Socium conformat, et sanat

et ad patrem accedens eum solatur etc.

29 Denique maxima in eo gratia fuit quod propter sanctum Samsonem trisulca lancea maleficæ mulieris corpus ejus non fuit perfossum, ac fratrem confortans ne timeret, Deumque beneficentes iter cœptum pariter peregerunt, atque ad locum quo tendebant, die tandem tertio pervenerunt, inveneruntque Ammonem, sancti Samsonis patrem, a suis vicinis circumdatum in lecto ægrotantem. Ammon vero ut vidit eos e foribus venientes, gavisus admodum est dicens: Ecce auxilium corporis et animæ meæ, quod Dominus mihi per somnium monstrare dignatus est. Moxque ejectis omnibus foras, sua mater tantum remansit cum illis tribus, ille Samson et suus diaconus paterque ejus et mater: statimque Ammon ille capitale crimen ad mortem cum veniæ postulatione ac supplici imploratione præsentibus illis tribus supradictis, quod in se celaverat, publicavit in medium, ac Deo ab eodem die usque ad suum finem serviturum, suggerente præcipue sua uxore, toto corde devovit, ac suum caput eadem hora tondere vi fecit, instigante illum (ut jam dixi) maxime sua uxore, dicente ei: Non solum ego et tu, ut decet et convenit, Deo serviamus, sed et totas nostras proles in Dei servitute jungamus et omnia nostra Dei tota fiant. Tum ille Ammon dixit: Secundum tuum faciamus verbum. Omnia ergo quæcumque mihi Dominus, immo tibi dedit hucusque, ego hodie *b* voluntarie offero ei tota. Præsentatis itaque suis quinque fratribus sancto Samsoni una cum sua sorore sexta, admodum adhuc parvula, ita paululum silens, responsum dedit: Fratres quidem mei boni sunt ac Deo donati, sed ista pusilla, quam vos videtis et habetis, ad mundanas voluptates data est: tamen nutrite eam, quia homo est. Quod audito homines, qui illic aderant, valde mirati sunt, et nihil de hoc miraculo interrogare ausi sunt.

Patruum suum cum tota famlia Deo lucratur.

30 Tonso itaque capite Ammonis, et sua uxore viduitatis ordinem recipiente e longo jam tempore concupitum, ac omnibus suis substantiis divisis, maximisque portionibus in usum pauperum datis, ac minoribus suis usibus relictis, (nam multarum facultatum erant possessores) frater ejusdem Ammonis hoc videns, una cum uxore sua, ac tribus suis filiis, tali forte ac tali victoria sub uno eodemque die Christo et ipsi lucrati sunt; nam et ipsa sua mater læte admodum benedictionem recepit viduitatis. Confirmatis itaque in bonis operibus his omnibus, atque ad monasteria fundanda suggestis, sanctus Samson una cum suo patre et suo avunculo *c*, in uno quatuor felici comitatu, iter in pace peragere cœperunt.

Quid mater ab eo petierit.

31 Sed dum iter cœpissent, mater ejus singillatim se vocasse fertur ac dixisse ei: Monasteria quæ nobis suggeris fundanda et ecclesias construendas, non solum desidero, verum etiam et amanter amplector. Sed quoniam promissionis de te destinatæ tempus venturum est, nostras ecclesias a se consecrandas, Deo adjutore

A re, speramus. Tum ille quasi verecunde subridens, et manu quidem annuens, cumque benedictione eam dimittens, ad suos comites abiit, per aliud iter quam quo venerant remeantes. Ille semper in admonendo, atque exhortando novellos illos, apud quos iter agebat, veteris ac novi Testamenti parabolas dulciter spiritualiterque interpretabatur.

Samson serpentem obvium necat.

32 Dum autem iter agerent, præcedens illos Ammon vidit semitam, et circa semitam quasi igne exusta rura, et quoddam vestigium quasi trabes traheretur per exustas herbas; ac primo quidem intremuit, fratrique suo sequenti se monstravit, dicens : En, frater, quem audivimus apud parentes nostros esse in hac silva serpens antecedit nos, et, nisi fallor, non longe a nobis est. Fraterque ejus læto admodum vultu respondit, dicens : Noli timere, frater, jam enim arma nostra omnia cum Deo sunt tuta. Sanctus vero Samson utriusque verba prudenter prospiciens, ita sermonem exorsus est : Unde confabulatio inter vos orta est ? Ammon respondit : B Vides, electe Dei, en serpens ante nos repit. Sanctus autem Samson, ita quieta mente consolans eos, ne timerent, suaviter dixit : Fidentes estote in illo qui dixit : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc et transibit, et nihil impossibile vobis erit. (*Matth. 17, 19.*) Itaque et vos stabiles estote exspectantes me huc usquedum ad vos revertar, orantes et silentes de eo quidquid audieritis. Sedentibus autem illis, et illo ulterius progrediente, cœpit avunculus ejus insequi eum, dicens ei : Electe Dei, melius est ut non tu solus eas. Permitte ergo me tecum ire. Qui respondens dixit ei : Non enim ego solus eo, sed Deus mecum est : vos autem, sicut jam dixi, hic sedete donec cum victoria ad vos redeam : ille vero axim *d* festinanter tenens, vidit a longe serpentem flammivoma crista erecta per vasta deserta serpitantem ; atque ille per Psalmi cantus primo vocem elevans, Dominus, inquit, illuminatio mea, et cetera. (*Psal. 26.*) Serpens vocem pariter ac nidorem ejus audiens, ibi cauda erat, caput cum sibilo ac furore vertit. Tum ille, quasi anguem pusillum videret, concurrit ad eum. Ille serpens nihilominus glebam morsu e terra apprehendens, in advenientis faciem vix ægre jactavit, ac deinde C ut vidit hominem fidenter venientem, et maxime Dei virtutem circum se septantem *e*, sibilum ingens diræ vocis quasi gladio cæderetur, emittit, et postea tremens in sphæram se velociter colligit, caudam rabidis rodens dentibus. Sanctus autem Samson consuetum atque electum apud se decantans Psalmum, cujus initium est, Confitemini Deo Deorum, (*Psal. 135.*) signum circuli erga se se circumseptans fiducialiter fecit, et signum Crucis imponens, ajebat : Vade modo quousque permittaris. Tum vocatis comitibus suis dixit : Venite fratres, et videte opera Dei, ut fides inde firmior sit. Venientes autem viderunt serpentem e circulo suo pigre satis se volventem super terram tarde repere, et usque ad locum fixi baculi Sancti in gyro rotitare, iterum atque iterum idem faciens, nullatenus ultra terminum caput quiverat erigere. Sanctus vero Samson interim consolabatur eos per dulcia euangelica verba, confortans eos in fide, ac dicens : Creatorem vera fide credentes creaturam timere non debetis, multaque alia hujus modi verba exhortans per totum diem docebat eos verba ædificationis. Tum sanctus Samson videns diem prope finiri, serpenti exclamavit, dicens : Longum est iter nostrum, tu autem vitam amplius non habes, et ideo impero ego tibi in nomine Jesu Christi, ut præsentibus nobis in hac hora moriaris. Nec mora, serpens supra caudam stans, caputque sursum levans, arcumque de se inepte faciens, evomuit omne venenum, et mortuus est.

A. Anonymo subæquali.

33 Tunc hi omnes in commune Deo omnipotenti gratias referentes, iter pergere tentaverunt, atque ad monasterium cum prosperitare die tertio, Domino comitante, pervenerunt, ibi et supradictus Dubricius episcopus, quippe in sua domo commanebat initiante jam Quadragesima Paschæ, audiens de sancto Samsone et comitibus ejus gavisus est valde : (mos namque erat illi episcopo totam pene Paschæ Quadragesimam in eadem ducere insula) consolationemque ei erga patrem, avunculumque suum humane et amanter præstitit.

Mss. secedendi in monasteria tempore Quadragesimæ.

ANNOTATA.

a *Ut barbara est* theomacha *illa, ἀπὸ μετὰ τοῦ Θεοῦ.μάχεσθαι, per quam Venificam aut sagam intellige ; ita hic barbare describitur* hirsuta canutaque, venalem, *seu telum venatorium, infra num.* 29 trisulcam lanceam, bribetham, *an* birrhatam ? *inquit Cangius,* chrysulatamque, *forte deauratam,* manu tenens, *et per silvas* volucritans ; *quæ ex sensu magis quam ex vocum nativa significatione intelligenda, sive* crisulatam *scribas, sive* trisulatam. E

b *Male in edit.* Ego die ; *ex Mss. correximus.*

c *Intellige* patruum ; *agitur enim de supra nominato* Umbrafel, *Ammonis fratre. Notabis etiam in editione post* avunculo, *omissum* et diacono, *quod restituimus ut sit* comitatus quatuor.

d Axim tenere *intelligo,* recta via progredi, *seu a proposito non dimoveri.*

e Se circumsepientem.

CAPUT IV.

Abbas Pironi suffectus, in Hiberniam proficiscitur, reversusque cum patre et aliis in solitudinem secedit ; ac, nequidquam fugiens, alteri monasterio præesse cogitur. F

Samson a Dubricio episcopi pistor constituitur.

Quadam autem die diaconem illum, qui cum sancto Samsone viam fecerat, sanctus Dubricius papa seorsum vocans, diligenter percunctatus est ab eo cunctos eorum eventus in itinere. Sanctus ergo diaconus omnia per ordinem replicans, ac de sua ignavia, quæ ei in via evenit, cuncta disserens, omnia facta quæ fuerant, interroganti se episcopo nihil omnino celavit, sed cuncta ei humiliter dixit. Sancto vero papæ Dubricio hæc omnia in admiratione fuerunt, sciens ipse sanctum Samsonem Deo esse plenum ; officium pistoris *a* sibi ea hora injunxit, dicens ei : Omnia bona quæ in hac cella, Deo donante, abundant, ad dispensandum tibi præcipio, et maxime Domino impertiri per te volo. Ille vero secundum senis præceptum obedientiæ causa faciens omnia secundum Deum agebat. Videbatur namque

A. ANONYMO SUBÆQUALI.

que per singula momenta nomini Domini et caritati cuncta erogare.

Calumniam sibi illatam diluit.

35 Sed diabolus qui numquam humanum infestare cessat genus, quemdam fratrem, qui ante se pistor fuerat, invidiosis succendit facibus, derogans sancto Samsoni et dicens, fœnerasse Samsonem in effusione omnia quæ habuerant, et maxime lanternas melle plenas indecenter evacuasse. Hæc malitiosa quæstio pervenit ad episcopum. Episcopus autem latenter ad cellas erumpere * cupiens, ea hora antequam veniret, puerum ad sanctum Samsonem ut eum in cellam venire imperaret, misit. Sanctus vero Samson, spiritu revelante, causam agnovit, atque in cellam continuo introiens, lanternis signum Crucis imposuit: et dum episcopus venit, plena omnia et perfecta reperta sunt. Episcopus autem hæc admirans, Samsonem plenum esse Deo indubitanter credidit, atque in officio sublimiori præesse ceteris dignum esse judicavit.

* al. a cella exire.

Abbas Pironi sufficitur.

B

36 Nam non longe post in eodem monasterio res inopinata facta est. Idem Piro in tenebrosa nocte, et quod est gravius, ut ajunt, per ineptam ebrietatem in claustra monasterii deambulans, solus in puteum valde vastum se præcipitavit, atque unum clamorem ululatus emittens, a fratribus fere mortuus a lacu abstractus est, et ob hoc ea nocte obiit. Et factum est ut hoc episcopus audivit, omnes fratres ibidem commanentes pernoctare fecit, ac deinde consilio post Matutinum facto, sanctum Samsonem unanimiter abbatem esse hujus monasterii omnes voluerunt. Obediente illo *b* non voluntarie fratres suos secundum rectam regulam suaviter instruebat, atque in loco hoc non plus anno et dimidio primatum tenens, eremitam se plusquam cœnobitam monachum fratres judicabant. Studebat itaque inter dapes abundantes et pocula inundantia jejunus semper ac sitiens esse. De vigiliis autem non opus est aliud dicere, quando (sicut jam dixi) nulli umquam lectulo corpus suum concedebat.

b

In Scotiam seu Hiberniam proficiscitur.

C

37 Evenit autem ut advenirent ad eum quidam peritissimi Scoti de Roma venientes, ac diligenter perscrutans eos inveniensque philosophos eos esse, ad suam patriam illos comitatur, episcopo permittente: ibique non multum demorans, multasque virtutes Deo auctore faciens, ab omnibus religiosis illius provinciæ, ita ut angelus Dei venerabatur, ac per eum Dominus in eadem provincia multos cæcos illuminans multosque leprosos mundans, ac dæmoniacos fugans, plerosque de via erroris salvavit. Quinimmo omnia, ut ajunt, miracula in hac patria per eum Dominus operatus est, unum tamen e pluribus in medium deducamus.

Dæmoniacum liberat.

c

38 Nam cum in arce Ætride *c* moraretur, navigationem sperans redeundi ad Britanniam, quodam die veniente recto vento ab Aquilone, et navi jam parata, viris nauticis iter festine properantibus atque eum compellentibus ut navem confestim ascenderet, respondit sanctus Samson: Opus prius habemus Dei permissum faciendum quam navigemus. Viri autem nautici ad offensionem provocati, non sperantes eum venire, atque velum jam levantibus, mansuete ipse sic ait: Ite in pace, hodieque Deo volente revertentes in crastinum pariter navigabimus. Euntibus autem illis, ecce vir quidam missus e proximo monasterio, rogabat eum ut iret cum illo ad monasterium dicens: Abbatem nostrum diabolus invasit, et illum alligatum dimisi, interrogans semper de te, si jam ad tuam exiisti patriam. Sanctus autem Samson jam divinitus sciens, cum illo perrexit, atque fratrem dæmoniacum reperit alligatum. Cumque illum ad ostium domus, in qua dæmoniacus erat, appropinquantem vidisset, exclamavit voce magna dicens: En quem semper usque hodie quæsivi, en quem speravi, en contra quem stare non possum. Hæc cum dixisset, quasi expiratus ad lectum decidit, atque orante sancto Samsone, energumenus suo sensui, suæque rationi, Domino operante rediit, pariterque corporis et animæ sanitatem per illum electum lucrans, ac monasterium suum cum omni substantia Samsoni præcipiens, seque Deo serviturum devovens, sanctum Samsonem citra mare secutus est, ac comes illius semper fuit: cujus bona quidem acta, et bonam conversationem post ruinam scio, sed nomen nescio. Referentibus autem mihi de eo litteris transmarinis supra jam insignatis, in Penetale *d* monasterio quievisse, atque inibi optimam et arduam vitam duxisse, certum teneo. Sed cœpta sequamur.

D

d

E

Samson in suum monasterium revertitur.

39 Benedictis ac firmatis in monasterio fratribus, quousque abbatem illis secundum Dei voluntatem mitteret, sanctus Samson obviam navi, quippe Deo illuminatus, abiit. Et factum est, dum ad portum cum suis comitibus iret, invenit navem ea hora portum tenentem, ac de navigio verso vento revertentem. Tum læti admodum ad invicem cohærentes, rem quæ acta esset ex utraque parte referentes, ea nocte inibi manserunt, navigationem futuram in mane sperantes, quam veritas postea probavit rei. Nam erumpente post noctem luce recto vento, itinere prospero, Deo gubernante perrexerunt, atque illam insulam, in qua ante habitaverat, altera die petierunt, invenitque patrem et avunculum suum in illo monasterio omnibus pene ac præ ceteris ibidem regulariter degentibus in Dei mandato præcelsiores ac laudabiliores esse, ex hoc gratias referebat omnipotenti Deo.

Postea in solitudinem secedit cum patre et aliis duobus.

F

40 Volentibusque fratribus ut denuo cum illis conversaretur, non acquievit, sed desertum desideratum petere voluit. Rogantibus se supradictis duobus fratribus, ut cum illo semper habitarent, boni quidem ambo erant, sed Umbrafel vel in aliquantulocumque videbatur præcellere. Dicebat autem illis Samson, non licere eos carnales in eum affectus sequi. Dicebat namque avunculus ejus: Scis tu, Electe Dei, quod te suggerente, omnes carnales affectus reliquimus, et ideo tu quia spiritualis es, non te carnaliter, sed spiritualiter sequi debemus. Tum sanctus Samson provido spiritu dixit eis: Tu quidem frater Umbrafel, peregrinus debes esse. Et dixit Umbrafel Deo gratias. Et postea sanctus Samson prævidens in spiritu, avunculum suum presbyteratus officio jam mature perfuncturum, ad monasterium quod fratre ei supradicto donante, in Hibernia reliquerat, abbatem qum sua benedictione misit, Ammonemque apud illum una cum fratre presbyteri invidentis, atque cum supradicto Scotico fratre, quatuor pariter, vastissimam eremum adire fecit, ac juxta Abrinum *e* flumen castellum admodum delicatum reperiens, atque in eo fontem dulcissimum inveniens, habitaculum suis fratribus in eo facere cogitavit, rogans ut aliquem ei subterraneum specum Dominus dignaretur ostendere: quam illam devotissimam precem Dominus placide adimplevit.

41 Nam quodam die silvam perambulans, reperit planissimum atque secretissimum specum, ostiumque

A. ANONYMO SUBÆQUALI.

A ostiumque ejus Orientem situm, ibique quasi a Deo fuisset datum, habitare amanter amplexus est, atque post hebdomadæ dies jejunus ac sitiens, unum quidem panem siccum habebat, sed aquam unde sitim emendaret omnino non habebat. Factum est autem ut dum demum septima die horam circa tertiam jejunus sitiensque perorabat, atque facies ejus ad terram in veniæ flexione attingebat, glebam sensit sudantem, et hastam sui baculi figens fons emanavit dulcis aquæ, ibique a suis fratribus panis totus sibi post mensem integrum deferebatur, locusque in quo tres fratres supradicti fuerunt, usque ad tempus quando ego fui in Britannia, magno semper venerabatur cultu, oratoriumque inibi est compositum, ubi sanctus Samson per cunctos Dominicarum dies ad Missam cantandam et ad Christi Communionem veniebat.

In synodum vocatur,

42 Facta itaque synodo et percunctantibus majoribus ubinam sanctus Samson latitaverit, adfuit quidam qui dicebat, se compertum esse ad illam speluncam in qua sanctus Samson cælestem agebat vitam, necnon et ad illud castellum ad quod B sanctus Samson cunctis Dominicarum diebus cum tribus his fratribus, placabilem inibi Deo regulam colentibus, ad Missam cantandam veniebat. Tum hi omnes, inito consilio, indiculum dirigunt, (quod indiculum ego audivi lectum) non debere eum propter semetipsum laborare: quippe quem multis profuturum prorsus præsciebant, atque ad synodum eum venire acriter, amanterque cogebant. Perlecto itaque illo indiculo, non spontaneo cum illis cursu, uno tantum de tribus comite ad synodum venit. Majores autem videntes eum læto admodum vultu, quasi angelum Dei viderent sanctum Samsonem honorifico exceperunt obsequio, abbatemque eum nolentem in monasterium quod, (ut ajunt) a sancto Germano fuerat constructum, constituerunt, diem consuetum habentes, quando ad episcopos ordinandos in eodem loco convenirent, id est beati Petri Apostoli Cathedra.

ANNOTATA.

C a Œconomum, *opinor, voluit, dicere, aut saltem* cellerarium. *Sic paulo inferius intellige, quid velit per* S. Samsonis fænerasse *et per* lanternas *melle plenas.*

b *Frequens hic ea constructio, sexti casus pro recto et contra.*

c *Mss. legunt* Etri, Ætri *vel* Ethri; *portum Hiberniæ intellige, sive vero, sive corrupto nomine.*

d *De eo monasterio vide quæ infra notata sunt ad cap.* 6 *litt.* a.

e Sabrinam *dicere voluit, vulgo* Severne, *a quo deinde* Sinus *sive astuarium Sabrinianum, Anglis* Severne flud. *Alii notant* Sabrin *appellari. Infra num.* 45, *vocat hic auctor* Sabrinum mare.

f *Notatur in editione hic agi de Cathedra S. Petri quæ* 22 *Februarii in primis Ecclesiæ seculis celebrata est, ut ex S. Augustino serm.* 15 *de Sanctis et Conc. Turonensi* 11 *can.* 23 *intelligitur. Nam festum Cathedræ S. Petri, quod* 18 *Januarii colimus, non adeo antiquum est; sed in una et eadem festivitate mense Februario instituta, utraque Cathedra Antiochena et Romana olim celebrabatur. Videatur Menardi observatio ad S. Gregorii Sacramentarium pag.* 46 *et* 47.

CAPUT V.

Miraculosa ordinatio episcopalis; angeli Missam celebranti assistunt: in Armoricam properans, miraculis suis multos paganos prius ad fidem convertit.

Samson episcopus cælitus consecratur

Factum est autem, ut illo annuali festo appropinquante, episcopisque ad consuetum expectatis conventum, sanctus Samson admirabilem vidit visum. Quadam nocte circumseptari se a delicatis ac densissimis canditatorum turbis cernit, et tres episcopos egregios diadematibus aureis in capite ornatos, atque holosericis ac pulcherrimis amictos vestibus in faciem sibi adsistere, atque cum illis ecclesiam pariter ingredi eum orationis causa compellere. Ingressus itaque ecclesiam, E ut ipse post referebat, horum trium nomina sedule humiliterque percunctatur, et hoc responsum recepisse ab eis, Petrum, et Jacobum Domini fratrem, et Johannem Euangelistam esse; causam vero adventandi, eos fuisse a Domino Jesu Christo missos ad confirmandum eum maxime præelectum Domini Sacerdotem. Perfuncto itaque ab eis secundum morem integre episcopi officio, et eorum benedictiones illo accepto, illi abierunt, et ipse evigilans sensit per spiritum summum se sacerdotem jam factum. Venientibus autem illis episcopis ad diem condictum consuetumque, duos apud illos ad ordinandum deferentibus, tertium secundum morem antiquitus traditum ordinare volentibus, sed quis adhuc esset ignorantibus, nocte insecuta adest Dei angelus ad sanctum papam Dubricium (ut ipse postea referebat) in somnio sanctum Samsonem summum Sacerdotem fore firmans, Deique placitum esse dicens. Sanctus Dubricius præ gaudio hujus angelicæ collocutionis omnes optimos consiliarios congregationis expergisci, atque in unum convenire fecit, ovanter explanans eis quod viderat et audierat, et quod F jam in mente ejus retinebat, sacerdotem eum ordinare, quippe cujus magnificas virtutes, quas jam Dominus operatus fuerat, optime sciebat.

Cathedræ episcopali imponitur.

44 Tum omnes consiliarii sine ullo disjunctu episcopum eum fieri accepte firmaverunt. Quo cognito sanctus Samson suam visionem Dubricio papæ, ut ipse vidisset, integre publicavit. Conferentibus ad invicem sapientibus, atque episcopum eum integre per, hoc miraculum jam factum indubitanter credentibus, insidere eum cathedram episcopalem a, atque confirmare cum aliis duobus pro fidei firmitate statuerunt. Insidente itaque eo condignam cathedram, omnes ibi adstantes viderunt columbam cælitus emissam vocem consuetam reddere, atque super eum tamdiu immobiliter stare, usquequo perfecte est, atque ordinatus episcopus, non (ut est avibus moris) pro adstantium tumultu et pro ministris per ecclesiam undique discurrentibus loco movebatur. Cantante autem illo eodem die Missam, præsentibus omnibus, visum est Dubricio papæ ac duobus egregiis monachis, quasi ignem de ore ac naribus ejus erumpere, atque (quod est his majus omnibus) ab eo die quando presbyter fuit, usque ad

Angelos tempore sacrificii præsentes videt.

A. *Anonymo subæquali.*

felicem suum finem, quando Missam cantabat, angeli semper Dei Sancti ministri altaris, ac sacrificii apud ipsum videbantur, oblationemque cum suis manibus, illo solo vidente, frequenter frangebant.

Deo monente in Armoricam transire parans, in itinere consanguineos visitat.

45 Succedunt itaque mirabiliora mirabilibus, et terrestria cælestibus mirabiliter copulantur. Nam cum quadam nocte Paschæ Missam cantaret, et juxta morem suum post eulogium tantum ad altare ipse solus staret, immo et Deus cum illo, in somnis dietenus destinavera *b*, orante illo illico in excessum mentis exiit, atque adsistere sibi magnum virum magna claritate fulgentem vidit, qui et ipse, ut narrare postea suum patrem audivimus *c*, primo hujus visionis enormitate intremuit, atque ab eo vocem consolationis ne timeret audivit sibi dicentem: Confortare Sancte Dei et viriliter age: amabilis enim, ac devotus es Deo. Ideo enim intimidus ausculta sermones meos, missus enim sum ad te a Domino meo. Non enim debes in hac patria diutius immorari, peregrinus enim destinatus es, atque ultra mare in ecclesia maximus futurus es, maximo sacerdotali honore
B condignus. Hæc et multa his similia commemorans et valedicens advenientibus fratribus ad matutinalem synaxim angelus ab eo pacifico recessu exiit, et ille tota fidei alacritate visionem recipiens, atque in sua mente memoriter retinens, consummato Paschalis solemnitatis officio, sine mora iter suum citra Sabrinum mare, invitis ac flentibus cunctis congregationibus direxit, atque in via matrem, materteramque suam visitans, earumque ecclesias jam ædificatas consecrans, ac sororem suam, jam a sua matre discessam adulterino coïtu, immo constupratam reperiens atque excommunicans, ac de suis fratribus et consobrinis nobilem et catholicam vitam cum suis matribus ducentibus gratanter congaudens, multumque in illis locis bonum ad ædificationem spiritualium virtutum instruens, multosque inibi ægrotos de corporis pariter et animæ peste liberans, atque virtutem suæ benedictionis omnibus illis libenter donans, prospero navigio ad monasterium, quod
C Docto vocatur, sequentibus se supradictis tribus et multis aliis felici perrexit itinere.

Ad quoddam monasterium divertit.

46 Audientes autem fratres qui erant in hoc loco de ejus adventu, et maxime exigente illo ab eis ut aliquis sapiens appellaretur, ad se statim dirigunt sapientissimum illorum ad colloquendum secum, Juniavum *d* nomine, qui et ipse Britannica lingua cum illi Lux vocitabatur. Erat namque ille divinitus inspiratus et multum de futuris conscius. Cum autem venisset ad locum ubi S. Samson erat, honorifico eum salutatu adorabat, atque de ejus adventu gratias referens omnipotenti Deo, ac cum illo pariter considens, percunctabatur humiliter ab eo quo tendebat. At vero dicente sancto Samsone causam illius itineris et rogante, ut vel aliquantulum spatii cum illis requiesceret, sanctus Juniavus prævidens spiritu ita docibile dedit responsum: Desiderabile, inquit, o Papa amantissime, iter servo Dei est quo pergis, laudante Deo in Euangelio, peregrinum propter illum fieri. Verumtamen quod exigis, ut apud nos quiescere deberes, conveniens non est, ne qui valde melior nobis, utpote inferioribus, condemneris, et nos de te (quod est justius) nostris meritis exigentibus condemnemur. Hoc enim scire te volumus, quod jam in nostris prioribus institutis relaxamur, te vero tuum iter in pace peragentem oportet vel semel antequam transfretaveris in Europa *e* manifestari, ut per te adhuc D antequam desis a nobis corpore, virtus Domini manifestetur in ista provincia.

Mare trajicit.

47 Audiens autem hæc sanctus Samson, stupefactus est super doctrina ejus, Spiritum sanctum super eum proloqui providens, atque ita dimittente in eodem loco navem suam, plaustrum ordinans ad portanda spiritualia utensilia sua atque volumina, suumque currum in duobus imponens equis, quem de Hibernia apud se asportaverat, patriam pertransiens, Domino comitante, iter suum ordinavit. Longævus viator mare quod Austejum *f* vocant, quidquid ad Europam ducit desiderabiliter petiit, præcedentibus se choris fratrum, aliis nihilominus retro insequentibus, ipse in medio solus, ut decebat, Deum diebus ac noctibus incessanter precabatur.

Paganos idolum colentes corripit.

48 Quadam autem die, cum per quemdam pagum, quem Tricurium vocant, deambularet, audivit (ut verum erat) in sinistra parte idolum homines bacchantum ritu in quodam fano per E imaginarium ludum adorantes: atque ille annuens fratribus ut starent et silerent, et ipse de curru ad terram descendens et ad pedes stans, attendensque in his qui idolum colebant, vidit ante eos in cujusdam vertice montis simulacrum abominabile adsistere, (in quo monte et ego fui, signumque Crucis quod sanctus Samson sua manu cum quodam ferro in lapide stante sculpsit, adoravi et mea manu palpavi;) quod sanctus Samson ut vidit, festine ad eos, duos apud se tantum fratres eligens properavit, atque ne idolum, unum Deum qui creavit omnia reliquentes, colere deberent suaviter commonuit, adstante ante eos eorum comite Guediana; atque excusantibus, illis malum non esse mathematicum eorum partum *g* in ludo servare, aliis furentibus, aliis deridentibus, nonnullis autem, quibus mens erat sanior, ut abiret hortantibus, continuo adest virtus Dei publice ostensa. Nam puer quidam equos in cursu dirigens, a quodam veloci equo ad terram cecidit, collumque ejus subtus se plicans exanime pene corpus in terra tantum remansit. F

Hos mortui pueri suscitatione convertit.

49 Flentibus autem circa illum vicinis suis sanctus Samson dixit: Videtis quod simulacrum vestrum non potest huic mortuo adjutorium dare? si autem promittitis, vos hoc idolum penitus destruere, et non amplius adorare, ego illum, Deo in me operante, redivivum resuscitabo. Acquiescentibus autem illis, jussit eos paulo longius secedere, atque illo orante super exanimem per binas ferme horas, illum qui expiratus fuerat, redivivum palam omnibus atque incolumem reddidit. Videntes autem illi unanimes omnes una cum supradicto Comite procidentes ad sancti Samsonis pedes idolum penitus destruxerunt.

Item serpentem necat, et in antro monasterium condit.

50 Tunc Comes prudens omnes ad confirmanda eorum baptismata a sancto Samsone venire fecit et ille una cum eis veniens laudans Deum et dicens, Ecce angelus Dei cælitus missus venit eripere nos de nostro errore! Sed adhuc, Sancte, scrupulum ingens habemus mentis. Sanctus Samson dixit: Quid est hoc? Comes respondit, habemus quemdam agrum egregium a quodam venenoso ac pessimo serpente occupatum, hic vero serpens in quadam impenetrabili spelunca habitat propemodum duos pagos delens, nullumque hominum habitare inibi licet. Quo audito sanctus Samson intrepide dixit: In nomine Domini nihil dubitantes eamus; si vero creditis, vestris videbitis oculis in hoc serpente Dei magnalia

A magnalia. Indubitanter vero inito consilio, abierunt cum sancto Samsone. Juvenis autem qui nuper suscitatus fuerat, clericatum promittens, secutus est eum. Sanctus itaque Samson præcedebat exercitum, et puer ille, qui nuper fuerat suscitatus, ducatum præbebat ei, usquequo altera die post noctem illuminante, illud horribile antrum, ubi serpens erat, suis viderunt oculis. Tum puer; Electe, inquit, Dei, an vides antrum ultra flumen in quo serpens est? At ille in Domino fisus, exercitui pariter ac suis monachis inibi manere jubens, ille solus, immo et Deus cum illo, ultra flumen transivit; suo puero insequente eum, venerunt pariter ad ostium terribilis antri. Sanctus vero Samson inspiciens puerum insequentem eum atque subridens, ita dixit : Confortare, frater, et viriliter age. Isque subjunxit : Quem timebo, Electe Dei, Deus tecum est. Præcipiens vero illi, ut paulo eminus staret, ille audenter antrum ingressus est; serpens vero ut vidit eum valde intremuit, volens rotare ad suam caudam furibunde rodendam, ille vero confestim apprehensam lineam zonam, qua erat accinctus, confestim in collo ejus imposuit, ac juxta se trahens, de quadam eum grandi altitudine præcipitavit, præcipiens, in nomine Jesu Christi ne amplius viveret. Puer autem hæc videns, rapido cursu ad exercitum et ad Comitem perrexit, cuncta eis quæ viderat per ordinem replicans : illi autem nec audientes continuo omnes ad eum placide venerunt, volentes eum apostolico excipere obsequio. Ille autem non grande ab eis accipere voluit, sed pro virtutis ostensæ honore jussit, suis ut monasterium prope antrum fundarent, ipse vero in antro interim cælestem ducebat vitam, jejuniis semper et orationibus incumbens.

B

Fontem inibi precibus obtinet.

51 Sed illud miraculum quod in hoc eodem antro ob illum Dominus monstravit, non silentio relinquendum puto. Nam cum quadam die sitis causa * ut illi Dominus aliquid consolationis aquæ post nimiam jejunii sitisque lassitudinem donare dignaretur, sine mora omnipotens voluntati ejus satisfaciens *; precante illo, sensit de lapideo superliminari antri illius frequentissimam quasi de nimbo guttam aquæ fluere et prope antrum supra quamdam petram veloci descendere cursu. Tum vero ut hoc vidit, valde inde gravisus est, ac per hoc sensit per spiritum, suæ preci Deum auxilium dedisse, et usque hodie non die, non nocte desinit fluere.

* *supple* oraret

* *al.* satis fecit

C

ANNOTATA.

a *Nec Eboracensis nec Menevensis sedis ordinatum episcopum* Samsonem, *vel ex hoc loco satis patet : verum hac de re in Commentario actum est satis.*

b *Implexa constructio, quam codex Belfortianus paulo clariorem reddit :* Cum quadam nocte sancta Paschæ Missam cantasset et juxta morem suum, post eulogium, *(opinor, Missa jam celebrata)* tantum ad altare solus stare destinasset, orans illico in excessum mentis rapitur.

c *Melius diceret,* suum patrem narrasse audivimus, *nam ex aliis satis patet, scriptorem nec* S. Samsonem, *nec patrem ejus novisse.*

d *Alias* Viniavum, *vel* Vivianum, *de quo alibi nil legere memini.*

e *Belf. legit* antequam transfreteris in Europam : *quasi diceret, debes hic manifestari, antequam ad aliam gentem proficiscaris.*

f *Sive* Ansteium *scribas, sive* Austeium, *vel ut alii* Auferreum, *mare Britannicum intelligit, quo in Franciam trajicitur.*

A ANONYMO. SUB AEQUALI.

g *Alii legunt* parentum : mathematica *hic sumitur pro* magia. *Quid jam certo sit* partus mathematicus, *divinet qui potest.*

CAPUT VI.

Pluribus prodigiis apud Gallos inclarescit; Judualum a rege Childeberto impetrat, atque item monasterium, post serpentem in mare præcipitatum. Piissimus S. Samsonis obitus.

E

Patre suis præposito, in Armoricam navigat, ubi leprosam ac dæmoniacam sanat.

Recepto itaque suo consobrino, in principio nostri operis jam dicto, atque diaconatus officio excepto, ac monasterii illius perfecte constructi suo patri præsulatum præcipiente, consummatisque virtutibus, quas in illa regione per ipsum Deus fecit, navigationem citra mare secundum suam promissionem, Deo ducente, destinavit, comitantibus cum illo plerisque monachis, et maxime diacono illo, de quo jam nos dixisse sufficit, prospero cursu portum in Europa desideratum tenuerunt. At descendentibus illis de navi viderunt tuguriolum non grande prope portum situm, ad quod sanctus Samson appropinquans vidit ad ostium mansiunculæ Privatum plorantem, atque ad mare semper inspicientem. Sanctus vero Samson intendens in eum percunctabatur ab eo quidnam hoc esset. At Privatus dixit ei : Tres sunt jam dies totidemque noctes a quibus spero in hoc portu auxiliatorem quem Deus mihi transmarinum venire promisit. Sanctus Samson illi dixit : Quis est dolor tuus? Ille dixit : Uxorem habeo in hac mansione leprosam, necnon et filiam dæmoniacam, et promissionem habui illarum sanandarum in hoc portu. Sanctus vero Samson incunctanter in illam mansionem introiens, ac super utrasque ægrotantes orationem fundens, sanas atque incolumes eas, Deo auctore, coram omnibus dimisit, ac inde exiens, Deo duce aptissimum reperit inibi locum, atque honorificum fundavit monasterium, quod usque hodie proprio vocabulo Dolum *a* nuncupatur. Multa inde mirabilium opera seminans, ac multa monasteria per totam pene provinciam fundavit : quæ si per singula omnia scribantur, ad excessum de incœptis *b* ducemur.

Dolum monasterium et alia construit.

F

b Childebertum Regem adit.

53 Unum tamen maximum ac mirabilissimum opus, quod in Europa per eum Dominus fecit, non silentio prætereundum puto. Nam cum omnes regiones in maximo mœrore deprehendisset, causamque ab eis sedule percunctasset; dicunt ei injustum super eos, ac violentum, externumque judicem *c* venisse, atque eorum præsulem, Jonam nomine, hereditario ritu illorum terram tenentem, per iniqua munera in manu regis, et maxime malæ ejus reginæ *d* inique data, morti tradidisse, necnon et filium ejus Judualum captivitati dedisse et morti, sed adhuc vivere confirmabant. Sanctus vero Samson hæc audiens per Dei dispensationem misericordia motus, adire regem Hildebertum ob Judualum propere profectus est, comitante illum semper in omnibus Christo.

54 Et

A ANONYMO SUBÆQUALI.

Energumenum liberat.

54 Et factum est dum in palatium fuisset ingressus, Deo utputa pro eo virtutem operante, invenit quemdam maximum Comitem energumeni dolore vexatum. Quo comperto sanctus Samson venit ad eum, et accepto oleo benedixit, ac perungens eum in vertice et facie et pectore multis inspectantibus, Deo auctore, qui ægrotus fuerat, sanus omnino factus est, statimque nunciatum est regi de eo et de mirabili quod per ipsum Deus fuisset operatus.

Judualum a rege repetit.

55 Volente illo cum rege fabulari, ac de eodem Judualo, ut sibi dimitteretur, sermocinante negatio impudens adfuit : ita ut numquam eum vivum videre dicebant. Sanctus vero Samson suavem admodum ac pertinaciter sermonem tenens incœptum precabatur : illi detestabilius negabant. Sanctus autem Samson videns ejus sermonem eos in nihilum ducere, iratus voluit ab eis discedere, minans degenerari eos a suis seminibus, si quem rogabat donare ei noluissent, furibunde egrediens
B clamante cum illo Comite a quo dæmon fuisset ejectus, et multis hortantibus regem ne Sanctus Dei offenderetur. Tum rex inito consilio cum suis Comitibus, Samsonem placare voluit, mala regina ejus in malo perseverante, ac Sanctum pravo vocabulo, quod nefas est dici, procaciter clamitante *e*, per artem malæ machinæ communicare eum cum rege, priusquam illi placaretur, rogat. Tunc sanctus Samson non spontaneo, sed necessario ritu communionem subiit, at mala regina, diabolo instigante, venenum sibi in vitro miscere fecit, ac sancto Samsone juxta regem sedente, apportari sibi per suum ministrum præcepit. Recipiente itaque rege vasculum suum, sanctus Samson signum Crucis imposuit, ingerente ante se ministro vitrum sibi cum veneno. Tum ille divinitus nimirum inspiratus, imposito in manu tenentis signo Crucis, vitrum in quo malum erat, in quatuor adunavit *f* partes, et vino effuso, manus tenentis usque ad ossa, viden-
C tibus multis crepuit. Sanctus vero Samson admiratus * admodum dixit : Non est conveniens hoc poculum homini ad bibendum. Imposita vero solito signaculo in manu læsi, coram omnibus sanus factus est.

Venenum a regina propinatum prænoscit.

* al. ita mile

Equum indomitum subigit.

56 Turbato itaque rege atque omnibus offensis, regina semper male in malo perdurabat : et factum est ut rege concedente ad locum ubi Judualus erat, sanctus Samson ire vellet. Tunc regina illa equum indomitum, impetuosumque ad vehendum eum de grege adduci ordinavit : quo viso, sanctus Samson in equum rebellosum signum Crucis imposuit, ac sella desuper imposita, ipse in equo insedit. Ita mitis equus et tremens erat, ut vix pedem movere, vel progredi tarde admodum auderet, mitigante illum Christo sub Electo suo.

Leonem fugat et verbo occidit.

57 Regina semper et ipsa durans in malo cogitatu, ac sanctum Dei Samsonem convincere et consummare volens, trucem ad iracundiam a suis custodibus provocare, atqus in portum dissolutum, furibundumque obviam sibi quasi nescientibus illis, adduci ordinavit leonem, progrediente sancto Samsone cum solitis armis ante suos comites. Ut autem leo trux, ac furens vidit eum recto ad se atque intrepido cursu dirigentem, mutata ferocitate, ac Deo illum pro suo Electo expugnante, quasi ictum in oculis accepisset, in festinam fugam se se dedit. Tum Sanctus ille nimio admodum turbatu motus, solita jacula post bestiam sub Christi nominis invocatione, quasi spirituali fundibulo emittens, ita dixit : Impero tibi in nomi- D
ne Jesu-Christi, qui dedit nobis potestatem calcandi super vos et super consimiles vestros, ut terror tuus ab hodierno die numquam excrescat in humano genere, sed præsentibus his omnibus velociter exspires, ut sciant et intelligant; quia Christi famulus huc missus sum in istam provinciam. Completa autem oratione, ac multis videntibus, leo præcipitavit se, atque exanimis in illa hora factus est. Tum hi omnes una cum illa regina hæc videntes, timore perculsi ceciderunt ad pedes sancti Samsonis, atque omne secundum placitum voluntatis suæ permissum est ei, ac ne injuriam pateretur, Judualum supradictum præstiterunt ei.

Serpentem relegat.

58 Tum rex placere volens per omnia sancto Samsoni, atque cum apostolico eum honore excipiens, ac de supradicto Judualo bonum promittens, submisse dixit : Ingens, Electe Dei, habemus mentis scrupulum, est enim malus serpens multum delens ac desertans de terra nostra. Audivimus te jam victorem fuisse in hac simili causa, E
et ideo vellemus, si tibi injuria non fuisset, ut depelleres illum a nobis. Sanctus vero Samson indubitanter dixit; Date mihi compertum in itinere et fidentem in Deum, et ego veniens in Dei virtute ejiciam illum. Tum quidem compertus ac fidens præstitit se ad comitandum eum. Relictis itaque comitibus suis in palatio cum supradicto Judualo, atque electis secum tantum duobus de suis, iter propere perrexit, comitante illum Christo. Factum est autem ut tandem venirent ad horrendum illud antrum, in quo serpens erat. Quo cognito, sanctus Samson dixit suis : Constantes estote et exspectate me huc, usque ad vos revertar. Manentibus autem illis, ipse intrepide, Deo utputa comite, ad ostium horrendi antri exiit, ibique jejunans et pernoctans et orans, tandem in nomine Jesu Christi serpentem ad se venire imperavit, atque illo tremebunde veniente, sanctus Samson apprehenso suo palliolo in collo serpentis imposuit, F
ac juxta se trahens, Psalmum jam dictum solitum cantans, ultra quoddam flumen, quod vocatur Sigona *g*, ire eum jussit, mandans ut sub quodam lapide maneret.

Childebertus in gratiam Samsonis monasterium condit.

59 Reversus itaque ille cum comitibus suis, atque ad palatium remeans, sui comites cuncta quæ de serpente viderant, regi cum suis omnibus narraverunt. Tum omnes timor ac stupor ingens invasit, ut nemo ultra offendere eum vel in minimo auderet. Volente itaque sancto Samsone cum Judualo ad Britanniam remeare, et rege libenter concedente, et monasterium *h* ei magnificum in loco unde serpentem ejecerat regis opitulatione construere disponente, fratresque inibi cum regis hortatu ad opus Dei exercendum dimittente, Legiam, Angiamque marinas insulas prospero navigio petierunt *i* atque homines multi sancto Samsoni satis cogniti, ejus hortatu unanimes secum et cum Judualo Deus dedit, ita ut Commorum injuste violantem uno ictu prostraverit, et ipse postea in tota cum sua sobole regnaverit Domnonia *. Denique ita sanctus ille Samson a supradicto rege Hildeberto honorifice exceptus est, ut omnia quæcumque vellet non solum largiter, sed etiam libenter, ac sine ulla mora daret ei, et familias et possessiones prærogativas largiens.

* id est Cornubia Armoricana.

Samson serpentem in mare agit.

60 Nam quodam tempore cum esset in domo sua Romania, rem infamosam audivit de serpente, quod non minus prioribus malum faceret. Tunc

A Tunc ille conscientia perculsus perrexit ad eum, ac denuo illum trahens in mare præcipitavit, mandans in nomine Jesu Christi eum mori, ne ullum amplius læderet. Nam quantas virtutes per eum Dominus, ultra citraque mare, et quantum invidiæ, blasphemiæque, maxime a sacerdotibus pravis pertulerit, numerum profecto excedunt, nec non opus de his singillatim rimare.

Moritur. 61 Perfectis itaque omnibus tam in Britannia, quam in Romania virtutibus quas per eum Deus fecit, constructisque ac munitis juxta exemplum suæ conversationis ab eo catholicis ecclesiis, perfecta jam vita et ætate, consummatoque bono secundum Apostolum, atque incomprehensibili cursu, utputa omnibus bonis moribus plene ac perfecte ornatus, felici exitu in Dolo monasterio corpusculum cum unguentis conditum, in sacro tumulo suo spei æternæ resurrectionis dimittens, sua felix anima cum hymnis atque angelicis choris ea hora, cum transiret, *k* auditis a fratribus, feliciter perrexit ad Christum, signumque beatitudinis ejus apud nos habemus in his scilicet signis, quæ quotidie per eum B Deus facit. Amen.

ANNOTATA.

a *Citatur hic in Vita edita Baldricus Dolensis episcopus, ut qui cap.* 6 *Vitæ* S. Samsonis *scripserit,* a prædicto Privati dolore, locum illum dolorem (quod lingua modernior Dolum dicit) *Sanctum* appellasse. *An apposite, viderint Britannicæ linguæ periti. Satis notum, Dolam in Armorica urbem esse episcopalem.*

b *Auxesis videtur; poterat certe auctor, Sancto tam vicinus, absque periculo ne* in excessum de inceptis nos duceret, *non nulla distinctius explicare.*

c *Et hæc obscura sunt, uti et ea quæ infra habentur num.* 59, *de quibus vide Lobinæum in Hist. Britan. lib.* I, *num.* 32.

d *Quæ de regina Ultrogotha memorat, adeo crude admittenda non sunt, non magis quam ea quæ refutat Cointius ad an.* 529 *num.* 8; *aut quæ in Vita a Boscio edita narrantur.*

e *Cod. Belfortianus legit,* procaciter vexans, proditorie tamen eum cum rege communicare satagit, C *ut nempe ea occasione uteretur ad eum veneno tollendum. Sed de stylo jam satis dictum est.*

f *Cod. Belfort. melius* divisit.

g Sequanam *hic sine dubio intelligit.*

h *Baldricum hic denuo appellat editio; qui* locum illum Pentale, seu Pentaliense *(quasi pœnitentiale)* monasterium, secundum Britannicæ linguæ idioma vocaverit: *ubi et Boscius citatur, asserens,* Sancti corpusculum in monasterio Doli Penetale, sub spe futuræ resurrectionis positum fuisse. *Noster sane infra Dolum monasterium etiam appelat, non* Pentalium *nec* Pentaliense *ubi Sanctus mortuus sit; Vide Commentarium prævium num. ultimo.*

i *Voluit dicere, opinor, insulas illas in fundationem a rege datas.*

k *Notatur in editione, et recte;* Cum S. Samson concilio II Parisiensi, anno 556 habito subscripserit, nec interfuerit Turonensi, itidem secundo, quod anno 566 celebratum est; circa annum 565 obiisse videtur. At non attigit 120 annos, ut auctor Vitæ a Boscio editæ scribit, alias S. Maglorius, qui ipsi successit, diuque supervixit, ejus condiscipulus in Eltuti schola esse non potuit. *Alia habes superius in Commentario quæ enormen hanc ætatem aliaque ad* S. Samsonem *spectantia evertunt.*

A. Anonymo. subæquali.

Præmonitio ad librum sequentem.

Q*ui hic* liber secundus, *tamquam ad* S. Samsonis *Vitam spectans, priori subjungitur, in cod. Ms. Belfortii pro majori parte truncatus, in Chiffletiano, cum variis aliis codd. collato, totus etiam exstat: ast alibi rectius vocatur* Sermo seu recapitulatio de virtutibus quas S. Samson gessit in corpore, vel quæ post mortem ejus ab eo sunt factæ; *qualem sermonem habemus Papebrochii manu descriptum ex cod. Cisterciensi C. num.* 19. *Verum utut eam partem appellaveris, verbosa ejusdem auctoris, qui Vitam scripsit, et obscura oratio est, multis pauca dicens aut narrans, quæ facile omitti poterant, utpòte meræ potius exhortationes quam historia, ut si pauca miracula excipias, reliqua Sanctis prope singulis in eorum festivitatibus commode aptari possint. Ceterum librum istum qualemcumque, jam olim in Actis* E *Benedictinis editum, hic recudendum censuimus, non immoraturi tamen explicando scabroso stylo, cui ex præcedentibus jam lector satis assueverit. Sequatur itaque*

LIBER SECUNDUS

Tigerinomali orationes exposcit auctor. Regnante perenniter Domino nostro Jesu Christo prope quasi ad seculi terminum, nostri, utputa idiotæ satis ac pigerrimi, magna tamen ex parte ob illum de quo sermo est, sanctissimum Samsonem, ac ornati ac politi operis prope finem immensum, ac profundissimum magni cujusdam maris pelagus, vadosa admodum ac parvissima imperitiæ meæ lintricula, fosso licet corde, prospero tamen Deo duce, navigationis causa, atque gracilis et incompertæ linguæ cælesti, ut ita dicam, illuminatione F percurrens, gratias agimus omnipotenti Deo, quod tantum opus de tam sancto atque egregio Viro per me peccatorem, ac per omnia indignum, catholico ac vero stylo tandem tradere dignatus est. Exinde me mihi, immo et audientibus et legentibus futuram ædificationem sperantem, ac firma fide flagitantem in tuis sanctis, o beatissime papa Tigerinomale, apud Deum intercessionibus opitulare, quæso; quia Deus omnipotens pie ex corde revertenti remittere consuevit. Ceterum, papa, credi a te volo, sicutjam dixi, quod non per omnia de sancto Samsone in mea mente memoraliter retenta stylo tradere volui, sed de multis pauca colligere sufficiens putavi, ut de eo quod pro certo apud nos habemus, tam in auditorum quam in lectorum mentibus ædificatio fertilis sit. Quod enim opus habemus de jejuniis, atque abstinentiis ejus plus protelare, qui plura multum scimus et audivimus? Sufficit enim, ut reor: sed poscimus, quisquis es qui hunc legis librumculum, ut mea me imperitia habeas excusatum.

S. Samsonis annua festivitas. 2 Eia jam, fratres carissimi, tanti ac talis viri Samsonis effamatam conversationem per quantam potuimus, ut reor, parvitatem ab Electi ejusdem principio beatum illius finem tenentes, te, o beatissime papa Tigerinomale, volente a suggerente, verissimis indiciis certitudinem indubitatam habentes, Deo nobis utcumque indignis donante, explanavimus; sed et nunc magnifica illa ac

A *A Anonymo. subæquali.* sancta annualis solennitas, in cujus digno ac mirifico honore anniversaliter celebrari solet, imminet, atque insinuat nobis hujus rei opusculo augmentum dare, atque in ipsius festivitatis gratulatione ad majores animarum profectus corda nostra dilatare. Nam sicut profectum inde habemus undecumque claruerit, tanti Viri virtutes inæstimabiles minime latere, atque ad ecclesiarum Christi opitulationem vel exemplum, normamque bene operandi, atque apostolico exemplo hujus optimi utputa Viri memoriam in exemplum profectus multis, ad culmen virtutis ardenter tendentibus, stylo protelare; ita et in hujus festivitatis repetitione ratio exigit, ut aliquantulum admirationis cum apostolico ac spirituali gaudio miscentes, dignum aliquid ob hunc mirificum apud nos atque annualem hujus festivitatis diem, vel in quantum nostræ possibilitatis virtus suppetit, evolvere. Atque cum ejusdem Sancti in virtutibus, quantum valuit B aliquid, nec quantum sufficit dictum sit, superest tamen vel de quotidianis ac præsentibus ejusdem virtutibus, cum præteritis supra jam scriptis non inconvenienter concordantibus, et maxime quas vel in hujus diei anniversali solennitate per ejusdem Sancti intercessionem Dominus indesinenter operatur, aliquid enumerando atque gratificando recolere, ut ex hac luce clarius cunctis hunc annualem diem catholice colentibus pateat, quia devotus receptus est hic Sanctus in cælestibus, per quem Deum apud nos cuncta cernimus cunctis perficere in terrestribus.

Miracula. 3 Quis enim vel nostris temporibus sufficienter enumerare queat, quanti imbecilles, quanti cæci, quanti claudi, quanti epileptici, quantique energumeni, qui diversis ægritudinum generibus obnoxii tenebantur, qui intercedente antistite nostro Samsone apud Dominum, cujus hodie grata est solennitas, a suis infirmitatibus sunt liberati? Innumeri enim sunt lectuli et grabati ab ægrotantibus dimissi. O quanti corporis et animæ valetudinibus detenti per hunc eumdem diem, eumdemque Sanctum, Domino operante, salvi sunt facti! Et quid est aliud de eodem Sancto memorare, nisi (ut mihi videtur) apo- C stolicam olim virtutem reciproca quadam ad nos reversione ac Dei dignatione tandem relustrantem, immensa cum delectatione recolere? Ut legitur in Actibus Apostolorum, congregatis in unum Apostolis, id est in porticu Salomonis (quod pacis et unitatis veræ signum figuraliter possumus intelligere) turbæ innumerabiles venientes, vel per eorumdem umbras ab omnibus suis languoribus quos habebant, unusquisque eorum sanabatur. Verum et usque hodie in toto orbe terrarrum ubicumque sunt diffusi ac repositi per annualia festa, quos in singulorum honoribus Christiani colunt, magnificas virtutes Dominus indesinenter operatur. Simili modo, et in hac annuali atque solenni die per istum, de quo nobis mentio Deo aspirante orta est, sanctum Samsonem non minori prorsus comparatione magnalia Dei verissimis testimoniis consequenter cernimus adimpleri, ita ut de ejus perpetuitate, atque de sua mirabili securitate atque inæstimabili (ut ita dicam) regni cælestis beatitudine ac gaudio spirituali, mens nostra hilarescit. Et inde est quod alteram vitam quasi perspicuis quibusdam intentionis aciebus cernere atque complecti Deo illuminante videmur, nec tam per ænigmata quam per ipsam (ut certius dixerim) veram ac visibilem rem quam operari ipsum inter nos Deo auctore videmus. Namque (ut dixi) aliam meliorem vitam ac perennem inter Sanctos Dei inesse indubitanter credimus, D quos inter nos vivos pollentes ac fortes in Dei opere conspicimus emicare.

4 Et ideo indubitata fide ac spe non quasi incerta, *Quomodo festa Sanctorum celebranda.* sed rectissima norma, fratres dilectissimi, Deo favente contendamus ex intimo ac summo conatu, ut ad hujus Viri sancti Samsonis coëssentialiter, id est fide tenus adminiculatim ancipitem vitam nostram convenienter componentes, atque in lectione hujus opusculi, licet exigui, cum impenso toto intellectu auditum nostrum diligenter commodantes; ut quæ illi profuerunt ad coronam, nobis prodesse possint ad salutem. Non enim decet ut quicumque sanctum Samsonem suis virtutibus atque annualibus vicissim sibi festivitatibus colere disponit, per vagas atque inanes vel ineptas immo et pravas operationes vitam suam cœnosa commaculatione contaminet: quia indecens nimis est ac Deo omnipotenti odibile, ut qui hunc solennem ac sanctum diem officio linguæ, ac solita significatione veneratur, coram omnipotente Deo in suo animo pollutus, vitia in ipso ac peccata regnent. Sic enim quidam sapiens dicit, E cum de die judicii disputaret, ait enim: Ad quos Apostolos, ad quos alios Sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul ac verba despeximus? Exempla vero hujus Sancti nimirum displicent illi, qui solenni ut puta consuetudine ore tantum celebrans, iniquis et malis mortibus dissipat. Quid enim prodest si aliquis ad dilectum quemque cujusdam principis accessurus, ut pro ipso intercessor sit et precator, et ipse in sui iniquis oppugnationibus eumdem intercessorem ad iracundiam provocet? Nonne et deterius illius animus accendatur, si per aliquam irrisionem ejus causa quasi invite ab intercessore ventiletur, et quod est gravius, mens præsidentis ad deterius exardescat, si sui dilecti animum per ignobilitatem ad defensionem magis quam ad placitum invitet? Sic enim in veteri Testamento legimus, cum Dominus contra populum rebellosum suam querimoniam ostenderet, et quasi ab ipsius petitione eum repudians, atque obominabiles illius obsecrationes competenter detestans, interseratis interim ac deductis nominatim ad medium optimis viris, ne pro eodem populo orare deberent, F prohiberetur, ait enim: Si moyses et Samuel adstiterint coram me, si * est anima mea ad populum istum. *Jerem. 15, 1.* ** l. non* Unde et non inconsonanter hoc recepit Euangelii testimonium, quod Christo auctore dicit: Quid est quod dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?

5 Honorare itaque, fratres mei, festa Sanctorum nihil aliud est, quam amanter suis bonis, *nempe virtutum imitatione,* quibus compti sunt, mentem nostram componere, atque ad illud ineffabile ac cæleste regnum, ad quod feliciter pervenerunt, non eos virtutibus coæquando, sed eorum augusta opera, quæ per immensam abstinentiam atque incredibilem (ut ita dicam) inexpertis, quibus omnia possibilia esse credenti non putantur, ad beatum usque finem vitæ hujus excercuerunt, imitando rectissima linea eosdem Deo duce sequi possimus. Ceterum, ut Scriptura dicit, nihil prodest interesse festis hominum, si decesse contingat festis angelorum. Quid prodest, ut dixi, si cum gaudentibus in hoc mundo gaudere videamur, et propter incondita ac prava opera, quibus Deus offenditur, a Sanctorum consortiis, id est a cælesti regno, quod perenniter cum Deo est, exsules ac separati

A. ANONYMO SUBÆQUALI.

A separati fuerimus? Ecce festa in terra egimus; curandum itaque summopere nobis est, ut ad cælestia ac perennia festa inter angelorum societates deputati, sine labe interesse mereamur. Transitoria ergo ac contraria his operibus, quibus Deus placatur, funditus amputare festinemus, nec in quibus fuimus, sed in quibus futuri sumus actibus perspicaciter intendamus: quia Deus omnipotens pie ex corde convertenti remittere spopondit, qui per Prophetam pollicens ait: In quacumque die, vel in quacumque hora conversus fuerit peccator ad me, omnes iniquitates ejus obliviscar.

Ezech. 33, 12, et seq.

ne alias nobis noceamus.

6 Nemo ergo confidat, fratres carissimi, si huic sacro festo humanis obtutibus interesse corpore tantum pareat, et ante occulti atque interni arbitri, qui testis et judex veraciter est, oculos in suis moribus corruptus et contradictor existat. Sed quoniam in principio ac fine alterius epistoliunculæ intexisse me memini minime tota quæ ad nostram venire cognosceremus memoriam de B virtutibus sancti Samsonis, vel in secundi opusculi hujus iteratione ad hujus rei exemplum opitulandum de illius assertione aliqua adhuc vel pauca sunt replicanda, ut inde cunctis melius ac firmius pateat, nihil prodesse inter Sanctos speciem sanctitatis dare, et ab iisdem Sanctis in conspectus omnipotentis Dei solius malis moribus et squalentibus se disjungere.

Diaconi cujusdam malos mores disseruit Samson.

7 Quodam namque tempore idem Samson ad visitandum papam Dubricium in superiore epistola jam memoratum, qui quadam ægritudine corporis vexabatur, atque idem Dubricius papa quemdam puerum valde sibi familiarem diaconem, Morinum nomine, eidem Samsoni, ut cum eo habitaret precaretur: S. Samson, ut era Spiritu sancto plenus, intuens in eum et signum Crucis (ut erat ei solitum) in ejus frontem imponens, atque amanter illum suis manibus recipiens ac deosculans, et deinceps paululum silens, ita responsum tandem læte admodum dedit: Rete, mi papa, cunctos, quos capere valet in mari, recipit pisces, sed ad terram demum deductum piscatores bonos discernunt a malis. Quo audito Dubricius papa (quippe cui ille carus valde erat diaconus) intra semetipsum gemens, taciturnitate apud se offensionem suam abscondit; sed tamen in suo C vultu minime celare potuit. Sanctus vero Samson subtili examinatione apud se hoc perscrutans, quasi non aliud dignosceret, suum chrisma (quo facilius papam placare posset) unde officium episcopatus adimplebat, hilariter eidem diacono præcepit dari, suis mandans ut eumdem (quippe suo papa conscio) in obsequio sui præcessorem facerent, et non solum hoc, sed etiam ad majorem administrationem, ac præ omnibus inclytissimam adscivit, ita ut eum in nullo penitus carnali, spiritualive obsequio aliquis anteire videretur. Præsciebat tamen sanctus Samson per spiritum, Deo utputa revelante, qualis ille futurus esset, quod postea veritas probavit rei.

Diaconus idem magistro usus dæmone, facta confessione, moritur.

8 Nam cum quadam nocte insimul ad orandum ambo starent, (ut mihi comperti ac religiosi, virique probatissimi quibus intimatum verissime fuerat, relatione tradiderunt) una quidem simulatione, sed diverso mentis usu sanctus Samson in eumdem intendens diaconem, vidit Æthiopem quemdam in modum parvuli in sinistra ejus scapula sedere, et os ejus ad aurem semper intendere, ita ut sanctus Samson intelligeret, quod zabulus cum homine colloquium haberet. Quo viso, sanctus Samson salutaris primum impressione signi armat faciem suam, fratrique confestim, ac vix ægre imperat ut abiret. Ille solus in oratione persistens, magis ac magis Dominum precabatur, ut illi Dominus malum illud, ut erat, totum revelare dignaretur. Nec mora, eunte illo atque in lectulo concidente, statim febris ingens invasit eum, ita trementem pallentemque ac dentibus stridentem et discerpentem, ut cuncti qui aderant dæmoniacum eum clamarent. Nuntiato verbo sancto Samsoni oranti, cum festinatione occurrit; ægrotus autem ut vidit eum a longe, cum dira ejulatione vocem levavit, dicens: Veni, veni Electe Dei, quæso, obsecra Deum tuum pro me, ne tandem peream, nam propter tuam virtutem mirificandam, et propter mea mala merita jam denudanda, ostentatus sum tibi tuis sanctis indignus esse obsequiis, quippe qui ab infantia huc usque philosophiæ machinatione ad malum semper exercitatus sum. Nam Æthiopem, quem tu conspexisti, doctorem semper habui, ad ea quæ sunt Deo odibilia, ut nullus in his me anteire videretur. Sed nunc non amplius permittor in flagitiis vivere, et ideo obsecro, ut Deum E Salvatorem preceris pro animæ meæ redemptione, vel post tormenta, sicque confessionem suam totam (quippe qui omni iniquitate, ac maleficio plenus erat) palam cunctis lacrymabiliter fundens, statim obmutuit, atque ab eadem hora nihil omnino loqui valuit. Nocte vero insecuta ad mediam noctem, adstantibus circa se cunctis fratribus, ac Deum incessanter pro animæ illius salute precantibus, impuram illam animam de corpore exhalavit.

Samson pro ejus salute Missas et orationes adhibet.

9 Facto autem mane, sanctus Samson tollere corpusculum illud extra portam monasterii ac sepelire jussit; ille in precibus solitis perseverans per totos tres dies totidemque noctes jejunus, insomnisque manebat; Deum ardenter lacrymabiliterque implorans, ut illi animam hujus miserrimi hominis, vel post diram ac justam pœnitentiam, ad veniam donare dignaretur. Tandem soporato illi aliquantulum post immensam corporis lassitudinem, adest Domini consolatio, quæ de animæ fratris ad extremum absolutione, et de illius corporis ad monasterium reditu suaviter cuncta disseruit, et post aliquantum temporis, Missas decantare pro illo per eumdem Samsonem Domini concessu suggessit. Quod ita factum est, et F tamdiu Missas ipse pro eodem fratre fecit, donec cælesti denuntiatione ejusdem animæ felicitatem cognovit, ac libertatem. Et inde est sermo, quoniam minime a Sanctis aliquid mali, bonive celari aliquando posse indicat. Quod ut firmius sentiamus, alia re, licet post obitum ejusdem Sancti affirmare volumus, quam indubitanter novimus factam.

Fur aurum de Cruce furatus punitur.

10 Aliquantulo autem tempore feliciter recidente illo, de quo nobis mentio est, profecto ad Dominum Deum suum, post ejus obitum aliquod intervallum, imago Crucis quæ ante eum ferri semper solebat, quamque benedixerat, quæ denique auri atque argenti, gemmarumque venustatibus circum fuerat solidata, a quodam malefico ac pessimo homine furtim detecta, ac dehonestata est; sed tacite, furtimque factum hoc, non tacitus sanctus Dei Spiritus apud eumdem semper Samsonem manens audivit. Nam raptante eo eadem hora illas pecunias supra memoratas, horror invasit illum: ita ut immanitate istius insoliti terroris anxiatus, quasi seminecis in terram prostratus

A ANONYMO SUBÆQUALI.

prostratus concideret. Nec hoc sufficere potuit ad desperati, ac perditi hominis documentum, nam inde insuadibiliter ac pertinaciter iter conficiens, reperit quadam nocte quoddam balneum hiemali bruma concretantibus aquis obstructum, quod sub pedibus ejus subito disrupit, et ille meritis utputa exigentibus, dirisque miserrimum stringentibus glaciebus, eadem nocte obiit, ac linteamen, in quo pecuniæ supradictæ repositæ erant, invitis de manibus ejus lapsum est. Factum est, ut circumstantibus fratribus illis, qui in hoc erant loco, de pecuniarum amissione *, quidam deambulans altera die reperit linteamen in quo pecuniæ supradictæ absconsæ erant, contentum supra glaciem manere : ac deinde circum se aspiciens, vidit cadaver rigens inter medias glacies immobiliter stare. Quo viso, frater stupefactus et admirans, cuncta quæ viderat per ordinem ceteris replicavit. Visis his, fratres pecuniam de Crucis imagine raptatam inde certe cognoverunt. Ob hoc ergo quis dubitet hanc virtutem sanctum Samsonem prodidisse, cui carne morienti, immo cum Deo suo semper viventi nulla res bona malave potest aliquando latitari? sed quodcumque et qualiter, vel quando vult patenter manifestat ac prodit Deus per Sanctos suos, ut nos idiotæ ac pigri in isto utputa squalenti luto positi, indubitanter sciamus, præsentes illos esse in his sive bonis, sive malis, quæcumque fecerimus actibus : quippe qui cum Deo suo, etsi non perfecte, tamen quantum potest fieri beate jam sunt glorificati.

* *adde turbatis.*

De Sanctorum patrocinio.

11 Sed nos dum hujus Sancti recordamur, dumque omnia quæ de illo bona fama dispersit recolere volumus, in his nos nostræ dumtaxat verbis conscientiæ remordent, quia huic tam arduo, tamquo mirifico operi indignos satis et impares esse nos cognovimus. Sed omnipotentis Dei misericordia, quæ numquam a confidentibus in se abest, ideo hoc ad profectum ceterorum profuturum tandem in fine seculorum per nos idiotas et elingues et imperitos et valde indignos opus retexere confortavit, quatenus et ad exemplum bonæ operationis legendo ceteri eniterentur, et ad testimonium meritorum suorum, Apostolorum, omniumque Sanctorum ceterorum exempla prosequendo non minorem apud nos illius gloriam Dei dignatione effulgere cernerent; quia ille egregius Sanctus de quo nobis mentio est, et cujus festivitas apud multos Britannorum Romanorumque, ultra citraque mare, et ut ita dicam in cælo et in terra nobis satis desiderantibus hodie feliciter clarescit, tam perfectus et totus in omnibus operibus justitiæ exercendis fuit, ut supradictos Apostolos atque alios Sanctos coæquando in nullo prorsus vel minimo, in signis etiam, ac prodigiis monstrandis minor habeatur; quibus denique usque hodie utuntur omnes qui a Domino per eumdem Sanctum sanitatem corporis toto fidei nisu suppliciter precantur. Quid enim aliud per hoc, fratres carissimi, nisi perpetuitatem sanctis Samsonis ac felicitatem illius in cælestibus clamare conspicimus, qui quamvis absens a nobis est corpore, de aliqua tamen majestate qua feliciter cum Deo utitur ille in cælestibus bonis, sine ulla hæsitatione nobis præsto est semper, si cum simplici ac puro corde, si cum secura ac munda conscientia, si cum supplici ac submissa commissi pœnitudine festum ejusdem diem celebrantes, auxilium Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi per ipsum affectamus. Inde enim est quod a nobis ipsis veracitur judicamur, et ea mensera, id est eo actu quo conspicimur secundum Euangelii ostentationem, ecce repensamur. Nolite quæso, fratres mei, nostras imperitias ineptas et graves apud vos censere, maxime cum ipsi optime noveritis, quod Deus omnipotens non verborum, sed actum perspicacissimus examinator est. Nemo igitur præsumat sibi ipsi, si huic gratificæ solennitati interesse tantum corpore potest cum his qui eam secundum catholicam antecessorum sanctorum Patrum normam irreprehensibiliter celebrant; si adhuc in animo suo, ubi Deus solus cognitor est, vitiose ac corruptibiliter suis malis actibus sese commaculantibus versatur. Sed qui his festivitatibus compte desiderat interesse, summopere studeat ut æterna illa cælestium solennitate, locum refrigerii et quietis habere mereatur : quia iste de quo nobis est sermo Sanctus, etsi Dei spiritu utputa plenus, præ omnibus suo tempore in hac terra degentibus, signis ac prodigiis et Dei virtutibus effulsit, omnes hos tamen vigiliarum ac jejuniorum, et omnes abstinentiæ pene labore antecessit.

Samsonis jejunia.

12 Nam ut ferebant de illo, qui in sua vita satis comperti erant, superpositiones frequentissimas, nec non et biduanas, interdum autem et totas hebdomadas, id est septem dies totos peragens, septimo demum die reficiebatur : noctes vero longissimas sæpissime solebat transire stando, de luce usque ad lucis reciprocum, nec stans omnino lassabatur. Quid plura? non diebus, non noctibus ab orationibus et a colloquiis Dei cessabat. Tempus vero Quadragesimæ usque ad Pascha sic peregisse audivimus, ut in initio ab humanis locis in quodam remotiori loco segregatus, oblationes secum tres portans, inde tantum usque ad Paschalis solennitatis gaudium, Deo illum per omnia confortante, utebatur, zelum Dei, ejusque ecclesiarum ardenter in pectore habens, subtilique providentia suum sermonem sale divino conditum secundum qualitates peccantium temperans, omnibus, utputa Dei plenus, affabilis et carus erat, et hoc nobis sermo ad confirmandam nostram rem de ejus gestis ad memoriam reducit.

Vigiliæ, secessus in Quadragesima.

Kalendarum Januariarum profanos ritus evellit.

13 Nam cum quodam tempore in Resia insula prædicaret, veniente per annuam vertiginem Kalenda Januaria, qua homines supradictæ insulæ hanc nequam solennem inepte juxta patrum abominabilem consuetudinem præ ceteris sane celebrare consueverant, ille providus spiritu ob duritiam eorum mitigandam, convenire eos omnes in unum fecit, ac Deo revelante, sermo ad detestanda tam gravia mala sit. Tum hi omnes verum de eo amantes, pravos ritus anathematizaverunt, ac verum juxta præcepta tenus sine suscipere spoponderunt. Ille nihilominus in Domino secundum Apostolos gaudens, omnes parvulos qui per insulam illam ob hanc nefariam diem discurrebant, vocavit ad se, eisque singulis per sobriam vocem mercedem nummismunculi auro quod est mensura donavit, præcipiens in nomine Domini, ne ulterius ab illis hæc sacrilega consuetudo servaretur. Quod ita Deo operante factum est, ut usque hodie ibidem spiritales joci ejus solide et catholice remanserint.

Auctoris adhortatio.

14 Sed de innumerabilibus virtutibus quas, per eumdem factum Samsonem Deus operatus est, jam si jubetis, sufficiant ista paucula verba de plurimis collecta; ad nos ipsos, ad ejusdem Sancti imitationem, introrsus redeamus. Amemus actus in quibus placuisse illum Deo cognovimus. Concordent

A dent actus nostri meritis illius optimis, in quibus præisse se ceteros indubitanter cognovimus. Si enim in veteri Testamento legimus, cum de agno edendo figuraliter Moysi Domino præcipiente diceretur, Sic autem, inquiens, manducabitis illum, lumbos vestros præcingetis et calceamenta in pedibus vestris, et cetera. Cum enim festa Sanctorum celebrare annuali vertigine suggeramur, opus est ut ante omnia lumbos accinctos habere studeamus, id est ut corporis castitatem ac mentis puritatem in sacrificium coram omnipotente Deo exhibeamus: calceamenta vero in pedibus nostris habere præcipimur, quia Sanctorum patrum defunctorum præcedentium vestigiis inhærendo, pedes animæ nostræ spiritualibus calceamentis munimus. Et inde est, quod eorum actus non voce prædicando, sed opere imitando et amando, nobis ipsis rectum iter quod ducit ad cælum dirigimus. Etenim petitiones quæ à Christo per Sanctos poscunter, non malis moribus miscendæ sunt, sed fideli precantium petitione, secundum præscientiam Domini exaudientis et noscentis omnia tribuuntur. Sed hoc tremebunda conscientia debemus apud nos perscrutari in petitionibus nostris, quæ Dominus ipse in Euangelio terribiliter conqueritur dicens: Non omnis qui dicit mihi Domine, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, intrabit in regnum cælorum. Quisquis igitur vocibus tantum petit et opere contradicit, derisum sibimet immo et offensum Dominum plusquam placatum parit. Ipsi ergo a Domino exaudiri solent, qui quod precibus petunt, bonis moribus insequuntur. Res enim valde opinata atque ad exemplum referenda adest, quam, fratres dilectissimi, multi vestrum noverunt, quamque a quodam egregio fratre, qui interfuisse se testabatur, ego didici.

Exod. 12. 11 — *Quis legitime oret Matth. 7. 21.*

Incendium extinctum.

15 Quodam namque tempore in illo eminentissimo atque optimo loco, in quo sanctus Samson quiescit in pace, subitaneum ac dirum incendium invasit domum, quod fratres circa fornacem coquendis continuo panibus paraverant: ita ut ingens flamma se se ad summum erigens, domum comburere videretur. Statim vero ut hoc compererunt servi Dei qui in ecclesia ad Nonam celebrandam convenerant, una cum sancto ac venerabili episcopo Leuchero inruentes, crux sancti Samsonis et ejus baculus forinsecus ecclesiam porrecta sunt, atque cum ad domum incendii quantocius appropinquarent, suppliciter ac tota fidei constantia, Samsonem sibi in adjutorium inclamitant, dicentes: Electe Dei sancte Samson, defende quæsumus domos tuas, quo non hac ustione consumantur. Nec mora ad primam vocem precantium, nimbus ingens pluviæ irrupit, ita ut incendium quod tam dire intumuerat, sub omnium obtutibus extinctum visum est, nec ultra ad nocendum comparuit.

Epilogus.

16 Curate itaque, fratres carissimi, ut qui Sanctos colitis in suis solemnitatibus honorando, etiam bonum quod ipsi fecerunt, colere possitis in vestris moribus etiam imitando. Curate, inquam, ut qui interesse meruistis in terris festis Sanctorum hominum, interesse etiam mereamini in eorum beatitudine qua perfruuntur in festis cælestibus angelorum: ut si dura eorum verba quæ docuerunt, atque eorum opera, quibus perseveranter tenus fine laboraverunt, insequi cupitis, eorumden iter quod perduxit eos ad æternam beatitudinem, sine ullo alicujus mundialis impedimenti obstaculo, Deo duce, et intercedentibus illis, prospero cursu pergere valeatis, regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, cui gloria et honor est perennnis cum Patre et cum Spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

A. Anonymo subæquali.

Ex cod. Sacramentorum; Ratoldi abb. Corbeiensis jussu circa an. DCCCCLXXX. *exarato, in festo S. Samsonis v. Kal. Aug.*

COLLECTA IN MISSA.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Sanctis præcipue laudaris et mirabiliter prædicaris, tribue nobis quæsumus hodiernam diem in honore S. Samsonis confessoris tui atque pontificis digne celebrare, qua membris exutus corporeis, cælestibus meruit exultare sacramentis. Per, etc.

SUPER OBLATA. E

Hæc hostia quæsumus Domine Deus noster, quam tibi ad honorem S. Samsonis confessoris tui atque pontificis immolandam deferimus, tuorum nobis tribuat societate gaudere. Per, etc.

PRÆFATIO.

Vere dignum et justum est etc. æterne Deus, sursum cordibus erectis, hanc sanctam celebrare diem, in qua B. Samson confessor tuus carnis solutus vinculis carnalem finivit pugnam lætusque cum angelis perpetuam translatus est ad gloriam. Cui tanta concessa est a Deo potentia, ut omne quod per se Deum vellet operari, celerrimo impetraret effectu. Qui patrem * relinquens solum, oceano transnato, nostram delatus est in patriam, in qua multis claruit miraculis, Qui per totam absque ullo corporali alimento hebdomadam angelico sustentabatur alloquio. Qui baculo in terra deposito, nulloque alio sustentaculo recepto, in Natalis Domini nostri Jesu Christi nocte sacrosancta et Domini Paschæ pernox orationi instabat; qui tres mortiferos Dei nutu interemit serpentes, et totidem de morte ad vitam Deo juvante reduxit homines. Adhuc etiam et hi qui F duce fide ad ejus limina fuerint allati, quolibet morbo capti, pristinæ restituuntur sanitati. Per Christum, etc.

* *l. patrium*

POSTCOMMUNIO.

Deus qui nos hanc diem in honore S. Samsonis confessoris tui atque pontificis venerabilem excolere fecisti; præsta, quæsumus, ut quem lætis veneramur obsequiis, ejus orationibus muniamur et precibus.

APPENDIX

De S. Samsonis reliquiis earumque translationibus.

Ut de S. Samsone *dubia hactenus plurima, obscura et implexa expendimus, atque ad rectam*

Implexa quæstio est

AUCTORE J. B. S.

rectam historiæ normam reducere conati sumus, ita modo intricata alia controversia sese offerret circa translationem reliquiarum Aurelianum primum, unde relatas fuisse nusquam legitur, tum posteriorem aliam deportationem Parisios; factam istic divisionem, atque id genus alia; nisi plane tæderet odiosis istis disquisitionibus, quæ nos mirum in modum cruciant, toties immorari, ubi plerumque piæ contentionis plus subest quam sinceræ veritatis. Rem hic involvit fragmentum historiæ Francicæ apud Du Chesne tom. 3, pag. 344, tomo I Martii pag. 248 num. 12 et alibi relatum, ex quo in Vocabulario suo hagiologico multa disputavit Castellanus, multa post ipsum Legendista recentior, de quibus nulla potest superesse quæstio, si vera sunt quæ ad præmissàm S. Samsonis Vitam annotavit Mabillonius his verbis: Corpus S. Samsonis a Maynone Dolensi episcopo anno DCCCLXXVIII Aureliam delatum est, ob metum Normannorum, et in ecclesia monasterii S. Symphoriani, ejus nomine postea insignita, quæ nunc est PP. Societatis Jesu, depositum hodieque latere creditur.

B

utrum Aureliani an Parisiis,

2 Hæc si ita habent, ruere omnia necesse est quæ Castellanus, Bailletus et alii jam dicto fragmento Chesniano superstruere conati sunt: si enim anno 878 sacrum S. Samsonis corpus ex prima Dolensi sepultura Aurelianum translatum est, ubi ex eo tempore cultum, postea latuit, latetque etiamnum, nisi fortasse in aliquam sacrarum exuviarum partem sævierint solita sua rabie Calviniani iconoclastæ: si, inquam, ibi hactenus latent, quæ superstites mansere, quid obsecro Salvator Alethensis, in eo fragmento totius expeditionis ductor, de S. Samsonis corpore, jam tot ante annis Aureliani deposito, Parisios deferre potuit, toto ferme post seculo, nempe anno 966, regnante Hugone Capeto; quid vero istic dividi, quid servari, quid in Armoricam aut alio referri? Hic rei cardo est, hec potissima odiosæ litis summa inter celeberrimas civitates, quarum alterutri nec favere nobis lubet, neque adversari, ut pios Sancti cultores inter se convenire malimus, quam arbitrio nostro ambiguam concertationem dirimere, dum ea aliunde tricis aliis et difficultatibus magis implectitur. Audi cetera.

an in Angliæ sint Sancti reliquiæ;

C

3 Apud Alfordum nostrum in Angliæ Annalibus ad annum 934 refertur testimonium Malmesburiensis de S. Samsonis ossibus ex Britannia minori in majorem translatis ibidemque eo tempore depositis. Non est, ut candide fatear, cur iis continuo assentiri oporteat, ast ea certe multum debilitant, si non plane enervant Parisiensium de reliquiis istic existentibus opinionem, cum eæ anno 934 ablatæ asseruntur, totis triginta et amplius annis priusquam de ipsis in tuto collocandis Alethensis Salvator cogitasset; imo quas toto ferme ante seculo jam Aurelianum fuisse translatas, ibidemque in proprii nominis ecclesia honorifice cultas, scriptores testantur. Quid? quod et Trinorchii S. Samsonis corpus fuisse narretur apud Chiffletium in ejus cœnobii historia pag. 308, quod certe eo delatum censeri non potest, nisi aut ob Normannicorum aut aliorum bellorum infestationes. En quatuor omnino S. Samsonis corpora suis locis venerationi saltem olim exposita, ut in his angustiis, quamcumque tabulam arripueris, prorsus evasurus non sis, nisi Sanctos plures synonymos cònfinxeris. Ego vero sincere profiteor, me non nisi unicum Dolensem agnoscere, quidquid nobis venditent Anglica nonnulla monumenta, mihi plane apocrypha.

4 Jam alias dixi sæpius, nec umquam satis dixero, me ab hujusmodi controversiarum arbitrio aut judicio abhorrere quamplurimum, solitum ea referre argumenta quæ utrimque producuntur, tum vero ea uti compositione, ut possideant singuli prout possident, sive interim talis Sancti veras, proprias ac genuinas reliquias venerentur, sive alterius cujuscumque, modo indubitatæ sint alicujus Sancti reliquiæ. Aliam ferme viam repereram qua partes de sacris suis depositis maxime contendentes ad amicam compositionem induci utcumque possent, dum nempe supponeretur Maynon Dolensis episcopus, non omnia prorsus S. Samsonis sacra lipsana sic Aurelianum detulisse, quin facile aliqua in primo sepulcro remanserint, quæ postmodum Salvator iste præsul Alethensis, cum aliis Sanctorum corporibus Parisios comportaverit. Verum obstare videntur recentiores notitiæ, quas mihi procuravit eximius operis nostri cultor indefessusque adjutor vir eruditissimus noster P. Stephanus Chamillart, quem postremo consului, si forte, comperta alias studiosa ejus industria, quis cuneus suggereretur quo intricatissimus nodus feliciter dissolvi posset.

D

quam nemo facile dirimet,

E

neque Parisienses cum Dolensibus conciliabit:

5 Rogatu meo dignatus est Chamillartius vel Aurelianum usque excurrere, oculisque ipse suis lustrare quæ ibi supersunt monumenta, tum edita tum Mss., ex quibus rectissime, litteris ad me datis XXI Julii 1728, cum Mabillonio censuit, nihil prorsus esse quod vetet credere, latere istic etiam hodie pretiosas S. Samsonis reliquias omnes, a tot seculis eo deportatas; certe id plane indubitatum, nullas inde umquam aut Parisios aut alio translatas; sed capsam ipsam integram, qualis ad annum usque 1540 et ultra in supplicationibus circumferri solebat, ut ex annuis civitatis rationibus demonstratur, illic mansisse, publicæque venerationi expositam fuisse, donec metu Calvinianorum, in sacra omnia sævientium, ita cum tota pretiosiori suppellectile abscondita est, ut eorum omnium nihil reperiri hactenus potuerit, tametsi frequentes a Patribus nostris, quoties fundamenta aliqua refodienda fuerunt, facte sint inquisitiones. Satis hæc videri poterunt ad vindicandam Aurelianensium veterem possessionem: non æque favit Chamillartius ei, quam conciliare paraveram, inter Parisienses et Dolenses concordiæ.

neque enim videntur inde Parisios transferri potuisse

6 Altera epistola XIV Augusti data, pari studio et benevolentia significavit, etiam ad Dolenses sese recurrisse, unde instrumentum acceperit quod hic subjicio: Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, die XXIV mensis Decembris, festivitatibus et solennitatibus Natalis Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi, illustrissimus ac reverendissimus Carolus Depinai Dolensis episcopus vigilantissimus, pietate ac singulari caritate motus, et zelo Dei et ecclesiæ ejus sponsæ ac omnium Sanctorum, sed præsertim divi Samsonis, quondam Dolensis primi archiepiscopi et nunc patroni nostri ductus, capsellam, eidem divo Samsoni antiquitus dicatam, in hac cathedrali Dolensi ecclesia, in congregatione sui cleri devote visitavit: in qua repertæ fuerunt multæ reliquiæ sanctissimi corporis dicti divi Samsonis, scilicet duæ tibiæ, et unum brachium, plures particulæ ossium, manuum, pedum et colli ejusdem Sancti, quam quidem capsam seu parvam arcam honorifice et religiose in majori arca recondidit; eamque arcam majorem suis stipendiis constructam, et pulcre deaurificatam, liberalitate, qua solet, motus dono dedit, et in honorem divi Samsonis Deo dedicavit, et ore proprio consecravit. In cujus rei testimonium et ad perpetuam

A perpetuam rei memoriam, secretarius venerabilis capituli dictæ cathedralis Dolensis ecclesiæ, dicta die præsentibus subsignavit, et eas in registris capituli prædictæ Dolensis ecclesiæ inseruit.

Potior videtur Aurelianensium possessio.

7 *Neque hic locus exceptioni patet, quod debitæ legalizationes instrumento huic desint : hæ enim facilius obtineri poterunt, quam causa ipsa ad desideratam partium concordiam decidi. Porro si hæc ita se habeant, manserintque adeo partes illæ sacri corporis in ecclesia Dolensi ad annum usque* 1579, *viderint illi, qui pro Parisiensibus reliquiis certant, quid jam non semel dictus Alethensis episcopus de* S. Samsonis *sacris exuviis eo deferre potuerit ; præsertim cum cetere ossa omnia, ut satis certum videtur, Aureliani a Maynone Dolensi episcopo, tanto ante tempore deposita fuissent. Neque inde contentio alia suborietur Dolenses inter et Aurelianenses : facile enim intelligitur, partes aliquas sacri corporis apud Dolam occultari potuisse,* B *dum pars longe maxima in tuto collocata esset. Rem, ut patet, plane spinosam, fugio ultra discutere ; satis hic sit, diversas et plane oppositas, de sacris* S. Samsonis *Dolensis exuviis scriptorum sententias recensuisse, quas cum mihi alia ratione componere, nec promptum nec obvium sit, aliis, quod opportunum censuerint, liberrime statuendum relinquo. Jam telam aliam ordior, æque ac ceteræ invidiosam.*

Minus admitti potest

8 *Est ea historiuncula Italica, inter chartas nostras reperta, qua convulsa, ut vere convelli meretur, dicendum erit, cultum in Italia exhiberi sanctorum corporibus, nempe* Samsonis, *Maglorii, et Paschasii, quæ quo pacte eo pervenerint, ex missa ad nos translationis narratione, intelligi satis non possit. Scripti titulus est :* Informatio de sacris corporibus sanctorum trium episcoporum et confessorum Maglorii, Paschasii et Samsonis. *Ex solo exordio quilibet historiæ tantillum peritus, tam disparata conjuncta perspiciet, ut, velit nolit, rem totam summæ imperitæ arguat necesse sit. Audiatur scriptor, cujus verba ex Italicis Latina facio :* Pater aliquis, domnus Germanus nomine, natione Anglus, monachus Camaldulen- C sis ex abbatia S. Mariæ Uranensis in civitate Bertinorii, ejusdem congregationis Camaldulensis, jam pluribus annis gentem suam non viderat ; verum facta tandem a P. Generali ordinis istius temporis excurrendi potestate, profectus est in Britanniam minorem, visurus fratres suos carnales ibidem divites et potentes.

9 Cum vero in patria annis aliquot commoraretur, casus ille deflendus accidit, ut in pudendam apostasiam lapsus rex Henricus VIII templa spoliaverit ac Sanctorum reliquias impie disperserit ; sic ut eo in regno omnia susdeque verterentur, sæviente tam immani persecutione et sacrorum violatione. Monachus igitur iste domnus Germanus, fratrum suorum usus patrocinio, singulari gratia obtinuit dicta tria Sanctorum corpora, ne cum aliis istic flammis absumerentur. Hac præda onustus prompte discessit Bertinorium repetens, Ravennamque appulsus, Classem divertit, unde abbatem suum de reditu certiorem reddidit, qui mox Ravennam indeque Classem sacro thesauro occurrens, ab hujus cœnobii abbate arcam marmoream perelegantem impetravit, in qua tria Sanctorum istorum corpora deposita sunt, moxque summa cum veneratione Bertinorium deportata *etc. Ita misellus scriptor Britanniam cum Armorica inepte commiscens ; cœnobii vero istius incendium subjungens, quo nimirum inter cetera chartæ authenticæ de dicta translatione perierint, lectæ olim, ut ait a domno Gerar-* E *do de Verona, ibidem monacho annis* 1561, 1562, *et* 1563.

AUCTORE J. B. S.

ex relatione vitiis multis laborante. translatio in Italiam.

10 *Quidquid legerit bonus iste Gerardus, non legit sane, tria ista Sanctorum corpora ex Britannia minore seculo* XVI *in Italiam transferri potuisse, ubi S. Paschasii Viennensis episcopi, qui* XXII *Februarii colitur, corpus numquam fuit, bina autem alia, jam multis ante seculis ablata fuerant. Non legit, Henricum VIII juris quidquam in Britannia minori habuisse, multo minus in templa aut Sanctorum reliquias ibi sæviisse. At forte non minorem Britanniam sed majorem scribere voluerit, in quam domnus iste Germanus sese receperit, utpote Anglus. At tantumdem evinces, si tria sacra corpora inde avecta contendas, ubi satis certum est, numquam fuisse. Verte hæc omnia quomodolibet, ex talis instrumenti fide numquam persuaseris, trium istorum Sanctorum episcoporum corpora aut Ravennam, aut Bertinorium aut in alias Italiæ partes eo tempore fuisse delata. Ast ibi non uno loco eorumdem Sanctorum reliquiæ* F *venerationi expositæ sunt : per me licet, et venerari eas pergant pii cultores : jam sexcenties diximus, et in hoc tomo, ubi de S. Jacobo agitur, repetivimus, recte et bene Sanctorum reliquias coli, tametsi sæpe eorum non sint, qui locis istis etiam ut singulares patroni honorantur ; sit hæc alte piorum Catholicorum mentibus impressa parœmia ;* Maneat pietas, revelabitur veritas.

DE B. GERANNO EPISCOPO CONF.

AUTISSIODORI IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Cultus ejus ; reliquiæ ; Acta ; tempus episcopatus et mortis.

ANNO CMXIV.

R. Gerannus ep. hoc die Colitur

Dubitavimus diu, postquam scrutati essemus haud otiose omnia, quæ ad cultum B. Geranno *asserendum in promptu hic erant, liceretne tuto ei locum inter Sanctos Beatosve concedere : nihil enim occurrebat, unde stabilitam ullibi venerationem ejus esse, satis aperte constaret. Momenta igitur in utramque partem collecta Autissiodorum direximus ad V. C. Joannem le Beuf, Autissiodorensis ecclesiæ canonicum et succentorem, virum eruditum ; sed solis nobis antehac officiis, non semel, cum examinandum aliquid de Sanctis vicinis fuit, præstitis notum : rogavimus eum, inquam, tum ut sententiam suam, tum ut aliam, siquam haberet, de* B. Geranni *cultu notitiam*

AUCTORE P. B.

tiam nobiscum communicaret. Utrumque, ut assolet, cumulate præstitit, eoque facilius, quod idem istud negotium, ut ex ipso nunc primum intelleximus, aliorum rogatu operose dudum agitaverat. Epistola vero ejus, ad nos data anno 1728 *die* XIV *Julii, ad duo præcipue capita reduci potest; quorum primum ad cultum Beati præsentem pertinet, alterum ad ejusdem originem et antiquitatem indagandam.*

in ecclesia Suessionensi et Autissiodori ad S. Germani; sed hic sine festo.

2 *Testatur igitur primo, coli nunc publice* B. Gerannum, *idque non Autissiodori dumtaxat, ubi servari creditur; verum etiam Suessione, ubi mortuus ac primum sepultus fuit: et Suessione quidem observari festum ejus die* XXVIII *Julii, quo in Breviario ac Missali proprio commemorationem habet: Autissiodori vero institutum quidem festum non esse; recitari tamen ejus nomen in Litaniis, quæ decantari solent apud monachos Benedictinos in cœnobio S. Germani, quoties ob occurrentes necessitates supplicationem per ecclesiæ suæ cryptas instituunt: ibidem præterea octavo die post solennitatem omnium Sanctorum,* B *qui Sanctis monasterii localibus consecratus est, credentiam, seu mensulam, cum accenso cereo ante Sancti hujus effigiem, juxta sepulcrum S. Mariani depictam, quotannis collocari: ac denique inter hospitum cubicula, quæ Sanctorum localium nominibus distinguuntur, unum istic esse inscriptum* S. Geranno. *Atque hæc nobis sufficere visa sunt, ut et in opere nostro gradum eumdem obtineat; cum privatorum hominum non sit quemquam ex albo Beatorum expungere, cui palam honores ejusmodi, spectante pridem Ecclesia, tribuuntur.*

Optandum tamen esset,

3 *Contendit idem interea secundo, cultum illum, jam descriptum, recentem esse, nec medio circiter seculo decimo septimo priorem: ac de Suessionensi quidem dubium id videri non posse, probat ex rescripto, quod a magno vicario atque archidiacono Suessionensi compositum, una cum litteris suis* V *Junii* 1727 *ad se mittere dignatus sit illustrissimus ejusdem ecclesiæ antistes: nam* in eo, *inquit*, post extractum ex Historiæ Suessionensis C libro 4, cap. 36, ubi nihil est, quod desumptum non sit ex nostris Gestis pontificum Autissiodorensium *(hoc est ex Actis mox exhibendis)* sic mentem suam explicat canonicus ille: „ Patet, inquit, „ ex hoc loco Historiæ Suessionensis, S. Gerannum „ humatum fuisse Suessione, ac deinde translatum „ esse Autissiodorum ad cœnobium S. Germani. „ Atque hoc totum est, quod inveniri potuit, ad sa„ tisfaciendum quæsitis domini Le Beuf canonici „ et succentoris Autissiodorensis. Haud ægre credi „ cum illo posset, cultum S. Geranni antiquiorem „ non esse Breviario, quod edidit illustrissimus D. „ de Bourlon episcopus Suessionensis „ *(qui illustrissimo D. Simoni Le Gras anno* 1656 *defuncto successit, et in vivis adhuc erat anno* 1663, *quo prodiit Claudii Dormay Historia Suessionensis:)*

ut cultus utrobique recepti antiquitas

4 „ Nam in illo *(Breviario)* quod anno MDCXXX „ vulgavit III. D. Le Gras, de S. Geranno ad „ diem XXVIII Julii nulla fit mentio; uti neque in „ alio III. D. Caroli de Roucy, quod multo ve„ tustius est, uniceque in diœcesi Suessionensi „ usitatum, donec suum protulit III. D. Le Gras. „ Consuluimus Necrologium ecclesiæ cathedralis „ Suessionensis, nec in hoc antiquo Ms. de S. „ Geranno quidquam occurrit: Missalia quoque „ inspecta sunt, quibus usa est olim Suessionen„ sis ecclesia; ibi inventa quidem est die XXVIII „ Julii commemoratio de S. Samsone, at nulla „ de S. Geranno. Commemoratio de S. Geran- D „ no adjuncta tantum fuit commemorationi de S. „ Samsone sub illustrissimo D. de Bourlon in Pro„ prio particulari adjiciendo ad Missale Romanum, „ quo utimur in diœcesi Suessionensi. Optabile „ id nobis fuisset, si satisfacere licuisset domino „ Le Beuf, assignando ei et originem cultus S. Ge„ ranni in diœcesi Suessionensi, et motiva, qui„ bus impulsus fuit illustrissimus D. de Bourlon, „ ut suo illum Breviario insereret. Siquid horum „ deinceps retectum fuerit, id perlibenter cum „ eo communicabitur. „ *Hæc de cultu Suessionensi.*

demonstrari posset,

5 *Autissiodori vero cum nuper a quibusdam de instituendo* S. Geranni *festo esset actum, non diffitetur idem D. Le Beuf, obstitisse sese, atque adeo evicisse ne fieret, idque duplici præsertim ex capite; quorum alterum erat* non traditio cultus, *alterum* novitas istius, qui modo Suessione receptus esset. *Nec illum ergo antiquum esse censet ac traditione immemorabili firmatum, quem nunc obtinet apud Benedictinos Autissiodorenses juxta dicta superius num.* 2: *ac de Litaniis quidem ibi* E *memoratis ita scribit:* Litaniæ illæ, quas vidi impressas, annos septuaginta aut octoginta non excedunt; et sunt illæ, quas composuit D. Noël canonicus Autissiodorensis, ut devotioni suæ privatæ satisfaceret, quæ Benedictinis exemplo fuere, ut idem quoque ipsi de Sanctis suis localibus factitarent. *Florebat autem nobisque scribebat dominus ille Ludovicus Noël anno* 1662, *tum* senior, *ut se ipse appellat,* canonicus Autissiodorensis: *unde facilis de Litaniarum illarum ætate est conjectura.*

sive ex consuetudine immemorabili,

6 *De credentia cum ardente cereo, quam annis singulis ante effigiem Beati locari dixerat, idem omnino videtur innuere, cum subdit, ipsam effigiem* recenter esse depictam, puta ab annis circiter septuaginta. *Et sane in collectione historica de episcopis et cœnobiis quibusdam Autissiodorensibus, congesta per Georgium Viole Benedictinum (qui obiit anno* 1669, *teste Le Long) quam hic Ms. habemus, ad calcem Vitæ* S. Geranni *primum quidem ex epitaphiis, deinde vero his tantum verbis ejus cultus Autissiodorensis probatur:* Invocatur in Litaniis ad S. Germani, nec ullibi de ipso fit Officium. *Vides, de anniversaria illa cæremonia nihil afferri, ubi tamen id locus exigebat, si jam tum introducta fuisset: recentior ergo videtur, quam usus Litaniarum; quamquam ne-* F *que hunc multo vetustiorem esse conjicimus etiam ex Vita S. Germani, ab eodem illo Georgio Viole (sed haud dubie antequam superiora illa scriberet) composita, editaque Parisiis anno* 1656: *in ea namque cap.* 30 *catalogum texit Sanctorum Autissiodorensium, adjecta singulis demonstratione cultus: ubi vero ad* S. Gerannum *devenit pag.* 237, *aliud nihil profert ad probandam ejus, ut Sancti, venerationem, quam* epitaphium in ecclesia S. Germani.

sive ex Martyrologiis utcumque vetustis,

7 *Atque hic quidem catalogus primus est, in quo* Gerannum *inter Sanctos relatum viderimus; hunc adeo secutum putamus Ludovicum Noël in* Kalendario *suo Ms.* ecclesiæ et diœcesis Autissiodorensis, *quod nobis mnemosyni loco perhumaniter obtulit anno, ut ante memini,* 1662. *Utrobique ei dies natalis adscribitur* XXVIII *Julii: quo die etiam notatur a D. Bargedé in opusculo, ad modum Martyrologii,* de Sanctis ad urbem ac diœcesim Autissiodorensem utcumque spectantibus *manu exarato post annum (ut ex narratis ibidem*

ad

Auctore P. B.

A *ad diem* XVII *Julii liquet)* 1676. *Et nescio, cur illum die* V *Augusti annuntiet Martyrologium quodam Autissiodorensium Sanctorum Ms. tanto ceteris recentius quanto copiosius, quod inter collectanea Petri Francisci Chiffletii nostri repertum accepimus; nisi forte ejus auctor non satis attenderit ad epitaphium* B. Geranni *quod citat, in eoque legerit* quinto Augusti *pro* quinto Kal. Augusti. *Castellanus in Martyrologio suo universali ex Breviario Suessionensi, ut credimus, melius eum notat die, quo decessit,* XXVIII *Julii. Alios Martyrologos, qui de* B. Geranno *meminerint, neque nos vidimus, neque consultus per nos dominus Le Beuf; qui addit, nomen* Geranni, *quod supra cum titulo* Sancti *cubiculo cuidam cœnobii S. Germani inscriptum diximus, ab annis tantum* 20 *aut* 25 *pictum videri.*

sive ex locis S. Geranni cujusdam nomine consecratis.

8 *Cavet idem porro, ne quis assertam a se cultus novitatem inde speret evertere, quod locis quibusdam ab immemorabili tempore* Sancti Geranni B *nomen inditum fuerit; dum in epistola laudata sic scribit :* Est vicus in Borbonio, qui a S. Geranno nomen accepit, vulgo Saint Geran. Sed is, *inquit,* certo sanctus Julianus est, celebris apud Brivatenses *(in Arvernia)* martyr, cujus ita deformatum est nomen. Habeo rei hujus ex ipso loco ad me data testimonia. Alia mihi quoque afferri curavi ex diœcesi Aginnensi, ubi etia pagus est, quem vernacule appellant Saint Gueran : verum idem iterum est S. Julianus Brivatensis, qui nomen hoc dedit; et neutro loco notus est S. GERANNUS EPISCOPUS, redditurque nomen Gallicum Geram Latine Julianus. Forte etiam genuinum Episcopi nostri nomen Julianus fuit, et Geranni nomen ab iis accepit, qui corruperant ita nomen Juliani, uti jam inde a seculo IX corrupte Raymo dici cœperat, qui appellabatur ante Remigius. *Hactenus D. Le Beuf; qui, detecta apud Gallos confusione jam dicta nominum* Geranni *et* Juliani, *argumentum præcludit iis, qui pro antiquo* Geranni *nostri cultu vel pagos veteres vel ecclesias producerent sancti cujusdem Geranni titulo, patrocinio, vel etiam reliquiis gaudentes : Juliani enim alicujus (ut sunt inter Sanctos plurimi) depravatum id nomen esse contendet, non* C Geranni *nostri; nisi hujus esse, aliunde constiterit quam ex nomine; ac proinde forte Julianos esse volet cum Gerannum illum, quem in Vocabulario hagiologico Castellanus patronum ait esse Ledalii in tractu Aginnensi (sive idem ille est, de quo mox facta est mentio, sive alius) tum etiam illum, de cujus reliquiis meminit Historia, quam dedimus, translationis S. Wandregisili, tom.* V *Julii, pag.* 297, *num.* 32.

Nos illi titulum Beati adscribimus.

9 Ceterum, *inquit idem,* quidquid hic attuli, obesse non debet, quo minus in opere vestro ad diem XXVIII Julii locum obtineat : existimo tamen, satis fore, si ei vel Beati vel Venerabilis epitheton tribueritis. Submitto interim etc. *Sane antiquos hos esse titulos ejus, nemo ibit inficias :* Gerranus *enim* vir vitæ venerabilis *appellatur sub initium seculi* XIII *a Roberto monacho S. Mariani apud Autissiodorum in Chronologia sua post annum* 900, *fol.* 70. *Nihil vero minus exigit, imo plus aliquid Vita nostra num.* 8, *ubi* Pastor eximius*, *et num.* 11, *ubi* gloriosus Pastor *nuncupatur,* cujus circa [oves suas] amoris magnitudo in affamine, in convictu, in receptu quanta exstiterit, neget mortalis explicare lingua; *ac tandem num.* 14, *ubi moriens dicitur* migrasse ad Dominum. *Quid, quod in epitaphio suo, quod ab annis circiter quadringentis exaratum putatur, ipso teste et interprete Le Beuf,* Beatus *appellatur? Sic enim habet :* HIC : REQUIESCIT : SANCTÆ : RECORDATIONIS : MARIANUS : CONFESSOR : JUXTA : QUEM : REQUIESCIT : GERANUS : EPUS : UT : EPITAPHIA : MULTUM : ANTIQUA : SUPRA : SEPULTURAM : IPSIUS : TESTATUR : REXIT : AUTEM : ECCLESIAM : ANTISSIDORENSEM : AN : III : MENSIBUS : VI : DIEBUS : XI : MIGRAVIT : AD : DOMINUM : QUINTO : CAL : AUGUSTI : ỷ : *(verte)* DORSUM : ET : VIDEBIS : EPITAPHIAM : ANTIQUAM : B : *(Beato)* POSITAM :

quem videtur habuisse saltem a quatuor seculis;

10 *Et sic illud* B *interpretati etiam sunt, qui antiquo isti epitaphio, de quo in jam dato fit mentio, Gallicum (nescimus quando) supposuere recentius. Rem accipe ex instrumento authentico, quod post visitatas anno* 1634 *et* 1636 *a se cryptas ecclesiæ S. Germani condidit illustrissimus D. Dominicus Seguier, Autissiodorensis primum, postea Meldensis episcopus; ubi post alia inspecta* E *descriptaque in ecgrapho nostro sic legitur :* Ad capellam sanctæ Maximæ exinde properantes, invenimus, pro foribus ejus, sepulchrum aliquod sive sarcophagium lapideum in terra defossum, in quo corpus sive ossa pulveri terræque immixta, situ tamen naturali, læva vero parte ejusdem sepulchri tale elogium columnæ inscriptum legimus : HIC REQUIESCIT *etc. ut supra. Tum subdit :* Illud autem epitaphium, de quo hic *(in epitaphio alio jam exhibito)* agitur, nimia vetustate consumptum, legi non potuit : verum ejus loco hæc recentiora epitaphia legimus : " Cy gist le corps " de monsieur saint Marien, moyne de ceans, " qui trepassa le XII des Kl. May. Cy gist le corps " de monsieur saint Geran, evêque de cette cité " le XLII, qui trepassa le III .... Aoust. " *Id est :* Hic jacet corpus domini sancti Mariani, monachi ejus loci, qui obiit XII Kal. Maii. Hic jacet corpus domini sancti Geranni, urbis hujus episcopi XLII *(Juxta Viole male habetur,* le XIII, F *accepto* I *perperam pro* L *)* qui obiit III .... Augusti *(Violi legit,* Le V Aoust, V Augusti; *sed neutrum valet, ut ex Latino epitaphio et Actis patet) Tum porro in instrumento memorato statim subjungitur :* Horum autem Sanctorum, sancti Geranni scilicet et sancti Mariani, depictæ erant in eadem tabula in pariete imagines.

nam quando etiam Sanctus appellari cœperit, non liquet.

11 *An vero bina hæc epithaphia gallica aut saltem secundum de* S. Geranno, *consonent utcumque antiquissimo epitaphio, cujus locum occuparunt, scriptaque sint adeo antequam illud nondum ita vetustate corruptum erat, ut omnino legi non posset, quis divinet? Si tamen id verum esset, ut videri potest satis verisimile, jam* Geranno *nostro non solum* Beati, *sed etiam* Sancti *titulus vetustissimo jure vindicatus abunde esset. Nec refert, quod exinde deletum fuerit Gallicum istud epitaphium* B. Geranni *(ut ad finem Vitæ ejus Ms. testatur domnus Viole, qui de altero S. Mariani ibi nihil meminit,) ejusque loco substituta fuerint hæc duo disticha :*

Divinis solitus bellis, solitusque triumphis
Dæmonis et carnis, prælia lætus obit.
Inde feros hostes fidei funditque fugatque.
Quid mirum? Qui de Numine victor abit.

Nihil inquam, hoc refert : nam quæcumque causa fuerit obliterandi istius epitaphii, ea certe esse non potuit, quod ibi Sanctus *dictus esset* Gerannus

EX IMPRESSIS. nus; *quandoquidem etiam postea* Sanctum *appellavit tum ipse ibidem Viole, tum alii supra citati num. 7. Sed de cultu titulisque jam satis. Restat, ut paucula de corporis translatione, Actisque subjungantur.*

Translatio, et status hodiernus corporis ejus.

12 *Translatum jam olim fuisse ex ecclesia Suessionensi ad Autissiodorensem S. Germani ex iis, quæ hic producta sunt hactenus, quivis intelliget. At quo anno id factum sit, plerique silent: dominus tamen Bargede citatus supra num. 7, contigisse id affirmat biennio post obitum beati Præsulis; sed unde id habeat, non addit; sicut neque laudatus ibidem Ludovicus Noël, cum in Kalendario suo hujus translationis memoriam notat die* XXI *Decembris: quem erroris arguit D. Le Beuf, ut qui eum diem translationi adscripserit, qui re vera electionis fuerit. Dubium quoque apparet, quo loco in ecclesia S. Germani repositum hoc pignus fuerit, an in eodem tumulo cum S. Mariano, an in vicino aliquo ac diverso: utrumvis enim* B *significari potest vocibus* juxta quem, *in epitaphio positis. At enim si commune idemque ambobus sepulcrum non fuit, cur una eademque tabula commune continet epitaphium? Tum si communem uterque tumulum non habuit, sed diversos: vicinos ac prope conjunctos hos fuisse necesse esset: nam id saltem exigunt voces illæ* juxta quem: *atqui unum tantum ibi sepulcrum in visitatione jam dicta repertum est; et qui eamdem nuperrime cryptam ingressus est D. Le Beuf, negat, ullum istic alterius tumuli deprehendere se potuisse vestigium. Unus ergo utrumque corpus excepisse censendus est. Cur igitur anno* 1636 *utrumque repertum in eo non est, sed unum tantummodo, juxta num.* 10? *An alterum jam inde sublatum ante fuerat? At quo; quando; cujus? Incerta omnia. Crediderim tamen ego, solum ibi* B. Geranni *corpus superesse, quas ex Actis visitationis videtur esse repertum prorsus intactum; cum et nulla ejus pars defuisse dicatur, et* ossa *inventa sint* pulveri terræque immixta, sed situ naturali: *intactum autem dici non* C *potest corpus S. Mariani; quandoquidem alibi portiones ejus esse testatur Le Beuf; et pignora S. Mariani in ipso S. Mariani cœnobio asservari asserit Saussayus in Martyrologio suo ad diem* XXIX *Aprilis; ut ex eo diximus die* XX *Aprilis, quo de SS. Mamertino et Mariano est actum.*

Acta unde accepta, et quanti facienda.

13 *Acta* Geranni *damus ex Historia episcoporum Autissiodorensium a Philippo Labbeo nostro edita Bibliothecæ Mss. librorum tom.* I, *pag.* 438. *Ea scripsit auctor anonymus, coævus tamen Beato, ut colligimus ex Monito, quod ibidem legitur pag.* 445 *et in præfatione ad Vitam Guillelmi de Gressibus cap.* 65, *ibid. pag.* 507; *quibus locis dicitur fuisse constans ecclesiæ Autissiodorensis consuetudo, ut singulorum episcoporum gesta notabilia post ipsorum cujuslibet obitum scribi statim et registrari curaret in libro ad hoc provide et perspicaciter ordinato. Additur vero, consuetudinem illam primum non fuisse observatam post obitum Roberti episcopi* LII, *cum toto postea triennio ejus Vita scribi demum cœperit: deinde eamdem iterum intermissam fuisse, et quidem per annos centum a morte Erardi de Lisigniis episcopi* LXIV. *Vigebat ergo etiamnum illa consuetudo post obitum* B. Geranni, *qui fuit episcopus* XLII, *vel, ut quidam volunt,* XLIII. *Exemplar vero Labbei excusum cum Ms. contulimus, quod hic descriptum habemus in collectione Ms. domni Viole et aliorum: inde, siquid erit notatu dignum, adjicietur ad marginem.*

Tempus episcopatus ejus et felicis obitus.

14 *Quoniam vero in Actis hisce dies quidem et* D *mensis notatur, at non annus, quo Beatus ad Superos migraverit, juverit hunc breviter aliunde determinare: habuit enim* Gerannus *proximum in episcopatu successorem, ut constat, Bettonem*; in veterrimo *autem* brevi Chronico sanctæ Columbæ *(inquit Mabillonius ad annum* 915 *in Annalibus Benedictinis lib.* 41, *num.* 92*)* ad hunc annum Betto, IV Idus Martii, ordinatus episcopus dicitur: *cum ergo obitus* B. Geranni *inciderit in* V *Kal. Augusti, ad annum præcedentem, seu* 914, *pertinere dicendus est; non ad* 915, *ut plerique notant. Inde vero si adimas* annos IV, menses VI, dies XI, *quibus secundum Acta nostra,* rexit episcopatus cathedram, *initium aditæ sedis defiges ad annum Christi* 910, *diem* XVII *Januarii. Dixi primo,* secundum Acta nostra; *quia in epitaphio Latino leguntur anni* III; *sed Actis, utpote antiquioribus, plus deferendum videtur. Dixi secundo,* initium aditæ sedis, *non autem electionis aut ordinationis: nam ordinatum ante alibi* E *fuisse, quam ad sedem suam accederet, erui potest ex iisdem Actis num.* 6; *imo testatur appellatus hic toties D. Le Beuf, vidisse se inter Mss. Colbertina, nunc ad regis Christianissimi bibliothecam destinata, Necrologium vetustum Autissiodorensis ecclesiæ, in quo* ad diem XXI Decembris *hæc legerit:* Electio Domni Gerranni episcopi, qui dedit fratribus *(canonicis Autissiodorensibus)* Logniacum villam et Solium, unde debet ad luminaria ecclesiarum S. Mariæ et S. Stephani et S. Joannis modium olei, et fratribus libram unam denariorum, qui ipsam terram tenuerit. *Patet, hæc referenda esse ad annum* 909. Ad diem *vero* XIV Januarii *(anni sequentis utique) hæc erant:* Ordinatio Gerranni episcopi, qui dedit fratribus in comitatu Laticensi Gaïacum cum omnibus appendiciis suis, vineam quoque, quæ est in suburbio civitatis, quæ dicitur Cerseredus, quam qui habuerit per chartam, det fratribus vini modium unum ad minorem mensuram. *Atque hæc denique* ad diem XXVIII Julii: Obiit domnus Gerrannus episcopus. *Observatque insuper, neminem in isto Necrologio appellari* Sanctum. *Verum Acta nunc ipsa proferamus.* F

VITA

Auctore anonymo, excusa apud Labbeum in Bibliotheca Mss. librorum tom. I, pag. 438, collata cum Ms. Autissiodorensi.

CAPUT I.

Beati virtutes, quibus ante episcopatum enituit.

B. Geranni patria, parentes, studia, clericatus;

Gerannus episcopus, natione Francus, Suessionis oppidi indigena, patre Otardo genitus, matre Wia * editus, rexit episcopatus cathedram IV annos, menses VI, dies XI. Sic ab ortu

EX IMPRESSIS.

A ortu nativitatis suæ lacteis infantiæ fomentis educatus, ubi primævum puerilis ævi exorsus est ingredi vestibulum, exemplo provido * parentum animos solicitante cura, rudibus scholæ committitur studiis, quibus adhuc tenerrimum stupidumque balbutientis infantiæ sensum mos est erudiri, modo mulcendo, modo blanda severitate terrendo. Denique postquam Davidicis est eruditus melodiis, summi Authoris favente providentia, clericatus est normam adeptus, atque gloriosi martyris Gervasii concioni allectus *a*, ubi regulariter institutus, et venerabilium loci illius patrum moriger *b* factus, historicos librorum campos faceto linguæ plectro transcurrere, atque canoros musicæ artis modos in aula Christi mellitæ vocis boatu resonare didicit.

* *Viole legit*, Guia
* *Viole*, extemplo provida

opera misericordiæ aliarumque virtutum,

2 Crescebat quotidie in eo specialis sapientia, vita casta, mores probi *, et cum his omnibus locuples rerum abundantia. Hujus hortea atque cellaria, frumento et vino redundantia, tenax non possedit philargyria; sed ea omnibus fecit communia munifica eum inhabitans charitas. Ostium domus ejus viatoribus patuit, beneficia consolationis præbuit, gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus, detecta miserorum terga vestimentis contexit, atque purulenta pupillorum capita lympha cum lomento *c* emaculari fecit. His atque hujuscemodi bonorum operum exhibitionibus exornatus, ita omnibus cœpit complacere illius ecclesiæ patribus, fratribusque, quo non jam ut filius, sed velut pater suspiceretur a cunctis.

* *Viole*, presbyteri

quibus per omnes gradus ecclesiasticæ dignitatis evehitur,

3 Quid dicam? Siquidem ab imis ministeriorum gradibus gradatim conscendens, ad præpositurae promotus est officium, simulque cum eo archidiaconatus promeruit apicem; in qua honorum dignitate sublimatus, ita se modificare vigilanter studuit, quatenus nec fastus typho *d* supra se erigeretur, nec adulantium favoribus a statu conceptæ religionis moveretur. Excubias gregis Christi post vigilem pastoris curam instantissime agens, a se et ab aliis vitiorum monstra abegit, atque competentia corporeæ necessitudinis alimenta ac indumenta fideliter ministravit. Talibus, ut dictum est, præconiis, et aliis multimodis usque ad poli sidera evectus, ita mundo opinatissimus enituit, ut et regiæ majestati gratantissimus, præsulibus carus, proceribus acceptus, clericis omnibus venerandus, militibus dilectus, supremis humilibusque personis, atque utrique sexui foret amabilissimus.

donec viduatæ Autissiodorensi ecclesiæ

4 Factum est ergo post transitum domini piique pastoris Herifridi *e* Autissiodorensis *, ecclesiam variis ærumnarum excessibus lacessiri, maximeque pro electione pastorali, ad quam nonnulli, non zelo spiritali, sed anxia honoris ambitione exanhelabant. Erat autem ea tempestate vir quidam potens, Ragenardus *f* nomine, ejusdem civitatis vicecomes; fundorum ædificiorumque possessionibus locupletissimus, auri argentive thesauris ditissimus, ac rerum omnium abundantia copiosissimus, parentum nobilitate clarissimus, militum cuneis stipatus, et, ut ita dixerim, in aula Richardi *g* magni et florentissimi principis nulli secundus, excepto Manasse ejus germano. Qui cum talis ac tantus esset, avaritiæ vaporibus æstuans, omnibus se præferebat, singularis singulariter apparere cupiens, et ut potens potentior, dives ditior efficeretur, virulento meditabatur animo, quatenus talem ecclesiæ perficeret * præsulem, quem suæ subdere ditioni quiret, propriæque voluntatis consiliis acquiescere urgeret, quique, si sibi libita domus Dei beneficia invadere tentaret, penitus, tyrannica ejus minitante potentia, obmutesceret.

* *Viole* Autissiodorensem ecclesiam
* *an* præficeret?

datus potius, quam electus episcopus,

5 Nefaria igitur arrepta machinatione ducem Richardum adiit, oblatisque muneribus, ut sibi illius electio ecclesiæ daretur, expetiit; denique compos voti sui effectus, canonicorum venerabilem chorum adscivit una cum militari ordine, sciscitans ab eis, quem in voluntate haberent eligendum, ordinandumque episcopum: cunctis vero silentibus, nihilque aliud respondentibus, nisi, quem Deus elegerit, Ego, inquit ille, omnium vestrum dilectionis flamma ardeo, omniumque voluntati et postulationi favere satagens, peculiariter venerari ut patres, honorare ut fidos amicos cunctos vos præ ceteris usquequaque Deo obsequentibus volo, si tantumlibet a vobis promereri valeo, quod vobis suggerere ad generalem honorificentiam gestio. Illis quoque quædam sibi placentia respondentibus E ad hæc, subintulit: Est quidam Francigena mihi familiarissimus, Deo, ut hominibus, acceptus, vocabulo Gerannus, morum honestate præclarus, fide præcipuus, mentis stabilitate vegetus, qui Deo propitio, cum sit suis civibus bonus; vobis poterit fore melior, si vestra affectione * exstiterit pastor:

* *Viole* electione

mira omnium gratulatione susceptus est.

6 At illi animadvertentes roboris ejus potentiam, et declinare volentes, quas inferre poterat, calliditatis ejus injurias, pollicentur, se ejus parere consilio. Qui protinus negotium accelerat sitiens, prælibati principis nactus licentiam, propinquorum amicorumque fultus juvamine, tandem cleri populique fretus electione, archipræsulis domini Gauterii *h* subnixus authoritate, serenissimum atque piissimum regem adiit Carolum *i*, atque divino suffragante adminiculo, ut Vir ille strenuissimus pontifex eligeretur et ordinaretur, promeruit. Qui sanctissimum ac laboriosissimum benedictionis munus adeptus, ab omnibus gratulanter excipitur, et cum ingenti clericorum diligentia innumerabilique populorum frequentia, præeuntibus atque subsequentibus psallentium choris, defertur humeris F religiosorum ad aulam primicerii martyrum Christi Stephani, *k* ibique stola pontificali infulatus, in sede sacerdotali honorifice collocatus resedit:

ANNOTATA.

a *Id est, admissus in clerum ecclesiæ cathedralis Suessionensis,* SS. Gervasii *et Protasii MM. nomine Deo dicatæ.*

b *Moriger pro* morigerus *non legi hactenus apud auctores Latinos.*

c Lomentum *est trita ex fabis farina, utilis cum ad eruganda corpora, tum ad maturandos et aperiendos tumores. In ecgrapho Ms. male legitur* lamento.

d Typhus *et* typus fastus *phrasis est non raro occurrens in scriptoribus sequioris latinitatis pro animi superbientis elatione, ut patet apud Cangium.*

e Herifridi *hujus Vita describitur loco suo in Historia episcoporum Autissiodorensium proxime ante Vitam* B. Geranni; *ubi dicitur* vixisse gloriose in episcopatu XXII annis, mensem I, dies XVI. *Additur vero in subjectis Vitæ observationibus in collectione Ms. Georgii Viole, obiisse illum* anno 910 *(sed unde id eruerit, non dicit) et quidem* decimo

EX IMPRESSIS.

cimo Kal. Novemb., *quod probatur ibidem ex Necrologio Autissiodorensi : quin et imaginem ejus exstare in Autissiodorensis ecclesiæ cathedralis sacello, quod S. Sebastiani dicitur, cum epigraphe :* Sanctus Herifridus sedit *etc. Adi Martyrologium universale Castellani in additionibus et correctionibus ad diem* XXIII *Octob. pag.* 987.

f *De hoc* Ragenardo *ejusque germano* Manasse *consulesis Andream du Chesne in Historia genealogica familiæ Vergeiensis seu Vergiacensis, Parisiis anno* 1625 *Gallice edita, a pag.* 31.

g Richardi *cognomento Justitiarii, qui comes erat Augustodunensis simulque Burgundiæ dux; de quo idem Chesnius agit fuse in Historia regum, ducum, comitumque Burgundorum et Arelatensium lib.* 2 *a pag.* 207.

h Gauterius, *sive* Walterius I *fuit archiepiscopus Senonensis ab anno Christi* 887 *usque ad* 923, *juxta Sammarthanos. Huic præter alios subjicitur episcopus Autissiodorensis.*

i *Cognomento Simplicem, Ludovici Balbi filium.*

B k S. Stephanum *protomartyrem patronum habet ecclesia cathedralis Autissiodori.*

CAPUT II.

Quid in ipso episcopatu pro grege sibi credito sit passus et egerit usque ad felicem obitum.

Multa patitur primum a Ragenardo vice comite;

Ubi procedente brevi temporis curriculo, quam pie vixerit, quantasque a præfato Ragenardo, atque a barbarica Normannorum gente pro suo suorumque munimine persecutiones passus sit, saltem succincte expedire licebit : siquidem extemplo post potitam episcopatus sedem isdem Ragenardus malitiæ virus, quod rapido delitescebat in pectore, non erubuit in omnium obtutibus evomere : accepta namque occasione quasi ex voto sponsionis ejus, Gajacum *a* villam, tribus ab urbe millibus discretam, cum omnibus appendiciis suis ditioni ejus ademit, suæque impudenter aptavit; atque ut in facultates ejusdem ecclesiæ minuendas dementior * exsisteret, ipsius suggestione machinante, Manasses frater ejus potentissimus, omnibus tunc Gallicanis divitibus ditior, cunctorumque consiliorum secularium arcanissimus perscrutator (unde et regibus et optimatibus cunctis usque ad extremos orbis cardines famosissimus) Narejacum *b* villam in suos usus redigere non exhorruit. Ille quoque infestissimus hostis ejus, ut prælibatum est, Ragenardus, suis eum præceptionibus adeo concludere nitebatur, ut extra consultum et voluntatem ejus nihil agere tentaret; clericorum illius nullus, militum nemo ei refragari audebat; sed sicut suis, ita illis omnibus imperabat.

C

* *Viole* demptor

tum a Normannis,

8 Interea dum talibus mens ejus infortuniis anxiaretur, irrumpebant et aliæ calamitates miseriarum, quibus maxime turbaretur, seque totum ad divinum conferre auxilium compelleretur. Normannorum quippe passim bacchabatur sævitia, atque incessabilibus plagis omnem regionem diebus ac noctibus palam et clam depopulabatur, cædibus et prædiis * igniumque deflagrationibus omnem terram exterminans : quod cum Vir heroicus pastorque eximius cerneret, intolerabili cordis mœrore concussus est, pro sibi commisso grege occurrere paratus (dominici sermonis non immemor, quo dicitur : Quia bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis) suos evocat, verbis hortatur, benedictione corroborat, utque bellicis accincti armis secum proficiscantur exorat; mandat Ragenardo verbis postulatoriis, ut secum ad pugnam exeat, et minime impetrat.

* *Viole* prædis

D

quos ita per se ipse sæpius contudit;

9 At ille cum suis tantum urbe egressus, speculatores præmittit, hostesque invenit : initur bellum; potitur victoria *c*; et opitulante divina gratia, profligatis adversariis, tria illorum revehuntur labara. Duo illic hostium nobiles capti sunt : quorum unus de muro civitatis præcipitatus periit, alter eidem Ragenardo datus exstitit. Deinde post hæc supremi Numinis virtute roboratus, quoties hostiles irrumpebant phalanges ad exercendas prædas, ipse illorum congressibus se ultroneum ingerebat, modo incautos, modo perspectos occupans, atque non minima strage prosperabatur *. Hujus victrix dextra una cum Richardo *d* et Roberto *e* duobus maximis proceribus, prælio, quod apud Carnotum urbem gestum est *f*, interfuit : ubi interventu Dei Genitricis Mariæ, maxima paganorum cædes acta est, in tantum, ut innumerabili multitudine palante, inventa sint jugulatorum cadavera plusquam sex millia quingenta, exceptis his, quos vorago fluminis Auduræ *g* absorbuit, longusque fugæ tractus silvarumque vastitas vulneratos et exanimes obtinuit.

* *Viole* prosternens

E

ut eos et Ecclesiæ et regi tandem subjecerit,

10 Alia quoque tempestate succedente, cum Normannicæ potestatis * furor pagum Nivernensem diriperet, et immensitatem prædæ etiam cum onustis plaustris ageret, invictissimo illis occurrente Richardo, isdem Gerannus episcopus in prima cum paucis acie positus, illos imperterritus aggressus est; moxque in fugam versis, ita vis hostilis superata est atque devicta, ut siqui remanerent, amissa nobilium bellatorum confidentia, nulla ulterius conserere prælia, nullas deinceps depopulari terras auderent; sed se Francorum imperio ultroneos dederent, atque jugo Christi colla submittentes, dæmonicis ludificationibus spretis, lavacrum baptismatis libenter appeterent, et demum dono regis et principum inhabitandam regni partem, eorum antea abliguriendi * vesania desolatam, sibi dispertitam incolerent *h*. At Ragenardus, ejus pertinax calumniator, talibus eum pollere successibus, lividis intuens aspectibus, morbo tabescebat invidiæ, animadvertens, illum secundis omnia, quæ moliebatur, proficere * auspiciis; suosque, quos meditabatur conatus, quotidianis deficere detrimentis.

* *Viole* feritatis

* *Viole* abliguriente

F

* *Viole* perficere

dux idem strenuus, et solicitus pastor;

11 Hic itaque gloriosus Pastor cum pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ atque ovilis Christi tuitione, ut inexpugnabilis athleta, bellico instare non trepidaret agoni, provido solicitudinis oculo saluti ovium suarum, quemadmodum sagacissimus opilio invigilabat, et a vipereo invisibilis inimici astu per se perque suos eas indesinenter eripere anhelabat : cujus circa eas amoris magnitudo, in affamine, in convictu, in receptu, quanta exstiterit, neget * mortalis explicare lingua; sed tamen quanta fuerit, ipsa donorum ejus dapsilitas evidenter declarat. Atqui * ad solemne suæ electionis memoriale celebrandum, dilargitus est usibus canonicorum Logniacum villam et Solium, ut ex eis ad luminaria ecclesiarum sanctæ Mariæ et sancti Joannis, sanctique Stephani modius olei unius * persolvatur, et Nancradus et Lupinus stipendiis fratrum cedant.

* *Viole* nequit

* *Viole* Qui

* *An non* unus ?

12 In

EX IMPRES I

A

ut qui gregi et ecclesiæ suæ multa contulit,

12 In die quoque suæ ordinationis eisdem fratribus delegavit in comitatu * Gagiacum *i* cum omnibus appendiciis suis, et vineam, quæ est in suburbio civitatis, et vocatur Circeredus; quam qui habuerit per chartam, pro ejus amore Dei * eisdem fratribus canonicorum vim modium unum ad minorem mensuram; et in comitatu Autissiodorensi Tauriacum cum adjacentiis suis, et villarem quo-opertorium, *k* et in villa Prisciaco mansum unum, et in comitatu Senonico super fluvium Ormentionem in Germaniaco * mansum unum, et super Belcam fluviolum Cervernum, quem ipse emit de Bocardo, fratre Gauterii archipræsulis, cum servientibus et omnibus appendiciis suis.

* *Viol. addit* Laticensi

* *lege* det *eum Viole et Necrolog.*

* *V.* Germiniaco

et plura collaturus erat,

13 In die vero obitus sui eorumdem stipendiis accumulare aliqua satagebat; sed in itinere positus, præventu mortis interceptus, ultimum exhalavit flatum: proficiscebatur siquidem in Franciam, quatenus regiæ majestatis aures interpelleret * pro supradictis villis sibi, sicut præscriptum est, ablatis, si forte imperiosa regis jussione et optimatum postulatione atque Richardi clementissimi ducis absentatione * eas posset recuperare: sed cum pervenisset ad urbem Suessionem (antequam enim attingeret, jam paululum infirmari cœperat) gravari exorsus est languoris incommodo: ubi honorifice exceptus, cum se letho appropinquare cerneret, luctuosus a corde erumpebat gemitus, profusos lachrymarum imbres effundens, clamans se, quanquam esset in patria, velut profugum et peregrinum, absque præsentia dilecti gregis obiturum, ac sine eorum exsequiis, quibus se committere ardentissime satagebat, terræ gremio insinuandum.

* *Viol.* interpellaret

B

* *V.* assentatione

nisi prævenisset prxmaturus obitus.

14 Exhinc ingruente funeris articulo, acceptoque dominici Corporis et Sanguinis sacramento, commendans se sibique populum commissum Deo Salvatori omnium, emisit spiritum. Migravit autem ad Dominum v Kalend. Aug. Ibique juxta avunculi sui Rodohini, ipsius loci quondam præsulis, sepulchrum ab Abbone ejusdem civitatis venerando pontifice *l* aliisque duobus episcopis ad Officium sepulturæ illius occurrentibus, aggregatis diversarum collegiis ecclesiarum, hymnidicis laudibus decenter tumulatus, patriam sortitus est urnam. Fuit ecclesia sine episcopo a XII. Kalend. Januar *m* usque ad VI. Kalend. Martii. *n*

C

ANNOTATA.

a Gaiacum *et Juliacum villas ab iniquo invasore redemptas ecclesiæ suæ postmodum restituit* B. Geranni *successor Betto, ut narratur in eadem Historia episcoporum Autissiodorensium cap.* 43.

b *An eadem villa, quæ hic* Narciacum *dicitur, cap.* 43 *appellatur* Juliacum; *an plures villas ecclesiæ, quam duas hic memoratas Ragenardus ademerat?*

c *Hanc* S. Geranni *de Normannis victoriam ex hoc loco breviter describit Robertus, monachus Autissiodorensis, in Chronico post annum* 900.

d Richardum *intellige Burgundiæ ducem, de quo præcedenti capite dictum.*

e Robertus *hic frater erat Odonis Galliæ regis, ac deinde ipse etiam, quamquam tempore brevissimo, rex.*

f *De Carnotensi hac Normannorum clade videri possunt etiam auctores alii, a Pagio citati in Criticis Annalium Baronii, ad annum, quo contigit, Christi* 911, *num.* 7.

g *Quod Carnotum alluit.*

h *Pertinent hæc ad annum Christi* 912, *quo cum suis baptizatus est Rollo, accepta illa ex pacto Galliæ provincia, quæ a novis colonis Normannia deinde vocata est, imo et in sponsam Gisela, Caroli Simplicis filia. Ceterum si Normannorum Historiam consulas, non armis eos adeo, quam honorificis sibi conditionibus cessisse deprehendes.*

i Gagiacum *etiam legit Viole, non* Gaiacum, *ut supra in Commentario num.* 14 *habet Necrologium. Certe Gaiacum differt a Gagiaco; cum illud dicatur paulo ante* tribus *tantum* ab urbe *Autissiodorensi* millibus discretum; *hoc autem* in comitatu Laticensi *situm, remotiore utique et ad Lingones attinente.* E

k Villare *et* villaris *viculum significat paucis familiis habitatum; sed quid* quo-opertorium, *vel ut habet Viole,* coopertorium? *An proprium nomen est; an appellativum, ductum a* cooperto, *quod locum indicat dumis silvisque ad alendas feras venationemque opportunum?*

l Rodohino *defuncto in sede Suessionensi successerat* Abbo; *ab anno minimum* 909, *quo synodo Trosleianæ subscripsit, testibus Sammarthanis. Itaque Dormayus in Historia Suessionensi lib.* 4, *cap.* 36 *Rodohini obitum refert ad annum circiter* 906 *aut* 907; *sed erat, cum* Gerannum *tantum aliquot postea mensibus obiisse asserit.* F

m *Non potest hoc intelligi de tempore, quo ecclesia Autissiodorensis vacare cœperat per mortem* B. Geranni; *cum hac acciderit* v Kal. Augusti. *Intellige ergo de tempore, quo abierat Autissiodoro, ut regem adiret; atque adeo collige, eum apud Suessionenses decubuisse ægrum per menses septem et amplius, sive a* XXI *Decembris anni* 913 *usque ad* XXVIII *Julii anni* 914.

n *Atqui successor* B. Geranni *Betto ordinatus primum fuit* IV Idus Martii, *ut num.* 14 *dictum est in Commentario. An forte electus fuit* XXIV *Februarii; et inde jam ecclesia Autissiodorensis illum pro episcopo suo reputabat?*

DE

A D

DE S. IRENE HEGUMENA VIRG.

CONSTANTINOPOLI IN CHRYSOBALANTO

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus ex Fastis Græcis, locus vitæ.

SECULO IX VEL X. Sanctæ cultus ex tabulis Græcis;

Quam illustranda a nobis hujus Sanctæ Acta res de ea numero multas ac genere prorsus singulares commemorant, tam apud auctores alios omnes, quos nobis quidem consulere licuit, nihil plane de illius gestis memoriæ proditum reperire quidquam potuimus, ne nomine quidem suo tenus alicubi, quantum novimus, extra Vitam B *signatæ; si duo Synaxaria excipias, Sirmondi videlicet ac Chiffletii, pluries a nobis citata, in quibus annua ejus memoria diserte annuntiatur hoc die* XXVIII *Julii: in altero quidem sic:* τῆς ὁσίας Εἰρήνης, τῆς Καππαδοκίσσης, κειμένης δὲ ἐν τῇ μονῇ τοῦ Χρυσοβαλάντου. Sanctæ Irenes Cappadocis, quæ jacet in monasterio Chrysobalanti. *In altero autem istis verbis refertur:* Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Εἰρήνης, τῆς ἐκ Καππαδοκῶν ὁρμωμένης, κειμένης δὲ ἐν τῇ μονῇ τῶν Χρυσοβαλάνου. Sanctæ matris nostræ Irenes, quæ ex Cappadocia oriunda est; at jacet in monasterio *monialium* Chrysobalani.

ab historicis Græcis præclara ejus gesta

2 *Atque hæc quidem sunt, quæ extra Vitam, quam damus, de nostra Sancta nancisci potuimus, adeo certe ad cultum ejus publicum comprobandum conducentia, ut si illa defuissent, ignotus undequaque ipsius Vitæ scriptor suo solius testimonio sufficientem de eodem cultu fidem nobis minime fecisset; ac proin non putassemus nobis esse integrum, alium Sanctæ locum dare, quam inter Prætermissos. His vero, quæ ad cul-* C *tum ejus spectant, ita stabilitis, minori nobis scrupulo fuit, apponere ei in titulo, huic Commentario præmisso, dignitatem* virginis, *tametsi hic sola scriptoris Vitæ auctoritate subnixam; qui ibidem num.* 91 immarcescibilem virginitatis florem *Sanctæ adscribit. Et vero raris adeo atque honorificis eam sparsim in Vitæ contextu characteribus depingit, ut magnum, si ipsi credimus, CPoli, ac memorabile nomen sibi fecerit; adeo eximia atque illustria sunt, quæ de ipsa narrat; sed eo lectorem remittimus, paucula e multis hic assignasse contenti circa Sanctæ cultum ac venerationem publicam, quæ habet is a num.* 89 *tam de frequentissimo ac tumultuario ad defunctæ corpus concursu, corporis fragrantia, novoque sepulcro, quam de miraculis ad illud patratis: ut mirum sit, Sanctam adeo magnam et celebrem non inveniri in pluribus sacris tabulis, vel in magnis saltem Græcorum Menæis excusis.*

præterita sunt, vel ignota.

3 *Nam quod in historicis Græcis nihil de ea inveniamus, minus ferire nos debet: illorum quippe institutum ordinaria lege versari solet circa personas publicas, eorumque gesta, ea præcipue, quæ ad prosequendum narrationis filum, ordinem temporum, seriem imperatorum, ducum, victoriarum, rerum tragicarum, inexspectatorum eventuum, et cetera id genus spectant, quæ sint in patenti ac publico orbis theatro gesta: nostra vero Sancta sibi ac Deo vacans in vita monastica ac privata, quamquam juxta biographum nostrum imperatori CPolitano summo in honore habita, cum lateret in monasterio Chrysobalanti, quid miri est, si de ea nihil meminisse historicos noverimus; cujus Vita ad historiæ profanæ institutum nihil magnopere conducebat? Quid, quod longe maximam vitæ suæ partem reclusa vixerit in dicto monasterio, et sic ad historicorum notitiam numquam fortasse pervenerit? Utut est, quandoquidem Sancta aliunde illustrari non potest, illud superest, ut nonnulla, quæ scriptor noster memo-* E *riæ prodidit, explanare aggrediamur.*

Chrysobalanti situs,

4 *Monasterium modo memoratum, teste scriptore Vitæ num.* 9, in pulcro civitatis *CPolitanæ* tractu situm erat, et aerem habebat temperatum, nec non a forensium aliorumque tumultuum strepitu locatum erat procul; utpote quod tunc temporis in splendidum gynæceum fuerat conversum. *Et num.* 15 Gabriëlis.. nomen gerebat ædes sacra monasterii. *Ex numero autem* 75 *habemus, quod* proximum fuerit.. Asparis Cisternæ. *Fuit vero Cisterna Asparis et Domus CPoli; de hac agit Cangius CPolis Christianæ lib.* 2, *pag.* 168; *de illa autem ibidem lib.* 1, *pag.* 97. *Urbis CPolitanæ delineatio in tabella secunda expansa, quæ est apud Bandurum ante tomum* 2 *Imperii Orientalis, monasterium Chrysobalanti exhibet in secunda urbis parte versus portam Polyandri ac portam Romani, inter monasterium Choræ, et ecclesiam S. Georgii.*

etymon

5 *Actum est de isto loco apud nos die* XXVII *Julii, occasione S. Panteleemonis martyris, uti et de loci etymo: prout videre est ad dictum diem* F *pag.* 398, *num.* 8. *Est ergo* χρυσὸς, aurum, *et* βαλάντιον, marsupium, loculi; *unde* Χρυσο βάλαντον. *Idem Bandurus tomo* 2, *pag.* 657 *in hunc Anonymi locum commentans observat, Codinum* Χρυσοβάλανδον *scribere; ibique dicere Lambecium, quod* secundum Codini etymologiam, Χρυσοβάλανδον a vulgo corrupte nominatus videatur fuisse hic locus, cum antiquitus appellaretur Χρυσοβαλάντιον, in *altero autem* codice regio legi Χρυσοβάλανον.

et vocis efformatio.

6 *Ita Bandurus; qui mox subdit:* At hujus loci Χρυσοβάλαντον aut Χρυσοβάλανδον nemo, quod sciam, ex historicis Byzantinis, præter Originum CP. Scriptores meminit: unde ubi steterit locus is, non liquet aliunde, nisi ex Anonymo nostro, *inquit,* qui hac parte urbis monumenta ad sinum Ceratinum sita, vel his proxima describit. *Quia vero efformatio vocis* Χρυσοβαλάντου *tum ex isto Anonymo tum ex nostræ Vitæ contextu stabilitur, plane censemus, eam præ alia retinendam esse, et pro* Χρυσοβαλάνου, *quod erat in secunda, quam supra produximus, annuntiatione, esse scribendum* Χρυσοβαλάντου. *Et vero facillime contingere potuit, ut tam ibi, quam in citato mox codice regio littera* τ *vel extrita fuerit præ antiquitate, vel per oscitantiam amanuensium omissa. Nunc quædam prælibanda sunt circa Sanctæ ætatem.*

§ II

A

§ II. Ætas, vitæ chronotaxis, Acta.

Floruit Sancta seculo 91

Floruisse eam seculo Christi nono, indicant variæ notæ chronologicæ, quas Vitæ interspersas habes. Num. 5 *occurrit Theodora imperatrix, cujus res gestas ex variis collegimus ad diem* XI *Februarii, quæ obiisse ibidem dicitur anno Christi* 867. *Num.* 6 *et* 7 *ejusdem Vitæ refertur, quod Sancta convenerit S. Joannicium, celeberrimi nominis anachoretam, et acerrimum fidei orthodoxæ contra Iconomachos propugnatorem eodem seculo* IX *(de quo consuli potest Baronius variis locis Annal. eccles. tomo* 9*; et Pagius in Critica historica chronologica) qui est mortuus juxta ipsos anno* 846, *et a nobis illustrandus ad diem* IV *Novembris,* B *inscribitur Martyrologio Romano. Si pergas cum nostra Vita, ibidem a num.*21 *invenies, Methodium patriarcham CPolitanum, qui Sanctam diaconissam consecrarit ac præfecerit monasterio Chrysobalanti. De illo egimus ad diem* XIV *Junii, signato anno obitus* 847, *quem etiam ipsi dat Baronius contra Pagium, ut qui S. Joannicium ipsi superstitem fuisse contendat. Numero* 39 *in eadem Vita est Michaël imperator; num.* 40 *Bardas; num.* 67 *Ignatius patriarcha CPolitanus. Michaël iste, Theophili imperatoris et Theodoræ augustæ filius, occisus est anno* 867. *Bardas vero ejusdem Theodoræ frater, Michaëlis imperatoris jussu interemptus* 866. *S. Ignatius, S. Methodii successor, creatur patriarcha anno* 846 *juxta Pagium ad annum* 847 *num.* XIX*; obiit autem anno* 877 *juxta eumdem auctorem, ad annum* 878, *num.* XI*: de quo ad* XXIII *Octobris cum Martyrologio Romano, Deo bene favente, postea agendum erit.*

de cujus gestis nonnullis præcipuis

8 *Atque hæc quidem ita chronologice præmissa viam faciliorem sternent ad determinandam pressius magisque in individuo Sanctæ nostræ ætatem, atque ad ordinandam, quoadusque saltem per modum systematis chronologici id fieri pote-* C *rit, chronataxin Vitæ, præcipua quædam rerum in decursu ejus occurrentium capita complexam. Itaque id quod dicitur ibidem num.* 5 *et* 6, *ubi exponitur, quod, dum Theodora imperatrix quæreret conjugem pro suo filio Michaële, una ex omnibus electa atque accersita fuerit CPolim nostra* Irene, *facile intelligimus, id juxta nostrum biographum, cujus fide sola stant aut cadunt, ut semel dicamus, hæc omnia non contigisse ante annum* 842*; cum juxta ipsum contigerint, ex num.* 5, *post institutum ejus annisu Orthodoxiæ festum a num.* 2*; quod cœptum fuit anno* 842, *uti est apud Baronium et Pagium. Ponamus itaque eodem isto anno* Irenen *accersitam fuisse CPolim, ætatis anno* 16, *ac proinde nata fuerit anno Christi circiter* 826. *Eodem anno* 842 *in itinere, quod CPolim dirigebat, digressa fuerit ad S. Joannicium, quo spectent illa quæ recenset biographus a num.* 6. *Anno autem Christi* 846, *ætatis* 20 *a S. Methodio ordinata fuerit diaconissa, atque ad regimen monasterii Chrysobalanti promota; ætatem utique nimis ad hoc præmaturam vitæ sanctimonia supplente, uti credi potest.*

chronotaxis ordinatur: dies mortis.

10 *Prædictiones ejus de cæsaris Bardæ et imperatoris Michaëlis interitu inciderint in annum Christi* 866, *ætatis* 40 *: etenim cum ex dictis hic anno* 867*; ille autem anno* 866 *fuerit occisus, nec multum temporis inter rerum prædictionem et earum eventum interponi queat, juxta nostrum scriptorem num.* 40 *: nam* modicum, *inquit*, post tempus omnia secundum prædictionem *Sanctæ* evenerunt : cæsar namque in castris occisus est : imperator autem Michaël, *etc. Sancto item Ignatio prædicto convixit, ex num.* 67*; cui et diutissime supervixit, si vera sunt quæ narrat auctor num.* 91, *ubi sic loquitur :* Fertur vitæ ipsius tempus ad centum usque annos, exceptis tribus, extensum fuisse, *ac proinde juxta nostram hanc hypothesin chronologicam, usque ad annum Christi circiter* 921, *morte ejus, prout liquet ex num.* 86, *signata postridie sancti megalomartyris Panteleemonis : qui cum celebretur die* XXVII *Julii (vide annotata ad cap. Vitæ* 9, *lit.* c*) obiit Sancta die* XXVIII *ejusdem mensis, quo etiam superius a Synaxariis annuntiatur.* A ANONYMO.

Quædam in chronotaxi notantur expungenda,

11 *Atque hæc quidem suis illigata annis per systema chronologicum, quatenus a nostro auctore referuntur, ordinare conati sumus : sed inter ea paullo attentius expendi meretur historia de frustratis Sanctæ nostræ nuptiis cum Michaële,* E *quæ merum nobis sunt episodium, adeo male cum personis ac temporibus cohærens, ut nullo pacto cum his combinari possit. Symeon Logotheta in Annalibus inter ea, quæ narrat de Theophilo, num.* 17, *sic habet :* Theophili imperatoris anno decimo, nascitur ei filius ex Theodora, cui Michaëlis nomen indidit : *ac proin quia anno Christi* 838 *et* 839 *currebat decimus Theophili annus, utpote qui* paternum imperium suscepit mense Octobri, Indictione VIII, *teste Constantini Porphyrogenneti continuatore, ac consentiente Cedreno, id est anno Christi* 829 *: consequens jam est, ut annus Michaëlis natalis inciderit in annum Christi* 838 *aut* 839*; qui consonat abunde cum Niceta, istorum temporum auctore, omni exceptione majore, quando in Vita S. Ignatii patriarchæ CPolitani, apud Labbeum tom.* 8 *Conciliorum col.* 1187, *dicit :*

tamquam fabulosa.

12 Theophilus decedit totumque imperium in Theodoram... Michaële filio admodum adhuc tenero (νήπιος κομιδῇ) devolvitur. *Consonat item continuatori Porphyrogenneti, qui in Vita ejusdem Michaëlis ait, illum* annos tres natum *Theophilo patri successisse; anno videlicet* 842. *I nunc, et* E *tantillam pueri Michaëlis ætatulam compone cum frustratis nuptiis* Irenes, *ac præfectura deinde ejus in Chrysobalanto sub S. Methodio : in quibus tanto cum ambitu verborum commemorandis excurrit auctor. Quæ cum ita sint, malim natales Sanctæ anticipare ad* 25 *circiter annos, ut nata fuisse potuerit anno circiter* 800*; quo fiat, ut a S. Methodio promota ad regimen Chrysobalanti non fuerit, nisi quadragenaria major : quamquam ex meris hæc dicantur conjecturis, ad quas confugere compellor, quia idoneis aliunde documentis destituor. De historia S. Joannicii, de qua auctor cap.* I, *quid sit sentiendum, satis ex dictis liquet; nisi alia fortasse occasione ea contigerit : verum hac de re ulterius nihil habeo dicere. Nunc de Vitæ nostræ auctore.*

Auctor Vitæ

13 *Quisnam ille fuerit, quove tempore, qua fide et auctoritate scripserit, omnino nos latet; nullo ex iis, quæ scripsit, relicto nobis indicio, unde in ejus notitiam ullo pacto perveniri possit. Optandum enimvero, ut contra fecisset; nam quandoquidem res adeo mirabiles, aliisque, quantum scimus, auctoribus intactas, solus ipse recenset,*

A. ANONYMO EX MS.

set, ex majore vel minore auctoritate scribentis, æquo statui posset judicio, cujus sint ea, quæ scribit, meriti ac valoris. Res, inquam, recenset valde mirabiles, quas, deficientibus ad earum confirmationem aliis adminiculis, damus ex sola ipsius fide. Ceterum ita locis, personis ac temporibus suam adaptavit narrationem, ut convinci possit, prout jam convictus est, res aperte falsas ac palpabiliter disparatas alicubi obtrusisse. Quantopere vero plurimi biographi Græci in hoc vel in simili genere laborare soleant, notius est, quam ut probari debeat, et locis sexcentis in hoc nostro opere indicatum ex Actis Græcis, quæ Græca potius quam historica fide illi nobis reliquerunt.

14 *Quod vero noster auctor Vitæ haud fuerit* S. Irenæ *synchronus, sed quod diu post illam vixerit, evincunt tum illa num.* 52 in hodiernum usque diem; *tum alia num.* 49; *ubi Basilio Macedoni imperatori* sceptra ad quartam usque aut quintam generationem extensa fuisse *scribit. Vitæ nostræ prænotatur hic titulus:* Βίος καὶ πολιτεία τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Εἰρήνης, ἡγουμένης μονῆς τοῦ Χρυσοβαλάντου. Vita et conversatio sanctæ matris nostræ Irenes, hegumenæ monasterii Chrysobalanti. *Exemplar, quod hic damus, transcriptum fuit a nostro Papebrochio* ex biblioth. Flor. S. Laur. plut. 10, cod. 31, f. 249; *prout ipsius manu prænotatur eidem exemplari; quod et in capita ac numeros more nobis usitato divisimus. Capitibus quoque variæ subnectuntur observationes nostræ. His prænotatis, Vitam nunc ipsam accipe.* D

non fuit Sanctæ synchronus.

VITA

AUCTORE ANONYMO E

Ex bibliotheca Florentina S. Laurentii. Interprete Joanne Pinio.

CAPUT I

Exstincta iconomachia, Theodora imperatrix de salute Theophili mariti fit certior; S. Irene filio ejus Michaeli destinatur sponsa; at fit sponsa Christi in Chrysobalanto.

Icononiachia post mortem Theophili imperatoris cessante.

Jam itaque excitata adversus imaginis Christi cultores persecutio cessaverat, ac vesanus dementiæ, qui Iconomachos invaserat, furor ac fremitus, resistente superbis Numine, debellatus, dejectus, dirisque devotus et expulsus, ac pessumdatus fuerat; atque instar fumi defecerat multus ipsius, fed non secundum prudentiam zelus; ubi Theophilo *a* auri cupido ac Christi inimico e vita erepto, simulque hac depressa impietate, atque una cum ipsius vitæ, caudæ instar draconis perniciem spargentis, fine, huic etiam dogmati perverso finis impositus est. Nam quæ ipsi quidem erat conjux, sed quæ Deo erat fidelis, imperatrix Theodora *b*, re- C gni non impietatis facta particeps, statim ab initio, quam per timorem Dei conceperat, pietatem peperat omnibus numeris absolutam, et perfectum omnibus incontaminatarum imaginum honorem ac venerationem non suspectam, liberam ac publicam expandit, atque Ecclesia Dei suo cum splendore, imaginum Superis acceptam restaurationem iterum adepta est, in parietibus, in tabulis, in omni materia, ære, argento et auro effigiatarum et venerationi expositarum.

imaginum cultus restauratur a Theodora, conjuge ejus:

2 Hæc quidem tempore posterior fuit beatissima imperatrice Irene *c* (quæ eamdem, quam a majoribus acceperat, pietatem ad posteras transmisit, septima et magna synodo *d* in metropolim Nicænam convocata, et omni Iconomachorum obloquendi audacia repressa, multorum sanctorum patrum, qui eo convenerant, consensu: quique expresse exposuerunt ea orthodoxæ opinionis et confessions puncta, a quibus obstructum est os loquentium iniqua) Hæc, inquam, fuit illa tempore quidem, non fide posterior, alacritate ac studio. Etenim si quid istius impietatis apud perversos remanserit reliquum.

Ἤδη μὲν οὖν ἐπέπαυτο ὁ κατὰ τὸν προσκυνητὸν τῆς εἰκόνος τοῦ Χριστοῦ διωγμὸς, καὶ ἡ ἄλογος ὁρμὴ τῆς ἀπονοίας, τοῦ τῶν εἰκονομάχων φρυάγματος, τῷ τοῖς ὑπερηφάνοις ἀντιτασσομένῳ νεύματι, καὶ κατηγονισμένη καὶ καταβεβλημένη ἐβδελύχθη, καὶ ἐξώσθη, καὶ διεφθάρη, καὶ ὡσεὶ κάπνος ἐξέλιπεν ὁ πολὺς ἐνείνης, καὶ μὴ κατ᾽ ἐπίγνωσιν ζῆλος, τῇ τοῦ βίου καταλύσει τοῦ φιλοχρύσου καὶ μισοχρίστου Θεοφίλου, τῆς τοιαύτης ἀσεβείας συγκαταλυθείσης, καὶ τῇ νεκρώσει τῆς τούτου ζωῆς κατάπερ τινὸς οὐρᾶς ὁλκοῦ δρακοντιαίου καὶ τοῦ πονηροῦ τούτου συναπονεκρωθέντος δόγματος. Ἡ γαρ ἐκείνῳ μὲν σύζυγος, πιστὴ δὲ τῷ Θεῷ, βασιλὶς Θεοδώρα, τῆς βασιλείας οὐ τῆς ἀσεβείας γενομένη διάδοχος, εὐθέως καὶ ἐκ προοιμίων, ἣν διὰ τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον ὠδίνησεν, εὐσέβειαν· ἀρτιωτάτην ἔτεκε, καὶ τελείαν πᾶσι τὴν τιμὴν τῶν ἀχράντων εἰκόνων, καὶ προσκύνησιν ἀνύποπτον, καὶ παῤῥησιασμένην ὑφαπλώσασα, καὶ τῷ ἑαυτῆς ἡ ἐκκλησία τὴν θεοτερπὴν τῶν εἰκόνων ἀνατύπωσιν αὖθις ἀπέλαβεν ἐν τοίχοις, ἐν πίναξιν, ἐν ὕλαις πάσαις, χαλκῷ καὶ ἀργύρῳ, καὶ χρυσῷ, καὶ χαραττομένων καὶ προσκυνουμένων. F

2 Δευτέρα μὲν ἑπομένη τῷ χρόνῳ τῆς μακαρίστης βασιλίσσης Εἰρήνης (ἣ τὴν αὐτὴν καὶ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς πρότερον εὐσέβειαν ἐπεδείξατο, τὴν ἑβδόμην καὶ μεγάλην συγκροτήσασα σύνοδον ἐν τῇ Νικαιέων μητροπόλει, καὶ πᾶσαν τῶν εἰκονομάχων ἀντιλογίαν τῇ συμφωνίᾳ τῶν συνεληλυθότων πολλῶν ἁγίων πατρῶν ἐπιστομίσασα, ἐγγραφῶς ἐκτεθεικότων τὰ τῆς ὀρθοδόξου καὶ ὑπολήψεως καὶ ὁμολογίας, ὑφ᾽ ὧν ἐνεσφράγη στόμα λαλούντων ἄδικα) οὐ δευτέρα καὶ τῇ πίστει, καὶ τῇ προθυμίᾳ, καὶ τῇ σπουδῇ· καὶ γὰρ εἴ τι καὶ λείψανον τῆς τοιαύτης ἀσεβείας τοῖς πονηροῖς ὑπολέλειπτο, δι᾽ ὧν πάλιν αὐ-

A αὐτὴ συνήγαγε πατρῶν, οἱ καὶ στίγματα τοῦ Χριστοῦ, τὰ ὑπὲρ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ βαστάζοντες ἦσαν ἐν τοῖς σώμασιν, ἀφανισμῷ τε τουτο καὶ σιγῇ παρέδωκε παντελεῖ. Εἶτα σοφωτάτῃ προνοίᾳ κρατύνουσα τὴν εὐσέβειαν, καὶ τὴν ἐπαινετὴν πανήγυριν, παντὶ τῷ αἰῶνι συνπαρεκτεινομένην, ἐθέσπισε τὴν παρ' ἡμῶν ἐπιτελουμενην τῇ κυριακῇ τῆς πρώτης τῶν νηστειῶν ἑβδομάδος πολυάνθρωπον λιτὴν, καὶ τῆς ὀρθοδοξίας εἰς δεῦρο καὶ λεγομένην καὶ γινωσκομένην.

3 Καὶ [εἰς] μέγιστον συναγόμεθα ναὸν, τήν τε τῶν ἁγίων εἰκόνων ἀναστείλωσιν ἑορτάζοντες, καὶ τῆς παντελοῦς καταστροφῆς τῶν εἰκονομάχων ἐτήσιον τῷ Θεῷ τὴν εὐχαριστίαν ἀποδιδόντες· οὐδὲ γὰρ ἐπ' ὀλίγον, ἀλλ' ἐπὶ πολὺ καὶ λίαν ἡ κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων ἐπεκράτησεν ἀτιμία, ἐν ἑπτὰ μὲν καὶ πεντήκοντα πρότερον ὅλοις ἔτεσιν· ὕστερον δὲ πάλιν ἐφ' ἑτέροις τριάκοντα, ταῖς αὔραις ἀναφθεῖσα τοῦ πονηροῦ, τετυράννικε. Καὶ μεγάλης ἔδει τῆς εὐχαριστίας πρὸς τὸν βραδὺν εἰς ὀργὴν, καὶ ταχὺν εἰς ἀντίληψιν Κύριον, τὸν ποιοῦντα πάντα καὶ με-
B τασκευάζοντα κατὰ καιρὸν, καὶ ὡς αὐτὸς ἐπίσταται τῷ βάθει τῆς αὐτοῦ σοφίας καὶ διοικήσεως. Πλὴν ἀλλ' ὅρα τὸ τῆς ἀρετῆς ὑπερβάλλον τῆς θεοφιλοῦς γυναικός. Οὐ γαρ πρὸς τὸ ἑαυτῆς εἶδε σύμφορον μόνον, οὐδ' ὅτι τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐπελάβετο διὰ πίστεως καὶ τοῦ μεγάλου τῆς ὀρθοδοξίας κατορθώματος, τοσαύτην δόξαν ἔστερξεν ἑαυτῇ πραγματευσαμένη· ἀλλ' εἰ μὴ καὶ τὸν ἄνδρα τῆς ἀποκειμένης αἰωνίου τοῖς ἀσεβέσι ἐξέληται καταδίκης, μηδὲ τὴν ἰδίαν ἐθέλειν ἐνόμιζε σωτηρίαν.

4 Καὶ τί ποιεῖ; Πάντας εἰς ταυτὸ τοὺς ἁγίους ἐκκλησιασαμένη πατέρας, καὶ μάλιστα τοὺς ἐνηθληκότας ὑπερ τῆς τῶν ἁγίων εἰκόνων τιμῆς καὶ πληγὰς καὶ μώλωπας ἔτι περιφέροντας, τούτων τοῖς ποσὶ μηδὲν ὑποστελλομένη προσέπιπτεν ἡ βασιλὶς, δάκρυσι τὰς παρειὰς ἐπιῤῥαίνουσα, καὶ πρὸς οἶκτον αὐτοὺς ἐκκαλουμένη, καὶ δυσωποῦσα δεήσει καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν οἰκτίρμονα καὶ φιλάνθρωπον κύριον προσενεγκεῖν, ὅπως φείσηται τῆς ἀθλίας τοῦ συνεύνου ψυχῆς, καὶ τὸ μέγα τοῦτο διὰ τῆς αὐτῶν συγχωρήσας μεσιτείας ἀνόμημα τῆς ἀτελευτήτου τιμωρίας ὁ ἀγαθὸς ἐλευθερώσῃ. Καὶ δὴ τῆς ἱκετείας ἐν οὐκ ὀλίγαις ἡμέραις τελουμένης ἐν ἀγρυπνίαις καὶ εὐχαῖς καὶ δάκρυ-
C σιν, ἔδοξε τοῖς ἁγίοις ἐναπογραφῆναι μὲν τὰ τῶν ἄλλων αἱρετικῶν ὀνόματα, ὅσοι τῆς ὁμοίας ἦσαν ἀσεβείας ὑπέρμαχοι καὶ προστάται, συναπογραφῆναι δὲ καὶ τὸ τοῦ ὁμόφρονος ὄνομα Θεοφίλου, σφραγισθῆναί τε τὸν τόμον, καὶ τῷ ἁγίῳ τοῦτον ἐναποτεθῆναι θυσιαστηρίῳ· ὃ δὴ καὶ γέγονε.

5 Τῶν ἱλαστηρίων δὲ τελειουμένων ἡμερῶν ἀνοίξαντες τῇ ὑστεραίᾳ τὸν τόμον (ὢ τοῦ πλήθους τῶν οἰκτιρμῶν σου, Χριστὲ βασιλεῦ, καὶ τῆς ἀφάτου φιλανθρωπίας) εὑρίσκουσιν μόνον, τῶν ἄλλων ἀπηλειμμένων ἐκ τοῦ καταλόγου τῶν αἱρετικῶν, τὸ τοῦ Θεοφίλου ὄνομα. Καὶ ἐπληρώθη κἀνταῦθα ἡ λέγουσα τοῦ ἀποστόλου νομεθεσία· Τί γὰρ οἶδες, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; Οὕτως ὁ θεὸς ἐνδοξαζόμενος ἐν βουλαῖς τῶν ἁγίων. Ἐπεὶ οὖν ἅπαντα κατὰ γνώμην καλῶς συνῆλθε τῇ βασιλίδι, καὶ ὡς αὐτῇ θελητὸν (τοῖς γὰρ ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς τὸ ἀγαθὸν), ἔδοξεν αὐτῇ καὶ τῷ υἱῷ Μιχαὴλ, ὃν δὴ τῆς βασιλείας εἶχε κληρονομον, γυναῖκα τῶν ἐπιφανῶν ἀγάγεσθαι καὶ περιβλέπτων, γένους μὲν εὐσεβοῦ, καὶ τῇ ὀρθοδόξῃ σεμνυνομένου πίστει, ἀρετῆς δὲ διαφέρουσαν κάλλει, καὶ ψυχῆς εὐγενείᾳ καὶ σώματος ὥρᾳ διαπρεπῆ, καὶ τὰς καθ' ἑαυτὴν νικῶσαν παρθένους. Καὶ γράμματα περὶ τοῦτο κατὰ πᾶσαν ἐπέμπετο γῆν, ὅση τῇ Ῥωμαίων ὑποτελὴς ἐτύγχανε βασιλείᾳ.

6 Ἄλλων οὖν ἀλλαχόθεν, ὅσοι παρθένους ἔτρεφον, τοιαύτας ἑτοιμαζόντων, καὶ πρὸς τὴν βασιλί-

per patres iterum a se congregatos, qui stigmata Christi, pro imagine ejus accepta, portabant in corporibus, abolevit, ac perpetuo tradidit silentio. Deinde sapientissima providentia confirmans pietatem ac laudabilem solennitatem, ad omne retro seculum extensam, instituit *e* eam, quæ a nobis peragitur Dominica primæ *f* jejuniorum hebdomadis, supplicationem *g*, hominum concursu affluentem, quæ Orthodoxiæ sub nomine ad hodiernum usque diem cognita est.

A. Anonymo. ex ms.

e *f* *g*

3 Et vero magnum ad templum convenimus, sanctarum imaginum restaurationem celebrantes, ac pro omnimoda Iconomachorum exstirpatione Deo quotannis gratias agentes. Neque enim ad modicum, sed ad multum ac nimium tempus impietas adversus imagines invaluit; et prius quidem septem ac quinquaginta *h* integris annis; posterius vero iterum aliis triginta *i*, maligni spiritus flatibus accensa, tyrannidem exercuit. Ac magna sane opus erat gratiarum actione erga illum Dominum, qui tardus est ad iram, et velox ad misericordiam; qui facit omnia et transmutat opportune, et sicut ipse novit in profunditate sapientiæ ac dispositionis suæ. Verumtamen vide excellentem mulieris, Deum amantis, virtutem. E
Neque enim ad solam ipsa suam utilitatem respexit; neque ut æternam consequeretur vitam fide, et magno erga fidem orthodoxam officio, hanc gloriam suis solius rebus intenta adamavit; sed nisi maritum æterna, quæ impios manet, sententia eximeret, suam se salutem velle non putabat.

cujus opera instituitur annua supplicatio eucharistica.

h *i*

4 Et vero quidnam facit? Postquam omnes ad hoc convocasset sanctos patres, eos præsertim, qui pro sanctarum imaginum honore præliati, cicatrices et plagas etiamnum circumferebant, imperatrix nihil absterrita ad eorum pedes accidit, lacrymis genas rigans, et commiserationem illorum implorans, demisse obsecravit, Domino, cui proprium est misereri et parcere, preces ac supplicationes offerrent, ut miseræ animæ conjugis suæ parceret, et ipsorum interventu magnam hanc ei iniquitatem condonans, a perpetuo cruciatu bonus Deus liberaret. Et sane hac supplicatione per dies non paucos peracta in vigiliis, orationibus et lacrymis, visum est sanctis patribus, ut scripto notarentur nomina aliorum hæreticorum, qui ejusdem erant impietatis propugnatores ac præsides, et simul adscriberetur nomen Theophili, ipsorum suffragatoris, sigilloque muniretur volumen, ac sacro altari imponeretur. Quod et factum fuit. F

Patribus convocatis, indicit preces pro salute mariti ſui.

5 Transactis itaque propitiatoriis diebus, aperientes prostridie volumen (o miserationum tuarum, Christe rex, multitudinem, et ineffabilem benignitatem!) inveniunt solum Theophili nomen, aliorum hæreticorum nomine e tabulis expuncto. *k* Et impletum fuit ibi Apostoli effatum, dicens: Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? Vere Deus in consiliis Sanctorum glorificatus est. Postquam itaque omnia ex sententia evenissent imperatrici (diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum) placuit ipsi, Michaeli filio, quem imperii habebat heredem, accersi uxorem illustrem ac spectabilem, atque ex genere, pietate et orthodoxa fide exornato; virtutis autem pulcritudine præstantem, animique nobilitate et corporis forma decoram; quibus ceteris etiam sui temporis virginibus præcelleret. Atque hac de causa litteræ in omnem mittebantur terram, quæ Romano * vectigalis erat imperio.

quem insigni cum miraculo salvum intelligit: sponsam quærit filio Michaeli.

k

** CPolis dicta nova Roma*

6 Itaque dum alii, qui virgines educabant, aliunde illas præpararent, et ad imperatoriam civitatem

A. ANONYMO EX MSS.

Irene ad hoc delecta, CPolim pergens, divertit ad S. Joannicium

A tem transmitterent; parentes quoque mirabilis Irenes (cujus mores a capite percensere cupit oratio) hanc sicut virtutis venustate, ita corporis specie memorabilem, e Cappadocum regione, e qua originem trahebat, pretiose admodum et eleganter adornatam, dimittunt CPolim simul cum sua sorore, quæ avunculo imperatoris Michaelis, *l* cæsari *m* Bardæ posterius *n* nupta obtigit; viro quidem cetera nullius pretii, invidia autem omnino tabescenti, raptoque ac latrociniis vivere consueto. Ut igitur illi qui virgines ducebant, iter perficerent, oportebat eos transire Mysiam ad pedes Olympi montis. Ornatissima itaque virgo Irene audiens, quæ de magno Joannicio *o* fama vulgarat; quodque præter alias dotes suas, non foret spectabilis semper omnibus volentibus, sed iis utique, quibus benignio Dei favor hanc dignitatem exhiberet; Irene, inquam, pluris faciens operis seu viæ accessorium, quam ipsum opus; quid indictum, quid infectum reliquit, ut ductoribus persuaderet, ut ad ipsum transirent; et siquidem, inquit, Dominus dederit, conspectu ipsius fruamur, et conversatione, ac precibus illis efficacissimis fiamus digni. B Vix itaque tandem persuasi, ipsam ducunt ad sanctum.

qui ei prophetico spiritu monasticam vitam prædicit.

7 Verum ille ut vidit ipsam procul venientem, et charismate perspiciendi animæ arcana prævidit, quem res vitæ ejus finem habituræ essent, ipsam, dum necdum accessisset prope, sic compellat: Bene veneris, famula Dei Irene: festina, filia, ad imperatoriam civitatem gaudens festina: nam indiget te monasterium Chrysobalanti *p*, ut pascas virgines, quæ in eo sunt. Illa vero ut audivit nomen suum, tota stupore correpta, humi se projecit ad pedes ejus, exspectans orationem ab ipso ac benedictionem. Nec vero alia quidem verba tantopere curabat. (Quid enim mihi, dicebat, et Chrysobalanto?) Sola autem nominis compellatio stupore ipsam affecit, cogitantem quomodo is, quam numquam viderat, et de qua nihil audiverat, proprio eam nomine compellasset. Sanctus itaque postquam eam erexisset, et sermonibus spiritualibus confirmasset, orationum C ac benedictionum viatico munitam dimisit in pace, ut, quod viæ erat reliquum, absolveret.

CPolim itaque honorifice deducta, sed nuptiis imperatoris frustrata,

8 Ubi autem ad civitatem pervenere, obviam ipsi procedunt, qui in ea domicilium habebant, e cognatis, et quibus intercedebat inter nonnullos necessitudinis vinculum, qui senatui, concilio ac magistratui adscripti erant: multaque apud imperatores auctoritate valebant; quique patriciorum honores adepti (gouberios *q* nuncupabant) divitiis et gloria conspicui, ac virtute memorabiles, tum hanc, quam diu ante spectare desiderarant, oculis videre cupiebant, tum ipsam honorabant, ut par erat, quæ imperatori erat desponsata *r*. Verum enimvero palmam omnino debebat referre bonarum animarum amator, rex regum; qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; et ea quæ nondum facta sunt, tamquam ea, quæ jam facta sunt, exterminat. Mulier *s* quippe prævertit *t* ipsius cum imperatore conjugium, Deo prorsus sapienter hæc disponente, ut virginem suam Irenen in thalamum suum duceret. Quod cum ad aures venisset admirabilis Irenæ, animum gaudio explevit, magnasque ipso Deo gratias retulit.

aliorum conjugia respuit, et dictorum Joannicii memor

9 Multis itaque inter magnates ac civitatis primores, tum ob pulcritudinem, tum ob generis splendorem, nuptias ejus ambientibus, ne vel tenuem quidem aurem isti rei præbere voluit; sed totis animi viribus desponsari Christo, et illi placere soli in omni vita, desideravit. Despectis igitur omnibus

δα πόλιν παραπεμπόντων αὐτὰς, καὶ οἱ τῆς θαυμασίας D Εἰρήνης πατέρες (ἧς ὁ λογος ἀπ' ἀρχῆς τοὺς τρόπους βούλεται διηγήσασθαι) ὥσπερ ἀρετῆς ὥρᾳ ταύτην, οὕτω δὴ καὶ σώματος κάλλει διαβεβοημένην, ἐκ τῆς Καππαδοκῶν, ὅθεν ὥρμητο, πολυτελῶς εὖ μάλα καὶ κοσμίως εὐτρεπίσαντες, πρὸς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἀποστέλλουσι, σὺν αὐτῇ δὲ καὶ τὴν ἀδελφὴν, ἥτις ὕστερον καὶ τῷ πρὸς μητρὸς θείῳ τοῦ βασιλέως Μιχαὴλ τῷ καίσαρι Βάρδᾳ πρὸς γάμου κοινωνίαν ἐχρημάτισεν· ἀνδρὶ τ' ἄλλα μὲν οὐδενὸς ἀξίῳ, φθόνῳ δὲ δι' ὅλου τηκομένῳ, καὶ ἁρπαγαῖς χαίροντι καὶ φόνοις. Ὡς οὖν τὴν ὁδὸν ἤνυον οἱ τὰς παρθένους ἄγοντες, ἔδει δὲ τούτους διὰ τῆς Μυσίας περὶ τοὺς πρόποδας διέρχεσθαι τοῦ ὄρους τοῦ Ὀλύμπου. Ἀκούσασα ἡ σεμνοτάτη παρθένος Εἰρήνη τὰ κατὰ τὸν μέγαν Ἰωαννίκιον, καὶ ὅτι μετὰ τῶν ἄλλων αὐτοῦ πλεονεκτημάτων οὐδ' ὁρατός ἐστιν ἀεὶ πᾶσι τοῖς ἐθέλουσιν, ἀλλ' οἷς ἂν ὡς ἀξίαν οἰκονομία θειοτέρα ἐμφανισθείη· μεῖζον τοῦ ἔργου τὸ πάρεργον ἡγησαμένη, τί μεν οὐκ ἔλεγε, τί δὲ οὐκ ἐποίει; πείσας τοὺς ἄγοντας ὥστε παρ' αὐτὸν ἀνεληλυθέναι, καὶ εἴγε δοίη Κύριός, φησι, καὶ ὄψεως αὐτοῦ τυχεῖν, καὶ ὁμιλίας, καὶ εὐχῶν ἐκείνων τῶν ἀνυσιμωτάτων E ἀξιωθῆναι. Πείθοντας τοίνυν μόλις καὶ ταύτην ἄγουσιν πρὸς τὸν ὅσιον.

7 Ἀλλ' ἐκεῖνος ὡς εἶδεν αὐτὴν πόῤῥωθεν ἐρχομένην, καὶ τῷ διορατικῷ τῆς ψυχῆς χαρίσματι προθεωρήσας εἰς οἷον ἄρα καταντήσει τέλος αὐτῆς τὰ τοῦ βίου, μήπω πλησίον γενομένην, φησὶ πρὸς αὐτήν· Καλῶς ἦλθες, ἡ δούλη τοῦ Θεοῦ Εἰρήνη· σπεῦδε, τέκνον, πρὸς τὴν βασιλεύουσαν, χαίρουσα σπεῦδε. Χρείαν γάρ σου ἔχει ἡ μονὴ τοῦ Χρυσοβαλάντου, ὅπως ποιμένῃς τὰς ἐν αὐτῇ παρθένους. Ἡ δὲ ὡς ἤκουσεν τὸ ἑαυτῆς ὄνομα, ἔκθαμβος ὅλη γενομένη, τῷ ἐδάφει προέῤῥιψεν ἑαυτὴν πρὸ τῶν ἐκείνου ποδῶν, εὐχὴν προσδεχομένη καὶ τὴν παρ' αὐτοῦ εὐλογίαν. Καὶ τῶν μὲν ἄλλων ῥημάτων οὐ τοσοῦτον ἐμέλησεν αὐτῇ. Τί γὰρ ἐμοὶ, ἔλεγε, καὶ τῷ Χρυσοβαλάντῳ; Μόνη δὲ τοῦ ὀνόματος ἡ κλῆσις εἰς ἔκπληξιν αὐτὴν ἦγε, λογιζομένην ὅπως, ἣν οὐδέποτε ἐθεάσατο καὶ περὶ ἧς οὐκ ἠκόει, ὀνομαστὶ προσηγόρευσε. Ἀναστήσας οὖν αὐτὴν ὁ ὅσιος, καὶ λόγοις πνευματικοῖς στηρίξας, εὐχαῖς δὲ καὶ εὐλογίαις ἐφοδιάσας ἀπέλυσεν ἐν εἰρήνῃ, πληρῶσαι τὴν προκειμένην ὁδόν.

8 Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν πόλιν κατέλαβον, ἐξιάσιν πρὸς αὐτὴν F ὅσοι τε κατοίκησιν εἶχον ἐν αὐτῇ, τῶν συγγενῶν, καὶ ὅσοις ἦν περί τινων αὐτοῖς ἀναγκαίων ἐπιδημία, τῆς συγκλήτου καὶ βουλῆς ὄντες, καὶ προεδρίας, καὶ μεγάλα παρὰ βασιλεῦσι δυνάμενοι· οἵτε τῶν πατρικίων ἔχοντες τιμὰς, (οὓς ὀνομαστοὺς ἐκάλουν γουβερίους) πλούτῳ καὶ δόξῃ περιβλέπτους, καὶ ἀρετῇ περιβοήτους, ἅμα μὲν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ἱμειρόμενοι, ἣν πρὸ πόλλα θεάσασθαι ἐπεθύμουν, ἅμα δὲ καὶ τιμῶντες αὐτὴν, ὡς εἰκὸς, βασιλεῖ μνηστευομένην. Πλὴν ἀλλ' ἔδει πάντως νικῆσαι τῶν ἀγαθῶν ψυχῶν ἐραστὴν, τὸν βασιλέα τῶν βασιλευόντων, ὃς τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα καλεῖ, καὶ τὰ μήπω γεγονότα ὡς ἤδη γενόμενα ἀφορίζει. Ἔφθασε γὰρ τῷ βασιλεῖ συναφθῆναι γυνὴ, τοῦ Θεοῦ ταῦτα σαφῶς πάντως οἰκονομοῦντος, ἵνα τὴν ἑαυτοῦ παρθένον Εἰρήνην εἰς τὸν οἰκεῖον ἀγάγηται θάλαμον. Ὅπερ ὡς ἧκεν εἰς τὰ ὦτα τῇ θαυμασίᾳ Εἰρήνῃ, χαρᾶς ἔπλησε τὴν ψυχὴν, καὶ τῷ Θεῷ μεγάλας ἐκείνη τὰς χάριτας ὡμολόγει.

9 Πολλῶν οὖν ἐν τοῖς μεγιστᾶσι καὶ πρὸς τοῖς τῆς πόλεως, διάτε τὸ κάλλος, διάτε τὴν τοῦ γένους περιφανείαν πρὸς γάμον αὐτὴν ἑλκόντων, οὐδὲ ψιλῇ παραδέξασθαι ἀκοῇ τοῦτο ἠνείχετο, ἀλλ' ὅλῃ ψυχῇ καὶ προθυμίᾳ τῷ Χριστῷ νυμφευθῆναι, καὶ τούτῳ μόνῳ διαπαντὸς ἀρέσκειν ἐπόθησε. Πάν-

των

A των τοίνυν ὑπερειδοῦσα τῶν βιωτικῶν, καὶ τῶν γηΐνων ἀποσεισαμένη τὸν πόθον, ἑκάστης ἡμέρας διεσκοπεῖτο καὶ διηρεύνα τόπον κατοικίας, ἐν ᾧ τὸν ἡσύχιον καὶ θεάρεστον μετελεύσεται βίον, πάσης ταραχῆς καὶ θορύβου ἀπηλλαγμένον. Πολλὴν δὲ περὶ τούτου τὴν ἔρευναν ἀνὰ πᾶσαν ποιουμένη τὴν πόλιν, μόλις ποτὲ εἰς ἀνάμνησιν ἦλθε τῶν προῤῥηθέντων αὐτῇ παρὰ τοῦ μεγάλου Ἰωαννικίου· καὶ παραυτίκα τῶν ἄλλων ἀφεμένη, πέμπει διὰ σπουδῆς τοὺς τὴν μονὴν ἀναζητήσοντες Χρυσοβαλάντου. Μαθοῦσα δὲ ὡς ἐν καλῷ εἴη διακειμένη τῆς πόλεως μέρει, εὐκρατῶς μὲν ἀέρος ἔχουσα, ἀγορῶν τε ποῤῥω καὶ τῶν ἄλλων ὀχλήσεων ᾠκισμένη, ἄρτι δὲ σεμνεῖον εἰς γυναικεῖον μεταμειφθεῖσα.

10 Ἡ γὰρ τῶν εἰκονομάχων τυραννὶς τὸ ἱερὸν σχῆμα τῶν μοναζόντων διὰ τὸ μέλαν ὡς ἄγος τι τῆς πόλεως ἀπελαύνουσα, πολλὰ τῶν μοναστηρίων ἔρημα τῶν ἐνοικουντων καταλέλοιπε, μοναχῶν ἄλλων ἀλλαχοῦ διεσκεδασμένων, καὶ τῶν μέν τῷ μήκει τοῦ χρόνου τὴν παροῦσαν ζωὴν μετηλλαχότων, τῶν δὲ καὶ μακρυνόντων, φυγαδευόντων τὴν ἐπάνοδον ἀπήγορευκότων. Ὡς οὖν ἤκουσε ταῦτα, ἔχαρέ τε λίαν, καὶ πάντα προθύμως τὰ προσιόντα περιδάῤῥεά τε καὶ κόσμια, καὶ ὅσα ἄλλα παρὰ τῆς βασιλίδος φιλοτίμως
B ὑποδεχθεῖσα, ὡς βασιλικὰς ἐκτήσατο δωρεὰς, τὰ μὲν πένησι καὶ ταῖς ἑαυτῆς θεραπαινίσι διένειμε, τὰ δὲ πρὸς τὴν μονὴν φέρουσα Θεῷ ἀνέθετο. Καὶ οὕτως κείρεται μὲν τὴν κόμην, συναποκείρεται δὲ αὐτῇ καὶ πᾶν εἴτι κοσμικὸν καὶ πρόσγειον φρόνημα. Μετ' ἀμφιέννυται δὲ καὶ τὰ τῶν ἐνδυμάτων τρίχινα περιβαλλομένη ῥάκια, τρύχειν οἷα δὲ θέλουσα τὸ ἁπαλὸν ἐκεῖνο σῶμα καὶ τρυφερὸν, ἵν' ὅσον ἐκεῖνο φθείρεται, τοσοῦτο τὴν ψυχὴν ἀνακαινιζομένην ἔχει καὶ ἀναθάλλουσαν, καὶ Θεῷ προσεγγίζουσαν.

hujus vitæ rebus, et cupiditate rerum terrenarum evulsa, quotidie considerabat et investigabat locum habitationis, in quo tranquillam, Deoque placentem, et omni turba ac tumultu vacuam vitam transigeret. Totam itaque hac super re urbem diligenter perscrutatæ, vix tandem aliquando in memoriam ipsi veniunt ea, quæ prædicta ei fuerant a magno Joannicio. Nec mora, mittens alia, jubet cum festinatione ire eos, qui monasterium Chrysobalanti exquirant. Intellexit autem, quod in pulcro civitatis tractu situm esset, et aerem haberet temperatum, nec non a forensium aliorumque tumultuum strepitu locatum esset procul, utpote quod tunc temporis in splendidum gynæceum fuerat conversum. *A. Anonymo ex mss.*

10 Nam Iconomachorum tyrannis sacrum monachorum habitum nigro calculo notatum, non secus ac nefas quoddam e civitate expellens, multa monasteria incolis deserta reliquit, monachis aliis alio dispersis: atque hi quidem longitudine temporis præsentem vitam cum morte commutarunt; ille vero, quos longe gentium abigebant, fugabantque, reditum recusabant. Ubi ergo Irene audivit hæc, gavisa est valde, et omnia alacri animo, quæ aderant, monilia et ornamenta, et quæcumque alia (nam honorifice illam imperatrix exceperat) tamquam imperatoria possidebat dona, partim quidem pauperibus et ancillis suis distribuit, partim vero ad monasterium ferens, Deo obtulit. Et sic tondetur ei coma, simulque cum ipsa tondetur omnis, si qua erat, mundana et terrana prudentia. Ad hæc, vestimenta induit, et piloso centone amicitur, macerare utique volens tenellum istud ac delicatum corpus; ut quanto magis illud attereretur, tanto magis renovaretur anima, ac reflouresceret, Deoque appropinquaret. *monasticum amplectitur institutum.* E

ANNOTATA.

a *Theophilus, Michaelis Balbi filius, imperare cœpit anno* 829; *obiit anno* 842, *ut videre est apud Baronium et Pagium.*

b *De S. Theodora imperatrice diximus in Commentario huic Vitæ prævio.*

c *S. Irene Leoni IV nupsit anno* 769, *teste Pagio : cum Constantino filio gubernavit* 780: *obiit anno* 803, *uti videsis apud Baronium et Pagium. Colitur apud Græcos die* 13 *Augusti.*

d *Synodus illa Nicæna* 2, *œcumenica* 7, *CPoli fuit incepta, sed dissoluta ; deinde Nicæam translata, accurante S. Irene, anno* 786, *uti notat Pagius ; et ibidem celebrata anno* 787. F

C e *De institutione istius solennitatis adi Baronium ad annum* 842; *ubi duos profert canones epinicios Græco-Latinos, odis quemque suis distinctos, ac Dominica prima Quadragesimæ cani consuetos. Combefisius in novo bibliothecæ Græco-Latinæ Auctario, a col.* 716 *edidit Orationem historicam in hoc festum. Georgius Codinus Curopalata de Officiis magnæ ecclesiæ et aulæ CPolitanæ, regiis typis Lutetiæ Parisiorum anno* 1648 *editis, cap.* 15, *pag.* 114, Dominica Orthodoxiæ, *inquit,* abit imperator ad S. Sophiæ templum ; et quando legitur Synodicum, stat : deinde fausta acclamatione peracta, sedet in throno suo.

f *Leo Allatius in Dissertatione de Dominicis et hebdomadibus Græcorum num.* XII *ostendit, eos Dominicas Quadragesimæ numerare a prima Dominica secunda hebdomadis ; ante quam priores jejuniorum feriæ apud Græcos Dominicam Tyrophagi statim excipiant ; hinc fieri, ut Latinorum hebdomades Græcis nullo modo respondeant : quæ enim Latinis prima est, Græcis esse secundam : quæ Latinis est secunda, Græcis esse tertiam etc. Addit, hanc numerandi varietatem viris magnis imposuisse ; idque exemplo probat. Hunc Allatii locum citat Pagius ad annum* 842, *num.* XX, *ubi et corrigit Combefisium (post cujus mortem Chronographia Constantini Porphyrogeniti a Leone Armeno usque ad Michaelem Theophili, edita fuerit) quod occasione Dominicæ Orthodoxiæ, de qua ibi sermonem habeat Porphyrogenitus, hæc verba in margine apposuerit,* Orthodoxiæ pompa, Dom. 1 jejunii, nobis 11. *Et vero, uti Pagius,* jejunium inchoant *Græci* a die Lunæ post Dominicam nostræ Quinquagesimæ. Hæc vero hebdomas prima Quaduagesimæ a Græcis nuncupatur, qui secundam hebdomadem a die Lunæ consequenti exordiuntur... Quare apud eos dies Dominica claudit hebdomadem, quæ tamen eamdem apud Latinos incipit, et eadem Dominica tam Latinis quam Græcis dicitur Dominica prima Quadragesimæ, quam et Græci Dominicam Orthodoxiæ appellant. *Porro Ordo Officii Dominicæ istius notatur in Typico S. Sabæ cap.* 32.

g *Ducebatur, prælucentibus facibus, ea supplicatio ab ecclesia Deiparæ Blachernensi ad augustissimum S. Sophiæ templum, uti indicatum est ad Vitam S. Methodii die* 14 *Junii, cap.* 2, *pag.* 971. *Vide etiam gesta S. Theodoræ imperatricis supra citata,* § 7, *num.* 50 ; *et paulo hic superius lit.* e.

h *Stabilita*

A. Anonymo, ex mss.

D

h *Stabilita publice fuit hæc hæresis anno Leonis Isauri* 10, *Christi* 726 *per edictum tunc ab eo vulgatum, juxta Baronium ad istum annum; quo etiam videri potest Pagius; quæ hæresis anno* 787 *in concilio Nicæno damnata est. Et sic tyrannidem, publicam saltem et universalem, non exercuit per annos* 57. *Sed forte hic annos aliquot adjecerit auctor, quibus quasi privatim grassata sit.*

i *Persecutionem adversus sacras imagines resuscitatam a Leone Armeno innectit Baronius anno Christi* 814; *ad quem multis probat Pagius, id contigisse anno sequente. Redditus imaginibus honor sub Theodora anno* 842: *atque ita tyrannis illa, publica saltem et universalis, non duravit annis* 30; *sed noster forte auctor commode explicari potest, si dicatur esse locutus numero annorum rotundo.*

k *Baronius ad annum* 842 *refert ex Gennadio patriarcha CPolitano in Expositione pro concilio Florentino sessione* 5, *pœnituisse in ipso vitæ fine Theophilum, et a Deo misericordiam consecutum; ubi et alia, quæ huc spectant, referuntur. At variis illam pœnitentiam infirmat Pagius ad dictum annum num.* XIII. *Videri etiam possunt, quæ nos jam pridem diximus in Commentario historico S. Theodoræ imperatricis ad diem* XI *Februarii, pag.* 560; *ubi auctores citantur pro salute Theophili. Ast ego, relicto interim Deo hujus controversiæ judicio, dissimulare non possum, quin indicem, me vix concipere, quomodo finalis illa pœnitentia cohæreat cum acerbissima illa crudelitate, qua Theophilus jam morti vicinus, in Theophobum, virum innocentissimum, sese exsatiasse scribitur apud Baronium mox citatum.*

l *Fuit is Michael* III, *de quo Commentarius prævius, cognomento* Μετυστὴς, *hoc est* Temulentus, *teste Joële in Chronographia compendiaria pag.* 179.

m *Bardas, Theodoræ augustæ frater, creatur* cæsar *anno* 860, *ut videre est apud Pagium ad annum* 859, *num.* IX.

B

n *Per* τὸ ὕστερον *in nostro textu Græco cum adjunctis, intellige conjugem Bardæ* postremam *seu* ultimam, *conformiter ad num.* 38 *Vitæ, ubi dicit auctor* ultimam *(Græce* ὑστάτιν*)* hanc fuisse conjugem cæsaris Bardæ, superius exposuit oratio, *nempe hoc num.* 6. *Sed non tam novi, quod hoc sit verum, quam quod Bardas uxorem suam sine causa repudiarit, nuru propria abusus, atque ideo a S. Ignatio patriarcha CP. sacris exclusus, cui in exsilium relegato intrusit impiissimum Photium.* E

o *Meminit de eo Commentarius prævius.*

p *Locum descripsimus ibidem.*

q *Quinam proprie illi fuerint; unde sic dicti, quo officio functi, reperire hactenus non potui. Magna haud dubie fulserint dignitate, si, quod vult noster auctor, patritiis accensendi sint, de quibus varia collegit Joannes Meursius in Glossario Græco-barbaro, et Cangius in Glossario mediæ latinitatis. Suspicor, hic scribendum* γουερνερίους, gubernerios, *id est, rectores, gubernatores, Gallice* gouverneurs. *Adi Cangium in eodem Glossario.*

r *Codinus paullo ante citatus, cap.* 22 *agit de modo, quo futura sponsa imperatrix recipienda sit; ubi inter alia dicitur* occurrere ei imperator, maritus ejus, novus sponsus.

s *Leo Grammaticus in Chronographia, editionis Parisiensis pag.* 457 *sic habet:* Theodora augusta uxoris filio suo providendæ cum Theoctisto Logotheta consilium habuit: noverat quippe cum Eudocia, Ingeris filia, Lagothetæ et imperatrici propter impudicitiam vehementer exosa, familiaritatem contraxisse. Eam ob rem Eudociam, Decapolitæ filiam, eidem matrimonio conjungit *etc.* Eudoxiam *illam vocat Nicolaus PP. I in epistola* 15 *ad eam data* Idibus Novembris, Indictione XV, *in favorem S. Ignatii patriarchæ CPolitani. Exstat apud Labbeum Concil. tom.* 8, *col.* 386.

t *Quæ de præverso hoc conjugio fabulatur auctor, corruunt ex Commentario nostro prævio, num.* 11 *et* 12.

C

CAPUT II.

F

Variæ ac mirabiles virtutes; artes dæmonis; monasterii præfectura.

Variis excellit virtutibus;

Videre itaque erat Irenen, cum gaudio subeuntem voluntarium Christi jugum; non modo accommodatam ad omnem, quæ secundum Deum est, obedientiam; sed etiam perpetua serie paratam; ut in ipsa impleretur, quod Bonum sit jugum, et onus Christi sit leve his, qui gratanter trahunt illud. Nullam etenim prorsus norat contradictionem in omnibus, quæ simpliciter sibi imperabantur: aberat desidia: vigilantia semper in ipsa virescebat: compunctio erat continua, et exultatio spiritualis tanta, ut vultum læte virentem gerens, cordis hilaritatem semper pro se ferret, uti est in proverbio. Præsidem quoque habebat, quæ scite ipsam ad optima excitabat atque informabat. Dei item gratiam habebat, mystice obumbrantem, ac docentem ea, quæ in rem ejus erant. Nam sine me, ait Dominus, nihil potestis facere. Et, qui manet in me, et ego in eo, hic fructum multum. Et sane quidem tulit, quæ sicut bona terra ac pinguis di-

Ἦν οὖν ἰδεῖν τὴν μετὰ χαρᾶς τὸν ἐθελούσιον τοῦ Χριστοῦ ζυγὸν ὑπελθοῦσαν Εἰρήνην, πρὸς πᾶσαν κατὰ θεὸν ὑπακοὴν οὐ μόνον ἐπιτήδειαν, ἀλλὰ καὶ διαπαντὸς ἕτοιμον, ὡς ἐπ᾽ αὐτῇ πληροῦσθαι τὸ χρηστὸν εἶναι τὸν ζυγὸν, καὶ τὸ φορτίον ἐλαφρὸν τοῦ Χριστοῦ τοῖς εὐχαρίστως ἕλκουσιν. Ἀντιλογιὰν μὲν γαρ ὅλως οὐκ εἶδε παρὰ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς ἐπιταττομένοις αὐτῇ· ὄκνος ἀπῆ, ἐγρήγορσις ἀειθαλὴς παρ᾽ αὐτῇ. Κατάνυξις δὲ ἦν ἀδιάλειπτος καὶ ἀγαλλίασις τόσαύτη πνευματικὴ, ὥστε καὶ τὸ πρόσωπον θάλλον ἔχουσαν, ἀεὶ τὴν τῆς καρδίας εὐφροσύνην ἐμφαίνειν, κατὰ τὸ λόγιον. Εἶχε μὲν οὖν καί τὴν καθηγουμένην, ἐπιστημόνως αὐτὴν πρὸς τὰ κάλλιστα διεγείρουσάν τε καὶ διερεθίζουσαν. Εἶχε δὲ καὶ τὴν τοῦ θεοῦ χάριν μυστικῶς ἐπισκιάζουσαν, καὶ τὰ συμφέροντα διδάσκουσαν. Χωρὶς γὰρ ἐμοῦ, φησιν ὁ Κύριος, οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. Καὶ ὁ μένων ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, οὗτος φέρει καρπὸν πολύν. Καὶ μέν τοι καὶ ἤνεγκε, ὡς γῆ

καλήτε

A καλή τε καὶ πίων τὸν θεῖον δεξαμένη, καὶ κεκαθαρισμένη πάσης ὑλικῆς προπαθείας καὶ σχέσεως.

12 Ψυχὴ γαρ τὸν Θεὸν ἀγαπῶσα, σώματι κεχρημένη παρθενικῷ, ταχέως εὑρίσκει τὴν θείαν χάριν ἐφιπταμένην, καὶ πάντα γενομένην αὐτῇ. Τὸ δὲ πρὸς τὴν ἀδελφότητα μέτριον αυτῆς, καὶ ταπεινὸν, θαῦμα ἦν οὐ μόνον τῇ προεστώσῃ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἀκούουσιν. Ἑώρα γαρ πάσας τὰς ἀδελφὰς ὡς βασιλίδας θεραπαινὶς, καὶ τὰς ἐσχάτας τούτων ὑπηρεσίας ἑκάστῃ προσφέρουσα. Οὕτω δὲ προσέκειτο ταῖς θείαις, γραφαῖς, καὶ οὕτως ἐνησχολεῖτο τοῖς τῶν πατρῶν βίοις, πᾶν εἴτι καλὸν καὶ πρόσφορον ἐρανίζουσα, ὡς στόμα δοκεῖν τῶν θεοπνεύστων εἶναι ῥημάτων. Καί ποτε τοῦ μακαρίου Ἀρσεμίου ἐντυχουσα, καὶ τὴν ἐκείνου στάσιν κατανοήσασα, ὅπως ἐκτεταμένας ἔχων τὰς χεῖρας εἱστήκει μὲν πρὸς ἀνατολὰς, περὶ δυσμὰς ἀρχόμενος ἡλίου· κατέληγε δὲ τῆς στάσεως, ὅτε τὰς αὐτοῦ κατέλαμψεν ἀνατείλας ὄψεις ὁ ἥλιος· εἰς ἔρωτα τῆς ἴσης τῷ γενναίῳ περὶ τὴν ἀγγελικὴν μᾶλλον ἢ ἀνθρωπίνην ἐλθοῦσα τῷ Θεῷ παράστασιν, κοινοῦται τοῦτο καὶ τῇ προεστώσῃ.

B 13 Ἡ δὲ πρῶτα μὲν ὤκνει κατανεῦσαι, τὸ πολὺ τοῦ πράγματος προαπορούσα. Ὡς δε ταύτην εἶχε δυσωποῦσαν ἐπὶ πλέον, καὶ συνεργοὺς πρὸς τὴν ἐγχείρησιν τὰς παρ' αὐτῆς ἐπιζητοῦσαν εὐχὰς, τῷ μετρίῳ τοῦ φρονήματος θαρρήσασα τῆς Εἰρήνης, καὶ μηδ' ἀθεὸν τὴν προθυμίαν ταύτης εἶναι λογισαμένη, κατένευσέ τε καὶ ἐπέτρεψεν. Ἡ δὲ καθάπερ εἰς ἀνάκλισίν τινα, καὶ τοῦ σώματος ἀνάπαυσιν, οὕτως ἐπὶ τὴν στάσιν ἔδραμε χαίρουσα· καὶ ταῦτα μὴ πλέον τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸν ἀσκητικὸν ἀγῶνα μετερχομένη. Ἀρξαμένη γοῦν τῆς στάσεως κατ' ὀλίγον, ἐν ὀλίγῳ, τῆς θείας αὐτῇ συνεφαπτομένης χάριτος ἄνωθεν, παρὰ τοσοῦτον εἰς κατόρθωσιν ἦλθε τοῦ πράγματος, ὡς ὅλας μὲν νύκτας, ὅλας δὲ ἡμέρας τῇ στάσει τὰς χεῖρας αὐτὴν ἐκτείνουσαν πρὸς οὐρανὸν, μετὰ πάσης προθυμίας ἐγκαρτερεῖν. Πολλάκις μὲν γὰρ ἀρχομένη τῆς στάσεως τοῦ ἡλίου πρὸς δυσμὰς ὄντος, μέχρι τῆς ἐπιούσης [οὐκ] ἔληγεν ἑσπέρας. Πολλάκις δὲ τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος, τὴν ἐπιοῦσαν ἵστατο πάλιν ἀνατολὴν προσδεχομένη. Καὶ ἦν θαῦμα τῇ προεστώσῃ ταῦτα, ἣν μόνην συνίστορα τῶν πραττομένων ἐποιεῖτο μετὰ τὸν ἐν κρυπτῷ βλέποντα Θεόν. Ἥτις ἡνίκα τὴν Εἰρήνην μειδιῶν-
C τι προσώπῳ καὶ ὑποπλέῳ πρὸς αὐτὴν ἐρυθήματος ἐρχομένην ἑώρα, βλέμματί τε γαληνῷ καὶ κάτω νεύοντι, καὶ λαλιᾷ πρᾳείᾳ προσφθεγγομένην· ἐκ τῶν τοιούτων σημείων καὶ τὸ τῆς στάσεως ἐτεκμηριοῦτο μέτρον.

14 Ἐπὶ τρισὶν οὖν ἔτεσιν οὕτως ἔχουσαν περὶ τοὺς ἀσκητικοὺς ἀγῶνας βλέπων ὁ πονηρὸς ἤσχαλεν, ἠνιᾶτο, ἐδυσφόρει· οὐδὲ γαρ εἶχεν, ὅπως αὐτὴν ταῖς οἰκείαις πάγαις ἁλώσιμον θήσεται. Ὅτι μηδὲ τῶν ὅσα καθ' ἡμῶν πολεμῶν λαμβανει, παρ' αὐτῆς εἶχε λαβεῖν. Χρημάτων μὲν γαρ καὶ τρυφῆς καὶ δόξης παρὰ τοσοῦτον ἀπέσχετο, ὡς καὶ τριβωνία μηδὲν πλέον ἔχειν τοῦ ἑνὸς χιτωνίου, καὶ βραχυτάτοις κεχρῆσθαι, πρὸς τὸ μόνον ἀποζῆν ἄρτῳ καὶ ὕδατι, ποτὲ δὲ καὶ λαχάνοις λίαν ὀλίγοις, καὶ τοῦτο πρὸς ἑσπέραν. Δόξης δὲ οὕτως καταπεφρόνηκεν, ὡς μηδ' αὐτὰ τῶν τῆς μονῆς προαυλίων αἰσχύνεσθαι πρικαθαίρειν ῥυπάσματα. Ὅμως τῷ ἰδίῳ καὶ συνήθει φθόνῳ χρώμενος λογισμοὺς ὑποβάλλειν ἤρξατο, τῆς προτέρας δόξης καὶ τῆς τοῦ γένους περιφανείας ἀναμιμνήσκων, τοῦ πλούτου τε καὶ τῆς τῶν ἰδίων ἀφθονίας, εἶτα καὶ πρὸς τὸ τῆς ἡδονῆς ὕπουλον καὶ μαλακὸν ὑποχαλᾶν. Ἡ δὲ τῷ κεκαθαρμένῳ τῆς διανοίας ὄμματι τῆς ἐπιβουλῆς εἶναι ταῦτα τοῦ πονηροῦ μὴ ἀγνοήσασα, παραυτίκα πάντας τοὺς τοιούτους διαλογισμοὺς ἀνακαλύπτει τῇ ὁδηγῷ καὶ καθηγουμένῃ, καὶ διὰ τῆς ἐξα-

vinum semen accepit, et expurgata fuit ab omni terrenæ fecis concretione et adhæsione.

A. Anonymo. ex mss.

12 Anima enim, quæ diligit Deum, et possidet corpus virgineum, celeriter invenit Dei gratiam advolantem, et omnia sibi factam. Mutuæ charitatis modus, quem tenebat, et humilitas, in admirationem rapiebat non præsidem tantum, sed omnes etiam, qui illam audiebant. Suspiciebat quippe sorores omnes tamquam reginas ancilla, et vilissima singulis earum ministeria deferebat. Adeo in divinas incumbebat Scripturas, et adeo vacabat Vitis patrum, quidquid in eis erat pulcrum, quidquid utile seligens, ut verborum divinitus inspiratorum os esse videretur. Dumque aliquando in beati Arsenii *a* gesta incidisset, et stationem *b* ejus intellexissent; quomodo extensas habens manus staret ad ortum usque solis, cum cœpisset a solis occasu, atque a statione desisteret, quando sol oriens vultum ejus illustrasset; amore accensa, ut similis esset isti generoso viro, atque angelica potius quam humana facultate Deo sisteret præsentem; cum præside rem communicat.

quibus superaddere statuit stationem S. Arsenii;

a b

E

13 Primum quidem illa cunctatur annuere, animi pendens ob rei magnitudinem. Verum ubi ipsam vidit instare diutius, et adjutrices ad propositi exsecutionem a se requirere preces, moderata Irenes prudentia freta, atque haud sine divino Numine ipsius fervorem esse arbitrata, annuit ac permisit. Illa autem veluti ad accubationem quamdam ac requiem corporis, sic ad stationem cucurrit gaudens. Et anno non plus uno hunc spiritualem agonem decurrit. Stationem igitur exorsa paulatim, paulo tempore, divina illam ex alto adjuvante gratia, ad tantam rei perfectionem devenit, ut noctes totas, totos dies in statione, extensis ad cælum manibus, magna cum alacritate persisteret. Sæpe etenim stationem exorsa, sole vergente in occasum; usque ad posteræ diei vesperam non cessabat. Sæpe item exorto sole, ortum diei posteræ iterum stabat exspectans. Atque hæc quidem miraculum erant præsidi; quam solam consciam reddebat eorum, quæ fiebant, post Deum, qui videt in abscondito. Hæc quando Irenen arridente leniter vultu, ac rubore perfuso, ad se venientem videbat, hilarique aspectu atque modeste demisso, nec non placido sermone colloquentem; ex talibus signis stationis quoque modum colligebat.

quam, consentiente sua præside, petit, impetrat, et eum fructu obit.

F

14 Per tres ergo annos diabolus ita eam affectam videns erga spiritualia certamina, dolebat, discruciabatur, atque id ferre non poterat. Neque enim habebat, quo eam laqueis suis irretiret: quia nulla ex armis, quæ contra nos pugnans sumit, contra illam sumere poterat. Ab opibus namque, deliciis ac gloria usque adeo abstinebat, ut nihil haberet amplius, quam vestimentum unicum ac palliolum, et parcissimis uteretur ad solam vitæ sustentationem, pane et aqua; aliquando etiam herbis perpaucis, idque usque ad vesperam. Gloriam vero ita contempsit, ut ne vel ipsas quidem monasterii vestibulorum sordes expurgare erubesceret. Nihilominus propria sibi diabolus et consueta utens invidia, cogitationes subjicere cœpit, priorem gloriam, et generis splendorem ei in memoriam revocans, uti et divitiarum ac rerum familiarium abundantiam; deinde etiam ad occultam ac mollem voluptatem relaxare. Illa vero, purgato mentis oculo, diabolicæ artis hæc esse, non ignara, statim cogitationes istiusmodi omnes revelat viæ duci ac præmonstratrici, ac per istam denuntiationem liberata a vexatione,

Diabolus austeram ejus vitam pertæsus,

A. ANONYMO EX MSS.

tione, prioribus similiter exercitationibus adhæsit.

variis artibus Sanctam adoritur:

15 Nocte quadam dum consuetas ad Deum preces funderet, animarum adversarius, sub nigri et horribilis viri specie, ex insidiis adstans, injuriis audacter eam impetiit, et vexavit, incantationis atque ineptiarum effectricem vocans, et erecto supercilio terrere illam conabatur. Et tandem, Mihine, inquit, resistis? Exspecta parumper, et probe nosces, quisnam ego sim, et quænam mea sit potestas. Alia præterea dum profari vellet, ut vidit, quod dextram protenderet ad formandam crucem, ad signum ejus fuga se proripuit. At postridie vehementiores, quam prius, cogitationes ipsi immittebantur, quæ graviter eam perturbabant, eoque redigebant, ut nesciret, quo se verteret. Sed quoniam lectioni divinarum Scripturarum assidue attendebat, illud sanctorum patrum effa-
B tum in memoriam revocans, quod nullus homo sufficiat, ut resistas diabolo, nisi ad auxilium Domini ac Dei virtutum confugerit, vi cujus, fide in ipsum nixus, hostem debellet ac prosternat; ad Deum confugit, mediatores adhibens intaminatam Matrem Dei, ac Domini nostri Jesu Christi; Michaelem cælestis militiæ principem, adstantem coram Deo Gabrielem, cujus nomen gerebat ædes sacra monasterii, omnesque cælestes virtutes, ac Sanctos omnes invocans, talem instituit orationem:

sed precibus liberatur.

16 Sanctissima Trinitas, quæ magna potes, et omnia potes; Deiparæ interventu, et intercessione Michaelis, cælestis militiæ principis, ac boni nuntii Gabrielis, omniumque cælestium potestatum, et omnium Sanctorum, adjuva famulam tuam, et respice in me, et miserere mei, et eripe me ex insidiis inimici. Et nunc quidem extendens in cælum manus, nunc in terram se prosternens, noctes totas, et totos dies lacrymis solum lavabat, et ab oratione non cessabat; donec divinam e cælo illuminationem sensit, quæ et animam obumbraret, et pravas cogitationes expelleret. Sic itaque abunde in oratione
C ac precibus perseverantem videns, qui humilia respicit, Dominus; et qui fidem nostram, ac desiderium sui probat, Spiritus gratiam ei immisit copiosam, et conatibus omnibus diaboli inaccessibilem reddidit, dæmonibusque terribilem (ut quæ jam viveret non ipsa, sed quæ viventem Christum in se haberet) totam divinam, divino totam Numine afflatam, illuminatam totam, imo vero potius alios illuminandi facultate præditam; quæ posset plurium animas in viam ducere ad lumen veritatis, et educere, sicut os Dei, pretiosa a vilibus c.

c

Pluribus prodest ad meliorem vitam: dumque monasterii præfecta

17 Unde frequens erat de illa sermo inter cognatos, inter senatorias feminas ac virgines, quæ ad ipsam ventitabant, et salutaria docebantur; ita ut multæ ex illis mundanam stultitiam contemnerent, et vitam juxta Dei placitum commutarent, hujus consilio et ductui obtemperantes. Quoniam vero prædictiones beati Joannicii, quæ ipsi erant factæ, excidere non debebant, sed accurate adimpleri: appetebat jam præsidi monasterii finis vitæ. Dum itaque omnes filiæ ejus spirituales orbitatem suam lugerent; longe præ aliis mulieribus Irene mortem hanc graviter molesteque tulit; qui alteri earum nulli, quanta huic, cor erat contritum adeo et humiliatum: e quibus dilectionis excellentia dimanat, et sincerissimum lacrymarum fluentum per bonam conscientiam. Lecto igitur circumfusæ, in quo jacebat illa, quæ extremum spirabat spiritum; hæ quidem ipsius manus, illæ vero pedes, aliæque aliam corporis partem abstergebant, amplexa-

γορεύσεως ἀπαλλαγὴν εὑροῦσα τῆς ἐπηρείας, τῶν προτέρων ὁμοίως ἀγώνων εἴχετο. D

15 *Μιᾷ δέ ποτε τῶν νυκτῶν τὰς συνήθεις πρὸς τὸν Θεὸν ποιουμένης προσευχάς, ὁ τῶν ψυχῶν ἀντίπαλος, εἰς μέλανα καὶ δυσειδῆ σχηματισθεὶς ἄνδρα, παραστὰς ἐκ διαστήματος ὕβρισέ τε θρασέως, καὶ ἠπείλη, γοητείας καὶ περιεργῶν ἐργάτιν ὀνομάζων αὐτήν, καὶ σοβαρευόμενος ἐκφοβεῖν ἐπειρᾶτο. Καὶ τέλος, Ἐμοί, φησιν, ἀντιτάσσῃ; μικρὸν ἀνάμεινον, καὶ γνώσῃ πάντως, ὅστις ἐγώ, καὶ ἥτις μὴ δύναμις. Ἔτι δὲ καὶ ἄλλα προσειπεῖν ἐθέλων, ὡς εἶδεν αὐτὴν τὴν δεξιὰν προστείνουσαν τὸ τοῦ σταυροῦ χαράξαι κατ' αὐτοῦ σημεῖον, φυγὰς ᾤχετο. Καὶ τῇ ἑξῆς σφοδρότεροι μᾶλλον ἢ πρότερον ἐπιτίθενται ταύτῃ λογισμοί, δεινῶς αὐτὴν ἐκταράττοντες καὶ θορυβοῦντες, καὶ εἰς ἀμηχανίαν ἐμβάλλοντες. Ὅμως ἐπειδὴ συνεχῶς τῇ ἀναγνώσει τῶν θείων προσεῖχε γραφῶν, ἐκείνου μνημονεύουσα τοῦ τῶν πατρῶν ῥήματος, ὡς οὐδεὶς ἀνθρώπων ἱκανὸς ἀντιστρατεύσασθαι τῷ πονηρῷ, ἐὰν μὴ τῇ σκέπῃ τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ τῶν δυνάμεων προσπεφευγώς, ἐκεῖθεν ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ πίστεως τὸν ἐχθρὸν κατατοξεύσῃ καὶ καταβαλῇ, πρὸς τὸν Θεὸν καταφεύγει, μεσίτας προβαλλομένη τὴν παμάμωμον μητέρα τοῦ Θεοῦ καὶ Κυρίου Ι. Χ., τὸν ἀρχιστρατηγὸν Κυρίου τῶν δυνάμεων Μιχαὴλ, τὸν παρεστηκότα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ Γαβριὴλ, οὗ καὶ τὸ τῆς μονῆς ἐπώνυμόν ἐστιν εὐκτήριον, καὶ πάσας τὰς οὐρανίους δυνάμεις, πάντας τε τοὺς ἁγίους ἐπικαλουμένη, τοιαύτην συνετίθει τὴν εὐχήν.* E

16 *Παναγία Τριάς, παντοδύναμε καὶ μεγαλοδύναμε, τῇ μεσιτείᾳ τῆς θεοτόκου, τῇ πρεσβείᾳ τοῦ ἀρχιστρατηγοῦ Μιχαὴλ, καὶ τοῦ εὐαγγέλου Γαβριὴλ, καὶ πασῶν, τῶν οὐρανίων δυνάμεων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων, ἐμέ, καὶ βοήθησον τῇ δούλῃ σου, καὶ ἐπίβλεψον ἐπ' ἐλέησόν με, καὶ ἐξελοῦ με τῆς ἐπιβουλῆς τοῦ ἀντικειμένου. Καὶ ποτὲ μὲν ἐκτείνουσα τὰς χεῖρας εἰς οὐρανόν, ποτὲ δὲ τῇ γῇ καταβάλλουσα ἑαυτήν, ὅλας νυκτὰς καὶ ὅλας ἡμέρας δάκρυσι τὸ ἔδαφος πλύνουσα, τῆς δεήσεως οὐκ ἀφίστατο, μέχρις οὗ θείαν ἄνωθεν ἐπισκιάσασαν αὐτῆς ἔλλαμψιν τῇ ψυχῇ, καὶ τοὺς πονηροὺς διώκουσαν ᾔσθετο λογισμούς. Οὕτως οὖν ἐφ' ἱκανὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει προσκαρτεροῦσαν ὁρῶν, ὁ ἐφορῶν τὰ ταπεινά, Κύριος, καὶ τὴν πίστιν ἡμῶν, καὶ τὸν πρὸς αὐτὸν δοκιμάζων πόθον, πλουσίαν αὐτῇ καταπέμψας τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, ἀπρόσιτον μὲν τοῦ λοιποῦ πάσαις ταῖς τοῦ πονηροῦ κατειργάσατο προσβολαῖς, φοβερὰν καὶ τοῖς δαίμοσιν, καὶ μηκέτι μὲν ζῶσαν αὐτήν, ζῶντα δὲ τὸν Χριστὸν ἔχουσαν ἐν ἑαυτῇ, ὅλην τὴν ὅλην* ἔνθεον, ὅλην πεφωτισμένην, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ φωτιστικήν, ψυχὰς πολλῶν δυνατὴν ὁδηγεῖν πρὸς τὸ φῶς τῆς ἀληθείας, ἐξάγουσαν, ὡς στόμα Θεοῦ, ἀξίας ἐξ ἀναξίων.* F

* *forte*

17 *Ὅθεν καὶ ὁ πολὺς ἦν ὁ περὶ αὐτῆς λόγος ἔν τε τοῖς συγγενέσιν, ἔν τε συγκλητικαῖς γυναιξὶ, καὶ παρθένοις πρὸς αὐτὴν φοιτώσαις, καὶ τὰ σωτήρια διδασκομέναις, ὡς πολλὰς αὐτῶν κοσμικῆς μὲν καταφρονῆσαι ματαιότητος, μεταμεῖψαι δὲ τὸν βίον πρὸς τὸ θεάρεστον ὑπὸ συμβούλῳ ταύτῃ καὶ ὁδηγῷ ταττομένας. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὰς τοῦ μακαρίου Ἰωαννικίου γεγενημένας πρὸς αὐτὴν προρρήσεις μήτε διαπεσεῖν ἔδει, καὶ τελείας ἀπηρτίσθαι, ἤγγιζεν ἤδη καὶ τὸ τέλος τῆς ζωῆς τῇ καθηγουμένῃ τῆς μονῆς· Πασῶν οὖν τῶν πνευματικῶν αὐτῇ θυγατέρων τὴν ὀρφανίαν ὀλοφυρομένων, ὁ τῆς Εἰρήνης θρῆνος πολλῷ τῶν ἄλλων ὑπερήρετο γυναικῶν· ὅτι μηδ' ἑτέρα τοσαύτη τούτων, ὅση ταύτῃ καρδίας ὑπῆν συντριβὴ, καὶ ταπείνωσις· ἐξ ὧν τὸ τῆς ἀγάπης ἐξαίρετον πηγάζει, καὶ τῶν δακρύων ἡ εἰλικρινεστάτη ῥοὴ διὰ τὴν ἀγαθὴν συνείδησιν. Περικυκλοῦσαι δὲ τὴν κλίνην, ἐν ᾗ κατέκειντο τὰ τελευταῖα πνέουσα, αἱ μὲν τὰς χεῖρας αὐτῆς, αἱ δὲ τοὺς πόδας, καὶ ἄλλαι*

A λαι ἄλλο τοῦ σώματος μέρος περιέψων, περιεπτύσσοντο, καὶ δάκρυσιν ἔβρεχον. Ἦν μὲν γὰρ καὶ πάσης ἔμπλεως ἀρετῆς ἡ καθηγεμών. Ἡ πρᾳότης δὲ αὐτῇ τὸ ἐπίσημον.

18 Μόλις δέ ποτε τὴν ζωὴν αὐτῆς ἀπεγνωκυῖαι, ἠρέμα πως ἠρώτων θρηνῳδοῦσαι· Ποῦ τοίνυν ἡμᾶς καταλιμπάνεις; λέγουσαι· ποῦ ποτε τοιαύτης ἡμεῖς μετά σε τύχοιμεν προστάτιδος, καὶ μητρὸς κηδεμονικώτερον περὶ ἡμᾶς διατεθειμένης, οὕτως ἀγαθῆς, οὕτως πρᾳείας, οὕτως ἑκάστης ἡμῶν τὰ βάρεα βασταζούσης, καὶ τὸν νόμον ἐν ὑμῖν ἀναπληρούσης τοῦ Χριστοῦ; Ὡς δὲ ἐπὶ πολὺ κλαίουσαι τοιαῦτα πρὸς αὐτὴν ἔλεγον, καὶ τὴν ἔξοδον, εἰ οἷόν τε ἦν, κωλῦσαι φιλονεικοῦσαι, ἤκουσαν φωνῆς παρ᾽ αὐτῆς ἰσχνῆς καὶ λίαν ἀμυδρᾶς, καὶ ταῖς ὀξύτερον ἀκροωμέναις ἐνωτισθείσης. Καὶ, Ἵνα τί μου, φησι, τὴν ψυχὴν συνταράσσετε ὀλολύζουσαι; ἔχετε, τέκνα, ἔχετε τὴν καλῶς ὑμᾶς ποιμανοῦσαν· πιστεύσατε τὸ τοσοῦτον ὑπὲρ ὑμᾶς [τῇ ἀρετῇ] οὖσαν, ὅσον ἐγὼ τῷ γήρῳ ὑπὲρ ὑμᾶς, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἀναπέπαυται ἐπ᾽ αὐτῇ. Καὶ εἰ ἐμοὶ πείθησθε, μὴ ἂν πρὸς ἑτέραν ἀποβλέψαι, τὴν ἀδελφὴν
B ἡμῶν Εἰρήνην λέγω, φωτὸς τὴν θυγατέρα, τὴν ἀμνάδα τοῦ Ἰησοῦ, τὸ ταμιεῖον τῶν χαρισμάτων τοῦ Παρακλήτου· καὶ ταῦτα εἰποῦσα, καὶ δόξα τῷ ἐλέει σου, Κύριε, τελευταῖον φθεγξαμένη, χεροῖν ἁγίων ἀγγέλων τὸ πρεῦμα παρέδωκεν.

19 Πάντα οὖν ἐπ᾽ αὐτῇ κατὰ νόμον ταφῆς ἐπιτελέσασαι, καὶ μεθ᾽ ἑτέρων ἱερῶν κηδεύσασαι ταύτην σωμάτων, ἐπὶ φροντίδα τῆς μελλούσης αὐτῶν ἐστράφησαν προϊστάναι. Συναθροισθεῖσαι τοίνυν ἐν τῷ τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ ναῷ, ὃν εὐκτήριον ὄντα τῆς μονῆς ὁ λόγος ἐδήλωσεν οἶκον, πᾶσαι μὲν ἀπέβλεψαν κοινῇ γνώμῃ πρὸς τὴν ἀξιάγαστον Εἰρήνην. Ὀυδὲν δὲ παράπαν πρὸς αὐτὴν εἰρήκασι περὶ τούτου, μὴ καὶ λάθῃ ταύτας ὑφορώμενας διαφυγοῦσα τῆς μονῆς. Ἤδεισαν γὰρ αὐτῆς τὸ μέτριον τοῦ φρονήματος, καὶ ὡς οὐκ ἂν κατεδέξαιτο τὴν προστασίαν, μὴ τῆς ἄνωθεν προνοίας καὶ ἄκουσαν εἰς τοῦτο κατεχούσης αὐτήν. Ἐν τῷ ναῷ δὲ προσευξάμεναι, ὁδοῦ τῆς πρὸς τὸν πατριάρχην εἴχοντο φερούσης, ὡς ἂν δι᾽ αὐτοῦ τὴν ἀξίαν θέοθεν λάβωσιν ὁδηγόν. Ἦν δὲ τοὺς οἴακας ὁ παντάριστος διακυβερνῶν Μεθόδιος τῆς Κωνσταντινου, ὁ ὁμολογητὴς, ὃς πολλὰ μὲν ὑπὸ τῶν εἰκονομάχων ὑπέμεινε, βασιλέων ὑπερμαχούντων τῆς ἀσεβείας, καὶ προπολεμούντων κατὰ τῆς εὐσεβείας. Πολλοῖς δὲ στίγμασι καὶ κινδύνοις κεκο-
C σμημένος τοῖς ὑπὲρ τῆς προσκυνήσεως τῶν ἀχράντων εἰκονων, καὶ διὰ τοῦτο μὴ μόνον τῆς αἱρέσεως καταλύτης, καὶ τῆς ὀρθοδοξίας πρόμαχος ἱκανὸς, ἀλλὰ καὶ θαυμάτων αὐτοῦργος, καὶ Πνεύματος ἀνάμεστος ἁγίου, καὶ διορατικῶς τὰ τῷ Θεῷ δοκοῦντα καλῶς στοχαζόμενος.

20 Ὡς οὖν ἥπτοντο τῆς ὁδοῦ, προφασιζομένη προφάσεις οὐκ ἤθελεν Εἰρήνη ταύταις ἕπεσθαι. Μόλις οὖν αὐτὴν πείσασαι συνοδοιπορεῖν, τὸ πατριαρχεῖον κατέλαβον· ὑπομνηθέντος οὖν, ὡς ἔθος, τοῦ μεγάλου Μεθοδίου, εἰσίασιν αἱ ἀδελφαὶ πᾶσαι ἅμα πρὸς αὐτὸν, καὶ τὴν συνήθη λαβοῦσαι μετάνοιαν, ἔκειντο τὴν εὐλογίαν ἀναμένουσαι. Εὐλογήσας δὲ καὶ ἀναστῆναι ταύτας ἐγκελευσάμενος ἠρώτα μαθεῖν τὴν προκριθεῖσαν ὑπ᾽ αὐτῶν εἰς προστασίαν αὐτῶν. Αἱ δὲ μηδεμία ἐξ ἡμῶν, ἔφασαν, τόγε νῦν ἔχον, ὦδε δέσποτα, ἐξελέχθη παρ᾽ ἡμῶν· τὸ πᾶν δὲ τῷ Θεῷ, καὶ τῷ ἐνοικοῦντί σοι πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἀναθέμεναι, πρὸς τὴν σὴν ἥκομεν ἁγιότητα. Ὁ δὲ θεοφόρος ἐκεῖνος ἀνὴρ, Οἶδά, φησι, τὴν σεμνοτάτην Εἰρήνην αἱρεῖσθαι πᾶσαι καλῶς τε φρονοῦσαι καὶ θεαρέστως, καὶ χάρις τῷ Θεῷ, ὅτι οὐκ ἀπέκρυψε τὰ κατ᾽ αὐτὴν ἀπ᾽ ἐμοῦ. Ταῦτα δὲ ὡς ἤκουσαν, ἐκπλήξει καὶ φόβῳ συνεχόμεναι, οὐδὲν ἀποκρίνασθαι εἶχον, μόνον δὲ πρὸς τῷ ποδῶν αὐτῷ καταβαλοῦσαι ἑαυτὰς, Ὄντως ὁ Θεὸς ἐν σοί ἐστι,

bantur, et lacrymis rigabant. Erat etenim præses omni virtute plena; ac mansuetudine imprimis spectabilis. A. Anonymo ex mss.

18 Vix de vita ejus desperaverant; cum modeste interrogabant lamentantes: Ubinam nos, inquiunt, relinquis? Ubinam nos talem post te umquam consequemur præsidem, cura etiam plus quam materna erga nos affectam; adeo bonam, mansuetam adeo, cujusque nostrum adeo onera portantem, et legem Christi in nobis adimplentem? Postquam multo cum fletu hæc ei dixissent, et mortem, si fieri posset, impedire contendissent, audierunt edi ab ipsa vocem tenuem, et valde exilem, et earum, quæ acutius audiebant, auribus perceptam. Et, Cur, inquit, animam meam conturbatis ejulantes? Habetis, filiæ, habetis eam, quæ vos recte pascat, et quæ tantum, credite, vobis erit [virtute] præstantior, quantum ego ætate vobis ante eo: et Spiritus Dei requievit super illam, et siquidem mihi obtemperatis, ad aliam ne respicite: sororem nostram Irenen dico, lucis filiam, agnam Jesu, promptuarium gratiarum Paracleti. Hæc cum dixisset, E
et, Gloria misericordiæ tuæ, Domine, cum extremum pronuntiasset, manibus sanctorum angelorum spiritum tradidit.

in extremis ageret, suadet, ut Irenen suo loco eligant:

19 Omnibus ergo juxta legem sepulturæ erga ipsam peractis, et condito apud alia sacra corpora ejus funere; curam converterunt in eam, quæ præfutura sibi esset. Congregatæ igitur in templo archangeli Gabrielis, quod monasterii ædem orationi sacram esse diximus, communi omnes consensione oculos conjecerunt in admirabilem Irenen. At nihil prorsus hac de re illi dixerunt, suspicantes ne clam sese, e monasterio profugisset. Timebant enim a modestia ejus, qua demisse de se sentiebat; et ne recusaret admittere præfecturam; nisi cælestis providentia vel invitam ad hoc ipsam compulisset. In templo precatæ, in viam sese dederunt, quæ ducit ad patriarcham, ut per ipsum, Deo annuente, dignam acciperent præsidem. Methodius *d* autem, virtute spectatissimus, guberna- d
cula moderabatur urbis CPolitanæ; confessor, qui multa ab inconomachis sustinuit, imperatoribus impietatem propugnantibus, et impugnantibus pietatem. Multis ergo stigmatibus ac periculis perfunctus honorifice propter cultum incontaminata- F
rum imaginum, eaque de causa non hæreseos dumtaxat eversor, et sanæ doctrinæ propugnator potens exstitit, sed miraculorum etiam patrator, ac Spiritu sancto plenus, perspicue quæ Deo erant placita assequebatur.

quæ, invita licet,

20 Jamque viam attigerant; quando excusans excusationes, non voluit Irene illas sequi. Dum vix illi persuasissent, ut comitaretur, ad patriarchæ ædes pervenere. Commonefactum prius, ut moris est, magnum Methodium sorores simul omnes adeunt, et facta consueta corporis profunda inclinatione, *e* procumbebant, exspectantes, sibi dum is e
bene precaretur. Postquam bene eis precatus esset, atque assurgere eas jussisset, interrogavit, ut intelligeret, quamnam præ reliquis delegissent sibi ad præfecturam. Illæ vero, Nulla, inquiunt, ex nobis, prout res se nunc habet, o Domine, a nobis electa est: sed totum hoc Deo, et spiritui Dei, qui in te habitat, committentes, ad tuam venimus sanctitatem. Tum divinus ille vir, Novi, inquit, ornatissimam Irenem eligere, omnes recte cogitare atque secundum Dei beneplacitum; Deoque sit gratia, quod non absconderit a me ea, quæ ad ipsam spectant. His auditis, stupore ac timore correptæ, nihil habuerunt, quod responderent; hoc autem solum, ad

annitente ad hoc mirabiliter S. Methodio patriarcha CPolit.,

A ANONYMO. EX MS.

ad pedes ejus se projicientes, dixerunt : Vero Deus in te est, et ab ipso, vir sancte, directus es Deo.

εἶπεν, καὶ ὑπ' αὐτοῦ ὡδηγήθης, ἅγιε, τοῦ. Θεοῦ D

et magnæ ecclesiæ diaconissam creante monasterio præficitur.

21 Mox itaque nihil moratus patriarcha, surrexit e solio, thuribulum petiit, thus adolevit, Deo benedixit, primusque convenientem auspicatus hymnodiam, diaconissam *f* magnæ ecclesiæ primum ordinat *g* Irenen : (spiritu quippe, qui in ipso erat, viderat ipsius puritatem) et post hæc præfecturæ signaculum superaddidit. Ac de præfectura quidam multa cum illa locutus, plura vera cum aliis de fide et obedientia ; et memores reddens cruciatuum alterius vitæ, uti et bonorum, quæ illos, qui bene vel male vitam hic instituunt, manent; concordiamque ipsis et dilectionem apprecatus, dimisit eas in pace.

21 Εὐθὺς οὖν μηδὲν μελλήσας ὁ πατριάρχης ἐξαναστὰς τοῦ θρόνου, καὶ θυμιατήριον αἰτήσας, βαλών τε θυμίαμα, καὶ τὸν Θεὸν εὐλογήσας, ὑμνῳδίας τε προσφόρου πρῶτος ἀρξάμενος, διάκονον τῆς μεγάλης ἐκκλησίας πρῶτον χειροτονεῖ τὴν Εἰρήνην (ἴδει γαρ τῷ ἐν αὐτῷ πνεύματι καὶ τὴν αὐτῆς καθαρότητα) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τὴν τῆς ἡγεμονείας ἐπιτίθησι σφραγίδα· καὶ πολλὰ μὲν περὶ προστασίας εἰπὼν πρὸς αὐτὴν, πλείονα δὲ ταῖς ἄλλαις περί τε πίστεως καὶ ὑπακοῆς, καὶ τῶν ἐκεῖθεν ὑπομνήσας κολαστηρίων, καὶ αὖθις τῶν ἀγαθῶν, ἃ τοῖς εὖ ἢ κακῶς τὸν βίον ἐνταῦθα διανύουσιν ἀναμένει, τὴν ὁμονοίαντε ταύταις καὶ τὴν ἀγάπην ἐπευξάμενος, ἀπέλυσεν αὐτὰς ἐν εἰρήνῃ.

ANNOTATA.

a *Arsenii Acta illustrata sunt die* 19 *hujus a pag.* 605.

b *De pervigilationibus nocturnis S. Arsenii agitur die mox citato pag.* 623 *in vita.*

c *Textus sacer Jeremiæ.cap.*15,℣. 19 *ex versione Septuaginta sic habet :* Καὶ ἐὰν ἐξαγάγῃς τίμιον ἀπὸ
B ἀναξίου, ὡς τὸ στόμα μου ἔσῃ. Et, si eduxeris pretiosum a vili ; quasi os meum eris.

d *De hôc Sancto nonnulla præmisimus in Commentario prævio.*

e *De hac phrasi videri possunt annotata ad Martyrium Sabaitarum die* 20 *Martii, pag.* 177, *et Acoluthia Græca ante tomum* II *Junii, pag.* LX. E

f *Dissertationem de diaconissis Ecclesiæ primitivæ habet Cabassutius in sua Notitia ecclesiastica pag.* 25.

g *Apud Joannem Morinum de sacris Ordinationibus part.* 2, *pag.* 99 *habentur ista de ordinatione diaconissæ :* Post factam oblationem, ad archiepiscopum adducitur ordinanda, et eo exclamante dicit, Divina gratia. Ipsa autem inclinante solum caput, imponit ei manum, facitque tria crucis signa, et sic precatur. *Sequitur ibidem oratio.* Postea recitat diaconus prædicta diaconica; episcopus autem habens manum super ordinandam, hanc dicit orationem : Here Domine, qui non repellis *etc.* Postea circumponit collo ejus subtus maphorion orarium diaconicum, transfertque in partem anteriorem ambas extremitates. Tum qui est in ambone diaconus dicit : Omnium Sanctorum. Postquam autem ipsa communicavit, tradit ipsi sacerdos sanctum poculum, quod accipiens, nulli ex eo impertitur, sed in sancta mensa reponit, et relinquit.

CAPUT III.

Varia sibi suisque dat ad virtutem documenta et incitamenta ; accipit perspicientiam arcanorum.

C

Chrysobalanto præfecta, memor vaticinii Joannicii, compungitur :

Postquam jam præfecturam monasterii Chrysobalanti secundum Dei providentiam suscepisset Irene, in memoriam revocans, quæ prædicta olim sibi fuerant a magno Joannicio, et quæ secundum ineffabilem Dei sapientiam ordinata erant, considerans, per totam viam a lacrymis haud temperavit, magnalibus Dei obstupescens, et in humilitatis profundum multo magis nunc descendens, indignamque vel ipsa se terra autumans; divina, uti par est, gratia per impositionem manuum divini Methodii, animam ejus compungente, atque ad sublimem modestiam disponente. Quod mirantes sorores orabant, ne adeo lugeret; et, Quod nobis ajebant, præsis, non adeo moleste feras. Omnes enim non ad omnem obedientiam, ecce, paratæ sumus: (omnino ignorantes, quænam mente volutaret ipsa) nullumque in nobis erit offendiculum; obedientia nostra Dei nutu omnia tibi facilia complanante.

Ἡμέν τοι τὴν προστασίαν τῆς μονῆς ἄρτι τοῦ Χρυσοβαλάντου κατὰ θείαν πρόνοιαν ἀναδεξαμένη Εἰρήνη, εἰς νοῦν λαμβάνουσα τὰ προῤῥηθέντα πάλαι αὐτῇ παρὰ τοῦ μεγάλου Ἰωαννικίου, καὶ τὰ κατα τὴν ἀπόῤῥητον τοῦ Θεοῦ οἰκονομηθέντα σοφίαν κατανοῦσα, παρ' ὅλην τὴν ὁδὸν οὐκ ἔληγε τῶν δακρύων, τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ ἐκπληττομένη, καὶ πρὸς τὸ τῆς ταπεινώσεως πολλῷ πλέον νῦν καταβαίνουσα βάθος, καὶ ἀναξίαν ἑαυτὴν καὶ τῆς γῆς ὑπολαμβάνουσα, τῆς θείας χάριτος, ὡς εἰκὸς, δι' ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ θεοφόρου Μεθοδίου ἐπικαθαπτάσης αὐτῆς τῇ ψυχῇ, καὶ πρὸς τὴν ἄκραν συνδιατιθείσης αὐτὴν μετριοφροσύνην. Ὅπερ θαυμάζουσαι αἱ ἀδελφαὶ μὴ οὕτω λυπεῖσθαι παρεκάλουν αὐτὴν, καὶ ἀδημονεῖν περὶ τῆς ἡμετέρας λέγουσαι προστασίας. Πᾶσαι γὰρ ἡμεῖς πρὸς πᾶσαν ὑπακοὴν ἰδοὺ σοι ἑτοίμως ἔχομεν (ἀγνοοῦσαι πάντως, ἅπερ ἐκείνη κατα νοῦν ἐλογίζετο) καὶ οὐδὲν ἔσται πρόσκομμα παρ' ἡμῶν, ῥᾴδια πάντα τῆς ἡμετέρας ὑπακοῆς Θεοῦ διομαλιζούσης σοι ῥοπῇ. F

divinam implorat opem :

23 Postquam ad monasterium rediissent, consuetas gratiarum actiones Deo curatori reddiderunt, et communi eduliorum mensa refectæ sunt; ipsa vero [cellam] præfectis determinatam ubi assumpsisset, clauso ostio, orabat eum, qui videt in abscondito, sibi ut opem ferret; Deo supplicans, ut sororum præfecturam bene fortunaret, et lacrymis solum rigans, multam magnamque ex alto

23 Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ μοναστήριον κατέλαβον, τάς τε συνήθεις εὐχαριστίας ἀπέδωκαν τῷ κηδεμόνι Θεῷ, καὶ σιτίων κοινῇ μετέλαβον τραπέζῃ· τὸ ταῖς προεστώσαις ἀφωρισμένον παραλαβοῦσα ἀτελίον *, κλείσασα τὴν θύραν προσηύχετο τῷ βλέποντι ἐν τῷ κρυπτῷ συναντιλήψεσθαι αὐτῇ, τὸν Θεὸν ἱκετεύουσα τῆς τῶν ἀδελφῶν προστασίας, καὶ δάκρυσι τὸ ἔδαφος καταῤῥαίνουσα, πολλὴν ᾐτεῖτο καὶ μεγάλην ἐξ ὕψους αὐτῇ

* forte κελλίον

A αὐτῇ καταπεμφθῆναι τὴν συνεργίαν. Σὺ γὰρ εἶ, λέγουσα, ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, σὺ εἶπας τοῖς μαθηταῖς· Εἷς ὑμῶν ἐστι καθηγητὴς ὁ Χριστός. Σὺ εἶ ἡ θύρα τῶν προβάτων, ὁ εἰσάγων αὐτὰ εἰς τὴν σωτηρίαν τὴν αἰώνιον. Σὺ εἶ καὶ ὁ κύριος καὶ ὁ διδάσκαλος· καὶ εἰ σὺ εἶ ὁ ὁδηγὸς ἡμῶν, ἀντιλαβοῦ τῆς δούλης σου, καὶ τοῦ μικροῦ τούτου ποιμνίου σου, καὶ διατήρησον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ἁρπαγῆς τοῦ νοητοῦ καὶ δολίου λύκου. Οἶδας γὰρ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν, καὶ ὡς οὐδὲν ἡμεῖς ἀνύειν ὅλως δυνάμεθα, μὴ τῆς παρά σου βοηθείας ἡμῖν χορηγουμένης.

24 Ἐπὶ πολὺ δὲ προσευξαμένη, καὶ μετρίως ἄνεσιν λαβοῦσα, ἤρξατο πρὸς ἑαυτὴν τοιαῦτα διαλέγεσθαι· Ἆρά γε, ταπεινὴ Εἰρήνη, ἐπιγινώσκεις τὸ φορτίον, ὅπερ σου Χριστὸς ἐπὶ τῶν ὤμων ἐπέθετο; ψυχὰς ἐνεπιστεύθης, ὑπὲρ ὧν Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ τὸ αἷμα ἐξέχεε, καὶ, ὡς ἤκουσας, οὐδὲ ὁ κόσμος ἅπας μιᾶς ψυχῆς ἀντάξιος. Οὐδὲ ἐκεῖνο πάλιν ἀγνοεῖς, ὅτι, ἐὰν ὑπὲρ ἀργοῦ λόγου λόγον ἕκαστος δώσει ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ὑπὲρ ψυχῆς ἀπολλυμένης οἷα πείσεται, ὁ τὴν φροντίδα ταύτης ἀναδε-
B δεμένος, εἰ μὴ τὰ παρ' ἑαυτοῦ ποιήσει πρὸς τὴν αὐτῆς σωτηρίαν. Ἐπαγρυπνεῖν δεῖ πάντως περισσοτέρως ἐν εὐχαῖς, καρτερεῖν ἐν νηστείαις, τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδελφῶν σου βαστάζειν, καὶ πάντα φέρειν γενναίως καὶ πρᾴως. Πρόσεχε δὲ ἑαυτῇ, μή ποτε τὸ σὸν ἐλάττωμα, τό σε λανθάνον, ἀφορμή τινι τῶν ἀδελφῶν γένηται, καὶ πληρωθῇ ἐπί σοι τὸ λέγον ῥῆμα τοῦ Χριστοῦ· Ὅτι τυφλὸς τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι πεσοῦνται εἰς βόθυνον. Ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸς ἑαυτὴν τοιαῦτα, οἷς δὴ καὶ δήσασα τὴν ψυχὴν, ἐπὶ πολλῷ πλείονα διήγειρε τὴν ἄσκησιν, ἀγγελικὴν διόλου βίωσιν ἑλομένη καὶ πολιτείαν, νηστείας μὲν ἀνύουσα πολυημέρους, στάσεις παννύχους, γονάτων ὑπὲρ ἀριθμὸν τελοῦσα κλίσεις· χαμευνία ξηρὰ, καὶ μὴ μᾶλλον ἀνέσεως ὅσον κακὰ παθεῖν ἀφορμῆς κεχρημένη.

25 Καὶ διὰ τῶν τοιούτων τὴν εὔνοιαν σπεύσασα τοῦ Θεοῦ ἐπισπᾶσθαι, καὶ τὴν παρ' αὐτοῦ χορηγομένην σύνεσιν, διδάσκουσαν ἔχειν καὶ πρὸς πᾶσαν μυστικῶς καὶ ὁδηγοῦσαν τὴν ἀλήθειαν· οἷα δὲ καὶ πρὸς τὰς ἀδελφὰς ἃ ἐδίδασκε ἡ σοφωτάτη. Οἶδα μέν, φησιν, ὦ τίμια Θεῷ ἀναθήματα, μηδαμῶς εὔλογον τὴν ἐμὴν οὐθένειαν εἰς διδα-
C σκάλου τάξιν ὑμῶν προσκαθῆσθαι, καὶ διδάσκειν ὑμᾶς, ἃς ἐγὼ πέπεισμαι διδακτὰς εἶναι Θεοῦ. Ἀλλ' ἐπειδὴ τὰ Θεοῦ κρίματα πάντως ἀνεξερεύνητα, καὶ διὰ τοῦτο ἡ πολύτροπος αὐτοῦ σοφία εἰς τοῦτό μου τὴν ταπείνωσιν ἤγαγεν, ἀξιῶ μὴ προσέχειν ὡς διδασκάλῳ, ἀλλ' ὡς συμβούλῳ καὶ ἀδελφῇ διὰ τὴν ἐπικειμένην μοι ἀνάγκην· οὐαὶ γάρ μοί ἐστι κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον, ἐὰν μὴ τὰ συμφέροντα ὑμῖν συμβουλεύσαιμι. Καὶ ἀνέχεσθε τῶν ῥημάτων τῆς ἐμῆς ταπεινώσεως δι' ἀγάπην ὑμῖν προσφερομένων. Καὶ γὰρ ἐὰν τὸν βίον τοῦτον τὸν ἀσκητικὸν, ὃν ὑπήλθομεν ἑκουσίως, μὴ κατὰ τοὺς αὐτῷ κειμένους μετέλθωμεν νόμους, οὐδὲν ἡμῖν ὄφελος, οὐδὲ αὐτῆς τῆς πίστεως. χωρὶς γὰρ ἔργων ἡ πίστις νεκρά· ἠκούσαμεν γὰρ βασιλείαν οὐρανῶν ζωὴν ἀΐδιον, καὶ ἀτελεύτατον τρυφὴν ἀκηράτων αἰωνίων ἀγαθῶν.

26 Ἐπιστεύσαμεν τῷ εὐαγγελισαμένῳ καὶ ὑποσχομένῳ Ἰησοῦ τῷ Θεῷ καὶ Κυρίῳ ἡμῶν, εἰς ὃν καὶ πεπιστεύκαμεν, καὶ, πιστεύσασαι τοῖς ἐπηγγελμένοις τοσούτοις ἀγαθοῖς, ἀφήκαμεν τὰ τοῦ κόσμου τερπνὰ ὡς πρόσκαιρα, καὶ μικράν τινα καὶ ταύτην ἠχρειωμένην ἔχοντα τὴν ἀπόλαυσιν, οὐ μόνον δὲ οὐχ ἱστάμενα, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ τυχεῖν τῶν οὐρανίων οὐ μικρὸν ἡμῖν εὑρισκόμενα κώλυμα. Εἴπερ οὖν μετὰ ταῦτα τούτων ἐκπεσούμεθα, ἐλεεινότεραι τάχα πάντων ἀνθρώπων ἐσμέν· ἀποτευξόμεθα δὲ, καὶ μάτην ἡμῖν ὅλος οὗτος ὁ κόπος ἔσται, ἐὰν μὴ κατὰ τοὺς νόμους τοῦ Χριστοῦ πολιτευσώμεθα· εἶπε γὰρ ὁ Κύριος· Οὐ-

petebat sibi submitti adjutricem vim. Tu enim, aiebat, vere es pastor bonus: tu dixisti discipulis: Unus vester est magister Christus. Tu es ostium ovium, qui adducis illas ad æternam salutem. Tu et dominus es et magister. Et siquidem tu es dux noster, subveni ancillæ tuæ, et huic parvo gregi tuo; et conserva nos a rapina intellectualis et versipellis lupi. Nosti enim infirmitatem nostram; quodque nos nihil omnino perficere possimus, nisi nobis abs te auxilium præbeatur. *A. Anonymo. ex mss.*

24 Fusis satis diu precibus, et interposita aliquantisper requie, secum sermocinari ista cœpit: Numquid, misella Irene, cognoscis onus, quod Christus humeris tuis imposuit? Concreditæ tibi sunt animæ, pro quibus Deus homo factus est, et sanguinem effudit: et, sicut audivisti, ne mundus quidem universus uni æquivalet animæ. Nec vero illud ignoras, quod, si de verbo otioso rationem unusquisque reddet in die judicii, pro anima, quæ perierit, qualia sit passurus ille, qui hujus curandæ vinculo obstrictus est, si pro viribus non incumbat in salutem ejus. Vigilare omnino oportet impensius in orationibus, perseverare in jejuniis, infirmitates sororum portare, et omnia ferre E generose ac mansuete. Attende autem tibi ipsi, ne aliquando imbecillitas tua, quæ te latet, alicui e sororibus occasionem lapsus præbeat, et in te impleatur dictum Christi: Quia si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent. Atque hæc quidem secum; quibus animam ligans, ad multo majorem excitabat exercitationem, angelicam omnino vitam assumens et conversationem, peragens jejunia per multos dies, stationes per totas noctes; genuflexiones supra numerum perficiens: dura cubabat humo; et non tam illa remittendi, quam dura patiendi occasionem captabat. *oneris sibi impositi considerat gravitatem.*

25 Et per hæc Dei benevolentiam demereri studuit, et, quæ ab ipso datur, intelligentiam, quæque mystice doceat attendere, et ducat ad omnem veritatem. Cujusmodi sunt illa, quæ sapientissima Irene docuit sorores. Novi equidem, inquit, o pretiosa Deo pignora, neutiquam adeo disertam esse meam vilitatem, ut tamquam magistra vobis præsim, aut vos doceam, quas ego a Deo doctas esse confido. Sed quoniam judicia Dei prorsus inscrutabilia sunt, atque ea de causa multiformis sapientia F ipsius exiguitatem meam huc adduxit; oro, ne me auscultetis quasi magistram, sed quasi consultricem ac sororem, propter incumbentem mihi necessitatem. Væ enim mihi est, juxta divinum Apostolum, nisi conducibilia vobis consilia dedero. Et sustinete exiguitatis meæ verba, quæ ad dilectionem vos adducunt: etenim si vitam hanc asceticam, quam suscepimus lubenter, juxta propositas ei leges non transigamus, nihil illa nobis, nihil fides ipsa proderit: nam sine operibus fides mortua est: audivimus enim regnum cælorum esse vitam æternam, et delicias infinitas incorruptorum bonorum. *Variis documentis*

26 Credidimus annuntianti et promittenti Jesu, Deo et Domino nostro; in quem credidimus, et credentes bonis tantis, quæ annuntiata sunt, dimisimus hujus mundi voluptates tamquam fluxas, parvamque aliquam et inutilem hanc quidem habentes fruitionem, sibique non modo non constantes, sed quas, ad consequendas cælestes, non parvum ponere impedimentum deprehendimus. Si ergo postmodum hisce exciderimus, infeliciores utique omnibus hominibus sumus: a scopo autem aberrabimus, et frustra nobis omnis ille erit labor, si legibus Christi conformem vitam non ducamus. Dixit enim Dominus: Nemo *et incitamentis*

A. Anonymo ex mss.

A Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum suscipiet, et alterum contemnet : anima namque quia una est, bifariam dividi non potest : ac proin simul delicias sectari non potest, ac se continere; indigere divitiis, et divitiis abundare; Domini humiliationem admittere, et vanam hominum gloriam aucupari.

commissas sibi sorores

27 Nos itaque reliquimus omnia, et secutæ ipsum sumus. Quod si anima quoque nostra, et omnia, quæ intra nos sunt, secuta non fuerint; nihil nobis proderit, quod secutæ ipsum solo fuerimus corpore; at necesse est, ut omnem ab anima expellamus cupiditatem erga res hujus vitæ, et affectionem; ne, quæ exterius mundum videmur fugere, interius in medio mundo versemur, desiderantes ab hominibus honorari, vestibus floride tinctis ac pretiosis ornari; gaudentes in stratis sublimibus, mollibus ac splendidis recumbere; immoderato cibo ac potu gravari, atque animam læ-
B dere injuria (nam injurium est, quidquid necessitatem excedit) ac rebus aliis hujus mundi immodice affluere, quibus semel nuntium remisimus coram Deo, et sanctis angelis. Sed oportet nos alimentis, quæ habemus, et tegumentis, contentas esse, sicut scriptum est. Opus autem nostrum, ac certamen magnum, sit illud, has possidere virtutes, quæ nos salvent; munditiem ac sanctificationem; sine qua nemo Dominum videbit, sed audiet : Tollatur impius, ut non videat gloriam Domini; humilitatis studium; quia Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; assiduam compunctionem; quia Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

exstimulat

28 Illorum quippe est, qui propriam cognoscunt infirmitatem, non vero illorum, qui divites sunt in elatione animi, et existimatione stultæ mentis suæ; lenitatem; quia omnis, qui irascitur fratri suo temere, hic reus est judicio; temere autem fit omne, quod propter Deum non fit. Nisi enim abundaverit, inquit, justitia nostra plus quam scribarum et Pharisæorum, non poterimus intrare in regnum cælorum. Atque ea quidem sunt, quæ supra justitiam illorum abundant; neque enim illi talia postulabant : nam supra naturam est mundities : supra naturam lenitas. Ex quo autem is supra na-
C turam, qui erat Deus et homo, advenit, hæc quoque, quæ supra naturam sunt, iis, qui in se credunt, donavit. Donat autem solis petentibus, et his quidem, qui petunt sine hæsitatione cordis. Nam vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Et quia in nostra non est potestate illarum rerum possessio; ideo mundum, et ea, quæ in mundo sunt, odisse decrevimus, ut eatenus imprimis inimicitiam non habeamus contra Deum : (dilectio mundi inimicitia est in Christum) sed ipsius potius dilectionem ac benignitatem accipiamus.

ad virtutum exercitationem.

29 Secundo, jejunemus, vigilemus, oremus, pauperibus facultates dispergamus, lacrymis Dominum placemus, ut respiciat ad humiliationem nostram; atque hasce nobis donet virtutes. Nam anima mundata Deum videt, et ab ipso videtur, et habitaculum fit divinæ bonitatis : Beati enim, inquit, mundi, quoniam ipsi Deum videbunt. Dum autem non ignorat, munditiem unde habeat, non gloriatur, quasi non acceperit, sed humiliat se, ut quæ acceperit; et semper compuncta est, ac fidei plena ac misericordiarum. Nam misericordiam consecuta a Deo, omnium miseretur, et omnibus benigne compatitur; atque ita sedet in mansuetudine, terrestrium simul ac cælestium heres, tamquam nihil habens, et omnia possidens. Hujus vero animæ angeli Dei et custodes sunt et ministri, venerantes

δεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γαρ τὸν ἕνα μισήσει, D
καὶ τὸν ἕτερον [ἀγαπήσει· ἢ τοῦ ἑνὸς ἀντέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. Μία γαρ οὖσα ἡ ψυχὴ, εἰς δύο μερισθῆναι οὐ δύναται· μηδ᾽ αὐτὴ ἐν ταυτῷ καὶ τρυφᾷν, καὶ ἐγκρατεύεσθαι, καὶ πτωχείαν χρημάτων ἔχειν, καὶ πλουτεῖν χρήμασι, καὶ ταπείνωσιν τοῦ Κυρίου μετιέναι, καὶ τὴν κενὴν τῶν ἀνθρώπων θερίζειν δόξαν.

27 Ἡμεῖς οὖν ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμεν αὐτῷ. Ἐὰν μὴ καὶ ἡ ψυχὴ ἡμῶν, καὶ πάντα τὰ ἐντὸς ἡμῶν ἀκολουθῇ, οὐδὲν ἡμῖν ὄφελος ἡ σωματικὴ μόνον ἀκολούθησις, ἀλλὰ δέον ἡμᾶς πᾶσαν ἀπὸ τῆς ψυχῆς διῶξαι βιοτικὴν ἐπιθυμίαν καὶ προσπάθειαν, ἵνα μὴ τὰ ἔξω φαινόμεναι τὸν κόσμον φυγοῦσαι, τὰ ἔνδον μέσον ὦμεν τοῦ κόσμου, ἐφιέμεναι τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ἱματίοις ἀνθοβαφέσι καὶ πολυτίμοις κοσμεῖσθαι, καὶ χαίρειν στρωμναῖς ὑψηλαῖς τε καὶ μαλακαῖς καὶ πολυτελέσιν ἀνακλίνεσθαι, πολυφαγίας καὶ οἰνοποσίας ἀμέτροις βαρύνεσθαι, καὶ ἀδικεῖν τὴν ψυχήν· ἀδικία γάρ ἐστι τὸ ὑπὲρ τὴν χρείαν, καὶ τοῖς ἄλλοις κατὰ κόσμον πράγμασι ἐντρυφᾷν, οἷς καθά- E
παξ ἀπεταξάμεθα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων. Ἀλλὰ δεῖ τροφὰς ἡμεῖς ἐχούσας καὶ σκεπάσματα, τούτοις ἀρκεῖσθαι, καθὼς γέγραπται. Τὸ δὲ ἔργον ἡμῶν καὶ τό ἀγόνισμα τὸ μέγα ἐκεῖνο ἂν εἴη, τὸ τὰς ἀρετὰς ἐκείνας κτήσασθαι, αἳ σώσουσιν ἡμᾶς, τὴν ἁγνείαν καὶ τὸν ἁγιασμὸν, οὗ χορὶς οὐδεις ὄψεται τὸν Κύριον, ἀλλ᾽ ἀκούσει· Ἀρθήτω ὁ ἀσεβὴς, ἵνα μὴ ἴδῃ τὴν δόξαν Κυρίου· τὴν ταπεινοφροσύνην· ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· τὴν διηνεκῆ κατάνυξιν· ὅτι μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

28 Τῶν γαρ ἐπεγνωκότων τὴν οἰκείαν ἀσθένειάν ἐστιν, οὐ τῶν πλουτούντων ἐν ὑπερηφανίᾳ καὶ οἰήσει τῆς τοῦ νοοῦ αὐτῶν ματαιότητος· καὶ τὴν ἀοργησίαν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ εἰκῆ, ἔνοχός ἐστι τῇ κρίσει· εἰκῆ δέ ἐστι πᾶν, τὸ μὴ διὰ Θεὸν γενόμενον. Εἰ μὴ γαρ περισσεύσει, φησὶν, ἡ δικαιοσύνη ἡμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων, οὐ δυνησόμεθα εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Τὰ δὲ περιττεύοντα τῆς ἐκείνων δικαιοσύνης ταῦτά ἐστιν, οὐδὲ γαρ ἐκεῖνοι τοιαῦτα ἀπητοῦντο· ὑπὲρ φύσιν γὰρ καὶ ἡ ἁγνεία, ὑπὲρ φύσιν παρεγένετο Θεὸς ὢν καὶ ἄνθρωπος, καὶ τὰ ὑπὲρ φύσιν ταῦτα τοῖς πιστεύου- F
σιν εἰς αὐτὸν ἐδωρήσατο. Δωρεῖται δὲ τοῖς αἰτοῦσι μόνοις καὶ τούτοις μὴ ἐν δισταγμῷ καρδίας. Ἀνὴρ γαρ δίψυχος ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ. Καὶ ἐπειδὴ οὐ τῶν ἐφ᾽ ἡμῖν ἐστιν ἡ τούτων κτῆσις, διὰ τοῦτο καὶ τὸν κόσμον ὡρίσθημεν μισῆσαι καὶ τὰ ἐν κόσμῳ, ἵν᾽ ἐν πρώτοις τέως μὴ ἔχωμεν ἔχθραν πρὸς τὸν Θεὸν, ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ κόσμου ἔχθρα εἰς Χριστὸν ἐστιν, ἀλλὰ τὴν αὐτοῦ μᾶλλον ἀγάπησιν καὶ φιλανθρωπίαν ἀπολάβωμεν.

29 Δεύτερον δὲ νηστεύωμεν, ἀγρυπνῶμεν, προσευχώμεθα, τοῖς πένησι τὰ ὑπάρχοντα σκορπίζωμεν δάκρυσι τὸν Κύριον δυσωπῶμεν, ὅπως ἐπιβλέψῃ ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν ἡμῶν, καὶ ταύτας ἡμῖν χαρίσηται τὰς ἀρετάς. Καὶ γὰρ ἁγνισθεῖσα ψυχὴ Θεὸν καθορᾶ, καθορωμένη ὑπ᾽ αὐτοῦ καὶ κατοικητήριον τῆς θείας ἀγαθότητος γίνεται. Μακάριοι γάρ, φησιν, οἱ καθαροὶ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται· μὴ ἀγνοοῦσα δὲ, ὅθεν ἔχει τὴν ἁγνείαν, οὐ καυχᾶται, ὡς μη λαβοῦσα, ἀλλὰ ταπεινοφρονεῖ, ὡς λαβοῦσα, καί ἐστιν ἀεὶ κατανενυγμένη, καὶ πλήρης πίστεως καὶ ἐλεημοσυνῶν. Ἐλεηθεῖσα γαρ ὑπὸ Θεοῦ, πάντας ἐλεεῖ, καὶ πᾶσι φιλανθρώπως συμπαθεῖ καὶ οὕτω κάθηται ἐν ἀοργησίᾳ κληρονόμος καὶ τῶν ἐπιγείων, καὶ τῶν οὐρανίων, ὡς μηδὲν ἔχουσα καὶ πάντα κατέχουσα. Τῆς δὲ αὐτῆς ψυχῆς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ καὶ φύλακές εἰσι

καὶ

A καὶ διάκονοι, αἰδούμενοι καὶ τιμῶντες αὐτὴν, καὶ περιέποντες. Διὸ παρακαλῶ πάσας ὑμᾶς, καὶ τῶν ἰχνῶν ὑμῶν ὑφάπτομαι, μὴ ἀποκάμωμεν αἰτοῦσαι τὸν Κύριον, ἕως ἂν ἡμᾶς ἀξιώσῃ τῶν δωρεῶν αὐτοῦ τούτων τῶν ἐπουρανίων καὶ τελείων, καὶ πήξῃ ταύτας ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, ὡς ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν ἀναφεραίτους, οὐχ ἕνεκεν ἡμῶν τῶν δικαιοσυνῶν, ἀλλ' ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ἕνεκεν τοῦ ἐλέους αὐτοῦ.

30 Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα ἡ πάνσοφος Εἰρήνη σπλάγχνοις μητρικοῖς οὐ διέλιπε τὰ πνευματικὰ ἑαυτῆς διδάσκουσα τέκνα· καὶ μέν τοι καὶ τὸν σπόρον εἰς ἀγαθὴν βάλλουσα γῆν, καὶ βλαστάνοντα, καὶ αὐξάνοντα, καὶ καρποφοροῦντα βλέπουσα, ἔχαιρε, καὶ τῷ Θεῷ τὰς εὐχαριστίας ἀπεδίδου. Ἦλθε οὖν ἐπὶ λογισμὸν αὐτῇ ποτε παράδοξόν τι καὶ φοβερὸν, καὶ τῆς πρὸς Θεὸν αὐτῆς πίστεως τεκμήριον εὐαγές· ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ· Εἴ μοι διορατικῶς εἰδέναι Κύριος ἔδωκε τὰ κρυφῇ παρὰ τῶν ἐμῶν ἀδελφῶν γενόμενα, τὰς μὲν ἐπηνώρθουν σφαλλομένας, τὰς δὲ προκοπτούσας τρέχειν ἂν συνώθουν τὸν δρόμον τῆς ἀρετῆς εὐτονώτερον. Καὶ ταῦτα λογισαμένη, πρὸς τὴν αἴτησιν ὅλην ἑαυτὴν ἀδιστάκτως ἔδωκε, δάκρυσι πολλοῖς καὶ κλισεσι γονάτων
B πολλὴν τῷ Θεῷ περὶ τούτων τὴν ἱκεσίαν προσάγουσα· Οὐ γὰρ ἠγνόει τὸ τοῦ χαρίσματος μέγεθος, τάξιν ἐπέχον δευτέραν τῶν εἰς οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας μέτρῳ πίστεως ὑπὸ τοῦ Πνεύματος διανενεμημένων, κατά φησιν ὁ ἀπόστολος· Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας· ἔνθεν τοι καὶ ταχέως ὑπήκουσεν αὐτῆς ὁ λέγων· Ἔτι λαλοῦντός σου ἐρῶ, ἰδοὺ πάρειμι.

31 Ἐφάνη γὰρ οὐρανόθεν ἄγγελος Θεοῦ στολὴν ἐνδεδυμένος λευκὴν, καὶ τὸ εἶδος ἐξαστράπτων, καὶ κατὰ πρόσωπον αὐτῇ παραστὰς χαρᾶς ἐπλήρου ταύτην ὁπόσης ἂν εἴποις, καὶ οὐ μόνον τῷ παραδόξῳ τοῦ σχήματος οὐ κατέπληξεν, ἀλλὰ καὶ προσηνῶς αὐτῇ διελέγετο, καί φησι· Χαίροις τοῦ Θεοῦ πιστοτάτη θεράπαινα· ἰδού σοι κατὰ τὴν αἴτησιν ἀπέστειλέ με Κύριος εἰς διακονίαν, διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν διά σου. Ἔσομαι δὲ μετά σου διαπαντὸς, τὰ κρυφῇ γινόμενα καθ' ἡμέραν σαφῶς ὑποδεικνύων
C σοι. Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐκεῖνος μὲν ἀπέστη τῶν ὄψεων αὐτῆς. Αὐτὴ δὲ εἰς τὸ ἔδαφος ἑαυτὴν ὑφαπλώσασα, καὶ κολληθῆναι τούτῳ βιαζομένη, τὴν εὐχαριστίαν οὕτως ἀνέπεμπε τῷ Θεῷ, καὶ τῷ ἀπ' ἐκείνης οὐ διέλιπεν ὁ ἄγγελος τοῦ Θεοῦ ὀπτανόμενος αὐτῇ, καὶ δῆλα καθιστῶν οὐ τὰ ταῖς ἀδελφαῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσι, πραττόμενα καὶ λανθάνοντα.

ipsam, honorantes ac protegentes. Ideo hortor vos omnes, et vestigia vestra amplector, ne defatigemur rogare Dominum, donec nos dignetur illis donis suis supercælestibus ac perfectis, et mentibus illas nostris agglutinet (quæ utpote nos esse non novimus ita stabilia, ut nequeant auferri) non propter justitias nostras, sed propter nomen ejus, propter misericordiam ejus. *A. Anonymo ex mss.*

30 Hæc et similia sapientissima Irene, visceribus deprompta maternis, docere filias suas spirituales non prætermisit. Et sane quia semen, quod miserat in terram bonam, germinare, crescere, ac fructum proferre videbat, gaudebat, ac gratias Deo agebat. Venit igitur ipsi aliquando in mentem res quædam mirabilis ac terribilis; et sincerum ipsius in Deum fidei argumentum. Dicebat enim intra se: Si Dominus mihi daret arcanorum perspicientiam *b*, ut scirem illa, quæ clam a sororibus meis fiunt; deficientes corrigere, proficientes vero, ad currendum contentiorem virtutis cursum, impellere possem. E
Atque hæc animo reputans, orationi se totam sine hæsitatione dedit, multis cum lacrymis ac genuflexionibus super his rebus Deo supplicans: neque enim ignorabat doni magnitudinem, quod secundum tenet ordinem eorum, quæ in ædificationem Ecclesiæ per mensuram fidei a Spiritu dividuntur, sicut dicit Apostolus: Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos; secundo prophetas. Unde mox illam exaudivit is, qui dicit: Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum. *Petit a Deo arcanorum perspicientiam,*

31 Apparuit enim illi angelus e cælo, stola indutus alba, et specie effulgens; et ante conspectum ejus adstans, gaudio ipsam implevit, quanto queas dicere; neque inusitata dumtaxat specie illam non perculit, sed blande cum ea colloquebatur, his verbis: Gaude fidelissima Dei famula: ecce tibi juxta petitionem tuam, demisit me Dominus ad ministerium, propter eos, qui hereditabunt salutem per te. Ero autem semper tecum; et ea, quæ fiunt in occulto, in dies singulos clare tibi manifestans. Et hæc fatus, evanuit ex oculis ejus. Illa autem humi se F
extendens, seque ibidem agglutinare contendens, ita Deo retulit gratias. Et ab illa non defecit angelus Dei, qui ipsi apparuerat, manifestans non illa dumtaxat, quæ a sororibus, sed etiam quæ ab omnibus fiebant, ac latebant. *et ministerio angeli apparentis illam obtinet.*

ANNOTATA.

a *Baronius ad annum* 34, *num.* 288 *vult, diaconissas non accepisse manus impositionem, sicut diaconos; sed diaconissarum ordinationem factam fuisse per manuum impositionem non quidem sacramentalem, sed cæremonialem; vide apud Cabassutium mox citatum, num.* 26: *atque hoc modo intellige nostrum auctorem. Vide annotata ad cap.* 2. *Consuli præterea post Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina parte* I, *lib.* 3, *cap.* 50; *et ibidem cap.* 51 *agitur de earum numero CPoli sub Justiniano imperatore.*

b *In arcanis cordium perspiciendis egregie excelluit S. Stephanus Sabaita, datus ad diem* 13 *hujus; uti liquet ex cap.* 6 *Vitæ ejus, a pag.* 554.

CAPUT IV.

Studium promovendi proximum in virtute; vexationes dæmonis; spiritus prophetiæ.

Μετὰ γοῦν τὰς ὀρθρινὰς δοξολογίας, ἐπεὶ καὶ πάννυχος ἦν ἡ στάσις, αὐτὴ καταμόνας μικράν τινα τῷ σώματι τὴν ἄνεσιν διδοῦσα, καὶ ὕπνου μεταλαμβάνουσα (οὕτω γὰρ εἴθιστο) εἰς τὸ τοῦ ναοῦ εἰσῄει διακονικὸν, καὶ τῶν ἀδελφῶν ὀνομαστὶ πρὸς ἑαυτὴν ἑκάστην καλοῦσα, καὶ ταύτην παρακα-

Post matutinum igitur Officium, quoniam pernox fuerat statio, ipsa seorsum parvam aliquam corpori quietem dedit: captoque somno (sic enim consueverat) templi diaconicon *a* ingressa est, et unamquamque e sororibus nominatim ad se vocans, et ipsi assidens explanabat occulta et abstrusa, ipsarumque *Subditas sibi sorores*

A. ANONYMO. EX MSS.

rumque motionum animæ ac cogitationum apposite conscientiam pungebat, atque ad lapsuum confessionem ac pœnitentiam provocabat, et perfectæ accipiebat emendationis illorum promissionem. Quæ res stuporem injecit sororibus : neque eam jam auscultabant, ut prius; sed homine superiorem esse Irene confitebantur, ac prædicabant : famaque de ipsa quædam ingens per omnium exinde aures increbuit; et omnis ad illam civitas concurrit, desiderans venerandum videre ipsius vultum, audire ipsius sermones, ac frui precibus. Omnibus adventantibus, legem dilectionis adimplens, ea, quæ ad animam spectabant, cum affectu manifestavit singulari in colloquiis, atque ad pœnitentiam nec non ad mandatorum Dei observationem induxit, percensens vitæ vanitatem, inevitabilem justitiæ rigorem, gehennæ timorem, ac bonorum fruitionem.

ac personas externas adventantes

33 Etenim si non hic, aiebat, per pœnitentiam lapsuum nostrorum remissionem inveniamus, et a peccatis nostris expurgemur; sicuti non est post vitæ exitum confessio et pœnitentia; ita effugium
B non est punitionis ac cruciatus, quæ peccantes manent. Maxime autem commendabat omnium, abstinerent ab immunditia, avaritia ac deliciis (his enim, inquiebat, malignus spiritus in vita agitatos, tamquam validis retibus facile captat) misericordiæ vero ac temperantiæ, et abstinentiæ operam darent, quantam possent maximam; ac de culpis, quæ accidunt, semper pœnitentiam agerent : multis enim in dies singulos delinquimus. Opertet et linguam corripere, ut ne ad injurias et contumelias sit prompta : etenim Qui dixerit fratri suo, fatue; reus erit gehennæ ignis, prout audivimus : et In quo judicio judicamus, judicabimur. In proclivi enim est peccatum, quod fit per linguam, et [non] difficile : quoniam aliter peccare, non est promptum; sed peccare lingua, pronum est.

ad virtutes et fugam vitiorum promovet;

34 Denique hortabatur, juramenta ut fugerent, nomen Dei non profanarent ubivis locorum, vel usque ad superfluos etiam et nullius momenti præ-
C textus (quod dum ipsi nominant angeli, tremunt) in hoc quippe Dei est contemptus. Ignem qui nos probet, exspectet, dicernat justum et impium, revereamur, ac timeamus Deum; nostramque non despiciamus salutem : propter hoc enim ex eo, quod non existit, ad id quod existit, nos eduxit, ut pars et hereditas Dei fieremus, non autem pars diaboli (cui æternus paratus est ignis) quo fiat, ut cum eo vocemur ad intolerabilem illam atque inexstinguibilem flammam, ut in perpetuum torreamur. Nam peccare, nostræ quidem naturalis infirmitatis proprium est; sed misereri, divinæ benignitatis est opus, et parcere; his utique, qui magnam hanc suam vilitatem norint; qui hanc confitentur coram ipso, et cum lacrymis petunt remissionem peccatorum.

Vexatur a diabolo.

33 His itaque et hujusmodi multis, qui Irenen adibant, ex ordine senatorio, aut ex alio vitæ genere, docti ac moniti; plures item feminæ ac virgines, generis splendore conspicuæ, attendebant sibimetipsis, et viam, quæ ducit ad vitam, currebant omni cum alacritate; ubique prædicantes Irenen et admirantes. Illa vero nec a gratiarum cessavit actione erga Deum, nec de statione pernocte quidquam remisit. Postquam utique ad solis occasum hanc cœpisset, sanctasque sustulisset manus, uti solebat, ad cælum, media circiter nocte frequens dæmoniorum phalanx, quæ adstabat, vocibus obscuris et confuso clamore immobilem ejus stationem disturbare conabatur. Horum unum malignius vi-

θισαμένη ὁμαλῶς πως ὑπηνίττετο τὰ ἄδηλα καὶ κρύφια, D
καὶ τῶν τῆς ψυχῆς κινημάτων αὐτῆς καὶ διανοημάτων εὐφυῶς καθήπτετο νύττουσα τὸ συνειδὸς, καὶ εἰς ὁμολογίαν τῶν σφαλμάτων καὶ μετάνοιαν ἐρεθίζουσα, καὶ παντελοῦς λαμβάνουσα τῶν τονούτων διορθώσεως ὑπόσχεσιν. Ὅπερ ἐξίστασθαι ἑαυτῶν ἐποίει τὰς ἀδελφάς· καὶ οὐκ ἔτι ταύτῃ προσεῖχον ὡς πρότερον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ἄνθρωπον εἶναι τὴν Εἰρήνην καὶ ὡμολόγουν, καὶ ἀνεκήρυττον, καὶ φήμη τις περὶ αὐτῆς μεγάλη τὰς ἁπάντων ἐντεῦθεν διέθεεν ἀκουάς, καὶ πᾶσα πρὸς αὐτὴν ἡ πόλις συνέτρεχε, πρόσωπον αὐτῆς ἐπιποθοῦντες ἰδεῖν τὸ τίμιον, καὶ λόγου αὐτῆς ἀκοῦσαι, καὶ εὐχῶν ἀπολαύσασθαι. Πᾶσι δὲ τοῖς προσερχομένοις, τὸν τῆς ἀγάπης νόμον ἀποπληροῦσα, τὰ κατὰ ψυχὴν περιπαθῶς εἰς φανερὸν αὐτοῖς ἦγεν ἐν ταῖς ὁμιλίαις, καὶ πρὸς μετάνοιαν καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπιστροφὴν ἐνταλμάτων, τὴν τοῦ βίου ματαιότητα διεξιοῦσα, καὶ τὸ τῆς δίκης ἄφυκτον, καὶ τῆς γεέννης τὸν φόβον, καὶ τῶν ἀγαθῶν τὴν ἀπόλαυσιν.

33 Εἰ μὴ γαρ ἐνταῦθα, λέγουσα, διὰ μετανοίας τῶν σφαλμάτων τὴν ἄφεσιν εὕρωμεν, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐκκαθαρθῶμεν, ὥσπερ οὐκ ἔστι μετὰ τὴν ἔξοδον ὁμολόγησις καὶ μετάνοια, οὕτως οὐδὲ τῆς ἀποκειμένης τοῖς ἁμαρτάνουσι κολάσεως καὶ τιμωρίας ἀποφυγή. Παρήγγειλε δὲ
μάλιστα πάντων ἀκαθαρσίας ἀπέχεσθαι καὶ πλεονεξίας E
καὶ τρυφῆς (τούτοις γάρ, φησιν, ὁ πονηρὸς τοὺς ἐν βίῳ κλονουμένους ὡς ἄρκυσιν ἰσχυροῖς εὐκόλως καταζωγρεῖ) ἐλεημοσύνης δὲ καὶ σοφροσύνης, καὶ ἐνκρατείας κατὰ τὸ δυνατὸν ἐπιμελεῖσθαι, καὶ ἀεὶ μετανοεῖν ἐπὶ τοῖς συμβαίνουσι παραπτώμασι· πολλὰ γαρ καθεκάστην ἡμῖν τὰ προσκόμματα· δεῖ καὶ τὴν γλῶσσαν παιδεύειν, μὴ πρὸς ὕβρεις καὶ λοιδορίας εἶναι πρόχειρον· Ὃς γαρ ἐὰν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ μωρὲ, ἔνοχος ἔσται τῷ πυρὶ τῆς γεέννης, ὡς ἠκούσαμεν, καὶ ἐν ᾧ κρίματι κρίνομεν, κριθησόμεθα. Εὔκολος γαρ ἡ διὰ γλώσσης ἁμαρτία καὶ [οὐ] χαλεπὴ, ἐπειδὴ τὸ μὲν ἄλλως ἁμαρτάνειν οὐχ ἕτοιμον· τὸ δὲ διὰ γλώσσης ἁμαρτάνειν, πρόχειρον.

34 Τοὺς δὲ ὅρκους φεύγειν τελεως, καὶ μὴ διασύρειν τὸ τοῦ θεοῦ ὄνομα πανταχοῦ, καὶ περιττῶν ἕως καὶ οὐδαμινῶν προφάσεων, ὅπερ φρύττουσι καὶ ἄγγελοι ὀνομάζοντες· καταφρόνησις γαρ τοῦτο τοῦ θεοῦ. Πῦρ ἡμᾶς δοκιμάσαι, περιμεῖναι καὶ διακρῖναι τὸν δίκαιον καὶ τὸν ἀσεβῆ, F
σεβασθῶμεν, καὶ φοβηθῶμεν τὸν Θεὸν, καὶ τὴν ἑαυτῶν μὴ περιφρονῶμεν σωτηρίαν, διὰ τοῦτο γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς παρήγαγεν, ἵνα μερὶς καὶ κλῆρος τοῦ Θεοῦ γενώμεθα, καὶ μὴ τοῦ διαβόλου μερὶς, ᾧ τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον ἡτοίμασται, ὥστε σὺν ἐκείνῳ κληθῆναι εἰς τὴν ἀνύποιστον ἐκείνην καὶ ἄσβεστον εἰς αἰῶνας τηγανίζεσθαι φλόγα· τὸ μὲν γαρ ἀσθενείας ἴδιον, τὸ ἐλεεῖν δὲ καὶ συγχωρεῖν, τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας ἔργον, ἀλλὰ τοῖς ἐπισταμένοις τὴν ἑαυτῶν ἄγαν οὐθένειαν τοῦτο, οἱ καὶ ὁμολογοῦσιν ταύτην ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ μετα δακρύων αἰτοῦσι τῶν ἐπταισμένων τὴν ἄφεσιν.

35 τούτοις οὖν καὶ τοῖς τοιούτοις πολλοὶ τῶν προσιόντων, καὶ συγκλητικῶν, καὶ τῶν ἄλλως ἐχόντων κατὰ τὸν βίον διδασκούμενοι καὶ νουθετούμενοι, καὶ γυναικῶν δὲ καὶ παρθένων, τῶν περιφανείᾳ γένους σεμνυνομένων, προσεῖχον ἑαυτοῖς καὶ τὴν ἀπάγουσαν εἰς ζωὴν μετα πάσης προθυμίας ἐπορεύοντο πορείαν, διὰ στόματος φέροντες πανταχοῦ τὴν Εἰρήνην καὶ θαυμάζοντες. Αὐτὴ δὲ οὔτε τῆς πρὸς Θεὸν ἔληγεν εὐχαριστίας, οὔτε τῆς παννύχου στάσεως ἐνεδίδου. Καὶ δήποτε περὶ δυσμὰς ἡλίου ταύτης ἀρξαμένης, καὶ τὰς ὁσίας ἐπαράσης χεῖρας, ὡς ἔθος, εἰς οὐρανὸν, περί που τὸ μεσονύκτιον φάλαγξ δαιμονίων ἄθροον ἐπιστᾶσα φωναῖς ἀσήμοις καὶ τεταραγμένῃ βοῇ τὴν ἀκίνητον αὐτῆς διασαλεῦσαι στάσιν ἐπειρῶντο.

A το. Τούτων δὲ πονηρότερον ἓν, οἷα καὶ αὐθαδέστερον, πλησίον αὐτῆς γενόμενον, ἐῴκει ταύτῃ νυκτιρίζειν, καὶ τὰ μιμῶν φθέγγεσθαι εἴρκυκυ, ξυλίνην καὶ ξυλίνοις τοῖς ποσὶ βασταζομένην λέγων, καὶ ἄλλα τὰ φλυαροῦν, καὶ μεταβαλλόμενος αὖθις ὠδύρετο· Ἕως πότε τὴν γενεὰν ἡμῶν, φάσκων, θλίβεις; Ἕως πότε ταῖς μακραῖς σου μαστίζεις ἡμᾶς προσευχαῖς; Ἕως πότε καίεις ἡμᾶς; Ἕως πότε σου ἀνεξόμεθα πλήρεις ἡμεῖς ἀνίας τῆς παρά σου;

36 Εἶτα σὺν ἐκείνῳ ἐδόκουν καὶ τὰ λοιπὰ κατατρύχεσθαι· καὶ τὰς παρειὰς ἐπύπτοντο, θρῆνον πολὺν ἐξέχαιναν ἐπὶ μεγάλῃ τούτοις τῇ συμφορᾷ, ὡς δὲ μηδὲν ἤνυον πρὸς τὸ σπουδαζόμενον αὐτοῖς. Ἐκείνη δὲ ὥσπερ ἁρπαγεῖσα εἰς οὐρανὸν, ὅλην εἶχεν ἐκεῖ πρὸς θεὸν τὴν διάνοιαν, ἀκλόνητος τὸ παράπαν καὶ ἀπτόητος ἱσταμένη. Τὴν χεῖρα τὸ δαιμώνιον ἁπλῶσαν, καὶ πυρσὸν, ἀπὸ τῆς θρυαλλίδος ἐπιμῦξαν καθῆκε περὶ τὸν τράχηλον τῆς Ὁσίας. Ὁ δὲ καθάπερ τισιοὶ πίσιν ἀνάφας* ὅλον μὲν τὸ κουκούλιον σὺν τῷ ἐπωμίῳ καὶ τῷ χειτωνίσκῳ λάβρως κατακαίων ἥψατο καὶ τῶν σαρκῶν· καὶ διεπορεύετο καταφλέγων τοὺς ὤμους, τὸ
B στῆθος, τὴν ῥάχιν, τοὺς νέφρους, τοὺς λαγόνας, καὶ μικροῦ δεῖν, ὅλον ἂν περιῆλθε τὸ σῶμα τί πῦρ ἐπινεμόμενον, εἰ μή τις τῶν ἀδελφῶν ταῖς νυκτεριναῖς εὐχαῖς ἐγρηγορυῖα, καὶ τῆς κνίσσης τῶν σαρκῶν ὀσφραινομένη, καὶ ποῦ ποτε τῆς μονῆς τὸ καιόμενόν ἐστιν, ἐξίει θροηθεῖσα τῆς κέλλης, καὶ ῥινηλατοῦσα ἑπομένη τῇ δυσωδίᾳ μέχρι τοῦ τῆς προεστώσης ἔστησε τοὺς πόδας κελλίου. Παρακύψασα δὲ τοῦτο κάπνου καὶ κνίσσης πεπληρωμένον ἰδοῦσα, τῆς θύρας ἐκστροφὴν μόγις ποιησαμένη, εἰσῆλθε μὲν, εὗρε δὲ θέαμα φρικτὸν, ὅλην μὲν τὴν Εἰρήνην ἐμπεπρησμένην, ἀκίνητον δὲ καὶ ἀῤῥεπῆ καὶ ἀήττητον ἑστηκυῖαν, καὶ μηδαμῶς τῆς τοσαύτης ἐπιστρεφομένην πυρκαϊᾶς.

* forte καθάπερ τῷ πυρὶ πίσσαν ἀνάψας

37 Ἐπεὶ δὲ πρὸς μόνον σπεύδουσα τὸ κατασβέσθαι τὴν φλόγα, καὶ τοῦ πυρὸς ἐξελέσθαι τὴν διδάσκαλον, ἤρξατό τε κλονεῖν αυτὴν καὶ συσσείειν. Σβεννῦσα τὸ πῦρ, καὶ καταστέλλουσα τὴν φλόγα, τὰς χεῖρας, ὀψέ ποτε τῆς ἐκστάσεως ἐκείνη κατενεγκοῦσα· Ἵνα τί τοῦτο πεποίηκας, τέκνον μου, ἀπεκρίνατο; Τί με τοσούτων ἀπεστέρησας τῇ εὐνοίᾳ σου ταύτῃ τῶν ἀκαίρων τῶν ἀγαθῶν; οὐ δέον ἡμᾶς φρονεῖν τὰ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὰ τοῦ Θεοῦ· ἰδοὺ γαρ πρὸ
C τῶν ἐμῶν ὀφθαλμῶν ἄγγελος ὡρᾶτο Θεοῦ, πλέκων μοι στέφανον ἐξ ἀνθέων, ὧν ὀφθαλμὸς οὐκ οἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε· καὶ ἤδη τὴν χεῖρα διατεινομένην εἶχε τῇ ἐμῇ τοῦτον ἐπιθῆναι κεφαλῇ· σοῦ δὲ τῆς προμυθείας ἕνεκεν ἄπεισί με λιπὼν, ἔχων τὸν στέφανον μεθ᾽ ἑαυτοῦ. Τί οὖν μοι, τέκνον, ἀγνωμοσύνης χείρονα τὴν εὐγνωμοσύνην ἀπέδωκας; Μισῶ δωρεὰν προξενοῦσάν μοι ζημίαν. Ὡς οὖν ταῦτα ἤκουσε ἡ μαθήτρια, δάκρυα στάζουσα τῶν ὀφθαλμῶν, ἤρξατο τά προσφύσαντα ταῖς σαρξὶ τῆς Ὁσίας ῥάκια ζέοντα ἔτι, τοῖς δακτύλοις ἐκεῖθεν ἀνασπᾷν, καὶ ἰδοῦ ξένη τις ἐκ τούτων ἀνεπέμπετο εὐωδία, μύρου παντὸς καὶ ἀρωμάτων πολιτίμων ἀσυγκριτῶς εὐοδεστέρα, ἥτις ὅλην ἐπλήρωσε τὴν μονὴν ἐφ᾽ ἱκανὰς ἡμέρας, καὶ τοὺς παροδεύοντας ἐπευφραίνεσθαι διαρκοῦσα.

38 Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἦν ἕτερον ἱμάτιον τῇ Ὁσίᾳ, εἰ μὴ τοῦτο μόνον, ὅπερ ταῖς τιμίαις σαρξὶν ὁ φλὸξ συγκατέφλεξε, πορευθεῖσα ἤνεγκεν ἡ ἐπαινετὴ μαθήτρια ἱμάτιον ἑαυτῆς, καὶ τὴν πνευματικὴν ἐνέδυσε μητέρα. Ἦν γαρ καὶ τοῦτο μέρος τῶν αὐτῆς κατορθωμάτων, τὸ μὴ δεύτερον κεκτῆσθαι χιτῶνα, ἀλλ᾽ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ κατὰ τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην πέμπτην τοῦ Πάσχα τὸν φορούμενον παρ᾽ ὅλον ἐνιαυτὸν ἀπαμφιέννυσθαι, καὶ αὖθις καινὸν ἐνδιδύσκεσθαι, τὸ μέν τοι παλαιὸν ἱμάτιον πενομένῃ δίδοσθαι γυναικί. Μετὰ γοῦν ἡμέρας ὀλίγας τῷ τῶν ψυ-

A. Anonymo. ex mss.

delicet atque arrogantius, propius ipsi factum, apparuit una cum ipsa vigilias nocturnas agere, et simiarum more strepere εἴρκυκυ, *b* ligneam et ligneis pedibus ipsam bajulari dicens, aliasque nugas effutiens. Et mutata rursum scena lugebat; Quousque tandem, inquiens, genus nostrum affligis? Quousque tandem longis tuis precibus nos flagellas? Quousque tandem nos uris? Quousque tandem nos te sustinebimus, pleni mœrore, quem patimur abs te?

b

36 Post hæc, una cum isto reliqua dæmonia affligi videbantur; verberabant genas: lamentum multum emittebant super magna sua miseria; ut quod nihil promovissent in eo, quod summo studio intenderant. Illa vero tamquam in cælum rapta, totam ibi ad Deum mentem tenebat, imperturbata omnino atque intrepida stans. Diabolus manum extendens, et faculam e lucerna exstinguens, immisit eam in collum Sanctæ. Illa autem ignis instar, qui picem accendit, totum cucullum cum superhumerali ac veste voraciter comburens, ipsas etiam carnes apprehendit: et perrexit, adurens humeros, pectus, spinam dorsi, renes, ilia; ut parum abesset, quin E
totum depascens ignis corpus pervaderet; nisi quædem e sororibus, vigilans in nocturnis precibus, et carnium nidorem olfaciens, et quonam in monasterii loco conflagratio esset, exivisset turbata e cella, et indagine sequens fœtorem, ad præsidis usque cellam progressa esset. Postquam illam inspexit, fumoque ac nidore plenam vidit, vix tandem eversis foribus, ingressa quidem fuit; sed invenit (spectaculum horribile!) totam Irenen ardentem; ast immotam, stabilem, invictam, stantem; ac tale neutiquam incendium curantem.

et tantum non comburitur;

37 Quoniam vero ad hoc solum festinabat, ut flammam exstingueret, et magistram ab igne eximeret, cœpit ipsam agitare et concutere. Exstincto igne ac repressa flamma, manibusque post longum mentis excessum sursum sublatis, illa, Ut quid hoc fecisti, dicebat, filia mea? Cur me privasti tua hac benevolentia bonis hisce adeo intempestivis? Non oportet nos sapere, quæ sunt hominum, sed quæ sunt Dei. Ecce enim ante oculos meos angelus Dei videbatur, plectens mihi coronam e floribus, quos oculus non vidit, nec auris audivit; manumque F
jam extensam habebat, hanc ut capiti meo imponeret: sed tuam ob curam abit, me deserens, et coronam secum fert. Cur itaque mihi, filia, ingratitudine deteriorem gratitudinem reddidisti. Odi donum, quod damnum mihi afferat. His auditis discipula, lacrymas fundens ex oculis, cœpit centones, qui adhærebant carnibus Sanctæ, et adhuc flagrabant, digitis inde abstrahere. Et, ecce, nova quædam ex his emittebatur odoris suavitas, unguento omni atque aromatibus pretiosis incomparabiliter fragrantior; quæ totum implevit monasterium ad sufficientes dies, et satis erat, ut transeuntes delectaret.

sed a sorore quadam ab incendio liberatur,

38 Quia vero nulla Sanctæ vestis erat, nisi illa sola, quam simul cum venerandis carnibus flamma combusserat; abiit laudabilis discipula, et vestem suam tulit, eaque matrem spiritualem induit. Nam una ei virtutis officiorum pars erat ista, non possidere alteram vestem; sed semel in anno, idque ad feriam sanctam et magnam *c* quintam Paschæ, illam, quam per totum annum gestarat, exuere, ac novam rursus induere; obsoletam vero mulieri pauperi dare. Paucis itaque post diebus ab animarum et corporum medico ambustis redintegrata

et ambusta membra postea redintegrantur. Dono prophetiæ

A.Anonymo ex mss.

A grata carnibus, similem ipsa tenuit agendi modum. Sed prophetiæ gratia admodum in ipsa accrescebat, splendebat, ac quæ remota erant, prævidere dabat. Nam dum aliquando Cyrillus eunuchus ad ipsam accessisset, qui familiarissimus et benevolentissimus famulus erat sorori ejus (ultimam hanc fuisse conjugem cæsaris Bardæ, superius exposuit oratio) seorsim hunc prehendit, et sorori per hunc significat ista, dicens: Attende, et cura res tuas: nam cæsar, inquit, vir tuus, meus autem affinis *d*, permissu Dei, ac judiciis, quæ novit ipse, inscrutabilibus, insidias subibit; ac paulo post mortem est oppetiturus per eum, qui insidias struxerit.

quædam hominibus incognita

39 Paulo post ipse quoque filius sororis ejus, imperator Michael eodem modo patietur propter impia sua ac nefaria gesta. Nam qui divina illudit, illudetur. At dispiciendum tibi, ne ulli palam hæc facias; neu impedias, quo minus sceptra imperii occupaturus resistat cuipiam e tuis cognatis. Nam B etiamsi vir ille homicidiorum causa erit; religiosis tamen atque imperatoriis prærogativis adornatus est: et ideo Deus in eo sibi complacet, et non proficiet inimicus in eo. Illa autem prædictiones sororis fideles esse gnara ac minime dubias, amore conjugis victa, revelat ipsi omnia, quæ illa sibi significarat. Is vero arrogans et insania plenus, sicut insipiens, non intellexit ad Deum confugere, ut cæleste præsidium consecutus subterfugeret periculum, quod imminebat: (sicut alicubi dicit Hieremias: Quia si convertatur ab omnibus malis suis; agam et ego pœnitentiam de malis, quæ cogitavi ipsi facere:) sed in id solum incubuit, ut nomen rescire quæreret illius, qui imperium erat excepturus.

prædicit.

40 Nec vero habuit, hoc qui sibi nuntiaret (nam quisnam sufficiens est, ut quæ sanctus Deus consilia statuit, dissipet?) sed sæpe diversis ad Sanctam missis, hac de re sciscitatus, in vanum laborare apparuit; donec modicum post tempus, omnia C secundum prædictionem ejus evenerunt. Cæsar namque in castris occisus *e* est. Imperator autem Michael ipse, hunc subsecutus, in palatio S. Mamantis post equestrem cursum (auriga *f* quippe erat dementatus *g* præ vino, quo se ingurgitabat assidue) excarnificatus *h* vitam abrupit, imperium tenente post ipsum Basilio *i* Macedone; cui sceptra ad quartam usque aut quintam generationem *k* extensa fuere. Atque hæc quidem sunt, quæ comprobent gratiam prophetiæ, qua erat ornata.

χῶν καὶ σῶματων ἰατρῷ τὰς πυρακτωθείσας ἰατρευθεῖσα D σάρκας, αὐτὴ μὲν εἴχετο τῶν ὁμοίων. Τὸ δὲ τῆς προφητείας χάρισμα ἐπὶ πλέον ηὔξανεν αὐτῇ, καὶ τὰ πόῤῥω προβλέπειν ἐδίδου. Κυρίλλου γάρ ποτε πρὸς αὐτὴν τοῦ εὐνούχου παραγενομένου, ὃς οἰκειότατόσ τε ἦν καὶ εὐνούστατος τῇ ταύτης ἀδελφῇ θεράπων, γυναῖκα δὲ ταύτην ὑστάτην ὁ λόγος ἀνοτέρω τοῦ καίσαρος ἐδήλωσε Βάρδα, κατ' ἰδίαν τοῦτον ἀπολαβοῦσα, μηνύει δι' αὐτοῦ τῇ ἀδελφῇ ταῦτα εἰποῦσα· Πρόσεχε καὶ φρόντισον τὰ περὶ σεαυτῆς· ὁ γαρ καίσαρ, φησὶν, ὁ σὸς μὲν ἀνὴρ, ἐμὸς δὲ γαμβρὸς συγχωρήσει Θεοῦ καὶ κρίμασιν, ὡς οἶθεν ἐκεῖνος, ἀνεφίκτοις, ἐπιβουλὴν ὑποστήσεται, ὅσον οὔ πω καὶ τεθνήξεται παρὰ τοῦ ἐπιβουλευσαμένου.

39 Μετ' ὀλίγον δὲ καὶ αὐτὸς ὁ ἀνεψιὸς βασιλεὺς Μιχαὴλ ὡσαύτως πείσεται διὰ τὰς ἀνοσίους αὐτοῦ καὶ ἀθεμίτους πράξεις· δαπαίζων γαρ τὰ θεῖα, διαπαιχθήσεται. Ἀλλὰ σκεπτέον σοι, μήτε θήσειν ἔκφορα ταῦτα μηδενὶ, μήτε τῷ μέλλεντι κατασχεῖν τὰ τῆς βασιλείας σκῆπτρα τῶν σῶν τινι συγγενῶν ἀντιβῆναι, μὴ διακωλῦσαι· εἰ γὰρ καὶ φόνων αἴτιος ὁ ἀνὴρ, ἀλλὰ θεοσεβέσι καὶ βασιλικοῖς κατα- E κεκόσμηται προτερήμασι· καὶ διὰ τοῦτο καὶ Θεὸς εὐδοκεῖ ἐπ' αὐτῷ, καὶ οὐκ ὠφελήσει ἐχθρὸς ἐν αὐτῷ. Ἀλλ' ἐκείνη τὰς προῤῥήσεις τῆς ἀδελφῆς πιστὰς οἰδυῖα καὶ ἀναμφιλέκτους, τῷ φίλτρῳ νικηθεῖσα τοῦ ανδρὸς, ἀνακαλύπτει τούτῳ πάντα τὰ μηνυθέντα. Ὁ δὲ σοβαρός τε ὢν καὶ ἀπονοίας ἀνάμεστος, ὡς ἀσύνετος οὐ συνῆκε πρὸς Θεὸν καταφυγεῖν, καὶ τῆς ἄνωθεν τυχὼν ἀντιλήψεως παραδραμεῖν τὸν προσκείμενον κίνδυνον, καθώς ποῦ φησιν Ἱερεμίας· Ὅτι ἐὰν ἐπιστρέψῃ ἀπὸ τῶν αὐτοῦ, μετανοήσω κἀγὼ ἀπὸ τῶν κακῶν, ὧν ἐλογισάμην ποιῆσαι αὐτῷ· ἀλλ' ἐνέκειτο μόνον, τὸ ὄνομα ζητῶν τοῦ τὴν βασιλείαν διαδεξομένου μαθεῖν.

40 Οὐκ εἶχε δὲ τὸν ἀπαγέλλοντα· τίς γαρ ἱκανὸς ἃ Θεὸς ὁ ἅγιος βεβούλευται, διασκεδάσαι; ἀλλὰ καὶ πολλάκις καὶ διαφόρους πρὸς τὴν ὁσίαν ἀπεσταλκὼς περὶ τοῦτο πευσάμενος, εἰς μάτην φαίνετο κοπιῶν, ἕως μετὰ βραχὺ κατὰ τὴν αὐτῆς ἐξέβη πάντα πρόῤῥησιν. Ὁ μὲν γαρ καῖσαρ ἀνηρέθη παρὰ τῷ στρατοπέδῳ· βασιλεὺς δὲ Μιχαὴλ καὶ αὐτὸς εἰσελθὼν, καὶ ἐν τῷ παλατίῳ τοῦ ἁγίου Μάμαντος F μετὰ τὴν ἱπποδρομίαν, ἡνίοχος γὰρ ἦν κεκραιπαληκὼς ἐξ οἴνου κατὰ κόρον οὗ συνεχῶς ἀπήλαυε, κρεουργηθεὶς ἀπέῤῥηξε τὴν ζωὴν, Βασιλείου τοῦ ἐκ Μακεδονίας τὴν βασιλείαν μετ' αὐτὸν κατασχόντος, ᾧ τὰ σκῆπτρα ἐπὶ τετάρτην ἢ καὶ πέμπτην ἐξετάθη γενεάν. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅσον εἰς ἀπόδειξιν οὗπερ ἠξίωτο τοῦ προφητικοῦ χαρίσματος.

ANNOTATA.

a Diaconicum, *ait recte noster Gretserus lib.* 3 *Observationum, cap.* 9, *in Georgii Codini caput* 14, non est conclave diaconorum, in quo illi congregati tractarint negotia muneris sui; sed est locus, ubi ministri sacras vestes ad divina Officia peragenda induunt, Germanice **die sacristey**, sacrarium.

b *Vox hæc nullius, quod sciam, usitatæ apud auctores significationis; sed facta, uti opinor, vel ficta est ad imitandum stridorem vel strepitum istiusmodi animalium. Vide nostrum Cyprianum Soarez de Arte rhetorica lib.* 3, *cap.* 7; *ubi recte observat,* Græcis magis concessum esse fingere.

c *De hebdomade, ob mysteria quæ in ea celebrantur, vere ac proprie* magna (*Latinis* major) *varia colligit supra citatus Allatius, num.* XXI.

d Γαμβρὸς *est* gener, socer: *hic vero accipitur pro* agnato, affine; *quam vocem sic fere semper usurpari a Sriptoribus Græcis mediæ ætatis, quos citat, docet Cangius.*

e *Michaelis imperatoris jussu occiditur Bardas* mensis Aprilis XXI, Indictione quarta-decima *(teste Constantini Porphyrogenneti continuatore lib.* 4, *num.* 41) *id est anno* 866. *Res gesta ab eo narratur ibidem.*

f *Citatus mox continuator, num.* 26 Michael, *inquit*,.. ipse Romani arcem imperii tenens, equos agebat, cunctisque se ridiculum ac spernendum præbebat.

g *Constantini Porphyrogenneti continuator num.*44. In tantam enim, *inquit*, sæpius dementiam mero

A ro obrutus ac per ebrietatem Michael erumpebat, ut absurda quædam, modumque omnem injuriæ excedentia præciperet; atque alii aures, alii nares, alii denique caput amputandum juberet. Ac nisi viri quidam misericordia moti negligenda putassent, ac in crastinum distulissent, ea Michaeli quandoque revocanda sperantes, ac fore ut is eorum aliqua pœnitudine duceretur (quod et contingebat) plane periissent quoquot illi aderant, inque aula assidui ac domestici erant. A. ANONYMO EX MSS.

h In sancti præclari martyris Mamantis palatio neci traditur, die XXIV Septembris, Indictione prima *(teste citato continuatore, eodem num.* 44) *concurrente cum anno Christi* 867, hora noctis tertia. Imperavit cum Theodora matre sua annos quatuordecim; solus, undecim: posteaque adlecto Basilio, annum unum, menses tres. *Sed variat mortis ejus historia, ut videre est apud Pagium ad dictum annum, num.* 13; *ad quem annum vide etiam Baronium.*

i *Historiam de Vita et rebus gestis ipsius collegit Constantinus Porphyrogennetus, ipsius nepos.*

k *Familiam Basilii Macedonis, ex eaque ipsi in imperio successores dabit Cangius in Familiis augustis Byzantinis a pag.* 138.

CAPUT V.

Sanctæ discipula a præstigiis mirabiliter liberata.

B

Γυνὴ δέ τις τῶν εὐγεγονότων ἐκ Καππαδοκίας καὶ αὐτὴ τὸ γένος ἕλκουσα προσήει τῇ θαυμασιωτάτῃ γυναικῶν Εἰρήνῃ, τὴν κόμην τῆς κεφαλῆς κειραμένη, καὶ τοῦ καταλόγου τῶν ὑπ' αὐτὴν μία γενομένη μοναζουσῶν. Ὁ δὲ τοῖς ἀγαθοῖς ἀεὶ βασκαίνων διαφερόντως πονηρὸς, σφοδρῶς ὑποδὺς τὸν ταύτης κατὰ χώραν μνηστῆρα, λίαν ὑπέκαιε τοῦτον, καὶ κατέτηκε τῷ τῆς μνησθευθείσης ἔρωτι, ὃν ἐκείνη καταλιποῦσα καὶ πάντα καταφρονήσασα διὰ τὸ πρὸς τὸν Κύριον φίλτρον, τῇ προστασίᾳ τῆς ὁμοχώρου προπέφευγεν Εἰρήνης. [Οὐκ] ἀγνοῶν δὲ ὁ ταλαίπωρος ὡς ἐκ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ὁ τοῦ λοιποῦ πρὸς ἐκείνην διακενὴς ἔρως· ἐμάνθανε γὰρ ἤδη ταύτην τὸν χρηστὸν ὑπελθοῦσαν τοῦ Χριστοῦ ζυγόν. Ἀλλὰ, τῆς τοῦ διαβόλου ἔργον ἐπηρείας· ἠνιᾶτο, ἐδυσφόρει, ἔπασχεν ὅσα τοὺς τοιούτους πάσχειν εἰκός. Καὶ τέλος μαγῷ τινι προσδραμὼν, εὗρεν αὐτὸν ὡς ὑπηρέτην τοῦ σατανᾶ δοκιμώτατον, πάντα ποιήσειν τὰ κατα θέλησιν αὐτῷ καὶ πληρώσειν ἐπαγγελλόμενον. Καὶ ταῦτα μὲν ἐκεῖνος ἐπὶ τῆς Καππαδοκῶν ἐργαζόμενος ἦν.

42 Τὴν κόρην δὲ ζέσις καρδίας ἐπιπεσοῦσα, παρ' ἐλπίδα καὶ ὅλην ἐκφρενῆ μανικῷ τῷ πρὸς τόν ποτε μνηστῆρα
C ταύτης ἔρωτι θήσασα. Οὐδὲ κατικτὴν εἶναι συνεχώρει τῇ βίᾳ, πηδῶσαν, βοῶσαν, στένουσαν, κλαίουσαν, μεγάλῃ φωνῇ τοῦ ἐκείνου ὄνομα ἀνακαλουμένην, καὶ εἰ μὴ τοῦτον δώῃ τις αὐτῇ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ τῆς αὐτοῦ κατὰ κόρον ὄψεως ἐπαπολαῦσαι καὶ κοινωνίας, διαβεβαιοῦσαν ὅρκοις φρικώδεσι ἑαυτὴν ἀπαγχονίσαι· εἶτα καὶ πρὸς τὸν πυλῶνα ἀναθέουσαν ἦν αὐτὴν ὁρᾶν, καὶ τὴν ἔξοδον ἐπισπεύδουσαν καὶ ταύτην ἀσήμαις κραυγαῖς καὶ σχήμασιν ἀναιδέσι ἐπιτάττουσαν τῇ θυρωρῷ. Ὡς οὐν εἰς ἀκοὰς ἧκε ταῦτα τῇ μακαρίᾳ Εἰρήνῃ, τὰς ὄψεις αὐτῆς ἀμφοτέραις τύψασα χερσὶν, οἴμοι τῇ ἀθλίᾳ εἶπεν, ὅτι ραθυμίᾳ τῶν ποιμένων οἱ λύκοι τὰ πρόβατα διαρπάζουσιν· ἀλλ' οὐ χαιρήσεις ἐπὶ τοῦτο, πονηρὲ, οὐδ' οὐ μὴ καταπιεῖς τὴν ἀμνάδα τοῦ Χριστοῦ· κατα τῆς σεαυ τοῦ δὲ καὶ τοῦτο κεφαλῆς ἐκ τοῦ κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ περιτρέψει δύναμις.

43 Καὶ κατὰ τὸ σύνηθες ἐν τῷ διακονικῷ γενομένη, πρὸς ἑαυτὴν μὲν τὰς ἀδελφὰς συνήγαγε. Πολλὰ δὲ πρὸς νουθεσίαν αὐταῖς διαλεξαμένη, καὶ τὴν τοῦ διαβόλου καθ' ἡμῶν ἐκ τοῦ κατα τὴν πάσχουσαν παραδείγματος διασαφήσασα δύναμιν, καὶ ὡς χρεὼν ἡμᾶς, φησιν, ἀγρυπνεῖν ἐν παντὶ καιρῷ, ὅτι ὁ ἀντίδικος ἡμῶν ὁ διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ, ζητῶν τίνα καταπίῃ, καὶ ὅτι διὰ τοῦτο τῆς ἀγέλης αὐτὸν ἔξω περιέναιτε καὶ ὠρύεσθαι Θεὸς ἀφῆκεν, ἵνα τῷ τούτου φοβῷ συνά-

E *Mulier quædam vitæ monasticæ causa procum deserit,*

Mulier quædam, e nobilibus Cappadociæ et ipsa genus trahens, accessit ad Irenen, feminas inter admiratione dignissimam; comam capitis attonsa, et una ex earum, quæ sub ipsa vitam monasticam profitebantur, numero facta. Sed spiritus malignus, qui modis variis semper invidet bonis, procum in ipsius regione degentem vehementer subingressus, valde accendit, et amore dilectæ contabescere fecit; quo illa relicto, et omnibus contemptis propter amorem Domini, ad Irenes, popularis suæ, disciplinam confugerat. Nec vero ignorabat infelix, quod amor erga illam, imposterum supervacaneus foret, prout res tunc erat: intelligebat enim, jam illam benignum Christi jugum subiisse. Sed (o diabolicæ improbitatis opus!) discruciabatur, ægre ferebat; patiebatur, quæcumque tales pati par est. Denique ad magum quemdam currens, invenit ipsum veluti probatissimum sanatæ ministrum, promittentem, quod omnia ex sententia ejus facturus esset, et impleturus. Atque hæc quidem ille in Cappadocia factitabat.

42 Puellam vero fervor cordis invasit, et totam mente captam præ lymphatico erga procum aliquando suum amore, coegit ad desperationem. Neque permittebat, coerceri se vi, saltantem, clamantem, gementem, flentem, magna voce nomen ejus ingeminantem; et, nisi quis ipsi dederit oculis eum videre, et conspectu ejus ad satietatem frui, ac communicatione, horrendis confirmantem juramentis, quod seipsam suspensura fuisset. Deinde cernere ipsam erat fores accurrentem, et exitum maturantem; atque hunc inconditis voci ferationibus et inverecundis gestibus januæ custodi imperantem. Postquam hæc ad aures venerunt beatæ Irenæ, ambabus manibus vultum suum percutiens, Væ miseræ mihi!, inquit; quia incuria pastorum lupi diripiunt oves. Sed non gaudebis super hoc, spiritus maligne; neque Christi agnam devorabis: sed vel hoc ipsum, potestas quæ datur a Domino meo Jesu Christo, in tuum convertet caput.

sed magicis artibus ad insaniam reducitur: F

43 Dumque de more ingressa esset diaconicon, sorores ad se convocavit; ac multis ad earum institutionem prolatis, et diaboli contra nos potestate ab exemplo patientis istius exposita, Quam nos, inquit, necesse est vigilare omni tempore, quia adversarius noster diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; et quia ideo extra gregem circuire ipsum et rugire Deus permisit, ut præ timore ejus quilibet congregetur sub tegumento boni pastoris Christi, et veluti in tuto existens

pro qua dum S. Irene

A. ANONYMO. EX MSS.

stens castro, derideat ipsius rugitus. Præcepit omnino neque panem, neque vinum per totam simul hebdomadem istam gustarent, sed solis ad vesperam fructibus sustentarent corporis miseriam; ac genuflexiones ad Deum pro sorore singulas ipsarum per diem facere numero mille. Audistis enim, inquit, Dominum nostrum dicentem: Quia hoc genus non exit, nisi in oratione et jejunio. Et ne aliqua ex vobis existimet, susceptum pro sorore laborem nihil ad propriam conducere utilitatem: hoc enim est magnum lucrum; ab hoc pendet Christiani ordinis gubernatio. In hoc cognoscent, inquit Dominus, omnes, quod mei discipuli estis, si diligatis invicem, sicut ego dilexi vos: majorem hac dilectionem nemo habet, ut quis ponat animam suam pro amicis suis.

γηται πᾶς τις ὑπὸ τὴν σκέπην· τοῦ ἀγαθοῦ ποιμένος D
Χριστοῦ, καὶ ὡς ἐν ἀσφαλεῖ τυγχάνων φρουρίῳ διαγελᾷ τοὺς αὐτῷ βρυχηθμούς· παρήγγειλε τὸ καθ' ὅλου μήτε ἄρτου μήτε οἴνου δι' ὅλης ὁμοῦ τῆς ἑβδομάδος ταύτης ἀπογεύσασθαι, μόναις δὲ τὸ πρὸς ἑσπέραν ὀπώραις τὴν τοῦ σώματος ἀνέχειν ταλαιπωρίαν, καὶ γονυκλισίας πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ τῆς ἀδελφῆς ἑκάστην αὐτῶν διὰ τῆς ἡμέρας χιλίας ποιεῖσθαι τὸν ἀριθμόν. Ἀκούσατε γάρ, φησι, τοῦ Κυρίου ἡμῶν εἰπόντος· Ὅτι τοῦτο τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ· καὶ μήτις ὑμῶν ὑπολαβέτω τὸν ὑπὲρ τῆς ἀδελφῆς κόπον μηδὲν πρὸς οἰκείαν συντελῆ ὠφέλειαν· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ μεγα κέρδος, ἐν τούτῳ κρέμαται ἡ τοῦ χριστιανικοῦ τάγματος πολιτεία. Ἐν τούτῳ γνώσονταί, φησιν ὁ Κύριος, πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἐγὼ ἠγάπησα ἡμᾶς· μείσονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις θῇ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ.

varia bona opera exercet; videt S. Basilium,

44 Hæc ubi præcepisset sororibus, facta utrimque profunda reverentia, ad suam singulas cellam dimisit. Longa vero ista atque fervida ora-
B tione peracta ab omnibus sororibus, atque harum omnium petitiones expurgata mente in spiritu et veritate fusas ei, qui est misericors, offerente Irene; ipsaque simul apposite ac sine intermissione Deum adorante, tertia jam quidem dies præterierat; ad gallorum autem cantus diei quartæ subsequentis, quando orationi vacabat, manusque sursum extensas Sancta habebat, magnum
a videt Basilium *a* ante oculos suos adstare, talem, qualem imagines pingunt, atque ad se dicere: Quare ita nos vituperas, Irene, qui passi sumus illa abominanda atque nefanda, quæ in pa-
b tria, quam habemus communem *b*, sunt facta? Domini nostri Mater, ecce, cras mane in Blachernis
c *c* aderit. Tu, accepta tecum tua discipula, quæ male affecta est, illic statim te siste, ac sanitatem omnino consequetur. Hæc fatus ille, disparuit.

44 Καὶ συνταξαμένη ταῖς ἀδελφαῖς, βαλοῦσά τε ταύταις μετάνοιαν ἀντιβαλούσαις, πρὸς τὸν οἰκεῖον ἑκάστην παρέπεμψε κελλίον. Τῆς ἐκτενοῦς δὲ ταύτης θερμῆς E
ἐπιτελουμένης προσευχῆς ὑπὸ πάσης τῆς ἀδελφότητος, καὶ πασῶν τούτων τὰς δεήσεις τῆς κεκαθαρμένης διανοίας τῆς ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, προσκυνούσης τὸν Θεὸν Εἰρήνης εὐθυβόλως, καὶ ἀπαραποδίστως πρὸς τὸν εὔσπλαγχνον ἀναφερούσης, τρίτη μὲν ἤδη παρῆλθεν ἡμέρα· περὶ δὲ τὰς ἀλεκτρυόνων ᾠδὰς τῆς τετάρτης ἐπιούσης, ἐν ὅσῳ μὲν εἱστήκη πρεσβεύουσα, καὶ τὰς χεῖρας εἰς ὕψος τεταμένας ἡ ὁσία ἔχουσα, τὸν μέγαν ὁρᾷ Βασίλειον πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῆς ἐφεστηκότα, τοιοῦτον, οἷον αἱ εἰκόνες γράφουσι, λέγοντα πρὸς αὐτήν· Ἱνατί οὕτω κατονειδίζεις ἡμᾶς, Εἰρήνη, καταδεχομένους οἷα δὴ τὰ μιαρὰ καὶ ἀθέμιτα παρὰ τῇ κοινῇ γινόμενα πατρίδι; Τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἡ μητὴρ, ἰδοῦ, πρωίας αὔριον ἐν Βλαχέρναις, παραγίνεται. Σὺ δὲ λαβοῦσα μεθ' ἑαυτῆς τὴν κακῶς πάσχουσάν σου μαθήτριαν, ἐκεῖ τὸ τάχος εὑρέθητι, καὶ πάντως τεύξεται τῆς ἰάσεως. Καὶ ταῦτα μὲν ἐκεῖνος εἰπὼν, ἀφανὴς ἦν.

qui dirigit eam in Blachernas:

45 Illa autem mox intellexit, quem conversis ad imaginem magni Basilii oculis, ante vesperam sermonem habuerat, (talia enim ab ipsa erant dicta cum lacrymis) atque auxiliatorem invocavit, et liberatorem mulieris; quæ male habebat: atque hanc accipiens, secundum jussa, una cum duabus
C præcipuarum sororum, in Blachernas pervenit; nullamque diei partem prætermisit, quin supplicaret Deiparæ, ac sanctum templi pavimentum lacrymis perfunderet. Postquam advenisset vesper, ad mediam usque noctem supplicationes simul cum sororibus protraxit. Media autem circiter nocte, utique defessæ, sedentes parumper dormierunt. Visa autem fuit sancta Irene videre procedentium seriem quamdam terribilem, ac multis hominibus instructam ac paratam; et pavimentum purgatum, uti et accurate respersum omnigenis floribus fragrantibus; quosdam auro vestitos adolere thus, et aera bono odore recreare; nec non abire ac redire; seque, dum hæc videret, timore correptam, ac sciscitatam, quidnam hoc esset, quod factum erat; audivisse ex aliquo, qui sibi responderet:

45 Ἡ δὲ συνῆκεν εὐθύς, ἅπερ πρὸς τὴν εἰκόνα τοῦ μεγάλου Βασιλείου βλέπουσα πρὸ τῆς ἑσπέρας διελέγετο, τοιαῦτα γὰρ τὰ παρ' αὐτῆς ἐτύγχανε μετὰ δακρύων εἰρημένα, καὶ βοηθὸν ἐπεκαλέσατο, καὶ ῥύστην τῆς κακῶς ἐχούσης γυναικός· καὶ δὴ παραλαβοῦσα ταύτην κατὰ τὰ προστεταγμένα, καὶ δύο προκριτῶν τῶν ἀδελφῶν, τὰς Βλαχέρνας κατέλαβε, καὶ παρ' ὅλην οὐ διέλιπε τὴν ἡμέραν F
δυσωποῦσα τὴν Θεοτόκον, καὶ δάκρυσι τὸ ἅγιον τοῦ ναοῦ διαβρέχουσα δάπεδον. Ἑσπέρας δὲ καταλαβούσης, ἄχρι μεσονυκτίου τὴν ἱκεσίαν ἅμα ταῖς ἀδελφαῖς παρέτεινε, περὶ δὲ τὸ μεσονύκτιον ἅτε δὴ κεκοπιακυῖαι, καθεσθεῖσαι μικρὸν ὕπνωσαν· ἐδόκει δὲ τὴν ὁσίαν Εἰρήνην ὁρᾶν πρόοδόν τινα φοβερὰν καὶ πολυάνθρωπον, ἑτοιμαζομένην, καὶ τὸ μὲν ἔδαφος καθαιρόμενον, οἷα ἀκριβῶς καταρραινόμενον καὶ παντοίοις αὖθις ἄνθεσιν ἡδυπνόοις, καί τινας χρυσοφοροῦντας θυμιᾶν, καὶ τὸν ἀέρα κατευωδιάζειν, ἀπιόντας καὶ ὑποστρέφοντας, καὶ ὡς ταῦτα βλέπουσαν παριδεῆ γινομένην καὶ πυθομένην, τί ποτ' ἂν εἴη τοῦτο τὸ γινόμενον, ἀκοῦσαι παρά τινος πρὸς αὐτὴν ἀποκριναμένου.

ubi apparet cœlestis comitatus cum Deipara;

46 Tu quænam es, quæ prorsus ignoras, quod Mater Dei hic adsit, et quod a magno templo, ad hoc, quod est sancti Loculi, *d* visum ipsi sit
d transitum facere, cujus gloria multo est major in cælo, quam in terra? Præsto itaque sis; pariter et hanc videndi, et adorandi honorem consequeris. Atque hoc dum is loqueretur [visa est] statim illos, qui præibant, spectasse lucidos ac splendidos, ordine procedentes, timore quodam ac magna reverentia repressos, et Matrem Domi-

46 Σὺ δὲ τίς εἶ, τοῦτο ἀγνοοῦσα ὅλον, ὡς ἡ μητὴρ τοῦ Θεοῦ πάρεστιν ὧδε, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ μεγάλου ναοῦ πρὸς τὸν τῆς ἁγίας ἔδοξεν αὐτῇ σοροῦ διάβασιν ποιήσασθαι, ἧς τὸ κλέος πολὺ μᾶλλον ἐν οὐρανῷ ἢ ἐπὶ γῆς. Ἔσο τοίνυν ἑτοίμως· ἴσως ἀξιωθήσῃ ταύτην καὶ ἰδεῖν καὶ προσκυνῆσαι· καὶ τοῦτο λαλοῦντος, αὐτίκα τοὺς προοδεύοντας τεθεᾶσθαι λαμπροὺς καὶ φωτοειδεῖς, στιχηδὸν προπορευομένους, κατεσταλμένους ἐν φόβῳ τινὶ καὶ μεγάλῳ σεβάσματι, καὶ τὴν μητέρα τοῦ Κυρίου, μετα πλήθους πολλῶν παρεπομένων, ὡς ἥλιος

A λιος ἀστραπτόντων τὸ μέν τοι πρόσωπον αὐτῆς διὰ τὴν ἄστεκτον μὴ καθορᾶσθαι δυνατὸν εἶναι φωτοχυσίαν· περιέναι τε τοὺς ἐν ἀσθενείᾳ κατακειμένους ἐπισκεπτομένην, ἕως ἦλθεν καὶ ἐπ᾽ αὐτὴν τὴν τῆς Εἰρήνης μαθήτριαν· τήνδε τὴν ὁσίαν πρὸς τοὺς πόδας τῆς δεσποίνης καταπεσεῖν περιδεῆ καὶ περίτρομον, ἀκοῦσαι δὲ κειμένην φωνῆς τῆς πανάγνου Βασίλειον καλούσης καὶ Ἰωάννην· φάναι τε πρὸς αὐτούς, τίνος χάριν καταλιποῦσα τὸ ποίμνιον αὐτῆς ἐνταῦθα πάρεστιν ἡ Εἰρήνη.

47 Καὶ τούτων θάτερον τὸν Βασίλειον κατα μέρος ἅπαντα καταλέξαι, ὅσα τε πάθοι ἡ κατα πνεῦμα Θεοῦ θυγάτηρ αὐτῆς, ὅσα τε τούτου καταβοῶσα διετέλεσεν, ἀνεχομένου κατα τὴν τῆς πατρίδος γῆν γοήτας ἀναστρεφομένους· καί ὡς διὰ ταῦτα καταπεφευγέναι, φησί, πρὸς τὴν πάντα σου ἰσχύουσαν τῆς ἡμῶν δεσποίνης αὐτὴν ἐξουσίαν· καὶ πάλιν ἀκοῦσαι λεγούσης· Τὴν Ἀναστασίαν μοι καλέσατε· καὶ παραστῆναι δύο γυναῖκας αὐθίκα, ὧν τὴν μίαν, σχῆμα περικειμένην μοναχικόν, τὴν Ῥωμαίαν ᾤετο λέγεσθαι· πρὸς δὲ τὴν ἑτέραν ἐπιστραφεῖσα, περὶ τοῦ πάθους
B τῆς μαθητευομένης τῇ Εἰρήνῃ γυναικός φησι μετ᾽ ἐπιμελείας ἐξετάσαι ἐπείχθητι, συνεργὸν εὑροῦσα καὶ τὸν ἱερὸν Βασίλειον, καὶ τὸ περὶ τῶν τοιούτων ὡς λαβοῦσα χάρισμα, παρὰ τοῦ Υἱοῦ μου καὶ Θεοῦ καὶ θεραπείας ἀξίωσον· ἔδοξαν οὖν ἥτε Ἀναστασία, ὅτε βασίλειος ἅμα προσκυνήσαντες, τὴν ἐπὶ Καππαδοκίαν τραπέσθαι σπουδῇ· καὶ τούτων οἰχομένων φωνὴν ἀκουσθῆναι παρά τινος πρὸς τὴν Εἰρήνην λέγουσαν· Ἄπελθε εἰς τὸ μοναστήριόν σου, καὶ ἰασθήσεται ἐκεῖ· καὶ τῷ τῆς τοιαύτης ἤχῳ φωνῆς ἔξυπνον γεγονέναι.

48 Διυπνισθεῖσα δὲ καὶ τὰ ὁραθέντα ἀναδιαλεγομένη, θαυμάζουσα, κατηφιῶσα διετέλει· ἀφυπνισθεῖσα δὲ καὶ τὰς ἑτέρας, διηγήσατο ταύταις ἅπαντα, καὶ δοῦσα δόξαν τῇ θεομήτορι. Ὡς ἀψευδέσι τοῖς ὁράμασι πιστεύσασαι πρὸς τὸ μοναστήριον ὑπέστρεψαν· ἦν δὲ παρασκευὴ ἡμέρα· περὶ δὲ τὰς ἡλίου δυσμάς, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἀδελφαῖς, τὸν τῆς μονῆς εὐκτήριον οἶκον εἰσιοῦσα, τὰς συνήθεις εὐχὰς πληρῶσαι, διηγήσατο τὸ ὅραμα. Ἐπειδὴ δὲ πάσας εἶχε μὴ διαπιστούσας, ἀλλ᾽ ἐκπληττομένας τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν πάσαις αἴρειν διεκελεύσατο, καὶ τὸ Κύριε ἐλέησον ἐξ ὅλης βοᾷν τῆς καρδίας· προκειμένης αὐτῶν τῆς πασχούσης καὶ μηδὲν σεμνὸν τῇ παραφορᾷ τῶν
C φρενῶν καὶ λεγούσης καὶ ποιούσης· ἀλλά Τίς λαλήσει τὰς δυναστείας τοῦ Κυρίου, ἀκουστὰς ποιήσει πάσας τὰς αἰνέσεις αὐτοῦ; Ὡς γὰρ ἐπὶ πολὺ ταύταις ὑ δέησις παρετείνετο, καὶ δάκρυσιν τούτων τοῦ ναοῦ κατερραίνετο ἔδαφος, ὠράθησαν ἐπὶ τοῦ ἀέρος ἱπτάμενοι ἥ τε καλλίμαρτυς Ἀναστασία, καὶ ὁ μέγας Βασίλειος, καὶ φωνή τις τούτων ἠκούετο πρὸς τὴν Εἰρήνην λέγουσα· Ἅπλωσον τὸν κολπον σου, καὶ δέξαι ταῦτα, καὶ μηκέτι ἡμᾶς ὀνείδιζε.

49 Ὑφαπλώσασα δὲ δέχεται καταφερόμενον ἐκ τοῦ ἀέρος ἀπόδεσμον ὡσεὶ λιτρῶν βαρὺν τριῶν· συνδραμοῦσαι δὲ πᾶσαι αἱ ἀδελφαὶ τῷ παραδόξῳ τοῦ πράγματος ἐξιστάμεναι, τύπτουσαι τὰ στήθη τὴν θεοτόκον ἐδόξαζον. Ἀνάψασαι δὲ κηροὺς ἤρξαντο αλύειν τον ἀπόδεσμον· ὁ δὲ εἶχεν ἔνδον παντοδαπὰς ἐνειλημμένας περιεργίας, καὶ εἴδωλα μολύβδου κατασκευασμένα δυὸ, τὸ μὲν τοῦ μνηστῆρος, τὸ δὲ ἕτερον τῆς κακῶς ἐχούσης ἐοικότα μοναχῆς, καὶ ἄλλά τινα τῆς πονηρίας σοφίσματα, περιπλοκὴν πρὸς ἄλληλα ποιούμενα, καὶ θριξὶ καὶ μίτοις καταδεδεσμένα, καὶ τὸ τοῦ δημιουργοῦ τῆς κακίας ὄνομα καὶ δαιμόνων ὑπασπιστῶν αὐτοῦ κλήσεις ἐγγεγραμμένας. Καὶ διετέλεσαν οὕτω τὸ λοιπὸν τῦς νυκτὸς, τὸν ἀπόδεσμον διαλύουσαι, καὶ τῇ μητρὶ τοῦ Θεοῦ εὐχαριστοῦσαι. Προΐας δὲ ἤδη γενομένης, κηροὺς καὶ θυμιάματα, καὶ τὰ περίεργα ταῦτα ταῖς συνούσαις ἐν Βλαχέρναις αὐτῇ δυσὶ μοναζούσαις ἐγχειρίσασα. Παραδοῦσα

ni cum turba multorum, qui subsequebantur, ac solis instar coruscabant: vultum ejus non fuisse spectabilem propter luminis evibrationem intolerabilem: circuire vero, ut eos, qui jacebant in infirmitate, visitaret: donec veniret ad ipsam Irenes discipulam: Sanctam autem ad pedes Dominæ accidisse timentem ac trementem; et dum jaceret, audivisse vocem Virginis purissimæ, quæ Basilium vocaret et Joannem; ac diceret ad ipsos, cujus rei gratia, relicto suo grege, ibidem adesset Irene.

A. Anonymo. ex mss.

47 Horum vero alterum Basilium singulatim omnia recensuisse, quæ pateretur filia ejus secundum spiritum Dei; quodque Sancta fuisset de ipso conquesta, ut qui toleraret, magos versari per patriæ terram: et quod propterea, ut inquiebat, confugisset ad ipsam, quæ potens est ad omnia, Dominæ nostræ tutelam: et audivisse iterum, quod diceret: Anastasiam *e* mihi advocate: et statim duas adstitisse mulieres; quarum unam, monastico indutam habitu, Romanam *f* putabat dici: ad alteram vero conversa, de malo, quod patiebatur mulier, E quæ Irenæ erat discipula, cum diligentia, inquit, inquirere matura, adjutorem nacta ipsum sanctum Basilium; et cum circa similia gratiam acceperis, a Filio meo ac Deo medelam exposce. Videbantur itaque tam Anastasia, quam Basilius, ubi simul adorassent, in Cappadociam properare: atque illis abeuntibus vox audiri alicujus, quæ ad Irenen diceret: Discede ad monasterium tuum, et ibi sanabitur; atque istiusmodi vocis sono, se e sommo evigilasse.

cujus, uti et S. Basilii, ac S. Anastasiæ annisu sananda prædicitur.

e

f

48 Discusso igitur sommo, visa secum revolvens, ac mirans, subtristis erat. Postquam autem alias e sommo excitasset, omnia ipsis enarravit, et gloriam dedit Deiparæ. Sic visis non fucatis credentes, ad monasterium redierunt. (Erat autem dies Parasceue). Ad occasum vero solis, reliquis sororibus, ædem monasterii sacram ingressa, ut consuetas expleret orationes, narravit visum. Quando autem fidem fecerat omnibus, magnalia Dei obstupescentibus, manus ad cælum omnibus sustollere imperavit, et, Domine miserere, ex toto clamare corde, procumbente ante ipsas illa, quæ patiebatur, et nihil ad rem præ perturbatione mentis dicente aut faciente: (quamquam o! Quis loquitur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?) F dum enim ab ipsis in longum extraheretur precatio, et earum lacrymis templi pavimentum rigaretur, visi sunt in aere volantes pulchra martyr Anastasia, et magnus Basilius, et vox quædam eorum audiebatur, ad Irenen dicens: Explica sinum tuum, et cape hæc: et ne amplius nos increpa.

Quod quo modo contigerit,

49 Quem ubi explicasset; accipit delatum ex aere fasciculum, quæsi libris tribus gravem. Concurrunt autem omnes sorores, inopinato rei eventu attonitæ, et percutientes pectora, Deiparam glorificabant. Accensis vero cereis, cœperunt solvere fasciculum. Continebat is intus omnigenas imposturas implexas, et idola duo e plumbo confecta (hoc quidem proci, aliud autem monachæ, quæ male habebat, similitudinem referebat) et alia quædam malitiæ inventa, alia aliis implexa, et crinibus ac filis colligata, nec non malitiæ fabricatoris nomine, et dæmonum, ipsum propugnantium vocabulis inscripta. Et sic traduxerunt, quod noctis erat reliquum, dissolventes fasciculum, et Matri Dei gratias persolventes. Orto autem jam sole, cereos, incensum, et maleficia ista duabus monialibus, quæ una in Blachernis erant adfuturæ, commisit. Tradidit etiam ipsis eam, quæ ma-

mirabilia hujus rei adjuncta recensens

A. Anonymo. ex mss. le habebat, atque ad megalomartyris Anastasiæ templum dimisit: oblationemque et oleum superaddens, præcepit oleum lampadibus ad sepulcrum Martyris immitti; oblationem vero Deo per sacerdotem offerri in gratiarum actionem, et cereos accendi in templo.

exponit Vitæ auctor. 50 Quæ postquam discessissent, et omnia, quæ præscripta erant, perfecissent, templi præfecto, ac clero miraculi seriem, prout gesta erat, exposuerunt. Dum autem omnes, qui audierant, glorificassent Deum; templi præses uno cum mulieribus ad sepulcrum Martyris descenderunt: et simul cum ipsis Deo actis gratiis, et sorore patiente lampadum oleo inuncta, rediit iterum ad templum: eoque afferri rogavit accensos carbones, cœpitque comburere præstigias. Et videre erat aliud post aliud sequi miraculum. Quantum enim singulas præstigiarum consumebat ignis, tantum mulier occultis soluta vinculis ad sanum redigebatur mentis statum, gratias agens, et laudans eum, B qui se liberasset. Postquam jam omnia in cinerem redacta essent ita, ut nihil foret super, clamores e carbonibus insonabant, veluti si quis audiat vocem porcorum multorum, dum mactantur. Quæ res omnes, qui aderant, timore percussit, et fugere e templo compulit, magnam esse Martyris potentiam exclamantes. Illæ vero, quæ a S. Irene missæ fuerant, simul cum ea, quæ pristinæ reddita erat sanitati, dum ad ipsam rediissent, et mirabilia, quæ acciderant, reliquarum sororum auribus annuntiasset, ad ampliorem hasce gratiarum actionem alacriores reddebant, et postridie magnum pro sororis liberatione festum celebrabant.

δὲ ταύταις καὶ τὴν κακῶς ἔχουσαν πρὸς τὸν ναὸν ἀπέστειλεν τῆς μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας. καὶ προσφορὰν καὶ ἔλαιον ἐπιδοῦσα παρέγγειλε τὸ μὲν ἔλαιον ταῖς ἐπὶ τοῦ τάφου τῆς μάρτυρος λυχνίαις ἐπιβαλεῖν, τὴν προσφορὰν δὲ τῷ Θεῷ διὰ τοῦ ἱερέως προκομισθῆναι εἰς εὐχαριστίαν, καὶ τοὺς κηροὺς ἀνάψαι ἐν τῷ ναῷ. D

50 Πορευθεῖσαι δὲ, καὶ πάντα καταδιωρισμένα τελέσασαι, τῷ τὴν τοῦ ναοῦ πρόνοιαν ἐπιτετραμμένῳ καὶ τῷ κλήρῳ, τὰ τοῦ θαύματος καθὼς παρηκολούθηκε διηγοῦντο. Δοξασάντων δὲ πάντων τῶν ἀκουσάντων τὸν Θεὸν, λαβὼν ὁ τοῦ ναοῦ προεστὼς τὰς γυναῖκας, κάτεισαν εἰς τὸν τῆς μάρτυρος τάφον· εὐχαριστήσας τε σὺν αὐταῖς, καὶ χρίσας ἐλαίῳ τὴν πάσχουσαν ἐκ τῶν λυχνιῶν, ἀνῆλθεν αὖθις εἰς τὸν ναὸν, καὶ τούτῳ κομισθῆναι ἐκκεκαυμένους αἰτήσας ἄνθρακας, ἤρξατο κατακαίειν τὰ γοητεύματα· καὶ ἦν ἰδεῖν θαῦμα τῷ θαύματι παρεπόμενον· καθόσον γαρ ἕκαστον τῶν γοητευμάτων τὸ πῦρ ἐδαπάνα, κατὰ τοσοῦτον καὶ ἡ γυνὴ τῶν ἀφανῶν λυομένη δεσμῶν πρὸς ἔμφρονα τὴν κατάστασιν μετεβάλλετο, εὐχαριστοῦσα καὶ δοξάσουσα τὸν ῥυόμενον. Ἐπεὶ δὲ πάντα κατατεφρωθέντα ἤδη πρὸς τὸ μὴ ὂν ἐχώρουν, κραυγαὶ τῶν ἀνθράκων ἐξηχουντο, E χοιρείων ὥσπερ εἰ φωνῆς ὅτ' ἄν τις ἀκούοι πολλῶν σφαττομένων· ὅπερ τοὺς παρευρεθέντας πάντας εἰς φόβον τε μέγαν ἐνῆκε, καὶ τοῦ ναοῦ φεύγειν παρεσκεύασε, μεγάλην εἶναι τῆς μάρτυρος τὴν ἰσχὺν ἀνακράζοντας. Αἱ μέν τοι σταλεῖσαι παρὰ τῆς ὁσίας Εἰρήνης ἅμα τῇ τεθεραπευμένῃ, πρὸς αὐτὴν ἐπανελθοῦσαι, καὶ τὰ παρηκολουθηκότα ταῦτα θαυμάσια τῶν λοιπῶν ἀδελφῶν εἰς ἐπήκοον ἐπαγγέλλουσαι, πρὸς περισσοτέραν ταύτας εὐχαριστίαν προθυμοτέρας διετέθεσαν, καὶ τῆς ἐπαύριον μεγάλην ἑορτὴν τῆς ἀδελφῆς ἑώρταζον ἀπολύτρωσιν.

ANNOTATA.

a *Sanctus iste operose a nobis illustratus est ad diem* 17 *Junii, a pag.* 807.

b *S. Basilii patria fuit Cappadocia; de qua ad diem mox citatum pag.* 815.

c *De Deiparæ Blachernarum æde, nomine, situ, ædificatione ac miraculis adi Cangium CPolis, Christianæ lib.* 4, *a pag.* 83. *Videri etiam de ea potest Baronius ad annum* 717 *et* 740. *Georgii Pisidis Iambos in eamdem ædem, habes in Antiquitatibus CPolitanis apud Bandurum tom.* I, *lib.* 7. *a pag.* 177. *Encæniorum vero memoriam signant Menæa magna excusa die* 31 *hujus.*

C d *In Menæis mox allegatis dicitur, quod in Blachernis jaceat* ἁγία σορὸς; sanctus loculus, arca *seu* tumba; *in qua Beatissimæ Virginis stola seu vestis reposita fuisse fertur; cujus facta fuit mentio ad diem* 2 *hujus in Prætermissis. Historiam rei gestæ narrat Nicephorus Callistus sub Leone magno* F *imperatore, Marciani successore, tom.* 2, *lib.* 15, *cap.* 24: *cujus adjuncta discutere, non est hujus loci.*

e *Opinor, hic indicari* S. Anastasiam *seniorem, virginem et martyrem; de qua Martyrologium Romanum die* 28 *Octobris, quæ CPoli fuerit celebris; reliquis ipsius eo translatis, et basilica ejus nomine ibidem nuncupata; uti habemus ex Notationibus ad dictum Martyrologium die* 25 *Decembris, quo agitur de synonyma juniore Romæ celeberrima. De utraque erit a nobis tractandum suo loco. De templo hujus, quæ in nostra Vita occurrit, mentio fit infra num.* 54.

f *Decimus id nominis Martyres in opere nostro, nempe Nicomediensem uti et Sirmiensem die* 6 *Aprilis, pag.* 536; *Asram die* 19 *Maii, pag.* 308 *etc. Quo autem hæc, et monastico quidem vestita habitu spectet, haud comperi: neque scio ullam istius nominis adeo CPoli memorabilem fuisse, ut templum habuerit.*

CAPUT VI.

Donum lacrymarum; dæmoniacus liberatus; diuturnæ precum stationes.

Donum lacrymarum Compunctio itaque omnes inde sorores continebat, et conservabat, timorem erga Deum ac desiderium colligans. Multum vero præ his Sanctam excellentem, et copiosius illa circumfusam, cernere erat: (etenim animæ progressum ex progressu humilitatis, et cognitionem pietatis ex co-

Κατάνυξις μὲν οὖν καὶ πάσας ἐντεῦθεν συνεῖχε τὰς ἀδελφὰς, καὶ συνετήρει πρὸς τὸν Θεὸν καὶ φόβον καὶ πόθον συνδέουσα· πολὺ δὲ τούτων τὴν ὁσίαν προέχουσαν, καὶ πλείονα περικεχυμένην αὐτῇ καθορᾷν ἦν· ἐπεὶ καὶ τὴν τῆς ψυχῆς προκοπὴν ἐν τῇ προκοπῇ τῆς ταπεινώσεως καταλαβόντες ὡρίσαν-

το,

A τὸ, καὶ τὴν ἐπίγνωσιν τῆς θεοσεβείας ἐν ἐπιγνώσει ταπεινώσεως οἱ πατέρες καὶ πραότητος· ὅθεν καὶ τὸ δάκρυον ὥσπερ τινὸς ἐκ πηγῆς, τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῆς ῥεῖθρον ἔβλυσεν ἀέναον, καὶ μάλιστα κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θείας ἱερουργίας, ὁπηνίκα τὸν ἐπιφανέντα Θεὸν προσάγων ἦν ὁ ἱερεὺς τῇ ἱερᾷ τεθυμένον τραπέζῃ· ἐννουμένη γὰρ ὅπως ὁ ἀόρατος, ὁ ἀναφὴς καὶ ἀπερίληπτος ἢ ἀκατάληπτος, οὐ μόνον σάρκα θνητὴν καὶ φθαρτὴν ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας κατεδέξατο σωτηρίας ἐνδύσασθαι, ἀλλὰ καὶ σφαγιασθῆναι, καὶ νεκρὸς πρόεισιν εἰς τροφὴν ἡμῖν καὶ πόσιν τὸ ἄχραντον σῶμα καὶ τὸ τίμιον αἷμα, ὃ ἐξέχεε προτιθέμενος, ἵνα τῷ ἀλήπτῳ διὰ τῶν ληπτῶν, καὶ τῶν ψαύστων τῷ ἀναφεῖ, καὶ τῶν ὁρατῶν τῷ ἀοράτῳ τὸ ἡμέτερον ἀνακρασθῇ φύραμα, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν ἑνώσει, δίκην πυρὸς, πρὸς τὴν τῆς θεότητος μεταστοιχειωθῇ δόξαν τε καὶ λαμπρότητα, καὶ τὴν αἰώνιον ζήσῃ ζωὴν τὴν ἀκήρατον· ἐπὶ πρόσωπον πίπτουσα διάβροχον ὅλον ἐποίει τὸ παρακείμενον ἔδαφος.

gnitione humilitatis ac mansuetudinis accipiunt ac determinant patres) unde lacryma, veluti ex fonte quodam, scaturivit, perenne oculorum ejus fluentum; maxime autem tempore divini sacrificii, quando Deum, qui apparuit, sacerdos immolatum offerebat in altari *a*. Considerans enim quomodo is, qui videri, tangi, comprehendi aut circumscribi nequit, non mortalem ac corruptibilem dumtaxat pro nostra salute carnem induere non recusarit, sed etiam mactari; et quod ille, qui mortuus est, prodeat, ut proponat nobis in cibum ac potum, immaculatum corpus ac pretiosum sanguinem, quem effudit; ut illi, qui capi non potest, per ea, quæ capi possunt; per ea quæ palpari possunt, illi, qui palpari non potest; et per ea, quæ videri possunt, illi qui videri non potest, nostra massa attemperetur, et intima cum ipso conjunctione, adinstar ignis, ad divinitatis transformetur gloriam et claritatem, ac sempiternam vivat vitam atque incorruptam; in faciem concidens Irene, totum, quod substratum erat, irriguum reddebat pavimentum.

A. Anonymo. ex ms.

52 Αἰδουμένη καὶ μᾶλλον ἐπὶ τούτῳ· κακοῦργος εἴπερ ἄν τις κλέπτων ἤ τι τῶν ἀτόπων ἐργαζόμενος, τοῖς ἱματίοις
B ἑαυτῆς ἀνιμωμένη τὴν ὑγρότητα διανίστατο, ὡς δὲ τοῦτο ποιεῖν οὐκ ἦν εὐχερὲς αὐτῇ διηνεκῶς, τί μηχανᾶται; λιθοξόον λάθρα μεταπεμψαμένη, λάκκον ὀρύξαι τούτῳ μικρὸν ὑπέδειξε παρὰ τὸν ἀφωρισμένον αὐτῇ τόπον, ἐν ᾧ τοὺς θείους ὕμνους συνῆθεν ἑστῶσα ταῖς ἀδελφαῖς, καὶ συμμέτρῳ τοῦτον ὀμφαλίδι καλύψαι, καὶ τὸ μετὰ τοῦτον κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἱερουργίας ἐτίθει μὲν ἑαυτῆς τὸ πρόσωπον κατὰ γῆς ἐπὶ τοῦ λιμνίσκου, βραχίοσι δὲ τοῦτον τοῖς ἀμφοτέροις περιτειχίζουσα, δακρυρροοῦσα οὐκ ἀνίστατο μέχρις ἂν ὑπερβλύσας κατάφορον αὐτὴν ἔμελλε ποιεῖν, ᾗ τοῦ λανθάνειν οὐχ ἥκιστα ἔμελε, καὶ διέμεινεν ἕως τῆς σήμερον ἄλαλόν τι διηγούμενος

52 Hac de re non mediocri affecta pudore (non secus ac malignus aliquis, qui furatur, aut absurda quædam agit) vestimentis suis humorem extergere satagebat. Quod quia facere, assidue illi non erat commodum; quid molitur? Misit clanculum lapicidam; cui præcepit, ut lacum foderet modicum, juxta locum, determinatum sibi, in quo divinos hymnos cum sororibus cantare consueverat, et ut commensurato illum umbone tegeret. Et pone hunc tempore sacrificii divini, faciem suam admovebat terræ, versus laculum; et ambobus brachijs illum ambiens lacrymas profundere non cessabat; donec is superabundans erat manifestaturus eam, cui non minima latendi cura erat. Et sic ille permansit usque in hodiernum diem *b* tacite aliquid memorans.

novo invento occultare conatur. E

53 Ὅσην δὲ καὶ κατὰ δαιμόνων αὐτῇ τὴν ἐξουσίαν ὁ πατεῖν ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ τοῖς μαθηταῖς δωρησάμενος, παρέσχετο, τὸ παρὸν ἱκανὸν παραστήσασθαι. Λύπην γὰρ αὖθις ἑτέραν ὁ πονηρὸς ἐπενεγκεῖν πονηρευόμενος τῇ ὁσίᾳ, τὸν μισθωτὸν τῆς μονῆς ἀμπελῶνα καλλιεργοῦντα, κείμενον [κατὰ] ταύτης ἐχόμενα, νέον τε
C ὄντα καὶ δυσκάθεκτον ταῖς ὁρμαῖς· Νικόλαος δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ· πρὸς ἔρωτα τῶν ἐν τῇ μονῇ κεκίνηκεν ἀσκουμένων, καὶ δὴ νενικημένος ἤδη καὶ τῆς μυσαρᾶς ὅλος γενόμενος ἐπιθυμίας, νύκτας ὅλας κύκλῳ τῆς μονῆς περιϊὼν, ὅθεν ἂν ἔνδον αὐτῆς γένοιτο, καὶ τῇ ποθουμένῃ καθευδήσῃ, λίαν ἐπιμελεστάτην ἐποιεῖτο σπουδήν. Καὶ ἐπειδὴ τὸ παράπαν οὐκ εἴα τοῦτον ἠρεμεῖν ὁ τῆς κακίας εὑρετὴς, μιᾷ τῶν νυκτῶν σκοτόμαιναν αὐτοῦ τῶν ὀφθαλμῶν καταχέας, εἰσιέναι μὲν διὰ τοῦ πυλῶνος τῆς μονῆς ἔπεισε νομίζειν, καὶ τοῦ κελλίου τῆς ἐρωμένης ἐντὸς γενόμενον ἐπὶ τοῦ ταύτης ἀνακεκλίσθαι κλινιδίου, περιπλακῆναί τε, καὶ τὰ καταθύμια ποιεῖν.

53 Quantam vero potestatem contra dæmones ipsi præbuerit is, qui discipulis donavit gratiam calcandi super omnem vim inimici, suffecerit præsens protulisse factum. Alium quippe denuo luctum malignus spiritus inferre Sanctæ malignesatagens, eum, qui monasterii vineam, in vicino ejusdem monasterii loco sitam, mercenarius excolebat, F ætate juvenem ac libidine effrenem (Nicolao ipsi nomen erat) ad amorem illarum, quæ monasticam ibidem vitam profitebantur, accendit. Et jam victus atque impura cupiditate plenus, noctes totas circuibat monasterii ambitum; unde ingressus sibi intro ut pateret, et ut cum illa, quam deperibat, concumberet, operam dedit multo diligentissimam. Et quandoquidem malitiæ inventor omnino non sinebat ipsum quiescere, nocte quadam caliginem oculis ejus offundens, persuasit, ut fixum haberet, intrare per portam monasterii, ac postquam fuisset cellulam amasiæ introgressus, in ipsius se lectulo reclinare, circumplecti, ac libidinem explere.

Libidinosus quidam

54 Ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτα πληροῦν ᾤετο, εἰς γῆν τε κατερράγη, καὶ κυλιόμενος ἐπὶ τοῦ χοὸς, ἀφρὸν τοῦ στόματος ἀπέπτυε, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων ἔπασχεν ἅπαντα. Συνηγμένων οὖν ἐπὶ τούτῳ τῶν γειτονούντων οἷα δὴ ταῖς τούτου θορυβηθέντων κραυγαῖς, γενομένης δὲ καὶ πρωΐας, καὶ τοῦ τῆς μονῆς διανοιγέντος πυλῶνος, τὸ συμβὰν ἡ θυρωρὸς ὀφθαλμοῖς ἰδοῦσα περιπατῶς ἀπηγγέλλει τῇ ὁσίᾳ. Ἡ δὲ ἀκούσασα τὸ κακὸν, ὅθεν ἂν ἔφυ τῷ τῆς διανοίας θεοφεγγεῖ διηρεύνα βλέμματι, καὶ τὴν αἰτίαν ἐπιγνοῦσα, δακρύσασα τῆς καθέδρας ἀνέθορε, καὶ τὰς χεῖρας ὑψοῦ διάρασά φησιν· Εὐλογητὸς Κύριος, ὃς οὐκ ἔδωκεν ἡμᾶς εἰς θήραν τοῖς ὀδοῦσι τοῦ πονηροῦ· ἀποστέλλει γοῦν αὐτίκα τοῦτον εἰς τὴν τῆς μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας ναόν· ἔνθα δὴ καὶ παρὰ τῶν τοῖς τοιούτοις διακονουμέ-

54 Hæc dum exsequi meditabatur, in terram allisus fuit; et in luto volutatus, spumam exspuebat ex ore, et patiebatur omnia, quæ patiuntur illi, qui a dæmonio vexantur. Itaque dum super hac re convenissent vicini, vociferationibus utique ejus perturbati; jamque diluxisset, ac monasterii porta aperta esset; factum oculis ostiaria conspicata, e vestigio denuntiavit Sanctæ. Quæ ubi audivisset malum; unde illud contigerit, mentis a Deo illustratæ obtutu explorabat: et causa comperta, flevit, sedili exsiluit, et sublatis sursum manibus, Benedictus, inquit, Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus inimici. Dimittit itaque mox illum ad templum magnæ martyris Anastasiæ; ubi ab hisce

a dæmone obsessus, mittitur ad templum S. Anastasiæ.

A. Anonymo. ex MSS.

ce, qui hominibus istiusmodi inserviunt, vinculis ac compedibus constrictus tenebatur, ut curaret valetudinem. Et dum multi jam præteriissent dies, et valetudinem non consequeretur; ideo discruciabatur animi beata Irene, ac Martyrem importune interpellabat. Illa autem in somno apparens, eam sic affatur:

quæ apparens S. Irenæ, eum sanandum prædicit.

55 Num prorsus nos seducens dæmoniacum transmisisti nobis, soror charissima? Sed scias; non aliter ipsum curationis compotem futurum, nisi per te: neque enim ignoramus divinæ apud te potentiæ reconditum esse thesaurum. Orto sole, animo Irene fuit anxia ac tristis; ad miraculum utique coacta. Unde distulit curare, ut ille remitteretur; dum vero iterum intelligeret molestiam, quæ eum cruciabat; misit, ut ligatus compedibus reduceretur, et annecti templi columnis in monasterio jussit. Secum vero dispiciebat, quo pacto posset latere, si illum sanaret. Si namque subita, ait, sit ejus curatio, omnes eam noscent, neque
B ædes nostræ erunt sine perturbatione propter sanationem. Opus est, mediam nos inire viam, ut sic hominum propulsemus turbas, et Deus patienti præbeat liberationem. Cœpit itaque quotidianas pro ipso facere cum sororibus preces, ut exinde aliquantulum lateret, postquam illum sanasset. Dum aliquando sacra incidisset mysteriorum celebratio, interea quando sancta Eucharistia *c* ad sacram mensam transmittebatur; derepente ille exsiliens, diffracta, quæ collum ac manus ejus vinciebat, catena, irruit rugiens in sacerdotem; quem ne, hiante rictu, devorasset dentibus, in timorem atque angustias ipsum conjecit extremas.

Furias ejusdem dæmoniaci Irene compescit, et fateri dæmonem cogit,

56 Nec mora, vicissim irruit Sancta; increpuit, severe est comminata; et numquam prodire jussum, immobilem stitit et trementem. Remisso autem paululum tremore (o incomprehensibilem, Christe, virtutem tuam!) vim sibi is inferebat non mediocrem, ut migraret loco; at non poterat; vinculis, quæ sub sensum non cadunt, sed quæ vinculis sub sensum cadentibus multo fortiora sunt, imperio utique Sanctæ detentus. Peracto autem sacrificio, sola in templo remansit, projecit sese humi, Deumque cum lacrymis diu precata, ab
C oratione surrexit, ac instituit examen impuri spiritus; et In nomine, inquit, Domini nostri Jesu Christi, dico tibi, maligno et impuro spiritui; dic mihi causam, propter quam ausus es ingredi in figmentum Dei; et an quis te miserit. Ac primo quidem faciebat vim, ut discederet, ac Sanctam convitiis affecit; quod defenderet eum, qui vincula sibi conciliasset; quod noctu comederet, quod ligneis esset pedibus, quod modum non haberet stationis; quod ferreo esset corde ac lapides domaret. Hæc et istiusmodi dicebat nugamenta.

cur istum hominem obsederit;

57 Quia vero vinculis, qui eum stringebant, non solvebatur, omnia fatebatur vel invitus: et, si me, inquit, in tuo se interponens circuitu non flagellaret angelus, non equidem se dignatus fuissem responso. Dico autem tibi, quod multum jam tempus transegerit, privans se sacro conventu et communione. Ubi vero ardente erga unam ex tuis discipulam flagravit amore; renuntiata hæc sunt principi: et missus sum, ut voti ipsum facerem compotem. Postquam autem comperi te, et impedimento mihi esse intellexi, ipsum, quolibet frustra me impediente, ingressus sum et inhabitavi. Tu vero cujus rei gratia me crucias, expellens me ex mea domo? Quisnam igitur, interrogabat Sancta, ille est princeps, quem dixisti? Mox ille respondit: Illudis mihi, uti videtur, interrogans me, quæ non ignorans. Quis non audivit, aut quis non novit, qualis ille sit; vel magnas, quibus præstat, dotes ejus quis igno-

νων, ἀλύσεσι καὶ πέδαις καταδεσμευθεὶς συνείχετο καρ- D
τερεῖν τὴν ἴασιν· ὡς δὲ πολλαὶ μὲν ἡμέραι διῆλθον, καὶ τῆς ἰάσεως οὐκ ἐτύγχανε, ἠθύμει ἐπὶ τοῦτο ἡ μακαρία Εἰρήνη, καὶ τῇ μάρτυρί πως ἦν ἐνοχλοῦσα. Ἐκείνη δὲ, πρὸς αὐτὴν ὄναρ ἐπιφανεῖσά, φησι.

55 Παράγουσα πάντως ἡμᾶς ἆρα τὸν δαιμονῶντα παρέπεμψας ἡμῖν ἀδελφὴ φιλτάτη; ἀλλ' ἴσθι, τῆς θεραπείας οὐκ ἄλλως, εἰ μὴ διά σου τεύξεται· οὐδὲ γὰρ ἀγνοῦμεν τὴν παρά σοι τοῦ Θεοῦ τεθησαυρισμένην ἰσχύν. Καταλαβούσης δὲ τῆς ἡμέρας ἀδημονοῦσα καὶ περίλυπος διῆγε, τὴν θαυματουργίαν ἀναβιωμένη· ὅθεν καὶ μεταστείλασθαι τοῦτον ἀποκναίουσα ἦν. Μανθάνουσα δὲ πάλιν τὴν πιέζουσαν αὐτὸν ἀνάγκην, πέμψασα δεδεμένον ἤγαγε ταῖς ἀλύσεσι, καὶ προσέταξεν ἀποδεθῆναι τῶν τοῦ ναοῦ κιώνων ἑνὶ τῆς μονῆς. Διεσκοπεῖτο δὲ ἐν ἑαυτῇ πῶς ἂν διαλάθοι τοῦτον ἰασαμένη· εἰ γὰρ ταχινὴ τούτου γένηται, φησι, θεραπεία, γνώσονται πάντες, καὶ οὐκέτι τὰ καθ' ἡμᾶς ἀνενόχλητα ἔσεται διὰ τὴν ἴασιν· δέον ἡμᾶς μέσως μετελθεῖν, ἵν' οὕτω τάς τε τῶν ἀνθρώπων ὀχλήσεις ἀποκρουσώμεθα, καὶ τῷ πάσχοντι Θεὸς παράσχοι τὴν λύτρωσιν. E
Ἤρξατο γοῦν καθημερινὰς ὑπὲρ αὐτοῦ ποιεῖσθαι μετὰ τῶν ἀδελφῶν δεήσεις, ἵν' ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον λάθοι τοῦτον ἰασαμένη· καὶ δήποτε τῆς ἱερᾶς ἐπιπταμένης μυσταγωγίας, ἐν τῷ τὰ ἅγια πρὸς τὴν ἱερὰν διαβιβάζεσθαι τράπεζαν, ἄφνω σκιρτήσας ἐκεῖνος, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ τραχήλου καὶ τῶν χειρῶν κατέχουσαν αὐτὸν διαῤῥήξας ἅλυσιν, ὥρμησε βρύχων κατὰ τοῦ ἱερέως, καὶ τοῦτον χανῶς διαμασήσασθαι τοῖς ὀδοῦσιν, εἰς φόβον καὶ ἀγωνίαν ἐνέβαλε.

56 Ἀνθορμήσασα δὲ τὸ τάχος ἡ ὁσία, ἐπετίμησέ τε τούτῳ ἐμβριμωμένη, καὶ μηκέτι προβῆναι κελεύσασα, ἀκίνητον ἔστησε καὶ ὑπότρομον· μικρὸν δὲ τοῦ τρόμου ἀνεθεὶς, ὢ τῆς ἀκαταλήπτου σου, Χριστὲ, δυνάμεως, βιάζων ἦν ἑαυτὸν σφόδρα μεταστῆναι, καὶ οὐκ ἠδύνατο, σύραις ἀφανέσι, καὶ πολλῷ τῶν αἰσθητῶν ἀλύσεων ἰσχυροτέραις, τῷ προστάγματι τῆς ὁσίας κεκρατημένος· τελειωθείσης δὲ τῆς λειτουργίας, μόνη τῷ ναῷ ἐναπομείνασα, ἔῤῥιψεν ἑαυτὴν εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ μετὰ δακρύων ἐπὶ πολὺ τοῦ Θεοῦ δεηθεῖσα, ἀνέστη μὲν τῆς προσευχῆς, ἔστη δὲ πρὸς ἐξέτασιν τοῦ μυσαροῦ πνεύματος, καὶ φησιν· Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ι. Χ. σοι λέγω τῷ πονηρῷ καὶ F
ἀκαθάρτῳ πνεύματι, εἰπέ μοι τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἐτόλμησας εἰσελθεῖν εἰς τὸ τοῦ Θεοῦ πλάσμα, καὶ εἴ τις σε ἀπέσταλκε· καὶ τὰ μὲν πρῶτα τὴν μετάστασιν ἐβιάζετο καὶ τὴν ὁσίαν ὕβρισεν, ὡς τῶν δεσμῶν ἠμύνετο πρόξενον, νυκτοφάγον καὶ ξυλόποδα, καὶ κόρον οὐκ ἔχουσαν στάσεως, σιδηροκάρδιον, καὶ λίθους δαμάζουσαν, καὶ τοιαῦτα λέγων ληρωδήματα.

57 Ὡς δὲ τῶν κατεχόντων οὐκ ἀνεῖτο δεσμῶν, ὡμολόγει καὶ ἄκων ἅπαντα· καὶ εἰ μή μέ, φησιν, κύκλῳ σου παρεμβαλὼν ἐμάστιζεν ἄγγελος, οὐδὲ ἀποκρίσεώς σε ἠξίωσα ἄν· λέγω σοι δὲ καὶ ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἀποστερήσας ἑαυτὸν διετέλεσε καὶ τῆς συνάξεως καὶ τῆς κοινωνίας. Ὡς δὲ καὶ μιᾶς ἠράσθη διακαῶς τῶν σου μαθητριῶν, ἀνηγγέλη ταῦτα τῷ ἄρχοντι, καὶ ἀπεστάλην πληρῶσαι τούτῳ τὴν ἔφεσιν· ἐπεὶ δὲ σε ηὕρισκον, ἐμποδὼν μοι γενομένην κατανοήσας, αὐτὸν, παντός με κενὸν τοῦ κωλύοντος, εἰσῆλθον καὶ ἐνῴκησα. Σὺ δὲ τίνος ἕνεκεν ἀδεκεῖς με, διώκουσα ἐκ τοῦ οἴκου μου; Τίς οὖν ἐστιν ἐκεῖνος, ὃν ἔφης, ἄρχων, ἤρετο ἡ ὁσία. Τάχα, ὡς ἔοικεν, ἐμπαίζεις μοι, ἀπεκρίνατο, ἃ μὴ ἀγνοοῦσα ἐρωτῶσά με. Τίς οὐκ ἤκουσεν ἢ τίς οὐκ οἶδεν, οἷος ἐκεῖνος, καὶ τῆς μεγάλας ἀριστείας αὐτοῦ τίς ἀγνοεῖ; Ὁ τὸν Ἀδὰμ τῇ σοφιστικῇ ἐπινοίᾳ καὶ μεγαλοφροσύνῃ τοῦ παραδείσου ἐκβαλὼν,

καὶ

A καὶ φθαρτόν αὐτίκα τὸν πρῶτον καὶ θνητὸν ἀναδείξας. Τί οὖν οὐ μέγα σοι τοῦτο δοκεῖ;

rat? Ille est, qui arguta solertia et magnitudine animi Adamum e paradiso ejecit, et mox comprobavit, primum esse, qui corruptioni ac mortalitati foret obnoxius. Ecquid igitur non magnum tibi hoc videtur?

A Anonymo ex MSS.

58 Καὶ μετὰ τοῦτο τὰς ἀλληφονίας, τὰς εἰδωλολατρείας, τὸ γλυκὺ δέλεαρ τῆς ἡδονῆς, τὴν παρατροπὴν τῆς συνουσίας τίς ὁ κατεσκευακὼς πλὴν ἐκείνου, ἀλλὰ τοὺς φόνους τῶν προφητῶν, καὶ τῶν ἄλλων πάντων περὶ πολλοῦ ποιουμένων τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ, καὶ τὰς αἱρέσεις, καὶ τὰ σχίσματα τίς ἤρτησε, τίς τετέλεκεν; Αὐτὸν δὲ τὸ νῦν τις ἀνεσκολόπισεν, ἀλλ' ἔλαθεν ἡμᾶς, καὶ παρεσφάλημεν σφάλμα μεῖζον πάντων σφαλμάτων· εἰ μὴ γὰρ ἐκεῖνος ἀνηρέθη, οὐκ ἄν με σὸ τοιαῦτα νυνὶ δεσμά με περιβαλοῦσα διέπαιζες, ὡς ἀνδράποδον ἐνάζουσα· τοῦ τηλικουτου γὰρ καὶ τοσούτου τῇ ἰσχύι δεθέντος, περιφρονούμεθα καὶ διαγελώμεθα παρ' ὑμῶν· ὃς εἴγε ἦν ἀπολελυμένος, τίς ἡμῶν δύναιτο τῇ δυνάμει ἀντιστῆναι; Τί δέ ἐστί, φησιν ἡ Ἁγία, τὸ ταῦτα ὑμῖν ἐμποιοῦν τὴν ἀδυναμίαν; Ἡ τοῦ Θέοῦ δύναμις, εἶπε· μόνοις γὰρ ὑμῖν κατηλλάγη Θεός· ἡμεῖς δὲ τούτῳ ἐχθροι· ὁ γὰρ Ἰησοῦς, κἂν ἄνθρωπός ἐστιν, ἀλλ' αὐτός
B ἐστι πάντα ποιήσας Θεός· ἀφ' οὗ δὲ τοῦτον ἀναιρεθῆναι πεπείκαμεν τοὺς ἀνελόντας Ἰουδαίους, τοῖς ἐκ τοῦ αἵματος αὐτοῦ χρισομένοις οὐ τολμῶμεν προσεγγίσαι· τίς γὰρ ἀντιστῆναι τῷ δημιουργῷ αὐτοῦ δύναται;

58 Ad hæc, mutuas cædes, idololatrias, dulces voluptatis illecebras, transgressiones concubitus quisnam effecit præter illum? Quin etiam prophetarum, et aliorum omnium, qui permagni faciebant nomen Dei, cædes, hæreses et schismata quis instruxit, quis ad finem perduxit? Nunc autem aliquis ipsum palo affixit; et nos fefellit; lapsique sumus lapsu omnium lapsuum maximo. Nam si ille non foret sublatus, non tu me, hujusmodi nunc mihi injectis vinculis, ludificares, tamquam mancipium me interrogans: nam tali ac tanto per vim ligato, contemnimur ac deridemur a vobis; qui si esset solutus, quisnam nostræ potestati resistere posset? Et quid est, inquit Sancta, quod tanta vos afficit impotentia? Cui ille: Dei potentia: solis etenim vobis placatus est Deus; nos autem illi hostes sumus: nam Jesus, quantumvis homo sit, Deus tamen est, qui omnia fecit; ex quo autem E
hunc ut occiderent, persuasimus Judæis, qui illum occiderunt; iis, qui sanguine ejus uncti sunt, appropinquare non audemus: nam quisnam conditori suo resistere potest?

aperte is etiam fatetur, vires suas esse restrictas,

59 Ἀρετοὶ κὲ καθῆσθαι οὐ δυνάμεθα, οὐδὲν γὰρ ἀργόν, ὧν ὁ Θεὸς ἐποίησε· καλὸν δὲ ποιῆσαι οὐκ ἔχοντες, ἅτε δὴ τῆς τοῦ ἀγαθοῦ παντελῶς ἔρημοι μετουσίας, πονούμεθα, ἀσχολούμεθα καὶ σπουδάζομεν περὶ ταῦτα τά τρία· ἢ τοὺς καταλλαγέντας ἀφιστᾷν τοῦ Θεοῦ, ἢ τοὺς ἀφισταμένους σκεύη ποιεῖσθαι πάλιν ἡμέτερα, ἢ τοὺς πάντας κενοὺς ἀπὸ τῆς κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ εἰς οἴκους ἑαυτῶν, ὡς ὁρᾷς, ἰδιοποιεῖσθαι. Καὶ ποῖον ὑμῖν ἐκ τούτου κέρδος, ἤρετο πάλιν ἡ ὁσία, ἢ ὁτίς ὠφέλεια; Καὶ μικρόν σοι τοῦτο φαίνεται, τὸ πολλούς, φησιν, ἔχειν κοινώνοὺς νὺν μὲν τῆς ἐκπτώσεως, μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τῶν μελλουσῶν κολάσεων;

59 Placidi autem conquiescere non possumus: nihil quippe eorum, quæ Deus fecit, otiosum. Quia vero bonum facere, non est in nobis situm, boni utpote participatione omnino destitutis, laborem, operam ac studium ponimus in his tribus; vel ut eos, qui Deo conjuncti sunt, separemus a Deo; vel ut eos, qui jam separati sunt, vasa denuo efficiamus nostra; vel ut omnes, qui boni communicatione vacui sunt, domos, uti vides, nobis proprias faciamus. Et quale vobis ex eo lucrum, aiebat iterum Sancta, quæve utilitas? Tum ille, Parvumne id, inquit, videtur tibi, habere multos nunc quidem participes calamitatis, postea autem futurorum quoque cruciatuum?

et alii quædam effutit:

60 Ἐφ' ᾧπερ αλγήσασα τὴν ψυχὴν καὶ περίδακρυς γινομένη, ἐπετίμησέ τε σφοδρότερον ἡ ὁσία, καί ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πόρρω γενέσθαι τῶν ὁρίων αὐτῆς προσέταξε· σπαράξαν δὲ καὶ καταράξαν τοῦτον εἰς γῆν,
C ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ· δοῦσα δὲ χεῖρα κειμένῳ ἀνέστησε τε αὐτὸν, καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον τῷ μετώπῳ ποιήσασα τούτου, ἐκάθισε, καὶ νουθεσίαις αὐτὸν ἐπεστήριζε, καὶ παρήγγειλε τῆς ἀπλήστου βρώσεως καὶ τῆς κατὰ κόρον οἰνοποσίας ἀπέχεσθαι, τῆς ἐκκλησίας προσεδρεύειν, διηνεκῶς προσεύχεσθαι, καὶ οὕτως ἐκκλίνειν τὰς ἐνέδρας τοῦ διαβόλου· καὶ τοῖς ἐρωτῶσί σέ, φησι, τίς ὁ ἰασάμενος; ὁ Θεὸς, ἀποκρίνεςθαι ταῖς πρεσβείαις τῶν ἀρχιστρατηγῶν Μιχαὴλ καὶ Γαβριήλ. Καὶ οὕτως ἀπέλυσεν αὐτὸν εὐχαριστοῦντα καὶ δοξάζοντα τὸν Θεόν. Ὥσπερ δὲ τὴν εὐχαριστὶαν ἀδιαλεὶπτως ὑπὲρ πάντων προσῆγε τῷ Θεῷ, οὕτω δὴ καὶ ὑπὲρ τούτου τούτην ἐπλήρου.

60 Qua de re animo dolens, ac lacrymis indulgens, vehementius eum Sancta increpuit; exireque ab homine, et procul exesse e finibus suis præcepit. Postquam vero illum discerpsisset atque in terram allisisset, exivit ab eo. Illa autem porrexit jacenti F
manum, ipsum erexit, et formato in ejus fronte crucis signo, consedit, monitionibus confirmavit, præcepitque, ab immodico cibo, ac liberaliore, quam satis est, vini potatione ut abstineret, ecclesiæ assideret frequens, oraret assidue, atque ita diaboli insidias declinaret; et rogantibus, ait, Quis te sanavit? ut responderet; Deus per intercessiones militiæ cælestis principum Michaelis ac Gabrielis. Et sic dimisit ipsum gratias agentem, et laudes referentem Deo. Quemadmodum autem gratias pro omnibus indesinenter reddebat Deo, sic etiam hac super re ipsas implebat.

ac tandem a Sancta expellitur:

61 Τῆς συνήθους στάσεως ἐχομένη, καὶ πρὸς ταύτην ἀεὶ σχετικῶς διακειμένη· νίπτουσα γὰρ τάς χεῖρας καὶ τὸ πρόσωπον, ἐκμάττουσα δὲ καταρωτάτῳ ἐκμαγείῳ, ἐπεὶ καὶ λεκάνην ὕδατος τῷ ἑαυτῆς διὰ τοῦτο κειμένην εἶχε κοιτῶνι, οὕτω τοὺς βραχίονας εἰς οὐρανὸν ἐκτείνουσα τῆς προσευχῆς ἀπήρχετο, καὶ παρέτεινε τὴν στάσιν ποτὲ μὲν πανήμέριον, ποτὲ δὲ παννύχιον, ἢ καὶ νυχθημερεύουσαν πολλάκις δε δισημερεύουσαν, καὶ τὴν τρίτην πληροῦσαν. Ἔστι δὲ ὅτέ καὶ δι' ὅλης της ἐβδομάδος ἵστατο μή τινι τῶν ὑποστηριζόντων ἐρειδομένη. Διὸ καὶ τὰς χεῖρας ἡνίκα κατενεγκεῖν ἔδει, οὐκ εἶχε τοὺς βραχίονας ὑφ' ἑαυτῆς συστεῖλαι, τῶν ἀξώνων καὶ τῶν ὤμων τῇ βίᾳ τῆς ἀναστάσεως πρὸς τὴν φυσικὴν ἀνθισταμένων κλίσιν. Προσφω-

61 Consuetæ inhærebat stationi, atque in hanc sedulo semper incumbebat: nam dum lavaret manus ac faciem, et mundissimo mantili abstergeret (quippe pelvim aquæ hanc ob causam in suo cubili in promptu habebat) sic brachia in cælum extendens orationem auspicabatur; et stationem nunc quidem per totum diem, nunc per totam noctem, quin etiam per noctem ad diem continuabat; sæpius vero biduum vel triduum explebat. Contigit item, ut per totam hebdomadem staret, a nemine, eam sustentante, suffulta. Ideo quando manus demittere, oportebat, non poterat per se brachia contrahere, vertebris *d* atque humeris præ erectionis violentia primæ naturali inclinationi resistentibus. Advocans

cujus diuturnæ precum stationes exponuntur.

d

A. Anonymo, ex mss.

vocans autem quasdam et sororibus magis familiares, auxilium consequebatur. Et erat audire, quod articuli terrificum quemdam ederent strepitum.

ρoῦσα δὲ τῶν ἀδελφῶν ταῖς ἰδιοτέραις βοηθείας ἐτύγχανε D
καὶ ἦν ἀκούειν τοὺς ἁρμούς φοβερόν τινὰ κρότον ἐκφέροντος.

ANNOTATA.

a ἁγία τράπεζα *est altare, seu mensa sacra, quæ in bemate consistit, et in qua sacrificium conficitur. Vide Cangium.*

b *Auctor itaque satis diu post Sanctam vixisse, hinc colligitur. Vide Commentarium prævium.*

c Τὰ ἅγια, S. Eucharistia, *id est* ἅγια δῶρα; *consule Cangium ad vocem* δωρον; *et quæ hac die dicuntur de S. Eustathio martyre.*

d *Non potui assequi, quid sibi vellet* ἀμώνων; *pro quo, quia sine dubio mendose huc irrepsit, substitui* ἀξόνων, *suadente id orationis sensu: de qua voce consuli potest Pollux lib. 2, cap. 4, pag.* 218 *editionis novissimæ anni* 1706; *et definitiones medicæ Gorræi in voce* ἄξων.

CAPUT VII.

Preces miraculis honoratæ; poma cœlitus missa; visio angelica.

B

Jejunia, vigiliæ ac preces nocturnæ

Per totum vero, quod est ante pascha, quadraginta dierum jejunium, nec panem, nec aliud quidpiam obsonii adhibebat in cibum, præter solum cannabis semen melli mixtum, ac modicos fructus; atque hos quidem semel in hebdomade; quibus per plures accedebat dies modicissima aqua. Atque hinc factum est, ut sola pellis ossibus adhærens, castissimum ipsius corpus esse videretur. Dies autem festos Domini sine somno traducebat, cantans seorsim. Sæpius item ad templi vestibulum sub medias egressa noctes, oculos ac manus ad Deum tollens, preces faciebat; circulum astrorum, ac cæli pulchritudinem et magnitudinem contemplans, et [circum] se vertens, ac gaudens, et magnificans eum, qui illud extendit. Aliquando contigit, secundum divinam in omnibus dispensationem, ne miraculum maneret occultum, ut, dum una e sororibus e sua cella prospiceret, ipsam manus quidem sursum ad cælum extensas habentem, sed a terra suspensam quasi cubitis duobus, et in aere orantem videret; vidit item quod, dum strato corpore Deum adoraret, duæ cupressi, quæ ab oppositis vestibuli partibus stabant, ac magnæ adeo erant, ut
C ad non modicam aeris partem ascenderent, leniter aliquando conturerentur, submitterentque se, atque una cum ipsa submitterent ad terram usque capita sua, exspectantes donec assurgeret;

E

Παρ' ὅλην δὲ τὴν πρὸ τοῦ πάσχα τεσσαρακοσθήμερον νηστείαν οὔτ' ἄρτου, οὐθ' ἑτέρου τινὸς ὄψου μετελάμβανε πρὸς βρῶσιν, πλὴν μόνου μέλιτι μεμιγμένου σπέρματος κανάβεως, καὶ ὀλίγων ὀπωρῶν, καὶ τούτων ἅπαξ τῆς ἑβδομάδος· ἔνεστι δὲ καὶ πλειόνων ἡμερῶν καὶ ὕδατος βραχυτάτου· ἐξ ὧν δέρμα μόνον τοῖς ὀστέοις προσπεφυκὸς τὸ πανάγνιον ἐκείνης καθωρᾶτο σῶμα. Κἂν ταῖς ἑορταῖς δὲ ταῖς δεσποτικαῖς ἄϋπνος διετέλει καταμόνας ψάλλουσα· πολλάκις δὲ καὶ πρὸς τὸ τοῦ ναοῦ προαύλιον περὶ μέσας ἐξιοῦσα νύκτας, ὄμματα καὶ χεῖρας πρὸς Θεὸν αἴρουσα, τὰς προσευχὰς ἐποιεῖτο, τὸν κύκλον τῶν ἀστέρων, καὶ τὸ τοῦ οὐρανοῦ κάλλος ὁρῶσα καὶ μέγεθος, καὶ τροπουμένη, καὶ τὸν ἐκτείνοντα μεγαλύνουσα. Καί ποτε κατὰ θείαν πάντων οἰκονομίαν, ἵνα μὴ τὸ θαῦμα κρυπτόμενον μείνῃ, προκύψασαν τῶν ἀδελφῶν μίαν οὕτω συμβὰν τῆς ἰδίας κέλλης ἰδεῖν αὐτὴν τὰς χεῖρας μὲν ἄνω πρὸς οὐρανὸν ἐκτεταμένας ἔχουσαν, κρεμαμένην δὲ τῆς γῆς ὡσεὶ πήχεις δύο, καὶ προσευχομένην ἀέριον· εἶτα κύψασαν τῷ Θεῷ τὴν προσκύνησιν ἀπονέμουσαν, τὰς ἐπὶ θάτερα μέρη τοῦ προαυλίου δύο κυπαρίσσους ἑστακυίας, εὐμεγέθεις καὶ τοῦ ἀέρος οὐκ ὀλίγον ἀναβεβηκυίας μέρος, ἠρέμα πως συσσειομένας, ὑποκυπτούσας τε καὶ σὺν αὐτῇ τὰς κεαλὰς μέχρι γῆς τιθείσας, καὶ τὴν ταύτης ἔγερσιν προσδεχομένας. F

insigni miraculo honoratæ;

63 Quod, dum assurrexisset Sancta, non prius arbores attollerent capita sua, quam ipsa adveniens utriusque hujus arboris cacumen cruce signasset, et sic accepta videlicet benedictione, in suum rursus statum redigerentur; quod interea soror illa, cui hoc spectaculum obtigerat, timore et anxietate correpta, cogitationibus turbari cœperit, ne phantasma essent illa, quæ viderat: nam trium aut plurium horarum elapso, postquam hæc contigerant, intervallo, id suspicabatur: at simul rei certior fieri volens, Sanctæ cellulam inspectura cucurrit; Sanctamque non inveniens, rediit, ac comperit, quod jamjam illam ingressa esset e vestibulo. Ac tunc quidem arcanum revelare metuebat. Quandoquidem vero non multo post istarum cupressorum cacuminibus sublime appensa spectabantur texturarum sericarum manualia *a*, mirabilem certe intuentibus præbentia voluptatem, quæ castissimis prorsus manibus ipsa suis contexuerat, utpote quæ sæpius istarum arborum capita inclinata habuerat; altera alteram interrogabant sorores: Quisnam, aiebant, ista contexuit, atque altitudinem ascensu difficilem ascendere potuit?

63 Ἀλλὰ καὶ τῆς ὁσίας ἐγηγερμένης, μὴ πρότερον ἀνατεῖναι τὰς ἑαυτῶν τὰ δένδρα κεφαλάς, ἕως ἐλθοῦσαν ἐφ' ἑκατέρων τούτων κορυφὴν τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον ἐπιβαλεῖν, καὶ οὕτω οἱονεὶ εὐλογισθέντα πρὸς τὴν ἰδίαν αὖθις καταστῆναι στάσιν. Ἐφ' ᾧ τὴν τῆς θεᾶς ἐπιτυχοῦσαν, διαλογισμοῖς τεταράχθαι, μὴ καὶ καὶ φάντασμα ᾖ τὰ βλεπόμενα. Τριῶν γὰρ ἢ καὶ πλειῶν διελθεῖν ὡρῶν διάστημα τούτων ὑπενόει γινομένων· ὅμως πιστωθῆναι θέλουσα, τὸ τῆς ὁσίας κατασκοπῆσαι κελλίον ἔδραμεν, καὶ μὴ εὑροῦσα ταύτην, ὑπέστρεψε, καταλαβοῦσα τὴν εἴσοδον ἄρτι ποιουμένην ἐκ τοῦ προαυλίου. Ἀλλὰ τότε μὲν ἔδειδε τὸ μυστήριον ἀποκαλύψαι. Ἐπειδὴ δὲ μετ' οὐ πολὺ ταῖς κορυφαῖς τουτωνὶ τῶν κυπαρισσῶν ἀπῃωρημένα σηρικῶν ἐξυφασμάτων ἐγχιρίδια ὁρῶντο, θαυμασίαν οἵαν τὴν θέρψιν τοῖς ὁρῶσι παρέχοντα, ἅπερ ἐκείνη πάντως ταῖς πανάγνοις χερσὶν αὐτῆς προσέδησεν, ὡς πολλάκις καὶ ὡσαύτας ὑποκεκλιμένας ἔχουσα τὰς τούτων κεφαλάς, ἑτέρα τε τὴν ἑτέραν διηρώτων αἱ ἀδελφαί· Τίς ὁ ταῦτα, λέγουσαι, προσδήσας, καὶ τὸ δυσανάβατον ὕψος ἀναβεβηκέναι δυνηθείς;

64 Εἰ-

A 64 Εἶτα δὲ καὶ τὴν ὁσίαν αὐτὴν, ὡς ἂν ἀγνοοῦσαι, μετὰ θαύματος ταῦτα δακτύλοις δεικνῦσαι ἐπηρώτων. Ἡ μὲν τοιαύτην ἐδίδου τὴν ἀπόκρισιν· Ἱερά τίς, φησι, τὰ δένδρα ταῦτα, τέκνα μου, νομίσας, εἰς Θεοῦ τιμὴν ἀνήρτησε τὰ ὑφάσματα. Ἡ δὲ τοῦ θαύματος αὐτόπτις γενομένη, προφάσεως ἐντεῦθεν λαβομένη, πάντα κατὰ μέρος, ὅσα τεθέαται, ταῖς ἀδελφαῖς διηγήσατο. Ἀκούσασαι δὲ ταῦτα, φόβου καὶ χαρᾶς πλησθεῖσαι τὰς ψυχὰς, δάκρυά τε τῶν ὀμμάτων ἀπέσταζον, καὶ αὐτῇ διεμέμφοντο, ὅτου χάριν μὴ καὶ ταύτας διύπνισε, καὶ κοινωνοὺς τῶν φοβερῶν ἐκάλεσε γενέσθαι θεαμάτων, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τριῶν ὡρῶν παρεληλυθέναι διεβεβαιοῦτο καιρόν. Ἐν τοσούτῳ δὲ διαδοθὲν ἤδη τὸ μυστήριον ταῖς ἀκοαῖς τῶν ἀδελφῶν γνοῦσα, τὴν κατατυχοῦσαν, ἡ ὁσία τοῖς τοούτοις θαυμασίοις ἰδίᾳ καλέσασα, δριμύτερόν τε πρὸς αὐτὴν ἐνιδοῦσά φησιν· Ἄραγε καὶ σφάλλουσαν εἴπερ κατεῖδες ὡς ἄνθρωπον, οὕτως ἂν ταχέως τὸ ἡμέτερον ἐθριάμβευσας τραῦμα; Ἡ δὲ ὅπως οὐ διέλαθεν ἐκπλαγεῖσα τοῖς ποσὶν εὐθέως προσπεσοῦσα τῆς ὁσίας ἔμφοβος καὶ ἔντρομος ᾔτει τὴν συγ-
B χώρησιν· παραυτίκα δὲ καὶ τυχοῦσα, παραγγελίαν ἐδέξατο μὴ ἂν ἄλλο τί ποτε τοιοῦτον ἐκκαλύψαι πρός τινα τὸ παράπαν. Ὡσαύτως καὶ τὰς ἄλλας συναγαγοῦσα, πάσαις ἐνετείλατο μηδὲν περὶ αὐτῆς μέγα λέγειν μηδαμῶς, ἕως ἄν με, φησι, κύριος τοῦ παρόντος μεταστήσῃ βίου. Πολλὰ γὰρ καὶ ἄλλα δι' αὐτῆς Θεὸς ἐπετέλει θαυμάσια, καὶ πάντα σιωπῇ καλύπτεσθαι τόγε νῦν ἐβούλετο.

65 Ποτὲ γαρ τὴν τοῦ μεγάλου Βασιλείου μνήμην ἑορτάσασαν, μετα τὴν θείαν λειτουργίαν ὑπέμνησεν ὁ ἱερεὺς, ὡς εἴη τῆς γῆς ποθεν μῦς ἀνιὼν, καὶ τὴν τοῦ θυσιαστηρίου τράπεζαν περιερχόμενος, καὶ δεῖ τῷ μυσαρῷ κόλυμα γενέσθαι τοῦ μηκέτι μολύνειν τὸν τόπον τὸν ἅγιον. Γενομένη δὲ περίλυπος, ἐφ' ὅσον μὲν ὅτε ἱερεὺς αἵ τε πᾶσαι ἀδελφαι, ὁ μὲν ἰδίᾳ, αἱ δὲ κοινῇ τῆς ἑορτῆς χάριν αὐτάρκη τὴν ἑστίασιν ἐποιοῦντο, τοῦ κοιτῶνος αὐτῆς ἔνδον ἐκείνη καὶ περὶ τούτου τῷ Θεῷ ἐντυγχάνουσα ἦν· ἐν ᾧ δὲ τὴν εὐχαριστίαν ἐσθιαθέντες ἤδη τῷ Θεῷ πλοσέφερον ἅμα, τὴν τῆς
C ἐκκλησίας ἐπιμελομένην καλέσασα, λέγει πρὸς αὐτήν· Ἄπελθε, καὶ τὸν πρὸ τῆς εἰσόδου τοῦ θυσιαστηρίου νενεκρωμένον κείμενον μῦν ἀραμένη ἔξω που ῥίψον ἐπὶ τῆς κοπρίας. Ἐν τοσούτῳ δὲ συνεισήει καὶ ὁ ἱερεὺς προσευξόμενος, καὶ νεκρὸν ἐκεῖνον αὐτὸν ὄντα τὸν μῦν θεασάμενος, ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῷ τῆς ἁγίας προστάγματι, ἐξῄει βοῶν· Ὡς θαυμαστὸς ὁ Θεὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ.

66 Κατὰ γοῦν ἐκείνην τὴν νύκτα περί που τετάρτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς φωνή τις ἀοράτως ἐγένετο, τῇ ὁσίᾳ λέγουσα· Τὸν τὰς ὀπώρας σοι κομίζοντα σήμερον ναύκληρον ὑπόδεξαι χαίρουσα, καὶ φάγεσαι, καὶ ἀγαλλιάσεται ἡ ψυχή σου. Μετὰ γοῦν τὴν ὀρθρίνην δοξολογίαν δυσὶ τῶν ἀδελφῶν προσκαρτερεῖν τῷ τῆς μονῆς προσέταξε πυλῶνι, καὶ τῷ πρώτως καταλαβόντι, ὅστις ἂν καὶ εἴη, τῆς εἰσόδου παραχωρῆσαι προθύμως. Ἀλλὰ καὶ αὐτή, φησι, μικρὸν ὅσον ἔξειμι πρὸς ὑμᾶς. Καὶ ἰδοὺ ἀπιούσης, εἴσεισι καὶ ὁ προσδεδοκημένος, καὶ συνήντησαν ἀλλήλοις. Ταύτην δὲ εἶναι τὴν προεστῶσαν μαθὼν, βαλεῖν ὥρμησε μετάνοιαν· καὶ προέλαβε τοῦτον ἐκείνη· καὶ ἀναστάντες πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἐβάδιζον. Εἰσελθόντες δέ καὶ προσευξάμενοι ἐκαθέσθησαν· καὶ πρὸς αὐτὸν ἡ ὁσία· Πόθεν σοῦ, φησι, πρὸς τὴν ἡμετέραν ἡ ἀγάπη ταπείνωσιν ἥκει; Καὶ ὃς ἀπεκρίνατο· Θαλασσοπόρος εἰμὶ, κυρία μου, τῆς νήσου Πάθμου καλουμένης οἰκήτωρ· ὡς δὲ τὴν ἐνταῦθα διὰ τοῦ πλοὸς εἰσέλευσιν ἐποιοῦμεν, γενόμενοί τε περὶ τὸ τῆς καθ' ἡμᾶς νήσου ἀοίκητον μέρος, εἶδον ὡραιότατον γέροντα καὶ θεοειδῆ, ἀναμένειν ἡμᾶς καὶ λέγοντα· Ἐπεὶ δὲ τὸ πλοῖον ἡ τοῦ πνεύματος [οὐκ]

A Anonymo. ex mss.

quod Sancta extenuat, ac silentio involvi curat

64 Deinde ipsam etiam Sanctam, rei utique ignaræ, una cum miraculo digitis ista ostendentes, interrogabant. Illa autem id responsi dabat : Aliquis, inquiebat, ad arbores istas, filiæ meæ, sacras eas esse putans, in Dei honorem applicuit texturas. Sed illa, quæ miraculum oculis, spectaverat, sumpta inde occasione, omnia singulatim, quæcumque visa fuerant, sororibus narravit. Dum hæc audivissent, timore ac gaudio animi earum repleti fuerunt, ac lacrymis oculos humectabant, ipsamque objurgabant, qua de causa ipsas etiam non excitasset a somno, et non vocasset, ut participes factæ fuissent terribilium spectaculorum, potissimum quia affirmabat, trium etiam horarum tempore remperdurasse. Interea autem postquam Sancta sic auribus sororum jam pervulgatum cognovisset arcanum, eamque, quæ mirabilibus istis intervenerat, seorsim vocasset, torvo vultu illam intuita, sic fatur : Anne, quia me fallentem conspexisti, tamquam hominem, tam cito propter infirmitatem meam triumphasti? Illa vero attonita, quomodo non lateret, statim procidit ad
Sanctæ pedes, timensque ac tremens veniam petiit; E
quam mox consecuta, præceptum accepit, ne aliud quidquam tale ulli umquam omnino patefaceret. Alias similiter congregavit, et præcepit omnibus, ut nihil magni umquam de se dicerent, donec, inquit, me Dominus e præsenti transtulerit vita. Nam multa etiam alia Deus per illam effecit mirabilia, et omnia silentio involvi in hac vita voluit.

Murem precibus necat :

65 Dum enim aliquando magni Basilii memoriam celebraret, post divinum sacrificium monuit eam sacerdos, quod alicunde e terra prodiisset mus, et altaris mensam pertransisset; quod deberet impuro animali obstaculum fieri, ne amplius sacrum fœdaret locum ; indoluit illa quidem, et quo tempore sacerdos atque omnes sorores, ille quidem privatim ; hæ vero in communitate propter festum diem opipare convivabantur, illa intra cubiculum suum rem Deo commendabat. Quando autem, finitis epulis, jam Deo simul agebant gratias, præfectam ecclesiæ ad se vocatam sic affatur : Abi, et murem, qui ante altaris ingressum jacet necatus, arripiens, projice
eum aliquo foras in sterquilinium. Inter hæc F
etiam sacerdos una ingressus, ut oraret, illumque ipsum murem mortuum esse conspicatus, et super Sanctæ imperio attonitus, exivit clamans : Quam mirabilis Deus in Sanctis suis!

accipit a nauclero tria poma.

66 Per noctem ergo illam, circa vigiliam noctis quartam, vox quædam, viso nemine, audita est, Sanctæ dicens : illum, qui fructus tibi afferet hodie, nauclerum suscipe gaudens. Comedes, et exultabit anima tua. Post matutinum itaque officium duabus sororibus præcepit, ut monasterii vestibulo invigilarent, et eum, qui primum ingrederetur, quisquis demum etiam esset, comiter intromitterent. Sed ego, inquit, ipsa revertor ad vos illico. Et, ecce, ipsa abeunte, advenit is, qui exspectabatur : et occurrerunt invicem. Illam vero monasterii præsidem esse audiens, profundam facere corporis inclinationem cœpit : sed ipsa prævenit eum. Et cum surrexissent, ad ecclesiam se contulerunt : quam ingressi, et ibidem precati, consederunt. Tum Sancta, Unde, inquit, tua charitas venit ad nostram vilitatem? Cui is respondit : Maris, domina mea, viator sum, insulæ, quæ Pathmos vocatur, habitator : ubi autem navigando cursum huc versus dirigebamus, jamque perveneramus ad non habitatam insulæ nostræ partem, vidimus formosissimum senem, et divini aliquid præ se ferentem, ac dicentem, ut exspectaremus. Quo-

A. ANONYMO. EX MSS.

niam autem venti spirantis impetus navigium stare non sinebat, et aliunde illud etiam, in quo stabat is, qui ista imperabat, tollebatur in altum, non potuimus implere ejus jussa. Nec porro ipse nescius, ea a nobis impleri non posse, contentiore voce navigium stare præcepit.

quæ dederat S. Joannes Euangelista,

67 Et mox stetit, neque progredi omnino poterat. Quamobrem timore correpti, fixo obtutu eum intuebamur. Et, ecce, ludens per fluctus appropinquabat nobis. Tria vero poma e sinu extrahens, in manus ea mihi tradidit, dicens: Sospes Constantinopolim defer Ignatio patriarchæ *b*: et dices ad ipsum : Ista tibi misit Qui est *c*. Postea iterum mittens manum, protulit alia tria similia, dicens: Et ista præbe Irenæ hegumenæ monasterii Chrysobalanti. Et dic illi : Comede ex his, quæ desideravit anima tua formosa: jam enim venio, afferens vobis ista e paradiso. Et dum benedixisset Deo, dimisit nostrum navigium, votis illud prosecutus. Et nunc, persoluto patriarchæ debito, ad tuam quoque sanctitatem veni, exse-
B cutioni mandans id quod mihi præceptum est. His auditis, Sancta lacrymis oculos suffusa, Deo ac dilecto ejus discipulo magnas egit gratias. Nauclerus itaque extrahens tria poma, velo contecta pretioso, ac tela aurea circumvoluto, in manus ejus illa dedit: quorum pulcritudinem, magnitudinem ac fragrantiam quid attinet dicere? Inde quippe trahebant originem, unde natura nostra fuit exterminata; quæque oculus non vidit, mortali corruptioni obnoxius. Sed postquam ille multo cum honore et benigna humanitate susceptus esset, ac munere suo pariter erga eam perfunctus, discessit.

mirabilis virtutis ac fragrantiæ vim habentia :

68 Ipsa autem per totam dierum hebdomadem extracto jejunio, unum integrum pomum adhibuit in suum alimentum; et per totos quadraginta dies perseveravit in fortitudine esus pomi; nec alio nutrimento, nec potu prorsus indigebat : imo vero potius omnem animis sororum voluptatem affundebat oris sui fragrantia : talis enim erat, quæ diffundebatur, ac tanta, ut putarent suffimentorum aliquorum ac unguentorum magni pretii compositiones fieri, earum apparatus haberi in monasterio,
C atque aera suaveolenti fragrantia imbui. Post hæc appetente divini paschæ magna hebdomade, et sancta feria quinta instante, præcepit omnibus sororibus, ut panes benedictos *d* sumerent ad vesperam, in qua videlicet cum discipulis convescens Dominus formam tradidit mensæ, quæ animam nutrit. Et dum post sumptionem conscidisset aliud pomum, divisit ipsis, non scientibus, quidnam hoc esset, quod inter edendum gaudio quodam naturam superante et hilaritate perfunderentur. Aliud vero in sui medelam conservavit, assidue illud odorans, et exsultatione, quæ inde proveniebat, non destituebatur.

recreatur cœlesti visione et alloquio;

69 Illa porro nocte, qua intaminata redemptoris ac Domini Jesu passio ab omnibus fidelibus celebratur, multorum videbat turbam vestibus albis indutorum, tamquam in ecstasin rapta; qui canentes circum sorores gyrabant; et citharas manibus tenentes, ineffabilium quorumdam hymnorum melos cantare videbantur Christo, omnibus concinnitatis numeris absolutum. Juvenes erant omnes, ac luce fulgentes. Postea, quas ferebant phyalas unguentorum, super altaris mensam evacuabant: et fragrantia erat incomparabilis, et omnia implebat: et paulo post apparebat vir quidam candidis vestibus indutus, et hic quidem formosus, ac procerus; qui splendebat vultu, solis instar (multum quoque ei honoris deferebant) ac re-

εία στῆναι φορὰ, ἄλλως τε δὲ καὶ τούτου που κρημνώδους. D
ὄντος ἐν ᾧ ταῦτα ἑστὼς ἐπέταττεν, οὐκ εἴχομεν ὅπως τὸ παρ' αὐτοῦ πληρῶσαι προσταττόμενον. Εἰδὼς δὲ καὶ αὐτος τὸ παρ' ἡμῖν ἀδύνατον, γεγωνοτέρα φωνῇ στῆναι τὸ πλοῖον ἐπετίμησε.

67 Καὶ εὐθέως ἔστη, μὴ προβαίνειν ὅλως δυνάμενον· ἐφ' ᾧ καὶ δέους πλήρεις γενόμενοι, πρὸς αὐτὸν ἠτενίζομεν· καὶ ἰδοὺ πεσσεύων κατὰ τῶν κυμάτων ἤγγισεν ἡμῖν. Ἐκβαλὼν δὲ τρία ἐκ τοῦ κόλπου, εἰς χεῖρᾶς μοι ἔδωκεν εἰπών· Διασωθεὶς εἰς τὴν βασιλίδα πόλιν διακόμισον τῷ πατριάρχῃ Ἰγνατίῳ, καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτὸν· Ταῦτά σοι ἀπέστειλεν ὁ μὲν ὤν. Εἶτα πάλιν βαλὼν τὴν χεῖρα ἐξήνεγεν ἕτερα τρία παραπλήσια, φήσας· Καὶ ταῦτα παράσχε Εἰρήνῃ τῇ ἡγουμένῃ τῆς μονῆς τοῦ Χρυσοβαλάντου. Καὶ εἰπὲ αὐτῇ· Φάγε ἀφ' ὧν ἡ καλή σου ψυχὴ ἐπεθύμησεν· ἄρτι γάρ ἥκω κομίζων ὑμῖν ἐκ τοῦ παραδείσου τοιαῦτα. Εὐλογήσας δὲ τὸν Θεὸν, ἀπέλυσεν ἡμῶν καὶ τὸ πλοῖον ἐν εὐχαῖς. Καὶ νῦν πληρώσας τῷ πατρίαρχῃ τὸ ὀφειλόμενον, ἦλθον καὶ πρὸς τὴν σὴν ἁγιότητα, τὸ προσταχθέν μοι τελειῶν. Ταῦτα ἀκούσασα ἡ ὁσία, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς δακρύων ὑποπλησθεῖσα, τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἠγαπημένῳ αὐτοῦ μαθητῇ πολλὴν E
ἀπεδίδου τὴν εὐχαριστίαν. Ἐκβαλὼν οὖν ὁ ναύκληρος τὰ τρία μῆλα ὑφάσματι κεκαλυμμένα ἐντίμῳ, καὶ νήματι χρυσέῳ περικυλισμένῳ, δέδωκεν εἰς τὰς χεῖρας αὐτῆς· ὧν τὸ κάλλος, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν εὐωδίαν τί χρὴ καὶ λέγειν; ἐκεῖθεν χαρ εἶλκον τὸ γένος, ὅθεν ἡ φύσις ἡμῶν ἐξώρισται, καὶ ἃ φθαρτὸς γενόμενος οὐκ οἶδεν ὀφθαλμὸς. Ἀλλ' ὁ μὲν πολλῆς παρ' αὐτῆς τιμῆς καὶ δεξιώσεως ἀξιωθεὶς, συνταξάμενος αὐτῇ ἀνεχώρησεν.

68 Ἐκείνη δὲ ὅλην ἡμερῶν ἑβδομάδα νηστεύσασα, ὁλόκληρον τὸ ἓν οἰκείαν ἐδωδὴν ἐποιήσατο, καὶ διήρκεσεν εἴς ὅλας ἡμέρας τεσσαράκοντα ἐν τῇ τῆς βρώσεως ἰσχύι τοῦ μήλου, μήτε τροφῆς ἑτέρας μήτε πόσεως δεηθεῖσα τὸν σύνολον, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ πάσης θυμηδίας ἐμπιπλῶσα τὰς τῶν ἀδελφῶν τῇ τοῦ στόματος αὐτῆς ὀσφρήσεις εὐωδίᾳ. Τοιαύτη γαρ ἦν ἀναδιδομένη καὶ τοσαύτη, ὡς νομίζειν θυμιαμάτων τινῶν καὶ μύρων πολυτίμων συνθέσεις γίνεσθαι, καὶ κατασκευὰς καθημένας ἐν τῇ μονῇ, καὶ τῶν ἀέρα καταχρώννυσθαι ταῖς ἡδυπόοις ὀσμαῖς. Μετὰ ταῦτα δὲ τῆς τοῦ θείου πάσχα μεγάλης F
καταλαβούσης ἑβδομάδος, καὶ τῆς ἁγίας πέμπτης ἡμέρας ἐφεστηκυίας, προσέταξε πάσαις ταῖς ἀδελφαῖς μεταλαβεῖν κατὰ τὴν ἑσπέραν τῶν ἁγιασμάτων, καθ' ἣν δηλαδὴ τοῖς μαθηταῖς συνεστιαθεὶς καὶ τῆς ψυχοτρόφου παρέδωκεν τὸν τύπον ὁ κύριος τραπέζης, καὶ κατατεμοῦσα μετὰ τὴν μετάληψιν τὸ ἕτερον μῆλον διένειμεν αὐταῖς οὐκ εἰδυίαις τί ἄρα καὶ εἴη τὸ ἐσθιόμενον, τοῦτο δὲ μόνον, ἐν ἑστιάσει γενόμεναί, τινος ὑπὲρ φύσιν χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης ἐξεπλήθοντο. Τὸ δὲ ἄλλο φυλακτήριον ἑαυτῇ διετήρησε συνεχῶς ὀσφραινομένη, καὶ τῆς ἐντεῦθεν ἀγαλλιάσεως μὴ λειπομένη.

69 Καὶ τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ καθ' ἣν καὶ τὰ ἄχραντα πάθη τοῦ λυτρωτοῦ καὶ Κυρίου Ἰησοῦ παρὰ πᾶσι πιστοῖς ὑμνολογεῖται, πολλῶν ἑώρα λευχειμονούντων πληθὺν ὡς ἐν ἐκστάσει γεγονυῖα, περικυκλούντων τὰς ἀδελφάς ᾀδούσας, οἱ καὶ κιθάρας χερσὶν καθέχοντες, ὑμνούς τινας μελωδεῖν ἀνεκλαλήτους ἐδόκουν τῷ Χριστῷ ἐναρμονίαν, νεανίας ὄντας πάντας καὶ φωτοειδεῖς, εἶτα καὶ φυάλας φέροντας μύρων τῇ τοῦ θυσιαστηρίου ταύτας ἀποκενοῦν τραπέζῃ, καὶ ἡ εὐωδία ἀσύγκριτος καὶ τὸ πᾶν πληροῦσα· καὶ μετὰ μικρὸν ἄνδρά τινα λενχείμονα, καὶ τοῦτον ὡραιον, εὐμεγέθη, λάμποντα τὸ πρόσωπον, ὡς ὁ ἥλιος· ᾧ καὶ πολλὴν προσῆγον τὴν τιμὴν, καὶ μετ' εὐλαβείας τὴν ὑπάντησιν ἐποιοῦντο· καὶ αὐτὸς σινδόνα τούτοις πανευπρεπῆ καὶ

οἷον

A οἷον βασιλικὴν παρέσχετο, τὰ κενοθέντα μύρα τῇ ἱερᾷ τροπέζῃ λίαν ἀκριβέστατά τε κατακαλύψαι καὶ ἀσφαλέστατα· τοῦτον δὲ τὸν τῷ θυσιαστηρίῳ προσκαρτεροῦντα τεθεαμένον ἄγγελον ἐν κατηφείᾳ μεγάλῃ πρὸς τὸν τοσοῦτον ἀνακεκραγέναι βοῇ· Ἕως πότε Κύριε;

70 Καὶ φωνὴν αὐτῷ γενέσθαι λέγουσαν· Ἕως ἂν ἥξῃ ὁ δεύτερος Σολομὼν, καὶ τὰ ἄνω τοῖς κατω, καὶ τὰ κάτω τοῖς ἄνω γενηται συμμιγῆ, τότε καὶ ὁ Κύριος ὑψωθήσεται ἐν τῷδε τῷ τόπῳ, καὶ τὸ τῆς αὐτοῦ θεραπαίνης μεγαλυνθήσεται μνημόσυνον· καὶ εὐθὺς ὑποφωνήσασαν τῶν λευχειμόνων τὴν πληθύν· Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, πρὸς οὐρανοὺς ἀναπτῆναι. Ταῦτα δὲ μεθ' ἡμέρας στρέφουσα κατὰ νοῦν ἡ ὁσία, τοῦτο συνιέναι νενόμικε, τὸ μήτε ταύτην δοξασθήσεσθαι πρός γε τὸ παρὸν, μήτε τὴν μονὴν αὐτὴν καὶ μεταστάσης αὐτῆς, ἕως ἂν αἱ μαθητευθεῖσαι ταύτῃ τῷ βίῳ περιῶσιν. Ἦν γαρ, ὡς ἔλεγε, τοῦτο τὸν Θεὸν αἰτησαμενη πρὸ ὀλίγου, τὴν τῶν ἀνθρώπων πάντως ἐκκλίνουσα τιμὴν, καὶ τὴν παρὰ Θεοῦ ζητοῦσα μόνην· τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ὑπετίθει, φεύγειν ἀεὶ τὰς ἐξ ἀνθρώπων διδάσκουσα τιμάς. Οὐδὲ γαρ δυνατόν, φησι, τὴν μὴ τὰς τοιαύτας ἀποστρεφομένην ψυχὴν, τὴν δόξαν ἰδεῖν ποτε τοῦ Θεοῦ. Εὔξασθαι δὲ τις αὐτὴν ὑπὲρ τῆς τοῦ σώματος ὑγείας αἰτήσασα γνώμης ἁπλότητι, τῶν ἀδελφῶν συγκα-
B λεσαμένη καὶ πάσας, εἶπε· Πιστευσατέ μοι, τέκνα, παῤῥησίας εἴ τινος ἔτυχον πρὸς Θεὸν, τοῦτο πρὸ τῶν ἄλλων ὑμῖν ἂν ᾔτησα, τὸ μηδεμίαν ἡμέραν ἐν ὑγείᾳ σωματικῇ πὰρ' ὅλον τὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν χρόνον μηδεμίας ὑμῶν διατελέσαι. Οἶδα γαρ ἀκριβῶς, οἶδα, ὅτι τοῦ σώματος κάμνοντος, πολλή τις ὠφέλεια προσγίνεται τῇ ψυχῇ, καὶ μάλιστα τοῖς χάριν διὰ τοῦτο τῷ κηδεμόνι τῶν ἡμετέρων ψυχῶν ὁμολογοῦσι Θεῷ.

ligiose procedebat obviam. Hic nitidissimam illis sindonem, et quasi regiam præbebat, ad unguenta, quæ supra sacram mensam erant effusa, perquam diligentissime et tutissime cooperienda. Hic vero angelus, qui altari constanter adhærere spectabatur, demisso vultu magna ad illum exclamavit voce : Usque quando, Domine? *A Anonymo. ex mss.*

70 Et vox ipsi facta est, dicens : Donec venerit secundus Salomon, et illa quæ sunt supra cum iis, quæ sunt infra ; et illa, quæ sunt infra, cum iis, quæ sunt supra, commisceantur ; tunc etiam Dominus exaltabitur in hoc loco, et Famulæ ipsius memoria extolletur. Et mox ubi succlamasset candidis vestibus induta turba : Gloria in altissimis Deo, ad cælos revolavit. Illa autem, ubi diluxerat, postquam animo volutasset Sancta, intellexisse se putabat, quod neque ipsa honoranda foret in præsenti tempore, neque monasterium ipsum etiam tunc, quando migrasset e vita, quamdiu sibi supervixissent disciplinæ ejus alumnæ. Hoc quippe, ut aiebat, Deum rogaverat paulo ante, hominum honorem omnino declinans, et eum solum quærens, qui a Deo est. Hoc item ipsum exposuerat sororibus, ut fugerent semper humanos honores, docens. Neque enim, inquiebat, fieri potest, ut anima, quæ eosdem non aversetur, aliquando videat gloriam Dei. Dum quædam ex illis in mentis simplicitate, ipsam rogaverat, ut orasset E
pro sanitate corporis, sororibus omnibus convocatis, dixit : Credite mihi, filiæ, si qua apud Deum valerem impetrandi gratia, id præ rebus aliis pro vobis peterem, ut nullæ vestrum in sanitate corporis per totum vitæ vestræ tempus, ullum transigerent diem. Novi enim apprime, novi, quod, laborante corpore, magna utilitas accedat animæ; atque his potissimum, qui de illa re gratias agunt Deo, animarum nostrarum curatori. *sumpta inde occasione sese humiliandi.*

ANNOTATA.

a Ἐγχειρίδιον *præter significationes apud antiquos e lexicis notas, mediæ Græcitatis scriptoribus est* manuale, orarium, mappula ori et naso tergendo et emungendo, *teste Cangio; qua, vel certe simili aliqua in significatione hic accipi posse, colligitur ex sensu.*

b *De S. Ignatio patriarcha egimus in Commentario.*

c Sic dices filiis Israël : Qui est, misit me ad vos, *ait Deus Moysi Exod.* 3, ℣ 14.

d Ἁγίασμα *inter alia denotat sacramentum Ecclesiæ quodvis, item Eucharistiam;* ἁγιάσματα *item significant panem benedictum; exempla dat Cangius; putem hic indicari panes benedictos : nam agi*
C *de corporis alimento, colligitur tum ex pomo, quod post eorum sumptionem Sancta distribuit suis* F
monialibus; tum ex tempore, ad vesperam *utique.*

CAPUT VIII.

Sanctæ consanguineus mirabiliter ab injusta morte liberatur.

Ἓν ἔτι τῶν ἐκείνης θαυμασιῶν προστεθείσθω τῇ διηγήσει, τῆς πρὸς Θεὸν αὐτῆς ἐγγύτητός, καὶ παῤῥησίας, μαρτύριον ἐνεργές. Φθόνῳ τινὲς κινουμένοι· οἷα πολλα τοῖς ἐπτοημένοις περὶ τὰ παρόντα, ποιεῖν ὁ πονηρὸς ὑποτίθησι· διαβάλλουσι πρὸς βασιλέα τὸν ἐγγύθεν τῇ ὁσίᾳ, καὶ φιλουμένως αὐτῇ συγγενῆ, τῇ τῶν ἰλλουστρίων ἀξίᾳ τετιμημένον, καὶ τῇ λοιπῇ κατὰ κόσμον λαμπρὸν περιφανείᾳ. Τὸ τῆς διαβολῆς οὐ μικρόν. Τὰ γάρ τῶν ἐπιβούλων πάντά, φασι, καὶ μελετῶν ἐστι, κατὰ τοῦ σοῦ καὶ κατασκευάζων κράτους. Ὁ δὲ μηδ' ἐρωτήτεως κἂν γοῦν ψιλῆς περὶ τοσούτου καὶ τοιούτου πράγματος ἀνασχόμενος, συλληφθῆναι τὸν ἄνδρα προστάξας, ἔν τινι τοῦ παλατίου ζοφώδει κατέκλεισε φυλακῇ, μηδὲ τὴν αἰτὶαν εἰδότα τῆς τοῦ βασιλὲως ὀργῆς. Ἐπεὶ δὲ οἱ τῷ ανδρὶ προσήκοντες διαψιθυριζόμενόν πως περὶ τά βασί-

Unum insuper e mirabilibus ejus, narrationi superaddatur, quod, ipsius quam propinqua ad Deum esset accessio, et intercessio, efficax præbeat testimonium. Aliqui invidia concitati (cujusmodi multa ut perpetrent, suggerit malignus spiritus iis, qui rebus præsentibus abripiuntur) apud imperatorem *a* accusant Sanctæ propinquum, et amice ei cognatum, illustrium *b* dignitate honoratum, et reliquo, quem mundus in pretio habet, splendore clarum. Nec vero parva erat calumnia. Quidquid enim, inquiunt, proditores moliri solent, meditatur et machinatur adversus tuam potentiam. Hic autem ne vel tenuem quidem tanti ac talis negotii interrogationem instituens, comprehendi virum mandavit, et in quodam tenebroso palatii carcere inclusit, nihil quidquam causæ scientem, *Quidam Sanctæ consanguineus ob falsum crimen capite periclitatur; a b*

tem,

A. ANONYMO. EX MSS.

tem, cur imperator adeo in se graviter irasceretur. Illi autem, qui virum conveniebant, dum audivissent rumorem spargi in aula, quod in animo haberet imperator, projicere ipsum in profundum maris, atque id quidem non in die, sed in nocte, ut ne corpus ejus obtineret sepulcrum :

quæ innocentiam ejus declarat imperatori, noctu ei apparens

72 Dumque nulli consanguineorum cognitus hujusmodi esset interitus, omnibus valere jussis, ad Irenen, multa apud Deum gratia pollentem, confugiunt, uberos lacrymas ex oculis profundentes, ipsamque orantes, ut cognato injuste periclitanti gratiosis precibus opem ferat. Illa vero quid fecit? Cum anima esset, Dei ad hæc benignitatem edocta, et quæ ejus legem recte implere nosset charitatis, magno admodum dolore affecta, graviterque gemens et lacrymans, abire eos domum jussit, et neutiquam animum despondere. At speremus, inquit, in Domino; ipse faciet. Alia vero, quæ præ manibus habebat, postponenda existimans, clauso ostio, Deo supplicavit impense. Atque hæc
B quidem Irene : imperator autem sub mediam noctem videbatur videre visionem, non somnia, quod S. Irene sibi adstaret, atque talia diceret : Imperator, mox surgens, dimitte e carcere, quem injuste in eo occlusisti : neque enim ea, quæ tibi adversus eum delata sunt, vera sunt : sed mendacia et calumniæ sunt. Si renuis; ipsam regem cælorum concitans contra te, et bellum et cædem tibi movebo, adeo ut carnes tuæ in cibum jaceant bestiis terræ et volucribus cæli;

ac minata :

73 Quod turbaretur ipse, et animo æstuans illi responderet : Quænam et unde tu es, quæ talia mihi proterve minari audes? Ecquis tibi ingressum præbuit tali hora? Cui illa : Ego sum Irene monasterii Chrysobalanti hegumena. Idque non semel, sed tertio etiam dixit. Pungens denique latus ejus, discessit. At quis Dei prodigia non admirabitur? Nam simul atque is e latere laborans, modo tumultuario experrectus fuit, vidit ipsam suos ante oculos incedentem, discedentem, ac, postquam jam ad cubiculi fores pervenisset, exeuntem : et clamare cœpit, ita ut omnibus corporis ejus custodiam habentibus non modica incuteretur perturbatio, animo con-
C sternatis, ne inexspectati aliquid pateretur imperator. Interrogabat is igitur illum, qui primum præ
c reliquis inter domesticos *c* tenebat locum, quem
d paracœmonium *d* vocant : Non vidisti monialem, quæ jamjam cubiculo meo exiit? Obstupuit ille, et, an mentis satis compos esset imperator, suspicatus est; simulque respondit : Nihil tale vel se vidisse, vel contigisse.

sed ille accusatum primo sciscitatus,

74 Sed, ecce, aiebat, portæ omnes clausæ sunt, et tutissimo custodiuntur præsidio : claves vero huc usque positæ sunt sub strato meo, atque e nullo prorsus loco aditus patet ad tuum cubiculum. Et imperator rem secum expendens : Nunc scio vere, inquit, quod illa, quæ conspexi, divina quædam fuerint visio. Postquam autem diluxerat, captivum e carcere eductum sistit sibi, et sic compellat : Quibus usus incantationibus, minas nobis in somnis et perturbationes immisisti, ut hujusmodi magicis artibus perficere tibi contingat incepta, quæ contra meum imperium meditatus es? Ille autem nihil habens, quod ad ista diceret, solummodo respiciebat ad dextram et ad sinistram circumstantes, et vix tandem respondit : Confido per Deum, quod cum mago numquam versatus sim, neque auditus meus, o imperator, sustinuerit tale nefas, quoad vixi, admittere. At neque aliquid contra tuum imperium (testis mihi sit Deus) consilii in animo habui.

75 Et imperator prius utcumque dispositus,

λεια ἀκηκόεσαν τῷ τῆς θαλάσσης ἐναποῤῥιφῆναι τοῦ- D
τον βύθῳ διασκοπεῖσθαι τὸν βασιλέα, καὶ τοῦτο οὐδ' ἐν ἡμέρᾳ, ἀλλ' ἐν νυκτὶ, ὡς ἂν μηδὲ ταφῆς αὐτοῦ τύχοι τὸ σῶμα.

72 Μηδενὶ τῶν οἰκείων τοῦ τρόπου τῆς τούτου γνωσθείσης ἀπωλείας, πάντων ἀπογνόντες, πρὸς Θεὸν ἔχουσαν τὴν παῤῥησίαν καταφεύγουσιν Εἰρήνην, δάκρυα τὸ ἀνυσιμώτατον κενοῦντες τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ βοηθῆσαι ταῖς εὐπροσδέκτοις εὐχαῖς τῷ συγγενεῖ ἀδίκως κινδυνεύοντι παρακαλοῦντες αὐτήν. Ἡ δὲ καὶ τί γὰρ ἂν ἐποίησε; πρὸς ταῦτα ψυχὴ τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν ἐξησκημένη, καὶ τὸν ἐκείνου τῆς ἀγάπης νόμον καλῶς ἀποπληροῦν ἐπισταμένη, σφόδρα περίλυπος γενομένη, στενάξασά τε βαρὺ καὶ δακρύσασα, τούτοις μὲν ἀπιέναι προσέταξεν οἴκαδε, καὶ μὴ ἀθυμεῖν. Ἀλλ' ἐλπίσωμέν, φησιν, ἐπὶ κύριον· αὐτὸς ποιήσει. Δεύτερα δὲ τ' ἄλλα τῶν ἐν χερσὶν ἡγησαμένη, κλείσασα τὴν θύραν ἱκέτευε τὸν Θεὸν ἐντενῶς. Καὶ ταῦτα μὲν ἐκείνη. Ὁ βασιλεὺς δὲ περί που τὸ μεσονύκτιον ὕπαρ E
οὐκ ὄναρ ὁρᾷν ἐδόκει τὴν ὁσίαν Εἰρήνην παραστᾶσαν αὐτῷ, καὶ τοιαῦτα λέγουσαν· βασιλεῦ, ἀναστὰς αὐτίκα τῆς φυλακῆς ἀπόλυσον, ὃν κατεῖρξας ἀδίκως Οὐδὲν γάρ σοι τῶν κατ' αὐτοῦ λαλουμένων ἀληθές· ψεῦδος δὲ ταῦτα καὶ συκοφαντία. Εἰ δ' οὐκ, ἀλλ' αὐτὸν ἐκεῖνον κατὰ σοῦ κινήσασα τὸν βασιλέα τῶν οὐρανῶν, καὶ πόλεμον ἐγερῶ σοι καὶ σφαγὴν, ὥς τέ σου καὶ τὰς σάρκας βορὰν προκεῖσθαι τοῖς θηρίοις τῆς γῆς καὶ τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ.

73 Τὸν δὲ ταραχθῆναι καὶ θυμῷ ζέσαντα πρὸς αὐτὴν ἀντειπεῖν· Τίς καὶ πόθεν εἶ σὺ, τοιαῦτα ἐμοὶ προπετῶς ἀπειλεῖν ἀποτολμῶσα; τίς δέ σοι καὶ τῆς εἰσόδου ὁ παραχωρήσας ἐν ὥρᾳ τοιαύτῃ; Καὶ ἀποκριθῆναι τούτῳ· Ἐγὼ ἡ Εἰρήνη τῆς τοῦ Χρυσοβαλάντου μονῆς ἡγουμένη· καὶ τοῦτο οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ τρίτον εἰποῦσαν, νύξασαν ἐπὶ τῷ τελευταίῳ τὴν τούτου πλευρὰν ἀναχωρῆσαι. Ἀλλὰ τίς μὴ θαυμάσει τοῦ Θεοῦ τὰ τεράστια; ὡς γὰρ ἐκεῖνος τὴν πλευρὰν ὀδυνηθεὶς τεθορυβημένον ἀφυπνίσθη, εἶδεν αὐτὴν πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ βαδίζουσαν, ἀπιοῦσαν, καὶ πρὸς τῇ θύρᾳ γενομένην ἤδη, τοῦ κοιτῶνος ἐξιοῦσαν· καὶ κράζειν ἤρξατο, ὥστε πᾶσιν αὐτῷ τοῖς σώματος φυλακεῦσιν οὐκ ὀλίγον γενέσθαι τὸν τάραχον, πτοηθεῖσι μήτι καὶ πάθοι τῶν ἀδοκήτων ὁ βασιλεύς. Ἤρετο γοῦν τῶν F
οἰκειοτάτων τὸν πρώτιστον, ὃν δὴ καλοῦσι παρακοιμώμενον· Οὐχ ἑώρακας τὴν τοῦ κοιτῶνος ἐξελθοῦσαν νυνὶ μοναχήν; ὁ δὲ ἀχανὴς εἱστήκει, μὴ καὶ παραφρονῆσαι τὸν βασιλέα ὑποτοπάζων· ὅμως ἀπεκρίνατο, μηδὲν τοιοῦτον μήτε θεάσασθαι μήτε γενέσθαι.

74 Ἀλλ' ἰδοὺ πᾶσαι μὲν αἱ θύραι κεκλεισμέναι ἀσφαλέστατα φρουρούμεναι· αἱ κλεῖς δὲ ὑποτεθειμέναι τῇ ἐμῇ μέχρι τοῦ νῦν στρωμνῇ, καὶ οὐδαμόθεν πρὸς τὸν σὸν τὸ παράπαν εἴσοδος κοιτῶνα. Καὶ ὁ βασιλεὺς γενόμενος ἐν ἑαυτῷ· Νῦν οἶδα ἀληθῶς, εἶπεν, ὡς θεία τις ἦν ὀπτασία, τὰ ὁραθέντα μοι. Πρωΐας δὲ γενομένης ἐξαγαγὼν τῆς φυλακῆς τὸν κατεχόμενον παρίστησί τε αὐτὸν, καί φησι· Τίσι μαγείαις χρησάμενος ἀπειλὰς ἡμῖν ἐν ὀνείροις καὶ θορύβους ἔπεμψας ὡς ἄν σοι διὰ τῶν τοιούτων γοητειῶν διαδράναι γενήσεται τὰς κατὰ τῆς ἡμετέρας ἐπιβολάς σου βασιλείας; Ὁ δὲ μηδὲν ἔχων εἰπεῖν πρὸς ταῦτα, μόνον βλέπων ἦν ἐπὶ δεξιὰ καὶ ἐπ' ἀριστερὰ τοὺς παρεστῶτας· μόλις δέ ποτε ἀπεκρίνατο· Πέποιθα ἐπὶ τὸν Θεὸν, ὡς οὐδέποτε μάγῳ συνέτυχον, οὐδ' ἠνέσχετό μου βασιλεῦ τοιοῦτον ἀκοὴ ἀσέβημα δι' ὅλης τῆς ζωῆς παραδέξασθαι· ἀλλ' οὐδὲ κατὰ τῆς σῆς βασιλείας, βουλὴν ἐγὼ, μοι γένοιτο μάρτυς κύριος, ἥντινα οὐκ ἐνενόησα.

75 Καὶ ὁ βασιλεὺς πρότερόν πως διατεθεὶς, ἐπιγινώσκεις

ἐπιγινώσκεις δέ τινα, ἤρετο, Εἰρήνην ἐν μοναστηρίῳ λεγομένῳ Χρυσοβαλάντῳ διάγουσα; Ναί, φησιν, βασιλεῦ, καὶ τὸ μοναστήριον ἔγγιστα που τῆς Ἀσπρός ἐστι τῶν γλυκέων ὑδάτων δεξαμενῆς. Καὶ εἰ νῦν ἀποστείλω, εἶπεν ὁ βασιλεὺς, εὕροιμι ταύτην ἆρα; Ἐκ παντὸς ἀπεκρίνατο· οὐδὲ γάρ ποτε τοῦ ἐκ τῆς ἔξεισι μοναστηρίου. Παραυτίκα τοίνυν τόντε πρωτοβεστιάριον καί τινας ἄλλους τῶν μεγιστάνων μετα τῆς συνήθους ἐξαποστείλας ὑπηρεσίας· ἑπόμενον τούτοις καὶ ζωγράφον εἶναι παρήγγειλεν, ὑφ' οὗ τὸ τῆς Εἰρήνης πρόσωπον εἰκονισθὲν αὐτῷ κομισθείη, ὅπως γνώσωμαί, φησι, τὸν ὁραθέντα μοι χαρακτῆρα. Ταῦτα δὲ προσεταχὼς, τῇ φυλακῇ καὶ αὖθις τὸν ὑπεύθυνον αὐτῷ νομιζόμενον κατέχεσθαι διωρίσατο. Ἡ μέν τοι ὁσία Εἰρήνη τὰς κατὰ τρόπον ἐπικαίρως πληρώσασα προσευχὰς, εἰς τo διακονικὸν γενομένη τῆς ἐκκλησίας, καὶ πάσας συγκαλεσαμένη τὰς ἀδελφάς, φησι πρὸς αὐτάς· Ταύτῃ τῇ νυκτὶ ὄναρ μοι συνέβη παρὰ βασιλέως ὁρᾷν πρὸς ἡμᾶς μεγιστᾶνας ἀπεσταλμένου, καὶ πολὺν ἱππέων τε καὶ πεζῶν ὄχλον ἐπισυρομένους καὶ τοσοῦτον, ὡς μηδὲ ταῖς αὐλαῖς τῆς μονῆς τὸν ὅλον χωρητὸν εἶναι· ὅμως εἴτι καὶ συμβαίνοι τοιοῦτον, ἀλλ' ὑμεῖς μηδαμῶς θροηθείητε· καὶ κύριος τὸ συμφέρον πάντως οἰκονομήσει.

B 76 Αἱ δὲ φόβῳ καὶ δειλίᾳ ληφθεῖσαι, τὰς χεῖρας θατέρᾳ προστρίβουσαι θατέρας ἐν μεγάλῃ λύπῃ ταῦτ' ἐποιοῦντο. Καὶ παρευθὺς ἧκον οἱ παρὰ βασιλέως ἀπεσταλμένοι· ὧν τὸ πλῆθος καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς τῶν φαινομένων ἡ θυρωρὸς φοβηθεῖσα, τὸν τῆς μονῆς ἠνεωγμένον λιποῦσα πυλῶνα, ᾤχετο δραμοῦσα τὴν ἀπροσδόκητον ἔλευσιν τῶν ἀρχόντων ἀπαγγεῖλαι. Ἐν τοσούτῳ δὲ τάτε ἐνδότερα τάτε τῆς μονῆς ἐξώτερα πλήρη τῶν ἵππων ὡρᾶτο καὶ τῶν ἡμιόνων· ὅπερ ταῖς ἀδελφαῖς πρῶτα μὲν οὐκ ὀλίγην πτόησιν ἐνεποίει, καὶ μάλιστα τὴν τῆς ὁσίας πρόῤῥησιν ἐχούσαις ἔναυλον. Πρᾴως δὲ τοὺς τῶν ἱπποζυγιῶν ἀποβαίνοντας πρὸς αὐτὰς ἔχοντας ὁρῶσαι, τοῦ φόβου μὲν ἀνιείθησαν, τῆς διδασκάλης δὲ τὴν πρόγνωσιν ἐξεπλήττοντο. Μηνύει τοίνυν τοῖς μεγιστᾶσι τούτοις διὰ μέσου τῶν ἀδελφῶν ἡ ὁσία πρὸς τὴν ἐκκλησίαν εἰσελθόντας, ἐκεῖσε ταύτην ὄψεσθαι. Εἰσίασιν οὖν οὐ πάντες, ἀλλ' ὅσοι τὰ προστεταγμένα ὠσὶν οἰκείοις παρὰ βασιλέως ἐδέξαντο· καὶ προσευξάμενοι τῆς ὁσίας ἀνέμεινον τὴν ἔλευτιν.

77 Νέφεσι δὲ τοῦ ἡλίου διατειχίσουσι τὰς λαμπηδόνας, ἀλαμπῆ συνέβαινε τὸν αέρα τυγχάνειν. Ἧκε τοίνυν καὶ ἡ
C ὁσία διὰ τῆς πλαγίας θύρας πρὸς αὐτούς. Προηγησαμένη δὲ τῆς προσκυνήσεως, προσκυνουντας εἶχε τούτους· καὶ δὴ ἀνανεύοντες εἶδον ἀστραπὴν ἐκ τοῦ αἰφνιδίου ἀνατέλλουσαν τοῦ τιμίου αὐτῆς προσώπου· καὶ μὴ φέροντες ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαὶ, καθάπερ οἱ συλλαβεῖν ἐληλυθότες τὸν καθηγητὴν αὐτῆς καὶ νυμφίον Χριστόν. Ἐπεὶ καὶ ὅλον πεπλήρωκε τῆς φωτοχύσεως τὸν ναὸν, προσερχομένη δὲ χεῖρας ὤρεγεν ἑκάστῳ, καὶ διανίστη τούτους λέγουσα· Τεκνία μου μὴ φοβεῖσθε· κἀγὼ γαρ αὐτὴ ἄνθρωπός εἰμι τὴν αὐτὴν ἀσθένειαν περικειμένη τῆς φύσεως. Ἀλλὰ τί κόπους ὑμῖν παρέσχεν ὁ ἀποστείλας ὑμᾶς ἄπιστος Εἴπατε γοῦν αὐτῷ πάλιν ἐκεῖνα, ἅπερ ἔδοξεν ἐν ὀνείρῳ παρ' ἡμῶν ἀκούειν· Ἀπόλυσον τὸν ἄνθρωπον ἐκ τῆς φυλακῆς· οὐδέν ἐστιν ἄδικον εἰργασμένος· οὐδὲ κατὰ τῆς σῆς μελετήσας βασιλείας· ἐὰν δὲ μὴ, τὰ λαληθέντα σοι πάντως ἥξει καὶ πέρας, καὶ κύριος οὐ βραδύνει, ὅτι πᾶσιν ἐγγύς ἐστι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ.

78 Οἱ δὲ μήπω τοῦ προτέρου τελέως ἀνεθέντες φόβου, καὶ ταῦτα ἀκούοντες δέει πολλῷ πρὸς αὐτήν εἶπον· Ἀπαγγελοῦμεν πάντα τῷ βασιλεῖ κατὰ τὴν σὴν πρόσταξιν· ἀξιοῦμεν δὲ μικρὸν καθεσθεῖσαν τῆς σῆς ἡμῖν ψυχωφελοῦς ὁμιλίας μεταδοῦναι· τοῦτο δὲ δυοῖν εἵνεκα παρ' αὐτῆς ἤτησαν· ἑνὶ μὲν, ὥστε τῆς τι-

Nosti, inquiebat, Irenen quamdam, in monasterio, quod Chrysobalantus dicitur, degentem? Novi, ait, imperator: et monasterium est proximum Asparis *e* dulcium aquarum citernæ. Et si nunc mittam, dixit imperator, ipsamne inveniam? Omnino, respondit: neque enim exit umquam monasterio suo. Statim itaque protovestiarium *f* et alios nonnullos magnatum cum consueto ministerio *g* dimisit, pictorem item sequi illos jussit, ut, dum ab illo expressus foret Irenes vultus, ad se deferretur, ac norim, inquit, formam a me visam. His præscriptis, interum in carcerem amandari præcepit, quem putabat fontem. Irene de more opportune precibus persolutis, sacrarium ingressa ecclesiæ, et sorores omnes convocavit, et sic affata fuit: Hac nocte contigit mihi in somnio videre, magnates ab imperatore ad nos missos, multamque ac tantam equitum ac peditum turbam secum trahentes, ut monasterii loca totam capere non possint. Et vero si tale quid acciderit, vos neutiquam turbemini: et Dominus id, quod in rem nostram erit, omnino disponet. E

76 Illæ autem timore ac metu correptæ, altera alteri manus affricantes, in magno ea de causa luctu degebant. Nec mora, veniebant, qui ab imperatore erant missi: quorum multitudine et magnificentia, dum apparuere, territa ostiaria, monasterii portam reliquit apertam, et curriculo cucurrit, inexspectatum principum adventum nuntiatura. Inter hæc vero tam interiora quam exteriora monasterii loca videbantur plena equis ac mulis: id quod primo non modicam incussit sororibus animi consternationem, maxime dum Sanctæ prædictionem recenter insonantem haberent. Conspicatæ autem, quod hi, qui ex equis descendebant, placide secum agerent, timore quidem liberatæ sunt, Magistræ autem prænotione obstupuerunt. His igitur magnatibus Sancta per sorores significat, ut in ecclesiam ingrederentur, ibidem se visuri. Intrant ergo non omnes, sed illi dumtaxat, qui mandata propriis auribus ab imperatore acceperant. Et orantes exspectarunt Sanctæ adventum. F

77 Nebulis vero splendorem solis obscurantibus, contigit aera tenebris involvi. Sancta igitur per obliquam portam ad eos accessit. Et vero eos veneratione prævenit, et habuit, qui se venerarentur. Et respicientes viderunt splendorem derepente ex venerabili ejus vultu micantem. Idque non ferentes, cesserunt retro, et ceciderunt in terram; non secus atque illi, qui venerant, ut comprehenderent Christum magistrum ejus ac sponsum. Postquam itaque totum lumine implevit templum, accedens manus porrexit singulis, et erexit eos, dicens: Filii mei, nolite timere: nam et ego ipsa homo sum, eidem naturæ imbecillitati subjecta. At cur laborem vobis præbuit incredulus ille, qui vos misit? Dicite ergo ei iterum illa, quæ visus est in somno a nobis audire: Dimitte hominem e custodia: nihil egit injuste, contra imperium tuum machinatus est nihil. Sin minus; quæ dicta sunt tibi, omnino evenient: et non tardat Dominus: quia propre est omnibus, ipsum invocantibus in veritate.

78 Illi autem, priore metu nondum perfecte remisso, ista audientes multo cum timore ad eam dixere: Omnia denuntiabimus imperatori, prout nobis mandavisti. Rogamus autem, ut paululum nobiscum verseris, et colloquii tui quod animabus nostris utile est, participes nos facias. Duabus vero

A. Anonymo. ex ms.
deinde visionis
e
f
g
veritatem
mire
eductus,

A ANONYMO EX MSS.

ro de causis id apud ipsam dicebant; una quidem, ut venerabili ejus conspectu, ac verbis a Deo inspiratis fruerentur : altera autem erat mandatum imperatoris; ut illud, extracto colloquii tempore, accuratius pictor absolveret, vultum ipsius depingens. Accepta itaque Sanctæ effigie, cum precibus ejus dimissi, redierunt ad illum, qui eos miserat, renuntiantes ipsi, quæ viderant, et quæ audierant ex ipsa. Deinde imaginem ejus etiam exhibent Et simul atque imperator oculos in eam conjiceret, fulgor quidam repente exinde emicans oculos ipsius terribili circumfudit luce, et post ipsum præ timore exclamare fecit : Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et ingenti cum stupore stabat mutus, diu effigiem contemplans, ac per miraculum factus certior, quod imago esset ipsiusmet quam in somno viderat sibi minitantem.

innocentem dimittit; datis ad Sanctam litteris :

79 Nihil itaque de apparitione dubitans, educit captivum e carcere, gratias agens Deo, quod inhibuisset sibi injustam viri necem, et ab iis, quæ propter illam superventura ipsi erant, propalam liberasset. Litteras item ad Sanctam dat in hanc sen-B tentiam : Jussis tuis obtemperantes, Famula Christi, captivum, nullius, prout indicasti, noxæ reum, e carcere, en, tibi dimisimus : et vero gratias hisce agimus dignitati tuæ, quia per te liberati sumus a supplicio, quod impendebat. Oportebat enim nos obtemperare imperio tuo, quos tua apparitione dignata es, et neutiquam te turbare. Materna itaque commiseratione ignosce, et magnam, qua apud Deum vales, gratiam interponens, eum mihi redde propitium. Commiseratio tua erit perspecta, si coram nobis adesse non dedignata fueris, ut et ego, et imperatrix sanctificatarum manuum tuarum impositione benedicamur. Quod si hoc tibi non placuerit; at nos certe veniemus ad te, secundam de secunda tibi exhibita molestia veniam mox petituri.

quibus ipsa rescribit suas, humilitate plenas;

80 Acceptis litteris, una cum imperatoris, quæ per quemdam, qui ei erat a cubiculis, missa ipsi erant, donis, manu propria etiam rescribit ipsamet imperatori : Deus, qui bonus est, imperator, indulgere semper novit infirmitatibus nostris : benignus enim est, et omnino non vult mortem peccatoris, C sed ut convertatur ipse ac vivat. Sed tu non nobis, sed potius nomini ejus da gloriam. Nec vero imperatoriam tuam majestatem ad nos, nec vilitatem nostram ad te venire, decet. Nequaquam enim tu indiges muliercula paupere ac peccatrice. Habes autem qui te benedicant, quorum solæ manus ad sanctificandum ordinatæ sunt, sanctum patrem nostrum ac patriarcham; habes catholicæ atque orthodoxæ Ecclesiæ præsules, ac spirituales monasteriorum patres, et si volueris exquirere ipsorum institutiones, et Deo servies, et imperium tibi commissum pie, prudenter ac juste gubernabis. Si autem id quod intendis, o imperator, persequi volueris, scito, quod sive aliquem miseris, sive ipse veneris, neutiquam nos sis visurus; sed potius Deum irritaturus sis : sin me audieris, dextera Altissimi ab omni omnino tentatione te proteget.

in qua semper perstitit. Monita liberato consanguineo data.

81 His scriptis signatisque, quædam etiam benedictionis gratia imperatori remisit : qui certe indoluit, quod honorem non esset consecutus, ipsam videndi, probe gnarus, neutiquam oportere ad hoc eam cogere. Sæpissime autem mittens ad eam, et precibus ejus et verbis affatim fruebatur per eos, qui accedebant, multumque per eam solatii inveniebat. Cognatus vero ille, qui a periculo fuerat liberatus, ad pedes ejus se projecit; quos et la-

μίας αὐτῆς ὄψεως καὶ τῶν θεοπνεύστων ἀπολαῦσαι ῥημά- D των· ἑτέρῳ δὲ τὸ βασιλικὸν ἔπίταγμα, καὶ τὸν ζωγράφον ἐκτελέσαι τῷ παρέλκοντι τῆς ὁμιλίας ἀκριβέστερον, τὸ ταύτης εἶδος διαγράψαντα. Λαβὄντες τοίνυν τὸ τῆς ὁσίας ἐκτύπωμα, καὶ μετὰ εὐχῶν αὐτῆς προπεμφθέντες, πρὸς τὸν ἀποστείλαντα τούτους ὑπέστρεψαν, ἀπαγγείλαντες αὐτῷ, ὅσατε εἶδον, ὅσα τε ἤκουσαν παρ' αὐτῆς. Εἶτα δὲ καὶ τὴν εἰκόνα ταύτης ὑποδεικνύουσι· καὶ ἅμα τῷ τὰς ὄψεις ἐπιβαλεῖν αὐτῇ τὸν βασιλέα, ἀστραπή τιν ἐξ αὐτῆς ὀψεως ἐκπηδήσασα, τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ φοβερὸν περιήστραψε, καὶ μετὰ τοῦτον ἐκ τοῦ φόβου πεποίηκεν ἀνακεκραγέναι· Ελέησόν με ὁ Θεὸς κατὰ τὸ μέγα σου ἔλεος· καὶ μετα πολλῆς τῆς ἐκπλήξεως καὶ εἱστήκει ἐννεὸς ἐπὶ πολὺ τὸν χαρακτῆρα βλέπων, καὶ διὰ θαύματος ἐμποιούμενος, ὅπως ἐκείνης αὐτῆς ἐστιν, ἥν κατὰ τοὺς ὕπνοὒς ἑώρα διαπειλουμένην αὐτῷ.

79 Μηκέτι γοῦν ἀμφιβάλλων τοῖς ὁράμασιν, ἐξάγει τὸν κατεχόμενον τῆς φυλακὴς, εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ, ὅτι διεκώλυσεν αὐτῷ τὴν ἄδικόν τοῦ ἀνδρὸς ἀναίρεσιν, καὶ τῶν δι' αὐτὴν μελλόντων ἐπενεχθῆναι τούτῳ δεῖν, προφανῶς ἐλυτρώσατο. Γράφει δὲ πρὸς τὴν ὁσίαν ἐπιστολὴν τὸν τύπον ἔχουσαν τοῦτον· Κατὰ τὴν πρόσταξίν σου, θεράπαινα E τοῦ Χριστοῦ, τὸν κατεχόμενον, ὡς ἐδήλωσας, ἀθῶον ὄντα, τῆς φυλακῆς, ἰδού, σοι ἀπελύσαμεν, ἐπιγράφοντες δὲ καὶ χάριτας, χάθότι διά σου τῆς ἐπηρτημένης δίκης ἡμεῖς ἀπηλλάγημεν, πρὸς τὴν σὴν σεμνοπρέπειαν· ἔδει γαρ ἡμᾶς πεισθῆναι τῇ κελεύσει σου τῆς σῆς ἀξιωθέντας ἐπιφανείας, καὶ μηδαμῶς ἐνοχλῆσαί σοι. Σύγνωθι τοίνυν μητρικῇ συμπαθείᾳ, καὶ τὸν Θεὸν ἵλεον τῇ πολλῇ σου παῤῥησίᾳ χρωμένη ποίησόν μοι. Ἔσται δὲ σου γνώριμον τὸ συμπαθὲς, ἐὰν καὶ πρὸς ἡμᾶς οὐκ ἀπαξιώσῃς τὴν παρουσίαν ποιήσασθαι, ἵν' ἐγώ τε καὶ ἡ βασίλισσα τῇ τῶν ἡγιασμένῶν σου χειρῶν εὐλογηθῶμεν επιθεσει· εἰ δέ σοι τοῦτο μὺ κατὰ γνώμην, ἀλλ' ἡμεῖς τε πάντως ἐλευσόμεθα πρὸς σε, καὶ δεηθησόμεθα ταχα δευτέραν διὰ ὄχλησιν δευτέρας καὶ συγνώμης.

80 Δεξαμένη δὲ τὰ γράμματα, καὶ τὰ συν αυτοῖς διὰ τινος τῶν τοῦ κοιτῶνος, αὐτῃ σταλέντα δῶρα βασιλικὰ, χερσὶν ἰδίαις ἀντιγράφει καὶ αὐτὴ τῷ βασιλεῖ· ὁ Θεὸς ἀγαθὸς ὢν, βασιλεῦ, πάντοτε γυγκαταβαίνειν οἶδε ταῖς ἀσθενίαις ἡμῶν· φιλάνθρωπος γάρ, καὶ οὐ θελήσει θέλει τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν. Σὺ δὲ ἀλλὰ μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ ἡ τῷ ονόματι αὐτοῦ δὸς δόξαν. F Πλὴν οὔτε τὴν βασιλείαν σου πρὸς ἡμᾶς ἐλθεῖν, οὔτε τὴν ἡμετέραν ταπείνωσιν πρὸς σου, πρέπον ἐστίν· οὐδεμία γάρ ἐστί σοι χρεία γυναιου πενιχροῦ καὶ ἁμαρτωλοῦ· ἔχεις δὲ τοὺς εὐλογοῦντάς σε, ὧν αἱ χεῖρες εἰς τὸ ἁγιάζειν μόνον ἐτάχθησαν, τὸν ἅγιον ἡμῶν πατέρα καὶ πατριάρχην, τοὺς ἀρχιερεῖς τῆς καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου ἐκκλησίας, τοὺς πνευματικοὺς πατέρας τῶν μοναστηρίων, καὶ ἐὰν θέλῃς ἐρωτήσασθαι τὰς παρ' αὐτῶν νουθεσίας, καὶ τὸν Θεὸν θεραπεύσεις, καὶ τὴν ἐμπιστευθεῖσάν σοι βασιλείαν εὐσεβῶς καὶ σοφρόνως καὶ δικαίως ἔσῃ κυβερνῶν. Εἰ δὲ τῷ σκόπῳ σρυ βουληθῇς ἀκολουθῆσαι, εὖ ἴσθι, ὡς οὔτε μεταστειλάμενος, οὔτε μὲν ἐλευσόμενος, ὄψει τὸ παράπαν ἡμᾶς, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ τὸν Θεὸν παροξυνεῖς· καὶ ἐὰν ἀκούσῃς μου, ἡ δεξιὰ τοῦ ὑψίστου σκεπάσει σε πάντως εκ παντὸς πειρασμοῦ.

81 Ταῦτα γράψασα καὶ σφραγίσασα, καὶ τινα χαριν εὐλογίας ἀνταπέστειλε τῷ βασιλεῖ· ὃς δὴ καὶ περίλυπος γενόμενος, ὅτι μὴ ταύτην ἀξιοῦται θεάσασθαι, περὶ τούτου μὲν οὐκέτι δεῖν ἔγνω βιάσασθαι. Συνεχέστερον δὲ πέμπων καὶ εὐχῶν αὐτῆς καὶ ῥημάτων ἀφθόνως ἀπήλαυε διὰ τῶν ἐρχομένων, καὶ πολλὴν παρ' αὐτῆς εὑρίσκων ἣν τὴν παράκλησιν. Ὁ μέν τοι διασωθείς τοῦ κινδύνου συγγενὴς παρὰ τοὺς πόδας αὐτῆς ῥίψας ἑαυτὸν, εὐχαριστίας

A ας τούτους ἔπλυνε δάκρυσι. Διαναστήσασα δὲ τοῦτον, καὶ πολλὰ μὲν εὐχαριστίας πρὸς Θεόν εἰποῦσα ῥήματα, πολλαῖς δὲ τοῦτον στενώσασα παραινέσεσι, καὶ βίου λαβεῖν ἀρχὴν τὸν Θεὸν θεραπεύοντος ἐπιτρέψασα. Εἰ μὴ γαρ διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φεύγῃ, καὶ τὴν τῶν ἐντολῶν τοῦ Χριστοῦ καταφρόνησιν ἐγκαταλειφθῶμεν, οὐκ ἔχει καθ' ἡμῶν ἐπιφέρειν ὁ πονηρὸς ἰσχὺν τοὺς πειρασμοὺς, καὶ ὅτι διὰ τοῦτο καὶ ὁ ποιμὴν καὶ διδάσκαλος καὶ Θεὸς γρηγορεῖν ἀεὶ καὶ προσεύχεσθαι, ἵνα μὴ εἰσελθῶμεν εἰς πειρασμοὺς, διεμαρθύρετο, καὶ τοῦτο διαπαντὸς ποιεῖν ἐδίδαξεν, Εὐφροσύνης ἡμέραν καὶ χαρμονῆς τῆς τούτου σωτηρίας τὴν σήμερον ἔκρινε γενέσθαι, καὶ τράπεζαν κοινὴν ἐπέτρεψεν ἑτοιμᾶσθαι, παντοδαποῖς κεκοσμημένην ἀσκητικοῖς ἐδωδήμασι, καὶ τούτῳ σὺν ταῖς ἀδελφαῖς εἰς δόξαν συνειστιάθη Θεοῦ. Εἶτα τῇτε γυναικὶ, καὶ τοῖς τέκνοις, καὶ πᾶσι τοῖς συγγενέσιν, εὐφροσύνης αὐτὸν πλείονος ἀφορμὴν καὶ ἀγαλλιάσεως ἐξαπέστειλεν. Ἀλλ' ἱκανὰ μὲν καὶ ταῦτα παραστήσασθαι τὸν πλοῦτον τῆς ἐν αὐτῇ χάριτος τοῦ Θεοῦ.

crymis gratiarum actionis lavit. Hunc postquam erexisset, et multa gratiarum actionis verba ad Deum direxisset, multisque eum confirmasset hortationibus, vitam auspicari Deo devotam ei commendavit. Nisi enim propter peccata nostra, fugiat, et ob mandatorum Christi contemptum derelinquamur, non habet dæmon potestatem, ut contra nos inferat tentationes. Et ideo pastor, magister ac Deus vigilare semper et orare, ut non intremus in tentationes, hortatus est; idque semper facere docuit. Hilarem porro [ipsa] ac lætum diem, quo salutem ille consecutus fuit, hodiernum haberi decrevit, communemque mensam apparari jussit, omnigenis asceticis eduliis instructam, atque cum ipso una et cum sororibus accubuit in gloriam Dei. Deinde uxori, liberis, et cognatis omnibus ipsum remisit, majoris hilaritatis et exultationis præbiturum causam. Sed hæc, ad exhibendas gratiæ Dei, quæ in ipsa erat, divitias dicta sufficiant.

A. ANONYMO. EX MSS.

B E

ANNOTATA.

a *Pluribus successive imperatoribus synchrona fuit Sancta nostra, si vera sunt, quæ de grandæva ejus ætate inferius affert hic auctor; ac proin quem hoc loco intelligi velit, non habeo unde determinem.*

b *Varia de his collegit Cangius.*

c *Adi et de illis Cangium.*

d *Scribendum* παρακοιμώμενον, paracœmomenon; *per quem significatur accubitor seu præfectus cubiculi.*

e *Notitiam hujus loci pete ex Commentario prævio.*

f *Id est,* primum inter vestiarios. *Consule Cangium ad vocem* βεστιάριος.

g Ministeria *sunt officia majora et minora in imperatorum et regum palatiis, et magnatum hospitiis. De utrisque Cangius in Glossario Lat. Hic pro ipsis ministris accipitur.*

CAPUT II.

Prædictio propriæ ac aliorum mortis; pomi miraculosi effectus; mors, tempus vitæ; mirabilia mortem subsecuta.

C Ὁ λόγος δὲ βιάζεται, καὶ ἕτερον σιωπῆς ουκ ἄξιον οὐκ ἐπικρύψαι. Ἀνήρ τις τῶν συνήθων αὐτῇ καὶ φίλων, Χριστοφόρος ὄνομα αὐτῷ, ὃν διὰ τὴν προσοῦσαν εὐλάβειαν δι' αἴδους εἶχε, καὶ τιμῆς, καὶ γνησίως ὡμίλει τούτῳ, καὶ τὰ πολλὰ θαῤῥοῦσα τῶν αὐτῆς ἀπῆρχεν. Οὗτος ὑγιής τε ὢν, καὶ μηδεμίαν ἔκ τινος ὄχλησιν ὑφορώμενος νόσου τῷ σώματι, ἐπείπερ ὁμιλίας συνήθους ἔτυχεν, ἀπιέναι μέλλων, μετα μετάνοιαν, τὴν εὐχὴν, ὡς ἔθος, ᾔτησε παρ' αὐτῆς. Ἡ δὲ πρᾳείᾳ φωνῇ λέγει πρὸς αὐτὸν· Ἄπιθι, τέκνον, ὁ Θεὸς ἀναπαύσῃ μετὰ δικαίων τὸ πνεῦμά σου. Ὁ δὲ συνετὸς ὢν ὁ ἀνὴρ, καὶ τὸν νοῦν ὀξύνατος, οὐχ ἁπλῶς εἶναι ῥῆμα τὸ λεχθὲν ὑπείληφραν, ὅθεν καὶ διαταεχθεὶς τὴν ψυχὴν, σύντρομος ἔστη, καὶ κατηφής. Ἰδοῦσα δὲ τοῦτον οὕτως ἔχοντα ἡ ὁσία, ἀνακτᾶσθαι λόγοις ἤρξατο μειλιχίοις· Μὴ θορυβηθῇς, τέκνον, λέγουσα· ἔννοιά μου τὸν νοῦν ἀλλαχοῦ τις εἶχε συντετραμμένον, καὶ προύπεμψεν ἡ γλῶσσά σοι τὴν εὐχὴν οὕτω δι' ἀπροσεξίαν.

83 Ἀλλ' ἐκεῖνος ἅτε πεπειρασμένος αὐτῆς οὐ μετεβάλλετο· ἔνθεν τοι καὶ παρακαθισαμένη τοῦτον πάλιν ὁμιλίας ἀπήρχετο, πρὸς εὐθυμίαν μεταθεῖναι σπουδάζουσα, καὶ προβαίνουσα τοῖς λόγοις παρῄνει τὰ περὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ τὴν ἀπόλαυσιν τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν, καὶ τύν σὺν Χριστῷ

F Jam vero ad aliud, quod sileri non potest, manifestandum compellitur oratio. Vir quidam fuit e familiaribus atque amicis ejus (Christophoro ipsi nomen erat) quem propter pietatem, qua præditus erat, in veneratione et honore habebat, et quocum candide versabatur, plurimaque, quæ ad se attinebant, ei confidebat. Hic cum recte valeret, nullamque e morbo aliquo ægritudinem suspicaretur, conversationis consuetæ factus compos ubi fuerat, jamque abiturus, post profundam corporis inclinationem, sibi ut bene precaretur, de more ab ipsa petiit. Illa vero blanda voce, Abi, inquit, fili: Deus requiescere faciat cum justis spiritum tuum. Ille autem, ut qui vir esset intelligens, et mente perspicacissimus, non de nihilo esse, quod dictum hoc erat verbum, suspicatus est: unde animo perturbatus contremuit atque obmutuit. Sancta eum ita affectum videns, dulci sermone recreare ipsum cœpit: Ne turberis, inquiens, fili: cogitatio quædam mentem meam detinuit alio conversam, et proin per inadvertentiam hoc te voto lingua mea prosecuta est.

Viro cuidam sibi amico

83 Sed ille, experientia utique circa eam edoctus, a sententia dimoveri haud poterat. Unde cum ipso, assidere jusso, colloqui iterum cœpit, disponere ipsum studens, ut bono esset animo; et loqui pergens, sermonem instituit de regno cælorum, fruitione æternorumbonorum, atque immortali vita

prædicit mortem

A. Anonymo. ex MSS. ta cum Christo. Postquam vero ac compunctionem et lacrymas eum movisset; ut novit mentem illius jam esse sedatam et pacatam, dimisit in pace. Domum digressus, cibum sumpsit, et sub hymnos *a* lucernarios *a* nihil amplius locutus præter hocunicum, Caput meum, caput meum, humi prostratus exspiravit. Sed hoc neutiquam erat cognitum. Vixdum itaque is bona Irenes cum venia abierat, quando una e sororibus, quoniam omnino sincere erga virum afficiebatur, sic eam compellat:

ex apparitione cognitam; 84 Cur ita te excusasti, domina mea, Christophoro, qui totus noster est? Et ecce tristis abivit homo, et valde animo mœrens. Illa autem, Abi, inquit, filia; et non invenies eum in vivis. Neque enim hunc ego sermonem temere protuli; sed quo tempore cum illo colloquebar, juvenem vidi, specie splendidum atque indumento, qui pone eum stabat, et falcem acutam admodum tenebat dextera; et stantes una aliquos, qui vitæ ejus tempora digitis suis numerabant; et ad præ-
B sentem usque vesperam eorum esse terminum mutua inter se sententia declarabant. Mox itaque ancillam vocate simplicem: quæ dum adesset, Vade, inquit, filia, ad ædes amici Christophori, et sciscitata, quo loco res ejus sint, statim id nobis renuntiatum veni. Rediisse autem ancillam ac dixisse, quod vivum illum non reperisset, ubi audicrunt, omnes obstupuerunt sorores, et Deo gloriam dederunt, qui tali ipsas dignatus esset magistra. Ab illo itaque tempore, si alicui post congressum exeunti bene precaretur, attendebant accurate; et cuicumque dicebat: Deus requiescere te faciat, fili; citra contradictionem continuo mors illum invadebat.

suam quoque divinitus cognoscit, 85 Quoniam vero oportebat ipsam etiam, ut quæ homo esset, commune mortis debitum persolvere (siquidem mors illius vocanda est, et non potius transmigratio ac perfecta [ad Deum] appropinquatio) hoc ipsum dicit a Spiritu; (Et quomodo propriam ignoraverit mortem, quæ mortem aliorum prædixit?) atque ex ipso audit, uti audire par est eos, qui digni sunt, spiritu loquente. Aderat itaque dies sexta et vigesima mensis Julii, qua ædis monaste-
C rii sacræ, in nomine archangeli Gabrielis ædificatæ,
b annua encæniorum memoria celebratur *b*. Dum autem oraret, Spiritus sanctus ad eam dicit: Et nunc quidem, Irene, festam encæniorum lucem celebrabis, et subsequente anno: tertia vero post hodiernam die, canticum novum cantabis cum angelis, adstans throno divinitatis. Illo autem transacto anno, menseque Julio iterum illucescente, per totos dies septem jejunans orationi vacabat, ac stationi. Postquam encæniorum celebrasset memoriam, ac divinorum mysteriorum facta esset particeps, nullum omnino alium gustavit cibum. Sed venerabile illud pomum (quod discipulum, qui supra pectus Christi recubuit, eique dilectus fuit, simul cum duobus aliis ad ipsam misisse, ut antidotum ei foret, superius diximus; hoc namque semper adhibebat, quia omnem ei ægritudinem adimebat, supernaturale utique alimentum incomparabili odorum suorum fragrantia ad recte patiendum afferens.)

ac miraculoso usu pomo, 86 Illud [inquam] solum cum gaudio ineffabili ubi
c comedisset, atque ex comestione universum monasterium implevisset incomparabili iterum fragrantia, ac divini megalomartyris Pantaleemonis *c* memoriam celebrasset, postridie ad horam nonam visa est animam agere ac deficere; et preces precibus conjungens, crebro oculos ad cælos sustulit, fluenta lacrymarum profundens, subjectumque pavimen-

ζωὴν τὴν ἀνώλεθρον· πρὸς δὲ κατάνυξιν αὐτὸν καὶ δάκρυα D
κινήσασα, ὡς ἔγνω τούτου καθεστηκυῖαν ἤδη τὴν ψυχὴν καὶ γαληνιῶσαν, ἀπέλυσεν ἐν εἰρήνῃ. Ἐπεὶ δὲ τὰ οἰκεῖα κατέλαβε, καὶ τροφῆς μετέλαβε περί που τοὺς ἐπιλυχνίους ὕμνους οὐδὲν πλεῖον εἰπὼν, ἀλλ' ἢ τοῦτο μόνον· Τὴν κεφαλήν μου, τὴν κεφαλήν μου, τῇ γῇ καταβληθεὶς ἐξέψυξεν. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὔπω δῆλον ἦν. Ὡς γοῦν ἐκεῖνος τῇ ὁσίᾳ συνταξάμενος ἀπῄει, μία τῶν ἀδελφῶν, ἐπεὶ καὶ πᾶσα πρὸς τὸν ἄνδρα γνησίως εἶχε, λέγει πρὸς αὐτήν.

84 Ἱνατί οὕτως ἀπελογήσω, κυρία μου, τῷ ἡμετέρῳ κατὰ πάντα Χριστοφόρῳ; καὶ ἰδοὺ περίλυπος ἄπεισιν ὁ ἄνθρωπος, καὶ λίαν κατώδυνος τὴν ψυχήν. Ἡ δὲ, ἀπελθὲ, τέκνον, φησι, καὶ οὐχ εὑρήσεις τοῦτον ἐν τοῖς σῶσιν. οὐδὲ γαρ ἁπλῶς ἐγὼ τοιοῦτον ἂν ἐξεφώνησα λόγον, ἀλλ' ἐν ὅσῳ διαλεγομένη πρὸς αὐτὸν ἤμην, νεανίαν εἶδον λαμπρὸν τῷ εἴδει καὶ τῇ καταστολῇ τοῦ ἐνδύματος, ὄπισθεν ἑστηκότα τούτου, καὶ δρέπανον ἠκονημένην ὀξέως τῇ δεξιᾷ κατέχοντα, καί τινας συνεστῶτας, καὶ τοὺς χρόνους τῆς ζωῆς αὐτοῦ δακτύλοις ἀριθμοῦντας, καὶ μέχρι τῆς παρούσης ἑσπέρας πρὸς ἀλλήλους τούτων εἶναι τὸ πέρας, τὴν ψῆφον E
ἐκφέροντας. Ὅμως δ' οὖν τὴν παιδίσκην εὐηθῆ ἂν καλέσατε· καὶ δὴ παραστάσης, πορεύθητι, τέκνον, εἶπε, παρὰ τὸν οἶκον τοῦ φίλου Χριστοφόρου, καὶ τὰ κατ' αὐτὸν ὅπως ἔχει διερωτήσασα, ταχέως ἡμῖν ἀνάγγειλον ἐλθοῦσα. Ὑποστρέψασαν δὲ καὶ ζῶντα τοῦτον εἰποῦσαν οὐχ εὑρηκέναι τὴν παιδίσκην, μαθοῦσαι ἀπηνεώθησαν πᾶσαι αἱ ἀδελφαὶ, καὶ τῷ Θεῷ δόξαν ἀνέπεμπον, τῷ τοιαύτης αὐτὰς καταξιώσαντι παιδαγωγοῦ. Ἐξ ἐκείνου τοίνυν, εἴ ποτέ τινι μετα τὴν ἐντυχίαν εὐχὴν ἔλεγεν ἐξιόντι, προσεῖχον ἀσφαλῶς· καὶ ᾧ τινι ἂν, ὁ Θεὸς, εἶπεν, ἀναπαῦσαί σε, τέκνον, ἀναντιῤῥήτως αὐτὸν παραπόδας ἡ τελευτὴ κατελάμβανε.

85 Ἐπεὶ δὲ καὶ αὐτὴν ἄνθρωπον οὖσαν ἔδει τὸ κοινὸν ἀποτίσαι χρέος τὸν θάνατον· εἴγε δεῖ θάνατον ἐκείνης ὀνομάζειν, ἀλλὰ μὴ μετάστασιν καὶ τελείαν ἐγγύτητα· μανθάνει καὶ τοῦτο παρὰ τοῦ πνεύματος. Καὶ πῶς γὰρ ἂν τὴν οἰκείαν ἠγνόησε τελευτὴν, ἡ καὶ τὰς ἄλλων προλέγουσα; καὶ ἀκούει παρ' αὐτοῦ, ὡς τοὺς ἀξίους εἰκὸς, λαλοῦντος τοῦ πνεύματος. Παρῆν μὲν οὖν ἕκτη καὶ εἰκοστὴ μηνὸς Ἰουλίου, καθ' ἣν τοῦ τῆς μονῆς ναοῦ, ὃς ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ ἵδρευται, τῶν ἐγκαινίων ἐτήσιος μνήμη τελεῖται. Προσευχομένῃ δὲ λέγει πρὸς αὐτὴν τὸ F
ἅγιον· Καὶ νῦν μὲν ἐπιτελέσεις, Εἰρήνη, τῶν ἐγκαινίων τὴν ἑορτὴν, καὶ εἰς τὸ ἐπερχόμενον ἔτος· τρίτῃ δὲ τὸν σήμερον ᾆσμα καινὸν ᾄσεις μετ' ἀγγέλων τῷ θρόνῳ παραστᾶσα τῆς θεότητος. Ἐκείνου δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ περαιωθέντος, καὶ τοῦ Ἰουλίου πάλιν ἐπιστάντος μηνὸς, παρ' ὅλην ἑβδομάδα ἡμερῶν ἄσιτος τῇ προσευχῇ προσεκαρτέρει, καὶ τῇ στάσει. Τὴν τῶν ἐγκαινίων δὲ τελέσασα μνήμην, καὶ τῶν μὲν οὐδεμίας τὸ παράπαν ἑτέρας ἐγεύσατο τὸ δὲ μῆλον ἐκεῖνον τὸ σεβάσμιον, ὅπερ τὸν ἐπιστήθεον καὶ θείων μεταλαβοῦσα μυστηρίων, τροφῆς ἠγαπημένον τῷ Χριστῷ μαθητὴν μεθ' ἑτέρων δύο πρὸς αὐτὴν ἀπεσταλκέναι φυλακτήριον αὐτῇ ὁ λόγος ἀνωτέρω δεδήλωκε· καὶ γὰρ εἶχεν αὐτὸ διαπαντὸς πᾶσαν αὐτῆς ἐξαῖρον ἀθυμίαν, ἅτε τροφὴν ὑπερφυῆ τῷ τῶν ὀσφράντων ἑαυτῆς διακριτικῷ πρὸς εὐπάθειαν προσφέρουσα.

86 Τοῦτο μόνον μετὰ χαρᾶς ἀνεκλαλήτου φαγοῦσα, καὶ πληρώσασα τῇ διαμασσήσει πᾶσαν τὴν μονὴν ἀσυγκρίτου πάλιν τῆς εὐωδίας, τήντε τοῦ θείου μεγαλομάρτυρος Παντελεήμονος μνήμην ἑορτάσασα, τῇ ἐπαύριον περὶ τὴν ἐννάτην ἀγωνιᾷν ἐοίκει καὶ ἀδημονεῖν, καὶ εὐχῇ τὴν εὐχὴν συνάπτουσα, πυκνὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς οὐρανοὺς ἀνέτεινε, δάκρυα ποταμηδὸν προχέουσα, καὶ τὸ ὑποκείμενο
ἔδαφος

A ἔδαφος καταῤῥαίνουσα, καὶ τὸν αὐτῆς ὅλον διάβροχον τιθεῖσα χιτῶνα, ὥστε καὶ τὰς ἀδελφὰς διαταραχθείσας τῷ παραδόξῳ τοῦ πράγματος καὶ διαπορουμένας τὸ τολμῆσαι προσελθεῖν, καὶ τὴν αἰτίαν τοῦ τοσούτου κλαυθμοῦ ζητῆσαι μαθεῖν. ἡ δὲ μόλις ποτὲ πρὸς αὐτὰς ἀπεκρίνατο·

87 Σήμερον, τέκνα μου, τοῦ παρόντος ἀπάρασα βίου, πρὸς ἕτερον ἄπειμι κόσμον αἰώνιον· καὶ οὐκέτι μου τὸ πρόσωπον ὄψεσθε· ἰδοὺ γὰρ ἡ ὥρα τῆς ἐμῆς ἐφέστηκεν ἀναλύσεως· ἕξετε δὲ τὴν κυρὰν Μαρίαν ἀντ' ἐμοῦ εἰς μητέρα πνευματικήν· τοῦτο γὰρ καὶ Θεὸς ἄνωθεν εὐδοκεῖ· καὶ καλῶς ὑμῖν αὕτη προστήσεται. Σπουδάσατε διὰ τῆς στενῆς ὁδοῦ καὶ τεθλιμμένης εἰς τὸ πλάτος τῆς αἰωνίου καταντῆσαι ζωῆς· μισήσατε τὸν κόσμον καὶ τὰ ἐν κόσμῳ· ματαιότης γὰρ ματαιοτήτων τὰ πάντα ματαιότης· μισήσατε τὰς ψυχὰς ὑμῶν, ὅπως ταύτας κερδήσητε ἀντιπίπτουσαι τῷ θελήματι τούτων, καὶ ἀγαπῶσαι τοῦ Θεοῦ μόνον θέλημα. Οὐδεὶς γὰρ ἡμῖν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ κριτηρίου προστήσεται κρινομέναις, ἀλλὰ γυμνοῖς ἀνιστάμεναι τοῖς σώμασι, καὶ μηδένα τῶν συγγενῶν ἢ φίλων εὑρίσκουσαι βοηθὸν, ποταπῇ
B διακεισόμεθα τῇ διαθέσει ἀναλογίσασθε. Μόνος γὰρ εὑρίσκεται τότε δυνάμενος ἡμᾶς τῆς καταδίκης ἀπολῦσαι, Χριστὸς ὁ κρίνων, ὁ καὶ προλέγων ταῦτα, καὶ πολλὰ παρακαλῶν ὑμᾶς νῦν καὶ καταφρονούμενος.

88 Τοιαύτας καὶ τελευταίας ποιησαμένη τὰς παραινέσεις, ὄμματα καὶ χεῖρας εἰς οὐρανὸν διάρασα· Κύριέ μου καὶ Θεὲ, εἶπεν, Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον τῶν ψυχῶν ἡμῶν, εἰς χεῖράς σου παρατίθημι τὸ τοσοῦτο μικρὸν ποίμνιον. Τήρησον αὐτὸ ἐν τῷ ὀνόματί σου· σκέπασον αὐτὸ τῇ σκέπῃ τῶν πτερύγων σου, καὶ διατήρησον ἀπὸ τῶν ἐμπειριῶν τοῦ πονηροῦ· ὅτι σὺ εἶ μόνος ὁ ἐλεῶν καὶ σώζων, καί σοῦ ἐστιν ἡ ἐξουσία, καί σοῦ ἐστιν ἡ δύναμις. Σὺ γὰρ εἶ ὁ γενόμενος ἡμῖν δικαιοσύνη καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις· καὶ σοὶ εὐχαριστοῦμεν, καὶ σὲ δοξολογοῦμεν εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Καὶ ταῦτα εὐξαμένη ἐκάθισε, καὶ ἤρξατο μειδιᾷν, οἷα δὴ τῶν μελλόντων αὐτὴν ἀγαθῶν διαδέξασθαι πολλῶν ἐν συναισθήσει γενομένη· καὶ τοὺς ἀπάξοντας αὐτὴν ἀγ-
C γέλους φωτοειδεῖς ὁρῶσα, καὶ ἡδομένη, οἷς δὴ πάντως καὶ φιλικῶς προσωμίλει συνηχέστατα. Καὶ παραυτίκα τὸ πρόσωπον αὐτῆς ἔλαμψεν ὡς ὁ ἥλιος. Ὥσπερ δὲ μεταλαβεῖν ὕπνου δόξασα, μικρὸν τοὺς ὀφθαλμοὺς καλυψαμένη, τὴν ἱερὰν αὐτῆς ψυχὴν ἀπέδοτο τῷ Θεῷ.

89 Καὶ εὐθέως θροῦς διηγείρετο, καὶ θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολὺς ταῖς κατὰ πνεῦμα θυγατράσιν αὐτῆς διηχεῖτο, καὶ συναποθανεῖν, εἰ δυνατὸν, ἐθελούσαις αὐτῇ· τὴν γὰρ ταύτης στέρησιν οὐ φορητὴν ὅλως ἐνόμιζον. Διαδοθείσης δὲ πανταχοῦ τῆς τελευτῆς ἐν ἀκαριαίᾳ ῥοπῇ, πᾶσα συνέῤῥεον πρὸς τὴν μονὴν ἡ πόλις σχεδὸν, ὡς μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν χωρεῖν βιαζόμενα ταῖς εἰσόδοις τῆς πληθύος· τῶν ποταμῶν γὰρ εἰκάσετο ῥεύματα. Ἀλλ' οὐδὲ τὰς τῶν συγκλητικῶν γυναῖκας ἅμα καὶ θυγατέρας ἀπολιμπανομένας ἦν ὁρᾷν τῆς συνελεύσεως. Καὶ αὗται γὰρ πᾶσαν αἰδῶ παρωσάμεναι πρὸς τὸ τῆς ὁσίας ἔνθεον λείψανον ἁγιασμὸν ἀρύσασθαι σπεύδουσαι· αἱ μὲν τῇ προσψαύσει, αἱ δὲ καὶ μόνῃ τῇ ὁράσει, ὅσαις μὴ τῆς ἀφῆς ἢ τοῦ πλήθους παρεχώρει φορά. Ὀψὲ δὲ τῆς νυκτὸς μόγις ὁ ὄχλος μετρίαν ἐδίδου τὴν ἄδειαν τὰ πρὸς τὴν κηδείαν τοῦ ἱεροῦ σώματος ἐκείνου ταῖς μοναζούσαις ἑτοιμάσασθαι. Ἀνῆπτον δὲ λαμπάδας καὶ κηροὺς καὶ μάλιστα ὅσοι τῆς συγκλήτου συνεληλύθασιν, ὑπὲρ ἀριθμὸν, καὶ μεγαλοπρεπέστατα μύρα τε, καὶ θυμιάματα τῶν εὐωδεστάτων, καὶ πολυτίμων ὑπὲρ μέτρον ἀφειδῶς ἀνηλίσκετο.

90 Ἀλλ' οὐκ ἦν ἄρα ταῦτα τῆς ἐκ τοῦ χρωτὸς αὐ-

tum irrigans, et totum suum madefaciens vestimentum; adeo ut sorores rei novitate perturbatæ, atque animi dubiæ, an auderent ad ipsam accedere, et tanti planctus causam rescire quærerent. Illa autem vix tandem ipsis respondit : *A Anonymo. ex mss.*

87 Hodie, filiæ meæ, e præsenti vita migrans, ad alium discedo mundum, eumque æternum : et non amplius videbitis faciem meam. Ecce enim tempus resolutionis meæ instat : habebitis autem dominam Mariam meo loco in matrem spiritualem : hoc etenim Deo placitum est ex alto : illa namque bene vos defendet. Date operam, ut per angustam et arctam viam perveniatis ad latitudinem vitæ æternæ : odio habete mundum, et omnia, quæ in mundo sunt : nam vanitas vanitatum [et] omnia vanitas : odio habete animas vestras, ut eas lucramini, voluntati earum resistentes, et solam Dei voluntatem diligentes : nemo enim nos in tremendo judicio judicandas defendet; verum nudis resurgentes corporibus, et neminem ex cognatis aut amicis adjutorem invenientes, quam varia simus fluctuaturæ affectione, considerate. Solus enim tunc E invenietur, qui possit nos a damnatione liberare, Christus judex, qui etiam prædicit ista, et multis nos monet nunc etiam dum contemnitur. *Consolataque subditas suas atque ad virtutem hortata,*

88 Extremis hujusmodi adhortationibus usa, oculis ac manibus in cælum sublatis, Domine mi ac Deus, inquit, Jesu Christe, Fili Dei vivi; qui es pastor bonus; qui dedisti temetipsum redemptionem pro animabus nostris; in manus tuas trado hunc parvum gregem : serva illum in nomine tuo : tege illum sub velamento alarum tuarum, et conserva a calliditate maligni spiritus : quia tu es solus misericors et salvator, et tua est potestas, et tua est virtus. Tu enim es, qui nobis factus es justitia, et sanctificatio et redemptio : tibi gratias agimus, teque glorificamus in secula. Amen. Hæc ubi precata esset, sedit, et subridere cœpit; ut quæ cumulandam se multis futuris bonis præsentiret, angelosque lucidos videret, se abducturos, seque iis oblectans, quibuscum amice prorsus ac sæpissimo versata fuerat. Et statim vultus ejus splenduit instar solis. Non secus autem ac si somnum capere videretur, oculis aliquantulum clausis, sacram suam animam tradidit Deo. F *Deo se commendat, ac placide exspirat.*

89 Et mox tumultus excitabatur; et lamentatio, fletus ad luctus multus in filiabus ejus spiritualibus resonabat, commori ipsi, siquidem fieri posset, volentibus : nam ea privari, intolerabile omnino putabant. Dicita itaque quaquaversum, momento temporis individuo, hac morte, omnis pene ad monasterium civitas confluebat, adeo ut multitudini, violentiam facienti ad portam, ingressus non pateret : nam fluviorum fluentis similes erant. At senatorii quoque ordinis mulieres simul ac filias videre erat ab accessu non deficientes : nam, suæ conditionis immemores, ad Sanctæ corpus, Deo afflatum, sanctificationem hausturæ properabant; hæ quidem attactu, illæ autem solo visu; quibus utique turbarum tumultus tactum non permittebat. Vix tandem intempesta nocte tumultus indulgebat tantillum securitatis monialibus, ut quæ ad parentandum isti sacro corpori conducerent, præpararent. Accendebant autem lampades, cereosque, hi potissimum qui ex ordine senatorio convenerant, supra numerum; et magnificentissima unguenta et thymiamata fragrantissima supra modum profuse consumebantur. *Frequentissimus ad illam concursus,*

90 Nec vero hæc, tametsi multa essent, obfuscare

A. Anonymo ex mss.

corporis fragrantia, sepulcrum;

fuscare poterant, quam corpus ejus spirabat, fragrantiam; cui dum hæc essent admixta, mirabilem quamdam, et quidnam aliud efficiebant quam divinam aliquam fragrantiam? Postquam igitur virgineum, atque sanctificatione honoratum corpus illud honorassent, hymnis et canticis spiritualibus Deum, qui illud inhabitaverat atque inambulaverat, magnificantes, loculo illud tunc incluserunt; at paulo post novo adornato sepulcro, in oratorio Christi martyris Theodori, ædi sacræ monasterii contiguo, honorifice illud deposuerunt, similem imo multo mirabiliorem fragrantiam emittens: et dum iterum psalmorum cantu ac luminis accensione illa [honorabant,] mysterium exprimebant illuminationis, qua afficitur in cælis, atque ineffabilis gloriæ.

τῆς ἀναδιδομένης εὐωδίας ἀντισχεῖν, καίπερ ὄντα πολλά· D κεραννύμενα δὲ πως αὐτῇ, παράδοξόν τινα καὶ τί γαρ ἕτερον ἢ θείαν τὴν ὀσμὴν ἀπετέλουν; Τιμήσαντες δὲ τὸ παρθένιον καὶ ἁγιασμῷ τετιμημένον ἐκεῖνο σῶμα, καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς τὸν ἐνοικήσαντα ἐν αὐτῷ, καὶ ἐμπεριπατήσαντα μεγαλύνοντες Θεόν, τότε μὲν ἐν γλωσσοκόμῳ συνέστειλαν· μετ' ὀλίγου δὲ τάφον καινὸν εὐπρεπίσαντες, ἐν εὐκτηρίῳ τοῦ χριστομάρτυρος Θεοδώρου τῷ τῆς μονῆς συνημμένῳ ναῷ ἐντίμως κατέθεντο, τὴν ὁμοίαν ἢ καὶ πολλῷ θαυμασιωτέραν ἀναπέμπον εὐωδίαν, καὶ ψαλμῳδίαις πάλιν καὶ φωταψίαις ταύτην [καταξιοῦντες,] τὸ μυστήριον ἐχαρακτήριζον τῆς ἐν οὐρανοῖς ἀποκειμένης αὐτῇ φωταγωγίας καὶ δόξης ἀνεκφράστου.

tempus vitæ, miracula post mortem patrata.

91 Fertur vero vitæ ipsius tempus ad centum usque annos, exceptis tribus, extensum fuisse; nullumque senectutis in se indicium vidisse propter immarcescibilem virginitatis florem. At vero cognatus ille, quem beatissima Irene e manibus imperatoris liberavit, omni tempore vitæ suæ assidue ad B sepulchrum accedens, monumentum ejus perficere non prætermisit summo cum splendore ac magnificentia; sic ipsi, etiam postquam e vita migrasset, indesinenter gratias agens. Et nunc sane pretiosus ejus loculus omnium bonorum fons est: et quisquis ad illum accurrit, quibuscumque demum indigeat, salutem quærens, paratissimum invenit et salutarem: hi potissimum, qui ab illis, qui diligunt malitiam super benignitatem, et iniquitatem magis, quam loqui æquitatem, ad tribunalia trahuntur: in quibus omnino delictum est, secundum divinum Apostolum, quod judicia habent. Væ enim, quia frater cum fratre judicio contendit.

91 Λέγεται δὲ τὸν τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνον εἰς ἑκατὸν, τριῶν δεόντων, ἔτη παρεκταθῆναὶ, και γνώρισμα γήρους ὁρᾶσθαι μηδὲν διὰ τὸ τῆς παρθενίας ἄνθος τὸ ἀμάραντον. Ὁ μέν τοι συγγενὴς ἐκεῖνος, ὃν ἐῤῥύσατο τῶν βασιλικῶν ἡ Μακαριωτάτη χειρῶν, οὐ διελιπεν ἐν παντὶ τῷ τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνῳ συνεχῶς ἐπὶ τὸν τάφον παραγενόμενος, τὴν μνήνην αὐτῆς ἐπιτελῶν λαμπρότατά τε καὶ πολυτελέστατα καὶ τὴν εὐχαριστίαν οὕτως ἀποδιδοὺς ἀδιαλεὶπτως καὶ μεταστάσῃ. E Καὶ νῦν ἐστιν ἡ τιμία ταύτης σορὸς πάσης ὠφελείας πηγή· καὶ πᾶς τις προτρέχων αὐτῇ, καὶ ὧν ἄν δέοιτο, τὴν θεραπείαν ἐπιζητῶν, ἑτοιμοτάτην εὑρίσκει καὶ προσφορον. Καὶ μάλιστα οἱ τοῖς ἀγαπήσασι κακίαν ὑπὲρ ἀγαθοσύνην, καὶ ἀδικίαν ὑπὲρ τὸ λαλῆσαι δικαιοσύνην, εἰς δικαστήρια ἕλκονται, οἷς ἥττημά ἐστιν ὅλως, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, ὅτι κρίματα ἔχουσι. Φεῦ γαρ, ὅτι ἀδελφὸς μετα ἀδελφοῦ κρίνεται.

gratia dissidentes conciliandi.

92 Et quare, inquit, non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus. An non scitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Ac rursum ille: Quorum super iracundiam sol occidit. Nam Sancta a pace, quæ exsuperat omnem sensum, nomen *d* gerens, ab ea quoque perfectam pacis conciliandæ gratiam consecuta fuit: nam Christus pax nostra est, qui nos sibi reconciliavit per crucem a peccato debellatos. Occulta quippe ac divina virtute dat ut reducantur utriumque, supra quam dici possit, in gratiam non ii dumtaxat, qui heri et hodie atque nudius tertius, C sed ut illi etiam, qui per longum tempus exacerbati atque efferati, alter alterius ne nomina quidem auribus percipere sustinebant. Atque hoc donat illi, qui cum fide accedit, et ad charitatis legem revocatur, a qua ad tempus declinavit, dum injuria esset affectus. Angelorum enim, inquit, est, non peccare: hominum vero intelligentia præditorum pœnitere, dum peccant. Faxit Deus, ut charitatis legem Sanctæ intercessionibus custodiamus, ut cognoscant omnes, nos per ipsam discipulos esse Christi: quem decet omnis gloria, honor, et adoratio; cujus cum Patre, et sancto Spiritu una est divinitas et imperium nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

92 Καὶ διατί οὐχ μᾶλλον ἀποστερεῖσθέ, φησιν, ἀλλὰ [ὑμεῖς] ἀδικεῖτε καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ ταῦτα ἀδελφούς. Ἤ οὐκ οἴδατε ὅτι ἄδικοι βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι; Καὶ αὖ πάλιν ἐκεῖνος· Οἷς ὁ ἥλιος παροργιζομένοις ἐπιδύεται. Τῆς γαρ ὑπερεχούσης πάντα νοῦν εἰρήνης ἐπώνυμος γενομένη, καὶ τελείαν εἴληφε τοῦ εἰρηνεύειν τὴν χάριν παρ' αὐτῆς. Χριστὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, καταλλάξας ἡμάς ἑαυτῷ διὰ τοῦ σταυροῦ πολεμωθέντας διὰ τῆς ἁμαρτίας. Ἀῤῥήτῳ γαρ καὶ θείᾳ δυνάμει δίδουσιν ἀλλήλοις καὶ ὑπὲρ λόγον καταλλάττεσθαι τοῖς οὐ χθὲς καὶ σήμερον κοὶ πρὸ ἐκείνες μόνον, ἀλλά καὶ ἐπὶ μακρὸν ἠγριωμενοις καὶ τεθηριωμένοις, καὶ μηδ' ἀκοῇ τὰς κλησεις θάτερον ἀνεχομένοις ενωτίζεσθαι θατέρου· F καὶ τοῖτο χαρίζεται τῷ πίστει προσερχομένῳ, καὶ τῆς ἀγάπης ἀνακαλουμένῳ τὸν οὗ πρὸς καιρὸν παρέκλινε θεσμὸν ἐπηρεασθείς. Ἀγγέλων γάρ, φησι, τὸ μὴ ἁμαρτάνειν· τῇ ἀνθρώπων δὲ συνέσει τετιμημένων τὸ ἁμαρτάνοντας μεταμελέσθαι. Καὶ εἴη μέν γε τὸν τῆς ἀγάπης τηροῦντες νόμον ταῖς αὐτῆς μεσιτείαις, ὥστε γινώσκεσθαι πᾶσιν ἡμᾶς ἀπ' αὐτῆς μαθητὰς τοῦ Χριστοῦ· ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις σὺν τῷ Πατρί, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, τῇ μιᾷ θεότητι καὶ βασιλείᾳ νὺν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Per hos hymnos intelligo illos, qui* ἐπὶ τὸν λύχνον, ad lucernam *adhibebantur, quando peragebatur* lucernarium: *nam* lucem cum precibus oblatum Deo, lucernarium est, *uti videre est apud Goarem in notis ad Ordinem sacri ministerii pag.* 30; *ubi et discrimen assignat inter officium* ἑσπερινὸν vespertinum, *et* λυχνικὸν, lucernarium; *quod illud sit totum vespertinum Officium; hoc autem prima tantum ejus sit pars, quando sol occidit, et tempus instat lucernæ Deo offerendæ.* Lucernarii *orationes habes ibidem a pag.* 35; *sed hymnos ibi non invenio.*

b *Vide Prætermissos ad istum diem.*

c *Sanctus iste Martyr (alias* Pantaleon) *apud Græcos* 27 *hujus; apud Latinos vero antiquos martyrologos hoc die* 28 *celebratur: quamquam die* 27 *in Romano Martyrologio signetur, quo et ipsum dedimus. Consule observationes ad Usuardum nostrum, hoc dicto die* 28 *Julii.*

d Εἰρήνη *quippe Græce significat pacem.*

DE

A

DE S. BOTUIDO MARTYRE

IN SUECIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Sancti cultus, et Acta.

ANNO MC. Cultus hodiernus ex Martyrologiis et antiqua Missali probatus:

Annuntiatur hujus hodie memoria, sed sine positione seu loco cultus aut martyrii, in Florario nostro Sanctorum Ms. his verbis : Item sancti Botuidi martyris : *in Usuardo aucto, juxta editionen Lubeco-Coloniensem :* Eodem die, sancti Botuidi martyris ; *juxta editionem Greveni anni* 1515 : Botuidi martyris; *juxta ejusdem aliam anni* 1521 : Botwidi martyris. *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum eodem hoc die sic habet :* In Suecia, S. Botwidi martyris, miraculis clari : *in annotatis vero significat, se hæc eruisse* ex Kalendario Suetico ; *additque :* De eo in libello B Sanctorum Gothiæ et Sueciæ ; in quo illum, in peregrinatione a Sclavo quodam interfectum, claruisse miraculis narratur. *In Missali quodam votivali, quod ad Suecorum usum compositum fuisse indicant Sancti proprii, de quibus agit; excusum autem esse circa finem seculi decimi quinti ex typis colligitur ; in illo, inquam, Missali* de S. Botwido Officium *hoc die præscribitur, et Missa exhibetur ; in qua tamen nihil est singulare, unde Acta ejus illustrari possint ; quare ex illa nihil hic videtur exscribendum.*

Officium ejus proprium,

2. *Officium ejus editum est Antverpiæ anno* 1651 *inter alia* propria SS. Patronorum regni Sueciæ ex vetustis Breviariis ejusdem regni deprompta ; ad instantiam serenissimi Sigismundi III, Sueciæ et Poloniæ regis, a sac. Rituum congregatione, auctoritate Apostolica, recognita et approbata. *Celebrandum autem hoc eodem die proponitur ritu duplici. Præterea vero, quæ ex communi unius* C *Martyris recitanda sunt, propria leguntur in primis Vesperis Hymnus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio, quæ hic non pigebit adscribere :*

HYMNUS.

Gaude, cælestis civitas,
Grata depromens cantica :
Botuidi clara sanctitas
Laude lucet magnifica.
Lætetur Sudermania,
Tale producens lilium ;
Congratuletur Anglia,
Tantum baptizans Filium.
Verba David, ne effluant,
Cordi curavit tradere :
Divitiæ si affluant,
Nolite cor apponere.
Job sancti memor operum,
Sectatur innocentiam :
Tobiæ, patris pauperum,
Secutus est clementiam.
Post impios non abiit,
Nec appetit terrestria ;
Sed onus leve subiit,
Regna petens cælestia.
O fortitudo Martyrum
Christe, Botuidi precibus,
Optatum nobis bravium
Concedas in cælestibus. Amen.

Ad Magnificat ANTIPHONA.

Botuide, tiro nobilis, victor scandens de prælio, in morte rosæ similis, vita candenti lilio, nos hujus vitæ labilis latentes in exsilio conjunge Martyr sublimis, Sanctorum domicilio.

ORATIO

Eadem quæ prima in laudato Missali veteri.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, veræ fidei splendor illuceat; et beati Botuidi martyris tui salutaris intercessio ab instantibus periculis nos defendat. Per dominum *etc.* E

cum approbatione apostolica

3 *Lectiones tres secundi nocturni Acta Sancti continent, qualia e Vastovio dabuntur, nisi quod paulo contractiora sunt, ne modum excedant. In tertio nocturno Lectiones sunt de Euangelio Joannis,* Nisi granum frumenti cadens in terram *etc. et Homilia S. Augustini ex tractatu* 51 *in Joannem. At in Missali jam dicto Euangelium legitur ex Matthæo,* Si quis vult post me venire *etc. Porro in hoc nocturno tantum propria sunt Responsoria, post septimam videlicet et octavam Lectiones : primum est :* De Sodoma Lot exiens, in monte servat animam ; David salvatur fugiens ; Joseph evadit dominam ; * justus currit pertransiens ad urbem munitissimam. ℣. Pauperibus compatiens, in cælo parat sapiens mansionem tutissimam. Justus. *Alterum :* O nardus odorifera, ægris sana corporibus, apis fructu mellifera, corda mulcens dulcoribus ; * Precatus offer munera Christo pro peccatoribus. ℣ O uva fructifera, translata super æthera, numquam marcescens floribus, Precatus. Gloria. Precatus. F

non semel excusum.

4 *In laudibus propriis est Hymnus cum Antiphona ad Benedictus, ut sequitur :*

HYMNUS.

Botuidi laudes colere
Devotes decet mentibus,
Qui suæ precis munere
Nos servat a nocentibus.
Corpus arctat jejuniis,
Ut spiritum non deprimat ;
Christi vacat obsequiis,
Ne vanitates hauriat.
Sanctum reddit amabilem
Cunctis vitæ sobrietas,
Pudicum, castum, stabilem,
Potus cibique parcitas.
Qui Martyrem magnanimum,
Felicem post victoriam,
Ad verum vexit gaudium,
Ipsi canamus gloriam.
O fortitudo Martyrum *etc. ut supra.*

Antiphona ad Benedictus : O turris fortitudinis, candens nocte carbunculus, corona pulcritudinis, puræ myrrhæ fasciculus, Columna rectitudinis, cæcis et claudis baculus, noster ad sedem luminis promotor esto sedulus. *Superest Antiphona ad Magnificat in secundis Vesperis :* Vale, robur debilium, monstratus ab avicula, consolator flebilium, puritatis ovicula : te pugilem mirificum tua laudat plebecula, numen petit salvificum pia deflens

AUCTORE P. B.

deflens pericula; quam per tuum auxilium, vitæ subacta nebula, tractu ducat ad Filium Pater vivens in secula.

Acta Mss. obscura valde et jejuna.

5 *Acta* S. Botuidi *duplicia reperimus: et prima quidem nobis descripsit anno* 1641 *laudatus toties nec satis umquam in opere nostro laudandus P. Joannes Gamans noster* ex Bodecensis cœnobii Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, diœceseos Paderbornensis, Passionali pergameno Ms. insigni, mensis Junii fol. 232 verso, *ut erat adnotatum. Habemus eadem prorsus aliunde exscripta; sed nescio, cujus oscitantia factum sit, ut sciri jam non possit, unde prodierint: consonant omnino tamen, nisi quod in codice Bodecensi vox una desiderabatur, quæ in hoc apographo erat expressa. Eademne sit Vita, quæ, teste nupero editore atque illustratore Vitis Aquiloniæ, in Annotationibus col.* 45, *penes O Ernhielmium, historiographum Suecium, fuerit ab anonymo composita, et ex codice vetusto descripta,* B *equidem ignoro. Hoc certum, narrationem esse perquam jejunam, adeoque cum loci tum temporis destitutam limitibus, ut id, quod refertur, nescias, seculo duodecimo contigerit, an primo; in Suecia, an potius in Italia aut alia quavis maritima mundi plaga. Hanc proinde solam præ oculis habuisse Martyrologos illos putamus, quos num.* 1 *citavimus; ideoque locum cultus aut martyrii præter morem omisisse, quod illum ex Actis hisce eruere non potuerint. Necesse tamen est, ut et nomen Sancti et diem ejus festum aliunde acceperint; cum in utroque apographo nostro, non* Botuidus, *sed* Botwinus *appelletur: nec ulla celebritatis ipsius anniversariæ fiat mentio.*

Alia excusa, in quibus Martyris ætas.

6 *Altera Sancti hujus Acta ex Annalibus Suecicis et Breviariis antiquis in Vite Aquilonia, Coloniæ Agrippinæ anno* 1623 *primum typis vulgata, deinde anno* 1708 *recusa atque illustrata Upsaliæ, protulit Joannes Vastovius, Gothus, protonotarius apostolicus et canonicus Warmiensis, vir in rebus patriis eruditus in paucis, et avitæ pietatis ac religionis assertor egregius; atque adeo* C *Sigismundo* III *Poloniæ ac Sueciæ regi olim unice carus et utilis. Protulit, inquam, ea in priori Vitis editione pag.* 59, *ubi hunc titulum præfigit:* S. Botuidus Martyr floruit anno Christi MC, Paschali II Pontifice, Henrico III imperatore, Ingone IV rege; *atque ita in ipsa fronte narrationis suæ supplere cœpit, quod Actis prioribus nostris deerat. Sunt quidem, qui martyrium hoc in annos alios conferant, puta in* 1120, *et* 1176, *ut in annotationibus citatis discitur; sed illi ibidem commiscuisse putantur annos encæniorum primi, in memoriam hujus Martyris exstructi templi lignei, et secundi lapidei, cum anno mortis. Nobis instrumenta non suppetunt, quibus controversiam hanc dirimamus; sed neque de templo ligneo ac subinde lapideo, quæ annis modo dictis erecta fuerint aut consecrata, quidquam alibi legimus: si tamen id probari solide possit, non parum ad* S. Botuidi *gloriam faciet; cum inde consequens esse debeat, ut ejus publica veneratio paucis post cædem annis non initium modo, sed ingens etiam incrementum acceperit.*

ceteraque ad eum spectantia traduntur uberius.

7 *Multa sunt alia scitu dignissima, quæ in Actis Mss. desiderantur, quæque in lucem eduxit Vastovii fides ac diligentia: ut Martyris patria, parentum ejus superstitio, studia juventutis, conversio ad Christum, prodigiosa piscatio, locus martyrii, sepulcrum æde sacra decoratum, annua ejus hoc die memoria, apparitio denique facta S. Brigittæ; quorum omnium nihil est in Mss. nostris;* D *quæ quidem ideo supprimenda non duximus, tum quod longa non sunt, tum etiam quod satis, si Martyris ætatem attendimus, antiqua; sed illis tamen adjungenda necessario fuit lucubratio Vastoviana; utpote a qua* S. Botuidi *notitia longe præcipua, et lux omnis historica repeti debeat.*

ACTA PRIORA.

Ex passionali Ms. cœnobii Bodecensis.

Martyris caritas erga Deum et proximum.

Beatus Botwinus *a* magnæ sanctitatis et miræ devotionis exsistens, fide pollebat, et charitate totus in Deum et proximos effluebat; unde nec sibi ipsi, nec suis temporalibus rebus parcebat; sed omnia in proximorum utilitatem hilaris dator pie commutavit, pro certo sperans, æterna se recepturum. Pro ecclesiarum ædificiis E multa donaria mittebat, pauperibus largas eleemosynas faciebat; captivos vero Paganos, ut Christiani fierent, Christi amore ductus redimere solebat, et misericordiam, quam sibi a Deo semper optabat, omnibus exhibebat: creverat enim cum eo ab ipsis cunabulis miseratio.

Redimit Sclavum et convertit.

2 Unde contigit, quod, cum sanctus Vir quemdam Sclavum *b* captivum redimeret, et in fide Christi informaret, fervore etiam amoris eumdem ad suam propriam patriam remitteret, sic eum alloquitur: Vide, fili, ne fidem, quam Deo et Domino nostro Jesu Christo servare pollicitus es, in hac necessitate *c* constitutus, violare præsumas, cum fueris libertati restitutus. Vir ille igitur malitiosus verba exhortationis et salutis in suæ vertit incrementum damnationis: nam exinde non solum propria malitia, verum etiam diaboli instinctu, qui bonis operibus insidiatur ut pereant, tempus observavit, ut Sancto Dei malum pro bono redderet, et impie ipsum pro pietate sibi impensa trucidaret.

quem cum spe alios lucrandi in patriam vult remittere,

3 Illo igitur tempore, quo solent nautæ insulis naves applicare, cogitavit Vir sanctus inceptum opus bonum ad finem usque perducere, ut Sclavum, quem pie de captivitate redemerat, F etiam ad patriam securum remitteret. Et suadens ei dixit Botwinus: Cum perveneris ad tua, fili, parentes et cognatos tuos informa in fide et in amore Jesu Christi; ut simul possitis ad ejus misericordiam pervenire. O magna charitas! quæ omnia bona credit, omnia sperat, omnes homines desiderat esse secundum se, ut Apostolus ait. Sanctus igitur Botwinus, vocato in adjutorium quodam proprio colono, nomine Hesberno, compositis sumptibus et aliis necessariis, navem conscendunt, in insulis et maris sinibus circumgyrantes, nullam navem illorum voluntati dispositam invenire potuerunt.

ad ipsomet dormiens obtruncatur.

4 Sero itaque facto, et die solis occasum petente, ad insulam quamdam arboribus densam applicuerunt. Vir Dei sic socios alloquitur: Dormite usque ad solis ortum iterum: tunc enim spero, nos non, sicut hodie, in vanum laboraturos. Sanctus Botwinus solito more sub quadam densa arbore orationis secretum flexis genibus petens, præ nimia lassitudine obdormivit; Hesbernus vero circa navem se deponens similiter obdormivit: quod videns dictus Sclavus, accepta *d* securi

A secuti, quam sanctus Botwinus in manu, causa sustentationis *d* gestare solebat, caput ejus impudenter impetens, crudeliter occidit; atque, eo relicto, Hesberni caput abscindens, navem ascendit, sicque aufugit.

Corpus invenitur indicio aviculæ.

5 Cum autem cognati et amici Viri sancti, ejus reditum exspectantes, minime redire viderent, sacerdotis parochialis quærunt consilium cum lacrymis, quid sit super eo faciendum. Ille vero una cum eis navem ascendit; præmissa oratione, remigare præcipit, sed quo penitus ignoravit. Avicula autem, miræ pulcritudinis et suavissimæ vocis et rarissimæ speciei, proræ insidens, optimam melodiam promere cœpit. Quam cum juvenes lascivia ducti, capere vellent, Presbyter prohibuit, dicens: Sinite illam; quia forte ductrix sit missa felicis viæ nostræ a Deo. Cujus dicti veritatem, rei probavit eventus: cum enim vellent insulam præcedere *, in qua Sanctus occisus jacebat, avicula a navi volans usque ad arborem, sub qua Sanctus jacuit, præcedens eos dirigebat.

** id est, præterire*

B

ANNOTATA.

a Botwinus *constanter scribitur in utroque apographo nostro; cum alibi semper legerimus* Botuidum, *vel* Botwidum: *ut proinde videatur eatenus mendosus esse codex uterque, quem sequimur.*

b Sclavum *intellige ex illis Germaniæ populo, qui mare Balticum olim accolentes* Sclavi *dicebantur.*

c In hac necessitate, *id est in hoc periculo: ibat enim jam Christianus ad ethnicos Christo infensissimos.*

d *In Vita impressa tantum dicitur,* securi propria. *Et sane videtur ex adjunctis Sanctus noster melioris fuisse fortunæ, quam ut misere victum quærere lignando cogeretur. Erant vero olim etiam secures in Septemtrione pro armis. Forte etiam iis, ut baculis, utebantur ad* sustentationem *corporis.*

ACTA ALTERA

C

Ex editis a Joanne Vastovio in Vite Aquilonia.

Botuidus natus in Suecia, conversus in Anglia, patriæ fit apostolus.

Gloriosus Christi martyr Botuidus; in regno Sueciæ, provincia Sudermaniæ *a*, honestis sed infidelibus parentibus natus, cum adhuc juvenis esset, ne ad fruges consumendas videretur in lucem editus, negotiationis causa in Angliam profectus fuerat; ubi a quodam sacerdote singularis doctrinæ et sanctitatis viro, hospitio exceptus, non solum mysteria fidei Christianæ didicit, verum etiam gratia Baptismi accepta, in disciplina vitæ et perfectionis Christianæ egregie institutus est. Reversus in patriam gaudens, ut quondam felix ille eunuchus, a Philippo diacono baptizatus, multos cives suos exemplis virtutum et salutaribus exhortationibus ad eamdem religionem adduxit, Domino cooperante et sermonem confirmante multiplicibus signis.

Deo per miracula concurrente:

2 Cum enim die quadam Sanctus cum familiaribus suis et vicinis ad capturam piscium progressus fuisset, et a possessore loci illius Bovino retia laxare prohiberetur, nisi quartam piscium partem sibi promitteret; pacatus Vir malens illico cedere, quam inanibus litigiis tempus extrahere, ad propriam insulam, quæ in eodem stagno erat, perrexit; et postquam in genua procubuisset, orationemque ad Deum supplex fudisset, famulis, ut retia mitterent, imperavit. Ubi, quanta vis ejus orationis fuerit, Dominus evidenter ostendit: siquidem tanta piscium multitudo extracta est, ut duo lembi impleti fuerint. Quod Vir Dei cum advertisset, ad suos conversus, Laudemus Deum, inquit, qui fecit cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt; qui etiam hoc munus nobis immeritis est largitus. Illi vero, qui circa Bovini possessionem tota nocte frustra laborarunt, virtute miraculi, quod D. Botuido acciderat, permoti, ad Virum sanctum properant, et obtenta ab eo licentia simul et benedictione, cymbas quoque suas piscibus replent, solo Bovino nihil in captura proficiente, justo Dei judicio; ut qui æmulatione minus æqua alteri invidisset, ipse sui fructu laboris careret. At Botuidus injuriarum prorsus immemor, tam Bovinum quam ceteros omni benevolentiæ significatione complectebatur. Qua sua lenitate et humanitate editique miraculi fama, tantum profecit, ut facili negotio verbis illius persuaderentur, sa- E cramentoque Baptismatis initiati, Christo consecrarentur.

ex impresso.

donec a Sclavo, quem redemptum converterat, occisus est.

3 Contigit autem, ut Sclavum quemdam, quem a captivitate redemptum ad gratiam Baptismi adduxerat, et libertate donaverat, per Gothiam *b* reditum in patriam parantem suam, securitatis causa magna charitate deduceret. Deducere autem eum statuerat in Gothlandiam *c*, ut inde facilius ad propria remearet; sed defatigatus itinere, ad insulam Roggæ *d* applicuit; ubi cum post labores, jejunia et orationes consuetas ad Deum factas sub arbore quadam, nihil metuens, quietem caperet, ab eodem ingrato homine, securi propria crudeliter trucidatus, coronam justitiæ a Domino justo judice consecutus est. Cum vero parentes *e* et familia Botuidi, propter diuturnam ejus absentiam, nimium affligerentur, ac aliquid illi humanitus ea in via evenisse suspicarentur, initio consilio, quærere ipsum per devia silvarum et maritima decreverunt.

Corporis inventio, sepultura, veneratio.

4 Congregata igitur multitudine propinquorum, una cum presbytero quodam pio, Henrico nomine, cujus hortatu Dominum deprecabantur, ut quonam loco is versaretur, et si minus forte F vivum, saltem defuncti corpus ostendere dignaretur; finita oratione, avem quamdam candidam, proræ navis insidentem, et quasi ad se allicientem conspiciunt; quam velut itineris sui ductricem a Deo submissam rati, salvo ductu ad locum, ubi corpus jacuit, pervenere. Quo magna omnium lætitia reperto, Deo immortali, qui in Sanctis suis semper est mirabilis, laudes et gratiarum actiones tulerunt; et in patriam delatum, secundo Stocholmia *f* milliari Sudermaniam versus honorificentissime tumularunt. Quo loco templum in honorem Martyris exstructum, et ipsius de nomine Botuid-Kirkia *g* appellatum est. Anniversaria ejus memoria die XXVIII Julii peragitur. Hic in cælis tanti apud Deum meriti, ut S. Brigittæ cælestium revelationum, cum aliis Sanctis, obtinuerit gratiam. *h*

ANNOTATA.

a Sudermania *provincia est Sueoniæ seu Sueciæ proprie dictæ, inter Westmaniam et Uplandiam ad Septemtrionem, et mare Balticum ad Meridiem.*

b Gothia *proprie sumpta pars est meridionalis regni*

AUCTORE P. B.

regni Sueciæ, inter Succiam propriam, Norvegiam et mare Balticum.

c Gothlandia, *est regni Sueciæ, et pars Gothiæ in mari Baltico.*

d *Hoc nomine insignitam insulam non invenimus : ceterum ex adjunctis eruendum videtur, unam esse de plurimis illis, quæ littus Gothicum inter et Gothlandiam insulam sitæ sunt.*

e Parentes *sæpe etiam propinqui promiscue et consanguinei nuncupantur, ut sæpe alias observatum est.*

f Stocholmia, *urbs Sueciæ regia, vulgo nota est.*

g *In mappa Sueciæ Wittiana appellatur* Botkirke ; *adi Commentarium supra num.* 6. *Additur in annotationibus ad hanc Vitam supra memoratis :* Porro Botuidi, ut et fratris ejus Biœrn, sive Beronis memoriam hodieque servat monumentum sepulchrale in cœmeterio dicti templi, partim Runicis partim Latinis ornatum litteris. *Est tamen, ut ibidem notatur, qui Beronem hunc non* S. Botuidi *fratrem, sed Sueciæ regem sentiat fuisse.* D

h *In editione Romana Revelationum S. Brigittæ anni* 1628, *tom.* 2, *pag.* 454 *inter revelationes extravagantes cap.* 72 *sic habetur :* Quarto anno ante mortem *(S. Brigittæ, quæ obiit anno* 1373) vir sanctus quidam terræ Suetiæ, Botuidus nomine, apparuit dominæ Brigittæ, quasi in quodam mentis excessu, dicens : « Ego tibi promerui cum aliis « Sanctis istam gratiam Dei, scilicet audire, et vi- « dere spiritualia, et sentire : et spiritus Dei inflam- « mabit animam tuam. »

DE S. RAYMUNDO PALMARIO CONF.

B PLACENTIÆ IN ITALIA E

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti nomen ; cultus apud Placentinos, probatus Romæ ; expressa canonizatio controversa.

ANNO MCC. *S. Raymundi, cognomento Palmarii,*

Sanctorum, *quorum hodie memoria celebratur, agmen claudit* S. Raymundus, *modo* Placentinus *a patria, modo* Palmarius *vel* Palmerius *appellatus.* Palmarii *agnomen unde acceperit non una opinio est ; ut infra ex Rufino colliges in Vita cap.* 2, *num.* 17 ; *ubi ipse ortum illud putat occasione palmæ, quam Sanctus Hierosolymis redux, manu præferebat, cum Placentiam ingrederetur; et* Sunt, *inquit,* qui familiam ejus Palmariorum fuisse velint ; verum hujus rei non reperi clarum testimonium. *Qui cum Rufino sentiunt recentiores, proprium familiæ Raymundianæ nomen contendunt fuisse Zanfogni, teste Petro Maria Campi in Vita Italice edita cap.* 3 ; *at ipse et horum et* C *Rufini relicta sententia, iis mavult subscribere, qui Palmarii nomen huic familiæ faciunt proprium ; cognomentum autem Zanfogni vel patri vel avis* S. Raymundi *adjectitium statuunt. Sed cur ita sentiat, non dicit auctor ille. Adhærendum ergo potius Rufino videtur, cui* Raymundi *familia multo notior esse debuit ; ut qui cum eo Placentiæ vixerit, scripseritque, ipsomet Sancti dictante filio Gerardo.*

celebratur hic dies natalis Placentiæ,

2 *Cultum ejus non est quod ab antiquis martyrologis quisquam exigat ; cum primus illum ex Officiis propriis ecclesiæ Placentinæ annotasse videatur ad hunc diem Ferrarius tum in Catalogo Sanctorum Italiæ, tum in alio generali, quo Sanctos complectitur, qui in Martyrologio Romano non sunt. Ferrarium secutus est illustrissimus Brautius, in Martyrologio poetico* de sancto Raymundo confessore Placentino *ita canens hoc die :*

Natalem peregre rediens Raymundus in urbem,
Clarus egenorum scandit ad astra pater.

His adde Castellanum in suo Martyrologio universali. Porro Officia propria Placentinæ ecclesiæ, quæ pro se citat Ferrarius, illa sunt, quæ a sacra congregatione Rituum anno 1608 *Romæ approbata, et* 1610 *Placentiæ excusa simul, simul universo clero ab episcopo tum Claudio Rangono præscripta sunt imposterum observanda. Inter ea vero est Officium* S. Raymundi, *die* XXVIII *Julii ritu duplici, translato SS. Nazarii et Sociorum ejus festo, celebrandum. Hinc ea, opinor, ejusdem Ferrarii in Catalogo Sanctorum Italiæ ad locum citatum annotatio :* Cœpit autem natalis illius *(Raymundi)* Placentiæ et per diœcesim de Pauli V Pont. Max. concessione celebrari.

3 *Sed errat hic auctor, si hæc ita velit intelligi, ut numquam ante celebratus fuisse censeatur Placentiæ* S. Raymundi *natalis seu festus dies. Celebrabatur enimvero ille ante Pauli PP. V tempora ; ut patet ex Brevibus summorum Pontificum Clementis* VIII, *et Gregorii* XIII, *quibus indulgentias plenarias concedunt iis,* Qui ecclesiam monasterii monialium sancti Raymundi, Ordinis Cistertiensis, civitatis Placentiæ IN FESTO EJUSDEM SANCTI RAYMUNDI a primis Vesperis... devote visitaverint *etc. Verba sunt Clementis* VIII ; *quibus consonat Breve Gregorii* XIII, *datum* XII *Novembris* MDLXXVI, *quod integrum exhibet Campius in Vita Italica cap.* 19, *pag.* 118. *Hoc igitur tantum sequitur ex libello Officiorum Placentinorum jam dicto, quod natalis ille celebrari aliquamdiu desierit Officio proprio, idque ab eo dumtaxat tempore, quo ecclesia Placentina Breviarium suum reliquit, ut Romanum a S. Pio PP. V editum deinceps sequeretur : nam ante tempus illud* S. Raymundi *natalis Officio ibidem proprio celebrabatur, ut ostendit citatus Campius pag.* 120 *ex antiquioribus ejusdem ecclesiæ Breviariis : et sigillatim ex eo, quod excusum ait fuisse Venetiis anno* MDXXX. *Legesis ipsius illustrissimi Rangoni procemium, libello Officiorum propriorum ecclesiæ Placentinæ præfixum.*

et quidem ab immemorabili tempore: F

4 *Neque id Ferrario assentitur Campius, quod in eadem annotatione de* S. Raymundo *dicitur,* Nondum

sive inter Sanctos relatus olim fuerit

A Nondum in Sanctos relatum esse, tametsi Sanctus in tabulis ecclesiæ Placentinæ appellatur : *hoc, inquam, negat Campius toto capite* 17, *contenditque, omnino Sanctorum albo auctoritate Pontificia insertum fuisse* Raymumdum *sive ab Innocentio* III, *sive ab Honorio* III, *qui Innocentio anno* 1216 *successit : primum tamen minus putat verisimile, tum quia id factum non videatur sub Grimerio episcopo Placentino (hic enim obiit biennio antequam Vitam scriberet Rufinus, qui de canonizatione non meminit) tum quia post Grimerii obitum tam intricata fuerint et Placentinæ et universalis Ecclesiæ tempora, ut neque Innocentio Pontifici, neque sancto Fulconi, Grimerii successori, opportunitas esse potuerit tantæ molis negotio vacandi. Censet igitur, id accidisse sub Honorio, et quidem initio Pontificatus ejus ; quandoquidem non Beati, ut antea, sed Sancti titulus* B. Raymundo *non semel adscriptus legitur in instrumento authentico et publico anni* 1217, *ut vide infra in Appendice* I *miraculorum cap.* 2, *num.* 21 : *hoc autem instrumentum, nulla voce immutata, anno* 1246 *sua iterum auctoritate B. Al-* B *bertus, vir non minus doctrina, quam sanctimonia clarus et miraculis, ac tum episcopus Placentinus, firmari vulgarique jussit ; neutiquam id commissurus utique, nisi talem ei titulum et honorem legitima tum temporis, atque adeo Romani Pontificis auctoritate, concessum esse comperisset ac debitum.*

expresso Sedis Apostolicæ decreto.

5 *Addit, post annum illum* 1217 *in pluribus, quæ supersunt, scriptis authenticis eumdem ipsi titulum constanter attribui, quorum bina profert ex archivo* S. Raymundi *pag.* 97 *et seq.*; *alterum anni* 1223, *alterum anni* 1227 ; *bina citat in margine, anni* 1228, *et* 1235 ; *aitque, plura quidem suppetere ; sed omissa tamen esse, ne et sibi laborem minime necessarium, et lectori tædium afferrent. Et vero an credibile videri cuiquam potest, aut hæc, aut publicam ejus per Sacrificia festumque anniversarium venerationem, contra usum juraque Ecclesiæ tum dudum stabilita, non modo clausis, ut ita dicam, permisisse oculis, sed sua quoque opera promovisse vel qui ecclesiæ Placentinæ tunc præerant, vel B. Alber-* C *tum de Prandoniis, qui paulo post per annos quatuordecim præfuit, vel denique qui hunc secutus, et in confirmandis anno* 1286 *die* XXVII *Augusti iisdem instrumentis imitatus est. Philippum Fulgosium? Ita fere Campius.*

quod contra Ferrarium putat Campius; sive non :

6 *Id ipsum vero mox idem auctor tamquam ineluctabili argumento concludit ibidem ex eo, quod Sanctum nostrum tam singulari religione prosecutus fuerit B. Domninus, presbyter Parmensis (de quo agendum nobis erit die* VI *Februarii, cum istic omissa supplebuntur) ut et ad ejus sepulcrum identidem supplex accederet (Deo pietatem hanc per miraculum quodammodo comprobante, quando inde rediens Domninus in quemdam incidit misere ab inimico vulneratum, eumque solo crucis signo atque invocatione sanctissimæ Trinitatis e vestigio et præsenti morte et vulneribus liberavit) et illum simillimo vitæ genere apud Parmenses sit imitatus, ubi et in ecclesia S. Martini loco, qui Gallicanum dicitur, anno* 1344 *pridie Kalendas Augusti cum altari sacellum erexerit ac dotarit* sancti Raymundi *nostri titulo consecratum ; quod quidem altare post dirutam, quam dixi, ecclesiam, versus initia seculi* XVII *intra urbem ipsam Parmensem superiorum jussu translatum, in æde sacra, quam Del Conforto, id est Consolationis appellant, Sancti nostri cultum adhuc testetur antiquum excitetque præsentem. Et credi, inquit, poterit tale quid facturus fuisse B. Domninus, antequam sciret, decretos* Raymundo *ejusmodi honores Pontificis Romani sententia fuisse? Fatetur interim Campius pag* 95, *decretum illud (nisi forte vivæ tantum vocis oraculo datum fuerit) nunc ita periisse, ut neque a quo Pontifice, neque quo anno prodierit, affirmari certo possit.*

neque enim illi argumenta videntur evincere,

7 *Erit forte, cui hæc ad positivum canonizationis decretum asserendum sufficere non videantur; dicatque* I : S. Raymundi *cultus et veneratio publica cœpit ab ipso die quo sepultus est, non modo non obstante episcopo, verum etiam inducente ; quandoquidem juxta Rufinum in Vita cap.* 5, *num.* 54 *ita corpus ejus deposuit*, ut cuivis commodum esset flexo poplite sacrum ejus tumulum venerari. *An obtentum ergo jam tum erat decretum ; an sine hoc licebat magis per Ecclesiæ jura quemquam ut Sanctum colere, quam* Sanctum *nuncupare?* II. *Titulum* Sancti *dudum habuit non modo ante Honorii Pontificatum aut annum* 1217, *sed annis etiam pluribus antequam Rufinus scriberet, ut ipse testatur cap.* 5, *num.* 56, *cum ait :* E
Post aliquot exinde dies, cum observassent urbis magistratus, et pietatem ibi et munerum affluentiam maximam continuari, decreverunt, ut institutum ab eo xenodochium nuncuparetur imposterum Hospitale SANCTI Raymundi ; quem titulum hodieque servat. *Idem titulus datus illi fuit anno* 1209, *hoc est annis tribus ante scriptam a Rufino Vitam, et quidem in instrumento authentico coram episcopo Cremonensi confecto, et subinde ejusdem B. Alberti, cum Placentinus esset episcopus, auctoritate recognito, ut patebit in Appendice* I *miraculorum cap.* I, *num.* 2, *Cedo, decretum Romanum jam tum erat ; an nondum etiam ? Si primum dixeris ; et contra Campium senties, et merito incusabis Rufinum, ut qui cap.* 5, *num.* 57 ad comprobandam B. Raymundi sanctitatem *sola produxerit miracula ; certissimum vero sanctitatis testimonium, canonizationis, inquam, decretum omiserit, ac ne nominarit quidem. Si secundum, cur ibi oculos occluserit B. Albertus ; cur titulum illum in illo instrumento, perinde ut in alio anni* 1217, *suo quoque nomine muniverit ?* F

quod auctor ipse pius et eruditus sibi proposuerat

8 III. *Quid, quod non videatur ejusmodi decretum (si quod umquam fuit) editum fuisse ante annum Christi* 1286? *Cur enim B. Albertus anno* 1247 *authentica* B. Raymundi *miracula ex archivis Cremonensi, Januensi, et Placentino deprompta tam sedulo collegit? An non ut per ea canonizationis ejus causam Romæ instituere posset et obtinere? Nequaquam, reponet Campius ; sed ne quid, quod ad Sancti gloriam spectare poterat, injuria temporum interiret : nam decretum canonizationis dudum ante prodierat. At enim si prodierat illud, facere sane et hoc poterat ad gloriam Sancti, et quidem amplius, quam authentica miraculorum exemplaria simul omnia. Cur igitur authenticum canonizationes, seu scripto seu vivæ (si placet) vocis oraculo factæ, testimonium non apposuit ceteris; cur a temporum injuria non vindicavit? Tum si jam miraculorum illorum instrumenta in tuto collocaverat B. Albertus, cur eadem iterum exscribi anno* 1286 *et suo quoque sigillo firmari voluit B. Alberti in sede Placentina successor Philippus Fulgosius? An quia periculum jam tum erat, ne perirent ? An potius ut nondum obtentam canonizationis bullam urgeret ?*

9 IV. *Nec refert, quod cultum illum, etsi positiva*

AUCTORE P. B.

ad illustrandum S. Raymundi cultum.

sitiva summi Pontificis definitione minime stabilitum, nec B. Albertus nec Philippus impedierint : multa enim absterrere poterant ; puta possessio annorum quadraginta et amplius, quibus cultus ille viguerat, quando Placentiam B. Albertus advenit; idque tolerante, atque adeo tacite, ut interpretari poterat, consentiente Roma : deinde magistratuum ac populi studium incredibile, quod cum assiduis firmaretur miraculis, tantaque tum indigenarum tum exterorum affluentia, multo periculosius esset inhibere, quam, instituta apud Romanum Pontificem canonizationis causa, in perpetuum stabilire : hoc ergo tentasse videntur tam Albertus quam Philippus episcopi, cum authentica beati miracula undequaque petita collegerunt : denique aliarum passim ecclesiarum exempla ; quam multæ enim hujusmodi cultum ei per ea tempora et diu posterius permiserint, absque expresso, quod quidem sciatur, Romanæ sedis decreto, passim in Actis nostris versus cujusque diei finem videre est : ut adeo Romani Pontifices ne nunc quidem illum rejiciant, qui celebrem Urbani PP. VIII *Bullam annis centum saltem antecesserit. etiamsi non possit ostendi, qua demum auctoritate, tacitane an expressa, sit cœptus. Hinc facilis porro etiam erit responsio ad id, quod B. Domnino narratum est.*

B

ipsa sua antiquitate satis illustrem, et Roma probatum.

10 *Ut ut est ; fuerit aliquando* S. Raymundus *solenni decreto Sanctis adscriptus, non fuerit ; id certum est, nobisque sufficit, quod ab ineunte circiter seculo decimo tertio constanter et palam habitus sit cultusque pro Sancto : hoc enim et Acta testantur, et Actis subjecta miracula : imo et Chronicum illud Placentinum Ms., quod citat Campius in Annalibus patriæ suæ ad annum* 1200, *usurpatum apud omnes circa illa tempora fuisse docet hunc versiculum :* Pro populo funde virtutes, sancte Raymunde. *Tantum vero abest, ut publicæ huic venerationi ullus umquam Pontifex Romanus obstiterit. ut eam potius nec mediocriter nec pauci foverint : nam de Gregorio* XIII, *et Clemente* VIII *jam supra diximus num.* 3; *his addit Campius pag.* 119 *Sixtum* V, *el Gregorium* XIV, *qui non quidem* S. Raymundi *festum, sed* ecclesiam *tamen indulgentiis ditaverint : addi vero etiam potest Paulus* V, *sub quo, ut ante significavimus, a sacra Rituum congregatione approbatus est libellus Officiorum propriorum de Sanctis Placentinis; in quo et oratio, prima secundi nocturni Lectio propriæ sunt, et Missa assignatur ex communi Confessoris non pontificis,* Os justi. *Servatur insuper et aliud ejus festum apud sanctimoniales* S. Raymundi *Placentiæ (nam in Officiis propriis pro tota diœcesi approbatis nulla fit hujus celebritatis mentio) die* XI *Julii, et quidem, ut apparet, ab immemorabili tempore ; idque ratione translationis ejus, de qua dicemus paragrapho proximo ; ubi de Sancti hujus cultu, occasione reliquiarum ejus, plura suggerentur.*

C

§ II. Ejusdem sepulcrum ; reliquiæ, harumque translatio ; xenodochium.

Non in ipsa ecclesia canonicæ XII Apostolorum :

De S. Raymundi *reliquiis acturus, ordior a loci, ubi conditæ sunt, descriptione. Situs is est intra urbem Placentinam ea parte, qua aquis ex amne Trebia ductis irrigatur ; nec procul ab ea civitatis porta, quæ* sancti Raymundi *nunc dicitur : ibi namque ecclesiam collocat pag.* 38 *Campius, quæ olim appellata legitur in Vita nostra* canonica duodecim Apostolorum, *et, ut habetur in Appendice prima miraculorum cap.* 2, *num.* 21, ecclesia canonicæ sanctæ Mariæ duodecim Apostolorum ; *nunc vero, antiquo nomine amisso, nuncupatur* ecclesia S. Raymundi, *et* ecclesia monasterii monialium S. Raymundi. *Est autem apud ævi medii scriptores* canonica *idem quod ecclesia collegiata, ut modo loquimur, seu canonicorum collegio insignis. Nimirum canonicis regularibus S. Augustini hanc fundaverat Albertus quidam Moroni Placentinus, tum etiam superstes, cum vicinum ecclesiæ xenodochium Sanctus noster instituit Verum, his tandem adulto seculo decimo quarto (ut erant iniqua tum tempora) dilapsis, ad solum primo præpositum, tum, hoc etiam deficiente, ad commendatarios cum præsules, tum absentes S R. E. Cardinales ecclesia illa, non jam amplius canonica, devoluta est ; donec Joannes PP.* XXIII *anno* 1414 *monialibus Ordinis Cisterciensis, quæ suburbanum cœnobium, Nazarethi dictum, propter bella populationesque deserere, atque in urbem confugere paulo ante coactæ fuerant, eam concessit, non sine magno gloriæ* S. Raymundi, *quam istic hodieque promovent, incremento : ut videre est apud Campium sæpe laudatum toto capite* 19.

D

E

sed juxta illam sepultum fuit Sancti corpus,

12 *Qui Acta nostra legerit cap.* 5, *num.* 52 *et seqq., existimabit haud dubie, intra ipsam hanc ecclesiam condita primum fuisse sacra* B. Raymundi *lipsana : sed aliter tamen res habet ; atque adeo obscuriuscule locutus hic est auctor noster, dum per canonicam intelligi voluit vel totum canonicorum cœnobium, vel ecclesiam saltem una cum cœmeterio : neque enim in ipsa ecclesia, sed* juxta *illam in cœmeterio reposita fuisse, colliges ex instrumento authentico anni* 1217 *in Appendice miraculorum cap.* 2, *num.* 21 ; *idemque ex aliis mox dicendis elucescet. Observavit hoc etiam Campius cap.* 13, *pag.* 70, *ubi descriptis exsequiis intra ecclesiam celebratis hæc subdit :* Hisce cæremoniis maximo cum jubilo et ordine modestissimo peractis, collocata est arca ejus sacra, et sanctum in ea pignus, non intra ecclesiam jam dictæ canonicæ quippe cujus ambitus non admodum erat capax) sed extra illam nonnihil, ante valvas, versus plateam publicam, id est ad lævam egredientibus ecclesia, in loco quodam ita cancellis obsepto, ut cuivis esset commodum, quandocumque placeret, eo recurrere, contingere ex devotione sepulcrum, opemque Beati precibus implorare

F

cui servando perpetui custodes adhibiti sunt,

13 *Ad servandum autem tam pretiosum depositum adhibiti continuo sunt custodes perpetui ; quos inter ipse imprimis* S. Raymundi *filius Gerardus hanc sibi provinciam, ut expetierat, obtinuisse dicitur in Vita cap.* 5. *num.* 54 : *erat hoc ergo canonicorum officium, saltem in principio : nam posterius id etiam obiere fratres laici, qui pauperibus in proximo Sancti xenodochio ministrabant ; ut constat ex actis visitationis ejusdem xenodochii, institutæ anno* 1263 *die* VII *Junii per canonicæ memoratæ præpositum ; in quibus, teste Campio cap.* 18, *pag* 102, *præter alia statuitur,* ut istius xenodochii rector et fratres dormitorium intra xenodochii ædes construant, in quo noctu dormiant rector ac dicti fratres tantummodo, exceptis custodibus sepulcri S. Raymundi. *Horum erant partes, sicut idem scriptor ibidem asserit, non tantum ut monumentum Sancti custodirent, aut oblationes reciperent, quæ ultro offerebantur ; verum*

A *rum etiam ut lampadem in ejus honorem ibi stabiliter ardentem alerent; tum ut caverent, nequa circa locum illum vel ligna congererentur aut sordes, vel mortuorum humarentur corpora; quod postremum illos constanter impedivisse anno* 1265, *cum de Joanne quodam Nanso istic, ut moriens voluerat, sepeliendo ageretur, probat ex authentico istius temporis instrumento.*

usque ad seculum 14 adultum.

14 *Dixi, custodes hosce fuisse perpetuos, hoc est, uni eorum seu morte seu aliter deficienti mox alios atque alios successisse: nam id loco citato recte eruit Campius ex instrumento visitationis ejusdem xenodochii factæ anno* 1349, *die* v *Novembris; in quo, cum unus eorum vel decessisset, vel certe muneri suo defuisset, decretum legitur, ut in ejus locum sine mora sufficiatur alius; ut Sancti sepulcrum usitata lampade perpetuo cohonestetur; ut, quoties opus fuerit, sacra illa custodia suppleatur; ut sordes, ligna, et quidquid loci decori offecerit, inde et a proximo cœmeterio removeant. Hinc factum ait, ut et Sancti cultus,* B *et supplicantium istic liberalitas tum temporis egregie refloruerint. Sed enim ut suborta brevi civilia externaque bella, et, quæ hæc subsecuta non semel est atrox pestilentia, canonicos, ut supra monuimus, exstinxere; ita quoque eodem seculo et custodiri desiit hoc sacrarium, et una cum altari, quod erectum in eo fuisse dicitur, ita paulatim collapsum est, ut sacrum* Raymundi *corpus obrutum aliquamdiu terra, consuetis tandem honoribus omnino caruerit.*

Seculo 15 refloruit ejus cultus et veneratio.

15 *Rei indignitatem non diu tulit Joannes quidam Picolla (ut idem narrat, quem appello toties, diligentissimus horum omnium scrutator Campius:) is itaque pro suo in Sanctum nostrum affectu, quod per se facere non poterat, patruo et heredi suo, Christophoro moriens imperavit, juxta authenticum de hac re instrumentum a Christophoro Trinchi notario confectum die* VIII *Augusti anno* 1400, *ut expensa trecentarum librarum summa sacellum denuo cum ara conderet super sepulcro* S. Raymundi, *cujus ossa sacra ante ecclesiam duodecim Apostolorum affirmabat sepulta quiescere; ibique curaret quotidianum Missæ pro se ac majoribus suis offerri sacrificium. Distulit id quidem heres, eoque haud diu post inopina morte sublato, qui filii ejus et heredis tuto-* C *rem agebat, Petraccinus quidam, cognomento Bucca Asinina; sed urgentibus piam legationem sanctimonialibus, quas anno* 1414 *in duodecim Apostolorum ecclesiam intromissas fuisse diximus, exsecutioni tandem anno* 1415 *mandata est; ut fidem facit scriptum, a notario Joanne Datari eodem anno, die* XXVIII *Maii, compositum.*

maxime studio monialium S. Raymundi.

16 *Vix sacellum ædificatum erat, et clathris opportunis munitum, vix ad ejus aram celebrari sacra cœperant, cum pristina omnium in* Raymundum *suum religio, pristina* S. Raymundi *in supplices beneficia suscitata sunt; et quamquam hæc annotata nuspiam reperiuntur, plurima tamen fuisse asserit circa hæc tempore Campius; quandoquidem ita tum brevi ejus gloria et nomen apud Placentinos increbuit, ut vetusta quævis alia, etiam Sanctorum, antiquaret: exinde enim et ecclesiam, quæ hactenus vel duodecim Apostolorum, vel S. Mariæ duodecim Apostolorum nuncupari consueverat, et moniales eam obtinentes, ac Nazarethanas usque ad annum* 1422 *appellatas, et circumjacentem urbis tractum, et ipsam denique, quæ maxime est vicina, civitatis portam novo atque unico* S. Raymundi *nomine vocitari imposterum cœpisse. Neque vero solo hoc nomine contentæ virgines illa sacræ, ejus etiam effigiem in ecclesia sua, et quidem in aræ principis elegante tabula exprimi, et natalem ejus, non secus atque in vicino ejus sacello xenodochii Raymundiani fratres factitare consueverant, anniversaria celebritate festum agi curarunt, introducto jam tum more, qui etiamnum ibi servatur, benedicendi illo die ac distribuendi minutissimos panes, impressa Sancti imagine obsignatos; quos pii fideles, tamquam præsentissima adversus morbos varios antidota, in pretio habent.*

quæ tandem ejus corpus in ecclesiam suam transtulerunt.

17 *Sed neque ibi stetit earumdem amor erga Patronum jam suum: veritæ enim, ne sacrum ejus corpus, tametsi esset terra defossum, e sacello tamen, sua opinione non satis tuto, sibi casus aliquis infelix eriperet, illud, obtento moderatorum suorum ex Ordine Cisterliensi consensu, clam tamen et inconsultis iis, qui proximo xenodochio præerant, effodi jusserunt, in ecclesiæ suæ partem intimam translatum et in arcam sera munitam decenter exceptum, a tergo majoris aræ collocari,* ubi ad hunc usque diem, *inquit Campius cap.* 19, *pag.* 116, magna cum veneratione servatur. *Translationis vero hujus memoriam Officio peculiari quotannis celebrant moniales illæ die* XI *Julii; unde illo die factum intelligas: nam annus, quo acciderit, ignoratur. Ait quidem Campius, eam contigisse* circa principium seculi quinti decimi; *verum id cum antea ex ipso assertis componi non potest; itaque errorem, satis alioqui communem, viro erudito hic obrepsisse existimo; ut seculum decimum quintum appellaverit, quod re vera decimum sextum fuerit. Hoc certum, quod jam in choro monialium Sancti reliquiæ fuerint, cum eas ibi visitavit Actorum ejus interpres Italicus, ut infra testabitur in Epistola sua, data die* I *Septembris, anno* 1525. E

et adhuc servant, præter particulas aliis ecclesiis communicatas.

18 *Hujus porro, quantumvis clandestinæ, translationis occasione non nullas a sacro corpore decerptas esse particulas, et Placentinis quibusdam ecclesiis distributas, narrat ibidem Campius; ac præsertim cathedrali, ubi exiguum adhuc fragmentum supersit, cum cetera episcopi consecratis identidem altaribus inseruerint: imo et ad* F *Cremonenses transmissum esse frustrum cilicii ejus, quod ibi etiamnum servetur in ecclesia S. Petri Apostoli: aliquid insuper simile aliquot post annis accidisse per visitatorem quemdam, Ordinis Cistertiensis abbatem, Cosmum nomine, qui, cum parthenonem hunc lustraret, aperiri sibi sacram* S. Raymundi *arcam jusserit, indeque sua potius auctoritate, quam assensu monialium, desumptam cranii partem posteriorem Mediolanum abstulerit, cum illuc, absoluta visitatione, se reciperet.*

Caput a corpore separatum et expositum an. 1616.

19 *Visitationem hanc anno* 1616 *secuta est alia illustrissimi Claudii Rangonii, episcopi Placentini, virgineo isti cœtui eo gratior, quod eam ultro expetierat, ut idem testatur auctor pag.* 121. *In ea eductum est ex arca* S. Raymundi *caput, ablutum, et in præparato ad id argenteo ac pretioso tabernaculo repositum; quæ res non modo ecclesiæ jam dictæ ornamento tum esse cœpit, sed ægrotantibus quoque non paucis saluti: multi enim aqua ille respersi, qua purgatum sacrum illud caput fuerat, eam sibi sensere salutarem. Quin ipsam hanc solennitatem eventus, eodem teste, satis mirus antecessit: laborabat enim tum temporis tertiana febri domna Alba Francisca Via, ejusdem cœnobii monialis; ipso autem tempore, quod inspiciendis reliquiis antistes præstituerat,*

illa

Auctore P. B.

illa duplici ex capite impeditum iri se videbat, ne adesset; incisione venæ scilicet, quam præscripserat medicus, et consueto febris accessu. Cum id eam haberet pessime, ad S. Raymundi patrocinium conversa, hoc solum oravit ut impedimentum utrumque differri tantisper impetraret, dum peracta esset lustratio. Cum, ecce, subito ita convaluit, ut nec morbi reliquiæ superfuerint, nec remedii proinde necessitas. Addit vero etiam, quem dixi, scriptor, reliquum corpus Sancti nostri tum in arca sua relictum esse, donec alia fabricaretur ornatissima. Quod factumne sit postea, equidem ignoro, tametsi plus vice simplici sciscitatus.

Xenodochium a S. Raymundo institutum,

20 Qua vero toties recurrit mentio xenodochii S. Raymundi, non abs re facturus videor, si quæ de illo sparsim ac fuse in Vita Sancti Italica tradit Campius, hic breviter saltem et succincte congessero; quando et illud, dum quidem superfuit, censeri quodammodo inter ejusdem sanctissimi Viri reliquias potuit. Obtinuit illud, ut etiam ex Vita nostra colliges cap. 3, num. 34, S. Raymundus post reditum suum Romanum a canonicis B duodecim Apostolorum, quorum horto versus Septemtrionem erat contiguum, itque (secundum eumdem Campium in Annalibus Placentinis tom. 2, pag. 42, et Vitam nostram cap. 4, num. 48) anno 1178; quando canonicæ istius præpositus erat Ardicius ille, qui anno 1192 creatus est episcopus Placentinus. Cum vero locus, ut erat concessus, xenodochii formam non haberet interius, eam pro arbitrio Raymundus induxit, suppeditante sumptus Alberto Moroni, qui canonicam jam dictam aliquanto ante fundaverat. Ibi caritatem suam erga peregrinos et pauperes solus primo Raymundus exercuit; donec ejus exemplo incitati plures alii, socios illi se in obsequio tam sancto adjunxerunt; quibus ipse post annos viginti duos moriens totam xenodochii curam commisit.

quam sancte primo, tam inique deinceps administratum.

21 Ad hos deinde rei domesticæ administratio pertinuit. Erant vero homines laici, voluntariam tamen paupertatem professi, fratres inter se dicti, quorum unus rectoris nomine ceteris præerat, universi tamen canonicæ duodecim Apostolorum subjecti præposito, ut ex dictis supra num. 13 elucescit. Nullos initio stabiles habebant reditus, sed se commissosque sibi pauperes conquisitis ostiatim C per urbem et agros vicinos eleemosynis alebant. At non diu sanctus eorum Fundator obierat, cum ad sepulcrum ejus tot ultro afferrentur donaria, ut sustentando xenodochio, cui ab urbis magistratu assignata fuerant, abunde sufficerent: nec fluxa illa tantummodo aut fortuito per dies singulos oblata, sed etiam in perpetuum stabilita, ut vide apud auctorem prædictum cap. 18, pag. 104, ubi istiusmodi plura commemorat. Ita domus hæc floruit, quamdiu substitere, qui ei semper advigilabant, canonici: at his deficientibus, illa quoque per rectores ministrosque duros, qui, pauperum neglecto grege, semetipsos pascebant unice, pessumdari brevi cœpit: donec ejus tutelam, assentiente episcopo, nobilis Anguissolorum familia, pauperum oppressorum clamores miserata, suscepit anno circiter 1387, exactisque helluonibus ministros suffecit alios, qui sub ejusdem familiæ tutoribus variis juxta præscriptas sibi leges (de quibus consule, si lubet, ibidem paginam 167) annis centum et ultra viguerunt.

tandem omnino interiidit.

22 Dixi, anno circiter MCCCLXXXVII, non MCCCCLXXXVII, ut legitur apud Campium pag. 109; quia vitium apertum est in numero, nec videtur aliter posse restitui; cum asserat, supremam xenodochii administrationem in illa familia annis circiter centum perdurasse; ademptam vero eidem esse propter discordias anno 1495: et sane etiam ex ejusdem auctoris Annalibus Placentinis tom. 3, pag. 215 certum est, ante annum 1433 xenodochium hoc in Anguissolanæ familiæ potestate fuisse. Porro tam illustri patrocinio curaque destitutum, paulatim iterum in deterius abiit, donec auctoritate Sixti PP. V, anno 1586, reditus ejus omnes ac fructus, quos scilicet soli tum rursus ministri vorabant, ad magnum urbis nosocomium translati sunt, una cum pretio ipsius loci, quem S. Raymundi moniales sibi coemerunt, ut pro veteri ac ruinoso ædificio, quod sunt demolitæ, domos aliquot ibi conderent civibus elocandas, id quod fecere anno 1605; ut proinde celeberrimi istius xenodochii ne vestigium nunc quidem supersit. D

§ III. Ejusdem Acta Latina, eorumque versio Italica; appendix gemina miraculorum; epistola interpretis Itali. E

Acta ejus a Rufino coævo Latine scripta,

Acta S. Raymundi anno ab ejus obitu duodecimo, Christi 1212, scripsit canonicus quidam ecclesiæ, de qua jam egimus, duodecim Apostolorum, nomine Rufinus, qui se magistrum appellat, forte, ut suspicatur Campius cap. 16, quia vel in theologia, vel in jurisprudentia doctoratus lauream adeptus erat. Scripsit ea, inquam, Rufinus, et quidem idiomate Latino; sed qua occasione, quibus adjumentis, quanta fide, nihil opus est hic monere; quando id luculente pro se ipse facit in præfatione ac dedicatione lucubrationis hujus suæ. Cujus quidem lucubrationis exemplar illud unicum fuisse scimus hactenus, quod apud S. Raymundi moniales Placentiæ diligentissime servatum fuit usque ad annum Christi 1525, quo illud religioso interpreti vertendum Italice concesserunt, præclare secum actum iri existimantes, si pro Latino atque obsoleto libello, quem non intelligebant, novum obtinerent Italicum, quem possent legere. Dolendam enimvero permutationem; sed earum tamen simplicitati condonandam, quæ thesauri sui pretium æstimare non poterant! F

apud PP. Dominicanos Placentiæ diu servata.

24 Id ego quidem, cum in apographum istius interpretis Italicum et adjectas notitias incidissem, tanto ferebam ægrius, quanto minus intelligere ex iis poteram, quis demum fuisset ille metaphrastes, cujus cœnobii, cujus ordinis; unde aliqua saltem ad inquirendum hoc cimelium via pateficret: quando, ecce, dum aliam S. Raymundi Vitam Italicam, a Petro Maria Campio adornatam atque anno 1618 Placentiæ excusam pervolvo, hæc versus operis finem de interprete jam dicto simul et Rufini autographo Latino notata reperi: Fuit hic Pater aliquis caritate insignis, ex Ordine et religione (ut mea quidem fert opinio) S. Dominici, qui pia ista Legenda, in vulgarem et Italicum sermonem a se traducta, bonas moniales abunde consolatus, domni deinde Rufini exemplar apud se retinuit in suo conventu S. Joannis in Canalibus; ubi hodiedum etiam videri potest. Vix hæc legeram ineunte Januario 1728, quin litteras continuo Mediolanum expedirem ad notum nobis patrem nostrum Petrum Gallaratum; quibus eum rogabam, ut ad amicum aliquem Placendinum

A *Placentinum recurreret (neminem enim istic noveram) qui inquirendi excribendique autographi assignati curam vellet suscipere. Adiit ille P. Antonium Bellatum itidem nostrum, virum non officiis tantummodo, sed editis quoque libris clarissimum. Cum vero ab his post menses aliquot præter spem bonam nihil accepissem, instili semel, iterum, tertio; donec postremis P. Gallarati litteris, datis eodem anno die* XXVI *Septembris, spem nullam superesse didici.*

tandem perierunt:

25 *Sic enim post expositam cum suam tum P. Bellati officiosissimam longamque in hac re diligentiam prosequitur:* Etsi P. Bellati quidquam non esset consecutus a RR. PP. Dominicanis, animum tamen non despondi; sed ad virum nobilem, eumdemque divitiis et auctoritate florentem curavi scribi per Comitem de Silva, virum eruditissimum, mihique necessitudine conjunctum; qui cum rem Placentino vehementissime commendasset, retulit mihi, PP. Dominicanos ejus B opera iterum et accuratius manuscripta bibliothecæ excussisse, ut Vitam B. Palmerii invenirent: cumque contentio omnis, studium omne incassum cederent, eos Patres scripsisse ad P. Sanguinari, qui alias in cœnobio Placentino degens, libros bibliothecæ et manuscripta diu multumque attriverat versaveratque; ab eodemque responsum accepisse, utique Vitam B. Palmerii antehac fuisse asservatam, sed (quo casu nesciebat) periisse, unaque alia monumenta. Certum est, RR. PP. Dominicanos hac in re non simulate, sed sincere se gessisse: quare si R. V. in notis quidquam addat, ad declarandam in autographo perquirendo diligentiam, ne, rogo, labem ullam inurat Patrum nomini ac famæ, acsi improvisæ amissionis obtentu, quod apud ipsos erat, proferre detrectassent. *Absit enimvero, ut tale quid cogitem, nedum eloquar! Quin gratias potius de assumptis tum nostra tum* S. Raymundi *causa laboribus, quam possum maximas, ago. Non diffiteor tamen, solatio id nobis esse; si, cum aliquid prætermittimus, id saltem profiteri palam possimus, negligentia nostra non fieri.*

Superest tamen eorumdem interpretatio Italica Ms anni 1525.

26 *Ceterum hac spe dejectus, ad interpretationem Rufinianæ Vitæ Italicam Ms. me converti: hanc enim laudatæ* S. Raymundi *moniales ut pluris fecerunt quam Latinum autographum, sic* C *etiamnum custodiunt accuratius. Inde vero apographum ejus anno* 1673 *cura P. Camilli Hectorei nostri, tum Placentiæ rhetoricam profitentis, fideliter ex originali translatum, et a R. P. Alexandro Fiaschi, collegii nostri tunc ibidem rectore, perhumaniter ad nos missum accepimus. Stylus barbarus est et a moderna Italorum elegantia plurimum distans; simplex tamen, nec usquam affectatus: capita plerumque brevissima, ut ex eorum numeris ad marginem annotatis patebit. Præfixus iis erat Rufini prologus, sive dedicatio: epilogus quoque ejusdem opusculum claudit. Quæ omnia simul cum epistola ipsius interpretis, his omnibus præmissa, manifeste arguunt, id operam dedisse virum hunc religiosum ac pium, ut Rufini Vitam Latinam fideliter potius quam ornate faceret Italicam. Idem innuit clausula sive ab eodem interprete de se, sive aliena manu de ipso, certe in eodem antiquæ versionis ejus autographo posita post epilogum Rufini, quæ Latine sic sonat:* Recenter inventa *(Vita scilicet, de qua meminerat epilogus)* in monasterio monialium Ordinis Cisterciensis S. Bernardi, quæ vulgo S. Raymundi nuncupantur, et in idioma vulgare translata per doctum aliquem religiosum ad laudem Dei ac B. Raymundi, ad monialium dictarum profectum spiritualem, atque ad urbis totius exemplum MDXXV, die I Septembris.

auctore P. B.

quam fideliter Latine versam hic dabimus potius quam Vitam Campianam;

27 *Cum igitur Rufini verba dare non possimus, sensum tamen ejus, interpretationem hanc Italicam ad Latinam denuo linguam fidelissime transferendo, daturos nos esse confidimus. Quod æqui, credo, bonique consulent tam qui Italice sciunt, quam qui nesciunt: et hi quidem, quia Sancti hujus Acta numquam antehac Latine vulgata sunt; illi vero, quia hæc nostra conferentes cum ejusdem Sancti Vita, a Petro Maria Campi ex eodem hoc nostro Ms. Italico composita, editaque Placentiæ* 1618, *animadvertere nullo negotio poterunt, quam is passim libere a prototypi sui sententiis brevitateque sit evagatus. Id quod tamen viro piissimo eruditissimoque vitio verti nolim, quasi interpreti nostro, atque ipsi adeo Rufino falsa supposuisset (neque enim hoc deprehendimus uspiam in rei substantia factum;) sed quod, dum* E *allicere ac delectare, aut movere pium lectorem desiderat, plurima de suo interserat adjuncta vel vera et aliunde probata, vel veri saltem similia. Hanc porro laudem meretur auctor ille, quod S.* Raymundi *Vitam primus, et, quod quidem sciamus adhuc, solus emiserit; deinde quod impigro labore ex antiquis Placentinorum monumentis, in quibus erat versatissimus, eruerit plurima, quibus vel Santi Vitam vel ejus cultum et gloriam non mediocriter illustravit, ut ex dictis antea licet colligere.*

una cum duplici appendice miraculorum.

28 *Actis* S. Raymundi *geminam addemus appendicem, ex eodem utramque archivo simul cum Actorum Italica versione huc missam; Latinam tamen. Harum prior, quam, quia longior est, in duo capita divisimus, miracula quindecim complectitur, variis primum temporibus locisque legitime comprobata atque authenticis consignata tabulis usque ad annum Christi* 1217*: tum anno* 1247 *omnia simul collecta exscriptaque jussu B. Alberti, episcopi Placentini, forte ut Romano Pontifici ad obtinendam canonizationem offerrentur. Eadem iterum exscripta fuisse a B Alberti successore Philippo anno* 1286, *supra ex Campio diximus; sed nos Philippi instrumentum non vidimus: omissum hoc fuerit scilicet a P. Hectoreo, quod nihil in eo esset novi, præter episcopi alterius* F *et notariorum nomina. Hanc autem appendicem pluris esse faciendam, quam ipsum in miraculis, quæ narrat, Rufinum, nemo non videbit: cum et fontes contineat, ex quibus sua Rufinus hausit; et aliqua suggerat, quæ vel ignoravit ipse, vel certe prætermisit; qualia sunt priora quatuor prodigia, ex ecclesiæ Cremonensis archivo deprompta cap.* 1 *usque ad num.* 4, *iterumque quod legitur ibidem num.* 9; *tum illa quæ cap.* 2 *probantur num.* 13 *et* 17*: quæ tamen omnia contigerant juridiceque constabant, antequam Rufinus ad scribendum accesserit.*

præmissis his omnibus epistola interpretis Vitæ.

29 *Appendix altera multo plura continet miracula; sed ita breviter notata, ut videri possint meri tituli majoris cujusdam historiæ. Idem vero scriptum in archivo, unde accepimus, vidisse olim se, ostendit Campius cap.* 16, *pag.* 90; *ubi antiquum illud esse affirmat; at quam antiquum, nec ipse ait, nec liquet nobis. Sed nunc ad Acta properemus, quæ more nostro ad capita pauciora reduximus, præmissis tamen antiquorum capitum titulis; quorum indices ad marginem numeros Romanos loco suo notavimus. Quia Actis a se translatis*

AUCTORE P. B.

latis interpres Italus suam in fronte dedicatoriam præfixit epistolam, juvat hic illam quoque ex Italica Latinam exhibere. Sic habet :

S. Hieronymo imitatus interpres. filiabus spiritualibus

30 Reverendæ matri dominæ Paulæ abbatissæ de Incarate, uti et venerandæ ac magnificæ matronæ, dominæ Olivæ Salvatica, salutem.

Pudicissimas filias suas spirituales, matronas, inquam, Romanas, Paulam et Eustochium, tantopere diligebat sapientissimus pater S. Hieronymus; ut, cum ardentissimum earum desiderium animadvertisset, quo libros quosdam sacrarum Scripturarum Hebraïce compositos percipere cupiebant, nequaquam ipsum piguerit eosdem illos libros idiomate Latino interpretari; ut eorum meditatione filiæ suæ delectarentur, spirituque proficerent, atque a vanitatibus et falsis mundi votis longius averterentur. Ego me apud vos tamquam alterum Hieronymum esse reputo; neque videri mihi potest labor ullus difficilis, quo quidem solatium vobis spirituale et congruentem legi divinæ oblectationem animi queam afferre.

B

Latinam S. Raymundi Vitam vertit Italice,

31 Cum igitur ante aliquot hosce dies reverentiis vestris in choro celeberrimi vestri cœnobii adessem, ac beati Raymundi reliquias visitarem, attulistis mihi Legendam ejus, obscuro olim stylo mendose admodum scriptam : tum me jussistis familiariter in choro considere, ac dixistis : Pater, enarra nobis aliquid de hac sacra Legenda : nam eam Latine non intelligimus. Ego, ut perspexeram desiderium vestrum, paucula tum quidem dixi; at apud me tacite statuebam, eam in vernaculum idioma totam convertere ac vobis dare : ut intelligeretis, quali quantoque vos prosequar affectu, non in umbra utique aut vanitate, sed in vera religione fundato. Licebit, opinor, vobis nunc vere dicere, omnium apud me primas esse vos : neque enim hujusmodi munere aliarum ullam donavi. Facite tamen, obsecro, ut illius etiam particeps fiat filia vestra, et mea soror, Paula Robata cum sorore sua piissima, quarum cura directioque spiritualis incumbit humeris meis.

commendans ut eam communicent aliis;

32 Nolo autem hortari vos, ut illud quoque communicetis filiabus nostris observandissimis in cœnobio S. Bartholomæi, nominatim vero venerandæ matri sorori Thadææ, piæque ac prudenti sorori nostræ Corneliæ : facietis enim, certo

C

scio, plus etiam sponte vestra, quam ego committerem; ita certe mihi persuadet, quæ vobis est innata, benignitas. Porro tametsi vestra præcipue causa honestum hoc negotium aggressus sim, maximo tamen ad hoc etiam incitamento fuit mihi felix memoria observandissimæ matris, dominæ Polyxenæ, vestri nuper parthenonis abbatissæ; cujus quidem meritissimis laudibus, prudentiæ, religioni vel commemorandis imparem esse me sentio : testes enim estis ipsæ vos, quanta diebus suis industria modestiaque gubernaverit; quanta existimationem ac splendorem nominis vestri non sustinuerit modo, sed et auxerit diligentia; quibus præceptis, quam illustribus exemplis vos non secus ac filias educaverit; quanto pietatis et venerationis affectu sacras beati Raymundi exuvias prosecuta sit; qua denique virtute ad servandas amplificandasque cœnobii facultates incubuerit.

33 Agite ergo; et ad majorem in Beatum vestrum religionem; ad indelebilem illius vestræ, quam dixi, matris memoriam; ad monialium vestrarum acuendum in spiritu studium, ac denique in affectus erga vos singularis tesseram, D

cum indignum sit. hæc Acta ignorata fuisse usque ad an. 1525.

donum hoc nostrum accipite; cui aliud rependi nihil postulo, nisi gratiam Domini, ac B Raymundi suffragia. Id enimvero impense doleo, quod in urbe nostra tanti Patris vita vitæque historia ignoretur, tam pia præsertim ac tenera, quam nunc ipsæ videbitis. Ingratorum utique civium non leve crimen est adversus Virum tam illustri sanctitate conspicuum, cum inter eos nemo unus reperitur, qui beati Patris Acta verbo scriptove didicerit. Sed enim hæc vestræ prudentiæ commissa sunto : mihi satis est, explevisse desideria vestra. Valete. Placentiæ MDXXV, die prima Septembris.

ANTIQUA VITÆ DIVISIO.

Præfatio auctoris ad pauperes xenodochii B. Raymundi Palmarii.

VITA ET MIRACULA B. RAYMUNDI PALMARII.

E

CAPUT I. De patria, et origine, et conditione, primisque exercitiis B. Raymundi.

CAP. II. Quomodo B. Raymundus, defuncto patre suo, flatuerit adire Hierosolymam cum vidua matre sua, et loca omnia sancta visitando satisfacere desiderio suo.

CAP. III. Quomodo B. Raymundus ægrotare in navi cœperit, et jam morti propinquum eum ejicere voluerint nautæ in mare; et quo pacto liberatus fuerit.

CAP. IV. Quomodo mater ejus, postquam ex navi egressi jam essent, ex hac vita migraverit, nondum absoluta peregrinatione.

CAP. V. Quomodo B. Raymundus e loco discesserit, ubi sepulta mater ejus fuerat, perveneritque Placentiam; et unde appellatus fuerit PALMARIUS.

CAP. VI. Quomodo B. Raymundus hortatu cognatorum uxorem duxerit, ac redierit ad primum opificium suum; et quomodo illud exercuerit.

CAP. VII. De moribus, vestitu et conversatione B. Raymundi post initum matrimonium; et quomodo nati ei fuerint aliquot filii; et quomodo hi anno unico omnes obierint.

CAP. VIII. Quomodo B. Raymundus conjugem suam hortetur ad continentiam, et per divinam providentiam filium etiam tum unum susceperit; et quomodo illum sancto Crucifixo obtulerit Placentiæ ad sanctæ Brigidæ. F

CAP. IX. Quomodo B. Raymundus iterum de vita caste ducenda deliberet; et quomodo Deus permiserit, ut uxor ejus in ægritudinem immedicabilem incideret, ex eaque moreretur.

CAP. X. Quomodo B. Raymundus, uxore mortua, filiolum suum soceri sui ac socrus curæ commiserit; ipsisque dixerit, redire se cupere ad peregrinationem; tum quomodo eum illi in patria retinere conati sint.

CAP. XI. Quomodo B. Raymundus celeberrimorum in partibus occidentalibus Sanctorum corpora visitaverit, ac deinde divina revelatione admonitus Romæ fuerit, ut Placentiam rediret, ad pauperum curam suscipiendam, ad conciliandam inter discordes pacem, et ad exercendum sese in operibus misericordiæ.

CAP. XII. Quomodo B. Raymundus Romæ Placentiam redeat, indutus habitu sibi a Salvatore

A re ostenso, ac propositum suum aperiat episcopo; qua ratione approbatum illud fuerit: quomodo item soceros inviserit.

Cap. xiii. Quomodo B. Raymundus habitationem sitam elegerit apud canonicam duodecim Apostolorum; et quomodo aggressus sit officium suum providendi pauperibus, in eoque eum multæ devotæ personæ adjuverint.

Cap. xiv. Quomodo B. Raymundus separaverit viros apud se commorantes a feminis, et has in alio loco collocaverit.

Cap. xv. Quomodo B. Raymundus pauperum causam defenderet contra magnates; nec vereretur corripere judices et gubernatores, aliosque principes.

Cap. xvi. Quomodo B. Raymundus dissidentes conciliaret, factiosos objurgaret, inter duas acies inimicas ingressus sit medius, easque ad pacem invitarit; et carceri mancipatus fuerit a Cremonensibus.

Cap. xvii. Quomodo B. Raymundus hastatorum equitum festiva certamina ludosque alios impediverit, in quibus rixæ, vulnera, atque hominum neces accidere consueverunt.

B Cap. xviii. Quomodo B. Raymundus inviserit detentos carceribus, ac præsertim addictos ultimo supplicio; et quando eorum emendationem noverat, eis veniam impetraverit; quomodo ex iis multi facti sint religiosi in canonica duodecim Apostolorum.

Cap. xix. Quomodo Dominus Deus finem imposuerit laboribus Servi sui, et felicem ei transitum concesserit. Item quomodo filius ejus religioni nomen dederit in canonica duodecim Apostolorum.

Cap. xx. Quomodo civitas universa confluxerit ad intuendum venerandumque sanctum ejus corpus; et quomodo sepultum illud fuerit in canonica duodecim Apostolorum; et post exsequias filius ejus habitum religiosum sumpserit in dicta canonica.

Cap. xxi. Quomodo post sepulturam B. Raymundi fideles Christiani indigenæ exterique visitare cœperint sanctum sepulcrum: et inceperit patrare miracula; tantæque fuerint oblationes, ut sufficerent ad alendos omnes xenodochii pauperes: et quomodo urbis rectores decreverint, ut appellaretur xenodochium illud *Hospitale B. Raymundi* ad æternam ejus memoriam.

C Cap. xxii. Narratio miraculorum aliquot singularium ad confirmandam B. Raymundi sanctitatem

Conclusio totius operis.

VITA

Auctore Rufino Latine scripta, ab anonymo Italice versa; et nunc denuo Latinitati, ex Italico Ms. archivi monialium S. Raymundi *Placentiæ, fideliter restituta.*

Præfatio auctoris, et operis dedicatio.

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

Humilibus Jesu Christi servis, pauperibus xenodochii beatissimi patris nostri Raymundi Palmarii *a*, ego Rufinus, magister minimus in canonica duodecim Apostolorum *b*, salutem.

Rufinus familiarium S. Raymundi desiderio,

Dilectissimi filii mei in pretioso sanguine unigeniti Filii purissimæ Virginis, laudare satis non possum desiderium vestrum ac preces ardentissimas, quibus jam dudum excitastis me, et propomodum compulistis; ut vitæ Raymundi, sanctissimi patris vestri meique, initium ac decursum, felicem et commendatissimum exitum, virtutes admirabiles, stupenda miracula colligerem, styloque digererem; eoque id magis, quod et oculi mei proprii contemplati sunt, quam in hoc beato Patre nostro gloriosus fuerit clementissimus Dominus Deus; et multi de vobis, filii carissimi, tamquam intime ipsi familiares *c*, clarissime comprobastis mihi pietatem, sudores inenarrabiles, aspera itinera, quæ ad opitulandum xenodochii sui devotissimi pauperibus ægrotisque piissimus Pater noster diu noctuque tolerabat. E

et ipsius ejus filii precibus tandem obsequens,

2 Quantumvis autem incitamenta hæc omnia tepiditatem meam tarditatemque abrumpere debuissent; eum tamen hujusmodi me opere reputarem indignum, ac de eo ita mecum ipse dissererem: Qua ratione tam sancti Patris laude dignum illud esse poterit, cum tam inepta sit mea dictandi ratio, et maxime cum ego peccator sim? ad hoc usque tempus abstinui; neque ausus fuissem incipere etiam nunc, nisi eo coëgissent me urgentissimi stimuli efficaciaque argumenta, quæ mihi produxit dilectus frater et filius noster spiritualis, frater Gerandus *d*, subdiaconus in canonica nostra, et relictus a beato patre nostro Raymumdo filius unicus. Unde velim sciatis, dilectissimi filii, cum acuta ego aliquando tentatus febre decumberem, in angustum cubiculum nostrum venisse memoratum jam patris nostri Raymundi filium animo prorsus anxio; tum, quasi morbo nostro diffideret, provolutum cum lacrymis ante lectulum nostrum, cœpisse dicere.

statuit Sancti Vitam scribere si convalescat ex febre.

3 Hei mihi! Magister care, si te nunc mori contingeret, ecquis umquam testimonium in scriptis relinqueret felicis sanctæque vitæ dilecti Patris mei; qui fuit, ut tibi quidem optime notum est, Placentinæ huic urbi nostræ universæ omnis virtutis speculum lucidissimum, xenodochii pauperibus infatigabile refugium; et iis, F qui post illum venturi erant, prospector diligentissimus, omnis denique bonitatis, atque imprimis patientiæ, humilitatis, perseverantiæ, exemplum? Obsecro te, magister mi care; noli rem ulterius differre. Considera, forsan ideo divinam justitiam hoc te morbo afflixisse, ut agnoscas negligentiam tuam. Ne respue admonitionem meam, ex amore filiali profectam; quin per amorem illum tuum tam ardentem erga Deum, erga beatum Patrem meum, erga me, filium ejus indignum, te obtestor, ut serio statuas operi sancto admovere manum, quamprimum hac ægritudine solutus fueris: et confido, cumulatissima sancti Patris mei merita tibi adjumento futura.

quod mox valetudini restitutus, sine mora exsequetur, fide maxima.

4 Victus equidem oratione tam æqua, mentem ad Dominum, atque ab beatum patrem Raymundum sustuli, decernendo apud me, ut, si æstuans me febris dimitteret, sine ulla mora negotium sacrum executioni mandarem. Atque ita sanitati post triduum restitutus, confirmavi pro positum meum. Suscipite igitur scriptum hoc nostrum-

Auctore Rufino ex ms. Ital.

strum, quo id mihi proposui, ut prædicarem, ac notum universis facerem beatum patrem Raymundum. Ne vero temeritatis argui possem, quasi de viro simplice, candido, et idiota, qualis fuit beatus Raymundus, ausus fuissem scribere res propemodum incredibiles, nolui aliud omnino quidquam attingere præter ea, quorum partim ipse mihi testis sum vivus, partim vos fuistis, partim alii, et quidem admota sacris Euangeliis manu jurati. Ordiamur ergo in nomine Domini, et quidquid describimus, per justa capita dividamus. Amen.

ANNOTATA.

a *Sic appellat Fratres illos laicos, qui vitam suam obsequio pauperum in hospitali* S. Raymundi *consecraverant ; de quibus actum in Commentario* § 2, *a num.* 20.

b *Adi eumdem Commentarium* § 3, *num.* 23 *et* § 2, *num.* 11.

c *Superstites indicat socios illos S. Raymundi ; de quibus vide Commentarium* § 2, *num.* 20, *et* B *Vitam cap.* 4, *num.* 48.

d Gerandum *constanter habet apographum nostrum Italicum : sed sive is est Placentinorum ante annos ducentos idiotismus, sive vitium amanuensis, certum est ex Appendice* 1 *miraculorum cap.* 2, *num.* 13 *et* 21, *scribendum esse Latine* Gerardum. *De hoc autem inferius plura dicentur in Vita.*

CAPUT I.

S. Raymundi patria, parentes, conditio ; patris obitus ; peregrinatio cum matre vidua ad Terram sanctam, et reditus.

I

Sancti patria, conditio, corporis et animi constitutio.

5 Beatus Raymundus, quod quidem ad patriam attinet, Placentinus fuit, in ipsa natus *a* urbe Placentia. Parentes habuit nec illustres origine, neque viles admodum ; sed cives privatos, eosque, si rem spectes domesticam, nec pauperes nec C opulentos. Erat beatus Pater mediocris statura, corpore gracilis ; agilis tamen et in agendo expeditus, quantumvis macilentus esse extenuatusque. Ingenium ei solers ac germana ornatum prudentia, utpote temperata candore mirifico, quem columbinam simplicitatem nuncupare liceat. Ut a suspicionibus cavillisque abhorrebat, ita neque cautiones astutas, si cum aliquo ageret, neque simulationem noverat, vir bonæ ac sinceræ fidei ; de quo Euangelicum illud recte pronunties : Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Sermo rarus, at gravis ; affectus et amor benignissimus ; ingens commiseratio erga afflictos ac pauperculas, in quos misericordiæ viscera, ut per decursum narrabitur, quam poterat maxime, dilatabat.

Duodennis applicatur opificio :

6 Infantem domi suæ educabat regebatque mater ; eum vero ad ætatem annorum circiter duodecim accrevisset, apud opificem quemdam a patre elocatus est, non ut litteris doctrinæve daret operam ; sed ut artem ejus servilem atque ignobilem exerceret, in eaque disceret mercaturam D facere. Hoc opificium quale fuerit, comperiri certo argumento non potuit : sunt, qui sutorium fuisse velint, opinione ducti, non scientia. Id tamen est verum, quæcumque demum ars illa fuerit, optimo Adolescentulo non parum illam displicuisse ; ut qui ad majora utilioraque, quemadmodum patebit infra, natus esset : puer ipse interea, atque in patria potestate constitutus, tolerare illam necesse habuit ; ut ita Domini, honorem erga parentes obedientiamque divina lege præcipientis, mandato obtemperaret.

II.

mortuo patre Hierosolymam cogitat, modo annuat mater:

7 Jam annos pubertatis, sive adolescentiæ, quæ ab anno ætatis quarto decimo ducit initium, B. Raymundus attigerat, cum pater ejus ex hac brevi vita ad patriam cælestem transiit. Tum vero sanctus Adolescentulus liberum sese esse considerans, obscuro isti opificio statuit valedicere, non ut otium sectaretur, aut se vitiis prostitueret, quod vulgus assolet adolescentium ; verum ut Salvatori suo, per consecratam divinis obsequiis toto animo vitam, propius adhæreret. Quinimo, ut Jesu Christi benedicti amore penitus inardesceret, ad sanctum E ejus Sepulcrum peregrinari decrevit, et sacra, cum quæ sunt Hierosolymis, tum quæ circumjacent, loca visitare. Proficisci tamen ante noluit, quam annuisset mater vidua, ac bene sibi precata esset. Nactus illam igitur die quodam, ingressusque cum sola cubiculum, adoritur in hunc modum : Cara mihi, et mei amantissima mater, infinitas Creatori meo gratias ago, qui hanc mihi mentem injecerit, ut res fastidiosas artesque profanas hominibus profanis relinquam, ac Jesu dulcis, Salvatoris mei tuique, crucem amplexus, discedam e patria ; atque amicis omnibus et consanguineis valere jussis, Sepulcrum Domini peregrinus invisam. Tua unius, carissima parens, me cura solicitat, quod sola es et vidua, nec præter me, unicum filium tuum, solatium aliud ullum habes aut refugium. At illud, amabo te, perpende, quod in sacro Euangelio dicitur : Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est dignus gratia mea. Noli igitur, mater, obsecro, in causa esse cur amittam ego gratiam Salvatoris mei ; sed me cum bona tua venia et benedictione dimitte.

illa vero etiam comitari statuit

8 Hæc audiens piissima mater, uberrimis perfusa lacrymis, complectitur Filium, et in hæc F verba prorumpit : O carum et unicum lumen meum : O miseræ viduæque matris baculum ! Absit, ut mea te causa crucies : neque enim rem umquam dixisti mihi gratiorem, præsertim hoc tempore : nam et ego, cum vinculo conjugali solutam nunc me viderem, nec, alium habere filium, nisi te, educatum pridem nec jam amplius puerum ; me vero ætate maturam esse, omnino decreveram, quidquid mihi superesset vitæ, id officiis divinis, sacrisque locis adeundis totum impendere ; tantumque mihi a Creatore meo concedi gratiæ flagitavi, quo sanctissimam illam Annam viduam imitari possem, quæ a templo Dei Hierosolymitano ne nocte quidem discedebat. Bono igitur animo esto. Fili mi ; simul ibimus ad sanctissimum Sepulcrum, a quo *b* sola me poterit mors divellere.

Rubea ergo cruce ab episcopo insigniti ambo discedunt.

9 Quis hic vel matris, vel Filii adolescentuli gaudia cogitando assequi possit, ubi ad tam pium propositum conspirantia mutuo studia cognovere ? Grates, quantas poterat, agebat uterque Domino Deo, qui se ab amore affectuque seculari abstractos, spirituali desiderio inflammasset.

A set. Tum vota exsecuturi, res ad peregrinationem necessarias disponunt; et post amicos cognatosque ex officio salutatos, reverendissimum Placentinæ urbis antistitem *c* adeuntes, ita sunt allocuti: Pater ac pastor reverendissime, deliberatum nobis est hinc peregre ad sanctum Sepulcrum abire; manibus igitur ad modum crucis compositis id poscimus, quod solent hujuscemodi peregrini. Ubi intellexit sanctus præsul æquum matris ac Filii postulatum, rubeam illis in pectore crucem imposuit; et Ecce, inquit, signum, quod ab omni vos periculo tuebitur. Deducat vos clementissimus Salvator et reducat incolumes. Dum orabitis autem, mementote patriæ vestræ *d*.

Hierosolymis Domini sepulcrum pie venerantur:

10 Compositis omnibus, discedunt non sine multis cognatorum, vicinorum, amicorumque lacrymis: et partim terra, partim mari labore magno crebrisque periculis perfuncti, exoptatum denique portum attigerunt. Dum sanctissimam Hierosolymorum urbem inspiciunt, ex tenerrimo pietatis B sensu flentes ubertim ambo, obstinatam perfidorum Judæorum crudelitatem contemplantur animo, qui usque adeo obcæcati fuerint, ut Auctorem vitæ neci dederent. Immensam quoque caritatem recogitant æterni Patris, qui, ut servos peccatores redimeret, in crucem agi permisisset suum atque integerrimæ Virginis Filium. Ubi ad sacrum Sepulcrum devenerunt, locumque conspexerunt sanctissimæ crucis, rumpentibus pectora singultibus, suspiriis, lacrymisque copiosissimis, in hanc fere sententiam ferventissime supplicabant: Ignosce nobis, Domine, qui propter scelera nostra mortuus atque hoc loco sepultus es. Obsecramus te, dulcis Salvator: animas nostras in pace suscipe, nec sine diutius in hac miseriarum valle detineri: fumus enim est nobis mundus hic universus, neque ejus aliquid oblectare sensus nostros ultra jam poterit, postquam oculis ac mente solatium illud suave et spirituale percepimus, quo nos gloriosus mortis, sepulturæ, divinæque resurrectionis tuæ locus affecit.

inde Bethleemo valle Josaphat. Bethania visitatis, reditum parant.

11 Posteaquam ita Hierosolymorum sacraria supplices adiissent, et millies ac sæpius essent osculati, ad oppidum Bethleemiticum concessere: castissimæ Virginis Filii regiam, sacrum, inquam, C præsepe *e*, veneraturi: ad cujus quidem tam religiosi ornatique loci conspectum interiori spiritus dulcedine abrepti languebant, et sumptuosis, quæ per orbem ostentantur, locis omnibus pro nihilo habitis, toti erant in meditanda universorum Domini bonitate, qui non indignum censuisset, eo sese abjectionis demittere. Itum inde ad sanctissimum juxta et pretiosissimum gloriosæ Virginis tumulum, in Josaphati valle collocatum *f*; hinc porro in Bethaniam ad ædes dilectæ Magdalenæ, quam eo fortunatissimam reputabant, quod sedens secus pedes dulcis Magistri sui, divina ejus ac sapientissima verba audivisset. Elapsis interea diebus non paucis, cum sacra omnia jam loca circuissent, de repetenda patria cogitarunt; ut quæcumque viderant mirabilia, cum hominibus piis ac religiosis communicarent, et frigentia cum virorum, tum mulierum secularium corda divino amore succenderent. Itaque post visitata denuo et calentibus respersa lacrymis sacraria revertuntur ad mare, ut Italiam navigio repetant, ac patrium tandem solum revisant.

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

Dum renavigant, S. Raymundus in febrim incidit letalem;

12 Passus fuerat in tam longis peregrinationibus sane plurima B. Raymundus a ciborum ac potus incommodo, a protractis vigiliis, a labore itineris et lassitudine, ab æstu denique ac frigore; ad hæc in ipsa navi, qua redibat in patriam, binæ aliæ accedebant miseriæ, quæ gravem tandem ei morbum attulerunt: et prima quidem e sentina prodibat, intolerabilem adeo putidamque pestem exhalante, ut aërem omnem circumfusum inficeret; alteram vero ingerebant imbres, quorum ingentem copiam in navi positus patientissimus Pater, nec ulla re protectus, excepit. Hæc mala juncta prioribus, tum divina quoque providentia, quæ probatam Servi sui patientiam volebat, febrim illi ardentem et continuam adduxere, tantamque diebus paucis debilitatem, ut præter ultimum spiritum nihil ei superesset.

et projectus fuisset in mare pro deposito; nisi mater obstitisset.

13 Nautæ, ut illum fere jam viderunt mortuum, ejicere eum decreverunt in mare, ne intra navigium exspiraret: credunt enim superstitiose, si quis moriatur in navi, non carituram esse navigationem periculo, ne et submergantur omnes, et ipsa navis in profundum agatur. Inito igitur consilio, facinus tam crudele aggressuri jam erant, cum id advertens paupercula, vidua, peregrina mater, in Filii corpus abjecit sese expanditque, non sine acerbissimis lacrymis sic orsa clamare: Nolite, immanes, E misellam viduam unico suo lumine privare; nolite mihi vitæ meæ columen adimere; ne a me, ne ab utero meo revellite viscera. Aut mihi Natum relinquite, aut me una cum illo in altissimos præcipitate fluctus. Quod si levare placet navigium, a me, quæ tot illud fletibus gravo, initium facite. Non videtis, oculos mihi in amarissimarum lacrymarum fontem esse conversos? Confidite, filii, dulcissimo Jesu, cujus amore ego ac Filius meus tam gravia toleravimus, et certa cum fiducia preces mecum fundite: spero enim, nos a divina bonitate auditum iri.

donec subito convalescens, hoc periculum evaderet.

14 Navicularii tot lacrymis, et verbis tam suavibus ad commiserationem inflexi, prostratique, in hunc modum precantur: Tu, Domine, peregrinantium pauperum protector es, consolator viduarum, navigantium portus, salus infirmorum; te, Domine, obsecramus, ut vota suscipias, ac servum tuum Raymundum restituas valetudini; ne quid adeo crudele in matrem miseram statuamus. Vix precationem absolverant, cum bonus Pater loqui cœpit; et flens dicere: Dominus Deus hoc morbo castigavit me, et morti nullam in me potestatem dedit. Quæ verba audientes mater F et nautæ collaudant Dominum, dicentes: Benedictum sit nomen tuum; benedictus Servator noster, qui sincera te fide invocantes non deseris. Itaque bonus Pater post dies non multos integre convaluit.

ANNOTATA.

a Natus *vero est annno circiter* 1140; *quandoquidem annus Christi* 1200 *mense Julio fuit ætatis ejus sexagesimus, ut infra dicetur cap.* 4, *num.* 51.

b *Sepulcro Domini; an proposito illud una cum Filio adeundi? Ambiguus enim hic est interpres noster. De proposito tamen potius intelligendum videtur ex sequentibus, quæ satis indicabunt, non fuisse illis animum commorandi perpetuo Hierosolymis; quidquid hunc innuere videatur exemplum Annæ viduæ, quod eatenus hic nostra vidua imitari optat quidem; at non decernit.*

c *Hunc* antistitem *Campius in Vita Sancti nostri cap.* 1, *pag.* 11, *statuit fuisse Hugonem, Anacleti II antipapæ, seu Petri Leonis ex Hugutione*

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

tione filio nepotem; qui ineunte anno 1155 *electus episcopus Placentinus, proximis Kalendis Maii ecclesiæ suæ possessionem adiit; cui anno* 1164 *Tusculana una cum dignitate Cardinalitia fuit addita. Obiit vero Romæ* 1166, *teste Ughello Italiæ sacræ tom.* 2, *ubi de episcopis Placentinis.*

d *Hanc patriæ commendationem non ut fortuitam, aut in simili casu semper usurpari solitam, sed ut patriæ tum peculiariter necessariam adhiberi vult Campius ibidem : Placentinos enim ab anno* 1152 *censuisse, plurima sibi mala portendi per columnam igneam tum istic in aëre conspectam, quorum jam non minimam partem experiri cœperant, cum ad episcopum Peregrini nostri accederent. Consule etiam, si lubet, Annales Placentinos ad annum jam dictum et sequentes.*

e *De Christi Domini nostri præsepi, et ecclesia illi opere mirifico superædificata, atque ipsis Turcis venerabili, adisis Quaresmium Elucidationis Terræ sanctæ tom.* 2, *lib.* 6, *peregrinat.* 2, *cap.* 4.

f *De* sepulcro *beatissimæ Virginis agit idem*
B *Quaresmius ibidem lib.* 4, *peregr.* 7, *cap.* 1. *De Bethania vero ac domo S. Mariæ Magdalenæ, de qua mox, ibidem peregrin.* 10 *cap.* 6.

CAPUT V.

Matris obitus; Sancti conjugium, studium doctrinæ Christianæ; mors quinque filiorum ejus; amor continentiæ· ultimi filioli susceptio et oblatio; obitus uxoris.

IV. *Navigatione peracta, antequam placentiam attigissent,*

Difficili ac periculosa navigatione peracta, factaque exscensione in Italia, Placentiam nondum pervenerant, quando misera parens, tot jactata curis, tot laboribus fatigata, incidit in morbum. Cum vero ab ærumnosæ vitæ suæ termino abesse jam se parum sentiret, Filium compellans, Care, inquit, Raymunde, fili mi dulcissime,
C instare video jam proxime tempus illud, quo me hinc ad requiem, atque expetitum laborum, quos pertuli, præmium inviter Creator meus : id igitur te oro, ne tristi animo accipias : scis etenim, vivere mihi Jesum unice benedictum fuisse; mori vero lucrum fore sempiternum. Non te desero, Fili; sed vado, ut locum tibi beatum præparem.

ægrotat mater; moritur, et a Filio sepelitur.

16 Demisit oculos optimus Raymundus, abditisque lacrymis coërcuit fletum, cum ne felicem dilectæ matris contristaret exitum, tum ne benignitatem divinam offenderet; quippe quam non ignorabat per omnia dilectis suis cooperari in bonum. Respondit vero in hanc sententiam : Dulcissima mater, Dominus Deus in omni peregrinatione se nobis comitem præbuit: pia vota nostra complevimus : nunc, si placet ejus majestati separare nos, quid aliud dicendum, nisi ut fiat voluntas ejus justissima? Obsecro te tamen, parens sancta, ubi ad Salvatorem tuum meumque veneris, ut verbis meis illi significes, me vitæ hujus satietate jam teneri. Imo sine te vivere, cara mater, supplicium est mihi intolerabile. Apud Dominum ergo perora, ut in pace cito D colligat spiritum meum. Exinde mater, perceptis Ecclesiæ Sacramentis, intra die pauculos desiit vivere. Dilectæ parentis oculos Filius pius occlusit, ac funeri deinde multas inter lacrymas religiosissime justa persolvit *a*. a

V. *Raymundus ergo solus domum redit; et unde dictus Palmarius.*

17 Sepulta cara matre, optimus Raymundus jam solum se superesse considerans, ad Dominum Deum convertit animum; et flens, Heu me, inquit, miserum; quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me! Sed spero in te, Domine, fore, ut assumas me. Esto tu, obsecro Domine, pater meus et mater mea : neque enim spem in alia re ulla, præterquam in te positam habeo; eaque fretus, patriam nunc meam reviso. Sic iter arripit bonus Raymundus, habitu peregrinantium indutus, in quæ solent a sancto Sepulcro reduces usurpare, indicia præferens; puta crucem rubram in pectore, manu vero decerptum ex palma ramum, a quo et Palmarii cognomen accepit. Sunt qui familiam ejus Palmariorum vocitatam fuisse velint: verum hujus rei non reperi clarum testimonium *b*. Placentiam tandem b ingressus, priusquam ad proprias ædes diverte- E ret, majorem ecclesiam invisere voluit, et sese cum signis modo dictis reverendissimo episcopo sistere. Tum actis Creatori de obtento beneficio gratiis, acceptaque ab episcopo benedictione, non sine cognatorum amicorumque comitatu ac benevolentiæ singularis officiis in domum se suam recepit.

VI. *Matrimonio inito, resumit opificium suum.*

18 Elapsis a reditu ejus in patriam diebus aliquot, Raymundo hæc suggerere cœperunt consanguinei : Raymunde frater, si cælebs ac solus ita pergis vivere, laborabis multum; cum neminem habeas, qui res tuas curet. Auctores itaque tibi simus, ut uxorem ducas, cogitesque, Deo servire posse etiam conjugatos; quandoquidem institutum ab ipso matrimonium est. Sivit bonus Raymundus hæc sibi persuaderi, permittente id etiam divina bonitate, ut experiretur et Famulus ejus, quas matrimonio juncti regenda conjuge, alendis instituendisque liberis, re domestica administranda patiuntur miserias. Conjunctus ut fuit, non sufficere sibi ad sustentandam familiam patrimonium intelligens, ad prius illud (calceolariorum, ut creditur) quod jussu patris didicerat, opificium rediit : in quo quidem integerrime versatus est, sine dolo, sine avaritia : tantum ut se, ut uxorem, ut filios aleret, essetque, unde pauperibus eleemosynas F largiretur.

suffurans, quæ poterat, tempora, ad Christianam doctrinam assequendam;

19 Quoniam vero ipsi ars illa non placebat, ut quæ ab instituto suo spirituali avocaret animum, horis, quas opus urgendo nancisci poterat, subsecivis, et festis præsertim diebus (ut erat cognoscendæ legis divinæ ac sacrarum Litterarum studio concitatus) id operam dabat, ut cum viris religiosis, probitate ac doctrina conspicuis, conferret sermonem. Ea re tantum profecit, ut etiam sine litteris, non tamen sine dono divinæ sapientiæ, scientissimus appareret eorum, quæ ad Deum religionemque Catholicam pertinebant. Porro ut homines profanos, atque eos imprimis, qui eamdem secum profitebantur artem, a lascivis confabulationibus, ludisque vanis averteret, ipse festo quoque die certam sibi officinam deligebat, ubi magno caritatis ardore sodalibus suis veram sanctæ Dei legis doctrinam familiariter prædicaret, eosque edoceret operum ad præcepta divina exigendorum, ac virtutum ante omnia sectandarum, fugiendorumque vitiorum rationem.

20 Non

A *quam deinde magno cum fructu communicat aliis.*

20 Non multo post tempore optimi Raymundi fama usque adeo percrebuit; ut festis diebus, cum primum rescissent, in qua tum ipse domo aut officina versaretur, ad eam plurimi verba ipsius ardentia excepturi concurrerent. Quidam etiam hortabantur illum, ut loco publico, atque adeo in ipso foro, conciones haberet. Verum id humilis Dei Famulus se facturum negavit; sacerdotum illud virorumque doctorum officium esse dictitans; sibi vero, qui litteris excultus non esset, errores posse subrepere. Noluit proinde istiusmodi consilio, qui se ipse noverat, acquiescere. Domesticis tamen suis illis et humilibus exhortationibus apud eos, quos in eodem opificio habebat socios, tantum effecit, ut ordinem quemdam religiosum referrent, nec aliter ad bonum Raymundum, quam ad patrem suum ducemque spiritualem, recurrerent.

VII. *Sanctissimo exemplo familiam suam ad virtutem instituit:*

21. Vitam suam in opera Dei Famulus ad exemplum sancti Tobiæ instituebat, in victu parcissimus, in eleemosynis assiduus, in jejuniis, in oratione, in Officiis divinis indefessus. Peccatorum confessionem et sæpe, et contrito prorsus animo, repetebat; uti et sacram synaxim, quam comitabantur imbres lacrymarum. Quantumvis autem corpore in terris viveret, mente tamen tota versari satagebat in cælis. B Vestitu utebatur modesto. Conjugem arguebat docebatque ut filiam, amabat ut sororem, venerabatur ut matrem. Ex ea filios aliquot *c* suscepit. Hos ille, ut quisque sacro fonte tinctus erat, offerre Domino Deo, bonorum omnium auctori, consueverat, ac dicere: Hi, Domine, imaginem tuam præferunt; tu eos largitus es mihi; tibi eosdem, ut a te creatos, hic sisto: in manibus tuis sunt mors et vita illorum.

mortuis anno uno filiis ejus omnibus,

22 At benignus omnium Conditor cum sciret, non posse Famulum suum toto pectore ad studia vitæ spiritualis incumbere, utpote conjugii vinculo, curaque liberorum, adstrictum servituti, misertus ejus est, et aliqua illum voluit libertatis parte donare: filiolos enim ejus omnes anno uno ex hac vita sustulit: quæ res Parentem continuo afflixit quidem; pro insito tamen amore, mediocriter; at mox divinam ita ferre voluntatem considerans, acquievit omnino, dictum illud cum sancto Jobo usurpans: Dominus dedit; Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. Curis ego certe profanis commodius deinceps expediar. C

VIII. *uxorem hortatur ad mutuam continentiam; sed frustra:*

23 Filiorum obitus cupiditates hujus vitæ omnes in beato Raymundo exstinxerat. Deo igitur totum se consecrare desiderans, hortari cœpit uxorem ad servandam inter se mutuo imposterum continentiam: jam enim tempus adesse, quo amorem suum omnem transferre ambos tandem in Deum oporteat, non liberis ultra procreandis operam dare. At illa, rebus cælestibus parum addicta, procaciter admodum, Cum fuero monialis, inquit, tum monitis hisce tuis parebo: nunc abs te ducta cum sim, uxorem agere certum est, non viduam aut sanctimonialem. Noluit prudens Dei Famulus, spectata conjugis imperfectione ac periculo, importunius eam urgere; ut pacifice porro inter se et absque peccato viverent.

susceptum denuo filium Deo offert ad vitam religiosam. d

24 Ita factum divina providentia, ut alium denuo filium *d* gigneret. Hunc bonus Raymundus, cum se reductum ad servitutem videret, die quadam, absente tum uxore, fasciis, ita ut jacebat in cunis, involutum in ulnas accipit; et ad Placentinam S. Brigidæ ecclesiam defert, ubi Sacro ipse ac divinis Officiis coram imagine Crucifixi *e* solebat assistere; sublatoque, quantum poterat, in altum parvulo, ita precatur: Domine mi et Servator, qui, ut omnes ad te confugientes recipias, expandis brachia tua, te oro, ut, quemadmodum filios meos quinque in ætate tenera attraxisti ad te, beatitudinis eos æternæ coheredes adsciscens ita et hunc suscipere digneris filiolum meum, a te mihi, supra quam speraveram, datum. Fac, obsecro, Salvator mi, ne sejungatur a fratribus suis. Quod si longiorem ei vitam decreveris, castum purumque serva sanctæ religioni, cui et adscribi aliqnando illum desidero, et jam nunc offero, dedicoque. Precibus absolutis, infantem clam refert in cunas, nec de re gesta conjugi quidquam indicat.

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL. e

IX. *Moritur ejus uxor.*

25 Post oblatum dulcissimo Salvatori filiolum, altius in Raymundi pectore fixum est desiderium sectandæ, quantum in se esset, perpetuæ continentiæ: eo tamen uxorem, quia dubitabat an esset consensura, nolebat impellare. Sed aliam ipsi ad propositum viam pro sua sapientia Dominus Deus aperuit: permisit enim immedicabili morbo mulierem usqueadeo conflictari, ut ad actum conjugalem neutiquam esset idonea. Itaque E Dei Famulus absque ulla uxoris injuria, absque peccato, voti compos est factus. Duravit gravis hic languor diebus multis ac mensibus, nec ipsi Raymundo incommodi parum attulit; qui tamen assidua commiseratione conjugem animabat, hæc ingeminans: Propter me, soror mea, hoc tibi malum obvenit: ego illud, ac lubens, perferam *f*. Placuit tandem Domino Deo exemptum e servitute Famulum suum ad studia nobiliora utilioraque transferre, ac simul uxorem, ægritudine tam diuturna jam prorsus exhaustam, cruciatibus liberare. Concessit igitur, ut hæc animo recte comparato, perfectaque subacto patientia, ex hac vita migraret. Ita bonus Raymundus, maritali jam jugo exsolutus, perpetuæ castitatis et continentiæ propositum confirmavit.

ANNOTATA.

a *Ubi mortua sit S. Raymundi mater, ubi sepulta, nesciri dicit Campius cap.* 3, *pag.* 19.

b *De* Palmarii *nomine egimus in Commentario prævio. Quod additur tamen de Palmariorum familia, ab interprete videtur adjectum textui Rufiniano; quamquam id in Commentario dissimulaverim: quomodo enim dubitare Rufinus in hac re potuit; cum Sancti familiam et per se, et per filium* S. Raymundi *Gerardum non potuerit non habere perspectissimam?* F

c Filios aliquot; *scilicet* quinque, *ut infra ipsemet indicabit num.* 24; *idque præter Gerardum, qui sextus fuit; sed post obitum quinque ejus fratrum genitus.*

d *Hic ille fuit Gerardus, de quo hic et inferius plura.*

e *Eadem istic* imago Crucifixi *servari adhuc, traditione constanti creditur; ita pro suo tempore testatur Campius cap.* 5, *pag.* 27.

f *Quasi dicat: Tu, conjux mea, id doles, quod morbus hic tuus multum mihi facessat negotii: sed noli mea causa te macerare; ego quantumque erit incommodi, libenter subibo; ut serviam tibi, propter me ægrotanti.*

CAPUT

AUCTORE RUFINO EX MS ITAL.

CAPUT III.

Relictis omnibus, sacra suscipit itinera; donec redire jussus a Christo, operibus misericordiæ juxta præscriptum ab eo modum se totum impendit in patria.

x. *Filiolum soceris committit; ipse pie peregrinari statuit*

Servus Dei ut se patre, matre, conjuge, liberis (si parvulum hunc postremum excipias) exoneratum vidit, continuo induxit animum, ut rerum quoque fluxarum studia, curasque prorsus
B omnes excuteret. Cumque non ignoraret, solam sibi in mora esse posse educationem filioli, divino instinctu soceros adit, parvulum gestans in manibus; quo coram illis deposito, Tibi, inquit, care atque honorande socer, tibique, socrus mea, filiolum hunc ex me vestraque filia natum offero et committo. Curate, obsecro vos, ut recte educetur, erudiaturque, ac bonis imbuatur litteris, itaque tandem religiosus evadat probus et utilis; quem ad finem ego eum Jesu Christo benedicto obtuli. Facultates meas omnes in vestras consigno manus. Has in mei vestrique filii utilitatem expenditote. Mihi fixum est et statutum renuntiare seculo, et præcipua quæque, ubi corpora Sanctorum honorantur, obire sacraria, Romam imprimis, ecclesiam S. Jacobi in Galæcia, S. Antonii *a*, ceteraque loca celebriora. Non revertar huc amplius, nec me porro visuri estis. Nuspiam diu detineri me sinam; sed pergam quod mihi superest vitæ peregrinationibus continuis insumere. Unum hoc mihi concedi a Servatore meo postulo, ut ibi cursum contingat absolvere, ubi sepultum fuit sanctissimum ejus corpus, ex Virgine purissima natum.

soceris frustra eum retinere volentibus.

C 27 Hæc soceri cum audissent, in ejus ambo ruentes amplexum, non sine lacrymis ita responderunt: Dilecte Gener, quod filiolum huc affers, curæque nostræ committis, hoc quidem gratissimum nobis est: cum enim domi habeas neminem, qui curare illum possit, educabitur hic sane atque instituetur commodius: verum quod nos, quod patriam vis deserere, ut hominum instar infelicium ac desperatorum, quibus nulla uspiam est requies, huc illuc vagando, vitam in miseriis degas, id enimvero nequaquam sustinebimus: neque enim illud nobis futurum esset minus grave, quam ignominiosum tibi. Quin veni potius, et nobiscum una vivito: filii curam nobis permitte; tu tuis unice vacato pietatis officiis: rem nobis facies longe jucundissimam. Et quidni in patria etiam tua, tot sacris ditata reliquiis, servire possis Creatori tuo? Ad hæc B. Raymundus grates egit quidem ex animo: at consilio remanendi in patria obsequi recusavit, ideo libertati restitutum se dicens a Domino Deo, ne remaneret; hoc sibi divinitus inspirari; procul absentem plus utilitatis allaturum sese eorum animæ, quam præsentem. Ita post pauculos dies rebus omnibus, acsi moriturus mox esset, dispositis, Placentia, ne quis ei molestus occurreret, clam discessit, probe intelligens, cognatorum, amicorumque secularium consilia non esse animæ salutaria.

XI. *Adit Compostellam. redit per Galliam et Italiam, subsistit Romæ,*

28 Placentia profectus B. Raymundus, progredi ante non destitit, quam ad S. Jacobi in Galæciam pervenisset *b*, mendicato interim victitans magna cum patientia et animi demissione. Inde, sanctissimi Apostoli corpore salutato, in Italiam rediens, ad sanctissimæ Magdalenæ reliquias, et asperum pœnitentiæ locum haud procul Massilia divertit. Tum per Provinciam discurrit, aditque Mariarum trium, et sanctorum Marthæ ac Lazari corpora *c*. Deinde ad S. Antonii, itemque ad S. Bernardi *d* contendit. Italiam subinde ingressus, pia quælibet istic loca, et sancti imprimis Augustini apud Ticinenses *e* lipsana, veneratus est. Ad hunc modum Romam usque perrexit; ibi vero cum in visitandis Principum Apostolorum et sanctissimorum Martyrum ac Virginum sacris exuviis dies aliquot posuisset, iterato visere statuit Hierosolymam, et loco demum tam sancto diem vitæ supremum opperiri. Verum ecce, dum trajiciendi maris opportunitatem exspectat, admonitionem a Salvatore nostro accepit; ut modo narrabimus.

ubi a Christo monetur, ne pergat Hierosolymam; sed in patriam redeat.

29 Erat Romæ B. Raymundus, et pauperis instar peregrini apud basilicam S. Petri sub quadam porticu dormitabat, quando ei Jesus Christus benedictus, speciem peregrinantis, ut binos olim discipulos comitabatur in Emmaus, indutus apparuit, et sic alloquens illum: Serve mi Raymunde, tam gratæ mihi fuerunt preces tuæ, ut piis tuis peregrinandi desideriis ad horam hanc usque sim obsecutus, eaque de causa te uxoris ac filiorum servitute liberaverim. Loco sacra, quæ placebant maxime, invisisti jam omnia; nec votis aliud superest, nisi ut ad Sepulcrum meum sanctissimum redeas. Non placet istud mihi consilium; quia rebus magis mihi gratis, tibique magis utilibus, misericordiæ, inquam, operibus occupatum te volo. Neque vero existimes, me peregrinationum ac piorum id genus exercitiorum rationem tempore judicii præcipuam habiturum esse, cum dicam: Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum cælorum: esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et redemistis me. Nolo itaque, fili F
mi, deinceps ut per orbem vageris: sed patriam tuam Placentiam repete; ubi tot pauperes, tot infirmi et variis oppressi calamitatibus misericordiam implorant meam, et non est qui adjuvet. Ibis tu, eroque tecum ego, et gratiam dabo, qua possis ad eleemosynam divites, dissidentes ad pacem, aberrantes denique, et vagas præsertim mulierculas, ad rectam vivendi normam adducere.

ibique misericordiæ et paci dat operam.

30 Respondit voce demissa fidelis Dei Servus: Domine, par ego non sum rei tantæ suscipiendæ, homo utique rudis, sine litteris, sine agendi industria, peccatis plenus. Noli me, obsecro Domine, ad cives illos meos legare: vides enim, quam infense divisi sint inter se, quam discordes. Non audient me; frustra laborabo: novi mores eorum. Tum, numquid non ipse asseruisti, Domine, acceptum non esse hominum in patria sua? Cui Servator non est, Raymunde, cur diffidas: nam corda hominum in manu mea sunt; quocumque voluero, inclinabo illa. Addam, ego eam verbis tuis virtutem, spiritum, gratiam, eam gubernationi prudentiam, ut tibi contradicere nemo possit.

31 Redibis ergo Placentiam, et pium officium tuum

habitu corporis, et modo hic assignatis.

A tuum ab hisce ordieris insignibus: veste induitor coloris ætherei, ad medias usque tibias demissa, laxis manicis, absque capuceo. Humero impositam semper circumferto crucem meam, ejusque nomine ac virtute opera pietatis omnia exerceto. Locus per te pius egentibus et peregrinis instituitor: hic vero tuo nomine insignitus, constanter subsistet *f* ad perpetuam fundatoris memoriam. Surge, age; diffidere noli: Romam, ubi tempus perdis et operam, desere, atque in patriam proficiscere. Faciam ego, ut tamquam servus meus ac nuntius excipiaris. Prius tamen quam in urbem tuam introeas, dicto jam te modo vesties, sublataque in humerum cruce mea, te sistes episcopo, cui officium indicabis, quod nomine meo statuis exercere. Ego tibi ipsum interea faventem exhibebo. Postquam Salvatoris sui hanc esse mentem cognovit B. Raymundus, hæc tantum subjecit: Tu Dominus meus es; et ego servus tuus: fiat voluntas tua. Ita visum cæleste disparuit.

XII. *Sic ab episcopo Placentino benigne excipitur;*

B 32 B. Raymundus Roma Placentiam versus iter instituens, ubi ad Tari vicum *g* devenit, vestem induit, quam jussus erat; tum crucem sibi fabricavit ligneam, longam cubitis duobus, et justa proportione latam. Caput non nisi galero itinerantibus usitato tegebat; humero et sanctam imponebat crucem et saccum ingentem, in quo destinatas pauperibus eleemosynas conderet. Ita Placentiam tandem ingrediens, aspectantes tam insolita specie obstupefecit omnes, quorum ingens eum numerus ad ecclesiam usque cathedralem prosecutus est. Ipse interim alloquitur neminem, nemini respondet; sed vocem et oculos modeste demissos continens, ad antistitem *h* pervenit; cujus postulata benedictione, Reverendissime pater, inquit, cum in animo haberem ultra non reverti in patriam, hortatus me est Salvator meus, ut redirem; ac, te favente, ad conquirendas ejus, et sanctissimæ crucis nomine, indigentibus eleemosynas, ad peregrinos pauperes colligendos, ad conciliandos discordes me totum impenderem. At horum nihil sine vestra benevolentia potero: obtestor itaque te, Reverendissime pater, jussu ac verbis Servatoris mei, ut in exercitio tam sancto, C cui me imparem prorsus esse profiteor, manus porrigas adjutrices.

et salutatis obiter soceris,

33 Famulum Dei accepit maximo cum gaudio præsul reverendissimus, et Benedictus, ait, sit semper Salvator noster, qui te huc destinavit! Juvabo ego te, et quacumque potero ratione protegam. Sic ab episcopo recedens, ædes proprias, tamquam earum adhuc dominus, adire noluit; quippe qui jam ante, ut filiolo consuleret, facultates omnes transtulisset in soceros. Hospitium offerebant multi; sed ad nullum eorum divertere placuit. Soceros tamen suos revisens, ita salutat: Pauper discessi; pauper, non mea, sed Salvatoris mei voluntate, revertor; pauperem volo vitam agere, et pauperibus inservire. Tum eis consilii sui rationem omnem aperit. Illi vero, ne divinæ obsisterent voluntati, contraria suadere ausi non sunt.

XIII. *curam pauperum suscipit, instituto xenodochio:*

34 Cum vero ad munus suum rite obeundum opus esse sibi judicaret loco aliquo pio et capace, visum est juxta duodecim Apostolorum canonicam *i* eligere domicilium; quod ab ipsis canonicis ei concessum est, amplissimum sane, et cum reponendis eleemosynis, tum utriusque sexus pauperibus, sive peregrini essent, sive infirmi, excipiendis hospitio peropportunum. Hoc igitur obtento, cœpit bonus Raymundus investigare per urbem egenos, quos vel pudor ingenuus, vel morbus mendicare non sinebat; nactusque debitam quorumdam notitiam, tota palam urbe stipem illis conquirere, et crucem humero præferens, clamare contenta voce: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: væ vobis, avari divites, quia suprema in vos sententia pronuntiabitur! Quibus quidem verbis et accendebantur boni ac liberales, et avari durique terrebantur, itaque largas ab utrisque eleemosynas obtinebat. Non admittebat tamen, nisi voluntarias; quia volebat, eos ex largitionibus meritum referre. Has porro domum asportatas æquitate summa in pauperes, infirmos, et verecundos distribuebat, minimam sibi ipsi partem reservans.

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

divites ad misericordiam mirifice permovens:

35 Mendicorum quoque ingens eo turba confluebat, de collectis eleemosynis partem aliquam exposcentium; quibus bonus Dei Servus, Ite, inquit, vos, et, ut soletis, palam ipsi petite: neque enim aut ægri estis, aut nostis erubescere. E Reclamant illi: Mendicamus quidem; sed nihil assequimur. Hoc ut audivit B. Raymundus exarsit caritate scilicet, atque adversus opulentorum duritiam commovit sese, et arrepta in humerum sancta cruce, ac jussis sequi se miseris, per compita procedens, clamitabat: Succurrite, succurrite, Christiani crudeles ac duri; quia ego fame morior, dum vos interim abundatis. Hac voce perculsi cives, atque imprimis mulieres, partim ad fenestras, partim, ostio reserato, provolant in plateam, et Veni, inquiunt, Raymunde, veni et comede, noli te tantopere cruciare. At ille progrediens, Non unum hoc, ait, os mihi est, quod quidem inedia vexari non invitus patiar; sed ora tot sunt, quot hic videtis, fame pereuntia. Per sanctissimam igitur crucem hanc obtestor, miseremini pauperum Jesu Christi. Hoc dicens, benedictam crucem attollebat in aera. Qua tanta Servi Dei caritate conspecta, concitati omnes ad pietatem, misero mendicorum gregi benigne opitulati sunt. Beati vero Raymundi tantum brevi crevit existimatio, ut eum afflicti omnes, infirmi, pauperes tam occulti quam pu- F blici, patris ac tutoris loco haberent. Quin etiam homines pii complures, relictis ædibus suis, ad eum commigrabant, ut in officio tam sancto operam quoque suam et colligendis eleemosynis, et ægris, ac maxime receptis istic peregrinis hospitibus, ministrando conferrent.

XIV. *Feminas separat a virorum contubernio: etiam impudicas non aversans,*

36 Ceterum cum observasset B. Raymundus, non misericordiam tantummodo exercendam esse; sed ita insuper disponenda virorum ac mulierum hospitia, ut nulla vel turbis, vel peccato et infamiæ data videretur occasio; has ab illis habitatione statuit separare; quod et fecit, assignato feminis contubernio peculiari, ornatiore illo quidem, sed magis etiam occluso; canonicæ tamen duodecim Apostolorum propinquo. Huc vero admittebat non mulieres modo peregrinas, sed cives quoque pauperculas, omni ope destitutas. Quinimo siquæ ex inhonestis prodibant latibulis, modo eas peccati pœniteret, vellentque castam porro vitam ducere, has B. Raymundus et suscipere non dubitabat, et matronarum pudicissimarum custodiæ commendatas maturo integerrimoque dirigebat exemplo.

sed ad honestam vitam traducens,

37 Tum ubi tantum temporis, quantum ejus prudentia requirebat, exactum esset, sciscitabatur ab illis, ecquod vitæ genus optarent. Aiebant non

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

non nullæ, statum conjugalem sibi magis probari, ut securius possent in vitæ honestæ proposito perseverare. Harum desiderio prospiciebat ipse, dote eis ab hominibus probis corrogata. Aliæ castitatem, quoad viverent, colere, se velle asserebant; quas ipse in honestis clausisque monasteriis curabat admitti, minime ignarus, quam esset arduum hujuscemodi virtutem illibatam in seculo conservare, iis maxime, quæ turpitudini dudum assuevissent. Erant etiam, quæ a castis consiliis ad priora flagitia sua desciscerent : quod statim atque perceperat optimus Dei Famulus, verbis eas humanissimis castigabat, magnoque spiritu hortabatur ad pudicitiam; Considerate, aiebat, filiæ, status vester quam sit infelix; si ad spurcitias revertimini, honorem omnino prostituitis, perditis animas vestras, hominum infamium estis mancipia, ac misere tandem moriemini. Obsecro vos, filiæ, per sanctissimam hanc crucem, per Virginem purissimam, per ipsum, qui propter vos mori dignatus est, Jesum Christum; B misereat vos animarum vestrarum nec tanti ejus beneficii sitis immemores. Stimulis tam ardentibus cedebant aliæ, aliæ contra obdurescebant : atque has quidem ille clam expellebat, ne magis probas turpis exempli contagione possent inficere.

ANNOTATA.

a Ad S. Antonii, *magni scilicet, et primi abbatis Thebaïdos; cujus corpus Viennam in Gallia translatum esse et præcipua religione coli, fuse diximus ad diem* 17 *Januarii a pag.* 150.

b *Campius cap.* 6, *pag.* 32 *putat, Sanctum in Galæciam advenisse circa annum* 1175; *sed ex meris conjecturis, et quidem longiuscule quæsitis.*

c *De his adi dicta tomo præcedenti ad diem* 22 *Julii, a pag.* 213.

d *Claravallensis nempe in Campania Galliæ.*

e *De identitate inventarum apud Ticinensis ab annis aliquot reliquiarum seu corporis* S. Augustini, *Hipponensis præsulis atque Ecclesiæ doctoris, nuper jussu summi Pontificis decisa lis est; ut pluribus suo loco dicetur.*

f *Quam diu et constanter substiterit, vide in* C *Commentario* § 2, *num.* 20 *et seqq.*

g *Vulgo* Val di Tarro, *seu* Tari vallis, *oppidum Taro flumini assidens,*30 *circiter milliaribus Italicis Parma, et aliquanto amplius Placentia distans versus meridiem.*

h *Qui tum erat Theobaldus, aliis Thedaldus qui sedit ab anno* 1167 *usque ad* 1192. *Hoc autem accidit anno* 1178, *ut colligitur ex tempore instituti mox xenodochii, de quo egi in Comment.* § 2, *num.* 20.

i *Adi de hac* canonica *Commentarium prævium* § 2, *num.* 11.

CAPUT IV.

Caritas ejus erga viduas et pupillos, erga discordes, erga captivos, et infantes ægrosque destitutos : item sanctissimus obitus.

XV. Tantam B. Raymundo sincera sanctitas existimationem peperit, ut pauperes viduæ, pupilli, aliique; si quando ab aliis inique vexati causam apud judices magnatesque non poterant obtinere, ad illum, tamquam ad communem miserorum omnium parentem ac tutorem confugientes, clamitarent : Serve Dei, adjuva nos : deest enim unde ad litem suppeditare sumptus, et judicio cum adversariis possimus contendere. Ad injuriarum hujusmodi denuntiationem spiritu ipse, velut alter Elias, inflammatus, ita lamentantes excipiebat : Recordamini, filii, beatos esse, qui amore Creatoris sui adversa sustinent. Animum igitur et spem bonam habete : auxilimum vobis meum non deerit. Quo dicto, ante sanctissimam crucem prostratus, hunc in modum orabat : Scis, Domine, tibi derelictum esse pauperem : tu illi adjutorem te spopondisti futurum : per sanctissimam ergo crucem tibi supplico, Servator mi, ut eas mihi vires sufficias, quibus contra judices iniquos tueri possim pauperes tuos.

D *Viduarum et pupillorum causas agit*

39 Tum surgens ab oratione, cruce humero imposita, ac toto corde abreptus in Deum, pergebat ad tribunal; ubi manu crucem apprehendens, sic apud injusto judices perorabat : Diligite, atque ergo inopes servate justitiam, o vos judices, qui judicatis terram : E mementote, quo judicio judicaveritis, eodem et vos ab eo, qui pro vobis exspiravit in cruce, judicatum iri : mementote, post hanc vitam non judicaturos vos, sed judicandos esse. Tantum vero vitæ sanctimonia verbis ejus virtutis addebat et ponderis, ut cum a magnatibus, tum ab urbis præfecto perlibenter audiretur; et id impetraret auditus, ut ex ejus consilio res ab ipsis plurimæ conficerentur. Imo vero si quid urbi vel difficultatis acciderat vel periculi, B. Raymundum iidem, tamquam prophetam, consulebant, et quod agendum erat, ad ejus sæpe decernebant arbitrium.

apud iniquos judices :

40 Pacem, ut sine qua nosset nihil posse conservari, tanto habebat in pretio, ut, cum inter aliquos discordiæ quiddam et odii deprehendisset, non ante quiesceret, quam eos ad concordiam revocasset, hac uti solitus oratione : An ignoratis, filii, de cælo ipsum Dei Filium descendisse in terram, et vitam in hac durissima cruce posuisse, ut hominem Deo reconciliaret? Tum cur inimici alter alteri vultis esse? Qui inimicitias habent, nullam habent quietem; F in continuo versantur periculo, cum sibi mutuo insidias struant; privantur gratia Salvatoris, cum eis ipse præceperit, ut se invicem diligant. Tam piis adducti monitis non pauci, dissidiorum suorum causam ad bonum Raymundum retulere dirimendam; quos ipse mox prudentis consilii dono præditus reducebat in gratiam.

XVI. *simultates privatas.*

41 Factiones, partesque, in quas distractam passim ac dissectam civitatem suam videbat, tolerare omnino non potuit : has ut averteret, et precibus apud Deum assiduis institit, et nulli apud reverendissimum antistitem pepercit industriæ, cum ei talia suggereret : Non vides, pater, oves tuæ quam sint dispersæ? Age igitur, bonum te pastorem exhibe; reduc eas, et in unum coge; ut grex unus tantummodo, et una vere sit civitas. Cui reverendissimus præsul, vulnus, inquit, Fili mi, inveteratum est : concordiam illam restituere solius est Dei omnipotentiæ. Tum vero bonus Raymundus in locis publicis, cum tumultuari et strepere inter se exsecrandas illas factiones adverteret, sua cruce onustus ac flens vociferari consueverat : Væ tibi, seditiosa Placentia! jam enim flagrum, quo te feriat, paravit Deus. Expilaberis tu, et conflagrabis : tu fortunas

et publicas factiones.

A nas tuas, tu vitam amittes; quia corpus es dissipatum, nec revereris Deum. Quam hoc verum fuerit Servi Dei vaticinium, experimento post ejus obitum didicere Placentini *a*.

a

imo et bella sedare nititur,

42 Sed enim B. Raymundi temporibus non solum domesticis Placentia scindebatur odiis, sed bellis quoque externis urbes ad mutuam perniciem armabantur, coactis utrimque ad pugnam exercitibus; quod Cremonenses imprimis contra Placentinos fecere *b*. Is igitur ubi primum compererat, collectos esse tales exercitus, eo, relicta Placentia, continuo provolabat, sanctissima cruce munitus; et utramque obiens aciem, flebili voce clamitabat: Intuemini, fratres, illum, qui, ne vos moriamini, mori ipse non recusavit. Cur properatis ad necem vel subeundam vel proximis inferendam, idque ob fluxas opes aut injuriam in rebus minime diuturnis? Eja, Christianos vos esse memineritis, et imitamini Salvatorem vestrum. Ignoscite, ignoscite, et inite B pacem. Mihi rem totam committite; conciliatorem dicetis æquissimum. Ita modo per hunc, modo per illum discurrens exercitum, studebat concordiæ; et ducibus quidem Placentinis non displicebat; sed Cremonenses et minis Dei Servum et nonnumquam verberibus propulsabant.

b

eam ob causam et verbera perpessus et carcerem :

43 Tulit hæc ille patienter; sed et modeste incusavit, cum diceret: Quia pacem requiro, has mihi rependitis contumelias: sed meam hanc vestramque causam judicabit Servator meus. Qua voce efferati magis Cremonenses, ne sibi ultra molestus esset, Cremonam abreptum, in carcerem compulerunt. Ibi vero Raymundus clamores in cælum attollere, quos nemo istac præteriens non exaudiret, ac dicere: Salvator mi, tuos tibi commendo pauperes: vereor enim, ne fame pereant, dum hic ego vinctus detineor. Ad me quod attinet, paratus equidem sum non custodiæ tantum incommoda, sed et mortem subire; modo hostiles utriusque hujus populi animos tu pace componas. Ignosce Cremonensibus, Domine, qui me in hunc locum conjecerunt; nam quid sibi prosit, ignorant. Vix ea cives Cremonenses audierant, cum, eximia B. Raymundi sanctitate comperta, liberum illum ad suos remittendum curarunt, illatæ injuriæ veniam exorantes: quod C præsentem Dei vindictam formidarent: qui quidem judicii divini terror illis adhæsit, qui in carcerem eum contruserant, usque adeo, ut B. Raymundi jam vita functi tumulum ad pretendam ab eo veniam inviserint supplices: mortuum enim amplius, quam vivum timebant; haud nescientes, mirabilem esse Deum ac terribilem in Sanctis suis.

XVII.
ludos gladiatorios insectatur et impedit:

44 Quoties etiam B. Raymundo accidit, ut congregatam videret equitum multitudinem, aut ludum Trojanum exhibere jam parantium, aut gladiatorios id genus alios, in quibus et rixæ, et vulnera, et homicidia minime rara sunt, ipse quantum ab istis concertationibus ludicris alienus, tantum spiritu toto concitatus, sic eos objurgabat: Non vult Salvator noster, ut immanium instar belluarum ludis vos exerceatis furorem provocantibus, sed honestis, pacificis, civilibus, et ad recreandos a lassitudine animos institutis: neque vult inanis cujusdam gloriæ cupiditate, sed ut vel saluti patriæ, vel divinæ legis auctoritati consulatur, caput in discrimen adduci. Siquis igitur vos tangit amor Salvatoris vestri, siqua servandarum animarum corporumque vestrorum cura, missa facite tam perniciosa certamina. Hæc ille; sed, quia juvenum fere sunt ejusmodi cœtus, quos et sanguinis fervor et aviditas incitat gloriæ, frustra monebat. Ad reverendissimum ergo episcopum atque urbis magistratus recurrere tum solitus erat, nec ante discedere, quam eos ad certaminis locum una secum adduceret, talique interventu ludum abrumperet ac dissiparet; id scilicet parvi pendens, quod instabili atque inconsideratæ juventuti displiceret, modo cum peccato in Deum, occasiones quoque peccandi avertisset.

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

XVIII.
reos in carceribus alit et solatur,

45 Fuit insuper B. Raymundus in visitandis captivis assiduus, ea secum afferens, quæ curandis miserorum corporibus opportuna collegerat, ut illos ita ad animarum quoque curationem admittendam compararet; quam omnino, postquam jam vires recreassent, adhibebat in hæc verba: Filii mei, hujus vitæ terminus non idem est omnibus; alius in lectulo moritur, in bello alius, alius in mari, alius in solitudine; hic morte spontanea, ille violenta: nolite itaque hanc ob causam spem et animos abjicere, et Ne terreamini ab his qui E occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant; sed Timete eum, sicut ait Servator meus in hoc ligno durissimo pro vobis immolatus, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Statuite, filii, vitam imposterum ac mores immutare; fiduciam in Salvatoris misericordia certam collocate; ego, quoad ejus facere potero, non sinam vos esse derelictos.

iisque veniam impetrat, ac sancta inspirat consilia :

46 Hujus orationis, utpote ex ardentissima caritate manantis, ea vis erat, ut reorum illorum inventus nemo fuerit tam obfirmato in flagitiis animo, quin sese ad pietatem patientiamque converterit. Quorum autem, Deo inspirante, intelligebat Raymundus, tam seriam esse pœnitentiam ac solidum in bono propositum, ut et exemplis illustribus et sanctis operibus utiles Dei populo essent futuri, illis apud judices ac prætores absolutionem flagitans, Domine, judex, aiebat, filium genui spiritualem, qui multam reipublicæ Christianæ utilitatem afferet: oro per crucem hanc sanctissimam, quam, ut vitam nobis veram daret, Virginis purissimæ Filius sua morte decoravit, oro, inquam, ut hunc mihi condones. Sine me agere modo; spondeo, non pœnitebit; imo civitatis F hinc universæ solatium exsistet. Judices, tum nota Viri sanctimonia, tum Dei per eum loquentis voce permoti, postulatis haud gravate annuebant. Complures vero sic absoluti, cum in virtute constantes, vitæ secularis pericula secum attentius perpendissent, hortante B. Raymundo, religiosum institutum in canonica duodecim Apostolorum amplexi sunt, in eoque fidelissime Deo servierunt.

XIX.
infantes, ægrosque derelictos gestat humeris ad xenodochium suum :

47 At enim si virtutes B. Raymundi, si labores universos, si pietatis opera sigillatim omnia persequi velim, annus integer non sufficiat. Quare satis habeo, ea delibasse summatim tum ad Dei, ejusque Sancti gloriam, tum ad eorum, et qui nunc vivunt, et qui deinde victuri sunt, exemplum. Non dicam igitur, quoties infantes spurios, clam huc illuc abjectos, invenerit; quos, ne misere interirent, sæpe binos simul utroque complexus brachio, commiseratione fletum ciente, ad hospitium suum deferebat, suis curis alendos: quoties eodem etiam ægrotos, exteros præsertim ac peregrinos, omni ope mediis in plateis destitutos, suis ipse gestarit humeris; hæc, inquam prætereo, ut ad laudabilem vitæ ejus

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

ejus et beatissimum exitum describendum accedam.

et accepto Viatico, pauperes suos commendat sociis.

48 Instante jam tempore, quod Famuli sui sudoribus, angustiisque finiendis ac large remunerandis benignitas divina præfixerat, ecce, febris illum vehementissima corripit; quæ cum per dies singulos ingravesceret, sensit Beatus, abesse jam proxime transitum suum. Petit itaque, extrema sibi Sacramenta conferri; id quod proborum illico sacerdotum manibus obtinet. Ita munitus, hospitii sui curam omnem ac solicitudinem resignat sociis, qui fidelem illi in operibus piis fovendisque Jesu Christi pauperibus per annos duos et viginti *c* continuos operam commodaverant; et sic eos ad cubiculum suum accersitos alloquitur: Fratres mei et laborum piorum socii, crucem meam sanctissimam defigite ante oculos meos, et me audite. Grates tibi primum ago, Salvator mi, tibique, crux sanctissima, quod peregrinationem meam et laboriosæ vitæ meæ cursum ad optatum diu finem deducta jam video: deinde et vobis, o fidi sodales; qui
B tantum et fecistis et pertulistis mecum ad alendos conservandosque, quos spiritu caritatis parturivi, pauperes. At nunc (quod vos per sanctissimam illam, in qua spem ego semper omnem collocavi, crucem obtestor) nolite refrigessere, aut susceptis hactenus terreri laboribus, Locum vobis meum ac vicem relinquo, egenos simul meos, simul hanc sanctissimam crucem commendans: in hac fiduciam vestram reponite; nec deerit quidquam sanctis conatibus. Prope jam adest, cum revertar ad Servatorem meum; a quo non meis utique fretus meritis, sed ipsius infinita benignitate, mercedem exspecto sempiternam.

quos ad officium animat, futura prædicendo:

49 Tam tristem ad nuntium perfusi lacrymis fideles socii, Pater sancte, inquiunt, ne nos desere miseros: quia sine te nihil sumus: numquam per nos, quantamcumque dederimus operam, officium tam pium sustineri diu poterit. Tu dux, tu fulcrum, tu nostrum es consilium. Pater sancte, ne pauperes tuos derelinque. Vides, quam nunc homines improbi sint, quam duri, quam tenaces: ubi tu primum defueris; et nos arce-
C bimur passim a foribus, et pauperes tui dispergentur. Commovit intime B. Raymundum hæc oratio; subjecit ergo: Ne animam, obsecro, meam in exitu desiderato affligite. Confidite, quia ego vici mundum, quantumvis immisericordem; neque dubitate, quin et vobis et egenis meis utilior post obitum futurus sim, quam supertes; ita ut prospecturi sitis illis non commodius tantummodo, verum etiam abundantius. Hoc responso cari sodales, tamquam oraculo divino, acquievere; tametsi acerbissime dolerent, tantum a se Patrem avelli.

filio suo morienti statum religiosum suadet:

50 Jam agebat animam B. Raymundus, cum filii sui, qui tum istic aderat, ei venit in mentem; et Huc, inquit, ades, fili; dexteram mihi ac debitum parenti osculum porrige; tum id, quod dicam, facturum te pollicere. Addixit ille; et, oculis fletu manantibus, exosculatus est Patrem. Tum B. Raymundus: Si me vis mori contentum, seculo renuntia, et religionem, cui te olim in ecclesia S. Brigidæ coram imagine Salvatoris mei sublatum e cunis obtuli, amplectere. Sæpe jam te id monui; neque adhuc tamen satisfecisti desiderio meo. Noli ulterius differre, fili mi. Considera, hujus mundi figuram præterire, nec tardo gressu imminere mortem. Seculi blanditiis opibusque ne fide: cogita [veras potius divitias; D
atque *d*] his eos abundare, qui voluntariam paupertatem sectantur; mendicos vero hic prorsus esse, quotquot avari sunt divites. Fili mi, benedicat tibi Dominus meus: tu vero claude oculos meos. Quo dicto, ad sanctissimam crucem serenissimo se vultu convertens, ait: In brachiis tuis *e*, in nomine et virtute tua transeo ex hoc mundo ad Salvatorem et Creatorem meum. Atque ita discessit, sanctis angelis deducentibus, anima illa sanctissima.

moritur anno 1200 die 27 Julii.

51 Filius ut hoc animadvertit, in genua provolutus, summa cum reverentia beati Patris sui concludit oculos; ceteri vero, qui aderant socii pari veneratione postrati, sacrum illud corpus osculabantur, quod odorem, non terrenum aliquem, sed cælestem exhalabat. Inde ad lamenta versi, Heu nos, clamabant, infelices, quibus porro sine Patre vivendum sit! Recordare, o anima sancta, servorum tuorum, recordare fidelis promissi. Talis fuit felix ille obitus B. Raymundi Palmarii Placentini anno millesimo ducen- E
tesimo *f* die vigesima septima *g* Julii, ætatis vero suæ anno sexagesimo *h*.

ANNOTATA.

a *Flagrum quidem sensit Placentia, quando ob violatam immunitatem ecclesiasticam et interdicto Pontificio diu subjecta fuit, et ab ea per biennium episcopus cum clero suo migravit. Verum de expilatione, aut urbis incendio usque ad annum* 1212, *quo scripsit Rufinus, nihil in Annalibus Placentinis legimus: vel ergo ea scripta non sunt ab historicis; vel hæc* S. Raymundi *prophetia comminatoria tantum fuit; vel certe ad ulteriora tempora sese extendit, puta ad initia seculi decimi quinti, quando nimium quantum apparuit, quam vera fuisset prædictio* S. Raymundi. *Quid si tam hoc, quam quod cap.* 2, *num* 17 *de* Palmariorum familia *legitur, de suo interpres adjecerit?*

b *Campius in Annalibus Placentinis id refert ad annum* 1190, *tom.* 2, *pag.* 71.

c *Hoc est, ab anno Christi circiter* 1178, *quando institutum ab illo xenodochium diximus.* F

d *Quæ hic uncinis interjeci, omnino desunt in exemplari Italico; sic tamen supplenda mecum, opinor, judicabit, qui locum ita legerit, ut habet apographum nostrum:* Non te confidare infavore, ne in richezze del mondo; et pensa, che li poveri volontarii sono richi della, è li avari richi sono mendici della: *quo enim referas* τὸ della, *nisi omissum sit aliquod nomen? Quod vero nomen omissum indicat sensus, nisi illud, quod falsis mundi divitiis opponitur; ut* vera richezza, richezza spirituale, *aut quid simile?*

e Brachia *hic appellat partes crucis transversas.*

f *Hunc annum defendit Campius contra Sigonium et Locatum, qui eum obiisse scripserunt anno* 1202; *quippe quorum error, cum vel sola Rufini auctoritate satis evincatur, manifeste tamen etiam elucescat ex miraculo, quod narribitur in Appendice* I, *cap.* I, *num.* 10.

g *Campius tum in Vita Sancti cap.* 12, *pag.* 67, *tum in Annalibus Placentinis tom.* 2, *pag.* 88, *contendit, obiisse* S. Raymundum *die* 28 *Julii; et vel errorem esse amanuensis in exemplari nostro; vel certe Rufinum ideo notasse diem* 27; *quia hic Italis vix erat elapsus, ita ut decesserit Sanctus in confinio quodammodo dici* 27 *et* 28; *hoc est,*

A *est, ipso vespere diei 27 vel modo elapsæ, ut ipse censet, vel mox elapsuræ: Itali enim diem suum ordientes ab initio noctis diem nostrum præcedentis, eumdem per horas 24 sic decurrunt, ut sequentis noctis initio sequentem diem auspicentur. Sententiam suam fundat usu ecclesiæ Placentinæ, quæ diem ejus natalem semper celebraverit die 28 Julii, ut ex antiquis Breviariis ait observari; nullum vero addit fuisse impedimentum, quo minus celebrari potuerit, adeoque debuerit, die 27, si illo die obiisset. Accedit, inquit, quod anno illo dies 28 Julii fuerit dies Veneris, quo quidem verisimillimum sit, tam singularem Christi crucifixi Cultorem in cælum evolasse. Non sunt hæc argumenta tam gravia, ut auctoritatem Rufini antiquiorem utique labefactare debeant; sed quoniam consistere possunt, asserendo, ut supra, Sanctum obiisse die 27 sub vesperam; nihil hic magnopere laborandum videtur:*

h *Hinc supra natum diximus anno Christi circiter* 1140.

B

CAPUT V.

Defuncti corporis honores, et exsequiæ; Gerardi conversio; concursus ad sepulcrum; miracula celeberrima.

XX. *Concursus triduanus ad corpus defuncti,*

Vix decesserat anima illa sanctissima, cum sparsa est per urbem fama, B. Raymundum ex hac vita migrasse. Convolant illico ad ejus domicilium viri in civitate primarii, nobiles, matronæ venerabiles; non ut lugeant, sed ut venerentur defunctum, ac Dei Famulo, sua jam opinione beato et maximis apud Servatorem pollente meritis, sese commendent. Res erat, ultra quam assequi cogitando possis, admirabilis, spectare urbis principes, comites, nobiles ad hujus Pauperculi corpus abjectos. Pro se quisque certat incredibili pietatis affectu, hic ut manus, iste ut pedes contingat et osculetur, alius ut particulam obtineat a vestimento decisam. Atque hic quidem C concursus toto triduo duravit; quanto decretum tandem est ab urbis rectoribus, ut sarcophago pretioso conditus, reponeretur in duodecim Apostolorum canonica *a*; loco tamen honorifico, ubi coli ac suppliciter adiri posset a fidelibus *b*: neque enim dubitabant, quin Creator noster Famuli sui merita, ut re vera contigit, ingentibus esset illustraturus prodigiis.

et lamenta pauperum:

53 Verum antequam efferretur, dignum commiseratione spectaculum exhibebant hospites ejus pauperes et alumni ex utroque sexu domestici: gemebant enim misere, junctisque manibus flentes ante sacrum corpus inclamabant: O Pater sancte! O Pastor et Rector noster! Quid nobis tandem misellis fiet? Quis alet; quis ad virtutem instituet? Noli, Pater sancte, memoriam nostri curamque dimittere; nam, nisi in te uno spem nullam habemus. Accesssere ad hos, mulieres, ad honestam primum ab eo vitam traductæ, ac subinde partim in matrimonium collocatæ, partim (ut supra monuimus) adscriptæ monialibus; quæ et ipsæ jacebant humi prostratæ tanto cum animi motu, ut commemorandis Patris sui laudibus expleri non posset, sed et cum dolore intolerabili, quod non liceret iis, saltem ad custodiam et obsequium, ex loco, in quo sepeliendum erat sacrum ejus depositum, commorari.

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

illustres exsequiæ: filii ejus conversio ad vitam religiosam:

54 Paratis demum, quas exsequiæ tales exigebant, rebus omnibus, advenit cum omni clero reverendissimus episcopus *c*, qui sanctissimum corpus maxima cum solennitate ad canonicam jam dictam transferens, sic illud ibi deposuit, ut cuivis commodum esset flexo poplite sacrum ejus tumulum venerari *d*. Post dignam tanto funere celebritatem absolutam prodit in medium filius ejus coram reverendissimo antistite ac reverendo Priore canonicæ, adstante clero universo et urbis optimatibus; demissisque ad terram genibus, Reverendissime pater, inquit, tempus tandem est, ut fidem beato Patri meo (tametsi me vitia mea filii ejus nomine indignum arguunt) datam liberem; habitum igitur religiosum expeto, precorque, ut ad canonicam hanc sanctam, et simul ad paterni sepulcri custodiam adsciscar: unicum hoc est desiderium meum; ut ejus meritis pertingere aliquando possim ad æternam felicitatem. Utrumque concessum est: nam et veste religionis indutus, sacrarum reliquiarum designatus est custos, et nomen ei, ut in prœmio diximus, Fratris E Gerardi *e* impositum. Is est, cujus consilio, atque adeo urgentissimis precibus, Legendam hanc incultam, tantæque, quanta in B. Raymundo eluxit, imparem omnino sanctitati, digerendam ac describendam suscepi *f*.

XXI. *frequentissima sepulcri visitatio cum tot oblationibus,*

55 Posteaquam in dicta jam canonica, corpus sacrum, ut modo narravimus, collocatum fuit, ingens eo Christianorum cum civium tum externorum, vel morbos vel alia mala deprecantium, turba confluxit; nec evidentissima defuere miracula, quibus Famuli sui sanctitatem Dominus demonstrabat. Stupenda vero imprimis erat rerum, nummorum, statuarum, quæ per dies ibi singulos offerebantur, copia; ut hanc adeo videntes urbis rectores, diligendos sibi putaverint viros probos ac pios, et caros præsertim B. Raymundi sodales, quibus onus imponerent oblationes illas ad sustentandos xenodochii ejus pauperes expendendi; quod et factum est. Tot autem illæ ac tales fuerunt; ut in eum finem solæ suffecerint. Tum vero ad memoriam rediit, quod iis B. Raymundus nuper edixerat, pauperibus videlicet suis mortuum se plus commodi allaturum esse, quam F vivum.

ut ad alendos pauperes ejus abunde sufficiant:

56 Post aliquot exinde dies cum observassent urbis magistratus, et pietatem ibi, et munerum affluentiam maximam continuari, decreverunt, ut institutum Hospitale S. Raymundi (quem titulum hodieque servat); idque tum ut ita pauperibus gratum facerent, Patronum iis ac Tutorem assignando, tum ut æterna subsisteret Servi Dei memoria. Porro ad ejus tumulum Cremonenses accurrere non pauci, qui, ut antea dictum est *g*, Dei Famulum, cum ipsos ad pacem invitaret, calumniis, verberibus, carcere mulctaverant: hi modo largis instructi anathematis, et pugnis sibi tundentes pectora, veniam implorabant; veriti nimirum, ne ultricem in eos invocans Dei manum Beatus diceret: Vindica, Domine, injuras et oppressiones Servi tui.

XXII. *miracula plurima: quorum pauca, sed certa subjiciuntur.*

57 Tot autem sunt ac tanta signa et prodigia, quæ per merita famuli sui Raymundi ostendit potentia divina, sanandis infirmis, dæmoniacis liberandis, succurrendo periclitantibus in mari, in fluviis, in bello, in carceribus, in itinere, in variis denique, quibus exposita est hæc vita, calamitatibus:

AUCTORE RUFINO EX MS. ITAL.

calamitatibus; ut iis omnibus enarrandis par esse non possit vel præstantissima cujusvis industria, nedum mea. Satis itaque ne facturum existimo, si de multis pauca commemorem, tum ad comprobandum B. Raymundi sanctitatem, tum ad pietatem fidelium fovendam ac delectandam; ut et ipsi habeant, unde posteris suis Servi Dei sanctimoniam prædicare possint et persuadere: Scire autem velim, quicumque hanc Legendam inspecturi sunt, nullum hic me scripsisse miraculum, nisi quod mihi antea hominum maturorum ac fide dignorum jurato testimonio probato esset *h*.

h *Ossis fragmen introsumptum Sancto invocato, evomitur: i*

58 In extremis Italiæ partibus, quas Pedemontium vocant, Ogerius quidam fuit Germanus, qui festo Natalis Domini *i* vescebatur caulibus cum bubula coctis. Accidit vero infeliciter, ut B ossis fragmentum aliquod brassicis immixtum delitesceret. Has autem ille tanta voracitate comedebat, ut os illud una cum caulibus deglutiret. Descendit hoc ad pectus usque; ibique fixum hærens, per dies multos miserum cruciabat, mali causam ignorantibus medicis. Contigit interea, dum his ille doloribus angitur, ut huc Placentiam adveniret popularis ejus aliquis, inviseretque sepulcrum B. Raymundi, ac stupenda ipsius videret prodigia. Is deinde in Pedemontium redux, quæ de B. Raymundo et viderat et audierat, Ogerio jam dicto recenset; qui, concepto statim voto, si modo salvus evaderet, aditurum se Placentiam spopondit, ac Beati tumulum non sine pio munere visitaturum. Vix promiserat, cum os memoratum in manum evomuit; illudque secum huc afferens, postquam debitam sacro sepulcro venerationem exhibuisset, sursum appendi jussit, ad fidem tam insigni miraculo faciendam.

energumena liberatur dæmone: k

59 In comitatu Lavaniensi, diœceseos Genuensis, mulier, cujus mater Sophia, pater Hugo *k* dicebantur, malo dæmone fuit insessa, quo liberandam illam parentes exorcistis commisere. Sed cum hi nihil ex ea possent extundere, præter hanc hospitis tartarei vocem: Expellet facile Raymundus; interrogatus, dæmon, quis, aut ubi esset Raymundus ille, reposuit, Novum esse C apud Placentinos Beatum. Quo intellecto, parentes mox filiam ad sepulcrum gloriosum magno cum labore adducunt; quod ut primum illa tetigit, vociferari ita cœpit dæmonium: Raymunde, Raymunde, exsecratus tu quidem esto, qui hinc me cogas excedere. Ita, quam tantopere vexaverat antea, liberam dimisit.

biennio contracta sanatur: l

60 In eodem comitatu nobilis quidam Bernardus de la Turre, ejusque conjux Gelasia *l*, filiam habebant, nomine Mabilinam, cui nervorum omnium contractio usque adeo membrorum usum per biennium ademerat, ut nec attollere per se corpus, nec erecta pedibus posset insistere. Forte tum accidit, ut matri ejus innotesceret, quemadmodum energumenam, de qua modo dicebamus, sibi restituisset B. Raymundus. Vovit ergo etiam ipsa pro filia sua statuam ceream, quam, si voti fieret compos, ad ejus tumulum destinaret Quinto abhinc die ita se sanam vegetamque sensit ejus filia; ut non aliter et surgeret, et staret, et incederet, quam si contracta numquam aut impedita fuisset. Mater vero, quod addixerat, per oblationem se dignam suæque conditioni consentaneam adimplevit.

dæmones tres m

61 Ticini femina quædam, Berta nomine *m*, tota urbe notissima, divino judicio, permissa fuit dæmonum potestati, qui corpus ejus invadentes, hæc sæpe clamitabant, alius quidem: Ego D sum Tralinus; alius: Ego vero Capicius; alius demum: Atque ego Carincius *n*. Ab his tantum cruciabatur misera, ut nonnumquam crederetur exstincta; ita neque sensus neque motus ullum prodebat indicium: ut adeo fuerint, qui arundinum ei fragmina acusque digitos inter et ungues insererent, nec tamen persentisceret; quidam etiam liquida atque ardente cera perfunderent ei faciem, nec se interim commoveret. Modo sic exagitabant, ut ne validissimi quidem juvenes duo ad eam coercendam sufficerent: modo illam in altum ad sex usque cubitos jactabant, tum instar cadaveris dimittebant præcipitem: modo inflabant ita, ut ad modum dolii intumesceret.

n

ex insessa femina expulsi:

62 Ventitabant ad eam quidam litterati, qui versus aliquos illi præcinerent, quos appellant S. Mauritii: ea enim versibus illis vis inesse tum temporis credebatur, ut, cum decantarentur, dæmones ab insessis corporibus possent expellere, nec raro expulissent. Illa vero, utut expers litte- E rarum, versus quidem eosdem cantu repetebat; sed nullo prorsus emolumento. Ad varias etiam ecclesias et monasteria, Sanctorum præcipue celebrata reliquiis, a sorore ac vicinis aliis circumducta fuit: sed nec ibi quod sperabat, obtinuit. Nimirum hoc prodigium B. Raymundo divina providentia reservaverat, ut ejus gloria hinc etiam procul positis inclaresceret. Ad hujus ergo tumulum non sine ingenti vi adducta tandem est: ubi in genua vix procubuerat, cum instar canum ululare dæmones ac dicere: Maledictum Raymundum! Discedimus in malam rem. Ita mulieris hujus corpus per Beati nostri merita expurgatum omnino spurcitia diabolica, honestatis exinde domicilium fuit.

hernia dira sublata: o

63 In comitatu Placentino et pago, qui ripa dicitur, Giraldus quidam Vitalis *o* talem, utvulgo appellamus, herniam contraxerat, ut ei intestina, tamquam in saccum delapsa, turgerent, et nec incedere virum sinerent, nec quidquam operis exercere. Hortabatur eum conjux, ut voto nuncupato ad B. Raymundum confugeret: F at ille id se facturum negabat; neque enim persuaderi sibi hactenus potuisse, Raymundum esse Sanctum. Tum uxor, quam potuit sincerissima fide, ejus ipsa vicem implevit; clam tamen, nec marito quidquam indicans: promisit, inquam, cereum se ad ejus tumulum cum nummis aliquot allaturum esse, curaturamque solenne decanteri Sacrum. Hoc voto emisso, virum orat, ut ad Sancti sepulcrum se saltem comitari velit. Paruit ille; ceterum nihil admodum sperans boni. Uxoris interea pietas tanta fuit et fiducia; ut, cum ad eclesiam ventum esset, ibique genua supplex, posuisset maritus, continuo melius esse sibi senserit, et in locum pristinum restitui viscera. Nec vero multis postea diebus ita convaluit, ut quemvis in opere faciendo laborem ferret. Tunc demum uxor illi votum a se factum aperuit; quod ipse ut audiit, confirmavit, et religione deinceps peculiari Sanctum colens, binos quotannis vini modios pauperibus hospitalis ejus addixit, eo tempore stabiliter pendendos, quo solerent ejusdem ptochotrophii curatores ad conquirendum precario vinum circuire.

mulier incurva erigitur: p

64 Mulier Veneta, Maria nomine *p*, per annos triginta adeo fuerat incurva, sive, ut vulgo dici solet, gibbosa, ut nec sine fulcris posset incedere, nec caput attollere, quantum opus erat, ut cælum

A cælum aspiceret; sed illud ita depressum ferret, ut quadrupedem dixisses. Hæc ubi de B. Raymundi miraculis inaudiit, ad ejus tumulum accessit, nec sine gravi defatigatione: ibi demum B. Raymundum, ut hac se miseria liberaret flens ac supplex oravit; exoravit tandem; atque adeo relictis ibi, ut prodigium testarentur, baculis subalaribus, domum erecta sine cujusquam adminiculatione rediit. Quod videntes, qui eam noverant, magnificaverunt Dominum in Sancto suo.

herniosus, paralytica sanati etc.

65 In territorio Aquensi vir quidam, cui Lomellus nomen erat, hernia tam difficili laborabat, ut ei cingulo ferreo cohibenda fuerint intestina. Edoctus vero etiam ipse præclara B. Raymundi miracula, vovit, si sanaretur, adire pedibus Beati sepulcrum. Simul autem vovit, simul voti factus est compos, delapso, ne dubium videri posset prodigium, in terram vinculo illo ferreo et B in partes multas confracto. Eventum adeo mirum spectabat uxor, ex nervorum artuumque contorsione annum jam solidum affixa lectulo; cum et ipsa continuo comitem se marito ituram ad sacrum tumulum promisit, et valetudini restituta est. Itaque simul ambo ad miraculum utrumque testificandum donariis pro sua facultate instructi huc advenere *q*.

q

Atque hæc pauca prodigia ad B. Raymundi virtutes ac merita confirmanda narrata sunto; nam aliis, quæ tota Longobardia notissima sunt, nec recensendis infantia mea, nec memoria complectendis, nec scribendis denique manus calamusve sufficerent. Ea proinde, quæ vires excedunt meas, oratoribus, quos inter minimus ego sum, disertissimis aliis relinquenda duxi.

ANNOTATA.

a *Consule Commentarium prævium* § 2, *num*. 12.

b *Italice sic legebatur:* In loco honorifico, in el qual podesse essere honorato et visitato dalli fedeli.

c *Is tum fuit Grummerius, seu Grimerius Porta, electus an.* 1199, *defunctus autem anno* 1210; *de quo plura Ughellus.*

d *Italice:* Venite el reverendissimo vescovo con-C tutto el clero, et con grandissimo jubilo collocarono quel sanctissimo corpo in la dicta canonica in tal modo, che tutti potevano inzenochiarse avanti l'arca sua benedetta. *Videtur ergo arca ejus fuisse sub terram depressa. Mirum, fateor; si sua id unius auctoritate Grimerius, episcopus alioqui egregius, faciendum censuerit. Vide Commentarium* § 1, *num*. 7.

e *Imo* Gerardi, *ut supra probatum; sive hoc nomen in baptismo, sive in religione primum acceperit.*

f *Vide supra Rufini proœmium, num*. 2. *Porro Gerardus hic fuit annorum circiter* 26, *cum Pater ejus obiit; utpote natus aliquamdiu ante quam is Hispanicas, Gallicas, Italicas peregrinationes susciperet, atque adeo non paulo prius quam idem institueret xenodochium, quod annis* 22 *administravit. Diu in Ordine vixit, antequam presbyterii gradum adeptus sit; siquidem anno* 1212; *teste Rufino in prologo, adhuc subdiaconus erat; sacerdotem tamen snbinde consecratum esse, et sancti Patris ætatem religiosissime vivendo attigisse, testatur Campius cap*. 13.

g *Supra cap*. 4. *num*. 42 *et seq*.

h *Quam hoc verum sit, patebit ex Appendice prima miraculorum, ex cujus authenticis aliquot instrumentis pleraque sua Rufinus extraxit.*

Auctore Rufino ex Ms. Ital.

i *Anno Christi* 1202, *ut in appendice elucescet cap*. I, *num*. 10, *ubi idem miraculum clarius narratum et authentice probatum invenies.*

k *Imo Hugo maritus erat vexatæ, non pater; ut vide in Appendice* I, *num*. 5 *et* 6.

l *Imo* Adalasia, *ut est in append*. I, *cap*, I. *num*, 7.

m *Hæc sine dubio eadem est, de qua Appendix* I, *cap*. 2 *num*. 21. *Contigit ergo hoc miraculum diu antequam instrumentum illud confectum fuerit; neque adeo ex eo hoc hausisse potuit Rufinus anno* 1212; *sed aliunde, ubi plura, quæ hic narrat, adjuncta repererit.*

n *Campius cap*. 16, *pag*. 92 *legit pro* Tralino, Travaglyno; *pro* Capicio, Capriccio; *pro* Carincio, Carviccio.

o *De hoc prodigio adi Append*. I *cap*. 2, *num*. 15 *et seq*.

p *De hac item Append*. I, *cap*. 2, *num*. 20. E

q *Utrumque hoc prodigium habes in App*. I, *cap*. 2, *num*. 12.

EPILOGUS AUCTORIS.

Hæc Vita et miracula scripta sunt a Rufino anno 1212.

Exiguum hoc opusculum vestra causa dictavi ego scripsique, fratres carissimi *a*. Vos illud, obsecro, tanta, quanta ego composui, caritate suscipite; ac Patrem simul nostrum, Deique Servum orate, ut pro nobis atque urbe universa intercedat apud Jesum Christum benedictum, cui est honor et gloria cum Patre et Spirito Sancto in secula seculorum. Amen.

a

Explicit tractatus de vita et miraculis B. Raymundi Palmarii Placentini, compositus ac digestus per magistrum Rufinum, duodecim Apostolorum Canonicum, anno salutis millesimo ducentesimo duodecimo *b*.

b

ANNOTATA.

a Fratres *hospitalis alloquitur Rufinus, ad quos supra proœmium direxerat.* F

b *Huic epilogo statim subjiciebatur illa clausula, quam dedi in Commentario prævio* § 3, *num*. 26.

APPENDIX I

Miraculorum S. Raymundi ex Ms. Archivi monialium ejusdem Sancti, Placentiæ.

CAPUT I.

Miracula probata instrumentis authenticis ecclesiarum Cremonensis, Januensis, et Placentinæ.

Anno 1209 obstructio urinæ.

Anno Domini millesimo ducentesimo nono, Indictione duodecima, die Dominico, octavo exeunte Madio *a*, in palatio episcopi coram domino Sicardo, Cremonensi episcopo, nec non Homobono,

EX MSS

Homobono, et Joanne de Luzartis, et presbytero Diano, et Ghirardo *b*, canonicis ecclesiæ duodecim Apostolorum de Placentia, et Crusso Mazaferrata de Placentia, et Egidio Lancetta, et Leonardo Sorrico de Cremona, Bartholamæus, filius Joannis Bonicapelli civis Cremonæ, qui erat temporis quinque annorum, infirmatus [est] ad mortem, eo quod non poterat urinare: steterat enim per quinque dies, quod non poterat urinare, et eo amplius; unde erat inflatus a cingulo infra. Quare die noctuque fortiter clamabat pro * doloribus, quos habebat. Unde quia credebatur, eum habere lapidem, quidam dicebant eum exponere manibus medicorum, ut ab infirmitate liberaretur; quod et avia ejus prohibuit, hæsitans prius de sanctitate beati Raymondi. Quocirca dixit, se infirmitate pueri esse tutam *c*.

** An præ?*

B

invocato S. Raymundo, sanata probatur:

2 Quibus ita manentibus, visum est cuidam ejus comatri *d*, nomine Gixilæ, in sompnium *, quod audisset vocem dicentem sibi: Cur non vovet comater tua nepotem suum Deo, et beato Raymundo, ut ab ingruenti infirmitate liberetur? Audita voce, visum sibi fuit in eodem sompnio, quod avia pueri eum præfato Sancto vovisset; et urinasset, et liberatus esset. Mane facto, narravit sompnium aviæ pueri: quo facto, avia vovit puerum Deo et beato Raymundo; scilicet, se daturam statuam ceream, si a prædicta infirmitate liberetur. Vovit; et liberatum eum ad sepulcrum ejus duxit. Quod quidem præfatæ mulieres in præsentia jam dicti D. episcopi Cremonensis prætestatæ fuerunt jurare. Qui dominus episcopus videns, eas honestate pollere, et in virtute Spiritus sancti prædicta dixisse, indulsit eis juramentum.

** f. somnio*

uti et liberatio cujusdam ex aquis; item sublata hernia et epilepsia;

3 Item Rubus de Nichasura, civis Cremonensis, juramento dixit, quod, cum nocte quadam iret ex voto ad sepulcrum beati Raymondi, obviantem rivum plenum, eo quod aquæ inundaverant terram, non potuit transire: unde credens, illum non adeo esse latum, prosilivit; sed non ultra; immo ad fundum, oneratus [summa] duodecim librarum imperialium, indutus, et ocreis calciatus. Unde socius ejus dolens, eum periisse credebat. Iste vero dum esset sub aqua, reducens cum lacrymis ad memoriam præfatum Beatum, sperans se liberaturum, continuo prosilivit ad summum; et ita liberatus, statim ad sepulcrum ejus votum adduxit. Et Nicolaus pistor, ejusdem civitatis civis, narravit dicens, se esse crepatum *e* a quatuordecim annis citra; pro cujus infirmitatis liberatione multa medicis erogaverat, et nihil sibi valuerant. Desperans de medicis, vovit Deo et beato Raymondo, quod, si ejus meritis liberaretur, cingulum sibi cereum offerret. Facto voto, liberatus, singulum prædictum obtulit. Item Petrus, filius Ribaldi de Crema, civis Cremonensis, habens filium, sæpissime de regma *f* cadentem, cum uxore sua, quæ ipsum Deo et beato Raymondo pro liberatione voverat, ad sepulcrum ejusdem detulit eum; et illico omnino liberatus est; et hoc coram præfato domino episcopo et testibus suprascriptis, juramento affirmavit.

C

Subscriptum in authentico cum gruppo *g*: Ego Joannes de Lege, sacri palatii notarius, prædictis interfui, et rogatus hanc cartam scripsi *h*.

4 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto *i*, Indictione quinta, die Veneris, octavo . . , *k*, Placentiæ in palatio D. episcopi coram Alberto archipresbytero plebis de Vinda, domno Bartholomæo, monaco S. Savini . . . . plebis Varxii. D. Albertus, Dei gratia episcopus Placentiæ jussit me, Jacobum de Cumo, notarium, prædictum instrumentum ex ejus authentico sumere, et sumptum publicare, et authenticare; ita quod vicem et robur publici instrumenti obtineat, et firmitatem.

D

ut constat ex instrumento authentico, recognito Placentiæ 1247.

Subscriptum in authentico cum gruppo. Ego prædictus Jacobus de Cumo notarius, prædictum instrumentum ex authentico fideliter sumpsi, et sumptum mandato subscripti D. episcopi publicavi, et authenticavi, atque scripsi.

Eodem anno 1209 notatur

5 In Christi nomine *l*: cum filia quondam Rolandi de Reza, de plebatu Lavaniæ *m*, Januensis diœcesis, venisset ante præsentiam D. Ottonis, Januensis archiepiscopi *n*, coram eo et testibus infrascriptis professa est, se quondam a dæmone fuisse vexatam, propter indicia, quæ, sicut in Sacra pagina reperitur, solent in consimilibus evenire. Quæ cum vexaretur, sicut confessa est ipsa puella, dixit dæmon, se non inde egressurum, nisi per Raymondinum, sic dicens: Raymondinus me debet expellere, Raymondinus me debet expellere. Interrogatus dæmon, ubi esset iste Raymondinus; respondit: Placentiæ. (Nomen enim ipsius prædictæ vexatæ, et matri ejus Sophiæ, atque viro suo Ugoni, ut fuerunt confessi, penitus manebat incognitum.)

E

liberatio dæmoniacæ,

6 Quo audito, prædicta mater cum viro vexatæ, et quodam alio, Andtea Gaiduro nomine, ad felicis memoriæ Raymondi sepulcrum Placentiæ eam perduxit, cujus vitæ meritis atque conversationis honestæ nonnulla creduntur a fidelibus miracula coruscare. Quo cum dæmoniaca duceretur prædicta, ipse dæmon eam vexando ductores plurimum turbavit in via, ipsos valde fatigando, et sic etiam sæpe dicendo: Raymondine, malam fortunam habeas! Ubi die, qua pervenit, dæmonis vexatio, sicut creditur, intercessione beati Viri omnino cessavit. Quod totum ipsa liberata cum cæteris prædictis, ita verum fore juramento asseruit. Insuper sacerdos quidam, Ugo nomine, de ponte Lavaniæ, sub juramento dixit, se pluries eam vidisse vexari, et certissime dæmoniacam esse credebat, et ex quo a sepultura beati Raymondi discessit, nec eam vexati vidit, nec ab alio, quod vexaretur, audivit.

F

et sanatio puellæ,

7 Item continuo in præsentia præfati domini archiepiscopi, et testium infrascriptorum quidam nobilis, nomine Bernardus de Turre, plebatus Lavaniæ, ejusdem diœcesis, confessus est, se habere filiam, nomine Mabilinam, quæ spatio duorum annorum, et eo amplius, ita contracta permansit, quod se nullo modo poterat erigere, nec propriis pedibus substinere. Quocirca mater ipsius infantulæ, Adalasia nomine, eam prædicto vovit Viro beato, sicut ipse Bernardus, qui hoc idem ab eadem Adalasia, uxore sua, matre puellæ, didicit, referebat: dixit enim atque promisit, se ad sepulturam ejus cum filia sua et statua ceræ ituram, si Dominus eam misericordia sua, et precibus beati Raymondi, ab imminenti infirmitate liberaret. Facto voto, infra quartum vel quintum diem puella per se sine alterius auxilio domum exivit, et nunc penitus incolumis perseverat. Quæ omnia prædictus pater ejus pro se, et in anima uxoris suæ jam dictæ, et ejus licentia, ut confessus est, vera esse juramento firmavit.

8 Præ

quæ per biennium contracta fuerat

* *forte* temporis

8 Præterea Thedaldus quidam, supradicti Bernardi serviens, qui tunc temporibus * secum plus duobus annis permansit, eam toto dicto spatio vidit cruribus, altero brachiorum contractam, adeo quod humani exercitii causa dicta membra movere nullatenus poterat. Voto tamen non interfuit, quia in fine secundi anni divisus erat a domino suo; sed mensibus duobus post votum transactis, eam, ut dixit, incolumen vidit. Et hodie sana prorsus perseverat; et sic verum esse, proprio sacramento affirmavit. Testes Bartholomæus, canonicus S. Mariæ de Castello, Frater Joannes de Lavania, Crussus Mazaferrata, Ghirardus presbyter *o* et canonicus ecclesiæ duodecim Apostolorum de Placentia, Joannes Saccus, et alii quamplures. Actum Januæ, loco, qui dicitur Castellum, in anteriori pontili domini archiepiscopi jam dicti, anno dominicæ Nativitatis millesimo ducentesimo nono, Indictione undecima *p*, die secundo Octobris inter primam et tertiam.

Subscriptum in authentico cum gruppo : Atto Placentinus, sacri palatii notarius, jussu domini jam dicti archiepiscopi, scripsi; qui sigillum suum præsenti paginæ fecit apponi *q*.

Eodem anno 1209 mulier cæco visum recuperat.

9 Anno *r* dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo nono, Indictione duodecima, die Dominico, septimo Calendas Augusti, in Placentia, in claustro majoris ecclesiæ, coram capitulo majoris ecclesiæ, scilicet dominis Fulcone archipresbytero, Aimerico archidiacono Placentinæ ecclesiæ, magistro Alberto de Pado, presbytero Lanfranco, presbytero Ottone, Petro Cappone, Placentino Cacia, magistro Ferro, canonicis dictæ ecclesiæ, presbytero Gerardo, et Gerardo *s*, canonicis duodecim Apostolorum, Crusso * de Mazaferrata, et aliis multis; cum Arimburga, mulier de partibus Burgundiæ, scilicet de archiepiscopatu Bezenzoni, una cum Guilelmo marito ejus, qui de eisdem partibus testatus fuit se esse, venisset ante prædictum capitulum (quia tunc temporis dominus episcopus Placentinus *t* absens erat, scilicet quod curiam Romanam visitaverat) prædicta mulier ipsis audientibus testificata fuit, quod, cum esset in episcopatu Placentino, ubi per multos annos steterat, ipsa cæca facta per septem hebdomadas, ita quod nihil videbat, vovit se Deo et beato Raymondo; ut, si meritis ejus liberaretur; quod
C apportaret sepulturæ ejus duos ogleareos *v* ceræ. Voto facto, sepultura ejus visitata, illuminata est. Quod in præsentia præfati capituli ipsa cum viro suo prædicto, juramento verum esse asseruit ita. Subscriptum in authentico cum gruppo : Ego Carmangiarius, notarius huic interfui, et rogatus hoc ita scripsi.

* *Campius legit*, Trusso

Anno 1202 os evomitur infixum pectori.

10 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo secundo *u*, Indictione sexta, die Martis, tertio Calendas Madii in Placentia, in camera domini episcopi, coram archipresbytero de Brona, presbytero Ottone, et Arnaldo clerico ipsius ecclesiæ, Præposito Joanne duodecim Apostolorum, Fredentio S. Antonini canonico, Joanne Nicolao, Joanne Biano; Ogerius Zermanus * protestatus fuit juramento, a se facto in præsentia domini Grimerii, Placentini episcopi et comitis, quod, cum ipse in festo diei Natalis nuper præterito in domo sua comederet ad prandium caulas * cum carne vaccina, se insciente, quoddam os infixum fuit in gutture suo, et in ipsius gutture stetit dictum os usque ad Dominicum diem; deinde descendit usque pectus; et ibi stetit usque ad unum mensem, duobus vel tribus diebus minus; et cum ipse intellexisset per quemdam hominem suæ civitatis, qui de Placentina civitate venerunt, miracula, quæ omnipotens Deus meritis beati Raymondi faciebat, vovit se, quod, si ad intercessionem beati Raymondi Christus ostenderet ei causam infirmitatis, et ab ipsa infirmitate se deliberaret, quod secundum statuam suam daret ad sepulcrum suum candelam unam. Quo facto, modico tempore elapso, evomit ipsum os in manibus suis, et apportavit ipsum os ad sepulcrum beati Raymondi cum candela, quam se daturum voverat; et cum ibidem in præsentia eorumdem testium prædictum os ipse ostenderet, dixit, ipsum os esse illud, quod evomuerat, et quod apportaverat ad sepulcrum beati Raymondi.

* *lege* Germanus

* *l.* caules

ex MSS.

Subscriptum in authentico cum gruppo : Ego Carmangiarius sacri palatii Notarius huic interfui, et rogatus hoc ita scripsi.

Authenticatio præcedentium instrumentorum facta an. 1247.

11 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto *x*, Indictione quinta, die Martis, undecimo Calendas Martii, Placentiæ in camera palatii domini episcopi coram domno Gerardo, abbate monasterii S. Sepulcri, domno
E Bartholomæo monacho S. Savini, presbytero Guilielmo canonico ecclesiæ duodecim Apostolorum, testibus rogatis, dominus Albertus, Dei gratia episcopus Placentinus jussit me, Dondedeum Buxium notarium, ista inssrumenta ex eorum authenticis desumere, et sumpta publicare, et authenticare, ita quod vicem et robur publicorum instrumentorum obtineant, et firmitatem. Subscriptum in authentico cum gruppo. Ego prædictus Dondeus * Buxius, sacri palatii notarius, prædicta instrumenta ex eorum authenticis fideliter sumpsi, et sumpta illa mandato istius domini episcopi publicavi, et authenticavi atque scripsi.

* *f.* Dondedeus

ANNOTATA.

a Octavo exeunte Madio; *id est die octavo ante finem Maii, seu die* 24 *Maii, qui anno illo in Dominicam incidit. Male Campius hic cap.* 15, *intellexit diem octavum Maii, qui nec Dominicus tum esse potuit, nec ad exeuntem Maium pertinere. Porro* Sicardus *ep. Cremonensis, coram quo hac gesta sunt, ecclesiæ Cremonensi præfuit ab anno* 1185 *usque ad* 1215.

F b *Putat ibidem Campius, hunc* Gerardum *fuisse filium* S. Raymundi; *sed inter canonicos duodecim Apostolorum non solus tum ille appellabatur* Gerardus; *ut infra patebit. Videntur interim hæc instrumenta Cremonæ hoc tempore confecta fuisse rogatu Placentinorum, qui hic adfuisse notantur; credo, quia canonizationem* Raymundi *jam tum serio meditabantur.*

c Tutam, *id est, securam.*

d Commater *vulgo dici solet, quæ puerum alterius de sacro fonte suscepit.*

e Crepatus *hic dicitur qui affectus est hernia.*

f Regma, *interprete Campio cap.* 15, *pag.* 81, *est epilepsia seu morbus caducus.*

g Gruppo *Italis nodum significat : hic ergo videtur nodus calamo ductus ex eadem linea varie in seipsam reflexa et convoluta, quales fere notarii sub finem instrumentorum nomini suo annectunt.*

h *Hactenus instrumentum Cremonæ scriptum anno, mense, die, qui supra dicebantur. Sequitur ejusdem descriptionis, recognitionis, approbationis Placentiæ posterius factarum authenti-*

EX MSS. *cum testimonium.*

i *Imo* septimo, *ut melius legit Campius, et patet ex Indictione quinta, quæ additur. Cum vero hoc vitium infra recurrat sæpius, suspicor, amanuensem nostrum non satis assecutum fuisse in hoc numero idiotismum antiquarii.*

k *Hanc lituram supplet (forte quia tum legi melius poterat) Campius cap.* 17, *pag.* 99 *addendo* die Februarii. *Et sane dies octava Februarii anno* 1247 *erat dies Veneris.*

l *Hoc aliud est instrumentum, confectum primo in ecclesia Januensi seu Genuensi.*

m Lavagna, *seu* Lebonia, *vulgo* Lavagna, *oppidum est ad oram maris Ligustici,* 26 *circiter milliaribus Genua in orientem distans.*

n *Præfuit* Otho *seu* Otto *ecclesiæ Genuensi ab anno* 1203 *usque ad* 1239.

o *Vides hic* Ghirardum, *seu* Gerardum *Canonicum* 12 *Apostolorum, qui certo non est filius* S. Raymundi, *quandoquidem jam presbyter erat anno* 1209; *cum Sancti filius anno* 1212 *subdiaconus tantum esset. Porro est hoc teste videtur colligi;*
B *hoc quoque instrumentum apud Januenses conditum primo fuisse rogatu Placentinorum.*

p *Imo* Indictio *tum erat* duodecima; *erravit hic proinde librarius.*

q *Huc usque instrumentum Januense. Cetera, quæ sequuntur, Placentiæ confecta sunt; diversis tamen diversa temporibus, ut patebit.*

r *Instrumentum, hoc numero contentum, exstat editum pridem apud Campium in Annalibus Placentinis tom.* 2, *pag.* 381.

s *Alter hic* Gerardus *videtur esse filius* S. Raymundi, *nisi plures fuerint, quam duo synonymi in eodem collegio.*

t *Is fuit Grimerius, de quo supra.*

v Oglearius *duci videtur ab Italica voce* ogliara *seu* ogliaruolo, *quæ vas significat, quo uti plerumque solent ad condendum oleum.*

u *Imo* tertio, *ut palam fit tum ex* Indictione sexta, *tum ex* die Martis *incidente in* tertium Calendas Maii.

x *Legendum hic iterum* quadragesimo septimo; *ut indicant Indictio et dies Martis concurrens cum undecimo Kalend. Martii.*

C

CAPUT II.

Prosecutio miraculorum ex instrumentis authenticis Placentinorum.

Anno 1207 hernia et paralysis sanatæ.

Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo septimo *a*, Indictione undecima, die Veneris, quarto decimo mensis Martii, Placentiæ in confessione majoris ecclesiæ coram præposito Joanne duodecim Apostolorum, Joanne de Arena canonico majoris ecclesiæ, Joanne Ostiario, Oberto Basto, Crusso Mazaferrata. Cum Lomellus, Aquensis episcopatus *b*, et Maria, mulier ipsius, Aquensis episcopatus, venissent ante dominum Grimerium, Placentiuum episcopum et Comitem, idem vir dixit, et protestatus fuit, circa spatium decem et octo annorum esse, quod graviter erat infirmatus, videlicet crepatus. Unde audiens miracula, quæ summus Creator omnipotens faciebat ad intercessionem beati Raymondi de Placentia, vovit se ei, D
et dixit, quod pro voto, quod fecit, ad intercessionem ipsius beati Raymondi, et ejus meritis a tali infirmitate omnino est deliberatus; et ferrum, quod habebat occasione ipsius infirmitatis, de quo ligatus erat, ruptum, velut marcidum, cecidit in terram. Mulier vero protestata fuit, quod erat sidrata *c* omnibus membris, et omnino dissoluta, præter de manibus; et nullo modo poterat se adjuvare; et circa spatium unius anni esse, quod infirmabatur taliter. Unde cum vovisset se ad beatum Raymondum, audiens miracula, quæ omnipotens Deus faciebat ad ejus intercessionem, meritis ejus liberata est penitus ab ipsa infirmitate. Et in præsentia ipsius D. episcopi juramento firmaverunt, se sanatos esse, et sic esse verum.

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego Carmangiarius notarius huic interfui, et rogatus hoc ita scripsi.

Puer contractus restituitur an. 1208.

13 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo octavo, Indictione undecima, die Jovis, quarto decimo Calendas Octobris, in Placentia, in confessione majoris ecclesiæ coram E
D. Aimerico, Placentino archidiacono, magistro Alberto de Pado, Petro Comite, majoris ecclesiæ canonicis, presbytero Petro Caccia, et Gerardo filio beati Raymondi canonicis duodecim Apostolorum, magistro Ugone de Arcellis, et aliis multis, cum venissent ante præsentiam D. Grimerii, Placentini episcopi et Comitis domina Agnes, uxor olim Gerardi Ferrarii nobilis civis Placentiæ, et domina Græca, nurus ejus, protestatæ fuerunt juramento, quod quemdam suum infantulum, Albertinum nomine, habent; qui olim brachia et crura habebat penitus contracta, ita quod nec crura nec brachia aliquo modo movere poterat, nec sedere; sed, humero terræ infixo, totum corpus trahebat. Et cum hujusmodi passionem substinuisset a Calendis Aprilis usque ad Calendas Augusti, eumdem infantulum ad sepulcrum beati Raymondi detulerunt; et intelligentes miracula, quæ omnipotens Deus faciebat ad intercessionem beati Raymondi, voverunt, quod, si Dominus meritis beati Raymondi prædictum infantulum a præfata passione penitus liberaret, quod ad præsens darent statuam ceræ, F
et quolibet anno candelam ad mensuram ipsius infantuli, donec viveret. Quo facto, præfatum infantulum ad domum portaverunt; et antequam mensis transiret, prædictus infans a prædicta passione penitus liberatus est.

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego Carmangiarius sacri palatii notarius huic interfui, et rogatus hoc ita scripsi.

Præcedentis instrumenti authenticatio facta an. 1247.

14 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto *d*, Indictione quinta, die Martis, undecimo Calendas Martii, Placentiæ in camera palatii D. episcopi, coram D. Gerardo abbate monasterii sancti Sepulcri, domno Bartholomæo monacho S. Savini, presbytero Guilelmo canonico ecclesiæ duodecim Apostolorum, testibus rogatis, D. Albertus, Dei gratia episcopus Placentinus, jussit me Dondedeum Buxium notarium ista instrumenta ex eorum authenticis sumere, et sumpta publicare, et authenticare, ita quod ipsorum quodlibet vicem et robur publici instrumenti obtineat et firmitatem.

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego prædictus Dondedeus Buxius sacri palatii notarius prædicta instrumenta ex authenticis fideliter sumpsi,

A si, et sumpta jussa prædicti D. episcopi publicavi, et authenticavi, atque scripsi.

Anno 1208 vir herniâ laborans sanatur,
** l. undecima*

15 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo octavo, Indictione duodecima *, die Veneris, sexta Calendas Octobris, in Placentino palatio domini episcopi coram DD. Fulcone archipresbytero majoris ecclesiæ Placentiæ, Aimerico, archidiacono Placentino, Vicedomino præposito Placentino, magistro Alberto de Rungotio canonico majoris ecclesiæ, magistro Alberto de Arcellis sancti Antonini canonico, magistro Ugone de Arcellis, presbytero Petro duodecim Apostolorum, magistro Simone medico: et aliis multis; protestatus fuit Gerardus Vitalis de Ripa in audientia D. Grimerii, Placentini episcopi et Comitis, quod circa spatium sex annorum toleraverat talem infirmitatem; scilicet quia crepatus erat adeo, quod intestina exibant de corpore, et ipse, manu supposita, ipsa sublevans, sonitum faciebant, acsi tractaret intestina porcina: cumque audisset de miraculis, quæ omnipotens Deus faciebat ad intercessionem beati Raymondi, venit B ad sepulcrum ejus, rogans et deprecans Dominum, ut meritis beati Raymondi liberaret eum ab infirmitate tali instanti: quo facto, ipso secedente, ante mensem unum liberatus est penitus: unde postea nullem dolorem neque gravamen ullatenus persensit: et ipso liberato, se daturum, donec viveret, pauperibus hospitalis sui annuatim duo sestaria * musti.

** l. sextaria*

post votum uxoris in honorem S. Raymundi
** l. ingentem cum*

16 Pro Gerardo liberando Litelda, uxor ejus, quæ tractaverat infirmitatem ejus et viderat, vovit, sicut testata fuit, ipso viro nesciente, se daturam candelam cingentem eum * tribus denariis ad sepulcrum prædicti beati Raymondi, si Dominus meritis ipsius beati Raymondi a tali infirmitate liberaret; et quod faceret Missam celebrari ad honorem ejus: quo liberato, prædictum votum adimplevit. Quod totum idem vir, et mulier taliter esse verum juramento affirmaverunt. Et quod prædictus Gerardus ita pateretur, Bernardus de Franduino, ejusdem loci secum, tale perhibuit juramento testimonium; scilicet quod, cum idem Gerardus pluries secum esset in laborerio *e*, vidit prædictum Gerardum propria manu sua viscera, quæ exibant de corpore, super pannos sublevantem, et talem sonitum faciebant, ut prædicta mulier est C testata.

e

Eodem anno testatur quidam visum sibi redditum

17 Continuo coram eisdem testibus dixit et protestata fuit domna Curtumsonium in præsentia domini Grimerii, Placentini episcopi et Comitis, quod, cum quidam cæcus, Guilelmus nomine, qui per spatium duorum mensium in domo conductitia a beato Raymondo steterat juxta hospitale, in quo beatus Raymondus stabat, ter sompniasset, quod, si beatus Raymondus signaret oculos ejus, ipse videret, ipsa duxit eum ad beatum Raymondum; et narrando sibi, quod sompniaverat taliter, ut dictum est supra, vix signavit, dicendo sic: Vade in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; ita quod Dominus illuminet obscuritatem cordis tui simul et oculorum capitis: quo facto, continuo illuminatus est; et ipse projecit se ad pedes ejus, dicens, se videre. Quibus ipse interdixit, ne cui dicerent: et eum in secretiori parte domus posuit, donec eum privatim conduxit extra civitatem, timore ventus * temporalis. Quod juramento verum esse asseruit.

** l. venti*

18 Ut autem plenior fides habeatur de prædicto miraculo, domina Galitia, conversa hospitalis beati Raymondi prædicti, et domina Sclavia ita professæ fuerunt juramento, se vidisse eum cæcum, incedente ipso cum baculo duce, et videntem euntem sine baculo. Quarum una, scilicet domina Galitia, vidit ipsum pluribus vicibus offendentem ad ostium; et audiverunt ab eo pluribus vicibus, quod B. Raymondus eum signaverat: et meritis ejus videbat: et juramento firmaverunt, taliter esse verum.

ex mss. a vivente B. Raymundo, et signante olim oculos suos.

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego Carmangiarius notarius huic interfui, et rogatus hoc ita scripsi.

Authenticatio præcedentis instrumenti facta 1247.
** l. septimo*

19 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto *, Indictione quinta, die Martis, undecimo Calendas Martii, Placentiæ in camera palatii domini episcopi coram domno Gerardo abbate monasterii sancti Sepulcri, domno Bartholomæo monacho S. Savini, presbytero Guilerna canonico duodecim Apostolorum testibus rogatis, dominus Albertus, Dei gratia episcopus Placentinus jussit me, Dondedeum Buxium notarium, prædictum instrumentum ex authentico sumere, et sumptum publicare, et authenticare, ita quod vicem et robur publici instrumenti obtineat et firmitatem. E

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego prædictus Dondedeus Buxius, sacri palatii notarius, prædictum insrumentum ex authentico fideliter sumpsi, et sumptum mandato istius D. episcopi publicavi, et authenticavi, atque scripsi.

Anno 1208 mulier incurva olim, sese erectam offert.
f

20 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo *f*, Indictione duodecima, die Sabbati, quarto mensis Octobris, in Placentino palatio domini episcopi, coram DD. Aimerico archidiacono, et Vicedomino præposito Placentinæ eclesiæ, archipresbytero Bertollo Capellanorum, presbytero Thedaldo S. Simonis, Ottone, et Joanne, et Ruffino, et aliis multis testibus, cum venisset ante præsentiam D. Grimerii, Placentini episcopi et Comitis Maria mulier de Venetiis, in ipsius præsentia protestata fuit juramento, quod, cum esset plus triginta annis, se non recolere fuisse, nisi curvam, incedentem semper cum duabus crociis parvis a tempore quo cœpit ambulare; quæ exhortata, ut visitaret sepulcrum beati Raymondi, causa misericordiæ implorandæ venit, visitavit, votum vovit, et erecta est, ibi crociis relictis in testimonum sanitatis perceptæ; ad quod isti testes introducti, scilicet Gerardus de Algarda de Vurzano, Ribaldus F de Isachis de Ottoë, et de Lai, ejusdem loci, juramento manifestaverunt ibidem, se eam multotiens spatio multi temporis ita semper vidisse ambulare, et non aliter; quidam vero illorum videntes, eam tam laboriose incedere, volentes discernere, utrum dolose hoc ageret, an non, nullatenus potuerunt percipere eam aliter ambulantem.

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego Carmangiarius notarius huic interfui, et rogatus hoc ita scripsi.

Anno 1217 dæmoniaca liberata.
g

21 Millesimo *g* ducentesimo septimo decimo, Indictione quinta, die Mercurii, septimo mensis Junii, Placentiæ in ecclesia canonicæ S. Mariæ duodecim Apostolorum, coram capitulo ejusdem canonicæ, scilicet domno Joanne, ejusdem canonicæ præposito, presbytero Petro Caccia, Gerardo filio olim S. Raymondi, Ruffino Gualdrato, Ruffino de Montanea, ipsius ecclesiæ canonicis, et Oberto Bastio domino et ministro hospitalis prædictæ ecclesiæ, et S. Raymondi,

EX MSS. mondi, Gandulfus de Montepelloris, domina Berta Dulzana, domina Imelda, et domina Frixia, et domina Superola de Castro Arquato, Frater et Sorores hospitalis prædictæ canonicæ, et Maria de Andito, et Aidilina, pauperes servientes Hospitalis prædicti, professi sunt in virtute Spiritus sancti, se interfuisse purgationi Bertæ Natonæ * Januensis, sed nutritæ et educatæ Papiæ, [opem] consecutæ misericordia Domini, qua universus orbis exultat, et meritis venerabilis et felicis Raymondi, ad cujus præsidia prædicta Berta cucurrerat imploranda: cum enim prius eam diversis et variis modis vidissemus vexari, ut consimilium consuetudo postulat, et nec interesse posse divinis Officiis, nec alia, quæ vexati consueverunt vitare, posse facere seu recipere, purgata est, nobis præsentibus, die Dominico, quinto Calendas Junii *h*, cum multo clamore et ululatu et sanguinis vomitu, et, ut ista domina Imelda dicit, capillis avulsis in eadem ecclesia, juxta quam venerabile corpus Sancti prædicti quiescit, dum celebrarentur ibidem Missarum solempnia. Unde postea nulla in ea vexationis signa cernentes, ut humana fragilitas percipere valet, credimus et dicimus, a dæmonibus eam esse purgatam: omnia enim e contrario facit et recipit, quæcumque prius facere et recipere recusabat: ad confessionem continuo festinavit; crucem osculata est, et ad ultimum, corpus Dominicum reverenter accepit. Eodem die in claustra suprascriptæ ecclesiæ, et coram eodem capitulo, Petrus de Monte Regio, conversus prædicti hospitalis confessus fuit, se interfuisse prædictis.

** Camp. legit, natione*

h

B

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego Bonus Joannes Gualdratus, sacri palatii notarius, huic interfui, et rogatu suprascriptorum, hanc cartam professionis inde scripsi.

Authenticatio horum facta an. 1247.
** septimo*
** undecimo, ut supra.*

22 Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto *, Indictione quinta, die Martis, decimo * Calendas Martii Placentiæ in camera palatii domini episcopi coram domino Gerardo abbate monasterii sancti Sepulcri, domno Bartholomæo monacho S. Savini, presbytero Guilelmo canonico ecclesiæ duodecim Apostolorum resiibus rogatis, dominus Albertus, Dei gratia episcopus Placentiæ, jussit me, Dondedeum Buxium notarium, suprascripta instrumenta ex eorum authenticis sumere, et illa sumpta publicare, et authenticare, ita quod ipsorum utrumque vicem et robur publici instrumenti obtineat et firmitatem.

C

Subscriptum in authentico cum gruppo: Ego prædictus Dondedeus Buxius, sacri palatii notarius suprascripta instrumenta ex eorum authenticis fideliter sumpsi, et illa sumpta jussu suprascripti domini episcopi publicavi, et authenticavi, atque scripsi.

ANNOTATA.

a *Imo* octavo, *ut rursus exigit tam* Indictio XI, *quam* dies Veneris *occurrens* 14 *Martii*.

b Aqui *urbs est episcopalis in ditione Montis Ferrati sub archiepiscopatu Mediolanensi, Bormiæ flumini adjacens, et Placentia distans milliaribus Italicis ampliùs sexaginta versus occidentem.*

c Sidrata *vel potius* siderata *abud mediæ ætatis scriptores dicitur mulier tacta paralysi. Cangius.*

d *Lege* septimo, *ut supra.*

e Laborerium *ad Italico* laboriero, *opus agriculturæ significat, imo et quodvis aliud. Cangius.*

f *Scribendum fuit* nono, *juxta Indictionem, diem Sabbati, quartam Octobris.* D

g *Hoc instrumentum editum est Latine olim a Campio in Vita Sancti Italica cap.* 17, *pag.* 96.

h *Incidebat quidem dies Dominicus hoc eodem anno* 1217 *in quintum Kalendas Junii; sed quoniam hoc prodigium idem videtur esse quod anno* 1212 *scribebat Rufinus supra. cap.*5, *num.* 61 *et seq.; malim credere, id contigisse anno* 1206, *quo dies Dominicus etiam incidit in* v *Kal. Junii. Et sane non eodem anno contigerunt miracula omnia, quo de iis confecta sunt instrumenta, quæ hic dedimus: ut manifestum fit ex hujus capitis numero* 17 *et seq.*

APPENDIX II

Miraculorum S. Raymundi ex Ms. ejusdem archivi.

E

Incipiunt miracula beati Raymondi. Mulier quædam de Potentiano non videbat: votum vovit beato Raymondo; et illuminata est. Azo Bocardus patiens malum in humero et brachio sinistro, votum vovit; et liberatus est. Filia Jacobi Staferii per se a terra surgere non valens, vovit; et modo incedit. Puella quædam, de vicinia S. Antonini, altero pede claudicans, vovit; et liberata est. Filius quondam Anselmi Orbi habens collum super humerum retortum, vovit; et liberatus est. Puer quidam, qui toto corpore contractus super carettam *a* trahebatur, vovit; et erectus incedit. Agnesia de Campremoldò Sultano non discernens *b* vovit; et modo discernit. Uxor Gerardi Ferrarii nepotem suum vovit, manibus sidratum; et liberatus est. Ardicius hospitator, patiens in oculis magnum dolorem, vovit; et liberatus est. Puer quidam de Porta Albaræ patiens in oculis dolorem, votum vovit, et statim liberatus est. Scutifer D. Francisci patiens apostema sub umbilico, vovit; et liberatus est. Ottolina de Papia curva incedens, vovit; et liberata est. Duæ lampades diversis temporibus super sepulcrum beati Raymondi accensæ sunt *c*.

Miracula ex et triginta,

a

b

c

2 Quidam de Papia periens cum navi apud portam Albaram in Pado, vovit; et liberatus est. Quidam Cremonenses, unus monachus, et alter miles, infirmati ad mortem, voverunt; et liberati sunt. Quædam mulier de Vixirano dæmoniaca vovit ad sepulcrum ejus; et liberata est. Fulco Coridanus de S. Illario non videns altero oculo, vovit; et illuminatus est. Domina Orata de Parma curva incedens, vovit; et erecta est. Domina Beatrixia de Parma patiens in capite dolorem, vovit; et sanata est. Equus Malisapelli non dimittens se ferrare, facto voto, mansuetus factus est. Uxor Baiardi, de Vico Canino, de vicinia Sancti Dompnini, habens quoddam os in gutture, vovit; et liberata est. Paganina filia Boni Actonis Rusticoni curva incedens cum crocia, vovit; et erecta est. Lanfrancus de S. Christina, cujus oculus crepuit, vovit; et restitutus est. Obertus de Bagnara cæcus factus per tres menses, vovit; et illuminatus est. Commater cujusdam mulieris Cremonensis habens filium non valentem urinare, vovit; et liberatus est *d*. Ubertus Blancafugatia, de Papia, incarceratus cum tribus sociis suis, voverunt; et liberati sunt.

summatim annotata, F

d

3 Quædam

quæ votum in honorem Sancti factum consecuta sunt. 3 Quædam mulier Astensis vovit filium suum sidratum et inflatum, et liberatus est. Uxor Albertinelli, de Burgo S. Donnini, curva genibus, vovit; et erecta est. Eadem mulier habens quemdam filium, et veniebat ad sepulchrum beati Raymondi, filius ejus cecidit in quemdam lacum, et stetit per magnum tempus, et extractus de lacu quasi mortuus et infractus; sed ex voto facto statim sanatus est. Admirata, uxor Ugonis, filii Martini de Casanova, dæmoniaca vovit, et sanata est. Petrus Bonettus, de Burgos S. Michaëlis de Clussa, cæcus vovit, et illuminatus est. Puer quidam duorum annorum, filius Guilelmi, de vicinia S. Mariæ de Bigolis, transglutivit granum cravis sepnei *e*, et stabat quasi mortuus: nutrix, mater, et avia voverunt eum, et vovit * illum cravem, et sanatus est. Petrus, de Montegrandi episcopatu, cæcus steterat per duos annos; vovit; et illuminatus est. Petrus Cremonensis de Rubeis, de Plebe Sancti Jacobi, qui a pectore inferius sidratus erat, vovit, et liberatus est. Petrus filius Ribaldi de Crema, qui moratur Cremonæ, vovit quemdam suum filium cadentem de rhema, et liberatus est. Opico de Festo, de Cremona, curvus, nequiens ire sine croceis, vovit, et liberatus est. EX MSS.

* *f.* vomit seu vomuit

ANNOTATA.

a Carretta *Italice vehiculum sonat.*

b *Puta ab cæcitatem, vel caligationem.*

c *Sponte sua scilicet; vel etiam deficiente oleo, aut supra naturam alente flammulam sine olei vi affusione, aut veteris diminutione. Certe aliquid hic miraculi intelligendum.*

d *Hoc idem miraculum superior Appendix totum enarrat cap.* 1. *num.* 1.

e *Ita Ms. nostrum satis quidem expresse, at utinam satis recte! nam quid sibi velit* cravis sepneus, *ne divinando quidem assequor.*

INDEX HISTORICUS

IN SEXTUM TOMUM JULII

A

Abbo *episcopus Suessionensi* 599 c
Abderamenus *Cordubensis Arabum rex* 41 d
Abdias *primus Babyloniæ episcopus fictus scriptor* 7 c
Adalbero *episcopus Metensis* 224 e f
† Adelelmus *juvat peregrinos Compostellam euntes ad visitandum S. Jacobum* 33 e f
Adventius *episcopus Metensis* 220 e
Ægidius *monachus Aureæ vallis scripsit historiam episcoporum Leodiensium* 29 f
Agapitus II *Pontifex Romanus* 405 d
Agapius *monachus quasdam Sanctorum Vitas Græco-barbare Venetiis edidit* 400 e
Agricola *(Rudolphus) accepit beneficiam intercessione S. Annæ* 260 c, 278 f, 279 b
Aguirre *(Josephus Saenz de) S. R. E. Cardinalis defendit prædicationem S. Jacobi in Hispania* 72 *et seqq. Aliquam partem traditionis Cæsar augustanæ de erecto Deiparæ viventi sacello admittere renuit* 116 b
Ailraidus *vel* Ealredus *Rievallensis in Anglia abbas scripsit Vitam S. Eduardi regis* 378 f, 379 a
Alaricus *Gothorum dux Romam obsidet* 556 a
Albergatus *(Nicolaus) dicitur Bononiensibus in Italia dedisse caput S. Annæ* 255 e f
Albericus *monachus trium Fontium scripsit quoddam chronicon* 560 f
B. Albertus *eremita adiit Compostellanas S. Jacobi reliquias* 34 b
Albertus *Valerius episcopus Veronensis* 349 e
Albertus *episcopus Virdunensis* 407 d
Albertus *abbas S. Jacobi Leodii* 29 d
Albertus *(Leander) scripsit topographium Italiæ* 59 a
Albuquercius *(Alfonsus) dux Lusitanus ope S. Jacobi obtinet victoriam* 39 e
Alcuinus *innuit in Officium Gothicum Hispaniæ aliquos errores irrepsisse* 82 d
Aldrovandus *(Ulysses) scripsit varia de piscibus et avibus* 292 c
Aleranus *(Joannes) præpositus ecclesiæ Ariensis* 24 c
Alestanus *abbas Virdunensis S. Vitoni* 407 d
Alexander II *Papa* 321 c
Alexander III *Papa mandat, ut Comes Flandriæ reliquias S. Jacobi Majoris restituat monachis Vedastinis* 24 a b
Alexander *(Natalis) impugnavit prædicationem S. Jacobi in Hispania* 73 b. *Propriis armis oppugnatur* 75 *et* 76, *et alibi sæpius*
Alexander *patriarcha Antiochenus* 551 a
Alfonsus *castus rex Hispaniæ ædificavit templum in honorem S. Jacobi* 33 b. *Edidit diploma de inventione S. Jacobi in Hispania* 17 a
Alfonsus, *cognomento sapiens, Castellæ et Legionis rex Epistolam catholicam S. Jacobo Majori adscribit* 84 b
Alfonsus III *rex Hispaniæ scripsit ad canonicos Turonenses de inventione S. Jacobi in Hispania* 18 d e. *Templum S. Jacobi magnifice instaurari jussit* 33 b
Alfonsus VIII *Castellæ rex quandonam obierit* 109 a b
Alfonsus IX *rex Legionensis* 3 a
Alinardus *archiepiscopus Lugdunensis* 501 c
Allatius *(Leo) commentarios in Hexahemerum adscribit S. Eustathio Antiocheno* 233 b e

Almanzor *dux Arabum punitus ob violatum S. Jacobi sepulcrum* 17 *et* 18
Alfonsus *rex Neapolis* 364 a f
Alramus II *abbas Cremifanensis* 483 e
Alteus *epiccopus Augustodunensis* 516 a
† Altmannus *episcopus Pataviensis* 477 f
Amada *(Josephus Felix de) canonicus Cæsar-augustanus* 117 d
Amandus *episcopus Vigiliensis* 356 b f, 359 f
† Ambrosius *Mediolanensis invenit corpora SS. Nazarii et Celsi martyrum* 504 a b, 505 a b c
Anastasius *Pontifex Romanus* 552 f
Anastasius *episcopus Thessalonicensis* 99 f
Anastasius *Sinaita citatur pro adventu S. Jacobi in Hispaniam* 79 c
Anatolius *patriarcha Constantinopolitanus* 414 e
Andreas *archiepiscopus Barensis* 372 b
Anjos *(Ludovicus dos) scripsit Viridarium Sanctorum Lusitanice* 160 c
Anna *regina Galliæ devota erga S. Annam* 249
† Anno *archiepiscopus Coloniensis* 481 d
†Anselmus *archiepiscopus Cantuariensis* 56 b
Anselmus *abbas Garstensis in Austria* 474 a
† Anthimus *episcopus Nicomediensis* 401 d, 418 a
† Anthusa *Constantini Copronymi filia* 447 f
† Antidius *præsul Vesontionensis* 550 e
Antonius *abbas Garstensis in Austria* 471 d e
Antonius *(Nicolaus) scripsit Bibliothecam Hispanicam* 16 e
Anysius *episcopus Thessalonicensis* 552 f
Apaolaza *(Petrus) archiepiscopus Cæsar-augustanus miraculum de crure restituto examinat, ac de eo judicium fer.* 118 *et seqq.*
Apollonius *tradit, Apostolos anno duodecimo post Ascensionem Christi dispersos fuisse* 93 d
Aspringius *Pacensis in Lusitania episcopus* 89 b
† Aquilina *meretrix a S. Christophoro convertitur, et cum eo subit martyrium* 147.
Arbogastes *comes Trevirensis* 561 c, 562 c d
Ardicius *episcopus Placentinus* 642 b
Aribertus *archiepiscopus Mediolanensis* 512 a
Aristobulus *dicitur fuisse primus Britanniæ episcopus, et cum Zebedæo confunditur* 7 d e
Arnhalmus *abbas Garstensis in Austria* 472 c
Arnulfus II *archiepiscopus Mediolanensis* 511 f
Arsenius *patriarcha Hierosolymitanus* 321 e, 323 c
Assemanus *(Josephus) defendit historiam SS. septem Dormientium contra Baronium* 386 *et* 387
Aste *(Franciscus Maria de) archiepiscopus Hydruntinus non ita pridem edidit Martyrologium Romanum cum notis* 164 e
† Atto *episcopus Pistoriensis accepit reliquias S. Jacobi Majoris* 25 *et seqq.*
† Audoënus *scripsit Vitam S. Eligii* 193 d
Aulus Halus *fictus poeta* 160 c d e
Aurelianus *episcopus Ravennas* 441 f
† Auspicius *episcopus Aptensis* 253 *et* 254

B

Bacchinius *(Benedictus) scripsit historiam monasterii Padolironensis* 319 f. *Notis illustravit librum pontificalem Ravennatum* 444 b
Bacchyllus *episcopus Corinthiorum* 540 a
Badius *(Judocus) scripsit vitam Thomæ a Kempis* 3 e
Bagata *(Raphael) collegit monumenta ecclesiæ Veronensis* 21 a. *Varia scripsit de sanctis Veronensibus* 142e, 143 f
Balderichus *episcopus Nemetensis* 145 b
Baldricus *episcopus Dolensis* 572 b f, 587 b
Bandurus *(Anselmus) non ita pridem edidit Imperium Orientale* 243 d
Bardas *Constantinopolitanus imperator* 116, 601
† Barnabas *an prædicaverit in Liguria et Mediolanensem ecclesiam fundaverit* 98 e f
Baronius *(Cæsar) Cardinalis quomodo de prædicatione S. Jacobi in Hispania dubitare cœperit* 72 a b, 73 c. *Monogamiam S. Annæ propugnat* 237 e
Bascheria *(Symeon) edidit Breviarium cœnobii Padolironensis* 320 a
Basilius *episcopus Ephesinus* 387 b
Basilius *Macedo imperator, ejusque familia* 617 a
Basilius *imperator seculo* x *Menologium colligi jussit* 10 d
Bassianus *episcopus Ephesinus* 384 c, 387 b
Bassis *(Columbinus de) episcopus Pistoriensis* 25 e
Baucius *(Franciscus) dux Andriæ et dominus oppidi Vigiliarum.* 372 d, 374 c
Beatillus *(Antonius) S. J. de opere nostro optime meritus* 355 a
Beka *(Joannes de) scripsit chronicon Ultrajèctinum* 34 d
Bellat *(Antonius) S. J. laboravit pro Actis S. Raymundi Palmarii* 643 a
Bellarminus *(Robertus) monogamiam S. Annæ defendit* 237 e
Benedetti *(Petrus) S. J. Maronita, officiosissimus operis nostri adjutor* 377 d 385
Benedictus IV *Papa quo tempore cathedram Romanam ascenderit* 111 b c f
Benedictus VIII *Pontifex* 320 c, 323 a, 324 c
Benedictus XIII *Pontifex Romanus* 25 d
Bentius *episcopus Cæsar-augustanus* 31 c d
Berganza *(Franciscus) nuper edidit aliqua de Antiquitatibus Hispanicis* 25 a
Bernardus *Noricus ineunte seculo* XIV *texuit catalogum abbatum Cremifanensium* 473 a
Bertaudus *(Joannes) trigamiam S. Annæ acriter defendit* 237 d e
Berterandus *archiepiscopus Tranensis* 368 d, 372 a
Bertrandus *(Nicolaus) asserit, corpus S Jacobi Tolosæ quiescere* 19 c d
Bertulphus *antistes Trevirensis* 220 f
Bigne *(Margarinus de la) edidit Bibliothecam Patrum* 86 e
Bisantius *archiepiscopus Tranensis* 372 a
Bisselius *(Jacobus) procurator Societatis Jesu in Germania superiore* 1 c
Bivarius *(Franciscus) scripsit commentarios in pseudo Dexterum* 151
Blancas *(Hieronymus) historicus Aragoniæ* 31 c *Asserit, vetera Aragoniæ monumenta periisse* 123 a
Blondellus *(David) Calvinista Gallus aliis hæreticis opponitur* 555 d, 559 a b
† Bona *visitat Compostellanas S. Jacobi reliquias, et miros ab Apostolo favores recipit* 34 c
Bona *(Joannes) S. R. E. Cardinalis scripsit de rebus Liturgicis* 81 a
Bonfant *(Dionysius) scripsit de Sanctis Sardiniæ* 69 b
Bonifacius VIII *Pontifex* 320 d
Bonifacius IX *Papa agit de sacris ossibus S. Jacobi* 21 c
Bonifacius *marchio Mantuanus* 320 c
Bonus *episcopus Pistoriensis* 66 c d
Borbon *(Ludovicus de) præsul Leodiensis impie occisus* 278 b 279 c

Borellus *comes Barcinonensis* 111 d e
Borgia *Cardinalis legatus Hispaniæ ad Urbanum* VIII 73 e
Bosca *(Petrus Paulus) non ita pridem edidit Martyrologium Mediolanense* 21 f
Bosco *(Joannes a) edidit historiam translationis S. Jacobi in Hispaniam* 12 d
Bouche *(Honoratus) scripsit historiam Provinciæ* 254 a
Brandaonus *(Antonius) abbas Ordinis Cisterciensis in Lusitania* 43 b
Braulio *præsul Cæsar-augustanus recenset scripta Isidori Hispalensis* 85 a. *An asserat prædicationem S. Jacobi in Hispania* 85 f, 86 a b c
Breidenbach *(Bernardus) decanus Moguntinus scripsit hodœporicon Terræ sanctæ* 237 a
Briantus *(Alexander Maria) eruditus Carmelita* 22 a
Britto *(Bernardus de) in Chronico Cisterciensi narrat miram historiam* 41 b, 42 a
Briz Martinez *(Joannes) scripsit historiam monasterii Pinnatensis* 31 a
Brizius *(Hieronymus) S. J. fuit testis oculatus miraculi, quod patrocinio Deiparæ Cæsar-augustanæ anno* 1640 *contigit* 118 c d
Browerus *(Christophorus) edidit Annales urbis Trevirensis* 168 c
Brun *(Cornelius le) scripsit Itinerarium orientis* 378 e
Brunechildis *uxor Sigeberti regis* 189 e
Bruno *archiepiscopus Coloniensis* 405 d
Bucelinus *(Gabriel) Menologio suo subjunxit sacrarium Benedictinum seu catalogum reliquiarum, quæ in monasteriis Benedictinis conservantur* 29 d
Bullioud *(Petrus) edidit Vitam S. Treverii* 543 e
Burgio *(Dominicus a) Minorita Siculus scripsit opus Italicum de S. Anna* 256 b, 292 e f
Bzovius *(Abrahamus) crasso errore S. Jacobum Hierosolymitanum episcopum cum S. Jacobo Zebedæi filio confudit* 5 c e

C

Cæsarius *abbas S. Cæciliæ in Monteserrato* 110 f, 111
Cæsarius *Heisterbachensis scripsit varia miracula et historias memorabiles* 35 b, 45 f
Cajetanus *(Octavius) S. J. scripsit Martyrologium Siculum* 1 f, 3 f
Calchus *(Genesius) episcopus Lucensis* 410 a, 411 e f
Calchus *(Tristanus) scripsit historiam Mediolanensem* 513 e
Caligula *(Cajus) successit Tiberio imperatori* 10 d. *Dedit regnum Herodi Agrippæ* 10 e
Callixtus II *Papa non videtur scripsisse miracula S. Jacobi, qualia jam habemus* 43 *et* 44. *Ecclesiam Toletanam ad dignitatem metropoliticam evexit* 107 a b
Callixtus III *Romanus Pontifex* 117 c d
Campi *(Petrus Maria) scripsit Italice historiam Placentinam et quædam alia* 638 *et seqq.*
Canisius *(Petrus) S. J. monogamiam S. Annæ defendit* 237 e
Capello *(Ambrosius) episcopus Antverpiensis* 36 e
Capgavius *(Joannes) collegit Acta quorumdam Sanctorum Angliæ* 494 b
Caracciolus *(Antonius) asserit prædicationem S. Jacobi in Armenia* 71 c
Caraccolius *(Cæsar Eugenius) scripsit Italice de Neapoli sacra* 39 d
Cardosus *(Georgius) collegit Hagiologium Lusitanum* 160 e
Carolus *Magnus an adierit sepulcrum S. Jacobi in Hispania?* 32 c d. *An transtulerit corpus S. Jacobi in Galliam* 19 a b. *Quo anno obierit* 15 f
Carolus *Calvus imperator* 155 d e
Carolus, *cognomento Simplex rex Franciæ* 598 a
Carolus II *rex Hispaniæ* 36 d
Carolus *a sancto Paulo scripsit Geographiam sacram* 164 d
Casa nova *(Joannes de) dicitur miraculose assignasse corpus S. Annæ in ecclesia Aptensi* 253
Castejon *(Didacus de) defendit primatum ecclesiæ Toletanæ* 108 c
Castellanus *(Claudius) nobis indicavit reliquias S. Innocentii, quæ Parisiis honorantur* 560 b
Castellarnau *(Joannes Baptista) varia monumenta de S. Cucufate suggessit* 151 d, 154 b
Castellionæus *(Antonius) scripsit de antiquitatibus Mediolanensibus* 127 a
Castillo *(Didacus del) testatur, Baronium mutasse sententiam circa adventum S. Jacobi in Hispaniam* 72 f, 73 a
Cave *(Guilielmus) scriptor Anglus hæreticus* 550 b
Cavero *(Josephus Nicolaus) ex ordine B. Mariæ de mercede redemptionis captivorum* 123 e f
Cedrenus *(Georgius) scripsit Græce compendium historiarum* 383 d
Cerularius *(Michael) patriacha Constantinopolitanus* 356 c
Cestari *(Bernardus) scripsit de rebus memorabilibus Venetiarum* 403 f
Chamillart *(Stephanus) S. J. indefessus operis nostri adjutor* 592 d
Chanowski *(Albertus) S. J. scripsit quædam de Bohemiæ pietate* 129 d
Chapeavillus *(Joannes) collegit monumenta de episcopis Leodiensibus* 29 f
Charibertus *rex Parisiensis* 170 d e
Charron *(Jacobus) crasso errore asserit, S. Jacobum in Hispania martyrio affectum fuisse* 11 c
Chiffletius *(Joannes Jacobus) scripsit de civitate Vesontionensi* 432 a b
Chiffletius *(Petrus Franciscus) insignis operis nostri adjutor* 200 e
Childebertus II *rex Austrasiæ* 202 b f
Childericus III *rex ultimus Merovingicæ stirpis* 201 d e
Chilpericus *rex Suessionensis* 170 e
Chioccarellus *(Bartholomæus) scripsit de episcopis Neapolitanis* 145 d
Chorier *(Nicolaus) historicus Delphinas* 20 d
Chosroës *rex Persarum* 408 b d
Christophorsonus *(Joannes) Sozomenum et alios quosdam scriptores Græcos Latine reddidit* 556 d
Chrodegandus *episcopus Metensis* 518 a
Chunradus *abbas Garstensis in Austria* 472 c, 489 b
Clara *regina Siciliæ virtutibus illustris* 502 b
Clemens VIII *Papa, prædicationem S. Jacobi in Hispania ad traditionem Hispanicam restringit* 72 c, 73 c
Clemens XI *Papa* 124 d
Clemens *Alexandrinus dicit, Apostolos anno duodecimo post Ascensionem Christi dispersos fuisse* 93 d
Clotharius I *rex Francorum* 170 d
Cocus *(Robertus) scriptor hæreticus exploditur* 554 b c d.

554 b c d, 555 c, 559 a
Codinus *(Georgius) scripsit de originibus Constantinopolitanis* 243 c
Cointius *(Carolus) refellitur* 193 *et* 194
Coleti *(Nicolaus) editionem Italiæ sacræ auxit* 62 c
Colmenares *(Didacus de) scripsit historiam Segoviensem* 109 b
Columbus *(Joannes) S. J. edidit varia opuscula historica* 255 a
Conradus I *archiepiscopus Salisburgensis* 477 f, 478 a
Conradus III *imperator* 487 c
Constantius *imperator Arianus Catholicos persecutus est* 140 e
Constantinus *cognomento Copronymus, imperator Constantinopolitanus* 447 a b. *Sanctus Joannes Damascenus illum* caballinum *nominat* 447 e
Constantinus *patriarcha Constantinopolitanus* 502 d e
Contarinus *clericus collegit authentica quædam S. Jacobi Majoris miracula* 25 e, 28 a b, 61 a
Corna *(Franciscus) scripsit de antiquitatibus ac reliquiis Veronensibus* 342 e, 143 f
Corte *(Hieronymus dalla) scripsit historiam Veronensem* 317 b f
Cotovicus *(Joannes) scripsit itinerarium Terræ sanctæ* 242 f
Cousinet *(Jacobus) canonicus regularis S. Augustini Trecis* 566 b
Coustant *(Petrus) edidit epistolas Romanorum Pontificum* 553 c d
Croix *(Claudius la) S. J. edidit Theologiam moralem* 270 c
Crugerius *(Georgius) S. J. scripsit de Sanctis, qui in Bohemia, Silesia, et Moravia coluntur* 39 f
Cruyllas *(Franciscus Gravino de) Vitam S. Veneræ vel Parasceves Italice edidit* 303 a
Cunha *(Rodericus da) episc. Portuensis* 409 a
Cuperus *(Laurentius) Carmelitarum Provincialis scripsit Vitam S. Annæ* 241 f
Curtius *(Cornelius) ex Italico Latinas fecit quasdam Vitas Sanctorum* 317 b, 318 a
Cusanus *(Pantaleon) Vitam S. Veneræ vel Parasceves Græco-Italice edidit* 503 a

D

Dacherius *(Lucas) in Spicilegio edidit antiquum Martyrologium Gellonense* 6 d
Dacianus *præfectus Hispaniæ sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus* 152 b c. *In Christianos Hispaniæ sæviit* 74 c
Dagnus *tyrannus, sub quo passus dicitur S. Christophorus* 140 e, 146 e
Dapifer *(Bernardus) scripsit Vitam S. Gothalmi* 338 f
David *(Georgius) S. J. missionarius Moscuæ misit ad nos Synaxarium Ruthenicum* 6 c
Daza *(Jacobus) Epistolam catholicam S. Jacobo Majori adscribit* 84 b
Decentius *episcopus Eugubinus* 557 f
Delrio *(Martinus) scripsit Disquisitiones magicas* 130 c
Desideratus *Arvernensis episcopus* 432 c
Desideratus *præsul Bituricensis* 432 c
Desideratus *Cabillonensis episcopus* 432 c
Desiderius *episcopus Tolonensis* 92 a
Diago *(Franciscus) scripsit historiam Comitum Barcinonensium* 42 d
Didacus *archiepiscopus Compostellanus* 24 f, 25 c, 27 a
Dietrichstain *(Sigismundus) auctor confraternitatis S. Christophori in Carinthia* 131 a
Diocletianus *Christianos Hispaniæ persecutus est* 74 c
Dionysius *Exiguus primo annos ab Incarnatione Domini cœpit numerare* 71 a
Dionysius *patriarcha Alexandrinus* 381 e
Dionysius *patriarcha Jacobitarum et scriptor* 376 b, 385 e
Domenec *(Antonius Vincentius) scripsit de Sanctis Catalauniæ* 42 d
† Dominicus *Calceatensis reficit vias pro peregrinis Compostellam tendentibus* 33 f
Donatus *abbas S. Petri de Taberna in Hispania* 31 d
Donesmondus *(Hippolytus) scripsit historiam ecclesiasticam Mantuæ* 321 d
Dorlandus *(Petrus) Cartusianus collegit varia S. Annæ miracula* 259 d
Drogo *episcopus Metensis* 199 b e, 202 c d
Dülman *(Gabriel) S. J. submisit aliqua miracula S. Annæ* 259 d, 260 f
Durandus *(Guilielmus) episcopus Mimatensis asserit Hispanicam S. Jacobi prædicationem* 91 c d

E

Eberwinus *abbas scripsit Vitam S. Magnerici* 169 a b, 178 d e f, 179 a b c
Eckius *(Joannes) acerrimus Lutheri oppugnator trigamiam S. Annæ defendit* 236 *et seqq.*
† Eduardus *rex Angliæ habuit miram visionem de SS. septem Dormientibus Ephesinis* 378 f, 379
Egbertus *præsul Trevirensis* 190 c
Elias *a sancta Theresa Carmelita miram narrat historiam* 40 c
Elipandus *archiepiscopus Toletanus* 82 d
Elisabeth *uxor Ottochari I marchionis Styriæ* 478 a
† Elisabetha *Lusitaniæ regina adiit Compostellanas S. Jacobi reliquias* 34 f
Elssius *(Philippus) edidit Encomiasticon Augustinianum* 345 f
Emmanuel *Comnenus imperator Constantinopolitanus* 368 d, 372 b
Emmanuel, *cognomento Magnus, rex Lusitaniæ* 409 c
Emmius *(Ubbo) heterodoxus rerum Frisicarum scriptor* 35 d
Epiphanius *patriarcha Gradensis* 182 b
Epiphanius *episcopus Forojuliensis* 182 b
Epiphanius *episcopus Ticinensis* 182 b
Erasmus *Roterodamensis reprehenditur* 550 f, 551, 558 f, 559 a
Erze Ximenez *(Michael) canonicus Legionensis propugnavit prædicationem S. Jacobi in Hispania* 73 b d e
Escolanus *(Gaspar) scripsit historiam Valentinam* 129 a
Escuder *(Joannes Franciscus) descripsit Hispanice solennitatem, quæ Cæsar-augustæ celebrata est ob receptum Officium proprium Deiparæ de Pilari* 124 f
Estanga *(Joannes de) chirurgus crus abscidit, quod postea restitutum est ope Deiparæ Cæsar-augustanæ* 117 f
Eudocia *tertia Constantini Copronymi uxor* 450 d e
Eugenius III *Papa promovet devotionem erga Pistorienses S. Jacobi Majoris reliquias* 27 d e f
Eugenius *dicitur fuisse primus præsul Toletanus* 103 e
† Evermarus *Friso non videtur adiisse Compostellam ad honorandas S. Jacobi reliquias* 35 a b

† Eustorgius

† Eustorgius *Mediolanensis episcopus* 21 e
Euthychius *patriarcha Alexandrinus scripsit Annales Arabicos* 376 c
Eysengrein *(Guilielmus) edidit catalogum scriptorum* 178 d
Ezelinus *tyrannus in Italia* 346 b, 347 d

F

Faber *(Hieronymus) scriptor Ravennas* 444 f
Farabertus *abbas Prumiensis* 174 e
Faustus *Manichæus negabat, Christum ex stirpe Davidica ortum esse* 234 e
Felibienus *(Michael) nuper edidit historiam cœnobii Sandionysiani* 154 e
Felix IV *Papa* 445 b
Fernandius *(Benedictus) narrat prodigiosam historiam* 40 *et* 41 a b
Fernandus *rex Neapolis* 374 a f
Ferrer *(Maurus Castellus) Hispanice scripsit historiam S. Jacobi* 14 f
Ferreras *(Joannes de) scripsit historiam Hispaniæ* 15 e
† Ferrerius *(Vincentius) magnam Judæorum multitudinem convertit* 126 e
Fiaschi *(Alexander) S. J. Rector collegii Placentini procuravit nobis Acta S. Raymundi Palmarii* 643 c
Fisenus *(Bartholomæus) S. J. scripsit historiam ecclesiæ Leodiensis* 30 a
Flamma *(Galvaneus) ante medium seculi* XIV *scripsit* 435 e, 436 e
Florentinius *(Franciscus Maria) refert, S. Jacobum Cæsareæ martyrio affectum putari* 11 e
Florentinius *(Marius) subministravit notitiam de S. Pantaleone* 409 f, 410 *et seq.*
Florus *diaconus Viennensis in Gallia* 405 c
Folemarus *archiepiscopus Coloniensis* 406 c
Forra *(Sebastianus) Epistolam catholicam S. Jacobo Majori attribuit* 84 b
Franchet *(Anna) vice-comitissa de Tonquedec ope S. Annæ subito sanitatem obtinuit* 286 c
Franchi *(Joannes Baptista de'i) scriptor Italus ex ordine S. Dominici* 403 c
Francinus *(Daniel) scripsit ad Sixtum IV Pontificem* 358 a b
Freculphus *Lexoviensis in Gallia episcopus affirmat prædicationem S. Jacobi in Hispania* 90 a b
Fredegundis *regina Francorum* 193 c d, 196 a b
Fridericus *dux Austriæ* 338 e
† Fructuosus *archiepiscopus Bracarensis* 159 e
Fuentiduena *(Petrus) canonicus Salmanticensis consilio Tridentino interfuit* 85 d
Fulbertus *episcopus Carnotensis* 235 a d
† Fulco *episcopus Placentinus* 639 a
Fulgosius *(Philippus) episcopus Placentinus* 639 c f, 643 e
† Fulradus *una cum reliquiis notitiam S. Cucufatis ad Gallos et Germanos extulit* 153 e, 154 e, 162 e

G

Galanus *(Clemens) scripsit historiam Armeniæ* 69 e, 71 d
Gale *(Thomas) edidit quosdam antiquos scriptores Anglos* 379 f
Galeardus *(Paulus) edidit opera S. Gaudentii Brixiani episcopi cum notis* 514 a
Galeatius *(Joannes) dux Mediolanensis* 138 c
Galfridus *scripsit historiam Britannicam* 570 c
Galinardus *ex abbate Divionensi S. Benigni archiepiscopus Lugdunensis* 501 c
Gallaratus *(Petrus) S. J. laboravit pro Actis S. Raymundi Palmarii* 642 f, 643 a b
Gallonius *(Antonius) scripsit de Martyrum cruciatibus* 166 d
Gamans *(Joannes) S. J. strenuus operis nostri adjutor* 636 a
Gardebosc *(Ambrosius) edidit synopsim historiæ ecclesiasticæ* 82 c
Garibay *(Stephanus) scriptor Hispanus* 160 c
† Gaudentius *episcopus Brixianus* 513 f
Gaugericus *episcopus Cameracensis* 172 f, 173 a b
Gauterius *archiepiscopus Senonensis* 598 a
Gelasius I *Papa negat, S. Paulum in Hispaniam profectum esse* 94 e
Gelasius II *Romanus Pontifex* 116 d
Gelmitez *(Didacus) præsul Compostellanus* 60 b
Gennadius *patriarcha Constantinopolitanus* 606 a
Georgio *(Dominicus de) suggessit notitiam circa Neapolitanas S. Annæ reliquias* 258 b. *Alia de S. Pantaleone martyre* 402 f
Gerardus *presbyter est unus ex auctoribus Ms. historiæ Compostellanæ* 16 f
Gerhohus *præpositus Reicherspergensis scripsit Vitam et miracula Wirntonis* 478 a
† Germanus *episcopus Parisiensis* 460 b
Gero *archiepiscopus Coloniensis* 406 e f
Gestel *(Cornelius Van) edidit historiam sacram et profanam archiepiscopatus Mechliniensis* 248 e
Ghinius *(Constantinus) scripsit de sanctis Canonicis* 298 e
Gilaberte *(Franciscus Salvator) ex ordine B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum* 116 a, 123 c
Gilemannus *(Joannes) collegit Hagiologium Brabantinum* 314 c
Gisela, *Caroli Simplicis filia, Rolloni Normannorum duci desponsata* 599 d
Giselbertus *abbas Hemmerodensis* 501 f
Godefridus *abbas Admuntensis* 487 d
† Godehardus *episcopus Hildesheimensis* 560 e
Gomesanus *abbas monasterii Hildensis* 33 d e
Gonçalez Davila *(Ægidius) scripsit Theatrum ecclesiasticum Hispaniæ* 60 b
Gotescalcus *episcopus Aniciensis circa medium seculi* X *peregrinatus est ad sepulchrum S. Jacobi in Hispania* 20 e, 33 d c
Gotfridus *Viterbiensis affirmat Hispanicam S. Jacobi prædicationem* 91 b
† Gregorius *Magnus Papa an potuerit probabiliter distribuere reliquias S. Jacobi Majoris* 31 a b.
Meminit de monasterio S. Christophori 127 a
Gregorius V *Papa* 259 f
† Gregorius VII *Papa non adversatur prædicationi S Jacobi in Hispania* 100 *et seqq.* *Innuit, in Officium Gothicum Hispaniæ aliquos errores irrepsisse* 82 d
Gregorius XIII *Papa approbavit Officia propria ecclesiæ Toletanæ* 82 a
Gregorius XV *Papa jussit festum S. Annæ per totam ecclesiam celebrari* 290 e, 292 c
† Gregorius *Turonensis laudat S. Magnericum præsulem Trevirensem* 169 a. *De septem Dormientibus Ephesinis meminit* 378 a, 380 *et seq.*
Gretserus *(Jacobus) edidit Acta S. Bertholdi abbatis Garstensis* 472 d
Grimaldus *(Joannes) archivi Vaticani præfectus* 13 f, 14 a
Grimerius *episcopus Placentinus* 639 a

Gruterus *(Janus) collegit inscriptiones Romanas* 507 d
Gualla *(Jacobus) scripsit Sanctuarium Ticinense* 29 c
Guerrois *(Nicolaus des) scriptor Trecensis* 28 f, 29 a
Guibertus *abbas de Novigento narrat portentosum miraculum S. Jacobi* 45 b c d
Guicardus *vel* Guichardus *archiepiscopus Lugdunensis* 501 e
Guido *(Bernardus) ex ordine S. Dominici scripsit de Sanctis Lemovicensibus* 257 c
Guido *comes Spoletanus* 574 a
Guigo VII, *cognomento Crassus, comes Albonensis* 20 d
Guilielmus I *rex Siciliæ* 357 e
Guilielmus II *cognomento Bonus, rex Neapolis ac Siciliæ* 357 e, 372 c
Guilielmus III *rex Siciliæ* 357 e
Guilielmus *patriarcha Hierosolymitanus* 44 b
† Guilielmus *abbas et fundator Montis virginis adiit Compostellanas S. Jacobi reliquias* 34 c d
Guilielmus *episcopus Ferrariensis* 349 d
Guilielmus *Pictavensium dux adiit Compostellanas S. Jacobi reliquias* 34 b c
Gundericus *præsul Trevirensis* 172 e, 173 b
Guntherus *abbas Garstensis in Austria* 473 c, 489 b
Guntramnus *rex Aurelianensis seu Burgundicus* 170 d e

H

Hadamarus *monasterii Fuldensis abbas* 405 d, 406 f
Hademarus *abbas Garstensis in Austria* 472 c, 493 d
Halinardus *archiepiscopus Lugdunensis* 501 d
Hamconius *(Martinus) historiam Frisiæ versu ornavit* 35 a
Harlæus *(Franciscus) archiepiscopus Parisiensis* 76 d
Haselbach *(Thomas Ebendorfferus de) scripsit Chronicon Austriacum* 477 f
Hatto *episcopus Ausonensis* 111 *et seqq.*
Hectoreus *(Camillus) S. J. nobis exscripsit Acta S. Raymundi Palmarii* 643 b c
Hegesippus *vixit vicinus temporibus Apostolorum* 240 a
Helisæus *episcopus Mantuanus* 321 c
Helyotus *(Hippolytus) scripsit de Ordinibus religiosis et militaribus* 36 f, 37 a
† Henricus, *cognomento Claudus, imperator* 177 b c d
Henricus *Angliæ rex, pater Mathildis* 30 e
Henricus IV *abbas S. Pantaleonis Coloniæ* 407 d
Henricus VI *rex Angliæ* 255 f
Henricus VIII *rex Angliæ* 593 d e
Henricus *archiepiscopus Remensis* 24 a
Heribertus *archiepiscopus Mediolanensis* 512 a
Herifridus *episcopus Autissiodorensis* 597 c f, 598 a
Herodes *rex S. Jacobum martyrio affecit* 6 e, 9 f
Herodes *Agrippa, Aristobuli filius* 10 d
Hermant *(Godefridus) Gallice edidit Vitam S. Ambrosii* 503 e
Hermogenes *magnus et ab aliquibus hæreticus appellatur* 8 f
Herrera *(Thomas de) scripsit Alphabetum Augustinianum* 318 e
Herwartus *(Joannes Georgius) Bavariæ cancellarius* 8 f
Hessels *(Joannes) de quibusdam Sanctorum Actis judicium tulit* 145 d f
† Hieronymus *indicat prædicationem S. Jacobi in Hispania* 79, 80
Higdenus *(Ranulphus) scriptor Anglus* 379 f
Hilarion *monachus edidit supplementum ad Legendam Jacobi de Voragine* 401 a
Hildebertus *episcopus Cenomanensis videtur asserere prædicationem S. Jacobi in Hispania* 91 a b
Hilduinus *abbas transtulit reliquias S. Cucufatis ad basilicam S. Dionysii* 154 e, 155 b, 162 b
Hincmarus *episcopus Remensis* 220 e
Hlawaczowæus *(Lupacius) scripsit Kalendarium historicum Bohemiæ* 265 b
Hofmannus *(Joannes Jacobus) temere credit Zosimo scriptori ethnico et calumniatori* 550 d e
Holstenius *(Lucas) collegit aliquot monumenta Romanorum Pontificum* 552 f, 553 a
Honoratus *episcopus Novariensis* 438 e
Honoratus *a sancta Maria Carmelita mortem Christi sub Geminis consulibus erudite confirmat* 10 b
Honorius III *Papa negotia ecclesiastica diversis Hispaniæ episcopis commisit* 105 e
Hovedenus *(Rogerus) scriptor Anglus* 30 d
Hueberus (*Fortunatus*) *collegit Monologium Franciscanum* 4 a
Hugo *a sancto Charo S. R. E. Cardinalis* 95 a
Hugo I *episcopus Vesontinus* 351 d
† Hugo *episcopus Gratianopolitanus* 20 d
Hugo *a sancto Victore in opere de Sacramentis narrat miram historiam* 56 c
Hugo *episcopus Placentinus* 647 f, 648 a
Hugo *Portucalensis est unus ex auctoribus Mss. historiæ Compostellanæ* 16 f
Hugo *primum monachus abbatiæ S. Vitoni Virdunensis, ac deinde abbas monasterii S. Petri Flaviniacensis in ducatu Burgundiæ* 405 f
Hugo *abbas S. Amandi* 24 b
Hugo *abbas Cluniacensis* 56 b
Hunæus *(Joannes) de S. Christophoro durius loquitur* 137 b
Hunfridus *marchio Gotiæ* 460 b
Hurne (*Henricus de*) *abbas S. Pantaleonis Coloniæ* 407 d

I

Jacobus *Sarugensis narrat Acta SS. septem Dormientium* 376 b, 384 f, 385
Jager (*Christophorus*) *monachus S. Lamberti in Styria suppeditavit notitias de S. Christophoro* 130 *et* 131
Jansenius (*Cornelius*) *episcopus Gandensis scripsit commentarios in concordiam Euangelicam* 8 b. *Monogamiam S. Annæ propugnat* 237 e
† Ignatius *patriarcha Constantinopolitanus* 601 b
† Ildefonsus *antistes Toletanus recenset scripta Isidori Hispalensis* 85 a
Innocentius I *Papa non contradicit Hispanicæ S. Jacobi prædicationi* 97 *et seqq.*
Innocentius III *Papa respondet archiepiscopo Compostellano* 34 e f. *Quo tempore concilium Lateranense celebraverit* 105 c
Innocentius XIII *concessit Cæsar-augustanis Officium proprium Deiparæ de Pilari* 124 d e
Joannes X *Papa credidit, corpus S. Jacobi in Hispania esse* 18 c
Joannes XIII *Romanus Pontifex* 111 e
Joannes XXIII *Pontifex Romanus* 640 d
Innocentius *a Clusa Minorita miraculis et devotione erga S. Annam illustris* 290 *et seqq.*
Joannes

Joannes *episcopus Cannensis* 368 c d, 371 f
Joannes II *rex Lusitaniæ* 409 c
Joannes II *Aragoniæ rex* 117 b
Joannes *dux Bituricensis* 19 c
† Joannes *eremita Hispanus variis modis juvat peregrinantes ad S. Jacobum* 34 a b
Joannes *a sancto Æmiliano episcopus Tudensis* 25 b
Joannes II *Leodiensis episcopus* 225 c
Joannes *episcopus Aptensis* 254 e
Joannes *Thomas a sancto Cyrillo Carmelita varia scripsit de S. Anna* 244 b
Joannes *Raymundus Convennensis, primus archiepiscopus Tolosanus, ac dein S. R. E. Cardinalis* 407 f, 408 a
Joannes *abbas Gorziensis non est auctor Actorum S. Glodesindis* 201 a b
Joannes *abbas S. Arnulfi Metis scripsit Vitam S. Glodesindis* 201 a
† Joannicius *acerrimus sacrarum imaginum defensor* 601 a b c
Johannis *(Georgius Christianus) nuper multa collegit de rebus Moguntinis* 256 f
† Irenæus *Lugdunensis in Gallia episcopus* 538 e f
† Irene *Leonis IV imperatoris uxor* 605 e
Irene *prima Constantini Copronymi uxor* 450 d e
† Isidorus *Hispalensis episcopus an fuerit auctor ritus Gothici in divino Officio?* 81 b c. *Asserit prædicationem S. Jacodi in Hispania* 83 *et seqq*
Isidorus *archiepiscopus Thessalonicensis* 239 d
Jubilæi *institutio et progressus* 374 d
† Julianus *antistes Toletanus prædicationem S. Jacobi in Hispania asserit* 86 *et seqq. Auxit Officium Gothicum* 88 a
Julius II *Papa restaurationem ritus Mozarabici approbavit* 82 d
Justinianus *junior, cognomento Rhinotmetus construxit ecclesiam S. Annæ* 243 d
† Justinus *scripsit apologiam pro Christianis ad Antoninum Pium imperatorem* 77 e
Justinus Junior *imperator quamdiu regnarit* 170 c

K

Kempis *(Thomas a) anno Christi* 1471, *ætatis suæ nonagesimo secundo obiit* 3 e

L

Labbeus *(Philippus) S. J. præter multa alia edidit Bibliothecam Mss. librorum* 405 f
Laboureurius *(Claudius) scripsit de ruderibus insulæ Barbaræ prope Lugdunum Galliæ* 255 b
Laherius *(Franciscus) S. J. collegit Vitas sanctarum Virginum* 200 f
Lambecius (*Petrus*) *edidit Bibliothecam Cæsaream* 138 e
Lambertinis (*Prosper de*) *promotor fidei in curia Romana* 124 e
Lambertus, *cognomento Parvus, monachus in cœnobio S. Jacobi Leodii* 29 e
Landulfus *archiepiscopus Mediolanensis* 511 b c d e
Landulphus *senior scripsit Chronicon Mediolanense* 513 a
Langius (*Paulus*) *scripsit Chronicon Citizense* 290 c
Lapide (*Cornelius a*) *asserit, S. Jacobum in Hispania prædicasse* 72 c d
Laurentius *episcopus Seniensis* 551 b
Leidradus *episcopus Lugdunensis* 404 e
Leo III *Papa dicitur scripsisse de translatione S. Jacobi in Hispaniam* 13 d e f
Leo IX *Papa dicitur in ecclesia Remensi consecrasse altare in honorem S. Christophori* 127 f
Leo *Armenus imperator persequitur sacras imagines* 606 a
Leo *a sancto Thoma scripsit historiam Ordinis Benedictini Lusitanice* 42 e
Leontius *episcopus Burdegalensis* 515 e f
Leopoldus, *cognomento Pulcher, marchio Austriæ* 478 a
Leopoldus, *cognomento Pius, marchio Austriæ* 478 a
Leudulfus *episcopus Trevirensis* 177 b d
Leunclavius (*Joannes*) *edidit apologiam pro Zosimo scriptore ethnico et calumniatore* 550 c d
Librana (*Petrus*) *antistes Cæsar-augustanus* 116 c d
Lipomanus (*Aloysius*) *episcopus Veronensis monogamiam S. Annæ defendit.* 237
Litta (*Alfonsus*) *archiepiscopus Mediolanensis* 435 c
Loaisa (*Garsias*) *edidit concilia Hispaniæ* 102 f. *Præbuit occasionem, cur prædicatio S. Jacobi in Hispania in dubium revocaretur* 72 a b, 73 c
Locrius (*Ferreolus*) *scripsit Chronicon Belgii* 24 c
Loiselius (Antonius) scripsit de monumentis Bellovacensibus 192 c
Longus (*Jacobus*) *confudit duos SS. Ebrulfos* 194 c d
Lovet (*Renatus de*) *episcopus Corisopitensis approbat miraculum S. Annæ* 281 e f
Louwius (*Petrus*) *ex posthumis Molani schedis collegit Natales Sanctorum Belgii* 340 f
Lucas *Tudensis dubitat, an S. Paulus in Hispaniam venerit* 94 e f. *Interpolavit aliqua scripta SS. Isidori et Braulionis* 86 b c
Lucas *Brugensis scripsit commentarios in sacram Scripturam* 236 d
Luldolfus (*Job*) *edidit fastos sacros Æthiopum et Coptitarum* 6 c
Ludolphus *dux Saxoniæ* 560 f
Ludovicus *filius Caroli Magni cepit Barcinonem* 154 c, 155 a, 156 e, *Fundavit Indense monasterium S. Cornelii* 426 d
Ludovicus XIII *rex Galliæ* 249 b
Ludovicus *comes Blesensium dedit ecclesiæ Carnutensi reliquias S. Annæ* 249 a, 255 d e
Ludovicus *abbas Virdunensis S. Vitoni* 407 c d
Lucius *Marinæus Siculus scripsit de rebus Hispaniæ memorabilibus* 46 b e
Ludovicus, *cognomento Balbus, rex Franciæ* 598 a
Lupus (*Christianus*) *dubitavit de adventu S. Jacobi in Hispaniam* 73 b *Contra ejus prædicationem in Hispania aliquod corollarium deducit* 93 d
† Lupus *Trecensis episcopus* 561 b c, 562 d e f

M

Maanus (*Joannes*) *scripsit de Metropoli Turonensi* 376 a
† Macarius *episcopus Antiochenus solenniter colitur Gandavi in Belgio* 341 b c d e f
Macedo (*Antonius*) *scripsit de Divis tutelaribus orbis Christiani* 35 d, 39 b c f
Macedo (*Franciscus*) *scripsit Diatribam de adventu S. Jacobi in Hispaniam* 14 a
Magnus (*Olaus*) *archiepiscopus Upsalensis* 375 c
Magistris (*Josephus de*) *prosecutus et opus patrui sui de statu ecclesiæ Neapolitanæ* 39 c

Malbrancq (*Jacobus*) *scripsit de Morinis* 24 c
Malvasia (*Bonaventura*) *edidit compendium historicum de Romana duodecim Apostolorum basilica* 23 b
Malvenda (*Thomas*) *propugnat prædicationem S. Jacobi in Hispania* 92 f
Manasses (*Constantinus*) *scripsit Græce Breviarium chronicon* 383 c d
Manfredus II *episcopus Veronensis* 349 c
Manrique (*Angelus*) *scripsit Annales Cistercienses* 37 d
Mantuanus (*Petrus*) *scripsit observationes ad historiam Joannis Marianæ* 14 f, 44 e f
Maragdus *episcopus Vestanus* 372 a
Marca (*Petrus de*) *fatetur prædicationem S. Jacobi in Hispania ab Isidoro Hispalensi traditam fuisse* 85 c d. *Prædicationem S. Philippi in Gallia variis argumentis probat* 88 b c
Marcellianus *episcopus Aquileiensis* 440 f
Mares *episcopus Ephesinus* 387 b
Maria *de Jesu abbatissa Agredensis mira tradit de corporali S. Annæ resurrectione* 258 f, 259 a b
Maria *secunda Constantini Copronymi uxor* 450 d e
Mariana (*Joannes*) *exhibet epistolam Leonis III Papæ de translatione S. Jacobi in Hispaniam* 14 c. *Dat rationem, ob quam adventus S. Jacobi in Hispaniam apud veteres scriptores non inveniatur* 74 f, 75 a
Marieta (*Joannes de*) *scripsit de Sanctis Hispaniæ* 355 a
Marquardus *abbas Garstensis in Austria* 472 b c, 493 c d
Marra (*Ferdinandus della*) *scripsit discursus de familiis Neapolitanis* 374 c
Marraccius (*Hippolytus*) *edidit Mariale in laudem Deiparæ* 239 d
Martene (*Edmundus*) *in Thesauro novo anecdotorum edidit antiquum Martyrologium* 6 d. *Indicat antiquitatem codicis Autissiodorensis, in quo prædicatio S. Jacobi in Hispania asseritur* 88 f, 89 a b
† Martialis *dicitur seculo primo Lemovicas venisse* 81 f
Martianus *vel* Martialis *episcopus Mantuanus* 321 b c
Martinellus (*Floravantes*) *scripsit de Roma sacra* 402 d
Martinez Rubio (*Josephus*) *canonicus Cæsaraugustanus* 123 c d e
Martinus *Polonus affirmat adventum S. Jacobi in Hispaniam* 91 c
† Martinus *præsul Turonensis colitur in antiquo Officio Gothico* 81 a b c d
Martinus *Mindoniensis est unus ex auctoribus Mss. historiæ Compostellanæ* 16 f
Martinus *abbas S. Vedasti* 24 c d
Massæus (*Christianus*) *dicit, corpus S. Jacobi Tolosæ quiescere* 19 a
Massia (*Joannes Baptista*) *ex Ordine SS. Trinitatis* 31 a
Massonus (*Joannes*) *habuit epistolam Alfonsi III regis de inventione S. Jacobi in Hispania* 18 d
Massonus (*Papirius*) *scripsit Annales Galliæ* 44 c d
Mathildis *Henrici imperatoris vidua* 30 e
Matthæus *diaconus et cardinalis S. Georgii* 26 c
Mauritius *imperator quamdiu regnarit* 170 c
Mauritius *Burdinus Conimbricensis episcopus postmodum antipapa* 24 e f
Maurocenus (*Zilius*) *Prior Veronensis ex Ordine S. Augustini* 345 a b, 348 c, 349 e
Maurocenus (*Joannes Franciscus*) *episcopus Brixiensis et S. R. E. Cardinalis* 318 c e
Maximus *episcopus Ticinensis* 436 b
† Maximus *episcopus Taurinensis* 520 f, 521 a
Maximus *Antiochenus episcopus* 101 d
Maynon *episcopus Dolensis* 592 a d
† Medardus *episcopus Noviomensis* 574 a
Megiserus (*Hieronymus*) *scripsit chronicon Carinthiæ* 131 a
Memnon *episcopus Ephesinus* 384 c, 387 b
Menard (*Claudius*) *scripsit historiam Andegavensem* 21 a
Menetrier (*Claudius*) *S. J. subministravit nobis Vitam S. Simeonis Armeni* 322 f
Metellus *monachus Tegerscensis prædicationem S. Jacobi in Hispania asserit* 90 f, 91 a
Methodius *patriarcha Constantinopolitanus* 601 b
Meursius (*Joannes*) *edidit Glossarium Græcobarbarum* 606 b
Mezger (*Josephus*) *scripsit historiam Salisburgensem* 130 d
Michael III, *cognomento temulentus imperator* 606 a, 616 f, 617 a
Michael *imperator Constantinopolitanus* 601 b
Milo *episcopus Polymnianensis* 368 c, 371 f
Minaccius (*Hieronymus*) *edidit historiam posthumam Tonduzzii de rebus Faventinis* 496 e
Modoinus *episcopus Augustodunensis* 515 f
Molinetus (*Joannes*) *scripsit Chronicon Belgii* 130 c
Monterey (*Comes de*) *gubernator Belgii* 36 d
Morales (*Ambrosius*) *scriptor Hispanus* 13 c, 15 e
† Morandus *monachus Cluniacensis adiit Compostellanas S. Jacobi reliquias* 34 c
Morigius (*Paulus*) *edidit Sanctuarium urbis et diœcesis Mediolanensis* 21 e
Morinus (*Joannes*) *scripsit de sacris Ordinationibus* 610 b
Moronus (*Albertus*) *fundavit Canonicam Placentiæ* 642 b
Mosander (*Jacobus*) *Cartusianus Acta S. Bertholdi abbatis posthumæ Surii editioni inseruit* 472 d
Moschus (*Joannes*) *scripsit Pratum spirituale* 310 b, 311 d
Muratorius (*Ludovicus Antonius*) *edidit scriptores rerum Italicarum* 445 f
Murillo (*Didacus*) *scripsit Hispanice de fundatione Deiparæ de Columna* 69 c

N

Nadasi (*Joannes*) *scripsit Annales Marianos Societatis Jesu* 295 c
Nævius (*Joannes*) *edidit Eremum Augustinianam* 345 f
Narses *ab imperatore Phoca ob rebellionem combustus* 398 f
Nenzingen (*Fredericus de*) *ex episcopo Curiensi fit Brixinensis* 131 c
Neurath (*Petrus*) *medicus Trevirensis testatur insigne miraculum patrocinio Deiparæ Cæsaraugustanæ patratum* 117 c
† Nicæa *meretrix a S. Christophoro convertitur, et cum eo martyrium subit* 147
Nicephorus *Phocas imperator Constantinopolitanus* 406 b
† Nicetius *antistes Trevirensis* 168 c
Nicolasicus (*Ivo*) *prodigiose invenit statuam S. Annæ, quæ multis miraculis claret in Britannia Minore* 249 *et seqq.*
Nicolaus II *Romanus Pontifex* 353 c

Nicolaus IV *Papa concedit indulgentias venerantibus reliquias S. Jacobi Majoris in Belgio* 24 c
Noailles (*Ludovicus Antonius de*) *archiepiscopus Parisiensis et S. R. E. Cardinalis* 76 e
Nostradamus (*Cæsar*) *scripsit historiam Provinciæ* 155 a
Notkerus *asserit prædicationem S. Jacobi in Hispania* 90 b c d

O

Odoacer *rex Herulorum* 439 b c d
Ortiz (*Alfonsus*) *præfationem Missali Mozarabico præfixit* 82 e
Otho *episcopus Genuensis* 660 a
Otho I *imperator* 405 d, 406 b
Otho II *duxit Theophaniam, imperatoris Constantinopolitani filiam* 406 c
Otto III *imperator floruit seculo* X *e.xeunte* 145 a b
Otto *episcopus Frisingensis affirmat prædicationem S. Jacobi in Hispania* 91 b
Ottocharus I *marchio Styrensis fundavit monasterium Garstense* 476 c, 477 f
Ottocharus II *marchio Styrensis in Hungaria obiit* 476 c, 477 f
Ottokarus *rex Bohemiæ et dux Austriæ* 338 e
Oudinus (*Casimirus*) *infelix Ordinis sui ac fidei apostata* 44 c
Oxea (*Ferdinandus*) *ex Ordine S. Dominici* 35 e

P

Pacheco (*Joannes*) *orator Caroli V imperatoris ad principes Armenios* 69 c
Pacheco (*Paulus*) *episcopus de Murs* 69 c
Padilla (*Franciscus de*) *scripsit historiam ecclesiasticam Hispaniæ* 154 b d
Pagius (*Franciscus*) *edidit Breviarium Pontificum Romanorum* 551 b
Palæologus (*Michael*) *imperium Constantinopolitanum Latinis eripuit* 423 c
Palatinus (*Leo*) *episcopus Laudensis* 138 a
Palumbaria (*Maximilianus*) *archiepiscopus Beneventanus* 409 e
Pamphilus (*Josephus*) *scripsit Chronicon Ordinis Augustiniani* 345 b
Panvinius (*Onuphrius*) *scripsit de septem urbis Romanæ ecclesiis* 29 c
Papebrochius (*Daniel*) *opinionem suam mutavit circa annum mortis Christi* 10 a
Paradinus (*Guilielmus*) *scripsit historiam Lugdunensem* 543 e
Pareda (*Franciscus de*) *scriptor Hispanus* 42 c
Paschalis I *Papa transtulit corpus S. Anastasii Papæ* 560 d
† Paschasius *Viennensis episcopus* 593 e
Paulinus *scripsit Vitam S. Ambrosii* 504 f. *Quis fuerit iste Paulinus scriptor* 505 a
Paulus V *Papa approbavit Officia propria ecclesiæ Toletanæ* 82 a
† Paulus *episcopus Virdunensis* 171 a
Paulus *episcopus Leonensis* 573 f
Pelagius I *Papa quamdiu sederit* 170 d
Pelagius II *Papa quamdiu Ecclesiam gubernarit* 170 d
Pelagius *antistes Compostellanus* 17 f
Pellicer (*Michael Joannes*) *crus abscissum ope Deiparæ Cæsar-augustanæ recepit* 117 *et seqq.*
Peregrinus *archiepiscopus Tranensis* 372 a
Pererius (*Benedictus*) *S. J. scripsit commentarios in sacram Scripturam* 237 f
Perettus (*Baptista*) *collegit monumenta ecclesiæ Veronensis* 21 a
Perezius (*Josephus*) *de victoria Clavigiensi dubitat* 37 c d
Perionius (*Joachimus*) *eleganter scripsit gesta S. Jacobi Zebedæi* 8 f
Petrus *cardinalis S. Chrysogoni* 24 d
Petrus (*Franciscus*) *recenset monasteria Sueviæ* 129 d
Petrus *Antiochenus patriarcha* 356 c
Pez (*Bernardus*) *edidit varia anecdota* 145 a
Pez (*Hieronymus*) *nuper edidit scriptores Austriacos* 338 a
Philippinus (*Antonius*) *scripsit de ecclesia SS. Silvestri et Martini* 560 d
Philippus *Augustus Francorum rex* 352 d
Philippus II *rex Hispaniæ ingenti munificentia fundavit Scorialense S. Laurentii monasterium* 30 e
Philippus III *rex Hispaniæ* 3 a
Philippus *Flandriæ comes* 23 f, 24 a
Philippus Maria *dux Mediolanensis* 127 b
Philippus Erardus *episcopus Gandensis lustrat reliquias S. Christianæ* 313 a
Philippus *Bergomensis epistolam catholicam S. Jacobo Majori adscribit* 84 b
Phocas *imperator Narsetem ob rebellionem comburi jussit* 398 f
Piazza (*Carolus Bartholomæus*) *scripsit Hemerologium sacrum urbis Romanæ* 23 b
Pipinus, *cognomento Brevis, rex Francorum* 213 f
Pirrus (*Rocchus*) *tradit Chronologiam regum Siciliæ* 357 e
† Pius I *Papa* 300 c e f
Pocockius (*Eduardus*) *Annales Arabicos Eutychii Alexandrini Latine reddidit* 381 f
Polius (*Jacobus*) *Minorita varia scripsit de S. Anna* 256 d
Pona (*Franciscus*) *scripsit Italice Vitam SS. Chari et Benigni et alia* 317 b, 318 a
Ponte (*Ludovicus de*) *S. J. scripsit Vitam venerabilis Balthazaris Alvarez* 3 f
† Porphyrius *episcopus Gazensis* 165 a
Portellus (*Laurentius*) *Minorita Lusitanus scripsit Responsiones Morales* 242 b
† Polycarpus *episcopus Smyrnensis Romam venit* 538 f
Polycrates *contendit adversus Victorem Papam de celebratione Paschatis* 538 *et seqq.*
Possevinus (*Antonius*) *medicus Mantuanus scripsit de familia Gonzagarum* 375 c
Possinus (*Petrus*) *S. J. operis nostri adjutor* 398 b. *Censet, Epistolam catholicam S. Jacobo Majori attribui posse* 84 a b
Prandoniis (*B. Albertus de*) *episcopus Placentinus* 639 b c f, 643 e
Praxeas *hæresiarcha* 537 e
Primislaus *rex Bohemiæ* 338 e
Procopius *Cæsareensis assignat antiquam ecclesiam S. Annæ* 243 c
Prudentius *antiquus poeta Hispanus testatur, in Hispania periisse vetera scripta de Martyribus* 74 d
Puricellus (*Joannes Petrus*) *scriptis de Mediolanensi patria sua præclare meritus* 435 b

Q

Quercetanus (*Andreas*) *edidit Bibliothecam Cluniacensem* 18 d
Quinballo (*Aycardus de*) *decretorum professor, et cancellarius Tolosanus* 22 c

Quintana

tate Veronensi 345 c
Tognolettus (*Petrus*) *scripsit Vitam venerabilis Innocentii a Clusa* 292 c d
Tolensis (*Franciscus*) *scripsit Vitam Thomæ a Kempis* 3 e
Tonduzzius (*Julius Cæsar*) *historiographus Faventinus* 496 e
Torellus (*Ludovicus*) *scripsit de Sanctis Ordinis Augustiniani* 345 f
Trithemius (*Joannes*) *abbas Spanheimensis* 260 c
Trugillo (*Thomas de*) *in Thesauro concionatorum illustravit Vitas Sanctorum* 143 f, 144 f
Turpinus *præsul Remensis* 253 f
Tzimisces (*Joannes*) *imperator Constantinopolitanus* 406 b

U

Udalricus *primus abbas monasterii Clunicensis* 478 b
Udalricus *vel* Ulricus *quartus abbas in monasterio S. Lamberti in Styria* 478 b
Ughellus (*Ferdinandus*) *circa caput S. Jacob sibi contradicit* 23 d e
Ulmene (*Henricus de*) *dicitur Constantinopoli Coloniam transtulisse reliquias S. Pantaleonis* 406 e
Ulricus III *abbas Cremifanensis* 472 c
Ulricus *comes Wirtenbergensis* 471 e
Urbanus VIII *Papa lectionem Breviarii de prædicatione S. Jacobi in Hispania restituit* 73 e. *Edidit decretum circa cultum Sanctorum* 249 b
Uroldus *abbas Prumiensis* 522 a b
Urquiola (*Franciscus*) *ecclesiæ Cæsar-augustanæ decanus* 115 a
Ursicinus *episcopus Ravennas* 444 f
Urso *episcopus Rubensis* 368 c, 371 f
Usuardus *ad colligenda Sanctorum corpora Cordubam usque peregrinatus est* 451 a, 460 f, 461 c

V

Valentia (*Guilielmus de*) *archiepiscopus Viennensis* 543 c
Valerius (*Augustinus*) *monumenta ecclesiæ Veronensis in ordinem digessit* 21 a
Varinus *episcopus Mutinensis* 321 b
Vasæus (*Joannes*) *scripsit Chronicon Hispaniæ* 16 c d
Vasconcellius (*Antonius*) *S. J. ex archivo Lorvanensi prodigiosam narrat historiam* 41
Vastovius (*Joannes*) *edidit Vitem Aquiloniam de Sanctis Septemtrionalibus* 636 b
Vega (*Ludovicus de la*) *scripsit Vitam S. Dominici Calceatensis* 46 e, 51 b
Velasquius (*Joannes*) *defendit Hispanicam S Jacobi prædicationem* 92 f
Venantius *Fortunatus laudat S. Magnericum præsulem Trevirensem* 169 a
Veremundus II *rex Legionensis* 332 f
Verterandus *archiepiscopus Tranensis* 372 a
Victor *episcopus Novariensis* 438 e
Victricius *episcopus Rothomagensis* 553 b c
Vida (*Hieronymus*) *giganteam S. Christophori staturam allegorice explicat* 134 e f
Vieu-ville (*Carolus Franciscus de la*) *episcopus Rodonensis* 288 a b
Villegas (*Alfonsus de*) *scripsit Vitas Sanctorum Hispanice* 143 f
Vinchant (*Franciscus*) *edidit Annales Hanno-niæ* 525 d
Viole (*Georgius*) *collegit præsules Autissiodorenses; quam collectionem Ms. habemus* 446 c
Vipera (*Marius de*) *scripsit de Sanctis Beneventanis* 409 d e
Vitalis (*Salvator*) *scriptor Sardus* 69 b c d
Vuimannus *monachus Vedastinus de Belgicis S. Jacobi Majoris reliquiis testatur* 23 f

W

Walafridus Strabo, *qui ante medium seculi* IX *obiit, de prædicatione et reliquiis S. Jacobi in Hispania testatur* 32 f, 33 a
Walo *episcopus Metensis* 200 c d, 210 b
Walterius *archiepiscopus Senonensis* 598 a
Waltherus *subdiaconus Spirensis metrice conscripsit Acta S. Christophori* 145 a b
Warnefridus (*Paulus*) *diaconus Foro-Juliensis scripsit de gestis Longobardorum* 375 a
Wagnereckius (*Simon*) *S. J. scripsit de pietate Mariana Græcorum* 243 b
Wiess (*Thomas*) *Chronicon Yepesii ex Hispanico Latine reddidit* 42 b
Wenceslaus *rex Bohemiæ* 338 e
Werdena (*Henricus de*) *abbas S. Pantaleonis Coloniæ* 407 d
Wibertus *episcopus Mutinensis* 321 a b c
Wicelius (*Georgius*) *edidit excitamenta sinceræ pietatis* 125 d
Wickaert (*Beatus*) *curatus in Jestetten consultus de S. Hyxta* 1 c
Widmanstadius (*Albertus*) *edidit novum Testamentum Syriaco Latine* 84 b
Wilhelmus *monachus Egmondanus scripsit Chronicon suæ patriæ* 34 e
Willesindus *episcopus Pampilonensis* 461 c
Winheim (*Erhardus*) *Cartusianus edidit Sacrarium coloniæ Agrippinæ* 257 b
Wintrio *pater S. Glodesindis* 202 b c f

X

Xeresamus (*Laurentius*) *de S. Christophoro imprudenter judicat* 137 a
Xemenius (*Franciscus*) *S. R. E. Cardinalis ritum Mozarabicum conservavit* 82 d
Ximenius (*Rodericus*) *archiepiscopus Toletanus dicitur negasse prædicationem S. Jacobi in Hispania* 102 d. *Non interfuit concilio Lateranensi* 107 *et seqq.*

Y

Yepes (*Antonius de*) *scripsit Chronicon Ordinis Benedictini Hispanice* 42 b

Z

Zazzeri (*Hieronymus Augustinus*) *Augustinianorum per Italiam assistens generalis* 343 e
Zeno *imperator Romanorum* 439 b c d
† Zeno *episcopus Pistoriensis* 60 f, 62 b
Zosimus *Pontifex Romanus* 71 a
Zosimus *scriptor ethnicus calumniam impingit S. Innocentio Papæ* 549 f, 550, 556 f, 557 a
Zuendeboldus *rex Lotharingiæ* 175 a b
Zuleta (*Ignatius*) *S. J. Epistolam catholicam S. Jacobo Majori adscribit* 83

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

Admund, monast. Benedictin. in Styria 483 e
Ancyra, urbs Galatiæ. *S. Eustathius M.* 546 c
Andriæ, ur. Apuliæ 165 b
Anesis vallis, tractus circa Anasum fluvium 489 d
Ansteium, Austeium, mare Britannicum, quo in Franciam trajicitur 585 d
Aquaviva, castr. regni Neapolitani 362 f
Argentina, ur. et caput Alsatiæ 462 a
Arguntiacum, forte Aurain-villa, versus territorium Metense 209 a, 210 b
Audura fluv. Carnotum alluens 598 e, 599 d
Auferreum *vid.* Ansteium.
Auraicum, opp. Britanniæ minoris 279 f, 281 e
Autissiodorum, ur. Galliæ. *S. Ætherius ep. conf.* 446 b. *B. Gerannus ep. conf.* 593 c

B

Barcino, ur. Hispaniæ. *S. Cucuphas M.* 199 b
Bardo mons, pars Appennini 329 e
Barulum (*Barletta*) ur. Apuliæ 372 b
Basoli videntur esse incolæ Vascitaniæ et Cantabriæ 49 e
Bellovacum, civitas antiqua Galliæ Belgicæ. *S. Ebrulfus abbas* 192 b
Bethunia, opp. Artesiæ. *S. Jorius ep.* 340 f
Bisentius, Bisentio fluv. in Italia 68 f
Blasii monast. in silva Hercinia 478 b
Borobia (*la Bureba*) tractus in Castella veteri sub archiep. Burgensi 404 b
Botontum, Botuntum, ur. Apuliæ 3 8 a
Brestia (*Brest*) emporium Galliæ 281 f
Briocensis diœcesis in Britannia minore 283 a, 284 b
Brundusium, ur. provinciæ Hydruntinæ 372 c
Burgum S. Domnini, opp. Lombardiæ 332 e

C

Cæsaraugusta, ur. Aragoniæ. *Celeberrima Deiparæ imago* 114 c
Cæsarea Palæstinæ, *SS. Thea, Valentina et Paulus MM.* 163 a
Cannæ, in terra Barensi, olim celebres etc. 371 f
Canusium, ur. Apuliæ 372 c
Caudebec, opp. Galliæ in Normannia 197 e
Cephalædis (*Cefalu*) ur. episcopalis Siciliæ 292 d
Christinæ monasterium in diœcesi Mediolanensi 331 b
Chrysobalantum, monast. CPoli. *S. Irene hegumena virg.* 600
Cimellus, locus in Provincia Galliæ 525 d
Columbaria villa 223 c
Commerciarum castr., urbecula Galliæ in Barensi ducatu 406 c
Compostella, ur. Hispaniæ. *S. Jacobus Major* 5 a
Constantinopolis. *S. Oræozela M.* 305 b. *S. Irene hegumena virg.* 600 a
Coranum castrum in Italia 52 d
Coratum, opp. sub archiep. Tranensi 368 a
Corduba, ur. Hispaniæ. *S. Theodemirus mon. M.* 227 b. *Item S. Georgius, Aurelius, Felix, Natalio, Liliosa* 450 b
Corisopitum (*Quimper*) ur. Britanniæ minoris 281 e
Cornelii monast., *seu* Indense 426 d
Cornetum, Cornuetum, ur. Italiæ episcopalis in Patrimonio Christi 368 c
Crociliacum (*Croisil*) opp. Britanniæ minoris 286 b

D

Demetia, Cambriæ seu Walliæ pars occidentalis 576 e
Dola, in Britannia Armorica. *S. Samson ep. conf.* 568 a
Drepanum, Siciliæ emporium 295 a
Dumereum, opp. in diœcesi Lugdunensi 53 e
Dura seu Duria duplex, flumen 331 d

E

Emporiæ (*vulgo Ampurias*) oppidulum Cataloniæ in ora maris Mediterranei 162 d
Etri, Ætri, Ethri portus Hiberniæ 583 c

F

Fadiliacus villa, an Flainville in territorio Metensi 223 c
Faventia civitas in Æmilia Italiæ. *B. Nevolonus conf.* 495 b
Formbacense monast. in Bavaria 478 c
Furconium in Vestinis Italiæ. *SS. Florentius et Felix MM.* 167 a

G

Gagiacum et Gaiacum, loca situ diversa 599 c
Garsten, monast. in Austria superiore. *B. Bertholdus abb.* 469 c
Garste, torrens in Austria 480 d
Gonzaga opp. Italiæ 334 f
Gothia proprie sumpta 637 f
Gothlandia, est regni Sueciæ, et pars Gothiæ 638 a
Gottwicense monast. in Austria inferiore 478 a 485 e
Gueranda, ur. Britanniæ minoris 286 b

H

Halla in comitatu Tirolis 495 d
Hannebontana civitas, in Britannia minore 284 f

Helmwardeshusanum, *sive* Helmershusanum cœnobium in diœcesi Paderbornensi 425 f
Hiera insula Siciliæ adjacens 293 a
Hoium in Belgio. *S. Joannes Agnus ep. cons.* 225 a
Hoyensis comitatus, tractus Germaniæ in Westfalia 277 f, 279 b

I

Insula Barbara, haud procul Lugduno in Gallia 543 b
Josselinum, opp. Galliæ in Britannia minore 281 d e
Judich, Judicium (*Judz*) pagus vicinus Theodonis-villæ 208 e
Ivodium, opp. ditionis Luxemburgicæ 186 f
Juvenatium, ur. provinciæ Barensis 365 b

L

Labicanum, villa 55 d
Lascurra, ur. Benearniæ in Gallia. *S. Galactorius ep.* 434 a b
Lauriacus villa, pagus haud procul Metis 208 f, 210 a
Lebraha cella *(Germanis Leberan)* inter Selestadium et opp. Markircham in saltu Vosagico : *quo translatus S. Cucufas M.* 154 e, 162 a f
Ledo Salnerius, oppidulum in Sequanis. *S. Desideratus ep. Bisontinus* 432 a
Leona (*Leon, sainct Paul de Leon, Leondoul*) ur. episcopalis Britanniæ minoris 281 f
Lincolnia in Anglia. *B. Puer Hugo M.* 494 a
Lochiense cœnobium in Gallia 563 c
Lorris, pagus haud procul ab urbe Metensi 210 a
Lugdunum, ur. Galliæ *S. Peregrinus presb.* 543 a
Luna, ur. Etruriæ olim celeberrima 329 e
Lurni caput, opp. Italiæ ad Parmam fluv. 334 f

M

Maclovium, Macloviopolis (*saint Malo*) 284 b
Malsesinus pagus prope Veronam. *SS. Benignus et Charus* 316 c
Mariæ de Sala monasterium Pistorii 61 f
Marilegium *(Marley)* villa in Alsatia 223 c
Medelik, monast. Mellicense 486 b, 487 c
Mediolanum, ur. Insubriæ. *S. Laurentius archiep. conf.* 435 b. *SS. Nazarius et Celsus* 503 b
Melficta, Melfictum, Melphitum (*Molfetta*) ur. Apuliæ 372 b
Metæ, ur. Belgicæ I. *S. Glodesindis virgo* 198 a *S. Phronimus ep.* 430 c
Miletus duplex 547 f
Mons bonus in episcopatu Florentino 65 c
Mons gaudii, locus non procul Compostella 49 f
Monticulus, pagus in territorio Parmensi 333 d
Morlæum in Britannia minore 286 b

O

Octavianum castrum in Hispania prope Barcinonem. *S. Cucufas* 154 b
Oqua, mons in Hispania, *vulgo* Sierra de Occa 48 d, 49 b

P

Padolirona, monast. in Italia. *S. Simeon monachus* 319 c
Palæsticum Burgum inter Vercellas et Taurinum 331 c
Pateren, locus circa Duram in Germania 288 c. 290 b
Pentaliense monast. in Armorica. *S. Samson ep.* 572 e
Pilemelariense, seu Pinnamellariense monast. 458 d
Polymnianum *(Polignano)* littoralis Apuliæ civitas 371 f
Pontizara, opp. Insulæ Franciæ 197 b
Pratense castrum, opp. Italiæ 68 f
Petri lucis novæ monast. ad radices montis Cenisii 331 d

Q

Quarata, *vid.* Coratum
Quinquempoix, pagus inter Bellovacum etc. 198 d

R

Ravenna, ur. Italiæ. *S. Ecclesius ep. conf.* 444 a
Redones, Rhedones (*Rennes*) Britanniæ minoris civitas 281 f
Romana, antiquitus pro Gallia 573 d
Rothonum (*Redon*) castr. et abbatia Britanniæ minoris 286 a
Rubi, Rubum, civitas Apuliæ 368 a
Rupes Bernardi (*Roche Bernard*) locus in Britannia minore 286 a

S

Sabrina, sinus sive æstuarium Sabrinianum 583 c
Salia (*la Seille*) fluvius in Lotharingia 208 a
Sangaris, Sangarius fluv. 547 b
Sardoum mare, pars maris Mediterranei versus plagam occidentalem 295 a
Seneparïæ cœnobium in Galliæ. *S. Leobatius* 563 c, 565 e
Sigona, haud dubie pro Sequana 586 f
Sixti monasterium Placentinum 331 b
Spinaciola (*Spenazzola*) civitas in Basilicata 370 e
Subterius monasterium Metis 204 e
Sudermania, provincia Sueciæ proprie dictæ 637 f
Styra, opp. in Austria superiore 495 f

T

Tari vallis, opp. Italiæ 652 c
Teneræmonda, opp. Flandriæ. *S. Christiana virg.* 311 b c
Terlitium (*Terlizzi*) opp. Apuliæ 365 b
Thabaria, ur. Palæstinæ in Galilæa 52 a
Tolosa duplex, altera in Gallia; altera in Hispania 51 c
Tranium, Tranum, ur. Apuliæ 365 b
Trecæ, ur. Galliæ. *S. Ursus ep. conf.* 167 c. *S. Camelianus ep. conf.* 566 a
Treviri, ur. in Belgica I. *S. Magnericus ep. conf.* 168 c

V

Venetia (*Vannes*) ur. Britanniæ minoris 281 e
Vercellæ, ur. Italiæ in Pedemontio late sumpto 331 c

Verona, ur. Italiæ. *S. Valens seu Valentius ep.* 408 c. *Item BB. Euangelista et Peregrinus* 342 b
Vesta, Apuliæ civitas 372 a
Vigiliæ (*Biseglia*) civitas in Apulia. *SS. Maurus ep., Pantaleemon, et Sergius MM.* 352 c
Vivariensis episcopatus in Occitania 426 d
Umbroncellus, rivus ad Pistoriam civitatem 66 e

INDEX ONOMASTICUS

A

Adtitulatus, *signatus* 484 b
Agonotheta, *agonista seu pugil* 428 e
Allodium, *prædium aut alius fundus* 489 b
Apodixis, *demonstratio* 276 f
Armarius, *custos bibliothecæ, cantor, præcentor* 478 b
Arrancada matare, *stricto gladio mactare* 42 f
Auditorium, *cubiculum colloquii* 483 f
Axim tenere, *recta via progredi; a proposito non dimoveri* 581 e

B

Bancum, *id cui ante fores imponuntur panni venales* 68 e
Bladum, *triticum etc.* 263 e
Boiæ, *compedes* 52 d
Bordum, *ora* 51 f
Brachium, *ulnæ mensura* 68 f
Breviarium, *summaria descriptio* 456 f
Brolium, *hortus* 510 d
Butticula, *lagenula* 223 d

C

Caminata, *cubiculum in quo caminus* 485 f
Carretta, *vehiculum* 663 d
Cattus, *forte a Germanico katz etc., id est felis* 485 f
Caxia, *theca* 158 e
Cella, *nosocomium vel ejus ambitus* 489 a
Cellerarius, *cellarius* 495 d
Censualem facere, *tributo obnoxium reddere* 495 e
Chrysulata, *forte deaurata* 581 e
Colonia, *villa* 197 f
Comma, *genus vilissimi numismatis, forma pecuniæ* 389 c
Compensa, *compensatio* 247 e
Confessio, *locus ecclesiæ, in quo reliquiæ sanctorum Martyrum* 205 a
Congerium, *licentia abeundi* 115 c
Corepiscopus, *archidiaconus major* 206 a
Crediti, *familiares, quibus fiditur* 188 a
Crusilla, *videtur esse parva crux* 52 e
Cursus, *divinum Officium* 189 c

D

Dæmoniosi, *dæmoniaci* 453 c
Destrarius, dextrarius, *equus magnus et cataphractus* 68 e
Devotare, *accusare, detestari, exsecrari* 485 e
Διακονικόν, diaconicum, *sacrarium* 616 c
Disgratia, *offensio* 250 b
Dispensatores, *œconomi monasterii* 478 c

E

Ἐγχειρίδιον, *manuale, orarium, mappula ori et naso tergendo et emungendo* 627 b
Eleæ, *elementa seu litteræ Alphabeti* 576 b
Enxenia, *dona, munera* 332 a
Expandiosum, *expansum* 578 e

F

Faberrimus, *summa cum arte factus* 246 f
Ferula, *scipio* 489 a
Flasco parvulus, *lagenula* 223 d

G

Galeæ, *triremes, species navis* 35 c, 51 e
Γουερνέριου, Gubernerii, *rectores, gubernatores* 606 b

H

Hilider, *coluber seu chelydrus* 576 c

L

Librarius, *vir sanctus et prophetiæ dono ornatus* 574 d
Locatus, *ad somnum compositus* 495 d
Lomentum, *trita ex fabis farinæ* 597 f

M

Mathematica, *magia* 585 d
Ministeria, *vasa sacra* 181 d
Ministerium, *ministri* 629 d
Minutio, *venæ et forte tumoris incisio* 490 e
Moriger, *morigerus* 597 f
Morsellus panis, *frustum panis* 66 b d

N

Nummata, *pretium rei per nummos, valor nummi, merces* 59 b

P

Parciola, *particula* 334 c
Parentes, *propinqui et consanguinei* 638 a
Pasta, *massa farinacea crudi panis* 340 e
Pensare, *videtur sumi pro collocare* 490 f
Perendinare, *morari* 495 e
Pertulusum, *foramen* 45 e

Pilax, *cattus murilegus* 579 c
Placitum, *videtur sumi pro capitulo* 481
Plebesanus, *videtur accipi pro parochiano* 493 f
Plurioribus, *pluribus* 215 b
Polipticum, *liber Commentarius privatus etc.* 217 b
Præsagante, *portendente* 221 a
Prior claustralis, *supprior* 478 c
Pueri claustrales, *pueri in monasterio oblati et educati* 483 f

Q

Quo-opertorium, *vox incertæ significationis* 599 e

R

Resensaretur, *sensum reciperet, vel ad mentem rediret* 493 e

S

Sæpissimis, *sæpe repetitis* 574 d
Sagimen, *pinguedo* 483 f
Sagmarius *vid.* summarius
Secorsus, *auxilium* 42 f
Solium, *videtur accipi pro alto limine* 66 f
Sophista, *qui in arte aliqua excellit* 389 c
Stipendium, *eleemosynæ ad sustentationem monachorum* 456 f
Strata, *via publica etc., via regia* 68 e
Subregulus, *princeps regiæ propemodum potestatis* 425 f
Summarius, *equus clitellarius, sarcinale jumentum* 534 d
Superpositiones, *jejunii adjectiones* 576 b

T

Terminarii, *quinam sint apud Ordines mendicantes* 493 f
Theomacha, *venefica aut saga* 581 e
Tonna, *vas vinarium* 467 f
Tillum, *venenatum quid videtur significare* 579 c
Truina, *sacellum, ut quidem censent, magnificum* 317 b
Tumultuosum, *fama late expansum* 579 c
Typhus, typus fastus, *elatio superbientis animi* 597 f

V

Veges, *vas vinarium* 365 b
Venalis, *telum venatorium* 581 e
Vicissentibus, *vices subeuntibus* 577 f
Villare, villaris, *viculus paucis familiis habitatus* 599 e

Z

Zabulus, *dæmon* 276 d

INDEX MORALIS

A

Abbas *factus S. Ebrulfus, infima quæque obibat ultro ministeria* 195 c
Abbatis dignitati *mortem præoptat et impetrat Eberhardus monachus* 487
Absentia *procul cognoscit divinitus Julianus abb.* 310 e. *S. Simeon erem.* 334 c. *S. Anthusa V.* 449 f. *Vide* Prophetia
Abstinentia *mirabilis S. Samsonis ep.* 576 b c, 577 e, 582 b, 590 e. *S. Irenes V.* 624 b. *Vide* Austeritas, Jejunia
Accusator *iniquus plectitur ope S. Jacobi ap.* 50 e
Adulterinum *Lotharii conjugium cum ejus defensoribus punitum* 220
Ægros *destitutos fovet S. Raymundus Palmarius* 653 f. *Vide* Misericordia
Agriculturam *exercet S. Joannes Agnus, nobilis ac prædives, ne otietur, et ut pauperibus deserviat* 226
Aliena *non recte curat, qui sua negligit* 308 d
Alvearium *miraculo servatur per SS. MM. Cordubenses* 466 b
Amatoriis præstigiis *dementata monialis mirabiliter liberatur precibus S. Irenes V.* 617 et seqq.
Ambitio *SS. Jacobi et Joannis apostolorum correpta* 9 c
Ambitio *quousque flagitii duos monachos impulerit* 577 et seq.
Amens *et mutus sanatur ope S. Annæ* 281 b
Amens *restituitur menti ope SS. MM. Cordubensium* 466 d
Amens *simul ac dæmonum præstigiis agitatus sibi restituitur ope S. Bertholdi abb.* 490 f et seq. *Vide* Lunaticus.
Anathemata *ad Sanctorum tumulos appendi solita in monumentum acceptorum beneficiorum seculo quinto* 36 b
SS. Angeli *apparent assidue oranti Gerekino* 3 e. *Et apud tumulum S. Jacobi apost.* 16 d. *Et ipsi S. Jacobo ap. apud Cæsar augustam, Deiparam Virginem celebrantes* 115 e. Angelus *prædicit nasciturum S Ebrulfum ex matre sterili* 194 f. Angelus *S. Christianam adducit ad veram fidem* 315 d e. Angeli *concentu cælesti sæpe honorant SS Mauri et socc. MM. reliquias* 362 c. *Solantur captivos MM.* 458 b. *Concentu cælesti honorant reliquias SS. MM. Cordubensium* 468 b. *Aquis incolumem eripiunt S. Eustathium M. cui et morienti S. Eucharistiam præbent* 547 a. *Sanctorum animas ad cælum deducunt* 575 e, 587 a. *S. Samsoni Missam celebranti ministrant* 583 f. *S. Irenæ V. oranti apparent* 613 e. *Vide* Apparent.
Angina *signo crucis sublata per S. Simeonem erem.* 333 f
Anima *Theophili imperatoris post publicas pro ea preces salva significatur* 603 e f
Animæ *perfectiones quæ sint* 308 d
Animæ *defuncti militis impetrat S. Pantaleon M. ut possit per 30 dies amicis apparere eorumque suffragia postulare* 424 e

Animæ

Animæ *morientium e corpore migrantes varia spectatæ* 575 e

Animam *defuncti diaconi Sacrificiis et orationibus e purgatorio liberat S. Samson* 589 e

S. Annæ imago *divinitus allata; quam recipi mox jubet apparens Deipara* 244 c. S. Annæ *mirifice cara et familiaris fuit Anna a S. Augustino Carmelitissa* 244 et seqq. *Ejus cultui maxime adversantur dæmones* 245 e. *Ejus alia imago divinitus revelata et clarissima miraculis* 249 c et seqq. *Apparitiones ejus frequentes pio rustico factæ ut vetus sibi sacellum instauretur*. Ibidem. S. Annæ *cultum suadet S. Jacobus ap. adolescenti apparens* 261 f. *Imo ipse Christus per effigiem loquens* 262 d : *et V. Deipara* 265 d, 268 b. *Ejus cultum aspernantes castigantur* 265 f, et seq. *Angelus afferens imaginem* S. Annæ, *hortatur ad ejus cultum* 268 e. *EidemSanctæ carus et familiaris Ven. Innocentius a Clusa Minorita, ab ea quidvis impetrabat* 290 d, et seqq.

Anus *vetula patrocinio S. Annæ fit idonea ut nepotulum lactet* 293 e

Apparent *sæpe* 9 *chori angelorum et Deipara oranti Gerekino* 3 c. *S. Jacobus ap. ante prælium et in ipso prælio Clavigiensi* 37, *et alias sæpius* 38 c, 39 a e, 47 f, 49 e, 51 e, et seqq. 61 c. *Deipara Virgo jubens a S. Jacobo ap. ecclesiam ædificari Cæsar-augustæ* 115 e. *S. Christophorus M. jubens sibi construi monasterium* 131 e, et seq. *S. Magnericus ep. jubens imponi altare sepulcro suo* 191 c. *S. Lucianus M. jubens ossa S. Maxiani M. in ecclesia condi* 192 f, 195 d. S. *Ebrulfus sterilibus conjugibus promittens filium* 196 d. *Angeli velum afferentes S. Glodesindi V.* 204 d. *S. Glodesindis cæcam adducens ad reliquias suas, ibique sanans* 207 a c : *item locum assignans ecclesiæ condendæ* 214 b. *S. Anna apparet B. Coletæ* 242 a. *Deipara Virgo annuntians allatam imaginem S. Annæ* 244 d. *S. Anna mater Deiparæ jubens ecclesiam suo nomine ædificari, sumptusque suppeditans* 244 f, et seqq.; *ea vero perfecta grate agens* 247 b. *Rustico pio frequenter apparet* 249 d, et seqq. *S. Jacobus ap. adolescenti apparens suadet cultum singularem erga S. Annam* 261 f. *Eumdem cultum Christus laudat per effigiem loquens* 262 d. *Pluries apparet S. Anna variis clientibus* 262 et seqq. *Deipara commendat cultum S. Annæ* 265 d, *et S. Joachimi* 268 b. *Angelus hortatur ad cultum S. Annæ* 268 e. *Apparet Simeon erem. cum SS. Columbano et Benedicto, et contractum sanat* 335 f. *Deipara cum filio et matre S. Anna BB. Evangelistam et Peregrinum sæpe recreans* 346 e, et seq. *Angeli et SS. Cœlites decorantes corpora SS. MM. Mauri et Socc.*362.*Iidem SS.MM. apparent sæpius* 361 et seqq. *Iidem cum Deipara* 372 f. *S. Pantaleon M. conferens beneficia* 422 et seqq. *Item Martyres, alios ad martyrium animantes* 454 c et seqq. *SS. Petrus, Jacobus et Joannes S. Samsonem episcopum consecrantes* 583 e. *Deipara aliique Cœlites, ac præcipue SS. Basilius ep. et Anastasia V. M. referentes fasciculum præstigiarum amatoriarum* 618 c et seq. *S. Anastasia* 622 a. *S. Joannes Evang. poma. deferens mirifica* 625 f et seqq. *S. Irene V. etiam tum vivens* 628 a

Aqua *sitientibus in navi miraculo data per S. Annæ patrocinium* 291 f et seq. 296 b

Aqua *mutata in vinum ope S. Annæ* 291 f. *Ope S. Bertholdi abb.* 484 e, 486 c

Aqua *salutaris fluit ex tumulo S. Desiderati ep.* 432 e et seq.

in Aquam *lapsus puer sublevatur a S. Anna ne submergatur* 293 d

super Aquas *ambulat S. Nazarius M.* 521 e, 533 f

Aquis *injectus servatur incolumis S. Hyacinthus M.* 303 c

Aquis *hausti liberantur ope S. Jacobi ap.* 51 e f, 52 c. *Ope SS. Mauri et Socc. MM.* 366 e, 369 f

Aqua benedicta *morbos pellit S. Simeon erem.* 329 b

Arbores *inclinantes se S. Irenæ V.* 624 c

Arida *manus sanatur ope S. Simeonis erem.* 336 d. *Per attactum S. Bertholdi abb.* 485 d

Austeram vitam *splendido cultu abscondunt SS. Aurelius et Sabigotho MM.* 453 b

Austeritas *in victu ac vestitu elucet in S. Jacobo Minore* 9 a. *In S. Anthusa V.* 448 c. *In S. Georgio Sabaita M.* 456 c. *In B. Nevolono* 497 et seq. *In S. Samsone* 577 d. *In S. Irene V.* 607 e f. *Vide* Jejunia

Avaritia *animas alioqui sanctas quantum retardet a conspectu Dei* 575 e

Aviculæ *indicio reperitur corpus S. Botuidi M.* 637 a

B

Baptismo *sanata lepra* 186 a

Baptismus *S. Christianæ V. cœlesti luce decoratur* 315 f

Bestiæ *in S. Pantaleonem emissæ mansuescunt* 418

Blasphemiæ *dæmonum adversus Sanctos* 132 d

Blasphemiis *et compotantium rixis eliminandis instituta sodalitas S. Christophori apud Carinthios* 131 a

Blasphemi *funestus interitus* 370 f. *Alterius resipiscentis liberatio* 371 b. *Vide* Incredulus

C

Cæcis *visus redditus ope S. Ebrulfi ab.* 195 b, 179 b. *Ope S. Glodesindis V.* 206 e et seqq. *Ope S. Annæ* 285 c, 289 d, 294 b. *Ope S. Simeonis erem.* 331 a b, 335 e, 337 b. *Ope SS. MM. Mauri et socc.* 359 b, 363 et seqq. *Ope S. Pantaleonis M.* 413 f. *Ope SS. MM. Cordubensium* 465 et seqq. *Ope S. Raymundi Palmarii* 659 et seqq.

Cæcus, surdus et mutus *adolescens detectis S. Annæ reliquiis sanatur* 253 a

Cæsar-augustanæ *ecclesiæ ac Deiparæ V. imaginis de Pilari primordia* 114; *et crebra istic miracula* 117 c et seqq.

Calculo *laborans sanatur ope S. Ebrulfi abb.* 176 d

Caligas *sibi detrahit, ut pauperi det, S. Simeon erem.* 332 c

Calumniator *pro hæretico traducens S. Simeonem erem. occupatur a dæmone* 327 c

Campanarum *spontaneo sonitu indicatur obitus B. Nevoloni* 498 e

Canonizationis *ritus sec.* XI *adhibitus qualis fuerit* 320 d

Capitis *dolores sublati ope SS. MM. Mauri et Socc.* 365 e. *Ope S. Bertholdi* 488 b. *Ope B. Nevoloni* 499 d

Captivi *prodigiose liberati per S. Jacobum ap.* 47 f, 52 d, 53 c, 57 e, 58 b

Captivos *inimicos miraculo liberatos convertit* 103 *S.*

cd. *L. Irenes V.* 609 et seqq.

I

Iconomachi, *hostes vitæ monasticæ* 605 d
Idolum *Martis solis precibus S. Symphronii M. liquefactum ac dissolutum* 303 b. *Alia corruunt et conteruntur prece Martyrum* 419 b, 533 e, 547 c
Idolorum fanum *in ecclesiam Christianam consecratum* 438 e
Jejunia *severa S. Jacobi Minoris* 9 a. *S. Ebrulfi ab.* 195 a. *S. Simeonis eremitæ* 325 e. *B. Nevoloni* 497 c. *S. Samsonis ep. in ætate juvenili* 576 b c et seq. *Vide* abstinentia
Ignis *exstinctus per reliquias Sanctorum* 363 e. *Vide* Incendium
Ignem *illæsus sustinet S. Hyacinthus M.* 303 c : *uti et reus damnatus ad rogum, invocato S. Jacobo ap.* 67 e. *Illæsa quoque in flammis perstitit Nicæa M.* 148 b, *et S. Christophorus M.* 148 d. *S. Cucufas M.* 161 e
Imago *Deiparæ Cæsar-Augustanæ. Vide* Cæsar-Augustanæ
Imago *S. Annæ. Vide* S. Annæ imago
Imaginum cultus *contra Copronymum mirabiliter defensus a S. Anthusa V.* 449. *Idem per Theodoram imperatricem restitutus* 602 et seq.
Imitatio Christi, *Thomæ a Kempis vulgo tributa, a sanctissimis viris lectitari solita* 3 e
Incendium *restinctum productis reliquiis S. Ebrulfi abb.* 195 f, *prohibitum miraculo S. Annæ* 270 e, *et per ejusdem imaginem* 296 a b. *Ope S. Samsonis ep.* 591 c
Incredula *mulier et blasphema punitur; resipiscens liberatur* 366 d
Incredulus *miraculo sanatus, fatetur merita SS. MM. Mauri et Socc.* 366 c. *Incredula item mulier* 370 b
Infantes *expositilios paterne fovet S. Raymundus Palmarius* 653 f
Inimicus. *Vide* Dilectio inimicorum
Injuriam *monachis illatam exoratus Deus ulciscitur miraculo* 565 b
Innocentem *accusatum miraculo non uno liberat S. Irene V.* 627 f et seq. *Quod et post obitum facit* 634 b
Inobedientia *et obstinatio monachi subita morte plectitur* 326 f et seq. Inobedientiæ *erga matrem pœna divinitus inflicta puellæ* 466 e
Insomnia *et languor miro modo sanantur ope SS. Septem Dormientium* 380 a
Inventio reliquiarum. *Vide* Reliquiæ, Corpus.
Invidia *monachorum duorum exsecranda, ejusque punitio* 577 et seq.
Invidia *diaboli quanta sit, ipse significat* 623
Invisibilis *fit S. Anthusa V. persequenti eam tyranno* 449 b c. *Et B. Nevolonus ne ex ecclesia excludatur* 497 f
Inundationes *invocato S. Christophori M. patrocinio inhibitæ* 137 et seq.
Ira *commotus monachus invaditur a tribus dæmonibus, et per Sanctorum reliquias liberatur* 157
Irasci *quam solum ob causam liceat et necesse sit* 308 e
Judæorum *unus pertinax et blasphemus repentina morte punitur; socii vero multi convertuntur opera S. Simeonis eremitæ* 328 f et seq.
Judæorum *in pueros Christianos immanis et anniversaria crudelitas* 494 et seq.
Judices *iniquos arguit fortiter S. Raymundus Palmarius* 652 e
Juramenti *temerarii pœna, ejusque post pœnitentiam sublatio* 466 e

L

Lac *pro sanguine fluit resecto capite S. Pantaleonis M.* 420 a. *et S. Acatii M.* 547 c
Lacrymarum *dono insignis fuit S. Irene V.* 620 c
Lampas *defossa post multa secula reperta est ardere apud reliquias S. Annæ* 253 c
Lasciviam *alienam propria maceratione expugnat B. Nevolonus* 498 d
Latrones *ope S. Jacobi ap. sistuntuntur immobiles* 34 d
Latroni *habitum monasticum concedit S. Bertholdus, ut illum eripiat imminenti supplicio* 480 f. *Item alium, qui sanctissime postea vixit* 482 f et seq.
Lecto *numquam utebatur S. Samson* 579 a, 582 b
Leo *mansuescit attactu S. Simeonis erem.* 332 e *Alium precibus interimit S Samson ep.* 586 c
Lepra *per Baptismum sanata* 186 a. *Per contactum S. Simeonis erem.* 331 a. *Per ejus cilicium* 335 d. *Ope SS. MM. Cordubensium* 463 d. *Ope S. Samsonis ep.* 585 e
Liberalitas *in causas pias Alfonsi regis* 17 b. *Vide* Munificentia
Libidinis *motus in flumine glaciato exstinguit B. Nevolonus* 498 c. *Eosdem domat Martyr linguam sibi mordicus præcidens et in pellicem exspuens* 544 f *Vide* Concupiscentia
Libidinosus *sacrilegium meditans obsidetur a dæmone* 621 f et seqq.
Ludos gladiatorios *quomodo impedierit S. Raymundus Palmarius* 653 c
Lunaticus *sanatur ope SS. MM. Cordubensium* 466 d
Lux *cœlestis radians in vultu S. Irenes V.* 629 f. *Et S. Theodori ep. Massiliensis* 187 b c

M

Mahometani *fabulis delectantur* 381 e
Manna *promanans ex SS. MM. Mauri et Socc. reliquiis* 373 c
Mariti *crudelitas in conjugem barbara* 422 c
Martyres *inter tormenta illæsi, vel statim sanati* 148 b e, 161, 417 et seqq. 449 c, 547 c. *Orat S Paulus M. pro tyrannis, judice, carnifice* 165 f
Martyrum constantia *convertuntur ad fidem ethnici* 9 f. *Et multi ad martyrium accenduntur* 452 d
ad Martyrium *egregia præparatio* 452 e et seqq. *Ejusdem desiderium admirabile in MM. Cordubensibus* 451 et seqq.
Matri *ne videndum quidem præbere se voluit S. Pastor abb.* 308 b
Matris *in filium, filii in matrem insignis pietas* 646 et seqq.
Miracula *sæpe differuntur; sæpe unam tollunt miseriam prius, aliam posterius, et quidem diu* 279 f et seq. Miraculorum *S. Jacobi ap. veritas incredulo per experientiam miram divinitus persuadetur* 62 e. *Item puellæ cuidam per columbam silvestrem* 64 b. Miraculum *Deiparæ Virginis stupendum et certissimum* 177 et seqq.
Misericordiam *erga ægrotos commendat S. Jacobus ap.* 49 f. *Eamdem egregie exercet S. Raymundus Palmarius* 553 f. Misericordia *erga captivos elucet in S Magnerico ep.* 186 et

et seq. *In S. Raymundo Palmario* 653 d. *In S. Botuido M.* 636 e. Misericordiam *in pauperes cum instructione catecheticajungunt SS. Cucufas et Felix MM.* 161 b. *Idem agebat S. Bertholdus abb.* 479 d. *Cibos eis suos dare solitus S. Gaugericus adhuc puer* 185 f. *Eosdem egregie fovit S. Magnericus ep.* 190 e, 191 b. *Et S. Simeon erem.* 328 a, 332 et seq. *Et SS. Aurelius et Sabigotho MM.* 453 b et seq. *S. Bertholdus abb.* 477 e et seqq. *B. Nevolonus* 497 b. *S. Nazarius M.* 533 c. *Parentes S. Samsonis* 580 e f. *S. Botuidus M.* 636 e. Misericordiam *erga pauperes mirificam inspirat Deus S. Raymundo Palmario* 650 f et seqq.

Missam *celebranti S. Samsoni semper assistere ac ministrare visi sunt angeli* 583 f et seq.

Missæ sacrificio *interesse consueverat cum uberrimis lacrymis S. Irene V.* 621 d

Missæ *et Communionis neglectus quantum noceat* 622 c

Monachis *simul et monialibus sancte præfuit S. Anthusa V.* 449 d

Monachos *obmurmurantes benigne sedat nec sine miraculo S. Bertholdus abb.* 481 a

Monasterium *perversum reducitur ad sanctam disciplinam patrocinio S. Annæ* 269 a

Ad monasticum institutum *coacti primum, in eo deinde sancte vixerunt* 477 a. *Ejusdem instituti homines odio erant Iconomachis* 605 d

Monasticam *disciplinam severe tuetur S. Bertholdus abb.* 477 c

Monasticæ perfectionis *exemplar in S. Irene hegumena* 606 et seqq.

Morbi *sæpe sunt aliquibus salutares* 360 d. *Id quod egregie docuit S. Irene V.* 627 e

Moribundo *quantum profuerint adversus dæmones opera caritatis* 54 b

Moribundum *solantur Dominus, Deipara, et S. Anna* 263 b. *Deipara et S. Anna* 265 e. *S. Anna moribundo concedit ut rite ante obitum extremis Sacramentis muniatur* 289 b

Moribundos *precibus subito sanat S. Samson* 580 d e

Mors *B. Nevoloni campanis sponte sonantibus indicata* 498 e

Mortem *omnium filiorum præmaturam patienter fert S. Raymun dus Palmarius* 649 b

Mortificatio carnis *industria in S. Bertholdo abb.* 478 e. *Eadem cum oratione mirifice conjuncta a S. Irene V.* 607 e, 611 e, 623 f, *infestante frustra diabolo* 614 c

Mortui *suscitati ope Virginis Deiparæ et S. Jacobi ap.* 40 f, 42 c d, 45 b. *Ope S. Jacobi* 48 d, 50 a. *Ope S. Annæ* 271 e, 274 a, 275 et seq. 282 et seqq. 288 c f et seqq. *Precibus S. Simeonis eremitæ* 326 f et seq. *S. Pantaleonis M. adhuc catechumeni* 413 c. *S. Samsonis* 584 f

Munificentia *S. Ecclesii ep. in causas pias* 445 c et seq. *Vide* Liberalitas

Mutis *reddita loquela per S. Glodesindem V.* 208 f. *Per S. Annam* 279 f et seqq. 295 e. *Per S. Bertholdum abb.* 490

Mutus, surdus et cæcus *adolescens ostendit abditas S. Annæ reliquias, et sanatur* 253 a

Muta et clauda *puella sanatur ope S. Annæ* 279 f, 280 c

N

Narium *putredo ac fœtor sublata ope S. Glodesindis V.* 207 d

Navigantium *antiqua superstitio, siquis moreretur intra navem* 647 d

Navis *mire obtenta implorato patrocinio S. Glodesindis V.* 208 a. *Patrocinio S. Annæ* 278. *Ope S. Simeonis erem.* 336 f. *Divinitus oblata S. Simeoni ad Padum trajiciendum* 330 b

Naufragii *periculum avertit invocatus S. Jacobus ap.* 52 b

Naufragi *duo servantur incolumes ope S. Annæ* 292 f et seq.

Normannos *non semel contudit B. Gerannus dux belli simul et episcopus* 598 d

Nuptias *paratas fuga eludit S. Glodesindis V., angelis faventibus* 204 b, 211 c. *S. Simeon eremita* 225 c

O

Obedientiæ et caritatis *pretium suo periculo edoctus monachus a Deo jubetur illud alios edocere* 326 f et seq.

Obedientiæ *mira efficacia* 482 c d

Obitum *suum et aliorum prænuntiat S. Iltutus* 575 e. *S. Irene V.* 631 f et seq.

Oleo *sacro abstersæ dæmonum præstigiæ* 189 c

Oleum *mirificum et salutare manans ex sepulcro S. Glodesindis V.* 209 b. 221. *S. Sergii M.* 362 d et seq.

Oleum *toto anno servat in vase dissoluto S. Simeon erem.* 334 a

Opificis *industria singularis ad assequendam doctrinam Christianam* 648 f

Oratio *piissima S. Pauli M. ante mortem* 165 e

Oratio *S. Samsonis assidua* 579 a. Orationes *cum stationibus et brachiorum extensionibus longissimas protrahit S. Irene V.* 607 e, 611 e, 623 f. *Diabolus id frustra conatur impedire* 614 c

Ordines sacros *suscipientis S. Samsonis humero columba cœlitus missa insidet* 577 b d, 583 f

P

Pacem *inter discordes conciliare jubetur a Christo apparente S. Raymundus Palmarius; quod fortiter præstat* 650 e et seqq. *verbera ob id etiam perpessus et carcerem* 653 b

Panis *in necessitate obtentus per miraculum S. Annæ* 294 a. *Item per B. Nevolonum* 498 d

Paralytici *sanati ope S. Jacobi ap.* 61 b f. *Ope S. Annæ* 284 c et seq., 288 e, 295 b. *Per S. Simeonem erem.* 330 c, 333 d, 335 c et seqq. *Per SS. MM. Maurum et Socc.* 363 et seqq. *Per S. Pantaleonem M.* 416 d. *Per SS. MM. Cordubenses* 465 f

Parentem *ne moribundum quidem, nisi jussus, invisit, sanat, et convertit S. Samson* 579 e et seq.

Parentum *et proximorum amori quousque renuntiaverit S. Pastor abb.* 308 c

Pater *S. Samsonis ep. de cœlo corripitur, quod nollet filium fieri clericum* 575 c

Patientia *in injustis persecutionibus eminet S. Theodorus ep. Massiliensis* 186 b

Paupertatis evangelicæ *exempla in SS. Joanne e Jacobo apostolis* 8 c

Peccator *remissum sibi scelus miraculo discit ad sepulcrum S. Jacobi Compostellæ* 48 b. *Alii per Sanctorum reliquias moventur ad pœnitentiam* 371 c

Peccati mortalis *rei privantur cœlesti viso, quo eorum comites recreantur* 251 a

Pecunia

Pecunia *vel in necessitate, vel ad causas pias frequenter per miraculum accepta beneficio S. Annæ* 245 et seqq. 251 a, 296 a. *Indicio archangeli Michaelis* 398 e. *Eadem precibus per miraculum obtenta a B. Nevolono* 498 d

Peregrinationes *Compostellanæ ad S. Jacobi quam antiquæ, quam illustres ac frequentes, quam ornatæ miraculis* 32 et seqq. 45 b; 48 et seqq.

Peregrinationes *Hierosolymitanæ institutæ a Sophia Hollandiæ comitissa* 34 e. *A S. Raymundo Palmario ejusque matre* 646 d et seq.

Peregrinationum *sacrarum mirifice amans B. Nevolonus* 496 b et seqq. *Uti et S. Raymundus Palmarius, sed a Christo apparente inhibetur* 650 e

Periculis *variis clientes suos ac peregrinos liberat S. Jacobus ap.* 47 et seqq. 65 f et seqq.

Pestis *Divione sedata an.* 1531 *per invocationem S. Annæ* 249 b, 296 f

Philtrum. *Vide* Præstigiæ amatoriæ

Phtisis *subito sanata ope S. Pantaleemonis M.* 366 f

Piscatio *felix et prodigiosa ope S. Annæ* 291 c. *Precibus S. Botuidi M.* 637 c

Pluvia *in media non madefactus S. Aredius* 184 a. *Nec reliquiæ SS. MM. Mauri et sociorum, nec earum bajuli, nec sacerdotes assistentes* 362 c

Podagra *et chiragra factus inutilis, omnino sanatur ope SS. Mauri et socc. MM.* 364 d

Pœnitentia *exterior minus gravis requiritur, si interior sincera sit* 308 e

Pœnitentia *severa S. Benigni ob rem non culpabilem* 317 e

in Pœnitentiæ sacramento *administrando mira sedulitas S. Bertholdi abb.* 479 c d et seq. *Ibi solebat adhibere verbera* 480 b, 486 e

Poma S. Joannis *a quo miraculo sic dicta* 225 f. *Alia ejusdem Sancti plane mirifica* 625 f et seqq. Poma *salutaria arboris super Martyrum sepulcro natæ* 517 f

Pontificis *Romani auctoritas vindicata* 538 e

Præstigiæ amatoriæ *mirabiliter detectæ combustæque precibus S Irenes V.* 617 et seqq.

Presbyteri *ac diaconi jubentur habere contubernales, tamquam pudicitiæ suæ testes* 440 d

Prophetiæ *dono claruit S. Nicetius ep. Trevir.* 184 b. *S. Bertholdus abb.* 480 et seqq. *Item latro sub illo factus monachus* 483 c d. *S. Iltutus* 575 e et seq. *S. Samson ep.* 579 f et seqq. *S. Joannicius* 604 b. *S. Irene V.* 613 et seqq.

Puer *ab equo obtritus subito sanatur ope SS MM. Mauri et socc.* 365 f

Pueritia *sancta S. Gaugerici* 185 f. *S. Ebrulfi* 194 f et seq. *S. Simeonis eremitæ* 325 c, 332 b. *S. Samsonis ep.* 575 b

Puerperii *periculo liberata mulier ope S. Annæ* 281 a

Pupillorum *ac viduarum cura singularis in S. Raymundo Palmario* 652 d

Q

Quadragesimam, *et maxime hebdomadam sanctam quam severe transigat S. Simeom erem.* 332 b. *S. Samson ep.* 590 e. *S. Irene V.* 624 b

R

Religiosæ perfectionis *exemplar in S. Irene hegumena* 606 et seqq.

Religiosis *non satis est mundum reliquisse corpore, nisi et spiritu relinquant* 611 f et seq. *Eisdem virtutes maxime necessariæ recensentur* 612 b c. *Iis præcipue fugienda immunditia, avaritia, deliciæ etc.* 614 b c

Religiosum statum *filio suadet S. Raymundus Palmarius moriens* 654 c

Reliquiæ *Sancti Jacobi ap. cœlestibus indiciis inventæ* 16 d. *Plurimi sibi easdem vindicant, sed falso* 19 et seqq. *Eædem in tenebris splendorem lucis emittunt* 6 e. *Per eas torquentur dæmones et ejiciuntur ab energumenis* 157 d, 365 a. *Earum violatores divinitus puniti* 17 et seq. 30 b

Reliquiæ *sacræ pie coluntur; tametsi alterius Sancti putentur esse quam re vera sint* 31 e et seq. *Eædem non minoris faciendæ, quia exiguæ sunt aut in partes minutas divisæ* 35 f. *Quam antiqua sit earum veneratio in Ecclesia, et quam similis per omnia hodiernæ* 31 et seq.

Reliquiæ *S. Wolfilaici inter ignes illæsæ; inter imbres intactæ* 190 b c

Reliquias *B. Gothalmi irreverenter inspectans cæcitate plectitur; sed factum dolens sanatur* 340 a

Reliquiæ *SS. Mauri et socc. MM. divinitus revelatæ* 361 c et seq.

Reliquiæ *S. Sergii M. oleum, fumum aromaticum, et lucem emittunt* 362 d. *Et manna* 373 c

Reliquias *furans divinitus punitur* 469 a

ad Reliquias *S Bertholdi superba mulier accedens proprius punitur* 488 c

Reliquiæ *S. Nazarii M. inventæ incorruptæ et odorem suavissimum expirantes* 505 b c. *Vide* Corpus.

Restrictione reali *utitur S. Pantaleon M.* 413 d e

Resurrectionem *carnis negantes hæretici reprimuntur insigni miraculo* 381 c et seqq.

Rosarium *volvens rusticus cœlesti visione non semel recreatur* 249 f et seqq.

S

Sacrilega communio *dire punita in Lothario rege et comitatu ejus* 220

Sacrilegus fur *punitur; sed facta restitutione delictum palam confessus liberatur* 464 c. *Alterius repentinus interitus* 518 c

Saga *obstinata, precibus S. Samsonis repentino plectitur interitu* 580 c

Sancti *aliquando differunt imploratam opem; aliquando malum unum tollunt prius, alterum diu posterius* 279 f et seq. *Cur sæpe eorum ope aliqui omnino sanentur; alii signa languorem retineant, alii non sanentur* 360 c d. *Eorum cultus in Ecclesia quam antiquus sit et sibi per omnia ad hunc usque diem similis* 35 f et seq. Sanctorum *parum reverens subitanea morte plectitur* 467 d. *Eorum Acta cur scribantur* 324 f, 360 a

Sanguis *S. Jacobi ap. etiamnum liquidus* 23 c

Sanguinis *fluxus invocata S. Glodesinde sistitur* 222 d

Sanguinis *S. Pantaleonis M. anniversaria liquefactio* 402 e et seq. 421 d

Sanguis *S. Nazarii M. incorruptus* 505 b

Sanitas *multis obest; morbi prosunt* 360 d, 627 e

Saxo, *velut ceræ impressa S. Mauri ep. M. corporis forma* 363 f

Scandalum *quo pacto vitari possit* 308 e

Scientia *occultorum, absentium, futurorum. Vide* Prophetia.

Sepulcra Sanctorum *clara miraculis: S. Jacobi ap. Compostellæ* 18 e, 32 f. *SS. Banti et Beati Treviris*

Treviris 188 f. *S. Glodesindis V.* 205 et seq. *S. Oræozelæ M.* 306 a. *SS. Benigni et Chari* 316 c. *S. Glisentis* 319 a. *S. Simeonis eremitæ* 335 et seqq. *S. Jorii ep.* 342 a. *B. Nevoloni* 499. *S. Raymundi Palmarii* 655 et seqq.
Serpens *immanis ac pestifer ope S. Christophori M. mortuus* 137 d. *Ope S. Samsonis* 581 a, 584 f et seqq.
Serpentis *morsu tumentem signo crucis sanat S. Samson ep.* 575 c d
Servitute *Turcarum mirabiliter liberati septem viri ope S. Annæ* 287 e. *Alius, implorata ope Deiparæ et SS. Mauri et Socc. MM.* 359 c
Simplicibus *Deus sublimia communicare solet* 362 a
Siti *periclitantes, invocata S. Anna potum obtinent* 291 f et seq. 293 f, 296 c
Solem *precibus qui stiterint* 267 a
Solitariæ Vitæ *operationes tribulatio et discretio* 308 d
Solitudo *eximie culta a venerabili Gerekino* 3 c. *a ven. Thoma Kempensi* ibidem e. *Ejusdem amor singularis in S. Anthusa V.* 448 c
Somnus *prodigiosus 7 Martyrum, vulgo Dormientium* 388
Spina piscis *infixa faucibus liberati per S. Simeonem eremitam* 334 b, 336 e
Stationes *in oratione pernoctes. Vide* Stylita, Vigiliæ.
Sterilis *mulier invocato S. Jacobo concipit et parit filium* 48 c. *Aliorum Sanctorum patrocinio ex* sterili *matre nascitur S. Ebrulsus* 194 f. *Ipsius S. Ebrulfi patrocinio,* sterili *conjugio datur filius* 196 d., 197 f. *Ex* sterili *matre divinitus prædicitur nascitura Deipara Virgo* 234 c. Sterilis *mulier patrocinio implorato S. Annæ concipit; sed idem implorare desinens, fœtum enititur mortuum; qui tamen ad vitam repetitis percibus redit* 271 c f. Sterilitas *aliis pluribus per eamdem Sanctam ablata* 275 a, 290 f et seq. 295 c. Sterili *ex matre divinitus prænuntiatus nascitur S. Samson ep.* 574 d
Studia *sacræ Scripturæ quantam lucem accipiant a jejuniis, vigiliis ac precibus assiduis, sensit S. Samson ep.* 576 c, 577 d
Stylitam *Simeonem circa Treviros imitatus S. Wolfilaicus, perstat in columna* 189 a. *Hanc tamen subinde deserit suadente S. Magnerico ep.,* ibidem f.
Superiores *religiosi quam grave onus sustineant, et quam sancte illud subierit S. Irene V.* 610 et seqq.
Suppliciis *erepti ope S. Annæ* 272 c f et seqq. *Vide* Misericordia erga captivos
Surdus cæcus et mutus *adolescens detegit reliquias S. Annæ, et sanatur* 253 a
Surdis *redditus auditus ope SS. MM. Mauri et Socc.* 263 et seqq. *Ope S. Bertholdi abb.* 493 a
Surda et muta *sanantur ope SS. MM. Cordubensium* 465 b, 467 f
Suspensus *e patibulo innocens a S. Jacobo ap. liberatur* 50 b

T

Tempestas *sedata patrocinio S. Annæ* 262 b, 266 e, 270 a, 271 a. *Imperio S. Simeonis erem.* 333 f
Tentationes *invocata S. Anna dissipatæ* 269 c f, 274 f
Tentationes *vincit S. Irene V. eas revelando superiori* 607 f. *Item implorando Sanctorum opem* 608 a b
Tentationes *carnis in concreto glacie fluvio restinguit B. Nevolonus* 498 c
Tribulatio *et discretio conveniunt solitariis* 308 d
Turcarum *servitute viri 7 mirabiliter liberati ope S. Annæ* 287 e. *Vide* Servitus

V

Venenum *sciens haurit S. Samson, sed illæsus* 578 a
Ventis *imperat Christi nomine S. Simeon erem.; et obediunt* 333 f
Vestium *luxus miraculo correptus* 488 c
Victoria *de Saracenis per invocationem Sanctorum prodigiose parta* 35 c. *Item aliæ plures ope S. Jacobi ap.* 37 et seqq.
Viduarum *et pupillorum cura singularis in S. Raymundo Palmario* 652 d
Vigiliæ *duræ et fere continuæ S. Samsonis ep.* 579 a, 582 b, 590 e. Vigiliæ et stationes *mirabiles S. Irenes V.* 607 e, 611 e, 623 f; *infestante mirum in modum dæmone* 614 c
Vinum *salutare, miraculo datum* 223 b
Vinum *per miraculum S. Annæ obtentum* 291 f
Vinum *in eleemosynam large fusum non minuitur* 465 c d
Virginitas *perpetua SS. Joannis et Jacobi* 9 a
Virginitatis *amor egregius in S. Glodesinde V.* 204 b, 211 c. *In S. Irene* 604 c
Vocationi divinæ *prompte obtemperant SS. Joannes et Jacobus apostoli* 9 a. Vocationem *filii ad statum ecclesiasticum impediens pater de cœlo corripuṭur* 475 c
Vosagicæ *solitudinis elogium* 188 d
Vota *pia non adimplentes puniuntur divinitus* 52 b, 281 a, 489 e, 422 d e, 465 e
Voti *Deo in Sanctorum honorem nuncupati efficacia passim occurrit in miraculorum narrationibus.*

U

Urinæ *obstructio sanata ope S. Raymundi Palmarii* 657
Ursa *et ovis pascunt S. Glisentem eremitam* 319 a
Uxorem *patientia et miraculo convertit B. Nevolonus* 497 c d
Uxorem *et liberos quam sancte amaverit S. Raymundus Palmarius* 649 b c d

Z

Zelus *indiscretus correptus in SS. Jacobo et Joanne apost.* 9 d

FINIS

Bruxellis, Typis F. VROMANT, via de la Chapelle, 3.

FALVEY MEMORIAL LIBRARY
VILLANOVA UNIVERSITY

DATE DUE

JAN 1 3 1997
RECD FEB 0 4 1997

VILLANOVA UNIVERSITY
BX4655.A2 v.033
3 9346 00067363 4

FOR REFERENCE

NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM

CAT. NO. 1935 LIBRARY BUREAU